Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b3045945x



Vtcumque artificis manus hunc effinxerit apte,
Aptius id ſcriptis fecerat ille ſuis.
Præſtitit os, oculosque, faber; frontemque tueri,
Ipſius at mentem, qui legit, ille videt.

Nachtglas fec. *F. Halma excud.*

FR. SCACCHI

SACRORVM ELAEOCHRISMATΩN MYROTHECIA TRIA.



J: Goeree Inv.   J: v: Vianen fec.

SACRORVM ELAEOCHRISMATΩN MYROTHECIA TRIA,

In quibus exponuntur

OLEA, atque VNGVENTA

Divinos in Codices relata:

Et olim vel cunctis univerſim Gentibus, in vitæ quà quotidiano, quà molliore cultu; vel nominatim apud Iſraëlitas, tam in ſacrorum Antiſtitibus, Locis, ſupellectilibus, quam in Regibus ſolemniter inaugurandis uſurpata.

AUCTORE

FR. FORTVNATO SCACCHO

Ordinis Eremitarum S. Auguſtini,

APOSTOLICI SACRARII PRÆFECTO.

Opus eruditione multiplici conſperſum, & inſtituta Veterum, literaſque reconditiores, Hebraicas, Græcas, Romanas, hujus argumenti occaſione paſſim illuſtrans.

Nec antea ſic emendatum.

Adornatum Figuris elegantiſſimis.



AMSTELAEDAMI,

Apud FRANCISCVM HALMAM,
Typog. & Bibliop. ſub ſigno Conſtantini Magni.
MDCCI.

WELLCOME
HISTORICAL

SACRORVM
ELAEOCHRISMATΩN
MYROTHECIVM
SACRO-PROPHANVM.

In quo ex antiquis Græcis, ac Latinis Scriptoribus quidquid ad Nomina, Antiquitatem, Uſum, & Abuſum Oleorum, & Unguentorum, ex ſacris habetur litteris, dilucidè explicatur.

AVCTORE

FR. FORTVNATO SCACCHO

Ordinis Eremitarum S. Auguſtini,

APOSTOLICI SACRARII PRAEFECTO.

Opus non tantum ſacrarum rerum antiquitate, verum etiam Græcorum, & Latinorum conſuetudinibus, ac ritibus undequaque refertum.

BEATISSIMO PATRI VRBANO VIII. PONT. OPT. MAX.

MYROTHECIUM Sacro-prophanum, quem titulum, libro nunc primum in ora hominum prodeunti, feci: multis ſanè nominibus B. V. debitum, qua par eſt uti humillimum clientulum obſervantia, eidem reverenter oblatum venio: vel quia in laudatiſſimo hoc univerſalis Eccleſiæ, quem modeſtiſſime exerces, Principatu, ad omnia bona, Chriſtique fidelibus ſalutaria B. V. ſe ducem præbet, omnique conatu, & ſtudio agit; ut liberalium artium ſtudia, loco ſint, quantum fieri poteſt, optimo: vel quia ſcriptionem hanc qualemcunque, ab una Barberini nominis beneficentia, primos hauſiſſe ſpiritus, atque publicationem adeptam fuiſſe omnino conſtat. Quapropter nullius alterius nomine, quam B. V. inſigniri, nec alio quam ejus ſub patrocinio, lucem aſpicere debuit. Illud certè doleo: ea nequaquam dicendi elegantia, aut eruditione perpolitum publicari, quæ B. V. oculos, & aures decuiſſet. Cujus poſt graviſſimas, & adminiſtrationi omnium

maxi-

maximè utiles diſciplinas, in amœnioribus litteris rara eruditio, dicendi lepor, ac ſuavitas, adeo ubique lecythizat, ſingularibuſque animi dotibus ornatur; ut omnium bonorum animos, totiusque matheſeos animam in ſe rapuerit. Difficillimum ſanè, ac arduum fuit, homini per triginta tres annos, & eo amplius, in ſcholaſticis ſtudiis verſato, elegantiores demum repetere Muſas, dicendique ſtylum immutare. Scholaſtica enim, quam hodie dicunt, Theologia, quæ in Maceratenſi Academia, haud ita pridem me profitentem agnorat, propriis vocabulis publicam ingreditur diſputationum palæſtram; ſuiſque certat armis. Unguentaria verò hæc noſtra ſacrorum Ελæοchrismatων officina, ad quam defecimus, & in quam toti, ex quo in Sacrarium Apoſtolicum adſciviſti, incubuimus; ut ſuaviorem fragrantiam expiraret, politiori certè dicendi phraſi indiguiſſet. Nec eſt cur audaciæ, aut impudentiæ nomine B. V. me accuſet: quod gravioribus Eccleſiæ & Orbis negotiis occupatum, mearum vigiliarum, ac ſtudiorum Patronum conſtituerim: cum neceſſe ſit ædificiis his, quibus ex Architecti lineis laus non eſt, ſtatuis aliquibus, externiſque ſculpturæ ornamentis, ex Patroni quoque dignitate atque auctoritate, admiratores conciliare. Quæ cum optimè à me intelligantur; nec me latet plurimas in hoc Myrothecio expoſitiones, plurimas quoque veterum Monumentorum illuſtrationes, curvas atque diſtortas nonnullis viſum iri; (cum non omnia videre poſſit unus) doctiores fortaſſe una B. V. afflati

ſlati aura, humaniſſime ad rectam revocabunt lineam: reliqui pariter, quibus non tam ſana mens, maledicentiæ, atque procacitatis luto incruſtare verebuntur, quæ B. V. nomine, BARBERINÆQUE Familiæ ornamentis, ac egregiis factis, inſculpta cognoverint. Quamobrem quos dicendi elegantia, rerum antiquarum varia cognitio, peregrinarum quæſtionum novitas, aromatum fragrantia, unguentorum, ac oleorum denique ſuavitas, non trahet; B. V. apibus, ac nomine, quo nullum majus ornamentum haberi poteſt, pertrahentur. Accipe ergo Clementiſſime Chriſtiani Orbis Princeps, (quem ob ſingularia in me collata beneficia, raramque omnibus mundi ſeculis doctrinam, tacito amoris adfectu ſubmiſſè, ac reverenter jam dudum colo) veteris, ac religioſæ obligationis, ſi non pro debito pignus, at confeſſoriam ſaltem ejuſdem obligationis tabellam. Meumque ſubmiſſum, officioſiſſimæ pietatis ſtudium, erga B. V. celſitudinem, favoris, atque clementiæ aura clementiſſime fove. Dum fauſta cuncta, ac felicia B. V. opto, & ad oſcula ſanctiſſimorum pedum provolutus à Deo Opt. Max. libens voveo. Dat. Romæ VIII. Kalen. Aprilis M. DC. XXV.

Beatitudinis Veſtræ

Humillimus & devotus ſervus

F. FORTVNATVS SCACCHVS

Apoſt. Sacr. Præfect.

**

Cum

Cum ad Sacrorum Elæochriſmatωn argumentum , totinſque operis cognitionem, hæ duæ epiſtolæ conducant ; & inſcriptioni quoque deſerviant ; gratum lectori futurum exiſtimavimus , hic eas adferre.

PERILL. ATQVE PRÆSTANTISS. D.

ERYCIO PVTEANO

In Acad. Lovanienſi Publico bonarum litterarum Profeſſ.

F. FORTVNATVS SCACCHVS

Ord. Erem. S. Auguſtini. S. P. D.

SPLENDOR *tui nominis ex varia litteratura tibi comparatus , Clariſſime Vir , cum huc uſque jamdiù pervenerit , tam mirabiliter me cepit , tamque magna voluptate affecit , ut quinque libros , quaſi totidem vaſcula Sacrorum oleorum , ex aromatibus , tam Veteris , quam Novi Inſtrumenti , a me nuper imbutos , illi ipſi exhibendos conſtituerim : ut ſic ipſis non parva dignitas adjiciatur. Etenim cum ad ſacra ſtudia , ut muneri meo ſatisfacerem , aliquando animum appuliſſem , & Vulgata exemplaria , Græca , atque Hebraica divinorum voluminum pervolviſſem ; tunc maximè , cum Biblicum opus variis tranſlationibus congeſtum publicavi , tam in Veteri , quam Novo inſtrumento , de oleis , & unguentis , plurimis in locis mentionem honeſtiſſimam fieri ; illiſque tum ad prophana , tum ad ſacra miniſteria , veteres uſos fuiſſe comperi. Quinimo nihil frequentius in ſacro Canticorum libro , quam odores unguentorum , areolæ aromatum , & olea ipſa aromatibus condita ; paſſim in libro Pſalmorum , non raro in libro Job , in libris Regum , Eſther , Judith , & in vaticiniis Prophetarum ſexcenties olea & unguenta occurrunt. His ſacerdotes conſecrabantur. His Reges inaugurabantur. Præſtantiſſimo unguento , non ſemel peccatrix mulier, Vindicem , ac Reſtitutorem humanæ libertatis Chriſtum perunxit ; eundemque jam mortuum , in illa ferali pompa , inter aromata , atque unguenta in ſepulcro , pii Viri Joſeph & Nicodemus condiderunt. Quamobrem cum nihil de iſtorum omnium uſu , de ritibus , deque circumſtantiis , quibus veteres Iſraëlitæ iiſdem utebantur , ſcriptores monumentis ſuis nobis aperuerint; & ipſe plurima in Apulejo , Plutarcho , Xenophonte , & ceteris ordinis iſtorum , nonnulla cognoverim , accomodata ſanè ad prædicta explicanda ; Deo auſpice , pro meis viribus , id facere mihi propoſui : Non ſolum declarando , quibus aromatibus unguenta illa , & olea conficerentur ; ſed etiam de uſu illorum plurima diſſerendo. Quæ omnia , innumerabiles pene locos Sacræ Scripturæ involutos , evolvere mihi poſſe videntur. Hæc verò aromata , atque olea in libros quinque ea methodo digeſſi ac diſpoſui , ut univerſaliora & communiora ad ſacros , & prophanos uſus , primo commendaverim libro.*

Al-

Alteri ea, quæ ad Sacerdotum, & ſacrorum utenſilium conſecrationem pertinebant, commiſerim. Tertio, Regum inaugurandorum ſacræ unctionis materiam, & ritus ſcripſerim. Quartò, peccatricis mulieris unguentum, & oleum nuptiale docuerim. Poſtremo denique, Jeſu Chriſti Redemptoris noſtri diſpoſitionem in monumento, & ſi quæ alia ſunt in ſacris litteris ad funerum cæremonias, ibidem tradiderim. Sed tamen omnia & ſingula ea lege, ut ex Romanorum, atque Græcorum monumentis, qui ab Hebræis illa acceperunt, explicarentur. Verum quis titulus, huic meæ unguentariæ officinæ ſit apponendus, ambigo; vel, ut verius fatear, ignoro. Nam de ſacris Oleis, & Unguentis Veteris, ac Novi Inſtrumenti illam inſcribere, ruſticitatem quamdam, atque barbariem ſapere videtur. Propterea Sacra Chriſmilæa *illi adhibendum titulum cogitavi,* παρὰ τὸ χρίσμα, καὶ τὰ ἔλαια; *duabus his in unam coëuntibus dictionibus, prout in more eſt apud Græcos: & α finali prioris dictionis* χρίσμα, *nec non* ε *in principio poſterioris* ἔλαια *per ſynæreſim, in* η *mutatis, formare vocem* Chriſmilæa. *Cui dictionem* Sacra *addendam duxi; quod hi quinque libri ad explicationem Sacrarum Litterarum, ex quarum Oraculis aromata, & olea accepi, à me fuerint lucubrati: & ad uſum in primis illorum, qui ſacris litteris operam dant; & ab homine ſacris myſteriis initiato ſint evulgandi. At cùm græcam linguam, vix ego à limine ſalutaverim; multa in eo titulo me torquent: dictionum nimirum illarum conjunctio & Synæreſis: quæ ſi cohæreant, ambigo an verbum illud per ſimplex i latinum ſcribendum ſit* Chriſmilæa, *an vero græco* η *retento* Chriſmηlæa; *quemadmodum de ω litterariæ Reipublicæ Principem Lipſium tuum, in dictione Poliorceticωn feciſſe perſpicimus: an denique ſecundæ latinorum declinationi dictionem* Chriſmilæa *ſine reprehenſione adſcribere poſſimus. Implicita explices precor, Vir Optime, Eruditiſſime, pro ardente quam habes voluntate, de Republica bene merendi, pro tua in ſtudioſos omnes humanitate, pro mea in te demum obſervantia. Niſi enim eum probaveris titulum, nec mihi probatum volo. Et ſupplex oro, ut animi tui ſenſum ſuper hac re, quam primum mihi aperire non dedigneris. Futurum eſt enim, ut in nutrimentum luminis tui exhibito oleo, nominis pariter tui ſplendor augeatur, & unguenta odorem ſuaviorem ſint diffuſura. Calore enim, & lumine, unguenta odorem ſpargunt & lumen oleo adhibito latius micat. Quapropter boni omnes plurimum tibi debere intelligent; & ego jam pridem tibi ex animo addictus, in futurum pro hoc ingenti beneficio, in dies ſingulos, magis addicar: & affirmatè polliceor, me ex intimis votis, vota in quotidiano* AUGUSTO SACRIFICIO *pro tua ſalute, ac felicitate interpoſiturum. Vale, Ripatranſonæ, Idibus Januarii* MDCXIX.

V. D.

F. FORTVNATO SCACCHO

Aug. Erycius Puteanus. S. D.

MEra profectò fragrantia, Vir doctiſſime, epiſtola tua fuit, ſuaviſſimam humanitatis auram ſpirans. Gravi oppreſſus morbo jacebam, & ecce tanquam ſubito adflatus, vigorem hauſi. Verba tua, ut verè dicam, aromata fuere; eloquium velut oleum; ita ſcribis, ut legentis animum occupes, certe meum, facilem ab elegantiis capi. Exopto igitur, in ipſo Volumine, quod promittis, in horto, quem adornas, verſari quam primum, laborumque tuorum dulcedine uſquequaque frui. Circa tituli elegantiam non fruſtra curioſus es. Decet pulchrum corpus, venuſta facies, magnificam domum, inſigne veſtibulum. Legi liber debet, vel priuſquam legitur, ut qua induſtria ſcriptus ſit, in limine innoteſcat. Dixerim magnam voluminis partem ἐπιγραφὴν eſſe; ſed quæ plene, & eleganter totius argumenti imaginem repræſentat. Tantus enim debet eſſe titulus, quantus liber eſt; tantum nomen, quantum opus; iſthic brevitas, hic majeſtas. Quare ἀπὸ τοῦ χρίσματος, καὶ ἐλαίου formari poſſent χρισματέλαια, vel rectius ἐλαιοχρίσματα latinè ELÆOCHRISMATA. Quia autem ad explicationem imprimis Sacrarum Litterarum faciunt; rectè SACRA inſcribentur. Expreſſi opinionem meam, quæ omnino tuam ſequitur. Sed expreſſi ſerius, partim morbo, qui diuturnior fuit, partim itinere, morbi levandi cauſſa inſtituto, impeditus. Acceſſit etiam tertia cauſſa: quia revera, quo miſſurus eſſem litteras, ignorabam. Eximio LANCILOTTO gratiam, à quo monitus ſum, & ut verè dicam, beneficio affectus. Etenim tam amicè ab humanitate tua compellatum me eſſe, & ad ſilentium redigi, grave profectò erat. Si permittis, Vir Summe, oſtendam, quam invitus tacuerim: ſcribam deinceps litteras, quas in præteritum computes; ſed nomen tuum, doctrinam, pietatem ſolemni pergam officio venerari. Lovanii in Arce, decimo Kal. Decemb. MDCXIX.

LEC

LECTORI MEO S.

UNguentariam hanc officinam ingreſſus, Amice Lector, ex præcedentibus duabus epiſtolis, quem noſtra aromata expirent odorem, quam habeant ſuavitatem unguenta, in vaſculis adhuc cuſtodita, ſaltem ex parte, cognoviſſe te arbitror. Reliquum eſt, primum Myrothecium, quod Sacroprophanum inſcripſimus, breviter aperire.

Myrothecia quidem, quod unguentorum repoſitoria latinè interpretantur, libros ſingulos Sacrorum Elæochriſmatωn diximus, ad unguentarias officinas reſpicientes, & ut generi partes reſponderent. Illæ enim ideo pluribus vaſculis exornantur, ut cujuſque ingredientis arbitrio, ſatisfieri poſſit; cum aliud unguentum uni, aliud alteri placeat, & ex aromatibus quod uni bene olet, alteri fortaſſe non eſt gratum: officina nihilominus ipſa, omnibus grata erit, ab unguentorum, & aromatum diſcrimine, novitate, ac multiplicitate; quod cuique quod libet, in promptu habere liceat. Quamvis autem Myrothecium unguenta ſolummodo, & non olea complecti videatur; ſi tamen vera loqui volumus, nihil eo titulo oleis aromatibus conditis detrahitur, de quibus in Sacris Litteris agitur: illa enim ipſa olea, aromatum cauſa, voce μύρα bene comprehenduntur; oleumque ipſum Sacrarum lucernarum, quod materiam Sacris Unguentis miniſtravit; propereaque una cum aromatibus eodem vaſculo comprehenſum, à Myrothecii nomine ac vaſculo minime rejicietur. Quia verò vaſcula officinæ, lemmatibus notari ſolent; ut & artifici ad opus quæſita præſtò ſint; & officinam ingredientibus, uno mentis & oculorum intuitu, patere poſſit, quid in quoque clauſum reperiatur, & ad quid pertineat, quod tanta diligentia cuſtoditum, eo inſcribitur nomine; Sacroprophanum noſter hic primus liber dicitur. Quia Sacra, & Prophana tam olea, quam unguenta, in divinis expreſſa oraculis, (ſed quæ proprio alicui hominum generi deſtinata non fuerint) in eo explicantur. Et huic quaſi reliquorum librorum veſtibulo, ſive Myrotheciorum primo, non ſolum Oleorum, & Unguentorum veneranda antiquitas, ritus, uſus, & nomina commendantur: ſed etiam cum lege ſancitum fuerit, ad mundum muliebrem unguenta pertinere, de unguentis, quæ ad hunc mundum muliebrem ſpectant, in hoc agitur: quorum uſus ex conſuetudine antiquiſſimi ſeculi fuit penès Sarah uxorem Abrahæ, Juditham, Eſtherem, Suſannam, & reliquas ſanctas Sacrarum Litterarum mulieres, in hoc Primo Myrothecio reconduntur; una cum oleo Sacri Candelabri, & eo quo Prophetas inunctos conjectant aliqui. Ut Sacra hac ratione, Prophanis commixta, ex fertiliſſimo Sacrorum Oraculorum paradiſo, diligentiſſime lecta, & in hoc volumine conjecta, tibi, Lector, fortaſſe uſui, ac voluptati futura proponantur. Cæterum cum Sacra Oracula nativa quadam majeſtate inſignita ſint, ſimplicitati conjuncta; ab interpretis in dicendo ſuavitate, elegantiam expirare conſueverunt: quapropter ſublædet, opinor, emunctas alicujus nares, minus elegans dicendi genus quod uſurpavimus: & qui unguentorum fragrantia, vaſculorum ornamentis, aromatum præſtantia, odoris ſuavitate ad unguentariam hanc officinam pertrahendi fuiſſent, fortaſſe longius propellentur. Enimvero cogitet is velim, ad ſacros cum primis nos homines ſcribere; qui quidem non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in ſimplicitate ſermonis, veras Oraculorum interpretationes amant, ac quærunt: propterea abſtruſiores dicendi phraſes ex Hebraicis formulis, in ſacris litteris petitæ, hiſtoriarum antiquitas, ingenioſa in eiſdem brevitas, ac denique occultiores adluſiones, ſimpliciori ſtylo explicandæ fuere à nobis: ne dum dicendi elegantiam affectaremus, his, quibus noſtra laboravit induſtria, obſcuriores videremur. Tu igitur, Candide Lector, in hanc unguentariam tabernam admiſſus, Primi nunc Myrothecii exploraturus interna, appenſam tabulam, ſeries rerum, aromatum pretium, ſimplex & nullo verborum lenocinio dicendi genus, attendas precor; ſingulorum ordinem, numerum diſpoſitionemque conſidera: ut quæ in his deformata viſuntur, rudiori ſtylo explicata intelliguntur, impreſſorum oſcitantia minus purgata conſpiciuntur, auctoris imperitia parum perpolita dantur; tua ipſius humanitate atque animi candore, venuſtatem, decorem, gravitatem, correctionem, fragrantiam denique omnem recipiant. Vale.

VIRIS CLARISSIMIS

SALMANTICENSIS COLLEGII

Magiſtris, & Doctoribus, omnium Bonarum Litterarum, & Scientiarum Promis Condis.

F. FORTVNATVS SCACCHVS

Eremita Auguſtinianus, Sacrarii Apoſt. Præfectus,

S. P. D.

SUccumberet profectò hæc epiſtola V. C. Hiſpaniæ Salmantinæque Academiæ laudibus, ac meritis, ſi eam his ipſis onerare tentaſſem. Hoc enim veſtrum ſacrarum Litterarum Emporium, non tantum doctiſſimis in omni litterarum genere viris ſemper refertum claruit, qui ingentium voluminum numero, & doctrina, omni tempore Eccleſiam exornarent; ſed quod potius eſt, ſanctioribus quoque, qui militantem, triumphantemque Dei ſedem, ſcriptis & virtutibus illuſtrare ſtuduerint, per plures ſeculorum ætates enituit. Satis hæc me incitare valuiſſent, ut hac epiſtola Veſtras Dominationes venerabundus accederem; à laudibus tamen mihi abſtinendum duxi, ut in Hiſpaniam grati animi notam, quoquo modo potuit, aperirem. Hæc enim ſola ratio Salmantinum Collegium me adire compulit. Nam ſi quid in me ingenii aliquando fuit, aut ſacræ Theologiæ guſtus, ſive ſacrarum Litterarum cognitio, Hiſpanis Academiis, Complutenſi præſertim, & Salmantinæ, cuncta me debere profiteor. Tenebar fortaſſe elapſis jam annis, huic veſtro celeberrimo Collegio mearum lucubrationum monumentum aliquod offerre, cum Sacrorum Bibliorum à me ex variis tranſlationibus, labore non modico, congeſta volumina prodiere. Tunc tamen vos V. C. veritus ſum adire; quod illa ipſa volumina, veſtri conſpectus, ac ingenii minus digna à me cenſerentur. Plus enim olei, quam operis; plus laboris, quam ingenii in illis conſpiciebatur. Potiuſque in commodum concionatorum, re vera, quam de re literaria bene merendi cauſa, illa ipſa publicaveram. Quamobrem cum jam ex quinque ſacrorum Elæochriſmatωn Myrotheciis, in quibus olei, & operis non minimum inſumpſi; primum quod SACROPROPHANUM inſcribitur, Reipublicæ litterariæ ſcenam ingrediatur; ulterius minimè differendum putavi, quo minus veſtro Collegio illud offerrem. Progreditur ſanè S. D. N. Urbani VIII. inſignitum nomine; cujus benignitate, ipſe Apoſtolico ſacrario præfectus, opus publicare valui; quod aliter fortaſſe in latebris jacuiſſet: mihi vero, & operi, omnibus numeris bene actum putavero, cum vobis quoque hoc grati officii ſignum, gratum fuiſſe cognovero: & unguentariæ huic officinæ veſtris calculis dignitatem non minimam conciliatum iri perſpexero. Cum enim parentes, prolis ſuæ vitia, atque diſtorta membra difficile agnoſcant; & ea ſit humani ingenii conditio, ut ſua ſemper ſupra meritum æſtimet; propterea hac epiſtola vos V. C. compellare conſtitui; ut veſtris ingenioſiſſimis doctrinæ floribus, Unguentariæ huic officinæ, ac Myrothecio ſuavitatem, ornamentum, auctoritatemque conciliare dignemini. Et quas in Sacris Oraculis ſum emolitus interpretationes, veſtræ humanitatis, ac benignitatis ſubeant limam: ac, ſi meritus fuero, judicii veſtri eruditiſſimo radio mea nox illuſtretur: propterea namque, librariorum officinas occupaturum Myrothecium hoc, Salmantinum omnium ſcientiarum Emporium primò petiit; quod ejus Collegii Viri, prima Doctiorum hodie occupent ſubſellia. Sic enim fiet, ut obligationis, & affectus erga vos mei teſtimonia, Orbi toto

Votiva veluti pateant depicta tabella.

Valete. Dat. Romæ VIII. Kal. Aprilis M. DC. XXV.

Impri-

Imprimatur, *ſi videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro ſacri Palatii Apoſtolici.*

A. Epiſc. Hieracen. Viceſg.

EX præſcripto Reverendiſſimi Patris Magiſtri Nicolai Rodulfii ſacri Apoſtolici Palatii Magiſtri. Ego Fr. Paulus Ciera Venetus Ordinis Eremitarum S. Auguſtini Theologiæ Doctor, ac in Romano Gymnaſio ejuſdem Ordinis Regens, Vidi, & legi librum cui titulus eſt. *Sacrorum Elæochriſmatωn Myrothecium primum Sacroprophanum. Auctore Reverendiſſimo Domino FR. FORTUNATO SCACCHO ejuſdem Ordinis ſacræ Theologiæ Mag. & Sacrarii Apoſtolici Præfecto.* Opus ſanè, doctrina, ingenio, & eruditione plenum, ad intelligenda quamplurima ſacræ Scripturæ loca, ad abſtruſiſſimos eorumdem ſenſus habendos, ad multos ritus, & cæremonias veterum pernoſcendas, mirum in modum accommodatum. Et in eo nihil animadverti, quod, aut Catholicæ veritati, aut Chriſtianæ pietati adverſetur. In quorum fidem, &c. Romæ in monaſterio S. Auguſtini Kal. Octobris 1624.

Ego qui ſupra Fr. Paulus Venetus.

O*Pus*, *quod ſumma voluptate perlegimus*; *mira eruditione ac doctrinæ varietate refertum*, *in publicum commodum imprimi poſſe concedimus. Romæ in Palatio Apoſtolico die* 18. *Martii* 1625.

Fr. Nicolaus Rodulfius Ord. Præd. Sac. Pal. Magiſter.

SACRORUM Elæochriſmatωn opus perfectiori indagine, quam mei ingenii lumen tenuiſſimum præſtiterit, indigere nemo non videt: præſertim in eruendis antiquitatibus tam ſacris, quam prophanis; quod doctiores facere non omittent. Etenim cum cap. 7. lucernam quandam ad uſum lupanaris extitiſſe dixerim; re tamen poſtmodum melius conſiderata ex Eccleſiaſticis antiquitatibus, quas nunc demum hauſi ex opere, quod inſcribitur *Roma ſubterranea*, animadverti prædictam lucernam, quæ habetur pag. 29. non quidem ad lupanaris uſum, & Veneris incitamentum fuiſſe; ſed in uſum Chriſtianorum in cryptis arenariis, tum ad terram atque arenam inde effodiendam, tum etiam ad ſacra myſteria peragenda extitiſſe.

Quamobrem in figura, quæ jacet, & ad tergum lucernæ conſpicitur, non Venus, ut ibi diximus, ſed Jonæ imago ſub cucurbita contemplanda proponitur; quæ ad reſurrectionis articulum confirmandum, paſſim ab Eccleſia tunc proponebatur fidelibus. Ut in ejus e ventre piſcis poſt triduum evomitione, Chriſti in ſepulchro reminiſcerentur, & ejuſdem reſurrectionem comprobatam ſeù figuratam jam pridem agnoſcerent. Nec enim nos pudet palinodiam recantare; ubi veriora apparuerint argumenta.

FORTVNATI SCACCHI
VITA
A
JANO NICIO ERYTHRÆO
CONSCRIPTA.

QUa tempeſtate, ſæva atque immanis lues toto Illyrico debacchabatur, adeo ut mortalium plurimos, Orci faucibus abſorbendos vorandoſque committeret; fiebat, ut non parum multi fuga ſibi conſulerent, atque alios lares, alias civitates, alias urbes perſequerentur. In his Margarita quædam, Petruich cognomine, ex oppido Dalmatiæ Trau, una cum aliis multis, Anconam patria ſede commutavit. Et, quoniam, inanis à marſupio, verebatur, ne vitam, quam ſalvam à peſtilentia retulerat, ad egeſtatis terminos redacta, fame deperderet, Equiti Jacobo Oliverii Scaccho, ex vetere claraque ejus civitatis familia, operas ſuas pro ancilla, locavit, cum eſſet ætate integra, & forma non mala. Sed bonus ille conductor fecit id, quod occaſio ſuadebat, ætas hortabatur, libido cogebat, ut plus ab ea, quam quantum ſibi debebatur, exigeret, nec ancillares tantum operas quas conduxerat, verum eas etiam, quæ ſunt concubinæ, depoſceret. Itaque die quodam, fortaſſe plus potus, mulierem compreſſit, ex eoque complexu gravidam fecit. Sed id, quod natum eſſet, decreverunt, non tollere, ſed exponere. At expoſitum hoſpitalis domus Deiparæ Virginis Annunciatæ, miſericordia, excepit, & quinquennium aluit. quo exacto, parentes, quod fortaſſe facti eos ſui pœnitentia ſubiiſſet, pro ſuo agnitum, domum reduxerunt, & Fratrum Eremitarum S. Auguſtini habitu indutum, religioſæ illorum familiæ dicarunt, & F. Antonii Mariæ nomine appellarunt; cum antea illi, legitimæ prolis jus Pontificio diplomate obtinuiſſent, nempe ad perſonam & ad honores dumtaxat, non autem ad hereditates. Jam pueri res omnis eſſe in vado, jam ille in portu navigare videbatur; cum nova tempeſtas exorta, inde eum repulit, quo Favonius, vel ſi quis eſt alius illo liquidior ventus, antea detulerat, nova videlicet Sixti V. Pont. Max. conſtitutio, quæ omnes, ad Religioſorum ordinum familias iis aditus intercluſos eſſe jubebat, quibus, ex minus juſtis nuptiis naſci contigiſſet. Sed paulo poſt, ſedatis fluctibus, ſecundiore illi flatu vecto, Fani fortunæ, ad eandem familiam aditus patuit, Fratrique Fortunato nomen eſt inditum; fortaſſe quia fortunam, à qua oppidum illud nomen invenit, propitiam habuiſſet. Jam vero, quæ tanta dicendi vis eſt, quæ tamquam penicillus, diſertæ orationis ope, quaſi coloribus, incredibilem illam diſcendi cupiditatem, quæ peracri ingenio hominem, & ſtudio flagranti, inceſſerat, poſſit exprimere? qua flagrabat ſic, ut vix in altero flagrantius ſtudium inveniretur. Ac primo, unus è multis, nulloque apud ſuperiores numero, in funera vocatus cum aliis una prodire, publicis privatiſque ſupplicationibus intereſſe, horarias tum nocturnas tum diurnas preces, ceterorum choro inſertus, recitare, pſallere, menſis deſervire, interdum in culina, obſoniis partiendis, coquinandis, patinis aliiſque vaſis abſtergendis, dare operam coquo, denique alia omnia facere, quæ vulgarium communia ſunt fratrum. Sed, cum in hac ignobilis vitæ patientia aliquandiu perſeveraſſet, jamque diſcendi deſiderium, quo æſtuabat, ferre non poſſet, tandem magna vi, convocatis in auxilium amicis atque cognatis, expugnavit, ut Ariminum, ſtudiorum cauſa, mitteretur. ubi, non contentus ea eruditione, qua ibi ſe expoliri ſentiebat, quod ſibi erat conſcius, ſui ingenii vires longe majorem perpeti poſſe; ſtatuit, alibi eam exquirere, ejuſque comparandæ gratia, operæ, ſumtui, & labori non parcere. atque anno CIↃ IↃXCIV Magiſtri generalis comitiis, Romam ſe contulit, perfecitque, ut ſibi in Hiſpaniam proficiſci liceret. Verum, dum majore animo quam viatico inſtructus, Barcinonem navigat, fit, ut, à pecunia deſtitutus, dum ſapientiæ famam quærit, in famem incurreret; à qua niſi confici vellet, neceſſe habuit coquum agere; ac vectoribus, quod ederent, coquere. Quis unquam exiſtimaſſet, per culinam, & coquinandi artem, eſſe iter ad ſapientiam? Navi egreſſus, terraque, quod reliquum erat itineris, peragens, majoribus etiam incommodis atque moleſtiis conflictatus eſt; adeo ut Toletum, mortuo quam vivo ſimilior, perveniret. Quæ res illi in bonum converſa eſt. nam Patres illi, hominis, ad extremum caſum adducti, aſpectu commoti, magis miſericordia quam alicujus ſuperioris imperio compulſi, in familiam eum ſuam receperunt; tum, ad Complutenſem academiam miſerunt, ubi exquiſiti tota Hiſpania magiſtri docebant; ibique nobiliſſimos omnium condiſcipulos habuit; in quibus Rodericus Borgia, nunc S. R. E. Cardinalis, numerabatur; quibus cum una Philo-

ſo-

ſophicis ac Theologicis eſt diſciplinis eruditus. Quarum diſciplinarum curriculo, ſeptem annorum ſpacio, ſtrenue gnaviterque confecto, voluit, Hiſpano more, in arenam deſcendere, cum viris doctiſſimis de eo, quod didicerat, triduo, tum manè tum veſperi, pugnaturus, eorumque, contra diſſerentium, argumentationum tela fortiter excipere atque repellere. idemque certamen, ex Hiſpania reverſus, inſtauravit in patria. Tradidit ſe deinde linguarum cognitioni: è quibus Hebraicam ita novit, ut in ea natus videretur. Sed Græcas literas, ut M. Cato, ſenex arripuit: nam videbam ego, qui Romæ in eadem, qua ille, vicinia eram, Græculum, qui mercede docebat, quotidie ad eum venientem. Nec minorem, libris edendis, operam dedit; quibus, ut dicere ſolitus erat, nomen ſuum immortalitati commendaret. Nam Venetiis, anno CIƆIƆCIX, ſacrarum literarum librum, quem Biblia vocant, plures in linguas converſum, ac duobus voluminibus comprehenſum, & Paulo V Pont. Max. dicatum, edidit. Quo tempore, Zachariam & Hieronymum Condelmerios, nobiles Venetos, arcta ſibi familiaritate devinxit; qui etiam ſuas illi operas polliciti ſunt, ut à Senatu illo, apud quem plurimum auctoritate & gratia valebant, Reip. Theologus, magno cum ſtipendio, ſubrogaretur in locum F. Pauli Servitæ, qui paulo ante è vita deceſſerat. ſed recuſavit ille, nec auſus eſt ei ſuccedere, qui tantum, ſuis ſcriptis, dediſſet Reip. Chriſtianæ damnum ac malum. Tum, annis quindecim, quibus, Urbano VIII Pontificatus Maximi navis clavum tenente, Sacrario Pontificio præfuit, duo concinnavit volumina de ſacris unctionibus, unum, Sacrorum Elæochriſmatum, alterum Sacrorum arcanorum titulo inſcriptum, utrunque varia atque admirabili eruditione refertum: ſed, dum parat ſe, ut duo alia volumina ad communem utilitatem in lucem proferat, coactus eſt, homo abundanti doctrina, ſtudioque flagranti, literis mandare rationem ac viam, quæ ſit ineunda, in Sanctorum numerum referendis iis, qui ſumma cum probitatis laude vixerunt. de quo argumento volumen unum docte eleganterque confecit; nec potuit alterum, quod jam in fine laborabat, abſolvere, ſubito apoplexiæ morbo correptus, quæ tantam ejus capiti oculiſque calamitatem invexit, ut excogitandi eidem tum, & cernendi, facultatem ademerit; quamvis, celeri medicorum ope, tum caput, tum oculi, ad ſuum munus præſtandum, ſint propemodum revocati. Emiſit item volumen unum concionum, quas variis temporibus ac locis ad populum habuerat: at, ne alterum prodiret in vulgus, fuit impedimento morbus ille, quem diximus. non enim erat magis doctus, quam eloquens; ſed utraque in re plurimum præſtitit; atque diſerta ejus vox, & eruditis auribus digna, in præcipuis Italiæ civitatibus audita, admirationes & plauſus ſibi confecit; ac Bononiæ præſertim ita probata eſt, ut in ſolemnibus quibuſdam ſupplicationibus, cum excitandus eſſet aliquis, qui ad populum verba faceret, ex triginta magni nominis concionatoribus, ab ampliſſimo illo Senatu ſit electus, cui illæ partes demandarentur, & ob amœnitatem ingenii, qua florebat, dignus fuerit habitus, cui Comitis Aldobrandi opera, ipſi Senatui dicata, verum inchoata, ac nondum perfecta, abſolvenda ac perficienda traderentur; cujuſque opera, ad tradendam in eo Gymnaſio Theologiam, annua ducentorum aureorum mercede conduceretur. Sed, num, quia poterat optime loqui ac ſcribere, in aliis docendis inſtituendiſque non ſatisfaciebat? at, hoc quoque in genere, laboravit, & excelluit. etenim Romæ ſacras literas interpretatus eſt; Maceratæ Theologiam, Patavii Hebraicas literas docuit; præterea, tum ibi, tum Peruſii, tum Recineti, diſcentium ſtudiis præfuit. Quid multa? nihil erat in ſtudiis literarum honeſtum ac pulcrum, ad quod ille maxima, à natura, adjumenta non haberet. Sed homo, ocii quietiſque in primis cupidus, quique nihil tam laborabat, quam ut æternam ſibi gloriam, ſcriptorum ſuorum fama, conficeret, ſecretum ſemper aliquem & remotum ab arbitris locum quærebat, ubi ſcriptioni operam daret. ac primum, Fanum ſeceſſit: verum, ibi adeo eum ocii portum, quem ſperaverat, non invenit, ut etiam varios ac ſævos inſectationum fluctus, maxima ex parte à ſe commotos ac concitatos, incurreret; quod in pravos atque corruptos totius Ordinis ac ſuorum moderatorum mores inveheret; quos fortaſſe corrigendos, emendandos, atque etiam gravi aliqua animadverſione coërcendos diceret. atque hos fluctus facile, ſi quieſſet, evitare potuiſſet: ſed probum eum eſſe virum oportet, qui alios eſſe probiores, quam ipſe ſit, poſtulat. nam, quid eſt tam intolerandum, quam ab altero rationem vitæ repoſcere eum, qui non poſſit ſuæ reddere? Ac non poſtremum inſectationis illius, quam ille ſubiit, caput fuit nimia atque ſuſpecta mulierum conſuetudo, quibus erat addictus. neque novum faciebat: nam ego non paucos, cupidos literarum, hoc vitio cumulatos inveni, quos, ſicubi, cum ſtudiorum ac laborum ſatietas atque odium ceperat, ad mulieres videbam confugere, atque in illecebroſa earum ſuavitate illam expuere miſeriam ex animo. Qui omnes fluctus ſunt, Oliverii Scacchi, germani fratris, ſed ex juſta uxore nati, opera auxilioque, ſedati; qui tum in Urbe, ſectator aulæ, morabatur: qui etiam, peſſime ab ipſo ſibi relatam eſſe gratiam, ajebat, utpote ingrato, ſuorumque parum vel nihil ferme ſtudioſo. habebat enim hoc, ut, accepto beneficio, obliviofus extemplo fieret, neque mortalium quemquam, re, opera, aut commendatione ſua, juvaret. Ejus igitur inſectationis periculis, fratris ut diximus opera, functus, optione data, ubinam vellet eſſe, Ripam tranſonem elegit, locum, ſtudiorum ſuorum rationibus aptum Sed Magiſtri generalis Comitiis anno CIƆIƆCXVIII Romæ habitis, fratris hortatu, Romam ſe contulit. ubi pro eo, quod ejus nomen magna erat apud omnes fama, ſummis eſt doctorum virorum omnium ſalutationibus & amplexibus exceptus, atque à Scipione Cobellutio S. Suſannæ Cardinali in clientelam ſuſceptus; qui doctis ſe viris deditum eſſe oſtendebat

debat ; cujus patrocinio confirmatus , invito Generali , qui alio eum deſtinaverat ; ad ſacras literas interpretandas , Romæ permanſit. Sed Maphæo Barberino Cardinali jucundus fuit in primis ; qui , quanti eum faceret , ſummus Pont. Urbani VIII nomine, factus, oſtendit. nam Macerata , ubi ſacras literas docebat , juſſum evocari Romam , ſacrario ſuo Pontificio præficit. cui muneri , annis quindecim , ut dictum eſt antea , præfuit , tenui & infirma corporis valetudine ; cujus valetudinis adverſæ incommodum aëri Vaticano tribuens , habitavit fere ſemper in Cœnobio vel Deiparæ Virg. Tranſpontinæ , vel D. Honuphrii ; ac poſtremo , in eodem clivo , ædibus à ſe conductis ; quod fortaſſe fuit cauſa , cur Pontifici minus gratus exiſteret, aut etiam inviſus propterea quod liberius de ipſo locutus fuiſſet ; quod frequenter in genere , ſive naturæ vitio , ſive ingenua quadam animi libertate , peccabat. Itaque cœpit enixe , aliquam laborum , quibus annis quindecim perfunctus eſſet , remunerationem efflagitare , ac dicere , ſe jam , exacta ætate, infirmiſſimaque valetudine, vix oneris , quod ferret, labori poſſe ſufficere. quod ubi intellectum eſt ab eo , qui jam diu omni erat cura & cogitatione intentus , ut occaſionem , ſi qua ſe daret, acciperet , qua popularem quendam ſuum , in eum honoris locum , attraheret , Pontificem certiorem facit , F. Fortunatum Scacchum ſe munere illo abdicaſſe. quod ſtatim delatum eſt ei , cui poſtulabatur. At nihil propius eſt factum , quam ut ille miſer , qui per hanc rationem fuerat eo honore everſus , ex ægritudine in morbum incideret ; ac, pro amicitia ac vicinitate , ſæpe mihi narravit , ſua verba aliter fuiſſe accepta , atque ipſe protuliſſet ; nunquam enim ſibi fuiſſe in animo , de provincia illa decedere , ſed ſolum præſidii aliquid , quo, decurſo ætatis ſpacio , affecta præſertim valetudine , commode manere in ea poſſet , expetere. Sed , tempori cedens , inſigni bibliotheca , quam ſexies mille aureis comparaverat, pluribus divendita , profectus eſt Fanum , ibique , annos natus prope ſeptuaginta , deceſſit. Fuit firma corporis conſtitutione , commoda ſtatura , ſed quæ , apta compoſitione membrorum , oculos moveret ; naſo , aliquantulum leonino ſimili , oculis vegetis hilaribuſque , fronte late diffuſa , cui calvitiei nonnihil erat adjunctum , colore candido , in lævi ac tenera cute.

M E-

MEMORIA
FORTVNATI SCACCHI
pro ut eam exhibet
LEO ALLATIUS
IN
APIBUS URBANIS,
pag. 100. ſeqq.

FORTVNATVS SCACCHVS *Fanenſis Ordinis Eremitarum S. Auguſtini Theologus, Sacrarii Apoſtolici Præfectus, vulgavit hactenus,*

1. Sacrorum Elæochriſmatum Myrothecium Sacro-profanum, *Tom. I. in quo ex antiquis Græcis, & Latinis ſcriptoribus, quidquid ad nomina, antiquitatem, uſum, & abuſum Oleorum, & Unguentorum ex ſacris habetur literis, dilucide explicatur. Romæ apud Hæredem Barthol. Zannetti. 1625. in* 4.

2. Sacrorum Elæochriſmatum Myrothecium alterum, *quod inſcribitur* Conſecrationis, *explicans compoſitionem, & uſum unguenti à Deo inſtituti ad Conſecrationem Sacerdotum, Altarium, Tabernaculi, & omnium Moſaicorum utenſilium eorundemque formas de novo ex ſacris litteris cognitas aperiens. Romæ apud eundem 1627. in* 4.

3. Sacra Biblia vulgata editione, Tranſlatione ex Hebræo Sanctis Pagnini, Tranſlatione Romana ex Septuaginta, & Chaldaicæ Paraphraſis Tranſlatione congeſta, *ad Scipionem Cardinalem Burgheſium. Venetiis apud Antonium Pinellum 1609. in Folio. Scripſit præterea,*

Eleochriſmatum *tres alios Tomos.* I. *nomen eſt*, Myrothecium Regiæ inaugurationis, *in quo Reges Iſraëlis unguendi ritus exponuntur.* II. Myrothecium Nuptiale, *in quo ritus Nuptiarum, & Unctiones, ex Teſtamento veteri, & novo referuntur.* III. Myrothecium Funebre, *in quo modus condiendi cadavera ex iiſdem ſacris literis traditur.*

Quæſtionum Theologicarum, *Tom.* II.

Sacrarum Scripturarum loca ſelecta. Et Italice,

Conciones tam in feſtivitatibus Sanctorum, quam in Dominicis totius anni, & Feriis Quadrageſimalibus. *Nunc ſcribit*, De Cultu, Canonizatione, & Beatificatione ſervorum Dei. *Opus ingens, ac varium. De eo Joannes Baptiſta Laurus in ſelecta Epiſtolarum Cent. Epiſt. 29.* In his Fortunati Scacchi Auguſtiniani ſacrorum, ut nunc quidem titulum fecit, neque dum edidit, Elæochriſmatum libros quinque, quos ad me miſit, eoſque rara eruditionis fruge reſperſos ad miraculum uſque ſuſpexi. *Michaël Joannes Vim-Bodinus in Hiſtoria Eccleſiaſtica Valentina.* Hanc

ſententiam, ut ex ipſo audivimus amplectitur vir in divinis, & humanis literis, ſic opera edita teſtantur, cum laude verſatus, Reverendiſſimus Fortunatus Scacchus Apoſtolici Palatii Sacriſta, in Commentario, quem magno ſtudio, & æquali doctrina, ac eruditione molitur de Sanctorum Canonizatione. *De titulo Elæochriſmatum vir* τετράγωνος *Bernardinus Stephonius Epiſtola ad eundem Fortunatum inter alia hæc diſſerebat.* Jam de Chriſmidea nihil muto. belliſſime poſita ſunt omnia, quaſi qui lucem primum haurire cœperim, omnia jam nunc animo præcipio lætiora, multijugis doctrinæ Stroma varium, & diſcolori filo ſubtegmina multiplicis antiquitatis: Ergon novum, Parerga luculenta. Tamen vide ſodes diligentius, ne qua pars alicubi pro genere ponatur, neu genus aliquod numeretur in partibus, præſertim in totius operis inſcriptione, tum in librorum prænotationibus ſingulorum, in quibuſque poſtremò capitibus: ſi tamen non continentur univerſa, ſed diſtincta capitulatim in ſingulis operis partibus explicantur. Niſi quid tibi ſecus videtur, hoc equidem operi nomen inſcripſerim. *Myropolium e ſacris & profanis totius antiquitatis literis expreſſum a F. Fortunato, &c.* Et hæc ad operis ipſius ſummam. Singulis porro libris, *Myrothecium* nomen apponerem, hoc fere pacto. *Myrothecium Regis*, ubi diſputatur de Regis unguento. *Myrothecium Sponſi*, *Myrothecium Sacerdotis*, *Myrothecium templi*, & reliqua deinceps eodem modo. *Myropolium*, quod officinam unguentariam Latine ſonet, argumenti genus indicat. In hac officina, ſua videlicet oleorum conditoria diſerta ſunt, quæ notiſſimo nomine Myrothecia dicuntur. Has vides generis eſſe partes. Illud in his omnibus Rhetorum præceptum nos fugere non debet: qui ſummas operum, & diſputationum poſitiones, quas propoſitiones, & inſcriptiones vocant, verbis quam pauciſſimis, lectiſſimis, notiſſimis explicari volunt. Id enim vero percommode tunc fit, cum rerum genera, generum appellationibus, partes partium vocabulis indicantur. Ita mihi quidem videtur. Tu ſi quid aliter ſentias: meam facile ſententiam ſic deponam, ut accedam tuæ. *Porro de Fortunato Ignatius Braccius*,

Jam pridem merita quod caput infula
Tandem conſpicuum nunc tueor tuum,
Fortunate, ſacello
Summi, & pontificis praees.

Dicam, quanta animi lætitia fruar;
Si qua fortè tuam tu mihi mutuam
Vim, ſuadæque medullam
Sermonis dederis tui.

Id non Muſa valet dicere nam mea;
Ipſe, & Pierides id nequeant novem;
Summo, & vertice Pindi
Nec Phœbus properans queat.

Euantum interea fas mihi Menadum
Audire reſonis eſto boatibus,
Quin, ſin muta loquantur
Vota, at ſat reſerant tamen.

Huc uſque ALLATIUS.

M E-

MEMORIA

FR. FORTVNATI SCACCHI

Ut eam exhibet Philippus Elſius in Encomiaſtico ſuo Auguſtiniano pag. 196.

FORTVNATVS SCACCHVS, Equitis Jacobi Oliverii Schacci ex vetere, claraque Familia Anconitana filius, Fanenſis ſeu de Fano. Sacrarum & humanarum litterarum eruditione, & cognitione clarus. In Hiſpaniam profectus An. 1596. Compluti in Regali Collegio ſacris literis operam dedit. Ibi magni ingenii ſui non vulgare ſpecimen dedit, Theſibus Theologicis, Toleti, & Compluti feliciter propugnatis. In Italiam reverſus cum ſummis Theologis congredi non eſt veritus. Tradidit ſe deinde linguarum cognitioni, è quibus Hebraicam ita novit ut in ea natus videretur. Græcas literas ſenex arripuit. An. 1610. fuit Regens Veronæ, ac An. 1611. Recinati, in Schola Maceratenſi publicus Profeſſor. Concionator doctus & eloquens, in præcipuis Italiæ Civitatibus admirationes & plauſus ſibi confecit. Bononiæ præſertim ita probatus eſt, ut in ſolemnibus quibuſdam ſupplicationibus, cum eligendus eſſet aliquis, qui ad populum verba faceret, ex triginta magni nominis Concionatoribus, ab Ampliſſimo illo Senatu ſit electus, cui illæ partes demandarentur, & ob amoenitatem ingenii qua florebat, dignus fuerit habitus, cui Comitis Aldobrandini opera ipſi Senatui dicata, verum inchoata ac nondum perfecta, abſolvenda ac perficienda traderentur, cujuſque opera ad tradendam in eo Gymnaſio Theologiam, annua ducentorum aureorum mercede conduceretur. Romæ ſacras literas, Patavii Hebraicas docuit. Quid multa? nihil erat in ſtudiis literarum honeſtum & pulchrum, ad quod ille maxima à natura adjumenta non haberet. Scipioni Cobibutio S. R. E. Cardinali tit. S. Suſannæ chariſſimus fuit. Sed Maphæo Barberino Cardinali jucundus fuit in primis, qui quanti eum faceret, ſummus Pontifex Urbani VIII. nomine factus, oſtendit. Nam Maceratâ, ubi ſacras literas docebat, juſſum evocari Romam, Sacrario ſuo Pontificio præfecit An. 1614. 24. Febr. cui muneri annis 15. præfuit.

Fuit firma corporis conſtitutione , commoda ſtatura , ſed quæ apta compoſitione membrorum, oculos moveret , naſo aliquantulum leonino ſimili , oculis vegetis hilaribuſque , fronte latè diffuſa , cui calvitiei nonnihil erat adjunctum , colore candido, in leni ac tenera cute. Tandem Fanum profectus eſt , ibique annos natus prope 70. & cœcus , diſceſſit. Scripſit

De Sacris Oleis lib. I. Romæ An. 1625.

Volumina ſacrorum Bibliorum , ex variis tranſlationibus congeſta , ſuiſque numeris adeo diſtincta , ut dum verſus verſui reſpondet, ſacrarum literarum pius contemplator earundem myſteria facilius percipere queat , tribus diſtincta partibus , dicata Scipioni Burgheſio S. R. E. Cardinali. Venetiis 1609. apud Antonium Pinellum.

De cultu ac veneratione SS. in ordine ad Beatificationem vel Canonizationem eorundem Tomos ſeptem , Quorum primus de notis ac ſignis ſanctitatis. 2. De Martyrio. 3. De Miraculis. 4. De Beatificatione ejuſque antiquitate. 5. De Canonizatione. 6. De proceſſibus ac judiciis in cauſis Beatificationis, aut Canonizationis formandis. 7. De Ritu Canonizationis, ac Cœremoniis in illo ſervari ſolitis. Romæ apud Vitalem Maſcand. An. 1634. in 4. Janus Nicius Erythr. in Pinocotheca IX. 65. & alii.

Huc uſque ELSIUS.

NOMINA AUCTORUM

tam Græcorum, quam Latinorum, quorum implorato teſtimonio, diſcuſſa in hoc Myrothecio primo, aſſeruntur.

A.

Achæus Athenæi.
Albertus Magnus.
Alexander ab Alexandro.
Alfonſus Abulenſis.
S. Ambroſius.
Ambroſius Calepinus.
Anacreon.
Andricomius.
Andreas Matthiolus.
Apollodorus.
Apulejus.
Ariſtoteles.
Arrianus.
Ariſtophanes.
Artemidorus.
Athenæus.
S. Auguſtinus.
Avicenna.
Aulus Gellius.

B.

Baronius.
Benedictus Arias Montanus.
Beroſus.
Biblia Sacra.
Briſſonius.
Britannicus.
Brodeus.

C.

Calderinus.
Caſaubonus.
Cato.
Cælius Rodiginus.
Chaldaica Paraphraſis.
Chriſtophorus Landinus.
Clemens Alexandrinus.
Claudianus.
Cicero.
Columella.
Compluti Biblia.
Cornelius Janſenius.
Cornelius Celſus.
Cornelius Fronto.
Cornutus.

D.

David Kimchi.
Demoſthenes.
Diodorus.
Dio.
Dioſcorides.

E.

Euripides.
Euſebius Cæſarienſis.
Euſtathius.

F.

Feneſtella.
Feſtus.
Florus Plutarchi.
Florilegium Græc. epigr.
Franciſcus Barbarus.
Franciſcus Ribera.
Franciſcus Toletus.

G.

Galenus.
S. Gregorius.
Grutherus.
Guarinus Veronenſis.
Guilelmus Bauhinus.

H.

Herodotus.
Herodianus.
S. Hieronymus.
Heronymus Alexander.
Hieronymus Villalpandus.
Hieronymus Mercurialis.
Hieronymus Angerianus.
Homerus.
Horatius Flaccus.
Hoſtienſis.

I.

Jamblicus.
S. Joannes Chryſoſtomus.
Joannes Annius Viterbienſis.
Joannes Baptiſta Laurus Peruſ.
Joannes Catanæus.
Joannes Textorius.
Joannes Maldonatus.
Joannes de Pineda.
Joſeph Hebræus.
Joſeph Ben-gorion.
S. Iſidorus.
Iſidorus Clarius.
Julius Cæſar Scaliger.
Juvenalis.

L.

Lactantius Firmianus.
Lampridius.
Laberius.
Lazarus Baiſius.
Lævinus Torrentius.
Lucanus.
Lucianus.
Lucretius.

M.

Manutius.
Marcus Marinus.
Marcus Seneca.

Mar.

Martialis.
Martinus Navarrus.
Matthæus Raderus
Meſue.
Michaël Medina.

N.

NAtalis Comes.
Nicander Athenæi.
Nicanhus.
Nonius.

O.

ORibaſius Athenæi.
Ovidius Naſo.

P.

PAreus.
Pauſanias.
Petronius Arbiter.
Perottus Sipontinus.
Perſius.
Petrus Ciaconius.
Philippus Beroaldus.
Philarchus Athenæi.
Philoſtratus.
Plato.
Plautus.
Plinius ſenior nat. hiſt.
Plinius junior epiſt.
Plutarchus.
Polydorus Virgilius.
Pomponius.
Pollux.
Porphyrus.
Propertius.

Q.

QUintilianus.
Quintus Curtius.

R.

ROſinus.
Rabbi Salomon.

S.

SAppho Poëtria.
Sanctes Pagninus.
Scholiaſtes Biblicus.
L. Seneca.
Septuaginta Interpr.
Servius.
Sextus Pompejus.
Sidonius Apollinaris.
Sixtus Senenſis.
Socrates Athenæi.
Soſicrates Athenæi.
Sophocles.
Spartianus.
P. Statius.
Strabo.
Suetonius Tranquillus.
Suidas.
Symmachus.

T.

TAubmannus.
Tertullianus.
Theophraſtus.
Theocritus.
Theodoretus.
Theodorus Marcilius.
Thomas de Vio Cajetanus.
Thomas Dempſterus.
Titus Livius.
Theocritus.
Torniellus.
Trebellius Pollio.
Turnebus.

V.

VAlerius Maximus.
Valerius Flaccus.
Varro.
Vatablus.
Virgilius.
Vitruvius.
Ulpianus.

X.

XEnophon.



SACRORVM ELAEOCHRISMATΩN MYROTHECII PRIMI SACROPROPHANI

Caput Primum.

Sacra oleorum vocabula aperiuntur.

Ad loca Cant. 3. *Oleum effuſum nomen tuum, ideo adoleſcentulæ dilexerunt te: trahe me poſt te, curremus in odorem unguentorum tuorum.* Luc. 7. *Oleo caput meum non unxiſti, hæc autem unguento unxit pedes meos.*

SACRARUM Scripturarum explicationem, noſtrorum Elæochriſmatωn, oleorum nimirum, & unguentorum tractatio cum ſpectet; earumdemque plurima perobſcura loca illuſtrare præ oculis cum habeat; in eruendo e latebris oleorum, & unguentorum uſum ac compoſitiones, de quibus divina oracula, tam in veteri, quam in novo teſtamento meminere; ab ipſiſmet oleorum, & unguentorum nominibus, ac vocabulis, ex ſacris oraculis, vigiliarum noſtrarum exordia auſpicabimur: & veteres has quaſi toto orbe fugientes, pro viribus ſequemur literas; quarum intelligentias multoties licet non aſſequemur; ſecutos eas fuiſſe ſuam habebit laudem. *Oleum*, & *Unguentum* latine hæc, de quibus a nobis agitur, dicuntur: *μύρον*, & *ἔλαιον*, eadem a Græcis ſortita ſunt nomina: שֶׁמֶן & בְּשָׂמִים & סוּךְ necnon etiam מִשְׁחָה ab Hebræis eadem appellata cognovimus. his enim oleis atque unguentis, Latini, Græci, ac veteres Hebræi, in balneis, in ſacris, in cœnaculis, ac in ſepulchris, (A) voluptatis, ac neceſſitatis cauſa utebantur. Quod vero hæc Hebræa vox שֶׁמֶן *ſcemen* oleum, ac quamcumque pinguedinem in ſacris ſignificare ſoleat literis; norunt quidem linguæ ſanctæ periti. hæc namque vox ſuam trahit originem a verbo שָׁמַן *ſciamen*, quod pingueſcere ſignificat: a quo participio, necnon etiam Hebræorum more, nomine formato, dictio illa שֶׁמֶן *ſcemen* habetur. qua dictione, communi fere vocabulo oleum cum primis, ut diximus, ſignificatur: quod omnium pinguedinum pinguiſſimum; quin etiam totius pinguedinis fons, & origo exiſtat; adeo ut illa (B) tantummodo pinguia dicere conſueverimus, quæ oleoſitatem aliquam ſervant. Quia vero unguenta omnia, quibus veteres Hebræi, potiſſimum in ſacris inſtitutis cuſtodiendis ex Dei præſcripto, quoquo modo utebantur; aromatibus, ac oleo componebantur; & præter naturalem oleoſitatem, olei de cauſa cum primis vel pingueſcerent, hinc ipſa quoque ſacra unguenta in divinis noſtris oraculis, hac dictione שֶׁמֶן *ſcemen* ſignificantur: eamdemque non immerito noſter vulgatus interpres, oleum interpretatus fuiſſe cognoſcitur.

Ut vero quæ de vocabulis his dicenda veniunt, (C) clariora fiant: tria in ſacris literis oleorum genera, ad unctionum uſum diſtinguere nos oportet. ſimplex nimirum oleum; alterum, quod aromatibus condiebatur; & denique tertium, quod ſolis aromatibus confectum propriori vocabulo unguentum dici ſolet. Primum,

quod

quod ex ſolis olivarum baccis exprimitur; cum arbor ipſa oleæ זַיִת *zaith* hebraice appelletur; & dictio שֶׁמֶן *ſcemen* pinguedinem, ut diximus, ſignificet; ad accuratiorem ſermonis expreſſionem, quoties in ſacris literis de ſimplici oleo ſermo eſt, שֶׁמֶן זַיִת *ſcemen zaith*, ſacer textus illud appellare conſuevit. At oleum, quod aliquibus aromatibus condiebatur; ad uſum, vel pugilum in arena, vel purificationum in balneis, ſive ad gaudium, & hilaritatem, nuptiarum, vel conviviorum occaſione, ſignificandam parabatur; שֶׁמֶן רוֹקַח *ſcemen roqheach*, ad diſtinctionem ſimplicis olei, multoties appellatur. Quæ denique aromatum compoſitiones apud Latinos unguenta dicuntur; quorum uſus ad voluptates, penes molliores, cum primis exiſtebat, בְּשָׂמִים *beſamim*, & סוֹכֶךְ *ſochech*, ſacræ Hebræorum literæ appellare ſolent: quamvis non raro, tam hæc unguenta, quam priora, & media olea, a ſacro ſcriptore ſimplici vocabulo שֶׁמֶן *ſcemen* dicta appareant; parique modo a ſacro noſtro interprete, eadem, olei nomine appellantur.

Sed forte aliquis non deerit, qui vocabulorum abuſum, ſacrum hoc loquendi genus putet: ſacrumque interpretem, ac etiam ſcriptorem reprehendere minime vereatur; quod olei nomine unguenta aliquando nominaverit. Dubitationi tamen facile occurremus; cum duo apud veteres unctionum genera, duplici uſui accommodata extitiſſe advertemus: atque utrumque genus, oleorum nomine ſignificari, veterum ſcriptorum auctoritate, veteriſque uſus teſtimonio monſtrabimus. Aliter enim in Gymnaſio palæſtritæ ad luctam, & alii ad coercendos ſudores liniebantur; aliter in convivio, ac ſtratis ad voluptates iidem veteres ungebantur. hæc mollium, illa vero virorum erat unctio: quam ob rem iſta laudabilis, & probata, illa vituperabilis, viriſque interdicta conſpicitur. nam licet in triclinio, jacentes in ſtratis, in thermis lavantes, & cœnaturi quoque, veteres unguento uterentur; in Gymnaſio tamen, ut plurimum, oleo non ſimplici, ſed aromatibus condito ungebantur. ut præclare docuit Mercurial. lib. 1. Gymnaſt. cap. 8. & hoc compoſitum odoratum, licet ex aromatibus, & oleo confectum foret; communi vocabulo oleum dicebatur. Palæſtritæ enim interdum ſimpliciori, interdum odoratiori, pro dignitate perſonarum, oleo utebantur; exercitato tamen jam corpore, cum ad cœnam properarent, & de more iterum reungendi fuiſſent; ſuaviori quidem, ac odoratiori utebantur oleo. Ejus unguenti, oleique odorati uſum, ac diſtinctionem apud Athenæum lib. 15. Dipnoſ. cap. 10. Socrates præclare docuit, dicens: *ὥσπερ γάρ τοι ἐσθὴς ἄλλη μὲν γυναικεία, ἄλλη δὲ ἀνδρεία· καλὴ οὕτω καὶ ὀσμή. ἄλλη μὲν ἀνδρὶ, ἄλλη δὲ γυναικὶ πρέπει. καὶ γὰρ ἀνδρὸς μὲν δή που ἕνεκεν οὐδεὶς μύρῳ χρίεται. αἵ γε μὴν γυναῖκες, ἄλλως τε ἂν καὶ νύμφαι τύχωσιν, οἶσαι*, &c. ideſt, *Nam ut alia veſtis mulierem decet, alia virum; ſic odor fœminis alius convenit, alius viris. nullum ego equidem viri cauſa unguento delibutum iri exiſtimo; at fœminæ, præcipue ſponſæ ſi fuerint*, (ſupple, *unguento utuntur.*) & infra: *ἐλαίου δὲ τοῦ ἐν γυμνασίοις ὀσμὴ, καὶ παρουσία ἀνδρῶν ἢ μύρου γυναιξὶν ἡδίων, καὶ ἀπουσία ποθεινοτέρα· καὶ γὰρ δὴ μύρῳ μὲν ἀλειψάμενος δοῦλος, καὶ ἐλεύθερος εὐθὺς ἅπας ὅμοιον ὄζει. αἱ δ' ἀπὸ τῶν ἐλευθέρων μόχθων ὀσμαὶ ἐπιτηδευμάτων τε πρῶτον χρηστῶν, καὶ χρόνου πολλοῦ δέονται, εἰ μέλλουσιν ἡδεῖαί τε, καὶ ἐλευθέριοι ἔσεσθαι.* id eſt: *Oleo vero, quo utimur in Gymnaſiis, & ſuavior eſt præſens odor: & cum abeſt, optabilior: unguento namque ſervus, ac ingenuus madeat, odorem confeſtim uterque plane eumdem ſpirat; at qui liberali exercitatione odor conciliatur; & optimis inſtitutis, & multo ſpatio temporis opus habet; liberalis ut ſit, atque iucundus.* Quibus equidem Socratis dictis, teſte Athenæo, licet oleum ab unguento diſtinguatur; utrumque tamen odoratum oſtenditur. & unctionem illam fluxibilem, cui aromatibus conciliabatur odor, ad uſum

A gymnicum; cujus uſus ingenuis tantum viris conceſſit Socrates; ratione pinguedinis; non immerito oleum ab eodem dictam fuiſſe conſtat, ἔλαιον græce.

Erit fortaſſe, cui non arrideat noſtra hæc ratio; quam ex Athenæo emendicavimus: nimirum qui Tullianum leporem in ſacris codicibus expetens, unguenta, & olea aromatibus condita, ſimplici olei nomine ſignificari non probabit: proinde magis, ac magis ſacrum fortaſſe ſcriptorem de uſu vocabulorum, nos, ſacrumque interpretem adhuc reprehendere non verebitur: nec ab inceptis quidem deſiſtet; quouſque alicujus prophani ſcriptoris auctoritate, aromatibus condita olea, ac parata unguenta, olei nomine appellata oſtendantur. Accedant igitur Græci, ſuoque B τοῦ ἐλαίου (quod eſt *oleum* Latinis) aromatibus conditum oleum ſignificari, necnon etiam unguentum, cum Athenæo, & Socrate jam allatis, probent Homeri auctoritate. Sapiens enim ille ſenex Poetarum Princeps, non ſolum, teſte Athenæo loco citato, unguentorum uſum agnovit; verum etiam olei nomine unguenta appellavit. quamvis interdum ad majorem expreſſionem unguenti, de quo loquebatur, Epitheton addiderit; Roſeum olivum appellando illud unguentum, quod nimirum ex Roſis pararetur. Plurima eiuſdem Poetæ omittantur loca, unumque tantum vel alterum adferatur. is enim lib. 3. Odyſſ. cum peregrinorum ad jura hoſpitii ingreſſum ſcribit; qui- C bus non ſolum pedes, ſed etiam reliqua corporis membra, pro veterum more abluebantur, præſtantiſſimoque unguento ungebantur; ait.

Αὐτὰρ ἐπεὶ λοῦσέν τε, καὶ ἔχρισεν λίπ' ἐλαίῳ.

Nam cum juſſu Neſtoreo bovem Minervæ ſacrum feciſſent miniſtri; ut convivio bonos, & gratos hoſpites, Telemachum nimirum, ac ſocios exciperent: Telemachum a juniori filia Neſtoris, Polycaſte nomine, lotum & unctum cum Homerus aperuiſſet: genus unguenti, quod magnificentia regia pretioſiſſimum extitiſſe pro comperto eſt, explicare volens; illud oleum nominat, dicens:

Verum poſtquam lavit, & unxit pingui oleo.

D Quod vero non ſimplex oleum, ſed aromatibus conditum, lotionem ſequeretur in balneo, probatione non indiget: noſque infra apertiſſime monſtrabimus ex Athenæo, aliiſque antiquiſſimis ſcriptoribus: ut propterea de illo, deque unguento Homerus intelligendus ſit: ac propterea allato jam teſtimonio alterum ejuſdem ſcriptoris adjungatur ex lib. 4. deſumptum, in quo Menelaum ad jura hoſpitii Telemachum, & Pyſiſtratum admiſiſſe ſcribit. hi vero præclariſſimas Menelai ædes poſtquam non ſine admiratione conſpexiſſent; ad balnea, ac thermas denique pro more illius ſeculi deducuntur; ut ante cœnam ab Ancillis, & aqua abluerentur, & aromatibus ungerentur. hoc E autem unguenti genus ἔλαιον, ideſt *oleum*, Homerus appellat, dicens:

Τοὺς δ' ἐπεὶ οὖν δμωαὶ λοῦσαν, καὶ χρῖσαν ἐλαίῳ.

Quæ verba latine interpretata, ſic reddenda erunt:

Hos autem poſtquam Ancillæ laverunt, & unxerunt oleo.

Verum ne Græcis Latini deſint; ſtet pro Latinis noſtris Martialis, qui illud compoſitum, quo Palæſtritæ utebantur, oleum appellat. Quis vero inficias iverit, illud aromatibus conditum fuiſſe, & inter unguentorum ſpecies reponendum? nos aperiemus ſuis locis. interim Mercurialem adeat lib. 1. Gymnaſt. c. 8. de hoc enim oleo Martialis ſic habet lib. 3. F Epigram. 57. ad Baſſum de Villa Fauſtini, cujus villulæ delicias palæſtritis quoque peraccommodas cum ſcribat, ait:

Nec perdit oleum lubricus palæſtrita.

Mar-

Martiali adjungantur pro nobis litterati lapides, teſtes omni exceptione majores. hi enim olei nomine appellant odoratas compoſitiones, quæ ad unctiones adhibebantur. habemus illos apud Briſſon. lib. 7. formul. & ſic lapis Comenſis.

L. CAECILVS. L. F. CILO. IIII. VIR. A. P
QVI. TESTAMENTO. SVO. HS. N. XXX
MVNICIPIBVS. COMENSIBVS. LEGAVIT
QVORVM. REDDITV. QVOTANNIS. PER
NEPTVNALIA. OLEVM. IN. CAMPO. ET
IN. THERMIS. ET. BALNEIS. OMNIBVS
QVAE. SVNT. COMI. POPVLO. PRAEBERETVR
T. F. L. ET. CECILIO. L. F. VALENTI
ET. L. CECILIO. L. F. SECVNDO. ET
BVTVLAE. F. CONTVBERNALI.

Ubi autem legeris oleum in balneis, ac thermis datum: & hic non niſi aromatibus condita olea, ac unguenta darentur; lapis noſter, unguenta, olei vocabulo ſignificata aperte demonſtrat. Eſt etiam apud eumdem ſcriptorem eiuſdem rationis lapis alter Hiſpanus, quo oleum in Thermis legatur. Adſcribantur ex illo tantum, quæ ad rem noſtram faciunt.

R. P. BARCI. C. TAL. DO. LEGO. DARIQ
VOLO. ⚹ VI. EX. QVORVM. VSVRIS
SEMISSIBVS. EDI. VOLO. QVOTANNIS
SPECTACVL. PVGILVM. DIE. IIII. IDVVM
IVNIAS. QVEAT. XCCI. ET. EADEM. DIE
LXXX. CC. OLEVM. IN. TMIS. PVBL
POPVLO. PRAEBERI. FESTA. &c.

Quod ſi prophanis ſcriptoribus tam Græcis, quam Latinis, compoſita, in uſum unctionum, aromatibus condita, olei nomine licuit appellare; non erit unde ſacros ſcriptores, ac interpretes quis carpat; quod olei nomine unguenta appellaverint: aut ſacrum ſcriptorem Hebræum reprehendat, quod vocabulo *ſcemen* שֶׁמֶן tam ſimplex oleum, quam præſtantiſſima quæque unguenta expreſſerit. Sacris in litteris paſſim id occurrit; ut ex pluribus earum locis liquido conſtat. nam cap 1. Cant. Sponſa perdilectum, quem deperibat ſponſum, laudat; quod ſolo nomine, puellas quaſque in ſui amorem pertraheret; pertraheret inquam, vt & deperirent. *Oleum*, inquit, *effuſum nomen tuum, ideo adoleſcentulæ dilexerunt te.* Ut vero non de ſimplici oleo, ſed de oleo aromatibus condito locutam fuiſſe aperiret: illud idem oleum, unguentum ſtatim nominavit, dicens: *Trahe me poſt te, curremus in odorem unguentorum tuorum.* Eodem ſimiliter vocabulo, ſacerdotale unguentum, præſtantiſſimis aromatibus conditum; cujus compoſitio cap. 29. Exodi traditur; ſæpiſſime in ſacris appellatum conſtat. id probare congerie locorum ſuperfluum, ac vanum exiſtimavi; cum plura, quam deſiderari liceat, habeantur.

Nova veteribus reſpondeant; oleique nomine, unguentorum quaſdam ſpecies ſignificari, quarum uſus veteribus in deliciis erat, pleniori argumento ex cap. 7. Luc. Servatoris noſtri teſtimonio probabitur. Is enim Phariſæum Simonem redarguens, qui mulieris peccatricis pœnitentiam ægre cum ferret, pium ejuſdem erga Chriſtum obſequium irridebat; ardenteſque ejuſdem lacrymas carpebat: *Oleo*, inquit, *caput meum non unxiſti.* Oleum appellat unguentum, quod in ingreſſu cœnaculi convivis præbere conſueverant veteres; præſtantiſſimis aromatibus componi ſolitum. Quod autem hoc oleum, ſive mavis unguentum, convivis ad delicias præberetur, non ſolum hoſpitii, ac cœnaculi jura ex veterum inſtituto demonſtrant: ſed etiam Lucas aperuit, mulieris peccatricis irruptionem in convivio ſcribens. meminit enim attuliſſe alabaſtrum unguenti; quo ſolo nomine, veterum deliciæ exprimuntur.

CAP. II.

Sacrorum unguentorum vocabula illuſtrantur.

Ad loca Amos 6. *Vaeh qui opulenti eſtis in Sion, bibentes vinum in phialis, & optimo unguento delibuti.* Matth. 6. *Tu autem cum jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava.* & ad alia.

UT pleniſſima ſacrorum vocabulorum cognitio, pro noſtri inſtituti ratione habeatur: quid unguenti nomine ſacris ſignificetur in litteris, ex his, quæ in promptu ſunt, nobis aperiendum ſupereſt; ab aliis reconditiora deſideramus. Non enim oleum, quod aromatibus condiebatur, odoris tantum conciliandi gratia, unguentum appellare conſuevimus: nec veteres in more id habuerunt, niſi proprietate vocabuli extenſa ad ea ſignificanda, quæ pinguia cum ſint, pinguedini etiam ſuavitatem habent adjunctam. Sacris vero in interpretandis oraculis, in quibus rerum proprietates quæruntur, verborum quoque proprietas expetenda, etymonque pro inſtituti noſtri ratione expendendum erit; ut eorumdem intimum, ac germanum ſenſum eruere, & abdita penetrare valeamus.

Illa igitur aromatibus compoſita, quæ olei vocabulo nequaquam exprimuntur; & unguenta Latine dicuntur; eadem ἀλείμματα, ἀλείφατα, μύρα, & χρίσματα dixerunt Græci. At verò מִשְׁחָה & etiam סוּכָךְ, vel בְּשָׂמִים generali quodam vocabulo, illa eadem compoſita Hebræi appellarunt. & licet illa etiam compoſitionum genera, quæ valetudinis gratia parari ſolent, unguenta communiori vocabulo hodie appellentur: de quibus Dioſcor. Meſue, Matthiolus, & Medici, ac Chirurgi ex munere agunt: quin & Pompon. Juriſconſ. l. in Argumento, ff. de auro & argento legatis: non tamen de his noſter futurus eſt ſermo. hæc enim potius medicamenta, ſive Myracopa, ut vult Bauh. in cap. 41. lib. 1. Dioſc. quam unguenta dicenda videntur. quamobrem apud veteres καταπάσματα nominabantur. Secluduntur pariter ab unguenti vocabulo, illa compoſitionum genera; quæ conflata ex ſiccis odoribus, ad ſudores compeſcendos, ſive ad cutem ſcarificandam, ſive etiam ad pruritum commovendum, aut ad aliam quamcumque corporis digeſtionem faciendam corpori apud veteres inſpergebantur. ſtat pro his apud Athenæum Oribaſius, ex Antillo harum vocum diſcrimina aperiens, quod ἐμπάσματα, & διαπάσματα dicerentur. horum meminit Turnebus lib. 9. adverſ. cap. 27. Si vero, & verborum, & vocum iſtarum vim penetrare velimus, a verbo πάσσω, vel Attice πάττω, quod eſt, *inſpergo*, dicta ideo exiſtimabimus, quòd ad inſpergendum corpora ſiccis odoribus in balneis veteres uterentur. Quamobrem de Roſa Plinius ait, *diapaſmata inde fiunt ad ſudores coercendos:* qui plura deſideraret, Plin. lib. 21. cap. 19. conſulere poterit: de his Martialis lib. 1. Epigram. num. 88. ad Feſcenniam, ait:

A *Quid quod olet gravius mixtum diapaſmate virus.*

In cujus loci expoſitione Calderinus audiendus non erit, qui diapaſmata interpretatus eſt *unguenta.* Stemus cum Radero, qui eo nomine pulviſculos odoratos, & paſtillos odoratos, diapaſmata a Martiale dictos recte exiſtimat: de quibus nihil ad nos niſi obiter.

Unguenti igitur nomine, quatenus ab oleo unguentum re ipſa, necnon etiam voce ſecernitur; craſſiora quæque aromata, ac pinguia compoſita ſignificantur: cujus craſſitudinis ratione Plutar. Sympoſ. 5. q. 3. quærens cur Pinus Neptuno ſacra ſit: picem ac reſinam ἀλειφὴν, hoc eſt *unguentum* nominavit, dicens: B καὶ γὰρ αὐτὴ, καὶ τὰ ἀδελφὰ δένδρα πεῦκαι, καὶ στρόβιλοι, τῶν τε ξύλων παρέχει τὰ πλοϊμώτατα, πίτυός τε, καὶ ῥητίνης ἀλειφὴν, ἧς ἄνευ τῶν συμπαγέντων ὄφελος οὐδὲν ἐν τῇ θαλάττῃ. hoc eſt. *Ipſa enim*, ſupple Pinus, *& cognatæ ei arbores*, inquit, *picea, ac larix, cum ligna navigiis aptiſſima ſuppeditant; tum picis, ac reſinæ unguentum, ſine quibus compactorum lignorum nullus erat futurus in mari uſus.* Hæc Plutarch. qui craſſas harum arborum gummas, pingueſque lacrymas, unguentum appellavit. Verum ad rem noſtram, unguenti nomine, illa potius compoſita ſacrarum literarum appellantur; quæ vel variis aromatibus, ac pulveribus odoratis, oleo commixtis in hominum uſum, odoris cauſa parabantur; auctore Galen. lib. 6. ſimpl. medicamen. C Dioſcor. lib. 1. & Matthiol. ibidem cap. 42. vel pinguioribus, ac craſſioribus aromatibus, in uſum, & corporum, & ſacrorum conficiebantur, a Græcis dicta ἀλείφατα a verbo ἀλείφω, quod eſt *ungo*, ſive χρίσματα a verbo χρίω, quod eſt *linio.*

Dicuntur etiam a Græcis μύρα, generaliori quodam vocabulo, non quidem a Myrrha Nympha nota ex fabulis Poetarum; neque ſic dicuntur παρὰ τοῦ μύρεσθαι, quod eſt *gemere;* prout ineptiſſime Grammatici nonnulli dixerunt. ſed μύρον dictum fuit unguentum ἀπὸ τοῦ μετὰ πολλοῦ μόρου, καὶ ματαίου γίνεσθαι, *a multo labore, & quod inani ſtudio fiat*, ut dicit Chryſippus θαυμασιότατος apud Athen. lib. 15. cap. 29. vel quaſi μύῤῥον ab Aeolica voce μύῤῥα, quæ myrrham D ſignificat. Quia enim pleraque unguenta, mixta myrrha componuntur; quædam etiam ſola myrrha conſtant; illa nimirum, quæ ob præſtantiam *ſtactæ* appellantur; uſus obtinuit ut ἀπὸ τῆς μύῤῥας, omnia unguentia μύρα nominarentur. & is eſt ſenſus Athenæi lib. 15. cap. 11. cum ait: μύῤῥα γὰρ ἡ σμύρνα παρὰ αἰολεῦσιν, ἐπειδὴ τὰ πολλὰ γὰρ ἐκ σμύρνης ἐσκευάζετο, ideſt, *Aeoles quidem unguenta vocant, & myrrham, & ſmyrnam, μύῤῥα, καὶ σμύρνα, quia multa conficiuntur e myrrha;* addidit etiam καὶ ἥγε στακτὴ καλουμένη διὰ μόνης ταύτης, *quia & myrrha ſtacte per ſe unguentum eſt.* quo loco illuſtratur Plautus in Moſtel. apud quem Philematium meretrix jam in ſtrato cœnatura, cum ſuo Philolache jocatur. dixerat Philolaches:

E

Age, accumbe igitur. cedo aquam manibus, puer, appone hic menſulam.
Vide tali ubi ſint. vin' unguenta? Phil. *Quid opus eſt? cum ſtacte accumbo.*

Ita amatorie meretrix; ſtactemque, ſuum amaſium dixit: ut ex ipſo tantum ſtacte unguentum præſtantiſſimum, quin etiam reliquis præſtantius ſolitum parari aperiat.

Sacri ſcriptoris unguentorum nomina in medium jam afferantur. Ejus etenim gratia noſter hic labor inſtituitur. Nam licet interdum communi vocabulo שֶׁמֶן *ſcemen*, quod eſt *oleum*, unguenta ipſa, ut capite præcedenti oſtendimus, in ſacris oraculis dican- F tur: ſi tamen rigoroſe ipſi loqui vellent, מִשְׁחָה *miſchah* a verbo מָשַׁח, quod eſt *unxit*, vel etiam סוֹכֵךְ *ſochech* a verbo סָכַךְ quod eſt *linivit*, unguenta nominari deberent.

hæc tamen vocabula in uſu ſacrorum Codicum in nominum generibus nunquam leguntur; quin potius ſemper in genere verbali uſurpata reperiuntur. quoties vero de craſſioribus unguentis ſacris in literis eſt ſermo, toties prædictis vocabulis ad rei ſignificatæ expreſſionem, additur dictio *ſcemen;* ut 4. Reg. cap. 4. illa mulier ſic prophetam alloquitur כִּי־אִם אָסוּךְ שָׁמֶן ideſt, *niſi parum olei, quo ungar:* ut habet noſter interpres; vel ad verbum, *niſi linitionis oleum.* Quod oleum fuiſſe unguentum liquido conſtat; vel ex eo maxime, quod mulier illa ad muliebrium unctionum uſum reſpexit: ad quas non niſi præſtantioribus unguentis mulieres utebantur.

Similiter etiam, quoties ſermo eſt in ſacris literis de unctione ſacerdotali; ad quam Iſraelitæ unguento utebantur præſtantiſſimo; illud unguentum ut in plurimum שֶׁמֶן הַמִּשְׁחָה *ſcemen hamiſcha* appellatur. id etiam fieri ſolet, cum voce בְּשָׂמִים *beſamim*, quæ generice omnia aromata ſignificat. Nos ſi rigoroſam hujus vocabuli etymologiam ac ſignificationem retinere vellemus; diceremus *in ſamim*, ideſt compoſitum aliquod, cui his aromaticis pulveribus; quæ *ſamim* appellantur; odor conciliatur: ſive id oleo aromatibus admixto fieret; ſive naturali pinguedine referta aromata conjungerentur; ut ad liniendum corpora hominibus eſſent in uſu. Nam quæ בְּשָׂמִים *beſamim* in cap. 30. Exodi ſacer textus Hebraicus dixit, ἡδύσματα *idyſmata* Septuaginta Interpretes appellarunt. Qua quidem voce, ſi Plinio fides habenda eſt lib. 13. cap. 1. illa unguenta ſignificantur, quæ ex ſuccis aromatum conficiebantur; ſuaque natura liquida erant: ut propterea etiam oleo commixtis facilius concorporarentur, oleique pinguedinem attraherent.

Nec prætereundum duxi, nequaquam unguenta, ſed VNGENTA hæc compoſita, nonnunquam a veteribus dicta fuiſſe: quod auctoritate literati lapidis affirmabimus. habetur apud Manutium in Ortograph. ſub dictione, *Vnguentarius*, per hæc verba.

CLAVDIO. PHI
LARGYRO. VN
GENTARIO
ISQ. FAMILIAM
SVAM. MANVMISIT
PECVNIAMQ.
LEGAVIT.

Quin etiam, *Unguedo*, unguentum dictum comperimus ab Apul. lib. 3. Metamor. dicente: *De queis unius operculo remoto, atque indidem egeſta unguedine, diuque palmulis ſuis adfricta.* UNGUEN illud idem dixit Perſ. Sat. 6.

Fœniſecæ craſſo vitiarunt unguine pultes.

Subſcribunt Virg. lib. 4. Georg. Lucil. ſat. lib. 4. Cato cap. 79. & alii ex veteribus: hæc tamen omnia vocabula, & ſi quæ alia ſunt his ſimilia; ut obſoleta poetis relinquenda erunt.

Ne vero aliquid deſiderandum ſuperſit ex his, quæ ad unguentorum nomina ſpectant: obſervandum cenſui, cum Athenæo lib. 15. cap. 10 ex teſtimonio Iceſii, unguentorum duplex genus, alia namque χρίσματα, alia vero ἀλείμματα dicebantur. Ἰκέσιος δ' ἐν δευτέρῳ, inquit Athenæus, περὶ ὕλης τῶν μύρων φησίν· τὰ μέν ἐστι χρίσματα, τὰ δ' ἀλείμματα, ideſt, *Iceſius libro ſecundo de materia unguentorum*, inquit, *Aliqua quidem dicuntur Chriſmata, aliqua vero dicuntur Alimata.* Quarum vocum diſcrimen eſt; quod Alimata a verbo ἀλείφω, quod eſt *linio*, dicitur; quæ vero Chriſmata a verbo χρίω, quod eſt *ungo*, nominantur.

Et

Et quamvis difficile ſit horum vocabulorum, & unguentorum diſtinctionem, ſcriptorum auctoritate comprobare: ut Caſaubonus in ſuis ad Athenæum obſervationibus docuit; quod ſcriptores Græci promiſcue his utantur vocibus; diſtinctionem tamen aliquam, eamque non minimam, ut dixit Caſaubon. inter illa duo agnoſcere cogimur; de qua ſic ipſe ſcribit. *nam* ἀλείφεσθαι *voluptuariorum eſt, ac mollium;* χρίεσθαι, *etiam ſobriis interdum, & ex virtute viventibus convenit.* Pro unguentorum iſtorum ex vocibus diſcrimine ſtat Clem. Alex. lib. 2. Pædag. his verbis: διαφέρει δ' ὅλως τὸ μυραλοιφεῖν τοῦ μύρῳ χρίεσθαι. τὸ μὲν γὰρ θηλυδριῶδες. τὸ δὲ χρίεσθαι τῷ μύρῳ, καὶ λυσιτελεῖ ἔσθ' ὅτε. hoc eſt: *Differt autem omnino ungere ſe unguento, ab eo quod eſt liniri unguento; illud enim fœmineum; liniri vero unguento, & juvat aliquando.* Itaque uſus illorum unguentorum, quæ Chriſmata dicuntur, ſanctioribus quibuſque viris permittebatur; ut non immerito de his intelligamus Spiritum ſanctum dixiſſe: *Omni tempore veſtimenta tua ſint candida, & oleum capiti tuo non deficiat.* Et Joan. epiſt. 1. can. cap. 2. de unctione ſacra, quæ Confirmationis ſacramentum apud Latinos in Eccleſia dicitur, dixit, καὶ ὑμεῖς χρίσμα ἔχετε ἀπὸ τοῦ ἁγίου, καὶ οἴδατε πάντα. Et parum infra in eamdem ſententiam ſimiliter ait: καὶ ὑμεῖς τὸ χρίσμα, ὃ ἐλάβετε ἀπ' αὐτοῦ, ἐν ὑμῖν μένει. ideſt, *Et vos Chriſma habetis a ſancto, & noſtis omnia.* Et infra: *Et vos Chriſma quod accepiſtis ab eo, maneat in vobis.* In eadem ſimiliter ſententia ſumpta metaphora, Servator noſter a Deo unctus dicitur. Quam ob rem & Luc. cap. 4. id ſcribens, nequaquam utitur verbo ἀλείφω, ſed verbo χρίω, dicens: καὶ ἀναπτύξας τὸ βιβλίον εὗρε τὸν τόπον, οὗ ἦν γεγραμμένον. πνεῦμα κυρίου ἐπ' ἐμὲ, οὗ ἕνεκεν ἔχρισέ με, &c. ideſt, *Et aperiens librum invenit locum, cui erat ſcriptum: Spiritus Domini ſuper me, cujus cauſa unxit me.*

De illis vero unguentis, quæ Alimata dicta fuiſſe, & viris ſanctioribus interdicta affirmavimus; intelligendus erit Amos cap. 6. cum ait: *Væ qui opulenti eſtis in Sion, bibentes vinum in phialis, & optimo unguento delibuti.* De his pariter ſceleratiores loquebantur: *Vino pretioſo, & unguentis nos impleamus.* Et ſi quæ alia ſunt loca in ſacris literis ad uſum prophanorum, vel ſanctorum, quæ de unguentis loquantur, in ea diſtinctione accipienda erunt. Quin & Chriſtus Servator noſter, pulcherrima uſus antitheſi, hypocriſim in jejunio declinandam cum Diſcipulos hortaretur, Matth. cap. 6. σὺ δὲ, *inquit*, νηστεύων, ἄλειψαί σου τὴν κεφαλὴν, καὶ τὸ πρόσωπόν σου νίψαι. id eſt, *Tu autem jejunans, unge caput tuum, & faciem tuam lava.* Et in unctione, verbo ἀλείφω utitur: quaſi his unguentis, ſuos uti vellet; quæ alimata dicebantur, & mollium, ut diximus, erant: ut in jejunio ſuorum diſcipulorum, externus hominum plauſus tegeretur; atque in cœlo meritum augeretur.

CAP. III.

Olei ſimplicis munera ac dignitas, ex ſacris & prophanis aperitur.

Ad loca Exodi 35. *Principes vero obtulerunt lapides onychinos, & gemmas ad ſuperhumerale, & rationale, aromataque & oleum ad luminaria concinnanda, & ad præparandum unguentum.* Jud. 9. *Nunquid poſſum deſerere pinguedinem meam, qua & Dii utuntur, & homines, & venire ut inter ligna promovear?* Et ad alia.

UNGUENTORUM, oleorumque vocabula duobus præcedentibus capitibus illuſtravimus. Res ipſas vocabulis, ac vocibus ſignificatas aggrediendas ratio poſtulat: & ut ab ovo res inquiratur, A a ſimplici oleo narrationis noſtræ initia exordiemur: opportunum ad rem capientes locum; quod divino præcepto ad uſum candelabri ſancti, ac tabernaculi, Iſraelitæ in deſerto oleum præſtiterint. Licet enim ſpectata hujus ſimplicis olei natura, illud nequaquam inter ſacra reponendum videretur; a nobis tamen inter ea, divinis fultis oraculis, reponitur; jureque, & merito ſacrum in præſentiarum dicendum videtur hoc oleum; tum quia Exod. cap. 25. & 27. & 35. necnon etiam Levit. 24. in ſacris reponitur hiſtoriis; tum quia Dei juſſu ad miniſterium ſacrorum a populo præbebatur; tum denique quod divino cultui conſecratum exiſteret. Quam ob rem nobis, qui ſacra olea, ac B unguenta pertractanda ſuſcepimus; a ſimplici oleo, de quo in ſacris agitur, abſtinendum nequaquam erit.

Oleum autem tanti fecere ſemper homines; ut ejus uſus Deorum inventioni, Minervæ nimirum, ab eis ſit attributus: quemadmodum frumenti ac vini uſus in Cererem, ac Janum, ſive Bacchum antiquitas veneratà eſt. Sanctius Pluth. in Alexan. ἔλαιον ἀνθρώποις ἀπὸ τοῦ θεοῦ δέδοται, *Oleum hominibus a Deo datum fuit.* Quod vero in Terpſichore Herodotus ſcribit: quibuſdam nimirum temporibus, nullas apud nationes, niſi apud Athenienſes olivam inventam; fundamento carere arbitror: licet illud petere videatur, ab eo quod Epidaurii ad Deorum ſtatuas fabricandas ex olea, eam ab Athenienſibus petierint: ἐδέοντο, inquit, C ὦν οἱ Ἐπιδαύριοι Ἀθηναίων ἐλαίην σφι δοῦναι ταμέσθαι, ἱρωτάτας δὴ κείνας νομίζοντες εἶναι: λέγεται δὲ ὡς ἐλαῖαι ἔσαν ἄλλοθι γῆς οὐδαμοῦ κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον ἢ Ἀθήνῃσι, hoc eſt, *Rogarunt igitur Epidaurii Athenienſes, ut ſibi olivam cædere permitterent; cum maxime ſacras illas arbitrarentur; ferunt enim quod per id tempus nullibi niſi apud Athenienſes erant olivæ.* Debile ſane fundamentum: quia Epidaurii Athenienſes adierunt cædendarum olivarum cauſa, igitur nullibi erant olivæ? nullibi forte adeo proceræ; nullibi adeo cultæ; nullibi ſanctiores; id permitti poſſet: quod vero nullibi omnino eſſent; ferendum minime cenſeo. Quod item Plin. lib. 15. cap. 1. ex auctoritate Feneſtellæ, ac Theophraſti affirmat: Olivam D nimirum Italiam non habuiſſe, nec Hiſpaniam, nec totam Aphricam tempore Tarquinii Priſci Romanorum Regis, anno nimirum ab Urbe condita CLXXIII. alieniſſimum a vero exiſtimo.

Notiſſimam enim extitiſſe olivam, quid dixerim ætate Moyſis, Jobi, aut Abrahæ? apud quos, & de oleo, ac de oliva non ſemel ſermonem haberi conſtat? etiam ante diluvium ſacra teſtantur Oracula, olivam notiſſimam fuiſſe plantam. Columba enim placati numinis ſignum, ejuſdem plantæ ramuſculo attulit his, qui cum Noë ſervati a cataclyſmo in arca claudebantur. Cum igitur oliva pacis nota tunc fuerit; oleum quin notum eo ſæculo dixerim? *Suus quidem olivæ ſuccus, oleum eſt*, ut cum Plinio loqua- E mur. Quamobrem Athenienſibus nequaquam olei uſum referemus primum; quemadmodum auctoritate Apollodori in Theologumenis, & Demoſthenis affirmat Rhodig. lib. 18. cap. 25. quod αὐτόχθονες ſint appellati: quod primi terram colere ſint adorſi. ad tempora Noë hæc referantur; illi quoque uſum olei nos debere fatebimur.

Tantæ etiam Religionis fuiſſe oleam conſtat: ut in prophanis uſibus hanc pollui fas non eſſet. quid dicam? prophanis uſibus fas non fuiſſe olea uti? ne propitiandis quidem numinibus, accendi ex his altaria, arafve licitum erat. Nec minori Religione cul- F tum oleum legimus, apud eoſdem veteris Religionis ſuperſtitioſos homines. nam in luſtrationibus, quod adhiberetur aliquando oleum, aqua marina conſperſum, ſulphure, ac bitumine, hiſque ſic præparatis homines expiarentur; ſcribit Alexander ab Alex. gen. dier. lib. 5. cap. 27.

Nec mirum; ſunt enim qui putent vocem Græcam ἔλαιον, quæ Latine *oleum* valet, a divino nomine אֵל derivatam; & ab oleo etiam Latinam vocem *adolere* factam, quæ cultum numinis ſignificat; accenſis videlicet Aris, odoribus ac libationibus in igne fuſis, ut exurantur. inde noſter Varro: *Cum inteſtina*, inquit, *adoleviſſent, partem diis obtulerunt, partem ipſi conſumpſerunt.* Et Virg.

> *Verbenasque adole pingues*, inquit, *& maſcula thura.*

Adole, id eſt combure. & idem 1. lib. Æneid. ignem in Aris accendere, dixit *adolere.*

> *Quinquaginta intus famulæ, quibus ordine longo*
> *Cura penum ſtruere, & flammis adolere Penates.*

Dictum vero videtur cultum ſacrorum *adolere* non tantum ab oleo; ſed a ritu olei fundendi. Quod enim oleo fuſo divinam veteres coluerint mentem, quæ cuncta hæc in terris alit; illud probat, quod ſacra facturi Plutoni inferorum Regi, qui mens divina putabatur, quæ in univerſam terræ molem diffuſa, omnia gubernando penetrat; novimus auctore Natali Comit. Mythol. lib. 1. cap. 12. in ejus enim ſacris oleum adhibebatur pro vino; hunc ſacrificandi ritum luculentiſſime Virgil. lib. 6. aperuit, dicens:

> *Tum Regi Stygio nocturnas inchoat Aras,*
> *Et ſolida imponit taurorum viſcera flammis,*
> *Pingue ſuperque oleum fundens fumantibus Aris.*

Sed ne a ſacris, ac inſtitutis noſtris recedamus. Oleum tanti fecit Deus, ut inter primitias præſtantiſſimas, quas ſibi primum a populo, muneris ratione in deſerto, ad cultum tabernaculi offerri voluit, oleum enumeraverit; & ſe illud accepturum declaraverit Exod. 25. *Hæc ſunt autem quæ accipere debetis*, (dixit Deus Moyſi & Aaron Ducibus populi) *Aurum & argentum & æs, hyacinthum, & purpuram, coccumque bis tinctum, & byſſum, & pilos caprarum, & pelles arietum rubricatas, pellesque janthinas, & ligna ſetim, oleum ad luminaria concinnanda, aromata in unguentum, & thymiama boni odoris.* Oleum tanti fecit Deus, ut die noctuque in ſacro tabernaculo, oleo ignem fovere, ſeptem continuis lucernis juſſerit. Oleum tanti fecit Deus, ut oblationem quamcumque ſimilagineam oleo conſperſam in 2. Levit. ſe accepturum, & non aliter aſſeruerit.

Quinimmo tanti fecit Deus oleum, ut id quoque ſuper Altare, una cum thure igne comburi, ſibique litari præceperit. Tam frequens autem erat in ſacris olei uſus, ut cap. 9. lib. Judic. Cum arbores conveniſſent olivam inauguraturæ reginam: ſceptrum, ac coronam reſpuit, dicens: *Nunquid poſſum deſerere pinguedinem meam, qua & Dii utuntur, & homines; & venire ut inter ligna promovear?* Cujus vero uſus, oliva dijs eſſet; dictio Hebraica יְכַבְּדוּ quæ honorare, & glorificare cultu ſacrificiorum ſignificat, maxime aperit; illumque frequentiſſimum tam apud ſacros, quam penes falſæ Religionis ſectatores oſtendit. Oleum tanti fecit Deus, oleum, inquam hoc, de quo loquimur; ut curam illius, penes primarium ſacerdotem repoſuerit, qui in culmine Pontificatus ſucceſſor Aaronis jam fuerat declaratus. Liquet enim Eleazaro filio Aaronis, patri ſucceſſori jam deſignato a Deo, olei hujus curam demandatam fuiſſe Num. 4. *Iſta ſunt onera filiorum Cahat*, inquit textus (hi enim ſanctiora tabernaculi deducebant; nimirum Arcam fœderis, Altare aureum, candelabrum, & reliqua) *ſuper quos erit Eleazar filius Aaron ſacerdotis, ad cujus curam pertinet oleum ad concinnandas lucernas, & compoſitionis incenſum, & ſacrificium, quod ſemper offertur, & oleum unctionis.* Ex quibus medius fidius liquet, quanto cultu in ſacris veneraretur hoc oleum; quod

A ad uſum candelabri ſancti in tabernaculo fœderis inſumebatur.

Fuerunt etiam veteres adeo ſuperſtitioſi in uſu olei; ut lapides, aras, inſtrumenta ad ſacra, militares aquilas, ſcuta, ſigna ipſa pulverulenta, & cuſtodiis horrida, feſtis diebus inungerent, ſaltem vel oleo: hinc illud prophetæ, *Ungite clypeum*, ſollicitantis ad arma. Reges quoque, ſacerdotes, & quæcumque propitio numine habere cuperent, oleo inungebant: de quibus omnibus infra redibit ſermo.

Duplex autem huic oleo, de quo agimus, a Deo munus præſcribitur: aliud enim candelabrum ſanctum; aliud unguenti ſancti compoſitionem, reſpicit: eo enim hoc fluxibilius redditur; illud ſplendi-
B dius; ibi oleum lumen nutrit; oleum in unguento, aromata commiſcet. Deus enim Exod. 35. cum munerum, quæ ab Iſraelitis oblata fuerant, præſertim a Patriarchis, dignitatem referret: loquitur de oleo, tum ſacri tabernaculi fabrica ſpectata; quod erat unguento conſecrandum; tum etiam divini cultus in candelabro, in lucernas oleo nutriendas, & de oblationibus ſimilagineis oleo condiendis rationem habens. Quamobrem ait, *Principes vero obtulerunt lapides onychinos, & gemmas ad ſuperhumerale, & rationale, aromataque & oleum ad luminaria concinnanda, & ad præparandum unguentum.* Quo in loco duplex uſus olei, duplex etiam uſus aromatum innuitur. illius uſus lumi-
C naria, & unguentum, ut diximus, ſpectat: aromatum ſimiliter uſus, non tantum compoſitionem Thymiamatis comburendi in ſanctum ſanctorum, & in oblationibus ac ſacrificiis, ſed etiam condimentum olei in miniſterium ſacrorum reſpicit. quamobrem ſic Moyſes populum alloquitur ibi, ac cap. 35. *Hæc ſunt autem quæ accipere debetis, aurum & argentum, & æs, hyacinthum, & purpuram, coccumque bis tinctum, & linum, & pilos caprarum, & pelles arietum rubricatas, pellesque janthinas, & ligna ſetim, oleum ad luminaria concinnanda, aromata, unguenta, & thymiama boni odoris.* Ideſt, offerendum eſt oleum, ut nutriantur lumina in candelabro Domini; offerenda ſunt aromata, ut oleum in unguentum ſanctæ unctionis condiatur; & thymi-
D ama boni odoris præparetur; ita ex Hebraico habetur שֶׁמֶן לַמָּאוֹר בְּשָׂמִים לְשֶׁמֶן הַמִּשְׁחָה וְלִקְטֹרֶת הַסַּמִּים hoc eſt, *Oleum ad lumen, & aromata ad oleum unctionis, & ad thymiama boni odoris.* quem etiam præſtantiſſimorum aromatum uſum, nonnulla exemplaria Græca habent his verbis: καὶ ἔλαιον εἰς τὴν φαῦσιν, καὶ θυμιάματα εἰς τὸ ἔλαιον τῆς χρίσεως, καὶ εἰς τὴν σύνθεσιν τοῦ θυμιάματος, id eſt, *Oleum ad illuſtrationem, & thymiamata ad oleum unctionis, & ad compoſitionem thymiamatis.* Itaque viciſſim in ſacris literis oleum, & aromata ſe reſpiciunt. hæc ſunt ad condituram illius: illud vero ad compoſitionem unguenti ſancti. Et hinc etiam duplex genus olei hauritur; nimirum conditi aromatibus, de quo infra, & ſimplicis. Quam ob cauſam
E dictio שֶׁמֶן in ſuperiori textu bis reperitur in Hebraico exemplari, primo, cum dicit שֶׁמֶן לַמָּאוֹר ſecundo cum dicit שֶׁמֶן הַמִּשְׁחָה: nunc nobis de priori tantum agendum erit, de altero in ſequenti libro ſermo redibit.

Oleum hoc, de quo agimus, quodque duplici decorabatur munere, proprio quoque nomine in ſacris inſignitur litteris, nam שֶׁמֶן הַמָּאוֹר dicitur. Eſt autem *ſcemen hamahor*, idem quod *oleum luminis*: illa enim dictio לַמָּאוֹר venit a verbo אוֹר *hor*, quod eſt *illuceſcere*, & lumen præbere ſignificat. Eſt vero lumen, ut cum Avicenna in Metheorologicis, cum Alberto in lib. de ſomno, & vigilia, & Rhodig. lib 20. cap. 5. loquamur, *Cœleſtium virtutum, & quidem omnium*
F *veluti vehiculum, per quod ad nos illa omnia adferuntur.* Utque perdocte non contemnendus auctor obſervat; hæc dictio אוֹר eſt nota mutationis a pejore in melius; nimirum nota tranſitus tenebrarum in lucem, triſti-

tiæ

tiæ in lætitiam, frigoris in calorem: adeo ut lux, & lumen, caloris, refocillationis, gratiæ, lætitiæ, vitæ, & denique totius boni ſint notæ; inde vetus apud Græcos adagium, refert Rhodiginus lib. 15. cap. 15. quo veteres utebantur, cum lumen immittebatur, φῶς ἀγαθὸν, ideſt, *lumen bonum*, quod omnium bonorum, lumen, fons, & origo eſſet.

Hoc igitur oleum, quod candelabro Dei deſerviebat, & a filiis Iſrael ſibi offerendum Deus præcipiebat, שֶׁמֶן הַמָּאוֹר appellatum videtur; quaſi oleum gaudii, lætitiæ, caloris, refocillationis, gratiæ, vitæ, & denique bonorum omnium, quæ homines a Deo expetere, ac expectare valent. Erat enim ſacrum illud candelabrum, in cujus obſequium præſtabatur oleum, ſeptem diſtinctum lucernis: quamobrem nonnulli in his repræſentationem quamdam ſuperiorum orbium, eorumque influxuum agnoverunt: ut quemadmodum planetæ ſuo circulari motu, ac lumine in his inferioribus, plantis videlicet, animalibus, & omnibus, quæ in terra ſunt, bona cuncta influunt; ipſi vitam, ipſi fœcunditatem, ipſi propagationem, ipſi pulchritudinem, & ſi quæ ſunt alia, quibus inferiora indigeant; ſingulis horis ac momentis porrigunt: ita pariter in candelabro illo prope Sanctum Sanctorum collocato, coram Propitiatorio conſtituto, bonorum omnium fontem ac venam agnoſceremus; tam ſcilicet ſpiritualium, quæ in animis noſtris Dei gratia infunduntur; ut fidei, ſpei, charitatis, & reliquorum donorum Spiritus ſancti; quam etiam corporalium, ut vitæ, ſanitatis, plenitudinis annorum, fœcunditatis, prolis, ubertatis, reliquorumque aliorum; ſi quæ ſunt alia bona, quæ ad corpus ſpectent. hoc oleo ſeptem illa lumina alebantur; ut omnia illa bona ex Dei munere oleum porrigentibus promitterentur.

Nec quemquam, in ſacris exemplaribus diverſitas lectionum perturbet, aut moveat; quod nimirum in noſtra vulgata tranſlatione, ſacra Oracula de lumine in plurali loquantur; & oleum hoc, dicatur oleum ad luminaria; in hebraico vero textu, oleum luminis in ſingulari appelletur. quam etiam locutionum diverſitatem, inter tranſlationem Septuag. & Chald. paraphraſim intueri licet. Hæc enim paraphraſis legit מִשְׁחָא לְאוֹרְתָא hoc eſt, *oleum ad lumina*: græca vero translatio in ſingulari, ἔλαιον εἰς τὴν φαῦσιν, ideſt, *oleum in lucem*, illud appellat. Illi enim textus, qui ſingulariter loquuntur, cum hebraico codice totius candelabri rationem, ſeptem lucernis compoſitum reſpexerunt. quæ quidem ſeptem lucernæ, ac lampades nil aliud, quam unicum candelabrum conſtituebant; & quodammodo unicum efficiebant lumen, quale lucerna Martialis, de qua ipſe lib. 4. Epigrammaton dixit:

Illuſtrem cum tota meis convivia flammis,
Totque geram myxas, una lucerna vocor.

At vero tranſlationes, quæ in plurali loquuntur, ad ſeptem lucernas, ſuis diſtinctas, ex Dei præſcripto, virgulis, liliis, necnon & amygdalis reſpexere: quæ ſeptem habent diſtincta lumina, ex quibus juxta præſcriptum a Deo ordinem, candelabrum unum, ſeptem diſtinctum lucernis emergebat. Quam ob cauſam, oleum hoc, oleum ad luminaria concinnanda appellarunt.

Myſtice ludere in his quodammodo ſi velimus, Candelabro virum perfectum ſignificari affirmabimus: nec id a divinis oraculis abhorret. Etenim Chriſtus Servator noſter de Joanne Baptiſta teſtimonium perhibens, dixit; *Inter natos mulierum non ſurrexit major Joanne Baptiſta.* Ejuſdem ſplendidiſſimam ſanctitatem lucernæ comparans: *Ipſe erat*, inquit, *lucerna ardens, & lucens ante Dominum.* Ante Dominum dixit, ad candelabrum reſpiciens, quod erat prope Sanctuarium in tabernaculo: quaſi diceret, ipſe erat Candelabrum ardens ante Dominum, ac lucens. Sed & Spiritus ſanctus in eodem ſenſu per Joannem in Apoc. de Elia, & Enoch loquitur. & a Zacharia de Zorobabel, & Joſue Summo Sacerdote dictum accepimus. *Iſti ſunt duæ olivæ, & duo candelabra lucentia ante Dominum.* Quæ tamen candelabra niſi fota fuerint oleo, in nutrimentum luminis nullatenus ſplendent: Oleo, inquam, miſericordiæ. Eſt enim ἔλεος *miſericordia* apud Græcos, ἔλαιον vero *oleum*; ut nullum ſit oleum in ſplendorem, & nutrimentum luminis in viro perfecto, niſi ἐλεημοσύνη. Charitas quoque in Deum, luminis ad inſtar tunc ſplendeat; cum hæc proximis hæſerit; oleoque miſericordiæ, ac eleemoſynæ charitatis ignis nutrietur; ut communiter docent Sancti, & acceperunt a Chriſto. nam omnia opera bona in ſola charitate ſolidantur. Inde Greg. hom. 17. in Evang. *Ut enim multi arboris rami*, inquit, *ex una radice prodeunt; ſic multæ virtutes ex una charitate generantur.* Charitatis autem lapidem Lydium, eleemoſynam, definivit Jacobus in ſua Canonica, dicens: *Qui viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua, quomodo charitas Dei eſt in illo?* quaſi dicat, nullo modo. Offeramus & nos oleum; ut ſplendeant, quas profitemur, Evangelicæ virtutes.

CAP. IV.

Arborum genus ad lucernas pro candelabro Domini, & olivandi ritus monſtrantur.

Ad loca Exod. 27. *Præcipe filiis Iſrael, ut offerant tibi oleum de arboribus olivarum puriſſimum.* Levitic. 24. *Præcipe filiis Iſrael, ut offerant tibi oleum de olivis puriſſimum.* Deut 24. *Si fruges collegeris olivarum: quicquid remanſerit in arboribus, non reverteris ut colligas.* Et ad alia loca.

NVTRITVR ignis, alitur flamma, quocunque humido; pinguedine aptius; aptiſſime, defæcata ſi fuerit: propterea oleum ad lumina nutrienda accommodatiſſimum experientia comprobatum eſt. Quare Deus quoque optimus maximus cultum lucernarum in ſuo ſacro tabernaculo cum ſtatuiſſet; illarum lumen oleo nutriri juſſit. *Præcipe filiis Iſrael*, inquit Exod. 35. cum munera ſibi offerenda in apparatum ſacrorum enumeraret, *ut offerant tibi oleum ad luminaria concinnanda, & ad præparandum unguentum.* Cum vero ex quocumque genere fere fruticum atque plantarum, cum primis vero ex his, quæ baccæ producunt, oleum extrahi poſſit: merito nobis ſupereſt inquirenda natura ejus olei, quod Deus ſibi parari, atque offerri juſſerat: eo enim lucernas in tabernaculo perpetuo accenſas ſervari decrevit.

Et quidem talis natura olei erit, qualis a planta eidem communicata fuerit. videamus igitur, quibus ex plantis hoc oleum ſacri candelabri exprimendum foret. nam ex nucibus juglandibus, ex amygdalis, ex pino, lauro, lino, ex aliiſque pluribus ſeminum, ac fructuum generibus extrahi, indubitata res eſt. quin Plinio, Dioſcoride, Theophraſto, Meſue auctoribus; ac ipſa experientia probat, etiam ex nonnullis præſtantiſſimis nucum generibus, oleum antiquitus habitum, auctore Amynta in lib. de manſ. Perſic. Cteſia in Caramania. Theophraſt. in lib. de odor. & Amphidei. Omnes apud Athen. lib. 2. cap. 25. dicentem: Ἀμύντας ἐν σαθμοῖς περσικοῖς φησί. φέρει τὰ ὄρη τέρμινθον, καὶ σχῖνον, καὶ κάρυα τὰ περσικά, ἀφ' ὧν ποιοῦσι τῷ βασιλεῖ ἔλαιον πολύ. id eſt, *Amyntas in ſtationibus Perſicis*, hoc eſt in libro qui ſic inſcribitur, *dicit, fert mons terminthum, & lentiſcum, & nuces perſicas*,

perſicas, *ex quibus faciunt Regi oleum multum*: & quidem præſtantiſſimum oportebat id eſſe, quod erat Regi tantum in uſu. Cteſias olei quoque meminit, quod fiebat ex ſpinis; a qua vero ſpina illud fieret, non explicat. Græci enim ἀκάνθινον, ſpinam vocant: fuiſſe vero inter ſpinas aliquod peculiare genus, quod ἄκανθος, vel ἀκάνθινον diceretur, colligitur ex Plinio lib. 24. cap. 12. qui de ſpina alba ſcribit. *Hujus ſimilis eſt ſpina illa, quam Græci acanthinon vocant.* Quonam vero ex genere ſpinarum Caramani oleum conficerent, incertum eſt; ſatis eſt ex ſpinis confici, & ita Athen. parum infra: Κτησίας δὲ ἐν καρμανίᾳ φησὶ, γίνεσθαι ἔλαιον ἀκάνθινον ᾧ χρῆσθαι βασιλέα, ideſt: *Cteſias autem in Caramania dicit fieri oleum acanthinon, quo utitur Rex.* Sunt quidam qui œnanthinum pro Achantinum legendum putant. viderint alii lectionem; nos vero Acanthinum legendum putamus. Libet hic adnotaſſe Arianæ ſpinæ meminiſſe Theophraſt. lib. 4. cap. 15. e qua cum Sol illuxit ſtillant lacrymæ myrrhæ ſimiles. meminit Euſtathius quoque hujus loci, & olei Acanthini ex auctoritate Cteſiæ, ait enim de pretioſis oleis, loquens, ὧν πολυειδῶν ὄντων, ἐγίνετο τὶ, καὶ ἐξ ἀκάνθης. ὡς δηλοῖ, ὁ γράψας τὸ, ἐν καρμανίᾳ ἱστορεῖ Κτησίας, ideſt, *cum diverſa ſint, quoddam etiam fit ex acantho*, ideſt *ſpina*: niſi ſit ſpecificum nomen, *ut oſtendit Cteſias in Hiſtoria Carmanica*, & refert eadem quæ Athenæus, qui parum infra olei *omotribis* dicti meminit ex auctoritate Theophraſti, dicens: ἐλαίου δὲ τοῦ ὠμοτριβοῦς καλουμένου μέμνηται Θεόφραστος ἐν τῷ περὶ ὀδμῶν, φάσκων αὐτὸ γενέσθαι ἐκ τῶν φαυλιῶν ἐλαιῶν, καὶ ἐξ ἀμυγδάλων, hoc eſt, *Olei autem quod dicitur Omotribes, meminit Theophraſtus in libro de Odoribus, tradens illud fieri ex olivis phauliis, & ex amygdalis.*

Ceterum ad tollendam quamcumque ambiguitatem a filiis Iſrael; neve ipſi ambigerent, cujusnam generis oleum ſibi parari vellet Deus ad uſum Candelabri ſancti; aut ex qua planta extrahendum foret; ſacer textus præclare id aperuit Exod. 27. dicens: *Præcipe filiis Iſrael, ut afferant tibi oleum de arboribus olivarum, puriſſimum, piloque contuſum, ut ardeat lucerna ſemper in tabernaculo teſtimonii.* Quod quidem genus olei, a planta ſumens denominationem, apud Hebræos שֶׁמֶן זַיִת id eſt, *oleum olivæ* appellatur.

Nec prætereundum arbitror, quod ſi rigoroſe nobis loquendum in his foret; diſtinguenda eſſent, arbor olivæ, fructus, & ſuccus. idque more veterum, qui ſi credimus Nonio lib. de propr. rer. *Olivitatem, fructus oleæ*, inquit ille, *Varro in Gliperiton*, & citat locum. *Denique omnes cum lucerna combuſta eſt in lucubrando, olivitasque conſumpta eſt.* idem de Repub. lib. 10. *non modo integra eximi, ſed etiam major quam in arbore unquam pependerit; de Olivitate oleaſtri optime condi ſcribit Cato.* Hæc pauca Nonius: at mendi plures. Oleum enim dixit Varro olivitatem: in poſteriori loco de Olivis in oleo ad menſam conditis. Sed & Colum. lib. 1. cap. 1. *Largiſſimis*, inquit, *olivitatibus, Liberique vindemiis exuberent.* Oleo nimirum, & vino: & per hos auctores, olivitas erit oleum, fructus dicetur olea; ipſa arbor, oliva. Sed me judice, rectius de hac re loquitur Feſt. lib. 13. ubi affirmat collectionem ipſarum olivarum, olivitatem dictam fuiſſe; ex veterum phraſi. *Olivitatem*, inquit ille, *dicebant antiqui, quando olea colligebatur; ut meſſem quando frumenta, aut vindemiam quando uvas: quod vocabulum potius frequentari debebat.* Nos Itali recentiores cum Perotto noſtro Sipontino in ſuo Cornucopia ad Martial. lib. 1. Epigram. 7. inter plantam, fructum, & olivæ ſuccum, ita diſtinguamus vocabula. *Oliva*, inquit, *fructus oleæ, proprie enim olea arbor ipſa eſt; oliva fructus, oleum ſuccus, qui ex oliva exprimitur.* Hæc autem omnia a Græcis ſumpta ſunt, qui ἐλαίαν, *oleam*, ἐλάαν, *olivam*, ἔλαιον, *oleum* dicunt. hebraice עֵץ־זַיִת *arbor olivæ*, זַיִת *olivæ fructus*, A שֶׁמֶן זַיִת *oleum olivæ*. Eo tamen deducta res eſt, ut olea, & oliva confundantur, ſumanturque tam pro fructu, quam pro arbore: nam oleam fructum dixit Colum. lib. 11. cap. 2. ait, *Olea diſtringenda eſt, ex qua velis viride oleum conficere.* Olivam Virgil. arborem dixit Eclog. 8.

Incumbens tereti Damon ſic cepit olivæ.

Similiter etiam in ſacris litteris vocabulum זַיִת, quod arborem olivæ ſignificat; ſæpiſſime tam pro arbore, quam pro fructu in ſacris Hebræorum litteris ponitur. Ut vero explicaret Deus in libro Exodi; quodnam ſibi ad uſum Candelabri vellet parari oleum; & B ex qua planta exprimi; id per שֶׁמֶן זַיִת ideſt, *oleum olivæ* aperuit.

Varia olearum genera ſcriptores tradiderunt; quamobrem quodnam magis accommodatum ad oleum Candelabri ex Dei præſcripto, cenſeretur; quærere non erit præter rem. Pollux lib. 1. c. 12. nu. 14. ita ſcribit de variis olearum generibus: ἡ δὲ ἀγριελαία κότινος καλεῖται· εἰ δὲ ἐμφυτεύσαις τῷ κοτίνῳ ἥμερον, αἱ τοιαῦται ἐλαῖαι, κοτινάδες. ἡ δὲ ἱερὰ ἐλαία, μορία· ἡ δὲ ἐν ὀλυμπίᾳ, καλλιστέφανος. πάντα δὲ τὰ ἐμφυτευόμενα ἥμερα τοῖς ἀγρίοις, ἐμβλήματα καλεῖται. ideſt, *Olea ſylveſtris, oleaſter appellatur; ſi autem inſerueris ramo domeſticam, tales oleæ cotinades*, ſupple dicuntur; C *ſacra vero olea moria*, ſupple dicitur; *quæ vero in Olimpia*, ſupple habetur, *coronata dicitur, & omnes oleæ domeſticæ inſertis ſylveſtribus calami vocantur.* Sic reddi poſſent latine illa verba, *ex quibus habentur plantæ, Oleaſter, Cotinades, Moria, Coronata & Calami.* Græce appellantur κότινος, κοτινάδες, μορία, καλλιστέφανος, ἐμβλήματα, dicebantur coronatæ, quibus victores coronabantur in Olympia. Sacram vero exiſtimo appellatam oleam, qua utebantur fœciales, cum pacis, ac fœderis cauſa alicubi mitterentur. Noſter Perottus Sipont. in Mart. cujus merita nunquam ſatis laudantur, de generibus olearum ita loquitur, ex Plinio quidem lib. 15. cap. 1. *Olearum gene-* D *ra tria Virgilius poſuit, Orchiten, Radium, Poſiam: alii Liciniam, Sergiam, Cominiam.* harum meminit Plin. *Mevia, Contia, Albicera.* item alia genera addunt alii. *Sergiam* Sabini Regiam vocant, ut tradit Plin. lib. 15. cap. 3. Andreas Matthiol. in lib. 1. Dioſcor. cap. 12. decem olearum genera recenſet; dimittamus illa, & cum his, ea quoque quæ a Columel. lib. 5. cap. 8. in numero poſita fuere.

Tria tantum olearum genera ad rem noſtram faciunt. Primum genus humilis; & illarum, quæ minimæ proceritatis plantas habent; licet olivæ quam maxime ex his producantur; quæ quamvis ſuaviſſime ad cibum condiantur, ac parentur, ad oleum tamen præ- E ſtandum ineptæ omnino cenſentur: quapropter hæ nullo erunt apud nos in numero; non enim olivam, ſed oleum quærimus; candelabri lucernas, non menſarum fercula apparare intendimus. Aliud olearum genus nobis Italis, aliiſque nationibus commune tradit Matthiol. mediocris quidem proceritatis, & ſufficientiſſimæ pinguedinis; nec non etiam tum ad condimenta ciborum; tum ad olei expreſſionem aliquo in pretio. Tertium tandem olearum genus Matthiolus affert, & proceritate plantæ, & ramorum amplitudine quam maxime extenſum; quod quamvis baccas prioribus a nobis poſitis, quam longiſſime inferiores gignat; ad exprimendum nihilominus oleum, F oleæ hujus baccæ, cæteris tam ratione copiæ, quam etiam excellentiæ, ac ſuavitatis præferuntur, auctore Andræa Matthiolo: quod oleum præſtent dulce, clarum, aurei coloris, ſaporiſque excellentiſſimi. Cum igitur oleum ex præcepto Domini, ad uſum Candelabri ſancti parandum, præſtantiſſimum quæreretur; utique ab his poſtremis olearum generibus diſcedendum non licuiſſet: quin potius, ut ſentio, ab

ab hoc tertio tantum genere olearum erat exprimendum: magis enim præcepto conformat, quod habetur Levit. 24. his verbis: *Præcipe filiis Iſraël, ut afferant tibi oleum de olivis puriſſimum, ac lucidum.* Et præcepto etiam, quod habetur Exod. 27. *Præcipe filiis Iſraël, ut afferant tibi oleum de arboribus olivarum puriſſimum.*

Habemus oleas: olivandi methodum in re ſacra quærere neceſſe eſt; colligendarum, nimirum, olivarum rationem. Hæc in ſacris litteris nullibi, quod ſciam, præſcribitur. illud enim tantummodo Deus præſcripſit: Oleum nonniſi puriſſimum, ac pellucidum ſibi à filiis Iſraël ad uſum Candelabri & Lucernarum in tabernaculo offerri debere. quod ut habeatur, colligendarum olivarum rationem cognoſcere oportet: hæc autem ad duplex hominum genus pertinet; ad *legulos* nimirum, & ad *ſtrictores*, ut cum Catone cap. 144. & Turnebo lib. 10. cap. 18. loquamur. Leguli enim, caducam olivam, aut verbere decuſſam colligunt: at ſtrictores digitabulis, & manu decerpunt. ad ſacrum autem Candelabri oleum, legendarum olearum cura, legulisne, an ſtrictoribus committenda erit? Varronem audiamus lib. 1. de Re Ruſt. cap. 55. Is enim habet, & oleum purum, & olivandi methodum: *De oliveto oleam,* inquit, *quam manu tangere poſſis è terra; ac ſcalis legere oportet potius, quam quatere.* Varronem, ad duo illa genera olearum reſpexiſſe, de quibus diximus, perſpicuum eſt: aliud namque ad mediocrem proceritatem ſurgere, quam manu è terra tangere poſſis, dixit Varro; aliud in ſublime ſcandit; cujus oliva ſcalis juxta Varronem manu, non verbere legenda erit: rationem affert. Quod *ea quæ vapulavit marceſcit; nec dat tantum olei, quam quæ manu ſtricta; melior ea, quæ nudis digitis legitur; quam illa quæ cum digitabulis: durities enim eorum non ſolum ſtringit baccam, ſed etiam ramos glubit; ac relinquit ad gelicidium detectos.* Ita ex Varrone de legendis olivis; ne, nimirum, compreſſæ citius ac promptius marceſcerent, pluſque amurcæ, ac impuri ſecum adferrent. Quapropter oleum puriſſimum, atque lucidiſſimum, ſibi parari cum juſſerit Deus; olivantibus certè illa antiquiſſima lex, cujus Plinius meminit, indicenda fuit. *Oleam ne ſtringito, neve verberanto.* Ita enim tum lucidiſſimum, tum puriſſimum oleum exprimebatur.

Ex baccis olivarum varia oleorum genera commendata, apud veteres ſcriptores, qui ſcripſere de hac re, reperiuntur. Commendationem verò ſuſcipiunt oleorum genera, non tam à methodo parandi illa; quam à regionibus, in quibus gignuntur oleæ: & hoc aëris clementia, ſoli ubertate, atque cœlorum influentia; ab his enim bonitatem, ac excellentiam oleum capit. Et quamvis ex Plinio lib. 15. cap. 2, principatum in hoc Italia obtinuerit, ut nulla Regio, & oleo, & optimo oleo magis abundet; nihilominus ſolum proprium, cuique optimum, ut puto, videtur. Commendatur apud Athen. lib. 2. cap. 25. oleum Samium, ab Antiphane, & Alexi, Σαμικοῦ ἐλαίου, inquit Athenæus, μέμνηται Ἀντιφάνης καὶ Ἄλεξις.

οὑτοσὶ δέ σοι
τοῦ λευκοτάτου πάντων ἐλαίου [Σαμικοῦ.]
Ἐστὶν μετρητής.

hic autem tibi
Candidiſſimum omnium oleum Samium metitur.

Et ex auctoritate Amphidis parum infra oleum Thurium commendat, dicens: τοῦ δὲ ἐν Θουρίοις γινομένου ἐλαίου ὡς διαφόρου μνημονεύει Ἄμφις.

ἐν Θουρίοις τοὔλαιον, ἐν Γέλᾳ φακῇ.

Hoc eſt: *Illius autem olei præſtantiſſimi, quod fit in Thuriis, meminit Amphis.* Supple, *ita dicens in carmine.*

A *In Thuriis oleum, in Gela lenticula.*

Caſſinas celebravit oleum Alexand. ab Alex. lib. 5. cap. 21. *Reliquum certamen,* poſt Italum nimirum, *inter Iſtriæ terram, & Bœoticæ par eſt vicina bonitas Provinciis, excepto Aphricæ frugifero ſolo,* inquit Plinius loco jam citato; ita tamen ut communi omnium conſenſu ſcriptorum, Venafrano oleo primæ darentur: *ejusque agri parte,* addit Plin. *quæ Licinianum fundit oleum, undè & Liciniæ gloria præcipua olivæ;* rationem affert, *quod ad parandum unguenta, & ad guſtum delicatius cæteris videatur, quamvis nulla avis ejus veſcatur baccis. Vnguenta hanc palmam dedere accommodato ipſis odore, dedit & palatum delicatiore*
B *ſententia.* hæc Plinius. Cæterum Venafranum nunquam ſatis laudatum. De eo Martial. lib. 13. Xenio 101.

Hoc tibi Campani ſudavit bacca Venafri
Vnguentum, quoties ſumis, & iſtud olet.

De eo Juven. Satyr. 5. reprehendens in parandis eſcis extremam aliquorum curam, & ſtudium in plaudendo gulæ, ait:

Ipſe Venafrano piſcem perfundit.

Ita ut nomen *Venafranum,* oleum ſubaudiret. Sed & Horat. lib 2. ſer. ſatyr. 4. in eandem ſententi-
C am dixit,

inſuper addes
Preſſa Venafranæ quod bacca remiſit olivæ.

Et alias lib. 2. carm. ode 6. & ſerm. lib. 2. ſatyr. 8. quin & Strabo, & alii ſæpe olei meminere Venafrani. Verum Chananæorum Regio, & tota ipſa terra, quam Deus Iſraël ſpoponderat Patribus, poſſidendamque tradidit filiis, copioſiſſimam oleo extitiſſe, ex divinis oraculis conſtat, in quibus nulla falſi ſuſpicio. Nam 4. Reg. cap. 18. Rabſaces ſummus militiæ Aſſyriorum imperator aſcenderat ad oppugnandum Jeruſalem; & in ea obſidione Jeroſolymitas ab
D Ezechia Rege alienare tentabat; ut ſecum in Aſſyriam abirent, hos pari fœcunditate, ac ubertate Aſſyriæ, atque Judææ invitans, olivarum meminit. *Veniam & transferam vos in terram, quæ ſimilis eſt terræ veſtræ,* inquit, *in terram fructiferam, & fertilem vini, terram panis, & vinearum, terram olivarum, & olei, ac mellis.* Et Deuter. 24. *Si fruges collegeris olivarum,* inquit Dominus Iſraëli, *quicquid remanſerit in arboribus, non reverteris ut colligas.* Et cap. 28. dicit Deus ad transgreſſores legis, *Olivas habebis in omnibus terminis tuis.* Copiam igitur olearum, olivarum, ac olei in terra Iſraël ex his agnoſcemus: ut Iſraëlitæ ad oleum paran-
E dum ac offerendum ad uſum Candelabri, nec in Venafrano, nec alibi illud quærere indiguerint; ſed in propriis Regionibus copioſiſſimè illud habere potuerint. Quamvis dum in deſerto verſarentur, non niſi ex Ægypto, ex Cananæa, vel aliunde ad eos allatum oleum, Iſraëlitas habuiſſe perſpicuum ſit.

CAP. V.

Sacra olearia ars ad oleum ſacri Candelabri præparandum docetur.

Ad loca Levit. 24. *Præcipe filiis Iſraël, ut afferant*
F *tibi oleum de olivis puriſſimum, ac lucidum.* Exod. 27. *Præcipe filiis Iſraël, ut afferant tibi oleum de arboribus olivarum puriſſimum, piloque contuſum, ut ardeat lucerna ſemper in tabernaculo teſtimonii.*

DECVMANO oleo ad uſum Candelabri ſancti minimè indigemus; quin potius vetitum in ſacris affirmamus; quod hoc deterrimum omnium

nium ſit, ſi credimus Turnebo lib. 12. cap. 16. deterrimum, inquam, quia decennalis. nam *vetuſtas olei tædium affert*, inquit Plinius lib. 15. cap. 12. & ideo non aptum candelabro cenſebitur, dicente Deo cap. 24. Levit. *Præcipe filiis Iſraël, ut afferant tibi oleum de olivis puriſſimum, ac lucidum.* Quamobrem lectis jam olivis, ritum apparandi hoc oleum, quod ad uſum Candelabri ſibi deſtinarat Deus, quærere neceſſe eſt.

Et licet à tabernaculo Dei, & ab hoc ſacro Candelabro cujuſcumque generis fœtor arcendus eſſet; non tamen, ut ſentio, licebat oleo aromatibus condito uti. Veteres enim Gentiles eò profuſi ſunt libidinis, ut non ſolum corpora, ſed etiam lucernam, ſuarum libidinum ſpectatricem, odoribus conſpergerent. ita Martial. lib. 10. num. 38. fœliciſſimum quindecim annorum, cum ſibi dilecta uxore conjugium commemorans, lucernæ meminit unguentis fotæ, dicens:

O quæ prælia, quas utrinque pugnas
Fœlix lectulus, & lucerna vidit,
Nimbis ebria Nicerotianis!

Nimbos Nicerotianos unguenta dicit. erat enim Nicero unguentarius celebris Romæ, de quo ſæpius Poëtæ, cum primis verò Martialis ſcribit. Lucernam igitur Nicerotianis nimbis ebriam dixit ob copiam olei odorati, quo lucernam odoris cauſa veteres nutriendam duxere optimum. hunc unguentorum in lucernis uſum non vidiſſe, nec obſervaſſe alios ſcriptores miror. Locus Pollucis lib. 10. cap. 26. hinc illuſtratur, agens enim de lucernarum ſpeciebus, ad lucernam, quæ στίλβη à Græcis dicebatur, ſermonem transferens, ait: καὶ μὲν εἰ μύροις ἐπὶ τούτῳ χρηστέον, ὅτι μὴν καὶ μυρίδιον εἴρηκε τὸ μύρον. ideſt, *Et quidem ſi unguentis in his utendum eſt, quod quidem & unguentulum dixit unguentum.* ſupple Ariſtophanes. ideſt, oleum unguentatum ad lucernas, appellavit *unguentulum.* Illud enim ἐπὶ τούτῳ refertur ad lucernas, & candelabra, de quibus eò uſque loquutus fuerat Pollux. Cum igitur veteres lucernis quoque aromata infundere conſueverint, ſuavitatem oleo conciliandi gratia, & hic quoque cultus convenientiſſimus Candelabro Dei ratione ſuavitatis, ac fragrantiæ videri poſſet. nihilominus ſacris Scripturis convenientius cenſetur, ſimplex Deum voluiſſe ſibi parari oleum.

Verum de methodo parandi hoc ſimplex oleum ad uſum divini Candelabri, non contemnenda controverſia eſſe poſſet. Quo quidem in negotio doctiſſimum illum virum Alphonſum Abulenſem deceptum puto. Is enim cap. 27. Exodi in illo loco: *Præcipe filiis Iſraël ut afferant tibi oleum de arboribus olivarum puriſſimum, piloque contuſum, ut ardeat lucerna ſemper in tabernaculo teſtimonii*, ex baccis olivarum olei extrahendi, juxta Dei præſcriptum methodum inquirens, docet ex his triplex olei genus extrahi. Primum, quod ſponte ex olivis jam in torculari poſitis fluit, nemineque comprimente decurrit; & puriſſimum hoc oleum fore affirmat. *Aliud*, inquit ille, *ex eiſdem baccis in torculari compreſſis, piloque contuſis exprimitur: & licet hoc olei genus ſatis utique purum, ac defæcatum exiſtat, prioris tamen olei, quod ſponte emanat, perfectionem ac puritatem nequaquam attingit. Aliud denique tertium genus olei, olivis prius lapide molari contuſis, ac in torculari poſitis exprimitur.* His ita conſtitutis, quærit, quodnam ex his tribus olei generibus ex Dei præſcripto ad uſum ſacri Candelabri adhiberi liceret; Rabbique Salomonis ſententiam rejicit, quæ oleum tantum prioris generis in ſacro Candelabro concedebat, nequaquam verò alterius, nec poſtremi generis. Rejicit hoc aſſertum Abulenſis; quod in textu, oleum ex-

A trahendum ex olivis pilo contuſis dicatur. Cum igitur ad prioris generis oleum, nequaquam olivæ contunderentur; ſed oleum ſua ſponte ex ipſis flueret; hoc minimè ad uſum Candelabri aptum arbitratur. Quamobrem ipſe in ſeipſo implicatus, prioris, ac ſecundi olei generis licuiſſe uſum, nequaquam verò de poſteriori uſum admittendum exiſtimat.

Qua verò ratione hæc ab Abulenſe affirmentur, non video: timeo quidem ne pugna conſilia ſcindat; velitque contra retiarium, ut in proverbio dicitur, uti ferula. Negaverat Abulenſis uſum prioris generis olei Rabbi Salomoni: illud idem ſibi admitti vult;
B quamborem baculo percutitur, quo alterum percutere nitebatur. Quæ verò ipſe Rabbi Salomoni objecerat, quatenus pro ratione dubitandi contra ipſum militant, ea ratione eluere conatur, quod nimirum vis præcepti divini non eſſet, olivas contundendas, niſi ut oleum purum, ac defæcatum haberetur. *Quamobrem eo habito in priori, ac ſecundo olei genere, divini præcepti obſervantia retinetur*, inquit ille. oblitus fortaſſe, quod oleum ſecundi generis, prioris puritatem non attingebat. Dicamus igitur in Abulenſem pro Rab. Salom. quòd puriſſimum oleum admittatur; nequaquam verò minus purum, quale eſt, quod pilo exprimitur. Non igitur concedendum erit Abulen-
C ſi, uſum olei ſecundi generis, in ſacro Dei tabernaculo, ad ignem ſacrarum lucernarum fovendum, quod hoc puriſſimi olei rationem minimè ſervet. Quod etenim argumento occurret Abulenſis Rabbi Salomoni neganti, in ſacro textu haberi, olivas pilo tundendas fore? in textu enim hebraico dictio tantum כָּתִית habetur, quæ *contundere* tantum ſignificat. Vtrum verò pilo, an mola contuſio fieri deberet; in hebraico textu, quem ſolum admittunt Rabini, non exprimitur. Ipſis equidem ab hebraico exemplari recedere, ad latitudinem unguis, religio eſt. Abulenſi verò non cum Latinis, ſed cum Hebræo certandum ibi eſt. Quamobrem licet in noſtro vulgato ex-
D emplari ſermo ſit de oleo expreſſo ex olivis pilo contuſis; nihili tamen hæc Rabbini faciunt: qui quamcumque tranſlationem rejiciunt, & quacumque in difficultate illico ad hebraica exemplaria ſe conferunt. Nobiſcum igitur, qui eodem vulgato exemplari utimur, ſtet in gradu Abulenſis. vulgati enim exemplaris auctoritatem cum Romana Eccleſia libenter admittimus, ac veneramur; doctrinæ tamen, aut ſententiæ Abulenſis, nequaquam nomen damus. cum enim ſuo cuique judicio utendum ſit; & omnis ſacrorum oraculorum cognitio multis ſit obſtructa difficultatibus; eaque ſit & in ipſis rebus obſcuritas, & in judiciis noſtris infirmitas; ut non ſine cauſa &
E doctiſſimi, & antiquiſſimi invenire ſe poſſe quod cuperent diffiſi ſint, noſtra tamen cum Abulenſe cauſa facilior & clarior eſt. Equidem olivis non expreſſis, aut minimè contuſis, oleum ſponte in torculari emanare, ac fluere potuiſſe; à quonam Abulenſis acceperit, aut didicerit, non video. qua etiam in regione olivæ ejus ſint pinguedinis, ut ſponte oleum præſtent; nullibi me legiſſe memini. Enimverò niſi olivæ conterantur; & aliquo inſtrumento contundantur; ac denique expreſſorio comprimantur; vel omnino areſcant, aut putreſcant neceſſe eſt. Audiamus Varrònem lib. 1. de re ruſtica. cap. 55. *Hæc*, ſupple oliva, *de qua fit oleum*, inquit ille, *congeri ſolet acer-*
F *vatim per dies ſingulos in tabulata, ut ibi mediocriter fraceſcat: ac primus quiſque acervus demittatur per ſerias, ac vaſa olearia ad trapeta: in qua eam terent molæ oleariæ in duro, & aſpero lapide. Olea lecta ſi nimium diu fuit in acervis, caldore fraceſcit, & oleum fœtidum fit.* Audiatur etiam Plin. lib. 15. cap. 6. *Oleum in tabulato*, congeſta nimirum oliva, inquit, *minui, deteriuſque fieri: item & in amurca & fracibus: hæc*

ſunt

ſunt carnes & inde faces. Igitur olivis non compreſſis A haberi oleum nequit; quin potius olivæ putreſcant, neceſſe eſt, quibus corruptis amurcæ plus, quam olei exprimetur: olei, inquam, fæculenti, impuri, ac ſordidi, à lucernis ſacri Candelabri ex Dei præſcripto omnino reſpuendi. Quæ igitur Abulenſis de oleo ex ſe fluente excogitaverat, doctrina omnino ruit. Si verò olivæ communi more in trapetis ex ratione artis oleariæ, mola tundantur, atque in torculari expreſſæ fuerint; una cum oleo, amurcam quoque fluere neceſſe eſt; ac propterea nequaquam puriſſimum, lucidum, clarum, defæcatum, & ab omni macula alienum, exprimetur oleum; quale Deus præceperat ad uſum ſacrarum lucernarum ſibi parari. Quam- B obrem ex tribus oleorum generibus, ab Abulenſe inſinuatis, nullum illorum Dei candelabro accommodatum erit.

Noſtra vero de hac re ſententia, olivas non quaſcumque, ſed ſub ipſa maturitate ex olea lectas, modo quem capite præcedenti docuimus, contundendas utique fuiſſe affirmat: quia alias oleum haberi nequiviſſet. Hoc apertè Deus locis jam citatis aperuit hebraica dictione כָּתִית: quam dictionem explicantes Septuaginta dixerunt, καθαρὸν κεκόμμενον εἰς φῶς, id eſt, *purum, contuſum in lumen.* Et in Vaticano exemplari cap. 27. Exodi legimus, *defæcatum, purum, contuſum*: quod etiam vi dictionis ejuſdem, probare poſ- C ſumus; quæ cum à radice כָּתַת formetur; hæc autem *contudit, minutiſſime contrivit,* & *diligentiſſime attrivit,* ſignificet; olivas ad parandum oleum pro Candelabro omnino contundendas fuiſſe indè liquido conſtat.

Quo autem inſtrumento olivæ iſtæ, molanè, an pilo conterendæ forent, ſub judice minimè cenſetur. Interpretes enim, & expoſitores omnes, communi quodam conſenſu, cum exemplari vulgato, pilo in mortariis olivas conterendas affirmant. à quo communi ſenſu, vulgati exemplaris accedente auctoritate, nunc mihi nequaquam recedendum putavi. Chaldaicus Paraphraſtes habet דְּכְיָא כְּתִישָׁא. Qui locus, me D judice, non rectè ab interprete illius paraphraſis in regiis interpretatur his verbis: *Mundiſſimum de olivis contuſis.* Sed dicendum fuiſſet, *contuſum, & mortario quaſſatum.* Prior enim dictio דְּכְיָא *contundere* ſignificat: poſterior כְּתִישָׁא *conterere in mortario* valet. Quamobrem vocabula illa quaſi ſynonyma repetuntur cap. 27. Exodi, ad oſtendendam diligentiam, ac ſtudium, quod in contundendis, ac conterendis olivis, nec non etiam in præparando illud genus olei adhiberi oportebat. Nam & ex Rabbinis M. Marinus in dictione כָּתִית docet, Oleum hoc ex baccis olivarum fieri ſolitum, in mortario baccas conterendo; ea tamen lege, quod priores tantum, ex ea materia, E olei guttæ ad Candelabri lucernas aſſumerentur. Non enim longius contritio protrahebatur; ne cum oleo, aliquæ etiam profluerent fæces; neve aliquid impuri oleum haberet. Eapropter ſanctus Hieronymus methodum parandi hoc oleum præ oculis habens: *Oleum* cum ſacro noſtro Interprete *pilo contuſum*, hoc appellavit. Ut enim verè docet Carthuſ. in cap. 25. Exod. hoc mundius eſt, quam quod mola exprimitur.

Verum non quæcumque olivæ, ut tunderentur in hoc mortario, aſſumebantur; ſed ut diximus, quæ potius eſſent ſub ipſa maturitate, nigredine nondum inchoata, *incipiente enim nigritiâ, minimum amurcæ,* F inquit Plinius loco jam citato cap. 1. *ante eam nihil.* Igitur ad exprimendum oleum, quod omni careret amurca, pro Dei candelabro; non erat expectanda nigredo, ſed nec ad tabulata olivæ deferebantur; ut hic maturitatem, quam ſub dio non receperant in arbore, in tabulato expectarent: quin potius tundebantur antequam matureſcerent, ut oleum perfectius, lepidius, ac defæcatius haberetur: quanto enim maturior bacca, tanto pinguior ſuccus, minuſque puri in oleo, ex Plinio c. 15. Oleum quam acerbiſſima oliva optimum fieri dixit ibidem, & cap. 3. dixerat, *Suus quidem olivæ ſuccus oleum eſt; idque præcipuè ex immaturis intelligimus.* Hoc enim nobiliſſimum illud oleum eſt, quod Omphacinum ab auctoribus communiter appellatur. De eo Dioſcorides lib. 1. cap. 8. Eſt enim ὄμφαξ immatura uva. Hinc à ſimili oleum ex immaturis olivis Omphacinum dicitur. Sed ex Omphacinis oleis illud, quod novum, odoriferum, ac non mordax fuerit; hoc cæteris excellentius erit ex doctrina Dioſcoridis ibidem.

Cum igitur Deus opt. max. pro ſuo ſacro Candelabro oleum ſibi puriſſimum, ac lucidum, quodque præſtaret cæteris omnibus parari juſſiſſet: utique de oleo hoc Omphacino, quod ex olivis adhuc immaturis, maturitati tamen vicinis, exprimebatur, ac extrahebatur; divinum præceptum in ſacris libris accipiendum fuit. Hoc etiam non obſcurè colligitur ex Hebraica dictione זַךְ *zach*, quæ correſpondet dictionibus *lucidiſſimum ac puriſſimum*; quæ in noſtro vulgato habentur. Illa enim hebraica vox, ſive à radice זָכָה *zachah* derivetur, ut nonnulli putant; ſive à radice זָכַךְ *zachach*, ut alii arbitrantur; utrobique oleum defæcatum, purum, ſine labe, ſine fæce, & ſine quacumque alia macula ſignificabit; oleum nimirum omnino purgatum, & clariſſimum. Quamobrem Septuaginta in Regiis Bibliis habent ἔλαιον ἐξ ἐλαιῶν ἄτρυγον καθαρόν, id eſt, *Oleum ex olivis defæcatum, dilucidum.* quæ omnia de Omphacino tantummodo oleo accipi poſſunt: quo quidem oleo, ex divinio præcepto, ſolummodo uti licebat, tam Sacerdotibus ad ſacri Candelabri lucernas, quam filiis Iſraël in oblatione olei *ad luminaria concinnanda, & ad præparandum unguentum*: ut in ſacris pertractandis rebus, ſacris quoque utamur verbis.

CAP. VI.

Lucernarum cultus & religio ex ſacris & prophanis oſtenditur.

Ad loca Num. 4. *Iſta ſunt onera filiorum Cahat in tabernaculo fœderis: ſuper quos erit Eleazar filius Aaron Sacerdotis, ad cujus curam pertinet oleum ad concinnandas lucernas.* Baruch. 6. *Lucernas accendunt illis, & quidem multas, ex quibus nullas videre poſſunt.* Matth. 22. *Non dico tibi ſepties, ſed ſeptuagies ſepties.* Et ad alia plura.

MVNERA Eleazari filii Aaron cap. 4. Numerorum recenſentur; in his illud unum ad lucernæ uſum, quod oleum pro concinnandis, & apparandis lucernis ejus eſſet curæ. *Iſta ſunt onera filiorum Cahat in tabernaculo fœderis*, dicitur in ſacro textu, *ſuper quos erit Eleazar filius Aaron ſacerdotis, ad cujus curam pertinet oleum ad concinnandas lucernas.* Nos de oleo dum agimus, uſum inquiramus ad lucernas, & lucernarum religionem; ita tamen ut ſecernamus lucernas à lampadibus; non enim pro eodem accipienda ſunt. Quòd autem latinè *lampas* dicitur, לַפִּיד *lapid* hebraicè explicatur; græcè λαμπὰς appellatur. quæ vox licet promiſcuè ſumatur apud auctores maximè Poëtas, nimirum pro face, tæda, aut lucerna: propriè tamen ſignificat inſtrumentum in vaſe ſuſpenſum, accenſum igne, & oleo fotum ad nutrimentum luminis. quamobrem non niſi de vitreo vaſe propriè dicitur; quod undique fulgeat, ac ſplendeat; quales ſunt faces, quæ in cœlo ardent. Lampades dictæ, teſte Plinio lib. 2. cap. 26. &

in

in jurc pro illo genere vaſorum, de quibus loquimur, ſunt lampadarii ſcriniorum. De lampadibus nihil nunc ad nos attinet, de illis infra lib. 4. redibit ſermo. De lucernis quæ הַנֵּרוֹת hebraicè vocantur in plurali, & נֵר in ſingulari, λύχνος græce: de his ſermo eſt in ſacris oraculis; cum de præparatione olei, & ejuſdem uſu agitur: quæ cum à lampadibus diſtinguantur, & lucerna propriè dicatur inſtrumentum aliquod metallicum, in quo poſito oleo, & parato lychno nutritur ignis; ut omnes qui ingrediuntur, lumen videant; de hac, quæ ad Religionem ſpectant, cognoſcere tentabimus.

Mentitur Athenæus lib. 15. cap. 20. dicens: οὐ παλαιὸν δ' εὕρημα λύχνος, *lucernam non fore perantiquum inventum.* nam Æropus Macedoniæ Rex ſubtiles menſulas, & lucernulas, ubi vacabat, fabricando tempus traducebat; auctore Plutarcho in Demetrio. Quamobrem niſi forte Athenæus loquatur de lucerna penſili, ſive de laterna, non erit audiendus. nam uſus lucernarum, ac olei in nutrimentum ignis, apud veteres tam ſacræ, quam prophanæ Religionis ſectatores apertiſſimis, pluribusque monumentis vetuſtiſſimus apparet; nec non etiam frequentiſſimum fuiſſe ex earumdem uſu perſpicuum eſt.

Sacrum vero aliquod portendiſſe lucernam tam Græcis, ex teſtimonio Suidæ; quam Latinis ex auctoritate Senecæ de vita beata cap. 27. certum eſt: præſertim ex monumentis Ægyptiorum, penes quos adeo frequens hæc conſuetudo fuit; ut ſola lucerna Ægyptiæ Religionis hieroglyphicum teneret; teſte Beroaldo in lib. 11. Apulei. ea fortaſſe de ratione, quod ipſi ad cultum idolorum cum primis lucernis uterentur: vel quia lucernarum uſum ab Ægyptiis, ad reliquas tranſlatum nationes ſentiant plurimi. In quo quidem fuerunt adeo ſuperſtitioſi Romani apud Plutarchum lib. 7. ſympo. 14. ut lucernam extinguere religio eſſet. quamobrem oleo poſito inextinctam lucernam dimittebant; quouſque ignis oleum conſumpſiſſet, & deficiente nutrimento, ipſa quoque deficeret flamma. ſive id reverentia ſacri ignis facerent, ut dicebat apud Plutarchum Ceſernius, ſive ut Lucius ibidem, ne viderentur necem inferre elemento quodammodo animato; ſive denique ne lucernam extinguentes, lucem aliis invidere exiſtimarentur; quod ibidem affirmabat Florus. Quæcumque autem ratio ex illis verior ſit, parum noſtra intereſt: ſufficiat, cultus gratia, lucernam inextinctam dimittere, veterum fuiſſe conſuetudinem.

Verum ad Ægyptios redeamus, in lucernis colendis cæteris religioſiores. Herodotus enim, ſuam ob antiquitatem apud Græcos Hiſtoriarum Pater appellatus, in medium ex Agyptiorum antiquitatibus aliquid pro lucernis afferat. Is enim cujuſdam diei feſti ſolemniſſimi apud Ægyptios meminit; qui feſtus dies, Accenſio lucernarum dicebatur; quod noctu ſub dio per univerſam Ægyptum lucernæ ſale imbutæ, oleo plenæ, ellychnio quam optimè inſtructæ accenderentur: eaque luce luciferum, ſolemque orientem attingerent. De hoc die feſto, illiuſque ſignificatione aliter, atque aliter auctores cenſent. Sunt qui putent lucernas has, ab Aegyptiis accendi ſolitas in honorem Vulcani, quem ignis inventorem eſſe cum exiſtimarent & in Aegyptum regnaſſe ſacerdotes illius Regionis apud Apulejum crederent; de quibus Lipſius conſuli poterit lib. 1. Elect. lucernas accendere, & feſtum diem ſolemniſſimum illius gratia inſtitutum concelebrare ſolebant Sed undè lamenta, ejulatus, & lacrymæ, de quibus Lactantius Firmianus lib. 1. divin. inſt. cap. 21. quidnam hæc cum Vulcano? certe nihil.

Arbitrantur alii, ad inquirendum, cum Iſide, Oſiridem, lucernas accendere conſueviſſe Aegyptios; hujusque gratia lacrymabilem feſtum diem ab ipſis

A inſtitutum. Hunc Jovis filium crediderunt; Iſidemque, ut placet Lactantio ibidem, habuiſſe matrem, ſeu ut aliis placet, uxorem fabulantur. Quod verò vterque beneficiis maximis Aegyptum affeciſſet; divinos ab illis populis promeriti ſunt honores. Iſidem namque litteras, litterarumque uſum excogitaſſe, Aegyptiisque tradidiſſe affirmant: Oſiridem verò varias artes ad vitam excolendam à ſe inventas eos docuiſſe. tamque religioſum Iſidis numen habebatur, ut morti obnoxius crederetur, qui illius adytum penetrare auderet. Pauſanias id ſcribit, dicens: τότε οὖν τὸν ῥωμαῖον ὡς ἐπετέτραπτο Αἴγυπτον, ἄνδρα ἔφη χρήμασιν ἀναπείσαντα εἰς τὸ ἄδυτον καταπέμ-
B ψαι τῆς Ἴσιδος τὸ ἐν Κόπτῳ. καὶ ὁ ἐσπεμφθεὶς ἀνέστρεψε μὲν ἐκ τοῦ ἀδύτου, διηγησάμενον δὲ ὁπόσα ἐθεάσατο, καὶ τοῦτον αὐτίκα ἐπυνθανόμην τελευτῆσαι. hoc eſt: *Tunc igitur cum Romanus quidam gubernaret Aegyptum, hominem eum mercede conductum miſiſſe in adytum Iſydis, quod eſt in Kopto: & rediiſſe quidem; ſed mox ut narravit, quæ vidit, & hunc ſubito mortuum fuiſſe.*

Quærebant verò Oſiridem Aegyptii inter nocturnas tenebras, quod ab Antiphone Aegyptio, vel, ut Servius ait, à Theſiphone fratre aliquando occiſus, non modico tempore ab Iſide lacrymis comitata, ac ejulatibus quæſitus fuerit. Cumque Aegyptii permutatis nominibus, Solem Oſiridem dicerent;
C ut tradit Euſebius lib. 10. de præparatione Evang. & Iſidem Lunam, ut etiam apud Apuleium lib. 11. ipſamet Luna affirmat; quæ quidem diverſarum gentium, diverſas ibi de ſe afferens opiniones, & nomina: tandem ait: *Et qui naſcentis Dei Solis inchoantibus radiis illuſtrantur Aethiopes, priſcaque doctrina pollentes Aegyptii, cæremoniis me propriam propriis percolentes appellant vero nomine Reginam Iſidem.* Quamobrem in plenilunio ſub dio inter tenebras nocturnas, quaſi Lunam, ideſt, Iſidem, comitarentur; lucernis accenſis magno cum luctu perditum Oſiridem requirebant. Credebant enim hoc cultu, & hac religione arva fœcundari, Nilumque excreſcere: ſcribit id
D Pauſanias ſe accepiſſe à quodam Phœnice. ἄγειν τῇ Ἴσιδι Αἰγυπτίους τὴν ἑορτὴν, ὅτε αὐτὴν τὸν Ὄσιριν πενθεῖν λέγουσι, τηνικαῦτα δὲ καὶ ὁ Νεῖλος ἀναβαίνειν σφίσιν ἄρχεται, καὶ τῶν ἐπιχωρίων πολλοῖς ἐστὶν εἰρημένα ὡς τὰ αὔξοντα τὸν ποταμὸν, καὶ ἄρδειν τὰς ἀρούρας ποιοῦντα δάκρυα ἐστὶ τῆς Ἴσιδος. hoc eſt: *Agere Iſidi Aegyptios feſtum; quando ipſam Oſiridem lugere dicunt, & illis quidem diebus Nilum incipere, creſcere dicunt, & multi incolarum dicunt augmentum fluminis, & inundationem agrorum lacrymis Iſidis fieri.* Quamobrem, ut puto, plurimum lamentabantur, & copioſis lacrymis feſtum hunc concelebrabant; ut plurimum excreſceret Nilus agrique fœcundarentur. Inde dixit Stat. lib. 1. Theb.

E . . . . *melius votis Mareotica fumat*
Coptos, & æriſoni lugentia flumina Nili.

Lugentia flumina dixit, ſive propter Oſirim, quem ſuſpiriis & ejulatibus quærunt; ſive quia irrigationem Nili, Aegyptii vſque ad veros planctus efflagitant. Nam ſacerdotes Aegyptiorum, deglabrato corpore, ſua pectora tundebant; quemadmodum Iſidem, cum Oſiridem amiſit, feciſſe putabant. quotannis illum perdebant, quotannis eumdem quærebant. Inde dixit Lucanus:

. . . . . *numquamque ſatis quæſitus Oſiris.*

F Sole mox oriente, inventum Oſiridem cum gaudio excipiebant, ac plauſu proſequebantur.

At ſi mihi divinare liceret, & ex ſacris oraculis de hoc feſto lucernarum Aegyptiaco conjectari poſſem; dicerem profecto feſtum hunc lucernarum apud Aegyptios; Feſtum, inquam infeſtum, ac nefaſtum, lacrymis, atque ploratu ab ipſis proſequutum extitiſſe, in memoriam illius necis, quam Deus ad abducen-

ducendos filios Iſraël, debacchando in Aegyptum, primogenita quorumcumque, tam hominum, quam brutorum morte mulctavit. Tunc enim Pharao Rex ſub media nocte, totaque Aegyptus, luctu, ac lacrymis conſperſa, è ſtratis ſurgentes, accenſiſque lucernis necatos filios lamentabantur, filioſque Iſraël exire compellebant de terra Aegypti. Ita de hac re ſacra loquuntur oracula. Exod. cap. 12. *Factum eſt autem in noctis medio; percuſſit Dominus omne primogenitum in terra Aegypti a primogenito Pharaonis, qui in ſolio ejus ſedebat; uſquè ad primogenitum captivæ, quæ erat in carcere, & omne primogenitum jumentorum; ſurrexitque Pharao nocte, & omnes ſervi ejus, cunctaque Aegyptus, & ortus eſt clamor magnus in Aegypto, neque enim erat domus, in qua non jaceret mortuus.* Nec ſua id caret conjectura; potuit enim fieri, ut primogenitus is Pharaonis, qui mortuus eſt, Oſiris appellaretur: nam de Oſiride Aegyptio loquuntur Diodorus, Beroſus, & in eo Anianus. Pharaonis vero appellatio pronomen erat, ſive nomen dignitatis, ac Imperii Regum Ægyptiorum. Avorum igitur memoria, qui Oſirides dicti fuerant, primogenitum quoque illum à Deo interfectum, qui Oſiris dici potuit, deploraſſe illos puto. Nam de Oſiride, qui una cum ſorore uſum frumenti, aratrum, & alia ad humanæ vitæ cultum Aegyptios, aliaſque gentes docuit, loquitur Beroſus Babylonicus, & cum Diodoro Anianus. Quod vero convenientia nominis errorem afferre potuerit, & uni recentiori Oſiridi tribueretur, quod alteri antiquiori debebatur, in rebus adeo perantiquis, mirum nequaquam eſſe debet. Quod ſi uni conjecturæ alia addatur; apertiora fient, quæ de hoc feſto lucernarum, cum nece Aegyptiorum ex divinis oraculis tradidimus. Nam quod feſtus hic lucernarum in plenilunio celebraretur, teſtis eſt Apulejus lib. 11. qui *circa primam fermè noctis vigiliam*, inquit, *experrectus, pavore ſubito præmicantis lunæ, candore nimio completum orbem, commodum marinis emergentem fluctibus.* Quemadmodum & exitus filiorum Iſraël ex Aegypto plenilunii tempore in Martio contigiſſe, ſacra tradidere oracula. Quod etiam de Nili inundatione circa ea tempora fieri ſolita, ſcriptores communiter affirmant; nec malè nos conjectaſſe, nec omnino divinaſſe oſtendet: quin potius veram infauſti lucernarum feſti apud Aegyptios nos rationem tetigiſſe, perſpicuum faciet.

Quæcumque verò fuerit accendendarum lucernarum apud Aegyptios ratio, pompæ Iſidis apparatus intueamur, ut in ea pompa lucernarum cultum & religionem agnoſcamus. Ejus pompæ meminit Apulejus lib. 11. dicens: *Magnus præterea ſexus utriuſque numerus, lucernis, tædis, cereis, & alio genere facium, luminis ſiderum cœleſtium ſtirpem propitiantes.* Infra verò Antiſtitum illius Religionis apparatus ſcribens: qui quidem ſacratiora, ac venerabiliora in pompa deferebant, lucernam venerabiliorem ac præſtantiorem, tum ratione materiæ, tum Religionis, in manibus dignioris Antiſtitis collocat, dicens: *Quorum primus* (ſupple Antiſtitum) *lucernam præmicantem, claro porrigebat lumine, non noſtris conſimilem, quæ veſpertinas illuminant epulas, ſed aureum cymbium in medio ſui patore flammulam ſuſcitans largiorem.*

Fueruntque adeò ſuperſtitioſi Idololatræ, tam Ægyptii, quam aliarum nationum in vſu lucernarum, & lucernario cultu idolorum, teſtibus Clemente Alexan. lib. 1. Strom. Euſebio lib. 10. de præparat. Evang. ut quamplurimas, non unam, aut alteram illis appenderent lucernas. Quamobrem Lactantius lib. 6. divin. inſtit. Idololatriam redarguens, multitudinem hanc lucernarum irridet. *Num igitur mentis ſuæ compos*, inquit, *putandus eſt, qui auctori & datori luminis candelas offert pro munere?* Et infra.

A *Vel ſi cœleſte lumen, quod dicimus ſolem, contemplari velint; jam ſentiant, quod non indiget lucernis eorum Deus; qui in vſum hominum tam claram, tam candidam lucem dedit.* Tertullianus quoque temporibus Apoſtolorum viciniſſimus, ex modeſtia Chriſtianorum, ſacra Gentilium irridens, lucernarum meminit, dicens: *Cur die læto non laureis poſtes obumbramus, nec lucernis diem infringimus?* Quaſi dicat, quemadmodum apud vos, Idololatræ, in morem habetur. Quin & diem ſacrum, lucernis cum primis indictum de more Romanorum aperuit Seneca epiſt. 95. Gentilium ſuperſtitionem irridens: *Accendere aliquam lucernam ſabbatis prohibemus*, inquit, *quoniam nec lu-*
B *mine dii egent, & nec homines quidem delectantur fuligine.* Ab hoc cultu eſt illud Poëtæ Lucretii, ut puto, & eſt apud Stuchium de ſacrificiis.

Tecta lucernantur florentia Numina ſertis.

Lucernari dixit obſoleto verbo Apulejano, pro diſponere, & ordinare lucernas, *florentia Numina ſertis:* tunc nimirum, quando diebus feſtis, idola floribus de more ab idololatris coronabantur. Hinc Jeremias propheta Dei in epiſtola, quam dedit ad illos Iſraëlitas, qui captivi in Babylonem abducendi erant: cavendum ſibi à falſo cultu idolorum apud Babylonios admonet. Et hac occaſione lucernarum
C meminit, dicens Baruch. 6. *Lucernas accendunt illis, & quidem multas, ex quibus nullam videre poſſunt.* Et quidem multas, ait, ob illarum multiplicem numerum: cum tamen Deus optimus maximus ſeptem tantum lucernas in candelabro uno, intra Tabernaculum oleo apparandas juſſerit. Exod. 45. *Facies & lucernas ſeptem, & pones eas ſuper candelabrum, ut luceant ex adverſo.* Et illud idem de numero lucernarum dicit Exod. 38. ubi de operibus, & tabernaculo, opere Beſeleelis completo ſermo eſt. *Fecit & lucernas ſeptem cum emunctoriis ſuis*, inquit textus, *& vaſa, ubi quæ emuncta ſunt, extinguantur.* Quid autem ſibi velit lucere ex adverſo, ſequenti capite
D aperietur.

Prætereundum nequaquam cenſeo, quod ubi Dei cultus ſub Salomone augeri cœpit, lucernarum quoque numerum auctum legimus. 3. Reg. cap. 3. his verbis: *Fecitque Salomon omnia vaſa in domo Domini: Altare aureum & menſam ſuper quam ponerentur panes propoſitionis; & candelabra aurea quinque ad dexteram, & quinque ad ſiniſtram contra oraculum, ex auro puro, & quaſi lilii flores, & lucernas deſuper aureas, & forcipes aureos, &c.* Quod ſi decem candelabrorum aureorum opus, eam ſervavit formam, quam habebat Candelabrum ex Dei præſcripto conſtructum à Moyſe pro tabernaculo, ſeptuaginta jam lucernæ
E in templo Domini ſub Salomone conſtructo, accendendæ fuere; rectius, & ut puto verius, ſeptuaginta ſeptem fuere lucernæ templi Salomonici, tum ſacratioris numeri gratia; tum quia numquam legimus Salomonem conſumpſiſſe, aut vaſa aurea deſtruxiſſe, quæ ex præſcripto Dei confecerat, ac ſacraverat Moyſes: auxit vaſorum numerum, illa minimè diruit. Quamobrem mihi perſuadeo Candelabrum à Moyſe conſtructum, Salomonem repoſuiſſe in templo; huic verò auguſtioris cultus gratia, decem alia à ſe noviter conſtructa addidiſſe; ut ſeptuaginta ſeptem die noctuque arderent lucernæ in templo Dei.

F Hinc lux hauritur loco ex Matth. 22. in quo Petro requirente à Servatore noſtro, quoties ſibi dimittenda foret culpa peccanti in ſe proximo; ſufficeretne ſepties dimiſiſſe? reſpondit Chriſtus: *Non dico tibi ſepties, ſed ſeptuagies ſepties.* ideſt, in infinitum: eſt enim numerus ſeptenarius ſacer, & hieroglyphicum infinitatis; quapropter beati dicuntur *Terque quaterque beati*, ut incomprehenſibilis illorum be-

 atitudo

atitudo indigitetur. Infinitus verò numerus per ſeptenarium ſignificatus, in denarium deinde converſus ſeptuagies, & per denarium multiplicatus, magis infinitus redditur: hoc verò ſignificat ſeptuagies ſepties. Vt igitur indicaret Salomon divinam gloriam in cœlo, quæ in tabernaculo, & templo repræſentabatur, infinitam atque incomprehenſibilem fore, infinita quoque luce frui, qui cum Deo ſine fine in gloria victuri erant, ſeptuagies ſepties in templo repoſuit lucernas.

C A P. VII.

Sacrarum lucernarum forma oſtenditur.

Ad loca Exod. 25. *Facies & lucernas ſeptem, & pones eas ſuper Candelabrum, ut luceant ex adverſo.* Baruch 6. *Lucernas accendunt, & quidem plures quam ſibi ipſis, quarum nullam videre poſſunt, ſunt enim velut trabes in domo.*

FORMAM harum, aliarumque veterum lucernarum cognoſcere, non erit, me judice, injucundum. Inter quæ, lucernam qua quærebatur Oſiris in pompa Iſidis, attendentes; ſub hac forma, illam nobis proponit Apulejus. *Quorum primus,* ſcilicet Antiſtitum, *lucernam præmicantem claro porrigebat lumine, non adeo noſtris illis conſimilem, quæ veſpertinas illuminant epulas: ſed aureum cymbium medio ſui patore flammulam ſuſcitans largiorem.* Et quidem recte. Apulejus ait, hanc Iſidis lucernam, quam deferebat Antiſtitum omnium primus; nec omnino diſſimilem fuiſſe, nec omnino ſimilem illis, quibus more Romano, ac Græco veſpertinæ illuminabantur epulæ. Licet enim iſtarum quoque vas Cymbium appellari poſſet, Cymbæque formam ſervaret, ſi tamen monolychnis lucerna, vel ad ſummum dilychnis fuiſſet; in eo tamen hæ differebant ab ea; quod iſtæ, quibus utebantur in cœnis, penſiles eſſent, ſuis ad trabes catenulis in laquearibus ſuſpenſæ. Quamobrem Poëta Didonis Regiam deſcribens, cum Aeneam ad convivium excepiſſet, ait:

. . . . . . dependent lychni laquearibus aureis
Incenſi, & noctem flammis funalia vincunt.

Sidonius pariter ad eum antiquorum ritum reſpiciens lib. 9. in carmine; quod eſt ad Tonantium ſub epiſtola. 13. dixit:

Petat alta tecta fumus
Veniente nocte: nec non
Numeroſus exigatur
Laquearibus coruſcis
Cameræ in ſuperna lychnus.

Et alter dixit, ut alibi iterum retulimus ex eodem Poëta:

Tecta lucernantur florentia Numina ſertis.

Vt autem ad ſacra nos recipiamus. Licet enim quoties lucerna, aut lychnus ſumitur ab antiquis ſcriptoribus, de penſilibus illi intelligendi ſint. quemadmodum illud Statii lib. 1. Thebaid. occaſione ſacrificiorum.

Aſt alii tenebras, & opacam vincere noctem
Aggreſſi, tendunt auratis vincula lychnis.

Vincula legis tenſa aureis lychnis: candelabrorum autem apud veteres nullus in cœnis vſus. tunc de lucernis penſilibus vincula intellige: è quibus dependebant, tectiſque ſuſpendebantur; *tecta* ille dixit *lucernantur; laquearia* Virgilius, & Sidonius, dixe-

A re; *tendunt vincula*, ait Statius; quia è trabibus ſuſpenſæ, tam in cœnaculis, quam in tectis ordinabantur lucernæ.


Hujus quoque cultus in Idolis, lucernarumque æratarum, quales ſunt, quas expreſſimus, meminit Plinius lib. 34. cap. 3. *Placuere & lychnuchi penſiles*, inquit, *in delubris, aut arborum modo mala ferentia lucentes, qualis eſt in templo Apollinis Palatini, quod Alexander Magnus Thebarum expugnatione captum, in Cyme dicaverat eidem Deo.* Qui lychnuchi ac lucernæ à laquearibus, ac trabibus ſuſpenſæ in templis Idolorum, ſtatuarum facies illuſtrabant.

B Hinc Jeremias in epiſtola, quam ſcripſit ad eos, qui captivi abducendi erant in Babylonem: loquens de lucernis in cultu idolorum accenſis: cum dixiſſet, *lucernas accendunt, & quidem plures quam ſibi ipſis.* habita ratione inſenſibilitatis non minoris in idolis, quam in trabibus lucernariis, quodque lucernæ non magis trabes, quam idola illuſtrabant; nec uni potius, quam alteri uſui erant, ſubintulit: *Quarum nullam videre poſſunt; ſunt enim veluti trabes in domo.*

Tribus vero catenulis ſuſpendebantur hæ lucernæ, ſi fuiſſent dilychnes, vel plurium ellychniorum: quin etiam, cuinam Deo lucerna dicata foret, ad
C tergum earumdem ſculptura, ſive celatura alicujus imaginis, aut hieroglyphici declarabatur. Moveor duabus lucernis æneis perantiquis, quæ Romæ habentur in Muſeo antiquitatis perilluſtris Domini Franciſci Gualdi Patricii Ariminenſis, Equitis ſancti Stephani, & ad familiaritatem Cubiculariam quattuor Summorum Pontificum adſciti, Leonis quidem XI. ad intima cubiculi, Pauli verò V. & Gregorii XV. necnon etiam D. N. Vrbani VIII. ad extima cubiculi familiaris; viri ob plurima monumenta veterum conquiſita, domique ſervata, de re antiquaria optimè meriti. Harum lucernarum altera initia naſcentis Eccleſiæ oſtendit. Chriſti enim charactere inſignita eſt:
D eo nimirum, quod in labaro uſum fuiſſe Conſtantinum, ex nummis antiquis cognovimus. Eſt apud me unum Conſtantis Auguſti, icone ſequenti inſignitum. *Fig. A.*

In cujus labaro Chriſti nomen hieroglyphicè inſculptum cernitur; ut victoriam, quam in re navali potitus fuerat Conſtans, Servatoris ope illam ſe adeptum fateretur. nam Chriſtiani quidem omnes, etiam Latini, à Græcis characteribus mutuatis, per multos annos eiſdem utebantur, ut hieroglyphicè Chriſti Servatoris nomen fidelibus venerandum, atque colendum exhiberent: hoc nimirum quod ☧ primarias Chriſti nominis literas, quæ ſunt χ, & ρ, ſibi vendicat. quo ſanctiſſimo
E nomine galeas, clypeos, ſigna quoque ornaſſe Conſtantinum Magnum, reliquoſque illius ſucceſſores numiſmata plurima, aliaque illius ſæculi antiquiſſima monumenta paſſim teſtantur. quamobrem lucernæ pariter ſacris uſibus deſtinatæ, ſacra illa nota ſignabantur, ad inſtar hujus, quam icone contemplandam proponimus. *Fig. B.*

Nec quemquam admirari oportet, quod Chriſtiani ſuis in Oratoriis, ubi convenire ſolebant, his tunc uterentur lucernis. paulatim enim idololatriæ ritus, qui Fidei non repugnabant, nec doctrinæ, aut majorum inſtitutis; (quod & Paulus in epiſtolis ſæpè docet) à prophano ad ſacrum uſum transferentes,
F noſtri majores expiabant: & quæ apud Idololatras ratione cultus impia erant; pietatem ſacro uſu induebant apud fideles. Alia ejuſdem omnino formæ prophana lucerna dilychnis, teſtatur, quæ de prophanis diximus lucernis; jacentem Venerem à tergo, è regione ellychniorum habet; ut vel Veneri dicata lucerna cenſenda ſit; vel etiam (quod verius exiſtimo) lucer-



lucerna hæc, una ex his fuerit, quarum uſus erat penes proſtitutas in lupanaribus. Mos enim fuit apud Romanos lucernas in lupanaribus accenſas, ad lupanaris notam in fornice ſuſpendere. cujus prophani & laſcivientis ſæculi uſus teſtem habemus antiquiſſimum Tertul. lib. 2. ad Vxorem: ubi de Chriſtiana muliere à peſſimis idololatris pertentata, & ad libidines provocata, ait, *Procedit de janua lacerata*, *& lucernata*, *ut de novo conſiſtorio libidinum publicarum.* Quibus Tertullianus innuit, quantis irritamentis ſanctas Chriſti famulas impii gentiles proſtituere conarentur.

Lucernarum in lupanaribus rationem eruditiſſimus Lipſius lib. 1. elector. cap. 3. eam affert; quod ſub veſpera, & non ante, hora diei nona & ultra, copiam ſui facere proſtitutis mulieribus liceret. Argumento ex his conſuetudinibus ſumpto in Apologet. Tertullian. Idololatrarum ſuperſtitionem in ſacris redarguens; uſum lucernarum accendendarum diebus feſtis in propriis domibus irridens, *Honeſta res*, inquit, *ſolemnitate publica exigente*, *inducere domui tuæ habitum alicujus novi lupanaris.* Hoc autem inclamabat Tertullianus, quia diebus feſtivis, non ſolum in pompa lucernis, lampadibus, tædis, ac facibus utebantur idololatræ; ut ex Apulejo vidimus; verum etiam ſinguli januas, ac ædes, penſilibus lucernis ornabant. hinc à lucernis argumentatur Tertullianus, & ex illorum inſtitutis, inſtituta eorundem reprehendit.

Illarum lupanarium lucernarum unam, hanc fuiſſe à Venere jacente, ac laſciviente, ſumpta conjectura, exiſtimo. in his enim quæ Idolis ſacrabantur lucernis, ſtans idolum conſpiciebatur. Venerem ſtantem, lucerna Veneri ad uſum altaris, ac templi dicata, monſtraſſet; colendam ac venerandam Venerem exhibuiſſet; non verò nudam, non laſcivientem, non jacentem, ad luxuriæ libidiniſque incitamentum Veneris ſimulacrum conſpiceretur. cum igitur in hac noſtra lucerna laſciviens Venus exhibeatur; propterea ad lupanaris uſum hanc conſtitutam lucernam cenſuimus, quam pagina ſequenti *Fig. A.* delineatam exhibemus.

In ſacris verò Oraculis, in quibus verus Dei cultus docetur, candelabra legimus, non penſiles lucernas. *Candelabrum*, ſupple, faciant, *ad luminaria ſuſtentanda*, *vaſa illius & lucernas*, inquit Moyſes Exod. 35.
D quale etiam Græci, Thebis ſuo Apollini dicaverant, arboris formam præferens, ut tradit Plinius lib. 34. cap. 3. quam Candelabri formam à divinis oraculis, Moyſiſque libris, ut puto, emendicaverant. Candelabri enim uſum & formam è cœlo delapſam cognovimus: nam & Verbum ipſum Filium Dei, ambulantem in gloria; cujus typus erat tabernaculum Moſaïcum, ac Templum; in medio ſeptem candelabrorum, ambulaſſe Joannes affirmat; nequaquam verò in medio ſeptem lucernarum. Verum quia candelabra hæc, quæ vidit Joannnes in cœlo; quæque Salomon in Templo à ſe conſtructo repoſuit; quorum unum in tabernaculo erexit ex Dei præ-
E ſcripto Moyſes, ſeptem illuſtrabantur lucernis: harum formam inquirere, pergratum futurum ſpero. quod quidem ſtudium eo gratius, & diligentia eo jocundior, quo obſcurior, quove difficilior.

Nihil de hac re doctiſſimus Ribera lib. 2. de Templ. cap. 12. ubi agit de Candelabro Domini. Torniellus diligentiſſimus ſcriptor ſub annum Mundi 2544. agit de Candelabro. *Cæterum*, *forma lucernarum*, inquit, *quemadmodum & emunctoriorum*, *& vaſorum, item in quibus emuncta extingui abſque ulla maleolentia poſſent*, *neque in Sacris libris*, *neque à Joſepho deſcripta invenitur*; *fortè quia ad formas talium rerum eo tempore uſitatas hæc facta fuerint*; *quales*
F *vero eſſent certo ſciri non poteſt.* Sacer verò textus Exod. 25. ita de his: *Facies & lucernas ſeptem*, *& pones eas ſuper Candelabrum*, *vt luceant ex adverſo.* Ratio difficultatis eſt ob ſitum ellychnii in ipſa lucerna, quæ figuram ſcyphi acuminati, ſeu clarius cymbæ potoriæ cum retineret, nucis nimirum amygdalinæ: in his verò ellychnium, vel in altera extremi-

ta-

tatum haberi, vel in medio ſtatui poſſit: hinc de forma lucernarum ratio dubitandi exurgit. Illa enim, quam omnium Antiſtitum primus deferebat, *aureum erat Cymbium*, inquit Apulejus. Erat autem Cymbium poculi genus, ad modum navigii, non quidem ad navigationem, ſed ad piſcationem accommodati. eſt enim Cymba, unde Cymbium dicitur, navis piſcatoria, ſive tranſitoria, utraque extremitate anguſta, in acutum tantiſper deſinens; cujus medium latius ſeſe aperit. Quod ipſe quoque Apulejus explicuit, dicens: *Sed aureum Cymbium medio ſui patore flammulam ſuſcitans largio-* A *rem.* Itaque hæc lucerna Apulejana, quamvis in extremis ſuis partibus anguſta, & lychnis in his extremitatibus peraccommoda foret: quia tamen ab ea parte nec lychni aderant, nec flamma excitabatur, dilychnis non fuit appellanda; ſed potius monolychnis: quia medio ſui patore, ubi latius expandebatur, flamma ſurgebat: flamma, inquam, largior, largiori lychno parata, largiori fota oleo, propria etiam, ut puto, ſubſtentata baſi, ut & manibus ab Antiſtite deferri, & per ſe ſtare poſſet: ad inſtar poculi, quod Cymbium à veteribus dicebatur. quam lucernam icone *B.* exprimendam duximus.




Non ita lucernæ Candelabri ſancti, quæ licet monolychnæ eſſent, non tamen Ægyptiacæ Iſidis lucernam ex Apulejo imitabantur; quia ſi flammam in illarum medio excitaſſent, fruſtra adderentur illa verba in ſacro textu: *Et pones eas ſuper Candelabrum, ut luceant ex adverſo.* Quorum verborum ſenſus, E ut apertior fiat, afferantur verba ex Hebræo textu: וְהֶעֱלָה אֶת־נֵרֹתֶיהָ וְהֵאִיר עַל עֵבֶר פָּנֶיהָ idest: *Et impones lucernas ejus ſuper Candelabrum, & facies lucere ſuper latus faciei illius.* Cum igitur Candelabrum vnius, ejuſdemque eſſet proſpectus ac formæ, tam ab uno, quam ab alio latere, ſex prodeuntibus ex uno ſtipite ramis ejuſdem omnino operis, quocumque verteris Candelabrum, ejuſdem facies diceretur, ut priore icone paginæ ſequentis patet.

Nam excitata flamma in medio lucernarum, æquè luceret ac micaret Candelabrum ab uno quam ab alio latere, nec facies & tergum illi adſcribi poſſet: quamobrem fruſtra additum à Deo fuiſſet in textu, ad explicandam ſituationem Candelabri, *Et facies lucere lucernas illius ſuper*, ideſt ad latus, verſus quem vertitur *facies illius*, ſupple Candelabri. Excitata igitur flamma in lucernis, facies Candelabri inquirenda remanet.

Paraphraſtes Vatablus: *Vt luceant ad latus faciei ejus*, illum locum interpretatur, & addit, *Hebraiſmus eſt, prout verſus eam partem lumen emittant, ad quam verſum erat Candelabrum.* Vt igitur difficultas tollatur, videndum eſt, quæ dicenda ſit facies Candelabri. id ex forma colligi nequit; quod ea eſſet omnino ſimilis, & æqualis ab utroque latere. Igitur ab ellychnio lucernæ in medio ſtipite conſtitutæ, quæ ſit facies Candelabri, me judice, colligendum eſt. quo enim illud verteretur, Candelabrum faciem vertiſſe, certè dicendum fuit: & reliquæ lucernæ ſuo ellychnio, in eam partem vertendæ erant. Quamobrem *& imponent lucernas, & lucebunt ab una facie*, dixere Sep- F tuaginta in exemplari Vaticano, & rectè quidem: nam illud relativum *illius* noſtri vulgati, quod hebraicè per affixum ־ֶיהָ exprimitur, in illa dictione פָּנֶיהָ, cum ſit generis fœminini, non poteſt referri ad menſam, quæ hebraicè שֻׁלְחָן dicitur, & eſt generis maſculini. Igitur neceſſario refertur ad Candelabrum, quod hebraicè מְנֹרָה dicitur, & eſt generis fœminini.

Cum



Cum igitur facies Candelabri nulla dici queat, niſi illa , verſus quam flamma lucernarum excitatur , ad quam ellychnium converſum conſpicitur; reliquæ quoque lucernæ illò dirigendæ erant , quò medii ſtipitis lucerna dirigebatur: ſicque Candelabri facies , ac lucernarum forma perſpicua fiet , ut Candelabri hic delineati icone conſpicitur. *Fig. A.*



Quod autem monolychnæ eſſent iſtæ lucernæ Candelabri ſancti, apertiſſimo oſtenditur argumento: ſumpto tum à forma amygdalina lucernarum, in quam conſentiunt ſcriptores omnes: tum quia ſi dilychnes fuiſſent lucernæ Candelabri ſancti, nulla appareret diverſitas in lateribus ipſius, atque propterea eadem quæ ſupra rediret difficultas de illis verbis, *ut luceant ex adverſo*, ſive cum Hebræo legamus, *ut luceant ad latus faciei ipſiusmet Candelabri*, quæ omnino ſupervacaneè textus ſacer appoſuiſſet. Quod ne contingat, ea debet retineri forma harum lucernarum; ut ab una tantum parte ellychnium, & flammam admittere valeat; & quo media vertitur ſuis flammis, convertantur & reliquæ Candelabri lucernæ.

Cum verò ex Scripturis ſacris has lucernas fuiſſe amovibiles à Candelabro, manifeſtum ſit: dicitur enim Levit 24. *Ponetque eas*, ſupple lucernas, *Aaron à veſpere uſque in mane coram Domino, cultu rituque perpetuo in generationibus veſtris. Super Candelabrum mundiſſimum ponentur ſemper in conſpectu Domini.* Similiter ex cap. 25. Exodi, in quo agebatur de conſtructione tabernaculi, & illorum quæ ad Dei, ſacrificiorumque cultum pertinebant; certum eſt lucernas ſeorſum à Candelabro fuiſſe conſtruendas. dicitur enim: *Facies & lucernas ſeptem, & pones eas ſuper Candelabrum, ut luceant ex adverſo.* Sic etiam Exod. 27. dicitur: *Et collocabunt eam Aaron, & filii ejus, ut uſque mane luceat coram Domino.* Igitur lucernæ opere ipſo diſtinguebantur à Candelabro; & in Candelabro ſero atque mane collocandæ cum eſſent, amovibiles fuiſſe indubitatum erit.

Forma igitur mobilitati lucernarum peraccommoda inquirenda ſupereſt, ne quid intactum remaneat. Vel enim binis catenulis in unum coeuntibus ſuſpenſa lucerna dimoveri, hinc inde aſportari, collocarique poterat in ipſomet lilio; nam lilia non tantum in ſummitate medii cernebantur ſtipitis; verum etiam in ſingulis conſpiciebantur ramuſculis, atque brachiolis, quæ è medio Candelabri ſtipite erumpebant. nemo igitur eſt, qui non videat catenulis ſuſpenſam lucernam imponi Candelabro, deponique potuiſſe. Eſt apud me lucerna ænea exorientis Eccleſiæ, Spiritui ſancto ſub columbæ ſpecie dicata; ut ex adverſo roſtri lucernæ à tergo conſpicitur; quæ catenulis etiam in ſupera parte aptatis ſuſpenditur: quibus quidem catenulis hic collocari, hinc dimoveri, inde aſportari, ubique appendi poſſe icon ipſa, quam *Fig. B.* paginæ præcedentis dedimus, aperit.

Minimè tamen probamus lucernas Sanctuarii, hujus extitiſſe formæ; quodque ea catenula vel ſimili, ſacro Candelabro ſacræ lucernæ ſuperimponerentur, aut ab eodem dimoverentur. incongruum enim atque periculoſum, me judice, cenſeretur; quod hinc inde penderent catenulæ, dum in Candelabro Dei lucernæ arderent: vereor namque, ne forte niſi ſubmoverentur catenulæ, adeo inflammentur, ut difficiles contactui redderentur; vel etiam caloris virtute, molleſcente auro, minus aptæ fierent ad onus ſubſtentandum, in deponendis atque apparandis lucernis: ac Sacerdos dum lucernas dimovere putaſſet; vel ignito auro catenularum, eas dimovere nequaquam valuiſſet; vel perfractis catenulis, lucernæ, præter fas, ſolum peterent.

Magis verò ad rem facere puto, ſi forma amygdalina in ſacris lucernis retineatur, manubriolumque illis à tergo adſcribatur: non quidem à ſupera parte, ne ad oleum immittendum infundibulis impedimento foret; ſed vel ad latera, vel à tergo, ut diximus. nam ſi manubriola hæc ſacrarum lucernarum annulis quibuſdam appoſitis ad digitos intromittendos deſcripſerimus; vereor ne liliorum folia in ſummis ſtipitibus lucernas excipientia, Sacerdoti collocanti, aut


A lucernam ſemovere volenti, impedimento eſſent. Quamobrem à tergo lucernæ, lamina per modum ligulæ protenſa ſi fuerit, ſimulque ſuaviter erecta, gibboſa curvitate, ut digitis infra poſitis, his ſubſtentata lucerna collocari, atque dimoveri poſſit; peraccommodam hanc extitiſſe formam putarem, & quam ſimilem ad eam, quam quærimus in Dei Sanctuario.

Vidi enim Maceratæ, dum publicè ſacram ibi Theologiam profiterer, in ea forma lucernam æneam antiquiſſimam; quæ fuit quondam Cardinalis de Carpio; utque litteræ & notæ pervetuſtæ inſinuabant, à Julio Cæſare Jovi ſacra jam fuerat. cælaturæ erat veteris admodum inſignis; ut nihil ſupra ex- B cogitari, aut deſiderari poſſet. Nolui propterea poſteros, antiquitatiſque ſtudioſos hujus lucernæ iconem deſiderare: ideò hic ejus lucernæ non ſolum integram delineandam curavimus cælatam iconem; verum etiam ſingulas illius partes, atque latera, ut in illius delineatam formam, perfectæ cælaturæ opus admireris. Erat lucerna hæc ad novem digitos longitudinis extenſa; & tres tantùm in medio latitudinis: opus, ut puto, à quovis excellente Artifice noſtri ſeculi nulla ratione imitabile. totam pag. ſequenti *Fig. A.* delineatam vides.

Inquire *Fig. B.* ejuſdem lucernæ partem ſuperiorem, in qua mira, ac ſubtiliſſima cælandi C arte, mulieres ſacrum Deo Priapo facientes ad ritus ſuperſtitioſos illius ſeculi cernimus, Tripodem, & Gallum gallinaceum, mulierem quoque fere nudam evocantem Numen; alia coronata Numen coronat; ſacerdos alia Gallo gallinaceo jugulato, ſuppoſita, arbitror, patera, ſanguinem recipit; quæ verò capite demiſſo inter brachia, genibuſque poſitis, medio indice ac pollice dextræ, ſiniſtræ pollicem contrectare videtur; ſi divinare liceret, digitum intinctum antea in ſanguine ad conſpergendum idolum, ea ratione comprimere putarem, Numinis propitiandi cauſa. Adſunt in infima parte circuli hæ notæ L. C. I. quid ſibi velint, aliorum judicium eſto, viſo ſchemate, D quod *Fig. B.* delineatum habemus.

Tantiſper lucerna inferius conſtringitur, atque in circulum ovatum proportionatæ formæ ad ſuperiorem deſcendit; ita tamen ut longitudo inferioris ovati, duorum digitorum cum dimidio non excedat quantitatem, latitudo verò vix ad duos pertingat digitos. latera illa, quæ hinc inde lucernam cingunt, cælaturis pariter ornantur, quas *Fig. C.* videbis. clauduntur denique medio in inferiori ovato hæ litteræ C. I. C. I. O. M. S. quæ, ſi fides habenda eſt his qui de notis ſcripſerunt, hanc interpretationem recipiunt: Caji Julii Cæſaris Jovi Opt. Max. Sacrum.

Reliquum eſt, ut ejus latera intueamur, quibus E inferior circulus ſuperiori conjungitur: in his enim lateribus luſus Najadum atque Tritonum fiſtulis, tubis, cithariſque colludentium, conſpicitur, ita ſubtiliter, & excellentiſſimè cuncta expreſſa, atque cælata, ut diligentius multo in ænea iſta cælata conſpiciantur, quam his lineamentis exprimere valeamus. Quia vero ſiniſtrum latus in totius lucernæ icone, delineatum viſitur ſuperius; dextrum pari ratione cælatum intelligere oportet, ut & partes, & tota lucerna conſpici poſſit, nihilque in hac antiquiſſima lucerna deſiderandum remaneat; cujus forma & opus cælaturis nobiliſſimis exornatum, peraccommodum, F & congruentiſſimum cenſeri poteſt ſacris illis lucernis, quarum uſus ex Dei præſcripto erat in Moſayco tabernaculo: dummodo, prophanis indè ſublatis imaginibus, pro his ſacri Seraphini, ac palmæ undique ſculpantur; ad inſtar eorum, quæ Deus in tabernaculo, velamine, & arca ſculpenda mandavit. Lucernæ roſtrum à parte anteriore, ad duorum digitorum longitudinem protenditur, in cujus extrema parte fora-



foramen ad oleum & ad mixum ſufferendi luminis cauſa conſpicitur: præclariſſimis pariter cælaturis, non tam ad latera, quam ſusque deque effigiatum. D

At à tergo illius è regione ellychnii manubrium ad tres uſque digitos extenditur; in quo marina concha duobus Delphinis hinc inde eam complectentibus videbatur: tantaque arte uterque delphinus ad lucernæ ovatum ſuperiorem extendebatur, ut caudis in nodum coeuntibus, extrema earumdem iterum jungerentur, iterumque erumperent, ac foliis & ſiliquis inſimul conglobatis, marinæ conchæ dorſum ita perornarent, ut in extrema parte uvæ botrus tantiſper inclinatus cernatur; quantum ſat eſt, ut conchæ ſuppoſito indice, ac ſuperpoſito pollice, E extremaque manubrii compreſſa, lucerna commodè ſubſtentetur, dimoveatur, hinc inde transferri, atque in Candelabro collocari, quam commodè poſſit.

Diligentius deſcribendam, ac delineandam hanc lucernam cenſui, tum venerandæ antiquitatis gratia, & operis perfectiſſimi, tum etiam ut explicaremus formam lucernarum ſacri Candelabri, quas huic perſimiles arbitramur. has enim aureas dixit Scriptura; optimis quoque cælaturis cælatas fuiſſe, non eſt quod ambigatur; necnon etiam ratione uſus illarum in Candelabro, manubrio perſimili, ad tergum ligula erumpente, neceſſario lucernæ ſacræ affici debebant; F ut liliorum floribus quam optimè adaptarentur.

In tota verò hac lucerna, nullibi foramen aliud viſitur, per quod oleum infundatur, præter id, in quo mixus accenſus erumpit. Religione enim tactos veteres exiſtimo, ut toties in lucernis renovarent mixos, quoties oleum infundebant: ac propterea in his ſacris lucernis uno, eodemque foramine, & ad oleum, & ad mixum fuiſſe uſos. Quod etiam puto de lucernis Candelabri: nam alias infundibula, quæ in ipſis lucernis vidit Zacharias cap. 4. de quibus infra agemus, non adeò neceſſaria putarentur. Si enim in ſuperiora lucernæ ſacræ ſaltem vel uno foramine fuiſſent apertæ, à vaſe oleario anterior erumpens fiſtula, & in arctum deſinens, ad inſtar roſtri, oleo effundendo, atque infundendo ſuffeciſſet; nec infundibulis opus in ſacris fuiſſet Quamobrem non alia de ratione infundibula neceſſaria, me judice, in tabernaculum ad Candelabri uſum putantur; niſi quia unde flamma erumpebat, ad flammæ nutrimentum oleum in lucernas immittebatur. Quæ dicta volo, quouſque meliora alii viderint, quibus & ego ſubſcribam.

CAP. VIII.

Ignis ad accendendas lucernas Candelabri ſancti unde hauſtus oſtenditur.

Ad loca Exod. 35. *Candelabrum ad luminaria ſubſtentanda, vaſa illius, & lucernas, & oleum ad nutrimenta ignium.* Exod. 38. *Fecit & labrum æneum cum baſi ſua de ſpeculis mulierum, quæ excubabant in oſtio tabernaculi.* Et ad alia plura.

AD ignem qui oleo nutriebatur in tabernaculo ex Dei præſcripto, noſtra convertitur oratio. Sic enim Exod. 35. dicitur: *Candelabrum ad luminaria ſubſtentanda, vaſa illius, & lucernas, & oleum ad nutrimenta ignium.* Cum enim ignis natura & vis tota in actione poſita videatur, quapropter inter naturalia agens efficaciſſimum à phyſicis cenſetur, deficiente paſſo in quo ignis agere poſſit, ignem extingui neceſſe eſt. vidimus de oleo, quo ignis nutritur; reliquum eſt cognoſcere undenam primo ſacrum hunc ignem hauſerint homines, quo ſacra fa-

ciente hoſtias cremarent, numen placarent; illoque jam ſibi conciliato, propitium quoque redderent.

Pyrodi cuidam filio Cilicis, primum è ſilice ignem excuſſum tradunt, auctore Plinio lib. 7. cap. 56. Ignis ferula aſſervatus, Prometheo aſcribitur. At nos, qui ſacris initiati ſumus, à Deo & ignem, & uſum illius homines accepiſſe, indubitanter affirmabimus. In Inſula Delo ignem primo inventum fabulati ſunt veteres, ubi Templum præclarum & inſigne Apollini dicatum habebatur. Quamobrem Pyrpilem appellatam eam terram ſcribit Plinius lib. 4. cap. 12. & Solinus cap. 11. Aliter Rhodiginus lib. 7. cap. 20. Ignem delatum primo in Ætoliæ civitatem docuit, quam eo argumento dictam Pyreniam voluit. Sunt ex Græcis, qui in agrum Argivum è cœlo primum delapſum ignem ferant, diuque in Apollinis Lycoctoni Templo ſervatum; quod in Argivo viſebatur foro.

At nos, quibus cum ſacris oraculis ſtandum eſt, tunc primo homines ignem accepiſſe affirmabimus; cum Abel ſtatim à principio orbis naſcentis, ſacrificium Deo optimo max. obtulit. ſic enim communiter Doctores interpretantur verba illa Gen. 3. *Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus; ad Cain autem, & munera ejus non reſpexit.* Et meritò quidem, nam quoties legimus in ſacris oraculis Deum manifeſtare voluiſſe ſacrificium aliquod ſibi gratum eſſe; toties per ignem id feciſſe cognoſcimus. nam 1. Paralip. cap. 21. David ad aream Ornan Jebuſæi Dominum deprecabatur, ut ceſſaret peſtilentiſſima lues, quæ ob peccata illius & populi, in ſubditos ſæviſſimè graſſabatur; quamobrem David erecto Altari obtulit holocauſta ad placandum numen, quod culpa irritaverat; gratum hoc ſibi ſacrificium per ignem Dominus oſtendit. ſic enim legimus: *Et ædificavit ibi Altare Domino, obtulitque holocauſta, & pacifica, & invocavit Dominum, & exaudivit eum in igne de cœlo ſuper Altare holocauſti.* Similiter etiam 2. Paralip. cap. 7. ædificato Templo à Salomone, erectoque Altari, ac impoſitis ſuper eo victimis, igne de cœlo deſcendente, ac victimas devorante, grata ſibi ſacrificia Salomonis, Deus oſtendit. Idem legitur 2. Machab. cap. 2. & 3. Reg. cap. 18. Elia agente de cultu veri Dei cum ſacerdotibus Baal. Cum igitur his in locis, Deus ſibi grata ſacrificia igne de cœlo dato manifeſtaverit; & ſacrificium quoque Abel reſpexiſſe, ſibique gratum fuiſſe affirmetur in ſacris litteris; meritò igne de cœlo dato id factum Doctores arbitrantur: & nos tunc primum ignem allatum ad homines certo affirmabimus.

Caverat autem Deus Levit. 6. ne aliquando ſacer ejus ignis extingueretur. *Ignis autem in Altari meo ſemper ardebit, quem nutriet Sacerdos, ſubjiciens ligna mane per ſingulos dies*, inquit ſacer textus, *& impoſito holocauſto deſuper adolebit adipes pacificorum*, nimirum ad nutriendum ignem diurnum in Altari. Jam enim de veſpertino holocauſto dixerat, *Cremabitur in Altari tota nocte uſque mane: ignis ex eodem altari erit.* tandem concludit, *Ignis eſt iſte perpetuus, qui nunquam deficiet in altari.* Perpetuus igitur ignis dicebatur; non quidem, quod extingui non poſſet; ſed quod perpetuo nutriretur. extinctum tamen legimus aliquando, cum in captivitate Babylonica filii Iſraël deducti fuere. Ignis verò ſacri extinctio prodigioſa, nec non ominoſa putabatur, totique Reipublicæ nefaſta. Quamobrem apud Perſas in funere Regis, cum is diem clauſiſſet extremum, ſacrum quoque apud eos ignem extinguere mos fuit; alias haud quaquam, niſi tum, cum ſubactis ab Alexandro Perſis, totam Aſiam ſacrum ignem extinguere juſſit; quod Hepheſtioni amico pergrato funus ſibi celebrandum foret. ſcribit id Rhodiginus lib. 15. cap. 14. Apolline quoque jubente, ut ſcribit Plutarchus

A in Ariſtide, quicumque ignis per regionem Platæenſium ſacer habebatur, tunc extinctus fuit; cum Græci victores de Perſis, in bello contra Xerxem apud Platæas extitiſſent; cumque jam hoſtium ſpolia in tropæum erexiſſent, gratiasque acturi ob tam inſignem victoriam, Oraculum de ſacro faciendo conſuluiſſent, Pythia reſpondit: *Jovi, in cujus tutela libertas eſt, Aram dicanto: nec prius rem divinam faciunto, quam univerſæ Regionis hujus ignem, quaſi à barbaris violatum extinxeritis. tum purum ex Delphis, velut à communibus laribus accenſum, capiunto.*

Adeò tamen in cultu ignis cæteris Nationibus ſuperſtitioſiores fuere Romani; ut ſi talis ignis, qui B ſacer, ac religioſus habebatur, negligentia Virginis cuſtodientis aliquando extinctus fuiſſet: id inter non minima prodigia habitum, magna ſemper mercede expiatum fuerit: quippe ex eo formido, & non mediocris terror, religioque Senatui, Populoque incuſſa erat: illiſque prodigiis non procuratis, aut Diis non propitiatis, à rebus agendis, gravioribuſque negotiis, haud ſecus abſtinebant; quam ſi dira, tetraque prodigia, ac portenta calamitoſa prædicta forent. Ita Livius lib. 8. Decad. 3. & merito quidem, niſi ſuperſtitione acti, id egiſſent Romani: nec enim minoris portenti ignis ſacri extinctionem Iſraëlitis extitiſſe ſacræ aperiunt litteræ, quem nunquam aliàs in ſacris extinc- C tum cognovimus, niſi cum in captivitate, vel Babylonica, vel Ægyptiaca filii Iſraël retinendi, vel abducendi fuere. Quod ſi ſacro igne filii Iſraël de Ægypto egreſſi caruere; quonam igne Moyſes uſus eſt in die erectionis tabernaculi, cum ſacri Candelabri lucernæ fuere incenſæ? cuinam igni oleum hoc, de quo loquimur, ad nutrimentum fuit? hæc quidem minimè contemnenda ſunt, eaque inveſtigare, atque cognoſcere injocundum non erit; tum ſacrorum oraculorum intelligentia id poſtulante, tum rerum novitate, quæ hanc conſequuntur difficultatem.

Verum ut iſta intelligantur, ac cognoſcantur, D quęramus oportet, quo igne Moyſes ſuper Altare obtulerit ſacrificium pro peccato; necnon etiam holocauſtum, in die erectionis ac conſecrationis tabernaculi, & Sacerdotum. Oblatum quidem primo die erectionis tabernaculi in deſerto fuiſſe ſacrificium, liquet ex verbis Levit. 8. quæ ſic habent: *Qui poſtquam levaverunt ea coram Domino*, ſcilicet hoſtias immolatas, *rurſum ſuſcepta de manu eorum adolevit ſuper Altare holocauſti; eo quod conſecrationis eſſet oblatio in odorem ſuavitatis ſacrificii Domini.* Dicamus Hebraicè: וַיִּקַּח מֹשֶׁה אֹתָם מֵעַל כַּפֵּיהֶם וַיַּקְטֵר הַמִּזְבֵּחָה עַל־הָעֹלָה מִלֻּאִים הֵם לְרֵיחַ נִיחֹחַ אִשֶּׁה הוּא לַיהוָה idest, *& ſumpſit Moyſes illa*, ſupple, ſacrificia mactata, *de manibus eorum*, ſcilicet E Aaronis & filiorum ejus, qui ſacris initiabantur, *& incenſavit altare ad holocauſtum*, ideſt, impoſuit incenſum cum carnibus ſuper altare ad offerendum holocauſtum. & rationem præſcribit, dicens: *Conſecrationis ſunt illa ad ſuaviandum odorem ſacrificii; ignitum eſt illud Domino.* Si ergo ignita erant; hoc eſt combuſta igne, ut clarè aperit dictio אִשֶּׁה, igitur & ignis quoque in Altari allatus fuit. tunc cum ſacrabantur tabernaculum, altaria & utenſilia ſacrificiorum: tunc cum ſacerdotes ſacris initiabantur. dictio enim מִלֻּאִים *millubim*, de ſacerdotali initiatione tantum dicitur; nequaquam verò de tabernaculo, illiuſque utenſilibus, licet omnia tunc conſecrarentur.

F Sacer verò ignis de cœlo à Deo non niſi die octavo conſecrationis immiſſus legitur cap. 9. Levit. cum ex præſcripto Moyſis dies feſtus agebatur à populo. *Facto autem octavo die, vocavit Moyſes Aaron & filios ejus, ac majores natu Iſraël.* & infra in fine capituli: *Apparuitque gloria Domini omni multitudini, & ecce egreſſus ignis à Domino devoravit holocauſtum, & adipes qui erant ſuper altare: quod cum vidiſſent turbæ,*

lau-

laudaverunt Dominum, ruentes in facies ſuas. Affirmat quoque Joſephus lib. 3. antiquit. Judaic. dicens: *Octava autem die feſtum indixit & ſacrificare unumquemque pro facultatibus imperavit; & illi dicto parentes certatim, & ambitioſe victimas offerebant; quibus ſuper aram impoſitis ſubito ſponte ſua ex illis, ignis fulguris in morem emicuit, & inſpectante populo, omnia flamma abſumpſit.* Sacrificia igitur in altari, ſeptem præcedentibus diebus, cœleſti, ac miraculoſo minimè igne abſumpta fuere; & tamen igne ſacrum fiebat, cum non niſi igne ſacrum fieret Deo, & dictio אִשֶּׁה in ſuperiori textu allata, ſacrificium ignitum ſignificans, quod dicimus planè aperit. Igne igitur ſacra cum acta tunc fuerint, & quidem non communi, aut prophano, igitur cœleſti excitato aliqua ratione igne in altari, Moyſen ſacra feciſſe, & Candelabri lucernas incendiſſe arbitramur.

Verum qua ratione Moyſes ſacrum illum ignem excitaverit, hoc opus, hic labor. Dicam quod ſentio breviter; doctiorum virorum erit verius aliquid excogitare. pro more enim veterum ex antiquiſſimo Noë (ſi credimus Joanni Annio) victimæ quæ erant in altari, ſolari abſumebantur igne; ut ſic purum, & non prophanum, cœleſte, & non terrenum ad uſum ſacrificiorum haberetur ignis; non quidem prodigioſus, aut miraculoſus, ſed humana excitatus induſtria; quam à Diis accepiſſe homines profitebantur. & ne videamur ſomnia narrare, ritus excitandi ignes ſacros requirantur. Etenim ſi ſermo de igne ſit, qui à Veſtalibus Romæ religioſo cultu aſſervabatur; ejus ſuſcitandi rationem ſcribit Alexander ab Alexandro lib. 5. cap. 12. in hunc modum: *Vas æneum pellucidum trium angulorum ad Solis jubar objiciebant, ita ut undique accenſum in orbem coiret; illudque uſque adeò diverberaret, donec conceptum ignem arida materia clibano in ædem ferret.* Et ubi audis vas æneum pellucidum trium angulorum, cave ne putes externam ſuperficiem, convexamque formam vaſis triangularem fuiſſe. de interna id accipe concavitate, hæc enim diſpoſita per modum ſpeculi, aptaque ad radios concipiendos, ſoli expoſita, ignem excitabat. duplici enim calore calefacto aëre, vaſis nimirum radiorum ſolis ex directo, necnon etiam calore, qui è reflexu radiorum à tribus faciebus vaſis ſpecularii concipiebatur; ubi radii conveniſſent, adeò inflammabatur aër, ut arida materia ei appoſita, ignique concipiendo apta, illicò igneſceret. Speculorum ſive vitreorum, ſive alterius cujuſcumque materiæ, forma concava in orbem digeſta, ſive triangulari forma diſpoſitorum, ignem accendi tradit Plinius lib. 2. cap. 107. quotidieque experimur. Hunc igitur ignem ex Solis jubare conceptum, veluti ſacrum, ac religioſum, Romani colebant. Quia verò Juppiter aliquando hominibus iratus ignem abſtulit, Prometheum Minervæ auxilio in cœlum aſcendiſſe fabulabantur veteres; & ferula ad Solis currum admota, ignem rurſus in terras detuliſſe affirmabant. Quod Horatius in primo carminum explicuit, dicens:

Audax Japeti genus
Ignem fraude mala gentibus intulit,
Poſt ignem ætheria domo
Subductum, &c.

Ea fortaſſe de ratione ita fabulabantur; quod ſua ſapientia & ingenio Prometheus ignis concipiendi artem, ſpeculis ad Solis jubar oppoſitis, primus excogitaverit: cujus rei veritas ſuos penes auctores maneat.

Ut verò à fabulis ad veriora, eaque ſacra, nos transferamus: artem concipiendi ignis per ſpeculum ex radiis ſolaribus ad uſum ſacrum, Frater Joannes An-

A nius Viterbienſis in ſuis ad Beroſum Commentariis Noë adſcribit; quin & ad Chriſti Eccleſiam inde ex veteri ritu deductam tradit. ut, licet modo ex ritu Romanæ Eccleſiæ, ex ſilice tantum liceat novum ignem in Sabbato ſancto excitare, antiquitus tamen quotannis ſolis ſpeculis in Sabbato ſancto novus ignis accenderetur. Sic enim lib. de cognomin. ſcribit: *Chriſtianis eadem Religio eſt,* nimirum ſacrum ſervandi ignem, *qui uti Noa appoſito cryſtallo, vel phiala aquæ plena, radio ſolari, ignem cœleſtem ex parte oppoſita conceptum, uti ſacrum in Sabbato ſancto excipiunt, & ex eo ignem accendunt, quem ſacrant & ex eo cereos accendunt, & jugem pro toto anno lampadem*
B *ante corpus ſanctiſſimum Chriſti nutriunt. Quod jam fermè quinquaginta annis in hoc Templo ſanctæ Mariæ ad gradus, & Conventu meo Viterbienſi obſervatum vidi, & à majoribus traditum audivi.* Nec præterire licet, ritum hunc excitandi ignem à Chriſtianis, tempore quoque annuali, quodammodo cum Idololatriæ ritibus conveniſſe. Quod enim nos in plenilunio Martii ex inſtituto Eccleſiæ agimus, in memoriam igneæ columnæ, qua filii Iſraël ducebantur per deſertum; illi Calendis Martii ſuperſtitiosè in Veſtæ honorem, quotannis novum ignem excitari curabant; Ovid. lib. 3 Faſtorum auctore, ſic dicente:

C *Adde quod arcana fieri novus ignis in æde*
Dicitur, & vires flamma referta capit.

Lux hinc hauritur difficillimo ſacrarum Scripturarum loco Exod. 38. ſermo eſt ibi de vaſe æneo, quod ex præſcripto Moyſis, fudit Beſeleel, & ad ſervandam aquam paravit in ablutione pedum Sacerdotum; quoties ingreſſuri eſſent tectum fœderis, ut incenſum Domino offerrent. *Fecit & labrum æneum cum baſi ſua de ſpeculis mulierum, quæ excubabant in oſtio tabernaculi,* inquit ſacer textus. Nunc qua ratione intelligatur, illud *excubabant,* parum noſtra intereſt, ſive dixeris cum aliquibus, *quæ militabant,* ideſt, deſerviebant tabernaculo, ſive cum aliis, *quæ*
D *miniſtrabant, orabant, &c.* nihil ad nos. In eo ſita eſt difficultas, qua ratione fieri potuerit labrum hoc æneum de ſpeculis mulierum, quæ ad oſtium tabernaculi excubabant; cum labrum, & vas iſtud æneum, antequam erigeretur tabernaculum, una cum reliquis utenſilibus ad Dei cultum ſpectantibus factum fuiſſe, ex ſacris perſpicuum ſit litteris; & ratio manifeſta ex oraculis petita id ſuadeat? niſi aliud quodpiam tabernaculum comminiſci velimus, cui ſacræ contradicant litteræ. Quonam igitur pacto fieri potuit, ut ex æneis ſpeculis mulierum, quæ vigilabant & orabant, & Deo inſerviebant ad oſtium Tabernaculi, nondum erecti, vas illud ad ſervandam
E aquam conſtructum fuerit? equidem rationi id repugnare, res eſt manifeſta.

Vera ut agnoſcamus, hebraica lectio adferatur, intelligentiaque requiratur וַיַּעַשׂ אֵת הַכִּיּוֹר נְחֹשֶׁת וְאֵת כַּנּוֹ נְחֹשֶׁת בְּמַרְאֹת הַצֹּבְאֹת אֲשֶׁר צָבְאוּ פֶּתַח אֹהֶל מוֹעֵד id eſt, *& fecit labrum æneum, & baſim illius æneam cum ſpeculis militantium mulierum, quæ militaverunt ad portam tabernaculi teſtimonii.* Ubi notandum eſt verbum צָבָא *zabhah,* quod ſignificat exercere ſe more militari: quia verò juxta naturam hujus vocis, & phraſim linguæ ſanctæ, ingredi in militiam, eſt ſacris rebus operam dare; egredi verò ad militiam, eſt arma capere: ea propter de rebus ſacris hic ſermonem haberi, deque mu-
F lieribus, quæ divino cultui ſe mancipabant, res eſt aperta. Quamobrem Græca exemplaria jejunii meminere, & ſic habent: *ἐκ τῶν κατόπτρων τῶν νηστευσασῶν αἳ ἐνήστευσαν,* ideſt, *ex ſpeculis jejunantium mulierum, quæ jejunaverunt* ad portam tabernaculi Teſtimonii. Textus quoque hebraicus loquitur in præterito צָבְאוּ *militarunt* ad portam tabernaculi Teſtimonii. Urget adhuc difficultas, in ſyrtibuſque hæſimus: nondum

erectum fuerat Tabernaculum, quando fuſa fuit concha ænea in uſum ablutionis pedum Sacerdotalium; non igitur vas illud ex ære illarum mulierum, quæ oraverant, ac vigilaverant, & jejunaverant ad portam Tabernaculi teſtimonii, vas illud fundi, fierique potuit.

Verum è ſyrtibus noſtra carina ſurget, feliciſſimeque adnavigabit, ſi attenderimus ad quid ſpecula hæc ſuper baſim & concham à Moyſe appoſita fuerint; miſſiſque ſomniis Rabbinorum de ſpeculis vitreis, aut aliorum auctorum de ſpeculis æneis, voti cauſa, ratione, nimirum, muliebris mundi contemptus, labro æneo appenſis, quæ omnia irridenda ſunt potius certè, quam admittenda. Cur nam, precor, ſpecula potius quam torques? quam monilia? quam reliqua pretioſiora? nihil certè ad rem, me judice, ſpecula faciunt: ſcopus ab his non attingitur: attingetur ex phraſi hebraica allati jam loci, & vi verborum linguæ ſanctæ; illam enim dictionem בְּמַרְאֹת *bemaroth*, quam aliqui *in ſpeculis* interpretantur, alii *de ſpeculis*, alii *ex ſpeculis*, ego potius interpretandam reor *cum ſpeculis*. adeo ut littera ב *beth* præpoſita illi dictioni מַרְאֹת *maroth* quòd præpoſitionis vim obtineat, valeat *cum* Latinorum, ſicuti aliàs in ſacris litteris valere certo ſciri poteſt: videant qui cupiunt Theſaurum linguæ ſanctæ Sanctis Pagnini, Arcam Noë, & alios auctores Dictionariorum, & quod dicimus apertè cognoſcent. Senſus igitur illius loci talis, me judice, erit: *Fecit*, ſupple Beſeleel, *concham æneam, & baſim æneam cum ſpeculis mulierum, quæ exercebant ſe ad portam tabernaculi Teſtimonii.* Non igitur concha illa fuit facta ex ære illorum ſpeculorum; ſed fuſa jam concha ex ære oblato à filiis Iſraël, prout dicitur Exod. 35. ſuper baſim illius ac concham, ſpecula illarum mulierum ſuperpoſita fuere; quæ religionis cauſa in die erectionis Tabernaculi, & per integros ſeptem dies, jejuniis orationibuſque, tabernaculi ac miniſtrorum conſecrationem proſequebantur. Nunc ratio eſt aperta, cur exemplaria Græca nonnulla, ad ea quæ jam poſuimus ſupra, addant ἐν ᾗ ἡμέρᾳ ἔπηξεν αὐτήν, *in quo die erexit illud;* quæ nequaquam ſuperfluè addita ſunt, ut dicebat Eugubinus in recognitionibus, ſed neceſſariò ad textus intelligentiam: & ſenſus eſt, tunc impoſita illa ſpecula ſuper baſim, & concham illam æneam fuiſſe à Moyſe, quando erectum Tabernaculum fuit; eo die, & non antea.

Specula verò iſta non fruſtra ſuper baſim, & concham æneam adaptata fuere, ſed ut in altari ſolaribus radiis ignis excitaretur. Ea enim de ratione, & non fruſtra concham hanc inter Tabernaculum atque Altare à Moyſe in recta linea, ac debita diſtantia collocatam legimus; cum tamen in Templo Salomonis, quando jam filii Iſraël ſacrum ignem receperant, atque cuſtodierant, nec in recta linea, nec inter Templum & Altare holocauſti, ſed inter Altare, & portam atrii in angulo, labrum hoc, quod mare æneum appellatur, locatum fuiſſe legamus. In tabernaculi autem erectione, concha excipiens orientem ſolem reſpiciebat Altare; & in eo latere conchæ mulierum orantium ſpecula, ut arbitror, diſpoſita ad varios angulos fuere; ut ſolis radios excipiendo, eoſdemque coeuntes reflectendo ad Altare, materia igni excipiendo diſpoſita, ad conſumendum ſacrificium accenderetur; atque ita primo die erectionis Tabernaculi excitari ad uſum ſacrorum ignis potuit. Nec mirum videri debet, nam alias quoque in Scripturis ſacris ſolaribus radiis ignem excitatum legimus in 2. Machab. licet miraculosè, non ſpeculorum induſtria. Illo igitur igne induſtria Moyſis ſic excitato in Altari celebrata fuit conſecratio Tabernaculi, & Sacerdotum, per ſeptem continuos dies, quouſque die octava, ignis de cœlo deſcendit. quamobrem eodem

A uſum fuiſſe Moyſen igne primis ſeptem diebus ad uſum Candelabri, indubitatum erit.

Poſtquam verò ignis de cœlo, in die octavo conſecrationis Tabernaculi & Sacerdotum deſcendit, ut dicitur Levit. 9. & adfuit ignis miraculosè datus, præceptumque de igne illo perpetuo in Altari per manus Sacerdotum nutriendo; tunc & lucernas Candelabri, igne, qui deſcenderat de cœlo, accenſas fuiſſe reor: non enim licuit Sacerdotibus inferre alium ignem in tabernaculo, quam qui de cœlo deſcenderat, ut ex cap. 10. lib. Levit. in morte filiorum Aaron perſpicuum eſt: quorum acerbiſſimus caſus ex dictis illuſtratur; quidque ignis alieni intelligatur B nomine oſtenditur, ſacro affirmante textu, Nadab, & Abiu ignem alienum obtuliſſe Domino; quæ dum audis, cave ne prophanum ignem, hos tunc initiatos ſacerdotes, in Tabernaculum fœderis immiſiſſe putes; non enim tale quid dicitur in ſacro textu, ſed ignem alienum eos obtuliſſe: ignis verò alieni nomine, is ignis ſignificatur, qui excitatus ſolaribus radiis & ſpeculis, per ſeptem antecedentes dies in uſu ſacrorum, & incenſi deſervierat: propterea additur in textu, *Obtulerunt ignem alienum, quod eis præceptum non fuerat*, ideſt, illo igne uſi ſunt ad cremandum incenſum, qui quamvis ad ſacra fuiſſet, totis præcedentibus diebus; qua de cauſa fortaſſe Nadab & C Abiu licitè in uſum incenſi eo igne uti poſſe exiſtimarunt; illo tamen uti fas non erat; cum de eo nutriendo, tamquam ſacro, nequaquam lata fuiſſet à Domino lex, quam certè de igne ſolummodo, quem è cœlo immiſerat, latam fuiſſe conſtat. Quamobrem hoc, & non illo Nadab & Abiu in offerendo incenſo uti debuiſſent.

Quod ſi quando ſacrum hunc ignem è cœlo allatum in Iſraël extingui contigiſſet; vel eo Iſraëlitæ indiguiſſent ad ſacra; orationibus tantum, & non alia ratione illum excitare conabantur. Extinctus jacuerat ignis in puteo, cum filii Iſraël ducti fuerunt in captivitate Babylonica; ut legitur 2. Machab. 1. ora- D tionibus excitatus eſt. Indiguit igne ſacro David, 1. Paralip. cap. 21. in Area Ornan Jebuſei, ubi erecto altari ad placandum Numen iratum, illud idem hoſtiis oneraverat, ignem alienum verebatur apponere; deprecabatur Dominum, *& exaudivit eum in igne de cœlo ſuper Altare holocauſti*, ſacer inquit textus. Quin etiam 2. Paralip. cap. 7. quamvis adhuc apud Iſraëlitas ſervaretur, ut diximus, ignis è cœlo allatus in conſecratione Tabernaculi; tamen ut novo Templo omni magnificentia à Salomone extructo, novus etiam de cœlo ignis concederetur, *Cumque compleſſet Salomon*, inquit textus, *fundens preces, ignis deſcendit de cœlo, & devoravit holocauſta,* E *& victimas.* Similiter 3. Reg. cap. 18. de cultu veri Dei Elia cum ſacerdotibus Baal diſceptante, & extructo altari, impoſitiſque hoſtiis cùm igne indigeret, eo orante, *cecidit ignis Domini*, ait textus, *& voravit holocauſtum, & ligna, & lapides, pulverem quoque, & aquam, quæ erat in aquæductu lambens*, ut nulli jam omnino foret uſui, humana induſtria, ad ignem ſacrum; ſed ſanctitas omnis ignis ad ſacra facienda, è cœlo, & à Deo hauriretur.

CAP. IX.

F
Sacri ignis cultus, & Religio explicatur.

Ad loca Levit. 6. *Ignis in Altari ſemper ardebit, quem nutriet Sacerdos, ſubjiciens ligna mane per ſingulos dies. Et impoſito holocauſto deſuper adolebit adipes pacificorum: ignis eſt iſte qui nunquam deficiet in altari.* Exod. 27. *Ut ardeat lucerna ſemper in tabernaculo teſtimonii extra velum, quod oppan-*

oppanſum eſt teſtimonio, & collocabunt eam Aaron & filii ejus, ut uſque mane luceat coram Domino. A
Et ad alia plura.

OBLATO à populo oleo, lucernis & unguento uſui futuro, jubebat Deus lucernarum ſacrum ignem perpetuo nutriri: reliquum eſt igitur ſacri hujus ignis religionem, cultum, venerationemque aperire. Nec enim ab hac πυρολατρείᾳ Græci alieni fuere; quin potius ſub nomine Ἡφαίϛȣ, non carbones ignis, ſed ejuſdem flammam, ut puto, venerabantur. nam ἀπὸ τῆς ἑϛίας, ſi more Græco voci ἑϛία adjungatur præpoſitio ἀπὸ, & mutata π in φ, juxta regulas linguæ Græcæ ob ſuccedentem vocalem B
aſpiratam, fiet ἥφαιϛος, *flamma*, cum *focus* ἑϛία appelletur à Græcis, ſub utroque nomine ignem colentibus.

Elementorum enim omnium nobiliſſimum ignem cenſuerunt omnes. Quamobrem licet Peripatetici tantummodo locum ſuperiorem reliquis elementis igni attribuerint; vicinum nimirum, ac conjunctiſſimum cœlo; quod ipſi quintam quandam eſſentiam rerum corporalium fore voluerunt: Pythagorei tamen medium locum totius Orbis veluti honorabiliorem, non terræ, ſed igni adſcribebant, teſte Ariſtotele lib. 2. de cœlo, cap. 13. Quin etiam tantum divinitatis igni tribuere Pythagorei; ut Jovis carcerem, C
ignem dicerent. *Amplius autem Pythagorei quidem*, inquit Ariſtot. *propterea quod maximè convenit id ſervari, quod eſt principaliſſimum ipſius univerſi: medium autem eſſe tale, (quem Jovis carcerem nominant) hanc habere regionem ignem dixerunt.* ut enim recentiores nonnulli cum Keplero aſſeruere; nullum alium ignem agnovere Pythagorei, niſi Solis ſphæram, quam in mundi medio collocantes, hanc ignis ſedem decernebant. Verum de his non eſt nunc nobis diſſertatio, nec à decretis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ nobis ad latitudinem unguis recedendum erit: ſuos apud auctores doctrinæ illius veritas remaneat. Sufficiat nobis nobilitatem, cultumque ignis ex Pythagoreis agnoviſſe. D

Chaldæi quoque & Aſſyrii ignem coluerunt ſub nomine Vr. Eſt enim nunc אור ſive אוּר hebræo vocabulo (cui proxima & affinia ſunt Chaldæa nomina) *lumen*, *lux*, idem quod *illuſtratio* penes Latinos. Quamobrem quod in ſacris Scripturis legimus, liberatum Abraham de Vr Chaldæorum; communi conſenſu ſacrorum interpretum, intelligitur de liberatione Abrahæ à fornace, & igne, in quem Chaldæi de igne divina ſentientes, illum nolentem ignis divinitatem comprobare, injecerunt. Perſæ quoque ignem putabant Deum, & אוֹרְמִזְדָּה illum appellabant. Sive ut corruptè dicitur, *Vrimaſda*, quod ignem E
ſanctum ſignificat: cui tantum Divinitatis tribuerunt, ut ſacrificiis colere non vererentur, vota quoque eidem nuncupantes, ac religiosè ſolventes. ſcribit id Herodotus in Thalia, Alexander ab Alexandro lib. 6. cap. 4. & 26. repetit Tiraquellus comment. de nobilitate cap. 31. num. 18. addit quoque Rhodiginus lib. 15. cap. 15. hiſtoria proditum, Darium Regem Perſarum cum Ducibus, propriiſque familiaribus agmina in armis ſtantia circuiſſe, Solem, & Martem, ſacrumque, & æternum ignem comprecatum, ut illis dignam, vetere memoria, fortitudinem inſpirarent. de quo etiam Procopius lib. 2. ubi de bello Perſico, ait: *Hic magnum Pyreum eſt,* F
quod Perſæ Deorum Maximum venerantur, ubi ignem perpetuum cuſtodiunt Magi; ac alia quidem diligenter ſacrificantes cum vaticinio in rebus maximis utuntur.

Perſis, Chaldæis, atque Aſſyriis, in cultu ignis, conſenſerunt Magi, teſte eodem Herodoto: Magorum verò nomine vereor ego, ne illi accipiendi ſint, qui Magoam regionem habitarunt; & Magi apud hos auctores ſint iidem, qui populi Magoæ dicebantur: ut optimè Baronius etiam ſenſit, de his qui Chriſtum adoraturi infantulum, Bethleemiticum ſtabulum adierunt; nequaquam verò Magorum nomine, ſapientes in his hiſtoriis intelligendos reor: ne quod de gente, & regione ſcribitur, hominum conditioni, paucisque tribuatur; præſertim cum de religione in his agatur. his quoque conſenſerunt Ægyptii auctoribus Porphyrio lib. de abſtin. carn. & Euſebio lib. 3. præp Evang. cap. 2. Et hunc fuiſſe putant nonnulli, Ægyptiorum numen, ſub nomine SERAPH veneratum; quem Latini corrupto vocabulo Serapidem appellarunt. Eſt enim Seraph vox à שׂרף *ſaraph* dictione hebraica, cui affinis eſt, ut diximus, Chaldæum, Aegyptiacumque idioma. vox verò illa *ardere*, atque *comburere* ſignificat; ut propterea non male Serapidis nomine ignem cultum conjectari liceat. *Ignem verò præcipuum*, ſupple Deum, *Aegyptii dixerunt*, inquit Alexander ab Alexandro & tam religiosè coluerunt, ut cremare corpora nefas ducerent; ne contagio cadaveris Deorum maximum violarent: cujus rei fides ſuos apud auctores remaneat. At ubi alii ſaniora ſentire videbantur, animatum ignem dixerunt: quam opinionem Aegyptiis tribuit Herodot. lib. 3. nec propterea opinio de divinitate ignis ex hoc deſtruitur. Deos enim cum animatos putarent, id quoque de igne crediderunt; eo ducti argumento, quod moveretur à ſeipſo; quod voces nonnullas ederet aliquando, ac ſic loqueretur; quod moriturus, & clamet, & quantum fieri poteſt mori reluctetur: tia Lucius Flori filius apud Plutarchum Sympoſ. 7. q. 4. ſub his verbis: ȣ̓δὲν γὰρ ἄλλο μᾶλλον ἐμψύχῳ προσέοικεν, ἢ πῦρ κινούμενόν τε καὶ τρεφόμενον, δι' ἑαυτȣ̃, καὶ τῇ λαμπρότητι δηλοῦν ὥσπερ ἡ ψυχὴ, καὶ σαφηνίζον ἅπαντα. μάλιϛα δὲ ταῖς σβέσεσιν αὐτȣ̃, καὶ φθοραῖς ἐμφαίνεται δύναμις ȣ̓κ ἀμαροῦσα ζωτικῆς ἀρχῆς, βοᾷ γὰρ καὶ φθέγγεται, καὶ ἀμύνεται, καθάπερ ἔμψυχον ἀποθνῆσκον βίᾳ, καὶ φονευόμενον. hoc eſt, *Nihil enim magis animato ſimile eſt, quam ignis, movetur enim & nutritur per ſeipſum, ſuoque ſplendore manifeſtat, quemadmodum anima, & aperit omnia: maximè autem vim non expertem vitalis principii oſtendit, dum extinguitur, ac perit: voces enim emittit & reluctatur, quemadmodum animatum moriens, & vi necatum.* Verum in ſapientia deſipiebant iſti, nec advertebant, ut video, ignis divinitatem deſtruxiſſe, dum mortalem ignem dicebant.

Conſentiebant his, qui ignem animatum putabant, alii qui lucernam inextinctam relinquendam docebant, apud eundem Plutarchum ibidem: ne hi qui hominem interficere, ac naturæ jura violare nequaquam verebantur, animal occidiſſe viderentur, dum lucernam extinxiſſent. Quod enim religiosè ex præſcripto Dei in cultu ignis ſacri Iſraëlitæ ſervabant; cum quocumque igne, à religione & cultu Dei, Gentes ſuperſtitionibus addictæ, ſervandum duxerunt. Præceperat quidem Deus Levit. 6. Sacerdotem ſingulo quoque mane mundare altare holocauſti; ſublato ab eo quicquid cineris, aut carbonum ex nocturno holocauſto remanſiſſet: & *efferet eos extra caſtra, & in loco mundiſſimo uſque ad favillam conſumi faciet*, inquit ſacer textus. Quamobrem non licebat Sacerdoti extinguere carbones ignitos, qui ſuperfuiſſent de nocturno ſacrificio; ſed ſublatos de altari carbones expectare jubebatur, quouſque conſumerentur. Id gentes idola colentes, ſacra verò nequaquam cognoſcentes, cum omni igne faciendum voluere: auctorem habemus Cæſernium apud Plutarch. loco citato, cujus ſententiam his verbis refert ille: καὶ ὁ μὲν γαμβρὸς αὐτȣ̃ Καισέρνιος ᾤετο τῇ πρὸς τὸ ἄσβεϛον, καὶ ἱερὸν πῦρ. συγγενείᾳ παντὸς φθορὰν πυρὸς ἀφοσιοῦσθαι τοὺς πρεσβυτέρους. ideſt, *& Cæſernius*

qui-

quidem, qui erat Flori gener, ſenſit illud inextinctum, A ſupple ſervandum, *quia antiqui propter cognationem ad ignem ſacrum, omnis ignis interitum abominati ſunt.* Quamobrem dum nimia religione arctantur; in ſuperſtitionem prolabuntur: ignem animatum faciunt; divinitate eumdem donant; & in Deorum numero primas quoque eidem dare non verentur.

Somnia hæc miſſa faciamus. ignem anima, aut divinitate donare, nobis Religio ſit inanimem puramque creaturam corpoream. ignem affirmamus à Deo, tam ſingulare donum ad hominum tantum uſum eiſdem tributum, ad immortalitatis argumentum, quia ignis è cœlo eſt: ad homines & materialia purificanda hominibus conceſſum, ut dicit Jambli- B chus in lib. de myſter. in cap. de ratione ſacrif. *Noſter ignis*, inquit, *actionem divini ignis imitans, quicquid materiale reperit, in ſacrificio, deſtruit, & admota purificat, & à vinculis materiæ ſolvit, ac propter naturæ puritatem ad Deorum communionem idonea facit.* hæc ille de igne, cujus natura quoniam mobilis eſt, & ſurſum nititur, vitæ continet rationem. Cæteris namque ab homine animalibus, cum tota ſint mortalia, tantummodo aquæ uſus conceditur, quod eſt elementum corporale, atque terrenum; cujus natura licet mobilis ſit, quia tamen deorſum vergit, mortis figuram oſtendit; quia verò nec cœlum pecudes ſuſpiciunt, nec religionem ſentiunt; ab his ignis uſus alienus eſt. C

Videbatur ſiquidem tanta religione in cultu ignis tactos fuiſſe veteres, ut ſpem omnem ſalutis in ſummis rerum diſcriminibus, in eo omnino collocarent. nam Perſæ cum ad bella procederent, & progredi jam cœpiſſet agmen; ignem, quem ipſi ſacrum, æternumque vocabant, argenteis altaribus præferebant: ſicuti etiam Vates in prima Græcorum acie ſtabat, quem ipſi *pyrophorum* vocabant: ut ſcribit Rhodiginus lib. 8. cap. 2. à ferendo igne ſic appellatus: quemadmodum vocabuli vis aperit; quod lampadem nimirum præferret, dixit Suidas. itaque manum cum hoſte conſerere, igne non ante perlato, nefas illis erat; ſicuti etiam pyrophorum, jure belli, D violaſſe ſummum ſcelus cenſebatur. Perſarum ignem ſacrum, inſequebantur Magi; ad numerum verò dierum anni, trecenti ſexaginta quinque juvenes, puniceis veſtiti amiculis, Magos comitabantur, ſive ſequebantur: non alia de cauſa, aut ratione, niſi ſacri ignis gratia, quem propitium habere contendebant. A quo etiam cultu ignis in bello, licet ſub alia ratione, Hebræos alienos minimè extitiſſe, ſacræ manifeſtant litteræ: nam & ipſos cum hoſte congreſſuros, ignem ſacrum ſecum deferre conſueviſſe textus 1. Reg. cap. 7. declarat: *Factum eſt autem cum Samuel offerret holocauſtum, Philiſthiim inire prælium contra Iſraël*, inquit textus. Cum igitur in initio E certaminis holocauſtum offerretur; quod non niſi ſacro igne licebat offerri; ſacrum quoque ignem caſtra apud Iſraëlitas præceſſiſſe affirmandum erit. quod idem cap. 13. contigiſſe novimus, cum Saul prælium cum Philiſtæis initurus, ſacris Dominum placare præter fas conabatur; ſacra verò fieri abſque ſacro igne, lege ſub mortis pœna vetitum erat.

Quam verò ſuperſtitiosè apud Gentes omnes ignis coleretur: Græcorum Prytanea, Latinorum Veſtales, ac Veſtæ templa indigitant. non enim uno, aut altero tantum Prytaneo Græci fuere contenti; ni plura, eaque magnificentiſſima excitaſſent. nam & de Syracuſano Prytaneo meminit noſter Tullius contra F Verrem: *Altera autem Vrbs Syracuſis*, inquit, *cui nomen Achradina eſt, in qua forum maximum, pulcherrimæ Porticus, ornatiſſimum Prytaneum.* D. Chryſoſtomus orat. quinquag. inter ſanctiora loca Græcarum Vrbium, Prytanei meminit, dicens: ἀγορὰν, πρυτανεῖον, βουλευτήριον, καὶ τὰ ἄλλα ἱερὰ, ideſt, *plateam, Prytaneum, Senatorium, & alia templa.* Fuit & Corinthi Prytaneum, fuit Epheſi, fuit Rhodi, fuit Mileſio, quorum meminit Ariſt. in Polit. Fuere & alia plura Prytanea à doctiſſimo Cauſabon. in Comment. ad Athen. lib. 15. cap. 19. recenſita. Prytanea verò nil aliud, niſi templa æterno igni dicata erant. dicebantur autem Prytanea ἀπὸ τοῦ πυρὸς, καὶ ταμεῖον, ideſt, *ab igne, & perpetuitate*; quaſi dicas, ignis perpetuus, continuatus, conſervatus in lampade, aut in altari, quem defeciſſe aliquando ominoſum putabatur: & propterea inextinctum ſervare illum ſummopere veteres cavebant. Hinc hujus ignis reverentia Dionyſius Junior Siciliæ Tyrannus in Tarentinorum Prytaneo Candelabrum penſilem, perpetuo igni dicavit; tot lucernis compactum, quot anni unius dies eſſent. Ταραντίνοις ἐς τὸ πρυτανεῖον ἀναθεῖναι λυχνεῖον δυνάμενον καίειν τοσούτους λύχνους, ὅσος ὁ τῶν ἡμερῶν ἐστιν ἀριθμὸς εἰς τὸν ἐνιαυτὸν, inquit Athen. lib. 15. cap. 19. ut omnino inextinguibilis, ignis ille, tot lucernis alitus, permaneret.

Is eſt ille ignis, quem ſub nomine Veſtæ tanta religione Romani colebant, ut Alethes apud Virg. lib. 9. nullo majori ſacramento ſemet devinxerit Euryalo, atque Niſo, quam Veſtæ divinitate, dicens:

> . . . . . *Per magnos Niſe penates,*
> *Aſſaracique larem, & canæ penetralia Veſtæ*
> *Obteſtor.* . . . . .

Nec immerito quidem, cum ab hoc numine factum fuerit, ut ἀνέστιος pro impio acciperetur, & injuſto à Græcis, qui nimirum tamquam execrabilis incertis ſedibus vagabatur: quaſi talis cenſendus videretur, qui Veſtæ numen non coleret. in tanto quidem cultu habitum hoc numen, ut dicat Pauſan. lib. 5. Θύουσι δὲ Ἑστίᾳ μὲν πρώτῃ, δευτέρῳ δὲ Ὀλυμπίῳ Διΐ. hoc eſt, *Sacrificant quidem Veſtæ primum, deinde verò cœleſti Jovi.* quod, nimirum, Deorum omnium antiquiſſimam putarent Veſtam, ac propterea Jovi illam præferrent; & canam eandem dixerit Virgilius loco jam citato. qui etiam ſæpe alibi Veſtæ religione tactus, pro more corrupti ſeculi, hoc obteſtatur numen; quoties de gravioribus ea ratione agitur negotiis; ut juramenta, atque obteſtationes afferendæ ſint.

Eſt enim Veſtæ nomen ab hebraico אֵשׁ *Es* deductum, quod ignem ſignificat. conſenſit his Beroſus lib. de cognomin. ubi de Tythea uxore Noë agit. *Neque minus Tytheam*, inquit, *quæ mater omnium erat, Aretiam*, ideſt, *terram vocabant.* Eſt enim הָאָרֶץ *haarez*, hebraicè terra. ſubdit, *& Eſtam, ideſt ignem, poſt mortem cognominaverunt: quia ipſa Regina ſacrorum fuerat, & puellas docuerat ſempiternum ignem ſacrorum, inextinctum ſervare.* Virginem dicebant Veſtam; quia incorruptus ignis eſt; & nullius rei generationem in ſe admittit. Quamobrem & à Virginibus ignis iſtæ ſumma religione, atque cultu cuſtodiebatur. hujus etymologiæ rationem Ovid. 6. Faſtor. aperuit ſimiliter, dicens:

> *Nec tu aliud Veſtam, quam puram intellige flammam,*
> *Nataque de flamma, corpora nulla vides.*
> *Jure igitur Virgo eſt, quæ ſemina nulla remittit;*
> *Nec capit, & comites virginitatis habet.*

Troja, ſacrum hunc ignem advectum, cum Palladio, diiſque Penatibus arbitrabantur Romani Æneæ pietate. quod etiam Virgilius in 2. Æneid. inſinuat, Hectore Æneam in ſomnis admonente, ut una cum Penatibus ſacrum hunc ignem aſportaret illò, ubi novæ ſibi ſedes quærendæ, ac providentia Deorum figendæ forent. de his ita apud Virgilium:

> *Sacra, ſuoſque tibi commendat Troja Penates:*
> *Hos cape fatorum comites, his mœnia quære;*
> *Magna pererrato ſtatues quæ denique Ponto.*
> *Sic ait, & manibus vittas, Veſtamque potentem,*
> *Aeternumque adytis effert penetralibus ignem.*

Quam-

Quamobrem in penetralibus Veſtæ ea omnia cum ſacro igne aſſervabantur Romæ; auctore Plutarcho in Camil. & paralel. 135. Pauſania in Att. Alexandro ab Alexandro lib. 5. cap. 12. Strabone lib. 6. & aliis. cujus Templi formam hac ratione ſcribit Chriſtophor. Landinus in lib. 2. Æneid. ubi Hector Æneæ ſacra commendat: *Templum*, inquit, *erat ſanè magnum, in cujus medio erat altare, in quo ignis utraque ex parte ardebat, cujus cuſtodiæ binæ Veſtales præerant: in Templi culmine Virgo erat efficta, quæ ulnis infantem continebat.* Quid voluerint ſignificare hoc ſimulacro veteres illi, me latet; ſi tamen Chriſtianè conjectare liceret homini Theologo, ſacriſque addicto, dicerem ſimulacrum fuiſſe ſanctiſſimæ Deiparæ Virginis noſtræ, quæ Salvatorem edidit, Dei filium, Dei Verbum, Deum de Deo, lumen de lumine; de quo verè dicitur: *Deus noſter ignis conſumens eſt.* Multa enim Gentiles illis ſub involucris, & ænigmatibus propheticè acceperunt à divinis oraculis, quæ ne in vulgus fœdarentur, aut contaminarentur, involuta fabulis, colenda populis tradebant. Si verò illi Veſtæ ſimulacrum nequaquam ea ratione venerati fuerint, in eo Deiparæ Virginis ſimulacrum colere nos minimè verebimur.

Hujus πυρολατρείας, hoc eſt, *ignis cultus*, Græci in Delphico Templo, mulieribus matrimonio ſolutis, cuſtodiam demandarunt. Atticos verò in Templo Palladis, una cum Palladio, ideſt *Palladis ſimulacro*, lychnum ignis inextincti, Virginum opera, ac miniſterio ſervaſſe, ſcribit Gutherius ſecus Plutarchum in Numa, qui viduis hoc tribuit.

Verùm in hoc quoque, ſicut etiam in omnibus aliis ſuperſtitionibus, reliquis quibuſcumque nationibus primatum abſtulere Romani; ſub nomine Veſtæ à Græco Ἑςία, ignem colentes: cujus cultus penes Virgines Veſtales erat; quæ græcè ἑςιάδες, ab ἑςία dictæ fuerunt, inſtitutæ à Romulo, ut dicunt nonnulli; vel ut aliis placet, à Numa, ut in Plutarchi Romulo, & Numa videre eſt.

In his ſeligendis Virginibus mirum eſt, quam ſuperſtitioſi Romani fuerint; attendentes genus, pudicitiam, mores, & alia plura, quæ apud auctores Romanæ hiſtoriæ habentur. Pudicitiam Veſtalem proſtituiſſe, non ſolum pœnæ ultimi ſupplicii erat; ut viva defoſſa Veſtalis, ſibi neceſſario moriendum ſciret; ſed & toti Reipublicæ illius incontinentia ominoſa credebatur, ac prodigii loco habebatur. In penetralia, ſacrumque receſſum templi Veſtalis, veluti in ſanctius adytum, ſolis Veſtalibus, Pontificique, ſeu ἱεροφάντῃ, & ἱεροφύλακι introire fas erat. Pontifici, inquam, non Maximo, ſed Pontifici Veſtali, quem merito agnoſcit Jacob. Gutherius lib. 1. de vet. jur. pont. cap. 5. Fuerunt autem hæ Virgines, lictoribus, faſcibus, ſecuribus, Magiſtratibus, ſummiſque in Republica honoribus, à Senatu donatæ, quin etiam inſignitæ Pontificatus honore, ac nomine. Habuerunt & Tiburtes ſuas Virgines Veſtales, non tantum Romani. Eſt lapis Romæ in hortis Mediceis, quem ego excepi, & loquitur ſic:

SAVFEIAE. ALEXANDRIAE
V. V. TIBVRTIVM
CAPLATORES. TIBVRTES
MIRAE. EIVS. INNOCENTIAE
QVAM. VIBA. DECREVERANT
POST. OBITVM. POSVERVNT
L. D. S. C

Illi enim duo V. V. ſonant Virgini Veſtali Tiburtium, ideſt Tiburtinæ. Nec minori religione ſacri ignis tenebantur Hebræi: immò eo majori, quo & ſanctiorem è cœlo ignem habebant; & divinarum legum præſcripto, in ejus cultum arctabantur. Nec enim ſacri ignis cura apud Hebræos mulieribus viduis in cœlibatu viventibus, aut virginibus demandata fuit; ſed ex Dei conſtituto, ipſiſmet Sacerdotibus. de eo dixit Deus Levit. 6. *Ignis in altari meo ſemper ardebit, quem nutriet Sacerdos, ſubjiciens ligna mane per ſingulos dies, & impoſito holocauſto deſuper adolebit adipes pacificorum: ignis eſt iſte perpetuus, qui nunquam deficiet in altari.*

Similiter & de illius uſu in Candelabro, nil minus ſtatuit Deus; ſed omnimodam curam, & cultum ignis in lucernis Candelabri Sacerdotibus demandavit. ita dicitur Exod. 27. *Ardeat lucerna ſemper in tabernaculo teſtimonii extra velum, quod oppanſum eſt teſtimonio; & collocabunt eam Aaron, & filii ejus, ut uſque mane luceat coram Domino. perpetuus erit cultus per ſucceſſiones eorum coram filiis Iſrael.* Summus ipſe Pontifex tenebatur lucernas has componere, oleo implere, ut nutriretur ignis, ordinare illas in Candelabro, ac denique accendere. Quod ſi quando id nequiret Summus Sacerdos & Pontifex, filiis quoque Aaron hoc munus Deus indulſit: ut autem aperiat ſtatutum hoc indiſpenſabile haberi, addit, חֻקַּת עוֹלָם לְדֹרֹתָם מֵאֵת בְּנֵי יִשְׂרָאֵל ideſt, *Statutum perpetuum eſt in generationibus illorum*, nimirum Sacerdotum filiis Iſraël. ac ſi diceret, ſciat omnis Iſraël, ad Aaron & filios ejus pertinere cultum ſacri ignis in obſequium lucernarum: ita ut nemo audeat ſe in curam illarum immittere, quicumque ille ſit, & in quacumque dignitate conſtitutus. Quamobrem nec Regibus, nec Ducibus, nec Patriarchis, aut quibuſcumque aliis licebat ad lucernas has contrectandas accedere.

Hunc ignem ſacrum tanti fecit Deus, ut filios Aaron Nadab, & Abiu, ea de ratione extinxerit; quod illi incenſum offerre cum igne non ſacro auſi ſint, Levit. 10. Quin etiam Aaron placaturus Dominum, igne devorante exercitum Iſraëliticum, ob querelas, quas in Deum, Deique miniſtros impii homines effutierant; *hauſto igne de altari*, inquit textus, non aliunde, *cucurrit in medio conflagrationis, & Dominum placavit.* Occiſionique fuit à Deo remiſſa manus, vi ſacri ignis & odorati incenſi.

Et adeò religioſi fuere ſemper cujuſcumque religionis homines in cultu ſacri ignis; ut ſacra facere in ſacris litteris minimè auderent, niſi ſacro igne victimas, atque hoſtias in altari conſumpſiſſent. Quamobrem cum aliquando ſacer ignis defuiſſet Hebræis in Babylonicam ſervitutem actis, converſumque in aquam ignem ſacrum ſumpexiſſent, cum reverterentur; ut legitur 2. Machab. cap. 1. ea aqua juſſit Neémias conſpergi victimas, & holocauſta impoſita ſuper altare. *Utque hoc factum eſt*, dicit textus, *& tempus affuit, quo Sol refulſit, qui prius erat in nubilo, accenſus eſt ignis magnus, ita ut omnes mirarentur.* & Gen. 22. Abraham immolaturus (Deo ſic jubente) filium ſuum dilectiſſimum Iſaac, in monte Moriah, trium dierum itinere longè à proprio tabernaculo, non niſi ſacro id fuiſſet auſus facere igne, quem ipſemet tamquam Sacerdos deferebat in manibus. *Tulit quoque ligna holocauſti*, inquit textus, *& impoſuit ſuper Iſaac filium ſuum, ipſe verò portabat in manibus ignem & gladium.* Cum igitur religione tacti veteres Iſraëlitæ non niſi ſacro igne, ſacra facere auderent, liquido conſtat quanta religione tenerentur in cultum cœleſtis ignis. Noë quoque ſtatim egreſſus de Arca, poſt diluvium, ſacra feciſſe dicitur Geneſ. 8. *Ædificavit autem Noë altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis, obtulit holocauſta ſuper altare.* Igitur vel ſecum ignem ſacrum ab Abel per proavorum manus traditum in Arca illa detulit; duranteque diluvio apud ſe religioſè, ac piè retinuit, atque

D ſerva-

ſervavit; vel ſpeculis & jubaribus ſolaribus excitavit; vel denique orationibus ac precibus à Deo obtinuit; cui ſtatim ſacra facere intendebat. ut propterea placato Numini gratum ſe præbere volens, non niſi ſacro id fieri poſſe igne intelligeret; cum ſtatim ut pedem ex Arca extulit, de altari erigendo, deque ſacris faciendis cogitavit.

C A P. X.

Sacra, ſacrarum lucernarum infundibula in miniſterium olei, & luminis explicantur.

Ad loca Exodi 35. *Facies & lucernas ſeptem, & pones eas ſuper Candelabrum, ut luceant ex adverſo. Emunctoria quoque, & ubi quæ emuncta ſunt extinguantur, fiant ex auro puriſſimo.* ad perdifficilem locum Zach. 4. *Vidi; & ecce Candelabrum aureum totum, & lampas ejus ſuper caput ipſius; & ſeptem lucernæ ejus ſuper illud, & ſeptem infuſoria lucernis.* Et infra: *Quid ſunt duæ ſpicæ olivarum, quæ ſunt juxta duo roſtra aurea, in quibus ſunt ſuffuſoria ex auro?* Et ad alia plura loca.

SACRA vaſa, in quibus oleum ad ſacri Candelabri cultum miniſtrabatur, cognoſcere, perquam utile, ac perjucundum arbitror: ut abſolutè, atque perfectè olei, de quo agimus, uſum, ex ſacris oraculis, nobis intelligere liceat. Etenim aurea fuiſſe illa omnia liquido conſtat ex ſacris litteris. cujus generis, formæque eſſet, hæc in abdito ſunt. ferè nihil in ſacris habetur litteris. Apud ſcriptores cum primis veteres inter vaſa olearia crateres, & infundibula recenſentur. Infundibula ad rem oleariam refert Pollux lib. 6. cap. 18. infra recitandus à nobis. Cato etiam de Re ruſt. ait: *In cella olearia hæc opus ſunt: dolia olearia, & opercula, ſectarium, olearium unum, labellum unum, infundibula duo, ſpongiæ duæ, &c.* Crateris meminit Nonius in tract. de gener. vaſ. & poculorum, ubi, nec immerito quidem, diſcrimen agnovit inter Crateram primæ declinationis, & Craterem tertiæ declinationis; Crateram primæ declinationis inter vaſa vinaria, quorum uſus erat in menſa, ad potum & libamina reponendum fore, oſtenditur per illud Virg. Aeneid. 1.

Crateras læti ſtatuunt, & vina coronant.

Erat autem Cratera poculum magnum; quamobrem cum alia pocula in menſa allata minora eſſent; Cratera unus in primis magnitudine celebrabatur, & ſemper capaciſſimus fuit: inde Virg. lib. 1. Aeneid.

Poſtquam prima quies epulis, menſæque remotæ,
Crateras magnos ſtatuunt, & vina coronant.

Valerius quoque Flaccus in eadem ſententia lib. 5. Argonau. magni Crateræ meminit, dicens:

Fertque gravem Phrygius circum Cratera miniſter.

Et Theocrit. Idil. 5. ſimiliter crateræ magni meminit, dicens: id eſt,

Στάσω δὲ κρατῆρα μέγαν λδύκοιο γάλακτος.

Statuam autem crateram magnum albi lactis.

Ut propterea omittendum non ſit, quod de cratere maximo ſcribit Arrian. lib. 7. de expedit. Alexand. dicens: ϗ ἀπὸ τȣ̃ αὐτȣ̃ κρατῆρος αὐτός τε, ϗ οἱ ἀμφ' αὐτὸν ἀρυόμενοι, ἔσπενδον τὰς αὐτὰς σπονδὰς, καταρχομένων τῶν τε ἑλλήνων μάντεων, ϗ τῶν μάγων. εὔχετο δὲ τά τε ἄλλα ἀγαθὰ, ϗ ὁμόνοιάν τε ϗ κοινωνίαν τῆς ἀρχῆς, τοῖς

A τε Μακεδόσι, ϗ Πέρσαις. εἶναι δὲ κατέχει λόγος τοὺς μετασχόντας τῆς θοίνης ἐννακισχιλίȣς, ϗ τούτους πάντας μίαν τε σπονδὴν σπεῖσαι, καὶ ἐπ' αὐτῇ παιανίσαι. hoc eſt, *Et de eodem Cratera ipſe, & qui circa ipſum accumbebant, libarunt eadem libamina, vota nuncupantibus Græcis vatibus, & Magis; precabantur autem, & alia bona, & unitatem, & communionem principatibus Macedonibus, & Perſis. Fuiſſe autem in eo epulo dicunt novem millia, & omnes eamdem libationem libaſſe, & de eodem Pæana ceciniſſe.* hæc Arrianus, ut magnitudo Crateræ liquido conſtet à numero convivantium, vixque tanta magnitudo Crateræ fidem habeat.

B Loquendo verò de Cratere tertiæ declinationis, hunc inter olearia vaſa reponit Nonius, dicens: *Crateres, vaſa olearia.* Virgil. Bucol.

Crateresque duos ſtatuam tibi pinguis olivi.

Item Aeneid. 6. . . . *fuſo crateres olivo.*

Erunt fortaſſe aliqui, quibus minimè probatum videbitur, ex his locis, Craterem vas olearium extitiſſe; illiusque uſum potius ad ſacra, ad aras, ad numina propitianda, quam ad menſam concedendum. Quamobrem nulla facta diſtinctione crateræ, atque crateris: viciſſim hæc vaſa accipient ad promiſcua libamina ſacrificiorum, tam vini, quam olei, aut C cujuſcumque alterius materiæ fluidæ. ita communiter Calepini, & doctiſſimus quoque Turnebus lib. 21. cap. 13. Nobis tamen quam maximè doctrina Nonii arridet, & favent Græci. nam libatorius calix σπονδεῖον dicebatur; id verò quo oleum libabatur λοιβεῖον appellabatur. videatur Pollux lib. 10. cap. 18. qui hæc duo diſtinguit. Nam quod foramen illud Aetnæ, è quo ignis, ac flamma erumpunt, Crater dicatur à ſimilitudine deſumpta à forma vaſis, non aſſentior Turnebo; quin potius dictum reor ab effectu, & miniſterio, ad quod Cratere utebantur tunc in ſacrificiis idolólatræ; nimirum ab hauſto igne; ut moris eſt olearii vaſis libantis oleum in altari. inde Ovi- D dius:

Et pronos currus medio cratere recepit.

A ſimilitudine verò Crateræ, ſinum illum Campanum à Miſeno, Athenæum uſque extenſum, appellatum Cratera ex Strabone lib. 8. duobuſque promontoriis incurvatum, non inficior. verum iſta, magis ne prætermitterem, quam quod inſerere vellem, adnotavi: nihil enim ad nos.

Vaſa ad ſacrificia, & libamina olearia, ad ſacri Candelabri uſum, ac miniſterium quærimus. Quid de his habeant ſacræ litteræ, divinaque oracula, quibus inhæremus, attendamus. ſic enim loquuntur Exo. E 25. *Facies & lucernas ſeptem, & pones eas ſuper Candelabrum, ut luceant ex adverſo; emunctoria quoque; & ubi quæ emuncta ſunt extinguantur, fiant ex auro puriſſimo.* In eodem lib. cap. 39. opera ad Dei cultum deſcribuntur: & Candelabri quoque ſacræ meminere litteræ, his verbis: *Candelabrum*, ſupple obtulerunt, *lucernas, & utenſilia earum cum oleo.* Zacharias quoque Propheta cap. 4. loquitur de lucernis Candelabri ſancti, deque infuſoriis, dicens: *Et ſeptem lucernæ ejus ſuper illud*, nimirum ſuper Candelabrum, *& ſeptem infuſoria lucernis, quæ erant ſuper caput ejus.* Ex quibus locis quatuor nobis ſuperſunt vocabula, quibus vaſa in miniſterium olei, ac lucer- F narum explicantur. Alterum illorum genus ſignificat, quod omnia comprehendat in univerſum vaſa: illud ſcilicet VTENSILIA. reliqua vocabula partes reſpiciunt, & ſingula tangunt, quorum alterum EMVNCTORIA, alterum EXTINCTORIVM dici poteſt, & denique poſtremum ex Zacharia INFVSORIVM appellabitur. Emunctoria, quæ hebraicè מֶלְקָחַיִם appellantur; non ſunt ad

rem

rem noſtram. Sunt enim forcipes, quibus myxi præcidebantur è lucernis, igne conſumpti; & ellychnia mundabantur, ut clarius micarent, ſuaviuſque ſplenderent. nec etiam extinctoria ſunt nobis in negotio, quæ hebraicè מַחְתֹּתִים dicuntur, ſive מַחְתּוֹת ab igne recipiendo; quod favillas myxi incenſi, & forcipibus præciſi in ſe reciperent. Hæc duo nihil habent commune cum oleo, ſed tantum cultum ignis ſacri oſtendunt; quem non niſi auro tangi, præſcindi, atque extingui licebat, ac proinde neque apud nos illa erunt in numero.

De reliquis videndum eſt; quorum alterum ſub generali nomine utenſilium comprehendebatur, Exod. 39. & alibi; כֵּלִים hebraicè dici poſſunt. Alia verò enumerantur à Zach. cap. 4. & quædam מוּצָקוֹת dicuntur, alia צַנְתְּרוֹת, & alia denique הַמְּרִקִּים, quorum inveſtigatio adeò difficilis eſt; ut tot habeat interpretationes, quot interpretes, tot ſententias quot capita; adeamus Prophetam, & quid ipſe dicat audiamus. ſic enim loquitur: *Vidi, & ecce Candelabrum aureum totum, & lampas ejus ſuper caput ipſius, & ſeptem lucernæ ejus ſuper illud, & ſeptem infuſoria lucernis, quæ erant ſuper caput ejus.* Hæc de forma Candelabri, quod in tabernaculo ex Dei præſcripto conſtruxit Moyſes. Quamobrem non poſſum aſſentiri Riberæ, qui in hunc locum Zachar. alterius formæ ab eo, quod conſtruxit Moyſes, Candelabrum comminiſcitur. de his ſuo loco dicetur.

Nunc vaſa olearia inquiramus; quæ, nimirum, erant ad uſum olei. Hæc autem, de quibus hîc Propheta loquitur, non ad ſervandum oleum, ſed ad immittendum oleum in lucernas deſerviebant: cujus vaſis diſtinguentes partes & vocabula, totum dicetur infundibulum; illa verò pars, quæ inter ſuperiorem & inferiorem mediat, infundibuli retis dicatur: poſtrema verò & infima, infundibuli collum appellanda erit, ut infra in iconibus perſpicuum fiet. Ejus enim erant formæ lucernæ Candelabri, ut nulla ex parte oleo aditum præberent; niſi unde & flamma ſuo myxo nutriebatur; ut diximus cum de lucernis ageretur: quod & Villalpandus videtur agnoviſſe in opere ad Ezechielem, ubi hanc Zachariæ viſionem interpretari contendit. licet enim comminiſcatur rotam in ſuperiori lucernarum, è qua ſtillet oleum in eadem lucernarum, ellychnia, in lucernis tamen foramen aliud à myxo minimè agnovit. Quamobrem neceſſario requirebantur inſtrumenta aliqua, per quæ oleum intromitteretur: ejus, ut puto formæ, qualia ſunt, quæ Latinè *infundibula*, Italicè *Pitriæ* dicuntur. ita ſentire omnes illi coguntur, qui locum Zachariæ interpretantur: propterea Vatablus in adnotat. explicans quænam eſſent iſta infuſoria, ait: *Iſta infuſoria pertinebant ad lucernas; per illa enim influebat oleum ex lenticulis in ipſas lucernas.* Quod verò ad lucernas pertinerent infundibula, ut probetur, adeamus ſacrum candelabrum: & nobiſcum ſit Pollux. lib. 6. cap. 18. qui loquens de lucernis, & lychnis, meminit infundibuli olearii, dicens: τὸ δὲ ὀβελισκολύχνιον παρὰ Θεοπόμπῳ τῷ κωμικῷ ἐςὶ μὲν σκεῦος ςρατιωτικὸν, τὸ δὲ ὄνομα ὑπομόχθηρον. ideſt, *illud autem obeliſcolychnium apud Theopompum Comicum, eſt quidem inſtrumentum militare, & nomen quidem perdurum.* Ipſum verò Obeliſcolychnium à Theopompo dictum arbitror infundibulum, ut forma ejuſdem aperit: quam vocem non adeò probat Pollux, nec rejicit; videtur tamen magis aſſentiri Eupolidi: quamobrem ſtatim ſequitur: ἡ μὲν τοι ἐλαιηρὰ ἐπίχυσις χαλκεῖον ἐςὶ μακρὸν, ἣν χάλκιον Εὔπολις ὠνόμασε. ideſt, *Infundibulum quidem olei eſt æreum oblongum, quod Chalcium Eupolis nominavit.* Sed quicquid ſit de vocabulis, ſufficiat infundibula ad lucernas in uſu olei pertinuiſſe. Loquebatur autem Pollux de lychnis, & infundibulo olei in lucernis; ut in textu liquet, & de his Propheta. Iconem apponemus, ut infundibulorum ſacrorum forma pateat.


Sed difficultas in textu non minima ſeſe offert in viſione Zachariæ; quod nimirum ſeptem lucernas, quatuordecim infundibula ad uſum lucernarum ſe vidiſſe Propheta affirmet. Enimvero infundibulum unum non ſeptem tantum lucernis, ſed quingentis & pluribus ſatis eſſe poteſt, ſi ſigillatim adhibeatur: ſi autem unicuique lucernæ proprium attribuatur infundibulum, quod tot numero infundibula, quot lucernæ forent, permittendum videbatur: at duplicantur in viſione Prophetæ. ita enim ille: שִׁבְעָה וְשִׁבְעָה מוּצָקוֹת לַנֵּרוֹת id eſt, *Septem, & ſeptem infundibula lucernis*, ita ut ſingulis lucernis bina adſcripta eſſent infuſoria. ex vulgati interpretis lectione ruit difficultas, cum infundibula apud illum minimè duplicentur, ſed ſeptem lucernis, ſeptem tantum infundibula adſcribantur. Verum illi ſeptem æquivalent quatuordecim infuſoriis hebraici exemplaris: quamobrem ut omnibus ſatisfaciamus, difficultas minimè declinanda erit.

Nodus Gordius exiſtimaretur certè difficultas allata; niſi divina oracula ex lege & ritibus Hebræorum, nobis præſto eſſent. Nam Iſraëlitæ in obſervanda lege ſibi à Deo data, fuerunt adeò ſtudioſi ex veterum traditionibus: ut occurrere tranſgreſſioni illius ſtuduerint, ſemper aliquid aliud addendo, quod legis obſervantiam juvare poſſet. exemplis quæ diximus apertiora fient: v. g. juſſit Deus ad menſtruatam non accedendum: Iſraëlitæ ne legem tranſgrediantur, à propria uxore abſtinent diebus aliquot ante menſtruum ſanguinem; & poſtquam fluxus ſanguinis in muliere ceſſaverit, abſtinent ſimiliter; ne forte cum uxore coëuntes, ſanguine contaminarentur menſtruo. Juſſit Deus diem Sabbati cuſtodiendum; diei feſti præludium ſervant, ac propterea exordiuntur feſtum diem hora vigeſima tertia diei præcedentis, ex præcepto ſeniorum; ac uſque ad primam noctis horam diei ſequentis, legi de obſervantia feſtorum ſeipſos adſtringunt.

Pari ratione, in cultu lucernarum cum ſe geſſerint Hebræi; illorum in his fovendis ſtudium, Zachariæ viſionem nobis aperit, nodumque difficultatis facillimè ſolvit. juſſerat Deus Levit. 24. parandum ſibi oleum puriſſimum. *Præcipe*, inquit, *filiis Iſraël, ut afferant tibi oleum de olivis puriſſimum, ac lucidum ad concinnandas lucernas jugiter.* Adhibebant religioſiſſimum ſtudium in eo parando ab omni fæce; ut omnino puriſſimum, luciddiſſimum, atque mundiſſimum extraheretur; ut in ſuperioribus jam diximus: ut autem neque à foris, dum lucernis infundebatur, aliquid impuri contraheret oleum; binis infundibulis illud in lucernas immittendum curabant. hac ratione infundibula parantes, ut illorum altero in alterum immiſſo collo, oleum ab uno ad aliud infundibulum defæcatius, ac purius tranſiret; & ab inferiori pariter infundibulo oleum defæcatius adhuc, ac purius in lucernas infunderetur: juxta iconem, quam proponendam ac delineandam duximus *pagina ſequenti.*

Nec ſine probabili ratione, ac conjectura ad hæc moveor; ſed id mihi perſuadeo vi hebraici exemplaris, & verborum in illo loco prophetæ: nam dictio מוּצָקוֹת à verbo יָצַק venit; quod optimè interpretatur *infudit*; hinc totum illud inſtrumentum eo vocabulo appellatur, de quibus in principio capituli egit Zacharias. Vidit igitur propheta bina infundibula unicuique lucernæ ſacri candelabri adſcripta, ad oleum in lucernas immittendum; ad quod cum alterum tantum ſufficeret, fruſtra duo adhiberentur, niſi quærendæ puritatis gratia, in oleo ad nutrimentum ignis ſacri immiſſo, adferrentur.

Urgent tamen adhuc efficacius difficultatem verba difficillima ejuſdem Prophetæ in fine capituli, affirmantis, ſe vidiſſe duas ſpicas olivarum, ideſt botros ex baccis olivarum, juxta roſtra aurea, & ſuffuſoria ex auro. *Quid ſunt duæ ſpicæ olivarum*, inquit, *quæ*



ſunt juxta duo roſtra aurea, in quibus ſunt ſuffuſoria ex auro? Locus eſt adeò difficilis, ut nullum adhuc agnoverim expoſitorem, qui non labatur, vel non hæreat. Adeamus divinum auxilium, quo implorato audiamus hebraicum exemplar. מַה שְׁתֵּי שִׁבֲּלֵי הַזֵּיתִים אֲשֶׁר בְּיַד שְׁנֵי צַנְתְּרוֹת הַזָּהָב הַמְרִיקִים מֵעֲלֵיהֶם הַזָּהָב ut horum verborum intelligentia habeatur, erit conſiderandum, [C] quod olearii, qui vendunt oleum, ut ab externo pulvere illud non commaculetur, cum per infundibulum in vas aliquod immittitur; medio in gutture infundibuli, vbi collum principium habet, interponere aliquam laminam conſuevere, pluribus minutiſque foraminibus perforatam, ut oleum delicatius, ac defœcatius in vas deſcendat. Hæc lamina medio in gutture perforata צַנְתֶּרָה *zantherah* hebraicè appellatur. Interior pars infundibulorum, ſuperiori icone oſtenſa, quæ diximus aperit & lamina media perforata in ambobus B, in icone ſignatur.

Reliquum eſt probare dictione צַנְתֶּרָה *zantherah* ſignificari laminam illam; vis verò & radix dictionis id [D] probat. Eſt enim à radice צִנּוֹר, quæ ſignificat *canales* è quibus defluit aqua, ut pluvia; & à radice תּוֹר, quæ *rotundum* interpretatur, quaſi dicat, lamina perforata rotunda. nam dictio צִנּוֹר in hoc ſenſu ac ſignificatione canalis pluvialis, ſumitur in Pſal. 42. צִנּוֹרִים *zinnorim*, in fœminino verò interponitur littera ת, & fit צַנְתֶּרָה *zantherah*, & in plurali צַנְתְּרוֹת *zantheroth*, ſic appellata lamina illa; quia ex illius minutis foraminibus defluit, ſive pluit oleum, veluti per tot canales, ad modum pluviæ. Inferior verò pars infundibuli, canalis nimirum ille, per quem defluit oleum in inferius infundibulum, à quo oleum in lucernas immittebatur, & à ſui vacuitate dictum puto מֵרִיק *merik*; [E] in icone ſignatur C. Eſt enim ריק vacuum, de quibus in plurali loquitur textus; tum ratione numeri ſeptennarii duplicati; tum etiam, quia duo ex his inſtrumentis, cuilibet lucernæ adſcripta erant. Reliquum eſt videre quid ſibi velit illud בְּיַד *bejad*, quod communiter interpretatur *in manu*. verum ſi advertiſſent expoſitores nomine manus ſignificari etiam latus, nequaquam dixiſſent *in manu*, ſed cognoviſſent duo illa brachiola quæ aurea erant, & ſubſtentabant ſuperius infundibulum, illudque inferiori conjungebant, cælata extitiſſe ad modum unius ramuſculi olivarum pluribus referti baccis, ut in icone poſita monſtravimus. qui quidem duo ramuſculi hinc inde ad latera infundibulorum appoſiti viſebantur ubi collum [F] jungitur ſuperiori parti infundibuli; infundibulumque lamina illa perforata dividit: & quia duo erant, ut diximus, infundibula ſingulis lucernis, duæ quoque erant laminæ illæ, quæ principium colli tenebant, & infundibula mediabant.

His intellectis dictionibus, facile nunc erit interpretari verba hebraica ſic, *Quid ſunt duæ ſpicæ olivarum, quæ ſunt in latere duarum laminarum perforatarum*, (dicemus ita; deſunt enim vocabula) *aurearum, canalibus aureis interpoſitarum?* quia nimirum infundibula hæc tota aurea erant, canalis aureus, media lamina aurea; botri etiam olivarum, in manubriis hinc inde ad collum infundibulorum, aurei conſpiciebantur à Propheta; cui datum fuit ex munere in illa viſione nobis delineare formam infundibulorum; quorum uſus erat in lucernis ſacri Candelabri. viderint alii quæ diximus, & meliora conſulant. Licet hæc cognoviſſe non pigeat, nam & hoc inſtrumentum oleo deſerviebat ad uſum lucernarum ſacri Candelabri, ne quid impuri, aut minus defœcati adhiberetur in nutrimentum ignis ſacri, cum lucernæ ex munere ſacerdotali parabantur, atque Candelabro imponebantur. Quia verò illa manubriola infundibulorum, in quibus cælati viſebantur ramuſculi olivarum, tantiſper in circulum plicabantur ad inſtar naris, ſive roſtri aquilini, dixere Septuaginta interpretes. τί οἱ δύο κλάδοι τῶν ἐλαιῶν οἱ ἐν ταῖς χερσὶ τῶν δύο μυξωτήρων τῶν χρυσῶν, τῶν ἐπιχεόντων, καὶ ἐπαναγόντων τὰς ἐπαρυστρίδας τὰς χρυσᾶς; hoc eſt: *Quid duo rami olivarum in manibus duarum narium aurearum infundentium & retrahentium infundibula aurea?* nam illis manubriis infundibula aptabantur & removebantur à lucernis: quibus favet etiam vulgatus interpres, cum hæc manubria roſtra aurea dixit. Ex quibus & perfecta infundibulorum forma cognoſcitur, & Zachariæ quoque ſenſus in tam ſublimi viſione intelligitur.

CAP. XI.

Olei aſſervandi, in tabernaculo, locus demonſtratur.

Ad loca Exodi 39. *Candelabrum, lucernas, & utenſilia earum cum oleo.* Numeri 4. *Sument & pallium hyacinthinum; quo operient Candelabrum cum lucernis, & forcipibus ſuis, & emunctoriis, & cunctis vaſis olei; quæ ad concinnandas lucernas neceſſaria ſunt.*

SUMMUM ſtudium, ſummamque curam, & meritò quidem, voluit Deus adhiberi ab Iſraëlitis circa ea, quæ ad cultum Tabernaculi pertinebant: quamobrem à ſacro Candelabri oleo, fœtoris, atque impuri quamcumque ſuſpicionem averruncari juſſit. Satis, ut puto, de vaſculis, deque inſtrumentis egimus, per quæ oleum in lucernas infundebatur: remanet inquirendus vaſis olearii locus, in quo intra Tabernaculum aſſervabatur. Primo verò ſtatim exordio dubitandum occurrit, utrum vas olearium hoc, connumerandum ſit inter ea utenſilia, quæ ad uſum Candelabri in ſacris litteris reponuntur, atque in ipſo Taberna-

Tabernaculo aſſervabantur. ſic enim de his agitur Exodi 39. *Candelabrum, lucernas, & utenſilia earum cum oleo.* ſupple paraverunt. Duplicem hic locus interpretationem patitur: priorem, quod Iſraëlitæ juxta præceptum Domini offerentes vaſa in cultum Tabernaculi, & Candelabri, inter hæc etiam vaſa olearia, una cum oleo ad cultum, & nutrimentum ignis Candelabri obtulerint. Admittunt illa verba & alteram interpretationem; nimirum, quod Iſraëlitæ offerentes utenſilia ad uſum Candelabri, atque lucernarum, oleum quoque obtulerint; ſeorſum tamen hoc à vaſculis, quæ ad Candelabri uſum recenſentur. itaque juxta hanc interpretationem, hi qui obtulerunt donaria; ſeorſum ab his, quæ erant ad Candelabri cultum; obtulerunt etiam aliqua vaſa cum oleo; quæ vaſa inter ea, quæ ad uſum Candelabri ſpectabant, nequaquam recenſeantur.

Verum ſi ad hebraicum textum, à quo vulgata editio ſuam accepit originem, ceu ad fontem, nos conferre voluerimus; ex quo, in ambiguis vulgatæ editionis, verus ejuſdem ſenſus inveſtigatur: poſterior utique interpretatio reſpuenda non erit. Illa poſtrema verba, *cum oleo*, à præcedentibus ſeparata leguntur ſic: אֶת־הַמְּנֹרָה הַטְּהֹרָה אֶת־נֵרֹתֶיהָ נֵרֹת הַמַּעֲרָכָה וְאֶת־כָּל־כֵּלֶיהָ וְאֵת שֶׁמֶן הַמָּאוֹר ideſt, *Candelabrum mundum*, ſupple obtulerunt *lucernas illius*, *lucernas ordinationis*, ideſt, quæ per ordinem Candelabro imponebantur. Eſt enim traditio Hebræorum, ſeptem Candelabri lucernas ſuis fuiſſe nominibus ſignatas; nominibus, inquam, ſeptem Angelorum, qui adſtare coram Domino dicuntur; ac propterea nequaquam promiſcuè Candelabro lucernæ imponebantur, ſed ſuo ordine, & ſuo cuique in loco aptabantur: propterea appellantur *lucernæ ordinationis*, quæ in erectione Tabernaculi fuere à filiis Iſraël oblatæ. ſubdit textus, *& omnia vaſa illius, & oleum luminis.* Nam diviſio ſententiæ in dictione כֵּלֶיהָ, quæ interpretatur *vaſa illius*, perſpicuè cernitur. afficitur enim accentu hebraico *Athnach*, qui valet duplicatum punctum Latinorum; dividitque ſententiam à ſubſequentibus verbis וְאֵת שֶׁמֶן הַמָּאוֹר, quæ *oleum luminis* interpretantur. cui hebraici textus diſtinctioni, Chaldaica, ac Græca exemplaria conſentiunt; hæc poſtrema verba, in quibus de oleo agitur, ab antecedentibus diſtinguendo; in quibus de vaſis ſermo eſt. Quamobrem ex hoc loco Exodi, efficax argumentum minimè videtur ſumi poſſe, ad probandum nomine utenſilium, vaſa quoque olearia accipi debere; in quibus ad uſum Tabernaculi, ac Candelabri oleum aſſervaretur.

Priori tamen interpretationi inhærentes; affirmandum certiſſimè putavimus, vocabulo כֵּלִים interpretato per *utenſilia*, à vulgato interprete, comprehendi debere vaſa; in quibus oleum ad uſum Candelabri aſſervabatur. Huic interpretationi conſentit Abulenſis; & ea ratione intentum ſe probaſſe putat, quod in textu dicatur, Iſraëlitas obtuliſſe lucernas, & deinde ſubinferatur; *& utenſilia earum cum oleo.* Quia igitur τὸ *cum oleo* jungitur ſuperioribus, nimirum *utenſilia*; hinc argumentum Abulenſis ſumit; quod vaſa pro aſſervando oleo, ad uſum Candelabri, nomine utenſilium in eo textu ſignificentur. at accentus diſtinctivus ſententiæ, de quo jam ex hebraico textu diximus, fundamentum Abulenſis omnino ſubvertit. Sed quamvis illa ratio ruat, non tamen interpretatio innixa ſummæ auctoritati vulgati interpretis, cui nec hebraicum exemplar ex aliquo capite contradicit, aliquo modo ruit. Hic enim vulgatus interpres legendo, *& utenſilia earum cum oleo*, eidem ſententiæ, quæ affirmat vaſa hæc olearia inter ſacri Candelabri vaſa recenſenda fore, ſubſcripſiſſe cenſetur; cui nos quoque nomen damus.

Quod enim vaſa olearia, una cum oleo, Iſraëlitæ in deſerto appararint, & obtulerint in cultum Tabernaculi & Candelabri; & hæc vaſa inter utenſilia Candelabri in ſacris litteris recenſeantur; efficaciſſima ratione ſuadetur, non enim oleum aliter quam in vaſe aliquo Iſraëlitæ offerre potuerunt. Præſtantia verò olei præſtantiſſimum requirebat vas, ad Candelabri, Tabernaculi, divinique tandem cultus decentiam. Cumque hoc vas oleo plenum in Tabernaculo una cum Candelabro, lucernis, forcipibus, & conchis ad recipiendum, quæ emuncta forent, reponendum eſſet, ad matutinum, ac veſpertinum Candelabri uſum, juxta divinum conſtitutum; inter Candelabri utenſilia, vas quoque hoc olearium enumerandum fuit, atque in Tabernaculo reponendum; in quo reliqua pariter vaſa ad Candelabri uſum, forcipes, nimirum & emunctoria repoſita fuiſſe, certiſſimum eſt.

Nec deeſt locus ex ſacris litteris, quo id demonſtrare poſſimus. nam cap. 4. Numer. univerſali vocabulo vaſis, cum ſermo eſt de Candelabro, perſpicuum eſt, intelligi etiam ea vaſa, in quibus oleum aſſervabatur. Agitur ibi de movendis Iſraëliticis caſtris, deque copiarum progreſſu ex Dei præſcripto. Proficiſcentibus enim militibus, tabernaculum quoque fœderis deferendum fuerat à Levitis: hac occaſione munus Cahatitarum, in tribu Levitica aperitur in ſacro textu: ipſorum enim erat Levitarum, de transferendo fœderis Tabernaculo aliò cogitare. Ad Cahatitas autem ſpectabat ea omnia deferre, quæ intra Tabernaculum habebantur; menſam panum propoſitionis, altare aureum thymiamatis, & etiam Candelabrum à Sacerdotibus aulæo jam cooperta. De his ita loquitur textus ſacer: *Tabernaculum fœderis, & Sanctum Sanctorum ingredientur Aaron & filii ejus, quando movenda ſunt caſtra.* Cumque jam de operienda Arca, & panibus propoſitionis cum menſa loquutus ſit textus, de Candelabro his loquitur verbis: *Sument & pallium hyacinthinum, quo operient Candelabrum cum lucernis, & forcipibus ſuis, & emunctoriis, & cunctis vaſis olei; quæ ad concinnandas lucernas neceſſaria ſunt.* Et quia hic ſermo eſt de his, quæ intra ſacrum Tabernaculum aſſervabantur; hæc enim tantum hyacinthino aulæo operiebantur; igitur vaſa quoque olearia ibi enumerata, & aulæo cooperta à minoribus Sacerdotibus, intra Tabernaculum aſſervata fuiſſe, perſpicuum eſt. hebraicè ſic ad majorem claritatem legimus, וְאֵת כָּל־כְּלֵי שַׁמְנָהּ, ideſt, *& omnia vaſa olei illius.* In quo quidem textu univerſali vocabulo כֵּלִים non ſolum forcipes, emunctoria, & ea quæ emuncta recipiebant, exprimuntur; ſed olearia quoque vaſcula ſignificantur. Igitur & cap. 36. Exodi, ubi dicitur à filiis Iſraël oblata fuiſſe utenſilia Candelabri cum oleo; quæ vaſa, ſive utenſilia dictione כֵּלִים exprimuntur; de vaſis quoque oleariis illa dictio accipienda erit; hæcque vaſa una cum oleo ab Iſraëlitis in deſerto oblata, & apparata fuiſſe, in Dei, & ſacri Tabernaculi cultum, ſit perſpicuum.

CAP. XII.

Forma vaſis olearii ad uſum Candelabri ſancti monſtratur.

Ad loca Zachar. 4. *Vidi, & ecce Candelabrum aureum totum, & lampas ejus ſuper caput ipſius.* Et infra: *Et duæ olivæ ſuper illud, una à dextris lampadis, & una à ſiniſtris.* Numer. 7. *Filiis autem Cahat non dedit plauſtra & boves, quia in Sanctuario ſerviunt, & onera propriis portant humeris.*

GENUS, ſive formam ſacri hujus olearii vaſis quærere oportet; quæ nonniſi à veteribus expiſcari poſſumus. Veteres ſcriptores cados, hemicadios, dolia, atque lenticulas inter vaſa olearia recenſuerunt. horum meminit Iſidorus lib. 2. c. 7. Hæc habet Perottus noſter in ſua cornucopia verbo Vas in epigram. 2. Mart. ad Domit. dicens: *Vel olearia*, ſupple vaſa, *ut cadi, & dolia, & hemicadii, ideſt dimidii cadi, & lenticulæ parva vaſa, ex quibus paulatim & leniter oleum fluit.* Ulpianus quoque Dig. locati. l. 19. §. illud. inter vaſa olearia de dolio meminit. Cato etiam de re Ruſt. ait: *In cella olearia hæc opus ſunt, dolia olearia, & opercula, &c.* Verum hi in cella verſantur: nos intra Tabernaculum, & ad ſacri Candelabri uſum olei vas quærimus. Quamobrem nec dolium, nec cadus, nec hemicadius faciunt ad rem. placeret lecythus, niſi vas eſſet ad unguenta potius, quam ad ſimplex oleum. lecythum unguentarium fuiſſe vas, ſacræ & prophanæ teſtantur paginæ; & nos quoque alibi aperiemus, cum de eo ſermo redibit. Noſtra de forma hujus vaſis ſententia lenticulæ adhæret. Et in lenticula proculdubio aſſervatum hoc oleum, quod ad cultum Candelabri deſtinabatur, affirmamus. quam lenticulam, una cum Candelabro, intra Tabernaculum repoſitam, eidemque Candelabro ſuſpendi ſolitam, exiſtimamus. numen iratum habeam, niſi ab ipſomet numine, una cum forma vaſis, locum quoque hauſerim.

Expendamus locum Zachariæ cap. 4 cujus loci tanta eſt obſcuritas, ut poſt varias expoſitiones, ſcribat Magnus ille Hieronymus in fine capituli: *Hæc ut quivimus, & ut mei ingenioli vires ferre potuerunt, loquuti ſumus, & Hebræorum, & noſtrorum varias opiniones breviter perſtringentes. Si quis melius, immo verius dixerit, & nos libenter melioribus aquieſcimus.* hæc ibi de loci prophetici obſcuritate, in quo formam vaſis olearii nos agnoviſſe putamus. viderint alii meliora: litteralem quærimus ſenſum. *Vidi, & ecce Candelabrum aureum totum*, inquit Propheta, *& lampas ejus ſuper caput ipſius, & ſeptem lucernæ ejus ſuper illud.* רָאִיתִי וְהִנֵּה מְנֹרַת זָהָב כֻּלָּהּ וְגֻלָּהּ עַל־רֹאשָׁהּ וְשִׁבְעָה נֵרֹתֶיהָ עָלֶיהָ ita in textu hebraico. tota autem difficultas poſita eſt in dictione גֻּלָּהּ; *lampas* interpretatus eſt noſter vulgatus; quin etiam videtur legiſſe גֻּלָּהּ cum affixo fœminino; idcirco dixit *lampas ejus.* Ribera de ſacris litteris optimè meritus, hic labitur, & octavum comminiſcitur lumen, atque lucernam octavam in Candelabro hoc à Propheta viſo. nam interpretando verba illa: *Et lampas ejus ſuper caput ipſius*, ait: *Super hoc Candelabrum, præter illam maximam, erant ſeptem lucernæ minores, videlicet lampades ardentes.* Deinde ad myſtica ſe confert. Propterea affirmat, Candelabrum hoc viſum à Zacharia, nequaquam fuiſſe ejuſdem formæ cum Candelabro; quod in Tabernaculo, Moyſes, ex Dei præcepto, collocavit. Quamobrem nu. 31. quærens an verba prophetæ intelligi poſſint de templo Hieroſolymitano, quod à Zorobabele excitabatur, ſic ait: *At falſum eſt, quod aſſumunt de Candelabro; diſſimile hoc eſt Candelabro Tabernaculi, & ideò aliud ſignificat: illud habuit ſeptem ſolum lucernas, hoc juxta planum litteræ ſenſum habet octo.* At ſi Ribera præ oculis habuiſſet, prophetam loquutum in 2. & 3. capitulo de reædificatione civitatis Hieruſalem, atque Templi, de conſecratione Sacerdotis Jeſu, quod tamen me judice, negare non debuiſſet; utique vidiſſet in viſione hac Candelabri, aliud à Candelabro Tabernaculi, prophetam nequaquam vidiſſe.

Quod verò dicit Propheta ſe vidiſſe lampadem illius ſuper illud, duplicem interpretationem patitur: vel enim, ut quidam dicunt, poſitum fuit ſingulare pro plurali, & lampadem pro lampadibus, ſeu lucernis; vel etiam juxta phraſim ſacræ Scripturæ, & linguæ ſanctæ, A dicitur *lampas ejus ſuper illud*, ad inſinuandum candelabrum viſum à Propheta accenſum fuiſſe, non autem extinctum; quod noſtrum vulgatum voluiſſe interpretatione allata monſtratur. hoc enim ſignificat, *& lampas ejus ſuper caput ipſius*, quod hebraica lectio minimè tenuit. Verum ſi hebraicam velimus vocem גֻּלָּה attendere, ſignificari aliquid rotundum intelligemus, ut omnes interpretes, & dictionariorum auctores fatentur: ad quam rotunditatem noſter interpres qui interdum potius myſteria, quam verba præ oculis habet, non reſpexit; ſed tantum quod lucernæ illius erant accenſæ: quamobrem dixit: *Et lampas ejus ſuper illud.* Græca in hoc ſequutus exemplaria, quemadmodum ut plurimum B conſuevit.

Reliqui expoſitores omnes vocem גֻּלָּה attendentes, ex vi vocis rotundum aliquod vas ſignificari agnoſcunt, aliter, atque aliter juxta ſententiarum diverſitatem. Qui quidem omnes prophetici loci difficultate preſſi in illius expoſitione, quodammodo delirare videntur. Ex quibus irridendus ſanè eſt Iſidorus Clarius, vir alias doctus in Scripturis ſacris: comminiſcitur enim Candelabrum unius ſtipitis, in cujus ſuprema parte, & ſtipitis cacumine, rotundus diſcus, ſeu pelvis collocata eſſet, & in ejuſdem peripheria ſeptem arderent lucernæ. quam quidem, ab ipſo excogitati candelabri formam, cœnis, atque cœnaculis peraccommodam C fatemur; nunquam verò Scripturis ſacris, ubi de tabernaculo, aut templo, aut de ſacris initiationibus ſermo fuerit: quemadmodum in hoc Zachariæ loco contingit. à qua quidem interpretatione alieni omnino non videntur, qui in ea voce גֻּלָּה rotundos agnoverunt diſcos, tot ſuſtinentes lucernas, quot lucernas comminiſcuntur; quibus favet tranſlatio Septuaginta ſic habens: ἑώρακα, ϗ ἰδοὺ λυχνία χρυσῆ ὅλη, ϗ τὸ λαμπάδιον ἐπάνω αὐτῆς. id eſt, *Et vidi, & ecce Candelabrum aureum totum, & lampadium ſuper illud.* Dicitur autem lampadium, vas cui ſuperimponitur lucerna ad illam ſuſtentandam, figuræ ac formæ rotundæ: quamvis hoc rotundum cum ſacro Candelabro, ejus- D que fabrica præſcripta à Deo in lib. Exodi videatur pugnare. Quid verò excogitaverit Villalpandus in Ezechiel. lib. 4. cap. 58. in interpretatione hujus loci Zachariæ, non mirari non poſſum, de viro alias ingenioſiſſimo. Comminiſcitur enim quoddam Candelabrum ſeptem lucernis diſpoſitum, ita ut immineat Candelabro rota quædam rotunda, ex qua per ſeptem foramina ſtillat oleum perpendiculariter ad flammam lucernarum. rotundæ huic molæ ſuperimponit duo cornua, quibus ſupereminent arbores, olivarum baccis undique refertis ad ſubminiſtrandum oleum in cornibus, ut per foramina ſtillet in lucernis. a ſolo vero arbores illæ ex- E ſurgunt, tenduntque in ſuperiora Candelabri. hoc ipſe delineavit, nos ab ipſo delineatam *figura proxima* curavimus apponi.

Demum inſcribit figuram his verbis: *Candelabrum Templi aureum, quod vidit Zacharias, perenni olivarum oleo depaſci, quo etiam Sacerdotes & Reges inungebantur.* Deinde poſtmodum in explicatione, & cap. 62. illa interpretatur de copioſa gratiæ unctione, qua Chriſtus unctus fuit: & in fine capituli addit: *Quæ omnia oſtenſa Zachariæ, ejus viſione, quam propoſita oſtendimus figura, prope indicantur; in qua ſeptem Eccleſiæ ſanctæ lucernæ adſtantibus utrimque olivis, atque ſponte inſtillantibus, olei perennem copiam depaſcun-* F *tur, pleno in primis duplici cornu, quo Regnum indicatur & Sacerdotium.* hæc Vilalpandus.

Verùm quot aliena à divinis oraculis nemo non videt. nam eodem oleo unctos fuiſſe Reges & Sacerdotes, infra Myrothecio tertio rejicietur à nobis; eodem oleo unctos fuiſſe Sacerdotes, quo ſacri Candelabri lucernæ fovebantur, divina oracula negant cap. 30. Exodi, in quo forma unguenti præſcribitur ex variis aromatibus ad Sacerdotum conſecrationem; ut propter-



propterea mirari non deſinam, virum doctum in his lapſum fuiſſe. Quod attinet demum ad Candelabri formam à Zacharia viſam, rotam illam, ex qua defluat oleum in lucernas per ſeptem foramina, à divinis oraculis non accepit. Formam illam in ſuperiori rotæ, quæ ex ejus interpretatione, Regnum & Sacerdotium ſignificat, ipſe commentus eſt: Zacharias non vidit. propriam igitur viſionem interpretandam ſuſcepit, nequaquam verò Zachariæ viſionem nobis propoſuit. Duas hinc inde olivas poſuit, Candelabrum in medio olivarum collocavit: non ita ſacer textus, ſed dixit: *Et duæ olivæ ſuper illud, una à dextris lampadis, & una à ſiniſtris ejus.* A dextris, & ſiniſtris lampadis, non Candelabri, ut placuit Villalpando, de cujus ſententia jam ſatis.


Sunt alii qui Zachariæ locum, quantum attinet ad vocis interpretationem, magis attingunt: nam lenticulam eam vocem גֻּלָּה interpretantur M. Marinus in Dictionar. & Pagninus verbo גָּלַל qui etiam affirmat D. Hieronymum ita interpretatum hunc locum verſ. 2. & 3. quam interpretationem Pagninus in Bibliis quoque retinuit; conſentit Arias Montanus; qui duo ſic interpretantur locum prophetæ: *Vidi, & ecce Candelabrum aureum totum illud, & lenticula ſuper caput ejus.* Vatablus quoque in ſua marginali paraphraſi eidem interpretationi ſubſcribit, dicens: *Vidi, & ecce Candelabrum totum aureum, in ſummitate ſua habens lenticulam.* & addit: (*Vel eſt ſingulare pro plurali lenticulas*) *ſeptemque lucernæ ejus erant ſuper illud, id eſt in ſummitate ſtipitis, & ſeptem calamorum erant ſingulæ lenticulæ, & in lenticulis lucernæ.* Hæc Vatablus. Quid verò velit, quod in lenticulis eſſent lucernæ, viderint alii; nobis ſatis ſit גֻּלָּה *gullah* lenticulam interpretatum fuiſſe. Vim hujus vocis interpretationiſque à ſe allatæ veritatem, probat Pagninus ex alio loco Eccleſiaſtæ cap. 12. in quo eadem vox גֻּלָּה *gullah lenticulam* communiter interpretantur expoſitores.

Huic interpretationi nos quoque ſubſcribimus, quia dictioni hebraicæ innititur, & vulgatæ interpretationi non contradicit. Eſt autem vis vocis hebraicæ ſignificare aliquid rotundum, non quidem rotam aliquam in ſuperiora Candelabri ad fumum ellychniorum cum Villalpando excipiendum; ſed rotundam lenticulam dicimus, quale erat vas olearium. Nec quidem mirum eſſe debet hac voce à forma deſumpta, lenticulam ſignificari; multoties enim ex phraſi ſacræ Scripturæ, plurima à forma po-
D tius, quam à proprio vocabulo denominantur. Eſſentne tot lenticulæ quot lucernæ, dubitavit Vatablus, nec affirmandum cenſuit. nobis ſufficiat ſingularis lenticula, atque ſenſum prophetæ attigiſſe; quod, nimirum, viderit Candelabrum, cui lenticula olearia appenſa aderat. Dicitur autem hæc lenticula ſuper caput Candelabri; ſic enim in hebraico exemplari וְגֻלָּה עַל־רֹאשָׁהּ hoc eſt, *& lenticula ſuper caput ejus.* Quia *ſuper* in Scriptura ſacra multoties ſtat pro *juxta*, ut in Pſal. 133. *Super flumina Babylonis, illic ſedimus*, ideſt, *juxta flumina.* ita hic à propheta dicitur lenticula ſuper caput Candelabri, quia juxta caput, hoc eſt, in medio Candelabri ſtipite, appenſa, ut
E puto, viſebatur: non quidem in infima, ſed potius in ſuperiori parte ſtipitis, ubi duo ſupremi ramuſculi, è ſtipite medio emergebant. hîc vas olearium ad Candelabri, ac lucernarum uſum appenſum extitiſſe vidit propheta; juxta rationem illius, quod in Tabernaculo collocaverat Moyſes. Ratione id ſuadetur. nam cap. 4. Numer. ſcribitur, ut vidimus, Caathitarum munus fuiſſe, Candelabrum, & omnia vaſa illius portare per deſertum; quoties alibi filiis Iſraël caſtra metanda ac mutanda forent. Ferebant autem illud non equo, aut curru; ſed propriis humeris, ut habetur cap. 7. Numer. *Filiis autem Caath*, dicit textus, *non dedit*, ſupple Moyſes, *plauſtra & boves*,
F *quia in Sanctuario ſerviunt, & onera propriis portant humeris.* Si igitur Caathitæ propriis humeris Candelabrum portabant cum omnibus utenſilibus, quæ ad cultum illius inſerviebant; interque utenſilia, vaſa etiam olearia recenſentur; igitur vaſa olearia propriis ab his portabantur humeris. *Sument*, ſupple filii Aaron, *& pallium hyacinthinum*, inquit textus,

quo

quo operient Candelabrum cum lucernis, & forcipibus ſuis, & emunctoriis, & cunctis vaſis olei. ideſt, cum infundibulis & lenticula. Nec licebat Caathitis ſub pœna mortis, manibus iſta deferre, vaſa olearia contrectare, aut aliquid aliud, quod ad Candelabrum pertineret, ut ibi in textu dicitur. Igitur affirmandum erit, vaſa olearia ab ipſomet ſtipite Candelabri pependiſſe, dum Candelabrum portaretur: necnon etiam intra parietes Templi, atque Tabernaculi, ea ratione aſſervatum vas olearium, ut nec terram contrectaret. cumque rotunditatis de cauſa, olearia hæc vaſa lenticularis formæ, aliam quam ſuſpenſionis ſituationem non admitterent, ideò dixit Zacharias ſe vidiſſe lenticulam in capite illius: hoc eſt penden- B

A tem à ſuprema ſtipitis parte, & hinc inde à lenticula duas olivas. Sic enim legitur: וּשְׁנַיִם זֵיתִים עָלֶיהָ אֶחָד מִימִין הַגֻּלָּה וְאֶחָד עַל־שְׂמֹאלָהּ ideſt, *& duæ olivæ ſuper illud,* hoc eſt ſuper Candelabrum, *vna à dextris lenticulæ illius, & vna ad ſiniſtram illius.* Non igitur olivæ erumpebant è terra, ut in arbores ſurgentes ſupera Candelabri peterent; ſed dicuntur extitiſſe ſuper Candelabrum, quia duo ramuſculi aurei ad modum olivarum, ſive duæ olivæ aureæ ex baſi Candelabri erumpebant: quarum unam à dextris lenticulæ, quæ pendebat è medio Candelabri ſtipite, aliam à ſiniſtris ejuſdem, propheta vidit: quas hac icone ad majorem explicationem prophetici loci, delineandas curavimus.



Cognovimus prophetici loci viſionem, ſignificationem inveſtigent alii; nos olearii vaſis nomen cum cognoverimus, à nomine formam ejuſdem inveſtigabimus. nam nomina rerum à forma externa aliquando, interdum à miniſterio ſumuntur. A miniſterio lenticulam apud Hebræos nomen ſumpſiſſe videtur: proprio enim nomine hebraice פַּךְ dicebatur; quemadmodum habetur 1. Reg. cap. 10. cum agitur de unctione Saulis in Regem, Dei juſſu à Samuele Propheta deſignatum, וַיִּקַּח שְׁמוּאֵל אֶת־פַּךְ *& accepit Samuel lenticulam.* quam dictionem derivatam aliqui volunt à נָפַק, quod eſt *fluere;* alii fortaſſe rectius à פּוּךְ quod *muliebre pigmentum* ſignificat 4. Reg. cap. 9. Nos ab utroque eo nomine lenticulam Hebræorum dictam arbitramur: quia, nimirum, erat vas ad unguenta fluxibilia; verius dicemus ad oleum, quod cum odoratum tunc temporis eſſet, rationem unguenti ſervabat. At ſi forma externa ſpectetur, & lenticulæ etymon requiratur, à liniendo à Latinis dictum hoc vas, docet Iſidor. lib. 20. origin. cap. 7. *Lenticula,* inquit, *medium vas, æneum, vel argenteum quadrangulum in latere apertum, quod & lecythum. eſt enim vas olei, quo Reges & Sacerdotes ungebantur, à liniendo dictum.* ita Iſidorus qui tamen in multis decipitur, dum lenticulam non diſtingui à lecytho putat. E decipitur etiam quod aſſervaretur in lenticula oleum ad ungendum Sacerdotes, & Reges, de quibus in ſequentibus multa dicentur. Rectius, me judice, à nomine lentis lenticulæ formam ſumi ratio poſtulat: auctore enim Plin. lib. 27. cap. 12. figura rotunda preſſa ex ſe, dicitur figura lenticularis: itaque à forma, ea vaſa olearia dicta lenticulas in dictione φακὴ ſcripſit quoque Scapula. apertiſſimè verò, & formam lenticulæ, & uſus deferendi illas cum oleo, aperuit Apulejus lib. 2. Florid. cujuſdam Philoſophi, qui dicebatur Hippias, habitum referens, his verbis: *Ampullam quoque oleariam quam geſtabat, lenticulari formâ, tereti ambitu, preſſulâ rotunditate, &c.* cujus verba examinantes, ſuperiorem lenticulæ iconem F delineandam cenſuimus. Ex qua lenticulæ oleariæ forma, dictionis גֻּלָּה *gullah,* vis, quæ rotundum ſignificat, aperietur; & ſenſum Prophetæ Zachariæ, optimè perſpiciemus.

Materiam lenticulæ ſacræ, aurum extitiſſe non erit in ambiguo. Sic enim legimus Exo. 25. *Omne pondus Candelabri cum univerſis vaſis ſuis habebit talentum*

auri

auri puriſſimi. Cumque inter olcaria vaſa, etiam lenticulæ connumerentur, has quoque aureas extitiſſe certiſſimum erit. Licet enim apud Porphyrium legeris: διὰ τȣ̃το, ϗ τοῖς κεραμείοις ἀγγείοις, ϗ τοῖς ξυλινοῖς, ϗ πλεκτοῖς ἐχρῶντο, ϗ μᾶλλον πρὸς τὰς δημοτελεῖς ἱεροποιΐας τοιȣ́τοις χαίρειν ἐπεπεισμένοντο Θεῖον. hoc eſt, *ideò & fictilibus vaſis, & ligneis, & plectilibus utebantur, & præſertim ad ſacrificia publica: his enim delectari intelligebant numen.* Quod etiam & Romanos feciſſe in ſacrificiis, & ex Numæ inſtitutis, uſos ligneis, fictilibuſque patinis, ac vaſis cognovimus, auctore Varrone lib. 4. & Cicerone in paradoxis, cum ait: *Quid autem Numa Pompilius? minuſne gratas Diis immortalibus capedines, & fictiles urnulas, quam filicatas aliorum pateras arbitramur?* Et Plinius quoque in lib. de vir. Illuſtrib. refert; cum M. Curius Dentatus interverſæ pecuniæ argueretur; cadum ligneum, quo uti ad ſacrificia conſueverat, in medium protuliſſe, jurando ſe nihil amplius de præda hoſtili in domum ſuam convertiſſe. & rectè quidem, me judice, in cultu Deorum ligneorum, lapideorum, atque fictilium, dicemus illos veteres, fictilibus uſos vaſis, quibus etiam Hebræos uſos in ſacrificiis comedendis exiſtimo; non enim allati auctores in laudem Romanorum ea recenſentes, de his, quæ erant intra Templi parietes, ſeu in adytis loquuntur; ſed de catinis, patinis, paropſidibus, ac vaſculis, in quibus idolothyta manducabant. De quibus vaſculis nihil ſtatuit Deus Iſraëlitis. Cùm verò egit de menſa panum propoſitionis, de Arca teſtamenti, de Altari thymiamatis, deque Candelabro, & aliis, quæ intra ſanctum repoſita erant; deque vaſculis aureis, aureiſque inſtrumentis in cultu tabernaculi; deque his, quæ in Sancto Sanctorum, & in adyto ſanctiori Tabernaculi Dei ad cultum illius recondebantur, aurea cuncta ſtatuuntur. æquum enim erat, ut pro Dei majeſtate, cuncta auro onuſta cernerentur.

CAP. XIII.

Non ſolius Pontificis, ſed inferiorum quoque Sacerdotum erat, lucernas Candelabri oleo nutrire.

Ad loca Exodi 27. *Et collocabunt eam Aaron, & filii ejus, ut uſque mane luceat coram Domino.* Illuſtrantur loca 1. Reg. 3. *Factum eſt ergo, in die quadam Heli jacebat in loco ſuo, & oculi ejus caligaverant, nec poterat videre lucernam Dei antequam extingueretur.* Ad Hebr. cap. 9. *In priori quidem Tabernaculo, ſemper introibant Sacerdotes ſacrificiorum officia conſummantes; in ſecundo autem ſemel in anno ſolus Pontifex.*

CUJUS eſſet muneris, oleum in ſacro Tabernaculi Candelabro miniſtrare, prætereundum non erit. Apud Gentiles: atque idololatras, cultus ſacri ignis, penes quos eſſet diximus, cap. 6. & 8. Noſtrum de quo agimus ignem ad Sacerdotes pertinuiſſe, ex divinis oraculis perſpicuum eſt; qui tum lignis in Altari, tum oleo in lucernis, diligentiſſimè ignem ſacrum nutrire tenebantur. Verum cum Sacerdotum ordines, ac gradus diſtinguerentur, quorum aliqui minores dicebantur; ſupra quos Pontifex, ſive Summus Sacerdos, ſummum tenebat apicem; dubitandum occurrit, ſoliuſne Summi Sacerdotis, an minorum quoque munus foret, concinnare lucernas, eaſdem ſacro igne accendere, oleoque perfundere. Statim enim à prima Tabernaculi erectione, Moſaïcique cultus inſtitu-

A tione, Aaron in Summum Sacerdotem, Nadab verò, Abiu, Eleazar, & Ithamar filii ejus, minorum Sacerdotum munus, atque officium ſuſcipientes, nonnullis ritibus, ac cærimoniis, de quibus in ſequenti Myrothecio agetur, ex Dei præſcripto, conſecrati fuerunt. Hos verò minores Sacerdotes, à cultu ſacri Candelabri, ac lucernarum ſemotos fuiſſe, ſuſpicari quis poterat ex cap. 24. Levit. in quo ſermo eſt de lucernis: cujus enim muneris eſſet illas perfundere oleo, ſcribitur his verbis: *Ponetque eas Aaron à veſpere, uſque in mane, coram Domino, cultu, rituque perpetuo in generationibus veſtris.* Soli igitur Aaroni, minimè verò filiis ejus, reliquiſque
B minoribus Sacerdotibus, ſacrarum lucernarum cura demandata à Deo, vigore hujus textus, cenſendum videtur. Et ne alia quoque loca deeſſe quis putaret, adeſt pro hac parte textus ex cap. 3. lib. 1. Reg. in quo de Samuelis vocatione agitur, & ſacra Scriptura meminit de Summo Sacerdote Heli; qui in atrio Tabernaculi Domini, non longè à fœderis tabernaculo dormiebat. quia verò jacebat intra aulæa Atrii ejuſdem tabernaculi; hac de cauſa in textu, jacuiſſe in Tabernaculo dicitur, quod adnotaſſe libuit ad intelligentiam divinorum oraculorum in pluribus ſacræ Scripturæ locis, in quibus de Tabernaculo agitur. *Factum eſt ergo in die quadam*, in-
C quit textus, *Heli jacebat in loco ſuo, & oculi ejus caligaverant, nec poterat videre lucernam Dei antequam exſtingueretur.* Ut quid igitur textus refert Summum Sacerdotem Heli, lucernam Dei videre non potuiſſe, cum exſtingueretur? non alia certè de ratione fuiſſe hæc relata in ſacris Codicibus videntur, niſi ut Heli adeò inſenuiſſe inſinuaretur, ut à Sacerdotis munere, publicoque officio ei vacandum foret; honeſtaque miſſione meritò amandandus cenſeretur: ejus enim cum cenſeretur officii, lucernas Candelabri concinnare, atque incendere, quod minimum quidem inter reliqua ſacerdotalia munera locum occupat; tamen eo ætatis pervenerat,
D ut nec illud ritè obire poſſet. Lucernarum enim exſtinctionem obſervare nequibat. Quid ergo valeret in extis victimarum? quid in earumdem munditia? quid in panibus propoſitionis? quaſi dicat, nihil omnino. Cum igitur Heli Sacerdotii Moſaici ſummum teneret apicem; illique objiciatur lucernas Candelabri in exſtinctione nunquam poſuiſſe: Summi Sacerdotis tantùm, non autem Sacerdotum inferiorum, fuiſſe lucernarum cultum, ex hoc quoque loco probatum videbatur.

Vereor tamen, ne horum locorum interpretatio à ſcopo aberret. Nam textus ex primo Reg. proximè allatus, divinæ apparitionis factæ Samueli, de-
E terminatum tempus potius aperire voluit, ut arbitror; quam oſtendere, ad munus Pontificium cultum ſacrarum lucernarum pertinuiſſe; aut quod olei pro Candelabro Domini cura Summi foret Pontificis. Apertius res explicetur; veruſque divinorum oraculorum ſenſus, ex eiſdem textibus, collatis inter ſeſe tranſlationibus demonſtretur. In exemplari enim Vaticano Septuag. Interpr. aliter interpungitur, ac ordinatur idem textus, quam in Latinis, atque vulgatis exemplaribus: ſub hac enim verborum forma in Vaticanis legitur: *Et factum eſt in die illa, & Heli dormiebat in loco ſuo, & oculi ejus cœperant gravari, & non poterat videre.* Et hic habetur periodi
F finis ac punctum. ſicut etiam in hebraico textu eſt ibi, *ſoph paſuch*, id eſt, *finis verſiculi*, hoc modo:
וַיְהִי בַּיּוֹם הַהוּא וְעֵלִי שֹׁכֵב בִּמְקוֹמוֹ וְעֵינָיו הֵחֵלּוּ כֵהוֹת לֹא יוּכַל לִרְאוֹת
hoc eſt: *Et fuit in die illa* (eſt enim phraſis hebraica, qualis eſt illa apud Latinos & Græcos, *in illo tempore.* ſequitur) *& Heli jacens in loco ſuo, & oculi ejus elanguerant, ita ut non poſſet ad videndum.* & hic eſt finis verſus. Quamobrem quæ ſequuntur non

 per-

pertinent ad eandem ſententiam , ſed ad alia ſacer textus vertitur. quin etiam in vulgatis Bibliis noſtris in quibus nonnullis notis arithmeticis communiter capita , & verſiculi ſacrorum librorum diſtinguuntur, in dictione *videre*, adeſt finis antecedentis verſiculi , & initium ſubſequentis. Scribitur deinde in textu Septuag. Interpr. Samuelis vocatio , his verbis : *Et lucerna Dei antequàm eſſet inſtructa , & Samuel dormiebat in templo , ubi Arca Dei. & vocavit Dominus Samuel: Samuel :* hæc ibi. ita etiam in Hebraico , *& lucerna Dei nondum exſtincta , & Samuel jacebat in palatio.* hoc eſt in tabernaculo. Dicitur verò *nondum exſtincta* , non quod ex ſeipſa exſtingueretur lucerna , ſed quia non poterat apparari , oleoque impleri , niſi prius lucernæ Candelabri exſtinguerentur.

His ita ex ſacris textibus allatis , perſpicuum eſt, me judice , priora illa ſacrorum codicum verba: *Et non poterat videre*, ad lucernas, aut ad Candelabrum nulla ratione fore referenda ; quin potius ad annos , in quibus facta eſt viſio illa ; qui quidem anni per decrepitam Heli Summi Sacerdotis ætatem inſinuantur. quapropter cum Heli vixerit annos octo ſupra nonaginta , & Samuel tunc quadragenarius circiter eſſet, Deum loquutum Samueli putant ſeptuageſimo ſecundo anno vitæ Heli , qui erat decimus tertius ejuſdem Samuelis annus. Ad annos igitur ſeptuaginta duos Heli referuntur illa verba textus : *Oculi ejus caligaverant , & non poterat videre.* Poſteriora verò verba , illa nimirum , *lucerna Dei antequàm exſtingueretur* , juxta noſtrum vulgatum , ſive ut in exemplari Vaticano Septuag. interpr. habetur : *Et lucerna Dei antequàm eſſet inſtructa :* quæ ſunt initium alterius verſiculi : ad horam , locum , tempuſque divinæ apparitionis factæ Samueli referenda exiſtimo. Horam quidem ac tempus in his ; *Et lucerna Dei antequàm eſſet inſtructa :* locum autem in ſubſequentibus : *Et Samuel dormiebat in Templo , ubi Arca Dei.* Ubi verò noſtrum exemplar habet , *Et lucerna Dei antequam extingueretur*, וְנֵר אֱלֹהִים טֶרֶם יִכְבֶּה וּשְׁמוּאֵל שֹׁכֵב בְּהֵיכַל יְהוָה hoc eſt , *& lucerna Dei priuſquam exſtingueretur , & Samuel jacebat in palatio Domini*, nulla poſita particula diſtinctiva ſenſus , aut verborum. Nec prætereundum erit dictionem טֶרֶם *terem* , cui correſpondet in noſtro exemplari dictio *antequam* , ex vi Hebraicæ linguæ non ſemper id ſignificare , ſed multoties valere *nondum*, quemadmodum in eodem capitulo parum infra num. 7. in illis verbis : *Et Samuel nondum ſciebat Dominum.* hebraice habetur ; וּשְׁמוּאֵל טֶרֶם יָדַע אֶת־יְהוָה *Et Samuel nondum cognoſcebat Dominum.* Hac igitur hujus vocis retenta ſignificatione, ſic cum Græcis exemplaribus , ac Theodoreto , illum textum interpretabimur: *Et lucerna Dei nondum erat inſtructa* : vel cum hebraico textu , *Et lucerna Dei nondum exſtinguebatur.* Sive ut Symmachus , οὔπω ἐσβέσθη *nondum exſtincta erat.* His etiam conſentit Complutenſis dicens , πρὶν ἢ κατασβεσθῆναι , id eſt , *priuſquam illa* , nimirum lucerna , *exſtingueretur* : niſi nominaliter infinitivum velimus accipere , dicendo , *ante extinctionem* , vel cum Aquila , ϗ λύχνος τοῦ Θεοῦ πρὶν σβεσθῆναι . id eſt, *Et lucerna Dei priuſquam exſtingueretur.* Quæ omnia allata ſunt ; ut, in ea interpretatione , communis conſenſus agnoſcatur Interpretum : qui omnes ad tempus , & horam divinæ apparitionis , illa verba retulerunt. his enim quodammodo noctis hora inſinuatur , in qua Dominus Samuelem vocavit. Ut enim placet Theodoreto quæſt. 11. media nocte oleo lucernæ Candelabri ſancti apparabantur. quod niſi placuerit , dicemus cum ſacro textu , Levit. 24. *Ponetque eas Aaron à veſpere uſque in mane coram Domino. In mane* , ideſt, ſummo mane , illuceſcente jam aurora , lucernas

A Candelabri apparari morem fuiſſe. nam dictio hebraica בֹּקֶר *boker* , ſignificat matutinum tempus , quod eluceſcit ante Solis ortum , atque opponitur in Scripturis ſacris dictioni *hangharuaim* הָעַרְבָּיִם , quæ ſignificat veſpertinum tempus poſt ſolis occaſum. Senſus igitur allati textus ex 1. Reg. erit , poſt mediam noctem , aurora jam illuceſcente , cum nondum lucernæ ſacri Candelabri forent apparatæ, dormiente adhuc Heli , ac Samuele , hunc à Deo excitatum , atque vocatum fuiſſe ; nulla igitur ratione admittendam putamus allatam interpretationem ; quæ docebat ſacrum interpretem , ac textum voluiſſe oſtendere , cultum Candelabri , atque lucernarum , B & curam olei ad luminis nutrimentum , Summi Pontificatus fore muneris.

Nec validioris eſt roboris locus alter ex cap. 24. Levit. nam quamvis dicatur de lucernis : *Ponetque eas Aaron à veſpere uſquè in mane coram Domino, cultu rituque perpetuo in generationibus veſtris :* tamen diſſonantiæ ſcripturarum , ex aliis locis expendendæ atque interpretandæ ſunt ; cùm omnia in his conſona, nihil diſſonum excogitare liceat. Igitur quia c. 27. Exodi cultus lucernarum in ſacro Candelabro , tam ad Sacerdotem Summum , quam ad alios minores Sacerdotes refertur ; pari modo locus ex cap. 24. Levit. intelligendus erit. accedente etiam Septuag. C Interp. auctoritate , qui ita in Levitico legunt : ϗ καύσουσιν αὐτὸν Ἀαρὼν , ϗ αὐτοῦ υἱοί , ideſt , *& accendant illud* , ſupple lumen ſupra Candelabrum, *Aaron , & filii ejus.* Quemadmodum etiam in Exod. dicitur : *Et collocabunt eam Aaron , & filii ejus , ut uſque mane luceat coram Domino.* Quod autem in Levit. ſcribatur , Lucernas ponendas ab Aarone, neminem turbet: erat enim Aaron ſacrorum omnium præfectus. quamobrem Aarone jubente parandæ , ac concinnandæ fuerunt lucernæ in ſacro Dei Candelabro : eapropter dicitur ab Aarone lucernas ponendas in Candelabro. nam & apud Romanos, quamvis cuſtodia ſacri ignis penes Virgines Veſtales eſſet, D his tamen præficiebatur Pontifex; penes quem proculdubio , prout de more ſacrorum, Veſtæ cura repoſita erat. Eſt Romæ lapis de hoc Pontificatu in hac forma.

AGORII
VETTIA. AGORIA. PRAETEXTATA
PONTIFICI. VESTAE. QVESTORI
PONTIFICI. SOLI CANDIDATO
QVINDECIM. VIR. PRAETORI. VRBANI
AVGVRI.

E Noſtra igitur ſententia perpetua erit ac ſtabilis , ſacrarum nimirum lucernarum cultum , & curam ad Pontificem Summum ; veluti ad ſacrorum præfectum , pertinuiſſe in Tabernaculo Dei ; ut ejus eſſet auctoritatis præſcribere minoribus Sacerdotibus , tempus , horam , cultum , atque cærimonias retinendas in lucernis accendendis, ac in oleo parando; ſicuti etiam à ſacris arcere , qui negligentiores extitiſſent : minorum verò , inferiorumque Sacerdotum officium fuiſſe , juxta præſcriptos à Summo Pontifice ritus , lucernas oleo munire , ſacroque igne incendere. In quo etiam Abulenſem quæſt. 3. in cap. 24. Levit. ex parte patronum habemus ; quod ipſe F quoque filiis Aaron lucernarum curam concedat.

Sunt verò , pro hac ſententia , loca apertiſſima in ſacris litteris. nam Exod. cap. 27. de miniſterio lucernarum pro Dei Candelabro agitur his verbis : *Et collocabunt eam Aaron , & filii ejus , ut uſque mane luceat coram Domino.* Et Num. cap. 4. ubi de depoſitione Tabernaculi occaſione caſtrorum movendorum eſt ſermo ; deque inſarciendo Candelabro , ut

ut commodè à Caathitis per deſertum deferri poſſet: *Ingredietur Aaron & filii ejus quando movenda ſunt caſtra*, dicit ſacer textus. Et infra: *ſument & pallium hyacinthinum, quo operient Candelabrum cum lucernis, & forcipibus ſuis, & emunctoriis, & cunctis vaſis olei; quæ ad concinnandas lucernas neceſſaria ſunt: & ſuper omnia ponent operimentum ianthinarum pellium, &c.* Igitur Candelabrum apparare, cum proficiſcendum eſſet, non ſolum Aaronis erat, ſed etiam ad inferiores Sacerdotes ſpectabat: & ex conſequenti, ratione cultûs, curam quoque ejuſdem Candelabri, ac lucernarum, ad eoſdem pertinuiſſe liquido conſtat.

Si verò à pari, pro hac ſententia, argumentum ſumere liceret: efficaciſſimum à miniſterio Tabernaculi in ſancto exteriori, ut puto, ſumetur. nam panes propoſitionis offerre, & eoſdem ſuper auream menſam è regione Candelabri collocare, ſanctum quoque, & fragrantiſſimum thymiama ſuper Altare aureum igni ſuperimponere, atque in ipſo ſtatim ſacri Tabernaculi ingreſſu, Deo opt. max. offerre, minoribus etiam Sacerdotibus, ex Dei præſcripto, concedebatur. ita enim Levit. cap. 21. dicitur: *Loquere ad Sacerdotes filios Aaron, & dices ad eos.* Et infra: *Sancti erunt Domino, & panes Dei ſui offerunt, & ideò ſancti erunt.* Amplius ibidem: *Quia conſecratus eſt Deo ſuo, & panes propoſitionis offert.* Igitur & lucernas accendere, & oleum ad nutrimentum luminis in Candelabro miniſtrare, eiſdem minoribus Sacerdotibus licuiſſe, inficias eundum non erit. Nam ſacrum Dei Tabernaculum, ea ratione medio velo dividebatur, ut adytum ipſum, ſive oraculum, Sanctum Sanctorum diceretur: quod verò extra velum relinquebatur, ſanctum tantummodo appellaretur: juxta quam ſacri Tabernaculi partitionem, Sacerdotum quoque munera diſtinguebantur. Nam Sanctum Sanctorum ingredi, ibique cum Deo agere, ſolius erat Pontificis, Summique Sacerdotis: at verò ſacrum illud miniſterium, quod in ſancto tantum agebatur; oblatio nimirum incenſi, renovatioque panum propoſitionis, non ſolius Pontificis, ſed inferiorum, ac minorum quoque Sacerdotum munus erat: igitur & cultus Candelabri, lucernarumque cura, ad eoſdem pertinebat: cum & Candelabrum in ſancto extra velum, una cum menſa panum, & Altare incenſi collocatum exiſteret.

Quamplurimis poteſt argumentis noſtra fulciri ſententia: propterea à quotidiano cultu Tabernaculi Moſayci ratio pro ea tantum ſumatur, Apoſtoli quidem auctoritate communita. Quotidie enim mane, & ſero, ut vidimus, ex cap. 24. Levit. ſancti Candelabri lucernæ parabantur, atque incendebantur. Perſpicuum eſt autem ſacris ex litteris, quotidiana Tabernaculi miniſteria, ex munere, ad minores pertinuiſſe Sacerdotes; ſunt in veteri Teſtamento loca plurima: nobis id probare ſufficiat, vel auctore Paulo ad Hebr. cap. 9. *In priori quidem Tabernaculo*, inquit, *ſemper introibant Sacerdotes, ſacrificiorum officia conſummantes, in ſecundo autem ſemel in anno ſolus Pontifex.* Ita Paulus, apud quem prius Tabernaculum dicitur exterior pars Tabernaculi, quæ Sanctum, ut diximus, appellabatur; & à Sancto Sanctorum velo interpoſito diſtinguebatur. Erat ibi menſa, ſuper quam propoſitionis panes ſingulo quoque Sabbato collocabantur: erat & Candelabrum cum lucernis; aderat quoque altare thymiamatis; quod & Paulus Apoſtolus in principio ejuſdem capituli jam citati oſtendit. Tabernaculum autem ſecundum appellat interiorem illam partem, quæ Sanctum Sanctorum dicebatur; ubi Altare, & ſuper illud Arca fœderis ſuperpoſita videbatur; cum propitiatorio, à duobus Cherubim ſubſtentato; ubi benigniſſimus Deus conſulenti Sacerdoti reſpondere dignabatur.

In hoc igitur interiori ſacratiorique Tabernaculi adyto, ſolus Pontifex ſemel in anno admittebatur: *εἰς δὲ τὴν δευτέραν ἅπαξ τοῦ ἐνιαυτοῦ μόνος ὁ ἀρχιερεὺς*, inquit Paulus. At in priori parte Tabernaculi, quod ſanctum dicebatur, *διαπαντὸς εἰσίασιν οἱ ἱερεῖς*, *ſemper introibant Sacerdotes*, ait ille. Ibi ſolus & ſemel Pontifex; hic Pontifex & minores quoque Sacerdotes ſemper: quoniam quotidie ſero, & mane incenſum offerebatur in Altari; lucernæ Candelabri oleo implebantur; lumina jam exſtincta incendebantur; vel exſtinguenda fovebantur, ne exſtinguerentur; & quavis hora diei pro cultus opportunitate eò ingrediebantur, ſacrificiorum ritus conſummantes, atque perficientes: non quidem quod in ea anteriori Tabernaculi parte, victimæ mactarentur, aut comburerentur; aut quod nomine prioris Tabernaculi partem etiam exteriorem atrii, in quo erat Altare victimarum, comprehenderit in illis verbis Apoſtolus, ut Ribera deceptus docuit in epiſt. ad Hebræos; ſed quia cultus thymiamatis, oleique in lucernis ibi Deo exhibebatur; nec non etiam quia ſanguis victimarum, quæ in Altari comburebantur priuſquam cremarentur; in ſancto extra, contraque velum adſpergebatur; & eodem ſanguine Altare aureum nonnunquam tingebatur, ut in Levitico habetur. quam ob rationem, textus Græcus dicit, *τὰς λατρείας ἐπιτελοῦντες*, hoc eſt, *cultus conſummantes*, ſive, *latrias perficientes*, ſive, ut dixit noſter interpres, *ſacrificiorum officia conſummantes*; non dixit ſacrificia offerentes, ſed *ſacrificiorum officia conſummantes.* Eſt autem cultus, ſive ſacrificiorum officia conſummare, ſanguinem victimarum in ſanctum inducere, juxta præſcriptos Dei ritus, lucernas componere, lumina nutrire oleo, aromata ſuper Altare incenſi imponere comburenda; & panes propoſitionis ſingulis Sabbatis renovare: quæ de mandato Dei optimi maximi, juxta præſcriptas à Deo regulas, & à Pontifice ritus, ac cærimonias, ad inferiores ſpectabant Sacerdotes.

CAP. XIV.

Olei offerendi nulla Iſraëlitas teneri lege falſo exiſtimavit Abulenſis.

Ad loca Exodi 25. *Loquere filijs Iſraël, ut tollant mihi primitias ab omni homine, qui offert ultroneus, accipietis eas. Hæc ſunt autem quæ accipere debetis, aurum, & argentum, & æs, hyacinthum, & purpuram, coccumque bis tinctum, & byſſum, pilos caprarum, & pelles arietum rubricatas, pelleſque Ianthinas, & ligna ſetim, oleum ad luminaria concinnanda, aromata in unguentum.* Et ex cap. 35. *Omnis voluntarius, & prono animo offerat eas Domino, &c.* Et ad alia plura loca.

GRATISSIMUM Deo benedicto cultum olei in lucernis ſancti Candelabri exſtitiſſe, ſacra oracula ubique prædicant. Cum primis verò de hoc oleo, deque eo offerendo à filiis Iſraël loquuntur: non enim tantum cap. 35. Exo. juſſit Deus offerri ſibi oleum, & cap. 24. Levit. ſed & Exo. cap. 25. inter primitias, quas ſibi à filiis Iſraël offerri voluit, inter aurum, argentum, æs, hyacinthum, purpuram, coccum, byſſum, & aromata, inter lapides onychinos, & gemmas, oleum quoque recenſuit. Quamobrem inquiramus oportet, quænam illius legis vis ſit; quam obligationem in Iſraëlitas intulerit: hinc enim notum fiet, an Iſraëlitæ

tæ ex vi præcepti , hoc genus olei olivarum lucidiſſimum , mundiſſimum , & purum Deo offerre , tum ad uſum lucernarum , tum etiam ad compoſitionem unguenti ſancti tenerentur , necne. ſive potius , publicatis jam edictis, de offerendo oleo , deque aliis jam enumeratis , Iſraëlitis nihilominus à præcepto abſolutis , in eorum arbitrio offerre , vel non offerre oleum poſitum eſſet : adeò ut qui oleum offerre omnino contempſiſſent , nulla criminis labe ex vi ejus edicti afficerentur. diſputatio quidem ſatis copioſa , ſed paulò abſtruſior.

Pro Iſraëlitis quidem exſtat ſententia doctiſſimi , celeberrimique viri Alphonſi Epiſcopi Abulenſis ; cujus quidem animi ſenſus in difficultatibus ſacræ Scripturæ , velut à recondita Arca divinorum oraculorum erumpens , apud viros doctos maximæ auctoritatis ſemper exſtitit. Is igitur in cap. 27. Exo. Filios Iſraël nulla legis , aut præcepti vi obligatos exſtitiſſe affirmat , ad oleum, aut ad aliquid eorum, quæ Exo. 25. filiis Iſraël offerenda à Deo præcipiuntur , ſub hac verborum forma : *Loquere filiis Iſraël, ut tollant mihi primitias ab omni homine , qui offert ultroneus , accipietis eas. hæc ſunt autem quæ accipere debetis , aurum & argentum , & æs , hyacinthum , & purpuram , coccumque bis tinctum , & byſſum, & pilos caprarum , & pelles arietum rubricatas , pelleſque Ianthinas , & ligna ſetim , oleum ad luminaria concinnanda , aromata in unguentum , &c.* Animi ſui ſenſum probare Abulenſis argumentis non contemnendis nititur : nimirum, quod Deus illa omnia à Moyſe acceptari juſſerit ab his , qui ſponte illa obtuliſſent : quod quidem ex ipſo ſaltem contextu apertiſſimum videtur. Dixerat enim Deus : *Ab omni homine, qui offert ultroneus, accipietis eas ;* quaſi verò apertius id explicare vellet , in eodem capitulo infra , ſic ait : *Separate apud vos primitias Domino : omnis voluntarius, & prono animo offerat eas Domino.* Quanta verò animi alacritate , ac promptitudine omnia filii Iſraël obtulerint , ſacer textus aperuit , dicens : *Egreſſaque omnis multitudo filiorum Iſraël de conſpectu Moyſis, obtulerunt mente promptiſſima atque devota primitias Domino , ad faciendum opus Tabernaculi teſtimonii.* Parum infra , in eodem capitulo , de his quæ à mulieribus oblata fuerunt , his verbis agitur : *Sed & mulieres doctæ, quæ texuerant , dederunt hyacinthum, purpuram , & vermiculum , ac byſſum , & pilos caprarum , ſponte propria cuncta tribuentes.* Et infra : *Omnes viri & mulieres, mente devota, obtulerunt donaria, ut fierent opera quæ juſſerat Dominus per manum Moyſi.* Si igitur cuncta accipienda fuerunt ab his , qui ſponte, qui voluntariè, qui prono animo, qui mente promptiſſima obtuliſſent; nullo præcepto tenebantur Iſraëlitæ , inquit Abulenſis , ſed ſponte filii Iſraël cum recenſita à Deo obtulerunt ; in eorum videbatur poteſtate illa offerre , vel non offerre poſitum fuiſſe ; ac propterea nullam criminis, aut culpæ labem contraxiſſent , qui oleum , aut aliud ex jam enumeratis in cultum Tabernaculi minimè obtuliſſent.

Verum enimvero dictio Latina PRÆCIPE , qua ſacer textus cap. 27. Exod. & cap. 24. Levit. ad favorem olei utitur , Abulenſi negotium affert. nam verbi illius efficaciâ , atque energiâ , ſententia Abulenſis non ſolum in dubium revocatur, ſed quodammodo omnino enervatur : accedente etiam auctoritate dictionis hebraicæ צו , quæ Latino verbo PRÆCIPE cum correſpondeat , imperii actum repræſentat.

Huic verò vocabulo ipſe occurrendum exiſtimavit , docens , nil aliud eo ſignificari , quam *Commenda* , *Admone* , *Hortare* , & alia ſimilia , quæ nullum imperii actum dicunt ; neque aliquam inducunt obligationem. itaque , juxta mentem Abulen-

A ſis , idem erit dicere , *Præcipe filiis Iſraël,* atque hortare filios Iſraël. Ne verò gratis, aut ex capite Abulenſem fuiſſe loquutum cenſeretur ; contendit ille apud Latinos verbum PRÆCIPE , nullum actum imperii aliquando dicere. probat , quod litterarii ludi magiſtri *Præceptores* appellantur ; cum tamen (ut Abulenſis docet) nullum imperii jus habeant. Stare etiam pro ſe exiſtimat loca Proverb. cap. 6. & 7. ſunt enim verba patris ad filium dicentis : *Conſerva fili mi præcepta patris tui.* & cap. 7. ejuſdem ad eundem dicentis : *Fili mi ; cuſtodi ſermones meos , & præcepta mea reconde tibi.* Quibus quidem in locis , ex ſententia Abulenſis , præceptum nulla

B ratiòne pro lege , aut ſtatuto accipitur , quod obligandi vim habeat ; ſed pro doctrina , & conſilio , ut ſenſus ſit , *fili mi , conſerva conſilia patris tui.* Cui interpretationi etiam Michaël Medina in Apolog. pro Joan. Fero adverſus Dominicum Soto ſubſcribit. Pro eadem Septuag. Interp. ſtare videntur in Vatic. exemplari cap. 27. Exod. ubi enim nos cum vulgato legimus *Præcipe* , illi , *Dic filiis Iſraël*, habent ; qua certè lectionis , ac interpretationis diverſitate à Septuag. Interp. inſinuatum videtur , ex vi dictionis PRÆCIPE , imperium nequaquam ſignificari ; quo obligatio aliqua in ſubditos inferatur. Quibus ſanè fundamentis , mens Abulen-

C ſis ac placitum , tum ad reſiſtendum objectis , tum ad perſiſtendum , ſtabile, ac firmum cenſetur. Sententia hæc , locorumque ſacrorum interpretationes , quamvis eruditiſſimi hominis , deque ſacris litteris optimè meriti , auctoritati innitatur : nihilominus nec rationibus , nec locorum allatorum auctoritate firma omnino , atque inconcuſſa , me judice , cenſeri debet. Mens enim adhuc dubia pendet , cum ab Abulenſi allata jam loca, veriores pati interpretationes videantur. etenim inficias iri nequit ; vim legis atque præcepti Deum adhibuiſſe, dum agit de oblationibus in cultum Tabernaculi. Ad trutinam ſacrorum oraculorum revocetur mens. ſic enim cap.

D 31. Exod. legimus : *Iſte eſt ſermo, quem præcepit vobis Dominus dicens , Separate apud vos primitias Domino.* Dominus igitur præcepit : ubi verò adeſt ratio præcepti & auctoritas præcipientis, vim quoque obligativam in his agnoſci neceſſe eſt : ni velimus media in luce cæcutire. Nec quemquam moveat , quod cap. 25. Exod. dicatur à Moyſe : *Omnis voluntarius , & prono animo offerat eas Domino.* neque quod ſacer textus affirmet; populum ea donaria mente promptiſſima , atque devota obtuliſſe, nec denique quod mulieres ſponte propria in cultum Tabernaculi cuncta præſtiterint , quæ ad opus textrinum

E pertinebant. Hæc enim omnia , & ſi quæ alia pro Abulenſi fundamenta adſint , nequaquam præcepti vim enervant, aut legis obligationem tollunt. Nam & tributa , quæ ſubditi ſuis Principibus pendunt ; & Onera , & Munera quoque appellantur. Onera, quia debentur ex vi legis , & imperii juris. Munera , quia hilari fronte exhibenda ſunt.

Quamobrem quod ſponte populus in ſacro textu obtuliſſe dicatur , quæ Deus juſſerat ; ſolùm indigitat filios Iſraël alacri animo , hilarique fronte , & nequaquam coactè cuncta obtuliſſe , quæ ad Tabernaculi cultum ſpectabant; Sponte, nimirum, quatenus diſtinguitur à coactione , ut loquamur cum

F Scholaſticis ; minimè verò tollit , filios Iſraël præcepto obligari ; aut quod ad ea offerenda, quæ Deus juſſerat , lege non adſtringerentur. Num quia Deus patrem , & matrem honorandos jubet : hac lege libertas fuit ſublata filiis , quo minùs Dei amore, menteque devota præceptum illud ſervare poſſent ; aut ſtante præcepto , ſponte patrem , ac matrem diligere nequeunt filii ? Præcipit lex , Deum diligere , Deum unum colere , vultne Deus diligi

co-

coactè ? nequaquam certè. Hoc idem igitur verbum *Præcipe*, in reliquis divinæ legis præceptis locum habeat neceſſe eſt. *Non pareo Deo*, inquit Seneca ad Lucill. epiſt. 96. *ſed aſſentior ; ex animo illum, non quia neceſſe eſt, ſequor.*

Explicentur apertius loca ex ſacris litteris jam allata ; aperiaturque vis illius dictionis, SPONTE, quæ Abulenſem decepit : in his enim quæ Deus offerenda pro cultu Tabernaculi mandaverat ; quantitatem à qualitate ſpecifica rerum, numeroque earumdem diſtinguere oportet. De qualitate, ac rerum offerendarum genere, ita ſacer textus Exodi 25. *Hæc ſunt autem quæ accipere debetis, aurum, & argentum, & æs, hyacinthum, & purpuram, coccumque bis tinctum, & byſſum, pilos caprarum, & pelles arietum rubricatas, pelleſque janthinas, & ligna ſetim, oleum ad lùminaria concinnanda, aromata in unguentum, & thymiama boni odoris, lapides onychinos, & gemmas ad ornandum ephod ac rationale.* De quantitate, nimirum de pondere auri, argenti, æris, aromatum, ac reliquorum, deque menſura, exempli gratia, olei, byſſi, purpuræ, lignorum ſetim, & ſimilium, nihil decrevit, aut ſtatuit Deus. Cum igitur non omnes Iſraëlitæ, qui erant in deſerto, illa omnia poſſiderent, ſed unus argentum, & æs, non autem aurum, aut oleum habere potuerit ; alter oleum, & aromata, non verò metalla poſſideret ; quin etiam alter altero auri, argenti, æris, & reliquorum majorem copiam, alter altero minorem haberet, fieri nequaquam potuit, ut omnes omnia, ac ſingula, de quibus lex habebatur, in cultum Tabernaculi obtulerint. qui etiam ex rebus à Deo præſcriptis aliquid obtulerunt, nequaquam eos æquali menſura, ac pondere illa obtuliſſe putandum eſt : quæ omnia in ſequenti capite ex ſacris textibus à nobis apertiora fient. Cum igitur Deus rerum offerendarum ſpecies, ac qualitatem decreviſſet : & nihil de quantitate auri, verbi gratia, aut de menſura olei : nec etiam juſſerit unumquemque ſingulas res de ſingulis ſpeciebus offerre debere ; ſed potius devotioni, pietati, atque arbitrio cujuſque id reliquiſſet ; propterea ſponte, mente promptiſſima, prono animo, devoto affectu, à filiis Iſraël ea omnia oblata fuiſſe meritò affirmabimus.

Patebunt iſta adhuc, ſi ab ovo negotium inveſtigantes, verba cap. 25. Exodi, & ex verbis ſenſum attenderimus ; cum primis ex hebraico textu, cujus ſenſum vulgatus interpres exprimere voluit. Ubi enim nos legimus : *Loquere filiis Iſraël, ut tollant mihi primitias, ab omni homine qui offert ultroneus, accipietis eas.* hebraice his verbis dicitur : וְיִקְחוּ לִי תְּרוּמָה מֵאֵת-כָּל־אִישׁ אֲשֶׁר יִדְּבֶנּוּ לִבּוֹ תִּקְחוּ אֶת תְּרוּמָתִי Quorum verborum ſenſus, quamvis difficilè per verba Latina exprimatur, propter vocem נָדַב *nadab*, ut tamen illorum vis aperiatur ; obſervetur dictionem hebraicam אֲשֶׁר relativam eſſe, atque eidem in eo textu præponi accentum regium ; qui accentus diſtinguit ſententiam, quemadmodum commata apud nos Latinos. itaque is erit ſenſus : *Et accipietis mihi oblationem ab omni homine.* Hæc dicta ſunt quantum ad ſpecies rerum offerendarum ; deinde ad quantitatem illarum reſpiciens, quam quiſque offerre debebat, ſubintulit : *Quicquid placuerit ſibi accipietis oblationem mihi.* Quamobrem non ſolum relativum אֲשֶׁר, ſed etiam dictio illa נָדִיב, quæ *ultroneus*, ſive *ſpontaneus* interpretatur ; non reſpiciunt antecedentem partem periodi, ſed ſubſequentem. quantitatem videlicet & menſuram rerum offerendarum. Quamobrem cogi nequibant filii Iſraël ad libram auri, vel unciam, aut dimidiam, neque ad olei cadum, ſive ſemicadium offerendum, ſed id erat in voluntate, ac poteſtate uniuſcujuſque poſitum ; quamvis unuſquiſque ex vi præcepti aliquid offerre cogeretur. quam quidem interpretationem reliqua etiam allata pro Abulenſi loca admittunt ; ut jam liquido appareat dictionem, SPONTE, præcepto vim obligativam nequaquam tollere, aut legem abrogare. Quæ adhuc pro Abulenſi afferuntur, in ſequenti capitulo elucidanda tranſmiſimus, ne lectori tædium afferretur.

CAP. XV.

Jure præcepti Iſraëlitæ offerre oleum, ad uſum Candelabri tenebantur.

Ad loca Exodi 27. *Præcipe filiis Iſraël, ut afferant tibi oleum de arboribus olivarum.* Levit. 24. *Præcipe filiis Iſraël, ut afferant tibi oleum de olivis.* Proverb. 6. *Conſerva fili mi præcepta patris tui.* Et ad alia loca.

NON erit in dubium revocandum, eas rationes priora occupare ſubſellia, in interpretatione ſacrarum Scripturarum, & recta earumdem intelligentia, quæ divinis ipſis oraculis innituntur ; quibus proculdubio rationibus ſtantibus, auctoritas cujuſcumque viri (ipſius etiam Abulenſis) cedere cogitur. Exiſtimabat ipſe, ut vidimus, Iſraëlitas, ad offerendum, quæ Deus juſſerat in cultum Tabernaculi, nulla præcepti vi obligari : verum quo pacto intelligi debeat, SPONTE, in locis allatis, jam aperuimus ; jureque legis Iſraëlitas obligatos exſtitiſſe oſtendimus. Sed quamvis vera eſſet ſententia Abulenſis de auro, argento, ære, deque reliquis, quorum uſus ad excitandum Tabernaculum neceſſarius cenſebatur : rejicienda tamen omnino erit, cum de oleo ad cultum Candelabri, & ad luminaria ſacrarum lucernarum fovenda agitur ; certumque debet eſſe, quod oleum miniſtrare vi legis atque præcepti, filii Iſraël omnino cogebantur. Apertiſſimè id oſtendunt loca plurima. nam cap. 27. Exodi habetur : *Præcipe filiis Iſraël, ut afferant tibi oleum de arboribus olivarum.* ſimiliter Levit. 24. dicitur : *Præcipe filiis Iſraël, ut afferant tibi oleum de olivis.* Quamobrem in verbo PRÆCIPE, vim legis agnoſcere cogimur. Vis enim, ac energia verbi hujus PRÆCIPE, quam maxima eſt : quamobrem in eo inſiſtendum erit ; ut divini ſtatuti de oleo offerendo germanus eruatur ſenſus. Solius enim ſuperioris auctoritatem habentis fore præcipere perſpicuum eſt : & ideò eos ad quos dirigitur illud verbum, obligatione devincit ; obligatione, inquam, quæ jure legis liget eos, ad quos dirigitur. adeò ut Summus Pontifex licet verbo *Mandamus*, jus commune nequaquam abroget ; ſi tamen verbo, *Præcipimus* uſus fuerit, jus commune utique frangere, ac rumpere, ſentiunt Doctores. & eſt doctrina Hoſtienſis in cap. capitulum, de reſcript. quia enim in inveſtiganda vi legis verſamur ; ad jura, leges, legumque interpretes, & Juriſconſultorum placita confugere licet : intelligentiam enim verbi PRÆCIPE, quærimus ; quod ut diximus, irritat jus commune ; de quo etiam eſt notabilis gloſſa in l. ſæpe, de offic. Præſid. hic namque dicitur. „Quod ſi Princeps reſcriptum fecerit ad Præſidem Provinciæ, aliquam cauſam ei remittendo, & uſus fuerit verbo „*Præcipimus*, non licebit Præſidi cauſam illam alteri „delegare ; & facit authent. ut nulli judicum, §. & „hic verò jubemus. cum tamen ex regula communi „Juriſperitorum, delegatus à Principe poſſit delegare. Quid plura ? verbum PRÆCIPIO, habet vim legis, habet vim ſententiæ, obligatorium eſt, ut habetur in cap. in his, de verborum ſignificat.

ubi Cœleſtinus Tertius ex auctoritate Gregorii : *Quod præcipitur imperatur*, inquit, *& quod imperatur neceſſe eſt fieri ; & aliquando ſi non fiat, pœnam habet.* Eſt etiam textus l. in ſumma, ff. de re judic. 14. quæſt. 1, cap. quod præcipitur. Igitur ſi quod præcipitur à ſuperiore obligationem inducit, & neceſſitatem affert, quod præcipitur à Deo in ſacris litteris, & per verbum PRÆCIPE, exprimitur, dum de oleo ad uſum Candelabri agitur : legis vim profecto habebit ; obligationem Iſraëlitis afferet. Eſt præterea tanta hujus verbi PRÆCIPIO vis, atque energia, juxta doctrinam legum peritorum ; ut peccati obligationem ſemper inducat, tranſgreſſoreſque præcepti in facinore manifeſto deprehendat. Licet enim de ſe, ſuaque originaria ſignificatione letalis culpæ tranſgreſſores nequaquam contaminet ; ut præclarè docuit Navar. in Manu. cap. 23. num. 50. & 51. nihilominus ſaltem venialis noxæ labe ex ſua naturali, & originaria ſignificatione illos coinquinat, ex doctrina ejuſdem Navarri. Ut plurimum verò ex communi ſententia peritorum virorum, decreta, atque conſtitutiones ſuperiorum, per verbum *Præcipio*, mortalis peccati obligationem ſecum annexam habent. Hinc enim in Clement. exivi, de verb. ſignif. §. cum autem, Summus Pontifex ſanctum Franciſcum oſtendit voluiſſe in ſua Regula, aliquando Fratres Minores ad mortale obligare, aliquando verò non : quia in aliquibus capitibus utitur verbo *Præcipimus*, & non in aliis. Confirmantur iſta, atque magis ſtabiliuntur per Clem. fin. §. quod ſic. quibus ſubſcribit etiam Card. in Clement. 1. §. ideoque, de reliq. & venerat. Sanctorum. Nec enim negari poteſt Latini idiomatis phraſi, verbum *Præcipio*, mandandi, atque jubendi propriè vim retinere, hancque ſignificationem ei germaniſſimam fore ; quatenus mandatum, & juſſio eſt actus ſuperioritatis, provenitque ab illo, qui vel natura, vel jure aliquo præcipiendi, atque mandandi auctoritatem habet. Cum igitur Deus benedictus de oleo Candelabri agens cum Iſraëlitis, non ſemel in cap. 27. Exodi ; ſed iterum etiam in cap. 24. Levit. uſus ſit verbo PRÆCIPE, non video qua ratione defendi, aut ſuſpicari, ne dicam affirmari poſſit, præceptum hoc nullam obligationem induxiſſe in populum ; aut Iſraëlitas nequaquam ex vi præcepti oleum aliquod ad Candelabri uſum debuiſſe.

Verum ab oraculis ſacris, prout de more, nobis recedendum non eſt. ſed omnem noſtram rationem, quemcumque noſtri animi ſenſum, eorum inniti auctoritati volumus : qui ut validiori manu perſiſtat, vis, & energia textus Hebraici conſideranda erit. ſic enim noſtri interpretis in his locis ſenſus apertius cognoſcatur. ille enim Levitic. 24. ſic habet : צַו אֶת בְּנֵי יִשְׂרָאֵל, in quo textu dictio צַו, quæ interpretatur PRÆCIPE, à verbo צִוָּה venit ; quod *jubendi*, ſeu *mandandi* ſignificationem retinet; non quidem quamcunque, ſed quæ auctoritati, ſeu poteſtati præcipientis innitatur. Hanc ob rationem, quidam etymon vocum Græcarum obſervantes, ab illo Hebraico verbo, *ἀξία*, & *ἀξιότης* dictiones Græcas, quæ poteſtas & auctoritas interpretantur, derivatas putant. quod ea, quæ præcipiuntur, nullam omnino vim habeant ; nec præcepti rationem ſervent, niſi poteſtate, auctoritateque ſuperioris fulciantur. Quidam etiam doctiſſimi viri in dictionario linguæ ſanctæ Pagnini, doctiſſimè adnotarunt ; quæcumque ſignificata illius verbi צִוָּה ad mandandi, ac præcipiendi ſignificationem pertinere ; ut etiam de verbo latino PRÆCIPIO, nos hic proximè probavimus. Nam ſi aliter verbum *Præcipio*, in ſacris exponeretur litteris ; non ſolum verbi hujus vis, atque energia deſtrueretur ; ſed etiam, quod

A maximè verendum eſt, infinita penè ſacrarum Scripturarum loca, & locorum ſenſus perverterentur. quid ni perverterentur ? funditus ruerent. ne igitur divinorum oraculorum germani ſenſus labantur, neve cognitio veri turbetur, retineatur naturalis verbi *Præcipio* vis, quæ obligatione afficit eos, quos reſpicit.

Oraculis oracula conjungantur. Hebraicis exemplaribus, pro juſtiſſima cauſa, adſint quoque Græca exemplaria. Favent enim verbo *Præcipe* ; favent denique obligationi, quam intendimus ex vi illius verbi. Tranſlatio Græca Septuaginta Exodi 27. & Levitici 24. Exodi, ubi nos legimus, *Præcipe filiis* B *Iſraël, ut afferant tibi oleum*, ſic habet : ϗ σὺ σύνταξον τοῖς ὑοῖς ἰσραὴλ, quo in loco dictio σύνταξον, à verbo Græco συντάσσω derivatur. quod licet interdum per τὸ *ordinare*, *inſtituere*, *inſtruere* aciem, aliaque hujuſmodi interpretetur : *jubendi* quoque ac *imperandi* ſignificatum cum ſumma proprietate admittit. Inſtituere enim, inſtruere aciem, & alia, quæ ad ſignificatum illius verbi pertinere diximus ; ubique actum innixum ſuperioris auctoritati commonſtrant : cum non niſi ad Principem, & ſuperiorem, inſtituere, inſtruere aciem, & ordinare pertineat. Tunc tamen verbum συντάσσω, apertius hanc admittit ſignificationem, vimque imperii retinet, necnon C etiam ſubditos lege devincit, & debitores conſtituit, cum in imperativo modo illi actus exprimuntur. Quod ſi vis Græci verbi σύνταξον, contra omne fas negaretur ; accedit dictio ἔντειλαι, quæ tam à vocis ſignificatione, quam etiam ab imperativo modo, non ſolum imperii actum præfert ; ſed etiam ſubditos à conſtitutis recedere prohibet. liquet id ex cap. 24. Levit. ubi in eadem olei materia ἔντειλαι τοῖς ὑοῖς ἰσραὴλ, inquit textus. Dictio ἔντειλαι, quæ correſpondet verbo PRÆCIPE, noſtræ tranſlationis ; derivaturque à Græco verbo ἐντέλλω, propriè, ac germanè ſignificat *imperare : imperare*, inquam, aliquid ab eo, cui parendum ſit. ita ut hoc D verbum nec rimam patiatur, per quam tranſgreſſores à ſcelere, & à crimine abſolvi queant. Hæc ex Herodiano, aliiſque Græcis auctoribus perſpicua ſunt. Cum igitur vocabula Hebraica, Latina, ipſa quoque Græca, non tam ratione ſignificationis ; quam etiam ratione modi, in quo loquuntur ; ac denique ratione divinæ auctoritatis, penes quam rerum omnium ſuprema auctoritas poſita eſt ; conſtituta de oleo ſtabiliant ; vimque obligatoriam inferant ; eamdem cum Abulenſi à locis allatis auferre, minus tutum puto. quamobrem filios Iſraël obligatos omnino exſtitiſſe ex vi illorum locorum ad oleum offerendum pro Candelabro Tabernaculi, mihi af- E firmandum videtur : nam quod legibus factum eſt, reſcindi nequit.

Argumentis deſumptis à ſignificatione verborum rem egimus. ab auctoritate mandantis, veritas ante oculos ponatur. ac propterea quæro, Deuſne oleum à filiis Iſraël, ad Candelabri uſum ſibi parandum conſtituat, vel non ? poſtremum dici non poteſt : primum ergo affirmari oportet. ſacra volumina id teſtantur. Igitur illi, ad quos Dei mandatum dirigitur, aliquo genere obligationis vinciuntur. nam ipſa quoque divina conſilia, quamvis ex ſua natura mortalis reatus laqueo minime transgreſſores ligent ; ut communiter Theologi omnes docent : omittere ta- F men illa, diviniſque conſiliis per contemptum non acquieſcere, mortalis reatus labe contemptorem afficit. hoc veriſſime plurimi ex Theologis conſtituunt. Cajet. 2. 2. quæſt. 109. art. 2. Silveſt. verbo Contemptus, num. 2. & verbo Lex, num. 8. Tolet. inſtruct. Sacerd. lib. de ſept. peccat. mortal. cap. 19. num. 5. & alii cum his. Multo igitur rationabilius videtur ; quod ea, quæ à Deo conſtituuntur, non per

per modum conſilii, ſed potius verbo PRAECIPE, tranſgreſſores liget, atque criminoſos conſtituat. Cumque Deus oleum à filiis Iſraël ſibi offerendum ſtatuat verbo PRAECIPE, propterea filios Iſraël, ſub pœna mortalis reatus, ad oleum in cultum lucernarum, & uſum Candelabri offerendum, exſtitiſſe obligatos dicendum erit. Erat enim Moyſes Princeps delegatus à Deo; & ideo dicitur illi, *& tu præcipe*, id eſt, meo nomine jube filios Iſraël, oleum pro Tabernaculi Candelabro offerre. quæ autem divina auctoritate fulciuntur, rata ſunt, vim legis habent, obligationemque inducunt.

Effugium autem ab Abulenſi, & ab aliis, in præcedenti capitulo excogitatum, ut propriam tueantur ſententiam, de verbo PRAECIPE, nobis in negotium nequaquam erit. Quamvis enim ex jam dictis ſatis illa præcluſa cenſeri poſſent: tanti tamen viri, qualis eſt Abulenſis, doctrina, & auctoritas plurimi æſtimanda cùm ſit; omnis meritò ſcrupulus à nobis tollendus erit; ne quis in illum aliquando impingeret. Ludi litterarii magiſtros dici Præceptores Abulenſi concedimus: hoc autem nomen non tam à doctrina ſumendum, quam ab auctoritate ſumi affirmamus. Jocemur tantiſper. nonne faſces ludi litterarii magiſtri præferunt? baculo enim & virga armantur; cædunt diſcipulos; flagellant auditores: hæc autem lictorum, an imperatoris ſint, viderint alii: nos à cæde abſtinentes, præceptorum auctoritatem videamus. Quis audeat negare præſcribendi regulas, canones, atque præcepta illius, quam profitentur diſciplinæ, in auctoritate magiſtrorum poſita eſſe? tanta enim eſt præceptorum auctoritas, ut omnis tollatur diſciplina, ſublatis eorumdem præceptis, ac regulis. Auctoritatis enim, atque imperii ratio ex uniuſcujuſque munere penſanda eſt: Regis, nimirum, in gubernanda Republica; Præcentoris verò auctoritas ad Muſicæ directionem, ac ſuavitatem dirigitur: Litterarii ludi magiſtri auctoritas, in docendo, doctrinamque diſcipulis communicando conſtituitur: quamobrem præceptores merito appellantur. Patris quoque in filium auctoritatem negare quis audeat? Filium patri obedire debere, quis non videat? vident certè omnes. Satisque iſta forent ad enervandas rationes pro Abulenſi allatas ex locis Proverbiorum. Ne quid verò inelucidatum abeat; Græcorum exemplarium auctoritate, verus illorum locorum ſenſus inveſtigetur. cap. namque 6. ſic habent: υἱὲ φύλασσε νόμους πατρός σου. id eſt, *Fili cuſtodi*, ſive *obſerva leges patris tui.* an verò conſilia, juxta interpretationem Abulenſis, dicenda ſint præcepta latine; τοὺς νόμους Græcè, viderint alii. quod ſi viderint, agnoſcent profectò, quam inſulsè per conſilia, atque exhortationes illa vocabula interpretentur. Quod magis adhuc cap. 7. perſpicuum eſt in illis verbis: υἱὲ φύλασσε ἐμοὺς λόγους, τὰς δὲ ἐμὰς ἐντολὰς, id eſt, *Fili cuſtodi meos ſermones: at verò mea præcepta, &c.* ubi advertat lector, obſecro, ſermonum, qui λόγος dicuntur, quæ patris in filium ſuperioritatem nequaquam oſtendunt; ſed tantum benevolentiam amantis, conſulentis, atque exhortantis, diſtinctionem; à ſtatutis, atque præceptis, quæ ἐντολαὶ appellantur, & ſuperioritatem dicunt; ex qua certè diſtinctione, dictionis PRAECIPE vim, roburque intelliget: & quam frivolè his locis, ex ſacris litteris deſumptis, Abulenſis innitatur doctrina, intelliget.

Nec verbum DIC, quod ex textu Septuag. Interp. cap. 27. Exod. pro Abulenſi afferri poſſet, eſt illi ad præſidium: non enim aliquid officit his, quæ à nobis dicta ſunt: aut debilitat vim verbi PRAECIPE. quia illud idem verbum *Dico*, à ſuperiore ſupremam habente auctoritatem prolatum præcepti vim ſervat. Nam & Seneca epiſt. 95. ad Lucil. in-

A quirens in quo differant deſcriptio, atque etymologia circa virtutes, ait. *Hæc res eandem vim habet, quam præcipere; nam qui præcipit, dicit.* Itaque noſter bonus Seneca, eamdem vim tribuit verbo *Dicendi*, quam habet verbum *Præcipio*: alterum alteri par facit. Sed ne longius divagemur, Chriſtus Servator noſter de diligendo inimico, Matt. 5. audiatur. illius enim verba argumentum ſufficiens nobis præſtabunt, cum ait: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros.* Quiſnam verò tantam ſibi auctoritatem arrogare auſus fuerit? quis tantæ erit impietatis, ut dictioni DICO, in eo Evangelii loco, vim præcepti neget? impium enim id eſſet, quod B ſi impius in hoc; iniquè certè negabitur eadem vis eidem verbo, in loco de quo agitur. Nam illud DIC, in Exodo non tantum à Deo imperante, non tantum ab energia verbi, ſed etiam à modo imperativo, præcepti vim habere perſpicuum eſt. Quamobrem vim præcepti in dictione PRAECIPE agnoſcat Abulenſis, & qui eum ſequuntur, neceſſe eſt; & ab oleo offerendo in cultum Tabernaculi, atque lucernarum ex vi præcepti Iſraëlitas abſolvere nequaquam audeant. Quæret fortaſſe aliquis, quid eſſet agendum his, qui oleo caruiſſent. cogebantur fortaſſe oleum emere, ut illud offerrent, necne? Negativam defendemus cauſam. hoc enim præceptum C ad eos Iſraëlitas, qui oleum apud ſe habuiſſent, tantum extendi, perſpicuum eſt ex ſacris litteris. nam cap. 35. Exod. numerans ſacer textus, quæ fuerant oblata in cultum Tabernaculi, primo in univerſum loquitur, dicens: *Quicquid ad cultum, & ad veſtes ſanctas neceſſarium erat; viri cum mulieribus præbuerunt;* oleum autem non niſi à Principibus populi, & tribuum una cum gemmis, lapidibuſque pretioſis oblatum fore ſcribitur. adeamus textum, & hæc apertiora fient: *Si quis habebat hyacinthum, & purpuram, coccumque bis tinctum, byſſum, & pelles caprarum, pelles arietum rubricatas, & hyacinthinas, argenti, æriſque metalla, obtulerunt Domino*, inquit textus, *lignaque* D *ſetim in varios uſus.* non dixit ſacer textus; omnes Iſraëlitas iſta obtuliſſe, aut quod quiſque ex his rebus aliquid in Tabernaculi cultum attulerit; ſed *ſi quis habebat;* ille nimirum de populo, qui aliquid horum habuit, aliquid attulit; qui verò non habebat, minimè attulit, nec afferre ex vi præcepti cogebatur. eadem ratione de mulierum oblatione ſermo eſt. *Sed & mulieres*, inquit, *doctæ, quæ texuerant, dederunt hyacinthum, purpuram, & vermiculum, ac byſſum, & pilos caprarum:* non quidem omnes mulieres iſta obtuliſſe ſcribitur, ſed doctas; & quæ texuerant, illæ nimirum quæ textrinæ operam dabant, & hæc domi apud ſe habebant. quæ E verò nec texuerant, nec noverant opus textrinum, divino præcepto nequaquam compellebantur, ſed quiſque ad opus, & cultum Tabernaculi offerre compellebatur, ex his tantum quæ apud ſe domi habuiſſet: ut propterea idipſum etiam de oleo affirmare oporteat. hacque ratione intelligenda, atque interpretanda ſit vis illius verbi, PRAECIPE *filiis Iſraël, ut afferant tibi oleum.*

CAP. XVI.

F Unguentorum exordia à primis ferè temporibus oſtenduntur.

Ad loca 1. Reg. 8. *Filias quoque veſtras faciet ſibi focarias, & unguentarias.* 2. Reg. 14. *Lugere te ſimula, & induere veſte lugubri, & ne ungaris oleo.* Job 41. *Ferveſcere faciet mare ſicut cum unguenta bulliunt.* Et ad alia plura Scripturarum loca.

DUA-

DUABUS præcipuè de rationibus, ſuis Deus oraculis juſſerat, Iſraëlitas oleum offerre: ut lucernarum, nimirum, in Tabernaculo ſacra lumina foverentur; & unguentum quoque ad conſecrationem ſacrorum conficeretur. habetur hoc cap. 15. Exodi, ubi agitur de oblationibus ad fabricam Tabernaculi. *Principes verò obtulerunt lapides onychinos, & gemmas ad ſuperhumerale, & rationale, aromataque, & oleum ad luminaria concinnanda, & ad præparandum unguentum.* Cum igitur huc uſque priora olei munia conſideraverimus; ad unguentorum compoſitiones, eorumdem antiquitatem, uſus, & naturas ſermo noſter convertitur: quatenus hæc ad ſacra intelligenda deſervire poſſunt. Sunt enim hæc omnia obſoleta jam, atque in arcanis antiquitatis adeò recondita, ut vix ea ſubodorari queamus.

Unguentorum uſus quo tempore cœperit, quibus in regionibus, & quorum fuerit inventum, perobſcurum eſt. Luxum illorum Belgis ignotum, auctoritate Cæſaris, Textorius in ſua Officina affirmat. Habet enim Cæſar Belgas eſſe fortiſſimos, quod ad eos non commeent Mercatores, qui illuc deportent, quæ ad animos effæminandos pertinent, unguenta, videlicet. Hæc enim ad militum, hominumque omnium animos effæminandos, maximè conducere arbitrabantur veteres.

Plinius longius ſe à Cæſaris ſæculo contulit: nimirum, ad Iliaca tempora, quando Troja bello à Græcis arctabatur. hoc contigiſſe putatur ſub anno mundi quadrageſimo nono, ſupra bis milleſimum & octingenteſimum, ſi Torniello ſtandum erit in ſuis annalibus; ſub Ducatu Japheti Galaaditæ, de quo ſcribitur Judic. cap. 11. De hac tamen temporum ſupputatione tantillum dubito: cum captam Trojam affirmet, ſub anno ſeptuageſimo ſecundo, ſupra bis milleſimum, & octingenteſimum, bellumque Trojanum juxta hanc ſupputationem, tres & viginti annos perduraſſe oporteret; cum tamen ad decem tantum annos protractum bellum Trojanum, communis Græcorum & Latinorum ſententia ex Homero tradat. Sed quicquid ſit de ſupputatione temporum; ſaltem circa id tempus, Plinius unguenta, illorumque uſum extitiſſe negabit, lib. nat. hiſt. 13. cap. 1. *Iliacis*, inquit, *temporibus non erant*, (ſupple unguenta, de his enim loquitur ibi) *nec thure ſupplicabatur, Cedri tantum, & citri ſuorum fruticum, in ſacris fumo convolutum nidorem verius, quàm odorem, noverant.* At quo tempore unguenta cognoſci cœperint, adeò eſt obſcurum, ut omnino lateat. Plinius ibi hoc fatetur, & quamvis ſe unguentorum exordia ignorare ſcribat; in eam tamen ivit ſententiam, ut Perſarum inventum unguenta arbitretur: non alio innixus fundamento, quam quod Perſæ cum primis unguento maderent: & penes Darium Regem Perſarum unguentorum ſcrinium inventum, cùm, eo fugato ac victo, Alexander caſtris ejuſdem potitus eſt: tunc enim Græcis unguentorum luxum innotuiſſe affirmat. *Quis primus*, inquit, *invenerit non traditur.* Et infra: *Unguentum Perſarum Genti ſe debet. Illi madent eo, & accerſita commendatione, ingluvie natum virus exſtinguunt. Primum, quod equidem inveniam, caſtris Darii Regis expugnatis, in reliquo ejus apparatu Alexander cepit ſcrinium unguentorum. Poſtea voluptas ejus à noſtris quoque inter laudatiſſima atque etiam honeſtiſſima vitæ bona admiſſa eſt.* Contigiſſe verò hæc arbitror, cum Alexander Iſſum inſignem Ciliciæ urbem, terrore injecto recepit, & in anguſtioribus locis manum cum hoſte Dario conſeruit: quod fuit Regni ejus anno tertio, ab orbe verò condito fuit anno vigeſimo ſupra ter milleſimum, & ſeptingenteſimum: hoc enim anno Alexander Darium ad ſe cum validiſſimo exercitu

A accedentem, memorabili admodum prælio devicit; ejuſdemque cæſo ad Iſſum exercitu, & tota ejus familia capta, in Babylonem fugavit. Fuit autem adeò celebris hæc Alexandri victoria, qua apud Iſſum de Perſis eſt potitus, ut undique Perſarum cladis recordentur auctores. Eſt de hac re pulcherrimum Antipatri epigramma, quod ob elegantiam afferendum duxi, quamvis à noſtro inſtituto longè abeamus. ſic enim ait:

Ἰσσοῦ ἐπὶ προβολῇσιν, ἁλὸς παρὰ κῦμα Κιλίκης
 Ἄγριον, αἱ περσῶν κείμεθα μυριάδες,
Ἔργον Ἀλεξάνδρου Μακηδόνος· οἵ ποτ' ἄνακτι
 Δαρείῳ πυμάτην οἶμον ἐφεσπόμεθα.

B hoc eſt,

Iſſi in projectu, maris juxta fluctum Cilicis
 Turbidum; Perſarum jacemus myriades,
Opus Alexandri Macedonis, qui olim Regi
 Dario ultimam viam ſequebamur.

Verum relicto bello, ad prædam nos conferamus; interque illius ſpolia unguentum quæramus. de quo ita Plutarch. in Alexandro: τὴν δὲ Δαρείου σκηνὴν ἐξῃρηκόντας ἐκείνῳ, θεραπείας τε λαμπρᾶς, καὶ παρασκευῆς, καὶ χρημάτων πολλῶν γέμουσαν, εὐθὺς οὖν ἀποδυσάμενος τὰ ὅπλα πρὸς τὸ λουτρὸν ἐβάδιζεν εἰπών· ἴωμεν ἀπολουσόμενοι τὸν ἀπὸ τῆς μάχης ἱδρῶτα τῷ Δαρείου
C λουτρῷ. καί τις τῶν ἑταίρων, μὰ τὸν Δία (εἶπεν) ἀλλὰ τοῦ Ἀλεξάνδρου. τὰ γὰρ τῶν ἡττωμένων εἶναί τε δεῖ καὶ προσαγορεύεσθαι τοῦ κρατοῦντος. hoc eſt, *Tabernaculum autem Darii reſervantes* (ſupple milites ex præda) *illi* (ſupple Alexandro) *ſplendidis ſervitiis, inſtrumento regio, & pecuniarum multarum refertum. Confeſtim igitur armis exutis ad balneum proceſſit, dicens: Eamus lavaturi aquâ ſudorem pugnæ, balneo Darii. Sed quidam amicorum, per Jovem (dixit) potius Alexandri. quæ enim erant illorum, qui victi, oportet ut pertineant ad victores.* Deinde ſubdit Plutarchus: ὡς δὲ εἶδεν μὲν ὄλκια, καὶ κρωσσοὺς, καὶ πυέλους, καὶ ἀλαβάστρους, πάντα χρυσοῦ ἠσκημένα περιττῶς, ὀδώδει δὲ θεσπέσιον,
D οἷον ὑπὸ ἀρωμάτων, καὶ μύρων, ὁ οἶκος. hoc eſt, *Ut autem vidit holcia & croſſos, & ampullas, & alabaſtros, omnia auro fabrefacta, erat vero domus fragrans odore ſuaviſſimo propter aromata & unguenta.* hæc Plutarchus de aromatibus, & unguentis in Darii impedimentis repertis. Quamobrem nequaquam cum Plinio unicum tantum unguentorum ſcrinium Alexandrum in caſtris Darii reperiſſe dicemus. Sed potius multo plura, ut ad quadraginta unguentarios in exercitu Darii captivos duxiſſe Alexandrum, Parmenionis teſtimonio, ſcribat Athen. lib. 13. cap. 9. μυροποιοὺς τεσσαράκοντα. Is enim potitus Damaſco
E anno ſequenti à fuga Darii, & cum civitate omnium quoque Darii impedimentorum, vaſorum, ac ſarcinarum dominus factus, litteris ad Alexandrum datis, quadraginta unguentariorum meminit.

Plinium ſequutus videtur Horat. libro 1. Carminum ode 38. cum ait:

Perſicos odi, puer, apparatus.

Non enim de alio apparatu hic loquebatur Poëta, quam de unguentis, ut præclarè adnotavit Levin. Torrentius. Nam & Spartianus de Ælio Vero deque ejus luxu verba faciens, Perſicis meminit odoribus.
F *Lectum*, inquit, *imminentibus quatuor anaclinteriis fecerat, minuto reticulo undique incluſum, eumque foliis roſæ, queis demptum eſſet album, replebat: jacenſque cum concubinis velamine de liliis facto ſe tegebat, unctus odoribus Perſicis.* Quam ob rem Poëta, & Spartianus cum ad frequentiſſimum illius gentis unguentorum uſum, quo perpetuo madebant, reſpicientes, tum ad communem illius ſæculi opinionem, quæ Perſis cum Plinio unguentorum inventionem adſcribebat; unguenta *Perſicos apparatus* appellarunt. his pari-

pariter adjungamus Polydorum Virgilium lib. de invent. rerum, qui terminos à Plinio firmatos de unguentorum prima origine tranſilire nefas exiſtimavit.

Vitium hoc negligentiæ, in eruenda unguentorum antiquitate, in Polydoro Virgilio noſtri ferè ſæculi auctore, excuſare nequeo, eoque magis, quo rerum inventores inveſtigandos ex inſtituto ſuſceperit; excuſandus tamen Plinius, quod Athenæum fortaſſe non viderit, aut Plutarchum: potuiſſet quidem horum ſcripta Polydorus legere; quæ ſi legiſſet, unguentorum ad delicias uſum multo antiquiorem certè cognoviſſet. Plutarchus enim, in Alexandro, illum in Darium expeditionem parantem cum ſcribit, Helleſpontum Alexandrum trajeciſſe affirmat; quod fuit anno ejus regni ſecundo, ab orbe condito decimo nono ſupra ter milleſimum ſeptingenteſimum; inde Ilion cum veniſſet, Græcorum Manibus, qui in expeditione Trojana occubuerant, parentaſſe, ac ſacrificaſſe refert: ἀναβὰς δὲ εἰς Ἴλιον, inquit, ἔθυσε τῇ Ἀθηνᾷ, καὶ τοῖς ἥρωσιν ἔσπεισεν· τὴν δὲ Ἀχιλλέως στήλην ἀλειψάμενος λίπα, καὶ μετὰ τῶν ἑταίρων συναναδραμὼν γυμνὸς (ὥσπερ ἔθος ἐστὶν) ἐστεφάνωσεν. hoc eſt, *Aſcendens autem in Ilium ſacrificavit Minervæ, & Heroibus libavit, Achillis autem cippum unguentis delibutus, nudusque cum amicis de more circumcurrens coronis ornavit.* Quod ſi expeditionem in Darium Alexander parans unguento madidus, Manibus parentavit, antequam Darium aggrederetur, atque impedimentis illius cum unguentis potiretur: horum profectò uſus nequaquam à Dario ad Græcos permeavit; ſed multo antequam Darii vaſis potiretur Alexander, unguentorum luxus Græcorum urbes, ac gentem penetrarat: licet fortaſſe Alexander ipſe illorum multitudine, aut uſu nequaquam diſſolveretur.

Minimè verò mirum; quod auctores allati in his cæcutierint; ac ultra Darium unguentorum uſum non agnoverint; vel ſi agnoverunt, vix Darii ſeculum exceſſerint: ſacras enim non perlegerant literas; quas utique ſi cognoviſſent, multo antiquiora Dario, Alexandro, ac Iliaco Regno, unguenta, illorumque uſus intellexiſſent. Nam Darius, de quo ibi Plinius, is fuit ex ſacris literis, qui Eſdræ Scribarum ſummo apud Hebræos, Hebræisque ipſis, reditum in patriam, ac civitatis Hieruſalem reædificationem indulſit: cum tamen tercentum circiter ante annos, dum adhuc captivi ſub Nabuchodonoſore tenerentur Hebræi; Suſannam fœminam nobiliſſimam, ſimulque caſtiſſimam inter Hebræas, unguenta lavacro adhibere conſueviſſe legamus apud Dan. cap. 13. contigiſſe verò iſta anno trigeſimo octavo ſupra ter milleſimum & quadringenteſimum, oſtendit Torniellus in ſuis annalibus. Et adeò quidem communis erat unguentorum uſus, ut ſub eadem Monarchia, in ſequentibus temporibus mulieres ad Regem Aſſyriorum ingreſſuræ, nuptiarum cauſa; ſex menſibus oleo myrrhino cutem excolere in conſuetudine habuiſſe, ex ſacris cognoverimus literis.

Longius, quæſo, abeamus ad mulierem illam, cui lib. 4. Reg. cap. 4. precibus ſuis Heliſæus propheta multiplicavit oleum unctionis, (unguentum dicemus verius) ut ſibi creditoribus ſolvendo eſſet. Id vero Joramo filio Achabi regnante in Iſraël contigit; qui annis tercentum Babylonicam captivitatem præceſſit. Nam & Amos Propheta, qui floruit tempore Oziæ Regis Juda, & Jeroboam filii Joas Regis Iſraël; ſuis in concionibus cap. 5. redarguens divitum laſciviam, unguentorum etiam luxum reprehendit his verbis: *Veh qui opulenti eſtis in Sion.* Et infra: *Bibentes vinum in phialis, & optimo unguento delibuti.* vel hebraizando dicemus *præſtantiſſimis, optimisque unguentis inuncti.* Salomonis verò ſæculo adeò viguiſſe hunc unguento-

A rum uſum ex ſacris literis liquido conſtat; ut nil frequentius in ſacro Canticorum libro legatur; Hieroſolymitanis puellis paſſim ad Sponſum circum clamantibus: *In odorem unguentorum tuorum currimus.* & alibi: *Oleum effuſum nomen tuum.* Joab verò ſummus Regiæ militiæ Præfectus in Iſraëlitico Regno David regnante Salomonis patre, ab exilio Abſalonem revocare volens, anno mundi primo ſupra ter milleſimum, mulierem Thecuitem quæſivit, quæ Regem adiret, & capto in ſermone Rege, Abſaloni paternam reconciliaret gratiam: eam verò mulierem his armis Joab munivit: *Lugere te ſimula, & induere veſte lugubri, & ne ungaris oleo, ut ſis quaſi mulier* B *multo tempore lugens mortuum.* Non eſt autem hic ſermo de oleo ſimplici; ſed de unguento, cujus uſus erat in deliciis; quo perfuſo homines, ac mulieres animi hilaritatem, feſtum diem, cordis lætitiam indicabant, & à quo luctus cauſa abſtinebant.

Adeò pervetuſtum vnguentorum uſum fuiſſe, ex ſacris habemus literis: ut inter jura Regis enumerarentur unguenta. Cum enim, ex Dei præſcripto, ſub anno mundi quinquageſimo nono ſupra nongenteſimum & bis milleſimum filiis Iſraël Regem deſignaturus acceſſiſſet Samuel 1. Reg. cap. 8. jus Regis populo prænuntians, *Filias*, inquit, *quoque veſ-* C *tras faciet ſibi unguentarias.* Quamobrem, ſi ab eo ſeculo unguentorum uſus abfuiſſet, & unguentarias abfuiſſe neceſſe erat: jus quoque illud Regis populo minimè innotuiſſet, & fruſtra inter Regia jura enumeraretur à Samuele.

Longiùs adhuc a Dario, & à Davide recedamus: ad Moyſen, ad prioraque illa ſæcula nos conferamus. nam quando filii Iſraël Ægyptiis terminis vix egreſſi fuerant; atque in deſerto Sinai agebant; tunc etiam ad conſecrandum Summum Sacerdotem Aaron, & reliquos ejus ſucceſſores, ſub anno ab orbe condito quadrageſimo quarto ſupra bis milleſimum quingenteſimum, juſſit Deus parari unguentum præſtantiſſi- D mum: de quo in ſequenti agemus libro. hoc autem unguentum, unguentaria arte parandum præſcribitur à Deo Exod. cap. 3. *Facieſque unctionis oleum ſanctum, unguentum compoſitum opere unguentarii*, inquit ſacer textus. Hujus operis unguentarii cognitio, divinique mandati intelligentia omnino tolleretur; ſublato ab eo ſæculo unguentorum uſu. Quin etiam ducentos ante annos in uſu cadaverum unguenta legimus, cap. 50. Gen. Jacob enim mortuo, Joſephum ſervis ſuis medicis, ut aromatibus, atque unguentis condirent patrem, præcepiſſe legimus. id autem præſtantiſſimis unguentis fieri ſolitum, lippis notum eſt, ac tonſoribus. Nec puto contemnendum Joſephi teſtimonium, qui lib. 2. antiquit. cap. 3. filio- E rum Jacobi profectionem in Ægyptum, rei frumentariæ cauſa ſcribens, muneraque Principi allata recenſens, unguenti quoque balanini meminit, dicens: *Addit & dona ferenda Joſepho ex proventu Chananeæ, balaninum unguentum, ſtactem, terebinthum*, &c. Jam igitur unguenta, eo ſæculo, uſum & æſtimationem habebant: cum Joſepho, primo poſt Regem Pharaonem, qui tunc in Mundo, & Regnis primam occupabat ſedem, unguenta in munus mitterentur.

Retro abeamus. illud oleum, quo Jacob lapidem ſacravit in Bethel, de quo ſcribitur Gen. 28. genus unguenti extitiſſe opere unguentario, & aromatibus con- F ditum, affirmare verebimur? nequaquam certè. nam præterquam quod oleum ſic ſumptum in ſacris literis, & dictio שמן *ſcemen*, apud Hebræos paſſim unguenta ſignificat; ut in primo hujus operis capite oſtendimus; ſatis nobis in argumento eſt, quod eo oleo conſecrandi lapidis cauſa, Jacob uſus ſit: ad quam lapidum & altarium conſecrationem unguento præſtantiſſimo tantum, veteres uſos fuiſſe, & ſacræ,

F & pro-

& prophanæ teſtantur literæ: quod nos quoque infra latius monſtrabimus. Hæc autem contigere anno ſeptuageſimo ſexto ſupra bis milleſimum, & ducenteſimum. quo etiam ſeculo, vel parum ultra, nimirum anno nonageſimo nono ſupra bis milleſimum, & trecenteſimum, adeò frequens erat unguentorum uſus, ut Job ſuas inter calamitates, quæ circa hoc tempus contigerunt, potentiam Leviathan conſiderans, de ea per comparationem ad unguentariam artem loquatur cap. 41. dicens: *Ferveſcere faciet quaſi ollam profundum maris, & ponet quaſi cum unguenta bulliunt.* Aromatum verò ebullitione parari unguenta innuit etiam Seneca epiſt. 90. damnans enim hominum luxus, rerumque abuſus, ait: *Hinc textorum, hinc fabrorum officinæ ſunt; hinc odores coquentium, hinc molles corporis motus docentium, molleſque cantus, & infractos.* Quorſum igitur illa Spiritus ſancti comparatio efferveſcentis maris ad unguenta cum bulliunt reſpiceret? quo pacto loci illius ſenſus intelligeretur? niſi artem unguentariam in commiſcendis, ac concoquendis aromatibus, ab eo uſque tempore, hominibus notiſſimam & frequentem dixerimus? & nequis hic ſermonem haberi de unguentis ad medicamenta putaret; tollatur ſcrupulus hebraico exemplari, quod habet ſic; יָם יָשִׂים כַּמֶּרְקָחָה *mare ponet ſicut unguentum*, ſive dixeris, *ſicut compoſitionem odoratam.* id enim ſignificat dictio רֶקַח, ut infra oſtendetur: quæ quidem vox nulla ratione convenit aromatibus in odoribus, ſed iis tantum, quibus odoris conciliandi gratia unguenta parabantur; quamobrem Septuaginta, *τρύλιον μύρου*, ideſt, *trullam unguentariam* dixerunt: aliter alii; qui tantum non recedunt ab unguentaria comparatione.

Quod ſi conjectari licet, unguentorum uſum frequentiſſimum dicemus etiam ætate Abraham. etenim cum Sarah uxor Abrahæ deſcenderet in Ægyptum, ejus erat pulchritudinis, ut Abraham vitam ſibi in diſcrimine poſitam, illius pulchritudinis cauſa intelligeret: quapropter ad illam dixit: *Novi quod pulchra ſis mulier, & quod cum viderint te Ægyptii, interficient me, & te reſervabunt.* Deſcendit autem Abraham in Aegyptum anno decimo quarto ſupra bis milleſimum, & centeſimum; at undenam pulchritudo tanta Saræ conciliabatur; quæ tunc habita ratione temporum, ſaltem annum ſexageſimum quartum agebat? quodque adhuc magis mirandum remanet, cum iterum deſcenderet in Gerara, & ageret annum octuageſimum nonum, tantæ erat pulchritudinis, ut ſtatim urbem ingreſſa in Palatium Regis Abimelech, nuptiarum cauſa, raperetur: & tamen jam illi deſierant eſſe muliebria menſtrua: non aliunde certè tanta ei conciliata fuerat pulchritudo, niſi unguentorum uſu, quibus cutis exculta, & caro conſolidata, rugas non patitur. Id infra fuſius probabitur, cum de mundo muliebri noſter erit ſermo; & de unguentis, quibus Eſther, Judith, Suſanna, aliæque ſanctæ ſacrarum literarum mulieres utebantur. Vi enim balſami, myrrhæ, & aliorum unguentorum, is conſervatur in muliere color, quem primo unguenta invenerint, quando cuti adhibita fuerunt. Quamobrem mirum, me judice, non eſt; quod Sarah nonagenaria eam retineret pulchritudinem, ac oris ſpeciem, quam adhuc puella, naturali vi acceperat.

Quamvis igitur quarumnam gentium unguenta fuerit inventum, res ſit incerta; & quando ceperint omnino ignotum. ſi tamen divinare in his mihi licet, Chaldæorum, ſive eorum qui è proſapia Sem filii Noë deſcendentes Regionem ultra Euphratem habitabant; unguentorum uſum inventum fuiſſe affirmarem. Cum enim innumerabiles in Ægypto forent mulieres, adoleſcentulæ, puellæ, ac virgines, ſolius tamen Saræ ſexagenariæ uxoris Abraham pul- A chritudo, totius Ægypti oculos in ſe convertit, Ægyptiorum Regis cor impulit ad raptum. nec ſolius Regis Ægypti, verum etiam Regis Geraris, pulchritudo Saræ nonagenariæ rapuit cor, & oculos. Una Dina Jacobi filia, ita Sichemi animum ſibi addixit, ut eam deperiret; depereundo, ſibi totique ſuæ genti exitio fuerit: cum tamen innumeras virgines, & Civitas illa, & Regio tota haberet. non alia, ut puto, de cauſa, niſi ob cultum muliebrem, naturali elegantiæ adjunctum. Cum igitur Hebrææ reliquis mulieribus venuſtiores apparerent; & cultiores eſſent; nullo negotio, animum facilem ab elegantia capi, in ſe rapiebant. Chaldæorum enim Regio, Meſopota- B mia nimirum, quæ & Arabia felix appellata eſt, aromatum feraciſſima, eorumdem quoque cultum, & unguentorum uſum homines docuit. Quam ob rem ab Hebræis una cum Abrahamo, & fortè etiam antea, comportata aromata, ad Ægyptios, ac Chananæos, uſum unguentorum hominibus aperuerunt: ut jam cum mundi primordiis, ni mavis dicere cum pueritia, quadam continuata annorum ſerie, unguentorum uſum extitiſſe apud homines liquido conſtet.

C A P. XVII.

C Unguenta quanta fuerint in æſtimatione apud veteres.

Ad loca 4 Reg. 4. *Non habet Ancilla tua, niſi parum olei quo ungar.* 3. Reg. 17. *Et paululum olei in lecytho.*

UNGUENTORUM dignitas, atque æſtimatio nequaquam à contemptu illorum, qui erat penes temperatiores homines, ſed à communi illius temporis conſuetudine nobis ſumenda erit. Uſus enim iſte unguentorum, adeò valuit in hominum opinione, tantæque ſemper dignitatis fuit, ut à Romanis inter laudatiſſima, atque etiam honeſtiſſi- D ma vitæ bona admiſſus fuerit; ut cum Plinio loquamur lib. 13. Quamobrem apud Romanos gratiſſimum munus erat præſtitiſſe unguenta populo in publicis ſolemnitatibus. ad quam conſuetudinem Perſius reſpexit Satyr. 6. dicens:

Diis igitur, Genioque ducis centum paria ob res
Egregie geſtas, induco: quis vetat? aude.
Væ, niſi connives; oleum, artocreaſque popello
Largior: an prohibes?

Epulum enim publicum à ditioribus aliquando ex hilaritate dabatur, non tamen ſine unguento. quod muneris genus præſtantiſſimum cenſebatur; ita ut vi- E ri nobiliſſimi, ſummiſque muneribus decorati, qui in Republica lapidibus literatis donabantur, in enumerandis honoribus, ac muneribus, illud etiam recenſerent, quòd unguentum publicè dediſſent populo. Eſt de hac re lapis Romanus apud Manutium in dictione Hilarus, num. 18. ſub hac verborum forma:

T. FLAVIO. T. L. HILARIONI
DECVR. COLL. FABR. EX. LVSTRO. XV
VNGVENTO. AD. PVB. FRAG. LVSTRO. XVI
MAG.QVINQ.COLL.FABRVM.TIGNARIORVM
LVSTRO.XVII.HONORAT.ET.LVSTRO.XVIII
F CENSOR.BIS.AD.MAG.CREANDOS.LVSTRO.XIX
ET.XX.IVDEX.INTER.ELECTOS.XXI.AB.OR
DINE. LVSTR. XXII. CLODIA. TI. F
PRISCA. VIRO. OPTIMO. ET. FLAVIA. T. F.
PRISCILLA. PATRI. OPTIMO

Nec propterea omnino uſus iſte improbandus videtur. his enim veteres non ſolum voluptatis, ſed etiam

A etiam valetudinis conſervandæ, ac recuperandæ cauſa utebantur. Quamobrem Romani Medicos habebant unctores; qui ἰατραλεῖπται dicebantur voce Græca, dixeris latinè *Medicus unctor.* nam ἰατρὸς *medicus*, ἀλείπτης *unctor eſt*, qui unctionibus, & perfricationibus corpora curabant. Eſt pro quodam Harpocrate jatralipta, epiſtola 6. Plin. lib. 10. ad Trajanum, quem rogat concedere civitatem Romanam Harpocrati: *Proximo anno, Domine*, inquit, *graviſſima valetudine uſque ad periculum vitæ vexatus, jatraliptem adſumpſi, cujus ſollicitud ni & ſtudio, tuæ tantum indulgentiæ beneficio, referre gratiam parem poſſum: quam rogo des ei, civitatem Romanam.* hæc ibi Plinius de

B medico, qui unguenta ſanitatis, ac neceſſitatis de cauſa tantum habebat in uſu, non voluptatis. Verum ad utrumque unguentorum uſum voluptarium, & neceſſarium reſpexerunt veteres Juriſconſulti in l. argumen. ff. de auro & arg. legatis, de muliebribus unguentis verba facientes. Legaturnque de his à teſtatore factum nequaquam accipiendum fore de unguentis, quæ voluptati, ac de his quæ valetudini deſerviunt, nomine mundi muliebris docent. ſed eo nomine muliebria tantum unguenta, quibus mulieres utebantur ad cutis curam, intelligenda affirmant. *Mundus muliebris eſt, quo mulier mundior fit*, dicit lex. *Continentur eo ſpecula, matulæ, unguenta, vaſa unguentaria, &c.* infrà verò in fine dictæ legis dicitur:

C *Vnguenta, quibus valetudinis cauſa ungimur, mundo non continentur.* Et Pomponius eodem titulo, l. in argento. *Vnguentis legatis, non tamen ea legata videntur, quibus utimur voluptatis cauſa, ſed & valetudinis, qualia ſunt, &c.* nonnullis ibi enumeratis unguentis. nam contra aëris inclementias unguentis, cum primis uſos Græcos, in extremo vitæ periculo conſtitutos, Xenophon lib. 4. de Cyr. min. exped. ſcribit. Referens enim quam graviter afflicti fuerint Græci illi, qui in Armenia occidentali Cyrum ſequebantur in ea expeditione, & hoc nivium de cauſa: unguentis ſe recreatos affirmat. *Ea verò*, inquit,

D *nocte, cum in agro caſtra locaſſent; è cœlo ingens nivis vis effuſa eſt: quæ res effecit, ut cum illuxiſſet, &c.* infra verò: *Cum verò ſub divo, quod res ita poſtulare viſa fuerat, pernoctaſſent; tam ingens è cœlo nix demiſſa eſt; ut non homines modo jacentes, & arma, ſed ipſa etiam jumenta contegerentur. Hinc ſe homines præ torpore tollere non poterant. jacentes verò miſerabile erat nive ſepultos videre: tum torpentibus quidem cæteris, primus Xenophon ſurrexit, lignaque findere cœpit; tunc alius quidam, & ipſe ſurrexit, atque à Xenophonte illud ſibi munus depopoſcit; mox alii ſe erexerunt, accenſiſque ignibus, omnes ungebantur: multum autem eo in loco liquaminis ſuilli, ſeſamini, amygdalini, triticei,*

E *terebinthini, quo pro oleo utebantur; unguenta etiam ex eiſdem rebus confecta repererunt.* Hæc Xenophon. Ut jam milites enecti, & cœli inclementia ferè extincti; unguentis recreati revixerint.

Nec minori, ut puto, argumento à loco aromatibus deſtinato, ab officinis, & numero unguentariorum probatur, quo in pretio apud Romanos, Græcos, & Iſraëlitas unguenta fuerint. adeò enim his delectabantur; ut non unam, aut alteram haberent in Civitatibus unguentariam officinam; ſed plures, pluresque artifices, qui parandis unguentis operam darent. Hi dicebantur myropolæ à græco μυροπώλης. Hanc materno generi Octavii Auguſti objiciebat M.

F Antonius Octavio, ut ſcribit Suetonius in Octavio. quorum officinæ, in quibus unguenta vendebantur myropolia dicebantur. frequentiſſima quidem apud Plautum, & alios rerum antiquarum Scriptores: ex illarum in Urbe frequentia, ac multitudine, in quibus etiam hominum habebatur concurſus maximus. Hinc apud Plautum dicit Amphitruo quærens Naucratem in Amph. act. 4.

Nam omnes plateas perreptavi, gymnaſia, & myropolia.

Horum enim meminit locorum, in quibus homines frequentius conveniebant. Quamvis vero Cicero noſter lib. 1. de offic. ſervilis animi cenſuiſſe videatur unguentariam artem; ſcribens nihil ingenuum poſſe habere officinas & artes blandas, quæ miniſtræ ſunt voluptatum: inter quas unguentariam connumerat: ſicuti etiam Plin. lib. 2. epiſt. 11. quæ eſt ad Arrianum Martiano hanc objicit artem, dicens: *ipſe præterea accepiſſe ſeſtertium decem millia fœdiſſimo quidem titulo, nomine unguentarii, qui titulus à vita hominis compti ſemper, & pumicati non abhorrebat.* fuiſſe tamen tempora aliquando diverſa à veterum luxu, alienum nequaquam videtur. quo ſane tempore, vel quod homines unguentis moderate uterentur, vel quod pauciores haberentur unguentarii, hos in aliquo numero habitos Aromatariorum dignitas declarat. Enimvero Aromataria ſubordinabatur unguentariæ, hujus enim gratia aromata parabantur. ad infimam verò hominum plebem pertinuiſſe eos, qui in aromatibus negotiabantur, cenſendum nequaquam erit. Eſt enim lapis apud Manutium ad illorum favorem, verbo Pollio, nobilitatem, dignitatemque illorum indigitans, qui ſic habet.

L. IVNIO. L. F. SABATI
NA POLLIONI AV
ROMATARIO. A. VIC
PVBLIC. VIX. ANN.
XL. VIII
L. IVNIVS. L. F. SYN
MAVIVS. AROMAT
FRATRI OPTIMO. PI
ENTISSIMO. FEC

Eſt enim AVROMATARIVS, dives in aromatibus ab αὐρὸς, quod eſt dives, & ἄρωμα. vel prior illa dictio AV. eſt emphatica, & AVROMATARIVS valet maximus aromatum negotiator. Verum in lapide dum legis VIC. PVBLIC. hoc eſt VICTORI PVBLICO. cogimur in eo agnoſcere viro, de quo lapis loquitur, nobilitatem, ac dignitatem. Parem dignitatem in Pigmentario lapis alter in dictione, Sacra via, apud eumdem aperit. eſt enim pigmentaria ars, miniſtra unguentariæ, illique ſubordinatur quemadmodum aromataria; ut propterea à dignitate utriuſque, dignitatem etiam unguentariæ non minimo argumento, liceat expiſcari. citati à nobis lapidis, hæc ſunt verba:

ÆMILIA. C. ATTI.
M.C.L. STEPANI. PIGMENT.
AVCTA. DE. SACRAV.

Illa enim ultima dictio lapidis SACRAV. valet SACRA VIA. Erat autem ſacra via Romæ omnium nobiliſſima, in qua ictum fuit fœdus inter Romulum, & Tatium Sabinatem: extendebatur autem à Domo Regis ſacrificuli uſque ad Templum Syreniæ; & rurſus à Regia, uſque in arcem, dicit Sext. Pom. de hac enim ita ille. *Quod ne eatenus quidem, ut vulgus opinat, ſacra appellanda eſt à Regia ad Domum Regis ſacrificuli, ſed à Regis Domo ad ſacellum Syreniæ, & rurſus à Regia uſque ad arcem.* Erat autem hæc via ejus æſtimationis, ut ex Senatusconſulto tantum alicui in ea domum habere concederetur nam & Pompon. Juriſconſ. lib. 2. ff. de orig. juris ait: *Fuit autem*

tem Scipioni Naſicæ, qui optimus appellabatur, domus publice in ſacra via tradita, quò facilius conſuli poſſet. Quamobrem mulierem pigmentariam auctam de ſacra via, dum legitur in lapide, quacunque de ratione id factum ſit; nobilitatem illius inde cognoſci præſtat. à quorum etiam nobilitate ſacras litteras minimè abhorruiſſe agnovimus. nam lib. 2. Eſdræ cap. 3. agitur de reædificatione civitatis ſanctæ Jeruſalem. Interque Principes, qui ædificationi Civitatis ſanctæ operam dabant, conſtruxerantque palatia principaliora ad portam veterem, filius quoque cujuſdam pigmentarii habetur in numero, his verbis: *Et juxta eum ædificavit Eziel filius Araja aurifex; & juxta eum ædificavit Ananias filius pigmentarii, & dimiſerunt Jeruſalem uſque ad murum plateæ latioris.*

Nec minori puto fuiſſe dignitate habitos apud Romanos, qui unguentariam exercebant; ut lapis Manutianus, in dictione Vnguentarius, ex Venuſia Apuliæ transmiſſus oſtendit. in quo ita ſcribitur.

CLAVDIO. PHI
LARGYRO. VN
GENTARIO
ISQ. FAMILIAM
SVAM. MANVMISIT
PECVNIAMQVE
LEGAVIT

At ſi Hebræorum mores ſacris ex oraculis, ac litteris attendere voluerimus, unguenta tanto in pretio habita apud hos comperiemus; ut his quæ ad victum neceſſaria erant, non ſolum præferrentur; verum etiam ſummum vitæ bonum in unctionibus, aromatibus, & unguentis ab his collocaretur. Hi namque omnes, teſte Athenæo lib. 5. qui Syriam incolunt, ob ubertatem ipſius regionis, aromatum feraciſſimæ, & balneis, & compotationibus, & unguentis operam dant. Quid dico operam dant? unguentis caruiſſe infeliciſſimum putabatur. convincitur hoc ex loco 4. Reg. cap. 4. nam cum mulier illa pauperrima, cujus vir è vivis defecerat, ad Eliſæum clamaret; ut ſibi præſto eſſet, ne ſibi, quæ viri jam defuncti cauſa, ære alieno premebatur, filius pro pecunia, quæ à defuncto viro debebatur, auferretur ab eo, qui in tabulis viri nomen habebat; interrogavit illam Eliſæus Propheta, quid nam in domo ſecum bonorum haberet: *Non habeo ancilla tua quicquam in domo mea, niſi parum olei quo ungar*, reſpondit. non erat hoc oleum ad uſum ciborum, aut ad condiendas eſcas; ſed ad uſum corporis muliebris. erat unguentum, quo ad ungendum corpus utebatur. Hoc, oratione Prophetæ multiplicato, mutuatisque vaſis à vicinis jam impletis, eodem vendito, viduæ mulieri creditori ſolvendo fuit. Ne verò pro unguento dubitandi ſit locus; utque ibi de eo ſermonem haberi perſpicuum ſit, legitur hebraicè וַתֹּאמֶר אֵין לְשִׁפְחָתְךָ כֹל בַּבַּיִת כִּי־אִם אָסוּךְ שָׁמֶן *Et dixit, non ancillæ tuæ*, ſupple, *eſt*, more hebræo, *in omnibus quæ ſunt in domo, niſi vas unguenti:* apertè verò de vaſe unguentario loquutam mulierem conſtat ex voce אָסוּךְ, quæ *lecythum*, ſive vas ad unguenta, & non aliud ſignificat: quapropter noſter vulgatus interpres addidit, *quo ungar*, & Complutenſis habet, *ἀλλ' ἢ ἀγγεῖον ἐλαίου ἐν τῷ οἴκῳ ᾧ ἀλείψομαι.* hoc eſt, *ſed vaſculum olei in domo*, (ſupple, *habeo*) *quo ungar.*

Duo hinc argumenta ad rem noſtram habentur, alterum à neceſſitate mulieris, alterum à venditione unguenti ſumitur. Si enim mulier vidua, in tanta
A rerum omnium egeſtate conſtituta, ut nihil omnino in domo haberet, quo ab ære alieno levari, ſuoque creditori ſatisfacere poſſet; unguento tamen carere nolebat; eo certè caruiſſe infeliciſſimum Hebræos exiſtimaſſe perſpicuum eſt. Quod verò eo vendito æs alienum tam grave diſſolverit, ut ſibi in ſervitutem filios redigendos timeret; nec ſolum diſſolverit, quin etiam de pretio, ſibi, ſuisque filiis ſuperfuerit ad victum: ſic enim ait Propheta: *Vende oleum, & redde creditori tuo: tu autem & filii tui vivite de reliquo.* quam optimum foret illud unguentum, quantoque in pretio unguenta apud Hebræos haberentur,
B apertè demonſtrat.

Quid plura conferam? eo inſaniæ deducti homines videbantur; ut nec beatitudinem heroibus tributam ſine unguentis arbitrarentur. Eſt locus Luciani lib. 2. de vera hiſtoria. deſcribit enim beatorum inſulam, & in inſula urbem, urbisque delicias, quibus beati fruuntur. nec ab illis deliciis deſunt unguenta. *περὶ δὲ τὴν πόλιν*, *inquit*, *ῥεῖ ποταμὸς μύρου τοῦ καλλίστου· τὸ πλάτος πηχέων ἑκατὸν βασιλικῶν· βάθος δὲ, ὥστε νεῖν εὐμαρῶς.* adeò enim ad felicitatem conducere putabant unguenta; ut non unum, aut alterum unguentorum vas beatitudini adſcriberent; ſed fluvium latum, & profundum, in quo beati natare poſſent.
C ita ibi Lucianus, *Circa civitatem*, inquit, *fluit amnis unguenti optimi, cujus latitudo centum eſt cubitorum regiorum, altitudo ad natandum commoda.* Et apud Athenæum lib. 5. cap. 5. qui præſtantiſſimis oblectabatur unguentis, quorum uſus erat apud Antiochum Epiphanem, in hæc erupit verba: *μακάριοι ἐστὲ ὑμεῖς οἱ βασιλεῖς, οἱ καὶ τούτοις χρώμενοι, καὶ ὀδωδότες ἡδύ.* *Felices eſtis vos reges, qui his*, ſupple unguentis, *delibuti oletis ſuaviter.* Ut propterea terrenæ, cœleſtisque felicitatis ſedes, in unguentis omnino veteres collocarent.

Æſtimatio unguentorum apud veteres humanum captum ſuperavit, fidem exceſſit. Locus qui habetur cap. 17. lib. 3. Reg. id teſtatur: hic enim, Eliæ
D in Sarephta Sidoniorum, ex Dei mandato, abeunti, vidua Sarephtana occurrit, cujus res omnes annonæ caritatis cauſa, eò deductæ erant in diſcrimen, ut nihil jam ſupereſſet ad victum; & ſibi filioque ſuo fame omnino moriendum eſſet. Teſtis ſit ipſa, quæ Prophetæ ab ea eleemoſynam poſcenti, ita reſpondit: *Vivit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem, niſi quantum pugillus capere poteſt farinæ in hydria*; quantum, nimirum, farinæ, manus in hydria injecta, contractis digitis extrahere ex hydria valeat. in tanta rerum egeſtate, & ultimo vitæ ſpiritu conſtituta; ut dixerit hæc mulier prophetæ Dei: *En colligo duo ligna, ut ingrediar, & faciam illum mihi, & filio meo,*
E *ut comedamus, & moriamur.* Licet verò eo deducta hæc vidua eſſet, ut animam ageret; oleo ſive unguento quo ungeretur, carere nefas exiſtimabat: ſubintulit enim, cum de farina loqueretur ad prophetam, *& paululum olei in lecytho*, ſupple, *habeo.* & dum audis oleum in lecytho, ſive cum hebræo וּמְעַט שֶׁמֶן בַּצַּפַּחַת, ideſt: *Et parum olei in lenticula*, quocumque nomine appellandum ſit vas, de unguentario intelligendum hunc ſacrarum litterarum locum, manifeſta res eſt. Quo quidem argumento ſumpto ab unguento mulieris in ultimo vitæ periculo conſtitutæ, tantique facientis unguentum, apertiſſimè convincitur, non ſolum unguentorum frequentiſſimus uſus, verum etiam quantæ felicitatis, ac boni arbi-
F trarentur Hebræi, his unguentis liniri, atque ungi; ſicut etiam infelicitatis putabatur his caruiſſe, quando etiam moriendum fuiſſet.

CAP.

CAP. XVIII.

Forum aromatarium inſigniores urbes habuiſſe videntur.

Illuſtrantur loca ex Cantic. 1. *Genæ illius ſicut areolæ aromatum.* Eccle. 24. *In plateis ſicut cinnamomum, & balſamum aromatizans odorem dedi, quaſi myrrha electa dedi ſuavitatem odoris.* Et alia plura.

PERANTIQUUS hic aromatum, & unguentorum uſus, antiquioribus ſæculis frequentiſſimus, adeò obſolevit, & antiquatus eſt; ut vix ſubodorari poſſint, quæ ad compoſitiones unguentorum pertinent; quæque ad genera unctionum ſpectent: quamobrem niſi hæc attigerimus, ſuſpicatos eſſe ſaltem nonnulla, ad veriora inveſtiganda, lucem doctioribus præſtabit. Jam ergo ab unguentariis, aromatariis, & ab unguentaria taberna, transferamus nos ad loca in inſignioribus urbibus, his negotiis, aromatibus, hiſque hominibus deſtinata. Erant enim fora ad hæc ſolummodo negotia: quorum maxima erat dignitas. Quæ quidem fora, myropolia ἀπὸ τοῦ μύρου, ϗ πωλέω, ideſt, *à vendendis unguentis*, me judice, dicebantur, ſive ἀπὸ τοῦ μύρου, ϗ τῆς πόλεως. quaſi civitas unguenti, myropolia appellarentur: quod verius arbitror. Non enim officinam unguentariam, primario myropolium dictam exiſtimo; ſed potius à myropolio, ideſt foro unguentario eo nomine officinam quoque unguentariam, poſtmodum denominatam arbitramur.

Dicebantur etiam hæc loca, Seplaſiæ, in quibus frequens virorum concurſus erat. de his ita Nonius *Seplaſium generis neutri. Varro* ἀνθρωπόπολι, περὶ γενεθλιακῆς. *Doti dato inſulam Chium, agrum Cæcubum, Seplaſia Capuæ, macellum Romuli. Seplaſia fem. Varro Synephebo* περὶ ἐμμονῆς. *Hic narium ſeplaſiæ, hic hedycus Neapolis. Pomponius Quinquatribus. Venit, inquit, rogatum nos, quando noſtræ eſſent Seplaſiæ.* Et in eodem genere feminino, atque de eodem foro aromatario loquitur Cicero Orat. 2. pro lege Agrar. dicens: *Jam verò qui metus erat tunicatorum illorum? & in Albana, & Seplaſia, quæ concurſatio percunctantium quid Prætor edixiſſet? ubi cœnaſſet? quid enuntiaſſet?* ita ibi. Meminit hujus fori Pomp. Adelphis allatus à Feſto, dicens: *Dii te perdant inferi Antipho. quia unde hoc ſit unguentum quæris: atque lepidum unguentum, niſi ex Seplaſia eſt.* Meminit & Cicero in orat. pro Sextio, viri gravitatem deſcribens: *Veſtitus aſperè*, inquit, *noſtra hæc purpura plebeja, ac penè fuſca: capillo ita horrido, ut Capua, in qua ipſe tunc imaginis formandæ cauſa Duumviratum gerebat, Seplaſiam ſublaturus videretur:* uſum nimirum aromatum & unguentorum. Meminit etiam in L. Piſon. de Capuana Seplaſia. erat enim celeberrimum unguentorum, ac aromatum forum Capuæ; cujus deliciis fractam fuiſſe Punicam ferociam, Valer. Maxim. lib. 19. ſcribit, de quo etiam Seneca epiſt. 51. ad Lucill. ait: *Una Annibalem hiberna ſolverunt. & indomitum illum viribus, atque Alpibus, virum enervaverunt fomenta Campaniæ.*

Tantæ verò dignitatis erant loca hæc aromatum, atque unguentorum negotiis deſtinata, ut mœnibus circumdata eſſent propriis, duplicique quodammodo muro cuſtodita, quaſi minor civitas intra majorem clauſa, ut duplici ſervaretur cuſtodia; ejus nimirum, quæ ſibi eſſet propria; & alterius, qua communis urbs tuebatur. Quamobrem ab hoc foro, ſive ab hoc genere negotiationis, qui his præficiebantur, ſive cuſtodiæ, ſive juris dicundi cauſa, quod mihi ignotum eſt, Seplaſiarii appellabantur. Exſtat de hoc lapis perantiquus Gratiani, quod eſt oppidum Mon-
A tis Ferrati: quem ponit Manut. in Orthograph. dictione Vettius num. 7. in hac verborum forma.

V . F
T. VETTIVS. T. L
HERMES
SEPLASARIVS
MATER. GENVIT. MATER. RECEPIT
HI. HORTI. ITA. VTI. OPT. MAXIMIQ. SVNT
CINERIBVS. SERVIANT. MEIS

Reliqua quæ in lapide habentur, dimittenda duxi; B quod huic loco minus deſerviant; & alibi in hoc eodem opere, Myrothec. 5. magis ad rem iterum revocanda erunt. Satis ex his nobis liquet, quanta fuerint in æſtimatione apud veteres, qui unguentis operam dabant. Ab his verò aromatum foris, & Seplaſiis Hebræi nequaquam abhorruere; quin potius ab ipſis hanc conſuetudinem, conſtituentibus unguentis peculiare forum, reliquas accepiſſe nationes, veluti ab antiquioribus arbitror.

Sunt loca ex Canticis pro hac re non contemnenda: dicitur enim Cant. 3. à Sponſa ſe noctu ſurrexiſſe ad inquirendum Sponſum, quem deperibat: quapropter ad ſemetipſam converſa dixit: *Surgam, & circuibo civitatem: per vicos & plateas, quæram quem* C *diligit anima mea.* Hebraicè בַּשְּׁוָקִים וּבָרְחֹבוֹת ideſt, *per viam* civitatis, *& per fora:* ſignificat enim poſtrema dictio Hebraica loca ampla, & lata ratione negotiationis & mercimoniæ. ſubdit Sponſa: *Invenerunt me vigiles, qui cuſtodiunt civitatem: num quem diligit anima mea vidiſtis? paululum cum pertranſiſſem eos, inveni quem diligit anima.* Iterum cap. 5. eodem deſiderio Sponſa afficitur, rapiturque noctu ad inquirendum Sponſum; quem dum quæreret, cuſtodes civitatis, necnon etiam cuſtodes murorum ſe reperiſſe affirmat: ab his ſe laceratam, percuſſam, atque ſpoliatam dolet, ab illis nequaquam. ſic enim ait: *Inve-* D *nerunt me cuſtodes, qui circumeunt civitatem:* deinde ſequitur: *Percuſſerunt me, & vulneraverunt me, tulerunt pallium meum mihi cuſtodes murorum.* Itaque duplici vigiliarum ordine civitatem Hieroſolymitanam cuſtodiri ſolitam indicat Sponſa; alii dicebantur vigiles, qui circumdabant civitatem, mœniaque cuſtodiebant: de quibus dixit Propheta Pſal. 126. *Niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam.* alii erant cuſtodes, qui murum ſervabant: his occurrit Sponſa cap. 5. nequaquam cap. 3. ab his plagas accepit & verbera, ab his ſpoliata fuit, qui murum cuſtodiebant; murum, ut arbitror, fori aromatarii, quod noctis tempore portis claudebatur, diligentiſ- E ſimeque ſervabatur. à reliquis enim cuſtodibus, qui humaniſſimè cum Sponſa ſe geſſerant, mœnia urbis Hieroſolymitanæ cuſtodita videntur, non murum Seplaſiæ. Hac duplici murorum fabrica in urbe Hieroſolymitana, explicantur loca nonnulla Prophetarum, divinorumque oraculorum. nam Iſai. 22. dicitur, Hieroſolymitas feciſſe piſcinam inter duos muros. Murum, ut puto, civitatis, & murum Seplaſiæ. eſt & locus Zachar. cap. 2. quo hæc ſententia de duplici muro ſuadetur. Dicitur enim Prophetæ ab angelo, *Abſque muro habitabitur Hieruſalem;* deinde ſubditur: *Et ego ero*, ait Dominus, *murus ignis in circuitu, & in gloria ero in medio ejus.* ita textus. Quamobrem reſpiciens Dominus ad decorem futu- F rum Hieroſolymitanæ civitatis, dixiſſe videtur, abſque mœnibus Hieruſalem habitandam, præ multitudine civium. Quia verò Seplaſiæ ſummo erant in pretio apud homines, & propterea digniora urbium tenebant loca: ab his ſumpta metaphora dixiſſe Dominum videtur: *Ego ero ei murus ignis, & in gloria ero in medio ejus.* viderint alii meliora.

Verum pro his foris Hieroſolymitanis ſtat locus ex Cant. ubi Sponſa ſacra ſui dilectiſſimi Sponſi genas, his verbis commendat : *Genæ tuæ ſicut areolæ aromatum conſitæ à pigmentariis.* Non enim eſt hic ſermo de areolis plantarum in prædiis, in quincuncem, ſive aliquo alio ordine diſpoſitarum ; neque de minutioribus plantis, à quibus aromata producuntur; atque in hortis per areolas ordinantur. Perſpicuum eſt hoc, tum quia tenuiores hæ plantæ, quæ his areolis diriguntur, inter plantas aromatiferas minimè referendæ cenſeantur; cùm præſtantiora aromata ex arboribus tantum, vel ex radicibus gignantur, quæ per areolas minimè diriguntur, aut artificiosè collocantur. Eſto verò ita diſponerentur aromatiferæ plantæ : colere illas, ſuo ordine diſponere per areolas, nequaquam pigmentariorum, ſed hortulanorum foret muneris : cum tamen in loco ex ſacris Canticis allato Sponſa hoc pigmentariis demandarit, dicens : *Genæ tuæ ſicut areolæ aromatum conſitæ à pigmentariis.* Loquitur igitur Sponſa de areolis aromatum, quæ in unguentariis tabernis pigmentariorum arte, præſtantioribus aromatibus, pyxidibus, & unguentariis vaſculis ad oculiferium parantur. ex Hebræo id colligi videtur, לְחָיָו כַּעֲרוּגַת הַבֹּשֶׂם מִגְדְּלוֹת מֶרְקָחִים, quæ Latinè ad verbum interpretata ſic ſonant : *Genæ illius ſicut areolæ aromatis in turribus pigmentariorum.* ideſt, pyxidibus, & vaſculis unguentariorum refertis. nam dictio מִגְדָּל quæ ſignificat aliquid elevatum, & turrim, non poteſt aliter interpretari in allato loco, quam per pyxides, & unguentariorum turrita vaſcula. Forum igitur aromatariorum præ oculis proculdubio habuit Sponſa in illa comparatione genarum rubicundarum ſui perdilecti Sponſi; quas cum illa contemplaretur unguentis madidas, odorem ſpirantes, fuco perpolitas, colorum elegantiam, & aromatum ſuavitatem in areolis pigmentariorum agnovit; quales ſunt quæ in foro ad oculiferium exponere negotiatores conſuevere; in foro inquam, conferto pluribus tabernis aromatum, ac unguentorum, quæ ibi venduntur. quæ quidem fora varietate colorum, aromatum odore, pyxidum diſpoſitione, hortorum ſanè præſtantiſſimorum imaginem præferunt; in quibus aromatiferæ plantæ plures, necnon etiam flores odorati, variiſque coloribus depicti conſpiciantur. Quorſum verò ſermo reſpicit Sponſæ commendantis Sponſi pulchritudinem, ex areolis odoratis? non aliò certè, quam ad forum unguentarium, quod Hieroſolymis, me judice, habebatur. Eſt de hac re locus apertiſſimus in cap. 24. Eccl. ubi in proprias laudes, ac præconia divina ſapientia erumpens, non tantum præſtantiſſimis arboribus aromatiferis, verum etiam aromatibus ipſis, ſeipſam præponderat, ac confert. his quidem, ea ratione, quâ ab aromatum negotiatoribus parantur in foro aromatario : illis verò, ut in agro, & ſub dio naturali pulchritudine, & odore culti exſiſtunt, dicens : *Quaſi cedrus exaltata ſum in Libano, & quaſi cypreſſus in monte Sion.* legit Græcum exemplar, ἐν ὄρεσιν αἰερμῶν, ideſt, *in montibus Ermon.* dixit verò noſter vulgatus, *in monte Sion*, quia jungebantur hi montes. ſequitur Sapientia : *Quaſi palma exaltata ſum in Cades, quaſi plantatio roſæ in Hierico, quaſi oliva ſpecioſa in campis, quaſi platanus exaltata ſum juxta aquas.* quæ poſtrema verba ἀφ᾽ ὕδατος, hoc eſt, *ab aqua*, ſive juxta *aquas*, non habentur in omnibus Græcis exemplaribus, ſed nobis ſatis eſt ea retinuiſſe vulgatum interpretem. Quia verò Sapientia locum ſuæ ſedi deſtinatum, Hieroſolymis demonſtrarat, dicens : *In Sion firmata ſum, & in civitate ſanctificata ſimiliter requievi, & in Hieruſalem poteſtas mea*; à plantis aromatiferis, & ab his, quæ in agro præſtantiora habebantur; ad ea quæ præſtantiſſima in civitate Hieroſolymitana cenſebantur, ſe convertit, ni-

A mirum ad forum aromatarium, in quo aromata, ac unguenta præſtantiſſima vendebantur : & ideò ſubintulit : *In plateis ſicut cinnamomum, & balſamum aromatizans odorem dedi.* licet verò illa verba *in plateis*, minimè habeantur in Græcis exemplaribus, quæ circumferuntur, ea tamen habuiſſe exemplaria nonnulla antiqua, cum primis illud quo uſus eſt noſter interpres, certiſſimum eſſe debet; alias nequaquam appoſuiſſet verba illa, *In plateis*: vel ſi non aderant in exemplaribus, & ipſe appoſuit; non alia ratione id feciſſe reor, niſi quia de Seplaſiis; in quibus aromata negotiabantur, Sapientiam loquutam intelligebat. Quamobrem in illo textu, periodi terB minus ac finis, puncto ſignari non debet poſt illa verba, *in plateis*, ſed ante; nimirum poſt illa, *juxta aquas.* Juxta quem ſenſum retinuit textum illum ab antiquiſſimis uſque temporibus Romana Eccleſia in Officio Beatæ Virginis, incipiendo lectionem ſic: *In plateis ſicut cinnamomum, & balſamum aromatizans, &c.* Quibus allatis à Spiritu ſancto, ad alia quoque aromata, quæ ibi vendebantur, reſpiciens, ſubdit : *Quaſi myrrha electa dedi ſuavitatem odoris, & quaſi ſtorax & galbanus, & ungula, & gutta, & quaſi libanus non inciſus vaporavi habitationem meam.* Et perſequitur divina Sapientia, enumerando alia plura aromata, quibus unguenta parabantur in Seplaſiis; C officinæque ornabantur, odor conciliabatur aëri, nareſque tranſeuntium per Seplaſias, ſive fora unguentaria, nutriebantur. Hæ autem comparationes divinæ Sapientiæ ad aromata odorata in plateis, omnino præter rem eſſent, niſi Hebræis non tam unguentorum uſus frequentiſſimus fuiſſet, quam etiam Seplaſiæ, & fora aromatum, notiſſima forent. Corruerent tandem omnia, quæ à Spiritu ſancto allata ſunt in laudem Sapientiæ : comparationis quoque vis enervaretur, quoties à Civitate ſancta Hieruſalem forum unguentarium ſubmoveretur. Licet enim ſingula quæque recenſita aromata odoratiſſima ſint; odoratiora tamen videbantur in foro illo, ubi D multitudine, & mixtione aliorum aromatum, cœlum ipſum putabatur odoratum, quod ab officinis ipſis aëri conciliaretur undique fragrantia ſuaviſſima.

CAP. XIX.

Unguentorum profuſus uſus, & abuſus oſtenditur.

E Ad loca Cant. 5. *Surrexi, ut aperirem dilecto. manus meæ diſtillaverunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatiſſima.* Et infra : *Genæ illius ſicut areolæ aromatum conſitæ à pigmentariis.* Et ad alia plura loca.

HUMANAE naturæ proclivitas ad malum inſita, peccati noſtrorum protoplaſtorum vis, quæ omnia prophanavit, unguentorum uſum humanæ naturæ ſatis peraccommodum, ac ſalubrem perdidit : ut propterea rectè dixerit ille apud Athenæum, *Malè ſit effæminatis iſtis, qui rem tam bonam*, unguentum ſcilicet, *perdiderunt*, infamiâ nimirum F affecerunt. Non enim aromatum, ac unguentorum odor, & ſuavitas omnino ableganda erit : quinimò cum gratiarum actione complectenda. quod etiam Clem. Alexand. lib. 2. pædag. cap. 4. affirmat. *Sunt enim ſuaves quidem odores, inquit, qui neque torporem afferunt, neque ad amores impellunt, neque impudicam conjunctionem, ac meretricium contubernium redolent, ſed ſunt una cum temperantia ſalubres, & cerebrum quidem alunt, quando male affectum fuerit, & ventri-*

ventriculum corroborant; non eſt enim uſus eorum omnino ablegandus, ſed unguento tamquam medicamento & auxilio utendum. Hæc ibi Clemens: Horum tamen odorum afflatu adeò delectati ſunt homines, ut voluptatibus onerati omnino ſuccubuerint: non tantum laſciviores, qui beatitudinem in unguentis collocarunt, ut vidimus ex Luciano lib. 2. de vera Hiſt. in cap. 17. verum etiam frugaliores, ſaniorisque mentis homines, Spartani ipſi unguentis devicti videntur: εἰς τὴν παρηγμένην τρυφὴν ἦλθον, ποτηρίων τέ ἐκθέσεις πολλῶν, καὶ βρωμάτων παντοδαπῶν πεποιημένων παραθέσεις, ἔτι δὲ μύρων ἐξηλλαγμένων, ὡς δ' αὔτως οἴνων, καὶ τραγημάτων, inquit Philarchus lib. 35. hiſtor. apud Athenæum lib. 4. cap. 9. hoc eſt, *Eo luxus ipſi*, ſupple Spartani, *proceſſerunt, ut multa pocula apponerent, & eſcarum lautiſſimarum facerent apparatum, ſimiliter etiam unguentorum exoticorum, tum etiam vinorum, atque bellariorum.* Quin étiam Pythagoricos ipſos unguentorum luxu deceptos agnovimus ex Athenæo lib. 4. cap. 18. qui id refert ex Soſicrate lib. 3. de Philoſ. ſucceſſione, ubi de antiquis Pythagoræis, Πυθαγορικῶν, inquit, λαμπρᾷ τέ ἐσθῆτι ἀμφιεννυμένων, καὶ λουτροῖς, καὶ ἀλείμμασι, &c. hoc eſt, *Pythagoricis convolutis veſte ſplendida, & balneis, & unguentis, &c.* Quaſi admiretur illos, qui temperantiam, & modeſtiam profitebantur, unguentorum tamen conſuetudinem habuiſſe. Diogenem ipſum, qui in contemptu voluptatum omnium, forma ac norma extitit Chriſtianis, ille qui unico dolio contentus, Magni illius Alexandri faſtum, atque divitias ſprevit; non tamen ab unguentis abſtinuiſſe videtur aliquando. Sic enim Antipater illum cum Charonte loquentem facit de his, quibus in mundo uſus fuerat.

Ὄλπην, καὶ σκήπωνα φέρω, καὶ διπλόον εἷμα,
  Καὶ πήρην, καὶ σοὶ ναυτιλίης ὀβολὸν,
Καὶ ζωὸς τὰ δὲ μοῦνον, ἃ καὶ νεκρὸς ὧδε κομίζω,
  Εἶχον. ὑπ' ἠελίου δ' οὔτι λέλοιπα φάει.

hoc eſt:

Lecythum, & ſcipionem fero, & duplicem veſtem,
  Et peram, & tibi pro naulo obolum,
Et vivus hæc ſolum, quæ & mortuus hic porto,
  Habebam: ſub ſolis nihil reliqui luce.

Habetur hoc Epigramma Antipatri in Florilegio Græcorum Epigrammatum lib. 3. cap. 33. num. 15. ut propterea minimè mirum ſit, poſtmodum unguentorum luxu molliores adeò fuiſſe corruptos, nimiaque odorum voluptate captos, ut oleo ac aromatibus abuſi ſint. Quamobrem non immeritò hunc unguentorum uſum Socratem illum modeſtiæ ac temperantiæ notam imaginem, improbaſſe ſcripſit Athenæus lib. 3. cap. 35. Unguentarios ſuis Solon eſt exſecratus legibus. hos pariter primis illis temporibus Sparta non admiſit: ſcribit id Athenæus lib. 15. cap. 10. Λακεδαιμόνιοί τε ἐξελαύνουσι τῆς Σπάρτης τοὺς τὰ μύρα κατασκευάζοντας ὡς διαφθείροντας τοὔλαιον. Et parum infra: Σόλων τὲ ὁ σοφὸς διὰ τῶν νόμων κεκώλυκε τοὺς ἄνδρας μυροπωλεῖν. Affirmat id etiam Rhodiginus lib. 27. cap. 34. Athenæus lib. 1. cap. 4. laudat Homerum, quod frugalitatis ſtudioſus, Deos in convivium deſcribat non coronatos, aut ſuffimentis delectatos, nec etiam unguentis madidos. enimvero abuſus & ſuperfluus unguentorum uſus omnibus ſemper exſecrabilis viſus eſt. Et veteres quidem, apud Plinium lib. 12. unguentorum, ac oleorum uſum & abuſum ad cutem expoliendam jure damnarunt: ea maximè de ratione, quod omnium rerum unguentorum abuſus ſupervacaneus cenſeatur. Nam auri, argenti, pretioſorum lapidum, gemmarum, margaritarum, aliarumque rerum pondera, quæ plurimi apud homines æſtimantur, ad hæredes denique, quæcumque illa ſint, tranſeunt; veſtimentorum

A pariter uſus, præter commoda, quæ nobis per aliquod tempus affert, ad poſteros tranſmittitur; unguentorum verò utilitas ac delectatio ſuis emoritur horis, & illico exſpirat. Exſpirat quidem unguentorum odor, nequaquam verò infamiæ nota, quam præferebat unguentorum uſus profuſus. Quamobrem Clem. Alexan. lib. 2. pædag. cap. 8. dicebat: *Voluptas artem unguentorum reperit,. cui nulla accedit utilitas, ſed meretriciorum eſt merum opprobrium, & medicamentum ad provocandum.* Quodque magis adhuc in unguentis ridiculum eſt: ipſa unguenta, & odorata aromata, cum ex odore tantum voluptatem afferant, hac de ratione uſui potius ſunt his, qui ad unguentatum
B acceſſerint; quam illi ipſi, qui unguento madet. quapropter merito unguentorum abuſus, necnon etiam profuſus uſus improbandus apparet.

Cum primis verò Chriſtianis, à ſanctis Patribus, oriente jam Eccleſia, unguentorum interdicebatur uſus. Ita habemus, Clemen. Alexand. auctore, lib. 2. pædag. cap. 8. dicente: *Quamobrem rectè mihi videtur nonnullos*, (ſupple, ſentire) *cum ægrè ferunt tantum ſtudii in unguenta conferri, ut utilitatem ipſam effœminarent, eorum artifices, nempe, unguentarios, à civitatibus, quæ bonis legibus, & inſtitutis reguntur, expellere, atque adeò ipſos etiam floridarum lanarum infectores. Nefas enim eſt veſtes doloſas, & unguenta in*
C *civitatem veritatis ingredi: oportet autem inprimis apud nos, viros unguenta non olere, ſed vitæ probitatem.* Et maximus ille Hieronymus ad Demetriadem de virgin. ſervan. *Cincinnatulos pueros*, inquit, *& calamiſtratos, & peregrini muris olentes pelliculas, de quibus illud arbitri eſt, non bene olet, qui bene ſemper olet, quaſi quaſdam peſtes, & venena pudicitiæ virgo devitet.* Unguenta namque illa illius ætatis in profuſione, libidinis notam habuiſſe manifeſtum eſt. *Nam ſicut boves annulis*, inquit Clem. Alexan. lib. 2. cap. 8. *& funibus, ita etiam intemperans ſuffitibus, & unguentis, & ſuave olentibus coronarum odoribus trahitur.* Noſter quoque Seneca damnatæ voluptatis antrum venaturus
D ad unguenta refugit, dicens lib. de vit. beat. cap. 7. *Juvenies voluptatem latitantem ſæpius, ac tenebras captantem circa balnea, ac ſudatoria, ac loca ædilem metuentia, mollem, enervem, mero, atque unguento madentem, pallidam, fucatam, ac medicamentis pollinitam.* His quoque eruditiſſimus Clemens in eadem metaphorâ ſubſcripſit, dicens loco citato: *Quemadmodum autem qui naribus ſunt ſagacibus canes, feras odore inveſtigant, ita ex nimis curioſa unguentorum fragrantia, qui moderati ſunt, & temperantes venantur intemperantes.*

Tanto quidem luxu corruptos fuiſſe molliores conſtat; ut in unguentis convolverentur, auctore A-
E thenæo lib. 5. cap. 5. Antiochi enim, qui Epiphanes dictus eſt, meminit, qui cum beatus à quodam exiſtimaretur, eo quod unguentis præſtantiſſimis, ac ſuaviſſimis uteretur: μηδὲν τὸν ἄνθρωπον, inquit Athen. προσειπὼν, ὅπου κεῖνος τῇ ἑξῆς ἐλούετο, ἐπεισελθὼν, ἐποίησεν αὐτοῦ καταχυθῆναι τῆς κεφαλῆς μέγιστον κεράμιον πολυτελεστάτου μύρου τῆς στακτῆς καλουμένης· ὡς πάντας ἀναστάντας κυλίεσθαι λουμένους τῷ μύρῳ, καὶ διὰ τὴν γλισχρότητα καταπίπτοντας γέλωτα παρέχειν, καθάπερ καὶ αὐτὸν τὸν βασιλέα. hoc eſt, *Nihil* reſpondiſſe Antiochum *homini, ſed poſtridie ingreſſus ubi plebejus ille lavabatur, fecit profundere capiti ejus magnum vas pretioſiſſimi unguenti, ejus quod dicitur ſtactes, ut omnes*
F *lavaturi aſſurgentes volutarentur in illo unguento, & cadentes ob lentorem unguenti, ad riſum excitarent ipſum quoque Regem.* Viſus eſt quidem Rex profuſus in profundendo præſtantiſſimo unguento; profuſi ultra quam credi poteſt in voluptatibus illi, qui aſſurgentes à ſolio in unguento illo tanta aviditate convolvebantur.

Apud Euripidem quoque in Cyclope, Satyrorum ſemi-

ſemichorus in beatorum numerum Bacchantes reponit, quod unguentis madidis, venere, ac voluptate fruantur. dicit enim :

> Μακάριος ὃς εὐϊάζει.
> Ἐπὶ δεμνίοις τε ξανθὸν
> Χλιδανῆς ἔχων ἑταίρας
> Μυρόχριστος λιπαρὸς βόστρυχον.

hoc eſt, *Beatus qui bacchatur.*

Et infra : *Et in lecto flavum delicatæ tenens amicæ*
Unguentis delibutus ac nitens, cincinnum.

Sed eo, quæſo, in reprehendendo veterum unguentorum profuſum uſum argumento utamur, quo utitur Athenæus lib. 15. cap. 12. Improbat enim illius ætatis luxum, & unguentorum abuſum, quod pro ſingulis humani corporis membris ſingula excogitaverint unguenta. hanc appellat Athenæus diligentiam, & antiquorum curioſitatem, nos luxum profuſum, damnabilem abuſum appellabimus. ὅτι δὲ διὰ σπουδῆς ἦν τοῖς παλαιοτέροις, inquit Athen. ἡ τῶν μύρων χρῆσις, δῆλον ἐκ τοῦ καὶ ἐπίστασθαι ποῖόν τι ἑκάστῳ τῶν μελῶν ἡμῶν ἐστὶν ἐπιτήδειον. Ἀντιφάνης γοῦν ἐν τοῖς Θορικίοις ἢ διορύττοντι φησί.

> λοῦται δ᾽ ἀληθῶς ἀλλά τι
> ἐκ χρυσοκολλήτου δὲ κάλπιδος μύρῳ,
> αἰγυπτίῳ μὲν τοὺς πόδας, καὶ τὰ σκέλη,
> φοινικίνῳ δὲ τὰς γνάθους, καὶ τιτθία,
> σισυμβρίνῳ δὲ τὸν ἕτερον βραχίονα,
> ἀμαρακίνῳ δὲ τὰς ὀφρῦς, καὶ τὴν κόμην
> ἑρπυλλίνῳ δὲ τὸ γόνυ, καὶ τὸν αὐχένα.

Et præter hoc alia quoque affert nonnulla loca noſter Athenæus, quibus probet ex vetuſtioribus Comicis, ac Poëtis, ſtudium, ſive potius luxum veterum in ſingulis humani corporis ungendis membris. locus verò allatus hanc recipit interpretationem. *Quoniam ſtudium erat antiquis, & diligentia unguentorum. & hoc eſt indicium, quod privatim unicuique parti corporis adhiberent, quæ ſcirent idonea unguenta. Antiphanes quidem in Vinoſis, aut foſſore dicit,*

> *Lavatur autem rectè aliquis*
> *In aureo quodam ſolio unguento,*
> *Aegyptio pedes linit, & crura :*
> *Phœnicino buccas, & ubera :*
> *Siſymbrino verò utrumque brachium :*
> *Amaracino ſupercilium, & comam,*
> *Serpyllino cervicem, atque genua.*

Nec ab unguentis immunes fuerunt pedes, ut pluribus proſequitur ibidem auctor, & lib. 13. Cor quoque ſedem animæ ſuavibus odoribus recreari exiſtimabant veteres ; ut propterea illos potius in unguentis nataſſe, quam unguentis uſos fuiſſe, dicendum ſit. Sed undenam Græci peſſimum hunc luxum hauſerunt ? ut ſingulis humani corporis membris, ſingula excogitarent unguenta ? Ab Hebræis mehercle : aliter alii ſentiant.

Ad ſacras igitur redeamus literas, & ex variis illarum locis ab Hebræis unguentorum profuſum uſum, alias accepiſſe gentes intelligemus. non recedamus à ſacro Cantici libro ; ibi enim Sponſa unguentorum uſum ad manus perfundendas monſtravit, dicens : *Surrexi ut aperirem dilecto meo, manus meæ diſtillaverunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatiſſima.* cap. 9. de genis, ac facie Sponſi in eodem capitulo, *Genæ tuæ*, inquit Sponſa, *ſicut areolæ aromatum conſitæ à pigmentariis.* mammas ac pectus Sponſæ commendat Sponſus, dicens : *Meliora ſunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis.* ubi comparantur pectus & mammillæ perfuſæ unguentis optimis, prout de more illius ætatis, vino præſtantiſſimo. Capitis ungendi conſuetudinem, Spiritus ſanctus aperuit, munditiam legalem ſuadendo Hebræis, dicens, *Oleum de capite tuo non deficiat.* Illud etiam, quod de ungendo corde dicebatur ex Athenæo, frequentiſſimum fuiſſe apud Hebræos liquido conſtat, Spiritu ſancto Proverb. 27. dicente : *Unguento & variis odoribus delectatur cor.* Et denique mulier illa, quæ peccata deflevit in domo Phariſæi, totiesque ad Chriſti pedes in convivio acceſſit, eoſdem ungendi cauſa, nequaquam tunc primo pedum gratia id excogitavit unguentum ; ſed quod ſæpè ipſa fecerat ex conſuetudine illius ætatis, & ab aliis quoque fieri didicerat ; amoris, honoris, ac pietatis ergo faciendum in Servatorem noſtrum putavit.

Quid plura congeram ? in unguentorum uſu adeò profuſi ſunt veteres, ut parum cenſeretur ſemel in die ſumpſiſſe unguentum ; ni bis, terque renovaretur ; ne à corpore odor evaneſceret. *Quid ? quod odore tamquam ſues gloriantur ?* dixit Seneca epiſt. 86. utebantur enim his ad Venerem excitandam, & excitatam etiam fruendam. Excitari affirmat Clemens lib. 2. pædag. cap. 8. dicens : *Coronarum autem & unguentorum uſus non eſt nobis neceſſarius : ad libidines enim & voluptates impellunt : maximè cum nox prope eſt.* Frui venere ſolitos molliores corrupti illius ſæculi in unguentis, oſtendit Plutarch. Sympoſ. lib. 3. quæſt. 4. apud quem diſputatur in convivio, corporane virorum, an mulierum denſiora forent : & pro denſitate corporis muliebris ſtat Florus, dicens ibi : ὅτι δὲ εἰσὶ πυκνότεραι τῶν ἀνδρῶν, ὦ φίλε Ἀθρυίλατε, πύθου παρὰ τῶν ἔτι συναναπαυομένων γυναιξὶν ἢ μύρον ἀληλιμμέναις ἢ ἔλαιον. ἀναπίμπλανται γὰρ αὐτοῦ τοῦ χρίσματος ἐν τῷ συγκαθεύδειν, κἂν μὴ θίγωσι, μηδὲ προσάψωνται τῶν γυναικῶν, διὰ θερμότητα, καὶ μανότητα τοῦ σώματος ἕλκοντος. hoc eſt : *Quoniam autem ſunt denſiores virorum, ô amice Athryilate, conjice à concumbentibus cum mulieribus perunctis unguento, aut oleo. Opplentur enim eodem unguento in ipſo concubitu, etiam ſi non contrectent, neque attingant mulierum*, ſupple corpora, *propter calorem, & raritatem corporis attrahentis.* Mulierem quoque illam apud Apuleium lib. 10. Metam. aſinini concubitus avidam, unguentis venerem excitaſſe, ac fruitam ſcripſit ille : *De ſtanneo vaſculo multo ſeſe perungit oleo ; balſamo, meque indidem largiſſimè præfricat ; ſed multo tanta impenſius cura etiam nares perfudit meas.* Et in eadem ſententia Lucian. μύρον ἔκ τινος ἀλαβάστρου προχεωμένη, τούτῳ ἀλείφεται· ἔνθεν μάλιστα τὴν ῥῖνα μου μύρῳ ἐνέπλησε, id eſt, *Unguentum ex alabaaſtro promens ungitur illo. indidem nares meas unguento replevit.* Eumolpus quoque Petronii ita Licæ in navi ſatisfacit, cum de his, qui ſecum erant conqueritur. *Inter cætera apud communem*, inquit, *amicam, conſumpſerunt pecuniam meam, à qua illos proxima nocte extraxi, mero, unguentiſque perfuſos. ad ſummam, adhuc patrimonii mei reliquias olent.* Prudenter igitur, & ſalſe Diogenes, cuidam adoleſcenti calamiſtrato, qui capillos unguento delibutos ferre minimè verebatur. *Cave*, inquit, *ne* τῆς κεφαλῆς εὐωδία τοῦ βίου δυσωδίαν *adducat.* hoc eſt, *ne capitis bonus odor, vitæ diſſolutionem afferat.* Quod certè veteribus illis ſtrenuiſſimis quoque militibus attuliſſe omnium hiſtoriarum ſcripta clamant. his Annibalis ferociam fractam affirmant ſcriptores ; ferociam illam, nimirum, quæ in ultimum rerum diſcrimen Romani Imperii majeſtatem adduxerat. his Græcos enervatos, Spartanos, Perſas, & ſi quæ fuere gentes aliæ, quæ unguentis uterentur, aut debilitatas, aut omnino in diſſolutionem proſtratis viribus abjiſſe perſpicuum eſt. Romanum quoque Imperium unguentorum, ac Veneris luxu proſtratum jacuiſſe norunt quotquot Imperatorum vitas, atque Imperii illius hiſtorias legerunt.

CAP.

CAP. XX.

Ungentarii, ac Unguentarii, quæ ſint diſcrimina.

Ad locum Eccleſiaſtæ cap. 10. *Muſcæ morientes perdunt ſuavitatem unguenti.* Et ad alia plura.

NOBIS, qui ſacra profitemur interpretari oracula, in unguentis pertractandis, commiſcendis, atque componendis, à ſacris nequaquam recedendum erit literis. Licet enim aliquando inter prophana verſemur, nobiſque negotium eſſe videatur cum Græcis, & Romanis, cum illorum poëtis, aut hiſtoriis, id agimus, ut illorum conſuetudines & mores, ſacris oraculis lucem afferant. Ut verò genus materiæ, de quo agitur, ſuis partibus, de quibus ſermo erit in ſequentibus, præficiatur, oleum pigmentarii, ſive compoſitionis, cujus in cap. 10. Eccleſiaſtæ ſacra meminere oracula, nobis primo conſiderandum occurrit. Omnium enim oleorum, quæ aromatibus condiebantur, aut unguentorum, de quibus agitur in ſacris literis, univerſali quadam ratione, primam ſacrorum unguentorum occupat ſedem: ſic enim ibi loquitur Spiritus ſanctus: *Muſcæ morientes perdunt ſuavitatem unguenti.* Senſum enim potius quam verba noſter Interpres attendens, per illud ſubſtantivum ſuavitatis expreſſit; quod per commune quoddam unguenti nomen hebraicus textus aperuerat, dicens: זְבוּבֵי מָוֶת יַבְאִישׁ יַבִּיעַ שֶׁמֶן רֹקֵחַ hoc eſt, *Muſcæ mortuæ faciunt evaneſcere ſuavitatem olei aromatizantis.* ita nunc locus iſte explicabitur. Quale verò ſit & quo nomine propriè hoc unguentum appellari debeat, hoc opus, hic labor. *Oleum ſuavitatis*, Septuaginta Interpretes Vaticani exemplaris illud appellant. *Oleum compoſitionis* ſanctus Hieronymus dixit: μυῶν θάνατος σήψει ἔλαιον εὐῶδες μυρεψοῦ, Scholiaſtes reddidit, id eſt, *Muſcarum mors putreſcere facit oleum ſuave olens myropolæ*: ſive verò, *Oleum ſuave olens* dixeris illud; ſive *Oleum compoſitionis* appellaveris; ſive denique *Oleum ſuavitatis*, aut *Oleum aromatibus conditum* fueris interpretatus hoc genus compoſitionis; quocumque nomine ſignificetur; omnibus unguentis atque oleis, de quibus à nobis agitur in hoc Myrothecio & reliquis, adjectiva illa præclarè convenire perſpicuum eſt: & iſtud, de quo Eccleſiaſtes loquitur, generis locum tenere, illa ipſa vocabula, quibus Interpretes ad locum explicandum utuntur, manifeſtè aperiunt. quamobrem à nobis primo loco de eo pertractari debere, ratio ipſa poſtulat.

Verum quodnam genus unguenti illis vocibus ſignificetur, difficultatem habet, totiuſque difficultatis vis in explicatione illius vocis רקח *rokeah* poſita eſt. Hanc Sanctes Pagninus, per *Aromatarium* explicavit, Arias Montanus *Pigmentarium* dixit; Vatablus *Pharmacopolam*; *Unguentarius* alii interpretantur: ex quibus vocabulis illa tria, *Unguentarius*, *Pigmentarius*, & *Aromatarius*, quòd magis ad rem noſtram faciant, diligentiori indagine perpendenda à nobis, enucleandaque erunt: cum ut genuinam loci allati interpretationem attingamus, tum ut diverſæ ſacrorum unguentorum, & oleorum ſpecies, de quibus noſter futurus eſt ſermo, lucidiores appareant.

Unguentariam enim non niſi ex infima plebe homines exercuiſſe plurimi non contemnendæ auctoritatis ſcriptores arbitrantur, *quod unguentum luxus eſſet ſupervacui*, inquit Catanæus apud Joannem Roul. Quamobrem Cæſare cenſuram Urbis agente, prohibiti ſunt unguentarii, exotica; id eſt peregrina

A unguenta, Romam adferre: peregrina non domeſtica, alibi inventa, non quæ Romæ excogitata fuiſſent. Neſcio an in hoc Cæſar laude dignus ſit: potuit enim fieri, ut corruptus pecunia ab unguentorum negotiatoribus, ad lucrum illis conciliandum, ſibique pecuniæ ſummam acquirendam, exotica prohibuerit unguenta, ut Romana in lucrum mercatorum carius venderentur: dignus certè laude Cæſar fuiſſet, ſi unguenta ab Urbe omnino ablegaſſet, ac unguentarios inhoneſta miſſione amandaſſet; ut ipſimet unguentariam tabernam clauſiſſent; vel ea ſaltem de cauſa, quòd muſcis plurimis, ut reor, ſupra modum unguentarii cum vexarentur: dum aliis B fragrantiam parabant, ſibi ipſis moleſtiam ac fœtorem, contemptumque conciliabant. propterea que unguentariam ad homines infimæ plebis pertinuiſſe aliqui non immeritò ſuſpicentur. Nam muſcas morientes perdere ſuavitatem unguenti, experientia docet: affirmat etiam Spiritus ſanctus, teſtis omni exceptione major.

Videtur etiam ſtare pro ignobilitate unguentariorum Sueton. in Octavium Cæſarem. Stat quoque lapis etiam Manutianus in dictione Unguentarius, ſub hac verborum forma.

FAVSTVS. PO . . . . .

C INSTITOR. VNGVENT

Quem ſic ſupplendum exiſtimo FAVSTVS POLLINCTOR INSTITOR VNGVENTARIVS. in quo dum legimus unguentarium artificem pollinctoriam exercuiſſe, hominem inter cadavera verſantem intelligas, ac propterea non niſi de infima plebe. At niſi illud placuerit, lege POLLINTOR; qui farinam facit, polinarioque cribro ejuſdem florem, qui pollis dicitur, à reliqua ſeparat farina. Stat igitur ſuppleta lacuna, cum materna Auguſti Octavii origine, quam illi in contemptum M. Antonius objiciebat. proavum enim Octavii Auguſti Afro genere fuiſſe, & modo unguD entariam tabernam, modo piſtrinum Ariciæ exercuiſſe M. Antonius dicebat; ut ſubditos Imperii, Romanoſque cives in Octavii odium pertraheret: dum igitur Pollintorem legimus in lapide, homo cenſeatur ex infima humo: ut dixerit Cato lib. 5. de re ruſt. *Operarium mercenarium pollintorem diutius eumdem ne habeat diem* Sed rectène lacuna ſuppleta fuerit, aliorum judicium eſto. cum enim inſtitor dicatur ille, qui vendendis mercibus, vel emendis operam dat, tabernæque quorumcumque negotiorum, ac mercium alieno calculo præficiebatur; ut ex Juriſconſultis liquido conſtat lib. 37. ff. de adminiſt. tut. lapidem ſupra allatum loqui, non de eo E qui unguenta parabat, aut olea aromatibus condiebat; ſed de aliquo, qui unguentariæ tabernæ ad unguenta vendenda ſuam locaſſet operam, perſpicuum erit: quem ex infima hominum plebe fuiſſe non dubitarem.

At non ita ſentiendum putarem de his qui unguentariam ex arte aromatifera exercerent; unguenta nimirum componendo, ſive olea aromatibus condiendo: hos enim in pretio habitos jam ſupra aperuimus ex antiquis lapidibus, & Urbis muneribus, quibus à Senatu donatus ille, de quo lapis, videbatur. Quapropter hinc fortaſſe lucem haurire licebit, ut inter VNGENTARIVM, & VNF GVENTARIVM diſcrimen agnoſcatur. hæc enim duo vocabula quamvis indiſcriminatim ab auctoribus paſſim ſumantur, pro his qui unguentis conficiendis, vel vendendis operam dant: quorum etiam vocabulorum prius tantum retinendum Servius putat; (rectè necne dictum, viderint alii) quia tamen qui unguenta ex arte aromatifera conficiebant, ac componebant; munere diſtinguebantur

ab his qui eadem vendebant ; nomine quoque eoſdem diſtingui eo præſertim ſeculo neceſſe erat. Fecerunt enim id Græci, ſic enim de his Pollux lib. 7. cap. 33. loquitur : Μυρεψὸς, Κριτίας γὰρ οὕτως ὠνόμασε, μυρωποιὸς, δὲ Ἀνακρέων. μυροπώλης, δὲ Ἀριστοφάνης ἔφη. id eſt, *Critias enim, qui unguenta conficit* μυρεψὸν *nominavit.* Μυρωποιὸν *Anacreon. Ariſtophanes autem* Μυροπώλης *dixit*, id eſt, illum qui unguenta vendit ſic nominavit. Itaque alio nomine unguenti venditor, alio qui unguenta conficiebat, atque componebat, dicebatur : hic *Myrepſos*, & *Myropœos*, ille *Myropola* à Græcorum ſcriptoribus, iisque gravioribus appellabatur. Ita pariter ratione munerum, apud Latinos, hos diſtinguendos cenſeo ; vel ſaltem ex munere artis, nomina quoque diſtinguere non erit à recta ratione alienum ; ut qui unguenta vendebat, ex lapide jam allato VNGVENTARIVS diceretur ; VNGENTARIVS verò unguentorum ex regulis artis confector, & apparator appellaretur : ut diſtinctis in hoc genere hominum muneribus, diſtincta pariter ſortirentur nomina, qui etiam dignitate diſtinguebantur. hoc poſtremum genus hominum nobiliorum in re aromatifera à prioribus diſtingui ex lapide litterato non obſcurè colligitur, quem habet Manut. loco citato, ſub hac verborum forma.

CLAVDIO. PHI
LARGYRO. VN
GENTARIO
ISQ. FAMILIAM
SVAM. MANVMISIT
PECVNIAMQ
LEGAVIT

Ungentarius ex lapide pecuniam legavit, familiam ſuam manumiſit : dignitatem, nobilitatemque hominis in his agnoſce. Quamobrem ungentarium ab ungendo dictum exiſtima ; quod corporum ungendorum gratia, unguenta conficeret. ab unguedine verò, quo nomine unguenta jam parata, veteri vocabulo nominabantur, unguentorum inſtitores, unguentarios appellatos fuiſſe exiſtimo.

Reliquum eſt nos conſiderare quid in Eccleſiaſtæ loco allato à Spiritu ſancto ſignificetur dictione רקח Unguentariuſne, Pigmentarius, an verò Aromatarius. Aromatarius namque ille dicitur ; ut hinc exordiamur ; qui tam ad componendum unguenta, quam in condimentum ciborum, atque etiam ad ſuffumigationes, & quoſcumque alios uſus, aromata vendit. Sunt autem aromata plantarum fructus boni odoris, & ſaporis admodum grati, quibus utimur, & licet aroma in ſingulari non habeatur apud Latinos ; ac propterea, qui aromata vendit, apud meliores ſcriptores Latinos aromatites à Græco ἀρωματίτης dicendus videatur : nobis tamen à Latina voce *Aromatarius*, diſcedendum nequaquam erit. nam & literati lapides, antiquitatis certiſſima monumenta, illam retinent. Exſtat lapis Romanus apud Manutium in dictione Pollio, ſub hac verborum forma.

L. IVNIO. L. F. SABATI
NA. POLLIONI. AV
ROMATARIO. A. VIC
PVBLIC. VIX. ANN.
XL. VIII
L. IVNIVS. L. F. SYN
AVIVS. AROMAT
FRATRI. OPTIMO. PI
ENTISSIMO. FEC.

Qua vero de ratione hoc in lapide dictio *Aromatarius*, priori loco cum litera V ſcribatur ſic, AV ROMATARIVS, poſteriori verò exploſa V, ſcribatur AROMATARIVS, me quidem latet, licet ſuſpiciones nonnullæ jam à nobis allatæ ſint cap 17. pro explicatione hujus vocis. niſi forte velimus ſuſpicari errore, vel impreſſoris in libro, vel imperitia lapicidæ in lapide exarando, id fortaſſe contigiſſe. Certum ſit tamen in explicatione loci allati ex cap. 10. Eccleſiaſtæ dictionem רקח nequaquam aromatarium interpretari à nobis poſſe. Eſt enim ibi ſermo de re aliqua, cujus contactu, & muſcæ, & odor ejuſdem rei exſtinguuntur. aromatum verò fragrantia, atque odor, quorum aromatarii officina eſt referta, & aër undique in ea ſuavitate maxima afficitur ; exſiſtenteſque muſcas nec inficit, nec muſcæ eò adventantes aromatum ſolo contactu exſpirant ; nec denique odor aromatum, muſcarum adventantium concurſu minuitur, ſed ſpirituum odoratorum exhalatione. Pigmentarium Arias Montanus, vir de lingua ſancta optimè meritus, dictionem רקח inpretatur, dicens : *Muſcæ mortuæ fœtere facient, vaporare facient oleum pigmentarii.* Eſt autem pigmentum, ſi rigoroſam vocabuli ſignificationem retinere velimus, unguentum, quo mulieres ad faciem venuſtandam, gratiamque ori conciliandam utuntur. Quamobrem faciem fucare, inungere etiam ſolet Latinè, & Græcè dici, ex Polluce lib. 5. cap. 15. ἐρεῖς δὲ, inquit, καὶ καπηλείαν ἀσκεῖ πρωσώπῳ, τὸ πρώσωπον παραχρίει. ideſt, *Dicis autem & fucum adhibes faciei, faciem inungit.* quæ dicendi phraſis ſumpta eſt ex Platone de legibus. Nec oſcitanter prætereundum erit in verbis Pollucis ſcriptorem verbo χρίω uſum fuiſſe, quod propriè inungere unguento ſignificat ; (coloribus id fieri à mulieribus ſolet) quapropter fucum ipſum *Pigmentum* ; quaſi *Pingimentum* dictum arbitror ; per ſyncopen N, & I, ſublatis à dictione *Pingimentum*. Unguenta enim, quibus cumprimis corrupto illo ſeculo molliores utebantur ; non ſolum ſuavitatem odoriferam, ſed colore quoque cutem decorabant, ut infra oſtendemus : quapropter colores etiam, quibus pictores utebantur, pigmenta aliquando dicta fuiſſe comperimus. uſu tamen receptum eſt, ut pigmentum pro ſuavi etiam, & odorata compoſitione, variis aromatibus condita accipiatur : ea forte ratione, quod in his conficiendis, aromata pulverizentur, & contuſa, ac commixta more colorum, in unum commiſceantur. Quia verò ad corporis mollitiem his uti ſolent mulieres, ſive ad faciem venuſtandam, ſive ad quodcumque aliud corporis membrum conſolidandum, purgandum, excarificandum, ſive delectandum ; eapropter ille qui hanc artem exercet, & pigmenta componit, aut vendit, Pigmentarius communi vocabulo appellatur. Quantum verò ad interpretationem loci ex cap. 10. Eccleſiaſtæ allati ſpectat ; nequaquam de pigmentariis, aut pigmentaria compoſitione, ibi ſermonem haberi reor. eamdem ob rationem, quam, cum de aromatario nobis ſupra eſſet ſermo, attulimus. Horum enim pigmentorum contactu, quæ odoratis aromatibus componuntur, nec muſcæ pereunt, nec illorum ſuavitas evaneſcit.

Noſtra verò in hac re ſententia ſit, oleum רקח *rokeah*, generaliſſimè unguentum, & oleum aromatibus conditum ex vi vocis *rokeah* ſignificari à Spiritu ſancto. dictio namque illa רקח *rokeah*, participium eſt verbi hebraici רקח, quod propriè actum illius artis ſignificat : quæ circa aromata odorata verſatur : ut propterea *oleum rokeah*, hebraicè שמן רקח id ſignificet, quod ἔλαιον Homericum, quod quidem oleum odoratum, ſive unguentum valet, ex obſervationibus etiam Athenæi. nobis *ſcemen rokeah* שמן רקח erit omnino idem quod oleum odoratum. hoc

hoc certè Scholiaſte biblico, nemo melius explicuit ἔλαιον εὐῶδες μυρεψοῦ illud appellans, ideſt oleum ſuave olens unguentarii. Dixeris igitur rectè שֶׁמֶן רֹקֵחַ oleum aromatibus conditum. nec minus rectè, ſi communi veterum vocabulo, *unguentum* illud idem nominaveris. Hæc enim unguenta, ſive olea aromatibus condita, muſcarum concurrentium morte, duplici damno afficiuntur. altero quidem corruptionis; altero demum, quod corruptis odore, & fragrantia deſtituantur; quæ duo, binis hebraicis dictionibvs יַבְאִישׁ *iabis* nimirum, & יַבִּיעַ *iabiangh* præclarè expreſſit Spiritus ſanctus. priori enim, quæ fœtorem inducere ſignificat; quid concurſu, & morte muſcarum corruptionis adferatur unguento oſtenditur. poſteriori verò, quæ eructare interpretatur, odoris natura evanida innuitur. ut ſenſus loci ex cap. 10. Eccleſiaſt. allati ſit; quod muſcæ morientes, unguenta putreſcere faciunt, atque ſuavitatem evaneſcere olei odorati: ſive oleum aromatibus conditum hoc appellare libeat, ſive denique uno verbo oleum unguentarii hoc idem dixerimus.

Illuſtratur jam ex his locus ex cap. 16. lib. 2. Paralip. ubi ſermo eſt de morte ac funere Regis Aſa ſub his verbis: *Mortuus eſt anno quadrageſimo primo Regni ſui, & ſepelierunt in ſepulcro ſuo, quod fecerat ſibi in civitate David, poſueruntque eum ſuper lectum ſuum, plenum aromatibus, & unguentis meretriciis; quæ erant pigmentariorum arte confecta, & combuſſerunt ſuper eum ambitione magna.* hæc ibi. nobis verò non eſt immorandum in toto loco explicando: de quo alias redibit ſermo Myrothec. 5. ſed tantum in illis verbis: *& unguentis meretriciis, quæ erant pigmentariorum arte confecta.* ut verior autem interpretatio teneatur, & Spiritus ſancti ſenſus firmius percipiatur, hebraicè ſic legetur: וּזְנִים מְרֻקָּחִים בְּמִרְקַחַת מַעֲשֶׂה *uzenim merukkachim beminkachath mangaſceh.* in quo textu, ſunt duæ dictiones, quæ ab eadem radice רָקַח *rakach* ſignificante aromatizationem derivantur: quamobrem ſi locus ille ad verbum reddendus erit, ita ex jam poſitis ad verbum interpretabimur. *Et meretriciis aromatibus, in aromatario opere.* Ut jam certum ſit pigmentarium à vulgato interprete ſumi debere pro unguentario: ſi propriè & ſtrictè loquendum nobis fuerit; licet multoties apud Latinos etiam hæ voces confundantur. Nec præterire licet, quod quoties in ſacris literis de compoſitione unguenti, aut alterius operis odorati tam in Exodo, quam alibi ſermo habetur; toties regulis & præſcripto eorum, qui circa compoſitionem unguentorum verſantur, conficienda jubentur.

CAP. XXI.

Unguentorum ſacrorum ſpecies ex prophanis etiam recenſentur.

Ad loca Cant. 4. *Emiſſiones tuæ Paradiſus malorum punicorum cum pomorum fructibus, Cypri cum nardo.* Iſai. 57. *Et ornaſti te unguento Regi, & multiplicaſti pigmenta tua.* Ezechiel 27. *Juda, & terra Iſraël ipſi inſtitores tui in frumento primo, balſamum & mel & oleum, & reſina in nundinis tuis.* Et ad alia loca.

MIRUM eſt quantum voluptati, libidini, atque avaritiæ veteres ſtuduerint. Hæc enim vitia, diverſitatem unguentorum excogitarunt; dicam verius, hæc eadem unguenta deturparunt. voluptas enim, & libido veterum ad uſum unguentorum, ditiores, mollioresque alliciebat; avaritia illa componere, nova excogitare, excogita-

A taque immutare, artifices compellebat. Hinc paupertas ipſa in Ariſtophane Plut. act. 2. ſcen. 5. ſui ipſius neceſſitatem oſtendit, ac inde probat, quod niſi paupertas eſſet; nec eſſent unguenta.

> Ἔτι δ' οὐχ ἕξεις οὔτ' ἐν κλίνῃ καταδαρθεῖν· οὐ γὰρ ἔσονται.
> οὔτε ἐν τάπησιν. τίς γὰρ ὑφαίνειν ἐθελήσει χρυσίου γ' ὄντος;
> οὔτε μύροισι μυρίσαι στακτοῖς, ὁπόταν νύμφην ἀγάγησθον.

Hæc enim doctrina Ariſtophanis conſentit opinioni illorum qui dixerunt, paupertati omnium artium
B inventionem tribuendam. Inde in loco allato ex Ariſtophane, dicit Paupertas:

> *Sed nec jam habebis, nec in lecto dormire, quia nullus erit,*
> *Neque in tapetibus, quis enim volet texere dives exiſtens?*
> *Neque unguentis ſtacteis ungi, quando ſponſam deduxeritis.*

Dicit enim Ariſtophanes, quod nec divites divitiis uti poſſent, ut neque in lecto dormire liceret, quod non exſiſtente paupertate, nemo foret qui le-
C ctum pararet, aut alia faceret ad hominum uſum commodiſſima. ut illa omnia paupertate ſuggerente excogitata cenſeantur, ſicuti etiam unguenta. Omnia autem unguentorum genera, quibus veteres, tam Græci, quam Latini ad cutem conſolidandam, ad ſpeciem ori conciliandam, ad morbos pellendos, ad ſuavitatem naribus præſtandam utebantur, enumerare difficillimum foret. Infinita namque illa quodammodo fuiſſe Clemens Alex. lib. 2. Pædag. cap. 8. ſcribit: *In dies enim ab eis*, inquit, *nova excogitantur unguenta; ut inexplebilem cupiditatem, boni odoris inſatiabilitate, expleant. Quo circa nimiam quandam decori, pulchrique curam redolent.* Et Athe-
D næus lib. 15. cap. 12. νῦν δὲ, *inquit*, οὖν μυρεψοῦ τινος ἐκπονήσαντος, τὸ παρ' οὐδὲν ιι πω γεγονὸς ἐσκευάσθη τὸ λιβανώτινον μύρον. hoc eſt, *Nuper à quodam unguentario excogitatum, & confectum eſt unguentum è thure incognitum antea.* Tot igitur unguentorum genera, ac ſpecies tunc exſtitiſſe dicerem; quot unguentarii apud eos exſtiterunt. Quid dixerim quot unguentarii? dicam verius, quot fœminæ impudicæ fuerunt, quæ libidine actæ, nova voluptatum genera excogitare in dies curabant, variiſque unguentorum generibus, libidinis fœtorem arcere; ex quibus unguentorum generibus nonnulla tantum à nobis enumerabuntur; non quidem omnia quæ
E apud auctores leguntur, ſed tantum ea quæ cum ſacris ſtant literis, & ad earum intelligentiam faciunt.

Abſtinendum verò nequaquam nobis erit, à ſimplici, & communi olivarum oleo; dum unguenta tractantur; atque de oleis aromatibus conditis agitur: hoc enim, quod unguentis commiſcendis deſerviebat, ab oleo luminaris, licet non genere, ſaltem perfectione diſtingui, ex ſacris conſtat literis. ſic enim cap. 35. Exodi ſcribitur; ubi agitur de oblationibus Patriarcharum; quas in cultum ſacri tabernaculi ad Moyſen attulerunt. *Oleum*, inquit ſacer textus, *ad luminaria concinnanda, & ad præpa-*
F *randum unguentum*, ſupple, obtulerunt. Duplex igitur olei uſus innuitur; ad unguentum videlicet conficiendum, & in uſum ſacri Candelabri; quod in Dei tabernaculo ſeptem diſtinctum lucernis, die, noctuque lucebat; de quo oleo jam diximus. ejuſque apparandi methodum, ex ſacris literis difficultatibus enucleatis aperuimus.

Olei verò aromatibus conditi, ſive unguentorum

 ſpe-

ſpecies nunc aperire intendimus. nam, teſte Athenæo, Polluce, Plinio, Clemente Alexandrino, aliiſque ſcriptoribus, unguentorum nomina, aliquando non tam à varia aromatum compoſitione, ac commixtione ſumebatur; quam à Regionibus, in quibus unguenta illa, ſive olea, vel primo inventa fuere; vel cum primis in uſu habebantur; vel denique præſtantiſſimè parabantur: quemadmodum *ſcemen ſaſon* שֶׁמֶן שָׁשׂוֹן, hoc eſt, *Suſinum* à Suſa Metropoli Perſarum, & à lilio in Pſal. 44. & alibi, nominatur, ut infra videbimus. Interdum verò ab unguentariis, ſive fortaſſe melius dixeris, ab ungentariis, qui ea excogitarunt, nomen unguenta habebant. aliquando etiam, idque frequentius, ab aromatibus præcipuis, quæ unguentis odorem conciliabant, nomen accipiebant: interdum denique ab effectu dicebantur, vocabulumque ſortiebantur.

Locus unguento panathenaico, necnon etiam Ægyptio nomen dedit. de quo Acheus in Ἄθλοις referente Athen. lib. 15. cap. 12. loquitur, dicens:

> Εἰσαργυρῶντες χεῖρα Κυπρίου λίθου,
> Δώσουσι κόσμον χρισμάτων αἰγυπτίων.

hoc eſt,

> *Argentata manu Cyprii lapidis*
> *Dabunt ornamentum unguentorum Ægyptiorum.*

Vel ut transfert alius, *Unguentum præbebunt ornatum Ægyptii.* An verò, unguento Ægyptio, ſtactes accipiatur, ab Ægyptiis delata ad Græcos, ut docet Didymus; an verò aliquod aliud unguenti genus eo nomine ſignificetur, viderint alii.

Mendeſium quoque à loco ſortitum eſt vocabulum. hujus meminit Plinius lib. 13. cap. 1. & Athenæus lib. 15. cap. 11. appellabatur porro Mendeſium, quod apud Mendeſium urbem Ægypti præſtantiſſimum haberetur. Cyprinum dicebatur ex Plinio, quod in Cypro inſula nobiliſſima, atque notiſſima, aliquando condiri cœperit; quod mox optimum fieri cœpit apud Sidonem, compoſitum ex oleo omphacino, cardamomo, calamo, aſpalato, & abrotono. Athenæus verò lib. 15. cap. 11. non quidem in Cypro cœpiſſe ait, ſed apud Ægyptum inchoatum; migravit illius compoſitio in Cyprum, deinde apud Phœnices, demum apud Sidones manſiſſe: ſic enim Athenæus ſcribit: Κύπρινον δὲ προκέκριται τὸ ἐν Αἰγύπτῳ, δεύτερον δὲ ἐστὶ τὸ Κυπριακὸν, καὶ τὸ ἐν Φοινίκῃ, καὶ ταύτης τὸ ἀπὸ Σιδῶνος. hoc eſt, *Cyprinum*, ſupple unguentum, *componebatur in Ægypto, deinde fuit in Cypro & Phœnicia, & denique apud Sidonem.* Meminit hujus etiam Plinius lib. 13. cap. 1. Sed & Sponſus in ſacris Cant. cap. 4. fragrantiam Sponſæ, cum domo egrederetur, deſcribens, Cyprini unguenti meminit, dicens: *Emiſſiones tuæ paradiſus malorum punicorum, cum pomorum fructibus, Cypri cum nardo*, &c. ut ab eo uſque jam tempore hoc unguentum Cyprinum in pretio apud homines haberetur.

Sed licet interdum à loco unguenta nomen acciperent, à peritia tamen artificis paſſim, & à materia illorum vocabulum ſumebatur. nec id ſomniamus, ſed aliorum & veterum auctoritate fulti hoc affirmamus. Οἱ δὲ χορηγοῦντες, inquit Athenæus idque verè, καὶ ἡ ὕλη, καὶ οἱ τεχνῖται τὸ χρηστότατον ποιοῦσι μύρον· ἀλλ' οὐχ οἱ τόποι ideſt, *Præſtantia unguenti a peritia artificis, & à materia, quæ ſuppeditatur illi, provenit; non autem à locis.* Quamobrem ab inventore unguentariæ compoſitionis, ſæpiſſimè unguenta præclarum ſumpſere nomen; ut Megalium, quod præſtantiſſimum habebatur apud Epheſum, teſte Athenæo; & à Megalo Siculo, ſic dicebatur; quod ſcribit etiam Pollux lib. 6. Onomaſt.

A cap. 19. Celeberrimum quoque Romæ fuit Nicerotianum à Nicerote Syro excogitatum. adeò enim pergratum hoc unguentum erat; ut Laberius in laudem ferculorum dixerit, referente Radero, pag. 460. & Calderino in Martialem lib. 10. Epigr. 38.

> *Et quæcumque Syrus Nicerotes olet,*
> *Et quicquid croci, caſſiæque, cinamique*
> *Udus cæſarie ſpirat delicatus Arabs,*
> *Hoc totum vobis, nunc ad cœnam affero.*

Ad ſcenam, non ad cœnam, legit Calderinus; priorem lectionem tenuit Raderus; quæ parum noſtra interſunt; præſtantia hujus unguenti ad rem
B noſtram facit: quæ eò pervenit, ut unguentarius Nicerotes numquam in hominum memoria ſit moriturus. ex Martiali enim pluribus in locis, præſtantiam Nicerotiani unguenti colligere licet. ſic enim jocatur in Coracinum, qui unguentis nimium madebat.

> *Quod ſemper caſſiaque, cinamoque*
> *Et nido niger alitis ſuperbæ*
> *Flagrans plumbea Nicerotiana,*
> *Rides nos, Coracine, nil olentes:*
> *Malo, quàm bene olere, nil olere.*

C Alibi quoque Nicerotiani unguenti, necnon etiam Coſmiani meminit; qui alter Romæ unguentarius celeberrimus fuit. Syrophœnix à Juvenale celebratur. pari modo ſumpſiſſe nomen arbitror, unguentum illud, quod Poppæanum dixit Juvenalis ſat. 6. ubi fucum, & muliebrem luxuriam deridet Poppææ fortaſſe Neronis uxoris, cujus laſcivia, turpiaque ſtudia, omnibus ſpurcitiis conjuncta orbem fœdarunt. de eo ſic Poëta,

> *Interea fœda aſpectu, ridendaque multo*
> *Pane tumet facies; aut pinguia Poppæana*
> *Spirat, & hic miſeri viſcantur labra mariti.*

In quo non bene ſentit Domitius Commentator, Pop-
D pæano nimirum vocabulo ſignificari offas panis lacte aſinino oblitas, à Poppæa excogitatas. de his enim jam dixerat, *pane tumet facies.* Sed de unguento intelligendus eſt Poëta; propterea enim *Poppæana pinguia*, dixit: quæ nimirum vel à Poppæa fuerant excogitata, vel ipſi Imperatrici cum primis uſui fuerant.

Regium unguentum apud veteres aliud dicebatur, & in pretio habebatur: σφόδρα δὲ ἦν εὐδόκιμον τὸ βασίλειον μύρον, dixit Pollux lib. 6. cap. 19. id eſt, *valde autem præſtans fuit unguentum regium*, ſic dictum, ut puto, quod ab aliquo Rege deliciarum cauſa excogitatum fuiſſet; vel etiam quod alicui
E Regi cum primis in deliciis habitum fuerit. tanti æſtimatum apud Athenæum lib. 15. cap. 12. ut de eo dixerit, βασιλείου δὲ μύρου μνημονεύει Κράτης ἐν γείτοσι λέγων οὕτως.

> Γλυκύτατον δ' ὦ Ζεῦ, βασιλείου μύρου.

Σαπφὼ δ' ὁμοῦ μέμνηται τοῦ τε βασιλείου, καὶ τοῦ βρενθίου, λέγουσα οὕτως. βρενθίῳ βασιλείῳ. hoc eſt, *Regii autem unguenti meminit Crates in Vicinis*, id eſt, in Dramate quod ita inſcribitur, ſic dicens:

> *Præſtantiſſimum autem ô Juppiter, Regium unguentum.*

F *Et Sapho ſimiliter meminit Regii & Brenthii unguenti, dicens Regio Brenthio.* Lux hinc hauritur Iſaiæ cap. 57. hic enim Propheta reprehendens Hieruſalem, ſub metaphora meretricis, dicebat ei: *Et ornaſti te unguento Regi & multiplicaſti pigmenta tua.* vetus lectio, *& ornaſti te unguento regio.* nec ut puto, ab hebraica lectione diſſentit hæc interpretatio, ut ex eo jam tempore unguentum hoc regium & in uſu, & in pretio haberetur.

Com-

Communi tamen uſu unguenta ab aromatibus nomen ſortiebantur: ab his, nimirum, quæ in illorum compoſitione oleo commixta præcipuum locum tenebant: odoremque eiſdem unguentis conciliabant. inde Roſaceum, Oenanthinum, Tellinum, Irinum, & alia plura; inde etiam Balaninum ab herba Balano, cujus ſucco unguentum conficiebatur. hoc expeditiſſimum fuiſſe Plinius ſcribit; & glandem, ex cujus cortice iſta parabantur unguenta, pretioſiſſimam reperiri in Arabia Troglodytica, & Thebaide, quæ Judæam ab Ægypto diſterminat; qui de plantis Hiſtoriam ſcripſere, teſtantur. ab hoc unguento Balanati dicebantur, qui eo comam madebant. unde Perſ. ſat. 4.

Tu cum maxillis Balanatum gauſape pectis.

Barbane an coma à Poëta gauſape per metaphoram dicitur? Caſaubonus, Britannicus, & Cornutus viderint, & digladientur: balanum cognoviſſe nobis ſit ſatis. de quo & Horatius ait:

Preſſa tuis balanus capillis
Jam dudum apud me eſt.

Fuit & opobalſamum, ſuccus diſtillans ex arbore balſami, ſoli Judææ conceſſa: ut Theophraſtus, Trogus, & Plinius teſtantur. Opobalſamum autem unguentum dicebatur; ad diſtinctionem arboris, quæ balſamum appellabatur. Licet apud ſcriptores, præſertim Poëtas, balſamum pro unguento accipiatur: de quo Martialis in diſt. ait:

Balſama me capiunt; hæc ſunt unguenta virorum;
Delicias Nini vos redolete nurus.

Nini delicias Aſſyriorum unguenta dicit; quorum mollities potius muliebris, quam virilis ab eo uſque tempore cenſebatur. balſami Spiritus ſanctus meminit Eccles. 24. cum Sapientia de ſeipſa ait: *Sicut cinnamomum & balſamum aromatizans odorem dedi, & quaſi balſamum non mixtum odor meus.* Meminit etiam Propheta Ezechiel cap. 27. dicens: *Juda & terra Iſraël ipſi inſtitores tui in frumento primo, balſamum, & mel, & oleum, & reſinam propoſuerunt in nundinis veſtris.* Eſt etiam in ſacris literis unguentum ex myrrha; quod oleum myrrhæ in lib. Eſther, juxta ſententiam aliquorum ab aromate ſic appellatum. eo uſa eſt Eſther in apparatu nuptiarum, & Sap. loco jam citato, Eccl. 24. in ſui laudem ait: *Sicut myrrha electa dedi ſuavitatem odoris.* Erat autem myrrha electa, quæ ſtactes alio vocabulo dicebatur; de qua nos ſuo loco dicemus.

Eſt etiam unguentum nardinum à nardo ſic dictum; quod quidem attulit peccatrix illa Maria, ut caput, & pedes Chriſti Servatoris ſemel & iterum Bethaniæ ungeret; cum jam aliquando pedes tantum in domo Simonis leproſi inter lacrymas, & pocula perunxiſſet. De eodem nardino unguento Sponſa Cant. 1. dicebat: *Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum.* Martialis quoque in diſtic. hominem nimium nardo laſcivientem deridet, dicens:

Tinge caput nardi folio, cervical olebit.
Perdidit unguentum cum coma, pluma tenet.

Hoc idem unguenti genus foliatum à Juvenale dictum cenſetur Saty. 6. dum mulierum illius ſæculi laſciviam, luxumque reprehendit, dicens:

Ad mœchum veniunt lotâ cute: quando videri
Vult formoſa domi: mœchis foliata parantur,
Emitur his, quicquid graciles dimittitis Indi.

Verum de unguento nardino fuſe à nobis agetur

A Myrothecio quinto, quod erit de Chriſto Sponſo nunc nomina tantum inquirimus. Unguenta denique, quæ ab aliquo effectu nomen ſortiebantur, id vel à ſpeciali aliqua ratione, vel à generali quodam uſu accipiebant, nempe, ab ungendo: quâ ratione, apud Latinos hæc odorata compoſita unguenta, χρίσματα à Græcis dicebantur. Licet enim unguenta omnia, ungendi gratiâ, inſtituerentur; & olea unctionis merito appellari valeant; nihilominus in divinis noſtris oraculis, illud quo Sacerdotes conſecrabantur; & Reges inaugurabantur, tum ratione præſtantiſſimorum aromatum; tum etiam ſanctificatione vaſorum omnium, quæ ad Dei, & tabernaculi B cultum pertinebant per excellentiam, non ſolum rectè שֶׁמֶן הַמִּשְׁחָה *ſcemen hammiſchah*, id eſt, *oleum unctionis* appellatum fuit; verum etiam à ſpecialiori, digniorique effectu שֶׁמֶן הַקֹּדֶשׁ *ſcemen hakkodes*, id eſt, *oleum ſanctum*, dictum in divinis reperitur oraculis: quia, nimirum, Reges, & Sacerdotes ſingulari quodam unguento ſanctificabantur. Ita Levit. cap. 10. mortis cauſâ à funere abſtinere Sacerdos jubetur: ratio verò in textu, quæ affertur, hæc eſt: *Oleum quippe ſanctæ unctionis eſt ſuper vos.* Et communi quidem phraſi ſacrorum librorum, oleum unctionis, unguentum hoc appellatur: ſicut etiam in Pſalmo de unctione Regia in David effuſa dicitur: *Inveni Da-* C *vid ſervum meum, oleo ſancto meo unxi eum.* Quamobrem ab effectu denominationem quoque aliquando unguenta, ſaltem ſacra, accepiſſe perſpicuum eſt.

Sunt & alia duo genera unguentorum, ſive oleorum in Novo Teſtamento. aliud χρίσμα, ab Evangeliſta Joanne in epiſtola canonica priori, aliud ἔλαιον, à Jacobo in ſua canonica appellatur. Conſiderentur igitur à nobis ἐλαιοχρίσματα unguenta; quæ ſi ut par eſt, ab effectu nomen accipere debent; doctrinæ unum apud Joannem, ſanitatis aliud apud Jacobum dici debent. quamobrem oleum διδακτικὸν *didacticon* appelletur. prioris enim meminit Joan. epiſt. 1. cap. 2. καὶ ὑμεῖς, *dicens*, χρίσμα ἔχετε ἀπὸ τοῦ ἁγίου, D καὶ οἴδατε πάντα, id eſt, ut in noſtris vulgatis codicibus legitur: *Et vos unctionem habetis à ſancto, & noſtis omnia.* Unctionem dixit noſter vulgatus Interpres, quod Chriſma Græce appellatur, id eſt unguentum; cujus ea eſt vis, ac natura, ut illuminando intellectum, ſuperiorum, inferiorumque homini præſtet cognitionem: quamobrem infra magis aperiens Joannes effectus hujus Chriſmatis, ſubdit: καὶ ὑμεῖς τὸ χρίσμα ὃ ἐλάβετε ἀπ' αὐτοῦ, ἐν ὑμῖν μένει, καὶ οὐ χρείαν ἔχετε, ἵνα τὶς διδάσκῃ ὑμᾶς, ἀλλ' ὡς τὸ αὐτὸ χρίσμα διδάσκει ὑμας περὶ πάντων, καὶ ἀληθές ἐστι, καὶ οὐκ ἔστι ψεῦδος, καὶ καθὼς ἐδίδαξεν ὑμᾶς, μένειτε ἐν αὐτῷ. Hoc eſt: *Et vos Chriſma quod accepiſtis ab eo, in vobis* E *manet. & non habetis neceſſitatem ut quis doceat vos, ſed ſicut hoc Chriſma docet vos de omnibus, & verax eſt, & non eſt mendax. & ſicut docuit vos, manete in eo.* Itaque unguentum doctrinæ merito hoc appellatur.

Aliud ſanitatem reſpicit, & à ſanando nomen accipere poſſet, dicique ὑγείας ἔλαιον. loquitur de hoc oleo Jacobus in canon. epiſt cap. 5. cum de medela adhibenda infirmis in Eccleſia agit, dicens: *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo, in nomine Domini.* quod Græcè ſic legimus: Ἀσθενεῖ τις ἐν ὑμῖν; προσκαλεσάσθω τοὺς πρεσβυτέρους τῆς ἐκκλησίας, καὶ προσ- F ευξάσθωσαν, ἐπ' αὐτὸν, ἀλείψαντες αὐτὸν ἐλαίῳ ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Κυρίου. ut ad ſanitatem, & ad doctrinam uncti ſani in fide, doctrinam teneamus Apoſtolicam in decretis ſacrorum Conciliorum, ſanctæque Romanæ Sedis, cui nunc feliciſſimæ præeſt URBANUS VIII. ut ſub illius regimine, ac vigilantia in ſana doctrina perſeverantes, reddamur aliquando Deo digni.

CAP. XXII.

Sacrorum unguentorum componendorum ars oſtenditur.

Ad loca Exo. 30. *Facieſque unctionis oleum ſanctum, unguentum compoſitum opere unguentarii.* Eccle. 38. *In his curans, mitigabit dolorem, & unguentarius faciet pigmenta ſuavitatis, & unctiones conficiet ſanitatis.* Et ad alia plurima loca.

UNGUENTARIOS, ac Ungentarios jam agnovimus: ratio componendorum unguentorum, ex ſacris præſertim oraculis exquiratur. hanc componendorum unguentorum artem ad unguentarios pertinuiſſe, etiam ex ſacris literis perſpicuum eſt: quoties enim de unguentis, aut ſuffitibus in his agitur; toties ut diximus in fine cap. 19. unguentario opere componenda unguenta, & ſuffitus jubentur: ita cap. 30. Exodi, cum de unguento ad conſecrandum tabernaculum, miniſtros divini cultus, ac ſacrificiorum inſtrumenta ſermo eſt, dicitur: *Facieſque unctionis oleum ſanctum, unguentum compoſitum opere unguentarii.* & parum infra de thymiamate dicitur: *Facieſque thymiama compoſitum opere unguentarii, miſtum diligenter & puriſſimum, & ſanctificatione digniſſimum.* ita etiam Paralip. 2. cap. 16. agitur de odoribus funeri Regis Aſæ vita functi, ad uſtrinam paratis, & ita de hoc ſcribitur: *Et poſuerunt eum ſuper lectum ſuum plenum aromatibus, & unguentis meretriciis, quæ erant pigmentariorum arte confecta.* Pigmentarii hic appellantur, ut alibi adnotavimus, qui unguentarii aliàs nominantur. In ſacris enim ſcripturis hæc duo vocabula promiſcuè ſumuntur, & unguentarius facere pigmenta, Eccles. 38. his verbis dicitur: *In his curans*, ſupple Medicus, *mitigabit dolorem*; *& unguentarius faciet pigmenta ſuavitatis, & unctiones conficiet ſanitatis.* Alibi pigmentarius facere unguenta ſcribitur; quemadmodum in loco ex Paralipomenon relato, unguenta meretricia dicuntur pigmentariorum arte compoſita in funere Regis Aſæ.

Duplici verò arte, ac ſtudio aromatibus commixtis, unguenta ex doctrina Plinii lib. 13. cap. 1. conficiebantur; odor enim quemadmodum & ſapor in quadam commixtione conſiſtit. ex doctrina Theophraſti in opuſc. de odoribus: ubi, *αἱ ὀσμαὶ τὸ μὲν ὅλον ἐκ μίξεώς εἰσι, καθάπερ οἱ χυλοί. τὸ γὰρ ἄμικτον ἅπαν ἄοδμον, ὥσπερ ἄχυλον. διὸ καὶ τὰ ἄλλα ἄοδμα, οἷον ὕδωρ, ἀὴρ, πῦρ, ἡ δὲ γῆ μάλιστα μόνη ὀδμὴν ἔχει, διὸ μάλιστα μικτή*, hoc eſt, *Odores quidem omnino ex mixtione ſunt, quemadmodum ſapores; omne autem immixtum, inodorum*, ſupple eſt, *quemadmodum inſipidum, ideò & ſimplicia inodora*, ſupple ſunt, *ut aqua, aër, ignis, terra autem tantum odorem habet, quod magis mixta*, ſupple ſit, quam reliqua elementa. quamobrem unguentarii aromatum commixtione ſuavitatem olfactui conciliare ſtuduerunt, aut ex ſolis aromatum ſuccis, aut ex eorumdem corporibus, oleo commixtis; ut hoc ex natura ſua liquidum, & fluxibile condenſaretur, atque in unguenti corpus converteretur. *Ratio faciendi*, ſupple unguentum, *duplex*, inquit Plinius, *ſuccus & corpus. Ille olei generibus ferè conſtat: hoc odorum.* Senſus, me judice, eſt. in faciendis unguentis, duplici via procedimus; aut enim ex aromatibus ſuccos extrahimus, qui more oleorum liqueſcunt; aut ipſomet aromatum corpore utimur. priori modo, ſubſtantiam aromatis in naturam olei convertimus: poſteriori verò, aromata ipſa ſuccis, atque oleo imbibuntur.

Unguenta autem, quæ priori methodo componebantur, *ἡδύσματα* appellari Plinius tradit. cujus de-
A rivatio eſt à verbo *ἡδύνω*, quod *ſuave reddo* interpretatur. quia videlicet aromatum ſuccis, fragrantia ſuavis, & jucunda, unguento, ſive oleo conciliatur, pinguedinem etiam, quamcumque ad naturam fluxibilem olei redactam, qua aromata afficiuntur, hidyſmatis nomine veteres ſcriptores nuncuparunt. Quamobrem Galen. lib. 3. de alim. pinguedinem, & carnium adipem hidyſmata dixit. ea fortaſſe de cauſa, quia potius ſuavitatem guſtui præſtant; quam in alimentum vertantur. Dioſcorides quoque in compoſitione unguentorum, aromata quæ fluunt, & liquida exiſtunt; hidyſmata fore appellanda voluit.

Vnguenta autem poſterioris generis, ea, nimirum,
B quæ commixtis aromatum corporibus ad oleum inſpiſſandum, apparantur: quorum quoque aromatum efficacia, oleum adeò his aromatibus condenſatur, ut potius ſpiſſeſcat, quam fluat; *στίμματα*, auctore Plinio dicuntur: quaſi ſtibium, ſeu pigmentum dixeris. Quia enim oleis, ſuccis, aromatibuſque commixtis, ipſa quoque liquidiora odoramenta denſantur; & odorem, ſuavitatemque non ſolum facilius admittunt, verum etiam tenacius corporibus humanis inhærent, propterea *στίμματα* appellantur. Cumque non ſolum parandorum *ἡδυσμάτων*, ſed etiam *στιμμάτων*, unguentariorum, ſive ungentariorum ſit
C munus; qui dictione Hebraicâ רקח ſignificantur; quam pigmentationem, ſive aromatizationem ſignificare vidimus: utrumque munus ſub ea dictione ſignificabitur. & tam pigmentarii, quam unguentarii apud nos quoque dictione רקח appellabuntur.

Poſſet aliquis quærere cur ſuccis, & aromatibus; ſive cur aromatibus, & oleo unguenta conficerentur. ratio quæ ſatiſfaciat dubitationi, in promptu erit: petita à duobus his, quæ à veteribus in unguentis expetebantur; ab utilitate nimirum conjuncta voluptati: hæc in odore poſita eſt, illa in defluxu eorumdem per omnia corporis membra, ut per quoſcumque corporis poros penetrando unguenta, ad intima
D quæquam humani corporis, aromaticæ qualitates transfunderentur. Primum aromata præſtabant odoriferam qualitatem, juxta propriam naturam, unguento communicando; quod licet probatione non egeat, doctrinæ tamen gratiâ locus ex Plutarch. afferatur in dialogo quo inſcribitur, Bruta animalia ratione uti: apud quem Gryllus abuſum unguentorum hominibus ea ratione objicit, quod odoribus præter rationem delectentur. *τἆλλα δὲ*, inquit, *οὐκ ἐνοχλεῖ, καθάπερ ὑμῖν τὰ θυμιάματα, καὶ κιννάμωμα, καὶ νάρδους, καὶ φύλλα, καὶ καλάμους ἀραβικοὺς, μετὰ δεινῆς τινος καὶ δυσοποιοῦ φαρμακίδος τεχνῆς, ἢ μυρεψικῆς, ἀνόμοια συνάγειν εἰς ταυτὸ, καὶ συμφοιτᾷν, ἀναγκάζουσα χρημάτων πολλῶν ἡδυ-*
E *πάθειαν ἄνανδρον, καὶ κορασιώδη, καὶ πρὸς οὐδὲν οὐδαμῶς χρήσιμον ὠνουμένους.* hoc eſt, *De cætero autem nobis moleſtus non eſt odoratus*, inquit, *ſicut vobis*, alloquitur Vlyſſem in perſona omnium hominum, *quos cogit ſuffitus cinnamoma, nardos, malobathra, calamos arabicos cum ſubtili quadam medicatrice arte, aut ſeplaſiaria conquirere; & una vorare magnam pecuniam, parum virilem, ac potius muliebrem, nullaque omnino utilitate comitatam delectationem redimentes.*

Poſtremum verò, quod in unguentis exſpectabatur; videlicet adhærentem defluxum; oleum ſua natura fluxibile cum tenacitate, ac liquidum præſtabat. non ex capite iſta comminiſcimur; ſed ratio
F ſuadet; Plutar. etiam lib. 6. Sympoſ. quæſt. 9. docet his verbis: *τὸ δὲ ἔλαιον ὁλκιμον πανταχῆ, καὶ μαλακὸν, ἄγεται περὶ τὸ σῶμα χεομένοις, καὶ συνεπιῤῥεῖ ποῤῥωτάτω διὰ ὑγρότητα τῶν μερῶν κινουμένων, ὥστε καὶ παραμένειν δυσεξίτηλον.* hoc eſt, *Oleum*, inquit, *quia uſquequaque duci poteſt, ac molle eſt, corpori ungendo obducitur, & quam longiſſimè defluit: membraque ſua humiditate imitatur, iiſque ita adhæreſcit, ut non facile evaneſcat.*

Quam

Quam etiam ob cauſam ſal, anchuſa, & reſina addebantur unguentis, Plinio lib. 13. cap. 2. auctore: A *Sal aſperſus*, inquit, *olei naturam coërcet. Quibus anchuſa adjecta eſt, ſal non additur. Reſina aut gummi adjiciuntur ad continendum odorem in corpore. Celerrimè is evaneſcit atque defluit, ſi non ſunt hæc addita.* Hæc ibi Plinius, cui ſubſcribit Dioſcorides lib. 1. cap. 94. dicens: εὔχρηϛοῦσι δὲ, καὶ αἱ κεκαυμέναι εἴς τε τὰ εὐώδη τῶν μαλαγμάτων, καὶ ἄκοπα, καὶ εἰς χρωματισμοὺς μύρων. hoc eſt, *Magnopere utiles ſunt combuſtæ*, ſupple reſinæ, *odoratis malagmatibus, & acopis, & unguentorum colorationibus.* Verum nil actum puta, niſi ad ſacra redierimus. ut ex divinis oraculis reſinam aromatibus conjungi monſtretur. Lux enim à B Plutarcho & Dioſcoride hauritur cap. 37. Gen. ubi reſinam nonniſi conjunctam aromatibus, & unguentis tum hic, tum aliis in locis ſacrarum literarum legitur. agitur ibi de Iſmaëlitis in Ægyptum proficiſcentibus; unde filii Jacob Patriarchæ occaſionem fratrem Joſeph his vendendi ſumpſerunt: de quo crimine ibi leguntur hæc verba: *Et ſedentes ut comederent panem, viderunt Iſmaëlitas viatores venire de Galaad, & camelos eorum portantes aromata, & reſinam & ſtacten in Aegyptum.* Et ſæpe alibi, meminit ſacer textus reſinæ, ut plurimum verò aromatibus conjunctæ. Quæris rationem? dic ex Plinio reſinam adjungi aromatibus in unguentorum uſu. C

Duo igitur ſunt, quæ in arte unguentaria materiæ rationem tenent: oleum, nimirum, & aromata, Quibus duobus, ut vidimus, odor, & fluxibilitas unguento conciliatur; necnon extenſio ad humani corporis membra, & qualitatis aromaticæ penetratio in corporibus hauritur. Hinc Plutarchus olei meminit opuſc. de Iſide & Oſiride hic enim cum philoſophicè de materia rerum naturalium diſputaret, eamque carere omni actu, ut voluit noſtris temporibus ſchola Thomiſtarum, negaſſet; Scotiſtarum ſcholæ videtur ſubſcripſiſſe, dicens: ὅταν οὖν ὕλην λέγωμεν, οὐ δεῖ πρὸς ἐνίων φιλοσόφων δόξας ἀποφερομένους ἄψυχόν D τι σῶμα καὶ ἄποιον ἀργόν τε, καὶ ἄπρακτον ἐξ ἑαυτοῦ διανοεῖσθαι· καὶ γὰρ ἔλαιον ὕλην μύρου καλοῦμεν, καὶ χρυσὸν ἀγαλμάτος, οὐκ ὄντα πάσης ἔρημα ὁμοιότητος. ideſt, *Ergo ubi materiam nominamus, non debes Philoſophorum quorumdam ſequutus opiniones corpus aliquod animæ expers, ac qualitatum, & ocioſum ſuapte natura, atque inefficax imaginari: nam & oleum unguenti materiam vocamus, & aurum ſtatuæ non omni planè carentia qualitate.* lib. etiam 4. Sympoſ. quæſt. 1. diſputans ſimplexne cibus concoctu ſit facilior; tandem pro ſimpliciori ſtat, dicens: κρατεῖ δὲ καὶ βαφὴ τῶν ἁπλῶν χρωμάτων μᾶλλον, καὶ μυρεψικοῖς φαρμάκοις τρέπεται τάχιϛα τὸ εὐωδέϛατον ἔλαιον. hoc eſt, *Sed & tinctura ſimplicium colorum facilius inhæret, & fra-* E *grantiſſimum oleum maximè ſeplaſiariis medicamentis mutatur.* Seplaſiaria medicamenta, aromataria manu pertracta dixit. quæ in ſeplaſiis, ut vidimus, negotiabantur, ſimulque aperuit in unguentaria arte oleum materiæ rationem tenere. De utraque verò unguentorum materia, oleo ſcilicet, & aromatibus, præclarè ſacer textus loquitur Exo. 35. ubi de Principum oblationibus agitur, ſacri tabernaculi fabricandi, atque erigendi occaſione. *Principes verò*, inquit ſacer textus, *obtulerunt lapides onychinos, & gemmas ad ſuperhumerale, & rationale, aromataque & oleum* F *ad luminaria concinnanda, & ad præparandum unguentum.* ita eo loco ſcribitur. ex quo non ſolum duplicem olei ex Dei præſcripto uſum habemus, ſed duplicatam etiam unguentorum materiam, oleum, ſcilicet, & aromata; ut jam unguentariæ artis baſis, & materia ex divinorum oraculorum præſcripto, & olei quoque ad hanc uſus, in ſacris, & ex ſacris clariſſima fiant.

Reliquum eſt, ut parandorum unguentorum rationem ex arte aperiamus; cujus quidem methodus petenda erit ex præſcriptis à Dioſcoride, & Theophraſto regulis, & ab aliis, qui de his ſcripſere. Omnium verò regularum hæc in arte unguentaria primam ſedem obtinebit, ut in unoquoque componendo unguento unum aliquod ex his, quæ in compoſitionem veniunt, baſis rationem ſuſtineat; eique hoc munus demandandum erit. cujus, vires, ac qualitates cum primis in eo unguento ex intentione artificis deſiderantur: qui quidem artifex veluti voluntarium ac liberum agens, à fine dirigi debet. illud autem, quod baſis rationem ſuſtinebit, in dupla proportione ſuperare convenit reliqua aromata, quæ unguentariam compoſitionem ingrediuntur. Sunt autem aromata omnia præparanda, aut maceratione, aut tunſione in ordine ad cribrationem. quod locum habet, quando ea, quæ ingrediuntur compoſitionem, fuerint in genere calami, junci, radicum, foliorum, aut ſimilium, auctore Dioſcoride lib. 1. cap. 42. & 55. & 57. ſi verò fuerint gummi, diſſolutione, ſeu pulverizatione parandi erunt; ex doctrina ejuſdem eodem lib. cap. 51. & 52. & 61. & hæc omnia non oſcitanter commiſceri debent, ſed ſervata debita menſuræ proportione, à qualitate petita, quæ in unguento deſideratur; ratione uſûs, ad quem compoſitio dirigitur.

Methodus verò artis unguentariæ requirit; ut calami, junci, radices, & plantæ maceratæ jam per aliquod tempus, in oleum demittantur; aut in alium quemcumque ſuccum, cui odor conciliari debet. tandiu pariter ſpathula agitentur, quouſque oleum tantiſper inſpiſſetur, vel inſpiſſetur ſuccus; ubi περὶ τῶν ϛιμμάτων agitur. Oleo denique jam inſpiſſato, ac torculari expreſſo; reliqua huic oleo infundantur aromata, quæ ſervato ordine ex regulis artis infundenda erunt: ita tamen ut id ultimum ex aromatibus teneat locum, cujus odor cum primis in unguento expetitur. Eſt enim regula aromatiferæ artis, in compoſitionibus odoratis, ejus aromatis retineri odorem, qui poſtremo loco immiſſus fuerit, ut reliquis commiſceatur. eo tamen uſque agitari omnia aromata debent, quouſque perfectè commiſceantur, propriaſque odoriferas qualitates tum ſibi invicem, tum ſucco, ſive oleo communicent: hoc verò vi caloris, non prunis, aut flamma ſubminiſtrati, ne aut violentia ignis, qualitatem odoriferam evaporare faciat, aut fumo unguentum inficiat; ſed per balneum maris cuncta decoquendo, odor ſuaviter unguento conciliabitur.

Illuſtratur ex his locus ſacrarum literarum ex cap. 41. libri Job, ut ex eodem artis unguentariæ non ſolum antiquiſſima ratio, ſed methodus etiam in coquendis aromatibus ab eo uſque ſeculo hauriatur. de potentia Leviathan Spiritus ſanctus in loco illo loquebatur; *Ferveſcere faciet*, inquit, *quaſi ollam profundum mare, & ponet quaſi cum unguenta bulliunt.* ad cujus loci explicationem conſiderare neceſſe eſt, in quonam comparationis energia poſita ſit. non enim comparatio ollam unguentariam reſpicit; vas, nimirum illud, in quo commixta aromata concaleſcunt, ad mutuum ſibi odorem conciliandum. falſa enim eſt hujuſmodi explicatio; & comparationis vis ene r- vatur: quia oleum, atque unguentum dum coquitur, nequaquam vi caloris agitatur: cujus rei ratio à ſincera olei humiditate petenda eſt, cum Plutar. lib. 6 Sympoſ. quæſt. 9. ἔτι δὲ κινούμενον ἥκιϛα ψοφεῖ τῶν ὑγρῶν, ὑγρὸν γάρ ἐϛι διόλου, τῶν ἄλλων ἐν τῷ ῥεῖν, καὶ φέρεσθαι τὰ σκληρὰ, καὶ γεώδη μέρη προσκρούοντα λαμβάνοντα καὶ πληγὰς, ψοφεῖ διὰ βαρύτητα hoc eſt, *Porrò*, ſupple oleum, de hoc enim diſputabatur, *in motu minus, quam ullus alius liquor ſtrepitum edit; ut nimirum penitus humidum; reliquorum humorum dum fluunt & moventur duræ, & terrenæ partes impingunt; atque*

relidun-

reliduntur, eoque motu ſtrepitum edunt ob aſperitatem. Et infra in eadem ſententia, ſic dicit: ὕδωρ μὲν οὖν καὶ οἶνος, καὶ τὰ λοιπὰ, πολλοῦ μετέχοντα τοῦ θολεροῦ καὶ γεώδους, ἐμπίπΙοντα τὴν φλόγα διασπᾶτ, καὶ τῇ βραχύτητι ᾗ τῷ βάρει θλίβει ᾗ κατασβέννυσι. hoceſt, *Aqua verò, & vinum, & reliqua*, ſupple humida, *habentia multum turbidi admixtum, & terrei, flammam illapſu ſuo divellunt, aſperitateque ſua, & pondere opprimunt, atque reſtinguunt.* Cum igitur oleum ob ſuam naturalem pinguedinem, tenacemque humiditatem nequaquam ferveat, ebulliat, commoveatur, aut aliquid aliud agat, quod maris à ventis agitati imaginem retineat; atque mari fluctuanti comparari queat; apertè liquet comparationem non ferri ad vas olei, in quod infuſa forent aromata: nam ſi ad vas unguentarium reſpexiſſet Job, nimis inſulſa comparatio appareret; quia etiam irridenda foret in eo ſcriptore, in quo nihil non ſerium legitur; quinimo in comparationibus ſacris ſuaviſſimæ energiæ apparent. Spiritus igitur ſanctus in illius verbis ad caldarium plenum aqua reſpexit; in cujus aquæ medio, olla unguentaria ex artis ratione collocatur; ut vi caloris agitata, calefactaque aqua, calor tunc fundatur ad unguentariam ollam. Cujus coquendi methodus balneum maris ab unguentariis appellatur. Caldarium namque undique ab igne circumdatum, fervet flammâ, & igne: & vi humidi caloris, concoquuntur ſucci; aromata commiſcentur; & odor non evaneſcit; ſed unguento ſuaviter conciliatur. in ſupera enim aquæ ſuperficie caloris vi excitata aqua, ſurſum, deorſumque ſic agitatur, ut excitatis fluctibus iratum mare, flatibus tumidum, ventis agitatum, te conſpexiſſe diceres. Qua ratione, & exemplo vis illius comparationis, ſuam elegantiſſimam retinet energiam: & ex hoc loco ſacræ Scripturæ, parandorum unguentorum lucidior ars, ab eo uſque tempore unguentariis nota conſpicitur. hæ igitur ſunt regulæ, quas ad unguenta componenda, pigmentario, ſive unguentario muneri, ſacræ præſcribunt literæ.

CAP. XXIII.

Olei lætitiæ ac gaudii vocabula illuſtrantur.

Ad loca Pſal. 44. *Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ.* Iſai. 61. *Vt ponerem fortitudinem lugentibus Sion, & darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu.* Et ad alia plurima loca.

APERUIMUS, quæ ad oleum, & unguentum in univerſum ſpectabant: ad partium explicationem noſtra convertitur oratio, & oleum lætitiæ ſtatim nobis ſeſe offert. hoc verò oleum lætitiæ, potius olei conditi ſpeciem, quàm unguenti propriè ſumpti rationem tenuiſſe, nequaquam ambigendum videtur: ni fortaſſe vocis שֶׁמֶן *ſcemen*, quæ ex hebraica phraſi unguentum, ut diximus alibi, valet, ſignificationem retinere velimus. Verum quæcumque illius vocis retineatur interpretatio, olei lætitiæ explicationem, atque tractatum ad noſtrum inſtitutum pertinere perſpicuum eſt; ut propterea in eo explicando non immerito nobis ſit immorandum. Quibus verò potiſſimum aromatibus hoc oleum condiretur, res eſt adeo perobſcura; ut in his conjectandis, divinandum ſit potius, quam certò aliquid affirmandum: tum maximè quod nemo hactenus, quod ego noverim, in hac re enucleanda tantiſper invigilavit. Quamobrem licet audaciæ fortaſſe hoc tentaſſe cenſeri poſſit; nihilominus tentaſſe juvabit.

A aliorum enim ingeniis, hiſce conjecturis, excitatis, fiet; ut noſtra hæc audacia, ſtudioſæ Reipublicæ, non ſolum utilitatem aliquam præſtitiſſe, verum etiam perſpicacioribus ingeniis decus attuliſſe videatur.

Nominum tantum, ac vocabulorum hujus capituli ſit materia, ut de more exordiamur. nec enim aliquid de oleo dicendum ſupereſt; jam enim oſtenſum eſt ſupra primo hujus Myrothecii capitulo, hac voce etiam unguenta ſignificari, quorum uſus ad corporis unctiones erat. Enucleandum igitur relinquitur; quidnam ſibi velit vox illa LÆTITIÆ, quæ ad olei ſpeciem explicandam additur à Propheta,
B cum ad venturum Meſſiam reſpiciens, ait: *Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ.* nec aliunde illius vim in ſignificando haurire licet, quatenus præſentis eſt negotii; quam ab Hebraica dictione שָׂשׂוֹן *ſaſon.* ſic enim totius olei vis ex nomine perſpicua erit. etenim שֶׁמֶן שָׂשׂוֹן *ſcemen ſaſon*, Hebraicè in illo Pſalmi loco appellatur; quod Græca exemplaria ἔλαιον ἀγαλλιάσεως dixere, & hæc ſequutus *oleum lætitiæ* noſter Vulgatus eſt interpretatus. Illius verò dictionis energiam, divinorum oraculorum loca alia in ſimili dictione invicem collata, facile explicabunt.

C Olei lætitiæ, ut video, duobus in locis tantum divina meminere oracula. primo David de Rege Meſſia verba faciens, ejus meminit Pſalmo 44. jam allato, ubi dixere Septuaginta ἠγάπησας δικαιοσύνην, ᾗ ἐμίσησας ἀνομίαν· διὰ τοῦτο ἔχρισέ σε ὁ Θεὸς, ὁ Θεός σου, ἔλαιον ἀγαλλιάσεως παρὰ τούς μετόχους σου. hoceſt, *Amaſti juſtitiam, & odiſti impietatem, ideò unxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis inter participes tui.* quod idem legitur Hebicè ſic: אָהַבְתָּ צֶּדֶק וַתִּשְׂנָא רֶשַׁע עַל־כֵּן מְשָׁחֲךָ אֱלֹהִים אֱלֹהֶיךָ שֶׁמֶן שָׂשׂוֹן Quæ reddita ad verbum ita interpretari poſſunt: *Amaſti juſtitiam, & odiſti impietatem, propterea unxit te Dii Dii tui oleo gaudii*, ſive oleo lætitiæ, ut noſter habet interpres. hæc ſa-
D cri codices: in quibus prætereundum ex Hebraico exemplari, quamvis obiter, nequaquam exiſtimo; Deum hoc loco plurali numero, repetitis vicibus nominari dictione אֱלֹהִים, quod de Chriſti humana natura hypoſtaticè unita divinitati, à Propheta ageretur. Licet enim unio humanæ naturæ (ut Scholaſticis Theologis aliquid indulgeamus) immediatè terminata fuerit tantum ad perſonam Verbi divini; quia tamen in eam deſcendit omnis plenitudo divinitatis, & illa unio fuit facta non immmediatè, ſed mediatè, hoc eſt, mediante perſona Verbi etiam cum divina natura, quæ identitate reali, ut loquamur cum Scholaſticis, eadem eſt cum Perſona Pa-
E tris, & Spiritus ſancti; ut propterea à Theologis dicatur in Chriſto eminentiori modo, quam in reliquis creaturis Perſonam Patris, & Spiritus ſancti exiſtere; ideò Propheta Regius, bis repetito nomine *elohim*, de hac Meſſiæ unctione egiſſe putandus eſt; ſi in divinis oraculis, myſteria quoque, ut par eſt, præ oculis ſunt habenda.

Verum ad litterales ſenſus, & vocum energiam, nos transferamus, alia ſacræ Scripturæ loca conſiderari in illo Pſalmi loco pro oleo lætitiæ, de quo agimus: eſt enim ex ſacris oraculis locus alter Iſai. 61. ubi Propheta ex perſona Meſſiæ, munia enumerat, ad quæ à Deo mittebatur, dicens: *Spiritus*
F *Domini ſuper me, eo quod Dominus unxerit me, ad annuntiandum pauperibus miſit me.* Cumque alia nonnulla munia recenſuiſſet; ut ab omni mœrore, atque triſtitia, tandem ex Meſſiæ adventu, ac munere ſublevandos homines aperiret. *Vt ponerem*, inquit, *fortitudinem lugentibus Sion, & darem eis coronam pro cinere, & oleum gaudii pro luctu.* Qui locus hebraicè ſic legitur: לָשׂוּם לַאֲבֵלֵי צִיּוֹן לָתֵת לָהֶם פְּאֵר תַּחַת אֵפֶר

אֵפֶר שֶׁמֶן שָׂשׂוֹן תַּחַת אֵבֶל idest, *Ad ponendum lugentibus Sion, ad dandum illis tiaram pro cinere, oleum gaudii* שֶׁמֶן שָׂשׂוֹן *ſcemen ſaſon, pro luctu.* Utriuſque autem loci intelligentia, antiquorum conſuetudinem explicandam poſtulat; qui mœroris cauſa non ſolum ornamenta omnia deponebant; verum etiam ab unctionibus quoque cum primis abſtinebant; de quibus infra redibit ſermo. A

Ut verò quæ dicuntur magis perſpicua fiant; conſiderandum cenſui, duobus apud Latinos vocabulis animi noſtri voluptatem, hilaritatemque ſignificari, GAUDIO nimirum, & LÆTITIA: quæ duo vocabula diſtant, ac differunt, ſicut lætari & gaudere; Nonio ipſo auctore cap. 5. B

Hæc enim vox LÆTITIA internam voluptatem animi ex ſuperabundantia geſtientis, & ad externa etiam ſigna profuſi indigitat. id ex Cicerone lib. 3. Tuſcul. quæſt. accepimus: *Immoderata lætitia*, inquit, *eſt voluptas animi elata, & geſtiens.* quod etiam Varronis teſtimonio lib. 5. de lingua Latina confirmatur. *Lætari*, inquit, *ab eo quod latius gaudium propter magni boni opinionem diffuſum. itaque Terentius*, vel ut alii Codices, Juventius, *ait: Gaudia ſua ſi omnes homines conferant unum in locum, tamen mea exſuperat lætitia.* Et hoc profuſum, atque extenſum gaudium, quod lætitia dicitur à Latinis, à Græcis ἀγαλλίαμα, & etiam ἀγαλλίασις dicitur; quæ voces C à verbo Græco ἀγάλλομαι derivantur, quod *geſtio*, & *exſulto* interpretatur. eſt autem exſultare extra ſaltare, quod ſignificat ſupra modum, & ultra terminum exilire. inde Virgilius lib. 3. ait:

Exſultantque vada, atque æſtu miſcentur arenæ.

Itaque Græcorum ἀγαλλίασις, geſticulationem magis ſonat lætantis, quam ipſum gaudium: ſonat id quod alio vocabulo χάρμα dicebatur. Quamobrem Homerus 13. Iliad. χάρμη animum geſtientem ad pugnam appellavit: quin etiam pugna, ac prælium ipſum, ea voce à Græcis dicebatur: quod nimirum geſtiendo, atque exſultando veteres cum hoſte congrederentur. D Hunc etiam animi geſtientis motum, ex voluptatis nimia ſuperabundantia ad extra diffuſi γανυρὰν à verbo γανυρόω à Græcis dictum fuiſſe, non immerito ſuſpicantur aliqui: ſignificat enim vox illa ſuperbiendo, & inſoleſcendo lætari. hinc corrupta, ſive alterata tantiſper vocis ſignificatione, necnon etiam vocis ſono permutato, gaudium à Latinis deductum voluit Feſtus. non igitur probandi ſunt, qui σωφροσύνην Græco vocabulo hanc animi geſtientis lætitiam appellant.

Quoties verò animus ex bono concepto, internè exhilaratur; ut ad externa ſigna nequaquam præter rationem ſeſe effundat; E neque corpore geſtiente internam voluptatem exterius aperiat; niſi quantum ratio ad prudentiæ præſcriptum conceſſerit: hanc animi hilaritatem GAUDIUM Latini propriè dicere conſueverunt: idque ipſum græcè σωφροσύνη, & etiam εὐφροσύνη merito appellabitur; quaſi dixeris, hilaritas concepta ex bona, & prudenti mentis diſpoſitione. Eſt enim φρὴν mens, & φρονέω mente, atque ratione præditus ſum; cui addita ſyllaba εὐ, quæ ſua ſignificatione, his vocabulis, quibus adjungitur, boni eſt ominis εὐφροσύνη ſignificabit eam, quam diximus hilaritatem; quam præclarè expreſſit Dioſcor. lib. 4. agens de foliis bugloſſi, dicens, φύλλον ἔχει ὅμοιον βοὸς γλώσσῃ, ὅπερ καθιέμενον εἰς τὸν οἶνον, εὐφρόσυνον δοκεῖ εἶναι. F hoc eſt, *Folium habet*, ſupple *bugloſſum*, *ſimile bovis linguæ, quod injectum in vinum, hilarans videtur eſſe.* ita Dioſcorides ad verbum, à quo id cum accepiſſet Plin. lib. 25. cap. 40. illud idem ita expreſſit. *Bugloſſos boum linguæ ſimilis; cui præcipuum, quod in vinum dejecta, animi voluptates auget: & vocatur euphroſynon.* ex quibus perſpicuum eſt εὐφροσύνην internam animi voluptatem, ac delectationem ſignificare, quam GAUDIUM appellari latinè docuimus, voceque χαρὰ à verbo χαίρω etiam à Græcis dicitur. & ne quis nos ſomniaſſe putaret, harum vocum diſcrimina ex lib. 4. Tuſcul. quæſt. paulo poſt initium, auctore Cicerone, accipiuntur. ait enim: *Itemque, cum ita movemur, ut in bono ſimus aliquo, dupliciter id contingit. nam cum ratione animus movetur placidè, atque conſtanter, tunc illud GAVDIVM dicitur; cum autem & inaniter, & effuſè animus exultat, tum illa LAETITIA geſtiens, vel nimia dici poteſt: quam ita definiunt, ſine ratione, animi elationem:* ita Cicero. Ab hoc igitur *lætitiæ* & *gaudii* diſcrimine, Stoicos ſumpſiſſe illud arbitror in eorum doctrina axioma: *Gaudium in ſapientem cadere poſſe: lætitiam non poſſe.*

Pari fœcunditate in lingua, & idiomate ſancto Hebræorum, quo ab orbis uſque exordio Deus uſus eſt, cum loqueretur ſanctis Patriarchis, in quo etiam ſacram tradidit legem, & tanto in honore habitum eſt ab ipſo, ut illi uni ante ſuum in carne aduentum, divina commendarint oracula; in hoc, inquam, ſacro idiomate, bina ſunt in uſu vocabula; quibus in ſacris literis animorum hilaritas ſignificatur; nimirum שִׂמְחָה *ſcimcha*, & dictio שָׂשׂוֹן *ſaſon*, quorum poſtremum vocabulum animi voluptatem, hilaritatemque prudentis viri, atque juſti ſignificat; qui in Domino Deo ſuo modeſtè, ac placidè, quacumque occurrente occaſione, intra limites rationis norma ſervata, gaudet, atque lætatur. Hujus quam dicimus vocabuli ſignificationem nequaquam ex capite comminiſcimur, ſed ea divinæ innititur auctoritati. ex Pſal. 68. locum afferre poſſumus in illis verbis: *Et juſti epulentur, & exſultent in conſpectu Dei, & delectentur in lætitia.* ubi hebraica lectio ſic habet: וְצַדִּיקִים יִשְׂמְחוּ יַעַלְצוּ לִפְנֵי אֱלֹהִים וְיָשִׂישׂוּ בְשִׂמְחָה Ex hoc verò textu in proprio idiomate allato perſpicua fiunt, quæ à nobis dicuntur. duo enim ejus loci poſtrema verba וְיָשִׂישׂוּ בְשִׂמְחָה *Et gaudebunt in lætitia*, ſunt maximè obſervanda. nam ſignificatum hujus dictionis שִׂמְחָה *ſcimcha*, quod extenditur ultra limites modeſtiæ, ad regulam rationis per antecedentem dictionem יָשִׂישׂוּ *jaſiſu* revocatur. Cum igitur ab hoc verbo שׂוּשׂ dictio illa שָׂשׂוֹן derivetur ſaltem, vel Spiritu ſancto magiſtro, iuſtorum lætitia talis futura deſcribitur, qualem per verbum יָשִׂישׂוּ ſignificari perſpicuum eſt. quapropter moderatam tantum, & ad rationis regulam coarctatam lætitiam ſignificari in eo loco perſpicuum erit.

Dictio altera ejuſdem loci erat שִׂמְחָה *ſcimcha*, qua ſignificari Latinorum lætitiam, animi, nimirum, geſtientis, corporeis ſignis expreſſum gaudium. præclarè hoc exprimitur cap. 6. lib. 2. Reg. Divinis oraculis David Regis internam animi voluptatem, externis expreſſam ſignis explicantibus; tunc cum Arca Dei de domo Obededom, ad lares Regios, Regis juſſu deduceretur. his verbis loquitur textus: *Abiit ergo David, & adduxit Arcam Dei de domo Obededom in civitatem David, cum gaudio*, legit noſter Interpres. at hebraicè apertius legitur: וַיֵּלֶךְ דָּוִד וַיַּעַל אֶת אֲרוֹן הָאֱלֹהִים מִבֵּית עֹבֵד אֱדֹם עִיר דָּוִד בְּשִׂמְחָה idest, *Et abiit David, & tranſtulit arcam de Dei domo Hobededom in civitatem David cum lætitia:* ubi perſpicuè Davidis voluptatem dixit Spiritus ſanctus בְּשִׂמְחָה. & merito quidem, quod ſtatim ſubinferatur: *Et David ſaltabat totis viribus ante Dominum. porro David accinctus erat Ephod lineo.* geſtientem, atque ſaltantem David cum dicere vellet ſacer textus; in quo nihil oſcitanter dicitur, cujus etiam apiculi quam diligentiſſimè ſunt obſervandi; propterea dictione illa שִׂמְחָה *ſcimcha* uſum fuiſſe, perſpicuum eſt. Quamobrem certo certius apparet, hac dictione ſignificari illud genus hilaritatis, externis ex-

preſſæ ſignis ; quam lætitiam Latini appellare conſueverunt.

Quamvis verò tam voce *gaudium*, quam voce *lætitia*, & Græci, & Latini ſæpiſſimè promiſcuè utantur, nullâ habitâ diſcriminis inter hæc vocabula ratione: hoc tamen illarum vocum diſcrimen, eo conſilio à nobis allatum fuit; ut illarum cognitâ ratione, dictione שׂשׂון *ſaſon*, Græcam εὐφροσύνην ſignificari demonſtraremus, Latinorum videlicet gaudium: & hac ratione vini, atque olei lætitiæ in convivio cum uſu, diſcrimen quoque effectuum pariter perſpicuum fieret: necnon etiam noſtrum oleum lætitiæ, cur שֶׁמֶן שָׂשׂוֹן *ſcemen ſaſon* dictum fuerit potius, quam שֶׁמֶן שִׂמְחָה *ſcemen ſcimcha* aperiretur. Vini etenim, cujus uſus cum primis in compotationibus habetur, natura, atque proprietas eſt, adeò exhilarare bibentem; ut inaniter, & effusè is geſtiendo, velit, nolit, in jocis, & ludicris liberè ſe transfundat: quod etiam in divinis literis Propheta teſtatur, qui in Pſalmis dicebat: *Et vinum lætificat cor hominis.* Secus ſe habet natura olei: quamobrem ad geſtientem lætitiam temperandam, à veteribus ſapientioribus vino adjungebatur. nam cum oleum vim quandam habeat penetrativam, ſeſeque ad interiora facile tranſmittat, ſua virtute, cerebrum, atque cor confortat, ac roborat; ſenſumque minimè obtundit; ut propterea hominem unctum in ſignum gaudii atque lætitiæ, nec indecorè, nec præter rationem ad externa ſigna lætitiæ oleum transfundere permittat, quin potius intra rationis limites detineat, atque moderetur.

Hac de cauſa, ut arbitror, oleum iſtud, quo veteres Iſraëlitæ utebantur diebus feſtis, atque conviviorum, animi relaxandi gratia inſtitutis שֶׁמֶן שָׂשׂוֹן *ſcemen ſaſon* potius, quam שֶׁמֶן שִׂמְחָה *ſcemen ſcimcha* in ſacris appellatur; ut eo utentibus divina indigitarent oracula, lætandum quidem, ſed non niſi ad præſcriptum rationis, illis quoque diebus gaudium regulandum fore. Et ne myſteria præteriiſſe videamur, dum verba penſitamus; Oleo lætitiæ, ſive gaudii, Chriſtum Servatorem noſtrum ungendum, Propheta dixit; quia hypoſtaticæ unionis gratia, & vera divinitate unctus, gratiæ quoque habitualis plenitudine, in omni perfectione ſanctitatis, ipſe à Patre cumulandus erat. Quamvis verò ſacrorum oraculorum interpres, quo Romana utitur Eccleſia, nulla habita diſtinctionis ratione, nunc oleum lætitiæ, nunc gaudii, illud idem, ut vidimus, ſit interpretatus; more Latinorum id fecit, qui promiſcuè utuntur his vocibus: & ad ſenſum potius, quam ad verba ipſa attendens, id ipſe in Pſal. 44. oleo lætitiæ; quod Hebræus Codex per שֶׁמֶן שָׂשׂוֹן *ſcemen ſaſon* ſignificari voluit. neque à Græco exemplari ſibi recedendum putavit; quod ἔλαιον ἀγαλλιάσεως illud appellavit; oleum nimirum exſultationis: metaphora ſumpta ab oleo, quo Iſraëlitæ feſtivis diebus utebantur; eoque oleo modeſtiam inter animi voluptates, hilaritateſque ſuo more indicebant: ne præaſſumpta pocula caput infeſtarent, vires exturbarent, ſenſus offunderent, hominem à ratione abalienarent.

CAP. XXIV.

Quodnam unguenti genus, olei lætitiæ nomine ſignificetur.

Ad titulum Pſalmi 44. *In finem pro iis qui commutabuntur filiis Chore, ad intellectum canticum pro dilecto.* Judic. 12. *Nunquid Ephrateus es? quo dicente non ſum, interrogabat eum: dic ergo ſchibboleth, quod interpretatur ſpica.* Et ad alia.

A AROMATA, quibus hoc oleum lætitiæ condiebatur, è latebris eruere, onus perquam difficillimum eſſe, nemo negabit: id enim quærere, eſt vento non cognito, rectius dicam, nec flante, humani intellectus cymbam committere, in vaſtiſſimo ſacrarum literarum oceano. quod ſi dixero, me mare innavigatum, nullo duce, nullius aſtri fulgore, temerario fortaſſe auſu pernavigandum ſuſcepiſſe; à ſcopo certè non aberraſſe videbor. Dei tamen ope, probabilibus rationibus, atque conjecturis minimè contemnendis, lati hujus Oceani ſulci commonſtrabuntur: & ubi portum minimè attigerimus, aliis attingendum monſtraſſe, ſat erit.

B Hujus igitur olei naturam cognoſcere nequimus: ut tamen apertiora fiant ea, quæ ex animi noſtri ſententia dicenda ſunt, & firmiora appareant; meminiſſe oportet communis illius regulæ, circa vocabula ſacræ Scripturæ, quam tradunt peritiores linguæ ſanctæ: nimirum, vocabula, dictiones, atque voces, quibus ſacra utitur Scriptura; non caſu, aut fortuito in divinis oraculis explicandis aſſumpta fuiſſe; ſed de induſtria, Spiritu ſancto, ſcilicet verba dictante, amanuenſiſque calamum dirigente, in ſacris Scripturis poſita fuiſſe. quamobrem vocabula nulla, in ſacra Scriptura myſterio vacare certiſſimum eſſe debet. cumque oleum iſtud de quo loquimur

C שֶׁמֶן שָׂשׂוֹן *ſcemen ſaſon* potius, quam *ſcemen ſcimcha* שֶׁמֶן שִׂמְחָה à Propheta, & ab Iſaia appelletur; ut cap. præcedenti monſtravimus; fortuito, aut caſu id accidiſſe, nequaquam æquum eſt arbitrari: ſed ea quidem ratione, ut mens auctoris in ſacris literis aſſequeretur; & conditura olei lætitiæ diligentius inveſtigata, facilius in poſterum caperetur.

Quam maximè porrò ad unguentum hoc elucidandum, radicituſque inveſtigandum, conducit regula altera Grammaticorum linguæ ſanctæ, in characterum conformitate, aut diverſitate attendenda, communi equidem illorum conſenſu; in dictionibus, atque vocabulis ſacræ Scripturæ, ex conformitate,

D atque ſimilitudine characterum, & literarum, conformitatem quoque ſignificationis eruendam. Ita docet Pagninus in Dictionario, Iſaac in ſua grammatica, Avenarius reg. 4. in præfat. ad lectorem ſui Dictionarii; & alii plures, qui in ſuis Dictionariis, pluribus adductis exemplis, in hoc demonſtrando quam plurimum invigilant. quarum diligentia cum ſuos apud auctores videri poſſit, nobis à locorum congerie ſuperſedendum putavimus.

Eſt igitur inter hæc duo vocabula שָׂשׂוֹן *ſaſon* & *ſcuſcan* שׁוּשַׁן vocum ſumma conformitas, & literarum ſimilitudo quam maxima: hancque poſtremam vocem, lilium, ſeu roſam interpretantur auctores;

E priorem verò gaudium ſignificare oſtenſum cum fuerit; ex altera illarum, alterius ſignificatio eruenda erit. tantum enim in apiculis illorum duorum vocabulorum diſcrimen poſitum eſt. quamobrem à ratione alienum nequaquam eſt exiſtimare, quod antiquitus, quando Hebræorum codices punctis carebant, alii שָׁשׁוֹן *ſciaſſion* pronuntiarent, pro eo quod שָׂשׂוֹן *ſaſſon* alii dixiſſent. Sicut etiam *ſuſſan* שׂוּשׂן pro *ſciuſcian* שׁוּשַׁן apud alios. quodque vernacula, & rudiori lingua שָׁשׁוֹן *ſciaſcion* dicebatur; elegantiori dicendi phraſi שָׂשׂוֹן *ſaſſon* diceretur.

Hujus varietatis vocabulorum in una, & eadem gente, plurium ſeculorum magiſtram habemus ex-

F perientiam: unam enim eamdemque nationem alio, & alio accentu idem vocabulum effari ſolitam cognovimus. quin etiam unius, ejuſdemque urbis diverſæ tribus, diverſimodè eadem vocabula pronunciare conſueviſſe accepimus ab aliis; nos ipſi vidimus; eamque ſyllabam apud aliquos protrahi; quæ ab aliis corriperetur, paſſim Græcorum tum poëmata, tum hiſtorica ſcripta teſtantur: inde enim apud Græ-

Græcos ortum duxere varietates linguarum ; inde Dorica, Ionica, Æolica, Attica, & aliæ linguæ Græcæ varietates originem, atque incrementa cum elegantia ſuſcepere. Nec aliquod aliquando fuit idioma, quod diverſa pronuntiationis genera pro diverſitate locorum, ac regionum non admiſerit.

Id verò Hebræis quoque contigiſſe, & in ipſa eademque litera *ſcin* ש, à qua omnis pendet differentia illorum vocabulorum, de quibus à nobis agitur; ex ſacris perſpicuum eſt literis. Cap. enim 12. lib. Jud. Galaaditis adverſus eos, qui de tribu Ephraim erant, pugnantibus, & victoribus Jordanis vada præoccupantibus, ut Ephraimitis fugientibus aditus, & ſalutis ſpes omnis clauderetur; (cogebantur enim Ephraimitæ Jordanem tranſire) ubi ex ipſis aliquis, qui hoſtium gladios evaſiſſet, ad vada Jordanis incolumis perveniſſet; Galaaditæ cuſtodes, fugienti occurrentes, eum interrogabant : *Nunquid Ephraimita es? quo dicente, non ſum*, inquit ſacer textus, *interrogabat eum, dic ergo ſcibboleth, quod interpretatur ſpica; qui reſpondebat ſibbolet, eadem litera ſpicam exprimere non valens.* Ex quo ſacræ Scripturæ loco, auctore Spiritu ſancto, perſpicuum eſt, ejuſdem gentis, ac linguæ, Ephraimitas à Galaaditis diverſa ejuſdem literæ ש pronuntiatione diſtinctos, ac cognitos fuiſſe : his nimirum puncto in ſiniſtro cornu literæ poſito שִׁבֹּלֶת *ſcibolet* dicentibus, Ephraimitis in dextro שִׂבֹּלֶת pronuntiantibus.

Stemus jam in gradu, & pro his duobus vocabulis, ex quibus oleum lætitiæ nobis aperiendum ſupereſt, certamen inſtituatur; de quibus in apiculis tota eſt poſita controverſia : nam *ſcuſcan* שׁוּשַׁן & *ſaſon* שָׂשׂוֹן in punctuatione tantum literæ ש apice nimirum collocato in dextro, aut ſiniſtro literæ cornu diſtinguuntur; nequaquam verò ex characteribus : certum igitur erit ſignificatione quoque duo iſta vocabula, non ſolum parum, vel nihil differre; ſed etiam quam maximè convenire; ut propterea à ſignificatione vocis שׁוּשַׁן *ſcuſan*, ſignificationem vocabuli שָׂשׂוֹן *ſaſon* inquirere, non ſit à ratione alienum.

Eſt autem *ſcuſcan* שׁוּשַׁן & *ſcoſcan* שׁוֹשָׁן, apud Hebræos, quod Græcis κρίνον; & Latinis *lilium* dicitur, flos odoratiſſimus inter omnes flores, & ſuaviſſimè olens. quare & roſa Junonis dicebatur apud veteres. Quod autem שׁוּשַׁן lilium ſignificet, oſtendunt loca 3. Reg. 7. verſ. 22. Cant. 2. nu. 16. cap. 9. n. 5. & pluribus aliis in locis. ſimiliter & שׁוֹשַׁן 3. Reg. 7. nu. 19. Pſal. 60. nu. 1. dicebatur verò lilium fortaſſe שׁוּשַׁן *ſcuſcan*, vel à candore; quamobrem, & byſſus candidiſſimi lini genus שֵׁשׁ appellabatur apud Hebræos, vel etiam verius, ut docet Rabbi David Chimchi, & Caſaubonus in Athenæum adnotavit lib. 12. cap. 2. à ſenario foliorum numero, quia שֵׁשׁ & שִׁשָּׁה valet ſex; ſex enim lilium habet folia, ſuaviterque olentia. Quod verò lilium mutata *ſcin* in *ſin* dictum fuerit *ſuſan* & *ſuſon*, colligere poſſumus ex Arabico idiomate proximè ab Hebræo derivato, & in pluribus vocabulis omnino eodem cum illo. Lilium enim *ſuſan* in eo appellari oſtendit Matthiolus in 3. lib. Dioſcoridis cap. 110. quin etiam & apud Græcos lilium σοῦσον appellatum fuiſſe, teſtis eſt Athenæus lib. 12. cap. 1. in fine, & princip. 2. quin etiam Perſarum Regiam hac de cauſa ſic appellatam docet : διαβόητοι δ', inquit, ἐπὶ τρυφῇ ἐγένοντο πρῶτοι πάντων ἀνθρώπων πέρσαι. ὧν καὶ οἱ βασιλεῖς ἐχείμαζον μὲν ἐν Σούσοις, ἐθέριζον δ' ἐν Ἐκβατάνοις. κληθῆναι δὲ τὰ Σοῦσα φησὶν Ἀριστόβουλος, καὶ Χάρης, διὰ τὴν ὡραιότητα τοῦ τόπου· σοῦσον γὰρ εἶναι τῇ Ἑλλήνων φωνῇ τὸ κρίνον, &c. ideſt, *Celeberrimi omnium hominum in deliciis fuerunt primi Perſæ. quorum Reges hiemabant in Suſis, æſtivabant in Ecbatanis. dixit autem Ariſtobulus & Chares vocari Suſan ob pulchritudinem loci. eſt autem ſuſon Græcorum voce lilium.* hæc ibi

A Athenæus. & licet quantum ad originem vocis *ſuſon*, & cujus eſſet propria, aliter videatur ſentire Caſaubonus in Athenæum; cum putet ex ſententia Athenæi potius *ſuſon*, ad Perſarum dialectum referendum, quam ad Græcorum linguam, & ſenſus ſit, *ſuſon* ipſorum Perſarum lingua id appellari; quod Græcis κρίνον, ideſt, lilium. quod etiam Rhodiginus confirmat lib. 22. cap. 5. *Dictam vero urbem*, inquit, *à liliorum copia, quæ gentium earum vocabulo dicuntur ſuſſa* : parum tamen noſtra intereſt, quod attinet ad vocem, & illius patronos; ex Athenæo nobis ſufficiat *ſuſon* lilium dici.

His igitur ita conſideratis de vocibus *ſcuſcan* & *ſco-*
B *ſcan* & *ſuſan*, deque illarum ſignificatione, jam me judice, lucis cujuſdam radio ſignificatio vocis שׁוּשַׁן *ſuſan* illuſtratur. quamobrem in explicandis ſacræ Scripturæ locis ex pſalmo & Iſaia allatis, atque in condiendo oleo lætitiæ, à ſuſſino antiquorum unguento, de quo Dioſcorides, Plinius, Theophraſtus, & alii meminere, recedendum nobis nequaquam putamus : quin potius hoc idem veteribus Iſraëlitis שֶׁמֶן שָׂשׂוֹן *ſcemen ſaſon* fuiſſe arbitramur; quod unguentum ſuſſinum veteribus Græcis, ac Latinis. illudque ipſum à Davide in Pſalmo, & ab Iſaia ſacris in literis *oleum lætitiæ* appellatum.

Quamobrem, quemadmodum quod ex myrrha
C condiebatur oleum, myrrhinum dicebatur; quod ex amaraco amaracinum, ſic etiam quod ex *ſcoſcan* שׁוֹשַׁנִּים, nimirum, liliis, oleum *ſaſon* שָׂשׂוֹן ab Hebræis, & à Græcis σούσινον, mutata ש *ſcin* in ש *ſin* dictum fuiſſe, improbabile nequaquam videtur. Conjectura hæc titulo, & inſcriptione ejuſdem Pſalmi 44. juvatur : ibi enim primo olei lætitiæ meminere ſacra oracula. Sunt enim Pſalmorum tituli; ut doctiſſimus Genebrardus in initio Pſalmi 4. præclarè adnotavit; non tam multoties ad argumentum dicendorum, quam ad genus modulationis, quo Pſalmi canendi fuiſſent; cujus modulationis, ac muſicæ tituli claves erant. Hujus antiquæ modulatio-
D nis pſalmorum, Hebraicæque muſicæ noſtro hoc ſeculo ars cum omnino antiquata ſit; nec aliqua ejus exſtet cognitio; ipſorum quoque pſalmorum, plurimas inſcriptiones ignorari neceſſe eſt; atque etiam cum inſcriptione plurima quoque, quæ ad argumentum, & ad Pſalmi intelligentiam cum primis juvare poſſent, lateant neceſſe eſt. Fuere enim veteres tam Hebræi, quam Græci, Muſicæ plurimum ſtudioſi. Nam Muſicæ apud Græcos laudes, pluribus proſequitur Rhodiginus lib. 9. cap. 1. ibi enim ex auctoritate Theophili, magnus, ſtabiliſque Theſaurus muſica appellatur, *Mores enim*, inquit, *inſtituit, componitque, ac mollit irarum ardores.* Quan-
E ti verò muſicam facerent Hebræi, ex pluribus, ac ferè innumerabilibus ſacræ Scripturæ locis perſpicuum eſt : tum carminibus, ac hymnis, quorum undique ſacra ſcatent oracula; tum ex variis inſtrumentis, de quibus illa ubique meminere. nam & Eliſæus concitaturus in ſe Spiritum Dei, ad prophetiæ uſum, ut habetur Reg. 4. Pſalten adduci juſſit. & pſalte præcinente ac pſallente, divino ſpiritu arripiebatur Propheta. quamobrem non tantum ad poëſis diverſitatem, diverſitatemque effectuum, quos veteres intendebant, genus modulationis accommodabant; ſed etiam diverſis inſtrumentis pro diverſitate muſicæ utebantur. quamobrem Caſſiodorus apud
F Rhodiginum lib. 9. cap. 2. *Dorius*, inquit, *prudentiæ largitor eſt, & caſtitatis effector. Phrygius verò pugnas excitat, votum furoris inflammat; Æolius animi tempeſtates tranquillat; ſomnumque jam placatis attribuit; Lydius intellectum obtuſis acuit; & terreno deſiderio gravatis, cœleſtium appetentiam inducit, bonorum operator eximius.* Cumque & genus modulationis, & inſtrumenta muſicalia ad curam magiſtri Muſicæ pertinerent,

rent,

rent ; propterea ad illum Pſalmi dirigebantur.

Aggrediamur igitur Pſalmi titulum , in quo de oleo lætitiæ loquitur Propheta , illumque diligentius quam fieri poſſit attendamus : *In finem pro his , qui commutabuntur filiis Chore , ad intellectum canticum pro dilecto* , inſcribitur apud noſtrum vulgatum; qui ubique in Pſalterio , Græcorum exemplarium ſequutus eſt fidem. at verò hebraicè ſic habetur לַמְנַצֵּחַ עַל־שֹׁשַׁנִּים reliqua verba hebraica tituli dimittuntur , quod ad præſens negotium minimè ſpectent. ſingula igitur jam allata perpendantur. dictio לַמְנַצֵּחַ oſtendit cuinam pſalmus dirigeretur ; magiſtro , nimirum , muſicæ , præcentori ipſo ; cui illo ſeculo muſicæ moderandæ cura demandata erat. ita Genebrardus ; Marc. Marinus in Dictionario verbo נָצַח & alii cum his tradidere. quamobrem tam quoad genus modulationis , quam etiam quantum ad inſtrumenta , ſuper quibus Pſalmi canendi , ac pulſandi fuiſſent, ſibi cogitandum erat ; propterea Pſalmi ad illum in Scriptura ſacra diriguntur.

Quibus verò inſtrumentis canendi eſſent Pſalmi , tituli utique aperirent ; ſi ratio inſtrumentorum minimè ignota eſſet. quoties enim in iis legitur dirigi pſalmum ad præcentorem , toties & inſtrumenta , ſuper quæ canendus foret pſalmus , aliqua ratione aperiuntur : vel his verbis , בִּנְגִינוֹת , id eſt , *in neghinoth* , vel aliis ſimilibus vocibus. quemadmodum accidit noſtri pſalmi titulo illis verbis עַל שֹׁשַׁנִּים ſuper *ſcoscanim.* verum quid ſibi velint hæc verba , hoc opus , & hic labor.

Aliqui ſuper roſas interpretantur , & quidem non rectè. quod ex dictione שׁוּשַׁן *ſcuſcan* , quæ habetur in primo cap. libri Eſther verſ. 2. id perſpicuum eſt. ibi enim ſic appellatur Regia Perſarum , quæ Suſa Latinè dicitur , & *ſcuſcan* dicebatur , ut vidimus ex Athenæo , & Rhodigino , à copia liliorum , non autem à copia roſarum ; ut propterea שׁוּשַׁן non roſæ , ſed lilium interpretari debeat. Hujus interpretationis perſpicuum argumentum ſumitur ex ſacris literis 3. Reg. cap. 7. ubi ſermo eſt de fabricis Salomonis ; deque capitellis columnarum his verbis : *Capitella autem quæ erant ſuper capita columnarum , quaſi opere lilii fabricata erant in porticu quatuor cubitorum ;* ubi verò nos legimus de capitellis , quod erant opere lilii , Hebraicè legitur מַעֲשֵׂה שׁוּשַׁן *manghaſeh ſcoſcan.* capitellum verò in forma roſæ nulla architecturæ ratio admittit , neque Etruſca , neque Jonica , neque Dorica , neque Corinthia , neque Compoſita , ut ex regulis , & libris Architectonicæ perſpicuum eſt : rectè verò forma lilii , & opus liliaceum capitellis columnarum adaptatur : vel ad formam compoſitam ex Corinthiaca permixta floribus , quam expreſſit Villalpandus in templo Ezechielis , ex antiqua templi Salomonis fabrica ; vel ad normam & exemplar , quod à ſimplici Corinthiaca ratione ſumitur ; vel ad exemplar ſumptum à ratione , quam dicunt compoſitam architectonici ; in quibus omnibus capitella opere lilii præclarè diſpoſita conſpiciuntur.

Dictionem igitur שׁוּשַׁן per quam ſui templi capitella Salomon in tertio Regum præclarè deſcripſit ; non roſam , ſed lilium ſignificare perſpicuum eſt : & titulum pariter Pſalmi עַל־שֹׁשַׁנִּים non quidem ſuper roſas , ſed potius ſuper lilia interpretari debere , certiſſimum erit.

Cognita verò ſignificatione illius vocis , quid eo vocabulo velit Propheta in titulo Pſalmi , dubitatur : rythmicæ nimirum cantionis genus , an inſtrumenta ſignificentur , quibus modulandus eſſet Pſalmus , in opinione eſt poſitum : nam in latebris antiquiſſimæ muſicæ hæc omnia reconduntur. Nec enim deſunt qui prius tenebant dictum , velintque cum Vatablo , & aliis , genus poëticæ , ſive rythmorum ſignificari ; ad cujus modulos Pſalmus iſte canendus eſſet ;

A ſumpta nimirum denominatione cantilenæ , à principio alterius cantiunculæ , quæ per vocem *ſcoſcannim* exordiretur. Hebræorum enim conſuetudo fuit , inſcriptionem librorum , & etiam cantionum à prima dictione ſumere ; ut in omnibus ſacræ Scripturæ libris , & in lamentationibus Hieremiæ Prophetæ , ac aliis videre licet. quemadmodum & hoc noſtro ſeculo ad hymnos , quibus utimur in Eccleſia , præſcribitur aliquando ex alterius hymni principio modulationis rubrica. Nam & apud Græcos hac de cauſa Nomi muſici dicebantur , auctore Rhodigino loco citato cap. 8. canones quibus qualitates moderandæ , acuendæ , ſive gravandæ vocis indigitabantur.
B ratio autem nominis ea erat , quod veteres priuſquam literas ſcirent , leges canere ſolerent , ne eas oblivioni traderent. quod & Agathirſi ætate adhuc in more fuiſſe Ariſtoteles tradit. hinc Terpandri nomos celebres apud Græcos. A rythmis verò denominationem ſumpſere orthium , & trochaicum carmen : quamobrem à materia veteris cantilenæ dicebantur Nomi muſici ; ſicut hi auctores dicunt à genere modulationis , deſumi titulum Pſalmi 44. atque inſcribi ſuper *Scoſcannim.*

Quod ſi velimus cum pluribus aliis , muſicæ inſtrumenta ſignificari illo vocabulo *ſcoſcannim* , quod & Vatablo placuit , & me judice ſatis conſonat aliis
C Pſalmorum inſcriptionibus ; dicendum videbatur ; non à genere poëſis , ſed modulationis ratione , à genere inſtrumentorum Pſalmum inſcribi : quemadmodum lyrodia , aulodia , cytharodia , quorum meminit epigrammatarius , dicens : *λωτοὶ ἄχεῦν , καὶ θαλάμων ἐπλαταγεῦντο θύραι.* id eſt , *Inſonabant loti , & thalamorum perſtrepebant januæ.* quæ inſtrumenta , loti dicebantur fortaſſis à loto ligno , ex quo parabantur. ita à pari in noſtro Pſalmo inſtrumenta hæc , de quibus titulus loquitur , *ſcoſcannim* fuiſſe appellata affirmabimus , & ab eis pſalmum inſcribi dicemus.

D Verum enimvero tot involucris res hæc abſconditur ; ut adhuc inquirendum remaneat , qua ratione ſic appellata fuerint. & licet , quia roſarum , vel liliorum ſculptura , aut pictura inſtrumenta illa ornabantur ; propterea ſic appellata plurimi arbitrentur ; & à probabili ratione hæc non ſint aliena ; nobis ad rem magis videtur dicendum ab urbe Suſa Metropoli Perſarum , genus illud modulationis , & inſtrumenta ſumpſiſſe nomen. Illud enim certiſſimè conſtat apud veteres , muſicos modos , gentium vocabulis diſtinctos , deſignatoſque. etenim quo unaquæque pro motuum ratione gaudebat , eodem modus ipſe , cenſetur dicendus nomine. Hinc Phrygia , Lydia , Doria , Jonicaque Græcorum modulatio ; ſic & apud
E Hebræos inſtrumenta , quæ ab urbe שׁוּשַׁן *Scuſca* habebantur *ſcuſcanim* denominata cenſentur : adeò , ut ſimul & ſemel genus modulationis , inſtrumenta , & omnium origo pro noſtro Pſalmo præcentori præſcriberentur , denominatione ſumpta à gente , à loco , & rythmica ratione.

Quibus ita conſtitutis pro explicatione vocabuli *ſcoſcannim* , & pro ratione inſtrumentorum , apertiora fient , quæ de oleo ſuſino diximus in שֶׁמֶן שָׂשׂוֹן . Propheta enim divinarum laudum præco ſanctiſſimus , cum , in Pſalmi progreſſu , unguenti , ſive olei mentionem facere ſibi occurriſſet ; ad Pſalmi titulum re-
F ſpiciens , quod erat עַל־שֹׁשַׁנִּים *nghal ſcoſcannim ;* ſimulque vel ad modulationis genus , quod eo nomine inſcribebatur ; vel ad inſtrumenta , quæ *ſcoſcanim* dicebantur ; ſive etiam ad regiam Perſarum , unde & genus illud modulationis , & inſtrumenta ipſa originem ducebant ; olei *ſaſon* , id eſt , olei ſuſini , quod ab ipſa urbe Suſis inventionem , & originem traheret , potiuſque quam alterius cujuſcumque unguenti , aut olei mentionem fecit ; quod nullum tunc

tunc olei conditi genus, nec præſtantius haberetur, nec ſibi occurrere poſſet, quod & nuptiis in epithalamio celebrando, & titulo Pſalmi, & generi modulationis, & inſtrumentorum ſpeciebus, ac temporum conſuetudini, elegantius reſponderet. propterea in laudes Chriſti Servatoris erumpens, dixit: *Dilexiſti juſtitiam & odiſti iniquitatem, propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ.*

CAP. XXV.

Roſacei unguenti, & roſarum præſtantia in oleo lætitiæ demonſtratur.

Ad loca 4. Eſdr. cap. 2. *Paravi tibi arbores duodecim, gravatas variis fructibus, & totidem fontes fluentes lac & mel, & montes immenſos ſeptem, habentes roſam, & lilium, in quibus gaudio implebo filios tuos.* Eccl. 50. *Quaſi flos roſarum in diebus vernis.* Et ad alia loca.

SUSPECTOS nos fortaſſe aliquis haberet; nimiſque alienos à communi interpretum ſenſu, in titulo Pſalmi 44. & explicatione dictionis שׁוֹשַׁן, niſi olei lætitiæ nomine, roſaceum quoque ſignificari poſſe probabile exiſtimaremus; atque dum oleum lætitiæ explicare aggredimur; à roſacei unguenti uſu abſtineremus. Cum enim in ſuperioribus *ſcemen ſaſon* שֶׁמֶן שָׂשׂוֹן à *ſcemen ſcoſcan* שֶׁמֶן שׁוֹשַׁן derivari conjecturis non contemnendis oſtenderimus; plurimique linguæ ſanctæ peritiſſimi, cum M. Marino, & aliis dictionem שׁוֹשַׁן *ſcoſcan* roſam ſignificari conſtantiſſimè affirment: proculdubio olei lætitiæ nomine, roſaceum ſignificari poſſe unguentum, non omnino improbandum erit: quapropter de olei roſacei uſu caput hoc inſtituere cogitavimus.

Inter voluptarios, mollioreſque illius ætatis homines verſamur; quamobrem à roſa roſacei unguenti præſtantia intelligenda erit. Roſæ verò dignitatem ex reliquis floribus accipiemus; quorum quidem fuere adeò molliores amatores; ut ſine admiratione id apud veteres ſcriptores legi nequeat. Scribit enim Lampridius de Heliogabalo, ipſum ſtraviſſe porticus, omni florum genere, liliis, violis, hyacinthiſque, & narciſſis, ut ſic per eos deambulando, eiſdem frueretur. & de eodem idem ait: *Oppreſſit in tricliniis verſatilibus paraſitos ſuos violis, & floribus, ſic, ut animam aliqui efflaverint; quum erepere ad ſummum non poſſent.* hinc hauritur lux Sap. 2. in illis verbis voluptariorum: *Vino pretioſo & unguentis nos impleamus; & non pertranſeat nos flos temporis.* Non enim hæc de flore temporis, ad humanam ætatem referenda ſunt; ſed ad copiam florum, quam aëris clementia, ſolique ubertate, per anni circulum diſtincta tempora præſtant: quibus floribus peſſimi illi peccatores uti ad libidinem ſummopere concupiſcebant. Favet huic noſtræ interpretationi lectio nonnullorum codicum ex Græcis, qui legunt flos ἀέρος, id eſt, *flos aëris*, nimirum veris: quamobrem ſubintulerunt; *Nullum ſit pratum, quod non pertranſeat luxuria noſtra.* quod addiderunt, non ratione loci, ſed florum de cauſa, quorum copioſiſſima prata exſtant.

Flores quoſcumque ubique ſemper roſa excelluit, primaque tenuiſſe ſubſellia, communi omnium conſenſu perſpicuum eſt. Quanto autem fuerit ſemper in pretio, cùm odoris, tum venuſtatis gratiâ, roſa, elegantiſſimis ſuaviſſimiſque carminibus ſuis Anacreon oſtendit; honorem, voluptatemque hominum ac divorum roſam appellans occaſione Choragorum, qui coronam geſtabant, dicens:

A Στεφανηφόρον μετ' ἦρος
Μέλπομαι ῥόδον θερινὸν
Συνεταιρεῖ αὔξει μέλπειν
Τὸ δὲ γὰρ θεῶν ἄημα
Τὸ δὲ καὶ βροτῶν τὸ χάρμα.

hoc eſt,

Geſtanti coronam in Vere
Celebro roſam æſtivam,
Sodalium augmentum cantando.
Roſa flos, honorque divum
Hominum roſa eſt voluptas.

B Et alibi in alia ode in eamdem ſententiam plura alia dixit, quæ infra à nobis referentur. mos enim erat Theſmothetarum, & eorum qui choros ducebant, coronatos apparere, roſa cum primis; ad honorem deorum, cum ſacris operam darent: propterea Anacreon Deorum, hominumque voluptatem & honorem dixit roſam, & merito quidem odoris, & coloris gratia. Nam licet Iſidorus lib. 17. orig. cap. 9. roſam à rubore à Latinis dictam velit: *Roſa à ſpecie floris*, inquit, *nuncupata. Quod rutilante colore rubeſcat:* ab odore tamen εὐόμφαλον illam Arcades appellarunt, ſi credimus Athenæo lib. 10. cap. 8. qui ex auctoritate Timachidæ hoc tradidit: Τιμαχίδης δ' *inquit*, ἐν τοῖς δείπνοις τὸ ῥόδον φησὶ τούς Ἀρκά-
C δας καλεῖν εὐόμφαλον ἀντὶ τοῦ εὐόσμον, id eſt, *Timachides in cœnis, roſam dicit Arcades vocare Euomphalon à bono odore.* Communi verò vocabulo à Græcis ῥόδον appellatam eſſe à fluxu odoris, docet Clem. Alexan. lib. 2. pædag. cap. 8. ait enim: *Hinc etiam dicunt roſam græcè* ῥόδον ἀπὸ τῆς ῥοῆς ὀδωδῆς, *hoc eſt à fluxu odoris fuiſſe nominatam, quod odoris plurimum fluxum emittat, & ideò citò marceſcit.* Quod & Rhodiginus lib. 10 cap. 26. ex auctoritate Plutarchi affirmat: ὅτι ῥεῦμα πολὺ τῆς ὀδμῆς ἀφίησι *inquit*, διὸ καὶ τάχιστα μαραίνεται, Nos vero, & à colore, & ab odoris fluxu, illius dignitatem ac præſtantiam penes veteres intelligemus. Anacreonte auctore ode 4. ubi
D de Roſa ita ſcribit:

ῥόδον ὦ φέριστον ἄνθος,
ῥόδον ἔαρος μέλημα,
ῥόδα καὶ θεοῖσι τέρπνα.

hoc eſt,

Roſa honor, decuſque florum,
Roſa cura, amorque veris,
Roſa numinum voluptas.

Plura etiam alia dicit, tum hic, tum in aliis odis, ex quibus neceſſario inter flores, roſis, dulciſſimi hujus Poëtæ teſtimonio, primam cogimur adſcribe-
E re ſedem.

Tantæ dignitatis fuit nepotibus, ac voluptariis roſa, ut maximis caruiſſe deliciis hi putarentur; ſi roſa caruiſſent. Nam de Ælio Vero ita ſcribit Spartianus, *nam lectum eminentibus quatuor anaclicteriis fecerat, minuto reticulo undique incluſum, eumque foliis roſæ, quibus demptum eſſet album replebat; jacenſque cum concubinis velamine de liliis facto ſe tegebat, unctus odoribus Perſicis.* Super quem locum Caſaubonus ait: *Quod ſubdit eum lectum foliis roſæ fuiſſe repletum, nomen non eſt Veri inventum, ſed pervetus laſcivientium* τρυφητῶν *luxus; amabant enim delicatiores cubare in floribus, puta roſa, liliis, croco, violis,*
F *hiacynthis, & narciſſis.* Et veriſſimè quidem id Caſaubonus aſſeruit; nam roſis & triclinia, & porticus, & lectos inſtraverunt voluptarii illi. Hinc Lampridius in Heliogab. hujus delicias referens, ait: *Stravit & triclinia de roſa, & lectos, & porticus, & ſic per eos deambulavit.* & Trebellius quoque in Galieno circa finem ait: *Veris tempore cubicula de roſis fecit.* & Claudianus ait:

Roſeiſque cubilia ſurgunt floribus.

Ovidius quoque de menſa roſis inſtructa pro luxu
illius ætatis corruptiſſimæ dixit :

Tempora ſutilibus cinguntur tota coronis,
Et latet injectâ ſplendida menſa roſâ.

Hæc quidem , & multo plura roſæ dignitatem
teſtantur ; roſæque inſatiabilem cupiditatem in ve-
teribus aperiunt. ſed fidem excedit quod ſcribit
Athenæus lib. 4. cap. 11. de luxu Cleopatræ in cœ-
nis , quas apparavit Antonio. de roſa enim ita ſcri-
bit : τῇ δ' τετάρτῃ τῶν ἡμερῶν ταλαντείους εἰς ῥόδα μισθοὺς
δέδωκε , καὶ κατεστρώθη ἐπὶ πήχυα βάθη τὰ ἐδάφη ,
ἐμπεπετασμένων δικτύων τοῖς ἕλιξιν. hoc eſt , *Die
quarto dedit*, ſupple Cleopatra , *mercedis talenta in
roſas , & inſterni pavimentum , ad altitudinem cubiti ,
curavit retium ſinuoſis maculis.* quid plura ? roſas ad-
vehi curabant remotiſſimis ex regionibus. hinc illud
Vopiſci de Carino : *Roſis Mediolanenſibus , & tricli-
nia, & cubicula ſtravit.* Sed ex remotis pariter In-
ſulis , nomine Abſyrtidibus , roſaria advecta com-
perimus apud Suet. in Nerone cap. 27. ſi credimus
Lævino Torrentio in Suetonium. Hujus verò au-
ctoris verba hæc ſunt : *Indicebat & familiaribus cœ-
nas, quarum uni mellita quadragies* H-S *conſtiterunt ,
alteri pluris aliquanto abſyrtia roſaria.* quod verò ex
Ægypto adveherentur , teſtis eſt Mart. Epigr. ad
Cæſar. lib. 6. dicens, epig. 80.

Vt nova dona tibi Cæſar Nilotica tellus
Miſerat hibernas ambitioſa Roſas.

Hiberno enim tempore ex Ægypto Romam deli-
ciarum cauſa attulit roſas Navita ; quod his Italiam
caruiſſe exiſtimaret ; quarum apud Ægyptum copia
erat maxima. caret quidem Italia roſis hiberno tem-
pore, vel ſoli ipſius natura. Verum adeò in deliciis
roſa Romanis fuit ; ut per Saturnalia , quæ brumali
tempore Romæ celebrabantur ; ubique roſa arte nu-
trita cerneretur : propterea idem Poëta deluſum Na-
vitam illum ſubintulit ; qui cum ex Ægypto roſas
advexiſſet ; & magnum aliquod , rarumque ſe ad-
vexiſſe putaret ; ubi primum Romam ingreſſus eſt ,
noctuas Athenas ſe comportaſſe comperit. quamob-
rem Poëta elegantiſſimo Epigrammate aperiens ,
quanta foret tunc temporis , Domitiano nimirum im-
perante , Romæ roſarum copia , ait :

Navita deriſit Pharios Memphiticus hortos,
Vrbis ut intravit limina prima tuæ.
Tantus veris honos , & odora gratia Floræ,
Tantaque Pæſtani gloria ruris erat.
Sic quacumque vagus , greſſumque oculoſque ferebat,
Textilibus ſertis omne rubebat iter.

Textilibus legere placuit cum Radero ; non au-
tem ſutilibus , cum aliis. Quo verò ſtudio , arti-
ficioque roſæ hiberno tempore haberentur tunc Ro-
mæ , ac gignerentur , Seneca epiſt. 123. aperuit ,
luxum ſui ſeculi cum reprehenderet. *Non vivunt
contra naturam*, inquit, *qui hieme concupiſcunt roſam?
Fomentoque aquarum calentium , & calorum apta imi-
tatione brumalium florem vernum exprimunt :* Florem
vernum proculdubio appellans roſam , de qua imme-
diatè dixerat , contra rationem appeti , contraque na-
turam , calenti aqua foveri , ut florem è radice erum-
pere compelleretur. Diverſis artibus roſam adulte-
rari , tradit Plinius lib. 21. cap. 4. Quin etiam ait :
Carthagine Hiſpaniæ roſa hieme tota præcox. Judæam
quoque roſam habuiſſe totius anni tempore , indigi-
tant comparationes plurimæ in ſacris oraculis à roſis
deſumptæ ; nam lib. 4. Eſdr. Deo bona plurima
Eccleſiæ ſuæ promittente ſub roſæ liliique ſimili-
tudine, hæc promittit , dicens : *Paravi tibi arbores*

A *duodecim gravatas variis fructibus , & totidem fontes
fluentes lac & mel , & montes immenſos ſeptem , haben-
tes roſam & lilium.* Sic etiam Eccleſiaſtici 24. ſermo
eſt de ſapientia , illiuſque pulchritudine , & roſæ
aſſimilatur , *Quaſi plantatio roſæ in Jerico.* Similiter
cap. 39. Quin etiam roſam Judææ exſtitiſſe gratiſſi-
mam , vel illa Spiritus ſancti comparatione cap. 50.
probatur , ubi ſermo eſt in laudibus Simonis filii
Oniæ Summi Sacerdotis, *Quaſi flos roſarum*, inquit,
in diebus vernis. Cum enim eumdem Simonem Spi-
ritus ſanctus comparaſſet cœleſti Iridi, dicens: *Qua-
ſi arcus refulgens inter nebulas gloriæ*, proximè roſam
apponit his verbis : *Quaſi flos roſarum in diebus ver-*
B *nis.* Quamobrem ni velimus Spiritus ſancti rationes
vileſcere , negareque argumentum à pari in illis ver-
bis, ne dicamus à minori ad majus , præſtantiam ro-
ſæ , ex Iride , cui hic æquatur, intelligere licet. Vi-
detur namque Spiritus ſanctus indigitaſſe unam aëris
pulchritudinem in Iride , unam terræ venuſtatem in
roſa tantum haberi.

Dignitas & decor roſæ , aviditatem illius excita-
vit , cujus fragrantiam , ut quocumque tempore po-
tirentur molliores, excogitarunt roſei unguenti uſum;
uſum dicamne an abuſum ? abuſus certè verius ,
quam uſus dicetur. Roſacei unguenti abuſus ſæpiſſi-
mè meminit Athenæus lib. 15. & alibi. antiquitatem
C verò probat Plinius lib. 21. cap. 4. Dicebatur verò
roſaceum , ſive roſeum à roſa , ut Iſidorus quoque
lib. 4. orig. cap. 12. adnotavit. eſt autem diſcrimen
non contemnendum inter Roſeum , & Roſaceum
apud Latinos ex Cornelii Frontonis auctoritate. *Ro-
ſeum per ſe* , inquit ille , *roſaceum mixtum.* Itaque
quod inſolatum fit oleum ex roſis , per doctrinam
Dioſcor. lib 1. cap. 54. roſeum oleum dicetur : quod
verò adjunctis aliis aromatibus componitur ; & un-
guentum verè dicitur ; non roſeum , ſed roſaceum
dici debet. Quia verò apud Hebræos dictione *ſcemen*
שֶׁמֶן utrumque ſignificatur ; indiſcriminatim de his
agimus ; propriè verò de unguento intelligi debet ,
D id quod oleum lætitiæ appellatur in Pſalmo , ſi vera
ſunt quæ tradunt illi , qui שׁושׁן roſam interpretan-
tur.

Roſacei , ſeu roſei unguenti dignitatem & præ-
ſtantiam , ipſius roſæ præſtantia jam demonſtrata ,
ſatis probaſſe videbatur : verum ab antiquis Scripto-
ribus ne recedamus , inter pretioſiſſima quæque un-
guenta , roſaceum enumerari intelligat Lector ex
Clemente Alexand. lib. 2. pædag. cap. 8. dicente :
*Porrò utuntur etiam unguento ex liliis & unguento Cy-
prio , & nardus apud eos eſt in maximo pretio , unguen-*
E *tum quoque ex roſis , & alia quibus utuntur mulieres ,
& humida & ſicca , & quæ aſperguntur unguenta.* Un-
guentorum quæ ex roſis parabantur ; optimum affir-
mat Athenæus , quod Cyrenis conficiebatur. hoc
autem ex roſarum excellentia , quæ illic gignuntur.
Loquitur enim de roſis , & earum ſpeciebus lib. 15.
cap. 8 & ait : τὰ δὲ πεντάφυλλα εὐώδη μᾶλλον , ὧν
τραχὺ τὸ κάτω. εὐοσμότατα δὲ τὰ ἐν Κυρήνῃ , διὸ καὶ τὸ
μύρον ἥδιστον. hoc eſt , *Quæ autem habet quinque fo-
lia magis olet. quarum ſcaber eſt cortex inferior. Odo-
ratiſſimæ autem ſunt*, ſupple roſæ, *quæ in Cyrene. ideo
& unguentum præſtantiſſimum* , unguentum intellige
roſaceum. de hoc enim loquebatur Athenæus , loco
jam allato. Porro ne Italicum ſolum digniſſimo un-
F guento roſaceo caruiſſe videretur, & hoc ſaltem glo-
ria Pæſtani agri , qui roſis non ſolum copioſiſſimè
abundabat ; verum etiam fragrantiſſimas has habe-
bat ; propterea Martialis ad varia loca roſarum co-
pia & fragrantia celeberrima dixit ad Sabinum lib. 9.
epi. 61.

Seu tu Pæſtanis genita es , ſeu Tiburis agris,
Seu rubuit tellus Tuſcula flore tuo:

Seu

Seu Prænestino te villica legit in horto ,
Seu modo Campani gloria ruris eras.
Pulchrior ut noſtro videare corona Sabino
De Nomentano te putat eſſe meo.

Ubi noſter Epigrammatarius non tantum Pœſtanum , ſed etiam Tiburtinum , Tuſculanum , Præneſtinum , & Campanum ſolum gloria laudat roſæ. Athenæus quoque loco citato, poſtquam roſarum fragrantiam celebraſſet, ad roſaceum unguentum reſpiciens , ſubintulit cap. 11. ῥόδινον ἢ κράτιςον ἐν φασήλιδι , ϗ τὸ ἐκ Νέας ἢ πόλεως , ϗ Καπύης. hoc eſt, *roſaceum autem optimum , quod in Phaſelide ,* ſupple componitur , *& quod ex Neapoli , & Capua ,* ſupple advehitur.

Satis, ut puto , perſpicua videbatur roſacei olei , ſive unguenti præſtantia ex his, quæ uſque modo allata ſunt. Verum efficax argumentum deſumendum duxi ab auctoritate Homeri, cujus viri dignitas noſtra minimè indiget laudatione. Is enim quoties de oleo condito , aut unguentis ſibi agendum fuit ; vel ſimplici olei nomine illa explicavit ; aut ἔλαιον τὸ ῥόδινον, quod *oleum roſaceum* ſignificat, eadem appellavit. quin etiam ad ejus præſtantiam aperiendam, non niſi è cœlo delapſum illud dixit. Veneris ipſius manu allatum cum aliquando cadaver Hectoris , ne protractum juſſu Achillis vepribus atque ſaxis laceraretur; aut derelictum ſub dio à canibus diſcerperetur , ſervandum , ac cuſtodiendum vigilantia, roſaceoque curabat. de qua Veneris in Hectorem pietate Iliad. 23. Poëta ait :

Ἀλλὰ κύνας μὲν ἄλαλκε διὸς θυγάτηρ Ἀφροδίτη
Ἤματα, ϗ νύκτας, ῥοδόεντι δὲ χρῖεν ἐλαίῳ,
Ἀμβροσίῳ, ἵνα μή μιν ἀποδρύφοι ἑλκυστάζων.

ideſt ,

Nam Canes quidem abegit Jovis filia Venus ,
Dies & noctes ; roſaceoque unxit oleo
Divino , ut non ipſum laceraret trahens.

Roſaceum hoc oleum , ſive unguentum , non tantum ab adminiſtra Venere cœleſte , Homeri auctoritate oſtenditur; ſed etiam divinum , incorruptibile, & immortale illud idem dixit. Hæc de oleo arte Chemica è roſis extracto , intelligit Spondanus. Verum non video , cur non de oleo arte medica , ſive unguentariorum arte paratum intelligi queat ; quam Plinius & Dioſcorides tradidere.


Quicquid verò ſit de his, deque Homeri roſaceo: de olei ſive unguenti roſacei luxu inſolentiſſimo, intelligi poſſe Lampridium in Heliogabalo planè conſtat , inſolentes laſcivias , nepotinaque illius ſtudia ex parte referentem his verbis : *Oppreſſit in tricliniis verſatilibus paraſitos ſuos violis & floribus ; ſic ut aliqui animam efflaverint : cum erepere , ad ſummum non poſſent. condito piſcinas & ſolia temperavit , & roſato , & abſinthiato. vulgus ad bibendum invitavit , & ipſe cum populo tantum bibit , ut in piſcina eum bibiſſe intelligeretur , viſo quod unus bibiſſet.* Pro hujus loci intelligentia quatenus roſaceum ſpectat, quid roſati nomine intelligatur ; vinum , nimirum, an oleum in dubium revocare ad loci hujus intelligentiam alienum non videtur : dummodo adnotaverimus primo ex Caſaubono viro doctiſſimo , τελείαν ςιγμὴν dictioni abſinthiato adjungendam ; ut ibi periodi finis ſit, & locus ita legendus. *Condito piſcinas, & ſolia temperavit , & roſato, & abſinthiato. vulgus ad bibendum invitavit,* reliqua jam ſemel ſupra è vicino allata relinquantur. quo prænotato , quid Lampridius velit roſati nomine ſignificari , quæritur. De vino condito locum intelligit Caſaubonus , & alii. Cur vero dictum fuerit roſatum , non aperiunt. à colore , ut arbitror, ita dici fortaſſe affirmarent ex Iſidoro lib. 20. etymol. cap. 3. *Roſeum vinum* , inquit , *cum rubore , roſa enim rubet :* vel dicerent roſatum , ex roſis con-

A ditum , juxta doctrinam Plinii lib. 14. cap. 16. modum aperientis vinum hoc parandi hac ratione : *Inter flores ex roſæ foliis tuſis in linteolo, & in muſtum colatis , cum ponduſculo ut ſidat , quadraginta pondere denariorum in ſextarios vicenos muſti, nec ante tres menſes vaſe aperto.* Ibidem meminit vini, quod dici poteſt abſinthites. de hoc etiam Dioſcorides lib. 5. cap. 49. & de vino ῥοδίτῃ , id eſt roſato agit cap. 35. verum quid hæc vina amaritudine conſperſa cum deliciis Heliogabali commune habeant, non video.

Propriam afferre in medium ſententiam vereor, ne ineptire , ſomniareque videar inter graviſſimos , ſimulque peritiſſimos viros : quia tamen aliquando B inter ſeria ſtudia , ſomnia audire delectat , referam ſomnium meum ; & potius *roſatum & abſinthiatum,* ad unguenta referendum puto , quæ in ſoliis poſt ablutionem , in piſcina ad delicias adhiberi ſolebant, quam ad vina : arbitrorque Heliogabalum non tantum piſcinas vino condito aromatibus repleviſſe ; eodem & ſolia ; verum etiam in ſoliis conſidentibus , his nimirum cum quibus deliciabatur , præſtitiſſe unguenta ex roſis præſtantiſſimis. Fortaſſis etiam legendum fuit *roſato abſyrtiato ;* ut declaretur tanto roſarum luxu detentum Heliogabalum , ut in ſoliis præſtiterit roſaceum unguentum allatum ex abſyrtidibus inſulis ; ut ex Lævino Torrentio jam diximus. C viderint alii meliora. Veteres enim quam longiſſimè roſas petere ſolitos coronarum de cauſa ex Tertulliano de coron. milit. non obſcurè colligitur. nam reſpiciens ad luxum coronarum illius ſeculi ; *Uti tunc laurea , inquit , & myrto , & olea , & illuſtriore quaque fronde , & quod magis uſui eſt centenariis , quas ipſi ex horto Midæ lectas, &c.* dixit autem roſas ex hortis Midæ lectas , quod fragrantiſſimæ præſtantiſſimæque putarentur hæ roſæ. de quibus Herodot. lib. 8. ait : *Temnidæ in aliam Macedoniæ plagam tranſgreſſi habitarunt prope hortos , qui ferebantur eſſe Midæ Gordio geniti , quibus in hortis ſua ſponte naſcuntur roſæ ſexagenum foliorum , fragrantiori odore quam* D *cæteræ : & in quibus , ut fertur , à Macedonibus Silenus fuit exceptus.* ut ex his luxus veterum ex roſis apertior fiat ; atque roſacei , ſeu roſei olei præſtantiam ex uſu oſtendiſſe ſufficiat ; quod nimirum fuerit in deliciis ipſis etiam ſummis Principibus Romanæ ditionis.

Non immerito igitur in Regio epithalamio , de quo agitur in Pſalmo 44 liceat exiſtimare , ex vi tituli & dictionis שׁוֹשַׁנִּים *ſcoſcanim* , nomine olei lætitiæ , quod. שֶׁמֶן שָׂשׂוֹן *ſcemen ſaſon* hebraicè dicitur ; hoc roſaceum ſignificari à Propheta : necnon etiam ab Iſaia cap. 61. atque in myſterio inter præclariſſima Dei dona, Meſſiæ, & hominibus, ex Dei gratia præſtita recenſeatur. Hanc de roſaceo interpretationem in E locum Prophetæ Pſal. 44. nequaquam ex animi noſtri ſenſu protulimus , ſed antiquis monumentis firmatam cognovimus. Eſt apud me nummus Gordiani, in cujus tergo conſpicitur figura quædam in habitu muliebri. Deitatem aliquam monſtrari , eaque imagine ſignificari perſpicuum eſt. habet in manu dextera ſertum roſaceum , & in gyro nummi verba hæc : LÆTITIA AVG. N.

F



Ex

Ex quibus perſpicuum fit, ad lætitiam oſtendendam veteres illos uſos fuiſſe cum primis roſea corona, cum hanc tanquam divinitatis notam appenderent, illi deitati quam Lætitiæ vocabulo ſignificari concipiebant. Quamobrem oleo lætitiæ ſignificari à Propheta roſaceum, ſatis rationi conſonum cenſetur. Hæc interpretatio videtur etiam inniti Clementis Alexand. auctoritati lib. 2. pædag. cap. 8. cum ait: *Oportet autem viros in primis apud nos unguenta non olere, ſed vitæ probitatem. ſpiret autem fœmina Chriſtum, qui eſt regalis unctio, non unguenta, & diapaſmata: divina autem ſemper ungatur pudicitiæ unctione ſancta, delectata unguento, nempe ſpiritu. hanc ſuavis odoris victimam hominibus notis ſuis Chriſtus comparat, ex aromatibus cœleſtibus hoc unguentum componens. hoc autem unguento ipſe quoque Dominus ungitur, ſicut per David meminit: Propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis. Myrrha & ſtacte & caſia à veſtimentis tuis. Cæterum ne forte ſicut vultures unguenta abhorreamus, aut ſicut ſcarabæos. hos enim roſaceo unguento delibutos mori inquiunt.* De roſaceo igitur Clemens Prophetam intelligebat metaphoricè loquutum. ut propterea nos quoque minimè reprehendendos cenſuerimus, qui dictionem שׁוֹשָׁן *ſcoſcan* roſam interpretari, & שָׂשׂוֹן *ſaſon* roſaceum ſignificari contendimus.

CAP. XXVI.

Roſaceæ coronæ uſus antiquiſſimus explicatur.

Ad loca Sap. 2. *Coronemus nos roſis antequam marceſcant.* Ezech. 23. *Miſerunt ad viros venientes de longe, ad quos nuntium miſerunt: Itaque ecce venerunt, quibus te laviſti, & circumliniſti ſtibio oculos tuos, & ornata es mundo muliebri.* Et parum infra: *Poſuerunt armillas in manibus eorum, & coronas ſpecioſas in capitibus eorum.*

ROSACEI olei, roſarumque præſtantia, de quibus in ſuperioribus capitulis egimus; ad roſeas quoque nos advocat coronas: quarum tanta fuit excellentia apud veteres; ut coronæ geſtatio hilaris, jocundique animi præ ſe ferret notam. Hujus conſuetudinis originem quærere, ac inveſtigare, licet infeliciſſime, tentavit Plinius lib. 21. cap. 2. idque factum ait poſt Olympiadem centeſimam. In eumdem pariter ſcopulum Clem. Alexand. lib. 2. pædag. cap. 8. impegit, dicens: *Cæterum nec apud antiquos quidem Græcos fuit ullus adhuc coronarum uſus, neque enim Proci, nec qui luxurioſam vitam agebant Phæaces, eis uſi ſunt. in certaminibus autem primo fuit donum athletarum, ſecundo autem plauſus, & tertio foliorum conjectio, ultimo autem fuit corona, cùm Græciæ poſt tempora Medica, magna ad delicias facta eſſet acceſſio.* Verum falli hos ſcriptores de uſu, & antiquitate coronarum, vel ipſius roſeæ coronæ in ſacris literis antiquiſſimus uſus oſtendit. Sapientiæ enim cap. 2. ita impios peccatores ſecum colloquutos ſcribitur: *Exiguum, & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ. Venite ergo, & fruamur bonis quæ ſunt, & utamur creatura tamquam in juventute celeriter. Vino pretioſo & unguentis nos impleamus, & non pertranſeat nos flos temporis: coronemus nos roſis antequam marceſcant: nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra.* Librum verò hunc Sapientiæ, in quo iſta narrantur, Salomonis eſſe doctiſſimè probat Sixtus Senenſ. tum lib. 1. ubi agit de canonicis ſcripturis, tum lib. 8. hæreſ. 9. ubi à calumniis hæreticorum ſacras vindicat literas. Quare habita temporum ſupputatione, multo ante

A Medica tempora coronarum uſum ex roſis, & roſam in æſtimatione fuiſſe apud veteres liquido conſtat.

Coronarum autem inſaniam merito in antiquis illis, quis non irrideat? cum Clem. lib. 2. Pædag. cap. 8. eo cum primis argumento, quod neque viſu, neque olfactu coronæ eſſent ad uſum illorum, qui illas geſtarent. non aſpectu quidem, quod coronam ſupra oculos revinctam coronati deferant; *ſed neque odoris ſuavitate fruuntur*, inquit Clemens, *cum inſtrumentis reſpiratoriis ſint flores ſuperiores.* Odor enim ſecundum naturam ſurſum cum feratur, aërem inficit, quia aëreis ſpiritibus, qui ſunt in corpore odorifero, per exhalationem tantum gignitur: ſupra caput igitur
B corona geſtata, reſpiratio quæ per nares ad cerebrum odorem fert, nulla delectatione fruitur. Tamen eò uſque hominum impudentia proceſſit: ut non niſi coronati incederent, voluptatibus addicti; ita tamen ut non virorum, ſed mollium hoc jam eſſet ornamentum. Quamobrem Anacreon od. 46. dixit:

Στεφάνȣς μὲν κροτάφοισι,
ῥοδίνȣς ἐναρμόσαντες
μεθύομεν ἁβρὰ γελῶντες.

Quæ ſic convertit doctiſſimus ille, qui Anacreontem eſt interpretatus.

C *Roſeis comas corollis*
Redimita turba molles
Sociat jocos Lyæo.

Coronarum plura genera extitiſſe apud veteres, certaminum atque virtutum ornamentum exoptatiſſimum, antiquitatum monumenta omnia demonſtrant: inter quæ præclarum habetur Archii epigramma in ipſo ſtatim initio Florilegii epigram. Græc. in hac ſententia:

Τέσσαρες εἰσὶν ἀγῶνες ἀν᾽ ἑλλάδι, τέσσαρες ἱροὶ,
Οἱ δύο μὲν θνητῶν, καὶ δύο δ᾽ ἀθανάτων·
Ζηνὸς, λητοΐδαο, παλαίμονος, ἀρχεμόροιο,
D Ἆθλα δ᾽ ἢ τὸ κότινος, μῆλα, σέλινα, πίτυς.

Meminit enim Poëta certaminum celebriorum apud Græcos: ac etiam horum certaminum præmia recenſens, coronas habet in numero, quibus victores coronabantur. Eſt autem hæc carminum illorum interpretatio.

Quatuor ſunt certamina in Græcia, quatuor ſacra,
Duo quidem mortalium, duo verò immortalium,
Jovis, Apollinis, Palæmonis, Archemori,
Prima verò illorum olea, poma, apium, pinus.

Ex quatuor igitur his arboribus coronabantur certatores: debile ſanè præmium, quod corruptibilem
E coronam acciperent; digniſſimum tamen, quod honoris, gloriæque nota cenſeretur. nec ſolum pinu, apio, olea coronabantur; ſed etiam lauru, quæ ſacra erat Apollini: id enim ſignificari dictione μῆλα innuit Lucianus de gymnaſiis, dicens: μῆλα τὸ ἱερῶν τȣ Ἀπόλλονος. quam laurum, ſic dictam putat Brodeus; & rectè quidem, quod baccis maximis pomorum inſtar, atque è viridi rubentibus corona illa eſſet. his hederacea, & quercina virtutis præmia erant. Hoc veteres Nummi demonſtrant, quorum apud me eſt unus præſtantiſſimus quidem albo metallo, quod nonnulli Corinthiacum putant: in quo duo viſuntur coronata capita, quorum alterum
F hederacea cingitur, alterum quercina cum glandibus. Alio quoque coronarum genere uſi ſunt veteres, ut etiam arundineam geſtarent, quæ adoleſcentium erat præmium. ſic enim Juſtus quidam loquitur cuidam adoleſcenti apud Ariſtoph. in Nepheles act. 3. ſcen. 3.

Στεφανωσάμενος καλάμῳ λευκῷ μετὰ σώφρονος ἡλικιώτȣ.

hoc

hoc eſt,

Coronatus incedes arundine hilari cum modeſto coætaneo.

Super quem locum ita habet Scholiaſt. λιτὸς γὰρ, καὶ ἀπερίεργος ὁ τοιοῦτος στέφανος. ἴδιον δὲ τῶν διοσκούρων στεφανοῦσθαι καλάμῳ. id eſt·, *Simplex enim, & inornata erat talis corona. erat autem proprium Caſtoris & Pollucis arundine coronari.* hoc igitur coronæ genus, laudabile, appetendum, & honorandum cenſebatur; quod virtutis ſpecimen præ ſe ferret. Quod autem in Divorum cultum, coronati ſacra facerent; & Deos quoque ipſos coronis exornarent; pietatem redolebat. Quod etiam in nuptiis coronarentur veteres, ferendum videbatur. Verum quod voluptatis gratia corona roſea, & ex aliis floribus uterentur, inſolentis erat ingenii, legibus damnandum, pleno ore ubique vituperandum, ac denique fuſtibus coërcendum.

Quia verò de coronis alii ſcripſerunt: nobis non niſi de roſea agendum erit; quod hæc ſummo, & primo in pretio haberetur apud voluptarios. Stet pro ea Pollux lib. 6. cap. 19. τὰ δὲ ἐν τοῖς στεφάνοις ἄνθη, *inquit*, ῥόδα, ἴα, κρίνα, σισύμβρια, ἀνεμῶναι, ἕρπυλλος; κρόκος, ὑάκινθος, ἑλίχρυσος, &c. καὶ τἄλλα ὅσα τοῖς ὀφθαλμοῖς τέρψιν ἢ ῥισὶν ἡδεῖαν ὄσφρησιν ἔχει. ideſt, *Qui autem in coronis habentur flores*, ſupple ſunt hi, *roſæ, violæ, lilia, ſiſymbria, anæmonæ, ſerpyllum, crocus, hyacinthus, elichryſus*, &c. numerat autem plures alios flores, ex quibus coronæ nectebantur, & tandem ſubdit, *& alii quot oculis delectant, aut naribus jocundum odorem offerunt.* hæc Pollux, qui roſæ primam ſedem in coronis concedit. Nam & roſea corona voluptatibus addictis tantum conceditur in ſacris oraculis, Sap. 2. dicentibus illis, *Coronemus nos roſis antequam marceſcant*, & rectè quidem dixiſſe videntur, *antequam marceſcant:* quod neque unius diei integrum tempus roſa habeat. quam etiam ob cauſam Veneri ſacram voluerunt eſſe roſam; quoniam ut brevi hæc tempore durat, ſic forma, & venerea voluptas cito pereant. juxta illud Theocriti.

καὶ τὸ ῥόδον καλόν ἐστι, καὶ ὁ χρόνος αὐτὸ μαραίνει.

Quod carmen pulcherrimo diſticho explicuit Hieronymus Angerianus ita dicens:

Pulchra brevi durat roſa tempore; forma, brevique
Tempore. ſic formæ par, roſa, tempus habes.

Quamobrem nepotinis cum primis roſa veneranda fuit; quod omnem felicitatem conſtituerent in luxu, & voluptatibus vitæ præſentis. eapropter roſa neque in certaminibus, neque in ſacris, ſed tantum inter pocula, in convivio, inter veneres, cupidineſque reperitur. inde Propert. lib. 3. eleg. dicebat:

Me juvat, & multo mentem vincire Lyæo,
Et caput in verna ſemper habere roſa.

Roſeis corollis adjungit vinum, cui & Venerem ſæpiſſime apud Poëtas addi comperimus. multis probari id poſſet; ſatis ſit tamen precatio Anacreontis ode 5. hæc dicentis:

στέψον οὖν με, καὶ λυρίσω
παρὰ τοῖς διόνυσε σκηνῖς.
μετὰ κούρης βαθυκόλπου
ῥοδίνοισι στεφανίσκοις
πεπυκασμένος χορεύσω.

Quæ carmina ad verbum interpretata ſic ſe habent.

Corona igitur me, & modulabor
Apud tua, ô Dionyſi, templa;
Cum puella pulchra
Roſeis redimitus corollis
Choreas & ipſe ducam.

Quæ interpretatio ſenſu non differt ab ea, quam tenuit Stephanus, quo in Græca lingua nemo doctior, & qui in Latino quoque ſermone doctiſſimus: is etenim ſuaviori muſa Anacreontem interpretatus his carminibus reddidit, qui à nobis ex eo hic proximè allatus eſt locus.

Agedum ergo me corona
Pater ò Lyæe, templis
Modulans tuis, ut adſtem
Roſeis, comaſque ſertis
Redimitus, atque pulchra
Comitante me puella,
Choreas & ipſe ducam.

Roſaceæ verò coronæ uſum, neceſſarium illius ſeculi homines putabant; ne videlicet vinum meracius, quam par erat hauſtum, caput ſua fumoſitate infeſtaret: quapropter illud roſeæ coronæ frigiditate temperandum cenſuerunt: quod legere eſt apud Athenæum ſæpius. & ſunt in hac roſarum proprietate, Anacreontis pulcherrima, ſuaviſſimaque carmina, ait enim:

Δότε δ' ἀνθέων ἐκείνου
Στεφάνους δ' ὅσους πυκάζω
Τὰ μέτωπά μου πικαίει
Τὸ δὲ καῦμα τῶν ἐρώτων.

hoc eſt,

Date autem flores illius, ſupple Lyæi.
Et coronas, quia caleo,
Frontem meam frigerare,
Et calor amorum.

Quibus planè ſenex Anacreon, & roſeum ſertum jungi convivio monſtrat; nec non etiam, ea cum primis de cauſa adhibitum, ut fumoſitas vini, roſarum frigiditate temperaretur. ſed & Ammonius Medicus apud Plutarch. Sympoſ. lib. 3. quæſt. 1. in hanc ſententiam ita dicit: ἐνίων δ' ἀνθῶν ὀσμαῖς ἄνω σκιδναμέναις περὶ τὸν ἐγκέφαλον, οἵτε πόροι τῶν αἰσθητηρίων ἐκκαθαίρονται, καὶ λεπτύνονται τὰ ὑγρὰ πράως ἄνευ πληγῆς καὶ σάλου τῇ θερμότητι διακρινόμενα, καὶ φύσει ψυχρὸς ὢν ὁ ἐγκέφαλος ἀναθάλπεται. διὸ μάλιστα τοὺς ἀνθινοὺς ἐκ τῶν τραχήλων καθάπτοντες ὑποθυμίδας ἐκάλουν, καὶ τοῖς ἀπὸ τούτων μύροις ἔχριον τὰ στήθη. hoc eſt, *Quorundam etiam florum odoribus ſurſum diſſipatis ad cerebrum, fit, ut meatus qui ſunt in inſtrumento ſentiendi, expurgentur, & humores incidantur ſenſim, abſque vehementi ictu, aut agitatione diſcuſſi, ſimulque cerebrum natura frigidum refocilletur; itaque ſerta è floribus texta, præcipuè à cervice ſuſpendentes, hypothymidas appellabant, unguentiſque quibus ea erant delibuta, pectus inungebant.* Verum à neceſſitate ad voluptatem tranſiens libido, coronarum, & conviviorum uſum adeò conjunxit, ut vix convivium apud veteres legere contingat; in quo & corona roſea non appareat, etiam inter ſapientes, probatoſque viros. Quamobrem in hac ſententia Plutarch. lib. 3. Sympoſ. quæſt. 1. ait: παντοδαπῶν γὰρ μετὰ τὸ δειπνῆσαι στεφάνων περιφερομένων, ὁ Ἀμμώνιος ἐπέσκωψε πῶς ἡμᾶς, ἀντὶ τοῦ δαφνίνου τοῖς ῥοδίνοις ἀναδησαμένους. ὅλως γὰρ εἶναι τοὺς ἀνθινοὺς κορασιώδεις, καὶ παιζούσαις μᾶλλον ἐπιτηδείους παρθένοις καὶ γυναιξὶν, ἢ συνουσίαις φιλοσόφων, καὶ μουσικῶν ἀνδρῶν. hoc eſt, *Nam ut à cœna omnis generis ſerta fuerunt cumulata, Ammonius ſalſe quodammodo nos notavit, qui pro laurea, roſeam portaremus coronam: ajebat autem omnino floreas coronas pueriles eſſe, & magis ludentibus virginibus, ac mulieribus, quam philoſophis convenire, muſicorumque hominum congreſſibus.* Et licet hæc ab Ammonio exercitationis gratia, & diſputationis de cauſa in me-

 dium

dium propoſita affirmet Plutarchus, non propterea diſputationem inſolutam dimittendam cenſuit; ſed Triphonem Medicum compellans, ait: *ὦ τὰν εἰ καταθέσθαι δίκαιος εἶ μεθ' ἡμῶν τουτονὶ τὸν καλὸν φλέγοντα τοῖς ῥοδίνοις στέφανον, ἢ λέγειν, ὥσπερ εἴωθας ἑκάστοτε πρὸς ἡμᾶς, ὅσας ἔχουσιν οἱ ἀνθινοὶ στέφανοι πρὸς τὸ πίνειν βοηθείας.* hoc eſt, *Heus tu, inquam, aut una nobiſcum deponenda eſt tibi pulchrè ardens roſarum floribus corona, aut dicendum, ut apud nos ſubinde ſolebas, quid adjumenti ad bibendum afferant floreæ coronæ.* Ex quibus ſumpta occaſione Medicus Triphon plura alia in laudem floreæ coronæ protulit, cujus uſus erat in compotationibus atque conviviis. quæ ibi Plutarchus. Quibus addendum putavi, non minus conviviorum propriam extitiſſe roſeam coronam, quam laſcivientium, muliebriumque ſtudiorum, ut vidimus ſupra ex Plutarcho, qui hoc genus coronarum puellis ac fœminis adſcribit. & quamvis, ut ibi etiam accepimus, laurea quoque corona in modeſtiori convivio honeſta putaretur, nec non etiam myrtea, roſearum tamen uſum ex effeminatis tradit quoque Tertull. lib. de cor. milit. ubi ad ſpineam Chriſti Servatoris noſtri coronam reſpiciens, illiusque myſteria perveſtigans, ait: *Certè præter figuram contumelia in promptu eſt, & turpitudo, & dedecoratio, & his implexa ſævitia, quæ tunc Domini tempora & fœdaverunt & lancinaverunt: uti tunc laurea, & myrto, & olea, & illuſtriore quaque fronde, & quod magis caſui eſt, centenariis quoque roſis ex horto Mydæ lectis, & utriſque liliis, & omnibus violis coroneris.* ut jam non contenti molliores communibus roſis, remotiſſimas peterent libidinis cauſa, præſertim cum de convivio ageretur. & licet ſervus tum apud Euripid. in Alceſte peregrinum inurbanitate notet, quod myrteam in convivio adhibuiſſet, nequaquam verò roſea uteretur corona, dicens:

στέφει δὲ κρᾶτα μυρσίνης κλάδοις.

hoc eſt,

& coronat caput myrti ramis.

Erat enim Hercules, qui peregrini habitu Admeti domum petierat: is verò quamvis ob defunctam Alceſtem, uxorem ſibi cariſſimam, in luctu verſaretur; hoſpitio nihilominus libentiſſimè præter morem peregrinum ſuſceperat. Cumque inurbanius tunc eo ſeculo cenſeretur, funeſtam domum hoſpitii cauſa petere, ac myrto caput coronare. me latet an coronæ tantum de cauſa Hercules à ſervo carpatur, an potius quod myrtea, nequaquam verò roſea uteretur corona, quam convivis & Lyæo debitam fuiſſe jam agnovimus. videant hæc alii, nos doctioribus ſubſcribere minimè indignamur; nobis verò coronam roſeam pro laſcivioribus, effeminatiſque concedere non abhorreant.

In eodem argumento, Saturnaliorum occaſione falſus noſter Martialis affirmabat ubique Romam rubere roſis, cum Navita Ægyptius eo adveniſſet brumali tempore, roſas ex Ægypto ferens, quod raram roſam Romæ falſo exiſtimaſſet. Verum quam conjuncta convivio eſſet roſa, antiqui lapides teſtantur; vix enim inter ruinas, atque parietinas antiquæ Urbis lapidem reperire contingit, virumque in convivio in eo ſculptum, ſive ad pocula recumbentem, cujus tempora roſeo ſerto non revinciantur, vel cui non adſit puerulus ſervus, qui roſeam recumbenti adferat coronam, vel utrumque ſimul. Sunt enim apud me duo delineati lapides, ex quibus iſta perſpicua ſunt. alterum ex Palatio ad Thermas Illuſtriſſimi D. Card. quondam de Monte alto; viſitur ſub limen cujuſdam feneſtræ, ubi ad dimidium ſcalarum conſcenderis, quæ ad ſuperiora, dignioraque conclavia ducunt.

Videas hic Augurem gallinaceo gallo inſignitum recumbentem ad pocula; ut menſula & vas, quod manibus ſubſtentat; necnon etiam, & ciſtula commiſſaria certo certius rem aperiunt; cui tamen non ſolum ſervus, ut puto, ad voluptatem, roſeum defert ſertum; ſed etiam roſea ſerta pendent ipſo in cœnaculo à capite recumbentis, ut undique ſerta conſpicerentur, quemadmodum Martialis noſter Romam in Saturnalibus depinxerat in deriſum Ægyptii Navitæ Romæ adventantis, ſic dicens:

Sic quacumque vagus, greſſumque oculoſque ferebat,
Textilibus ſertis omne rubebat iter.

In alio verò lapide, quem in domo cujuſdam lapidicinæ comperi, roſeum ſertum manibus geſtat ille qui recumbit; detractum fortaſſe è capite; ut aliud recens recipiat à ſervulo, qui illud defert.

Sic & alii plures poſſent afferri lapides, quos ego Romæ inter ruinas vidi, dum in Eccleſia noſtra ſancti Auguſtini anno Domini 1620. & 21. Concionatoris munus exercerem. quarum coronarum uſum paraſitica quadam ratione, falſe Martialis noſter lib. 13. epigram. 51. irridet, & quæ roſis ſit præferenda corona, ex animi ipſius ſententia aperit, dicens:

Texta roſis fortaſſe tibi, vel divite nardo,
At mihi de turdis facta corona placet.

Sed & eo deducta res eſt, ut ad ſacra nobis ſit redeundum oracula: nam & ab Hebræis hanc conſuetudinem roſearum coronarum profluxiſſe ad gentes, ſatis probabat locus jam ex cap. 2. Sap. allatus. ſed adhuc Ezechielem in cap. 23. de roſea corona intelligendum arbitror. alloquitur enim Samariam & Hieruſalem ſub metaphora duarum meretricum. poſtquam verò meretricias artes deſcripſiſſet Propheta, quibus illæ utuntur, ut amatores domum admittant; coronæ quoque cujuſdam meminit, quam ipſe appellat coronam ſpecioſam, & ait: *Miſerunt ad viros venientes de longe, ad quos nuncium miſerant: itaque ecce venerunt: quibus te laviſti, & circumliniſti ſtibio oculos tuos, & ornata es mundo muliebri. Sediſti in lecto pulcherrimo, & menſa ornata eſt ante te: thymiama meum, & unguentum meum poſuiſti ſuper eam. Et vox multitudinis exultantis erat in ea: & in viris, qui de multitudine hominum adducebantur, & veniebant de deſerto, poſuerunt armillas in manibus eorum, & coronas ſpecioſas in capitibus eorum.* In hebraico exemplari legimus וַעֲטֶרֶת תִּפְאָרֶת *& corona ornamenti*, ſive *decoris.* hoc autem nomine ſignificari roſeam coronam apertè colligitur: tum quod hæc eſſet propria voluptariorum & mollium; cum primis verò illorum, qui laſcivientes adibant meretrices. Conſueverunt enim meretrices, voluptatis cauſa, roſeis coronis excipere amatores ſuos, hiſque revincire eoſdem ad venerem excitandam, ut videre eſt in Apuleio lib. 2. Metamor. apud quem venerea pugna cum ſua Fotide concurſurus Lucius, ait: *Commodum cubueram, & ecce Fotis mea jam domina cubitum reddita; jacta proximat roſea ſerta; & roſa ſoluta in ſinu tuberante, ac me preſſim deoſculato, & corollis revincto, ac flore proſperſo, arripuit poculum*, &c. Deſumptum totum hoc eſt ex Luciano in Dialogo Lucius, ubi: *τῶν δὲ στρωμάτων ῥόδα πολλὰ κατεπέπαστο, τὰ μὲν οὕτω γυμνὰ καθ' αὐτὰ, τὰ δὲ λελυμένα, τὰ δὲ στεφάνοις συμπεπλεγμένα.* hoc eſt, *Strata autem multis roſis conſperſa erant, quarum aliæ quidem ſuis pecculis exutæ; aliæ verò ſolutæ; aliæ verò coronis complicatæ, & in ſerta diſpoſitæ.* Quamobrem de corona roſea locum Prophetæ intelligendum, à voluptatibus, meretriciaque arte, à qua tota comparationis vis ſumitur, argumento ſumpto, videtur apertum: tum etiam quod hæc eſſet corona eorum, ut diximus, qui ad con-

vivia

vivia excipiebantur, vinoque madebant; quales hos fuiſſe, de quibus loquitur Propheta, certiſſimum eſt ex ipſo ſacro contextu, in quo de menſa ornata, & inſtructa poculis ſermo eſt, vel etiam ex Græcis codicibus. ſic enim legimus apud Theodoretum, *& ad viros ex multitudine hominum ebrios venientes de deſerto, & dederunt armillas*, &c. quibus colligitur apertè coronas ſpecioſas à Propheta appellari coronas roſeas; ut effeminatorum hominum in roſis ſtudium, & antiquiſſima roſearum coronarum conſuetudo, ex his ſaltem perſpicua fiat.

CAP. XXVII.

Olei lætitiæ compoſitio monſtratur.

Ad locum Pſalmi 44. *Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ.* Illuſtratur locus Cant. 5. *Labia ejus ſicut lilia ſtillantia myrrham primam.* Et ad alia plura loca.

LICET dictio *ſcuſchan*, ab aliquibus roſa interpretetur, ut vidimus, ab aliis lilium, & ex communi doctiorum ſententia, utrumque ſignificari cenſeatur; diximus tamen cap. 24. olei lætitiæ nomine, quod שֶׁמֶן שָׂשׂוֹן hebraicè dicitur, oleum ſuſinum ſignificari potiùs, quam roſaceum: tum quod *ſuſon* lilium apud Perſas, Græcoſque etiam tunc temporis diceretur: tum quod Suſis unguentum hoc excogitatum, ab urbis nomine ſibi quoque nomen aſciviſſet. Ad plenam verò Davidici loci intelligentiam aſſequendam; quibus aromatibus componerentur hæc unguenta, ſive condirentur hæc olea, conſiderare opus eſt. ita enim olei lætitiæ compoſitio perſpicua fiet. Verum quia in interpretatione dictionis *ſchuſchan* nequaquam nobis digladiandum erit: nihilominus ne videamur omnino graviſſimorum Doctorum ſententiam contempſiſſe, præſtat roſacei quoque olei ex veterum inſtitutis compoſitionem oſtendere; ut nihil lateat, quod olei lætitiæ conditùram aperire valeat.

Unguentum roſaceum componendum docent, qui de re herbaria ſcripſere: nam olei roſacei meminit Plinius lib. 15. cap. 7. Galen. de hiſt. herb. Theophraſtus quoque lib. 6. cap. 6. modum apparandi hoc oleum oſtendit; Fuchſius in Hiſt. Plant. cap. 259. Meſue, & alii plures, apud quos qui hujus rei experimentum quæſierit, habebit ſatis quæ ſibi ſatisfaciant: nobis tamen non erit recedendum à Dioſcor. lib. 1. cap. 54. quod inſcribitur περὶ ῥοδίνου σκευασίας. id eſt, *de præparatione roſacei*, ſupple unguenti, ſive olei. In hujus compoſitione ſumi debere libras quinque, & novem uncias junci odorati præcipit; quibus aqua maceratis, in libras viginti olei, junci malagma injiciendum jubet; quibus tandem decoctis, & oleo percolatis, atque expreſſis, adhibendas roſas mille mandat; per diem, & noctem, ad macerationem in oleum demittendas: quibus expreſſis iterum, & tertio, atque ad olei libras octo, adhuc mille roſæ injiciantur, fiet unguentum hoc, ſive oleum roſaceum. Si verò expreſſo jam oleo, iterum, & tertio, ac uſque ſepties roſæ mille, unguibus detractis, ſuperinjiciantur, pretioſius futurum oleum Dioſcorides affirmat: ita tamen quod ἄχρι δὲ ἑβδόμης ἐμβροχῆς ἐπιδέχεται τὸ ἔλαιον τὴν ἐμβολὴν τῶν ῥόδων, ἔπειτα δὲ οὐκέτι. id eſt, *Uſque enim ſepties roſarum infuſionem oleum ſpiſſatum admittit, deinde nequaquam.* admonet tamen diligentiſſimè ſuccum ab oleo ſeparandum, ne oleum corrumpatur.

Rectius שֶׁמֶן שָׂשׂוֹן *ſchemen ſaſon* interpretari oleum Suſinum, hoc eſt liliaceum, jam ex noſtra docui-

A mus ſententia; ac proinde in illius compoſitione rationabilius incumbendum erit, quod locis propheticis conformior ſit. Suſini unguenti compoſitionem tradidit Clemens Alexand. lib. 2. pædag. cap. 8. dicens: *Suſinum quidem componitur ex liliis, & liriniis; eſt autem calefaciens, aperiens, attrahens, humefaciens, abſtergens, ſubtilium, tenuiumque partium bilem movens, & molliens.* Fuſè verò Suſini unguenti præſtantiam in compoſitione docuit Dioſcor. lib 1. cap. 63. in capitulo quod inſcribitur περὶ σουσίνου σκευασίας. iſt eſt, *de præparatione Suſini*, ſupple olei. τὸ δὲ σούσινον, ὃ ἔνιοι κρίνινον καλοῦσιν, *inquit*, οὕτω σκευάζεται, ἐλαίου λίτρας θʹ. οὐγγίας εʹ. &c. ideſt, *Suſinum, quod* B *alii liliaceum vocant, ſic componitur. Olei libras novem, uncias quinque, &c.* Oleum præparat calamo, myrrha, & vino odorifero: quibus decoctis, & colatis adhibet Dioſcorides cardamomi tuſi, ac madefacti libras tres. ex oleo quoque jam dicto tribus aſſumptis libris, his mille lilia, decerptis foliis adhibet; quibus agitatis cum cardamomo jam dicto & aqua, ab aquaque ſeparatis, iterumque ſecundo, ac tertio eadem ratione adhibito oleo cum cardamomo, & liliis, necnon etiam myrrha; parari hoc unguentum, ſive oleum Suſinum admonet Dioſcorides.

Verum plura liliorum genera apud Græcos cum C haberentur, quodnam oleo lætitiæ uſui eſſet, inveſtigare, & aperire neceſſe eſt. Erant verò hæc κρίνον, λείριον, καλλιλείριον, κρινάνθεμον, κρινόροδον. de quibus omnibus plantarum hiſtoriæ auctores. quod autem dicebatur λείριον, ſignificabatur commune quoddam genus floris aliorum venuſtatem indigitans. nam λείριον valet blandum, ſuave, venuſtum, ac concupitum, quamobrem non ad lilium dumtaxat, ſed ad alios plures flores vim vocis hujus extendi docet Dalechamp. in lib. 15. hiſtor. plant. cap. 1. ex editione Rouilii. Hoc verò mendum doctiſſimo viro indulgendum erit, quod alibi ab hiſtoria protraheretur. Athenæum conſulant qui volunt lib. 15. D cap. 8. ubi Cratinus de floribus cum ageret, illa duo diſtinguit, λειρίοις, dicens, ῥόδοις, κρίνοισι, κοσμοσανδάλοις. id eſt, *Lyrio, roſa, lilio, coſmoſandalo:* ubi certè aperit aliud fuiſſe lirium, aliud verò lilium: illud dicebatur λείριον, hoc κρίνον. negare verò minimè licet duo florum genera ibi agnoviſſe Athenæum, quorum primum ſpeciali nomine λείριον diceretur, notiſſimum eo ſeculo. nam ſententia Cratini ſuperflua quidem appareret, ſi quod in univerſum λείριον dixiſſet, aliis poſtmodum vocabulis explicuiſſet. quamobrem hæc duo colore diſtinguerem, ut λείριον album eſſet, & à ſuavitate ſic diceretur. eſt enim λειρόεις dulcis, ſuavis, appetendus. κρίνον E verò eſſet lilium rubeum. hoc aperuit Plin. lib. 21. cap. 11. dicens: *Eſt & rubens lilium, quod Græci κρίνον vocant:* quod alii legendum exiſtimant κρινόροδον, id eſt, *lilium roſeum*, voce ad exprimendum rubentis cocci ſplendorem aptiore. Fulcitur illud Plinii, Athenæi auctoritate, loco proximè citato. ait enim: τὰ δὲ κρίνα φησὶν ὁ Θεόφραστος εἶναι, καὶ πορφυρανθῆ. & ſubdit: Φιλῖνος δὲ τὸ κρίνον ὑφ' ὧν μὲν λείριον, ὑφ' ὧν δ' ἴον καλεῖσθαι. hoc eſt: *Lilia dicit Theophraſtus eſſe, & purpurea.* & ſubdit: *Philinus autem lilium, ab aliquibus quidem lirion, ab aliis verò violam vocatam:* ut hinc quoque diſcrimen quidem inter lilium, & lirium agnoſcatur. licet enim colores F nominibus diſtinguerentur: ab aliquibus tamen confundebantur: ut & rubrum *lirion* à Philino dictum fuerit, & album quoque lilium *crinon* diceretur. pro quo ſtat Anacreon in ode de puella, quam invitat ad ſe amandum, quamvis ſenex videatur: pulcherrima namque florum alborum & rubicundorum propriæ canitiei puellares genas rubicundulas ſibi jungendas rogat, dicens;

> ὄρα καὶ στεφάνοισιν
> ὅπως πρέπει τὰ λευκὰ
> ῥόδοις κρίνα πλακέντα.

hoc eſt,

> *Vide & in corollis*
> *Quomodo decenter alba*
> *Roſis lilia implicentur.*

Alba quidem lilia dictione *crina* ſignificans. nam & Dioſcorides utrumque genus lilii eodem vocabulo complexus cum fuiſſet; fatetur tamen rubra quoque haberi lilia, dicens lib. 13. cap. 116. φασὶ δὲ τίνες, καὶ πορφυρᾶ ἄνθη κρίνου γεννῆσθαι. hoc eſt, *Dicunt autem aliqui, rubrum quoque naſci florem lilii.* Quare quamvis & album, & rubeum lilium eodem vocabulo dicerentur, ſtrictiori tamen dicendi phraſi rubra lilia non *lirion*, ſed *crinon* dicebantur.

Hoc verò unguentum Suſinum præſtantiſſimum, non quidem ex foliis λείρου parabatur, ut puto; ſed ex foliis illius lilii rubicundi, quod κρίνον dicebatur. Id legitur apud Dioſcoridem, qui lib. 1. cap. 163. agens de compoſitione olei Suſini, ut monſtravimus, κρίνα ἀριθμῷ χίλια, id eſt, *lilia mille numero*, ſupple accipiantur, non dixit λείρια ſumenda, ſed κρίνα dixit. ex genere nimirum liliorum, quæ crina dicebantur: ex his namque parari præſtantiſſimum unguentum docet lib. 3. cap. 116. dicens: φασὶ δὲ τίνες, καὶ πορφυρᾶ ἄνθη κρίνου γεννῆσθαι, ἐναργέστατα δὲ γεννᾶται ἐν τῇ Συρίᾳ, καὶ Πισιδίᾳ τῆς Παμφυλίας πρὸς τὴν τοῦ χρίσματος κατασκευήν, id eſt, *Dicunt aliqui, gigni & rubra quoque lilia; efficaciſſima verò generari in Syria, & in Piſidia Pamphyliæ ad parandum unguentum.*

Illuſtratur his locus Cant. 5. ubi Sponſa formam ſpecioſiſſimam ſui dilecti, Hieroſolymitanis puellis aperiens, cum veniſſet ad labia, ait: *Labia ejus lilia diſtillantia myrrham primam:* quæ ſi de lilio albo accipiantur, nihil deformius dici poterat, aut hac comparatione inconcinnius. quin etiam ſibi ipſi contrarius ſacer videretur textus. cum enim in ſuperioribus laudaretur Sponſa à pulchritudine labiorum, quorum gratia in rubore poſita eſt; ait Sponſus: *Labia ejus ſicut vitta coccinea.* Pulcherrima ſanè comparatio ſumpta à rubicunditate coccini, & labiorum. ſponſa verò à candore ineptiſſimè laudaſſet dilecti ſui Sponſi labia. Ne igitur ineptire Sponſam Spiritus ſancti dicamus, ſtultiſſimeque comparari labia Sponſi ad lilia: ad ruborem cogimur confugere: ea propter, quod hebraicè hic legitur שִׂפְתוֹתָיו שׁוֹשַׁנִּים *ſciptho tau ſcioſcianim*: tranſtulerunt aliqui, *labia ejus roſæ*, decepti non quidem à vocabulo, ſed à fœditate labiorum, ſi hanc liliis candidis comparaſſent. verum quia roſa hebraicè dicitur חֲבַצֶּלֶת *chauazaleth.* & in hebræo loco allato habetur *ſcioſcianim* שׁוֹשַׁנִּים nobis nequaquam erit recedendum à communi vulgati interpretis tranſlatione: illamque comparationem nequaquam à candore liliorum, aut à roſis deſumptam affirmabimus; ſed ab his liliis, quæ κρίνα à Græcis dicebantur: & rubra ac purpurea erant. ut à rubedine, & purpureo colore gratia labiorum Sponſi accipiatur.

Illuſtratur & locus Athenæi lib. 12. cap. 2. qui difficillimus adeò viſus eſt Caſaubono viro doctiſſimo, ut aliorſum à via, per campos rei literariæ illum errare loci difficultas coëgerit. σοῦσον γὰρ, *inquit Athenæus*, εἶναι τῇ Ἑλλήνων φωνῇ τὸ κρίνον, ubi Caſaubonus recurrendum ait ad amphibologiam ſcriptoris. ait enim: *Suſum græca lingua, id eſt, græcè loquentibus* κρίνον *eſſe. poteſt ſcribi* τῇ ἐκείνων φωνῇ, *id eſt, Suſum enim ipſorum Perſarum lingua eſſe* κρίνον. *ſed contra librorum conſenſum, nihil mutandum. nimis rudes ſunt harum literarum, qui ſimiles* ἀμφιβολογίας *inter legendum veteres non obſervarunt, interpretes cui perſuadebunt* σοῦσον *lilium dici Græcis.* hæc ille ibi. Verum nullam hic amphibologiam nos dicemus haberi, ſed ſenſus eſt, ſuſum eſſe, quod voce græca crinon dicitur; & ſic locum Athenæi interpretabimur. *Suſum eſſe quod crinon Græcorum voce*, ſupple *alia* dicitur. Quamobrem cum ex Plinio habeamus purpurea lilia κρίνα appellata fuiſſe; & hæc quoque dicemus Suſon à Perſis & Græcis quoque dicta, & ad uſum unguenti Suſini adhibita; ut ſupra ex Dioſcoride monſtravimus. Id verò quod dicimus de voce *Suſon*, apertiſſimo convincitur argumento ſumpto ex Dioſcoride, qui Suſinum unguentum deſcribens ex liliis paratum, nequaquam *Crininon* illud, ſed *Suſinon* dixit. nec enim Græci ab exteris unguentorum, ac rerum vocabula acceperunt, ſed ipſimet rebus medicis nomina indidere, & ab eis reliquæ nationes eadem retinere minimè veriti ſunt.

Quam igitur pretioſiſſimum foret apud veteres unguentum hoc, ſive oleum Suſinum, ex aromatibus, quibus parabatur, cognoſcere licet. calamo enim aromatico, cardamomo, & myrrha parabatur; quæ pretioſiſſima quidem, ac præſtantiſſima cum eſſent; eorum ſaltem de cauſa, unguentum hoc plurimi æſtimare veteres cogebantur. nam & alia quoque præter jam dicta aromata præſtantiſſima de mente Plinii illius conditeram ingrediebantur: quæ explicatiora habentur apud Dioſcoridem; qui tandem concludit: δοκεῖ δὲ διαφέρειν τὸ ἐν Φοινίκῃ, καὶ ἐν Αἰγύπτῳ γινόμενον. ἄριστον δὲ αὐτοῦ τὸ ὄζον κρίνον, hoc eſt, *Videtur autem differentiari*, (hoc eſt eligi tamquam optimum) *quod in Phœnice, & in Aegypto*, ut puto, *conficitur, præſtantiſſimum autem quod olet lilium.* de hoc pariter oleo Suſino agit Plin. lib. 13. cap. 2. dicens: *Suſinum autem tenuiſſimum omnium eſt. Conſtat ex liliis, balanino, calamo, melle, cinnamomo, croco, myrrha*, ita Plinius. Qui plura deſiderat de hujus olei Suſini compoſitione, conſulat Theophraſtum, Meſue, & alios, qui rem medicam, & corruptiſſimi illius ſeculi voluptuarias artes aliqua ex parte inſinuarunt.

Nobis verò, qui ſacra perſcrutamur oracula, ſatis ſit iſta attuliſſe; ut de quonam olei genere Propheta intelligendus ſit, cum olei lætitiæ meminit, perſpicuum fiat. Epithalamium quidem præcinebat Propheta; cum ait: *Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea unxit te Deus tuus oleo lætitiæ.* Et inde apertiſſimè intelligere poſſumus, quam præſtantiſſimum tunc temporis hoc oleum Saſon, ſive Suſinum eſſet. Non enim alicubi in ſacra Scriptura, hoc genus olei, hominibus ab aliquo Principe præbendum ſcribitur: ſed ubique ſemper, tamquam ſingulare Dei donum cœlitus, & à Deo ſolo expetendum dicitur. adeò ut ſummæ à Deo hypoſtaticæ gratiæ, gradus maximus, qualis futurus erat in Meſſia, hoc tantum genere olei in ſacris oraculis ſignificetur. ita David loco jam citato, & ſimiliter, cum apud Iſaiam dicitur, Deum daturum Hieroſolymitis *oleum gaudii pro cinere*, & ſermo eſt de donis gratiarum, Chriſti ſanguine hominibus præſtandis; utrobique ut jam ſupra vidimus שֶׁמֶן שָׂשׂוֹן appellatur. diximus Suſinum potius oleum intelligi debere, quam roſaceum, olei lætitiæ, ſive gaudii nomine: meliora ubi alii excogitaverint; nos pro veritate palinodiam recantare non verebimur.

CAP. XXVIII.

Suſini unguenti, liliorum, liliaceæque coronæ uſus oſtenditur.

Ad locum Pſalmi 44. *Dilexiſti juſtitiam, & odiſti ini-*

A *iniquitatem, propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ.* Illuſtrantur loca Cant. 5. *Labia illius lilia ſtillantia myrrham primam.* Iſai. 61. *Vt ponerem fortitudinem lugentibus Sion, & darem eis coronam pro cinere, & oleum gaudii pro luctu.* Et ad alia plura loca.

OLEI lætitiæ nomine Suſinum ſignificari verius, quam roſaceum dicebamus: nec de roſaceo loquuti ſumus niſi ex illorum ſententia, qui dictionem *ſchoſchan* שׁוֹשָׁן ex qua *ſaſon* שָׂשׂוֹן fieri diximus, roſam interpretabantur: cum potius lilium dicere debuiſſent; quoties in ſacris oraculis dictio
B שׁוֹשָׁן *ſchoſchan* ſeſe offert. Cum igitur ſatis olei roſacei, ſive unguenti, necnon etiam roſæ, ac coronæ uſum, & præſtantiam, in ſuperioribus demonſtraverimus; Suſini unguenti præſtantiam & dignitatem una cum uſu oſtendi debere, ratio ipſa ſuadet. Eſt autem Suſinum unguentum uti diximus ſupra, quod ex liliis componebatur. Eſt autem lilium nobilitate, roſæ proximum; ut loquamur cum Plinio lib. 21. cap. 5. & hoc non ſolum floris ſuavitate; ſed etiam, ut idem ait, quadam cognatione unguenti, oleique, quod *lirinon* appellatur. Quod & Dioſcorides fatetur lib. 3. cap. 116. de quò ita: κρίνον βασιλικόν. Τούτου τὸ ἄνθος στεφανο-
C ματικόν ἐστι· καλούμενον ὑπ' ἐνίων λείριον, ἀφ' οὗ καὶ τὸ χρίσμα κατασκευάζεται, ὅ τινες λείρινον, οἱ δὲ σούσινον καλοῦσι. hoc eſt, *Lilium regium. hac coronarium uti mos eſt: ab aliquibus vocatum lirium, ex quo & unguentum paratur, quod aliqui Lirinon, alii Suſinon vocant.* Hoc autem unguenti genus frequentiſſimum fuiſſe Hebræis, à ratione Syriaci ſoli, firmare poſſumus ex auctoritate Cælii Rhodigini lib. 25. cap. 25. illud enim Syrium unguentum nominat, dicens: *Syrium verò eſt unguentum Suſinum, à Suſo, ideſt lilio, quamquam & floris ſuccus Syrium item dicitur. quoniam præcellat in Syria lilium purpureum:* ſed & Dioſcor. loco citato in fine capituli, ait: ἐναργέστατα
D δὲ γεννᾶται ἐν τῇ Συρίᾳ καὶ Πισιδίᾳ, τῆς Παμφυλίας, πρὸς τὴν τοῦ χρίσματος κατασκευήν. ideſt, *efficaciſſima,* ſupple lilia, *gignuntur in Syria, & Piſidia Pamphyliæ ad præparationem unguenti,* hoc eſt, ad componendum unguenta, odoratiſſima ſunt lilia, quæ naſcuntur in Syria. Hujus unguenti uſum frequentiſſimum fuiſſe Hebræis, qui Syriam, & Palæſtinam habitabant; etiam ex Clem. Alexand. lib. 2. pædag. cap. 8. non obſcurè colligi poteſt. dum enim coronarum uſum, ac unguentorum in conviviis, ad occurrendum temulentiæ, redarguit; ſic ait: *Non enim roſarum baccis, vel violis, vel liliis, vel aliquibus aliis ejuſmodi floribus, comam, quæ ſe paret ad vinolentam petu-*
E *lantiam,* &c. Ex quibus ſatis, me judice, colligitur uſus, tum liliorum, tum quaſi ex conſequenti, etiam Suſini unguenti, quod ex liliis rubris conficiebatur.

Quod verò Suſinum hoc unguentum viris primarii ordinis in uſu, & deliciis eſſet, cum primis verò Regibus; ex his, quæ habet Pollux lib. 4. cap. 19. confirmari poteſt. ait enim: ἐκ δὲ κύπρου, καὶ κρίνου μύρον ἀβδελώνυμος ὁ Σιδώνιος Ἀλεξάνδρῳ ἔπεμψε. hoc eſt, *Flore Cyprio*, quem aliqui liguſtrum interpretantur, *& ex lilio*, quod crinon nimirum appellatur, *Abdelonymus Sidonius unguentum Alexandro miſit.* Cum
F igitur, auctore Polluce, Alexandro Magno Suſini unguenti concha deliciarum cauſa miſſa fuerit; illeque orbis totius primam tunc occuparet ſedem; meritò unguentum etiam Suſinum, primam inter unguenta tunc tenuiſſe ſedem perſpicuum fiet. Quamobrem cum Regius noſter Propheta in Pſalmo 44. jam ſæpius à nobis relato, Regium epithalamium, ſub metaphora nuptiarum Salomonis præcineret; unguenti Suſini meminiſſe par erat, potius, quam alterius cujuſcumque unguenti, quod illud Regibus cum primis in deliciis eſſet.

Nec quod Regibus Suſinum unguentum in deliciis eſſet, mirum eſſe debet: plurimi enim Veneris oblectamentum lilia appellaverunt. quin etiam & Ambroſiam, quod in deliciis Deorum putabatur, lilium dixerunt: ſi credimus Nicandro lib. 2. Georg. apud Athenæum lib. 15. cap. 9. ſic enim ibi ait:

ἃ κρίνα, λείρια δ' ἄλλοι ἐπιφθέγγονται ἀοιδῶν,
οἱ δὲ καὶ ἀμβροσίην, πολέες δὲ γε χάρμ' ἀφροδίτης.

Hoc eſt, ut interpretatur Caſaubonus in Athenæum,

Lilia, quæ Liria nuncupant alii Poëtæ,
Ambroſiamque alii, multi Veneris oblectamentum.

Illud idem alio etiam onerat argumento Athenæus cap. 8. cum enim ex teſtimonio Caryſtii meminiſſet floris cujuſdam, qui dicebatur ambroſia; & ex auctoritate Nicandri apud Choos in capite ſtatuæ Alexandri retuliſſet; florem, quem vocant ambroſiam enatum fuiſſe, ſubintulit: προείρηται δ' ἄνω περὶ αὐτῆς ὅτι τὸ κρίνον οὕτω λέγουσι, ideſt, *Diximus autem ſupra de ea,* ſupple ambroſia, *quod lilium ita nominant.* Fuiſſe verò lilium in deliciis etiam Iſraëlitis, innumerabilia pene ſunt loca ſacrarum literarum, quæ hoc probant. nam 3. Reg. cap. 7. & 2. Paralip. cap. 4. pluribus in locis, cum agitur de columnis in ædificando templo, deque vaſibus ad cultum ejuſdem; capita columnarum, extremaque ænei vaſis, ſub liliorum forma parari jubentur.

Quin etiam ad delicias conviviorum, feſtoſque dies liliis uſos Iſraëlitas divina oracula paſſim clamant. Cant. 2. Sponſus de ſeipſo ſic loquitur: *Ego flos campi, & lilium convallium: ſicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.* & ibidem infra reſpiciens Spiritus ſanctus ad conſuetudinem convivandi, juxta morem antiquorum ad veſperam per noctes, ait: *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui paſcitur inter lilia, donec aſpiret dies, & inclinentur umbræ.* Ubi minimè quidem ſermo eſt, me judice, de vſu liliorum in hortis, quin potius de liliacea corona, vel Suſino unguento, quorum uſus erat inter epulas. id verò ex eo ſanè conſtat, quod de cœna loquitur textus, quæ juxta veterum conſuetudinem ab hora diei nona, ad mediam uſque noctem, & ultra aliquando protrahebatur: quo quidem tempore lilia hortorum, tenebris cum opprimantur, in deliciis minimè ſunt convivantibus: tantum enim viſui & olfactui flores in hortis ſunt ad delicias, quibus tenebris noctis tempore, nocturnoque frigore oppreſſis, alterum omnino, alterum ex parte amittunt. De liliis igitur, quæ decerpta fuerant ad coronarum, vel unguentorum uſum, quibus convivæ in cœnis deliciarum cauſa utebantur, ibi ſermonem eſſe in Canticis perſpicuum eſt. Quamobrem ſic interpretabimur locum ex Hebræo exemplari: *Dilectus meus mihi & ego illi, qui paſcitur in liliis:* ideſt qui cœnat in liliis, vel cum liliis; nimirum unguentatus & coronatus lilio; ita Hebræus דּוֹדִי לִי וַאֲנִי לוֹ הָרוֹעֶה בַּשּׁוֹשַׁנִּים Eſt enim dictio הָרֹעֶה in conjugatione Kal activa. paſci verò in liliis, more antiquorum erat cœnare coronatum liliis; ſive Suſino unguento madidum; quod ut ſæpè diximus, ex liliis parabatur. & nullum eſt quodammodo capitulum in toto Canticorum libro, in quo ſacer textus liliorum mentionem non fecerit.

Eſt & locus alter à nobis explicandus, prima ſtatim facie perdifficilis, in Cant. cap. 5. hic enim Sponſa cum labia Sponſi verbis, quantum poſſet celebrare, atque ornare vellet, ait: *Labia ejus lilia ſtillantia myrrham primam.* qui locus, niſi ad coronarum uſum nos transferamus, inintelligibilis planè videbitur. Quænam, precor, ſunt lilia, quæ ſtillent

myrrham?

myrrham? ubinam ſunt horti, qui lilia, myrrham ſtillantia germinent? nullibi enim nec apud Theophraſtum, nec apud Dioſcoridem, neque Plinium, aut quoſcumque alios, qui de re herbaria ſcripſere, lilia ſtillantia myrrham cognovimus. perſpicua verò fiet intelligentia loci allati, ſi ad coronas unguentis in convivio madidas nos transferamus. Lilium namque in uſum coronarum extitiſſe apud veteres, licet pluribus poſſet probari teſtimoniis; unum ſit ſatis ex Cratino apud Athenæum lib. 15. cap. 8. ubi ſermo eſt de coronariis floribus, & ait:

λειρίοις, ῥόδοις, κρίνοισι, κοσμοσανδάλοις.

hoc eſt, *Lyriis, roſis, liliis, cosmoſandalis.*

Hæc, occaſione florum coronariorum, ut diximus, afferuntur. verum qua de cauſa doctiſſimus Dalemcampius duplici verſu locum ſit interpretatus, me latet; id enim inconſulto feciſſe ſummi ingenii virum, in dubium revocandum non eſt. ipſe dixit in hac verborum forma, & hoc ſatis: *Coſmoſandali meminit ſic Cratinus in effeminatis.*

Omnigenis caput chamæmelis mihi paſcitur,
Leirio, roſa, lilio, cosmoſandalo.

Nobis hoc loco uſum liliorum ad coronas probaſſe ſufficiat; quod & ex Anacreonte in Ode quæ inſcribitur *εἰς κόρην* ſuaviſſimo joco roborare placuit. Cum enim Anacreon ſenex, canis undequaque conſperſus, puellæ contemptui eſſet; quod amoribus, voluptatibusque minus aptus cenſeretur; à coronis ſumpto argumento pulcherrimè jocatur, dicens:

ὅρα κἀν στεφάνοισιν
ὅπως πρέπει τὰ λευκὰ
ῥόδοις κρίνα πλακέντα.

Ubi ab implicatione roſarum, & liliorum ad coronarum uſum, illarumque decorem ſumit argumentum; ut probet canitiei, quæ ſenectutem comitatur, non incongruè puellæ rubicundas genas aptari. id enim Anacreontis allata jam carmina ſonant, & his verbis a doctiſſimo viro tranferuntur.

En aſpice in corollis
Roſis decenter alba
Ut lilia implicentur.

Quod ſi Græcis ſcriptoribus, Latinum aliquem adjungere voluerimus, ad favorem coronæ liliaceæ; aderit pro Latinis Tertull. de cor. milit. qui meminit liliaceæ coronæ, qua utebantur veteres, dicens: *Uti tunc laurea, & myrto, & olea, & illuſtriore quaque fronde, & quod magis uſui eſt, centenariis quoque roſis ex horto Midæ lectis, & utriſque liliis, & omnibus violis coronariis.* hæc ibi Tertullianus, qui *utriſque liliis* dixit ratione candidorum, & rubrorum liliorum, quibus ob colorum varietatem, & venuſtatem illi coronabantur. Tertulliano Lyricus noſter Horatius aderit, qui ex reditu Numidæ lætitia geſtiens, & ad pocula, conviviaque amicos excitando, ait:

Neu deſint epulis roſæ,
Neu vivax apium, neu breve lilium.

Coronis itaque liliaceis in conviviis illi veteres uti ſolebant. ut boni odoris voluptatem inexplebilem, ſi fieri poſſet, explerent; unguenta coronis addere conſueverunt, & coronis unguento madidis, capite revincto cœnare. teſtatur hoc Plin. lib 2. cap. 3. dicens de coronis: *Lautiſſimum quippe habetur è nardi folio eas dari; aut veſte ſerica verſicolori, unguentis madidas.* & lib. 7. Sympoſ. quæſt. 8. tradit hoc idem Plutarch. referens Regis Perſarum cum Antalcida Lacedæmonio humanitatem, dicens: *Admodum certè inepta, & ruſtica habetur Regis Perſa-*

A *rum adverſus Antalcidam Spartanum magnificentia. quandam coronam è roſa, & croco confertam in unguento intingens ei miſit, nativa pulchritudine extincta, factaque floribus injurioſè contumelia.* Alia quoque poſſent afferri teſtimonia, ſed brevitatis nobis eſt habenda ratio.

Potiſſimum enim myrrhinis unguentis coronas, ut ita dicam, molliſſimi illi homines conſpurcabant: (quod rectè dictum puto de iis, qui præter rationem voluptatem appetunt.) quamobrem Virgilius de corona myrrha madida ait:

Nec mihi ſudabunt pingui jam tempora myrrha.

B Sed & Athenæus pluribus in locis iſta ex veterum narrat conſuetudine. Ad conſuetudinem nuptialem igitur, coronarumque unguentis madidarum uſum reſpiciens Sponſa in loco jam allato, cum hujuſmodi coronæ rubicundis, ac purpureis, ut dicebamus, liliis pararentur; myrrhaque madefierent; labia Sponſi à rubore, & fragrantia laudans, dixit: *Labia ejus lilia ſtillantia myrrham primam.* hoc eſt myrrham præſtantiſſimam atque digniſſimam.

Ex his quæ huc allata ſunt de coronis in unguentis madidis, Iſaiæ Prophetæ cap. 61. ingenioſa antitheſis explicatur. ſermo ibi eſt de gratuitis donis, C bonisque plurimis quæ in mundum Servator noſter hominibus erat allaturus. *Ut ponerem*, inquit Propheta ex perſona Servatoris, *fortitudinem lugentibus Sion, & darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu.* Cum enim mos eſſet Iſraëlitis, mœroris, & luctus cauſa cinere conſpurcari, caputque cum primis cinere contegere; ut lacrymæ ex oculis mœroris cauſa defluentes cineribus conglomeratæ, humanam miſeriam, atque vilitatem publicè ea ratione teſtarentur; Deumque ad miſericordiam provocarent: Propheta volens oſtendere Meſſiam mœrorem omnem ablaturum ab hominibus, & lætiſſima cuncta præſtiturum, quod corona, & unguentis, ut diximus, ab antiquis attendi conſueverat; D ſumpto argumento, non quidem à ſimplici corona, ſed à corona unguentis madida, ingenioſiſſimè cineri caput operienti coronam oppoſuit; lacrymis verò unguentum Suſinum; in quo roſeas fortaſſe cum primis coronas, immergere illi conſueverant; propterea dixit ex perſona Meſſiæ: *ut darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu*: ut quemadmodum mœrentes homines cinere, & lacrymis damna, quæ peccatorum cauſa illis contigerant; necnon luctum ac mœrorem aperiebant; ita pariter in oppoſitum, Meſſia adventante, gratiamque remiſſionis à peccatis, hominibus propriis meritis concedente, triſtioribus jam ſublatis, homines jam læti, coronati apparerent; E corona circumquaque Suſinum ſtillante unguentum: ut corona cineri, Suſini unguenti ſtillæ, lacrymis oppoſitæ, hæ lacrymas, illa cineres auferrent.

CAP. XXIX.

Explicatur cur oleum lætitiæ ſic appellaretur.

Ad loca Pſal. 108. *Genua mea infirmata ſunt à jejunio, & caro mea immutata eſt propter oleum.* 2. Reg. 14. *Lugere te ſimula, & induere veſte lugu-* F *bri, & ne ungaris oleo.* Matth. 6. *Tu autem cum jejunas, unge caput tuum.* Et ad alia plura.

CONSUETUDINEM hanc firmiſſimè tenuit ſacer noſter interpres vulgatus; ut in ſacris interpretandis ſcripturis, ſenſus magis, quam verba attenderet: quamobrem cum *ſcemen ſaſon* שֶׁמֶן שָׂשׂוֹן oleum Suſinum, me judice interpretari debuiſſet: ab occaſione

occaſione uſus Suſini unguenti, ratione & argumento ſumpto, *oleum lætitiæ*; ut ſæpius vidimus, in Pſalmo 44. illud *ſcemen ſaſon* שֶׁמֶן שָׂשׂוֹן ideſt, *oleum Suſinum* eſt interpretatus: oleum gaudii illud idem cap. 61. Iſaiæ ſimiliter ab eodem interprete fuit appellatum. Plurima enim veteres mœrorem ut indicarent, facere conſueviſſe, prophanæ teſtantur hiſtoriæ. nam comam deponebant; candidam in atram commutabant veſtem; in reconditorio defuncti, luctus gratia mulieres ſe abdebant; abſtinebant à coronis, & à quibuſcumque aliis hilaritatis ſignis. Plutarch. enim in opuſculo, quod inſcribitur, *Conſolatio ad uxorem*, nonnulla inſinuat, dicens: *διὸ δεῖ μάχεσθαι περὶ θύρας αὐτῷ, ϗ μὴ προσίεσθαι φρουρὰν δὶ ἐσθῆτος ἢ κουρᾶς, ἢ τινος ἄλλου τῶν τοιούτων, ἃ καθ' ἡμέραν ἀπαντῶντα, ϗ δυσωποῦντα, μικρὰν, ϗ στενὴν, ϗ ἀνέξοδον, ϗ ἀμείλικτον, ϗ ψοφοδεῆ ποιεῖ τὴν διάνοιαν, ὡς οὔτε γέλωτος αὐτῇ μετὸν, οὔτε φωτὸς, οὔτε φιλανθρώπου τραπέζης, τοιαῦτα περιειλημμένη, ϗ μεταχειριζομένη διὰ τὸ πένθος.* *Ergo*, inquit, *præ foribus ei repugnandum eſt;* ſcilicet luctui, *neque committendum, ut veſte, tonſura, aliave conſimili re nobis, quaſi præſidium imponat; quæ quotidie occurrentia, & fatuum incutientia pudorem, ita dejiciunt, inque anguſtias redigunt, & meticuloſum faciunt animum; ut luctus gratia ſic obſeſſus, neque riſum, neque lucem, neque menſam humaniorem participet merens.* Plura alia facere ſolitos infra oſtendemus Myroth. 5. cum de funebri unguento noſter erit ſermo.

Ad ſacra igitur revertendo, pauciora Iſraëlitas luctus, ac mœroris gratia feciſſe minimè conſtat; quin potius multo plura eos geſſiſſe, quam Ethnicos, ſacræ Scripturæ paſſim teſtantur. non enim togam tantum, aut veſtem exuebant; ſed proprias incidebant carnes; comam radebant; cingulum militarem deponebant; arma, & gladios à ſe rejiciebant; & ſi quæ erant apud illos, quibus militarem ac hilarem animum oſtendere conſueviſſent, hæc omnia mœroris cauſa à ſe repellebant: ut etiam caput, quod ſertis, diadematibus, atque coronis feſtiviſſimi animi notis ornare conſueverant; cineribus conſpergerent, ac deturparent. loca plurima ex divinis petita literis hæc probare poſſent: ſatis ſit tamen locus unus ex cap. 7. Joſue: ubi in expugnanda arce Hai populus Jſraëliticus dum occuparetur; terga non ſolum vertit, ſed & cæſus quoque corruit: quamobrem Joſue Iſraëlitici exercitus Dux ſummus, mœrore affectus, una cum reliquo ſenatu, qui in caſtris aderat; veſtimenta non ſolum ſcidiſſe, ſed etiam cinere capita propria eos aſperſiſſe legimus. *Joſue verò ſcidit veſtimenta ſua*, ait textus, *& pronus cecidit in terram coram arca Domini uſque ad veſperam, tam ipſe, quam omnes ſenes Iſraël: miſeruntque pulverem ſuper capita ſua.* hæc ibi. Verum quia nihil ad nos iſta, in præſentiarum; niſi quatenus ab oleo quoque, & ab unguento cum primis Hebræi, & aliæ gentes abſtinere conſueverunt, mœroris atque triſtitiæ ſimiliter de cauſa; ad hæc nos convertamus.

Mœroris, ac luctus ratione ab unctionibus, unguentis, & oleis abſtinere ſolitos veteres, Plutarchus loco jam citato oſtendit, ſcribens ad uxorem, dicens: *ἀμέλειαι δὲ σώματος ἕπονται τῷ κακῷ τούτῳ, ϗ διαβολαὶ πρὸς ἄλειμμα, ϗ λουτρὸν, ϗ τὴν ἄλλην δίαιταν.* *Huic malo*, inquit, nimirum luctui, *comitatur corporis neglectio, & averſatio unctionis, lavacri, ac reliqua victus rationes.* Ab his quoque unctionibus mœroris cauſa abſtinere ſolitos Hebræos, vel pœnitentium, ac jejunantium ritus, qui ſacris in literis non raro referuntur, ſupra quam poſſit deſiderari, quod diximus, oſtendunt; Propheta dicente in Pſalmo 108. *Genua mea infirmata ſunt à jejunio, & caro mea immutata eſt propter oleum.* Quid eſt carnem immutari propter oleum? forſitan propter ſu-

A perfluum olei, ac unguentorum uſum? nequaquam: quin potius defectum olei conditi, Propheta reſpexit; intermiſſam nimirum pœnitentiæ cauſa, unguentorum, ac oleorum conſuetudinem; quapropter Græca exemplaria habent: *τὰ γόνατά μου ἠσθένησαν ἀπὸ νηστείας, ϗ ἡ σάρξ μου ἠλλοιώθη δὶ ἔλαιον.* Eſt autem mutatio per *ἠλλοιώθη* in damnum. provenit enim ab aliqua re, quæ nullius fuerit voluptatis, ſed in deriſum. ita hunc Pſalmi locum, & præclarè quidem, me judice, Janſenius paraphraſticè eſt interpretatus hac verborum forma: *In his autem meis malis, ita in precibus, addito etiam perpetuo jejunio fui ſedulus; ut genua mea debilitata ſint, & vacillent*
B *præ jejunio, & caro mea ſuo vigore immutata ſit propter deficientem ejus pinguedinem, & propter neglectum & intermiſſum uſum unguentorum: quæ ſicut & alias delicias corpori meo ſubtraxi propter orationis ſtudium.* Hoc etiam præclarè expreſſit textus hebraicus his verbis: וּבְשָׂרִי כָּחַשׁ מִשָּׁמֶן hoc eſt, *Et caro mea defraudata eſt ab oleo.* Eſt enim litera מ pro מִן privativa; ut norunt linguæ ſanctæ peritiores. ſe verò & ab eſcis, & ab unguentis jejunii, ac pœnitentiæ cauſa abſtinuiſſe tradit; & adeò abſtinuiſſe, ut caro illius quæ uſu unguentorum decorem, venuſtatem, ac ſoliditatem acquiſiverat, illorum abſtinentia in rugas adeò abierit; ut in deriſum ha-
C beretur his qui unguentis, ac oleis operam de more dabant: ideò ſubintulit: *Ego autem factus ſum in opprobrium illis, viderunt me, & moverunt capita ſua.* Quamobrem ex hoc loco Pſalmi ab unctionibus abſtinere pœnitentiæ cauſa Hebræos conſueviſſe, perſpicuum eſt.

Probatur etiam Iſraëlitarum abſtinentia ab oleis, mœroris cauſa, ex cap. 4. lib. 2. Reg. cum enim Joab Davidici, regiique exercitus Imperator, de muliere Thecuite ad David mittenda cogitaret: ut prudentiſſimo quodam aſtu, Abſaloni, fratricidii cauſa exulanti, reditum impetraret; mœrorem, orbitatis cauſa, ſimulare illam jubet: quem ut effi-
D cacius exprimeret; ab unguentis, ut abſtineat monet. *Lugere te ſimula*, inquit, *& induere veſte lugubri, & ne ungaris oleo.* itaque doctore Joab didicimus in ſacro textu, Iſraëlitas luctus cauſa ab unctionibus abſtinere ſolitos. Quapropter jejunia, & fictas pœnitentias, ut aſſimularent hypocritæ, inter convivia, occultaſque epulas, forinſecus ab unguentis, & unctionibus abſtinendo, populis ſanctitatem ex jejunio & pœnitentia in ſeipſis oſtentare conabantur. perſpicua hæc ſunt ex verbis Servatoris noſtri, qui hanc ſimulationem à nobis, ut removeret, Matth. 6. ait: *Tu autem cum jejunas, unge caput tuum.* hoc eſt, *Nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes.* hi enim
E cum jejunant; ut animi candorem cum triſtitia in jejunio, ac pœnitentia ſimulent, atque ſecus quam verè ſint, ut appareant; ab unctionibus ſe abſtinent. ſecus vobis faciendum doceo, ait ſanctiſſimus Servator: quamobrem ut populorum extrinſecum ſanctitatis plauſum declinetis, extrinſecamque hilaritatem intra jejunia, ac pœnitentias ut oſtendatis; oleo, & unguento inter jejunia uti vos moneo, ac jubeo.

Nec ſolum mœroris cauſa, ac luctus abſtinebant ab unctionibus veteres; verum etiam mœrorem deponentes, unguentorum, oleorumque aromatibus conditorum uſum repetebant: ut jam un-
F guenta reaſſumpſiſſe, mœroris ac luctus jam ſepoſiti nota forent. adeò ut ſervi etiam poſt verbera, ad deponendum mœrorem, balnea, & unguenta peterent. Locus eſt apud Plutarch. in libro qui inſcribitur: *Non poſſe ſuav. vivi ſecun. Epi.* rejiciens enim Epicuri, & Metrodori ſententiam, qui beatitudinem in fuga mali collocabant. ita de hoc ait: *Ἐπίκουρος ἡγεῖται, ϗ Μητρόδωρος, οὐσίαν τ' ἀγαθοῦ,*

καὶ ἀκρότητα τὴν τοῦ κακοῦ φυγὴν τιθέμενοι, καὶ χαίροντες ἀνδραπόδων τινὰ χαρὰν ἢ δεσμίων ἐξ εἰργμοῦ λυθέντων, ἀσμένως ἀλειψαμένων, καὶ ἀπολουσαμένων μετ᾽ αἰκίας, καὶ μάστιγας, ἐλευθέρας δὲ, καὶ καθαρᾶς, καὶ ἀμιγοῦς, καὶ ἀπουλωτίστου χαρᾶς ἀγεύστων, καὶ ἀθεάτων. hoc eſt: *Epicurus erravit & Metrodorus, eſſentiam & ſummum gradum boni, fugam mali conſtituentes: gaudiumque gaudentes mancipiorum quoddam, aut captivorum, qui è vinculis ſint dimiſſi; qui poſt contumelias & verbera, unguntur, & lavantur; cum quidem liberalem, puram, ſinceramque, & vibicum expertem lætitiam, neque deguſtaverint unquam, neque ſpectaverint.* Quibus planè verbis non ſolum Plutarchus noſter, ſervos lætitiæ cauſa ad unguenta confugiſſe oſtendit; verum etiam huic voluptuariæ ſervorum lætitiæ, quam ingenuorum indignam exiſtimat, puram iſtorum, & ſinceram opponit. nobis tamen ſit ſatis ex hoc loco, lætitiæ cauſa ſervos etiam ad unguenta confugiſſe.

Uſus etiam unguentorum, ac oleorum tam apertam gaudiorum notam præ ſe ferebat; ut lautiſſimos quoſque dies, ac ſolemniora gaudia non niſi oleis, atque unguentis veteres, non ſolum Iſraëlitæ, ſed aliæ etiam gentes potirentur. Locus erit ex Plauto in Bacchid. apud quem duæ meretriculæ, diu jam mœrore fatigatos ſenes, quos ad gaudia fruenda invitant; his verbis alloquuntur. Bacch.

I hac mecum intrò, ubi ſit tibi lepide victibus,
Vino atque unguentis; ſatis jam, ſatis vos triſtes.

Nobis de varia lectione loci hujus, cum Lipſio, Pareo, & Taubmanno diſputandum non eſt, ſed ipſis dimittenda: ſatis habemus, Plauti teſtimonio, & muliebri impudentia, à mœrore ad gaudia probaſſe, unguentis, & oleis veteres tranſire ſolitos. Quod etiam ab Hebræis hoc fieri ſoleret, ſacræ literæ aperiunt: ubi enim ſacer textus, Judith mulierem præclariſſimam ad divinam impetrandum clementiam, cilicio contectam, & cinere opertam, ſe coram Domino proſtraviſſe aperuiſſet, cap. 10. ſubintulit: *Surrexit de loco in quo jacuerat proſtrata ad Dominum, vocavitque abram ſuam, & deſcendens in domum ſuam abſtulit à ſe cilicium, & exuit ſe veſtimentis viduitatis ſuæ, & lavit corpus ſuum, & unxit ſe myro optimo.* Hæc ibi ſacer textus, ubi Judith à corporeis afflictionibus, & carnis maceratione in qua pœnitentiæ, ac placandi numinis cauſa ad illam uſque diem jacuerat, ad ſimulata gaudia, unctionibus ſe aptavit: ut laſcivientem Holofernem ſine caſtiſſimi ſui animi labe, ad gloriam divinæ omnipotentiæ, ſuique Iſraëlitici populi honorem, deciperet. David quoque ſimile quidpiam feciſſe legitur cap. 12. Reg. 2. ægrotabat enim infantulus, quem illi ex adulterino conceptu Betſabea pepererat: triſtabatur Rex de pueruli morbo; pro ſalute illius Dominum, quem offenſum noverat deprecabatur; Rex à numine nequaquam exauditur, mortuus eſt puer. timebant ſervi hoc Regi aperire; ne magis, ac magis Rex triſtaretur, ac mœrore conficeretur: verum ſtatim ac mortuum puerum David novit, à luctu ſurrexit; luctum, ac triſtitiam ſe rejeciſſe ut aperiret, unctus eſt. *Num mortuus eſt puer?* inquit David, *qui reſponderunt ei, mortuus eſt. Surrexit ergo David de terra, & lotus, unctusque eſt, cumque mutaſſet veſtem, ingreſſus eſt domum Domini, & adoravit.*

Cumque olei Suſini frequentiſſimus eſſet illa ætate uſus, apud quoſcumque Iſraëlitas; (quod præſtantiſſimum putaretur, ut jam in ſuperioribus oſtenſum fuit) & in conviviis, nuptiis, purificationibus, & alia quacumque de cauſa; ad hilaritatem oſtendendam, oleo, ac unguento uterentur: licet alia plurima eſſent unguentorum genera, quibus pariter ungebantur nuptiarum, & conviviorum occa-

A ſione; antonomaſia nihilominus quadam, hoc cum primis, oleum gaudii, & oleum lætitiæ dictum fuiſſe exiſtimamus. Ad quem frequentiſſimum uſum reſpicientes Septuaginta Interpretes, quos noſter ſequutus eſt vulgatus, potius quam ad ſonum verborum, non oleum Suſinum, ſed lætitiæ hoc genus unguenti appellarunt, dicentes: ἠγάπησας δικαιοσύνην, καὶ ἐμίσησας ἀνομίαν, διὰ τοῦτο ἔχρισέ σε ὁ Θεὸς ὁ Θεός σου ἔλαιον ἀγαλλιάσεως παρὰ τοὺς μετόχους σου. hoc eſt, *Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem, propter hoc unxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis*, ideſt inter eos, qui tecum partem habent; inter juſtos nimirum, & Deo gratos, ipſe unus oleo,
B quo reliquæ creaturæ cœlorum gaudia potiri poſſent, unctus fuiſti. Similiter cap. 61. Iſaiæ, ut indigitaret Propheta, quam maximum gaudium Angelis, & hominibus Meſſias allaturus eſſet in Mundo, ſuorum meritorum excellentia, ac dignitate; triſtioribus opponit hoc oleum Suſinum, quod gaudii ab interprete eſt appellatum, dicens: *Ut ponerem fortitudinem lugentibus Sion, & darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu.* Hac enim ratione, ab uſu petita ratio nominis in oleo, de quo Propheta loquebatur, aperta, & perſpicua fiebat.

Ut verò cuncta dilucidè expediantur: quinam apud Hebræos dies lætitiæ appellarentur, verbis luculentioribus, & pluribus ex ſacris literis aperien-
C dum erit. inde enim, me judice, facillimè olei lætitiæ uſus, nominiſque ejuſdem ratio, manifeſta erunt. has verò dum evolvimns ſacras literas, nuptiarum, conviviorumque dies, lætitiæ, ac gaudii appellatos, ſacra tradidiſſe comperimus oracula. Conviviorum dies eo nomine inſignitos in lib. Eſther legitur; ubi Mardochæus ob liberatum ab univerſali cæde populum Hebræorum, quem Amanus in toto Perſarum Regno trucidandum juſſerat; diem feſtum indixit: qua occaſione dies convivii, lætitiæ dies appellatos accepimus. Sic enim legimus: *Et revertente ſemper anno ſolemni celebrarent honore, eſſentque*
D *dies iſti epularum, atque lætitiæ.* ita ibi. Ubi epulis, lætitiæ connectuntur, ut epularum dies; lætitiæ dies dicendos fore manifeſtum fieret. Quapropter quibuſcumque in regionibus, & apud quaſcunque nationes, uſu receptum ſemper fuit antiquis illis temporibus; nullam dari lætitiæ, aut gaudendi occaſionem, abſque epulo: nec epulum ſine lætitia cordis, animique alacritate: & denique epulum ac lætitiæ dies unctiones & ungenta comitabantur.

Eo pariter nomine nuptialia feſta, lætitiæ dies appellata fuiſſe ex cap. 3. Cant. liquido conſtat. Sacra enim Sponſa Hieroſolymitanas adoleſcentulas monet,
E ut Regem Salomonem in diademate, & corona nuptiali contueantur; hunc autem nuptiarum diem, lætitiæ diem appellavit textus ſacer his verbis: *Egredimini & videte filiæ Sion, Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater ſua, in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis ſui.* Quo certè in loco, nemo eſt, qui non videat, dies nuptiales non tantum dies lætitiæ appellatos, quin etiam dies lætitiæ cordis, hoc eſt ſummæ, maximæque lætitiæ. Eodem pariter vocabulo appellari in ſacris literis dies feriatos, feſtorum de cauſa inſtitutos, conviviorum occaſione, manifeſtum eſt ex cap. 5. lib. 2. Paralip. & cap. 8. lib. 3. Reg. in quibus de dedicatione Salomonici templi
F agitur; & dies illos, dies lætitiæ ſacer appellat textus: quapropter & nobis merito licet conjectari, quod oleum iſtud Suſinum, ſeu liliaceum velimus illud dicere, quod præſtantiſſimis, pretioſiſſimiſque aromatibus condiebatur; eo ſeculo, lætitiæ oleum dictum fuiſſe ex antonomaſia & excellentia, ab occaſione uſus vocabulo ſumpto: ad quem uſum Septuaginta interpretes, & cum his noſter vulgatus reſpexit in illo vocabulo, quod nimirum illo oleo Hebræi,

tunc

tunc ad quæcumque ſacra, etiam nuptialia de more corrupti ſeculi uterentur.

CAP. XXX.

Balnei aqua uti ſanitatis putabatur; & amicitiæ ac fidei ſymbolum habebat.

Ad loca Gen. 18. *Et dixit, Domine ſi inveni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas ſervum tuum, ſed afferam pauxillum aquæ, & lavate pedes veſtros, & requieſcite ſub arbore.* Act. 8. *Et juſſit ſtare currum, & deſcenderunt uterque in aquam, & baptizavit eum.* Joan. 2. *Ego debeo à te baptizari, & tu venis ad me? Sine modo, ſic enim oportet nos implere omnem juſtitiam.* Et ad alia plura loca.

UNGUENTORUM, ac oleorum uſum tollendum omninò ab illo ſeculo, in quo legales purificationes ex lege debebantur; aut exprobrandum veteribus illis, nequaquam putemus. Unguentis enim, ac oleis conditis in balneis licitè utebantur; nec minori ratione ad exercitationes in lucta, in conviviis quoque his modeſtè uti, & ſanitatis gratia, minimè vetabatur. Balneorum uſum purificationum gratia introductum arbitramur; ex lege enim Moſaica id conſtitutum cum eſſet apud Iſraëlitas; ut nimirum impuri nequaquam numen adirent, orationis ac ſacrificii de cauſa; balnea quoque frequentare Iſraëlitæ cogebantur. quia verò præter rationem culta Religio, facile in ſuperſtitionem dilabitur; quæ Religionis erant, voluptati dedere illius corruptæ ætatis homines; ut voluptatibus addicti inter ipſas voluptates, Deum, Deosque colere putarentur.

De balneis nobis agendum non erit. Andreæ Bacio has partes relinquimus: qui perdoctè quidem de his egit: nobis verò in balneis tantum commorandum erit; quantum ad unctiones & unguenta pertractanda neceſſe fuerit. In his enim adeò ſtudioſi fuerunt veteres; ut præcipua ornamenta urbium cenſerentur balnea: quamobrem inter publica ædificia, quæ & publico uſui erant, & ex publico ærario ad ornatum civitatum conſtruebantur; balnea recenſebantur. de qua re eſt epiſtola 25. apud Plin. lib. 10. in qua de Pruſenſium balneo agit. ſcribens enim ad Trajanum: *Pruſenſes, Domine, balneum habent*, inquit, *& ſordidum & vetus; id itaque indulgentia tua reſtituere deſiderant.* & infra: *Deinde, quam ipſi*, ſupple pecuniam, *erogare in oleum ſoliti, parati ſunt in opus balnei conferre, quod alioqui & dignitas civitatis, & ſeculi tui nitor poſtulat.* Epiſt. etiam 41. meminit Plinius balnei Claudiopolitanorum, quod minus apto loco conſtrueretur, ſibique tanquam Provinciæ Proconſuli, architectum mitti à Trajano poſtulat, ut de loco opportuniori conſulat; dicens: *Claudiopolitani quoque in depreſſo loco, imminente etiam monte, ingens balneum defodiunt, magis quam ædificant, & quidem ex ea pecunia, quam libenter addunt beneficio tuo, aut jam obtulerunt ob introitum, aut nobis exigentibus conferent.* Quamobrem æternitati commendabantur, qui balnea non ſolum ædificaſſent, verum etiam reſtauraſſent. Eſt de hac re lapis apud Manut. in dict. Fœdare, hac verborum forma,

FLAVIVS. PHILIPPVS. VIR. CLARISSIMVS
PRÆFECTVS. VRBI. NYMPHÆVM. SORDIVM
SQVALORE. FOEDATVM. ET. MARMORVM
NVDITATE. DEFORME. AD. CVLTVM
PRISTINVM. REVOCAVIT

A Tanto equidem balneorum ſtudio veteres tenebantur, ut picturis, præſtantiſſimis ſtructuris, lapidibus pretioſis è longinquo petitis, balnea ornare curarent diligentiſſimè. Inde illud Papinii noſtri de balneis Hetruſci lib. 1. Sylvar. loquens de præſtantia lapidum in ſtructura ædificii.

Non huc admiſſæ Thaſos, aut undoſa Cariſtos,
Mœret onyx longè, queriturque excluſus ophites,
Sola nitet flavis Nomadum deciſa metallis
Purpura, ſola cavo Phrygiæ quam Synados antro
Ipſe cruentavit maculis lucentibus Atys:
B *Quaſque Tyrus niveas ſecat, & Sidonia rupes.*

Ubi Poëta noſter varias enumerat gemmarum ſpecies, quibus balnea Hetruſci decorabantur. quæ quidem ſuo decore ac ſtructura rapuerunt etiam Martialem, ut de eiſdem balneis ipſe quoque lib. 6. nu. 42. dixerit:

Illic Taygeti virent metalla,
Et certant vario decore ſaxa,
Quæ Phryx, & Libys altius cæcidit,
Siccos pinguis onyx anhelat æſtus,
Et flamma tenui calent Ophitæ.

Verum ubi cuncta deeſſent antiquorum ſcriptorum C teſtimonia, Thermarum Diocletiani auguſtiſſimum ædificium ſuis ruinis, quantum veteres ſtuduerint in his balneis, apertè oſtendit. Quamvis verò multa de his dici poſſent; dimittenda duximus; hæcque claudenda hoc elegantiſſimo Cyri diſticho de balneo Byzantino.

Κύπρις σὺν χαρίτεσι καὶ υἱεῖ χρυσοβελέμνῳ
Ἐνθάδε λουσαμένη μισθὸν ἔδωκε χάριν.

id eſt,

Cypris cum gratiis, & filio aurea tela habente;
Hîc lavans pretium dedit venuſtatem.

D Meritò igitur literatis quoque lapidibus commendantur non ſolum qui populo balnea ædificaſſent, & reſtauraſſent; ſed etiam qui aliquo modo præſtitiſſent. Eſt lapis Manutianus in dictione Balneum hac verborum forma.

L. CLVVIANIVS. L. F. ANI
CILO
BALNEVM. ET. AQVAS. DEDIT

Commendantur etiam ibidem non ſolum qui balneum, & aquas dediſſent; ſed etiam qui proventus deſtinaſſent, ut ad balneorum uſum miniſtri adeſſent, E his qui illò ablutionis cauſa adveniſſent. cujus lapidis hæc ſunt verba.

TERENTIA. Q. F. POSTHVMINA
SIBI. ET. C. VETVRI. IVCVMO
NIS. VIRI. SVI. ET. C. VETVRI. C.
F. POSTHVMINI. F. SVI. NOMINE
BALNEVM. ET. LAVATIONEM
SOLO. PRIVATO. GRATVITAM
IN. PERPETVOM. DEDIT

F Dicebatur enim gratuita lavatio, ad quam nulla ſoluta mercede balneatori, homines admittebantur: quæ lavatio cum perpetuo legata fuerit in noſtro lapide; perſpicuum eſt Terentiam hanc, quæ in lapide celebratur, cujuſque memoria æternitati commendatur; unacum lavatione in balneo; ſervos quoque eidem adlegaſſe, proventuſque adſignaſſe; quibus & viri illi ſuſtentarentur, & alii, his mortuis

balnei miniſterio adſcriberentur. Nec mirum quod adeò commendentur, qui balnea conſtruxiſſent, populoque aquam in ablutionum uſum dediſſent: nec enim tantum Urbi ornandæ, ſed etiam publicæ ſaluti conſuluiſſe cenſebantur. Utebantur enim veteres balneis, tum corporalis, tum etiam ſpiritualis ſanitatis cauſa: licet poſtmodum ad voluptates balnei uſum tranſtulerint. de uſu ad ſanitatem meminit Clemens Alexan. lib. 3. pædag. cap. 9. *Balnei ergo quatuor ſunt cauſæ*, inquit, *per quas ad ipſum accedimus. vel enim cauſa munditiei, vel caloris, vel ſanitatis, vel poſtremò voluptatis. ſe ergo voluptatis cauſa lavare rejiciendum eſt. ſumendum eſt autem lavacrum, mulieribus quidem mundationis cauſa, & ſanitatis; ſolius autem ſanitatis viris.* hæc ibi Clemens, qui minimè Chriſtianis balneum, corruptiſſimo etiam ſeculo interdixit. Nos verò attendentes ad inſtituta Moſaicæ legis, balneo uti licuiſſe dicemus Iſraëlitis; non ſolum ſanitatis de cauſa, ſed etiam ut homines purificati, & loti, ſacris operam darent.

Sanitatem in uſu balnei prius exquiramus; ut ſacra poſtmodum purificati petamus. nam quod vires feſſæ, balneo refocillarentur, teſtis eſt vox ipſa *balneum.* putatur enim derivari à Græca voce βαλανεῖον, quod balneum ſignificat, & derivatur παρὰ τὸ ἀποβαλεῖν τὰς ἀνίας, id eſt, *à depellendo anxietates.* quam etymologiam Auguſtinus quoque Pater noſter lib. 9. Confeſſionum cap. 12. à doctoribus ſuis ſe accepiſſe teſtatur. ſed & Tullius de his quæ ſunt ad valetudinem neceſſaria, ad Terentiam ſuam ſcribens; ait: *Labrum ſi in balneo non eſt, fac ut ſit.* Plato quoque Dialog. 6. de legibus, de uſu balnei adoleſcentioribus leges præſcripſit, dicens: πανταχῇ δὲ ἐν τοῖς τοιούτοις γυμνάσια χρὴ κατασκευάζειν τούς νέους αὐτοῖς τε καὶ τοῖς γέρουσι, γεροντικὰ λουτρὰ θερμὰ παρέχοντας· ὕλην παρατιθέντας αὔην καὶ ξηρὰν ἄφθονον ἐπ' ὀνήσει, καμνόντων τε νόσοις, καὶ πόνοις τετρυμένα γεωργικοῖς σώματα δεχομένους εὐμαρῶς, ἰατροῦ δὲ ἕξιν μὴ πάνυ σοφοῦ βελτίονα συχνῷ. hoc eſt: *Ubique autem in his gymnaſia juvenes, tam ſibi commoda, quam ſenibus præparent; calidis balneis conſtitutis, & copioſe ſiccis appoſitis lignis; ut & remedium ægrotantibus, & linimen labore defeſſis agricolis benevolè afferatur. quæ ſanè curatio longè melior eſt quam medici parum periti medela.* Illuſtratur ex his Martial. lib. 6. in his quæ ſcripſit ad Oppianum de Hetruſci thermis, dicens:

Hetruſci niſi thermulis laveris,
Illotus morieris, Oppiane.
Nullæ ſic tibi blandientur undæ,
Nec fontes Aponi rudes puellis,
Non mollis Sinueſſa, fervidique
Fluctus Paſſeris, &c.

Poëtam autem ad ſanitatem petendam ex balneo Hetruſci ab Oppiano reſpexiſſe; liquido conſtat, ex enumeratione Patavinorum fontium, & aliarum thermarum, quarum meminere veteres & recentiores ſcriptores, quibusque homines uſi ſunt, non quidem ad voluptates, atque delicias, ſed ad pellendos morbos. Pulchrè etiam illuſtratur Ciceronis locus ex 9. epiſt. fam. 22. Jocans enim ibi Cicero cum Pæto, quod obſcœna modeſtis ſint explicanda verbis: ad verbum *Pedo* cum veniſſet, ait: *Quid ipſa res modo honeſta, modo turpis? ſuppedit flagitium eſt; jam eris nudus in balneo, non reprehendis. habes ſcholam Stoicam*, ὁ σοφὸς εὐθυῤῥήμων ἔσῃ. hæc ibi Cicero. cujus ſenſus anxietatem non minimam pluribus præſtitit, cum enim *Suppedit* componatur ex verbo *Pedo*, quod ſignificat crepitum ventris emittere; flagitium dicere, verbum *Pedo*, inter familiare amicorum conſortium, nemo dubitabit; at in balneo *Suppedit* flagitio caret; quia valetudinis gra-

A tia itur ad balneum; qua etiam de ratione pedere nullum dicit crimen. Corrueret verò Ciceronis ratio, niſi balneo ſalutis ratio concederetur. ex Stoicorum verò ſententia oſtendit Cicero honeſtis verbis obſcœna fore explicanda: ſapientem enim rectè loqui decet. hoc enim ſignificant verba illa græca. Nobis ſatis ſit balnea in ſanitatis uſum probari.

Nam ad laſſitudinem tollendam, viresque refocillandas, balneis uſos veteres, antiquorum ſcripta paſſim prædicant. nam Alexandrum quoque illum Magnum ex pugna jam laſſum illico apud Iſſum ad balneum Darii jam fugati perrexiſſe ſcribit Plutarch. dicens: εὐθὺς οὖν ἀποδυσάμενος τὰ ὅπλα, πρὸς τὸ λουτρὸν ἐβάδιζεν, εἰπὼν, ἴωμεν ἀπολουσάμενοι τὸν ἀπὸ τῆς μάχης ἱδρῶτα τῷ Δαρείου λουτρῷ. hoc eſt, *Ibi confeſtim armis exutis, ad balneum proceſſit, dicens: Eamus ad abluendum Darii balneo contractum ex pugna ſudorem.* Et hoc quidem ex veterum Græcorum inſtituto. nam & Vlyſſes quidem, ac Diomedes apud Homer. Iliad. lib. 10. cum inter tenebras ad caſtra Trojanorum perrexiſſent, ibique pugnando nonnullos interfeciſſent; balneo laſſitudinem atque ſudorem curaſſe ſcribitur ab Homero his verbis:

Αὐτοὶ δ' ἱδρῶ πολλὸν ἀπενίζοντο θαλάσσῃ
Ἐσβάντες, κνήμας τε, ἰδὲ λόφον, ἀμφί τε μηρούς.
Αὐτὰρ ἐπεί σφιν κῦμα θαλάσσης ἱδρῶ πολλὸν,
Νίψεν ἀπὸ χρωτὸς, καὶ ἀνέψυχθεν φίλον ἦτορ,
Ἐς ῥ' ἀσαμίνθους βάντες ἐϋξέστας λούσαντο.

Itaque marina aqua, quod ſudantibus ſalubris exiſtimaretur, prius ſudorem pugna abluerunt; deinde huic adhibuerunt etiam domeſticum balneum, & unctionem, de qua poſtmodum dicemus. ſic enim illa Homeri carmina interpretantur.

Ipſi autem ſudorem multum abluebant mare
Ingreſſi, ſuraſque & collum, circaque femora.
Sed poſtquam ipſis unda maris ſudorem multum
Abluit à corpore, & refecti ſunt dilecto corde,
In labra ingreſſi bene polita, loti ſunt.

Plauti quoque loca plurima perdoctè hoc idem probant. Inde enim illud Plautini Achantii in Mercat. act. 1. ſcen. 2.

Numquam ædepol omnes balneæ mihi hanc laſſitudinem eximerent.

Illud quoque Apulei lib. 5. Metamorph. facit ad rem hanc: *Prohinc cubiculo te refer*, dixere Gratiæ inviſibiliter Pſychem alloquentes, quam ſibi Cupido ſponſam deſtinarat, *& lectulo laſſitudinem refove; & ex arbitrio lavacrum pete. nos quarum voces accipis, tuæ famulæ, ſedulo tibi præminiſtrabimus; nec corpore curato tibi regales epulæ morabuntur.* ut nimirum curata jam corporis laſſitudine Pſyches cœnatum iret. Quamobrem in eadem ſententia Artemidor. Daldian. lib. 1. Oneirocriti cap. 66. dicebat: ἀλλὰ ἢ πόλεμον καταστρεψάμενοι, ἢ μεγάλου παυσάμενοι πόνου λούοντο· ἦν οὖν αὐτοῖς ὑπόμνημα πόνου ἢ πολέμου τὸ βαλανεῖον δὲ καὶ τὸ λούεσθαι, νῦν δὲ οἱ μὲν οὐ πρότερον ἐσθίουσιν εἰ μὴ λούσαιντο. hoc eſt, *Sed aut à bello reverſi, aut magno labore tranſacto digreſſi lavabantur. Erat igitur iis balneum, laboris, aut belli monimentum, ſicut & ipſum lavari; nunc verò alii non prius edunt quam laverint.* hæc ibi Artemidorus, quibus aperit uſum balnei, laſſitudinis tollendæ, morborumque pellendorum cauſa.

Quod verò dicitur apud Apul. de cura corporis, non tam ad valetudinem, quam ad munditiam referas; quam quidem diligentiſſimè ex lege, immo ante legem, curabant Hebræi; apud quos ab antiquiſſimis uſque ſeculis ad laſſitudinem tollendam balnei

nei uſum comperimus. Ex his enim illuſtratur Geneſ. 18. Abraham invitante Angelos ſub ſpecie peregrinorum, ut ſecum conviverent; ſed non niſi poſtquam abluti fuiſſent. *Domine*, ait textus, *ſi inveni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas ſervum tuum: ſed afferam pauxillum aquæ, & lavate pedes veſtros.* ubi licet ſermo ſit de pedum ablutione; quia tamen hæc totius corporis ablutionem præveniebat; nunquam ad pedum lotionem peregrinos invitaſſet Abraham; niſi illos vel jam totos lotos exiſtimaſſet; quod credendum minimè eſt de peregrinis; vel in deſerto una cum lotione pedum in cœnaculo præſtanda, præſtare pariter cenſuiſſet, (quod verius eſt) balneum, ad ablutionem totius corporis: quo & ipſe Abraham purificationum gratia uti par erat: niſi putare velimus Abraham illotum ſacra feciſſe; quod nefas eſſet dicere. Nec enim immerito ſacer textus horam indigitavit, qua hæc contigerunt, dicens: *Apparuit autem ei Dominus in convalle Mambre, ſedenti in oſtio tabernaculi in ipſo fervore diei.* Eſt autem fervor diei, me judice, hora pomeridiana, nimirum poſt ſextam, & circa ſeptimam. duodecim enim horis dies tota diſtinguebatur: quamobrem fervorem merito poſt ſextam accipiendum duximus. quæ quidem erat balnei hora apud veteres. hinc illud poëtæ Græci in Epigrammat. lib. 4. cap. 12.

> *Ἀθάνατοι λούονται ἀναγομένου βαλανείου,*
> *Πέμπτῃ δ' ἡμίθεοι, μετέπειτα δὲ ἤματι πάντες.*

hoc eſt,

> *Immortales lavantur aperto balneo,*
> *Hora quinta ſemidei, reliqua verò diei omnes.*

Itaque diei hora ſexta, nimirum in meridie, vel paulo poſt, uti balneis licebat. hoc verò prævenire tempus, hominis laſcivioris, molliorisque erat ingenii. nam licet in ipſa balnei apertione iis, ut loquamur cum Poëta, liceret ad balnea ingredi, nimirum Regibus, atque Principibus ſummis, heroibus quoque hora quinta; non tamen id reliquis permittebatur. inde Juven. ſatyr. 11. in fine, dixit:

> . . . . *jam nunc in balnea ſalva*
> *Fronte licet vadas, quamquam ſolida hora ſuperſit,*
> *A ſexta* . . . .

Ab hora igitur diei pomeridiana, quam ſacer textus de induſtria declaravit, cum invitaverit Abraham Angelos, qui peregrinorum ſpecie illum adierunt; pedum quoque ablutionem ſuaſit; hæc verò ut videbimus infra, totius corporis balneum, cum prærequireret; non vili argumento conjectare inde liceat, eoſdem ſub peregrino aſpectu balnea quoque intraſſe; ut jam *lavate pedes veſtros*, phraſis eſſet illius ætatis, invitantis aliquem ad hoſpitium. Quemadmodum etiam dicendum videtur ad caput Gen. 19. Loth eoſdem compellente Angelos, ut ſecum domi cœnarent: *Obſecro Domini, declinate in domum pueri veſtri, & manete ibi: lavate pedes veſtros, & mane proficiſcemini in viam veſtram.* Cœnam verò præiſſe corporis lavacrum, ſequens capitulum aperiet. Fuere enim aquarum ſtudioſiſſimi Hebræi, & balnea præ reliquis nationibus diligentiſſimè frequentavere. quamobrem dixerit Marcus de Phariſæis, quod toties abluebantur, quoties à foro rediiſſent. & Joanne ad Jordanem populum invitando, undique ex vicinis oppidis, ac civitatibus, circumcurſarent populi.

Quærendum igitur ſupereſt; quinam eſſet baptiſmus, quo Joannes homines in pœnitentiam abluebat, & remiſſionem peccatorum. Certum enim eſt

A baptiſmum Joannis nequaquam à peccatis quemquam ſolviſſe: de nomine igitur dubitatur, & quæritur cur baptiſmus pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum diceretur: qui neque peccata remittebat, neque pro commiſſis culpis in earum ſatisfactionem ablueret homines. Non erit in hac re, me judice, immorandum, ſed breviter cenſeo, baptiſmum Joannis, baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum dictum fuiſſe; quod apud Jordanem Judæorum ſcelera ea ratione redargueret, ut ſimul etiam ad legales purificationes eoſdem hortaretur: ac poſt ablutionem, legaleſque purificationes minimè redeundum ad vomitum; aut in eadem prola-

B bendum ſuaderet peccata; quæ jam ſuper Jordanis alveum planxiſſent, ejuſque aquarum virtute legalibus purificationibus, quatenus concedebatur, expiaſſent: ut ea ablutione, atque expiatione peccatorum remiſſionem conſequerentur. Judæi enim illius ætatis Phariſaicam doctrinam, atque inſtituta cum retinerent, quotidie cum purificarentur, quotidie ad eadem crimina redibant; hoc deteſtabatur ſanctiſſimus præcurſor Chriſti. quamobrem cum de præteritis criminibus pœnitentiam minimè agerent, nec aqua abluti phariſaica expiabantur; nec peccatorum remiſſionem conſequebantur, juxta illud Eccle. 34. *Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit*

C *eum, quid proficit lavatio illius?* hoc eſt: quia adierit funus de more, & hac de cauſa immunditia legali fœdatus à ſacris remotus fuerit; ſi tamen lotus, atque purificatus, iterum redierit ad funus; nihil omnino egit, quod iterum immundetur, & à ſacris ſicut antea repellatur. ita qui peccatis ſordidus, expiari deſiderat; & ex inſtitutis Moſaicæ legis aqua purificabatur; ut verè purificetur, doleat de præteritis, caveat poſtmodum à ſceleribus. hoc prædicabat Joannes; hac ratione ad baptiſmum homines admittebat, atque ideò dicebatur prædicare baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum.

Nec ſolum has purificationes legales Joannes ſua-

D debat, hominesque ad peccatorum expiationem hortabatur; verum etiam ipſemet ſuis manibus eoſdem baptizabat; abluebat nimirum, immergebat, & ex aquis levabat. hæc enim verbo βαπτίζω ſignificari perſpicuum eſt. Qui verò ad illum baptiſmi cauſa venientes acceſſiſſent, illotus ipſe in alvei ripa, in ſaxo, aut ſcopulo non excipiebat, aut baptizabat, quemadmodum pictores coloribus contemplandam baptiſmi Joannis hiſtoriam præferunt; (licet hoc ſatis fuiſſet in aquæ, & ablutionis miniſterium) ſed una cum baptizando ipſum quoque Joannem in aquam deſcendere conſueviſſe arbitror ad fi-

E dei, amicitiæque ſymbolum. hæc enim eſt vis illius verbi activi βαπτίζω, nec non etiam paſſivi βαπτίζομαι, *baptizo*, & *baptizor*, *immergo*, & *immergor*. Et pro noſtra conjectura ſtat Lucas Evangeliſta in Act. Apoſtol. cap. 8. ibi enim Philippus Diaconus baptizaturus Eunuchum Reginæ Candacis, una cum illo in aquam deſcendiſſe ſcribitur. *Et juſſit ſtare currum* (ſupple Eunuchus) *& deſcenderunt uterque in aquam*, Philippus nimirum & Eunuchus, *& baptizavit eum.* non igitur illotus quis; ſed lotus & ipſe aqua, alterum baptizabat. quod etiam feciſſe Joannem in alveo Jordanis, ejuſdem verbi energia non obſcurè oſtendit.

F Diximus non ſolum qui baptizabatur, ſed etiam qui baptizabat in aquam deſcendere conſueviſſe. nonne ſatius, ac rationabilius fuiſſet, unumquemque abſque alterius miniſterio in aquam deſcendere? ſive ut is qui alterum baptizabat, manu tantum ablueret illum, qui baptizabatur? aquam nimirum miniſtrando extra alveum ipſe baptizans poſitus. Verumenimvero ita ſanè dicendum videbatur ſpectata ſolummodo aquæ, baptiſmique & ablutionis miniſtratione

tione. Ea tamen erat boni viri alicujus apud veteres ſanctitatis opinio ; ut non ſolum aquam ſanctificari , illius contactu exiſtimaretur ; ſed in ſymbolum fidei , & amicitiæ neceſſarius deſcenſus cenſeretur. quamobrem qui alterum baptizabat, in aquam deſcendebat ; ut aquis ſanctificatis ſuo ipſius contactu , is quoque ſanctificaretur , qui baptizabatur. vetus hoc probat adagium : *A puro pura defluit aqua*, ſumptum ex Theognide in Elegiacis ſententiis dicente :

> εἰ μ' ἐθέλῃς πλύνειν , κεφαλῆς ἀμίαντον κἄκρης
> αἰεὶ λευκὸν ὕδωρ ῥεύσεται ἡμετέρης.

id eſt ,

> *Rurſum aqua de ſummo mihi vertice defluet uſque*
> *Limpida , ſi innocuum forte lavare pares.*

Hoc adagium in hominem uſquequaque inculpatum & innocentem valere affirmat Commentariorum in adagiis auctor. Quod nimirum etiam ſi aliquando quis vocetur in crimen ; tamen illius fama non ſolum minimè contaminatur ; quin potius illuſtrior redditur. quamobrem illum ſi laveris nullatenus aqua ſordeſcet , ſed limpida defluet. Hæc ex ſententia Commentatoris allata ſunt. At ſi quærimus de metaphora ; adagium ſumptum arbitror à conſuetudine deſcendendi in aquam illius , qui baptizabat , cum eo qui baptizabatur ; quamobrem à ſanctiori homine , ſanctiorem haberi credebatur baptiſmum. & is eſt ſenſus certaminis Chriſti Servatoris noſtri , & Joannis de baptiſmo ; dum alter ab altero baptizari poſtulat ; alter alterum baptizare renuit. ut enim Joannes Chriſtum ad Jordanem venientem , ut baptizaretur vidit ; baptizari petiit , veritus Chriſti ſanctitatem. *Ego* , inquit Joannes , *à te debeo baptizari , & tu venis ad me ? Sine modo* , inquit Chriſtus , *ſic enim oportet nos implere omnem juſtitiam*, omnem nimirum ſanctitatem. Quamobrem licet Hieroſolymis, & in quacumque urbe , ac pago quantumvis minimo , innumerabilia forent balnea ad Judæorum legales purificationes, ut nullo labore, juxta legis inſtituta Hebræi purificari poſſent : Joanne tamen , Chriſto, diſcipuliſque illius baptizantibus , undique exibant homines ad Joannem, Chriſtum , & diſcipulos , ut ab illis , nondum adhuc inſtituto baptiſmi ſacramento , baptizarentur. quia à puro pura putabatur defluere aqua ; & à ſanctiori miniſtro , ſanctiorem quoque haberi exiſtimabatur baptiſmum.

Illud etiam quod diximus de amicitiæ , atque fidei ſymbolo minimè prætereundum arbitror : nam eadem aqua in balneo uti , fidei , amicitiæ , atque communionis ſymbolum extitiſſe , probat ille aquæ, ignisque interdictus. Qui enim ſummis ac maximis flagitiis , criminibus , atque ſceleribus adeò tenebantur , ut ab hominum conſortio merito arcerentur ; his ignis , & aqua interdicebatur ex veterum inſtituto ; quod nimirum his duobus elementis homines expiari exiſtimarentur. hæc igitur duo elementa , crimino ſis, quaſi inexpiabilibus tenerentur flagitiis , interdicebantur. Minimè verò ad uſum potus aquam interdici ſolitam putes ; ſed in uſum balnei ; quod hæc ad expiandum criminoſum ex inſtitutis ſacrorum adhiberetur. & ne comminiſci ex capite videamur hunc illius veteris adagii ſenſum , Sophoclis teſtimonium in Oedipo accedet , & pro nobis ſtabit , ubi homicidii auctorem inquirit , dicens :

> *Eum ego virum edico , quicumque eſt, ne quis in terra*
> *Hac , cujus ego Rex ſum*
> *Recipiat , neque in ſermone,*
> *Aut precationibus , aut ſacrificiis*
> *Quidquam commune habeat , neque ſacram aquam illi tribuat,*
> *Sed omnes à domo illum arceant. nam ille homo nobis*
> *Piaculum eſt.*

Igitur de aqua in ablutionis uſum vetus adagium, & interdictum intelligendum erit. Verum ne quis putet ad ſacram tantum aquam, qua ſacra facturi lavabantur homines, vetus adagium atque interdictum referendum ; minimè verò ad communem balnei aquam , pro hac etiam Plutarchi locus ſtabit lib. de invid. & odio, ubi miſerrimam illorum conditionem ſcribit, qui Socratem ſunt calumniati, & ad necem deduxerunt. τούς γοῦν Σωκράτη , *inquit*, συκοφαντήσαντας , ὡς εἰς ἔσχατον κακίας ἐληλακότας, οὕτως ἐμίσησαν οἱ πολῖται, καὶ ἀπεστράφησαν , ὡς μήτε πῦρ αὔειν, μήτε ἀποκρίνεσθαι πυνθανομένοις, μὴ λουομένοις κοινωνεῖν ὕδατος , ἀλλ' ἀναγκάζειν ἐκχεῖν ἐκεῖνο τούς παραχύτας ὡς μεμιασμένον. hoc eſt, *Eos igitur calumniatores Socratis, ut extremè malos ita oderunt ; itaque averſati ſunt cives ; ut neque ignem accenderent*, ſupple eis, *neque interrogantibus reſponderent, neque in balneo aqua lavarentur eadem; ſed qua illi laviſſent; eam tamquam pollutam juberent à miniſtris effundi.* Ut comunes igitur hoſtes, ac ſceleratiores, à communi rejiciebantur aqua ; quod videlicet amicis tantum communem eſſe debere , cenſeretur. quam amicitiam volens Chriſtus ſtabilire penes ſacri Evangelii ſectatores, ſub uno Domino , unaque fide , unum quoque baptiſma inſtituit, ut Paulus docuit. eapropter Servator noſter, (cujus in Baptiſtam amor fuit maximus,) ad fidei & amicitiæ ſymbolum , eadem cum ipſo voluit ablui aqua , ſimulque deſcendere in Jordanem : ſicut etiam Philippus Diaconus, Eunuchum baptizaturus, deſcendendo in aquam, eidem, fidei, & amicitiæ ſymbolum præſtitit ; ut amoris , atque dilectionis notam illi præſtaret expreſſam ; cum quo communicata jam fidei doctrina , balneum pariter commune habere volebat.

CAP. XXXI.

Veteres lotione cœnam præveniebant:

Ad loca Luc. 11. *Et cum loqueretur , rogavit illum quidam Phariſæus , ut pranderet apud ſe : & ingreſſus recubuit: Phariſæus autem cœpit intra ſe reputans dicere , quare non baptizatus eſſet ante prandium.* 2. Reg. 12. *Surrexit ergo David de terra , & lotus, unctusque eſt , petivitque ut ponerent ei panem , & comedit,* Et ad alia plura loca.

VIDIMUS capitulo præcedenti quantum veteres illi balneis ſtuderent: in amicitiæ verò , ac fidei ſymbolum balneo cœnam jungebant; nec prius accumbere conſueverant, quam balneo corpus recreaſſent, atque mundaſſent. paſſim id apud antiquiſſimum legimns Homerum, nam Iliad. lib. 10, Diomedes & Vlyſſes ubi res Trojanas exploraſſent, atque in caſtra ad ſuos rediiſſent.

> Εἰς ῥ' ἀσαμίνθοις βάντες ἐΰξέστας λούσαντο ,
> Τὼ δὲ λοεσσαμένω, καὶ ἀλειψαμένω λίπ' ἐλαίῳ
> Δείπνῳ ἐφιζανέτην.

Dixit Poëta hoc; militiæ ſummos Duces, Græcorumque primarios viros , nequaquam cœnatum iviſſe prius , quam balneo corpus recreaſſent. ſic enim carmina allata interpretantur :

In

In balnea euntes bene fabricata loti ſunt,
Hi autem loti, & uncti pingui oleo
Cœnatum iverunt.

Sic etiam apud eumdem lib. 3. Odyſſ. Telemachus à Neſtore exceptus hoſpitio, in cœnaculum non prius admittitur, menſæ cauſa, quam in balneo corporis mundandi rationem habuiſſet de more illius ſeculi. ſic ille de his ſcripſit:

ἐκ ῥ᾽ ἀσαμίνθου βῆ δέμας ἀθανάτοισιν ὁμοῖος,
Πὰρ δ᾽ ἄρα Νέςορ᾽ ἰὼν καὶ ἄρ᾽ ἕζετο ποιμένι λαῶν.

hoc eſt,

Ex balneo exivit corpore immortalibus ſimilis.
Apud autem Neſtorem ſedit paſtorem populorum.

Accubuit videlicet apud Regem Neſtorem, qui jam cœnaculi ac menſæ priorem occupaverat ſedem. Illud idem legimus apud eumdem lib. 8. Odyſſ. Vlyſſe ab Areta hoſpitio excepto, opiparoque convivio recreato. ratio enim balnei & lavacri uſus adeò cœnæ jungebatur apud veteres; ut in ratione victus, atque humanitatis quæ hoſpitibus debebatur, putaretur defeciſſe is, qui aliquem ad convivium, & ad cœnam admiſiſſet, non præſtito ante lavacro: quamobrem nullibi apud priſcos auctores inſtructum convivium legere, ferè contingit; cui lotio deſit. Apuleji locus lib. 4. Metamorph. hoc plenè ſuadet. quorumdam enim ſicariorum à latrociniis, ad propria reditus in eo loco ſcribitur; quorum tabernacula in aſperis, ac deſertis locis erant conſtituta; ubi à turbis, ac populis inſequentibus, aut ab armato milite turbari minimè ſceleratiſſimi homines poſſent. hos ibi anus quædam eorumdem ancilla, menſa jam inſtructa, atque appoſita cœna, his verbis alloquitur. *At vobis fortiſſimi, fideliſſimique mei hoſpitatores juvenes, affatim cuncta ſuavi ſapore percocta pulmenta præſto ſunt. panis numeroſus, vinum probe calicibus effricatis affluenter immiſſum, & ex more calida tumultuario lavacro veſtro præparata;* ſtatim cœnandorum etiam in balneo ingreſſum his verbis apertius proſequitur. *In fine ſermonis hujus ſtatim ſeſe deveſtiunt, nudatique, & flammæ largiſſimæ vapore recreati, calidaque perfuſi, & oleo peruncti ad menſas dapibus largiter inſtructas accumbunt.* hæc Apulejus: apud quem illa verba, *ex more*, prætereunda minimè erunt. his enim admonemur, ſicarios illos ex conſuetudine infeliciſſimi illius ſeculi laviſſe prius, quam ad cœnam accumberent.

Quid multa? tantæ neceſſitatis lotione prævenire cœnam ab illis exiſtimabatur: ut ne quidem in arctiſſimis locis lavacro carere vellent; nec enim illi tantum, qui primi ad cœnam accubuere apud Apulejum; ſed & alii flagitioſiſſimi homines, qui eosdem ſunt ſubſequuti, lavacro denique recreari, priuſquam accumberent, curarunt. de quibus ſic ille: *Commodum cubuerant*, ſupple priores, *& ecce quidem longè plures numero juvenes cum adveniſſent.* Et infra: *Hi ſimili lavacro refoti inter choros ſociorum ſeſe reponunt.* Accubuerant jam ſocii, inter epulas jam verſabantur; hi quoque cum illis cœnaturi accedebant; illoti tamen cœnare adeò verebantur; ut anum illam propterea inſultarent; quod lavacrum procœnium, minus præſto putarent.

Tanta autem in balneo, ac lotione voluptate capiebantur veteres illi mandones; ut ibi partem diei inſumere, atque carmina recitando, vel audiendo detineri minimè vererentur. hinc illud Juvenalis Satyr. 7. irridentis vanitatem illorum, qui ſuperfluam pædagogorum doctrinam expetebant, in pueris inſtruendis; ſtudendo nimirum ut pueri memoriæ mandarent carmina Poëtarum, veterumque hiſtorias, ut illas in balneo conſidentibus recitarent. ſic enim ille de his:

Vt legat hiſtorias, auctores noverit omnes,
Tanquam ungues, digitosque ſuos, ut forte rogatus
Dum petit aut thermas, aut Phœbi balnea, dicat
Nutricem Anchiſæ: &c.

Sicque balneo, luxu, inter pueros, & mulieres, cœnam præirent; necnon etiam inter pocula, atque eſcas, perſuaſi à Medicis, quod cibi in ventriculo balnei calore concoquerentur; ſaturi jam, balneum repetere conſueverint; ut iterum ad cœnam, ciborum voluptate capti redirent. tangit hoc Artemidor. lib. 1. cap. 16. dicens: οἱ μὲν οὐ πρότερον ἐσθίουσιν, εἰ μὴ λούσαντες; οἱ δὲ καὶ ἐμφάγοντες, ideſt, *Alii non ante cibum capiunt, quam laverint; alii autem & a cibo*, nimirum poſtquam comederint. Plutarchus quoque lib. de curanda valetudine, voluptarios illius ætatis irridens, dicebat: οἱ μὲν ὑπό λαιμαργίας, καὶ φιληδονίας ἐμβάλλουσιν ἑαυτοὺς ἐπὶ τά βαλανεῖα, καὶ σπεύδουσιν ἐπὶ τὰς προπόσεις. ideſt, *Alii gulæ, & deliciarum cauſa projiciunt ſeipſo in balneas, feſtinantque ad eſcas*, nimirum ad repotia. de repotiis autem intelligi patet, cum ſubjungit: ἀπέψιαν, καὶ βαρύτητα, καὶ πλησμονὴν σώματος, εἰς βαλανεῖον ἑλκομένου. ideſt, *Cruditatem, gravitatem, oppletione corporis pertracti in balneum*, ut nimirum digerant cibum, quem manderunt. quod damnans Perſius Satyr. 3. dicebat:

Turgidus hic epulis, atque albo ventre lavatur,
Gutture ſulphureas lente exhalante mephites.

Horatius quoque epiſt. 6. dicebat:

Crudi, tumidique lavemur.

Juvenalis pariter in eadem ſententia, gulæ voluptatem in mandonibus illis dedignans dicebat Sat. 1.

Sed qui ferat iſtas
Luxuriæ ſordes, quanta eſt gula, quæ ſibi totos
Ponit apros, animal propter convivia natum.
Pœna tamen præſens cum tu deponis amictus
Turgidus, & crudum pavonem in balnea portas.

Crudum pavonem dixit, pro non digeſto pavone: quod videlicet inconcocto cibo, ad repotia properantes, eſcarum voluptate capti, balneum repeterent. Quamvis verò hæc balnei repetitio ſolum penes voluptarios uſu veniſſet; ablui tamem cum quis accubiturus eſſet, neceſſarium ex conſuetudine ab illis cenſebatur. quæ quidem conſuetudo pro natura adeò inoleviſſe exiſtimabatur; ut non lotum cœnare, ſummum putaretur nefas. Quamobrem quod aliquando Chriſtus ad phariſaicam ſuperſtitionem reprehendendam, illotus accubuiſſet, ſcandalo fuit cuidam Phariſæo, qui illum ad prandium invitaverat, ut dicitur Luc. 11. *Et cum loqueretur*, inquit Evangeliſta, *rogavit illum quidam Phariſæus, ut pranderet apud ſe; & ingreſſus recubuit; Phariſæus autem cœpit intra ſe reputans dicere: Quare non baptizatus eſſet ante prandium.* Nec enim illotum recumbere Phariſæo ſcandalum fuiſſet; niſi conſuetudo illius ætatis lavacrum ante prandium, quaſi gentium jure debitum, poſtulaſſet.

Verum à ſacris ex munere non recedamus. Fuere enim Judæi in his religioſiſſimi. nam lib. 2. Reg. cap. 12. Sanctus Rex David jejuniis, ac carnis maceratione ſeipſum affligebat, Deumque omnipotentem deprecabatur; ut puerulo qui ex adulterio Betſabeæ ei natus fuerat; ſalutem & vitam libens concederet. ubi verò pueruli mors ſibi renuntiata fuit; ut quam libens, divino placito ſe conformaret, palam oſtenderet; luctu, mœroreque depoſito, cœnare conſtituit. at non prius cœnaculum ingredi, menſamque petere auſus eſt; quam de more ablueretur. ſic enim legitur: *Surrexit ergo David de terra, & lotus, unctus-*

unctusque eſt: petivitque ut ponerent ei panem, & comedit. hæc ibi. ubi panis nomine convivium optimè inſtructum ſignificari, ex ſacræ Scripturæ phraſi perſpicuum ſit; inde manifeſtè colligitur, quam religiosè balneum, & lavacrum, cœnæ apud Hebræos jungeretur. Hæc verò tanta Hebræorum religio in ſuperſtitionem prolapſa jam erat, cum Servator noſter in terris viſibiliter converſaretur. quamobrem dicitur Marc. 7 *Phariſæi enim & omnes Judæi, niſi crebro laverint manus, non manducant; tenentes traditionem ſeniorum, & à foro, niſi baptizentur, non comedunt.* Quo in loco quidam adnotarunt; ideò Evangeliſtam uſum fuiſſe Græco verbo βαπτίζεσθαι, non νίπτεσθαι, ut ſignificaret totos conſueviſſe, cum è foro redibant, in aquam immergi; ne quid in corpore immunditiæ remaneret. id enim verbo Græco baptizandi declaratur; ubi Maldonatus ait: *Magis non improbo, quam probo.* Verum probaſſet quidem illam illius loci interpretationem Maldonatus, veterum conſuetudinem ſi agnoviſſet, qui toti, ut jam diximus, abluebantur; quoties cœnaturi fuiſſent. De purificationibus verò, & ablutionibus, ſacrificiorum præludiis, undique ſcatent ſacra oracula, cum primis in lib. Levit. & Exodi, Numerorum, ac Deuteronomii, in quibus illoti ubique à ſacris arcentur. capitis etiam illata ſententia in tranſgreſſores. pro his loca congerere non eſt opus.

CAP. XXXII.

Aquam luſtralem purificationis cauſa Servatorem noſtrum frequentaſſe oſtenditur.

Ad loca Levit. 22. *Qui tangit reptile, & quodlibet immundum, cujus contactus eſt ſordidus, immundus erit uſque ad veſperum.* Num. 19. *Quicquid tetigerit immundus, immundum faciet, & anima quæ horum quippiam tetigerit, immunda erit uſque ad veſperum.* Luc. 7. *Hic, ſi eſſet Propheta, ſciret utique quæ, & qualis eſt mulier quæ tangit eum.* Joan. *Noli me tangere, quia mundus ſum.* Et ad alia plura loca.

PLurima nos attuliſſe conſtat ex ſacris, & prophanis literis, quibus uſus ablutionis, veluti ſacrorum, ac cœnæ præludium probabatur; reliquum eſt conſiderare, num & Chriſtus Servator noſter lotionibus, balneo, atque purificationibus legalibus, de more illius ſeculi uſus fuerit. nemo quod ſciverim, iſta ſubodoravit. plurimi, ut arbitror, partem negantem tueri tentabunt. decoris, modeſtiæ, pudoriſque Chriſti, habita apparenti quadam ratione. Verum his nequaquam moveor, quin potius ab his conſuetudinibus minimè abſtinuiſſe Servatorem noſtrum exiſtimem. Etenim balneo uſum Servatorem, ratio obſervantiæ Moſaicæ legis, quam profitebatur; ſacri quoque codices in novo Teſtamento aperiunt. & quamvis his noſtris temporibus, quando lavacri uſus in deſuetudinem abiit; dedecus in pudiciſſimo filio Dei, uſus iſte præ ſe ferre videatur; minimè tamen hæc à pudicitia, & honeſtate filii Dei erunt aliena; ſi exemplaria ſacra Moſaicæ legis pervolverimus; atque in his diſtinctionem mundorum hominum, ab his, qui erant immundi, agnoverimus. Immundabantur equidem homines non tantum alicujus rei immundæ uſu; ſed ſolo illarum contactu, ſtercoris nimirum, aut cadaveris cujuſcumque animalis, ſive eorum, quæ ad funus pertinebant; ut dicitur Levit. 22. *Qui tangit reptile, & quodlibet immundum, cujus contactus eſt ſordidus, immundus erit uſque ad veſperum.* etiam
A contactu hominis immundabantur, qui ob ſaniem, lepram, aut quamcumque plagulam, ab aliis ſecerneretur, ſive etiam involuntario ſeminis fluxu laboraret. quamobrem dicitur Levit. 22. *Qui tetigerit immundum ſuper mortuo, & ex quo egreditur ſemen quaſi coitus, immundus erit uſque ad veſperum.* Contactu quoque mulieris, quæ vel eiſdem laboraret infirmitatibus, vel etiam menſtruo afficeretur ſanguine, immundabantur. quamobrem Levit. 18. dicitur: *Ad mulierem quæ patitur menſtrua, non accedes, nec revelabis fœditatem ejus.* & infra ſubintulit: *Nec polluamini in his omnibus, in quibus contaminatæ ſunt univerſæ gentes.* Nec ſolum his ſed etiam immun-
B dabantur quocumque minimo contactu rei alicujus, aut perſonæ, quam immundus aliquis contigiſſet; etiamſi caſu hoc aut fortuito, libens, aut nolens illa contrectaſſet. quacumque enim de ratione contactus ille contigiſſet, mundum hominem, immundum reddebat; & à ſacris omnino illum repellebat. Conſperſa ſunt undique exemplaria ſacrorum oraculorum, his regulis, cum primis in lib. Levit. cap. 22. & alibi, ſicuti etiam in lib. Num. 19. in quo regula generalis habetur hac verborum forma: *Quicquid tetigerit immundus, immundum faciet, & anima quæ horum quidpiam tetigerit, immunda erit uſque ad veſperam.*

C Ab his verò immunditiis purgari homines minimè poterant, niſi balneo, & aqua luſtrali mundarentur. Quamobrem, qui balneum adiiſſet, ut mundaretur, ac templum peteret, vel ſacrorum, vel orationis gratia, depoſitis ibi veſtimentis prioribus, ne contactu eorumdem, quæ immunda erant, iterum immundaretur, ſi eadem reſumpſiſſet, alia aſſumebat; rectaque via neminem attrectando, aut ab aliquo ſe contrectari permittens, templum adibat orationis cauſa, ſacriſque operam dabat. Lux hinc hauritur phariſaico illo tumori toties frequentato, totiesque repetito, ac reprehenſo à Chriſto, *Noli me tangere, quia mundus ſum.* ii etenim, qui lega-
D lem obſervantiam profitebantur; quoties redibant è foro, toties balneum petebant; & lavacro mundabantur. illi ipſi vbi balneum exiſſent, ſeſeque direxiſſent ad Templum; quorumcumque hominum contactum declinabant: illorum cum primis, qui ejuſdem non eſſent ſcholæ: quod ſi quibuſdam occurriſſent, qui illos alloqui vellent, eoſdem à ſe repellebant, dicentes: *Noli me tangere, quia mundus ſum.* ideſt, loquere quæ placent; cave tamen amice, ne propius acceſſeris; aut me pallio, aut manu tangas, neve veſtimentorum extrema ora contrectes; quia ablutus jam mundus incedo, ſacrorum de cauſa. Quod loquendi genus frequens
E erat in ore Phariſæorum; qui legis obſervantiam, & purificationem legalem ſtrictiſſimo rigore profitebantur.

Chriſtum Servatorem noſtrum ſanctiſſimum, ſanctitate eſſentiali extitiſſe, quis dubitabit? ea enim erat vis unionis hypoſtaticæ; ut quem gratia habitualis ſanctum, accidentali ſanctitate conſtituerat; illa ſubſtantiali ſanctitate ſanctum faceret. Quamobrem Servator noſter ſanctiſſimus nulla revera poterat pollui immunditia. certiſſimum id eſt. Verum quantum ad legalem obſervantiam, & Moſaicæ legis decreta, in hominum opinione, utique Chriſtum pollutum fuiſſe, Evangelicæ teſtantur hiſtoriæ: hùc
F enim tendebant Phariſæorum in Chriſtum calumniæ, *Quare cum publicanis, & peccatoribus manducat Magiſter veſter? hic homo peccator eſt*: & ſexcenta alia. Hæc erat radix ſcandali Phariſæi Simonis, qui illum invitaverat ad prandium. Videns enim Chriſtum peccatricis, atque immundæ mulieris contactum nequaquam reſpuiſſe in convivio, ſcandalizabatur: quamobrem dicebat: *Hic ſi eſſet Propheta*, ideſt vir ſanctus

ſanctus & mundus, munditiam quoque legis conſectaretur, *ſciret quæ, & qualis eſt mulier quæ tangit eum, quia peccatrix eſt:* quia nimirum immunda eſt. Cum enim quocumque coitu immundarentur vir & fœmina; & peccatrix eſſet mulier illa in civitate; immundam quoque fuiſſe perſpicuum eſt: inde Phariſæus exiſtimabat nequaquam Chriſtum mulieris peccatricis permiſſurum contactum, ſi peccatricem mulierem cognoviſſet. Ad funera Chriſtum acceſſiſſe, Evangelicæ teſtantur hiſtoriæ, tum quando filiam Archiſynagogi ſuſcitavit, quam manu tenuit; tum quando filium viduæ Naim, necnon etiam Lazarum amicum revocavit ad vitam. Erat enim lex lata Numer. 19. quod qui ingrediebatur domum, in qua aliquis defunctus jaceret, immundus cenſebatur. ſic enim legitur in textu: *Iſta eſt lex hominis, qui moritur in tabernaculo. Omnes qui ingrediuntur tentorium illius, & univerſa vaſa quæ ibi ſunt, polluta erunt ſeptem diebus.* Servatorem igitur quoque pollutum legali immunditia dicendum erit. Ipſum quoque Servatorem noſtrum, ſacrificiorum & orationis cauſa Hieroſolymitanum templum adiiſſe, pluries ſacra oracula affirmant: ut propterea lavacro purificatum, atque mundatum, ex decretis Moſaicæ legis, nequaquam verò aliter illò acceſſiſſe Salvatorem perſpicuum ſit. Nam de purificationibus ſic legimus Num. 19. *Hoc modo mundus luſtrabit immundum tertio & ſeptimo die, expiatusque die ſeptimo lavabit & ſe, & veſtimenta ſua, & immundus erit uſque ad veſperam.* Adeo verò criminoſum erat non lotum expiationis aqua, ſacrum tabernaculum, ſive templum adire, & ad ſacrificia accedere; ut dicatur ibidem: *Si quis hoc ritu expiatus non fuerit, peribit anima illius de medio Eccleſiæ, quia ſanctuarium Domini polluit, & non eſt aqua luſtrationis aſperſus.* Quæ quidem luſtrationes, atque purificationes paſſim repetuntur in libris Moſaicæ legis, commendanturque in hiſtoricis: & apud ſanctos Prophetas negligentes in his, coarguuntur; probantur verò, qui in his purificationibus plurimum ſtuduiſſent.

Quamobrem purificationis jura, quæ ablutionem corporis indicabant, ſervaſſe Chriſtum Dominum, Evangelici codices indigitant. dicebat enim, *Non veni ſolvere legem, ſed adimplere.* & legis quidem obſervantiam ita adamuſſim Chriſtus profitebatur, ut à Moſaicæ legis conſtitutis ne latum quidem unguem diſcederet. Quod ſi ab hoſtibus, atque Chriſti perſecutoribus pro ejus in obſervanda Moſaica lege argumentum ſumere licet; illud certè minimum non erit, quod infenſiſſimi illius perſecutores Scribæ, & Phariſæi, qui Chriſti geſta attendentes, eadem criminari non ceſſabant, vitæque illius inſidiabantur; nunquam, nec etiam coram Pilato legis tranſgreſſionem objecerunt; niſi generali quodam aſtu dicentes: *Hic homo peccator eſt.* & licet paſſim illi objicerent Sabbati violationem, dicentes: *Sabbatum non cuſtodit*, minimè verò quantum ad immunditiam, illi legis tranſgreſſionem objicere auſi ſunt. Argumento etiam ſumpto à purificationibus, & legis munditia, quæ tota, ut diximus, in ablutionibus erat conſtituta, in Actibus Apoſtolorum Paulus ſeipſum à Judæis coràm judice defendit: ſtatuerant enim illum coram Felice Præſide cap. 29. *In hoc & ipſe ſtudeo*, inquit Paulus, *ſine offendiculo conſcientiam habere ad Deum, & ad homines ſemper. poſt annos autem plures eleemoſynas facturus in gentem meam veni, & oblationes, & vota, in quibus invenerunt me purificatum in templo.* hæc ibi. Quam verò adamuſſim legales purificationes etiam poſt Chriſti aſcenſum in cœlum conſectaretur Paulus; legitur ibidem cap. 21. his verbis: *Tunc Paulus aſſumptis viris, poſtera die purificatus cum illis in-*

A *travit in templum, annuntians expletionem dierum purificationis, donec offeretur pro unoquoque eorum oblatio; dum autem ſeptem dies conſummarentur, &c.* Hæc enim erat lex purificationis ex conſtitutis Moſaicæ legis, quoties quis immundus, ſacrificiorum cauſa templum adire vellet ſolemnioribus diebus; præſertim ſi celebrandum fuiſſet Paſcha.

Adeò verò ſtrictè, lege purificationis tenebantur Hebræi in celebratione Paſchæ; ut minimè liceret manducare Paſcha his, qui purificati non fuiſſent. quamobrem cum in Sinai anno ſecundo egreſſionis filiorum Iſraël ex Ægypto, filii Iſraël celebraſſent
B Paſcha; aliqui verò arcerentur ab illius celebratione, quod immundi eſſent cauſa funeris, adiere Moyſen hujus rei gratia; qui ne in aliquo erraret, oraculum conſulere ſtatuit. *State*, inquit, *ut conſulam Dominum quid præcipiat vobis.* quo conſulto ut in menſem alterum differretur Paſcha, Deus indulſit, dicens: *Homo qui fuerit immundus ſuper anima, ſive in via procul in gente veſtra, faciat Phaſe Domino in menſe ſecundo, quarta decima die menſis ad veſperam, cum azymis, & lactucis agreſtibus comedent illud, non relinquent ex eo quidpiam uſque mane, & os ejus non confringent, omnem ritum Phaſe obſervabunt.* Nec alia ratione Paſcha celebrare alicui ex lege permit-
C tebatur; niſi prius mundus, atque lavacro purificatus extitiſſet. Cumque Chriſtus annuatim azyma manducaret, ac Paſcha celebraret; purificatum quoque aqua luſtrali & balneo, liquido conſtat. Hæc enim omnia ipſe ita adamuſſim ſervavit, ut Judæis ipſe objiceret, dicens: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* id eſt, quis ex vobis de inobſervantia, ac tranſgreſſione legis me accuſare poteſt? quis ex vobis poterit me reprehendere, quod pollutus, mnimeque purificatus ſacrum Dei templum, ſacrificiorum, aut orationis cauſa adierim? nemo ſanè. Quamobrem Chriſtum Servatorem noſtrum ſæpiſſimè lavacro purificatum de more Hebræo-
D rum ex conſtitutis Moſaicæ legis, atque temporum conſuetudini indulgendo, nobis affirmandum erit.

Nec deſunt Evangelica loca, quæ id ſuadeant. nam ubi Chriſtus una cum diſcipulis ſuis, & ſanctiſſima Virgine nuptias in Cana Galilææ adiiſſet, meminiſſetque Evangeliſta hydriarum, quæ eo allatæ fuerant, addidit: *Erant autem ibi hydriæ ſex lapideæ ſecundum purificationem Judæorum*, id eſt, juxta ritum Judæorum; quibus ex more illius ætatis minimè licebat adire convivium nuptiale, ſive quamcumque cœnam, ut jam ſupra vidimus, niſi prius
E aqua & balneo loti fuiſſent; qua occaſione ſex in cœnaculo hydrias conſtituebant. non enim licebat ſponſis coire, & nuptias celebrare, niſi prius purificarentur. Quia verò ſanguine pollui ſe putabant, eam ob cauſam ſtatim ac ſponſam primo congreſſu ſubmiſiſſent viri, ab ea abſtinere Judæi uſque hodie conſuevere, nec ſecundo ſponſam aggredi audent, niſi uterque prius balneo fuerit purificatus: quapropter hi quoque, qui cum ſponſo, & ſponſa nuptialium epularum cauſa ad convivium acceſſerant, purificari cogebantur; ne contactu manus, aut veſtimentorum, aut eorum, quæ ab illis contrectabantur, tam reliqui, quam ipſi quoque conjuges pol-
F luerentur. Adeò enim ab immundis cavendum fuit Hebræis, ut ſi quando quis in ſuſpicionem alicujus impuritatis, lepræ, aut alterius morbi cauſa incidiſſet, Sacerdotis juſſu alicubi clauderetur, ut dicitur Levit. 13. nec cum reliquis hominibus converſari illi licebat; ne contactu ſuo reliquos immundaret. Quamobrem ſi quando aliquis lepra commaculatus aperta immundus fuiſſet, diſcoopertus capite, ſciſſoque veſtimento cogebatur incedere, atque per viam

ſe

ſe immundum clamare, quouſque & urbem egrederetur, ut illius contactum reliqui declinarent, à reliquorum hominum communione ſecerneretur. ſic enim ibidem legitur: *Quicumque maculatus fuerit lepra, & ſeparatus eſt ad arbitrium Sacerdotis; habebit veſtimenta diſſuta, caput nudum, os veſte contectum, contaminatum ac ſordidum ſe clamabit.* & hoc quidem, quia lege cautum erat vitandum contactum hominis non mundi. cum igitur in nuptiis Canæ Galilææ purificati ac loti convivantes recumberent, propterea Chriſtum quoque Servatorem noſtrum ſanctiſſimum purificatum ex ritu Hebræorum ad nuptias veniſſe perſpicuum eſt. aliàs convivantes non ſolum illum non admiſiſſent, ſed etiam in convivio contactum illius omnino declinaſſent.

Erit fortaſſe, nec immerito quidem, qui à pudore, Chriſtique modeſtia alienum putet, lavandi cauſa ſe denudari; atque denudandi gratia virilia detegere, pudenda enim diſcooperire omnibus ſemper viſum eſt horridum. unde Auguſt. lib. 14. de civit. ait: *Omnes gentes adeò tenent in uſu pudenda velare, ut quidam barbari illas corporis partes, nec in balneis nudas habeant.* Quarumdam quoque mulierum honeſtatem, eam ob rationem, quam maximè commendat Clemens Alexan. lib. 4. Stromat. ex auctoritate Dionis, ait enim: *Dion certè philoſophus refert quandam mulierem Lyſſidiſſam propter inſignem pudorem ſe lavaſſe cum ipſa tunica. Philoteram autem cum eſſet ingreſſura ſolium, paulatim contraxiſſe tunicam, quantum, quæ nuda erant tegerentur ab aqua: deinde rurſus paulatim aſcendentem induiſſe.* hac ratione pariter aliquos commendat Ambroſ. lib. 1. Officiorum, dicens: *Plerique ſe & in lavacro quantum poſſunt tegunt; ne vel illic ubi nudum totum eſt corpus, hujùſmodi intecta portio ſit.* Quod igitur in omnibus commendandum omnes viderunt, non erit à Chriſto Servatore noſtro pudoris, atque modeſtiæ ſumma, ac ſuprema norma tollendum, ut contrarium affirmetur.

Verum denudatum Servatorem noſtrum purificationum ratio ex Decretis Moſaicæ legis oſtendit cap. 14. & 15. Levitici, ubi dicitur, lotis veſtibus, & toto corpore in aquis viventibus mundus erit, & paſſim dicitur hominem lavandum, & veſtimenta, quoties quis purificaretur: nec aliter purificari poterant Judæi. Conſuluiſſe pudori Servatorem, ſanctitas, & modeſtia illius nos dubitare nequaquam concedit. denudaſſe verò illum totum corpus, purificandi lex requirit. Nam pudori quoque conſultum credere oportet modeſtioribus, eo tunc ſeculo; vel tegumentis, atque linteaminibus, ſive aulæolis, quibus is, qui in balneo lavabatur, adeò tegeretur, ut omnium conſpectui ſubtraheretur; vel etiam ſecretioribus balneis id fiebat, in quibus ſolus is verſaretur, qui purificationibus ex decretis antiquæ legis, & de more Judæorum operam dediſſet. His igitur Chriſtus quoque potuit uti balneis, in his nudari, abſque immodeſtiæ, aut dedecoris nota: quod qua ratione ab eo actum fuerit nos latet. Non enim omnia à Servatore acta ſcripta extant: quod & Joannes Evangeliſta in fine ſui Evangelii inobſervatum nequaquam voluit. Ne verò quod affirmemus de Chriſti Servatoris noſtri nuditate argumento careat, teſtantur Evangeliſtæ in funere à piis viris aromatibus conditum, & unctum ſacrum Servatoris noſtri corpus: ablutum quoque fuiſſe dicemus Myrothec. 5. in qua quidem unctione, atque ablutione detecta illius virilia ab his ipſis non negabitur. Chriſtum Dominum in Jordane quoque baptizatum à Joanne, Evangeliſtæ affirmant. hic verò denudatum coram Joanne ingreſſurum Jordanem, (ſervata tamen ratione pudoris, atque modeſtiæ) liquido conſtat. Nec enim licuiſſet illi linteo aliquo pudenda tegere; nedum purificari ex lege quærit; lege immundaretur, contactu lintei non mundi. Nec etiam tegi poterat quis linteo aliquo mundo: quod id contactu corporis illius qui mundabatur ab immunditia, immundum extitiſſet: propterea enim poſt ablutionem lintea, velamina, ac tegumenta munda aſſumebantur. Niſi forte dicere velimus, licuiſſe in balneo, mundo linteo pudenda cooperire, & eadem aqua mundari tam corpus, quam linteum, quo pudenda tegebantur: ſi quid immunditiæ ex corporis contactu linteum contraxiſſet. Sed quomodocumque iſta ſe habeant; ea ratione qua pudori Chriſti in Jordane conſultum fuit; potuit & in reliquis balneis & purificationibus eidem conſultum iri. & quod ibi illi objiciendum non fuit, nec alibi objiciendum erit: quæ quamvis nobis ignota ſint, pudori tamen, ac modeſtiæ Servatorem noſtrum conſuluiſſe certiſſimum eſſe debet.

CAP. XXXIII.

Domeſtica quoque balnea frequentaſſe Chriſtum conjectatur.

Illuſtrantur loca Luc. 11. *Et cum loqueretur, rogavit illum quidam Phariſæus, ut pranderet apud ſe: & ingreſſus recubuit: Phariſæus autem cœpit intra ſe reputans dicere, quare non baptizatus eſſet ante prandium.* Luc. 5. *Intravi domum tuam, aquam pedibus meis non dediſti.* Joan. 13. *Qui lotus eſt non indiget niſi ut pedes lavet.* Et ad alia plura loca.

HÆc habuiſſe balnea Iſraëlitas, purificationum legalium ratio, ex conſtitutis Moſaicæ legis apertiſſimè ſuadet. ſacræ quoque Scripturæ loca plurima demonſtrant: licet ſub nomine piſcinæ ſuperioris, & inferioris, balnea hæc appellentur apud Iſaiam cap. 7. & cap. 22. nam & Seneca epiſt. 51. domeſtica balnea piſcinas dixit. damnans enim illorum ſupervacaneos ædificiorum cultus, ait: *Niſi thaſius lapis quondam rarum in aliquo ſpectaculum templo, piſcinas noſtras circumdedit, in quas multa ſudatione corpora exinanita demittimus.* cap. verò 11. Levit. ſermo eſt de his quæ domi contactu alicujus rei immundæ immundantur; & inter domeſtica domus, balnea quoque recenſentur; congregationeſque aquarum appellantur: *Fontes verò & ciſternæ, & omnis aquarum congregatio munda erit.* non enim hic ſermo eſt de fontibus, quæ ad uſum communem alicujus civitatis, aut oppidi excavabantur, ſed de fontibus qui domi ad uſum privatum parabantur; & ideò tria illarum genera, tribus vocabulis diſtinguit. fons alter illorum dicitur, quo ſignificatur aqua ſcaturiens. ciſterna dicitur locus, in quo pluvialis aqua conſervatur. denique verò congregatio aquarum recenſetur in ſacro textu, quæ hebraicè מִקְוֵה appellatur; in qua domeſtici alicujus familiæ purificabantur. toties enim baptizabantur omnes Judæi, dixit Marc. cap. 7. quoties è foro redibant.

Hæc quæ de balneo domeſtico à nobis allata ſunt, contemnenda minimè erunt. illuſtrantur enim loca plurima ſacrarum literarum. nam Jerem. 17. ubi nos legimus, *Expectatio Iſraël Domine.* Hebraicè מִקְוֵה יִשְׂרָאֵל יְהוָה ideſt, *Balneum Iſraëlis Dominus*, quaſi dicat Propheta: emundentur reliquæ nationes quacumque aqua luſtrali; putent ſe à ſordibus animæ, & corporis emundari: noſtra parum intereſt. Deus eſt fons veræ aquæ Iſraëlitis, quo ſanè emundantur verè, & illorum peccata lavantur. quamobrem

obrem ſubditur: *Omnes qui te derelinquunt confundentur. recedentes à te in terra ſcribentur: quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum.* Pulcherrima quoque antitheſi tenebrarum in lucem Spiritus ſanctus 1. Paralip. 29. jocatur. David enim ſic de miſeria fragilitateque humana in Deo offendendo, loquitur: *Dies noſtri quaſi umbra ſuper terram, & nulla eſt mora.* hebraicè וְאֵין מִקְוֶה ideſt *& non eſt congregatio aquarum*, nimirum balneum: dixerat enim ſanctus Propheta adeò hominum mores defectibus, criminibuſque ſubjici, ut nullum ſit opus, nulla ſit dies à ſcelere vacua. hæc autem ſub umbræ metaphora ſignificaverat, idque quam maximè doluerat: magis verò dolendum exiſtimat; quod nullum ſit balneum, quo turpitudo illa, ac macula poſſit ablui, quam umbræ nomine explicaverat. Quamobrem his ſaltem metaphoris, ac ſacræ Scripturæ locis frequentiſſima fuiſſe apud Hebræos balnea monſtrantur. illud idem ex balneo Judith, Suſannæ, & Betſabeæ, aliiſque ſacræ Scripturæ locis, quæ paſſim accurrunt, oſtenditur.

Cum igitur capite præcedenti, Servatorem noſtrum ſanctiſſimum legales purificationes, ex conſtitutis Moſaicæ legis frequentaſſe noverimus; ſubdubitandum occurrebat, de balneis domeſticis; quibus ex conſuetudine corrupti illius ſeculi plurimi voluptatis de cauſa, alii ut mundarentur à corporeis ſordibus utebantur: adeò ut promulſis cœnæ balneum mollioribus eſſet. Hæc enim balnea Servatorem noſtrum abhorruiſſe videbatur apertum, ipſius ſaltem Euangeliſtæ Lucæ teſtimonio. is enim cap. 11. ſcribit Phariſæum quemdam Chriſtum ad prandium invitaſſe, atque ſcandalizatum quod ille recubuiſſet illotus; *Et cum loqueretur*, inquit, *rogavit illum quidam Phariſæus, ut pranderet apud ſe, & ingreſſus recubuit. Phariſæus autem cœpit intra ſe reputans dicere: Quare non baptizatus eſſet ante prandium.* Eſt autem hic ſermo de ablutione totius corporis. hæc enim baptiſmi nomine apud Euangeliſtas ſignificatur; niſi per aliquod adjunctum ſpecificetur. Enimvero præcedentis capituli doctrina hoc teſtimonio infirmari videbatur; niſi advertiſſemus, de purificationibus legalibus Lucam nequaquam intelligendum eſſe; aliàs Servatorem noſtrum ſanctiſſimum, quem & funera adiiſſe, & cum publicanis ac peccatoribus manducaſſe, contactumque immundarum mulierum minimè reſpuiſſe ex Euangeliſtis cognovimus; legis tranſgreſſorem (quod abſit) conſtituere cogeremur. non igitur de luſtrali aqua loquitur Euangeliſta, ſed de balneis, quæ convivium præibant, de quibus cap. 31. diximus.

Hæc autem licet non adeò frequentarentur à Chriſto, quemadmodum à Phariſæis, de quibus dicitur Marci 3. *Phariſæi enim & omnes Judæi, niſi crebro laverint manus non manducant, tenentes traditionem ſeniorum, & à foro niſi baptizentur non comedunt.* Omnino tamen illa eadem Servatorem noſtrum ſanctiſſimum reſpuiſſe; hiſtoriis Euangelicis nequaquam conſentit. Inde enim quod tunc quando à Phariſæo illo Chriſtus invitatus fuit, nequaquam balneum adiiſſet; non evidenti colligitur argumento, nunquam aliàs Servatorem balneis his uſum. tunc enim non adiit, ut Phariſæo monſtraret nihil ad morum ſanctitatem, & ad virtutem conducere, toties balneum adire quoties à foro redeuntibus prandendum eſſet; quemadmodum Phariſæi putabant. quamobrem abſtinuit, ut veræ munditiei doctrinam traderet, quod ex ipſo capituli contextu perſpicuum eſt. Hoc enim in more habuit Chriſtus; nonnulla nimirum facere, ut morum doctrinam traderet. dicebant Phariſæi, non licere hominem ſanare in die Sabbati: invitatus à Phariſæo aliquando, interrogavit, an liceret Sabbato curare: tacuerunt illi; ſanavit ipſe ho-

A minem; & illico apud Marcum inter ipſa pocula de diei feſti celebratione ſermonem habuit. ita apud Lucam abſtinuit à balneo, ut virtutis munditiam aperiret: non verò ut inde colligeretur, numquam aliàs Servatorem noſtrum balneo uſum fuiſſe.

Cum enim de more regionis, & corrupti illius ſeculi toties ferè abluerentur homines, quoties menſæ accumberent: atque in hoc ſuperfluo lavacri uſu, nequaquam Chriſtus adeò frequens fuerit, ut toties lavacrum petierit, quoties ſibi accumbendum fuiſſet: negare tamen non licet aliquando animarum lucrandarum de cauſa, balnea petiiſſe; *ut omnibus omnia factus, omnes lucrifaceret.* atque hac ratione balneo-
B rum voluptuarium uſum redargueret; neceſſarium quidem vel ſanitatis, vel purificationum de cauſa, hacque tantum permittendum. quin & multoties illum laviſſe par eſt credere; præſertim cum ad convivium à ſacris pergeret; & ſuis ipſe manibus cum diſcipulis homines abluendos ſuſceperit. Quamobrem merito Chriſtus invitatus à Simone Phariſæo, ut ſecum conviveret; eumdem perquam aſperè reprehendit; quod aquam pedibus illius minimè miniſtraſſet. *Aquam pedibus meis*, inquit, *non dediſti.*

Hujus Evangelici loci intelligentia ad veterum inſtituta nos advocat. veteres enim illi ubi balnea exi-
C viſſent, ſoleas, vel ſoccos accipere conſueverant; ut à ſoli contactu, & ſordibus, pedes à balneo nudos contegerent, atque defenderent: inde enim ſoleam dictam putat Feſtus, quod pedis ſolo ſubjiciatur; alii à ſolo, quod calcant, ita dictas putant. ſed quicquid ſit de nomine, has illi accipiebant, cum de balneo ad cœnaculum accubituri properarent. inde Martialis lib. 12. epigr. 84. carpit Menogenen, quod cœnæ cauſa paraſitica quadam arte, adeò officioſum ſe oſtenderet eis, cum quibus cœnare deſtinabat; ut detineretur in arena: etiam lotus, jam ſoleatus pila ludere, & folle non vereretur; quin etiam in pulvere verſari, pedeſque fœ-
D dare officii de cauſa minimè dubitaret. quapropter ait:

Colliget, & referet lapſum de pulvere follem;
Etſi jam lotus, jam ſoleatus erit.

Hinc illud etiam Petron. in ſenem, omnia inſolenter, & præter hominum morem facientem; qui cum in balneo ſoleas aſſumpſiſſet, ut ad cœnaculum iret, pilæ tamen ludo cum pueris adhuc in arena detinebatur. *Videmus ſenem*, inquit, *calvum, tunica veſtitum ruſſea, inter pueros capillatos ludentem pila; nec tam pueri nos, quamquam erat operæ pretium,*
E *ad ſpectaculum duxerant, quam ipſe paterfamilias, qui ſoleatus pila ſparcina exercebatur, nec jam amplius repetebat, quæ terram contigerat.* Soleatum dixit, ut intelligeremus etiam inſolentem ſenem exerceri jam ablutum, qui prius quam ablueretur, ad ſudorem excitandum exerceri de more debuiſſet.

Verum ingreſſi cœnaculum, ne ſtragula, atque ſtrata luto ac pulvere fœdarent veteres antequam recumberent, ſoleas deponebant; ſervorum atque puerorum miniſterio, teſte Plauto in Truculento:

Jam rediit animus, deme ſoleas, cede vinum.

Martialis quoque noſter lib. 3. Epigram. num. 50.
F carpit Ligurinum, qui poëmata ut recitaret ſua, de induſtria eum ad cœnam invitaverat: cumque vix accubuiſſet, librum afferri juſſit. librum porrò allatum in primo cœnæ, ac diſcubitus limine, Martialis, ſolearum depoſitione explicat, dicens:

Depoſui ſoleas, affertur protinus ingens
Inter lactucas, oxigarumque liber.

Eſt etiam pro hac re perantiquus lapis, & quidem pulcherrimus in vinea quondam Illuſtriſſimi D. Cardinalis de Montealto; quam vir omni honore dignus in Exquiliis, non tam arboribus, floribus, peregrinis plantis, præſtantiſſimis palatiis, natatoriis piſcinis, ac fontibus perpolivit; quam etiam antiquis, ac literatis lapidibus, ſtatuis ex urbis parietinis conquiſitis, ſculpturis, & aliis antiquitatum monumentis exornavit. In eo igitur lapide, qui ſub porticu Palatii prioris ſubſtentat quandam lapideam, & perantiquam urnam, Priapejum ſacrificium inſculptum conſpicitur, in ea quam hic delineavimus forma; & in eo Sacerdoti jam accubituro, puer ſoleas de more detrahit antequam accumbat. quæ ſolearum depoſitio, præcedentis balnei eſt nota, veteriſque conſuetudinis certiſſimum teſtimonium.



Pueri enim, ut diximus, calceos Dominorum accumbentium ſervabant; Plutarcho auctore id probabitur, qui lib. 7. Sympoſ. quæſt. 8. de convivalibus colloquiis agit; & in his meminit puerorum, qui calceos Dominorum ſervabant: οὐκοῦν, ἔφην ἐγὼ, μῖμοι τίνες εἰσὶν, ὧν τοὺς μὲν ὑποθέσεις, τοὺς δὲ παίγνια καλοῦσιν· ἁρμόζει δὲ οὐδέτερον, οἶμαι, συμποσίῳ γένος· τὰς μὲν ὑποθέσεις διὰ τὰ μήκη τῶν δραμάτων, καὶ τὸ δυσχορήγητον· τὰ δὲ παίγνια πολλῆς γέμοντα βωμολοχίας, καὶ σπερμολογίας, οὐδὲ τοῖς τὰ ὑποδήματα κομίζουσι παιδαρίοις, ἄγε δὴ δεσποτῶν ἢ σωφρονούντων, θεάσασθαι προσήκει. hoc eſt: *Sunt ergo dicebam mimi*, inquit, *quorum alii argumenta, alii ludicra appellantur; neutrum, ut ego arbitror, genus convivio conveniens; argumenta ob longitudinem actionum, & ſumptuum difficultatem: ludicra quod ita ſcateant ſcurrilitate, & inanitate verborum, ut ne à puerulis quidem, qui dominis modeſtis calceos portant, ſpectari ea deceat.* hæc ibi Plutarchus: & cum Plutarcho ſtant varia veterum Poëtarum loca. carpit enim Martialis lib. 8. Epigr. 59. luſcum quemdam furem furandi officio, ac ſtudio ſuſpiciendum, quod è cœnaculis, atque tricliniis vacuum abire puderet: quamobrem ſi nihil aliud furari potuiſſet, calceos convivantium, qui à pueris negligenter ſervabantur, ipſe furabatur; de quo ſic ait:

Si nihil invaſit, puerum tunc arte doloſa
Circuit, & ſoleas ſurripit ipſe ſuas.

Et in Cottam pariter hic idem Poëta lib. 12. Epigram. num. 89. negligentia pueri ſoleas perdidiſſe illum ſcribit, dicens:

Bis Cotta ſoleas perdidiſſe ſe queſtus,
Dum negligentem ducit ad pedes vernam.

Quamobrem propter ſordes, quas à balneo, ad cœnaculum ſoleis calceati fortè accubituri contraxiſſent; ſtatim cœnaculum ingreſſis, depoſitis jam ſoleis, convivis aqua pedibus porrigebatur. propterea ad convivium, ſola interdum pedum ablutione invitabantur, quemadmodum Abraham feciſſe legimus cap. 18. Geneſ. quando Angelis in ſpecie peregrinorum occurrit. necnon etiam Loth ibidem cap. 19. ſimiliter etiam cap. 43. Joſeph excipiente ad convivium fratres ſuos, qui venerant de Canahan, ſtatim ingreſſis cœnaculum, aqua pedibus porrecta ſcribitur. ſic enim legimus: *Introduc viros domum, & occide victimas, & inſtrue convivium, quoniam mecum ſunt comeſturi meridie.* infra verò legitur: *Et introductis domum, attulit aquam, & laverunt pedes ſuos.* utque eſt phraſis ſacrarum literarum, ut ſola pedum ablutio dicat convivium. ita Judic. 19. de ſene illo, qui Levitam humaniſſimè in domum exceperat, his verbis ſcribitur: *Ac poſtquam laverunt pedes ſuos, recepit eos in convivium.* & Reg. 2. cap. 11. Uria veniente ad David, pedum ablutione cœnatum mittitur, ſic: *Vade in domum tuam, & lava pedes tuos.* ideſt, vade & epulare. quamobrem ſubditur ibi: *Et egreſſus eſt Urias de domo Regis, ſequutuſque eſt eum cibus regius.* Itaque ab antiquiſſimis uſque temporibus homines nonniſi loti accumbere conſueverunt: ingreſſis verò cœnaculum ſtatim aqua pedibus porrigebatur.

In tantum tamen progreſſi ſunt luxus molliores, ut formoſiſſimis pueris præminiſtris aqua pedibus porrigeretur. de quibus ita Petronius: *Tandem ergo diſcubuimus pueris Alexandrinis aquam in manus nivatam infundentibus, aliiſque inſequentibus ad pedes.* His præclarè illuſtratur Anacreontis locus, in ode quæ inſcribitur *de voluptate vivendi.* ubi poëta ſe operam vino, & Baccho daturum conſtituit; ut etiam inebriari optet; ea ratione ut mente ſopitus à ſenſibus omnino abalienaretur, dicens:

Δὸς

Δὸς ὕδορ, βάλ᾽ χοῖνον, ὦ παῖ;
Τὴν ψυχήν μου κάρωσον.

hoc eſt,

Da aqua, projice vinum ô puer,
Animam mihi ſopito.

Verum qu iſieri poteſt, ut is qui vino inebriari cupit, aquam à miniſtro petat, qua Bacchi robur extinguatur, ebrietas retardetur? aquam enim hac ratione poſcere, non ſtat cum alienatione mentis, quam Anacreon cupere affirmabat: ſic enim ipſemet ſibi ipſi contraria poſtulaſſet. Ruit verò quæcumque ambiguitas, ſi aquam ad pedes abluendos popoſciſſe Anacreontem dixerimus, ad promulſidem cœnæ, ut dicebamus. Cum enim ſtatim in ſuperioribus ſibi voluptuosè vivendum ille ſtatuiſſet, quaſi furore illico actus, ut ab eo vitæ genere non remoretur; prandendum conſtituit: verùm antequam in ſtrato recumberet, ex conſtitutis cœnaculi, puerum advocat, qui aquam pedibus porrigat; quæ convivis jam balneo lotis de more ſeculi, porrigebatur.

Hanc igitur cum Servatori Phariſæus minimè juſſiſſet afferri, reprehenditur apud Lucam cap. 7. his verbis: *Aquam pedibus meis non dediſti;* immeritò quidem illum redarguiſſet Chriſtus, niſi balnea, conviviorum præludia, frequentare ipſe aliquando conſueviſſet; vel tunc ſaltem balneum exiſſet, antequam ad Phariſæi cœnaculum, prandendi cauſa fuiſſet ingreſſus. eſſet enim locus Phariſæo ſe excuſandi; quod nimirum aquam illius pedibus non præſtitiſſet; quod nequaquam de more illorum; qui convivium adibant, in balneo laviſſet. Quamobrem ut Servatoris noſtri reprehenſio vim habeat, ſuamque retineat energiam, omniſque excuſationis locus Phariſæo præcludatur; Servatorem noſtrum humani generis vindicem, priuſquam in domo Phariſæi accumberet, ad balnea perrexiſſe, rationabiliter affirmare cogimur: ut de more lotus, cœnaculum ingrederetur; ad menſamque recumberet.

Illuſtrantur quoque ritus iſti; & Servatoris noſtri balnea comprobantur, præclariſſimo ejuſdem humilitatis exemplo. Propriis ipſe Deus, homo factus, voluit manibus, diſcipulorum pedes lavare. Ut verò cuncta apertiora fiant, non erit prætereundum, Hebræos duplici cœna ſacrum Paſchatis feſtum prima azymorum die celebrare, ex lege, & conſtitutis Moſaicis conſueviſſe. quod etiam doctiſſimus vir Baronius in Tom. 1. Annal. ſub anno Chriſti 34 adnotavit. in priori enim cœna Agnum manducabant; quod fieri Deus juſſerat, non quidem prima die azymorum, ſed ad veſperam diei hujus, quæ erat quartadecima lunæ, in qua fermentatum veſci licebat: fermentatum itaque panem omnino in ea priori cœna conſumebatur. poſteriorem autem inſtituebant cœnam, ut azyma ex Moſaicæ legis inſtitutis inchoarent: quamobrem cum de more balneo, & pedum ablutione cœnam prævenire ſolerent; ne tunc cœnaculum egrederentur; duplici ſaltem cœnæ, duplex pedum ablutio reſpondebat. nam & veteres illi molliores apud Romanos, duplicem cœnam, duplici lotione præibant, ad repotia cœnæ properantes, ut diximus cap. 31. ut nimirum calore balnei, atque ſudore aſſumptum cibum decoquerent, iterumque cœnarent. quæ quamvis alieniſſima forent à Chriſti ſchola, & ab Hebræis ſanctioribus, in ſacro Paſchatis feſto; quia tamen de more illius ſeculi, lotionem corporis, pedum ablutio, ut vidimus, ſequebatur; vel hæc ſaltem pedum ablutio, quaſi ex religione remanſerat apud illos, ad cœnarum in nocte Paſchatis diſtinctionem.

Conſumpto igitur jam Agno in priori cœna, quæ fuit poſtrema Chriſti, & diſcipulorum cum mundi

A Servatore ac Magiſtro; cum poſterior cœna inchoanda, & aqua pedibus diſcipulorum de more porrigenda fuiſſet à miniſtris, ut illorum pedes abluerentur; ſanctiſſimus Servator noſter *ſurgit à cœna*, ut loquitur Joan. cap. 12. nimirum à priori cœna, *præcinxit ſe linteo, & lavit pedes diſcipulorum.* hoc autem ea ratione myſticè factum arbitror, ante inſtitutionem ſacramenti Euchariſtiæ; ut doceret nos Chriſtus, quanta cum puritate, pietate, ac animi, mentiſque candore ad ſacrum illud, & auguſtiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum accedere nos oporteat. Chriſtus autem Servator noſter, cum pedes diſcipulorum laviſſet, iterumque diſcubuiſſet, B humilitatis doctrinam præſtantiſſimam, necnon etiam ſuprema, maximæque Religionis noſtræ arcana patefecit; quæ nonniſi lotis, ac corde candidis communicantur.

Ut verò in gradu ſtemus, ad ipſam pedum ablutionem revertamur; in qua cum ad Simonem Petrum veniſſet Chriſtus; Petrus verò pedes ſuos à Chriſto lavari minimè pateretur; illum compreſſit Servator noſter, terrificis illis verbis: *Si non lavero te, non habebis partem mecum.* his territus Petrus ſubintulit, *Non tantum pedes, ſed & manus; & caput.* Quæ nimis profuſè à Petro dicta, Chriſti doctrina compreſſa fuere, ſimulque oſtenſum, quibusnam C in cœnis, atque conviviis pedes lavandi forent. quamobrem ſubintulit: *Qui lotus eſt, non indiget niſi ut pedes lavet.* Quibus ſanè verbis admonemur, diſcipulos nequaquam acceſſiſſe ad manducandum Paſcha, niſi jam lotos, balneoque ex legis Moſaicæ decretis jam purificatos. Admonemur etiam, Chriſtum Servatorem noſtrum lotum extitiſſe; ne in legis Moſaicæ decretis obſervandis minus ſtudioſus, quam diſcipuli cenſeretur. Cognovimus quoque ex his de more illius ſeculi apud Judæos, aquam pedibus illorum præberi ſolitam, cum ad cœnam properarent; qui in balneo jam loti fuiſſent: ut propterea Chriſtum Servatorem noſtrum coarguentem D Phariſæum; quod illius pedibus aquam non porrexiſſet, balneo tunc illum præiſſe cœnæ, non debili argumento à nobis affirmetur; ſi ex Evangelicis ſaltem hiſtoriis aliquando conjectare licet. quæ tamen doctiorum judicio ſi minus probata fuerint; in contrarium nos quoque ire, minimè verebimur.

CAP. XXXIV.

Balneum oleo, & unctioni conjungebatur.

Ad loca 1. Paralip. 29. *Dies noſtri quaſi umbra ſuper terram, & nulla eſt mora.* 1. Machab. c. 1. *Et ædi-* E *ficaverunt gymnaſium in Jeroſolymis ſecundum leges nationum, & fecerunt ſibi præputia.* Pſalm. 108. *Et induit maledictionem ſicut veſtimentum, & intravit ſicut aqua in interiora ejus, & ſicut oleum in oſſibus ejus.* Et ad alia plura loca.

BALNEUM præibat, & ſequebatur oleum. oleum præibat, & ſequebatur ablutionem. adeò iſta invicem connectebantur, ut ni prius fuiſſent loti, mininè ungerentur; poſt unctionem verò iterum abluerentur, iterum ungerentur. Balneum præludebat unctionem, poros corporis medio calore F aperiendo: oleum corpus per poros penetrabat, ne humiditate ſuperflua corrumperetur. quod verò craſſioris ſucci, atque pinguedinis in corpore poſt unctionem remanſiſſet; hoc aqua tergebatur; ut alterum ab altero minimè ſepararetur: quam etiam ob cauſam in eodem thermarum ædificio locus unctioni deſtinatus jungebatur balneo. Nobis nunc non ſunt diſtinguenda balnea à thermis, ſed promiſcuè accipien-

pienda ; licet balneum diceretur communiter cella , A
in quam lavandi cauſa ingrederentur homines, ſive in his aqua uterentur calida , ſive frigida : therma verò , quæ calidam tantum eadem de cauſa ſervabat : quamobrem balneum quodammodo ex neceſſitate videbatur oleo conjungi in ratione vivendi ex conſuetudine veterum. Conſuevere enim veteres, exercitiis quibuſdam , & corporis agitatione ſudorem excitare; & ideò luctam , pilæ ludum , ac follis etiam curſum , aliaque plura inſtituere , quibus corpora fatigarentur : de quibus exercitiis ita Clemens Alexan. lib. 3. pædag. cap. 10. *Ex viris autem alii quidem nudi luctantur ; alii verò parvo quoque globo ludunt , eo ludo qui phenis dicitur , maximè in ſole.* & ibidem non B
longè ait : *Recta lucta certandum eſt , collis , manibus , & lateribus implicatis. Eſt enim honeſtior , & virilior , quæ cum decore robore fit hoc modo exercitatio , quæ utilis , & conducibilis ſanitatis gratia aſſumitur.* hæc ille. Propterea igitur in thermis area , & gymnaſia erant, de quibus ita Roſſinus alterius auctoritate ductus loquitur : *In primo undique ambitu , quæ mœniorum inſtar totum ædificium claudebat ; erant gymnaſia exercitationum vario ordine. in ſecundo longè lateque ſpatia platearum Xyſta , & Platanones ad exercitia ſub dio , in medio tota ipſa moles thermarum , quæ ſunt membra balnearum , atria ſimul atque Xyſti & Palæſtrarum ampliſſimæ porticus , ubi auctore Victoricio athletæ per hyberna tempora in tectis ſtadiis exercerentur ,* C
ac tranſirent ſtatim ad balnea.

Putabant enim veteres optimum , balnei aqua ſudorem abſtergere. vidimus enim jam ſupra cap. 29. Magnum Alexandrum apud Plutarchum victo Dario apud Iſſum , impedimentiſque illius potito dixiſſe : *Eamus in balneum Darii , ut ibi contractum ex pugna ſudorem abluamus.* ſimiliter illud idem Homeri auctoritate monſtravimus , apud quem Diomedes & Vlyſſes , ubi caſtris Trojanorum exploratis , marina ſudorem contemperarunt aqua. hinc Epigramma illud Mariani Scholaſtici apud Epigram. in florileg. lib. 4. cap. 18. num. 34. ubi venuſtatem balnei, D
aquarumque illius ſuavem fragrantiam Poëta admiratus , id ſudori Cypridis tribuit , cum aliquando in illo ſe abluiſſet , Cupidine præminiſtro , de quibus ita :

Μητέρα κύπριν ἔλουσεν ἔρως ποτὲ τῷ δὲ λοετρῷ
  Αὐτὸς ὑποφλέξας λαμπάδι καλὸν ὕδωρ.
Ἱδρὼς δ᾽ ἀμβροσίοιο χυθεὶς χροὸς , ἄμμιγα λευκοῖς
  Ὕδασι , φεῦ πνοιῆς ὅσον ἀνῆψον ἔαρ.
Ἔνθεν ἀεὶ ῥοδόεσσαν ἀναζείουσιν ἀϋτμὴν ,
  Ὡς ἔτι τῆς χρυσῆς λουομένοις παφίης.

Rueret verò omnino Epigrammatis ſenſus , delicataque Poëtæ energia in laudem aquæ , ac ſuavita- E
tis balnei , ni ſudorem aqua ablui in morem duxiſſent. ſic enim interpretantur illa.

Matrem Cypridem lavit amor , quondam hoc balneo
  Ipſe calefaciens lampade pulchram aquam.
Sudor ex immortali cute decidens, commixtus limpidis
  Aquis, hei fragrantiæ quantam contulit ſuavitatem.
Unde ſemper roſeum ſpirant odorem ,
  Quaſi adhuc auream lavarent Venerem.

Perſuaſi itaque veteres illi, optimum ad ſanitatem eſſe , ſudorem balneo , atque lavacro detergere; antequam balneum ingrederentur , ſudorem fatiga- F
tione aliqua corporis extorquere contendebant: ideò qui militiæ nomen dediſſent, in campo diſcurrebant, ſaltabant , arma tractabant , ferream virgam jaciebant , exercebanturque , atque in vicino Tiberi natabant. Nepotini verò, quique minus apti ad exercitia cenſebantur ; in ſudatorio, ſicco calore, ſudorem extorquere tentabant : quod abhorrebat Senec. epiſt. 51. dicens : *Omnis ſudor per laborem exeat.* & ibidem calorem aquarum vehementiſſimum deridens, dicebat : *Quid mihi cum iſtis calentibus ſtagnis? quid cum ſudatoriis ? in quæ ſiccus vapor corpora exhauſturus includitur ?* aliiſque pluribus damnat caloris vehementiam in balneo , ad ſudorem excitandum.

In his ſtuduiſſe etiam Hebræos, Hieroſolymiſque extitiſſe gymnaſia dicitur lib. 1. Machab. cap. 1. his verbis : *Et ædificaverunt gymnaſium Hieroſolymis ſecundum legem nationum , & fecerunt ſibi præputia , & receſſerunt à teſtamento ſancto.* & 2. Machab. cap. 4. de Jaſone, qui ambiebat principatum , dicitur : *Super hæc promittebat & alia centum quinquaginta ,* ſupple talenta , *ſi poteſtati ejus concederetur gymnaſium, & ephebiam ſibi conſtituere.* erat autem ephebia *exhedra ampliſſima cum ſedibus ; quæ tertia item parte longior , quam lata erat ad exercitia juvenum dicata ,* inquit Georgius Fabritius apud Roſſinum loco citato. & in eodem libro Machabæorum parum infra dicitur : *Etenim auſus eſt ſub ipſa arce gymnaſium conſtituere , & optimos quoſque epheborum in lupanaribus ponere.* Dicebantur enim gymnaſia , quod nudi tam viri , quam adoleſcentiores exercerentur : ut ipſummet gymnaſium puerorum amoris incitamentum eſſet , lupanariſque præludium. quamobrem ſi Hieroſolymis fuere gymnaſia , erant & balnea quoque , & alipteria ad uſum unctionum. nam exercitationis cauſa , ſudandique gratia hæc inſtituta fuiſſe nemo non videt. Quamobrem Cornelius Celſus lib. 1. cap. 2. præclarè dicebat : *Exercitationem optimè ſequitur modo unctio, modo balneum*; quia non ſolum balneo ſudorem compeſcebant , ut vidimus ; ſed etiam oleo , M. Seneca teſte lib. 1. Controverſiarum in præfatione , ubi loquitur de Porcio latrone , dicens : *Nulla umquam illi cura vocis exercendæ fuit ; illum fortem , agreſtem , & hiſpanæ conſuetudinis morem non poterat dediſcere, utcumque res tulerat , ita vivere , nil vocis cauſa facere , non illam per gradus paulatim ab imo , uſque ad ſummum perducere ; non rurſus à ſumma contentione , paribus intervallis deſcendere ; non ſudorem olei unctione diſcutere ; non latus ambulatione reparare.* Hac de cauſa, quoties quis ludos inſtituiſſet ; & oleum quoque præſtare videbatur conſonum ; ut hi , qui ad luctam in arenam , vel in palæſtram deſcendebant , oleum quo ungerentur non carerent. Sunt lapides veteres , qui id probent ; ex quibus præclariſſimus extat Comi , & habetur apud Grutterum pag. 376. n. 5. ſub hac verborum forma.

L. CAECILIVS. L. F. CILO
IIII. VIR. A. P.
QVI. TESTAMENTO. SVO. HS. N. XXX
MVNICIPIBVS. COMENSIBVS. LEGAVIT
QVORVM. REDITV. QVOTANNIS. PER
NEPTVNALIA. OLEVM. IN. CAMPO. ET. IN
THERMIS. ET. BALINEIS. OMNIBVS. QVÆ
SVNT. COMI. POPVLO. PRAEBERETVR
T. F. I. ET
L. CAECILIO. L. F. VALENTI. ET
L. CAECILIO. L. F. SECVNDO. ET
LVTVLAE. PICTI. F. CONTVBERNALI

Duos poſteriores verſus, qui habentur in eodem lapide apud Grutterum , prætermiſimus , quod ad rem nequaquam faciant, ipſo Gruttero auctore. nobis ſufficiat ea attuliſſe, quæ oleum jungunt Thermis atque balneis; ut unctioni ablutio connectatur. Adeò verò oleum aquis in balneis copulabatur, ex inſtitutis illius ſeculi , ut ipſo in balneo cellæ ad uſum unctionis conſtruerentur, quæ alipteria dicebantur ; unctuaria Latinis dicentur. hæcque in thermarum

marum ſtructura, inter balnei partes primarias, numerabantur. illud Alexis Comici in Cariis, apud Athen. quod diximus probat. ſic enim ait:

ἐν τῷ βαλανείῳ μήτε τὸ πῦρ ἐσχάραις
ἐνὸν, κεκλισμένον τε τ' ἀλειπτήριον.

hoc eſt,

In balneo neque ignis caminis
Aderat, clauſumque erat alipterium.

Sidonius quoque lib. 2. epiſt. 2. de balneo, ait: *Hinc aquarum ſurgit cella coctilium; quæ conſequenti unguentariæ, ſpatii parilitate conquadrat.* unguentariam audis; intellige loca, in quibus loti miniſterio aliptarum perungebantur. ut Mercurial. lib. 1. gymnaſt. cap. 8. & Rhodig. lib. 30. antiqu. lect. cap. 20. ex veterum monumentis tradiderunt.

Elæoterium has cellas dixit Roſinus ex auctoritate Georgii Fabricii. *Ad ſiniſtram*, inquit, *elæoterium, quæ erat ad unctiones faciendas cella olearia.* Si verò inter Elæoterium, & Alipterium diſcrimen excogitare; remque conjecturis inveſtigare nobis liceret: hoc ab unguentis, illud ab oleo derivatum putarem: ut elæoterium ἀπὸ τοῦ ἐλαίου, καὶ τίθημι derivaretur; quod eſt oleum imponere alicui: alipterium verò ἀπὸ τοῦ ἀλείφω, quod eſt ungo, ideſt unguento linio, tractum cenſeatur. quapropter, niſi fallor, in elæoteriis, certatores, luctatores, ac palæſtritæ ungebantur: tantummodo enim uncti ludorum de cauſa, tunc temporis in arenam certatores deſcendebant; quamobrem Virgil. lib. 3. Æneid.

Actiaque Iliacis celebramus littora ludis.
Exercent patrias, oleo labente, palæſtras
Nudati ſocii.

Nec ſolum in arenam, ſed ad certamina quoque nautica deſcenſuri veteres oleo præludebant pugnæ, hinc Virg. lib. 5. Æneid.

Tum loca ſorte legunt: ipſique in puppibus auro
Ductores longe effulgent, oſtroque decori:
Cætera populea velatur fronde juventus,
Nudatosque humeros oleo perfuſa niteſcit.

Quapropter, qui in ſacris quoque literis ad certamina, ſive ludendi gratia, ut puto, ſive cum hoſte in pugnam congreſſuri eſſent, oleo ungebantur: Iſaia teſte, qui ad arma excitans, dicebat, *ungite clypeum.* ſed & Joſeph Bengorion lib. 3. hiſtor. quas hebraicè ſcripſit cap. 9. aperiens quibus verbis Judas Machabæus à patre in extremis vitæ liminibus, Imperator Judaici exercitus fuerit declaratus, olei in unctionem certaminis meminit, dicens: *Vocate mihi Judam filium meum: cumque vocarent eum, & ille ſtaret coram patre ſuo, dixit ei; Juda fili mi nomen tuum vocatur Machabæus propter fortitudinem tuam, ſcio enim fili mi, quod tu ſis vir bellicoſus: & Deus dedit tibi vires, & robur, & cor quaſi cor leonis; quod non diſſolvitur: & idcirco habes honorare Dominum de ſubſtantia tua, quam dedit tibi, & præliare prælia ejus: geres autem bella abſque ulla deſidia; proficiſcerisque ad omnes angulos terræ tuæ, & ſumes ultionem de hoſtibus incircumciſis, & eris populi hujus in exercitu Dux; ungerisque ad bellum. his dictis protulit cornu cum oleo; & effundens ſuper caput ejus, unxit eum ad prælia.*

Quod etiam Græcis commune fuerit ungi oleo etiam ad pugnam, videtur ex Plutar. in Themiſtocle haberi, de quo ſcribit: ἐπὶ τοὺς ἀγῶνας ὑπὲρ τῆς πατρίδος ἤλειφε. ideſt, *Ad obeunda certamina pro patria ſeipſum unxit:* quaſi nec Græcis certamen aut cum hoſte manum conſerere liceret, niſi jam unctis. quamobrem qui ad publica certamina, ſive ludos deſcendiſſent, in cella quæ dicebatur elæote-

A rium ungebantur. idcirco in lapide antiquo ſuprajam poſito, oleum dandum dicitur per Neptunalia; cum nimirum in honorem Neptuni ludi celebrarentur: oleum dandum in campo, in thermis, in balneis omnibus; hoc eſt his qui deſcendebant ad certamina, & his qui ſanitatis, vel voluptatis tantum de cauſa balneum ingrederentur.

Alipterium verò ad uſum unguentorum tantum in ædificio thermarum cellam extitiſſe puto. ſive his ad vires refocillandas, ſive odoris gratia ad voluptates, unguentis uterentur. Unguenta enim in balneis, ad perfectam balnei rationem ſpectare cenſebantur. extat de hoc præclarum Leontii Scho-
B laſtici Epigramma in Florileg. epigr. lib. 4. nu. 32. dicentis:

Δείματό με ξυνοῖο παρὰ προθύροισι λοετροῦ
Ἀστὸς ἀνὴρ, ἀρετῆς οὕνεκεν, οὐκ ἔριδος.
Κεῖνο μέλοι πλεόνεσσιν· ἐγὼ δ' ὀλίγοις τε, φίλοις τε
Ἐντύνω προχοὰς, καὶ μύρα, καὶ χάριτας.

Erat enim hoc balneum Byzantii ad uſum publicum ædificatum à quodam cive, qui ne videretur contentionis de cauſa illud ædificaſſe; quod ab aliis quoque ibi balnea ædificata conſpicerentur; literato lapide id voluit aperire, ac pariter, una cum aqua,
C unguenta quoque ingredientibus præſtitiſſe. propterea dicit:

Aedificavit me communis in veſtibulo lavacri
Civis vir, virtutis cauſa, non contentionis.
Illud curæ ſit multis, ego verò paucisque & amicis
Exhibeo lavacra, & unguentum, & gratias.

Cum igitur unguenta in balneis ingredientibus præberentur, ac propterea quadam arte medica unguenta miniſtrarentur; qui his ſtudiis operam dabant, ab hoc munere Aliptæ, ſive Jatraliptæ à Latinis, mutuato à Græcis vocabulo dicebantur: ideſt
D unctores Medici; non Medicorum unctores, ut male Turnebus, & alii. ita enim Plin. lib. 29. cap. 2. loquitur, dicens: *Prodicus Selymbriæ natus, e diſcipulis ejus, inſtituens quam vocant Iatralepticen, reunctoribus quoque Medicorum, ac mediaſtinis vectigal invenit:* reunctorem Medicorum appellans, qui Jatralpticen exercebat, nimirum Jatraliptam. Plutar. quoque Sympoſ. lib. 4. quæſt. 1. contra eos diſputans, qui ciborum varietatem in conviviis commendabant, ait: ὅλως δέ μοι δοκεῖ μᾶλλον ἄν τις ὑπομεῖναι πολυχορδίαν μουσικὸν ἐπαινοῦντα, καὶ μυρεψίαν ἀλείπτην, ἢ πολυοψίαν ἰατρόν· αἱ γὰρ ἐκτροπαὶ, καὶ μεταβολαὶ τῆς εἰς ὑγείαν εὐθείας ἐκβιάζουσι· Vbi Plutarchus aliptam unctorem dicit, qui corporum curandorum cauſa unguenta commiſcet.
E ſic enim interpretatur locus allatus: *Denique facilius mihi videtur ferri poſſe muſicum; qui multitudinem nervorum, & aliptam, qui unguentorum compoſitorum uſum laudet: quam Medicum, qui ciborum varietatem commendet: ubi mutationes, & diverticula, de recta ad ſanitatem via detrudunt.* Plutarchus à ſingulari medicinæ genere, quod ad aliptam pertinebat; ad generalius ſuo proceſſit argumento: nam & Aliptæ in numero Medicorum cenſebantur, auctore Plutar. de his qui ſero à num. puniuntur. Hi enim eò artem unguentariam dirigebant; ut corporis morbos curarent; cutis verò colorem, etiam infirmo corpore non inficerent; ſed unguentorum virtute illum
F retinerent; quia ut infra oſtendemus, vi unguentorum, cutis ea ratione conſolidabatur, ut neque rugas contraheret. Ciceronis auctoritate ad hæc moveor in epiſt. ad Lentul. fam. lib. 1. epiſt. 9. dicentis: *Vellem non ſolum ſalutis meæ ut Medici, ſed etiam ut Aliptæ virium, & coloris rationem habere voluiſſent.* in quo decipitur Manutius, qui nequaquam Ciceronem intelligendum putat de unctoribus, ſed de præfectis

 gymnaſio-

gymnaſiorum, quia oleum vires, & colorem non A
auget. at non ita certè dixiſſet Manutius, ſi ad unguenta odorata veterum confugiſſet; illorumque virtutes cognoviſſet. Juvenalis quoque artes, ac miniſteria diverſorum hominum referens, quæ mollis Græcia Romam advexerat, Aliptæ meminit, dicens Satyra 3.

. . . . quem vis hominem: ſecum attulit ad nos,
Grammaticus, Rhetor, Geometres, Pictor, Aliptes,
Augur, Scœnobates, Medicus, Magus: omnia novit.
Græculus eſuriens in cœlum juſſeris, ibit.

Horum hominum qui aliis erant ad unctiones, in- B
ſolentiam Seneca epiſt. 16. deplorat; in balneario ſtrepitu, ac turba, dicens: *Cum in aliquem alipten inertem, & hac plebeja unctione contentum incidi, audio crepitum illiſæ manus humeris, quæ prout plana pervenit, aut concava, ita ſonum mutat.* Qui etiam cum mulieribus, veluti cum mollioribus, atque in contactu laſcivioribus, magis adhuc inſoleſcebant, pudendorum contactu, ſimulque illiſæ manus in femore ſtrepitus, Juvenalis Satira 6.

Callidus & criſtæ digitos impreſſit aliptes,
Ac ſummum Dominæ femur exclamare coëgit.

Verum ne à ſacris diſcedamus, in divinis quoque C
oraculis Aliptas inter Medicos Spiritum ſanctum recenſuiſſe conſtat. nam cap. 38. Eccle. ſermo eſt de Medico, & plantis, quæ ſunt in Medicorum uſu, *In his curans mitigabit dolorem*, inquit textus, *& unguentarius faciet pigmenta ſuavitatis, & unctiones conficiet ſanitatis, & non conſummabuntur opera ejus.* Pigmenta ſuavitatis ac ſanitatis dicuntur, commixtiones unguentorum & aromatum, quibus utebantur Aliptæ, & ad ſanandum corpora dirigebantur. & infra ſubdit: *Eſt enim tempus quando in manus illorum incurrat.* Vaticanum verò exemplar legit: *Eſt tempus cum in manibus eorum ſuavitas odoris.* Suis etenim D
manibus hi ungebant homines in alipterio. Quamvis verò neceſſitate humana id exigente, aliquando genus hoc artis excogitatum fuerit; tamen moribus hominum corruptis, Romani, & Græci ad expoliendam, curandamque cutem Alipta utebantur.

Alipterium verò, ac Elæoterium inter cellas balnei enumerantur; quia vetus introducta conſuetudo erat; ut qui loti fuiſſent, ungerentur; atque inter prima amicitiæ atque benevolentiæ ſymbola alter alterum ungere, putaretur; necnon etiam inter præſtantiſſima Reipublicæ munia, aliptæ quoque honorabiliſſimum locum tenerent. quamvis verò ex munere aliptæ hanc profiterentur artem; non tamen indecorum, aut inhoneſtum erat, quibusque nobi- E
lioribus etiam hanc benevolentiæ, humanitatisque notam viciſſim exhibere. Quinimmo laudabiliſſimum fuit ab altero amicorum, alterum perungi; quod mutui amoris, notam digniſſimam id præ ſe ferret. hoc Ariſtomenem Socrati amiciſſimo præſtitiſſe narrat Apulejus lib. 1. Metamorph. cum enim aliquando illum ad ſummam egeſtatem redactum comperiſſet; ille ipſe eum ad thermas deduxit, eumdem perunxit. *Unam ex laciniis meis*, inquit, *exuo, eumque propere veſtio; dicamne an contego? & illicò lavacro trado, quod unctui, quod terſui, ipſe perminiſtro utenſilia balnei.* Quæ mutui amoris ſymbola F
non tantum inter communis conditionis homines; ſed etiam in eos, qui prima ſubſellia occupant, præſtita aliquando, vel Homerus ipſe ſuadere debet, apud quem primarias Virgines hæc munera hoſpitibus exhibuiſſe comperimus.

Reliquum eſt nos ad caſtra redire; ac in ſacris oraculis perquirere uſum olei in balneis. quod frequentiſſimum fuiſſe probant veteris, ac novi teſtamenti ſacræ paginæ. Cum enim veteres Hebræi purificationum cauſa, balnea frequentarent; ne aquarum humore ſuperfluo corpora laxarentur; calorque naturalis, frigiditate nimia aquarum extingueretur; oleo odorato conſtipanda, ſimulque fovenda, ac nutrienda eadem exiſtimarunt. quamobrem dicebat Spiritus ſanctus ad ablutionum uſum reſpiciens: *Omni tempore veſtimenta tua ſint candida.* ſubintulit; *& oleum capiti tuo non deficiat;* Oleorum odoratorum ratione habita. his conſuetudinibus illuſtratur pulcherrimus locus Pſalmi 108. in quo Propheta uſum ablutionum, & olei reſpiciens, necnon etiam habita ratione diſcriminis effectuum aquarum, & olei in humano corpore; hominum flagitioſorum criminoſum vitæ genus aperire volens, divinarumque ultionum contemptum, ait: *Et induit maledictionem ſicut veſtimentum ſuum, & intravit ſicut aqua in interiora ejus, & ſicut oleum in oſſibus ejus.* Tria enim hæc erant in hominum uſu, cum thermas ablutionis gratia adirent, aqua, oleum, & veſtes. Oleum ab aqua ea ratione, quantum ad effectus diſtinguebatur; quod oleum fortius penetrabat corpus; atque majoris erat efficaciæ. quamobrem David, ut habitus facti in criminibus vim aperiret, penes flagitioſum hominem, quodque tam intra præcordia, atque medullas, quam extra undique conſuetudo peccati in flagitioſum hominem dominaretur; oleo, aquæ, ac veſtimento, ſumpta metaphora ex balneis, peccandi conſuetudinem aſſimilavit. Oleum penetrare ait oſſa, *Intravit*, inquit, *ſicut oleum in oſſibus ejus.* aqua verò minoris cum eſſet efficaciæ, licet ſuo humore corpus inficeret; non tamen adeò in præcordia penetraret, proptetea dixit Pſaltes, *Intravit ſicut aqua in interiora ejus*: quia denique cum quis jam lotus & unctus fuiſſet, veſtimenta aſſumebat, quibus ad extra corpus tegebatur, & veſtimenta reliquorum hominum conſpectui ſtatim objiciuntur; ideò de homine omnium calculis flagitioſiſſimo, habita ratione illarum maledictionum, quas in ultimis ſuæ vitæ lineis, Moyſes tranſgreſſoribus eſt comminatus in Deuteronomio dixit: *Et induit maledictionem ſicut veſtimentum.*

Probat hunc ipſum aquarum & oleorum uſum locus apertiſſimus Ezechiel. 16. in quo benedictus Deus beneficia, quibus Judæam conciliare ſtuduerat, eidem objiciens, ſub meretricis nomine eamdem interpellat; ſumpta metaphora, juxta conſuetudinem illorum temporum, ab uſu aquarum, ac olei in thermis, dicens: *Et lavi te aqua, & emundavi ſanguinem tuum ex te, & unxi te oleo.* Servator quoque noſter temporum conſuetudini quantum fieri poterat, ſine decremento pietatis, indulgens, dicebat his, quos ad jejunium hortabatur: *Tu autem cum jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava*, ut de more illius ætatis oleum aquis, & aqua oleo conjungeretur.

C A P. XXXV.

Solium, ſtrigiles, linteaque ex ſacris oraculis aperiuntur.

Ad loca Pſalmi 59. *Juda Rex meus, Moab olla ſpei meæ.* Pſal. 107. Zachar. 14. *Et erunt lebetes in domo Domini quaſi phialæ coram Altari.* Levit 11. *Et omne ſuper quod ceciderit cadaver illorum, immundum erit, clibanus, & chytropodes.* Et ad alia.

STRIGILES, ut ab his exordiamur, inſtrumenta notiſſima fuere, ad perfricationes corporum jam unctorum in balneis. hinc ergo & Epicte-

Epictetus Arriani cap. 11. lib. 2. balneariæ ſupellectilis ſcenam exponens, ſtrigiles enumeravit, ſtrigileſque linteis junxit. ὕδωρ, ἔλαιον, χεῖρες, ὀθόνιον, ξύστρα, νίτρον. ideſt, *aqua*, *oleum*, *manus*, *lintea*, *ſtrigiles*, *nitrum*. Fuit & ſtrigil inuncta vitta, quam capiti induunt, apud Pollucem lib. 7. cap. 33. nu. 5. ἔστι δὲ, *inquit*, καὶ ἕτερόν τι στλεγγὶς δέρμα κεχρυσωμένον, ὃ περὶ τὴν κεφαλὴν φοροῦσι. Verum de hac nihil à nobis, quæ dicitur στλεγγίς. Sed de illa, quæ Græcis eſt ξύστρον, de quibus pudet hoc noſtro ſeculo aliquid dicere; quandoquidem antiquorum ritus, atque conſuetudines ſtudioſis adeò explicatæ ſunt, ut ferè nihil deſiderandum remaneat. in gratiam tamen illorum, qui ſacris incumbunt literis, quibus quidem hæc gentiliacæ antiquitatis monumenta, nequaquam adeò nota videntur; nonnulla pauca à nobis de ſtrigilibus dicentur.

Strigilis eſt lecythus, vel ampulla olearia, cujus uſus in balneis, in lychniis erat. dixit ineptiſſimè quidam in Comment. Taubmanni ad Plaut. Perſa act. 1. ſcen. 3. ver. 44. quod viro literarum profeſſori, in mentem veniſſe, non poſſum non mirari. Erat enim ſtrigilis, nonnullis inſtrumentum ferreum, juxta illud Plautinum in Sticho act. 1. Scen. 3.

Rubiginoſam ſtrigilem ampullam rubidam.

Aurea aliis erat ſtrigilis, argentea aliis, arundinea etiam, atque ex ebeno Indis. Ejus forma graphice delineatur ab Apulejo lib. 2. Floridorum, dicente: *Qui in magno cœtu prædicavit ſemet ſibi fabricatum ampullam oleariam, quam geſtabat, lenticulari forma, tereti ambitu, preſſula rotunditate, juxtaque honeſtam ſtrigileculam, recta faſtigiatione clauſulæ, flexa tubulatione ligulæ; ut & ipſa in manu capulo moraretur, & ſudor ex ea, rivulo laberetur.* ita ille de forma, de qua etiam Martialis in apophor. ait:

A

Pergamus has miſit curvo diſtinguere ferro,
Non tam ſæpe teret, lintea fullo tibi.


Digniſſima quidem, ut vides comparatione Poëta uſus fullonis, ac ſervi ad ſtrigilem, ſive fullonici inſtrumenti, atque ſtrigilis. nam & balnea quoque, teſte Clem. Alexand. lib. 3. pædag. cap. 2. ἀνθρωπογναφεῖα, hoc eſt fullonicas hominum officinas *Veteres appellarunt, quoniam citius, quam par erat pennoſa corpora efficiunt, & ante tempus cogunt conſeneſcere abſtergentia: dum non ſecus, ac in ferro caro mollificetur. hinc frigidi veluti tinctura, & temperatura opus habemus.* nam calore thermarum, ſudatorii atque alipterii poroſa corpora aperiuntur, quæ dum diſtringuntur, atque fricantur, ſpiritus qui exhalant è corpore, debilius idem reddunt, ſtrigilum potiſſimum confricatione. quamobrem in hac eadem ſententia doctiſſimus noſter Juven. ſatyr. 3. irridet diligentiſſimum balnearum apparratum, cum primis illorum, quorum vita cum in balneo exhauriatur; ſæpiſſimè fit, ut repentina ſublati morte, inter balnearium apparatum expirent; atque inter ipſas ſtrigiles vitæ hujus ultimam attingant metam, de quibus ita ille:

B

Jam lavat, & bucca foculum excitat, & ſonat unctis
Strigilibus, pleno componit lintea gutto:
Hæc inter pueros variè properantur; at ille
Jam ſedet in ripa.

C

Quod nimirum ſtrigilibus exinanita corpora facilè demittantur ad Orcum. Strigilum formam, ut apertius conſpiciatur, ex antiquiſſimis monumentis, quæ hic Romæ viſuntur, in hac danda icone ad vivum delineatam curavimus.



His enim utebantur veteres ad deſquamandum, fricandum, exſaniandum, purgandumque corpus in balneis, poſtquam ſudaſſent, lotione corpora abluiſſent, oleo, aut unguento eadem liniviſſent. Et apud Senecam epiſt. 123. diſtringere elegantiſſimè, eſt ſudorem ſtrigilibus ſiccare, & detergere: *Ut ſudorem*, inquit, *quem moverunt, potionibus crebris, & ferventibus ſubinde diſtringant.* Putabant enim veteres, ſanitati quamplurimum conferre, ſudorem excitare, & excitatum diſtringere; qua de cauſa non ſolum ante cœnam balnea petebant; ſed etiam poſt cœnam, ut iterum cœnarent, balneum ſudationis

F

gratia adire non verebantur. Tanto enim gulæ vitio tenebantur miſerrimi illi; ut excogitaverint, qua ratione ſatiari, atque pleno jam ſtomacho iterum eſurirent, iterumque ſitirent. quamobrem duplex cœnæ excoquendæ in ventriculo, via mandonibus illis fuit; ut adnotavit Theodor. Marcill. in Perſ. ſat. 3. balneo nimirum, de quibus jam ſumus in ſuperioribus loquuti, & ſudatione aſſa, quæ ſine lotione fiebat, in ea cella quæ *laconicon* dicta fuit à Vitruvio lib. 5. cap. 10. & πυριατήριον λακωνικὸν à Dione lib. 53. hoc eſt caldarium laconicum; de quo genere ſudationis Junius Colum. in Procem. lib. 1. dixit:

dixit : *Mox deinde ut apti veniamus ad ganeas, quotidianam cruditatem laconicis excoquimus, & exſucto ſudore ſitim quærimus :* de his etiam, qui ſudore ſitim excitabant, Seneca ait : *Deinde etiam iſti non videntur tibi contra naturam vivere, qui jejuni bibunt, qui vinum recipiunt inanibus venis ; & ad cibum ebrii tranſeunt? atque frequens hoc adoleſcentium vitium eſt, qui vires excolunt, in ipſo balnei limine inter nudos bibunt ; imò potant, ut ſudorem quem moverunt, potionibus crebris, ac ferventibus ſubinde diſtringant.* itaque ſudabant ad potum, & ſtrigilibus ſudorem diſtringebant; ut novi, ac ſitientes cœnam repeterent.

Diſtringi verò adeò pernecesſarium veteres putabant, ut illorum ex ſententia ſtrigiles, lintea, & oleum balneo neceſſario deberentur. *Video Gytona*, inquit Petron. *cum linteis, & ſtrigilibus parieti applicitum triſtem confuſumque, ſcires non libenter ſervire.* Erant enim mollioribus illis, ſervi ad uſum ſtrigilum tantum, præſertim pueri, quibus maximè veteres delectatos, ex monumentis antiquitatum conſtat. Eſt lapis perantiquus, qui id probat, quem ponit Guilelmus Choul in opere, quod de balneis ſcripſit. in eo puerulus deferens guttum olearium, atque ſtrigileculam conſpicitur, delineatus in eodem ſolio cum hero. ſtant quoque cum antiquo illo lapide veteres ſcriptores, atque Poëtæ. Perſius enim inter ſervulorum munia ſtrigilem ad balnea deferendam recenſuit, Sat. 5. dicens :

I puer, & ſtrigiles Criſpini ad balnea defer.

Et infra :

ſed ſi intus, & in jecore ægro
Naſcantur domini, quî tu impunitior exis ;
Atque hic, quem ad ſtrigiles ſcutica, & metus egit herilis?

Strigilum autem occaſione, argutum dictum Theocriti non erit prætereundum : qui cum aliquando in balneo diſtringeretur, duoque homines in eodem balneo, ſtrigilem ab ipſo mutuam, ad uſum tantum poſtulaſſent ; quorum alter furtorum nota notus erat ; alter verò peregrinus, ipſoque Theocrito ignotus ; utrumque argutiſſimè, ut Plutar. de vitio. pud. refert, removit dicens : *Te non novi, te vero novi.* ut alteri furta objiceret ; alterum verò ut peregrinum, ad uſum propriæ ſtrigilis minimè admitteret.

Qui verò ſervo, puero, aut amico ad ſtrigilum uſum carerent, quaſi neceſſario diſtringendi eſſent ; parietibus ipſis appliciti diſtringebantur. Quamobrem Hadrianus apud Spartianum commiſeratione commotus, in quemdam veteranum militem, qui penuria ſervorum parieti diſtringebatur ; eumdem ſervis donavit : *Hadrianus publicè, & cum omnibus lavit*, inquit : *cum verò veteranum quemdam dorſum, & cæteram corporis partem vidiſſet ſibi atterere, percontans cur ſe marmoribus diſtringendum daret ; ubi hoc idcirco audivit fieri ; quod ſervum non haberet : & ſervis eum donavit, & ſumptibus.* quin & ad rationem virtutis commutativæ juſtitiæ, alter alterum fricare redigit Clem. Alexand. lib. 3. pædag. cap. 10. *Eſt exercitium à faſtu alienum, & ipſum ſibi ipſi calceos inducere, & pedes lavare, & oleo unctum ſeipſum confricare. porro autem ei quoque qui fricavit mutuam dare operam, id quoque eſt communicativæ juſtitiæ exercitium.* Ad pietatem, religionemque facere exiſtimarunt ſuperſtitioſi illi Idolorum homines, Jovi, atque Junoni ſtrigiles afferre ; quaſi Diis gratum hoc eſſet. quod irridens Seneca epiſt. 95. dixit : *Deum colit qui novit ; vitemus lintea, & ſtrigiles Jovi ferre, & ſpeculum tenere Junoni. non quærit Miniſtros Deus : quid ni? ipſe humano generi miniſtrat ubique, & omnibus præſto eſt.* Licet verò, ut jam diximus, in ſacris literis nullus expreſſe, quod ſciam, habeatur locus, ad

A ſtrigilum uſum : verum ſtrigilum quoque conſuetudinem, notam Iſraëlitis conjectari, ut puto licet ; tum ex frequenti balneorum uſu ; tum etiam oleorum, ac unguentorum de cauſa : quorum ratione conſuetudinis, & uſus Hebræorum, ſacra ſæpiſſimè meminere oracula.

Sed quicquid dicendum ſit de ſtrigilibus, non ita de linteis, quæ neceſſitatis cauſa balneo, & unctioni præſtanda fuere. nec etiam de ſoliis ita dicendum erit, quorum uſus erat in balneo ad continendum aquas. Dicebatur vas iſtud labrum Ciceroni, Terentioque quaſi lavabrum, ſeu lavacrum ; dicebatur piſcina, nimpheum quoque eſt aliquibus in la-
B pidibus, Græcis *ἀσάμινθος*, *πυκλὸς*, *δροίτη* Nicandro, *λουτρὸν* Xenophonti, *πλυνὸς* quoque dicitur ; ſed de nominibus nihil, de re diſputandum. Erat enim ſolium ſella balnearis : vas nimirum in quo ſedebant, qui lavabantur, aqua ad genua, vel ſupra pertingente ; quorum plura, eaque præſtantiſſima tam genere lapidis, quam magnitudine ac forma Romæ viſuntur, publicè expoſita in platea Farneſiana, & alibi, antiquiſſimi luxus, & magnificentiæ monumenta digniſſima. Ex porfirio etiam pulcherrimum ſolium in platea Pantheon conſpicitur ; quale nimirum delicatiſſimè deſcripſit Epigrammatarius ſolium Byzantinum, qui tantum tres ſimul capere
C poterat, dicens :

Οὕτως δὴ χαρίτων λουτρὸν τὸ γ᾽, οὐδὲ γὰρ ἄλλους
Πλείους χωρῆσαι τοῦτο τριῶν δύναται.

Vult enim a præſtantia, atque pulchritudine poëta laudare illud ſolium, nec non etiam à venuſtate, quàm ibi lavantibus præſtabat. à ternario igitur numero illorum, qui in eo lavari ſolum poterant ; ſumit argumentum, ut in eo tres Gratias commorari affirmet, dicens :

Revera Gratiarum eſt hoc ſolium. nec enim alios
Plures quam tres capere hoc poteſt.

D Duo alia ſolia maxima, & ingentis magnitudinis foris ab ædibus in vinea Medicea prope Templum Trinitatis viſuntur. in quibus circumcirca, prout de more illius ætatis plurimi ſedere poterant, juxta illud Petronii : *Nam & dum lavor, penè vapulavi ; quia conatus ſum circa ſolium ſedentibus, carmen recitare.* Hoc autem adeò frequens erat veteribus, ut Plinius in epiſtolis hoc de ſuo avunculo referat; quod dum ſtrigili fricaretur, vel dictabat, vel aliquid audiebat. Juvenalis quoque Satyra 7. parentum in filios educationis ſtudium ad balneum dirigi irridet, dicens ad pædagogos.

E *Ut legat hiſtorias, auctores noverit omnes*
Tanquam ungues, digitoſque ſuos, ut forte rogatus,
Dum petit aut thermas, aut Phœbi balnea dicat
Nutricem Anchiſæ, &c.

Pluribus enim rumoribus, atque ſtrepitibus, balnea, & ſolia hominum inſolentiorum reſonabant, tam illorum qui lavandi cauſa illò accedebant, quam ſervorum qui ibi detinebantur in miniſterium eorum, qui abluebantur. dolet id Seneca epiſt. 56. dicens : *Ecce varius clamor undique me circumſonat, ſupra ipſum balneum habito.* & infra : *Adjice nunc ſcordalum, & furem deprehenſum ; & illum, cui vox ſua*
F *in balneo placet. adjice nunc eos, qui in piſcinam cum ingenti impulſæ aquæ ſono ſaliunt ; præter iſtos, quorum ſi nihil aliud recta voces ſunt ; alipilum cogita, tenuem & ſtridulam vocem, quo ſit notabilior ſubinde exprimentem, nec umquam tacentem, niſi dum vellit alas, & alium pro ſe clamare cogit.* hæc ibi Seneca à Petronio ſaltem indigitata.

Fiebant hæc ſolia ex ligno aliquando ; ſcripſit hoc Sue-

Sueton. in Auguſto Cæſare , dicens : *At quoties nervorum cauſa, marinis, Albulisque calidis utendum eſſet, contentus hoc erat , ut inſidens ligneo ſolio , quod ipſe Hiſpanico verbo* duretam *vocabat , manus ac pedes alternis jactaret.* hæc ibi. Fuiſſe verò ex ligno ſolia ad privatos , commodioresque uſus ; vel etiam fortaſſe primis illis temporibus non dubitatur. Verum nobiliora ſolia ex lapide , præſtantiſſimoque marmore extitiſſe , quæ paſſim Romæ conſpiciuntur , ac inter urbis parietinas reperiuntur , antiquorum ſoliorum majeſtatem referunt. Forma ſoliis erat ovata , nonnullis quadrata ; qualis eſt pulcherrimum illud , quod in platea Pantheon ex porphyrite viſitur , omni quidem admiratione digniſſimum. At Sidon. lib. 2. epiſt. 2. in formam hemicycli , ſi credimus Savaro , ſolium delineaſſe videtur. audiatur Sidonius: *Hinc aquarum ſurgit cella coctilium , quæ conſequenti unguentariæ ſpatii parilitate conquadrat , excepto ſolii capacis hemicyclio ; ubi & ferventis undæ per parietem foraminatum flexilis plumbi meatibus implicita ſingultat.* hæc Sidonius , ex quo Savarus hemicyclicum ſolium accepit. Dicerem ego ex Sidonio , ſolium cujuſcumque formæ , in cella non quadrata locatum fuiſſe ; ſed in cella , quæ formam hemicycli teneret : qua ratione in noſtris templis Tribuna ea pars templi appellatur , quæ arcuata ad hemicyclum in ſacratiori oraculo conſtruitur. Itaque hemicyclum Sidonii non quidem ad ſolii , ſed ad ædificii formam referrem. Quia verò inter cellas balnearias , in quibus nimirum aquarum uſus erat , recenſebantur caldaria , & frigidaria ablutionis de cauſa, ſolia pariter ad calidum balneum , nec non etiam ad frigidum fuere apud illos ; de priori Cocl. Aurel. tard. paſſ. lib. 3. cap. 5. *Et magis ſi æger ingrediens calidas cellas in fervens deſcenderit ſolium , cameras vocant caldariorum.* Hinc Lucret. lib. 6.

Denique ſi calidis etiam cunctere lavacris ,
Plenior & fueris ſolio in ferventis aquai.

In his verò , & in reliquis ſoliis aqua per tubos tranſmittebatur. ita Sidon. lib. 2. epiſt. 2. *Excepto ſolii capacis hemicyclio , ubi & vis ferventis undæ per parietem foraminatum flexilis plumbi meatibus implicita ſingultat.* Seneca quoque lib. 3. natural. quæſt. cap. 24. *Facere ſolemus* , inquit , *dracones & miliaria , & complures formas , in quibus ære tenui fiſtulas ſtruimus per declive circumdatas , ut ſæpe eumdem ignem ambiens aqua , per tantum fluat ſpatii , quantum efficiendo calori ſat eſt. frigida itaque intrat , effluit calida.*

Ad ſolii ſupellectilem , plura vocabula pertinere, perſpicuum eſt. quamobrem neutro genere non incommode , ſoliarium dici poſſe puto ; idem quod aliis ſoliaris cella ; illa nimirum , in qua ſolia conſervabantur. De quo Spart. in Caracalla. *Reliquit thermas* , inquit , *nominis ſui eximias , quarum cellam ſoliarem architecti negant poſſe ulla imitatione , qua facta eſt , fieri :* licet enim ſolia maxima forent in publicis thermis , in caldariis nimirum , atque frigidariis , quæ ad publicum, communemque uſum erant; quæ minimè hinc inde aſportari poterant ratione materiæ, ac molis vaſtitatis ; à ratione tamen alienum non erit Caracallam excogitaſſe cellam , in qua plura eſſent ſolia ad ablutionem , vel unius tantum , vel nobiliorum hominum : quæ vel lignea cum eſſent , hinc inde facile aſportari poſſent , vel ſi lapidea forent , minoris eſſent à communi ſolio formæ ; propterea uni , quod tantum accommodata unica ſervarentur in cella , quæ ſoliaris diceretur. Favet Salmaſius dicens , *Nam à ſolium ſoliaris , ut à dolium doliaris.* Coopertoriis tecta ſolia perſpicuum eſt. quod quidem operimenti genus ſoliar dicebatur ex auctoritate Varron. qui ait : *Phrygio qui pulvinar poterat pingere , ſoliar depingebat.* Soliar , ideſt quo ſolium tegitur ,

A inquit Turneb. lib. 17. adverſ. cap. 21. hinc etiam qui ſolia faciebat , ſive cuſtodiebat , ſoliarius dicebatur. pro quo ſtat lapis apud Gruter. pag. 643. n. 8.

DIIS. MANIB
M. CAECILIO. SP. F. SVC. RUFO
SOLIARIO. AB. LVCO. SEMELES
EX. TESTAMENTO. EIVS
CALVISIA. ZOSIME. ET
M. CAECILIVS. CALIPPVS
HEREDES. FECER.

B Solium etiam in ſacris literis agnovimus. Diverſis enim vocabulis vaſa ad ablutiones in divinis literis ſignificantur : ſicuti etiam ad diverſitatem uſus diſtinguuntur. nam vas illud , in quo aqua ebulliebat, ſive calebat , propter ſimilitudinem ad ollas, in quibus carnes coquuntur dicebatur סִיר , quæ vox communiter interpretatur *olla.* teſtes ſunt loca plurima in ſacris codicibus. 2 Regum 4. Exod. 16. & alibi paſſim. Ad uſum quoque balnei , eadem vaſa uſu extitiſſe ; prophetam auctorem habemus Pſalmo 59. nam ubi nos legimus : *Juda Rex meus , Moab olla ſpei meæ* , hebraicè legitur מוֹאָב סִיר רַחְצִי hoc eſt , *Moab olla lavacri mei.* & idem repetitur Pſal. 107.
C quam lectionem retinuerunt Sanctes Pagn. Arias Montan. Fœlix noſter à Prato , Vatabl. & omnes alii. nec mireris noſtrum interpretem dixiſſe , *ollam ſpei* , pro *olla ablutionis.* nam in omnibus Pſalmis , noſter interpres attendens magis ſenſum , quam verba , ſequutus eſt græca exemplaria ; quæ cum aliquando fortaſſe legerent , Μωὰβ λέβης τῆς κάλπιδός μου. ideſt , *Moab olla pelvis meæ* , quoad nimirum tunc temporis fortaſſe apud Iſraëlitas ſervorum Moabitarum maximus eſſet numerus , iiſque uterentur Iſraëlitæ ad aquam ferendam in urnis , ſoliiſque balneariis ; quemadmodum aliquando conſtituerat Joſuë Gabaonitis , ut legimus in lib. Judic. ab his ſumpta
D metaphora dixit : *Moab olla pelvis meæ.* hoc eſt, Moab vas calefaciens aquam lavacri mei. ſive Moab ſolium lavacri mei, quod nimirum ab his aqua in ſoliis miniſtraretur. mutata enim dictione κάλπις , quam fortaſſe nonnulli habebant codices , in dictionem ἐλπὶς , quæ ſpem ſignificat , & alii ita tranſcripſerunt , ad ſenſum interpretes reſpicientes , magis quam ad verborum ſonum ; hanc retinuerunt lectionem , atque *Moab olla ſpei meæ* dixerunt: ſignificante ſacro textu , nemini licere ingredi ſanctum gloriæ tabernaculum , ad quod omnis ſpes noſtra dirigitur ; niſi jam balneo purificatis , juxta illud Servatoris noſti : *Niſi quis renatus fuerit ex aqua , & Spi-*
E *ritu ſancto , non intrabit in regnum cælorum.*

Eſt locus in divinis oraculis pro Iſraëlitarum ſolio quam maximè reconditus. dicitur enim Zachar. 14. *Et erunt lebetes in domo Domini , quaſi phialæ coram altari.* ideſt , ollæ erunt quaſi inſtrumenta purificationis , quibus nimirum homines immundi à ſordibus purgabuntur. ſic enim legitur hebraice וְהָיָה הַסִּירוֹת בְּבֵית יְהוָה כַּמִּזְרָקוֹת hoc eſt, *Et erunt ollæ in domo Domini ſicut purificatoria.* nam dictione מִזְרָק ſignificantur vaſa illa ad formam pateræ, in quibus ſanguis victimæ , & aqua luſtralis ſervabantur ad aſpergendum homines , ut à ſordibus , & criminibus purificarentur. Ex quibus perſpicuum eſt , dictione
F סִיר apud Zachariam ſignificari vaſa illa , quæ Sacerdotibus erant in uſu ad purificandos homines , qui ut ſacrum facerent altaria adibant ; aliis verò in locis ſacrarum literarum ſimili voce pariter ſignificari vaſa ad hominum purificationem. Alia etiam voce eadem vaſa dicuntur כִּיּוֹר , ideſt *lebes* , ſeu *luter* , quod vas magnum , in quo aqua ſervabatur ad ablutiones, ſignificari conſtat ex pluribus ſacræ Scripturæ locis,

M Exod.

Exod. 30. & 40. Levit. 8. 3. Reg. 7. lib. 2. Paralip. 4. in quibus ſermo eſt de conchis, ſive luteribus à Moyſe ex Dei præſcripto, & à Salomone in tabernaculo, ac Templo ad ablutiones Sacerdotum conſtitutis. dicebantur verò, ut puto, כִּיּוֹר *chior* hujuſmodi utenſilia, à radice כור *chur*, quæ *fornax* interpretatur: non quidem quod ignem hæc vaſa exciperent; ut ex his quæ ſcribuntur de fabrica templi, ac tabernaculi perſpicuum eſt; ſed potius ſic dicebantur, quod ſupra hypocauſton, ut dicemus, eo ſtatim conſtructo, locata forent, in cella caldaria, ſive etiam in tepidario ad ablutionum uſum. Quarum ablutionum conſuetudinem, non tam ratione legis Moſaicæ, quam etiam voluptatis gratia, frequentiſſimam fuiſſe, ex jam dictis conſtat.

Quod autem domi quoque haberentur hujuſmodi vaſa, vel his ſimilia ex lapide conſtructa, ex cap. 11. Levit. non obſcurè, me judice, colligitur. ſermo enim ibi eſt de utenſilibus domeſticis, lexque ibi pro illorum immunditia à Deo traditur, ut norint Iſraëlitæ quibus uti liceat, quibus verò non: quamobrem lex de urnis aquariis etiam loquitur hac forma verborum: *Et omne ſuper quod ceciderit cadaver illorum, immundum erit; clibanus & chytropodes diruantur; quia immunda ſunt.* Quinam ſint chytropodes, ex Hebræo explicatur, ubi ſic legitur: תַּנּוּר וְכִרַיִם יֻתָּץ hoc eſt, *furnus & luteres diruantur*: dirui verò non dicuntur, niſi lapidea utenſilia. dirui quidem furnum poſſe planè conſtat: ejus enim ſtructura ex lateribus calceque ruinam, & reſtitutionem admittit: luteres verò domi ſervati, diruendi nequaquam dicerentur, ſed confringendi lapidei, ſi extitiſſent. Quamobrem ex prophetæ David teſtimonio, necnon etiam Levitici auctoritate, luteres, ac domeſtica ſolia in ablutionum uſu Iſraëlitas habuiſſe ſubodorantur. nam purificationum quoque ratio, domeſticaque balnea, neceſſario vaſa hæc expoſcunt.

CAP. XXXVI.

Sudatorii, Calidarii, Tepidarii, Unctuariique calor illuſtratur.

Ad loca Jerem. 1. *Ollam ſuccenſam ego video, & facies ejus à facie Aquilonis.* Apocalyp. 21. *Timidis autem, & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & omnibus mendacibus, pars eorum erit in ſtagno ardenti igne, & ſulphure.* Et ad alia.

Sacra inquirimus; hæc explicanda ſuſcepimus, propterea non erit nobis diſputandum de architectura thermarum; auctoritate Plinii, Sidonii, & Vitruvii, qui eam ad proportionem humani corporis excogitarunt. Hæc enim Hieronymus Mercurialis, Andræas Bacius, Roſinus, & cum Roſino Dempſterus in Roman. antiquit. alii quoque plures, qui commentaria ediderunt in Perſium, ac in Plinii epiſtolas, doctiſſimè pertractarunt. quapropter de thermarum conſervatione, illarumque ædificio, illa tantum à nobis præ oculis habenda ſunt; quæ ſacræ Scripturæ oraculis lucem aliquam afferant. Ut enim ſæpe alibi diximus, illarum de cauſa oleorum & unguentorum materiam elucidandam ſuſcepimus. quibus quidem in præſentiarum non minima præſtabitur lux, ſi aperire tentabimus, quid hypocauſti vocabulo in ædificio thermarum intelligi debeat, & qua ratione caldaria, tepidaria, atque unctuaria calorem haurirent. ne ab aëre frigido, nudata in balneis corpora læderentur, dum lavabantur, ungebantur, ſudoribuſque operam dabant.

Calefieri has thermarum cellas ab igne affirmabunt A omnes, affirmamus & nos. verum qua in parte thermarum ignem accendere veteres conſueverint dubitatur. in fornace igne accenſo, calorem excitari; communicarique balneo dicent, nec nos negabimus. ſed de fornacis ſitu in ædificio thermarum quæritur: cohæreretne cellis nimirum, an verò ipſis ſubjaceret; hoc ambigitur. quis hoc explicaverit non video. nos aperire tentabimus; atque ab hypocauſto calorem ſuſcepiſſe eas omnes dicemus thermarum cellas, quæ vel ad ſudationis, vel unctionum, vel ablutionum de cauſa calore indiguiſſent. Erat autem hypocauſton, quod Ciceroni vaporarium: de quo ita ad Q. Frat. 3. lib. epiſt. 1. *In balneariis, aſſa in* B *alterum apodyterii angulum promovi, propterea quod ita erant poſita, ut eorum vaporarium, ex quo ignis erumpit, eſſet ſub tectum cubiculi.* Fallitur Manut. in Comment. dicens: *Aſſa pro hypocauſto.* Fallitur etiam in mutanda lectione; putat enim legendum *ſubjectum cubiculis.* Fallitur etiam Theſaurus linguæ Latinæ; accipit enim vaporarium, pro tepidario. verum ex Cicerone liquet, hypocauſton nihil aliud fuiſſe, quam furnum, ſive caminum ignis, unde balneum calebat. vel potius locum in thermis concameratum, & fornicatum, habentem ante, præfurnium, propigneon nimirum Plin. epiſt. 17. lib. 2. in quo igne appoſito ille calebat. Apertius dica- C mus hypocauſton fuiſſe fornaculam, ſive caminatam ſtructuram, concamerationemve, in qua ignis ſuccendebatur, à quo aqua calefiebat ad uſum balnei, & cellæ thermarum omnes calorem hauriebant.

Dicebatur enim hypocauſton ἀπὸ τοῦ ὑπόκειμαι, quod eſt ſubjaceo; quod nimirum concameratio hæc in ædificio thermarum cellis reliquis ſubjaceret; quod & Cicero ibi aperuit, affirmans propterea ſe in conſtructione balnei, aſſa in alterum apodyterii angulum removiſſe; quod furnus inferior, ex cujus ore ignis erumpebat, ſubjaceret tecto cubiculi. nam eo igne qui à fornacis ore erumpebat; damnum non minimum pati poſſe cubiculum merito dubitabatur. D Plin. etiam lib. 5. epiſt. in ea quæ eſt ad Apollinarem, loquens de fabrica balnei, meminit hypocauſton: *Cubiculum hieme tepidiſſimum*, inquit, *quia plurimo ſole perfunditur, cohæret hypocauſton; & ſi dies nubilus, immiſſo vapore, ſolis vicem ſupplet.* hoc eſt teporem illi affert. Erat ergo hypocauſton, unde in thermis Calidarium, Tepidarium, Unctuarium, Sudatoriumque, quod πυριατήριον Græcè dicebatur, λακονικὸν Vitruvio, & Celſo θόλος ξηρὸς Aphrodiſeo, Aſſa Ciceroni, & Senecæ ſicca; ut varia etiam hujus cellæ nomina cognoſcantur; quæ quidem ſudationis cauſa, ſicut etiam reliquæ thermarum cellæ, calidum ab hypocauſto recipiebant aërem: ut nudi E in eo, aëre frigido circumambiente, nulla ratione læderentur; ſi quando lavari, ungive, ac ſudare in ea illi voluiſſent.

Plures enim in thermis cellæ cum eſſent, quæ calore indigerent; nimirum ſudatoria, calidaria, unctuaria, & tepidaria, uno, eodemque igne calorem omnibus communicari oportuit. non ſolum ut caloris, atque ignis cauſa, expenſæ levarentur; ſed etiam ut calor uniformior ad eas omnes extenderetur. Nam aliàs cuilibet cellæ proprius fuiſſet adjungendus furnus; & cuilibet furno incendendus, ſingulari lignorum ſtrue, ſuus ignis fuiſſet; quod copioſiori F lignorum materia fieri neceſſe erat. Præterea his etiam cellis, ſingulis cohærentibus furnis, calor nequaquam temperari potuiſſet ad rationen cellarum, atque ex indigentia uſus, vel balnei, vel unctionis, vel ſudationis, vel denudationis illorum, qui balneo, vel unctione recreari vellent. Si verò unicum tantum furnum conſtruxerimus in æquali plano cum ſudatoria, calidaria, tepidaria, & unctuaria cellis: ea ratione, ut cohærens priori, calor communicaretur

tur ſudatoriæ primum, dehinc calidariæ, & ita pa- A
riter reliquis, neceſſario à ſcopo aberraremus. Nam
aqua ipſa balnei in calidaria, licet nequaquam diffi-
cile, ſaltem minus commodè calore iſto calefieri po-
tuiſſet. quapropter, ut cuncta ad rationem uſus, in-
digentiæque caloris, juxta rationem architectonicæ
diſtribuantur; hypocauſton ſubjici neceſſe eſt omni-
bus his cellis: & ab hypocauſto major, vel minor
calor, his vel illis communicari cellis. quod etiam
ex actis Cæciliæ virginis Romanæ confirmare poſſu-
mus, in quibus ſic legimus: *Cum autem eſſet in aëre
calido balnei ſui incluſa, & ſubtus tota die, & nocte
magna vis lignorum adhiberetur*, &c. minimè, ſup- B
ple, calore oppreſſam legimus.

Propnigeon alterum thermarum membrum erat;
cohærebat hypocauſto: ſic autem dicebatur ἀπὸ τοῦ
πρὸ, καὶ πνιγεὺς, quaſi dicas ante furnum; præfur-
nium hypocauſton illud diceremus. Huic flammam
& calorem propnigeon communicabat. in hoc enim
ſervabantur prunæ, & conſtipata ligna ſuccendeban-
tur, ut ab eo flamma in fornace concamerata, at-
que caminata; nimirum in hypocauſton extenſa,
in eo divagaretur. præfurnium hoc, ſive propnige-
on, os fornacis à Sidonio dictum arbitror lib. 2.
epiſt. 2. *Balneum ab Aphrico*, inquit, *radicibus ne-
moroſæ rupis adhæreſcit, & ſi cædua per jugum ſilva
truncetur, in ora fornacis, lapſu velut ſpontaneo, de-
ciduis ſtruibus impingitur.* Illud idem os fornacis Si- C
donii, græco vocabulo retento Propnigeon Plin.
lib. 2. epiſt. 17. dicitur: *Adjacet*, inquit, *unctua-
rium, hypocauſton, adjacet propnigeon balnei.*

Lux hinc hauritur loco Jerem. cap. 1. in quo Pro-
pheta interrogatus à Spiritu ſancto quid videret, re-
ſpondit, *Ollam ſuccenſam ego video, & facies ejus à
facie Aquilonis.* Quinam fieri potuit, ut ollam in-
verſam Propheta intueretur, & ex ea minimè pru-
næ, ac flammæ everterentur? quærendum igitur
ſupereſt, quidnam faciei nomine, in viſione ollæ,
intellexerit Propheta. nam ſi os intelligatur ollæ;
quod ſtante illa cœlum reſpicit, cum ſurſum verſus D
aperiatur; nec Orientem, nec Occidentem, Au-
ſtrum, aut Aquilonem reſpexiſſe à Propheta verè
affirmari poſſet. non igitur dici poteſt ollam vidiſſe
prophetam igne plenam, ex cujus ore flamma erum-
peret; & facies ejus à facie Aquilonis. At ſi faciei
nomine partem ollæ anteriorem intelligere volueri-
mus; cum inde nulla erumpat, aut erumpere queat
flamma, Prophetæ argumentum evanuit. propterea
enim ad Aquilonem ollam ſe reſpicere aſſeruit, quod
ab Aquilone ventura eſſent mala omnia ſuper civita-
tem Jeruſalem.

Verum ſi ad hebraicum textum confugerimus,
cuncta explicatiora fient. ſic enim in eo legimus E
סִיר נָפוּחַ אֲנִי רֹאֶה ſtante igitur hujus textus ſacri lectio-
ne, advertamus oportet vim vocabulorum, atque ab
illorum ſignificatione Prophetæ ſenſum attendemus.
nam vocabulo סִיר *ſir*, ſolium, ſive ollam balnei ſi-
gnificari jam diximus. Prophetæ igitur ſenſus erit,
argumento ſumpto per figuram ſynecdochen, parte
nimirum pro toto poſita, ſe vidiſſe balneum, cujus
hypocauſton, ſive fornax ſuccenſa erat; illiusque
fornacis os, ex quo flamma erumpebat, Aquilonem
reſpiciebat. Nam per os fornacis immittuntur ligna,
ut per hypocauſton flamma ſpatietur, & ex ore for-
nacis flammæ foras erumpunt. hinc à comparatione
argumento ſumpto Spiritus ſanctus ſe concitaturum F
populos Aquilonares ad arma & bella affirmabat; qui
veluti flamma civitatem Jeroſolymitanam, omnem-
que Iſraëliticam gentem perderent, ac vaſtarent.

Supra hypocauſton duo ad ſummum componeban-
tur ſolia, vel ahena; alterum caldarium, quod in
medio cellæ balneariæ collocatum exiſtimo, in quo
ſatis erat vis caloris; altera in cella alterum tepidari-
um appellatum. hoc verò remotiori parti hypocauſti,
ut puto reſpondebat, in quo calor tantiſper remitte-
batur: non enim utraque cella pari caloris gradu affici
debuit. Frigidarium nullam certè hypocauſti par-
tem retinuiſſe certiſſimum eſt: aliàs nec nomini;
nec ablutioni illorum, qui frigidam deſiderabant ac-
commodatum extitiſſet. Tantus verò excitabatur
calor in ſolio, celliſque ſupra illud conſtructis; quan-
tum deſideraſſent hi, qui in cellis detinebantur, vel
unctionis, vel ſudationis cauſa. Veteres enim per
quoſdam tubos & canales intra parietes ipſos immiſſos
calorem ab hypocauſto ad cellas tranſmittere, atque
diffundere conſueverunt. teſtatur hoc Seneca epiſt.
90. ad Luc. loquitur hic de thermis; dicens: *Et
impreſſos parietibus tubos, qui ima ſimul & ſumma fo-
verent æquiter.* His tubis ſuis in locis adjungeban-
tur claves, quemadmodum fiſtulis aquarum, ut fo-
ras exhalante vapore, ad voluntatem illorum qui un-
gebantur, vel lavabantur, calor temperaretur. quod
veterum thermarum ruinæ, quæ Romæ viſuntur,
apertius quam deſideretur demonſtrant.

Temperati caloris rationem habuiſſe in balneis prio-
ris ſeculi homines, ſcribit Plutarch. Sympoſiac. lib.
8. quæſt. 9. dicens: ἐκεῖνοι γὰρ οὕτως ἀνειμένοις ἐχρῶντο,
καὶ μαλακοῖς, ὥστε Ἀλέξανδρος μὲν ὁ βασιλεὺς ἐν τῷ λου-
τρῶνι πυρέττων ἐκάθευδεν. αἱ δὲ Γαλατῶν γυναῖκες εἰς τὰ
βαλανεῖα πόλτου χύτρας εἰσφέρουσαι, ὃν μετὰ τῶν παίδων ἤ-
σθιον, ὁμοῦ λουόμεναι. hoc eſt, *Illi*, ſupple noſtri ma-
jores, *adeo lenibus, atque tepidis uſi ſunt balneis, ut
Alexander Magnus in balneo febricitans dormierit. Ga-
latarum autem mulieres pultem cum ſuis pueris ederint.*
Seneca quoque epiſt. 86. ait: *Nam hoc quoque nobi-
liſſimi ædiles fungebantur officio; intrandi ea loca, quæ
populum receptabant, exigendique munditias, & uti-
lem, & ſalubrem temperaturam.* Statius quoque lib.
1. Silvar. in illa quæ eſt de balneo Etruſci, ait:

Quid nunc ſtrata ſolo referam tabulata crepantis,
Auditura pilas, ubi languidus ignis inerrat,
Aedibus & tenuem volvunt hypocauſta vaporem.

Verum non ita, rebus poſtmodum ad luxum de-
clinantibus agebatur: quod quam maximè dolet Se-
neca epiſt. 51. *Quid mihi*, inquit, *cum iſtis calen-
tibus ſtagnis? quid cum ſudatoriis? in quæ ſiccus vapor
corpora exhauſturus includitur.* De his etiam Plutarch.
parum ſupra à citato loco dolet, quod nimis calido
ſui ſeculi homines uterentur balneo, dicens:

ἔνθα μὲν εἰς Ἀχέροντα Πυριφλεγέθων τε ῥέουσι.

τοῦτο γὰρ ἄν τις εἰπεῖν μοι δοκεῖ τῶν ὀλίγον ἡμῶν ἔμπροσθεν
γεγονότων, βαλανείου θύρας ἀνοιχθείσης. innixus Plu-
tarchus teſtimonio Homeri improbat caloris vehe-
mentiam in balneo ſui ſeculi, dicens:

Stagna Periphlegeton ſubit hic Acherontia fervens.

*Hoc enim dicturus quis mihi videtur ex his, qui pau-
lulum nos anteceſſere, ſi balnei portam apertam intro-
ſpexiſſet.* Seneca quoque loco jam citato epiſt. 86.
dolens ſuorum temporum luxum ex nimio balnei ca-
lore, addebat ad ea quæ jam retulimus. *Non hanc*,
ſupple caloris temperaturam, *quæ nuper inventa eſt
ſimilis incendio; adeò quidem ut convictum in aliquo
ſcelere ſervum vivum lavari oporteat, nihil mihi vide-
tur jam intereſſe ardeat balneum an caleat.*

Monemur hic, auctore Seneca, conſueviſſe vete-
res hoc genere mortis ſervos interdum necare; vel
illos vivos in balneo claudendo, ut caloris vi ſuffo-
carentur; vel calentium aquarum ardore in ſolio de-
tinendo tam diu, quam diu expilati expirarent: vel
tandem venarum abſciſſione, ut ſenſim ſanguine effu-
ſo illi extinguerentur.

Priori genere mortis tentatam nobiliſſimam Virgi-
nem Cæciliam, ac denique cervicem dediſſe, vi-

tamque cum vita in melius commutaſſe ; in actis ipſius legitur, hac verborum forma : *Tunc valde iratus Almachius Judex, juſſit eam reduci in domum ſuam, & illic balnei calore conſumi.* Calor balnei hic dicitur, qui communis erat ſudatoriæ & calidariæ cellæ, quæ ut diximus, ſupra hypocauſton ædificatæ erant. ideò ſubditur : *Cum autem eſſet*, ſupple Cæcilia, *in ære calido balnei ſui incluſa, & ſubtus tota die, ac nocte magna vis lignorum adhiberetur, illic illæſa, tamquam in frigidario locata permanſit, ſalvaque Domini gratia : adeo ut nulla pars omnino ex ejus membris fuerit, vel in minimo ſudoris ſigno humefacta.*

Poſterioris mortis genere Rufina & Secunda virgines tentatæ fuere ; ſed in alia thermarum cella, in ea nimirum, in qua ſolium ad ablutionem ſervabatur. Cum enim ambæ hæ virgines in tenebricoſum, & fœtidum carcerem incluſæ fuiſſent ; & ſtatim clariſſima lux, ſuaviſſimuſque odor locum impleſſet ; ut dicitur in actis ipſarum relatis in Breviario Romano, ſub die 10. Julii *in ardente balnei ſolio includuntur.* ſuſpicari quis poſſet nequaquam has Virgines incluſas fuiſſe ſolio ipſo ; ſed dici in ſolio incluſas, quòd in cella illa in qua ſolium erat, ad mortem clauſæ fuerint ; quæ ut diximus, eodem calore cum ſudatoria concaleſcebat ; quapropter non minus, quam prior illa cella ad ſuffocandum homines apta erat : ſecus tamen hiſtoria tradit, illæſaſque in ſolio incluſas affirmat. quo etiam mortis genere Criſpum à Conſtantino necatum ex Zoſimo nonnulli referunt ; necnon etiam uxorem, quæ Criſpo necis cauſa fuerat.

Ab hoc etiam mortis genere, juxta temporum conſuetudinem ſumpta metaphora Joannes in Apoc. quoties de pœna criminoſorum acturus fuit, toties ad ſtagnum ignis ardentis, ac ſulphuris ſe contulit; habita, ut reor, ratione ad genus mortis, quo ſervi ſcelere aliquo convicti puniebantur. Dixerat enim Servator noſter ſanctiſſimus, *Qui facit peccatum, ſervus eſt peccati.* Propterea Joannes ad genus mortis quo ſervi afficiebantur confugiens cap. 21. Apocalyp. ait : *Timidis autem, & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus, pars eorum erit in ſtagno ardenti igne & ſulphure :* nam dictio Græca λίμνη, quæ habetur in textu ſacro, & ſtagnum interpretatur, non ſolum de collectione aliqua aquarum copioſa, ſub dio poſita, verificatur, ſed etiam de ſtagnis, atque piſcinis domeſticis : quamobrem in gymnaſio quoque, ac balneo vocem illam valere, perſpicuum eſt apud auctores. in his enim natare etiam veteres conſuevere, propterea metaphora ſumpta, à toto thermarum ædificio, nimirum à ſolio, & à piſcinis aquarum calentium, & ab igne unde calebant ſolia, in ſulphure & igne hæreditatem criminoſorum hominum Joannes conſtituit : quibus non ſolum in hac vita, ſed etiam in futura, cruciatibus, ac pœnis in perpetua vita, perpetuo necarentur.

Huic cellæ caldariæ proxima erat, quæ tepidaria dicebatur ; ab aliis media ; quod nimirum inter frigidariam, & calidariam medium teneret locum. nam in priori ædificii parte, ubi calor vehementior fuiſſet, calidum erat balneum ; in altera extrema ædificii parte extra hypocauſton, frigidum habebatur ſolium ; in hac media cella caloris vis tantiſper remittebatur ; ut neque frigida, neque calida eſſet ; tum ratione ſitus, tum etiam tuborum, per quos calor communicabatur cellæ, per fiſtulas apertas ad calorem remittendum : quam propterea tepidariam dictam agnovimus.

Quia verò ungi aliquem cella non calida minus erat ad rem ; inquirendum ſupereſt, in quanam illarum cellarum ungi veteres conſueverint ; in ſudatoria nimirum, an in caldaria, an denique in tepi-

A daria, vel etiam in alia quæ alipterium diceretur : ſive potius confundendæ hæ cellæ ſint, neminique diſtinguendum alipterium à ſudatoria, aut ſudatoria à caldaria ; ſed promiſcuè accipienda ſint cuncta. Certum eſt enim illos veteres in ædificio thermarum locum unctionibus deſtinatum habuiſſe, qui Alipterium diceretur : verum in ſudatorio unctos aliquando veteres, Celſi auctoritate probari poteſt, de remed. lib. 1. cap. 2. ait enim : *Sub veſte primum in balneo inſudare, ibi ungi, tum tranſire in calidarium.* Cum igitur calidarium diceretur locus, in quo illi poſt ſudationem lavabantur ; & Celſus dicat, illos in eodem loco unctos in quo ſudaſſent, B in eadem igitur ungebantur cella veteres, in qua ſudaſſent : quamobrem alipterium, ſive unctuarium à ſudatoria indiſtinctum hoc teſtimonio cenſebitur.

Sed ſi credimus Petronio, nequaquam in ſudatorio, ſed in calidario, ubi nimirum ſolium ad ablutionem conſtitutum erat, veteres ungebantur. ſic enim ille habet. *Itaque intravimus balneum, & ſudore calefacti, momento temporis ad frigidam eximus ; jam Trimalchio unguento perfuſus tergebatur, non linteis, ſed palliis ex molliſſima lana factis.* non igitur Trimalchio in frigidaria, ſed in priori calida, in qua balneum erat, ibi ungebatur. ſtat cum Petron. Plaut. in Pœn. act. 3. ſcen. 3. in qua Lycus C leno Collybiſcum villicum decipere volens, deliciarum ſpondet chaos, vini nimirum & unguenti, dicens :

Ubi tu Leucadio, Lesbio, Thaſio, Coo,
Vetuſtate vino edentulo ætatem irriges.
Quid multa verba ? faciam ubi tu laveris,
Ibi ut balneator faciat unguentariam.

Ut faciat nimirum balneum, in quo laveris, in unguentariam officinam permutari. cum igitur dixerit Plauti Lycus ibi unguenta effluenda, ubi, ideſt in ea cella, in qua Collybiſcus laviſſet, planè inſinuaſſe videtur calidarium ab alipterio minimè D diſtingui.

Sed Theodor. Marcil. in ſat. 3. Perſ. unctuarium confundi cum tepidario putat, dicens : *Sic eadem tepidaria, & unctuaria Epitecto & Plinio epiſt.* 17. *lib.* 2. *unguentaria Sidonio epiſt.* 2. *lib.* 2. hæc ibi apud Marcilium. de his Sidonius ita. *Hic aquarum ſurgit cella coctilium, quæ conſequenti unguentariæ, ſpatii parilitate conquadrat.* hoc eſt, *cellæ tepidariæ, & unguentariæ*, inquit Savarus. ſed nihil in his, me judice, neque pro Theodoro, neque pro Savaro ; unguentariæ quidem Sidonius meminit, nullibi tepidariæ. ſtat certè pro Theodoro Epitectus in altercatione cum Adriano Auguſto definiens hominem. E *Quid eſt homo*, inquit, *balneo ſimilis ; prima cella tepidaria, unctuaria, infans natus perungitur ; ſecunda cella ſudatoria, pueritia ; tertia cella aſſa perferentaria juventus.* Favet etiam Plinius loco jam citato. cujus quidem ſenſus ut percipiatur, ab ordine in enumerandis cellulis balnei accipiendus erit. incipit enim à frigidaria ad mediam, ad calidam, dicens : *Inde balnei cella frigidaria, ſpatioſa, & effuſa, cujus in contrariis parietibus duo baptiſteria velut ejecta ſinnuantur, abundè capacia ſi innare in proximo cogites. adjacet unctuarium, hypocauſton ; adjacet Propnigeon balnei, mox duæ cellæ magis elegantes quam ſumptuoſæ, cohæret calida piſcina mirifice, ex qua natantes mare aſpiciunt.* F hæc ibi Plinius. qui dum unctuarium poſtponit frigidariæ cellæ, & hoc ipſum calidariæ præponit ; tepidarium ab unctuario minimè diſtinxiſſe videtur. tamen in eò loco Plinii Catanæus commentator confundens unctuarium, & hypocauſton, legendum probat : *adjacet unctuarium immo hypocauſton.* Sed verius Plinii ſententiam intellexiſſet, ſi accepiſſet hypocauſton in dandi caſu, & verbum *adjacet*, pro ſu-

ſuperjacet, locumque hac paraphraſi interpretatus fuiſſet; ſuperjacet hypocauſto unctuarium, ſuperjacet unctuarium propnigeon balnei; mox duæ cellæ magis elegantes, quam ſumptuoſæ: cohæret unctuario mirificè calida piſcina, etenim hypocauſton & propigneon ſubjecta fuiſſe reliquis cellis jam monſtravimus.

Nobis tamen non erit de numero cellarum balnei, illarumque diſtinctione digladiandum; ſed veteres aliquando unctos in ſudatorio, & id frequentius, ut propterea Martialis infra explicandus dixerit:

Siccos pinguis onyx anhelat æſtus.

Aliquando etiam in calidario, frequentius forte etiam in tepidario, tamquam in propria ſede; quamobrem licet alipterium, ſeu unctuarium cum calidaria aliquando, interdum cum ſudatoria in thermis, nonnumquam etiam cum tepidaria, fuerit indiſtinctum; at non ita frequentius; ſed quamquam ab illis duabus cellis alipterium diſtingueretur; à tepidario certè ex communi uſu non diſtinguebatur. Propterea enim qui apud Petronium, à calida ſtatim ad frigidam tranſierunt; amicum Trimalchionem unguento perfuſum agnoverunt; quia per mediam tepidariam tranſeuntes, ibi illum inter unguenta verſari compererunt. Non negarim tamen veteres illos adeò profuſos fuiſſe in ædificiis thermarum, de quibus jam diximus cap. 31. ut non ſolum majeſtatem exquiſitam, in his quæſierint; ſed etiam cellarum numerum, muneribus balnei diligentiſſimè accommodatum curarint. quapropter in illis aliquando alipterium etiam, ſive elæoterium, & unctuarium à reliquis cellis diſtinctum extitiſſe non ambigo. balnea tamen omnia hunc habuiſſe cellarum numerum non admitto. Quæ verò alipterium habuere, ſupra hypocauſton illud habuiſſe neceſſe fuit. ſaltem enim modeſtiores nequaquam abſque calore in thermis ungebantur; juxta doctrinam Celſi lib. 1. cap. 2. dicentis: *Exercitationem rectè ſequitur, modo unctio, vel in ſole, vel ad ignem; modo balneum, ſed in conclavi quam maximè & alto & ſpatioſo.* Seneca quoque epiſt. 56. aliptam intra balneum ſtatuit, qui verſetur cum his, qui nudi balnearium agunt; ac propterea inter calidas tantum cellas alipterium recenſeri poterit.

Nec ſolum cellarum rationem habuere nepotini illi in uſu balnei, atque unguentorum, ſed etiam temporis atque horarum. ut etiam indigitavimus ſupra cap. 30. monet id Plutar. de defect. oracul. dicens: ἤδη δέ πως ἀπὸ τοῦ νεὼ προϊόντες ἐπὶ ταῖς θύραις τῆς Κνιδίων λέσχης ἐγεγόνειμεν· παρελθόντες οὖν εἴσω, τούς φίλους πρὸς οὓς ἐβαδίζομεν, ἑωρῶμεν καθημένους, καὶ περιμένοντας ἡμᾶς· ἦν δὲ τῶν ἄλλων ἡσυχία διὰ τὴν ὥραν, ἀλειφομένων ἢ θεωμένων τούς ἀθλητάς· hoc eſt: *Interea à templo progreſſi, ad fores Curiæ Cnidiorum venimus. ingreſſi igitur, amicos, quos volebamus conventos, ſedentes offendimus, & nos expectantes; erat autem aliorum conventus, quieſcentibus tum reliquis, quod ea diei eſſet hora, ut vel ungerentur, vel athletas ſpectarent.* hæc ibi Plutar. de abluendi hora nos quoque admonet Seneca cap. 12. de brevit. vit. Qui luxum ſui ſeculi damnans, *nec illos quidem*, inquit, *inter otioſos numeraveris, qui ſella ſe & lectica huc, & illuc ferunt; & ad geſtationum ſuarum, quaſi deſerere illas non liceat, horas occurrunt; quos quando lavari debeant, quando natare, quando cœnare alius admonet.* Fuit verò unctionis hora, eadem quæ ablutionis erat, nimirum pomeridiana ſub veſperam, de qua Vitruvius: *Tempus lavandi*, inquit, *à meridiano ad veſperum eſt maximè conſtitutum.* Quando videlicet accubituri fuiſſent ad cœnam. Hujuſce moris crebra in Plinianis epiſtolis fit mentio, ut lib. 3. epiſt. de Spurina. *Vbi hora balnei nunciata eſt. eſt autem hieme nona, æſtate octava, in ſole, ſi caret vento, ambulat nudus; deinde movetur pila vehementer, & divinum hoc quoque exercitationis*

A *genus pugnat cum ſenectute, lotus accubat, & paulisper cibum differt. interim audit remiſſius aliquid, & dulcius; paulo poſt apponitur cœna.* Præclarè his illuſtratur locus Cicer. ad Att. lib. 13. epiſt. 50. Ciceronem namque æſtatis tempore hoſpitem habuiſſe in propriis ædibus Cæſarem, cum de Reipublicæ principatu cum Pompejo ille contenderet; ex hora octava, quæ ut diximus, ablutioni erat accommodata, planè colligitur. ſic enim ait: *Ille*, ſupple Cæſar, *tertiis Saturnalibus apud Philippum ad horam VII. nec quemquam admiſit. rationes opinor cum Balbo. Inde ambulavit in littore. Poſt horam octavam in balneum, tum audivit. De Mamurra non mutavit, unctus eſt,*

B *accubuit.* Balnei octava hora erat, ut jam diximus æſtatis, non verò hiemis; ut meritò Cæſarem eo tempore ad Ciceronem veniſſe cenſeatur à nobis. tempus igitur lotionis, atque unctionis erat ſub veſperam. inde Martial.

Sufficit in nonam, nitidis octava Palæſtris.

Et lib. 10. inquit:

Nunciat octavam Phariæ ſua turba juventæ,
Et pilata redit, jamque ſubitque cohors.
Temperat hæc thermas, nimios prior hora vapores
Halat, & immodico ſexta Nerone calet.

C Octava namque hora palæſtritarum erat; propterea dixit octavam nunciari juventuti. Neronem verò in omnibus prodigioſiſſimi luxus nec horam, nec tempus habuiſſe oſtendit; cum tamen reliqui modeſtiores æs thermarum expectarent, ſicut apud eundem cognovimus.

CAP. XXXVII.

Non ſolum ablutio, ſed & oleum ex inſtitutis veterum convivio debebatur.

D Ad loca 2. Reg. cap. 12. *Surrexit ergo David de terra, & lotus, unctusque eſt: petivitque ut ponerent ei panem, & comedit.* Pſal. 141. *Corripiat me juſtus in miſericordia: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Pſal. 23. *Paraſti in conſpectu meo menſam adverſus omnes qui tribulant me. Impinguaſti in oleo caput meum, & calix meus inebrians quam præclarus eſt.*

QVID oleum cum cœna, quid lotio cum oleo, rerum natura ſpectata, commune habeant; non video. nihilominus profuſi adeò fuere

E veteres in voluptatibus, tantoque arripiebantur luxu; ut niſi loti unctique fuiſſent, minimè cœnarent. lotionem vidimus; unctionem quoque non negligamus; ut in cœna literaria, nos quoque aliquid deguſtemus; nec enim nobis timendum erit, quod auctore Plutar. in lib. an ſen. ſit ger. repub. Pompejus Lucullo objecit, quod nimirum poſt rem domi, militiæque geſtam, balneis, cœnis, ac quotidianis conviviis otio diſſoluto operam daret. nam quamvis in literario ludo otiemur; nobis in publicum bonum Vrbanus VIII. hæc otia fecit. quapropter quemadmodum Archimedi cœnaturo contigiſſe idem ſcribit; quod videlicet à tabula, cui geometriæ ſtudio deten-

F tus inhærebat, quodammodo ſopitis ſenſibus, vi avulſus, atque veſtibus exutus à ſervis, & unctus cum eſſet; ille in uncto corpore figuras geometricas delineabat; ut nulla dies, nullum tempus, nullus locus ſine linea ſibi eſſet; ita pariter in menſa literaria nos cœnaturi, in balneis, in unguentis, conditiſque oleis dum verſamur; in uncto quoque corpore ſacrorum oraculorum characteres

imprimere ſtudeamus. ne quid deſit, quo antiquorum unctiones, & cœnæ nobis præſto ſint, & cognitæ.

Hunc oleorum cum balneo, & cœna conjunctum ritum abhorrebat Seneca epiſt. 123. *Aeſtimari non poteſt*, inquit, *quantam voluptatem capiam ex eo, quod laſſitudo mea ſibi ipſa acquievit; non unctiones, non balneum, non alíud remedium, quam temporis quaro. nam quod labor contraxit, quies tollit. hac qualiſcumque cœna, adjiciali jocundior erit.* Hæc à Seneca dicta, habita ratione conſuetudinis cœnandi; verum non ſine præludente unctione. quapropter vix ferè in veterum monumentis legere contigerit cœnam, cui non præierit unctio in balneo. Hincque illud Plutar. ἐπεὶ δὲ καιρὸς ἦν δείπνου, καὶ παρεσκεύασεν ὁ ναύκληρος ἐκ τῶν παρόντων, ἰδὼν ὁ Φαώνιος οἰκετῶν ἀπορίᾳ τὸν Πομπήϊον ἀρχόμενον αὐτὸν ἀπολούειν, προσέδραμε καὶ ὑπέλυσε, καὶ συνήλειψε, καὶ τὸ λοιπὸν ἐκ τούτου περιέπων, καὶ θεραπεύων, ὅσα δεσπότας δοῦλοι, μέχρις νίψεως ποδῶν, καὶ δείπνου παρασκευῆς διετέλεσεν. ſcribit enim Plutar. de Pompejo jam victo, atque fugato à Cæſare in Pharſalico bello, deque illius abjecta fortuna, in qua nihilominus cœnaturus, à balneo, & unctione abſtinendum non cenſuit. ſic enim locus interpretatur: *Cum cœna tempus affuiſſet; & apparaviſſet Gubernator ex his, qua tunc habebantur: videns Phaonius domeſticorum defectu, Pompejum incipientem ſeipſum abluere, procucurrit, eumque abluit, unxitque. & in reliquo fuit curans ipſum & inſerviens, ſicut ſervi dominos, uſque ad pedum ablutionem, & cœna apparatus diſpoſitionem.*

Pompejum igitur ex temporum conſuetudine in ea conſtitutum fortuna, unctum legimus, ne crimini fortaſſe daretur illi, ſi cœnaſſet inunctus. vel ut præludia cœnæ neceſſaria tunc temporis minimè deeſſent. Inde Martialis noſter pulcherrimè jocatur in Fabullum, qui eum nimis frugali cœna exceperat, non tamen unguenta inter cœnandum, oleumque cœnæ præludium Fabullus prætermiſerat: ab oleis igitur & unguentis Poëta ſumpto argumento ſalsè jocatur, dicens:

Res ſalſa eſt bene olere, & eſurire,
Qui non cœnat, & ungitur Fabulle,
Hic verè mihi mortuus videtur.

Ejuſdem conſuetudinis non intermiſſa ratio Petron. in Satyric. confirmat, dicens: *Itaque intravimus balneum, & ſudore calefacti momento temporis ad frigidam eximus. jam Trimalchio unguento perfuſus tergebatur non linteis, ſed palliis ex molliſſima lana factis.* Balnei verò unguenta, Trimalchionis cœna ſequitur, eum, ſtatim ac unctus fuit, geſtatum in cella ad cœnaculum ſcribitur.

In eamdem ſententiam ſicariorum hominum miſerrimam cœnam cum ſcriberet Apul. lib. 4. Metamor. quorum vivendi genus leonibus, tigribusque ſimile, inter rupes ac ſaxa poſitum erat; ab oleo tamen cœnæ præludio abſtinere verebantur; ne quid in ratione victus neceſſarium dimiſiſſe viderentur. *In fine ſermonis hujus*, inquit, *ſeſe deveſtiunt; nudatique, & flamma largiſſima vapore recreati, calidaque perfuſi, & oleo peruncti, menſas dapibus largiter inſtructas accumbunt.* Sufficerent quidem jam hucuſque allata loca, ſatiſque ut ſuſpicor, probaſſent oleum cœnæ conjungi; nec in re notiſſima hoc ſeculo probatione alia opus eſſet. Verum ut frequentia communis uſus, & antiquitas vnctionis in balneo ante cœnam magis, ac magis apertior fiat, allatis locis addantur antiqui quoque, ac literati lapides, in quibus epulum propinationem Diis Manibus ſacram dandam ſtatuitur: non tamen ſine oleo, ne forte ab integra propinationis ratione teſtatores defeciſſe viderentur. nomine autem propinationis totam cœnam, ſive integrum convivium ſignificari, me judice, procul eſt a dubio; niſi alii meliora excogitaverint. Lapis eſt Bergomi, qui refertur à Gruttero pag. 753. n. 4. ex quo ea tantum duximus tranſcribenda, quæ inſtituto noſtro deſerviunt. ſub hac verborum forma:

ITEM. APPIVS. EVTYCHIANVS. MARITVS EIVSDEM. VALERIANAE. SCHOLAE VEXILLARIOR. LARGITVS. EST. H-S. XXXX N. EX. CVIVS. SVMMAE. REDITV. QVOD ANNIS. DIE. SS. NATALIS. EIVS. ANTE STATVAM. LECTIST. EX. -X. CCL. PONANT SPORT. -X. CCL. INTER. PRAESENT. SIBI DIVID. OLEVM. ET. PROPIN. PER ROSAM. PRÆBEANT

Ut verò antiquior adhuc olei uſus, in balneo cœnæ præludio conſpiciatur apertior; nec tantum ex Romanorum inſtitutis oleum, atque unctio convivio deberi perſpicuum ſit; ad Græcorum conſuetudines nos referamus, & ad Iliaca tempora in Trojana expeditione. ab eo enim uſque tempore oleum in balneo ante cœnam præberi ſolitum, probabit antiquorum omnium rituum nuncius, numquam ſatis laudatus Homerus, apud quem lib. 3. Odyſ. Telemachus à Neſtore ad jura hoſpitii admiſſus, non ante, ſed poſt balneum, & unctionem, accubuiſſe ſcribitur his verbis:

Αὐτὰρ ἐπεὶ λοῦσέν τε, καὶ ἔχρισεν λίπ' ἐλαίῳ,
Αμφὶ δέ μιν φᾶρος καλὸν βάλεν ἠδὲ χιτῶνα,
Ἐκ ῥ' ἀσαμίνθου βῆ δέμας ἀθανάτοισιν ὅμοιος,
Παρ, δ' ἄρα Νέσορ' ἰὼν καὶ ἄρ' ἕζετο ποιμένι λαῶν.

Convivio excipiebatur hic Telemachus à Neſtore: jam jamque in convivalibus ſtratis accubiturus erat; propterea unguentis perungendus, ſive oleo odorato, aqua prius abluitur; ſtatim verò ac lavacrum, ſive ſolium, ut vim Græcæ vocis teneamus, exiiſſent; veſtem induiſſe ſcribuntur. quod de cœnatoria dictum arbitror; de qua alibi Myrothec. 5. nonnihil dicemus. utebantur etiam nuptiali, quoties nuptiarum cauſa recumbendum fuiſſet. Sabanum aliis veſtis illa dicitur, quæ poſt balneum cœnationis cauſa aſſumebatur. ita Theodor. Marcil. in Perſ. ſat. 3. ſed quicquid ſit genere veſtis, Olei uſum præclarè aperuit noſter Homerus in ſupra poſitis carminibus, ſic interpretatis.

Sed poſtquam lavitque & unxit pingui oleo,
Circumque ipſum pulchrum pallium jecit, & tunicam,
Ex balneo exivit corpore immortalibus ſimilis,
Apud autem Neſtorem iens ſedit paſtorem populorum.

Nec ab his diſſentiunt, quæ lib. 8. Odyſ. apud eumdem ſcriptorem habentur. hìc enim Ulyſſes, ab Areta jure hoſpitii exceptus, & ad opiparum convivium, ut par erat, admiſſus; non niſi poſt ablutionem, atque unctionem in ſtratis accubuiſſe his verbis ſcribitur:

Τὸν δ' ἐπεὶ οὖν δμωαὶ λοῦσαν, καὶ χρῖσαν ἐλαίῳ,
Ἀμφὶ δὲ μιν χλαῖναν καλὴν βάλον, ἠδὲ χιτῶνα,
ἐκ ῥ' ἀσαμίνθου βὰς ἄνδρας μετὰ οἰνοποτῆρας,
ἤιε, &c.

Ἀσάμινθος, ſolium balneatorium Græcè, à ſordibus abluendis dicebatur; de hoc vaſe præcedenti capitulo loquuti ſumus. nobis hic, ſatis ſit Homeri teſtimonio probaſſe; quod uncti veteres cœnaculum adirent, & in eo recumberent. probavit hoc locus jam ſupra allatus; probat & hic alter ita interpretatus:

Hunc

Hunc igitur poſtquam famulæ laverunt, & unxerunt oleo,
Circum autem ipſum pallium pulchrum jecerunt, & tunicam,
Ex ſolio exiens ad viros vini potatores,
Ivit, &c.

Hunc quoque balnei, & unctionis cum cœnis; atque conviviis ex Græcorum, & veterum inſtitutis neceſſarium fœdus, ejuſdem auctoris teſtimonio ex Iliad. lib. 10. deſumpto, confirmatur. Diomedes enim & Ulyſſes, qui res Trojanas, Trojamque exploraturi iverant; cum ad caſtra, pulvere ac ſudore fœdati, cœnaculum ingredi, ac recumbere vellent; minimè id auſi ſunt, niſi prius loti, unctique fuiſſent. id Homerus his verbis retulit:

Ἐς ῥ' ἀσαμινύθους βάντες ἐϋξέστας λούσαντο,
Τὼ δὲ λοεσσαμένω, καὶ ἀλειψαμένω λίπ' ἐλαίῳ
Δείπνῳ ἐφιζανέτην.

Mirum eſt enim Duces primarios exercitus totius Græciæ, in ea rerum anguſtia poſitos, ut marina aqua ſordes abluerent; nihilominus recumbere nulla ratione voluiſſe, niſi prius odorato ungerentur oleo, & lavacro cœnam præirent; ut hac illorum carminum interpretatione perſpicuum eſt.

In balnea euntes bene fabricata loti ſunt,
Hi autem loti, & uncti pingui oleo
Cœnatum iverunt.

Ne verò quid noſtro inſtituto deſit, à Græcis, & Romanis ad ſacra antiquitatum monumenta, in divinis oraculis literis commendata, nos transferamus; apertumque maneat etiam apud veteres Iſraëlitas, unctionem præceſſiſſe convivium, ab antiquiſſimis uſque temporibus. locus ex cap. 12. lib. 2. Reg. hoc præclarè oſtendit. hic enim ſanctus Rex David cum puerulum letali morbo gravatum intelligeret, quem illi Betſabea ex adulterio pepererat; de vita pueruli ſollicitus, ſeipſum dolore affligebat; jejunio macerabat; Deumque omnipotentem deprecabatur, ut puerulo ſibi jam nato ſalutem reddere dignaretur: verum fruſtra, Deo non exaudiente Davidem. cum igitur ejuſdem infantuli mors illi renunciata fuiſſet, ſtatim à loco, in quo pœnitentiæ cauſa jacuerat, ſurrexit; cumque ut divino placito, ad utrumque conformem ſe oſtenderet ſanctus Rex David, cœnandum cenſuiſſet; accumbere veritus eſt, niſi prius oleo odorato ungeretur, luctu, atque mœrore depoſito. *Surrexit ergo David de terra*, inquit Numen, *& lotus, unctusque eſt, petivitque, ut ponerent ei panem & comedit.* Panis autem nomine, ex ſacrarum Scripturarum phraſi, abſolutum, pleneque inſtructum convivium intelligi jam alibi diximus: & norunt quidem periti omnes divinorum oraculorum. In hac eadem ſententia dixit quoque idem Propheta pſal. 141. *Corripiat me juſtus in miſericordia, & increpabit me, oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Reſpiciens enim Propheta ad convivia veterum, qui oleo præficiebantur; ſe magis amare viri juſti increpationes, ac reprehenſiones ad correctionem ſuorum criminum oſtendit; quam flagitioſorum hominum lautitias unguentorum, ac conviviorum: ſeque magis in his, quam in illis delectari. Ex quibus certè locis, veterum conſuetudo, ac nexus unctionis, & convivii, ex ſacris quoque literis perſpicuus fiet. Nam & in pſal. 23. gloriam ac beatitudinem, quam ex Dei gratia ſibi futuram ſperabat Propheta, laudibus celebrare volens, ſub metaphora convivii dicebat: *Paraſti in conſpectu meo menſam, adverſus omnes qui tribulant me.* Hanc beatitudinem veritus Propheta ſanctiſſimus exprimere abſque unguentis, ex conſuetudine illius ætatis, propterea ſubintulit: *Impinguaſti in oleo caput meum, & calix inebrians quam præclarus eſt?* Sacris tandem poſtrema imponatur manus, Servatoris noſtri teſtimonio, cujus ætate, ac ſeculo adeò convivium, & oleum ſimul nectebantur; ut ab unctione ſumpto argumento, ſimulandas epulas, atque celandum jejunium monuerit diſcipulos, dicens: *Tu autem cum jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava.* ut hinc ſaltem, ubi cuncta deeſſent, oleum deberi convivio liquido conſtet, & non ſolum ex conſuetudine Græcorum, atque Romanorum, ſed etiam ex antiquiſſimis ſacrorum oraculorum inſtitutis, balnei unctionis, & convivii nexus lucidiſſime appareat.

CAP. XXXVIII.

Prophetas ad munus Propheticum obeundum aliquo genere olei unctos ſuſpicari poteſt.

Ad loca 3. Reg. cap. 19. *Revertere in viam tuam per deſertum in Damaſcum, cumque perveneris illuc, unges Hazaël Regem ſuper Syriam, & Jehu filium Namſi unges Regem ſuper Iſraël, Eliſæum autem filium Saphat, qui eſt de Abelmeula unges Prophetam pro te.* Iſai. 61. *Spiritus Domini ſuper me, eo quod unxerit me.* Luc. 4 *Spiritus Domini ſuper me, propter quod unxit me, &c.* Reg. 1. cap. 10. *Ecce cuneus Prophetarum obvius ei, & inſiluit ſuper eum Spiritus Domini, & prophetavit in medio eorum.* Et ad alia loca.

NIHIL unquam ſerpens ille antiquus, ex quo Deo æquari cogitavit, aliquando prætermiſit; quo hanc ipſam cum Deo æqualitatem diu æmulatam pro viribus non contenderit. Quapropter cum aliquos ſummi Dei familiares, & amicos, divino repletos Spiritu, futura prænunciare conſpexiſſet: ſuo & alios impios homines ſpiritu replere conatus, eventura quæ conjecturis novit, ipſe quoque ſub involucris, ænigmatibus, dubiiſque verbis præfari illis quoque donavit. Ridicula quidem ſunt, quæ ambiguitatibus implicita ab illis vatibus Deorum auctoritate fultis prænunciabantur. ut de his vaticiniis pulchrum Nicharchi Epigramma oſtendit in Florileg. Epigr. lib. 2. cap. 6. his verſibus:

εἰς ῥόδον εἰ πλεύσοι, τὶς ὀλυμπικὸν ἦλθεν ἐρωτῶν
τὸν μάντιν, καὶ πῶς πλεύσεται ἀσφαλέως.
ὡ μάντις πρῶτον μὲν ἔφη, κενεὴν ἔχε τὴν ναῦν,
καὶ μὴ χειμῶνος, οὐ δ' ἢ θέρους ἀνάγου.
τοῦτο γὰρ ἂν ποιῇς, ἥξεις κἀκεῖσε καὶ ὧδε,
ἂν μὴ πειρατὴς ἐν πελάγει σε λάβῃ.

Quo quidem genere vaticinii quiſque vates eſſe poterat; quamvis ſtultiſſimus eſſet. rideamus in illorum carminum interpretatione.

In Rhodum an navigaret aliquis, Olympicum venit rogans
Vatem, & quomodo navigaret tuto.
Et vates, primo quidem, inquit, vacuam habe navem,
Et non in hieme, ſed æſtate transvehere.
Si enim hoc facies, venies illuc & huc,
Ni fors piratæ te in pelago capiant.

Sunt alia ſexcenta hujuſmodi. quia verò inter has ridiculas prædictiones, atque inter ambages, quæ in quocumque eventu ad utrumque interpretari poſſent, dum verſarentur; unum vel alterum fieri neceſſe erat; his fidem præſtandam diabolus ſuaſerat ſtultiſſimis illis, ut impiæ religionis miniſtris apertior pateret aditus ad falſa quæcumque voluiſſent dogmata hominibus ſuadenda; ut à vero Dei cultu eoſdem averteret.

Futu

Futura verò prænunciare tanta fuit ſemper in æſtimatione apud omnes nationes, ut velut interpretes, internuntiique Deorum pro certo haberentur: adeò ut lege lata in Romano Senatu pro hujus farinæ hominibus, Jovis opt. max. interpretes, appellati fuerint. Sic Evander Carmentam matrem fatiloquam, Deum interpretem vocat apud Liv. lib 1. Decad. 1. dicens: *Jove nate Hercules ſalve, te mihi mater veridica interpres Deûm aucturum cœleſtium numerum cecinit.* eodem nomine Virg. lib. 3. Æneid. Helenum augurem appellat:

Trojugena interpres Divûm, qui numina Phœbi,
Qui tripodes, Clarii lauros, qui ſidera ſentis,
Et volucrum linguas, & præpetis omina pennæ.

Floruere apud veteres Italos, in hac ſuperſtitioſiſſima peritia Hetruſci, apud quos Fæſulis erat Augurum toto orbe celeberrimum collegium. Quamobrem proditum eſt, Romæ optimatum filios ſex, Hetruriæ populis, ut augurandi artem ediſcerent, ex Decreto Senatus in diſciplinam tradi ſolitos, teſte Alexandro ab Alex. lib. 5. Gen. dier. cap. 19. ſed & veteri lege ſancitum fuit in hæc verba: *Prodigia & portenta ad Hetruſcos Aruſpices, ſi Senatus juſſerit deferunto. Hetruriæque Principum diſciplinam diſcunto, quibus Divis decreverint procuranto, iiſdem fulgura & oſtenta pianto. auſpicia ſervanto. auguri parento.* Quo antiqui juris decreto, quæ de Hetruſcis, & dignitate auguratus diximus, clariſſima fiunt.

Quid multa? Dignitas vaticiniorum penes Romanos eò ſublimata fuit; ut ſola aruſpicina apud eumdem Alexandrum ab Alexandro ad eum nobilitatis gradum quis eveheretur; ut in Senatum, qui toto Orbi venerandus erat, adſcribi; & inter patres orbis totius, Principibus, ac Regibus ſpectabiles, ob ſolam divinandi artem licuiſſet gradum tenere. Muneri augurali Conſulatum quoque conjunctum, lapides veteres teſtantur. Eſt lapis Aquini in Campania ante ſummum Templum ad lacum, in baſi marmorea quadrata ſine ullo ornamento, tantummodo levigata; habetur apud Gruter. pag. 433. n. 6. his verbis:

C. MARCIO. L. F
CENSORINO. COS
AVGVRI. PATRONO. D. D

Pontificatum quoque, & Sacerdotium dignitati auguratus adjunctum, quin & plurimas ſacrorum dignitates eidem conceſſas, ex lapidibus quoque antiquis manifeſtum eſt. habetur lapis Romanus apud Gruterum pag. 27. hac forma.

DIS. MAGNIS
VLPIVS. EGNATIVS. FAVENTINVS
V. C. AVGVR. P. V. B. P. R. Q.
PATER. ET. HIEROCERIX. D. S. I. M
ARCHIBVCVLVS. DEI. LIBERI
HIEROFANTA. HECATAE. SA
CERDOS. ISIDIS. PERCEPTO
TAVROBOLIO. CRIOBOLIOQ.
IDIBVS. AVGVSTIS. D. D. N. N.
VALENTE. AVG. V. ET. VALENTINIA
NO. AVG. CONSS. FELICITER
VOTA. FAVENTINVS. BIS. DENI
SVSCIPIT. ORBIS
VT. MACTET. REPETENS. AVRATA
FRONTE. BICORNES

Plurimi, ut nihil hujus muneris dignitati deeſſet, Summo Pontificatui etiam Auguratum adjunxere;

A quemadmodum de Q. Fabio Maximo Liv. lib. 10. Decad. 2. & de C. Cæſare, & Galba Imperatoribus Alex. ab Alex. qui ſupra lib. 2. cap. 8. affirmant. quamobrem lex lata fuit ſub pœna capitis in eum qui auguri non obtemperaſſet. eſt lex apud Cicer. lib. 2. de legib. in hæc verba: *Interpretes Jovis Opt. Max. publici Augures ſignis, & auſpiciis poſtea vidento, diſciplinam tenento. Sacerdotes vineta, virgetaque, & ſalutem populi auguranto: quique agent rem duelli, quique popularè auſpicium præmonento, ollique obtemperanto: divorumque iras providento, iiſque parento. cæliquè fulgur regionibus ratis temperanto, urbemque, & agros, & templa, liberata, & effata habento: quæque* **B** *augur injuſta, nefaſta, vitioſa, dira definierit, irrita, infectaque ſunto: quique non paruerit, capitale eſto.* Nec ſolum Divorum prædictionibus Augures præficiebantur; ſed & ſacris ritibus, ac cæremoniis tam apud Romanos, apud quos ex conſtituto Romuli ſingulis tribubus, ſinguli Augures præficiebantur; ut dicit Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 19. quam etiam Delphis, ut idem tradit lib. 2. cap. 8. Pontifex Aphetor dictus, qui edebat oracula; divinas quoque prædictiones, cæremonias, cultuſque ſacrorum prædicebat, atque cavebat.

Nec hujus farinæ homines, penes impiæ Religionis ſectatores, ſuis caruere inſignibus; quibus à re- **C** liquis ſecernerentur, atque dignoſcerentur. nam ut idem auctor docet ibidem, Indorum vates corallium quaſi rem ſacram deferebant; apud Græcos Augur, non trabea amictus, ſed toga candida velatus, auguria ſuſcipiebat: quod etiam Macedones tenuerunt: quin & aurea corona hi reliquos ſuperabant. Apud Romanos, Augur duplici toga augurali, quæ Lena dicebatur, ex purpura, & cocco contexta, indutus, lituum manibus tenebat; & precibus effatis auguria ſuſcipiebat, atque obſervabat, ut nummi plures teſtantur. Verum an hi apud aliquas gentes aliquo genere unctionis ad vaticinia, & auguria initiarentur, incertum omnino eſt. nihil quod ſciverim de hoc ve- **D** teres ſcriptores, doctioribus ſeculi hujus curandum hoc erit.

Quantæ verò Dei ſummi Vates apud Hebræos dignitatis, atque æſtimationis forent; enarrare longum eſſet. vel enim ad priſcos illos Patres, ac Reipublicæ Hebræorum progenitores, Abraham nimirum, Iſaac, & Jacob nos conferre volumus; quorum neminem prophetiæ dono caruiſſe comperimus; vel ad Moyſen primum, ac ſummum illius Populi Ducem, reliquoſque illius ſucceſſores, ac Iſraëlitici populi per plura ſeculorum ſpatia Gubernatores. ex his certè nemo nobis occurret in ſacris hiſtoriis; qui dono prophetiæ caruerit. quin potius adeò Princi- **E** patui, & publicæ adminiſtrationi conjunctam prophetiam intelligemus; ut affirmare liceat, Regibus quoque, ac Principibus, tam jura dare, quam etiam divinare, munus fuiſſe, nec deſunt ex ſacris oraculis loca. ut enim Sauli regium munus à Samuele prænunciatum fuit; omnium ſtatim cum admiratione vaticinari cœpit.

Saulis vaticinatio horrida & inculta viſa eſt his, qui divinas & veras audire, ac reddere obediendo voces nolunt; ſed una cum Deo illius quoque miniſtros negligunt; propterea qui prophetiæ ſpiritu agitabantur, ac divinitatis quodam impulſu vera loqui cogebantur; ſtulti & inſani ab illis cenſebantur. **F** ſacræ, prophanæque hiſtoriæ id teſtantur: nam Paul. in Act. Apoſt. cap. 26. delirare exiſtimabatur à Feſto Judice, quod Chriſtum prædicaret. *Hæc loquente eo*, ſupple Paulo, inquit textus, *& rationem reddente, Feſtus magna voce dixit: Inſanis Paule, multæ te litteræ ad inſaniam convertunt.* Oſeas quoque cap. 9. hanc etiam dolens in populo Iſraëlitico mentis cæcitatem, dicebat: *Scitote Iſraël ſtultum prophetam,*

tam, inſanum virum ſpiritualem propter multitudinem iniquitatis tuæ, & multitudinem amentiæ. & lib. 4. Reg. Venit propheta Dei ad Jehu, qui ſedebat cum reliquis Regni proceribus ad Regni conſilia: alloquutus eſt ille Jehu, dixerunt reliqui: *Quid venit inſanus iſte ad te?* & tanta denique contumelia ab impiis afficiebantur prophetæ, ut Jeremias verbum Dei ſilentio tegere conſtituerit, ne populo in opprobrium eſſet: *Et dixi, non loquar ultra in nomine Domini, quia factum eſt in opprobrium mihi.* Hæc ex contemptu rerum divinarum ab his dicebantur, qui à lege præfixos terminos tranſgredi cum primis præ oculis habent: cum tamen hi ipſi avium volatus, viſcerum in hoſtiis diſpoſitionem, ordinemque obſervent: hi credunt Aquilæ motum à Deo dirigi; minimè verò Prophetæ, aut pii hominis linguam & voces. quos quidem merito Seneca irridet lib. 2. nat. quæſt. cap. 32. dicens: *Quomodo aves non in hoc motæ, ut nobis occurrerent, dextrum auſpicium, ſiniſtrumve fecerunt? & illas inquit Deus movit.* reſpondet ex Augurum ſententia. *Nimis illum otioſum putas, & puſillæ rei miniſtrum facis, ſi aliis ſomnia, aliis exta diſponit.* Ne verò quid contra divinam affirmaſſet providentiam, addidit: *Iſta nihilominus divina ope geruntur, ſed non à Deo pennæ avium reguntur, nec pecudum viſcera ſub ipſa ſecuri formantur.* Hi certè inſaniebant, quos irridebat Seneca, quos Chriſtiana religio reſpuit, quos lex divina damnavit, nugarum, & mendaciorum auctores. Qui verò divina auctoritate fulti & pietatem colentes, à vitiis homines verbo revocare contendunt, ſumma ſunt quidem veneratione excipiendi, & audiendi.

Tanta autem ex præſcripto legis erat Vatum apud Hebræos dignitas, ut ſi bellum inire cogitarent Reges, id inconſulto Vate pertentare temerarium cenſeretur; quamobrem nonniſi ad Prophetarum nutum caſtra metanda erant, ut lib. 3. Reg. cap. 22. & alibi videre eſt. quod ſi de cultu, rituque ſacrorum difficultas exoriretur, Prophetam conſulendum expectabant: quemadmodum lib. 1. Machab. cap. 4. legitur: *Et repoſuerunt lapides,* ſupple altaris, *in monte domus in loco apto, quoadusque veniret Propheta, & reſponderet de eis.* Quamvis verò nos lateat, quo habitu uterentur Prophetæ, quibus orationibus, atque precationibus numen evocarent: certum eſt tamen illos divinæ voluntatis internuncios atque interpretes fuiſſe. Sed quo ritu, atque cæremoniis Propheta quis initiaretur, in dubium revocandum duximus; an nimirum ad propheticum munus obeundum, aliqua in ſacris litteris adhiberetur ſacra unctio; cujus ſacratiſſimi Chriſmatis perfuſione chariſmata Spiritus ſancti, ad prædicendum futura in illo, qui Propheta unctus fuiſſet, conferrentur.

Nec deſunt pro affirmativa parte argumenta, ex antiquorum etiam ritibus petita: apud hos enim qui vaticinandi ſpiritu agitabantur, lymphatos dictos fuiſſe, veterum ſcripta teſtantur. Seneca de terræmotu agens: *Itaque,* inquit, *leviſſima ingenia ferè in tantum venere formidinis, ut ſibi exciderent. inde inter bella erravere lymphatici, nec uſquam plura exempla vaticinantium invenies, quam ubi formido mentes religione mixta percuſſit.* ut jam Vates, & Lymphatus minimè differre videantur. quod etiam Plinii ſenioris auctoritate firmare poſſumus in his, quæ de bove Api venerato ab Ægyptiis ſcribit, dicens: *Hi greges repente lymphati futura præcinunt.* & Plinius Junior. 6. lib. epiſt. 20. avunculi ſui mortem in Æthneis ſcribens, quæque ſpectra, ac terrifica illis in locis contigiſſent, ait: *Regreſſi Miſſenum, curatis utcumque corporibus, ſuſpenſam, dubiamque mentem, ſpe, ac metu exegimus: metus prævalebat. nam & tremor terræ perſeverabat, & plerique lymphati terrificis vaticinationibus, & ſua, & aliena mala ludificabantur.* Lym-

A phati, inquit Joannes Catanæus, qui nympham vidiſſent: furendi namque finem hi minimè facere putabantur. at ego lymphatos, Vates à lympha dictos putarem, ab aqua nimirum, quod ablutione alicujus aquæ Diis ſacræ luſtrarentur, qui in horum collegio adſcribebantur. Moveor ad id auctoritate Apuleji lib. 11. Metamor. qui propriam in Iſidis vatibus ſcribens adnumerationem, *jamque tempore id poſtulante,* inquit, *ſtipatum me religioſa cohorte, deducet ad proximas balneas, & prius ſueto lavacro traditum eo:* ut propterea & oleum lavacro conjunctum exiſtimem de more illius ætatis, falſæ religionis homines ſuos conſueviſſe vates oleo aliquo conſecrare cen-
B ſeam.

Sed in caſtra nos recipiamus ſacrorum oraculorum. ſunt enim doctiſſimi viri, qui prophetas oleo inungi, ac initiari ſolitos fuiſſe arbitrentur, nec immeritò quidem, quod apertiſſimis quibuſdam ſacrarum ſcripturarum teſtimoniis id planum videatur. nam cap. 19. lib. 3. Reg. Dominus Eliæ ſtanti in cacumine montis Oreb, regredi illum in viam ſuam; ungere reges Iſraëli, & Syriæ, necnon & Eliſæum prophetam jubet, dicens: *Revertere in viam tuam per deſertum in Damaſcum, cumque perveneris illuc, unges Hazaël Regem ſuper Syriam, & Jehu filium Namſi unges Regem ſuper Iſraël: Eliſæum autem filium Saphat,*
C *qui eſt de Abelmeula, unges Prophetam pro te.* Cumque id ſacer textus affirmet: Prophetas quoque oleo, quemadmodum Reges, & Sacerdotes inunctos negandum non erit.

Nec parum Prophetarum unctiones confirmat locus alius in eodem ſacro textu ex cap. 61. Iſai. deſumptus, in quo Propheta de Chriſto Domino, quaſi de ſe ipſo ſcribens: *Spiritus Domini,* inquit, *ſuper me, eo quod unxerit me:* quam quidem prophetiam in ſeipſo adimpletam fuiſſe humanæ captivitatis Vindex teſtatur cap 4. Lucæ. Nam cum Servator noſter regnum Dei euangelizare cepiſſet; Nazaretque pro conſuetudine ſua die Sabbati Synagogam ingreſſus,
D librum ad legendum à miniſtro ſibi traditum accepiſſet; eo aperto, allatus ex Iſaia locus cum occurriſſet, legit: *Spiritus Domini ſuper me, propter quod unxit me:* hæc tamen loca germanum nequaquam retinere ſenſum videntur; niſi à ritibus propheticæ unctionis ille ſumatur. Licet verò à ſcopo digredi tantiſper videamur, animadvertendum hic tamen duximus, nequaquam fortuito locum illum Chriſto Domino occurriſſe, ſed de induſtria requiſitum ab eo, repertum fuiſſe. Ex verbis ipſius Evangeliſtæ non inepte hoc colligo; ait enim: *Et traditus eſt illi liber Iſaiæ Prophetæ; & ut revolvit librum, invenit locum ubi ſcriptum erat, Spiritus Domini,* &c. dictio-
E nem illam *revolvit,* ejuſque verum ſignificatum ſi attendamus, ex vi hujus dictionis profecto intelligemus, Servatorem noſtrum involutum revolviſſe, & plicatum explicuiſſe librum; quouſque locus ille Iſaiæ ſibi occurreret. Clariora hæc fient, ſi veterum volumina conſiderantes, quæ amplo ac extenſo fiebant papyro, & involuto ſervabantur. Illius porrò ſeculi libros ea forma extitiſſe complicatos veterum monumentorum ſtatuæ Conſulum, quæ Romæ paſſim viſuntur; necnon etiam conſervata ex veterum inſtitutis volumina plura in Vaticana Bibliotheca, & alibi rem aperiunt. At ubi cuncta deeſſent teſtimonia, unum illud Apocalyp. 6. ſufficeret: cum enim
F Joannes horruiſſe cœlum, præ magnitudine divini furoris, indigitare vellet; illudque corio à Propheta in pſalmis aſſimilari intelligeret illis verbis: *extendens cœlum ſicut pellem:* Joannes cœli horrorem ex complicatione ejuſdem ad formam voluminis aperuit, dicens: *Receſſit cœlum ſicut liber involutus.* hanc autem voluminum, atque librorum formam in divinis oraculis ſervandis, tanta Religione tenuerunt

Hebræi; ut ad hæc uſque tempora, ſacram legem, non niſi in volumine ſervent: atque nonniſi explicato volumine legant. Tale extitiſſe volumen illud Iſaiæ; de quo ibi Lucas, Chriſtumque in eo legendo volumen evolviſſe, clarius adhuc ex Græcis codicibus eſt manifeſtum: legunt enim in cap. illo 4. Iſaiæ: ϗ ἀναπτύξας τὸ βιβλίον, *& expandit*, ſive *explicuit librum.* Chriſtus igitur hoc volumen Iſaiæ cum accepiſſet, & locus ille neque in ſuprema, neque in infima totius voluminis parte haberetur: tantiſper illud explicare à poſtrema voluminis extremitate cogebatur; quouſque locus ille ſibi occurreret. cumque occurriſſet, & legiſſet, ſubdidit: *Quia hodie impleta eſt hæc ſcriptura in auribus veſtris.* Quibus planè Servatoris noſtri verbis, Iſaiam interpretantibus, ipſemet Chriſtus declaravit; Prophetam minimè de ſeipſo verba illa protuliſſe; ſed ex perſona illius, qui poſtea, & volumen apud Nazarenos explicuit, & ſcripturam illam interpretatus eſt.

His obiter dictis pro Evangelici teſtimonii explicatione, reliquum eſt conſiderare, num ex loco iſto, conſuetudo inungendi Prophetas aperiatur: quod certè niſi affirmaremus, illa verba, *eo quod unxerit me*, propria ſignificatione carerent. Verba enim illa *eo quod unxerit me*, ſic erunt interpretanda: *Quia Dominus me in Prophetam unxit; propterea ſuper me Spiritus ſanctus deſcendit.* quamobrem niſi verè Propheta aliquo olei genere prophetiæ de cauſa initiatus fuiſſet, mendacio rejici poſſet, & in illum inſurgi, dicendo, Propheta, quisnam te unxit? quando? ubi? quo ritu? quo oleo unctus fuiſti? Immo quia Propheta ea ratione ſe Spiritum ſanctum accepiſſe jactabat; quod unctus fuiſſet; ni verè unctus extitiſſet, tamquam non Prophetæ, ſed ſomniatoris, pythonis, arioli, ſive magi, meritò rejicerentur illius dicta, atque recenſendus eſſet in albo illorum, qui dicebant: *Hæc dicit Dominus, cum Dominus nequaquam loquutus fuiſſet.* de quibus Ezechiel. Denique à falſitate unctionis, falſitas ſpiritus, quem illi habere profitebantur, rectè argueretur. Ut igitur incommoda hæc omnia declinentur, utque verè Propheta Iſaias Spiritum ſanctum ſe accepiſſe profiteatur; & verba illa Iſaiæ, *eo quod unxerit me*, veritatem teneant, neceſſario ſtabiliendum videtur, perantiquam fuiſſe conſuetudinem inungendi prophetas, quoties aliqui in cœtum Prophetarum adſcribendi forent.

Omittatur nihil, quo magis, ac magis unctio prophetica ſuaderi valeat; ac propterea non incommodum, ex pervetuſto antiquorum Hebræorum in conviviis uſu, ſumatur argumentum. tunc enim non ſolum in balneo, ſed etiam inter ipſa pocula, oleo inungebantur; ut jam in ſuperioribus oſtendimus; legimus autem Eliſæum ſtatim, ac donum prophetiæ à Deo per miniſterium Eliæ accepit: illico convivium præparaſſe; ut habetur lib. 3. Reg. cap. 12. nam poſtquam Elias cum Eliſæo, quæcumque in divinis habuerat decretis, perſolviſſet; hæc in ſacro textu ſubinferuntur: *Reverſus autem ab eo, tulit par boum, & mactavit illud, & in aratro boum coxit carnes, & dedit populo, & comederunt.* Nicolaus de Lyra, *præ gaudio*, inquit, *ſuæ unctionis fecit convivium ſociis ſuis, & vicinis.* Cum igitur illa tunc ætate unctione cœnam prævenirent; haud improbabile videtur Eliſæum jam ad prophetiæ munus obeundum oleo unctum, convivium inſtruxiſſe: quemadmodum Samuel ipſe, quando & Saulem, & David Reges, oleo inauguratus eſt; convivia inſtruxiſſe legitur: quamobrem Saul Rex populi Iſraëlitici à Samuele inauguratus, illico munus propheticum obiiſſe ſcribitur 1. Reg. cap. 10. *Ecce cuneus Prophetarum obvius ei*, ſupple Sauli, *& inſiluit ſuper eum Spiritus Domini, & prophetavit in medio eorum.* quaſi vellent ſacra oracula indigitare; illa unctione prophetiæ donum Sauli collatum fuiſſe; ac pariter nos admonere, donum prophetiæ ſacra unctione conferri ſolitum.

Eſt & locus pro hac doctrina in novo Teſtamento apud Joannem in 1. epiſt. cap. 2. loquitur enim de falſis doctrinis, & veris; rejicit illos, qui falſa docebant; excuſat verò ſe illa ſcripſiſſe; non ut illos doceret; & rationem aſſignat: *Quia*, inquit, *noſtis omnia*, noſcere verò omnia, ad unctionem refert, dicens: *Sed vos unctionem habetis à ſancto, & noſtis omnia. non ſcripſi vobis quaſi ignorantibus veritatem, ſed quaſi ſcientibus eam*: & parum infra in eadem ſententia ſubintulit: *Et vos unctionem, quam accepiſtis ab eo, maneat in vobis, & non neceſſe habetis ut aliquis vos doceat, ſed ſicut unctio ejus docet vos de omnibus, & verum eſt, & non eſt mendacium.* quod ſi illud Prophetæ dictum Amoſi attendamus: *Non faciet Dominus verbum, niſi revelaverit illud ad ſervos ſuos Prophetas*; nec negligatur ſtupor ille Eliæ in amaritudine viduæ Sunamitidis, *Dimitte eam, quia anima ejus in amaritudine poſita eſt; & Dominus celavit à me*; ſexcentaque alia hujus generis, ex ſacris petita literis; quibus quidem perſpicuum videtur ſanctis Prophetis innotuiſſe omnia; quemadmodum & hi ad quos ſcripſit Joannes: quorum tamen notitiam, proheticumque ſpiritum, unctioni tribuit Joannes, (unguento dicemus nos, ex vi græcæ dictionis χρίσμα, quæ habetur in exemplari græco) jam igitur ad hanc notitiam myſteriorum præſtandam; quæ prophetarum propria erat; aliquo oleo hi initiabantur.

Argumento aliquo ſumpto à pari hanc affirmantem ſententiam roboremus; illudque à rebus ſacris, ſacriſque miniſtris ſumatur. enimverò non ſolum Sacerdotes, & Reges, ſed etiam ſacra vaſa divino cultui deſtinata; ut divinis miniſteriis eſſent accommodata, ſacro oleo inungebantur: rationi quoque igitur quam maximè conſonum videtur, imò rationabilius faciendum illud idem cum Prophetis, quoties ad prophetiæ munus initiandi fuiſſent; quia vaſa animata Spiritus ſancti futura erant; & in ſublimi, excellentiſſimoque prophetiæ miniſterio, divinorum arcanorum participes effecti, altiſſimo Deo, altiſſimum atque ſublime obſequium præſtare tenebantur.

Verum ſub judice adhuc lis videtur. nam adducta de unctione adhibita conviviis de more veterum, etiam pro convivio Eliſæi quid probent certi non video. etenim quid commune habet unctio prophana cum ſacra; & ejuſdem generis convivia? nihil profectò: & ideò prædicta nihil officiunt, quo minus quis in contrariam poſſit ire ſententiam. convivia enim habita in unctione Salomonis, Saulis, Davidis, & aliorum, ſacra fuere, non prophana; quod nequaquam de convivio Eliſæi certo affirmare poſſumus. Quod verò Saul ſtatim poſt unctionem prophetaſſe dicatur; alicujus eſſet negotii, niſi efficaciam divini Spiritus, animam Saulis ad intima quæque penetrantis tantum oſtendere in eo loco, ſacer textus contenderet, præterea nihil: munus laudandi Deum, ex vi divini Spiritus illi communicatum demonſtrare textus vellet, & nihil quod ad propheticum munus ſpectet. ibi enim prophetare non ſignificat futura vaticinari; ſed divinas laudes cum aliis piis viris, qui prophetæ eo in loco dicuntur, concelebrare. Quod vaſa ſacro oleo conſecrarentur; efficaciter nequaquam oſtendit; prophetas quoque ſacro aliquo oleo inunctos fuiſſe: ut propterea his victo rationibus, à communi Doctorum ſententia, recedere alicui minimè liceat.

CAP.

CAP. XXXIX.

Prophetas nullo olei genere initiatos fuiſſe teneri poteſt.

Ad loca Pſalmi 104. *Nolite tangere Chriſtos meos, & in prophetis meis nolite malignari.* Iſai. 21. *Surgite Principes, arripite clypeum.* 3. Reg. 19. *Vade, revertere per viam tuam, & venies in Damaſcum, cumque perveneris illuc, unges Hazaëlem Regem ſuper Syriam.* 4. Reg. 8. *Oſtendit te mihi Dominus in Regem ſuper Syriam.* Et infra: *Quid enim ſum ſervus tuus canis, ut faciam rem iſtam magnam?* Et ad alia loca.

SATIS pro parte affirmativa nos dixiſſe putamus. res tamen in latebris jacet; ut eruere illam, & aliqua luce illuſtrare vires noſtras ſuperet; gloria hæc aliis reponitur. Licet enim rationibus non improbabilibus ſuperiori capitulo Prophetas aliquo genere olei unctos oſtenſum ſit: allata nihilominus pro ea parte fundamenta, nequaquam adeò firma ſunt, ut in contrariam ſententiam quis ire non poſſit; atque negare, Prophetas ad prophetiæ donum obeundum aliquo genere olei ſacri, aut prophani inunctos fuiſſe. nam Pſalmo 104. divina auctoritate, diſtinguuntur uncti à prophetis, dicendo: *Nolite tangere Chriſtos meos, & in prophetis meis nolite malignari.* Nomine verò *Chriſtorum*, ut ita loquamur, Reges, Sacerdotes, & Principes Populi accipiuntur: qui oleo, & unctione inaugurabantur. quod præclarè etiam Genebrar. in expoſitione Pſalmorum aperuit: ſi enim ex inſtitutis Iſraëliticæ Reipublicæ, prophetæ oleo aliquo, aut unctione initiati fuiſſent; non erat auctori Pſalmorum, quamobrem diſtingueret unctos à prophetis; ſed unica dictione, ac vocabulo *unctorum*, Reges, & Sacerdotes, necnon etiam prophetæ perſpicuè ſignificarentur.

Altera jaciantur fundamenta, radicituſque res hæc enucleetur; & ab ipſomet vocabulo מָשִׁיחַ *maſciah*, quo utitur Propheta in illo Pſalmi loco, argumentum ſumatur. Varia eſt ſignificatio hujus verbi מָשַׁח *maſciah*, propriè enim ſecundum communem uſum ungere ſignificat; ac propterea de Tabernaculo, Altari, Regibus, Sacerdotibus, & his quæ ad Dei cultum attinebant, rectè in Scripturis ſacris dicitur. (loca ſacræ Scripturæ afferre ſuperfluum cenſui: cuilibet enim, qui vel primis labiis ſacram Scripturam deguſtaverit, præſto ſunt) quod hæc vaſa ad ſacra miniſteria ſola unctione ſacrarentur; ac Sacerdotes ſummi Dei miniſtros, & internuncios, oleo tantum, ac unguento inaugurari mos eſſet: propterea verbi hujus ſignificatio extenſa fuit ad ſignificandam quamcumque electionem, initiationem, & inaugurationem; quamvis etiam in electionibus hujuſmodi, nulla unctio adhiberetur: quod etiam Marc. Marin. in ſua Arca Noë, in dictione מָשַׁח *maſciah* obſervavit, & ex pluribus ſacræ Scripturæ locis perſpicuum eſt. Communis quoque Rabbinorum conſenſus id tenere cogitur. nam in cap. 1. lib. 3. Reg. cum agitur de unctione Salomonis, cum quo de Regno frater ejus Adonias decertabat; affirmant Rabbini Iſraëlitas conſuetudinem inungendi Regis ad Regnum non habuiſſe, niſi quoties de jure Regni inter ſucceſſores aliqua ſuboriretur controverſia. Hoc Joannes de Pineda lib. 2. de rebus Salom. & Marc. Marin. loco jam citato referunt; ſit verum necne, quod Rabbini tradunt, præſentis non eſt loci: fides ſuos apud auctores maneat; nobis ſatis ſit, quod ſi tunc ſolummodo, cum de Regni ſucceſſore controverſia erat, ſedandæ controverſiæ de cauſa, ſolum ad declarandum verum Regem, unctio adhibeba-

A tur, & nihilominus Reges omnes dicuntur uncti; unctio in prædictis locis ſacrarum literarum electionem, non verò unctionem ſignificabit: illam quoque dictionem מָשַׁח *maſciah*, quæ ungere ſignificat, eligere etiam aliquando ſignificare conſtabit; ſumpta metaphora à communi, & ſolemniori inauguratione, quæ, ut diximus, unctione abſolvebatur.

Idem vocabulum מָשַׁח *maſciah*, ſignificat arripio, præparo: metaphora ſumpta ab unctione, quam in tali præparatione adhiberi mos erat. Roborantur iſta loco Iſai. c. 21. in illis verbis: *Surgite Principes, arripite clypeum.* quæ hebraicè leguntur: קוּמוּ הַשָּׂרִים מִשְׁחוּ מָגֵן, ideſt ſecundum rigoroſam verborum ſignificationem: *Surgite Principes, & ungite clypeum.* Propheta enim adverſus Babylonem loquitur; illiuſque Regni ruinam, atque extremam devaſtationem prænunciat; Medorum exercitu, atque Perſarum, Cyro, & Dario Imperatoribus Babylonicum Regnum invadentibus. Cum enim, ſicut in Antiquit. Judaicis apud Joſephum, & apud Danielem legimus, Balthaſſar ſero grande convivium Principibus ſuis inſtruxiſſet; & Danielis Cabalam, ſomniorum, atque oraculorum expoſitiones, ſatis irriſiſſet; ſacraque templi Hieroſolymitani vaſa, quæ Nabucdonoſor illo aſportaverat, in convivio, prophanaſſet; intempeſtæ noctis ſilentio Urbem agreſſi, ingreſſique Medi, ac Perſæ, Balthaſſare Rege occiſo, Babylonicum Regnum in ſuam ditionem redegerunt. Propheta ergo Iſaias adverſus Balthaſſarem in allato jam loco, quæ eventura erant vaticinatur, dicens: *Pone menſam, contemplare in ſpecula comedentes, & bibentes: ſurgite Principes, arripite clypeum.* Propheta prænunciante ruinam Babylonici Imperii ex improviſo futuram; quodque dum in convivio, & inter epulas noctem adhuc inſumerent; ad arma clamandum eſſet, bellumque canendum, ſpeculatoribus quocumque diſcurrentibus, & vociferantibus, *arripite clypeum*, ſive *parate clypeum*, ut legunt Septuaginta: quia verò arma oleo poliuntur; & veterum conſuetudo fuit, clypea odoratis unguentis perfricare, quoties ad pugnam properandum eſſet, dixit Propheta, *ungite clypeum*, & dictio מָשַׁח *maſciah*, ſignificat arripere, diſponere, atque parare.

Sed ne longius abeamus, aut diutius laboremus in oſtendendo מָשַׁח *maſciah*, non ſemper ſignificare ungere, ſed aliquando eligere; nobis diſcedendum nequaquam erit ab illo loco cap. 19. lib. 3. Reg. in quo cum primis, contraria innitebatur ſententia; quapropter ut germana hauriatur intelligentia, verba ipſius textus diligenter perpendamus. ſunt autem hæc: *Vade, revertere in viam tuam per deſertum in Damaſcum: cumque perveneris illuc, unges Hazaëlem Regem ſuper Syriam, & Jehu filium Namſi unges Regem ſuper Iſraël, Eliſæum filium Saphat, qui eſt de Abelmeula, unges prophetam pro te.* Duo hic advertenda veniunt, iter nimirum Eliæ, & vis dictionis *unges*; ut à ratione itineris perſpicuum fiat, dictionem *unges*, electionem, & nequaquam unctionem fore interpretandam.

Ut diligentius igitur locum iſtum à primis perveſtigemus elementis; attendatur obſecro, quid verba illa, *revertere in viam tuam*, ſibi velint. Sentiunt communiter omnes expoſitores, præcipi Eliæ ſanctiſſimo viro, ut qua venerat, revertatur via. quam expoſitionem quotquot legi auctores, tenuiſſe comperi; non advertentes, ut puto, quam male hæc interpretatio, locorum ſpatiis terræ Promiſſionis, locisque deſertis illius regionis, necnon etiam divinis oraculis cohæreat; quæ ut apertiora fiant, ex Charta Geographica Iſraëliticæ regionis, & ex Eliæ peregrinatione, divinorum oraculorum ſenſus in illis verbis explicandus erit.

Ea enim ſi conſiderata fuerit, non erit prætereundum, in monte Carmelo ad mare Eliam octingentos, & quinquaginta Prophetas Baal interfeciſſe: quod ibi ſacris in altare impoſitis, ignis ipſius deſcenſu, Deum Iſraëlis verum eſſe Deum, & adorandum miraculo comprobaſſet. Inde una cum Achabo Rege, Elias in Jezraël in finibus tribus Iſſachar, & dimidiæ tribus Manaſſe venit; ubi Jezabel Regina Eliam ad necem, ſuo nomine quæri juſſit; quam veritus Elias, fugit, & venit in Berſabeam in finibus terræ Promiſſionis, in tribu Simeon; relictoque hic famulo, quem in fuga comitem retinuerat, ut ſcribitur in principio cap. 19. jam citati, arreptaque via deſerti, itinereque diei unius illud ingreſſus, pervenit ad juniperum in extrema parte terræ Chanaan, poſitum in finibus ejuſdem tribus: hic denique laboribus feſſus Elias, itinere, ac cibi defectu fatigatus, ſupremam vitæ metam attingere cogitavit, Deumque de hac re precabatur. Locus diſtat à Berſabea itinere diei, teſte Andricomio in theatro Terræ ſanctæ in tribu Simeon num. 52. cumque Angelus prophetam cibo, ac potu recreaſſet, & ad montem Dei Oreb proficiſci illum juſſiſſet, feliciter per campeſtria Pharan Elias illò pervenit. locus dierum undecim itinere à junipero diſtat; ut Andricom. loco citato, agens de deſerto Pharan docet; quamvis Andricomius de diſtantia recta à monte Sinai uſque ad Cades Barneah loquatur; Elias verò fortaſſe flexuoſo itinere illò perrexerit; ac proinde ultra undecim dies itineris, & laboris inſumpſerit, antequam ad montem Dei Oreb perveniret: quo cum perveniſſet Elias, Deus illum alloquutùs, *Revertere*, inquit, *in viam tuam per deſertum in Damaſcum: cumque perveneris illuc, unges &c.*

Dubitandum igitur occurrit, qua ratione fieri poſſit, ut Elias revertatur via, qua venerat in Damaſcum, cum per Meridionalem terræ promiſſionis illò venerit; & Damaſcus extra fines terræ promiſſionis in regione, & plaga Aquilonari ſit poſita omnino ex adverſo itineris, quod Elias tenuerat. Cum igitur in Scripturis ſacris nullus appareat ager deſertus; per quem iter Damaſcum verſus aperiatur; de eadem via, per quam Propheta venerat, divina illa juſſio non erit intelligenda: niſi velimus appellare deſertum Damaſci, nonnulla alia loca ibi vicina, ut ſolitudo Palmyrena, vel deſertum ſuperius Arabiæ. Præterea qua de cauſa addidit Deus, ad explicandum qua via Propheta progredi deberet, illa verba *per deſertum.* jam enim per campeſtria Pharan, quæ loca, deſertum quoque Pharan ſolet appellari, tranſierat; ſi ergo per deſertum venerat, ſatis fuiſſet dicere, *Revertere in viam tuam.* Cogebatur enim Elias per deſertum regredi: aliquid aliud profecto, quam ut reverteretur via qua venerat, cogitabat Deus. Attendatur etiam; Eliam, cibo illo quo ſub junipero recreatus eſt, quadraginta diebus, & quadraginta noctibus iter feciſſe: cum tamen viam quindecim dierum à junipero mons Dei Oreb non excedat. Quo igitur quadraginta dierum itinere abiit Propheta? Quod ſi dixerimus, & verè, eo cibo Eliam ad montem Dei Oreb perrexiſſe; & regreſſum etiam fuiſſe in Iſraël, quia alium cibum in deſerto habere nequivit; hoc totum triginta, ut plurimum, dierum itinere, abſolvebatur: cum tamen textus ſacer tradat, quadraginta dies, & quadraginta noctes, Eliam ambulaſſe cibo illo roboratum. Quibus apertiſſimè monemur verba illa, *Revertere in viam tuam,* aliter quam per viam, qua veniſti fore interpretanda.

Poſſet his difficultatibus ſatisfieri, ſi diceremus, quod *revertere in viam tuam* à Deo Eliæ dictum, idem valeret; ac revertere ad tuos priſtinos mores; ad priſtinam conſuetudinem tuam, prædicandi nimirum

A Dei legem, & à via erroris homines revocandi. nam Domino interroganti: *Quid hic agis Elias?* eò ſe veniſſe reſponderat, quia nullus jam amplius vir in Iſraël aderat, qui Deo debitum perſolveret cultum; omnibus jam Dei Prophetis ab Achabo, & Jezabele interfectis. cui Deus, *revertere in viam tuam*, inquit: ideſt, Elias, ad priſtinam conſuetudinem evangelizandi, & ſuadendi obſervantiam divinæ legis revertere: quia non omnes erraverant; nec omnes ſequuti idola fuerant: ſed adhuc ſupererant in Iſraël ſeptem millia virorum, qui genua Baalo minimè flexerant. Quamobrem ne qui Dei cultum firmum tenuerant; illi quoque depravarentur, concionatore
B omnino deſtituti, Eliam jubet Deus reaſſumere conciones, ut qui in fide permanſerant ſtabilirentur, & alii quoque converterentur. Eſt enim ſacræ Scripturæ phraſis: ut abire in viam alicujus dicantur hi, qui mores alterius imitantur. quemadmodum ex pluribus ſacræ Scripturæ locis apertè conſtat. Et ne longius abeamus, in eodem 3. lib. cap. 22. agitur de Ochozia, qui regnavit pro Achabo, & mores illius imitatus idola coluit: id quidem his verbis ſcribitur: *Ambulavit in via patris ſui, & matris ſuæ, & in via Jeroboam filii Nabath, qui peccare fecit Iſraël.* ubi ambulare in via, nil aliud ſignificat, quam mores paternos, maternoſve, & avitos, qui cultum
C idolorum in populum induxerant, imitari. qua dicendi phraſi in ſacris oraculis retenta, ſenſus illorum verborum erit: *Revertere Elia* ad priſtina munera tuæ prædicationis, ut homines ab idololatria retrahas; ut verò veneris in Abelmeula, inſtitues Eliſæum prophetam pro te; & cum veneris in Damaſcum, prænunciabis Hazaëlem Regem ſuper Syriam; & deinde etiam Jehu filium Namſi eliges Regem ſuper Iſraël ſucceſſorem Achabo.

Quod ſi alicui interpretatio hæc non arrideat: dicamus Deum præcipere Eliæ, ut revertatur per viam ſuam, ideſt ut arripiat iter, quod neceſſario facturus erat ad regrediendum in terram Iſraël. Eſt
D enim pariter phraſis ſacræ Scripturæ appellare viam alicujus, quam quis facere neceſſario debet; quocumque perrexerit; ſicut etiam dicuntur manſiones alicujus, loca in quibus quis caſtra metari cogitur. Eſt textus in 1. cap. lib. 1. Reg. quo id optimè probatur, ubi de Anna illa uxore Helcanæ dicitur: *Et abiit mulier in viam ſuam.* ideſt, reverſa eſt domum, ſive id egerit via qua venerat, ſive alia via redierit, parum intereſt, dummodo redierit domum. Et cap. 27. de Davide dicitur: *Abiit autem David in viam ſuam,* cum tamen David nequaquam qua venerat redierit via, ſed aliorſum omnino ab itinere quod tenuerat. Quibus ita poſitis in allato loco, in quo
E Deus Eliam alloquitur, non præcipitur illi, ut revertatur via qua venerat; ſed ut revertatur via, qua facilius, commodiuſque pervenire Damaſcum valeat. ad aperiendum verò Eliæ, quam viam tenere debeat, ſubditur, per deſertum; ideſt non via, qua venerat per campeſtria Pharan, ſed per ſuperiorem partem deſerti, quod cingitur tractu montium Amorrhæorum, deſertumque Sinai appellatur in Scripturis ſacris, in quo filii Iſraël triginta, & octo annos habuerunt tabernacula. inde enim Elias verſus Cadesbarne, Idumæam circumeundo, terram Promiſſionis à ſuperiori parte tribus Ruben adibat; deinde tranſvadato Jordane in regionem tribus Gad il-
F lico ingrediebatur, partemque dimidiæ tribus Manaſſe citra Jordanem, ut ei ſtatim Abelmeula occurreret. hoc erat natalitium ſolum Eliſæi, in cujus agro illum reperit Elias, arantem; eumque prout in mandatis acceperat, prophetam inſtituit.

Hanc tenuiſſe viam Eliam Angelicis oſtenditur verbis 3. Regum 19. dictum ei fuerat: *Surge, & comede, grandis enim tibi reſtat via.* cibatus igitur ambulavit

bulavit quadraginta dies ſine alio cibo; detur itaque à Junipero, uſque ad Oreb quindecim dierum tempus inſumpſiſſe Eliam; totidemque ad Cadesbarnæ regreſſum: jam ergo triginta dierum tempus eundo, & redeundo habetur; remanent dies decem; quo tempore ubi fuerit Elias commoratus, aut quo ambulaverit, ubi ſteterit, ſacra non aperiunt oracula. Si verò à parte ſuperiori meridionali, verſus Rubenitas perrexiſſe Eliam affirmabimus in terram Iſraël; eo certè itinere uſque ad loca habitata Iſraëlitarum, decem dierum tempus Eliam inſumpſiſſe, ſacro textu roborabitur. Illico namque ut ad Eliam divina juſſio facta eſt, ſubinfertur: *Profectus ergo inde Elias reperit Eliſæum filium Saphat arantem in duodecim jugis boum, & ipſe in duodecim jugis boum arantibus unus erat, cumque veniſſet Elias ad eum, &c.* hebraicè habetur וַיֵּלֶךְ מִשָּׁם *vaieleh miſciam*; ideſt, *& abiit ab eo loco.* ſi ergo Elias ſtatim atque diſceſſit à monte Dei Oreb, venit in terram Iſraël; & prius illi Eliſæus, quam Jehu, aut Hazaël occurrit; igitur in Abelmeula primo venit. At ſi via qua venerat, rediiſſet, prius veniſſet in Samariam, & Jehu Rex ſuper Iſraël inſtituendus illi occurriſſet, quam ad Eliſæum arantem perveniſſet. Cum igitur Elias prius venerit in Abelmeula quam aliò, per ſuperiorem profectò partem terræ promiſſionis illò acceſſit; nequaquam verò per viam, qua in Oreb venerat. Erit igitur ſenſus illorum verborum: *Revertere in viam tuam, & venies in viam deſerti Damaſci;* ut habent Septuaginta, hoc eſt revertere in terram promiſſionis, & quando veneris in viam deſerti Damaſci, ideſt in loca ſuperiora ad montes Hermon; pro temporis, & loci opportunitate Eliſæum inſtitues Prophetam, unges Hazaëlem Regem ſuper Syriam, Jehu Regem Iſraël, & cætera tibi commiſſa perſolves. Cum igitur Elias Hazaëlem, ungere Regem ſuper Syriam non potuerit; dictio *unxit*, non accipietur in ſignificatione propria; ſed ejus ſignificatio extendenda erit ad inſtitutionem, prænunciationem, ſive electionem alicujus ad aliquod munus.

Lucidiora fient quæ dicimus, ſi in allato loco attendatur dictionem תִּמְשַׁח *thimſcioah* haberi, ubi nos *unges* legimus. Licet verò tribus vicibus ungendum aliquem ibi jubeatur per verbum מָשַׁח, nullibi tamen Hazaëlem unctum oleo ſuper Syriam, ſed tantum prænunciatum Regem ſuper Syriam fuiſſe legimus. Habetur 4. Reg. cap. 8. in quo legimus non Eliam, ſed Eliſæum Hazaëlem Regem ſuper Syriam inſtituiſſe, ſeu prænunciaſſe, & hoc fortaſſe de mandato Eliæ; nequaquam verò aliquo oleo illum unxiſſe legimus. Similiter cap. 9. ejuſdem libri ſcribitur non Eliam, ſed Eliſæum, unum de filiis Prophetarum, ad ungendum Jehu in Regem ſuper Iſraëlem miſiſſe. Cum igitur dictio מָשַׁח, quæ *unxit* interpretatur, propriè hanc non retineat ſignificationem; cum de Hazaële, & de Jehu ponitur; nec illam retinebit, quando de Eliſæo dicitur.

Suſpicabitur fortaſſe aliquis, jampridem Eliam in Regem ſuper Syriam Hazaëlem unxiſſe; poſtmodum Eliſæum eidem Regnum prænunciaſſe. Verum commentitiam fore ſuſpicionem hanc, ipſemet textus aperuit. tunc enim quando Eliſæus Regnum Hazaëli prænunciavit, etiam Iſraëlitici Regni devaſtationem, ipſo inaugurato jam Rege, exequendam eidem aperuit: cui reſpondit Hazaël, *Quid enim ſum ſervus tuus canis, ut faciam rem iſtam magnam?* quæ verba ſic interpretanda erunt. Cum ego ſim viliſſimus homo, quo pacto fieri poteſt, ut adeò potens, ac magnus ſim futurus? ut quæ tu dicis exequi valeam? rationem reddens Eliſæus, ait: *Oſtendit te mihi Dominus Regem Syriæ*, hoc nequaquam ſubintuliſſet Propheta, quaſi novi aliquid illi prænunciaret; neque Hazaëli videretur novum in Regem

A prænunciari, ſi pridem ab Elia Rex inunctus extitiſſet. Quibus planè liquido conſtat, verbum *ungere* cum a Deo de Hazaële, & Jehu dicitur, non unctionem, quæ oleo fiebat ſignificare; ſed extenſa ſignificatione *eligere* interpretari poſſe: ut idem ſit, unges Hazaëlem, & Jehu, ac prænunciabis, inſtitues Hazaëlem Regem Syriæ, Jehu Regem Iſraël, & ſimiliter Eliſæum prophetam pro te. nequaquam verò argumentum ex his locis ſumere licet, quo probetur Prophetas ungi ſolitos ad munus propheticum obeundum. quamobrem niſi verbo ungendi in Scripturis ſacris, oleum aliquo modo fuerit adjunctum; ipſa dictio מָשַׁח *maſciah* licet in ſua rigoroſa,
B & ſtricta ſignificatione, ungere ſignificet; tamen extenditur etiam ad eligere, conſtituere, & deſtinare aliquem ad aliquod munus divini cultus, ſive illud munus Regium, ſive Sacerdotale, ſive alterius generis fuerit.

Probetur adhuc validioribus rationibus, Eliſæum nequaquam oleo unctum fuiſſe ad munus propheticum; & hoc ſumpto teſtimonio ex cap. 48. Eccle. agitur hic de Elia, qui quidem pluribus encomiis à Spiritu ſancto vir ſanctus celebratur: tandem in laudem ipſius ſubditur, *Qui ungis Reges ad pœnitentiam, & Prophetas facis ſucceſſores poſt te.* ubi notanda eſt phraſis ſacræ Scripturæ; quia enim Regum conſue-
C tudo erat oleo inaugurari; *Eliam* Reges unxiſſe dicitur: quia nimirum Dei nomine illos in Reges prænunciavit. quoniam verò Prophetæ non ungebantur, ſed inſtruebantur ad gratiæ, & prophetiæ donum ſuſcipiendum; propterea dicitur Eliam ſibi ſucceſſorem Eliſæum declaraſſe, non verò unxiſſe traditur.

Comprobari adhuc iſta poſſunt ex allato jam loco cap. 19. lib. 3. Reg. ubi Eliæ acta in inſtitutione Eliſæi ad munus propheticum, narrantur. *Profectus ergo*, inquit textus, *inde Elias*, hoc eſt à monte Dei Oreb, *reperit Eliſæum filium Saphat arantem in duodecim jugis boum, & ipſe in duodecim jugis boum*
D *arantibus unus erat. Cumque veniſſet Elias ad eum, miſit pallium ſuum ſuper illum, qui ſtatim relictis bobus cucurrit poſt Eliam, & ait, Oſculer oro patrem meum, & matrem meam, & ſic ſequar te. Dixitque ei*, ſupple Elias, *vade & revertere, quod enim meum erat feci tibi;* quaſi dicat, nil amplius mihi faciendum reſtat. In inſtitutione igitur Eliſæi ad munus propheticum obeundum, nihil aliud feciſſe Eliam legimus, niſi pallium ſuum, quod melotam appellant Septuaginta, ſuper Eliſæum ſuperjeciſſe; & nihil amplius cum illo ſe acturum Elias declarat, dicens,
E *Quod meum erat feci tibi.* ac ſi vellet dicere, meum erat te inſtituere in Prophetam: jam functus ſum officio meo, pallio ſupra te injecto. Joſeph etiam lib. 8. antiq. cap. 7. de hac re verba faciens, Eliſæum ab Elia oleo unctum fuiſſe nequaquam ſcribit, ſed prophetam loco Eliæ ab eodem conſtitutum. Quibus concludere licet, Eliſæum nequaquam oleo unctum fuiſſe, ut divinam gratiam reciperet ad munus propheticum obeundum. Quamobrem non obſtantibus, quæ in anteriori capitulo ſunt allata, probabiliſſimè negari poteſt aliquo Hebræorum, aut Iſraëlitarum ritu, aut cæremonia ſolitum in Scripturis ſacris oleum adhiberi in inſtitutione Prophetarum; deque ſola inſtitutione, non vero de aliqua
F unctione loca Iſaiæ, & Lucæ in anteriori capitulo allata, accipienda fore. Nec vim majorem affert illi ſententiæ locus ex prima Canonica Joannis allatus. illud enim, *noſtis omnia*, minimè probat, quod in ſacro Confirmationis ſacramento infunderetur fidelibus omnium cognitio. ſed quod illi, quibus ſacramentum illud concedebatur, plenè prius in dogmatibus fidei inſtruebantur, juxta exigentiam illorum, qui tunc temporis pro fide certaturi fuiſſent; nequa-

 quam

quam verò de aliqua prophetica unctione, aut à ſimili, cum de ritibus propheticæ inaugurationis loquitur Joannes.

C A P. XL.

Unguentorum inter pocula luxus aperitur.

Ad loca Luc. 7. *Oleo caput meum non unxiſti.* Pſ. 23. *Paraſti in conſpectu meo menſam, adverſus omnes qui tribulant me. Impinguaſti in oleo caput meum, & calix meus inebrians, quam præclarus eſt.* Matth. 6. *Tu autem cum jejunas, unge caput tuum.* Et ad alia loca.

TANTA aromatum veteres tenebantur voluptate, ut non tantum in balneo, oleo, ut vidimus, condito uterentur, ſive potius abuterentur; ſed in menſa, ac cœnaculo quoque, tam in convivii exordio, quam inter ipſa pocula, unguenta afferrentur. Quid dixerim inter ipſa pocula? in ſecundis, ac poſtremis menſis, unguenta adhibebantur. ſi poſtrema dari his poſſunt, apud quos nullus voluptatum poſtremus eſt finis, ac terminus. Liquidiora quidem olea in promulſide cœnæ dabantur, ſolidiora dum cœnarent, ſolidiſſima denique unguenta cum jam cœnaſſent in ſecundisque menſis verſarentur, caputque recreandum eſſet à vino. Ne verò nobis deſit ex antiquis ſcriptoribus teſtis aliquis, aderit Martialis noſter apud Plinium juniorem epiſtolarum lib. 3. epiſt. 20. qui timens ne carmina ipſius, Satyricaque Muſa minus gratè admitteretur in cœnas illius ætatis, ab his, qui voluptatibus operam dabant, præſcribit illi tempus ſecundæ menſæ, cum jam nimirum cœnaſſent, & inebriati fuiſſent, & unguento madidi, dicens:

Seras tutior ibis ad lucernas,
Hæc hora eſt tua, cum furit Lyæus,
Cum regnat roſa, cum madent capilli,
Tunc me vel rigidi legant Catones.

Seras dixit Poëta lucernas, ut poſtremam cœnæ horam indicaret. Verum pro oleo convivii præludio, ſtat irrefragabilis teſtis, & antiquæ Eccleſiæ ſcriptor omni ratione probatus Clem. Alexan. lib. 4. Strom. qui luxus conviviorum, præſertim Athenienſium meminit, ex quorum inſtitutis acclamare ſolitum apud illos refert.

Fert ficus pingues, & panes Iriſione,
Mella quoque in catino, ac oleum quo te ungere poſſis.

Jungitur verò oleum ficibus, panibus ac melli, hora cœnæ atque convivii, quia oleum præmittebatur. Sed tam pro oleo, quam pro unguento, humanæ naturæ ſtat Salvator noſter, qui peccatricis mulieris laudat liberalitatem, unguentique præſtantiſſimi profuſionem inter ipſa pocula. de illo libro quarto agetur. Quamvis verò licet profuſius à nobis eo libro hæc ſint pertractanda; nunc tamen obiter adnotabimus, quæ ad hoc pertinent capitulum, in quo profuſus veterum luxus unguentorum inter pocula, atque convivia explicatur. nam cap. 19. generaliter hunc unguentorum abuſum conſideravimus, in hoc autem ad menſam nobis recumbendum exiſtimavimus.

Defectum olei aromatibus conditi Servator objicit Phariſæo; quod ei nimirum deberetur, ſtatim ac in cœnaculum adveniſſet: profuſum unguentum à muliere propterea fortaſſe commendat; quod ditiores, ac molliores, qui omnia naturæ, & gentium jura pervertunt; unguento præſtantiſſimo, etiam in promulſide convivii, loco olei adhibere conſueverint. Nam unguentorum convivalium uſus, totum adeò invaſerat orbem; ut ad Indos uſque pervenerit: de

A quibus Philoſtratus lib. 2. de vita Apoll. Thyan. Regis Indorum convivium referens, dicit: *Menſa verò ſicut Altare uſque ad hominis genu ſublimis in medio ſtruitur, quam in ſemicirculum compoſitam triginta homines, quaſi chorus ad manducandum circumſiſtunt. in ipſa verò laurus ſternitur, aliique rami ſimiles myrto, qui unguentum ſtillant, quo utuntur Indi.* Perſas taliter pervaſit unguentorum inter ipſa pocula luxus; ut Plutar. in Artaxer. referat Antalcidam Spartiatam à Rege convivio exceptum, & corona unguentata inter ipſa pocula honoratum. *Quare Artaxerxes,* inquit, *qui à cæteris Spartiatis ſemper fuit averſus; ho-*
B *mines numerans eos eſſe, ut ait Dion, omnium impudentiſſimos; profectum in Perſidem Antalcidam impenſe complexus eſt, coronamque unam ex floribus factam, Rex in pretioſiſſimum demerſit unguentum, eamque ex cœna Antalcidæ miſit. quem favorem omnes admirati ſunt.* Mirabantur verò illi homines, Regis gratiam in Spartiatam; quam gentem ſummo Rex proſequebatur odio, coronam verò unguento demerſam, ac inter ipſa cibaria alteri miſſam, (quod de more id factum eſſet) minimè mirabantur: nos utrumque mirando Perſas, & Græcos unguentis madidos, inter ipſa pocula intelligemus. alias nec Græco homini Perſa coronam unguento madidam miſiſſet: nec miſſum munus, à conſuetudine alienum ſi foret,
C Spartiatæ gratum extitiſſet.

In his ipſis unguentis convivalibus, profuſi adeò fuere Sardiani, Athenienſes, unoque verbo Græci omnes; ut convivium nullum ſine unguentis, & copioſis, & pretioſis exhiberetur. Plurima poſſent pro his afferri veterum monumenta, cum primis ex Athenæo: unus tamen locus ſexcenta obruat lib. 4. cap. 1. ubi cum in convivio Carani, tibicines, atque etiam ſambuciſtriæ inductæ è cœnaculo abiiſſent: ἐπεισῆλθον ἄλλαι φέρουσαι ληκύθους μύρου ἑκάστη δύο, ideſt, *Introductæ ſunt aliæ portantes lecythos unguenti, ſingulæ duos.* & de eodem convivio loquens infra, adhuc unguentorum meminit iterum, dicens: καὶ νιψάμενοι
D τὰς χεῖρας ἐστεφανούμεθα, καὶ πάλιν στλεγγίδας ἐλάβομεν χρυσᾶς διπλασίους τῶν προτέρων, καὶ ἄλλο διλήκυθον μύρου. hoc eſt, *Et manus abluentes coronamur, & iterum accepimus urnas aureas duplo majores prioribus, & alios duos lecythos unguenti.* Igitur non tantum in principio, ſed in ipſa compotatione, inter vina, in finem uſque unguento illi perfundebantur; ne quid deeſſet voluptatibus, & inſatiabili odoris ſuavitati. Plurima alia ex ſcriptoribus aliis afferri poſſent; ſignentur tamen cuncta, & periodus finem admittat, ejuſdem Athenæi teſtimonio ex lib. 15. c. 13. ubi de unguentis convivis profuſiſſimè præſtitis, dixit: Ἀλλὰ καὶ αὐτοὶ οἱ Ἀθηναῖοι οἱ πάντων τῶν καλλίστων εἰσηγηταὶ τῷ τῶν ἀν-
E θρώπων βίῳ γενόμενοι, παρ᾽ οἷς ἀνυπερβλήτου τιμῆς, ὡς προείρηται, τῶν μύρων ὑπαρχούσης, οὐκ ἀπείχοντο τῆς χρίσεως, ὥσπερ οὐδὲ ἡμεῖς νῦν, οὕτω πολυτίμων, καὶ καλλίστων ὑπαρχόντων, ὡς λῆρον εἶναι τὰ ἐν τῷ Εἰσοικιζομένῳ Ἀλέξιδος ταυτί.

Οὐ γὰρ ἐμυρίζετ᾽ ἐξ ἀλαβάστρου πρᾶγμα τι,
Γιγνόμενον αἰεὶ Κρονικὸν ἀλλὰ τέσσαρας
Περιστερὰς ἀφῆκεν ἀποβεβαμμένας,
Εἰς οὐχὶ ταυτὸν μὰ Δία τὴν αὐτὴν μύρον
Ἰδίῳ δ᾽ ἑκάστην· πετόμεναι δ᾽ αὗται κύκλῳ
Ἔῤῥαινον ἡμῶν θοἰμάτια, τὰ στρώματα.
Μή μοι φθονήσατ᾽ ἄνδρες Ἑλλήνων ἄκροι,
Ἡλειφόμην θυόμενος ἠρίνῳ μύρῳ.

F Πρὸς θεῶν, ποία ἡδονὴ, μᾶλλον δ᾽ οὐ σαλακωνεία, θοἰμάτια μολύνεσθαι, ἐξὸν ταῖς χερσὶν· ὥσπερ ἡμεῖς νῦν ποιοῦμεν ὀρυσαμένους ἀλείφεσθαι πᾶν τὸ σῶμα, καὶ μάλιστα τὴν κεφαλήν. Hanc poſtremam partem hujus ſententiæ proſa conſcribendam, docet Caſaubonus; in eoque deceptum putat Dalecampium, quod vim vocis σαλακωνεία ignoraverit; non enim legit Caſaubonus

οὐσα

ὖσα λακονεία, ſed ἡ σαλακωνεία. *eſt autem σαλακωνεία,* inquit ille, *hoc loco ἀπειροκαλία quædam, & inepta opum oſtentatio, Philoſophus vocat ſolœciſmum hominis divitis in opum ſuarum oſtentatione decorem non ſervantis.* quam, Caſauboni retenta lectione allata, ſic interpretabuntur. *Sed & ipſi Athenienſes omnium bonorum, quibus adjuta eſt hominum vita, inventores: ut dictum eſt, unguenta in ſummo honore habent; quamobrem ſemper his perfunduntur, quemadmodum & nos, adeo pretioſis, & excellentibus, ut præ illis nugæ ſint, quæ in* Εἰσοικιζομένῳ, ideſt in libro qui inſcribitur Iſœcizomenos, *Alexis ita ſcribit:*

Non enim ex unguentario alabaſtro in rebus
Antiquam ſimplicitatem retinendo, ſed quatuor
Columbas emittebat tinctas:
Non eodem per Deum omnes unguento,
At proprio ſingulam. volitantes illæ in gyrum
Noſtras irrorabant veſtes, ac ſtragula:
Nec invidete mihi, ò Græciæ Principes,
Et unctus ſum, & ſuffitus Irino unguento.

Per Deum Amici qualis voluptas, nonne magis Salakonia; ad veſtes inquinandas forinſecus, ut & manibus liceret; quemadmodum nos nunc facimus, unguento ſumpto, ungi totum corpus, magiſque caput. Hæc de Græcis Athenæus veterum teſtimonio probat; pluraque alia affert, quibus idipſum oſtendit.

Græcis ne inviderent Romani; ubique, & pocula, & cibaria quoque unguentis conjungere curarunt. inde Propertius lib. 3. in eadem ſententia dixit:

Sit menſæ ratio, noxque inter pocula currat,
Et crocino nares myrrheus ungat Onyx.

Lucretius quoque lib. 4. de natura rerum, agens de convivio, apprimè ad jura illius ætatis inſtructo, ei ut nihil deeſſet, unguenta præſtantiſſima addit, dicens:

Convivia, ludi,
Pocula crebra, unguenta, coronæ, ſerta parantur.

Quem quidem conviviorum, ac unguentorum luxum ab Hebræis ad Perſas, Græcos, atque Romanos profluxiſſe ex ſacris literis perſpicuum eſt. Non enim in Pſalmis tantum, ut vidimus, divina oracula, unguentorum meminere inter ipſa pocula, ſed paſſim in lib. Cant. præſertim in illo: *Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuavitatis.* hic namque inter pocula Rex verſabatur; inſtrato, atque inſtructo convivio Rex accumbebat: cum verſato jam unguento, ſponſa lætatur, quod voluptatem maximam ex fragrantia, unguentum Regi attulerit. Sed & Amos Propheta hunc ipſum Romanorum, atque Græcorum luxum, multo ante Iſraëlitis objicit, dicens, cap. 6. *Veh vobis, qui opulenti eſtis in Sion, bibentes vinum in phialis, & optimo unguento delibuti.* ut propterea ab Hebræis tamquam à mollioribus, ad reliquas nationes, & gentes, unguentorum luxum profluxiſſe pateat.

Ea autem lege unguenta conviviis debita, atque convivis cenſebantur; ut non ſolum à jure convivii defeciſſe putaretur is, qui ea convivis minimè porrexiſſet; (quamobrem meritò Servator noſter reprehendit Phariſæum, quod unguentum minimè porrexiſſet, *Oleo caput meum non unxiſti*); ſed nec gloriam, aut felicitatem excogitare inter ipſa pocula abſque unguentis homines valerent. Ea propter Lucian. lib. 2. de veris narrat. in eam quam excogitavit beatitudinem, convivium quidem inſtruit; minimè verò abſque copioſa unguentorum effuſione. dixerim melius profuſione: καὶ μὴν, καὶ μυρίζονται ὧδε, inquit, νεφέλαι πυκναὶ ἀνασπάσασαι μύρον ἐκ τῶν πηγῶν, καὶ τοῦ ποταμοῦ, καὶ ἐπιστᾶσαι ὑπὲρ τὸ συμπόσιον, ἠρέμα τῶν ἀνέ-

A μων ἀποθλιβόντων ὕουσι λεπτὸν ὥσπερ δρόσον. hoc eſt: *Porro & ad hunc modum inunguntur. Nubes denſæ unguentum ex fontibus, & flumine attrahunt, & convivio imminentes; ventis ſenſim exprimentibus tenuiſſimum quiddam velut rorem pluunt.* Nec beatorum igitur convivium apud veteres ſuavitatem habebat, ſi ei unguenta deeſſent. Fuit enim ſacrarum quoque literarum conſuetudo, cœleſtem beatitudinem, beatorumque gloriam convivio fidelibus contemplandam proponere. ita Servator noſter in ultima cœna dicebat diſcipulis: *Non bibam a modo de hoc genimine vitis, donec bibam illud novum in Regno Patris mei.* Et apud Joannem in Apocal. ſæpiſſimè dicebat: *Vincenti*
B *dabo manna abſconditum, & dabo edere de ligno vitæ. cœnabimus cum illo.* & ſexcenta alia. quibus quæ in veteri teſtamento habentur, reſpondent, apud Iſaiam 25. apud quem abſque unguentis non proponitur convivium beatitudinis: *In illa die*, inquit, *faciet Dominus omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ:* à quo ratione ſuavitatis, pro more temporum ne deſint unguenta, legendum erit *convivium unguentorum*, ſic enim hebraice: וְעָשָׂה יְהוָה צְבָאוֹת לְכָל־הָעַמִּים בָּהָר הַזֶּה מִשְׁתֵּה שְׁמָנִים מִשְׁתֵּה שְׁמָרִים שְׁמָנִים מְמֻחָיִם שְׁמָרִים מְזֻקָּקִים hoc eſt, *Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte iſto convivium un-*
C *guentorum, convivium ſervatorum; unguentorum medullatorum, ſervatorum purorum.* Ad cujus loci lucidiorem explicationem, obſervandum eſt, Prophetam loqui de liberandis fidelibus à moleſtiis præſentibus; deque bonis futuris per adventum Meſſiæ: ſumpta igitur metaphora ab uſu temporum, & illius ſeculi conſuetudinibus, quibus convivia minimè parabantur abſque unguentis; & his præſtantiſſimis: nec in convivio Regali apponebantur niſi carnes animalium ſpeciali cibo nutritorum, & ſingulari diligentia cuſtoditorum; quæque juxta legem pura, atque munda forent: propterea dixit Propheta Deum convivium inſtructurum unguentorum; convivium
D animalium cuſtoditorum: nimirum Altilium, juxta illud convivii Evangelici: *Tauri mei, & altilia occiſa ſunt.* Explicans vero apertius Propheta excellentiam tum unguentorum, tum carnium, ſubintulit, *unguentorum medullatorum:* nimirum illorum, quæ plena ſunt ſucci odorati. quia verò non licebat uti carnibus immundis, ſubdit, *altilium mundorum.* ideſt de carnibus illorum animalium, quæ munda erant, & inſuper purificata juxta legem. hæc quantum ad ſenſum Prophetæ. nobis ſatis ſit Prophetam in convivio beatitudinis, ac æternæ felicitatis meminiſſe unguentorum quod & Septuaginta in Codice Vaticano ſingulariter expreſſerunt. ſic enim legunt: καὶ
E ποιήσει Κύριος Σαβαὼθ πᾶσι τοῖς ἔθνεσιν ἐπὶ τὸ ὄρος τοῦτο πίονται εὐφροσύνην, πίονται οἶνον. θίσονται μύρον ἐν τῷ ὄρει τούτῳ· παράδος ταῦτα πάντα τοῖς ἔθνεσιν. hoc eſt: *Et faciet Dominus Sabaoth omnibus gentibus ſuper montem iſtum: bibent lætitiam, bibent vinum, ungentur unguento in monte iſto, trade hæc omnia gentibus.* Ex metaphora igitur ab uſu illius temporis ſumpta, perſpicuum eſt, adeò frequentem apud Iſraëlitas fuiſſe unguentorum in conviviis uſum, ut beatorum convivium abſque unguentis comminiſci ſacra oracula verita videantur. Nec mirum quidem id eſſe debet: cum enim æternæ beatitudinis gloria, humanum captum excedat; ſolum à temporum conſuetudinibus ſumptis metaphoris, à nobis ſubodorari valet.

F Hujus conſuetudinis ſeries, ut antiquior adhuc conſpiciatur, ad Pſaltem nobis recurrendum erit; qui beatitudinem ſub convivii metaphora ſcribens, ab unguentis, quæ inter pocula convivio miniſtrari mos erat, non abſtinuit; ſed ait: *Paraſti in conſpectu meo menſam, adverſus omnes qui tribulant me.* Et ne deſint unguenta, ſubdidit: *Impinguaſti in oleo caput meum*

meum, & calix inebrians quam præclarus eſt. De cali- A
ce enim coronato loquitur hic Propheta: hunc appellat calicem inebriantem כּוֹסִי רְוָיָה *choſi revajah*, calix exuberans, quæ coronata dicebantur à veteribus, de quibus Virgilius:

& vina coronant.

Nec ab re Lyricum prophetam, unguentorum inter convivium, & pocula meminiſſe arbitror, prius dicendo, *Paraſti in conſpectu meo menſam*, demum verò, *calix inebrians quam præclarus eſt:* ac inter eſcas poculaque interponere unguenta, dicentem: *Impinguaſti in oleo caput meum:* Ea, me judice, ductus
ratione, quod ab eo uſque tempore, non tam in B
principio menſæ, quam inter ipſa pocula, atque in ſecundis menſis, miniſtrare unguenta ſolerent molliſſimi illi homines, inter ipſa nimirum bellaria. Antiquiſſima nobis teſtimonia id probant ex Nicoſtrato apud Athenæum lib. 15. cap. 10. dicens: ἡ δὲ τῶν στεφάνων, καὶ μύρων πρότερον εἴσοδος εἰς τὰ συμπόσια ἡγεῖτο τῆς δευτέρας τραπέζης, ὡς παρίστησι Νικόστρατος, ἐν ψευδοστιγματίᾳ διὰ τούτων·

καὶ σὺ μὲν
τὴν δευτέραν τράπεζαν εὐπρεπῆ ποίει,
κόσμησον αὐτὴν παντοδαποῖς τραγήμασι,
μύρον, στεφάνους, λιβανωτὸν, αὐλητρίδα λαβέ. C

hoc eſt, *Coronarum autem & unguentorum miſſus ſecundæ menſæ præibat, ut conſtituit Nicoſtratus in pſeudoſtigmatia*, nimirum in libro qui ſic inſcribitur, *per hæc.*

ac tu quidem
Concinne, ſecundam menſam appara,
Eamque omnifariis adorna bellariis,
Vnguenta, coronas, thus, tibicinam cape.

Ut non tantum jam in ingreſſu cœnaculi, ipſo ſtatim in accubitu; nec ſolum cum accubuiſſent, inter ipſa pocula, atque inter cibaria; ſed etiam in fine
unguento inficerentur veteres illi, veterumque mol- D
liores. quod & Cœl. Rhodig lib. 27. antiq. lect. cap. 24. affirmat; myraque græcè appellata unguenta docet, quaſi μῶρα, *Quoniam*, inquit, *vino madentibus, & planè delirantibus arrideant.* Hoc idem Evangelicæ aperuere hiſtoriæ, cum Servatorem noſtrum objeciſſe Phariſæo tradunt, quod oleum capiti, ipſo ingrediente cœnaculum, minimè miniſtraſſet: quod etiam ipſo accumbente, dum inter pocula, aut inter bellaria verſaretur, *Mulier, quæ erat in civitate peccatrix, attulit alabaſtrum unguenti, & ſtans retro ſecus pedes ejus*, illos unguento unxit: & quod aliquando Bethaniæ in domo Simonis leproſi, Maria
fracto alabaſtro, unguentum ſuper caput ipſius fu- E
diſſet: & denique cum eadem ſacra oracula Servatorem juſſiſſe Diſcipulis oſtendunt, ad occultandum jejunium, & convivia ſimulanda, ut caput unctum ferrent. quæ potius de unguento allato in ſecundis menſis, inter ipſa bellaria, quod poſtremò afferebatur, intelligenda reor, quam de unguento, quod in principio menſæ, vel inter ipſa pocula convivis porrigebatur. Hæc enim unguenta inter pocula allata facilius evaneſcerent à convivis, quod in ſtrato verſarentur, ſi allata fuiſſent multo prius quam è menſa aſſurgerent. Unguentum verò, quod in fine menſæ, inter ipſa bellaria, convivis fuiſſet præſtitum, veluti recens fuſum in caput convivantium tamdiu ibi ſer-
vari potuit; quamdiu è ſtratis ſurgentes convivæ, in F
publicum progrederentur; eaque capitis unctione, convivatos eſſe omnibus indigitarent, atque jejunium occultarent: ut propterea de hoc poſtremo unguentorum genere Servatorem ad occultandum jejunium dixiſſe: *Tu autem cum jejunas, unge caput tuum*, non immeritò à nobis cenſeatur.

CAP. XLI.

Unguenta pueris, puellisque præminiſtris, convivis porrigebantur.

Ad loca Johel. cap. 3. *Et poſuerunt puerum in proſtibulo, & puellam vendiderunt pro vino.* Luc. 7. *Aquam pedibus meis non dediſti.* Et ad alia loca.

NULLVM quidem eſt inter vitia monſtrum, quod fœda non ingeſſerit in mundum luxuries. Hæc puerorum, ac puellarum miniſterium in conviviis Romanorum, atque Græcorum docuit, ut illorum pulchritudine, atque elegantia paſceretur viſus; epulis, iſtarumque condimentis, & vino paſceretur guſtus; ſambuciſtriis delectaretur auditus; unguentis tenerentur nares; puerorum ac puellarum miniſterio tactus quoque luxuriæ incitamenta ſentiret. quamobrem minimè ſatis duxere ex propriis regionibus pueros accipere, ſed pretio maximo emptos, formoſiſſimos habere curarunt. qui etiam mollitie depravati, ut moris eſt mulierum, in ipſa oris ſpecie plurimum ſuperbirent, quod Juvenalis Sat. 5. reprehendit ac dolet, dicens:

tu Getulum Ganimedem
Reſpice cum ſities. neſcit tot millibus emptus
Pauperibus miſcere puer: ſed forma, ſed ætas
Digna ſupercilio: quando ad te pervenit ille?
Quando vocatus adeſt calidæ, gelidæque miniſter?
Quippe indignatur veteri parere clienti,
Quodque aliquid poſcas, & quod ſe ſtante recumbas.
Maxima quæque domus ſervis eſt plena ſuperbis.

Dixiſſe verò poëtam, puerum miniſtrum calidæ ac frigidæ aliqui tradunt, quod Neronis ſeculo voluptatibus cauſa nepotini illi excogitaſſent aquam prius calefacere, deinde nive eandem frigefacere, ut rigoris ac frigidi vi frigidior aqua fieret; quod etiam Plinii teſtimonio firmari poteſt dicentis lib. 19. cap. 19, *Decoquunt alii aquas: mox & illas hiemant.* Nec iſtorum auctorum ſenſum reprobo, ſed fortaſſe magis ad ſenſum poëtæ erit, puerum dici miniſtrum calidæ, gelidæque aquæ, ratione duplicis uſus aquæ in cœnis, nimirum ad pedes, & ad pocula; frigida ad hæc, calida verò in ablutione pedum. Licet enim in æſtate frigida etiam pedes abluere, nullum diceret incommodum; ea tamen frequenter uti inſalubre quidem eſſet: ut propterea ſanitatis ſaltem de cauſa, tam hieme quam in reliquis anni temporibus, in ablutione pedum dum accumberent veteres, calida uſos fuiſſe aqua probabilius videatur; deque hac calida aqua, & pedum ablutione, poëtam intelligendum putemus. quod eorum cum primis miniſterio ad id uterentur veteres, diximus id ſupra cap. 33. & locus ibi ex Petronio allatus, intentum præclarè probabat. Probat etiam illud idem Juvenalis allatus locus, & Plautinus Toxilus in convivio ad Sagariſtionem; qui una ſecum accumbebat; cui dicitur:

Locus hic tuus eſt, huc accumbe,
Ferte aquam pedibus, præben' tu puer.

Locus etiam à nobis allatus cap. illo 33. illuſtratur, puerum enim vini & aquæ miniſtrum in conviviis monſtrabat. In ea verò porrigenda, ac miniſtranda tam indecorè veteres pueris abuſi ſunt, ut his nudis ad hæc uti, minimè illos puderet. quemadmodum lapis perantiquus à nobis ex vinea Card. de Montealto retro jam allatus perſpicuè aperit: pluresque alii in parietinis Urbis reperti, & ad lucem in dies revocati. Si verò veſtiti in cœnaculum veniſſent pueri, illi ipſi fucati, unguentis madidi, & compti apparebant. Frequens enim fuit puerorum

illius

illius ſeculi, mundo, non jam muliebri, ſed potius puerili operam dare. paſſim ſcriptores id affirmant. de quibus Clem. Alex. lib. 3. Pædag. cap. 3. ait: *Qui enim à corporis cultu minimè puri ſunt, ſi nequaquam ſani ſunt; ad mollitiem autem declinantes planè effœminantur; illiberali quidem tonſu, ac meretriciè ſe tondentes, ſubtilibus autem, ac perſpicuis veſtibus induti, glorioſi undequaque obeuntes, maſtichen rodentes, & unguenta olentes.* Vitium hoc Phrygiis præcipuè, atque Trojanis objiciebatur; teſte Euripide in Oreſte, quem infra citabimus. Et Virgil. Æneid. lib. 12. apud quem Turnus cum Ænea præliaturus propriam alloquitur haſtam, eamque de victoria precatur; eo argumento, quod ſibi cum effœminato, & compto viro pugnandum ſit, dicens,

da ſternere corpus,
Loricamque manu valida lacerare revulſam,
Semiviri Phrygis; & fœdare in pulvere crines,
Vibratos calido ferro, myrrhaque madentes.

Quod verò hi ipſi Phryges, in menſis miniſtrarent pocula, Juvenalem aperuiſſe mihi videtur, cum dixit Satyr. 5.

Tibi pocula curſor
Gætulus dabit, aut nigri manus oſſea Mauri,
Et cui per mediam nolis occurrere noctem
Clivoſæ veheris dum per monumenta Latinæ.
Flos Aſiæ ante ipſum pretio majore paratus,
Quam fuit & Tulli cenſus pugnacis, & Anci.

Idem Poëta ibidem meminit ſervi ad pocula millibus empti, & Satyra 11. ad eadem pocula Phrygem ſervum reponit: ut propterea comptos hos ipſos, & unguentatos miniſtrare in conviviis certiſſimum eſſe debeat. non enim à ſpecie, & forma florem puerum dixit Juvenalis loco jam allato, ſed à cultura, & unguentorum copia, qua Aſia abundat, illum ſic appellavit. Habet id etiam Senec. epiſt. 123. ubi ait: *Turpe eſt neminem eſſe in comitatu puerorum, cujus ſana facies medicamentum deſideret.* Sed & M. Seneca lib. 1. controv. in præfat. in eadem ſententia dixit: *Somnus, languorque, ac ſomno, & languore turpior, malarumque rerum induſtria invaſit animos; cantandi, ſaltandique nunc obſcœna ſtudia effœminatos tenent; & capillum frangere, & ad muliebres blanditias vocem extenuare, mollitie corporis certare cum fœminis, & immundiſſimis ſe excolere munditiis, noſtrorum adoleſcentium ſpecimen eſt.* Capillum frangere, intelligas velim de more, & ex conſuetudine illius perditiſſimi ſeculi, cum primis apud Romanos, Servatore noſtro cum hominibus viſibiliter agente. Auctor eſt Virgil. lib. 10. Æneid. apud quem Æneas Lauſum à ſe percuſſum ad necem ſolatur, dicens:

Hoc tamen infelix miſeram ſolabere mortem,
Aeneæ magni dextra cadis. increpat ultro
Cunctantes ſocios, & terra ſublevat ipſum,
Sanguine turpantem comptos de more capillos.

Quæ juxta rationem poëticam, mores ſeculi, in quo hæc ſcribebantur, reſpiciunt: fuit verò Octaviano, ac Tiberio imperantibus dum hæc ſcriberentur, adoleſcentioresque muliebrem imitarentur mollitiem. His igitur effœminatis pueris, his mollibus adoleſcentibus luxus veterum, & veterum laſciviores, in convivio ad aquam, & oleum convivis porrigenda utebantur, necnon etiam in miniſterium unguentorum convivalium: vel potius affirmabimus pueros, puellaſque ad libitum dominorum, locorumque conſuetudines, convivis præſtitiſſe olea & unguenta. Stat pro pueris Athenæus lib. 15. cap. 10. his verbis: περιενεγκόντων δὲ τῶν παίδων ἐν ἀλαβάστροις, καὶ ἄλλοις χρυσοῖς σκεύεσι μύρα, τὸν Κύνουλκον θεασά-

A μενός τις, πολλῷ τῷ μύρῳ τὸ πρόσωπον ἐπέχρισεν. hoc eſt: *Circumferentibus autem pueris unguenta in alabaſtris, & aliis vaſis aureis, dormitantem Cynulcum intuitus aliquis unguento faciem illevit.* Puerorum igitur erat, convivis recumbentibus, eiſdem unguenta miniſtrare, atque porrigere. In eamdem ſententiam Euripidem in Oreſte dixiſſe puto.

Ο. καὶ πῶς; ἔχει γὰρ βαρβάρους ὀπάονας.
Π. τίνας; Φρυγῶν γὰρ οὐδέν' ἂν τρέσαιμ' ἐγώ.
Ο. Οἵους ἐνόπτρων, καὶ μύρων ἐπιστάτας.

Agebatur enim inter Oreſtem & Pyladem de interficienda Helena, necemque conſultabant. Pyla-
B des Oreſtis amicus erat, & in nece ſocius. Certam necem, & fugam meditabantur: utrumque arduum putabat Oreſtes, quod Helena ſervos Trojanos præſto apud ſe haberet: utrumque facilem cenſebat Pylades, quod fœminis molliores, ac viliores eſſent pueri, qui ſpeculis, & unguentis operam dabant; ſic enim interpretantur allata carmina.

Or. *Et quomodo? habet enim barbaros comites.*
Pyl. *Quos? neminem Phrygum timeo ego.*
Or. *Quales, ſpeculorum, & unguentorum curatores.*

Hæc de pueris. Verum pro puellis quoque unguentariis ſtat Athenæus lib. 4. cap. 1. Carani cœ-
C nam ſcribens: ἤδη δὲ ἡμῶν ἡδέως ἀπηλλοτριωμένων τοῦ σωφρονεῖν, ἐπεισβάλλουσιν αὐλητρίδες, καὶ μουσουργοί, καὶ σαμβυκίστριαί τινες Ῥόδιαι· ἐμοὶ μὲν δοκῶ γυμναί, πλὴν ἔλεγόν τινες ἔχειν χιτῶνας, ἀπαρξάμεναί τε ἀπῆλθον καὶ ἐπεισῆλθον ἄλλαι φέρουσαι ληκύθους μύρου ἑκάστη δύο, συνδεδεμένας ἱμάντι χρυσῷ, τὴν μὲν ἀργυρεᾶν, τὴν δὲ χρυσᾶν, κοτυλιαίας, καὶ ἑκάστῳ προσέδοκαν. hoc eſt, *Jam cum nos voluptate perfuſi minus temperantes exiſteremus, ecce repente intromittuntur cantores, tibicinæ, & quæ ſambucam pulſabant Rhodiæ quædam mulieres; mihi, ut arbitror nudæ, dicebant quidam tunicis indutas fuiſſe; cantus illæ, ac modos exorſæ ſtatim abierunt, moxque ſucceſſerunt aliæ, unguentaria vaſcula geſtantes, unaquæque duo, aurea*
D *faſcia colligata; aureum alterum, alterum argenteum, quæ cotylam caperent; convivarum ſingulis ea data ſunt.* Hæc ibi de puellis, unguentorum in convivio præminiſtris. In genere verò ſacra oracula puellas unguentorum miniſtras tradunt, 1. Reg. ubi de jure Regio dicitur à Samuele ad populum: *Filias quoque veſtras faciet ſibi unguentarias.* Sed & pro pueris, atque puellis ſtat Catullus noſter inter Romanos ſcriptores, qui ea lege carm. 13. Fabullum ad cœnam invitat; cibos ille ut afferat, ipſe verò unguenta tantum ſe præſtaturum ſpondet: quæ cum à pueris, atque puellis porrigentibus ſe habuiſſe affirmet, obiter nos quoque admonet, his præminiſtris
E unguenta in convivium miniſtrari ſolita: ait enim;

Nam unguentum dabo, quod meæ puellæ
Donarunt Veneres, Cupidineſque,
Quod tu cum olfacies, Deos rogabis,
Totum ut te faciant, Fabulle, naſum.

Veneres dixit puellas; Cupidines verò in plurali numero dixit pueros ad libidinem; de quibus jam in ſuperioribus loquuti ſumus. Ad quam pariter conſuetudinem fortaſſe Propheta Joël loco citato reſpexit, cum puerorum, puellarumque in conviviis uſum reprehendit. nec enim mulier peccatrix, cum unguento, in convivium irruiſſet, Servatoris noſtri pedes
F unctura; niſi temporis illius conſuetudo, mulieres etiam inhoneſtas, ad unguentorum uſum inter pocula admiſiſſet.

Quamvis verò certiſſimum, atque indubitatum ſit; Servatorem noſtrum ſanctiſſimum, hujus generis convivia horruiſſe; nec argumento aliquo permiſſurum ab his ſibi aquam, oleum, aut unguentum, niſi converſionis cauſa, in convivio miniſtrari, cum

defectum aquæ in Phariſaico convivio illi ipſi objicit; ab hac tamen mollitie minimè alienos extitiſſe Iſraëlitas, ſacræ teſtantur literæ 2. Machab. 4. hic enim ſermo eſt de Jaſone, qui ambiebat ſummum Sacerdotium: *Etenim auſus eſt*, inquit textus, *ſub ipſa arce gymnaſium conſtituere, & optimos quoſque epheborum in lupanaribus ponere.* quod verò pueris, Iſraëlitæ uterentur, ſive abuterentur in conviviis, locus Joëlis cap. 3. demonſtrat: in quo licet mores gentium Propheta redarguat, innuit tamen quales illius ſeculi mores eſſent; & quid acciderit populo Iſraëlitico, dicens: *Et poſuerunt puerum in proſtibulum, & puellam vendiderunt pro vino.* hoc eſt, uſi ſunt puero & puella in conviviis ad meretricium. Favet huic interpretationi hebraicum exemplar, in quo legimus: וַיִּתְּנוּ הַיֶּלֶד בַּזּוֹנָה וְהַיַּלְדָּה מָכְרוּ בַיַּיִן וַיִּשְׁתּוּ hoc eſt, *Et dederunt puerum in meretricem, & puellam in vinum, & convivati ſunt.* ut jam, & fucus, & muliebris mollities ab illis uſque temporibus, in pueris ad uſum conviviorum, ex divinis oraculis perſpicua fiant.

Oleum enim aromatibus conditum, quod apud molliores, pueris præminiſtris porrigebatur; quomodocumque tamen ab aliis ſimiliter convivis dabatur ex inſtitutis illius ſeculi, ſervis eadem miniſtrantibus. propterea Servator noſter, poſtquam defectum aquæ Phariſæo exprobraſſet; defectum quoque olei illi ipſi meritò quidem objicit, dicens: *Oleo caput meum non unxiſti.* habita verò ratione nobiliorum, qui etiam in his molliores erant, apud quos non tam olea aromatibus condita, quam præſtantiſſima unguenta convivis præbere mos erat, ſubintulit. *hæc autem unguento unxit pedes meos.*

CAP. XLII.

Aromatum, & unguentorum in vino potandorum uſus illuſtratur.

Ad loca Sap. 2. *Vino & unguentis nos impleamus.* Cant. 1. *Meliora ſunt ubera tua vino fragrantia vnguentis optimis.* Pſal. 23. *Paraſti in conſpectu meo menſam, adverſus omnes qui tribulant me. Impinguaſti in oleo caput meum, & calix meus inebrians, quam præclarus eſt.* Et ad alia loca.

AROMATA vino commiſcuiſſe veteres, vel illud Plutarchi lib. 6. Sympoſ. quæſt. 7. probat; apud quem erat quæſtio, de vino percolando, an nimirum percolandum eſſet vinum; inde occaſione ſumpta, aromatum meminit; quæ vino commiſcebantur, dicens: *Proinde etiam qui vinum aloë, aut cinnamomo, vel croco inficiunt: ii quaſi mulierem comptam curioſè in convivium adducunt, & proſtituunt.* Nec ſolum eo transfuſi ſunt in voluptatibus, ut aromata vino miſcere non vererentur; ſed & pocula ipſa aromatibus pulverizatis componere ſtuduerunt. ſcribit hoc Athen. lib. 11 cap. 3. dicens: ἐγὼ δὲ εὖ οἶδα, ὅτι ἥδιστα πολλάκις ἐστὶ τὰ κεράμεα ἐκπώματα, ὡς καὶ τὰ παρ' ἡμῖν ἐκ τῆς Κόπτου καταγόμενα· μετὰ γὰρ ἀρωμάτων συμφυραθείσης τῆς γῆς ὀπτᾶται. καὶ Ἀριστοτέλης δὲ ἐν τῷ περὶ μέθης· αἱ ῥοδιακαί φησι προσαγορευόμεναι χυτρίδες διά τε τὴν ἡδονὴν εἰς τὰς μέθας παρεισφέρονται, καὶ διὰ τὸ θερμαινομένας τὸν οἶνον, ἧττον ποιεῖν μεθύσκειν. σμύρνης γὰρ, καὶ σχίνου, καὶ τῶν τοιούτων εἰς τὸ ὕδωρ ἐμβληθέντων, ἕψονται, καὶ παραχεόντων εἰς τὸν οἶνον ἧττον μεθύσκουσιν· κἀν ἄλλῳ δὲ μέρει φησὶν, αἱ Ῥοδιακαὶ χυτρίδες γίνονται, σμύρνης, σχίνου, ἄνθους, κρόκου, βαλσάμου, ἀμώμου, κινναμώμου, συνεψηθέντων, ἀφ' ὧν τί πινόμενον τῷ οἴνῳ παραχυθὲν οὕτω μέθας ἵστησιν, ὥστε καὶ τῶν Ἀφροδισίων παραλύειν, τὰ πνεύματα πέττον. hoc eſt, *Cognovi tamen jocundiſſima eſſe ſæpius fictilia pocula; velut apud nos ea, quæ ex Copto aſportantur: coquuntur enim ex terra cum multis aromatibus commiſta. Ariſtoteles quoque in libro de ebrietate, Ollulæ Rhodiacæ, inquit, in convivia inferuntur tum ad voluptatem, tum ad ebrietatem ſedandam; & quod ex calefacto vino bibentes, minus ut inebrientur efficiunt. etenim myrrha, odorato junco, & aliis ejuſmodi conjectis in aquam coquuntur; ideoque vinum affuſum minus inebriat. & in alia parte,* ſupplè ejuſdem libri, *dicit, Rhodiacæ ollæ fiunt myrrha, odorati junci flore, croco, balſamo, cinnamomo, amomo ſimul coctis; qua de cauſa vinum affuſum, & potum tam valenter arcet ebrietatem, ut etiam cocto, diſcuſſoque vaporoſo ſpiritu, venerem extinguat.* Hinc nonnulli mecum putant murrhina vaſcula, ſive pocula ortum duxiſſe: dictaque murrhina, quaſi myrrhina, hoc eſt coagmentata, atque compoſita ex myrrha. Fieri enim converſionem Græci Y in U Latinorum perſpicuum eſt. Horum poculorum meminit Sueton. in Octav. Auguſt. cap. 71. dicens: *Ex quibus, ſive criminibus ſive maledictis infamiam impudicitiæ facillimè refutavit, & præſentis, & poſteræ vitæ caſtitate. Item lautitiarum invidiam, cum & Alexandria capta nihil ſibi præter unum murrhinum calicem ex inſtrumento regio retinuerit*, &c. Meminit Plin. lib. 37. cap. 2. referens Petronium virum Conſularem Neronis invidia moriturum; ut menſam ejus exhæredaret, trullam murrhinam CCC ſeſtertiis emptam confregiſſe. Tanto verò in pretio habebantur murrhina hæc vaſa, ut inter gemmas numerarentur. auctore Seneca epiſt. 123. id affirmamus. Romanorum quidem faſtum irridet, ac damnat, dicens: *Omnes jam mulos habent; qui criſtallina, & murrhina, & celata magnorum artificum manu portent.* & lib. 7. de Benef. cap. 9. ait: *Video murrhina pocula, parum ſcilicet luxuriæ magno fuerat; niſi quod vomant, capacibus gemmis inter ſe propinarent.* His igitur gemmis Senecæ, ſi addantur, quæ de trulla murrhina CCC ſeſtertiis empta ex Plinio retulimus; quodque, de murrhino calice ex apparatu Regio tradidit Suetonius jam relatus; ſole clarius conſpicietur, murrhina vaſcula quanto fuerint in pretio; ſed & Lucan. de his intelligitur:

Non auro, murrhaque bibunt.

De his quoque Martial. noſter in Apophoretis, ait:

Si calidum potas, ardenti murrha Phalerno,
Convenit, & melior fit ſapor inde mero.

Et licet Plinius exiſtimaſſe videatur murrhina hæc pocula, ex quodam genere terræ fieri, in ultimo natur. hiſtoriæ, cap. 8. cum ait: *Oriens murrhina mittit: præcipua tamen in Carmania. humorem putant ſub terra calore denſari. ſplendor eſt murrhinis ſine viribus, nitorque verius quam ſplendor. in pretio varietas eſt colorum, quando ſcilicet purpura rubeſcens, aut lac candeſcens, in his viſitur. aliqua eſt etiam in odore commendatio.* nihilominus ſi murrhina vaſa à myrrha dici velimus, Plinium interpretabimur, non de terra, ſive de materia, ex qua ſolummodo pocula illa componerentur; ſed potius de aliquo terræ genere, ad commixtionem myrrhæ, & reliquorum aromatum magis accommodatæ, ex qua una cum aromatibus pocula murrhina conficiebantur.

Fuiſſe verò hæc murrhina vaſa libidinis incitamentum maximum, teſtatur Petron. in fragmentis ignotæ ſedis, quæ apud illum habentur. Glico etiam meretrix apud Furium Comœdiarum ſcriptorem, id probat, dicens: *Myrrhinum mihi adfer, quo virilibus armis occurſem fortiuſcula.*

Verum quid miramur adeò odoribus veteres captos; ut non ſolum vino aromata miſcerent; ſed ipſa quoque pocula ex aromatibus efficerent; miremur potius

potius, non tam aromata, quam unguenta vino miſcuiſſe, & hæc commixta illos bibiſſe; ut unico vini hauſtu guſtui, olfactuique voluptatem afferrent. ita Theoph. in lib. de odor. ratiocinatur: μίγνυνται δὲ τὰ μὲν αὐτῆς τῆς ὀσμῆς ἕνεκα, καὶ πρὸς ταύτην τὴν αἴσθησιν, τὰ δὲ ὥσπερ ἡδύνειν βουλόμενα τὴν γεῦσιν οἷον ὡς οἱ τὰ μύρα τοῖς οἴνοις ἐπιχέοντες ἢ τὰ ἀρώματα ἐμβάλλοντες, αἱ γὰρ αἰσθήσεις σύνεγγυς οὖσαι ποιοῦσι τίνα ἀπόλαυσιν ἀλλήλων. hoc eſt, *Sed nonnulla miſcentur odoris ipſius gratia: & ut odoratus moveatur; nonnulla guſtus; velut condimenta quædam: ut qui vino unguentum infundunt, aut aromata inficiunt, nam horum ſenſuum vicinitas mutuo quodam uſu fruitur. idcirco lautitiis odoris commendationem quærunt.* Hunc verò unguentorum in vino uſum oſtendit in antiquis Luciani Nigrinus, & improbat: καὶ τὸν οἶνον, *inquit*, ἐν τοῖς συμποσίοις μετὰ κρότου, καὶ ἀρωμάτων ἐκχέονται. hoc eſt, *Et vinum in conviviis cum plauſu & aromatibus effundunt.* τούτους εἶναι τοὺς καὶ τὰ μύρα πίνοντας, *& unguenta hi bibunt*, inquit Lucianus, ὅτι μηδὲ χρῆσθαι ἴσασι ταῖς ἐπιθυμίαις: *quoniam neque voluptatibus uti noverint.* teſtatur hoc Athen. lib. 2. cap. 25. dicens: ὅτι εἰς τὸ πρόπομα, καὶ ταῦτα ἐνεβάλλοντο, πέπερι, φύλλις, σμύρνα, κύπειρον, μύρον αἰγύπτιον, hoc eſt, *Propomati iſta injiciebantur, piper, malobathrum, myrrha, cyperus, unguentum Aegyptium.* Erat autem Propoma apud veteres, genus potionis, ſive poculi ex vino, & melle commixti; mulſum fortaſſe Latinè dixerim; præludia hæc erant compotationis, & cœnæ. In hoc igitur poculo, præter jam dicta aromata, unguentum quoque Ægyptium adhibebant. Illum eundem unguentorum abuſum repetit Athen. lib. 3. cap. 35. auctoritate cujuſdam Dexicratis in opere quod inſcribitur, A ſeipſo errantes, dicens: δεξικράτης δ' ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ ὑφ' ἑαυτῶν πλανώμενοι φησίν.

εἰ δὲ μεθύω, καὶ χιόνα πίνω,
καὶ μύρον ἐπὶ ςόματος κράτιςον
Αἴγυπτος ποιεῖ.

Quo quidem in loco doctiſſimum Dalecampium falſum ſuſpicor. hic enim ſermonem haberi ab Athenæo putat de unguentis ad linendam faciem; & per figuram ſynecdochen τοῦ ςόματος, pro τοῦ προσώπου explicat. & quæ unguenta, ori, ac guſtui fore uſui ſcripſerat Dexicrates; liniendæ faciei ipſe adhibuit. uſus enim potandorum unguentorum ab ejus captu deciderat; propterea ad faciem, non verò ad pocula rationem haberi, in illo loco putavit. Ab illius igitur interpretatione recedentes, locum allatum ſic interpretabimur.

Si autem ebrius ſum, & nivem bibo,
Et unguentum in ore præſtantiſſimum
Aegyptus facit.

Hoc enim unguentum, quod Ægyptium appellabatur, præter odoriferam qualitatem digniſſimam, quam ob cauſam ſummo erat in pretio, cum primis præſtantiſſimum cenſebatur ad pocula, ſuaviſſimumque, à veteribus illis Græcis: quemadmodum plurima Athenæi teſtimonia probant. Nec ſolum apud Græcos, bibendorum unguentorum conſuetudo invaluit; ſed Romani quoque illam admiſerunt; quamobrem aromatibus medicato vino, auctore Theophraſto, utebantur: & illud etiam in doliis ſervabant. ex Plauto in milit. glor. act. 3. ſcen. 2. apertè id colligitur, apud quem puer quidam ſic loquitur:

Dimiſit nardini vini amphoram cellarius.

Mitto nunc illos, qui cum Taubmanno legunt *demiſit*, pro *dimiſit*; quod nimirum ex editiore loco, vini amphoræ demitterentur inferius. etenim cellarius poſtquam ex editiore loco vini amphoram demiſiſſet; inferius eamdem dimittere, hoc eſt non cu-

A ſtodire potuit. nec legendum probo *unam amphoram*, pro *vini amphora* quod voluit Taubmannus: illud enim de unguento nardino intelligi potuit; hoc verò de quo noſter Plautus agit, clariori ſententia de vino nardino intelligendum fore, vox & nomen cellarii docet, vinariæ quidem tabernæ accommodatum magis, quam officinæ unguentariæ. ſed & Martial. lib. 13. num. 123. hac de cauſa vina Maſſiliana laudat, dicens:

Fumea Maſſiliæ ponere vina potes.

Fumea Maſſiliæ dixit; quod unguentis & aromatibus condita eſſent, ſi antiquis creditur Commentatori-
B bus. Sentiunt aliter recentiores: verum ab illis ſine ratione recedendum non erit. Nec enim peſſimi illius ſeculi homines modeſtè ſe geſſerunt in unguentis vino commiſcendis; quin potius fuerunt adeò profuſi, ut copiam maximam unguenti vino commiſcerent. teſtatur hoc Juven. ſatyr. 6. hæc ipſa damnans, & dicens:

Quid enim Venus ebria curat?
Inguinis, & capitis quæ ſint diſcrimina, neſcit;
Grandia quæ mediis jam noctibus oſtrea mordet;
Cum perfuſa mero ſpumant unguenta Falerno,
Cum bibitur concha, cum jam vertigine tectum
Ambulat, & geminis exſurgit menſa lucernis.

C Unguenta dixit ſpumare Poëta, à copia illorum; ſicut etiam concha bibi aſſeruit, ut copiæ unguentorum vini quoque copiam adjungeret; luxumque illorum in cœnis reprehenderet. Quamobrem quoties de convivio ſermo eſt in monumentis veterum; toties unguento, vinum illis jungentibus, vino quoque unguenta conjungere ſcriptores illius ætatis coëgerunt. hinc illud tam ſæpè repetitum, *vinum, & unguentum.* Quamobrem Plutarch. lib. 7. Sympoſ. quæſt. 6. quam gratus ſit amicus conviva referens; quamque præclarum illud convivium, in quo amicus cum amico recubuerit; hanc animi, mentiſque
D ſuavem inter amicos tranquillitatem, obſoniis, vino & unguento commixtis comparat. οὔτε γὰρ ὄψον, οὔτε οἶνος, οὔτε μύρον, *inquit*, οὕτως ἡδέως διατίθησιν, ὡς σύνδειπνος εὔνους, καὶ προσηνής· ἀλλὰ τὸ μὲν ὄψοις, καὶ πέμμασιν, οἷς ὁ μέλλων ἑστιᾶσθαι μάλιςα χαίρει, καὶ περὶ οἴνων διαφορᾶς καὶ μύρων ἐρωτᾷν, καὶ διαπυνθάνεσθαι, φορτικὸν κομιδῇ, καὶ νεόπλουτον. hæc ibi Plutarchus, quæ ſic interpretari poſſunt: *Non enim obſonium*, inquit, *non vinum, non unguentum, tantam voluptatem adfert; quantam unà accumbens amicus, gratusque conviva. enimvero quibus obſoniis, quibus bellariis maximè delectetur futurus conviva, & quo vini genere, & quali unguento, quærere, & percunctari nimis eſt importu-*
E *num, atque inſolens.* hæc Plutarch. apud quem conſtantiſſimè vinum adhæret unguento; & unguentum jungitur vino. Eadem ſimul jungit Seneca epiſt. 121. irridens hujus farinæ homines, qui nepotinis ſtudiis ſeipſos dicarunt; qui cum noctem inter epulas deducerent, juſta ſibi ipſis perſolvere, non epulum parare indicabant. *Et hi mortem timent*, inquit, *in quam ſe vivi condiderunt; tam infauſti ominis, quam nocturnæ aves ſunt. Licet in vino, unguentoque tenebras ſuas exigant; licet epulis, & in multa quidem fercula diſtinctis totum perverſæ vigiliæ tempus deducant; non convivantur, ſed juſta ſibi faciunt.* Si quis verò vini, unguentique affinitatis rationem quæreret, non alia melior,
F ut puto, illi occurreret, quam veterum nepotina ſtudia; qui cum non ſatis putaſſent corpus exterius, in cute tantum unguentis infeciſſe; inteſtina quoque ut aromatibus inficerent, unguenta vino commiſcere cogitarunt: ut intus, & in cute mollitiem præ ſe ferrent, unaque cum vino, unguenta bibentes, fœtidam voluptatem odoratam, ab ano in uſum illarum expirarent narium, quæ tales voluptates excogitarant.

At ne à ſacris longius abeamus; ſtemus cum Sponſo in ſacris Canticis, ad hanc conſuetudinem reſpicienti, cum ait: *Meliora ſunt ubera tua vino fragrantia unguentis optimis.* Inepta namque comparatio illa videri poſſet, ſimplicis ſi fieret vini ad ubera Sponſæ, quæ præſtantiſſimis unguentis madida forent: perpulchra verò eadem comparatio, ad vinum aromatibus, & unguentis conditum ſi referatur: quod quavis ſuavitate licet redoleat, ubera tamen Sponſæ, eidem à Sponſo præferuntur: quamobrem dicit: *Meliora ſunt ubera tua vino fragrantia unguentis optimis.* ideſt, Meliora ſunt ubera vino fragranti unguento præſtantiſſimo. Pulcherrima ſanè ſacri Sponſi antitheſis ad illud lenæ Plautinæ in Curculione. hæc enim vino ſe adeò delectari affirmabat, ut quibuſcumque aromatibus vinum præferendum arbitraretur. propterea vinum alloquebatur, dicens:

Nam omnium unguentûm odor præ tuo nautea eſt,
Tu mihi ſtacte, tu cinnamomum, tu roſa,
Tu crocinum, & caſia es, tu bdellium: nam ubi
Tu profuſus, ibi ego me pervelim ſepultam.

Secus omnino ſentiebat Sponſus, tum allatis jam verbis, tum alibi, dicens: *Memores uberum tuorum ſuper vinum.* Quin & adeò commiſcendorum unguentorum cum vino uſus Iſraëlitas pervaſerat; ut ſponſa ad Sponſum, quem deperibat diceret: *Apprehendam te, & ducam in domum matris meæ, ibi me docebis, & dabo tibi poculum ex vino condito, & muſtum malorum granatorum meorum.* מִיַּיִן הָרֶקַח *de vino aromatizato* dixit hebraicum exemplar; de vino unguentato Septuaginta dixerunt. Nam Chriſto quoque Servatori noſtro in crucem acto, vinum unguentatum, ſive myrrha conditum propinatum in Calvariæ loco, dixit Marcus cap. 15. *καὶ ἐδίδουν αὐτῷ πιεῖν ἐσμυρνισμένον οἶνον, & dederunt illi bibere myrrhatum vinum.* Et licet aliqui putent cum P. Auguſt. lib. 3. de conſenſu Evangeliſtarum, quem ſequitur Beda, & Strabus, hoc vinum illud idem fuiſſe, quod felle mixtum dixit Matthæus, vel ratione amaritudinis, quibus non contradico; vel quod idem vinum myrrha, & felle infectum eſſet; & hoc ſcripſerit Matthæus, illud verò Marcus: verius tamen puto cum Euthymio duplex vinum Servatori exhibitum in extremis vitæ mortalis liminibus: aliud felle commixtum; & hoc ab inimicis: aliud myrrhæ adjunctum: dictio enim ἐσμυρνισμένον myrrha conditum, vel myrrha redolens interpretatur: oblatum quidem Chriſto à mulieribus, piis caritatis viſceribus, ut nonnulli putant; quæ Chriſtum lamentabantur, & ſequebantur: quod tormenta, cruciatuſque crucis ſubituris, dari ſoleret, ut vini conditi ardore, alienatis ſenſibus, dolorem, aut nullum, aut minorem paterentur. Sed quicquid ſit de his, noſtra non intereſt; niſi quatenus perſpicuum fiat, uſum myrrhati vini ac unguentati, ad ea uſque tempora, non ſolum apud molliores, ſed etiam ad mortem damnandos, ad ipſoſmet ſuffigendos perveniſſe. Cui conſuetudini, unguentorumque luxui attendentes perverſi homines, criminibus undequaque obnoxii dicebant ad invicem: *Venite fruamur bonis quæ ſunt, vino pretioſo & unguentis nos impleamus.* Impleamus nimirum inteſtina vino cum unguentis epoto. ut jam ex divinis oraculis petitis locis, ab Hebræis ad Græcos, & Romanos, reliquaſque nationes abuſum potandorum unguentorum, profluxiſſe nequaquam dubitandum appareat.

CAP. XLIII.

Croſſi, Trullæ oleariæ, aliaque unguentorum vaſcula declarantur.

A Ad loca. 3. Reg. 17. *Vivit Dominus Deus tuus; quia non habeo panem, niſi quantum pugillus capere poteſt farinæ in hydria, & paululum olei in lecytho.* Ibid. c. 19. *Reſpexit, & ecce ad caput ſuum ſubcinericius panis, & vas aquæ.* Et ad alia plura loca.

PERDIFFICILEM ſanè provinciam aggredimur, ad ſacrorum unguentorum vaſcula noſtrum dirigentes ſermonem, eorumdem materiam, formamque pro viribus explicare tentantes. munus profectò adeò perdifficile, & arduum, ut à nemine in ſacris literis pertentatum hucuſque agnoverim. Propitius ſit nobis ille Chriſtus Jeſus, quem quoties in ſacris Evangeliis unctum legimus; ſive in domo
B Phariſæi apud Lucam cap. 7. ſive apud Marcum, & Matthæum Bethaniæ, toties ferè in vaſe alabaſtrino unguentum ilud allatum reperimus. Lucas enim dixit: *Et ecce mulier quæ erat in civitate peccatrix, attulit alabaſtrum unguenti.* Sacrorum igitur textuum occaſione, ſacra vaſcula unguentaria explicanda ſuſcepimus, in explanatione quidem divinorum oraculorum, tam novi, quam veteris Teſtamenti.

Enimvero varia, atque diverſa apud veteres extitiſſe vaſa unguentaria, ſive olearia, divinæ, ac humanæ literæ, ſacri, ac prophani ſcriptores paſſim teſtantur. Julius Pollux in 6. ita ſcribit: *τὰ δὲ ἀγ-*
C *γεῖα*, inquit, *τῶν μυρῶν ληκύθιον μυρηρὸν, καὶ ἀλάβαστρον, Φερεκράτης δὲ ἐν λυρικοῖς εἴρηκε, καὶ κυάθιον δὲ ἀργυροῦ ᾧ τὸ μύρον ἐκχέομεν.* ideſt, *Vaſa autem unguentorum*, ſupple ſunt hæc, *lecythus unguentarius, & alabaſtrum. Pherecrates verò in lyricis etiam cyathum argenteum dixit, quò unguentum infundimus.* Et ex his Pollucis verbis jam nonnulla vaſorum genera ad unguentorum uſum manifeſtantur: quibus eodem auctore nonnullis quartum addere placuit, quod *ἐξάλειπτρον* nominant; cujus etiam formam deſcribit, dicens: *τὸ δὲ ἀγγεῖον ἐν τῷ μύρον ἐνῆν, φιάλῃ προσεοικὸς, ἐξάλειπτρον ἐκαλεῖτο.* hoc eſt, *Vas verò, cui unguentum inerat, phialæ ſimile, exaliptron vocabatur.* Iſidorus lib.
D 20. Etymolog. cap. 7. alabaſtri & lecythi meminit, quem alio nomine lenticulam appellatum refert: pyxidem quoque nominat. de qua etiam Quintil. 8. cap. 9. Celſus lib. 6. hemicadium etiam tradit, & aliud vas quod ſcortiam nominat. Inter vaſa unguentaria, Guttum plures antiqui Poëtæ, & Juvenal. ſat. 3. repoſuerunt: ſimiliter etiam trullam oleariam inter hæc vaſorum genera adſcripſit Plutarch. Croſſi pariter, ampullæ, & pelves numerantur ejuſdem auctoritate à Lazaro Baïfio in eruditiſſimo tractatu de vaſculis. Hæc à prophanis literis accepimus.

A ſacris verò, atque divinis, habemus cornu olei 1. Reg. cap. 16. & 3. Reg. 1. quod hebraicè dicitur
E קֶרֶן *keren*, accepimus lenticulam. 1. Reg. 10. & 4. Reg. cap. 9. cujus etiam meminerunt humanarum literarum ſcriptores; hebraicè verò dicitur פַּךְ *pach.* Lecythum quoque ſacræ literæ nobis tradiderunt 3. Reg. 17. ubi illa mulier Sareptana dixit ad Eliam, ſe non habere niſi pugillum farinæ in hydria, & parum olei in lecytho, & pro lecytho in hebraico textu eſt dictio צַפַּחַת *zappachath*, quæ an lecythum ſignificet, necne, infra explicabimus. & tandem in veteri Teſtamento 4. Reg. cap. 4. ubi illa mulier ad Eliſæum dixit, ſe non habere niſi parum olei, quo ungeretur: pro illis verbis noſtri interpretis *quo ungar*, eſt in hebraico dictio אָסוּךְ *haſuch*, quam, vas ſignificare omnes
F dictionariorum ſcriptores ex Rabbinis tradiderunt. Quibus vaſorum generibus ex veteri Teſtamento acceptis, alabaſtrum ex novo addere placuit. ſacra enim, & non prophana explicanda cum ſuſceperimus, de prophanis non alia de ratione à nobis agitur, niſi ut ex veterum inſtitutis ſacra explicentur.

Cæterum de Lenticula olearia, in qua ad uſum ſacri Candelabri oleum ſervabatur, jam ſupra cap. 11. egimus.

egimus. neque de Scortia, aut Hemicadio ſupereſt aliquid dicendum; quod ſcortia mihi omnino ignotum ſit; tam quoad formam, quam etiam quoad nominis etymologiam; nihil enim de eo vaſe habetur; niſi quæ Iſidorus tradidit, dicens: *Scortia, vas olearium, eo quod ſit ex corio, dictum.* Celſi verò, qui pro eo vaſe citatur; & pro Hemicadio, mihi copia non eſt. Hemicadium puto dictum à ſplendore, & præſtantia illius; ut Hemicadium ſit idem quod ſplendidum. hæc an ita ſint, alii me doctiores viderint; in arduis enim incœpiſſe, ſat eſt. Studioſi me diligentiores, atque in ſacris, & prophanis literis doctiores, meis vigiliis graviora, & doctiora certè dabunt.

De aliis igitur vaſculis unguentariis agamus: inter quæ à Lazaro Baïfio in eruditiſſimo tractatu de vaſculis, Croſſi enumerantur græco vocabulo retento, quin & græcis characteribus ſcripto; ut hac ratione, me judice, planè fateretur ſe ignorare, quodnam genus vaſis apud Latinos ea voce ſignificaretur. Ut autem probet inter unguentaria vaſa, croſſos quoque enumerandos fore, duo affert Plutarchi loca; alterum in Ariſtide ἐλαίου τε dicentis, καὶ μύρου κρωσσοὺς νεανίσκοι κομίζοντες ἐλεύθεροι. hoc eſt, *Olei quoque, ac unguenti croſſos liberi adoleſcentes ferentes.* & ad illud vocabulum *croſſos* Franciſcus Barbarus in Ariſtide interpretando addit hanc parentheſim (*id enim vaſis nomen eſt*) Alterum locum affert in Alexan. ex Plutarch. his verbis: ὡς δὲ εἶδε μὲν ὄλκια, καὶ κρωσσούς, καὶ πυέλους, καὶ ἀλαβάστρους πάντα χρυσοῦ ἠσκημένα περιττῶς, ὠδώδει δὲ θεσπέσιον οἷον ὑπὸ ἀρωμάτων, καὶ μύρων ὁ οἶκος. hoc eſt, *Cæterum aquarum ductus, croſſos, pelves, & alabaſtros, cuncta auro lita plurima conſpicatus, & ædibus ob unguenta atque aromata divinum quemdam ſpirantibus odorem.* Hæc duo loca perdoctè ſanè, & eruditè Baïfius attulit; ut croſſos vaſa unguentaria fuiſſe inſinuaret. cui ſententiæ tanti viri eruditione, & auctoritate impulſus, ego quoque certè ſubſcripſiſſem, ni re attentè conſiderata, & æqua lance librata, ratio me aliò expuliſſet.

Croſſos igitur non magis unguentaria, quam aquaria, & vinaria quoque vaſa fuiſſe puto. nam vinaria hæc extitiſſe probat Pollux lib. 6. cap. 2. dicens: ἵνα δὲ ὁ οἶνος, λάγυνος πιτυΐνη, ἀσκός, κρατήρ, προχοΐδιον, κάδδος, καδίσκος, κρωσσός, &c. ideſt, *Sunt autem ad vinum reponendum lagena, opa, uter, crater, trulla, cadus, urna, croſſus, &c.* inter vaſa etiam aquaria, quibus utuntur janitores ad perirrigandum, & verrendum cubiculum reponuntur croſſi à Polluce lib. 10. cap. 5. cui conſonat lavacri uſus. nam inter vaſa balneatoria connumeranda fuiſſe accepi à Joanne Scapula, qui in eo genere ſupellectilis prædictam vocem in ſuo Græco dictionario interpretatur. illi quoque ſubſcribit Guarin. Veron. qui in Alexan. Plutarchi croſſos per hydrias interpretatur. quemadmodum Rodulphus Gualterius in interpretatione Pollucis. ubique enim dictionem κρωσσὸς per hydriam interpretatur: & re vera ipſemet Plutarchi textus clariſſimè id aperit. ibi enim auctor magnificentiam balneariæ ſupellectilis refert, quam in ſpolio Darii reperit Alexander. hunc enim Dario fugato, *Eamus*, dixiſſe refert, *in Darii balneum ſudorem pugnæ loturi*, & ſtatim illius balnei opulentam ſupellectilem deſcribens, ſubdit: *Cæterum aquarum ductus, hydrias, pelves, & alabaſtros cuncta auro lita plurima conſpicatus*, & cætera, quæ jam retulimus ex Guarini interpretatione. ibi enim aquarum ductus appellantur vaſa ad miniſtrandam aquam; inter quæ primo enumerantur Croſſi: non igitur teſtimonium ex Plutarcho allatum, oſtendit Croſſos olearia fuiſſe vaſa, aut unguentaria, ut volebat Baïfius: licet ad uſum balnei, vaſa illa recenſeantur; in balnearia enim ſuppellectili tam vaſa ad ablutionem, quam etiam ad unctiones reponuntur.

A Neque locus ex eodem Plutarcho in Ariſtide, hanc quam docuimus interpretationem enervat: nec enim aquario vaſi, aut hydriæ contradicit; quod interdum his ipſis unguenta miniſtrarentur. non quidem ex munere vaſis, ſed occaſione profuſionis unguentorum; quoties ſcilicet unguentum, non ad linienda, ſeu ungenda corpora porrigeretur; ſed ad vias conſpergendas guttatim excutiendum in pompa alicujus ſacrificii fuiſſet; vel quoties ſacrorum de cauſa, eo unguento populi adſtantes conſpergi debuiſſent. ad quod quidem miniſterium accommodatiſſimos extitiſſe Croſſos, Pollux lib. 10. cap. 5. perſpicuè aperit. Eſt enim hic ſermo de ſupellectili
B janitoris, cujus erat muneris domum purgare, & aſpergere. cumque jam de inſtrumentis ad verrendum Pollux egiſſet; de his quæ janitori debebantur ad perirrigandam domum agit, dicens: τὸ δὲ ῥαίνειν, καὶ διαῤῥαίνειν, καὶ καταῤῥαίνειν, καὶ ψεκάζειν, καὶ ῥαντίζειν ἐστὶν εἰπεῖν. τὸ δὲ ἀγγεῖον ἐν ᾧ τοῦτο, κρωσσὸν, ὑδρίαν, &c. ideſt, *Rigare autem, & perirrigare, & humectare, & aſpergere, & inſpergere dicere licebit, illud autem vas in quo id fit, Croſſum, hydriam*, &c ſupple dices. Erat igitur Croſſus vas ad irrigandum, & aſpergendum accommodatum, foraminibus fortaſſe plurimis perforatum ab ea parte, per quam emittebat liquorem, ad irrigandam domum, vel viam:
C ut re vera contingit in loco Plutarchi ex Ariſtide, ubi Plutarchus ſcribit ſolemnem parentationem, quam Platæenſes quotannis agebant, his qui in expeditionem Græcorum contra Xerxem pro totius Græciæ libertate occubuerant. τοῦ Μαιμακτηριῶνος μηνὸς (ὅς ἐστι παρὰ Βοιωτοῖς Ἀλαλκομένιος) τῇ ἕκτῃ ἐπὶ δέκα πέμπουσι πομπὴν, ἧς προηγεῖται μὲν ἅμ᾽ ἡμέρᾳ σαλπιγκτὴς, ἐγκελευόμενος τὸ πολεμικὸν, ἕπονται δ᾽ ἅμαξαι μυῤῥίνης μεσταὶ, καὶ στεφανωμάτων, καὶ μέλας ταῦρος· καὶ χοὰς οἴνου, καὶ γάλακτος ἐν ἀμφορεῦσιν, ἐλαίου τε καὶ μύρου κρωσσοὺς νεανίσκοι κομίζοντες ἐλεύθεροι. hoc eſt, *Memacterionis menſis (qui eſt apud Bœotes Alalcomenius) ſexto-*
D *decimo emittunt pompam; cui, ut primum quidem dies illuxit, tubicen bellicum canens dux eſt, vehicula myrto, & coronis paſſim completa, taurus deinceps colore fuſco, ſubſequuntur; lactis, & vini libationes in amphoris, olei quoque, ac unguenti croſſos liberi adoleſcentes deferunt.* Ex quibus intelligere licet de unguento loqui Plutarchum, cujus uſus erat ad ſacrificii pompam; in qua quidem unguentis, tam viæ, quam adſtantes conſpergi conſueverant; teſte Apulejo lib. 11. Metamorph. qui ſolemnem Iſidis pompam ſcribens, ſic inquit, *Illæ etiam*, ſupple mulieres, *ſequebantur, quæ cæteris unguentis, & geniali balſamo guttatim excuſſo conſpergebant plateas.* his quoque conſo-
E nant, quæ tradit Athen. lib. 5. cap. 4. cum narrat ſolemnem pompam ſacrificiorum Antiochi, quem reliquos omnes Principes in profuſa unguentorum effuſione ſuperaſſe teſtatur, deque unguentorum aſperſione, ait: Βασιλικοὶ δὲ παῖδες παρῆλθον ἑξακόσιοι χρυσώματα ἔχοντες· ἔπειτα δὲ γυναῖκες, ἐκ χρυσῶν καλπίδων μύρους ἔῤῥαινον εἰς διακοσίας. ideſt, *Regii pueri ſexcenti ſequebantur* (ſupple reliquam pompam) *habentes aurea vaſa, mulieres poſtea ducentæ unguenta ex urnis, ſive lavacris aureis aſpergebant.* Hæc à nobis allata ex Athenæo argumenti fundamentum nobis præſtant, ut croſſos vaſa ad inſpergendum liquorem peraccommoda, interdum ad unguentorum
F uſum pertinuiſſe, non quidem ex inſtituto, & formæ ratione, ſed caſu tantum, & ex aliqua occaſione, nimirum cum unguenta ipſa profundenda, inſpergendaque forent. Dicemusne ex Athenæo urnam, ſive pelvim, quæ à pelluvio, ſive pedum ablutione nominabatur, fuiſſe vas unguentarium; propterea quod mulieres unguenta in pelvibus detuliſſe ſcribantur? minimè certè. ſed quia unguentaria vaſa ad unguentorum aſperſionem, atque profuſio-

 nem

nem tunc minus idonea cenſebantur; ideò hic apud Athenæum in pelvibus, ibi apud Plutarchum unguenta in croſſis delata ſcribuntur: ut pro majeſtate ſacrificii, & aſperſionum munificentia, unguenta quoque magnificè profunderentur. quamobrem hydriæ illæ, quæ Croſſi dictæ fuere apud Græcos, & ea occaſione ſolemnioris pompæ in ſolemniori ſacro unguenta ſuſcepere; inter vaſa unguentaria minimè, me judice, propriè reponenda erunt; de quibus in hac noſtra unguentaria officina, ad uſum ſacrorum oraculorum ſermo habendus eſt.

De trulla olearia agere magis ad rem videtur, dum olearia, ac unguentaria recenſentur vaſcula. Hanc in numero vaſorum ad uſum olei, aut unguentorum repoſitam à veteribus non video. recentiores tamen Latini ſæpè in interpretatione Græci λήκυθ☉, quem Latini lecythum appellant; trullam dicunt Græcorum λήκυτον· ita interpres Plutarchi loco infra citando; nec non etiam interpres Athenæi, & Pollucis. Fuiſſe trullam genus vaſis, conveniunt omnes, ſaltem auctore Athenæo in verbo τρυβλίον: nam juxta Varronem lib. 4. de lingua Lat. ut infra videbitur, idem vas eſt trulla Latinis, quod Græcis τρυβλίον· & vocum convenientia, ſive verius ſimilitudo quædam, non contradicit. de hoc verò vaſe Athen. lib. 12. ait: κεραμεον ἄγγος ἀποδεχόμενον εἴκοσιν ἀρτάβας. Si verò quaſi viginti artabas capiebat trulla; non quidem inter minora, ſed inter grandiora vaſa reponenda erit. Suidæ idem eſt τρυβλίον, quod ὀξυβάφιον. cui verò miniſterio dicatum eſſet hoc vas, quod trulla à Latinis dicebatur, ſcriptores diſputant. Ad proluviem corporis recipiendam, trullam ſic dictam ſentiunt nonnulli cum Calderino in ſatyr. 3. Juven. affirmantes eo luxus deveniſſe corrupti illius ſeculi homines, auctore Antonio, ut aureis vaſis ſordes ventris excipere minimè vererentur. Negat hoc Alex. ab Alexan. lib. 3. cap. 10. Stat tamen pro Calderino Plinius lib. 34. cap. 3. de Corinthio ære cum loqueretur, dicens: *Sunt ergo vaſa tantum Corinthia, quæ iſti elegantiores modo in eſculenta transferunt, modo in lucernas, aut trullas, nullo munditiarum reſpectu.* ubi cum Plinius dicat trullis uſos veteres immundiſſimè, ac propterea eoſdem damnet; liquet pro ſcaphio, ac laſano ad alvum mundandam

A
trulla fuiſſe uſos veteres: adſtipulante Calderino & Plinio, Martiali quoque in Baſſam, dicente:

Ventris onus miſero, nec te pudet, excipis auro.

Trullam aquarium fuiſſe vas ex Varrone lib. 4. de lingua Lat. habetur: *Trulla à ſimilitudine truæ*, inquit, *quæ quod magna, & hæc puſilla ut trulla. hinc Græci τρυβλίον, nos trullam. trullæ, quæ à culina in lavatrinam aquam fundunt, trua quod travolat ea aqua. ab eodem eſt appellatum trulleum, ſimile enim figura, niſi quod latius concipit aquam, & quod manubrium cavum non eſt, niſi vinaria trulla acceſſit.* hæc Varro. Satis quidem obſcura, ubi Scaliger nequaquam le-
B
gendum *ut truula*, ſed *ut troula* putat; idemque vas iſtud cum græca τορύνη exiſtimat, ut idem ſit trulla, quod τορύνη Græcorum, & cochlear Latinorum, quo ollæ deſpumantur; idque non ignobili argumento probat ex Titinnii poëtæ Comici ſententia, dicentis:

Sapientia Gubernator navigia torquet non volentia,
Cocus magnum ahenum quando fervet paula confutat trua.

Verum nobis nec à Varrone recedendum erit, nec à Titinnio Scaligeri, ſed cum ambobus ſtandum; & ex utroque forma trullæ inveſtiganda, quam cum
C
primis cognoſcere neceſſe eſt. Etenim trullam à trua in eo diſtinguit Varro; quod hæc magna, illa parva: quapropter truam ad modum cochlearis, excavatam in rotundum fundum affirmabimus; darique majorem, & minorem truam ad aquam hinc inde transfundendam, & ab uno in aliud tranſportandam vaſe, ſicut Varro docuit; nec non etiam ad comprimendum ferventis aquæ motum accommodatiſſimam, parvam truam dicemus cum Titinnio Scaligeri, cujus parvulæ truæ formam, icone A. repræſentamus.

Verum trullæ nomine non aliud vaſis genus, quam Græcorum τρυβλίον accipimus, quod à Latinis dici-
D
tur *catinus*; qui cum amplo dilatetur in ore, in anguſtum deſinens exteriorem fundum, intus in rotundum cavatur; cujus formam icone B. repræſentare conſtituimus ad majorem rei explicationem.



Hoc Græcorum τρυβλίον à Polluce inter vaſa menſaria ad offam intingendam accommodata reponitur lib. 6. cap. 12. quod inſcribitur de menſis, & menſarum vaſis, ubi ſic dicit de τρυβλίῳ, latinè dicemus de trulla. ἐμβάφια δὲ, καὶ κελάρια, καὶ λεκάνια, καὶ τρυβλία, καὶ ὀξύβαφα, ἐν οἷς τὰ ἡδύσματα ἢ βρώματα· hoc eſt: *Intinctoria verò*, ſupple vaſa, in
E
quibus offæ intinguntur, ſunt hæc, *celaria, pelves, catini, & acetabula, in quibus condimenta, & cibi*, ſupple continentur. hoc idem repetit lib. 10. cap. 23. quod inſcribitur de menſa, & ejus vaſculis: in qua ſententia ad rem noſtram ſic dicit: ἐμβάφια, λεκάνια, τρυβλία, ὀξίβαφα. hoc eſt, vaſculis menſariis adnumerare oportet *intinctoria, lebetes, tryblia*,

ac-

acetabula. & ubi græcè habetur dictio τρυβλία, interpres Pollucis Rodulphus Gualterus vertit ubique catinos. inter fictilia lib. 7. cap. 33. eadem vaſa reponit, dicens: πίνακες κεράμεοι, τρυβλία, χύτραι. hoc eſt, *patellæ fictiles*, *triblia*, *ollæ*.

Ut verò à nomine, forma inveſtigetur; & à forma quoque cæmentarii inſtrumenti, hujus vaſis etiam, de quo quærimus, ratio nominis aperiatur; non videtur prætereundum, quod cæmentarium inſtrumentum, quo fabri murarii, fabricis liniendis, complanandiſque utuntur, trulla à Latinis dicitur. quamobrem trullæ cæmentariæ forma noſtra procul dubio de forma vaſis explicatur ſententia. de ea Iſidor. lib. 19. Origin. cap. 18. ait: *Trulla nomen factum, eo quod trudit, & detrudit*, id eſt includit calce, vel luto lapides, cujus inſtrumenti forma Fig. C. eſt expreſſa.

Hoc utuntur cæmentarii, non ſolum ut parietes pulchritudinem accipiant; ſed etiam firmitatem contra aëris, imbrium, ac frequentium tempeſtatum injurias; ut vel hinc perſpicuum maneat, à forma hujus cæmentarii inſtrumenti, trullam in genere vaſorum idem eſſe, quod nobis hodie Latinis catinum, quo etiam nomine lingua vernacula idem vas dici ſolet.

Quapropter licet potui ob ſuam magnitudinem minus aptum vas eſſet: nepotini tamen illi veteres, Baccho, ebrietatique operam dantes, etiam ad potum his uti minimè verebantur. de his, deque illorum hominum inſolentia Juvenalis ſaty. 3. ait:

Si bene ructavit, ſi rectum minxit Amicus,
Si trulla inverſo crepitum dedit aurea fundo.

Non erit nobis modo cum Turnebo, ſeu Beroaldo, Calderino, & aliis diſputandum; quid ſit trullam invertere; quid inverſo fundo crepitum dare; ſed tantum inter potoria repoſitam trullam etiam Horatii teſtimonio affirmabimus, qui redarguens ebrietatem illius ſeculi ſerm. 2. ſat. 3. dicebat:

Qui Vejentanum feſtis potare diebus,
Campana ſolitus trulla, vappamque profeſtis;

Hinc ludus Martialis lib. 9. cap. 38. in Medicum qui ægroto ſurripuerat trullam argenteam. deprehenſus ab ægroto Medicus, ad potum ipſe confugit: ut videretur, non quidem ſurripuiſſe argenteam trullam, ſed de ſalute ægri ſollicitum, trullam in manibus accepiſſe, de quo ſic Martialis:

Clinius Herodes trullam ſubduxerat ægro,
Deprenſus dixit; ſtulte quid ergo bibis?

Locus etiam Plinii lib. 37. cap. 2. probat trullam menſarium fuiſſe vas: meminit enim trullæ murrhinæ CCC ſeſtertiis emptæ à Petronio Neronis malitia interficiendo, quam ille fregit, ut menſam ejus exhæredaret. pariter etiam lib. 3. de legat. ff. de auro & argento leg. l. Sejæ, dicitur: *Seiæ dulciſſimæ poculum aureum, quod elegerit fidei hæredum commiſſo, ut darent; quæro cum in hæreditate non ſint niſi trullæ, ſcyphi, modioli, phialæ, an Seja de his ſpeciebus eligere poſſit. reſpondit, cum omnia potui parata, pocula dicantur, poſſe.* trulla igitur hac lege inter vaſa vinaria, atque potoria recenſetur.

Trullam inter vaſa olearia quoque recentiores omnes reponunt, ut diximus; cum primis ex Plutarcho repoſita videtur ad uſum balnei: inſurgens enim adverſus illos, qui variis vaſculorum generibus afficiuntur lib. de ira cohib. monet ne nos in his alterum præ altero diligamus, dicens: ἐθιστέον δὲ καὶ σκεύεσιν εὐκόλως ὁμιλεῖν ἅπασι, καὶ μὴ τῷ μὲν μᾶλλον ἢ τῷ δὲ χρῆσθαι· καθάπερ ἔνιοι πολλῶν παρόντων ἓν ἐξελόμενοι κανθάρειον (ὡς Μάρκον ἱστοροῦσι Νήρυτον) οὐκ ἂν ἑτέρῳ πίοιεν· οὕτω δὲ καὶ πρὸς ληκύθους ἔχουσι, καὶ πρὸς στλεγγίδας ἀγαπῶντες ἐκ πασῶν μίαν. ubi quamvis vas iſtud oleariurn græcè dicatur lecythus, tamen Guarinus interpres trullam dixit: ſic locum iſtum interpretando: *Condoceſaciamus etiam nos, ut vaſis facile quibusvis, non uno aliquo præ reliquis utamur: ſicut nonnulli, multis ad manum prope unum deligentes cantharum, ut Marius, aut certæ formæ poculum, ex alio nolunt bibere: ſimiliter etiam de trullis oleariis ſentientes, & ſtrigilibus, de omnibus unam deligunt.* hæc Plutarchus, ſaltem de mente Interpretum, qui trullam oleariam ſtrigili conjungentes, illud vas potius ad uſum oleorum & unguentorum in balneis, quam ad unguenta domi ſervanda, vel etiam ad utrumque fuiſſe oſtendunt.

Si verò adhuc trullæ oleariæ ex antiquis monumentis formam conjectari licet; eam ex auctoritate Scaligeri in adnotationibus ad Petronium accepit quis qualem Fig. D. exhibuimus. In cujus vaſis medio circulo, quo icon cingitur, legitur OLEUM; ut propterea minimè dubitare liceat, vas iſtud, olearium fuiſſe, catinoque Latinorum, ac cæmentariæ trullæ non abſimile: conforme etiam quammaximè his, quæ ex Athenæo jam retulimus de trullæ magnitudine, atque amplitudine ad viginti artabas.

Lecythi formam hanc Scaliger, & Joannes exiſtimarunt: ſed eos falli, quæ de forma trullæ jam diximus, apertè convincunt. etenim ad uſum balnei, hoc quoque quod attulimus vas extitiſſe, tam forma, quam olei, quam fert, inſcriptio oſtendit. Latitudo namque illius, manibus intromittendis accommoda, indigitat aliptis in uſum illud extitiſſe, cum primis pro his qui ad luctam ungebantur: ſic enim manibus intromiſſis, & undequaque inunctis, citius, faciliusque aliptæ perunxiſſent certaturos: nec non etiam manibus ea ratione unctis, ac in tergore illorum, qui ungebantur percuſſis, crepitum, ſtrepitumque edere intra balnei cellulas poterant; quod Seneca noſter refert, ac damnat epiſt. 56. *Ecce varius clamor*, inquit, *undique me circumſonat: ſupra ipſum balneum habito: propone tibi nunc omnia genera vocum, quæ in odium poſſunt aures adducere, cum fortiores exercentur, & manus plumbo graves jactant: cum autem laborant, aut laborantem imitantur, gemitus audio; quoties retentum ſpiritum remiſerunt, ſibilos, & acerbiſſimas reſpirationes; cum in aliquem alipten inertem, & hac plebeia unctione contentum incidi, audio crepitum illiſæ manus humeris, quæ prout plana pervenit, aut concava, ita ſonum mutat.* confer nunc verba Senecæ cum manibus aliptæ, in eam quam poſuimus trullæ oleariæ formam, intro unctæ, & in humeros luctaturi extenſæ cum oleo, in jocum, & ludicra plebejorum hominum; & certò oleariæ trullæ eam extitiſſe formam ex antiquis etiam monumentis non immeritò ſuſpicabimur. verum ex ſacris nihil, quod noverim, de hoc vaſe adnotandum habuimus, poſteris hæc inveſtiganda, atque enucleanda relinquimus.

CAP. XLIV.

Unguentaria Pyxis ex ſacris literis explicatur.

Ad loca 3. Reg. 17. *Vivit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem, niſi quantum pugillus capere poteſt farinæ in hydria, & paululum olei in lecytho.* 1 Reg. 26. *Tulit igitur David haſtam, & ſcyphum aquæ, qui erat ad caput ejus.* Et ad alia plura loca.

AMPULLAS & Pyxides inter vaſa olearia reponendas fore negat nemo. diſtinguanturne iſta ab invicem dubitant aliqui. Baïfius in tractatu

ctatu de vaſc. diſtinctionem inter pyxides, & ampullas A nequaquam agnoviſſe videtur. Sed proculdubio fallitur; nam Pyxis propriè vas erat ex buxo, de quo Iſid. lib. 20. orig. cap. 7. ait: *Pyxides vaſcula unguentaria ex buxo facta, nam quod nos buxum, Græci* πύξον *vocant.* his ex Iſidoro allatis, addatur Italicum nomen *boſſolo*; quod quidem Græco vocabulo πύξον, & plantæ conſonat, quæ *boſſo* Italicè dicitur. licet enim ea vaſa ex aliis conficerentur materiis: quemadmodum tamen apud Græcos varia inſtrumenta, ac vaſcula ex diverſis compacta materiis, πυξίς, & πυξίδιον appellabantur; ut apud Pollucem videre licet, deducto nomine à materia illa, ex qua primo fortaſſe vaſa illa parari ceperunt; ſic Romanis B quoque contigit; qui pyxidis vocabulo vaſa plurima acceperunt; ſicut etiam vox hæc *boſſolo* apud nos Italos. Id probat locus Petronii in deſcriptione domus Trimalchionis. *Præterea grande armarium*, inquit, *in angulo vidi, in cujus ædicula erant lares argentei poſiti, Venerisque ſignum marmoreum, & Pyxis aurea non puſilla, in qua barbam ipſius conditam eſſe dicebant.* Hoc barbæ ſtudium ſcribit etiam Sueton. in Neronem, qui inter buthyſiæ apparatum, barbam primò poſuit; *conditamque in aurea pyxide, pretioſiſſimisque margaritis adornatam, Capitolino Jovi conſecravit*, inquit Sueton. cap. 14. ex quibus perſpicuum eſt, pyxides aureas habuiſſe, quæ juxta nominis C etymon, ligneæ fieri debuiſſent.

Etenim ex buxo hujuſmodi vaſa ab antiquis primum fieri cœpta, deinde ex aliis quoque materiis factas fuiſſe Pyxides, docet Quintil. lib. 8. cap. 6. Eſt autem ad omnia medicamentorum, ac unguentorum genera ſervanda Pyxis accommodatum vas. Hinc illud Petronii: *Plura volebat proferre credo, & ineptiora præteritis, quum ancilla Triphenæ Gnitona in partem navis inferiorem ducit, corymbioque dominæ pueri adornat caput, immo ſupercilia etiam profert de Pyxide, ſcitæque jacturæ liniamento ſequuta, totam illi formam ſuam reddidit.* hæc Petronius, quæ nequaquam de veris ſuperciliis intelligenda ſunt, quod D ſervarentur in Pyxide; ſed de calliblepharis, quibus ſupercilia ad ornatum denigrabant mulieres. Quod verò unguenta in ea ſervarentur, tam Quintil. ibid. quam Celſ. lib. 6. tradiderunt: *Liquidum collyrium*, inquit Celſus, *pyxidicula ſervat*: quod quidem liquidum collyrium unguentum fuiſſe, dicunt aliqui, & propterea in pyxide ſervatum. erat autem Pyxis ejus formæ, quam nunc habet ſcyphus, ſeu vas illud, quod ſcutella communi vocabulo nominatur.

Liceat, quæſo, tantiſper digredi à vaſis oleariis, & pyxide, ad pocula, & ſcyphos, tum ut ſacra aperiantur loca, tum ut oleariæ Pyxidis forma ex- E plicatius aperiatur. Summa enim poculorum religione tenebantur veteres; quamobrem religionis de cauſa ſcribit ex doctrina Homeri Athenæus lib. 1. cap. 11. à principio uſque convivii ſingulis convivis appoſita fuiſſe pocula: καὶ ταῦτα ἔπρασσον πρὸς οἰωνοῦ τιθέμενοι, inquit Athenæus: id eſt, *boni ominis gratia hæc faciebant.* qua ratione Rex Amphictyo apud Athenienſes legem promulgavit; ut ad convivium ſedentes in ſolo, meri aliquid effunderent, δεῖγμα τῆς δυνάμεως τοῦ ἀγαθοῦ θεοῦ, *virtutem, ſeu poteſtatem boni Genii demonſtrandi cauſa*: nec non etiam biberent; προσεπιλέγειν δὲ τούτῳ, τὸ τοῦ Διὸς σωτῆρος ὄνομα, διά τε τὸν οἰωνὸν, corrigit Caſaubonus. hoc eſt, *Ut* F *præferret primum poculum nomen Jovis ſervatoris, boni ominis gratia.* ac propterea, Deorum characteribus, atque imaginibus hujuſmodi pocula inſignita ab his fuiſſe, nequaquam dubito. nam poculi Priapo dicati meminit Juvenal. ſatyr. 2. quo utebantur in menſa, ſacrisque ejuſdem infamiſſimæ deitatis: ex quo nauſeam modeſtiores quique proculdubio hauſiſſent. ſic enim Juvenalis; illius ſeculi impudicam mollitiem deridens, ait:

Ille ſupercilium madida fuligine tinctum,
Obliqua producit acu; pingitque trementes
Attollens oculos; vitreo bibit ille Priapo.

Hac religione ac impia pietate veteres tacti, in menſam Diis libare, & aliquid vini leviter in menſam, vel in terram, vel etiam in mare, (ſi quando in eo cœnaſſent) ex patera effundere conſueverunt. hujus ritus teſtis eſt illud Virgilii:

In menſam læti libant; Divosque precantur.

Quamobrem in ſacris faciendis libamina primam tenebant ſedem. nam & Euripides quoque in Hecuba Polyxenam manibus Achillis ſacrificatam ſcribens, Polyxenæ interfectionem præiſſe libamina affirmat, dicente Talthybio Hecubæ:

Πλῆρες δ' ἐν χεροῖν λαβὼν δέπας
Πάγχρυσον, ἔρρει χειρὶ παῖς Ἀχιλλέως
Χοὰς θανόντι πατρί.

Quamvis enim hic ſermo ſit de libationibus, quæ in ſacris fieri ſolebant; nobis tamen argumento ſunt quanta religione libationes à gentibus venerarentur. ſic enim Euripidis carmina interpretantur.

Plenum verò in manibus accipiens poculum,
Totum aureum, fundebat manu filius Achillis
Libationes mortuo patri.

Idem quoque Euripides in Iphigenia in Tauris, cum illa fratrem Oreſtem mortuum ſomniaſſet, ſacra eidem parat; quibus anteponit libamina in terra effuſa, dicens ad famulum.

Ἀλλ' ἔνδος μοι πάγχρυσον
Τεῦχος, καὶ λοιβὰν ἀΐδα.

Cum enim Iphigenia fratris, quem mortuum credebat, fatum lamentata eſſet, dixiſſetque ſe inferias parare mortuo fratri, ut ſuper terram illas effunderet, inter quas vinum & mel recenſuerat, ſacrificium inchoatura dixit:

Verum da mihi totum aureum
Vas, & libationem inferis.

Hoc eſt, vinum & mel, quæ libanda inferis dixerat, grataque mortuis. Plura alia loca ex Homero, Virgilio, Plauto, & Dione Caſſio affert Lipſius lib. 3. antiq. lect. ubi videri poſſunt; nobis ſufficiat inſinuaſſe quàm religioſa eſſent apud veteres libamina, ac propterea aliquid Religionis in ſcypho illa habuiſſe, & ideò apud eoſdem venerandum extitiſſe vas hoc potorium, quo in menſa, & in ſacris vinum libabatur, propthereaque religioſè ſervatum. hinc illud Virgil. lib. 1. Æneid. ubi Dido cum ad convivium Trojanos admiſiſſet, ac ad jura hoſpitii Tyriis Trojanos adjunxiſſet, primo in menſa libandum Diis, in ea quam à Belo Tyrii acceperant patera, duxit. de quo ita Virgilius:

Hic Regina gravem gemmis, auroque popoſcit,
Implevitque mero pateram, quam Belus, & omnes
A Belo ſoliti, &c.

Libro quoque ſeptimo, Regi Latino, Trojani munera deferunt; pacem & amicitiam cum illo ſupplicantes, inter quæ Anchiſis libatoria patera recenſetur.

Hoc pater Anchiſes auro libabat ad aras.

Quibus certè monemur Reges, ac Magnates pateras habuiſſe ſingulares, gemmis & auro cultas; quibus ſacrorum libaminum occaſione ſolummodo utebantur. De hoc igitur ſcypho libatorio locum Gen.

Gen. 44. intelligendum reor ; ubi de Joſephi ſcypho ſermo eſt, quem furatum à fratribus dicebatur ab his qui de induſtria illum in eorum ſaccis abſconderant ; eoſque ut furto comprehenderent, Joſephi juſſu, inſequebantur : *Scyphus quem furati eſtis, ipſe eſt, in quo bibit Dominus meus ; & in quo augurari ſolet.* Neque enim mihi in animo eſt, ſanctum virum Joſeph, ſacris literis adeò commendatum, ſuperſtitionis, aut idololatriæ redarguere ; ſed quæ religioni apud Iſraëlitas erant, ſive id à patribus accepiſſent illi, ſive quomodocumque hauſiſſent, ad divini cultus propagationem ; gentes à dæmone ſeductas in ſuperſtitionem, ſacros eoſdem ritus permutaſſe non ſemel diximus : atque propterea libamina, quæ in terram in principio menſæ Joſeph fundebat ; ut Deo grates in menſæ exordio redderet ; hoc idem in cultum dæmonum gentes exſolvere minimè verebantur ; & ſcyphum, qui Joſepho religioſus erat ; illud idem potorium vas gentes ſuperſtitioſè venerabantur.

Tantaque diligentia, ac religione ſervatum hunc ſcyphum legimus, ut in more Principum, & Prophetarum poſitum fuiſſet ; vaſa hæc potoria ſub pulvino ſervari. ita Philippum Macedonem facere conſueviſſe, ſcribit teſtimonio Duris Athenæus lib. 4. cap. 14. dicens : ὡς καὶ Δοῦρις ἱστορεῖ, ὅτι καὶ Φίλιππος ὁ τοῦ Ἀλεξάνδρου πατὴρ ποτήριον χρυσοῦν, ὁλκὴν ἄγον πεντήκοντα δραχμὰς κεκτημένος, τοῦτο ἐλάμβανε κοιμώμενος ἀεὶ, καὶ πρὸς κεφαλὴν αὐτοῦ κατετίθετο· id eſt, *ut Duris Hiſtoria* ſcribit, *quoniam Philippus Alexandri pater aureum poculum, quinquaginta drachmarum pondere, dormiens hoc ſubjiciebat ſemper, & ſupponebat proprio capiti.* Quod idem repetit lib. 6. cap. 4. ubi quam gratus eſſet Græcis uſus auri oſtendens, docet Philippum Alexandri patrem, ſub pulvino phialam auream aſſervare ſolitum ; quod ſcribit per hæc verba. Διὸ καὶ Φίλιππον τὸν τοῦ μεγάλου βασιλέως Ἀλεξάνδρου πατέρα φησὶ Δοῦρις ὁ Σάμιος, φιάλιον χρυσοῦν κεκτημένον, ἀεὶ τοῦτ᾽ ἔχειν κείμενον ὑπὸ τοῦ προσκεφαλαίου. hoc eſt, *Quo circa Philippum quoque illum, qui Regem Magnum Alexandrum progenuit ; refert Duris Samius cum auream phialam haberet, ſemper illam habuiſſe repoſitam ſub pulvino ad caput.* Hanc autem phialam auream Philippi, poculum aureum dixit Plinius lib. 33. cap. 14. idem referens his verbis: *Summa apud exteros licentia fuerat, poculo aureo pulvinis ſubdito, Philippum Regem dormire ſolitum.* hæc Plinius : ut jam ex his duobus ſcriptoribus non ſolum poculum, & phialam idem vas fuiſſe cognoſcamus, verum etiam his unus & alter ſacrarum ſcripturarum locus explicetur ; pateatque qualis fuerit ſcyphus, quem 1. Reg. 26. à capite Saulis abſtulit David, de quo ſic ſcribitur : *Tulit igitur David haſtam & ſcyphum aquæ, qui erat ad caput Saul, & abierunt.* id eſt ſcyphum potorium. aquæ enim nomine, quodcumque potum ſignificatur, ex phraſi ſacrarum literarum : illud autem ad caput Saulis extitiſſe reor religionis cauſa, ſcyphi nimirum illius, quo ad libamina vini in menſa utebatur, quoties illo recumbente, Deo redditurus gratias in exordio menſæ, arrepto ſcypho, minime haurire potum ſibi licere putabat, ni Deo bonorum omnium auctori aliquid libaſſet. Quamobrem Angelum quoque, qui deficienti Eliæ ſub junipero ſuccurrit 3. Reg. 19. nequaquam ſcyphum Eliæ attuliſſe arbitror ; quando illum ad montem Dei Oreb direxit ; ſed ſcyphum, quem Elias religionis cauſa, ſecum detulerat, & prope pulvinum dormiturus depoſuerat, Angelum aqua impleviſſe, illoque excitato ad montem Dei Oreb impuliſſe. de hoc enim ſic dicitur in ſacro textu : *Et ecce Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi : Surge & comede. reſpexit, & ecce ad caput ſuum ſubcinericius panis, & vas aquæ.* cujus vaſis formam ſtatim aperiemus. Hunc igitur

A ſcyphum ab Elia ferri, ac ſub pulvino de more illius ſeculi religioſe ſervari ſolitum arbitramur ; quo ad libamina Propheta uteretur; cum ſibi diſcumbendum fuiſſet, cibusque ſumendus. Atque de eodem ; diſpenſatorem Joſeph dixiſſe, dominum ſuum auguria à Deo capere conſueviſſe ; & bonum ſanè omen ab eo cepit Elias, qui *ambulavit in fortitudine cibi illius*, & potus *uſque ad montem Dei Oreb quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.*

Sumamus augurium nos quoque jam ex ſacris literis ad explorandam formam lecythi Sareptanæ mulieris, eamdemque illam cum Eliæ vaſe, & pyxide unguentaria habuiſſe formam oſtendatur. Eſt
B enim ſcyphus, ſeu poculum, vas ore patens, & apertum perfectæ peripheriæ, intro excavatum in teſtudinem perfectam, ſuis hinc inde manubriis, quibus prehendi poſſit ; & ad potum quidem accommodatiſſimum : cujus fortaſſe formæ fuit demto inferiori pede, vas illud potorium, quod calicem dixit Juven. Satyr. 5. quatuorque anſas habebat, de quo ſic ille :


Tu Beneventani ſutoris nomen habentem,
Siccabis calicem naſorum quatuor ; ac jam
Quaſſatum, & rupto poſcentem ſulphura vitro.

Hunc enim calicem, de quo Juvenalis & Martia-
C lis quoque, ſcyphi tenuiſſe formam, inde colligitur, quod quatuor roſtra haberet ; non verò calicis pedem, qui minimè ſe compatitur cum roſtris, ſi pulchrioris formæ ratio aliquando habenda fuerit. Pyxides verò antiquorum, ſcyphi quem deſcripſimus tenuiſſe formam, argumento mihi ſunt in oſſibus animalium, illa quæ per ſimilitudinem ad vaſa ejus nominis, ſic dicuntur : illæ nimirum oſſium concavitates, quas in rotundum natura excavavit, ad recipiendum alia oſſium extrema protuberantia ; quæ ſimilitudinariæ Pyxides ſi ſuo prototypo conformari debent, utique pyxis vas in rotundum excavatum erit. ſed Plinius quoque lib. 18. cap. 29 ubi agit
D de panis faciendi ratione, nobis ad formam pyxidis explicandam, præſto erit. Cum enim ex alica panis faciendi methodum ille tradit, cujus inventum Picenis populis tribuit ; quo pacto ex alica farina haberi poſſit, docet his verbis : *Tunditur granum ejus in pila lignea : ne lapidis duritia conterat. Nobilius, ut notum eſt, pilo, vinctorum pœnali opera : Primori ineſt pyxis ferrea.* Appellatur autem à Plinio hic pyxis ferrea dimidiata illa ferrea ſphæra, quæ circumabit, & operit pilum ligneum, quo in pila lignea alicæ grana tunduntur. Propterea Juvenalis Satyr. 2. pyxidem à forma turgidam dixit, cum ait :

E *Turgida non prodeſt in Pyxide condita Lyde.*

Non enim cum Commentatoribus ad mulierem Lydiam ventriculoſam unguentariam reſpexiſſe Poëtam arbitror ; quaſi velit unguentis illius nequaquam juvari poſſe ad mulierum fœcunditatem : ſenſuſque ſit, *turgida*, ideſt ventriculoſa *Lydes*, *condita in pyxide*, nimirum ſuis unguentis, *non prodeſt*, ſupple, ad fœcunditatem : de fœcundandis enim mulieribus loquebatur Juvenalis : ſed reſpexiſſe poëtam puto ad Ariachnem Lydiam, in araneam converſam. quia verò genus illud aranearum, quod phalangium nominatur, trecenos fœtus edere uno partu credebant mulieres, (quod etiam Plin. lib. 11.
F cap. 24. prodit) mulieres Romanæ juvari fœcunditatem, & tolli ſterilitatem aranea in pyxide geſtata arbitrabantur, quæ ne corrupta geſtantium nares inficeret, eamdem unguento in pyxide ſuffocabant. ſenſus igitur Poëtæ erit; *Lydes*, ideſt aranea, Lydia dicta ob Lydiam Arachnem in araneam permutatam, *condita in pyxide turgida*, ideſt, unguentis ſuffocata, & condita in pyxide protuberante, *non prodeſt*, nimirum

mirum fœcunditatem nequaquam juvat. Inſuper A
ſacrum illud vas, in quo auguſtiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum in Eccleſia Chriſti aſſervatur, pyxis communi vocabulo appellatur; quod communi forma dimidiatæ ſphæræ ſpeciem præ ſe ferat. Pyxidis ſchema ad dilucidationem illorum, quæ diximus, hic proponimus.



B

Verum ad ſacra nos transferamus, divinorumque oraculorum ſacram Pyxidem inveſtigemus; ejuſdem enim extitiſſe formæ cum ſuperiori vaſe, Pyxidemque appellandum vas illud, quod lecythus olearia dicitur lib. 3. Reg. cap. 17. ex divinis fiet planum oraculis. nam Eliæ, & potum aquæ, & fruſtum panis petenti illa mulier Sareptana reſpondit: *Vivit* C
Dominus Deus tuus, quia non habeo panem, niſi quantum pugillus farinæ capere poteſt in hydria, & paululum olei in lecytho, וּמְעַט שֶׁמֶן בַּצַּפָּחַת *umenghath ſcemen bezapzachath*, ubi quod noſter Interpres lecythum dixit צַפַּחַת *tſapachath* dixit hebraicus textus: de cujus dictionis radice, & etymologia, ſi aliquid opinari licet: derivari ab hac צָפָה *tſaphah* affirmabimus, quæ apertis oculis aliquid ſpeculari ſignificat; & ab hac alia dictione פַּחַת *pachath*, quæ foveam, & locum excavatum interpretatur. ex quibus duabus dictionibns צָפָה & פַּחַת fieri צַפַּחַת *tſapachath*, liquido conſtat; qua quidem vocis etymologia, perſpicuum eſt, eo vocabulo ſignificari vas excavatum, D
in ore apertum, & in fundo rotundum ad ſimilitudinem oculi aliquid intuentis, juxta ſchema pyxidis, quod poſuimus.

Aperiora hæc fient; cum ſcyphum potorium in ſacris literis eo vocabulo ſignificatum monſtrabimus. ſtatque pro eo locus in eodem 3. Reg. cap. 19. in quo Eliæ fugienti à facie Jezabelis, ut loquamur cum ſacris, & in via deficienti, ut ſupra jam diximus, ſubcineritio pane, & aquæ vaſe occurritur. *Reſpexit* inquit textus, *& ecce ad caput ſuum ſubcineritius panis, & vas aquæ.* hoc verò vas hebraicè dicitur וְצַפַּחַת מָיִם *vezappachath maim*, ideſt, *& ſcyphus aquarum.* & cap. 26. lib. 1. Reg. ubi refertur E
David tabernaculum Saulis in caſtra dormientis intraſſe; & inde de vicino capitis illius lanceam, & ſcyphum potorium abſtuliſſe his verbis: *Tulit igitur David haſtam, & ſcyphum aquæ qui erat ad caput Saul, & abierunt.* וְצַפַּחַת הַמַּיִם *vezapachath hamaim*, ubi noſter habet, *& vas aquæ.* Quibus planè locis liquido conſtat, ſcyphum potorium dici צַפַּחַת *tſappachath*, quemadmodum, & vas olearium mulieris. 3. Reg. 17. Ut cæcutiant certè, qui non vident, ibi lecythi nomine ſignificari vas olearium ad ſchema ſcyphi potorii, qui & phiala dicebatur apud Græcos, teſte Athenæo loco jam citato: qui etiam phia- F
læ formam ſcribit lib. 11. cap. 14. in lebetis ſpeciem, quodque duas habeat aures in utriſque partibus, ait enim ex Homeri auctoritate.

Χρυσῆν φιάλην, καὶ δίπλακα δημόν,

Οὐ τὸ ποτήριον λέγει, ἀλλὰ χάλκεόν τι καὶ ἐκπέταλον λεβητῶδες ἴσως, δύο ὦτα ἔχον ἐξ ἀμφοτέρων τῶν μερῶν.

hoc eſt,

Auream phialam, & dupliciter pinguem.

Non poculum dixit, ſed æneum vas patulum, lebeti ſimile, ex utraque parte fortaſſis auritum. ut intelligamus jam ſcyphum Saulis, vas potorium Eliæ, phialam auream Homeri, quam explicavit Athenæus, lecythum viduæ Sareptanæ, & pyxidem unguentariam Romanarum mulierum, ejuſdem omnia extitiſſe formæ cum eo vaſe, vel ſimili, cujus hic ſupra poſuimus ſchema, pro intelligentia, explicationeque tam ſacrarum literarum, quam etiam plurimorum locorum, quæ ex prophanis ſcriptoribus jam ſupra allata fuere.

CAP. XLV.

Ampulla, lecythus, & lenticula, ſacra unguentorum vaſa explicantur.

Ad loca 4 Reg. 4. *Quid habes in domo tua? at illa reſpondit, non habeo Ancilla tua quidquam in domo mea, niſi parum olei quo ungar.* 1. Reg. c. 10. *Tulit autem Samuel lenticulam olei, & effudit ſuper caput ejus.* Et ad alia loca.

UNGUENTARIAS pyxides, ab oleariis ampullis minimè diſtinctas, capite præcedenti nonnullos ſuſpicatos eſſe cognovimus. Secus nos ſentire diximus, atque inter olearia vaſa recenſendas ampullas, cum Baïfio & aliis affirmamus: alias enim in hoc noſtro libro, loco ſanè caruiſſent. utque probati alicujus auctoris teſtimonio ampullas reponendas fore inter unguentaria vaſa monſtretur, Mart. lib. 11. aderit. queritur is ibi de amica Phyllide, quod nihil ei afferret, quin potius ab eo meretriciis artibus ſemper aliquid auferret: onyches quoque unguentarios vacuos de induſtria coram illo apponeret, ſi quando ad eam ipſe acceſſiſſet; ut ex quodam benevolentiæ, amoriſque debito, meretricio aſtu excitato, Coſmiano empto unguento vaſa vacua replere ipſe compelleretur. Erat is Coſmus percelebris tunc in Urbe unguentarius, qui plurimum ex ſua arte unguentaria lucrabatur, auctore Mart. lib. 3. in Gell. hæc autem vaſa unguentaria ampullas ipſe appellat lib. 3. in Zoilum, dicens:

Et Coſmianis ipſe fuſus ampullis.

Verum de forma horum vaſorum dicturi, illam è latebris mutato nomine eruere tentabimus. Unguentarias enim has ampullas Latinorum, ab eiſdem alio nomine, à Græcis mutuato, lecythos dictas puto: idemque vas omnino ampullam & lecythum dictum arbitramur: ni fortaſſe rectius cenſeatur ampullæ nomen, genericum extitiſſe, tam ad lecythum, quam etiam ad lenticulam, & ad quodcumque aliud vas protuberans, ſeſeque extendens in collum anguſtioris exitus. moveor ad id apertiſſimo quidem argumento. loquens namque Pollux lib. 4. de paraſitica ſupellectili, lecythum in ea recenſuit, dicens: τοῖς δὲ παρασίτοις πρόσεσι, καὶ στλεγγίς, καὶ λήκυθος ὡς τοῖς ἀγροικοῖς λαγωβόλον· id eſt, *Paraſitis autem convenit ſtrigilis, lecythusque, ut ruſticis lagobolon*; hoc erat inſtrumentum ad capiendos lepores. Verum de eadem ſupellectili loquens Plautus, eiſdem tribuit cum ſtrigili ampullam oleariam locus eſt in Stycho talis:

Aut perjerantiunculas paraſiticas,
Rubiginoſam ſtrigilem, ampullam rubidam,
Paraſitum inanem, quo condas reliquias.

Et in Comedia quæ inſcribitur Perſa, in eadem ſen-

ſententia in paraſitico apparatu ampullam oleariam recenſuit, dicens:

Cynicum eſſe egentem oportet paraſitum probe
Ampullam, ſtrigilem, ſcaphium, ſoccos, pallium, &c.

Quod igitur lecythum dixit Pollux; repoſuitque in paraſitica ſupellectili; hoc idem vas, ampullam appellaſſe Plautum, perſpicuum eſt. Quamobrem lecythi forma ampullarum quoque ſpeciem, nobis abſque dubio aperiet.

De lecytho igitur agamus: formam illius inveſtigemus, ut unica forma ampullæ, & lecythi ſpeciem agnoſcamus. Sunt enim qui putent, lecythum à lenticula minimè diſtingui: verum hæc illorum ſententia, merito toto convellitur pede ab eruditiſſimo Rhodig. lib. 14. cap. 15. Erroris verò ratio fuit; quia dictio hæc *lecythus*, ſi per ſimplicem E ſcribatur, lentem cui ſunt decuſſa putamina ſignificat. cumque à lente lenticulam vas olearium derivari perſpicuum ſit, nonnulli, ut diximus, ſono vocis deluſi, idem eſſe lecythum & lenticulam putaverunt; in Græcis dictionibus confundentes λήκυθος cum λεκύθῳ· in quo lapſi nequaquam fuiſſent; ſi lecythum per E breve Latinorum, quod Græco ε correſpondet, dictionem cognoviſſent ſcribendam, ad Græcorum lentem ſignificandam, ſive verius edulium ex leguminibus fractis; quod alio vocabulo ἔτνος dicebatur. de quo Galenus lib. de bono, & malo ſucco, & Paulus lib. 3. cap. 80. ποιεῖ, *inquit*, καὶ λέκυθος κυαμίνη μετ᾽ ὄξους ἑψηθεῖσα. hoc eſt, *Facit & edulium fabæ cum aceto coctum.* Lecythum verò ſumptum pro vaſe unguentario, per E longum, quod η Græcorum reſpondet, per ypſilon & th, ſcribendum illi advertere poterant. Cujus vocabuli etymologiam ſi quæramus, ſcholiaſtes Ariſtophani lecythum dici ἀπὸ τοῦ ληκέω, ideſt, *à ſonitu* affirmabit; ſed Euſtathio quaſi ἐλαιόκυθος, ideſt, *oleum occultans*, lecythum dici placuit.

Lecythum unguentarium fuiſſe vas, communi ſcriptorum tam Græcorum, quam Latinorum conſenſu aperta res eſt: unum vel alterum adduxiſſe ſufficiat. ita Ariſtophanes in Pluto:

αἱ δὲ ληκύθους μύρου γεμίζουσι.

id eſt,

Hi autem lecythos unguento implent.

Et in Avib. ait:

ἔλαιον οὐκ ἔνεστιν ἐν τῇ ληκύθῳ.

id eſt,

Oleum non eſt in lecytho.

Athenæi loca ſunt innumera. ſed & Homer. lib. 6. Odyſſ. meminit lecythi unguentarii, dicens:

Δῶκε δὲ χρυσείῃ ἐν ληκύθῳ ὑγρὸν ἔλαιον,
Εἵως χυτλώσαιτο σὺν ἀμφιπόλοισι γυναιξίν.

Nauſicaa enim Alcinoi filia, viſis quibuſdam in ſomno, ad ſuas nuptias ſpectantibus; ſomnia ut expiaret, & numina propitiaret; de ſeipſa luſtranda cogitavit: propterea ad propinquum fluvium properat; ut à linteaminibus ſordes detergeret; & ſeipſam quoque cum aliis virginibus ablueret: cui patrem, ut pro more poſt ablutionem ungeretur, lecythum unguentarium aureum dediſſe, ſcribit Homerus in allatis carminibus, quæ ſic interpretantur.


Dedit autem aureo in lecytho humidum oleum,
Ut ungeretur cum ancillis mulieribus.

Quin & adeò propriè unguenta lecytho, lecythuſque unguentis debebatur; ut ſuavitas, pulchritudo, & quodcumque ornamentum cujuſcumque rei, ab unguenti ſuavitate, ad vas, tranſlata metaphora, in lecytho poſitum diceretur; lecythum habere in malis, de ſpecie mulieris diceretur, teſte Rhodig. lib. 14. cap. 15. Orationis ſplendor, dicendique elegantia, Cicerone ad Atticum auctore, lecythizare dicebatur. μοῦσαν ληκύθιον tragœdiam Callimachus appellavit. θέσεις ληκυθίζειν, eſt Græcis poſitiones elegantes lucubrare. trochaicum carmen, dimetrum, catalecticum, lecythium vocatur. quas dicendi metaphoras ſumptas fuiſſe à ſuavitate lecythi, ſive verius ab unguento, quod lecythi nomine inſinuabatur, norunt omnes ex Rhodigino loco citato, & aliis pleriſque ſcriptoribus.

Satis hæc probant lecythum vas unguentarium fuiſſe: qua ratione de illo à nobis hic agitur: eumdemque cum ampulla olearia. à materia autem argumento ſumpto, non probatur idem vas dictum ampullam fuiſſe & lecythum: aurum enim Homerus lecythi materiam poſuit. ſed nihil nobis de hac diſputandum, cum ex quacumque materia, lecythos, & ampullas fieri potuiſſe, & factas fuiſſe plurimorum teſtimonio conſtet. Forma igitur inquirenda erit; ab ea enim ampullæ quoque oleariæ forma expiſcabitur. Hanc rotundam extitiſſe affirmabimus: eo ducti argumento, quod lecythum, ſi ſcribatur per ε loco η, vitellum quoque ovi, & non ſolum pulmentarium ſignificare doceant Græcorum lexica ex Artemidori lib. 5. dicentis: ἔδοξέ τις δοῦλος παρὰ τῆς δεσποίνης ὠὸν λαβεῖν ἑφθὸν, καὶ τὴν μὲν λέκυθον ἀπορρίψαι, τῷ δὲ ὠῷ καταχρήσασθαι· Cælius pariter Rhodigin. lib. 27. cap. 17. ovi vitellum lecythum dici monſtravit; in quo etiam ſenſu lecythum accipit lib. 13. cap. 28. An verò ovi vitellus à vaſe, an vas à vitello ovi lecythi nomen ſumpſerit, ignotum eſt, & noſtra parum intereſt. Verum ad rem noſtram redeamus: duo hinc præclariſſima pro lecythi forma intelligimus, lecythum nimirum extitiſſe vas protuberans, circumquaque rotundum, quod ovi vitellum inſinuaſſe videtur, & Cæl. Rhodig. lib. 14. cap. 25. atque alii quoque Dictionariorum ſcriptores affirmant; magnitudinis quidem non excedentis, potiuſque parvum, quam amplum, quibus ſubſcribit Cœl. lib. 14. cap. 11. qui à parvitate vaſis lecythum olpim piſcatoriam dictum autumat. dixit olpim piſcatoriam, ad differentiam olpis unguentariæ; quæ eſt lecythus: cum tamen olpis piſcatoria ſit ſquamma piſcis, ſive aliquod aliud piſcatorium inſtrumentum apud Theocr. Idyll. 3. Huic rotundo vaſculo, additum os, & collum in ſuperiori ambitu, per quod immitti, & fluere unguenta valeant; ad vaſis proportionem ſi diſponatur, non nimis certè amplum, ſed potius anguſtum efformandum erit, ut inverſo quoque vaſe, crebris quaſi ſingultibus unguenta ſit daturum.

Hac ratione lecythos, & ampullas olearias à pyxidibus diſtingui perſpicuum eſt. ratio quoque ſumpta à forma vaſis id planè manifeſtat. nam pyxidem vas in ore patens intus excavatum per modum dimidiatæ ſphæræ jam cognovimus: ſecus verò omnino de lecytho & ampullis ex Plin. lib. 4. epiſt. in fine nobis ſentiendum erit: quarum quidem os in ipſo gutture, quod reliquum ſupereminet vaſis, taliter perſtringitur, atque coanguſtatur; ut materia intro clauſa perdifficilem habeat exitum. ita ex Plin. ad C. Pub. Licin. colligimus; qui dum cujuſdam fontis, qui & dabat, & ſubtrahebat aquam, rationem quærit, ac illum perdifficilem aquarum exitum, fluxum atque refluxum, cum ampullis confert, ait: *Spiritusne aliquis occultior os fontis, & fauces modo laxat, modo includit, prout inlatus occurrit, aut deceſſit expulſus? quod in ampullis, cæteriſque generis ejuſdem videmus accidere, quibus non hians, nec ſtatim patens exitus; nam illa quoque quamquam prona*

atque vergentia , per quaſdam obluctantes animæ moras, crebris quaſi ſingultibus ſiſtunt , quod effundunt. Liquido igitur jam conſtat , quantum ampullæ , & lecythi forma à pyxidibus diſtingueretur, cum hæ neque ſiſtant quod effundunt , neque exitum non hiantem , aut non patentem habeant. Quin ſi pyxides invergantur , una tantum inverſione totum effundunt , quod continent : lecythi verò & ampullæ etiam inverſæ , *per quaſdam obluctantes animæ moras* , inquit Plinius , *crebris quaſi ſingultibus ſiſtunt quod effundunt* , ac propterea guttatim potius , quam profuſè unguenta à lecytho , & ampullis effunduntur. Hac de cauſa ejuſdem formæ lecythum diximus cum ampullis unguentariis Coſmianis ; de quibus ſupra ex Martiali meminimus. In icone igitur lecythi, ampullarum quoque forma , quam in hoc lecythi ſchemate conſpiciendam damus , intelligatur neceſſe eſt : quam ex antiquis monumentis accepimus lapidis illius , in quo puer cum ſtrigili , & vaſe oleario , hujus vel ſimilis formæ conſpicitur , ut videre eſt apud Guilelmum Choul , in libello de balneis. Ampulla quoque olearia in hanc ſimilem formam habetur in lapide perantiquo Priapeji ſacrificii, quem excepimus ex vinea Alexandri Cardinalis quondam de Montealto, qui & ſupra cap. 33. à nobis fuit allatus. In eo quidem viſitur mulier , quaſi violenter rapta ad concubitum , è cujus manu dextera unguentaria ampulla pendet. (ut enim alibi diximus, unguentis in promulſidem Veneris utebantur) rapiebatur mulier ad concubitum, quæ jam unguentis ad venerem ſe paraverat ; voluntarium certè raptum ampulla deſignat. Ex his igitur monumentis ampullæ oleariæ, atque lecythi unguentarii formam , in hac quam damus icone repræſentandam cenſuimus : dummodo gurgitis os in collo adeò conſtringatur , ut ſingultet in effuſione unguenti , atque olei.



Lecythi ampullæque oleariæ forma jam poſita , gutti quoque forma aperitur : quam ejuſdem cum lecytho , & ampulla olearia extitiſſe in dubium minimè revocare licet. Guttum enim inter vaſa oleariæ reponendum & ſcriptis, & parietinis ruinis antiquitas tota clamat : inter hæc vaſa Gellius guttum repoſuit lib. 17. cap. 8. cum Gellio quoque ſtat Juvenal. Satyr. 3.

Et ſonat unctis
Strigilibus , pleno componit lintea gutto.

At ſi Varroni lib. 4. de lingua Latina credimus , Guttus inter vaſa vinaria potius, quam olearia reponendus erit : non ad menſæ, ſed ad ſacrificiorum uſum , in quibus vinum minutatim fundebatur. a guttis Guttum vas appellarunt , & in eiſdem ſacris illud vas , quo ſumebatur minutatim aliquid , à ſumendo Simpulum veteres nominatum volunt. ut

[A] propterea à modo aſſumendi aliquid , & effundendi liquorem , utrumque vas nomen aſſumpſiſſe videatur. Illud idem vas Gutturnium eadem de ratione dictum comperimus apud Feſtum : eademque de cauſa lecythus , & ampulla olearia , Guttus quoque abuſivè à Gellio dici potuit , quod guttatim unguenta funderet ; & quod vinario ſacrorum debebatur vaſi, oleario tribuit : vel etiam eadem vaſa , nunc ad vina fundenda , nunc ad aquas , nunc ad olea deſerviebant : ut propterea quod vinarium , aut aquarium uni fuiſſet , alteri olearium fieret.

Cognita igitur jam forma ampullæ, atque lecythi, ad ſacra nos transferamus oracula , apud quæ cum [B] frequens oleorum , & unguentorum fuerit uſus; vaſa quoque hæc frequentiſſima fuiſſe conſtat. Et ne à gutto , ampulla , atque lecytho longius abeamus ; lecythinæ extitiſſe formæ illud vas arbitror , de quo meminit mulier illa lib. 4. Reg. cap. 4. interrogata ab Eliſæo quid ſibi domi haberet , ut creditori ſolvendo eſſet : reſpondit enim , *Non habeo ancilla tua quidquam in domo mea , niſi parum olei , quo ungar* , hebraicè כִּי אִם אָסוּךְ שָׁמֶן *chi him aſuch ſciamen*, niſi *haſuch* olei. eſt enim illa dictio אָסוּךְ *haſuch* nomen vaſis unguentarii ex duobus coagmentata verbis , ex verbo נָסַךְ quod fundere oleum ſignificat ; quin & unguentum ad ungendum corpora , ut ex cap. 3. Dan. [C] liquido conſtat. & lib. 2. Reg. cap. 12. ubi Daniel & David ſe unxerunt : & ex verbo סָכַךְ quod tegere , & operire ſignificat : quod corporibus unguento unctis contigit; quodammodo enim dum unguento perliniuntur , eodem teguntur : itaque אָסוּךְ erit vas unguentarium. Quia tamen guttatim , ut diximus , vaſa hæc oleum, ac unguentum effundebant, & forte etiam mediocris erant magnitudinis ; propterea ad vaſis parvitatem reſpiciens noſter Interpres, nomine vaſis *haſuch* omiſſo , dixit , *non habeo niſi parum olei quo ungar.* Ad lenticulam nos dirigamus; quam quidem diminutivè à lente dictam nemo non videt : & ex lente nominis etymologia in olearia [D] lenticula plenè dignoſcetur. nam & Græci φακὸς eodem vocabulo tam legumen , quam hoc vaſis genus nominarunt. Cujus materiæ fuerit lenticula , ſuperfluum eſt diſquirere; cum & lignea , & fictili , & aurea, & argentea , & alia quacumque ex materia lenticulam fieri potuiſſe non ambigatur : potius tamen fictilem , & metallicam , aut vitream lenticulam factam puto ; quod hæ conſervandis , & retinendis odoribus propter illarum frigiditatem aptiores ſint. Nam à frigiditate odoratus ſpiritus conſtrictus, & condenſatus retinetur. Lenticulæ meminerunt prophani , & divini ſcriptores. ex prophanis habemus Cæl. Rhodig. Apulejum, & alios plures. at [E] divini ſcriptores lenticulæ meminerunt 1 Reg. cap. 10. & 4. Reg. cap. 19. hic enim Eliſæus mittens unum de Prophetis ad ungendum Jehu Regem ſuper Iſraël , refertur ei dixiſſe , *Tolle lenticulam hanc olei in manu tua, & vade in Ramoth Galaad , & unges Jehu, &c.* illic verò Samuele ungente Saül Regem omnium tribuum , his verbis illa unctio ſcribitur : *Tulit autem Samuel lenticulam olei , & effudit ſuper caput ejus* , ut ab eo uſque tempore hujus vaſis uſus innoteſcat.

Nec ſolum hujus vaſis fuit uſus ; ſed etiam conſueviſſe veteres Philoſophos, Principes, & Prophetas ſecum lenticulam unguentariam deferre , ex ſa[F]cris & prophanis literis nobis manifeſtatur. hoc enim de quodam Philoſopho Hippia nomine , Apulejus lib. 2. Florid. teſtatum reliquit his verbis : *Nondum ejus omnia* (Hippiæ) *commemoravi ; etenim non pigebit me commemorare , quod illum non puditum eſt oſtentare ; qui magno in cœtu prædicavit , fabricatum ſemet ſibi ampullam quoque oleariam , quam geſtabat lenticulari forma , tereti ambitu , preſſula rotunditate.*

Hujus

Hujus lenticulæ oleariæ frequentatam geſtationem, ſacra quoque oracula conſuluiſſe videntur in Eccleſiaſtico cap. 39. ubi Spiritus ſanctus illis verbis: *Oleum capiti tuo non deficiat.* Hoc autem Sapientis conſilium quotidiano certè, & frequenti unguentorum uſui; uſuique habendi ſemper olei lenticulam ſecum, reſpondet. Eliſæum quoque geſtaſſe lenticulam ſuſpicari eo poſſumus argumento, quod miſſurus unum de Prophetis ad ungendum Jehu Regem in Iſraël, lenticulam unguentariam ad manus habuiſſe, illis verbis indigitatur: *Tolle lenticulam olei hanc in manu tua, & vade in Ramoth Galaad*, &c. Quamobrem, Samuel cum Saül Regem populi futurum clam ungere vellet; non obſtitit, quo minus id faceret, olearis lenticulæ defectus; quam niſi ſecum ſemper geſtare conſueviſſet, clandeſtinæ unctioni obſtitiſſet, ſuſcepta præter conſuetudinem olei lenticula. nec Gen. cap. 28. Jacob oleum ad ſacrandum illum lapidem præſto habuiſſet, cum divina illa ſcala cœlum pertingens ei oſtenſa fuit; niſi ſecum oleariam lenticulam ex conſuetudine ad manus habuiſſet. quamobrem mane jam facto, minimè oppidum adire compulſus eſt olei quærendi cauſa; ſed ut ut ſurrexit, illico lapidem quem ſuppoſuerat capiti ſuo, oleo conſecravit: *Surgens ergo Jacob mane*, inquit textus, *tulit lapidem quem ſuppoſuerat capiti ſuo, & erexit in titulum fundens oleum deſuper.* Nec præterire oportet vocem illam *mane*, quæ juxta phraſim hebraicam, vim primi diluculi tenet: quaſi diceret, valde mane; hæc eſt enim vis hebraicæ dictionis. quod ſi Jacob valde mane erexit, unxitque lapidem; oleum profectò ſecum deferebat. quia verò cap. 12. formam lenticulæ fuſè aperuimus ad explicandam viſionem Zachariæ prophetæ; & in viſione Candelabri, nec non etiam utenſilium omnium formas; nihil nobis in præſentiarum de lenticula dicendum ſupereſt, præter ea quæ ibi docuimus.

CAP. XLVI.

Alabaſtrum indigitatur, & Onyx unguentarius explicatur.

Ad locum cap. 7. Luc. *Et ecce mulier quæ erat in civitate peccatrix, attulit alabaſtrum unguenti.* Et ad plura loca.

QUAE hactenus pertractata ſunt de vaſculis unguentariis, ad alabaſtrinum vas explicandum nos impellunt: cujus miniſterio non tantum in domo Simonis Phariſæi, ſed etiam Bethaniæ bis Servatorem noſtrum unguento perfuſum fuiſſe legimus. Alabaſtrum quoque unguentarium, de quo agitur in novo teſtamento, explicantes, cornu quoque veteris teſtamenti, ſacri unguenti repoſitorium aperiemus. ex onyche enim & lapide alabaſtritæ vaſa hæc unguentaria conficiebantur. quamobrem juxta Dioſcoridem lib. 3. lapis alabiſtrites eſt idem quod onyx; & onyx unguentarius, idem quod alabaſtrum unguentarium. De onyche igitur unguentario cum primis agemus, acturi poſtmodum de unguentario alabaſtro.

Piſciculi cujuſdam genus onychem appellari affirmat Plinius lib. 37. cap. 11. ſed hæc non ſunt ad rem noſtram, nec ad vaſa unguentaria piſcium genera accommodantur. Lapidum genera magis deſerviunt noſtro inſtituto, deque lapidis genere *invenio*, inquit Plinius ibi cap. 10. *apud quoſdam oſtracium vocari, quod aliqui onychem vocant.* eſt autem oſtracium genus lapidis teſtacei. Nominis etymon, nec non etiam dignitatem lapidis, qui onyx dicebatur,

A oſtendit Iſidor. lib. 16. etym. cap. 8. dum, *Onyx appellata*, inquit, *quod habeat in ſe permixtum candorem in ſimilitudinem unguis humani.* Græci enim unguem ὄνυχα dicunt. hanc India & Arabia gignit. diſtant autem invicem, nam Indica igniculos habet albis cingentibus zonis. Arabica autem nigra eſt cum candidis zonis. Sed qua ratione nigra onyx cum humano ungue conveniat, non video. In Germania quoque onychem repertam, ſcribit Plin. lib. 37. cap. 7. & hoc apud Sudines. Hæc de dignitate onychis ſpectato illius natali ſolo attulimus. Verum adhuc digniora cenſeri debent hæc vaſa; ſi circa illorum materiam aliorum ſcriptorum ſpectetur ſenten-
B tia.

Eſt autem onyx juxta Dioſcoridem lib. 2. cap. 10. conchylii operculum, ſimile operculo purpuræ, quamobrem & purpuræ operculum onychem Galen. nominavit apud Cæl. lib. 8. cap. 11. & lib. 4. cap. 3. qui docet ex auctoritate Æginetæ conchylium ipſum, conchylion dictum, reperiri apud Indos in his paludibus, quæ nardum ferunt; ſuaviſſimoſque odores propterea ſpirare, quia nardo veſcitur. Hujus conchylii teſtam onychem dictam fuiſſe Cæl. lib. 8. cap. 11. ſcribit. Quæ omnia deſumpta ſunt ex Dioſcoride loco citato: ὄνυξ ἐςὶ πῶμα κογχύλιον, inquit, ὅμοιον τῷ τῆς πορφύρας, εὑρισκόμενον ἐν τῇ ἰνδίᾳ ταῖς ναρ-
C δοφόροις λίμναις, διὸ καὶ ἀρωματίζει γενομένων τῶν κογχυλίων τὴν νάρδον. Iſtud eſt: *Onyx eſt tegumentum conchylii ſimile purpuræ. reperitur in India in paludibus nardiferis*, hoc eſt in paludibus quæ nardum ferunt; *& ideò quæ fiunt ex conchyliis, fragrant nardum.* ita Dioſc. apud quem fortaſſe, illud idem conchylium dicitur, quod Plinio eſt piſciculi genus. Eſt etiam aliud genus lapidis Onychini, qui alabaſtrites dicitur, quod ex mineris orientalibus excavatur; ut habet Plin. lib. 37. cap. 10. qui affirmat alabaſtritem gemmam naſci in Thebe Ægypti, & in Damaſco Syriæ: cujus qualitates, & colores ſcribit, aſſerens prædictam gemmam, candoris interſtincti variis colori-
D bus eſſe. & lib. 36. cap. 8. *Onychen*, inquit, *aliqui alabaſtriten vocant.* hoc lapidis onychini genus, quod ex lapidicinis variis habebatur, ad varia opera excavatum arbitror. itaque ex hoc lapide columnas triginta, duorum pedum longitudine a ſeipſo viſas Cornelius Nepos retulit; tantaque in æſtimatione fuiſſe apud Romanos Onyches, ſcribit Plinius; ut pro miraculo inſigni, quatuor modicas columnas in theatro ſuo, Cornelius Balbus poſuerit. *Nos ampliores triginta vidimus*, inquit Plinius loco jam citato, *in cœnatione quam Calixtus (Cæſaris Claudii, libertorum*
E *potentia notus ſibi exædificaverat.* de onyche, quam inter gemmas recenſet Iſidorus, vaſa unguentaria facta, Plinius lib. 36. cap. 8. ſcribit: Nec ſolum ad vaſa unguentaria; verum etiam ad parandos annulos, veteres Orientales onyche utebantur: cujus rei plurima teſtimonia ex his, qui de gemmis ſcripſerunt cum afferri poſſent; ſufficiat tamen teſtis unus pro omnibus; & omni quidem exceptione major. Papinius noſter lib. 1. Sylvar. in Epithalamio Stellæ, & Violantillæ: ejuſdem Violantillæ ædium ornamenta, ſuperboſque apparatus hiſce verſibus deſcribens:

Digna Deæ ſedes, nitidis nec ſordet ab aſtris
Hic Cyhcus, Phrygiuſque ſilex. hic dura Laconum
F *Saxa virent, hic flexus Onyx, & concolor alto*
Vena mari, &c.

Flexum dicit onychem, quoniam in varia opera flectebatur, Domitius Commentator inquit, *in vaſa nimirum potoria, pedes lectorum ſellaſque, ut Nepos tradit. quamobrem miraculo fuiſſe maximo affirmat, cum Publius Lentulus Spinter amphoras ex eo, & urceos oſtendit Cadorum magnitudine.* At verius dictum puta-

taverim ego flexum onychem à flexu ejuſdem in an- A
nulos : quem uſum, ubi cuncta antiquitatis teſtimo-
nia deeſſent , B. Virginis annulus , omnium anti-
quiſſimus , Peruſiæ religioſe , pièque aſſervatus, ſuf-
ficientiſſimè probaſſet.

Hujus annuli hiſtoriam doctiſſimè , bono publico
natus Joannes Baptiſta Laurus Peruſinus , nunc à
Secreto S. D. Noſtri Urbani VIII. Cubiculo , & à
Secretis Sacri Collegii Illuſtriſſimorum DD. Cardi-
nalium , eſt proſequutus. Eloquentiſſimus is vir ,
cum hæc in noſtro auctographo aliquando legiſſet ,
ac probaſſet hæc quæ de annulo onychino , à nobis
nondum edito opere , dicebantur in quarto Sacro-
rum Elæochryſmatωn libro ; in ſuo de Annulo pro- B
nubo doctiſſimo opere transferre placuit. noſtro, ad
ea quæ dixerat confirmanda , infirmo ut uteretur te-
ſtimonio. Verum, cum ſuaſu doctiorum virorum, no-
ſtras lucubrationes publicare compulſi fuerimus, præ-
dicta de annulo hic reponenda duximus. Bene ſit vi-
ro , de re literaria plurimum merito!

Flexos autem lapides ad uſus annulorum , lapidei
quoque annuli oſtendunt , qui ex antiquis monu-
mentis in parietinis Urbis quotidie excavantur ; at-
que in uſum annuli , Papinianam onychem flexam ,
ut diximus , apertiſſimè probant. Pavimenta etiam
præſtantiſſima ex onyche in ſtructuris , ac ædificiis C
fieri ſolita à veteribus Lucan. lib. 1. docet , ubi de
convivio Cleopatræ agens , dixit :

totaque effuſus in aula
Calcabatur onyx.

Locus Martialis lib. 12. num. 50. apertè idem de-
monſtrat :

Calcatusque tuo ſub pede lucet onyx.

De his igitur operibus nihil ad nos , ſed de vaſis
onychinis agimus. Hæc autem vinaria fuiſſe tradit
Plin. lib. 36. cap. 7. *Potoriis primum vaſis* , inquit ,
inde factis , *dein pedibus lectorum* , *ſelliſque. Cornelius*
Nepos tradit fuiſſe magno miraculo , *cum P. Lentulus* D
Spinter amphoras , *ex eo* , ſupple onyche , *Chiorum*
magnitudine Cadorum oſtendiſſet. Athenæus quoque
lib. 11. cap. 13. ſcyphi onychini in uſum menſæ
meminit , auctoritate Poſidonii , dicentis : Παμφί-
λος ἐν Ἀττικαῖς λέξεσι τὸ ὀνύχινον ποτήριον ἀποδίδωσι
παναθηναϊκόν· Ποσειδώνιος ὁ φιλόσοφος ἐν ἕκτῃ, καὶ τρι-
ακοστῇ τῶν ἱστοριῶν οὕτω καλουμένων , τινῶν ποτηρίων μέμνη-
ται γράφων οὕτως· ἦσαν δὲ καὶ ὀνύχινοι , καὶ συνδέσεις τούτων
μέχρι δικοτύλων , καὶ παναθηναϊκὰ μέγιστα , τὰ μὲν δίχοα,
τὰ δὲ καὶ μείζονα· ita corrigendam lectionem hanc cen-
ſui ſatis antiquatam apud Dalecampium , & Caſau-
bonum. Senſus eſt : *Pamphilus in Atticis dixit* , *po-*
culum onychinum panathenaicum tradiderunt. Poſidonius E
Philoſophus in trigeſimoſexto hiſtoriarum , *quorumdam*
calicum qui ſic dicebantur, meminit, *ita ſcribens : Erant*
autem & pocula onychina , *& congeſta. hujus pars dua-*
rum cotylarum , ſupple capacia , *& panathenaica ma-*
xima , *alia quidem duorum congiorum* , *alia verò ma-*
jora. In his eiſdem vaſis minxiſſe Heliogabalum ,
ſcribit Lampridius : *Onus ventris auro excepit* , in-
quit , *in myrrhinis* , *& onychinis minxit.*

Unguentis verò dicata vaſcula onychina , com-
muni ferè veterum ſcriptorum conſenſu demonſtrare
poſſumus ; ut ſolius onychis nomen unguentarium
indigitaret vas. Favet noſtræ huic ſententiæ illud
Propertii lib. 3. F

Et crocino nares murrheus ungat onyx.

Nec deſunt alii plures ſcriptores , qui hoc paſſim
aperiunt. Mart. pluribus in locis , ita ad Papilum
lib. 7. num. 93.

Unguentum fuerat , quod onyx modo parva gerebat,
Olfecit poſtquam Papilus , ecce garum eſt.

Is etiam Poëta onychem appellat vas unguenta-
rium ; quod ampullam Coſmi alibi dixerat. hoc verò
lib. 11. Epigr. 50. ubi Phyllidæ meretriculæ mores
damnat ; quæ à petendo aliquid ab eo numquam ſa-
tis dicebat :

Nunc furtiva lucri fieri bombicina poſcit ,
Refertur Coſmi , *nunc mihi ſiccus onyx.*

Hæc à nobis ex Martiali, aliiſque ſcriptoribus ac-
cepta , perdifficilem locum Papinii declarant; illum-
que cum Martiali conciliant ; quem perdifficilem
locum Martialis de balneo onyche incruſtato Rade-
rus interpretatur : locus eſt lib. 5. Epig. 42. ubi de
excellentia , & ſuperbo apparatu thermarum Hetru-
ſci ſcribens , ait Poëta :

Hic Taygeti virent metalla ,
Quæ Phryx , & Lybis altius cæcidit ,
Et certant vario decore ſaxa ;
Siccos pinguis onyx anhelat æſtus.

Raderus , *Senſus eſt* , inquit : *Onyx pinguis* , *ſeu*
ſudans , *anhelat æſtus ſiccos* , *ideſt Solem perinde* , *ac*
ſi hominis more æſtu balnearum laboraret. Nec aliud hic
docet , niſi in thermis Hetruſci , etiam inter alia
marmora onychem reperiri. itaque de onyche lapide
ad uſum ſtructuræ thermarum , intelligendum putat
Martialem : quod etiam repetit lib. 12. nu. 50. Duo
verò ſunt quæ doctiſſimi Raderi expoſitionem infir-
mant , ſuſpectamque reddunt : primo Papinii elegia,
quæ thermis Hetruſci , illarumque thermarum ſtru-
cturæ onychinum marmor negat , dicens:

Mœret onyx longe , queriturque excluſus Ophites.

Cum enim de eiſdem Thermis , deque eodem
thermarum ædificio uterque Poëta ſcriberet ; fue-
rintque ambo contemporanei , Hetruſco quoque fa-
miliares , & has thermas utrumque frequentaſſe pro-
cul ſit ab omni dubio ; quinam fieri potuit , ut Papi-
nius neget, quod Martialis de illorum ſtructura affir-
mat ? Hæc enim Poëtarum ſcribendi varietas , ex-
poſitorum omnium animum torſit , ſuſpenſumque
dimiſit. Expoſitionem quoque Raderi debilitat vox
illa *pinguis*, quam habet Martialis ; nec enim ille ape-
ruit, cur pinguem onychem dixerit Poëta. quamobrem
nec rectè ſiccos æſtus, pro ſolares æſtus, nec pinguem
onychem , pro ſudans onyx , Raderum explicaſſe puto.

Illuſtrant verò loca Poëtarum , & ad concor-
diam eorundem diſcordiam redigere conantur aliqui;
quod uterque Poëta in laudibus ædificii profuſus ,
nulla habita ratione marmorum , pretioſiora in ony-
che , & ophite Martialis deſcripſerit ; per eorundem
marmorum negationem thermarum illarum magnifi-
centiam extollere voluerit Statius. *Illic*, ſupple apud
Martialem , *à copia marmorum* , ait Calderinus in
Statium : *Hic* , ſupple Statius , *à præſtantia laudat* ,
ſupple thermas. Quæ ſanè quam libentiſſimè admi-
ſiſſem , niſi ſingulariter unus genus marmoris appo-
ſuiſſet , quod alter negavit : atque uterque deſcri-
bere tentaſſet , quæ in ædificio & illarum therma-
rum ſtructura , ex magnificentia Hetruſci , propriis
viderat oculis.

Verum facillimè , ut puto , Poëtas conciliare
poſſemus ; ſi Martialis loquutus intelligatur de ony-
che unguentario ; de quo Plinius lib. 36. cap. 8.
Onychen , inquit , *alibi alabaſtriten vocant* , *quem ca-*
vant ad vaſa unguentaria. Hoc igitur genus marmo-
ris , quod unguentario uſui conceſſit Martialis , ab
ædificio thermarum , à porticibus , à columnis , à
pavimento , ab incruſtatura parietum ſummovit Pa-
pinius. Martialem verò de ungentario vaſe verba
feciſſe , aperit vox illa *pinguis*. Pinguem enim ony-
chem , hoc eſt vas unguentarium , dixit ratione un-
guenti. Quia verò in cella ſudatoria , de qua jam
ſupra

ſupra ſumus loquuti, aptius veteres ungebantur; quamobrem Celſus ait; *Sub veſte primum in balneo inſudare, ibi ungi, tum tranſire in calidarium*: Sudatoriique calor ſiccus erat; propterea Martialis dixit pinguem onychem, ideſt vas unguentarium, appetere ſiccos æſtus, ideſt ſiccos calores: ſudatoriam nimirum cellam, quæ ratione ornatus & decoris eximii, à quovis præſtantiſſimo, ac digniſſimo unguento expeti quodammodo videbatur. Loca igitur poëtarum inter ſe diſcordantia, hac ratione conciliari poſſe mihi videntur. De ſudatoria verò cella loquutum Martialem aperiunt, quæ ſtatim ſic infert:

Et flamma tenui calent Ophitæ,
Ritus ſi placeant tibi Laconum.

Laconicon enim dicebatur, ut jam alibi oſtendimus, cella, in qua aſſo & ſicco calore ſudabatur. Duo ſunt, quæ huic noſtræ expoſitioni, & concordiæ pugnare videntur: dictio nimirum *anhelat*, & *ophites* in his thermis à Martiali poſitus: qui pari ratione, ac onyx, à Statio excluditur. Dictio enim *anhelat*, expirare ſignificat ex communi interpretatione: ſed expetere, & ardenter cupere aliquid non reſpuit. Calepini omnes in dictione *Anhelo* affirmant: & in hac quoque ſignificatione voce illa utitur Cicero in Catil. dicens: *Catilinam furentem audacia, ſcelus anhelantem, peſtem patriæ nefariè molientem.* utitur eadem in ea ſignificatione Auguſt. ſerm. 14. de Sanct. dicens de Saulo, qui fuit Paulus: *Ibat ſpirans, & anhelans.* ſic etiam Gregor. Magnus hom. 12. in Evang. *Sunt namque plerique continentes*, inquit, *qui ab exteriori ſe appetitu cuſtodiunt, & ſpe ad interiora rapiuntur; carnem macerant, & toto deſiderio ad ſupernam patriam anhelant, æterna præmia expetunt.* Ex qua quidem dicendi phraſi à Martiali, anhelat, poſitum pro expetit, perſpicuum fit.

Sed ophitæ difficilior eſt cauſa; atque profundiori videtur egere indagine: cum hoc marmoris genus videatur negaſſe Statius ibidem dicens:

Mæret onyx longe, queriturque excluſus ophites.

Quod tamen admiſit Martialis, dicens:

Et flamma tenui calent Ophitæ.

Nec alia ratione conciliare hos noverim; niſi Martialem ibi loquutum de ſudatoria, lapide ophita incruſtata, ad caloris ſuavitatem, & in hujus cellæ deſcriptione ſtudium maximum poſuiſſe: Statium verò magis in balneariis, ac natatoriis cellis deſcribendis ſtuduiſſe; à quibus onyx, & ophita longè aberant. Hanc verò conciliationem ex contextu poëtarum expiſcari poſſe puto: nam Statius parum, vel nihil de Laconico ſcripſit: parum etiam Martialis de piſcinis earundem thermarum. Alii igitur doctiora afferant; nos ulterius nequaquam attingimus.

Ad onychem redeamus, cujus lapidis genus adeò accommodatum ad unguenta ſervanda ab unguentariis cenſebatur, ut præſtantia, & dignitas unguenti ſolius onychini vaſis vocabulo aperiretur. Quæ quidem vaſa quamvis fieri etiam ſolerent ex onyche, propriis ex fodinis excavato; præſtantiora tamen extitiſſe vaſcula onychina, quæ arte fictili componebantur, in dubium minimè revocabitur. Si enim loquamur de vaſis ex conchyliis his factis, de quibus ſupra cum Dioſcoride diximus, quæque nardo, ut vidimus, veſcebantur; profectò jam illa vaſcula à materia, ex qua conficiebantur, nardi ſpirabant odorem: quapropter etiam ad omnia unguentorum genera accommodatiſſima cum eſſent; ad nardinum certè unguentum ſervandum aptiora profectò cenſebantur: propterea enim vas onychinum nardino unguento paſſim jungitur; deque illo oda. 12. lib. 4. dixiſſe conſtat Horatium:

Nardi parvus onyx eliciet cadum.

Nec eſt quod miremur, veteres in parandis unguentariis vaſculis, adeò ſtudioſos extitiſſe; ut Indicas conchyliorum teſtas ad hæc advehi curarent; nam in poculis, fictilibusque quorum uſus erat in menſa, hoc ſtudium veteres poſuiſſe jam ſupra monſtravimus: multo magis igitur in quibuſcumque aliis fictilibus, quibus in balneis utebantur. Probat hoc illud Plutarchi in Alexandro de fictilibus, & vaſis balneatoriis Darii, cum ait: ὡς δὲ εἶδεν μὲν ὅλκια, καὶ κρωσσοὺς, καὶ πυέλους, καὶ ἀλαβάστρους, πάντα χρυσοῦ ἠσκημένα περιττῶς, ὠδεύδει ἢ θεσπέσιον, οἷον ὑπὸ ἀρωμάτων, καὶ μύρων ὁ οἶκος· hoc eſt: *Cæterum, ut vidit aquarum ductus, croſſos, pelves, & alabaſtros, cuncta auro lita exterius, & divinum ſpirabant odorem, ut domus ab aromatibus & unguentis.* vel ut Guarinus dicit: *Et velut unguenta, ac aromata divinum quemdam interius ſpirabant odorem.* Spirabant odorem interius aromaticum, dixit Plutarchus: non quidem quod ea vaſa unguento plena forent; non enim dixiſſet, *velut unguenta, ac aromata*: ſed quod mirabile erat, unguento vacua illa vaſcula, aromaticum ſpirare odorem; velut domus aromatifera, ſive aromataria officina; quia ex aromatum commixtione ea vaſa compacta erant. Aromaticum odorem interius ea vaſa ſpiraſſe, non exterius, dixit Plutarchus, quod hic auro lita, & tecta forent. Cum igitur aromatica voluptate adeò tenerentur veteres, ut hydrias, pelves, pocula, ampullas, & reliqua menſæ, ac balnei utenſilia, aromatibus componere ſtuderent; minimè mirum eſſe debet, quod etiam ſervandorum unguentorum, eorumdemque augendi odoris gratia, unguentaria quoque vaſcula, teſtis onychinis ex India allatis componi curarent.

Nihil de his vaſculis ex Indicis teſtis compoſitis, quod noverim, in ſacris literis veteris Teſtamenti habetur; ſed in novo tantum Teſtamento de alabaſtro meminit ſacer textus, de quo in capitulo ſequenti noſter erit ſermo. Formam onychis unguentarii ex antiquis monumentis non habeo; præſertim ſi nobis de onychinis ſit ſermo, quæ ex Indicis teſtis ad unguentorum uſum parabantur.

Minimæ extitiſſe magnitudinis vaſcula hæc onychina, quæ erant ad unguentorum uſum, ex monumentis antiquis perſpicuum videtur; quoties enim de onyche agitur, toties parvum vas dicitur. ita Horat. loco citato lib. 4. Oda 12. ubi cœnam ſymbolicam Virgilio unguentario inſtituit, ea conditione, ſi unguentum attulerit, dicens:

Nardo vina merebere,
Nardi parvus onyx eliciet cadum.

Cadum vini Horatius ſe in convivio daturum ſpondet, pro parvo onyche unguenti; quem propterea parvum dictum puto, quod parvula hæc vaſa, minimè grandiora haberentur. cum quo ſtat Martial. quoque ad Papilum lib. 7. epigr. 93. qui pariter parvum onychem appellat vas unguentarium, cui Papilus cum nares adhibuerat; ſuiſque naribus non ſolum unguentum, ſed etiam vas præſtantiſſimum, & odoratiſſimum infecerat adeò, ut unguentum in garum mutaverit; nec Indicæ teſtæ ſua natura nardum fragrantes, unguentorum ſuavitatem juverint.

Unguentum fuerat, quod Onyx modo parva gerebat,
Olfecit poſtquam Papilus, ecce garum eſt.

Lib. 10. Epigr. 48.

Parvus onyx una ponetur cœnula menſa.

Quem parvum onychem licet pro Salino accipiendum

dum dixerit Calderinus, falſo tamen id aſſeruit: verius pro vaſe unguentario accepiſſet, ſi illi occurriſſet unguenta dapibus, ac cœnis adhiberi; unguentorumque parvum onychem in menſa domeſtica: ut ex Horatio parum ſupra retulimus. Nec fuiſſet Radero, Griffio, atque aliis immutanda lectio *in his*, pro *Onyx*, cujus onychis Indicis parvula extitiſſe vaſa ob præſtantiam teſtarum Indicarum, ex quibus conficiebantur, ratio ipſa ſuadet. Majora his extitiſſe, quæ ex lapidicinis ad vina parabantur, loca jam ſupra allata ex Plinio, & Athenæo de columnis onychinis, & vaſculis cadorum magnitudine, quæ duas caperent cotylas & duos congios, manifeſtè aperiunt.

CAP. XLVII.

Alabaſtri unguentarii forma, & uſus illuſtrantur.

Ad locum Luc. 7. *Et ecce mulier attulit alabaſtrum unguenti.* Et ad alia.

ALABASTRUM Græca vox eſt, quæ cum ρ communiter græcè ſcribitur ſic ἀλάβαστρος, cum tamen ſine illa ſic ἀλάβαστος ſcribendum eſſet. λαμβάνεται δὲ τὸ ρ, inquit magnum Etymologicon, ἀλάβαστος οὖσα, interdum ſumitur in genere maſculino ἀλάβαστρος, interdum in genere neutro ἀλάβαστρον, quod etiam Pollux lib. 10. cap. 26. auctoritate Euphemii adnotavit, dicens: καὶ γὰρ Εὐφήμιος ἐν τοῖς στεφανηπλόκοισι τοῦτό μὲν σπαθίδα, τοὺς δὲ ἀλαβάστρους, ἀλαβάστρια εἴρηκε. hoc eſt. *Etenim Euphemius in coronatoribus hunc*, ſupple ſtrigilem σπαθίδα *appellavit*, ideſt tudiculam, *alabaſtros verò* generis maſculini, *alabaſtra dixit* in genere neutro. vox igitur illa, ſive ſit in genere maſculino, ſive in genere neutro, ſignificat, ut loquamur cum etymologico, λήκυθον λιθίνην πρὸς μύρων ἀπόθεσιν. hoc eſt, *Vnguentarium lapideum, ad reponendum unguenta.* Igitur pro eodem genere vaſis accipiuntur apud Heſychium, & Menandrum, ſive in genere maſculino, ſive neutro illæ voces accipiantur. quamobrem dictionem ἀλαβαστρίτης pro lapide alabaſtrino poſuit Athenæus lib. 5. ut nihil diſcriminis agnoviſſe auctores inter illas duas voces, jam apertè conſtet; ſive cum litera ρ, ſive ſine hac ſcribantur.

Argumento igitur ſumpto à forma ſcribendi vocem hanc ἀλάβαστος, ſine litera ρ, nonnulli vaſa hæc unguentaria ἀλάβαστρα dicta autumant, quod anſulis carerent. Quædam namque unguentaria vaſa anſulis caruiſſe certiſſimum eſt: id namque de lecytho tradidit Suidas, dicens: *Lecythus eſt vas lapideum carens anſulis.* quod de lecytho minimo non eſſet abs re credere: ni fortaſſe interpretis errore alabaſtrum fuiſſet dicendum, ubi ille lecythum dixit. Græcum id exemplar aperiret, cujus mihi non eſt copia. Alabaſtrinum verò vas eo nomine appellatum fuiſſe, Methodius docuit à dictione λαβέσθαι, quod eſt prehendere, ſive λαβὴ, quæ anſam ad aliquid apprehendendum ſignificat, cui ſi præponatur litera α privativa, fiet ἀλάβαστος, quaſi ſine anſa: & ab ea poſtmodum formatam dictionem ἀλάβαστρος tradunt alii; qua ſignificaretur vas illud unguentarium, de quo in Evangeliis fit mentio.

Verum ſive hac, ſive alia de ratione, eo nomine vaſa hæc unguentaria alabaſtra dicta fuerint: à vaſis forma, materiam lapidis, ex qua illa fieri conſueverant, Alabaſtriten nominatam putavit Cæl. lib. 24. cap. 25. alii à materia alabaſtrite, vaſa unguentaria nomen ſumpſiſſe dixerunt, ita Iſidor. lib. 2. etymol.


A qui ait: *Alabaſtrum eſt vas unguentarium à lapide ſui generis cognominatum, quem alabaſtriten vocant, qui incorrupta unguenta conſervat.*

Ex qua Iſidori doctrina, non tantum habemus alabaſtrum genus lapidis eſſe; verum etiam non materiam à forma vaſis dictam alabaſtritem fuiſſe; ſed vaſi à materia nomen inditum: quorum neutrum noſtra intereſt: dummodo alabaſtri materiam, ex qua unguentaria parabantur vaſcula, lapideam extitiſſe probatum maneat.

Quantæ verò præſtantiæ, ac dignitatis lapis alabaſtrites à veteribus cenſeretur, ex Plin. lib. 37. cap. 10. ſatis, me judice, monſtratur; inter gemmas
B enim alabaſtrinum quoque lapidem habet in numero cum Statio & Martiali. Pauſanias in Atticis de quodam lacunari verba faciens, auro & alabaſtro ornatum illud ſcripſit: cumque alabaſtrum auro in rebus ornandis jungatur; tacitè ſaltem alabaſtritæ præſtantia inſinuatur. Theocritus quoque citatur; qui vaſa hæc unguentaria, aurea alabaſtra dixit. vel quod auri maculis alabaſtrum Thebaicum conſpergeretur: vel denique, quod illud genus alabaſtri ſupra aurum æſtimaretur: aut tandem quod unguentaria alabaſtra in hominum opinione, quodcumque pretium excederent. Quamobrem Herodotus in Thalia, munera referens, quæ Cambyſes Rex ad Æthiopum Re-
C gem miſit, alabaſtri unguentarii quoque meminit: qui ſolo nomine excellentiam, præſtantiamque alabaſtrini, ſatis probaſſe videbatur. Ex ſacris addamus teſtem omni exceptione majorem; ut inconcuſſa alabaſtrini lapidis dignitas perſiſtat; is Lucas Evangeliſta ſit: qui acceſſum peccatricis mulieris ad Chriſti pedes ungendos referens cap. 7. ſatis, ut opinor, unguenti, & vaſculi excellentiam ſe monſtraſſe putavit, à materia vaſis argumento ſumpto, his verbis: *attulit alabaſtrum unguenti.* cujus etenim generis illud unguentum foret, non aperuit, excellentiam tantum & præſtantiam ex vaſe alabaſtrino ſe patefeciſſe exi-
D ſtimavit.

Materiam, nomenque unguentarii alabaſtri ab illius uſu argumento ſumpto, ſatis explicavimus; nos ad formam tranſire ratio poſtulat: quæ eo gratior ſtudioſis futura eſt, quo occultior. Cum enim paſſim à pictoribus, ſculptoribusque, Chriſtianis populis tabulæ exponantur, in quibus pietas peccatricis mulieris fidelibus contemplanda proponitur; in quibus lacrymarum imitandarum, culparum luendarum modus facilis & certus oſtenditur: vas quoque unguentarium alabaſtrinum exhibetur; non alterius, quam ex capite commentæ formæ. De hujus igitur vaſis alabaſtrini forma, dicere aliquid pergratum erit.
E quam quidem ſubodoratus eſt quidam lib. 3. antiquit. conviv. cap. 11. ubi de ea ſic loquitur: *Alabaſter vaſis unguentarii genus, longitudine faſtigiata in pleniorem orbem deſinens, ut ex Plinio conſtat, vel forma turbinata ſine anſulis, ut alii docent*: Verum unde acceperit non affert, neque Plinii locum tradit: at ſi divinare liceret, à magno Etymologico in dictione alabaſtron, hæc illum accepiſſe dicerem. nam in dictione ἀλάβαστρον ſic ibi ex auctoritate Methodii, σκεῦός τι ὀξυβελὲς ἢ μυροθήκη, *Vas quoddam acutum, & unguentarium vas.* & quia dictio ὀξυβελὲς ſignificat aliquid acutum ad modum pugionis, ſive mucronis, inde expiſcatur forma alabaſtrini vaſis,
F faſtigiatæ longitudinis, atque turbinatæ, ut tamen anſulis omnino careret: ſic enim dicitur ibi: λαμβάνεται δὲ τὸ ρ, ἀλάβαστος οὖσα. hoc eſt, *aſſumitur autem illud ρ, cum dicendum ſit alabaſtos:* & ratio aſſignatur infra his verbis: παρὰ τὸ λήβω μετὰ τοῦ στερητικοῦ ἄλφα, ἀλάβαστον, καὶ πλεονασμῷ τοῦ ρ, ἀλάβαστρον οὐ λαβέσθαι διὰ λειότητα ἀδύνατον. hoc eſt, *derivatur à verbo* λήβω, quod eſt accipio, *per appoſitionem* α *fit alabaſton, & per pleonaſmum* addita ρ, *fit ala-*

ſit alabaſtrum, quod non ſit apprehenſibilis propter levorem: ita ibi de forma alabaſtri unguentarii, quam nos hac icone delineandam, ac conſpiciendam dari curavimus, Figuris. A. B.



Hanc alabaſtri iconem nobis probatam ſcias, non tam auctoritate anonymi, aut Joannis Scapulæ in ſuo Dictionario græco, in dictione ἀλάβαστρον, quo vocabulo intelligit vas unguentarium ejus quam exhibuimus formæ; quam Methodii in etymologico relati: magis tamen auctoritate Plinii lib. 21. cap. 10. in eam alabaſtri formam ducor. Is enim de roſa agit, & roſeos corymbos his verbis deſcribit: *Germinat omnis*, ſupple roſa, *primo incluſa granoſo cortice. Quo mox intumeſcente, & in virides alabaſtros faſtigato, paulatim rubeſcens dehiſcit.* Roſeos corymbos, qua precor ratione, virides alabaſtros dixit Plinius? non quidem ex aliqua ſimilitudinis illorum ad alabaſtritem lapidem; ſed certè proportione eorumdem ad alabaſtrina vaſa. Stat etiam pro hac alabaſtri forma Juven. ſat. 6. ſuperbum ac vanum mulierum laſcivientium in uſu unionum, ac margaritarum ſpectandæ magnitudinis, dicens:

Cum virides gemmas collo circumdedit, & cum
Auribus extenſis magnos commiſit elenchos.

Elenchi autem nomine dicuntur apud Plinium proceriores margaritæ, quæ nequaquam in rotundum afformantur; ſed ad modum piri ex aliquo capite protrahuntur in turbinatam, faſtigiatamque pyramidem. ſic enim ait lib. 9. cap. 56. quod eſt de margaritis: *Et procerioribus*, ſupple margaritis, *ſua gratia eſt, elenchos appellant faſtigata longitudine, alabaſtrorum figura in pleniorem orbem deſinentes. Hos digitis ſuſpendere, & binos ac ternos auribus fœminarum gloria eſt.* Cumque hi uniones grandiores alabaſtrorum figuram tenere dicantur, illi verò ſint pyramidales, ac turbinati; turbinatam quoque, ac pyramidalem ſine anſulis, alabaſtri unguentarii formam extitiſſe neceſſe eſt. Ea propter ſuperam partem propoſitæ iconis, qua vas tegitur, in ſimilitudinem roſei corymbi formavimus, qui uniones in pirum efforment. ab imo nimirum inchoatum vas paulatim creſcens, ac ſurgens in acumen, formam pyramidalem non quadratam, ſed turbinatam retinendo: ut quoties quis ungi vellet, vaſe inverſo, ſublatoque inſtrumento metallico ſtriato ad modum cochleæ, quod torcular fortaſſe dici poſſet Latinè, & vernaculè, *la vite*, inde

A ſubtiliter ſtillans unguentum, quocumque vellet per corporis membra deferretur. aliud verò extremum, quod pleniori peripheria circumambiebatur; ſupera alabaſtri pars cenſeretur; à qua unguentum immittebatur, quoties vas unguento vacuum implendum fuiſſet: quo quidem impleto, cooperculo diligentiſſimè obſignabatur, ne unguenti odor aliquo pacto expirare poſſet. niſi forte velimus operculo alabaſtrum caruiſſe, eodemque foramine immiſſum, ſtillatumque unguentum. Quæ omnia in iconibus jam poſitis, intelligi poſſunt; in quibus & alabaſtrum clauſum, & apertum ſuis diſtinctum partibus exprimere ſtu-
B duimus.

Acceſſit tandem his noſtris laboribus, atque vigiliis, eruditiſſimi viri Hieronymi Aleandri diligentia; cujus laudes ſuburbicariæ regiones defenſæ in laudem Sedis Apoſtolicæ, monumentaque vetera explicata in publicum bonum, ubique in ævum prædicant. Huic ego viro cum ea, quæ de alabaſtri unguentarii icone commentus eram, communicaſſem; in Petri Ciacconii antiqua monumenta manu delineata, & apud Perilluſtrem, ac Reverendiſſimum Sacratum Comachienſem Epiſcopum aſſervata incidit, ibique delineatam iconem unguentarii vaſis, in eam quam diximus formam reperit: ab ipſo igitur monitus, cum Perilluſtrem ac Reverendiſſimum Domi-
C num Epiſcopum Sacratum conveniſſem, rogaſſemque de evolvendis Ciacconii antiquorum monumentorum voluminibus, in his agnovi unguentarium vas; illudque quam diligentiſſimè delineandum curavi precedenti icone, Fig. C. ut in bonum literariæ Reipublicæ poſteris unguentarii alabaſtri forma traderetur. Cui vaſculo ſic Ciacconius ibi ſcripſerat: *Pyxis unguentaria Romæ apud Joannem Franciſcum Garimbertum.* Cui de vaſis nomine quamvis minimè aſſentiar, negare tamen nequaquam licet, iſtud vas unguentarium extitiſſe; quin etiam ad Principis uſum. Hoc, me judice, indicat inſcriptio illa quæ in fundo vaſculi legitur: D. M. C. AVRELIVS IVCVN-
D DVS. AVG. VNCTOR. Conſueverant enim veteres, ut Myrothec. 5. dicemus, in ſepeliendis cadaveribus cariora defuncti, necnon etiam ſigna ejus, quam profeſſus fuerat artis, dum viveret claudere: conſuevere etiam, ut jam diximus, ſervos ad unctiones habere. Id unum fuiſſe vaſculi inſcriptio aperit; ac propterea ad lacrymas ſervandas in ſepulcro unguentario vaſe uſi parentes; illud idem manibus illius ſacravere: quod poſtmodum lucem vidit, ut nobis alabaſtrini vaſis forma fieret manifeſta.

Sunt viri doctiſſimi, qui putent hujuſmodi vaſa, unico tantum foramine in acumen excavata fuiſſe,
E ſubtiliſſima quidem diligentia; ita ut ſupera, & ampliori parte nullo tegeretur operculo, aut aliqua ratione aperiretur. Ægrè huic ſententiæ adhæreo: difficile enim unguenta infunderentur, aut effunderentur; niſi aliqua ratione aëri aditus præberetur. Præcluſo enim foramine ab unguenti influxu, ac effluxu, ut expirare nequeat; ſtare unguentum neceſſe eſt. quod, & aquæ contingit, (quamvis unguento quovis fluxibilior ſit) quoties aëri aditus, omni ex parte præcluditur. ni forte velimus, ubi in ſupra poſita icone lineola quædam conſpicitur, metallicum aliquod inſtrumentum extitiſſe, quo aëri patefacto aditu, unguento quoque cum reſpiratione
F influxus, & effluxus præberetur: cujus ſtillatitii fluxus mulier Evangelica, quæ in domo Simonis, Bethaniæ Servatorem ungebat, forte impatiens, vaſe fracto, ab unctione, quamprimum ſe expedivit: *Et fracto alabaſtro fudit ſuper caput ejus*, inquit Marcus Evangeliſta.

Alabaſtra ad vini uſum, veteres aliquando adhibuiſſe, apertè cognovimus ex Clem. Alexan. lib. 2.

Pædag. cap. 2. ubi mulierum laſcivientium damnat impudentiam, quod corporis membra denudare quam maximè ſtudeant, etiam in convivio cum bibunt; ut hac potiſſimum cauſa, ſpecialibus utantur poculis: quamobrem coactæ cervicem attollere, gutturis formam oſtentent; ideoque in alabaſtris bibere velint. ſic enim dicit: *Porrò autem mulieres id quod honeſtum eſt, ac decorum utique ſuſcipientes, ne labra latis calicibus diffundentes, dilatato ore diſrumpantur, admodum anguſtis in ore alabaſtris indecore bibentes, capita quidem reflectunt, colla autem, non, ut mihi quidem videtur, inhoneſte denudant, & jugulum extendentes potum ingurgitant, convivis ea quæ poſſunt, veluti denudantes.* Et parum infra de eiſdem meminit, dicens. *Neque verò alabaſtris bibere prohibuerimus, ſed ſtudere in iis ſolum bibere, ut ſuperbum & arrogans reſecamus.* Ex quibus uſus alabaſtri ad potum, liquido conſtat. Frequentius tamen ad unguenta uſos fuiſſe veteres alabaſtris; communis auctorum conſenſus demonſtrat. quinimò frequens uſus alabaſtrini lapidis, in unguentariis parandis vaſculis, fecit; ut ſolius alabaſtri nomine vas unguentarium intelligatur: quamobrem nullibi ferè alabaſtrum apud ſcriptores legere contingit, ubi de conviviis, de nuptiis, de balneis, de mulieribus, de muneribus, deque aliis hujus generis agitur; quin eo vocabulo, vas unguentarium intelligere quodammodo cogamur. Evangeliſtas quoque, nunquam unguenti ferè meminiſſe cognovimus, quin alabaſtri meminerint. Quamobrem adnotator ad Syriacum textum Evangelicum in dictione illa *ſciothiphtho*, quæ reſpondet dictioni *alabaſtrum* noſtri Codicis; ſemper tam Lucæ 7. quam Marci 14. illius Syriacæ vocis ſignificatum interpretatus eſt aliquando per hæc verba הוא כְּלִי לַשְׁמֶן *huh cheli laſcemen*, ideſt, *illud eſt vas unguentarium*, vel per hæc alia apud Joannem הוא בֵּית שְׁמֶן *huh beth ſcemen*, ideſt, *illud eſt domus unguenti.* Phraſi Syriaca, domum unguenti appellans, vas unguentarium.

Prophani quoque ſcriptores ſolo nomine alabaſtri, unguentarium vas ſignificari, admiſerunt. Philoſtr. enim lib. 3. de vita Appollonii, ubi agit de piſcatione margaritarum apud Indos, & Arabes Indo mari vicinos, unguento fuſo in mare, eos oſtrea piſcari tradidit, è quibus margaritæ habentur. *Indi ad oſtrea*, inquit, *capienda ingrediuntur ita inſtructi, paratique ſicut qui ſpongias colligunt. Eſt autem his*, ſupple qui piſcantur, *ferreus later, & alabaſtrum unguenti, atque ita prope oſtrea conſidentes Indi unguento quaſi eſca ad fallendum utuntur; illo namque perfuſa oſtrea ſeſe aperientia inebriantur.* hæc Philoſtratus: in quibus per alabaſtrum vas unguentarium intellexiſſe perſpicuum eſt. Græcis autem commune fuiſſe, alabaſtri ſolius vocabulo, unguentarium vas intelligere, ſcribit Cæl. lib. 27. cap. 27. Agathias quoque in Epigram. lib. 1. cap. 70. num. 2. Trojæ ruinam deplorans, ſolius alabaſtri nomine unguentarium vas intelligit, dicens:

πῆ παφίης ἀλάβαστρα, ἢ πάγχρυσος ἐφεστρίς.

Latinè diceres:

Ubi Veneris alabaſtra, & totæ aureæ veſtes?

Sed & Luciani Aſinus, referens mulierem quamdam, Venerem in ſe excitantem, unguentis uſam, ait: ἡ δὲ λύχνον ἔνδον ἔκαιε μέγαν τῷ πυρὶ λαμπόμενον, ἔπειτα ἀποδυσαμένη, παρέστη τῷ λύχνῳ γυμνὴ ὅλη, ἢ μύρον ἔκ τινος ἀλαβάστρου προχεαμένη, τούτῳ ἀλείφεται. hoc eſt: *Illa lumen intulit permagnum igni ſimile, exutaque veſte prope lumen ſtetit tota nuda, deinde ex alabaſtro proferens unguentum eo uncta eſt.* ubi quidem, ſolius alabaſtri nomine, vas unguentarium intelligere voluiſſe, perſpicuum eſt.

Uſus verò alabaſtri unguentarii inter pocula, nos auctoritate plurium oſtendimus, dum unguenta inter pocula monſtraremus, necnon etiam eorundem profuſum uſum & abuſum. Cum primis verò id monſtravimus ex Athenæo pluribus locis; ſingulariter verò lib. 15. cap. 10. ubi effuſam, & profuſam ſanè unguenti effuſionem refert in convivio quodam factam, dicens: περιενεγκόντων δὲ τῶν παίδων ἐν ἀλαβάστροις, ἢ ἄλλοις χρυσοῖς σκεύεσι μύρα. hoc eſt: *Circumferentibus autem pueris in alabaſtris, & aliis vaſculis aureis unguenta.* Similiter etiam cap. 13. ejuſdem libri prodigaliſſimi cujuſdam hominis unguentorum ſuperfluum uſum narrat, qui cum propter ſummam in unguentis luxuriam, non in alabaſtris unguenta convivis præbere ſoleret; ſed quatuor columbas diverſis perfuſas unguentis dimittere in triclinio; ut circumvolitantes veſtes, ſtrataque convivarum unguento perfunderent: alabaſtri, cum meminit, frequentem ſanè in tricliniis, & conviviis unguentarii alabaſtri uſum, apud homines ejus ſeculi aperit. Et quamvis nobis veterum ſcriptorum teſtimonia deeſſent; ſatis quidem apertè alabaſtri in convivio uſus Evangeliſtarum firmiſſimo teſtimonio aperiretur. Quoties enim Chriſtum Servatorem noſtrum convivio exceptum, & in convivio unguento perunctum illi tradiderunt; toties vaſe alabaſtrino, & unguento in eo ſervato id factum ſcripſerunt: tam Luc. cap. 7. quam Marc. cap. 14. & Matth. cap. 26. ut quanto amore Servator noſter ab illa muliere proſequeretur, declararent. Id verò non tam ex eo quod ipſamet ſuis manibus eum ungere voluerit, quam etiam ex præſtantia, & excellentia unguenti, quo ipſum perungebat: quam quidem unguenti præſtantiam, ſolius alabaſtrini vaſis nomine Evangeliſtæ declararunt.

CAP. XLVIII.

Sacrum unguentarium cornu explicatur.

UNGVENTARII alabaſtri icone propoſita, faſtigiatæ, turbinatæque formæ, ad cornu unguentarium veteris Teſtamenti nos ratio advocat: in quo quidem præſtantiora, ſanctioraque, ex divinis oraculis aſſervata unguenta, ex ſacris, diviniſque litteris perſpicuum eſt. certiſſimum igitur ſit vaſa, quæ unguentaria à nobis dicta fuere, & de quibus uſque modo loquuti ſumus; non ſemper ad unguenta, ſed ad alios quoque uſus, etiam ad potum adhibuiſſe veteres. Vidimus jam in ſuperioribus. nam inter inſtrumenta luſoria pyxidem recenſet Pollux lib. 10. cap. 40. Tabellam quoque, in qua ſcribi conſueverant antiqui πύξιον & πυξίδιον dictam, docet cap. 2. lib. 4. cum tamen pyxidem unguentarium vas fuiſſe, ſupra oſtenſum ſit. Idem de cyatho, deque lecytho, & lenticula ſæpè apud auctores videre licet. hoc idem contigiſſe alabaſtro, & croſſis, certiſſimum eſt ex eodem. minimè igitur mirum videbitur ſi cornibus idem contigiſſe conſtet; ut non ſolum olearium, ſed etiam potorium vas fuerit, ad pecuniam cuſtodiendam, ad menſuram liquidorum, necnon etiam & ad unguenta ſervanda, cornu frequens fuerit apud veteres uſus.

Cornu à curvore dici putat Varro de lingua Lat. *quod pleraque curvamus.* Fuit verò adeo frequens vocabuli hujus metaphoricus uſus in ſacris, prophaniſque literis ut ſit ad militiam tranſlatum, & cornua dicerentur exercitus, agmina hinc inde extenſa à media acie, ut Terent. in Eunuch. & alii paſſim.

Tu Simalio in ſiniſtrum cornu, tu Syriſce in dexterum.

Quod intorta ſint, ait. Iſid. lib. 9. cap. 3. extremæ quoque

quoque partes antennarum in navigiis cornua dicebantur *per tropum ab animali ad inanimale*, dicit Iſid. lib. 19. cap. 2. etiam & inſtrumenta ad canendum claſſicum, quæ tubæ dicuntur, cornua appellabantur. *Quod ea quæ nunc ſunt ex ære, tunc fiebant ex bubulo cornu*, inquit Varr. lib. 4. de ling. Lat. Sic etiam quæ erant Græcis, ac Latinis alabaſtra, divinis oraculis fuiſſe cornua ipſa alabaſtritæ vaſis forma; necnon etiam & ſacræ ubique clamant literæ.

Cornuum uſus in aſſervanda pecunia, antiqui probant nummi; ubi de congiario præſertim agitur. Unum habeo Hadriani; in quo, Conſule ſedente in eminentiori loco, alter è cornu nummos effundit in ſacculum alterius, qui illum apertum tenens, nummos excipit, cum ſubſcriptione liberalitatis Auguſtæ. Verum, frequentiſſimum in menſa cornuum uſum ad pocula, vini de cauſa perſpicuum eſt; vel ipſiuſmet poculi nomine teſte Athenæo lib. 11. cap. 8. confirmatur. hoc enim craterem, quaſi cerater, quod cornu interpretatur, dictum cenſet, ab eodem nomine vaſis genere vini & aquæ, κεράσαι dictum putat. ſic enim ait Athenæus: ὅτι δὲ τοῖς κέρασιν ἔπινον, δῆλον ἐκ τοῦ, καὶ μέχρι νῦν, λέγεσθαι, ὅταν συμμίσγωσι τῷ οἴνῳ τὸ ὕδωρ, κεράσαι φάσκοντες, καὶ τὸ ἀγγεῖον δὲ ἐν ᾧ κιρνᾶται ὁ οἶνος, κρατὴρ ἀπὸ τοῦ συγκιρνᾶσθαι ἐν αὐτῷ τὸ ὕδωρ, ἀπὸ τοῦ κέρατος, οἷον κερατὴρ, ἀπὸ τοῦ εἰς τὸ κέρας ἐγχεῖσθαι τὸ πόμα· διαμένει δὲ καὶ ἔτι νῦν ἡ τῶν κεράτων κατασκευή. ideſt: *Quoniam bibebant in cornibus, liquet hoc ex eo, quod adhuc dum aquam vino commiſcent, κεράσαι quaſi corneare dicunt, & vas in quo vinum miſcetur, crater dicitur à commiſcendo in illo aquam à voce κέρας, quaſi cerater, ab eo quod in cornu potio fundatur; manet autem & nunc quoque cornuum ad hunc uſum fabrica.* ita Athenæus. inde illud Anacreontis de Satyris, qui diſcumbentes, utut guſtarunt vinum, lac omnino repulerunt.

> Ἀνδροδαμάντ᾽ ἐπὴν θῆρες
> Δάσιν ῥιπὰν μελιηδέος οἴνου,
> Ἐασυμένως ἀπὸ μὲν λευκὸν γάλα
> Χερσὶ τραπέζαν ὤθεον
> Αὐτόματοι δ᾽ ἐξ
> Ἀργυρέων κεράτων πίνοντες ἐπλάζοντο.

Indomitas feras dixit interpres illorum carminum, quas ἀνδροδαμάντ᾽ dixerat Poëta. Sunt verò Satyri, qui hominis effigiem in ſuperiori retinent; reliquum autem corporis hircinum effingitur, ob luxuriæ vim; propterea enim vini ſuavitate captos dixit Poëta. ſic enim illa interpretantur:

> *Poſtquam indomitæ feræ*
> *Odorem perceperunt ſuavis vini,*
> *Concitati quidem, album lac*
> *Manibus repulerunt à menſa,*
> *Ipſoque ſtatim ultro vino ex*
> *Argenteis cornibus bibentes laſcivierunt.*

Sic etiam Lycurgus Rhetor in oratione ſua contra Demadem, tradit Philippum Regem cornu ſolitum iis præbibere, quos exciperet amicè & benignè. Xenophon quoque Paphlagones ſcribit, decumbentes in lectis ex palea, fronde, & gramine ſtratis cœnare, & cornibus potare ſolitos. Illud idem affirmat de Thracibus, & Sophocles in Pandora ait:

> Καὶ πλῆρες ἐκπίοντι χρύσεον κέρας,
> Τρίψει γέμοντα μαλθακῆς ὑπ᾽ ὠλένης.

ideſt,

> *Et plenum bibentes aureum cornu,*
> *Teret rurſus mollibus ſub ulnis.*

Qui cornuum uſus in compotationibus adeò invaluit, ut apud Athenæum ſcribitur, pluribuſque teſtimoniis probatur; ut ditiores quique non ſolum ſibi

A pocula aurea, & argentea in forma cornuum fieri curarent; ſed etiam bubulis cornibus labro æreo, vel aureo, vel argenteo exornatis, ad potum uterentur. Nec ſolum veterum ſcriptorum teſtimonio, ſed etiam antiquorum lapidum auctoritate oſtenditur; ubicumque triclinia, aut diſcubitus, inter veterum ædificiorum ruinas reperiuntur. Nam in pervetuſto triclinio marmoreo Patavino ex ædibus Rhamnuſianis, poſito à Mercuriali lib. 1. Gymnaſ. cap. 11. unus ex recumbentibus convivis, brachio extento ſuſtinet cornu potorium. Sunt quoque apud me alii pervetuſti lapides ex Romanis ruinis, & parietinis, in quibus uſus cornuum in compotationibus perſpicuè cernitur; & in hoc uſu alia plura poſſent afferri, quæ

B brevitatis cauſa omittuntur; ut ad oleum, & unguentum nos transferamus.

Etenim in vendendis oleis, hiſque pariter aſſervandis, cornibus veteres fuiſſe uſos, Horat. lib. 2. ſerm. ſat. 2. ſequentibus verſibus teſtatur. Invehitur enim in quemdam Avidienum, illiuſque avaritiam, atque ſordidum inſectatur vitæ genus cum primis in menſa, atque compotationibus, etiam feſtivis, de quo Poëta ait:

> *Ac niſi mutatum parcit diffundere vinum, &*
> *Cujus odorem olei nequeas perferre (licebit*
> *Ille repotia, nataleis, alioſve dierum*
> C *Feſtos albatus celebret) cornu ipſe bilibri*
> *Caulibus inſtillat veteris non parcus aceti.*

Dumque Poëta noſter cornu bilibris meminit; in eo tum vendi, tum aſſervari ſolitum oleum demonſtrat. Quod verò eodem vaſis genere unguenta aſſervarentur, vaſculaque ex auro, argento, onyche, alabaſtro, aut alia materia in forma cornuum ad horum uſum facienda veteres curarent; rationi, & uſui quammaximè accommodatum videtur, ex ea quam ſupra deſcripſimus forma alabaſtri unguentarii: quodque mulier Evangelica ad Chriſtum perungendum attulit. Nec deſunt prophani ſcriptores, qui uſum

D cornuum, unguentorum cauſa nobis aperiant. ſic enim Juvenalis Sat. 7. ait:

> *Sic Pedo conturbat, Matho deficit, exitus hic eſt*
> *Tongilli magno cum Rhinocerote lavari*
> *Qui ſolet, & vexat lutulenta balnea turbas.*

Sunt qui intelligant per Rhinocerotem, ſolium balneare; ſed falſo quidem, cum nulla ratione ex cornu Rhinocerotis balneum fieri poſſet. hi verò decipiuntur in dictione *lavari.* non enim poëta dixit, Tongillum in Rhinocerote lavari, *ſed cum Rhinocerote*, hoc eſt in balneo uti Rhinocerote. Quamobrem verius reliqui per Rhinocerotem vas olearium

E intelligunt, ut Calderinus, Bernardus Autumnus, Grangeus, & alii; & in Martiali Rader. quoque, & merito quidem; nam Martialis id expreſſe dixiſſe videtur lib. 14. num. 52. in quo diſtichon illud inſcribitur Guttus corneus, & ait:

> *Geſtavit modo fronte me juvencus;*
> *Verum Rhinocerota me putabas.*

Quamvis enim gutti uſus in miniſterio aquarum, menſis concederetur; non tamen in balneis concedendus videtur; in quibus neque quam guttatim, ſed effuſe miniſtratur aqua. quamobrem de gutto oleario Martialem intelligendum liquido conſtat. Ex quo

F etiam perſpicuum eſt, cornu formam tenuiſſe hoc vas, qua ratione Rhinocerota veriùs æſtimari potuit. hæc enim forma effuſioni, quæ guttatim fit, magis accommodata eſt. Hæc enim olearii vaſis, & unguentarii forma jam ex dictis capite præcedenti antiquorum monumentis, & auctoritatibus, perſpicua eſt.

His accedant teſtimonia etiam ſacrarum literarum: nam

nam 1. Reg. 16. Deus de ungendo David ad Samuelem dixit : *Imple cornu tuum oleo , & veni , mittam te ad Iſai Betlehemitem.* & 3. Reg. cap. 1. ad ungendum Salomonem cornu olei dicitur productum de Tabernaculo. *Sumpſitque Sadoch Sacerdos cornu olei de Tabernaculo , & unxit Salomonem.* hoc hebraicè קרן *keren* dicebatur, quod cornu , & radius quoque interpretatur. Quamobrem Pyramides, quæ in quatuor angulis Altaris ſancti ex Dei præſcripto erigebantur ; vel ut aliis placet , exterius protendebantur, ad inſtar quatuor radiorum , à forma turbinata , eodem vocabulo nominantur ; & cornua dicuntur. ut jam ſacra unguentaria vaſa, quibus in veteri Teſtamento Reges inaugurabantur ; & alabaſtra novi Teſtamenti, quo Rex noſter Chriſtus , à muliere unguento fuit unctus ; ejuſdem omnino formæ extitiſſe ſciamus. ac propterea idem alabaſtrum, quod cornu unguentarium ; & cornu unguentarium veteris Teſtamenti , idem cum alabaſtro novi Teſtamenti fuiſſe , conſtanter teneatur.

CAP. XLIX.

Cultus & unguenta pro muudo muliebri illuſtrantur.

Ad loca Eſther. cap. 2. *Expletis omnibus , quæ ad cultum muliebrem pertinebant , menſis duodecimus vertebatur.* Geneſ. 20. *Concluſerat enim Dominus omnem vulvam domus Abimelech propter Saram uxorem Abrahæ.* Iſai 3. *In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum , & lunulas , & torques , & monilia , & armillas , & mitras , & diſcriminalia.* Et ad alia.

OCEANI magnum ſpatium , atque immenſum in cultu & mundo muliebri ſulcandum ſuſcepimus. In dies enim illarum libidinem nova excogitaſſe ornamenta , ſacræ prophanæque literæ teſtantur. Tiraquellus in ſuo de lege connubiali opere, alphabeticè mulierum ornamenta numerare tentavit ; at incaſſum laborem ſuſcepit ; quod licet nobis pariter futurum intelligamus, haud ægrè feremus. Sacras enim literas explicandas ſuſcepimus : & noſtro hoc in opere , quæ his explicandis deſerviunt ex prophanis , teſtimonia afferentur. Nec enim ignoramus fuiſſe , qui diſcrimen agnoſcant , inter mundum muliebrem , & ornamentum mulierum ; inter quos Tertul. lib. de habitu mulieb. dixit: *Cultum dicimus , quem mundum muliebrem vocant , ornamentum quod immundum muliebrem convenit dici. Ille in auro , & argento , & gemmis , & veſtibus deputatur : iſte in cura capitis & cutis , & earum partium corporis, quæ oculos trahunt. Alteri ambitionis crimen intendimus ; alteri proſtitutionis.* Quibus eruditiſſimus Tertul. illud certè inter mundum , & cultum diſcrimen ſtatuit ; ut ornamentum muliebre de extrinſecis ornamentis , nimirum de veſtibus , & gemmis dicatur : cultus verò , ſive mundus muliebris de cultu cutis , capitis , & illarum partium , quæ corpus ipſum reſpiciunt, intelligatur. Tertulliano ſubſcribit Ulpian. in l. argumento, §. mundus , ff. de auro & argento legat. Dicit enim quod *mulier poteſt eſſe munda , non tamen ornata ; ut ſolet contingere in his , quæ ſe mundaverunt lotæ in balneo, neque ſe ornaverunt ; contra verò eſt aliqua ex ſomno ſtatim ornata , non tamen emundata. mundus muliebris eſt* , inquit , *quo mulier mundior fit.*

Nos aliis diſputatione hac relicta, utrumque confundimus ; mundique muliebris vocabulo , tam cultum, quam ornamentum ſignificari putamus. Quod autem mundi muliebris nomine , utrumque genus A cultus muliebris , tam intrinſeci , quam extrinſeci ſignificetur ; eſt Valerii Tribuni Plebis teſtimonium , huic noſtræ interpretationi accommodatiſſimum apud Liv. lib. 24 cum ait : *Munditiæ , ornatus , & cultus fœminarum inſignia ſunt ; his gaudent , & gloriantur ; hunc mundum muliebrem appellavere majores noſtri.* Et Beroald. in Comment. lib. 4. Apul. *Mundo muliebri* , inquit , *mundior fit fœmina , ſed ea quoque quibus ornatior fit ſignificantur.* nam ut ſcribit Plin. lib. 2. cap. 4. *Quod coſmon Græci , nomine ſuo ornamentum appellaverunt : eum nos à perfecta , abſolutaque elegantia , mundum vocamus. quod nihil ſit eo mundius , pulchrius , atque ornatius.* Feſtus etiam B Pompejus huic noſtræ interpretationi ſuffragatur , cum dixit : *Mundus etiam dicitur ornatus muliebris.* Uno igitur nomine utrumque amplecti perſpicuum eſt. In hoc tamen adeò avidæ , inſtabileſque fuere, ut diximus , mulieres ; ut numquam ſatis comptæ , nunquam abundè mundæ , nec ornatæ , nec cultæ ſibi videantur ; quapropter ſcientiſſimè ſcripſit Plaut. in Pœnulo , act. 1. ſcen. 2.

Negotii ſibi qui volet vim parare ,
Navem & mulierem , hæc duo comparato.
Nam nullæ magis res duæ plus negotii
Habent , forte ſi occeperis exornare.
C *Neque umquam ſatis hæ duæ res ornantur ,*
Neque eis ulla ornandi ſatis ſatietas eſt.

Seneca quoque in lib. quem inſcribit , in ſapien. vir. non cad. injur. cap. 14. Mulierem , impudens , ac ferum in ſe ornando animal , appellat , neque ornamentorum abundans. *Quid refert quod habeat lecticarios* , inquit , *quam oneratas aures , laxam ſellam ? æque impudens animal eſt , ac niſi ſcientia acceſſerit , ac multa eruditio , ferum, cupiditatum incontinens.* Inſaniam , publicum damnum, dixit M. Senec. lib. 2. in controv. 5. id quod ferociam alter Seneca dixerat. *Quid eſt quod uxorem dimiſeris ? numquid premit te oneroſa ſumptibus , & ut ſacculi mos* D *eſt ; in deterius luxu fluente ; muliebris ambitio , certamine mutuo , uſque in publica damna privatim inſanit.* A quo quidem damno immunes nequaquam erant Iſraëlitæ : ex ſacris hoc liquet literis ; quæ numquam ſatis dedignantur mulierum inſaniam , libidinemque in ſe comendo ; nec non etiam ſæpiſſimè ornamentorum meminerunt , quibus mulieres Hebrææ utebantur. & præterquam quod ex hoc libro Cantic. nec non ex Proverb. ſatis apertè id cognoſci poteſt ; audiatur quæſo locus Iſai. cap. 3. ubi Dominus commotus muliebrium ornamentorum ſuperfluitate ; ruinam , ac devaſtationem Hebræis prædicens , ornamentorum genera enumerat , quibus E tunc mulieres uti conſuevere , dicens. *In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum , & lunulas , & torques , & monilia , & armillas , & mitras , & diſcriminalia , & periſcelidas , & murenulas , & olfactoriola , & inaures , & annulos , & gemmas in fronte pendentes.* His Propheta illa ornamentorum genera recenſet ; quæ ad caput , collum , & ubera pertinebant ; denique meminit illorum quæ attinent ad reliquum corporis cultum , dicens. *Et mutatoria , & palliola , & linteamina , & acus , & ſpecula , & ſindones , & vittas , & theriſtra.* Sed & comminatus illis vaſtationem , unguenta indigitat, dicens. F *Et erit pro ſuavi odore fœtor , & pro zona funiculus , & pro criſpanti crine calvitium , &c.* Quibus equidem reprehenſionibus Judæarum mulierum in cultu , ornamentis , ac mundo muliebri vanitatem reprehendit. Ab extrema verò , infimaque corporis parte ſuam inchoat Propheta in mulieres reprehenſionem ; quod huic ornamenta minus deberentur ; atque propterea in pedibus ornandis gravius illæ peccarent : ornando nimirum calceos , illiſque lunulas argenteas ſu-

ſupponendo , quod & Romani nobiles tenuerunt , auctore Mart. lib. 2. ad Licin. cum proficiſceretur ad Hiſpanos. ſic enim ait lib. 1. num. 50.

Lunata nuſquam pellis , & nuſquam toga.

Hanc autem geſtabant ſub calceis , ut ſcribunt aliqui , ut poſt mortem Lunam ipſos habituros ſub pedibus indicarent. Plutarchus in quæſtion. dicit , fuiſſe hoc inſtitutum Evandri , & Arcadum ; qui cum à Luna ſe oriundos profiterentur , calcei figura , originem aperiebant. quorum inſtituta nobiliores etiam Romanorum ſequuti ſunt , ut ab Evandro , ipſi quoque originem trahere profiterentur ; quamobrem Juven. dixit :

Nobilis , & generoſus
Appoſitam nigræ lunam ſubtexit alutæ.

Verum à quo mulieres Hebrææ id acceperint ; & qua ratione lunulas calceis ſupponerent , me penitus latet. ad laſciviam id poſſet referri : eo enim laſcivia veterum pervenit , ut & ſoccis aurum ſupponerent , teſte Plauto in Bacchid. ubi ſermo eſt inter Nicobulum ſenem , & Chryſalum ſervum , de quodam Theotimo , de quo hæc Plautinus Nicobulus :

Sed dives eſtne iſte Theotimus? Ch. Etiam rogas?
Qui ſoccis habeat auro ſubpactum ſolum.

Torques , monilia , armillas , diſcriminalia , murenulas , inaures , annulos , gemmas in fronte pendentes , ſexcentaque alia recenſet Propheta , quæ ad ornamentum mulierum pertinebant ; quæ *ſolis auribus , locupletis domus cenſum gerebant* ; ut cum Seneca loquamur cap. 16. de vita beata. De quo etiam inaurium abuſu lib. 7. de Benefic. cap. 9. ait : *Video uniones non ſingulos , ſingulis auribus comparatos , jam enim exercitatæ aures oneri ferendo ſunt ; junguntur inter ſe , & inſuper alii aliis ſuperimponuntur. non ſatis muliebris inſania viros ſubjecerat ; niſi bina , ac terna patrimonia auribus ſingulis pependiſſent.* His addidere mulieres veſtimentorum ſtudium , quibus illa teguntur , quæ minimè tegi vellent. Propheta de his loquitur : *Mutatoria , palliola , linteamina , ſindones , vittæ , theriſtra* : quæ omnia , ut perdoctè Clem. lib. 2. Pædag. cap. 10. nihili mulierem valere oſtendunt. *Porro autem oportet* , inquit , *ut mihi quidem videtur , id quod tegitur ex tegumento oſtendere ſe eſſe eo melius ; ut templo imaginem , & corpore animam , & veſte corpus. nunc autem contra omnino , ſi corpus quidem earum venundetur , numquam mille drachmas Atticas invenerit , unam autem veſtem mille talentis ementes , ſe eſſe veſtibus inutiliores , & viliores arguunt.*

Nihil valere mulierem , non tam pretioſarum veſtium præſtantia , me judice , oſtendit ; quam crinium , capitiſque cura : in quo cum primis ornando totum poſuiſſe ſtudium mulieres , perſpicuum eſt. non enim vittis variis ſolum , ac gemmis exornare illud , variaque intortura crinium ſe comere ſtudent ; verum etiam unguentis variis illud undique perfundunt , quo fit , *ut ne ſua quidem tangant capita , ne capillos confundant permiſcentes ; quin etiam non ſine metu eas invadit ſonus , dum timent , ne texturæ figuram imprudentes ſpolient* , inquit Clem. lib. 3. Pædag. cap. 11. quem laborem omnino ſupervacaneum in ſua Pholoë demonſtrat Tibullus lib. 1. Eleg. 8. ipſam enim pulcherrimam , & abſque cultu ornatam oſtendens , mulierum in hoc genere cultum , & ſtudium recenſet ad rem noſtram , dicens :

Quid tibi nunc molles prodeſt coluiſſe capillos,
Sæpeque mutatas diſpoſuiſſe comas?
Quid fuco ſplendente comas ornare? quid ungues
Artificis docta ſubſecuiſſe manu?

A Ubi Tibullus de capillorum cultu , deque variata crinium colligatura meminit: unguentum etiam , quo mulieres caput perfundebant , & elegantiores apparerent , in numero habet : de quo etiam cultu Propert. lib. 5. Eleg. 2. ſuadens ſuæ Cinthiæ à fucata pulchritudine abſtinendum , unguenta ad crines minimè prætermiſit , dicens :

Aut quid Oronthea crines perfundere myrrha ,
Teque peregrinis vendere muneribus?

Sed & Sappho apud Ovid. ſeipſam laudans ; cum ab ornamentis , & fucata pulchritudine , juxta communem mulierum morem abſtineret : ab unguento B crines quoque abſtinuiſſe affirmat , dicens :

Non Arabo noſter rore capillus olet.

Hac fortaſſe de cauſa , ſancta illa peccatrix Euangelica ad meliorem frugem converſa , peccatorum pœnitens contemptum omnium ornamentorum , totiuſque mundi muliebris aperire volens ; ad Chriſti pedes , non aurum , non gemmas , non veſtes ſericas auro contextas , quibus procul dubio abundabat ; ſed attulit alabaſtrum unguenti nardini , attulit & comam capitis pulcherrimam : illo Servatoris noſtri pedes ungebat ; hac tergebat : ut hæc calcanda Chriſto exhiberet : & quæ primam ſedem in mun- C do muliebri habent , afferendo ad Servatoris pedes , omnia contempſiſſe cenſeretur. Earumdem pariter vanitatem in pretioſitate veſtium , & palliorum ſuppellectili , pro uſu illius ſeculi recenſuit Tibullus. ac denique ne pedes ſuo carerent ornamento , fibularum recordatur ad calceos conſtringendos , dicens :

Fruſtra jam veſtes , fruſtra mutantur amictus,
Anſaque compreſſos alligat arcta pedes.
Illa placet , quamvis inculto venerit ore ,
Nec nitidum tarda compſerit arte caput.

Ut omnia quæ ad cultum muliebrem attinent , D his breviter ille abſolvat ; quæ breviori explicuit ſententia ſacer textus in Eſther. cap. 2. dicens : *Cum autem veniſſet tempus ſingularum per ordinem puellarum , ut intrarent ad Regem expletis omnibus quæ ad cultum muliebrem pertinebant , menſis duodecimus vertebatur : ita dumtaxat ut ſex menſibus oleo ungerentur myrrhino ; & aliis ſex , quibuſdam pigmentis , & aromatibus uterentur.* Offendet fortaſſe aliquem , quod in libro Eſther , mulieres integrum annum in mundo muliebri inſumpſiſſe dicantur : ſed non eſt , quamobrem tantum temporis ſpatium quemquam offendat ; cum nobis negotium ſit cum mulieribus , deque illis ornandis : mulieres enim ornamentis numquam ſatiari E diximus. nam & pluribus in hac re conſumptis annis , numquam ſatis ſibi feciſſe arbitrabuntur ; quamobrem Terentius in Heauth. perpulchrè , ac ſatis peracutè damnavit temporis ſpatium , quod inutiliter mulieres in hac re inſumunt , dicendo :

Noſti mores mulierum ,
Dum moliuntur , dum comuntur , anus eſt.

Legunt alii *annus eſt* , reliqui videant. hoc pariter mulierum ſtudium , & fruſtra inſumptum temporis ſpatium , elegantiſſimè indicavit unico verbo Tibullus lib. 1. Eleg. 8. cum ait :

F *Nec nitidum tarda compſerit arte caput.*

Ubi ſatis quidem ingenioſè Poëta ad illam mulierum curam oſtendendam in nitido capite , id eſt ſplendido , unguentorum de cauſa , tardam artem adjunxit , temporis nimirum ſpatium , quod in pectendo crine , in colligandis capillis , in perungendo capite mulieres fruſtra inſumunt : tardam igitur appellavit artem Tibullus , quod annum Terentius ,

& textus ſacer ; atque propterea mirum in ſacra hiſtoria hoc eſſe non debet. Regi enim magno Aſſuero parabatur Sponſa. nam & de mulieribus , quæ ad ſacrificia parabantur apud Sybaritas, illud idem ſcripſit Athen. lib. 12. cap. 4. Συβαρῖται , inquit, ἐξωκείλαντες εἰς τρυφὴν , ἔγραψαν νόμον , τὰς γυναῖκας εἰς τὰς ἑορτὰς καλεῖν , καὶ τοὺς εἰς τὰς θυσίας καλοῦντας , πρὸ ἐνιαυτοῦ τὴν παρασκευὴν ποιεῖσθαι· ἵνα ἀξίως ποιούμενοι τοῦ χρόνου , τῶν θ' ἱματίων , καὶ τοῦ λοιποῦ κόσμου , παράγωσιν οὕτως εἰς τὰς κλήσεις. hoc eſt : *In delicias ſoluti Sybaritæ , legem ſanxerunt , ut mulieres ad feſta vocarentur* , inquit , *atque illis quæ vocabantur ad ſacrificia , oportebat per annum priorem , apparatum comparare , ut hoc apparatu pro ratione temporis , veſtiumque & reliqui mundi muliebris facto , eas in convictum adducerent.* Quod ſi dignitatem ſacrificiorum , & convivantium reſpicientes Sybaritæ , mulieribus annum in mundo muliebri inſumi volebant ; nemini erit quamobrem offendatur , quod mulieres Regibus nupturæ , annum in mundo muliebri inſumerent.

His , locus ex ſacra Geneſi , & quidem perdifficilis illuſtratur ; nemini , quod agnoverim , adhuc pervius. ſcribitur enim ibi cap. 20. Abimelech Regem Geraris juſſiſſe aſſumi ſibi in Regiam , Saram uxorem Abrahæ , quam dixerat is ſororem ſuam , ne pulchritudinis ejus cauſa occideretur : dicitur verò in fine capituli : *Concluſerat enim Dominus omnem vulvam domus Abimelech propter Saram uxorem Abrahæ.* Eaque ratione, cuncta quæ ad Abimelech pertinebant , Deus ſterilizaverat , ut nec ancillæ, neque illius uxor parerent. quia enim veteres illi felicitatem omnem in copia ac multitudine familiæ conſtituerant , ita pariter ſterilitatem ſummum malum putabant. Quamobrem Propheta Oſee peccata populi Iſraëlitici indignans , Deumque ut illa vindicaret deprecans , ad ſterilitatem ſeſe convertit , dicens : *Da eis ubera arentia , vulvam ſine liberis.* Verum in loco relato ex ſacra Geneſi ; qua ratione fieri potuit, ut Abimelech , & reliqui illius familiares , unico , vel altero dierum ſpatio agnoverint ſterilitatem ancillarum , uxoriſque Regis Abimelech ? non enim intelligi potuit, niſi anni ſaltem unius ſpatio , cum novem menſes mulieres conceptum ferant ; & partus nomine in ſacra Scriptura tam conceptus , quam natalis dies ſignificetur ; vulvaque concluſa ibi dicitur, tam ad concipiendum, quam ad edendum jam conceptum fœtum : ut mihi jam minimè in dubium revocare liceat ; toto eo tempore ancillas Abimelech, quæ conceperant , mortuos edidiſſe fœtus ; quæque nondum conceperant , ad conceptum inhabiles extitiſſe : cujus infortunii rationem attulit Deus , dicens : *En morieris propter mulierem quam tuliſti , habet enim virum.* Quamobrem Saram per annum commoratam in palatio Abimelech ; vel circa id tempus , liquido ex his conſtat : cum tamen Rex pulchritudine mulieris captus , per annum ab illius concubitu abſtinuerit , licet in regia jam Saræ locus eſſet. Nec mirum id videri debet, cum de regiis nuptiis ibi ageretur ; ad quas mulieres per anni ſpatium parabantur ; in mundo muliebri aromatibus, ac unguentis cutem expolientes : quod etiam Reginæ Eſther contigit , cujus pulchritudine quamvis Rex captus eſſet, ab ejus tamen concubitu per annum abſtinuit , ut juxta ſeculi conſuetudinem , thalamique Regii majeſtatem mundo muliebri pararetur. Nam & nunc quoque Hebræi per annum abſtinent ab his quas deſponderint puellas ; quamobrem Abimelech nequaquam pellicem , ſed ad legitimum torum nuptialem Saram im Regiam admiſiſſe certiſſimum ex his fiet.

A

C A P. L.

Smegmatum ad cutem expoliendam , ablutionum , ac unguentorum uſus penes mulieres explicatur.

Ad loca Eſther 2. *Ut ſex menſibus oleo ungerentur myrrhino , & aliis ſex , quibuſdam pigmentis.* Daniel 3. *Dixit ergo puellis , afferte mihi oleum , & ſmegmata , & oſtia pomarii claudite , ut laver.* Et ad alia plura.

B HAc libidine ſe comendi actas quoque mulieres Hebræas, atque Aſſyrias ab Abrami uſque ſeculo ex loco Geneſis allato nos ſatis agnoviſſe intelligo. Verum quiſnam fuerit proprius , ac germanus unguentorum , aromatumque uſus in mundo muliebri , enucleatius aperiendum remanet ; in lib. enim Eſther ſic legimus. *Cum autem veniſſet tempus ſingularum per ordinem puellarum , ut intrarent ad Regem ; expletis omnibus , quæ ad cultum muliebrem pertinebant , menſis duodecimus vertebatur , ita dumtaxat , ut ſex menſibus oleo ungerentur myrrhino , & aliis ſex , quibuſdam pigmentis , & aromatibus uterentur.* Hujus quidem cultus muliebris qualitatem , aromatum , &
C unguentorum uſum , ſacer textus nequaquam expreſſit ; ſed tantum *expletis omnibus , quæ ad cultum muliebrem pertinebant , dixit.* quæ verba his in hebraico textu reſpondent : מִקֵּץ הֱיוֹת לָהּ כְּדָת הַנָּשִׁים quæ ſi ad verbum interpretari velimus , ita dicendum erit : *A fine eſſendi illi ſecundum decretum mulierum.* hoc eſt : poſtquam ſecum (*ſcilicet cum Eſther*) juxta legem mulierum , quæ thalamum nuptialem Regium ingreſſuræ erant. ex ſeculi illius luxu intelligi hæc poſſunt ; vel de aliquo Regio decreto conſtituto pro puellis Regium torum ingreſſuris , jure Regni ſtatuto. forma non exprimitur in noſtro vulgato interprete : non ita textus hebraicus , ſubdit enim ,
D כִּי כֵּן יִמְלְאוּ יְמֵי מְרוּקִים quæ ſic interpretari poſſunt : *Quoniam ſic implebantur dies abſterſionum illarum.* qua ratione verò fieret hæc abſterſio aperiens , ſubditur in textu : *Ita dumtaxat , ut ſex menſibus oleo ungerentur myrrhino , & aliis ſex , quibuſdam pigmentis , & aromatibus uterentur.*

Ut autem omnis in interpretationibus ſacrarum litterarum ambiguitas auferatur , non erit, me judice, hujus loci interpretatio probanda , quam habet Vatabl. *Sic abſolvebantur dies quibus ſe comebant.* nam hæc vox , cultum tantum , & ornamentum capitis reſpicit : quia verbum *como* , *comis* , ſignificat pectendo crinem , aut aliqua alia ratione , comam co-
E lere, ac ornare. quamobrem Tibullus eo uſus verbo lib. 1. Eleg. 8. inquit :

Nec nitidum tarda compſerit arte caput.

Dictio quoque hebraica מְרוּקִים à radice מָרַק formata ; quæ abſtergere , ſeu fricare ſignificat , de coma , & capillatura , (ſi rectè tantum , ac propriè accipi debet) nequaquam dici poſſe perſpicuum eſt. Capitis enim ornamentum in lotione , atque ſordium abſterſione , nequaquam ponitur ; ſed *in tortis crinibus* , ut loquamur cum Divo Petro. Ad comam pariter componendam , duodecim menſium ſpatium requiri , quis aſſerere audeat ? Legem quoque ju-
F bentem mulierem annum inſumere debere in ſe pectendo , quis non irrideret ? ea propter illam pariter interpretationem quiſque irrideat , neceſſe eſt.

Neque magis probanda erit interpretatio , quam habet Sanctes Pagninus , & Vatablus in adnotationibus ad prædictum locum , habent enim , *& ſic explebant dies purificationis ſuæ :* nimirum quo mulieres ſe purificare ſolebant. nam ſi ſermonem hic eſſe velint

A lint de purificationibus legalibus à menſtruis, profluvio ſanguinis, vel ab aliis legalibus immunditiis, quis illos cachinnis non excipiat? Purificationes enim iſtæ juxta ritum Hebræorum, ſingulo quoque menſe perſolvebantur; & tunc purificabantur, cum ad ſancta accedendum illis fuiſſet. at in textu duodecim menſium ſpatio iſta perſolvenda fuiſſe dicuntur. Præterquam quod Eſther, genus ſuum hebraicum Regi ſubticuiſſe aſſeritur: neque enim Rex ipſe Aſſuerus Iſraëlita fuit; quamobrem Eſther purificationibus legalibus operam dare non valuit; ne ſuum aperiret genus. neque ex Regis decreto purificationes ex inſtituto Moſaïcæ legis mandari potuerunt, ut de his locus ſit interpretandus.

B Magis verò mihi arridet interpretari, *dies abſterſionum*, quam interpretationem habet Arias Montanus: accommodatiſſima denique illa, quæ habet, *dies cultus*, vel *dies cultus muliebris*, vel *dies mundi muliebris*. Quamobrem & interpres Vatabli dictionem תמרוקי inferius à loco citato poſitam, quam noſter Interpres per dictionem *pigmentis* vertit, & venit ab eadem radice מרק interpretatus eſt per mundum muliebrem, dicens: *Et ſex menſibus odoribus, & mundo muliebri, &c.* Hæc enim interpretatio energiam illius dictionis תמרוקי maximè explicat. unico enim verbo illa complectitur omnia, quibus ſponſæ ad Regium thalamum præparabantur: ſive de C ornamento veſtium, ſive capitis, ſive faciei, totiuſque corporis ſermo fuerit; quod tam fuco, & ſtibio, quam unguentis, & oleis odoratis, una cum gemmis, & margaritis, nec non etiam ablutionibus fiebat de more mulierum veteris ſeculi, tam apud Hebræos, quam Græcos.

Quamobrem Homerus lib. 14. Iliad. Junonem ſe ſummo ſtudio ornantem ſcribit, ut elegantia ſpeciei Jovem capiat. Trojanis enim, ac Græcis præliantibus, contendebat ipſa Jovem in Trojanos concitare. primum igitur ſe abluiſſe, ac aromatibus corpus à ſordibus cunctis clauſo cubiculi oſtio purgaſſe ſcri- D bit: oleo denique ſe totam perfudiſſe; cujus odore cœlum, terramque ubique ſuavitate perfuſam affirmat. capitis ornamentis in variata capillorum textura, pectinatione, reticulis, inauribus ſumma arte elaboratis non omiſſis ab Homerica Junone, pretioſiſſima veſte induitur. utque nihil deſit, quod ad ornandum reliquum corporis conducat, veſtem fibulis aureis ſupra pectus obſtringit, præcingitque cingulo centum fibris, ac gemmis conſperſo: his addit calceos, ut nihil relinqueret Homerus in ornamento Junonis, ex his quæ ad mundum muliebrem, de more illius ætatis, ſpectabant. de quibus ita E ille:

Βῆ δ' μὲν εἰς θάλαμον, τόν οἱ φίλος υἱὸς ἔτευξεν
Ἥφαιστος, πυκινὰς δὲ θύρας σαθμοῖσιν ἐπῆρσε
Κληῖδι κρυπτῇ τὴν δ' οὐ θεὸς ἄλλος ἀνῷγεν·
Ἔνθ' ἥγ' εἰσελθοῦσα θύρας ἐπέθηκε φαεινάς·
Ἀμβροσίῃ μὲν πρῶτον ἀπὸ χροὸς ἱμερόεντος
Λύματα πάντα κάθηρεν, ἀλείψατο δὲ λίπ' ἐλαίῳ,
Ἀμβροσίῳ, ἑδανῷ, τό ῥα οἱ τεθυωμένον ἦεν.
Τοῦ, καὶ κινυμένοιο διὸς ποτὶ χαλκοβατὲς δῶ
Ἔμπης ἐς γαῖάν τε, καὶ οὐρανὸν ἵκετ' ἀϋτμή,
Τῷ ῥ' ἥγε χρόα καλὸν ἀλειψαμένη, ἰδὲ χαίτας
Πεξαμένη, χερσὶ πλοκάμους ἔπλεξε φαεινοὺς,
F Καλοὺς, ἀμβροσίους ἐκ κράατος ἀθανάτοιο·

Hæc Homerus, quæ ad verbum reddita ab Andræa Juſtinopolitano, & aliis; ut infra erunt interpretanda. non enim tanta eſt apud me linguæ Græcæ cognitio, ut valeam Homerum, alioſque Græcorum poëtas interpretari: quamobrem non me pudet ignorata fateri, & ab aliis diſcere, quæ didiciſſe hominem ornant.

Perrexit autem ire in thalamum, quem ei carus filius
fecerat
Vulcanus, ſolidas autem januas poſtibus aptaverat
Clavi arcana, quam nec Deus alius aperuiſſet.
Illuc hæc ingreſſa januas clauſit fulgentes:
Ambroſia quidem primum à corpore amabili
Sordes omnes purgavit; inuncta eſt autem pingui oleo
Divino, ſuavi, quod quidem ei odoriferum erat;
Hujus, & agitati Jovis ad ſolidam domum,
Tamen in terramque & cœlum pervenit odor,
Eo hæc ſanè corpus pulchrum ungens, & crines
Pectens, manibus capillos nexuit fulgidos,
Pulchros, divinos ex capite immortali.

Hunc ipſum unguentorum, ablutionum, aromatumque ad abſtergendum corpora uſum, fuiſſe etiam apud ſanctas mulieres, efficaciſſimè probat vis dictionis תמרוקי hebraici exemplaris in loco jam à nobis allato ex cap. 2. Eſther, quæ à verbo מרק venit, & ſignificat abſtergere. Teſtatur id quoque Spiritus ſanctus pluribus in locis. nam Ruth cap. 3. Noëmi Ruth conſulit; qua ratione ſibi de viro provideat, dicens: *Lavare & ungere, & induere cultioribus veſtimentis.* Pariter & in lib. Judith. cap. 10. ſanctiſſima æquè, ac caſtiſſima fœmina periculoſum illud certamen cum Holoferne initura, illumque cum ad necem novò certandi genere aggredi, proſtrareque vellet; ablutione, unguentis, ac veſtimentorum pretioſitate ad certamen ſe apparaſſe ſcribitur. *Abſtulit à ſe cilicium*, inquit textus, *& exuit ſe veſtimentis viduitatis, & lavit corpus ſuum, & unxit ſe myrrho optimo, & diſcriminavit crinem capitis ſui.* His enim armis captus Holofernes, ſuæ in Deum nequitiæ pœnas capite dedit. Daniel quoque cap. 13. Suſannæ hiſtoriam ſcribens, ingreſſam pomarium illam ſcribit, abluendi, abſtergendi, atque ſe ungendi cauſa, dicens: *Dixit ergo puellis, afferte mihi oleum, & ſmegmata, & oſtia pomarii claudite, ut laver:* ubi obſerva, precor, amice lector, Danielem meminiſſe olei ad corpus ungendum poſt abſterſionem, & fricationem, quæ ſmegmatibus ad corpus emundandum à ſordibus fieri mos erat: quemadmodum etiam Sponſa in Canticis ad Sponſum dicebat. *Exui me tunica mea, quomodo induar illa? lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Et ne unguenta his deeſſent, ſubintulit: *Manus mea diſtillaverunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatiſſima.* Hæc verò omnia in tanta clauſura, ut nec vi Sponſus portam reſerare potuerit. Quæ loca quam præclarè reſpondeant Homero, ubi ſupra perſpicuum eſt; nam ablutionis, olei ad unctionem corporis, aromatum ad uſum abſterſionum, meminit Spiritus ſanctus in Canticis, & Daniel; de iiſdem omnino meminit Homerus in ſua Junone: nec aliter differunt, niſi quod hæc utitur unguentis, & reliquo mundo muliebri, ut Jovem decipiat: illæ verò ex lege, ut Deo, viroque placeant.

Nec erit aliqua ratione prætereundum tam apud Homerum, quam etiam Danielem, Suſannam, atque Junonem, non ab aliqua alia muliere, ſed ſibimetipſis unguenta, aromata, & aquam miniſtraſſe. hanc thalamo primum clauſo, illas verò pomarii, atque cubiculi oſtio prius firmato, ne cuiquam patere poſſent, οὐ δὲ θεῷ ἄλλῳ *nec etiam alteri deitati*, dixit Homerus. Cum tamen Romanarum mulierum luxus eo perveniſſet, ut non ſolum ciniflones adhiberent, ac cinerarios, qui acu & verutis calefactis crinibus criſpandis operam darent (De his fœminis mollioribus Plaut. in Aulular. act. 3. ſcen. 5.) ſic appellati à flando in carbonibus, ut inſtrumenta criſpationis calerent: habuerunt etiam mulieres ornatrices, de quibus lib. 65. in Ornatrices. ff. de legatis tertio,

pro

pro quibus etiam ſtat lapis vetus apud Gruterum DLXXIX. cum hac inſcriptione:

CINERIBVS. HAMILLAE
ALPIONIAE. QVINTAE
ORNATRICI
FESTVS Hic ponitur M. SEPTIMI
GALLI ſpeculum. DISPEN
CONTVBERNALI. B. M. FECIT
ET SIBI

Dicebantur verò ornatrices à ſtudio ornandi capita mulierum, quæ mundo ſtuderent ſupra decorem, ac fœmineam modeſtiam. Græcè dicebantur à mundo muliebri *κοσμώτριαι*, ſive etiam *κοσμήτριαι*, de quibus Juven. Græco retento vocabulo, dixit Satyr. 6.

Ponunt
Coſmetæ tunicas.

Nec unam, aut alteram adhibuiſſe mulieribus ſat erat: niſi artifices ad ungues ſcindendos, aptandos, æquè diſponendos etiam addidiſſent, de quibus Tibullus jam ſupra allatus, ait:

Quid ungues
Artificis docta ſubſecuiſſe manu?

De quibus artificibus Petronium loquutum arbitror, cum de pueris, quos Alexandrinos vocabant, dixit quod paronychia cum ingenti ſubtilitate tollerent. & de his etiam fortaſſe loquutus eſt Juvenal. Satyr. 2. vanam illius ſeculi mollitiem deſcribens per hæc verba:

Ille ſupercilium madida fuligine tinctum,
Obliqua producit acu, pingitque trementeis
Attollens oculos.

Quibus denique Romanæ mulieres non verebantur addere ornamentorum conſultrices, ut videre eſt in Moſtellaria Plauti act. 1. ſcen. 3. in qua Scapha conſulitur à Philematio de cultu, & ſtatu capitis.

Phil. *Suo quique loco viden' capillus ſatis compoſitu'ſt commode?*

Scap. *Ubi tu commoda es, capillum commodum eſſe, credito.*

Adeoque cupiditas ſe ornandi mulieres invaſerat; ut non unam tantum, aut alteram adhiberent ornamentorum conſiliatrices, ſed plures; quod meritò Juven. Satyr. 6. damnat in hæc verba:

Eſt in conſilio matrona, admotaque lanis
Emerita quæ ceſſat acu: ſententia prima
Hujus erit: poſt hanc ætate, atque arte minores
Cenſebunt, tamquam famæ diſcrimen agatur,
Aut animæ: tanta eſt quærendi cura decoris.

Non ita mulieribus ſacris accidiſſe putandum eſt, ut tanto luxu defluerent. Suſannam enim caſtiſſimam, ſimulque honeſtiſſimam fœminam, ſolam inter pomarii clauſtra ſe laviſſe, perſpicuum eſt ex ſacris oraculis, quæ teſtantur illud idem de Bethſabea nobiliſſima fœmina: non enim aliquam adduxerat ſuæ nuditatis teſtem; cum captus David ſcribitur. *Sed vidit* ſupple Rex, *mulierem lavantem ſe*, dicitur in textu.

Reliquum eſt, qua de cauſa ſiccis, atque pulverizatis aromatibus uterentur, videre; quæ pigmenta dicuntur in cap. 2. Eſther, quorum uſus erat ad ſordes abſtergendas, & voce *ἀμβροσίας* ab Homero ſignificantur, dicente loco jam allato:

Ἀμβροσίῃ μὲν πρῶτον ἀπὸ χροὸς ἱμερόεντος
Λύματα πάντα κάθηρεν.

Quam vocem *ἀμβροσίῃ* aliqui *ambroſiam* interpretantur; alii *immortalitatem* vertunt: ſed melius obſervat Euſtath. Homeri fideliſſimus interpres ſignificari aromata ſuaviſſimè olentia, quibus ſordes à corporibus auferebantur. Quæ quidem aromatum ge-

A nera, propria græcaque voce ſmegmata dicebantur. Nam rectè quidem obſervaſſe nonnullos puto, ſmegma derivari à verbo græco *σμήχω*, quod eſt abſtergo, extergo, detergo, & ſmegma id omne vocatur, quod purgat, abſtergit, & emaculat, unde Suidas inquit, *σμῆγμα καθαρτικὸν καὶ ἀποσμῆχον*, ideſt, *Smegma, quod eſt purgativum, & abſterſivum.* Et cum frequens ſit hæc dictio apud Plinium, vocabulo generali ſemper accipitur, pro medicamento, quod valet ad faciem emaculandam, & ad abſtergendum corporum dehoneſtamenta: quamobrem Medici hoc nomine appellant pulveres ſiccos aromatum, qui jaciebantur in cute jam lota, ſed non uncta, ad
B illam expoliendam, ac emaculandam, ut poſtea ungeretur, atque perfricaretur. Hæc ſmegmata Suſannæ ad uſum fuiſſe, Daniel ſcribit. dicit enim ancillis Suſanna, *Afferte mihi oleum & ſmegmata.* Mulieres ſmegmatibus utebantur in balneo; ut his pulveribus aſperſæ, cutem manu purificante, ſordes tollerentur; cutiſque ante unctionem expoliretur; propterea que dixiſſe Sponſam in Canticis: *Digiti mei pleni myrrha probatiſſima.* In quo ſanè aromatum uſu, ſeu verius abuſu, quam profuſæ fuerint mulieres laſciviores, nobis auctor eſt Plutarch. in Demetrio, cujus flagitia, & ſcelera libidinoſa dum memorat; illud unum cum primis Athenienſibus doluiſſe tra-
C dit; quod ingentem pecuniæ ſummam à populo exactam, meretricibus ſuis ad ſmegmata dari juſſerit. de quo ſic Plutarchus: *ἐκεῖνο μάλιστα λέγεται λυπῆσαι τοὺς Ἀθηναίους, ὅτι διακόσια, καὶ πεντήκοντα τάλαντα πορίσαι ταχὺ, καὶ δοῦναι προσταχθὲν αὐτοῖς, καὶ τῆς εἰσπράξεως συντόμου, καὶ ἀπαραιτήτου γινομένης, ἰδὼν ἠθροισμένον τὸ ἀργύριον, ἐκέλευσε, Λαμίᾳ, καὶ ταῖς περὶ αὐτὴν ἑταίραις εἰς σμῆγμα δοθῆναι.* ideſt, *Illud potiſſimum momordiſſe ferunt Athenienſes, quod cum ducenta quinquaginta talenta ipſis propere imperata à Demetrio fuiſſent, præcipitataque exactio, & acerbè exercita; ubi coactum argentum vidit, Lamiæ juſſit id, cæteriſque meretricibus, quæ circa eam erant, ad ſmegma*
D *præberi.* hæc Plutarchus, cujus pecuniæ ſumma, ſi ad monetam noſtram redigatur, fortaſſe attinget ſummam, quæ vulgariter dicitur. *un millione, e mezo;* ex qua pecuniarum ſumma, impietas Demetrii, ſimul & luxus quoque mulierum in uſu ſmegmatum nobis apertiſſimus fiet. Hæc eadem fuiſſe in uſum Eſtheris, vis hebraicæ dictionis מְרוּקֵי, & alia תַּמְרוּקֵי, quæ pigmenta interpretantur à noſtro vulgato, apertè demonſtrant: componuntur enim dictiones illæ ex verbo מָרַק, & voce רָקַח, quarum prior abſtergere ſignificat; altera aromatizare interpretatur: adeò ut מְרוּקֵי idem ſit, quod aroma odoratum pulverizatum ad abſtergendum ſordes; & il-
E lud idem ſit hebræis מְרוּקֵי quod Græcis, ac Latinis ſmegmata: quorum uſum Græcos ab Hebræis accepiſſe, ipſa ſaltem antiquitatis ratio demonſtrat, ac ſuadet.

CAP. LI.

Mari amaraci, myrrhique uſus unguentarius in mundo muliebri Eſtheris non improbatur.

Ad loca Eſther. cap. 2. *Ut ſex menſibus ungerentur*
F *oleo myrrhino.* Cant. 1. *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi.* Proverb. 7. *Aſperſi cubile meum myrrha, & aloe, & cinnamomo.* Pſal. 44. *Myrrha, & gutta, & caſia à veſtimentis.* Et ad alia plura loca.

REGIVS mulierum apparatus ad nuptias Aſſueri, de quo in cap. 2. Eſther. varia aromatum, & unguentorum muliebrium genera, nos

nos aperire compellit: dicitur enim in ſacro textu, *quod ſex menſibus oleo ungerentur myrrhino, & aliis ſex quibuſdam pigmentis, & aromatibus.* cui uſui pigmenta, & aromata deſervirent, agnovimus. quo genere unguenti uterentur, videndum remanet: quod enim oleum myrrhinum noſter interpres dixit שֶׁמֶן הַמּוֹר *ſcemen hamor*, hebraicus textus ſcripſit. Hujus dictionis radix, & variata ſcriptio, in varias interpretationes auctores diſtraxit; aliquando enim cum *vaù cholem* ſctibitur ſic מוֹר, aliquando tantum cum *cholem* ſic מֹר reperitur, interdum cum ׳ *cametz chatuph* ſic, מָר: quamobrem non deſunt, qui diſcrimen agnoſcant maximum inter illas duas voces; affirmantes, ſi quando cum *vaù cholem* ſcribitur ſic, מוֹר *mor*, propria radice regi; & nequaquam myrrham ſignificari, ſed marum; quæ quidem herba ſurculoſa eſt, & odorifera, haud abſimilis ab amaraco; de qua etiam tractat Dioſcor. lib. 3. cap. 74. & Plinius lib. 12. cap. 24. & græcè dicitur μάρον· quamobrem Cant. 1. ubi nos legimus: *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi*, legunt illi: *Faſciculus mari eſt amicus meus mihi:* myrrham verò ſignificari contendunt, quoties prædicta dictio ſcribitur ſine *vaù*, ſic מר, quam dicunt derivari à radice מָרַר *marar*, quæ amaricare ſignificat: quia verò juxta doctrinam Dioſcor. myrrha commendatur, ſi fuerit amara, acris, & odorata; propterea ab ea radice derivata dictione מר, myrrham interpretandam fore cenſent.

Hac ratione ducti hi auctores, & eam lectionem tenacius forte quam par eſſet retinendo; marum, ſive amaracum pro myrrha in pluribus ſacræ Scripturæ locis interpretantur, & in cap. 5. Cant. legunt: *Meſſui marum meum:* marum enim, & amaracum perſimiles fore plantas, docet Matthiolus in cap. 42. lib. 3. Dioſcor. qui de hac planta ita cap. 49. ſcripſit: Μάρον, ἡ ὑσόβελον πόα γνώριμος φρυγανώδης ὁμοία τῷ ἄνθει ὀριγάνῳ, τὰ μέν τοι φύλλα τούτου λευκότερα πολλῷ, καὶ τὸ ἄνθος εὐωδέστερον. hoc eſt, *Marum eſt herba vulgaris, ſurculoſa, flori origano ſimilis, folia quidem hujus multo albiora, flos veró odoratior.* Amaracum verò idem quod ſampſucum dixerunt aliqui apud Athenæum lib. 15. cap. 8. Iſid. lib. 7. tradit, regium quemdam puerum Amaracum nomine, quampluríma unguentorum genera ferentem, caſu prolapſum eſſe, & majorem ex commixtione odorem creaſſe, indeque optima unguenta amaracina dici: is poſtea in herbam Sampſucum verſus eſt. Amaracum adeò gratum fore mulieribus affirmat Matthiolus, ut perpaucæ ſint mulieres, quæ ſuis in hortulis, penſilibus, aut fictilibus vaſis marum non ferant, vel mari plantas eòdem tranſplantatas diligenti cultura non foveant: imò inde *majoranam* Italicè appellatum marum, cenſet Matthiol. cap. 40. ejuſdem lib. quod majori cura, quam reliquæ plantæ feratur, ac diligentiori ſtudio colatur. & re vera quidem apud Hetruſcas mulieres, id ego ipſe cognovi, cum aliquando diſſeminaturus verbum Dei Hetruriam petiviſſem. Eſt autem hæc planta perquam jucundi odoris in omnibus ſuis partibus, nimirum in caule, in radice, in foliis, ac floribus; planta eſt tota odorata, & in medicamentis admodum utilis. Marum verò odoratius eſſe amaraco ex Galeno in lib. de antidot. ſcribit Matthiolus; affirmat enim marum multum redolere, & has duas plantas viciſſim conferens, amaracum ſe vidiſſe teſtatur, qui odore multum à maro ſuperaretur, denique marum inter peregrinas Plantas ex Ægypto in Italiam allatas recenſendum docet Plinius lib. 12. cap. 24. & Matthiolus ex Galeno hoc idem tradit.

Amaraci autem uſus probat corona amaracina, quam eamdem quidam putabant cum Naucratite. ita Athæneus lib. 5. cap. 6. παμπόλλους δὲ οἶδα λέγοντας, τὸν ἐκ τοῦ σαμψύχου στέφανον εἶναι τὸν ναυκρατίτην,

A πολὺ δὲ τὸ ἄνθος τοῦτο κατὰ τὴν Αἴγυπτον. hoc eſt, *Multos autem cognovi, dicentes coronam ex ſampſuco eſſe naucratitem, hujus autem floris eſſe feraciſſimam Aegyptum.* Coronabantur etiam veteres occaſione nuptiarum; quamobrem amaracus erat cum primis in coronando conjugum capita, ut docet Catullus Eleg. 62. in Epithal. ad nuptias Juliæ & Manlii, dicens:

Cinge tempora floribus,
Suave olentis amaraci.

Quod etiam ad delicias uſus amaraci apud eoſdem extiterit tam in foliis, & floribus, quam ramuſculis ad ſuffumigationes, & ad componendum B unguenta, quæ amaracina dicerentur, teſtis eſt Plinius lib. 13. cap. 1. affirmans hoc genus unguenti plurimi æſtimatum fuiſſe apud inſulam Coum, deque illo Lucretius ait:

Poſteſque ſuperbos
Ungit amaracino.

Et iterum.

Sicut amaracini blandum, ſtactique liquorem.

Hujus unguenti nobiliſſimus odor locum fecit proverbio, *Nihil cum amaracino ſui.* quod elegantiſſimè dicitur, in quoſdam ingenio pinguiores homi- C nes; qui elegantiores literas, quas non aſſequuntur, miro ſupercilio contemnunt: & quidem ſuaviſſimum hoc extitiſſe unguentum plurima Athenæi loca demonſtrant.

Nil minus de maro affirmare poſſumus: ad ſuffumigationes nimirum in conviviis adhibitum fuiſſe; cum primis in nuptiis, cujus teſtis eſt Athenæus lib. 9. cap. 15. ex Mneſimacho in carminibus allatis, per hæc verba:

Ὀσμὴ σεμνὴ μυκτῆρα δονεῖ λιβάνου, μάρου,
σμύρνης, καλάμου, στύρακος, καὶ βαρυλίνδου,
κίνδου, κισθοῦ, νάρδου, μίνθου.

D hoc eſt,

Nares procul multus odor quatit thuris, mari,
Myrrhæ, calami, ſtyracis & bdellii,
Cinnamomi, nardi, menthæ.

Quod autem unguenta pariter ex maro parata fuerint; Plinius loco proximè citato oſtendit; affirmans, & in Cypro, & in Mytilene inſula optima hæc unguenta parata fuiſſe. quod denique & ad nuptialia gaudia deſervierint; præter teſtimonium allatum ex Catullo & Athenæo, multis etiam aliis argumentis probari poſſet: idem de amaraco diximus. confundimus enim uſum mari & amaraci, quod ferè idem arbitremur; ſed brevitati ſtudentes, aliis reli- E qua inveſtiganda relinquimus.

His ita conſtitutis de ſuavitate mari & amaraci à ſcopo aberraſſe nequaquam videntur illi, qui marum ſignificari dictione illa מוֹר *mor*, affirmarunt, locumque illum: *Faſciculus mari dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur*, interpretati ſunt Cant. 1. & Cant. 5. *Meſſui marum meum*, necnon etiam & illud Prov. 7. ubi nos legimus, *Aſperſi cubile meum myrrha, & aloe*: dixerunt, *aſperſi cubile meum maro*, ſive, *agitavi cubile meum maro*, interpretantur. nam hebraicè ſic legitur נַפְתִּי מִשְׁכָּבִי מֹר *naphti miſcabbi mor.* ubi dictio *naphti* rectè interpretatur, *agitavi:* vel illo nimirum genere agitationis, quæ hinc inde dex- F trorſum, vel ſiniſtrorſum, ſurſum & deorſum in ſuffumigationibus linteaminum fieri ſolet. quod conſueviſſe mulieres laſciviores, illud Clem. Alexan. lib. 2. Pædag. cap. 8. probat; illarum in his mollitiem damnans his verbis: *Atque eæ quidem*, ſupple mulieres, *& ſua veſtimenta, & veſtes ſtragulas, domoſque ſuas ſuffumigant, & aſpergunt; atque adeò, vel ipſas propemodum matulas olere cogunt unguenti deli-*

R *ciæ*

cia. Dixit *propemodum*, quia ex vi ſuffumigationis, non quidem unguentum olent; ſed aromatum combuſtorum retinent odorem, eundem cum unguento, ſi ab hoc tollas humiditatem quam habet: ſiccumque expiret odorem; quem matulæ ſuffumigatæ fragrant, de quibus ibi loquitur Sponſa. Si verò locum hunc interpretari velimus aſperſi, in genere liquidorum, hæc intelligentia ad rem minimè faciet. Eſt enim præter rem, linteamina, ſeu etiam coopertoria, in quibus homines cubare ſolent, liquidis humoribus aſpergere; quamobrem nobis non probatur Ariæ Montani interpretatio, dicentis, *Perfudi lectum meum.* nam perfundere liquida reſpicit. Si verò aſpergere ſit idem quod floribus, ac foliis odoratæ plantæ, mari videlicet, vel myrrhæ lectum cooperire; hac ratione accipienda erit lectio noſtræ vulgatæ, quæ ſtat cum lectione Theodotionis, qui legit ἐκαλλώπισα, ideſt, *ornavi*, vel *comſi lectum meum.* eſt namque amantis, floribus odoratis lectum conſpergere, ut declarant verba illa Sponſæ Cant. 1. *Ecce tu pulcher es dilecte mi, & lectulus noſter floridus.* Veſtimenta etiam odoribus afficiebantur, ut locus Pſalmi epithalamici probat, in quo veſtimenta ex odoribus laudantur. *Myrrha, & gutta, & caſia à veſtimentis.* Maro, ſeu amaraco delectatas mulieres, illiusque floribus, probabiliſſimum videtur. Quamobrem eo pariter unguento Eſther, ac reliquas puellas ad Regium thalamum, regaleſque nuptias ſe paraſſe, à ratione alienum minimè putandum erit.

Sunt qui utramque dictionem derivari ab una, & eadem radice putent. quamvis in ea aſſignanda differant. nam Pagninus utramque dictionem ab hac radice מוֹר *mor* derivatam docet. alii ab hac radice מָרַר eaſdem derivatas volunt: ſed quid denique eo vocabulo ſignificetur: ſive ſcribatur cum *vaucholem*; ſive ſine illo, omnino ignorari affirmant. ita Marc. Marin. in lingua ſancta peritiſſimus docet in ſua Arca Noë. Quamvis verò cum communi Doctorum ſententia, myrrham ea voce ſignificari cenſeat: quod tamen genus aromatis in veteri Teſtamento eſſet illud, quod myrrha Latini interpretantur, ignotum eſſe docet. Etenim re vera ſi loca diligenter attendere velimus: dictione מוֹר ſignificari videtur aliquando aliquod genus herbæ, quæ meti poſſit; quamobrem in Canticis dicitur: *Meſſui myrrham meam:* aliquando denique dictione illa ſignificari videtur genus aliquod gummi combuſtibilis; cujus combuſtione ſuaviſſimus, atque fragrantiſſimus odor evaporetur; quemadmodum ex incenſo, & alio quocumque genere pulveris pigmentarii. Pro qua interpretatione illud habemus Cantic. 3. *Quæ eſt iſta quæ aſcendit ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & univerſi pulveris pigmentarii?* Aliquando denique genus aliquod plantæ ſignificari videtur, quæ in ramuſculis præciſa, in faſciculis alligetur. quamobrem de myrto, loca jam allata intelligere quidam non ſunt veriti: ea propter Vatablus in adnot. ad cap. 2. lib. Eſther: *Rectius*, inquit, *legi prædictum locum in oleo myrteo, quam in oleo myrrhino.* myrtum quidem arbuſculam eſſe odoratiſſimam experimento comperimus: cum primis verò myrtum Ægyptiam; & hoc auctoritate Theophraſti. ſub tutela Veneris myrtum poſitam fuiſſe teſtis eſt Virg. Eclog. 7. referens enim quæ cuique Deo plantæ dicatæ forent, Veneri dat myrtum, laurum Apollini, dicens:

Populus Alcidæ gratiſſima, vitis Jaccho,
Formoſæ myrtus Veneri, ſua laurea Phœbo.

Erat enim vitis dicata Baccho; vel ſi mavis, Jano Deorum omnium antiquiori apud veteres Romanos, quem Noa arbitrantur communiter: quia igitur myrtus Veneri dicata erat; myrto hanc Deitatem

A placabant; illiusque ſuffumigationibus in ſacris ejuſdem utebantur. quia juxta regulam Jambl. lib. de myſter. Ægypt. ſeg. 3. cap. 24. illa ſuffumigationum genera falſis Deitatibus adhibebantur; quæ cum ipſis, quibus ſacra fiebant, affinitatem haberent. Propterea Virgilius pro Julio Cæſare, qui ab Ænea originem trahere putabatur; maternam myrtum hanc arborem appellaſſe dicitur. & in 2. Georg. ait:

Solido Paphiæ de robore myrtus.

Paphiam myrtum dixit, hoc eſt Veneri dicatam, quæ Paphia dicebatur, quod in Papho inſula coleretur. quamobrem qui Veneri operam dabant, myrto
B coronabantur; præſertim in ſacris Priapi; de quo ita Petron. *Premebat illa reſoluta marmoreis cervicibus aureum torum, myrtoque florenti quietum verberabat; itaque ut me vidit, paululum erubuit, externæ ſcilicet injuriæ memor; deinde ut remotis omnibus, ſecundum invitantem conſedi, ramum ſuper oculos meos poſuit, & quaſi pariete interiecto audacior facta; quid eſt, inquit, paralytice; ecquid hodie lotus veniſti?* affirmant porrò veteres myrtum Veneri amicam, quod hæc planta gaudeat marinis littoribus. inde Martial. lib. 4. in Epigram. de nuptiis Pudent. & Claud. dixit:

Nec plus lotus aqua, litora myrtus amat.

C Nec id tantum propter naturalem plantæ calorem, ut dicunt Commentatores, rerumque naturalium indagatores; ſed etiam quia Venerem fabulantur ſpuma maris procreatam fuiſſe; vel ut dicunt Medici, eo quod myrtus ſit apta plurimis mulierum neceſſitatibus.

Tria verò myrti genera tradiderunt Plinius & Cato; nimirum myrtum candidam, myrtum nigram, myrtum conjugalem, quæ ἁγία à Græcis dicebatur, id eſt *ſancta*, quod conjugiis dicata foret. Per illam enim mutuum amorem viri & mulieris ſignificari, ac conciliari veteres credebant in conjugio; quapropter Plinius lib. 15. cap. 29. ſcribit, Romanos & Sabi-
D nos, verbena, ac myrto conciliatos, dum Sabinas illi ad conjugium rapuiſſent. Cumque homines illi undequaque ſuperſtitioſi, in nuptiis auſpicia obſervarent; boni ominis arbitrabantur in conjugiis, myrteis uti coronis. hinc Catullus in Epithalamio Juliæ, & Manlii, bona illis ex nuptiis auſpicatus, ramuſculos myrteos illis dat. non quidem ex alia myrti ſpecie, ut puto, quam ex ea quæ conjugalis, & hagia dicebatur.

Florido velut enitens
Myrtus hagia ramulis,
Quos hamadryades Deæ
E *Ludicrum ſibi roſcido*
Nutriunt humore.

Sunt qui hic legant myrtus Aſia; quaſi ad Aſiam paludem, vel ad regionem illam, quæ Aſia dicitur, reſpexerit Poëta: in quo Paſſeratium deceptum conſtat: nam coronis quoque myrteis coronari ſolitos veteres, multa antiquitatum teſtimonia probant: earum in cœnis uſum tradit Antiphanes, auctoritate Athenæi lib. 3. cap. 3. dicens:

πρώτιστα δὲ
τῶν μυῤῥινῶν ἐπὶ τὴν τράπεζαν βούλομαι, ἃς
διαμασῶμ᾽ ὅταν τι βουλεύειν δέῃ,
F τάσδε φιβάλεως πάνυ καλὰς, στεφανωτρίδας.

hoc eſt,

Primum autem
Myrtos volo ſuper menſam, quas
Mandam, ſi quid conſulere oportebit,
Illas autem phibaleas, pretioſas, coronarias.

Stat etiam Plato lib. 2. de Repub. dicens: κατα-
κλινέντες

κλινέντες ἐπὶ ςιβάδων ἐςρωμένων μίλακί τε, ϗ μυῤῥίναις· & infra: μυῤῥίναις ἐςεφανȣ̃ντο οἱ ἄρχοντες· hoc eſt: *Recumbentes ſuper ſtrata, inſtrata milace & myrtis.* Et infra: *Myrtis coronabantur Principes.* Quod etiam amore capti myrto coronarentur, ex Tibullo probare poſſumus.

Et gerit inſigni myrtea ſerta coma.

Et Ovid. lib. 2. de arte amandi, inquit:

Sertaque odoratæ myrtea ferte comæ.

Quod ſi veteres coronis myrteis utebantur, quod etiam unguento myrteo uſi fuerint, cum myrtus odorata arbuſcula ſit, ex qua etiam unguentum parabatur, à ratione alienum non erit. quin etiam teſtimonio, & auctoritate Athenæi lib. 15. cap. 12. probatur. Neque igitur inconſideratè dixiſſe videbitur Vatabl. in cap. 2. Eſther, rectius legendum *oleum myrteum*, quam *oleum myrrhinum*: niſi à ratione alienum putandum ſit, ut re vera eſt, recedere à ſacro vulgato exemplari, decreto ſacri Concilii, & Romanæ Eccleſiæ auctoritate firmato. Ego quidem vulgati exemplaris retenta lectione, ex Græco exemplari *myrrhinum* legendum puto: nec tamen propterea à myrto recedendum volo omnino, cum myrtus, μυρσίνη græcè, & μυῤῥίνη dicatur: quamobrem ἀπὸ τȣ̃ ἐλαίȣ μυῤῥίνȣ, *oleum myrrhinum* vulgatus eſt interpretatus, & Eſtheri ad uſum nuptialem adſcripſit; quod Vatablus *myrteum* dicere potuit, non variata ejuſdem vocabuli ſignificatione.

CAP. LII.

Unguentum Eſther, myrrhæ verius conceditur, & uſus illius explicatur.

Ad loca Eſther 2. *Ita ut ſex menſibus oleo ungerentur myrrhino.* Cant. 3. *Quæ eſt iſta quæ aſcendit ſicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, & thuris.* Cant. 5. *Manus meæ ſtillaverunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatiſſima.* Ibid. *Labia illius ſtillantia myrrham primam.* Et ad alia plura.

OLEUM myrrhæ potius quam myrteum ad uſum cutis Eſther adhibuiſſe, interpretum communis conſenſus tradidit. Non enim illud olei genus ſacer textus dixit שֶׁמֶן הֲדַס *ſcemen hadas*, quod *oleum myrti* interpretatur; ſed *ſcemen hamor* שֶׁמֶן הַמֹּר; quam ſanè dictionem, ſeu ſine *vaù cholem* ſcribatur, ſive cum illo, quam optimè interpretari per vocem latinam, *myrrha*, ſatis in præcedenti capitulo declaravimus. Sunt enim inter ſe permutabiles *cholem* cum *vaù*, & *cholem* ſine illo, ut norunt periti linguæ ſanctæ. Quamobrem nemo jam amplius ambigere debet de ſignificato illius dictionis, cujus interpretatio ab etymologia vocabuli rectè accipitur; ab acritudine nimirum, ſive ab amaritudine, verbo מָרַר *marar* ſignificata: à qua radice formari dictionem illam *mor* מוֹר mihi cum aliis certiſſimum eſt.

Myrrhæ nomine ipſa quoque arbuſcula, quæ pretioſiſſimum hoc aroma ſtillat, appellatur. cujus talis, ac tanta eſt dignitas, ut etiam ramuſculi ipſius igne combuſti, gratiſſimum de ſe præſtent odorem: quod reliquis quoque omnibus arboribus piceis commune eſt: ut pino, quæ picem ſtillat; abieti, ex qua genus quoddam terebinthinæ fluit; & denique omnibus thuriferis plantis, quæ utique ad naturam, ac qualitatem aromatis ex ipſis ſtillantis, ac profluentis, odorem exhalant.

Fuit autem omni ſeculo, atque ætate adeò pretioſum, & odoratiſſimum hoc genus aromatis, ut non- A nulli poſterioris ſeculi doctiſſimi viri arbitrentur, illud aroma, myrrham apud veteres fuiſſe, quod hodie pharmacopolis eſt Benzoinum: cujus opinionis meminit Bauhin. in lib. 1. Matthiol. cap. 7. & Matthiol. ipſe lib. 3. in Dioſcor. cap. 77. quamvis hanc ſententiam rejiciat. Alii etiam ejus fuerunt opinionis; ut myrrha id genus gummi præſtantiſſimi, atque odoratiſſimi apud veteres eſſet; quod *anime* appellatur à Luſitanis; & nos *gummam amineam* rectè appellare poſſumus. Refert hoc Bauhin. loco jam citato. & quamvis infra lib. 2. ubi de unguento ſacro, quod myrrham in ſui compoſitionem requirebat; de myrrhæ præſtantia fuſius à nobis agendum ſit; ex B allatis etiam nunc, variis Doctorum ſuſpicionibus, quam pretioſum, quamque odoriferum genus aromatis eſſet myrrha, non levi argumento, ut puto, colligitur.

Myrrhæ præſtantia atque dignitas, ad uſum ſui ipſius homines invitavit, tam ad unguenta, quam ad ſuffumigationes, quæ pulveribus aromaticis ſupra ignem injectis in cultum numinis fieri conſueverant. Tibullus lib. 2. Eleg. 2. dixit, cum de ſacris ageret prophanis.

Urantur pia thura focis, urantur odores,
Quos tener à terra divite mittit Arabs.

C Quo quidem generali verbo Arabicum odorum, & myrrham comprehendi nemo ibit inficias. ſed Athenæus quoque lib. 12. cap. 9. damnans Alexandri Magni arrogantiam, qua Deus credi volebat; & quid ille ſibi Deificato permitteret. *Conſpergebat*, inquit, *pretioſo unguento, vinoque odorifero pavimentum Alexander, myrrhaque, & aliis ſuffimentis ſibi ſuffumigari volebat.* ἔῤῥανε δὲ ὁ Ἀλέξανδρος, ϗ μύρῳ σπȣδαίῳ καὶ οἴνῳ εὐώδει τὸ δάπεδον. ἐθυμιᾶτο δὲ αὐτῷ σμύρνα, ϗ τὰ ἄλλα θυμιάματα. Sed & myrrheæ ſuffumigationis ex Mneſimacho in hypotropho, meminit Athenæus lib. 9. cap. 15. dicens in apparatu cœnæ poſt epulas:

D *κούραν κασίας ἀπὸ γαίας ἀσίας*
αλίας συρίας.
ὀσμὴ σεμνὴ μυκτῆρας δονεῖ λιβάνȣ
μαρoῦ, σμύρνης, καλάμου, στύρακος,
ϗ βαρȣλίνδου, κίνδου, κίσθȣ, μίνθου
Τοιάδε δόμους ὁμίχλη κατέχει πάντων ἀγαθῶν ἀνάμεστος.

hoc eſt,

Caſiam urunt advectam ab Aſiatica terra, nempe, ex ora Syriæ, (hæc ſunt Athenæi,)
Nares procul multus quatit odor thuris,
Mari, myrrhæ, calami, ſtyracis,
Et bdellii, cinamomi, coſti, menthæ,
Talis nimirum domos caligo habet omnium bonorum
E *plenas.*

Apud quem ſi attenderimus caliginem ex combuſtis aromatibus, inter quæ myrrha quoque recenſetur à Mneſimacho, myrrheæ ſuffumigationis uſus, ex veterum monumentis perſpicuus erit. Sed etiam apertè habetur Cantic. 3. in illis verbis: *Quæ eſt iſta quæ aſcendit ſicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & univerſi pulveris pigmentarii?* Ubi ex divinis oraculis uſus myrrhæ pulverizatæ ad ſuffumigationes, perſpicuus, ac manifeſtus eſt: ea propter tranſlatio Pagnini legentis, *Sicut virgula ſuffita, ſive ſuffumigata myrrha*, nulla ratione probanda videF tur: quaſi ſermo ibi eſſet de virgula aliis aromatibus coagmentata, myrrhaque demum ſuffumigata. rationabilius igitur lectio Aquilæ & Symmachi in interprete apud Theodor. admittenda erit. hi enim legunt: *Sicut ſimilitudo fumi, ex ſuffimento myrrhæ, & thuris.* ita ut ſuffimentum hoc, de quo loquitur textus, myrrha, & thure confectum eſſet: quod fieri nequaquam poſſet, niſi pulverizaretur myrrha; &

ad ſuffumigationes, etiam illius uſus admitteretur. A Concordant hæc his, quæ habet Dioſcor. lib. 1. cap. 78. καὶ πιέσματα δὲ αὐτῶν, inquit, γίνεται ἀπὸ μὲν τῶν λιπαρῶν εὐώδη, καὶ λιπαρά· ἀπὸ δὲ τῶν ξηρῶν ἀλιπῆ, καὶ οὐκ εὐώδη. hoc eſt, *Ex myrrha paſtilli fiunt; ex pingui, odorati & pingues; ex ſicca, ſicci, & minus odorati.* Pro ſuffumigationibus myrrheis ſtat etiam Vatablus in adnot. ad illum locum. reſpiciens enim ad conſuetudinem injiciendi myrrham ſuper ignem, & ad ſuffumigationes dixit: *Myrrha, & thus non effundunt odorem, niſi in igne.* Quod licet de thure rectè dictum videri poſſet; cum parum aut nihil odoris ex ſe præſtet, niſi in igne; myrrha tamen in unguentis, ac etiam in ſuffumigationibus ex ſe fragrantiſſimum, & ſuaviſſi- B mum odorem emittit. quæ tamen noſtra parum interſunt, modo ex his verbis, & ſacrarum Scripturarum locis, myrrheæ ſuffumigationes liquido conſtent. ultimam attingent metam, quæ auctoritate cap. 30. Exodi afferentur, cum thymiama Moyſes componere jubetur ad ſuffumigationis uſum, de quo, *Sume*, inquit, *tibi ſtacten, & onycha, & galbanum boni odoris, & thus lucidiſſimum: æqualis ponderis erunt omnia.* Eſt autem ſtacte myrrha præſtantiſſima, ut omnibus perſpicuum eſt.

Uſum myrrhæ apud veteres in compoſitionibus unguentorum, & fluxibilium oleorum, non minori auctoritate, veterum monumenta tradunt; cum pri- C mis ad nuptialia feſta, & convivia, ut nihil voluptatibus deeſſet; cumque ob illius præſtantiam myrrha ſummo haberetur in pretio, factum eſt, ut Æoles unguenta omnia myrrham appellarent, ſeu ſmyrna; quæ vox græcè myrrham ſignificat, ut ipſa myrrha ſtacte dicta, ob illius præſtantiam unguentum ex ſe conficeret. hæc ab Athenæo traduntur lib. 15. cap. 11. dicente: μύῤῥα ἡ σμύρνα παρ' αἰολεῦσι, ἐπειδὴ τὰ πολλὰ τῶν μύρων διὰ σμύρνης ἐσκευάζετο, καὶ ἥγε στακτὴ καλουμένη διὰ μόνης ταύτης. Quamobrem minimè mirum eſſe debet, quod præ omnibus aromatibus uſui eſſet, hominibus illius corrupti ſeculi, qui non tantum corpora, ſed etiam crines, coronas nuptia- D les, convivales, floresque ipſos quos deferebant, quibusque ſerta intexuerant, unguentis, potiſſimumque myrrha perfundere conſueverunt; & hoc adeò copioſè, ut non tam caput, quam genæ coronatorum myrrha irrigarentur; hinc Virgil. hujus conſuetudinis ratione habita in odium conjugii ait:

Nec mihi ſudabunt pingui jam tempora myrrha.

Et Cant. cap. 5. Sponſa in laudem Sponſi dicebat: *Labia illius lilia ſtillantia myrrham primam.* ſolius E enim myrrhæ uſus, hominem amore captum indigitabat. quamobrem Archilochus apud Athenæum loco jam citato dixit:

ἐσμυρισμένας κόμας, καὶ στῆθος, ὡς ἂν καὶ γέρων ἠράσατο·

hoc eſt,

Unguentatas comas & pectus, utique & ſenex amat.

Et ipſa denique Sponſa amoris impatiens de ſe dicebat: *Manus meæ ſtillaverunt myrrham:* & ſexcenties in ſacris literis, præſtantia, uſusque myrrhæ ad unctiones oſtenditur. qui adeò fuit frequens Hieroſolymitis, & omnibus qui Syriam incolunt; ut propterea Orontæa myrrha apud Propertium dicatur: F

Aut quid Orontæa crines perfundere myrrha,
Teque peregrinis vendere muneribus?

Orontæa verò dicta ab Oronte Syriæ fluvio: non quidem quod myrrha in Syria gigneretur, ſed quod camelis eo delata, illis gentibus cum primis uſui eſſet; quamobrem Tibullus quoque lib. 3. Eleg. 4. dixit:

Stillabat Syrio myrrhea rore coma.

Verum ſatis ex prophanis; ad ſacra nos conferamus, nec omittamus illud Sponſæ in Canticis, quæ poſtquam uſum myrrhæ in corporis cultum aperuiſſet, ſubintulit: *Et digiti mei pleni myrrha probatiſſima.* Amore capta erat Sponſa hoc loco, amantem deperibat. is ad eam nocte acceſſit, januam pulſavit; ingreſſum deprecabatur, admitti expetebat. renuit amica, illumque his rationibus repellit: *Expoliavi me tunica mea, quomodo induar illa? Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos.* Quam frivola hæc videntur? num impediebatur Sponſa, ne tunicam aſſumeret? quidnam à ſocco, & ſoleis illam retrahebat, quo minus illas aſſumeret; ſicque calceata, atque tunicata, dilecto quem deperibat, oſtium aperiret? curnam dicit, venter meus intremuit? quia dilectus manum miſerat per foramen oſtii, ut vi illum aperiret: quaſi Sponſum, ac amicum nequaquam admittere voluiſſet. Rationem perobſcuram, & aliis quod noverim, minimè perviam, ex his quæ ſubdidit, colligendam puto. *Surrexi ut aperirem dilecto meo, manus meæ ſtillaverunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatiſſima.* Cantic. cap. 5. non equidem, quod myrrha impedimento eſſet conjugali copulæ: quin potius unguentis utebantur ad Venerem excitandam; ſicuti etiam alibi diximus. quamobrem Chremillus ditatus apud Ariſtophanem act. 2. ſcena. 5. dicit:

Νὴ Δί' ἔγωγ' οὖν ἐθέλω πλουτῶν
εὐωχεῖσθαι μετὰ τῶν παίδων
τῆς τε γυναικός. καὶ λουσάμενος
λιπαρὴς χωρῶν ἐκ βαλανείου
τῶν χειροτεχνῶν,
καὶ τῆς πενίας καταπαρδεῖν.

Quæ ſic interpretantur:

Per Jovem igitur ego volo ditatus
Potare una cum pueris
Et muliere, & ubi lotus ero,
Et unctus, à balneo
Operis & paupertati oppedere.

Non igitur myrrha Veneri, & conjugio impedimento erat; maximè amanti adoleſcentulæ, adoleſcentique. verum impedimento erat ex uſu illius ſeculi, nondum plenè curatam mulierem unguentis, atque aromatibus, juxta regionis conſuetudinem, nuptiales Sponſi admittere congreſſus. Hoc aperuit dicens, adhuc manus verſari inter unguenta; nimirum in tingenda cute, ut loquamur cum Latinis. quia verò id potiſſimum fiebat digitis, fricando cutem ipſam, propterea ſubintulit, *Et digiti mei pleni myrrha probatiſſima.* Qua etiam ratione nec ſoccos, nec tunicam reſumere licuiſſet, cum tota unguentis madida cogeretur corpus curare, & mundo muliebri ſtudere: qua de cauſa venter contremuit; timens nimirum ne Sponſus amoris impatiens illam dedecoraret, atque infamia notaret, ſi nondum plenè paratam aggredi vellet, præter fas regionis, & conſuetudinis. tamen ubi Sponſus declinaſſet ab oſtio, atque diſceſſiſſet; ipſa quoque amoris impatiens eundem præter fas ſequi, ac inter tenebras quærere non eſt verita.

Myrrham probatiſſimam dixit, ut explicaret quonam genere unguenti voluptatibus de more ſeculi & regionis conſulens uteretur, quoque unguento cutem coleret; quod tingere à Latinis dicebatur. eſt enim tingo idem quod inficio, madefacio, leviter imbuo: hinc lux Martiali Epig. 59. lib. 2.

Frange toros, pete vina, roſas cape, tingere nardo.

Tingere, hoc eſt ungere nardo, quemadmodum Perſius Sat. 3. in eadem ſententia dixit:

Sæpe

Sæpe oculos , memini , tingebam parvus olivo.

Tingebam olivo, id eſt ungebam unguento. dicebatur porrò ungere , verbo tingendi ; quia coloris gratia , cutiſque excolendæ cauſa , in ſole veteres illi unguenta , vel ad ignem adhibebant : propterea Cicero lib. 1. Epiſt. fam. epiſt. 9. *Sed vellem* , inquit , *non ſolum ſalutis meæ , quemadmodum medici, ſed etiam ut alyptæ , virium & coloris rationem habere voluiſſent.* Erant enim alyptæ , qui unguentis corpora curabant : dicuntur coloris rationem habuiſſe, quia unguentis cuti colorem , ſoliditatemque conciliare ſtudebant. inde Martialis in Charinum lib. 1. num. 78. dixit :

Sole utitur Charinus , & tamen pallet.
Tingit cutem Charinus , & tamen pallet.

Hoc eſt , unguentis utitur Charinus , & apricatur tam ad cutem ſolidandam , quam ut eidem colorem concíliet ; nihilominus præter rationem artis , contra rationem etiam unguentorum à pallore nequaquam liberabatur. Locus alter Cicer. ad Att. lib. 12. epiſt. 6. explicatur aliter quam Manutio. ſic enim Cicero ad Atticum. *Sed longa oratio eſt , & tu occupatus in meo fortaſſe aliquo negotio , & pro iſto aſſo ſole , quo tu abuſus es in noſtro pratulo , à te nitidum ſolem , unctumque repetemus.* hæc Cicero. ubi C Manutius : *Scripſerat Atticus ſe , cum domum Ciceronis , quæ erat in Palatio , veniſſet ; in ſole per pratulum , quod domui adjacebat , ſatis , ſuperque inambulaſſe. reſpondet Cicero per jocum : Domi meæ dum fuiſti , præter ſiccum ſolem nihil habuiſti ; at ego à te nitidum , unctumque ſolem repetam. id eſt , cum ad te domum veniam , non ſole tantum contentus ero , non mihi idem quod tibi ſatis erit , in ſole inambulare ; ſed cœnam etiam cum ſole exigam. Solem aſſum vocat , quem cœna non ſequatur , quaſi ſine ſucco , ut obſonia ſunt aſſa. nitidum autem , & unctum , qui cum cœna ſit.* hæc Manutius non rectè. Nam qua ratione probat aſſum ſolem dici , quem cœna non ſequatur ? D quî nitidum eſſe cum cœna ? nitidum enim caput , nitidum capillum , nitida facies dicuntur , quæ unguentis madent. Loca congerere poëtarum non eſt opus. plurima in hoc libro ſupra afferuntur. Aſſus enim ſol dicebatur , qui unguento non conſociabatur. quia igitur Atticus in pratulo Ciceronis inambulando ſole uſus fuerat , ſolique non adhibuerat unguenta , dixit Cicero , illum aſſo ſole uſum. non ita ſecum agendum vult , cum Attici domum petierit ; ſed in ſole , unguenta quoque ſibi porrigi velle affirmat , dicens : *à te nitidum ſolem , unctumque repetemus.* quod ſole & unguentis coloris gratia uti veteres ſolerent. Solidandæ igitur cutis , & cuti conciliandi coloris de cauſa , ad thalamum Regis Aſſueri cap. 2. Eſtheris mulieres per ſex menſes oleo unctas myrrhino legimus. Teſte enim Matthiol. in Dioſcor. locis jam citatis , uſus myrrhæ , vel illius olei penes mulieres eſt , ad conſolidandam carnem , & impediendum ne cutis irrugetur : non enim ſolum , ne cutis irrugetur impedit myrrha ; ſed etiam jam erugatam conſolidat , priſtinoque nitori reſtituit. Hoc autem , ut planè fieri poſſet à mulieribus regium torum ingreſſuris , duodecim menſium ſpatio , unctionibus ac unguentis , & aromatibus occupabantur. Locus perdifficilis ſacræ Geneſis his illuſtratur. Fierine poteſt mulierem nonagenariam ſua pulchritudine ac forma cepiſſe ad amorem Reges potentiſſimos ? & nihilominus id legitur contigiſſe Sàræ uxori Abrahæ cap. 20. propterea enim dicitur miſiſſe Abimelech Rex Geraris , eamque tuliſſe in palatium, ut ſibi uxorem aſſumeret. quam etiam ob cauſam dixit Abraham , Saram ſibi ſororem eſſe. ita ſcribitur cap. 12. *Novi quod pulchra*

A *ſis mulier , & quod cum viderint te Aegyptii , dicturi ſunt , uxor ipſius eſt , & interficient me , & te reſervabunt.* Quod autem nonagenaria ferè eſſet Sara ; iiſdem pariter locis perſpicuum eſt. etenim in eo anno quo iſta acciderunt , everſio Sodomæ evenerat. nam à convalle Mambre , in quo Angeli prædixerunt Saræ conceptum ad annum ſequentem , deſcendit Abraham Ægyptum. nonagenariam verò peperiſſe Iſaac liquido conſtat ; de pulchritudine tamen atque ſpecioſitate Saræ nonagenariæ omnis omnino ambigendi locus tollitur : ubi myrrha & unguentis in curanda cute locus erit mulieribus , quibus ſanè juxta ſeculi illius conſuetudinem , operam dediſſe Saram ; B conjugium ipſum , ab Abimelech cum illa intentatum , & quæ de mundo muliebri ſupra jam diximus, apertè manifeſtant. Myrrha enim & unguenta, ne cutis irrugetur efficiunt ; irrugatam quoque priſtino nitori reſtituunt , ſoliditatem cutis firmant ; colori ſpeciei , formæque conſulunt ; ut propterea puellarem pulchritudinem , ac ſpeciem ad ſenectutem uſque in mulieribus conſervet. Hac igitur de cauſa Eſther , & reliquæ puellæ Regium thalamum ingreſſuræ, aromatibus, & unguentis operam dare per annum cogebantur.

CAP. LIII.

Veteris Teſtamenti oleum ſanctum illuſtratur.

Ad loca Exo. 30. *Facieſque unctionis oleum ſanctum.* Cap. 37. *Compoſuit & oleum ad ſanctificationis unguentum.* Pſal. 88. *Inveni David ſervum meum , oleo ſancto meo unxi eum.* Iſai. 6. *Et clamabant alter ad alterum , & dicebant , Sanctus , Sanctus , Sanctus.*

ULtima manus noſtri hujus Myrothecii primi , oleum conſiderabit , quod *Sanctum* in Scripturis ſacris appellatur. hoc non ſolum ratio noſtri inſtituti , ſed primi hujus Myrothecii , & partium quoque reliquarum conſideratio meritò poſtulat. illud quidem , quod circa totum verſetur ; ac reliquis Myrotheciis præludat. partes verò, quod ſingulæ , olea , quæ ſancta dicuntur elucidare conentur. Quod enim hoc ſequitur Myrothecium , circa oleum conſecrationis verſatur ; alterum poſt illud oleum regiæ inaugurationis conſiderabit ; hoc denique, cujus nunc metam nos attigiſſe putamus, *Sacroprophanum* inſcripſimus. propterea in oleo , & unguento ſancto ſtandum erit.

Nos quidem Feſto innitimur. is enim ut *Sanctum* ex- E plicet ; hæc vocabula , *Sacrum*, *Sanctum* , ac *Religioſum* , auctoritate Ælii Galli , diſtinguit , confunditque , dicens. *Inter ſacrum autem , & ſanctum , & religioſum differentias belliſſime refert* , ſupple Ælius : *ſacrum ædificium conſecratum Deo , ſanctum murum , quod ſit circa oppidum , religioſum ſepulcrum , ubi mortuus , ſepultus , aut humatus ſit , ſatis conſtare ait : ſed iſta portione quadam , & temporibus eadem videri poſſe ; ſi quidem quod ſacrum eſt , idem lege aut inſtituto majorum ſanctum eſſe putat , ut violari id ſine pœna non poſſit ; idem religioſum quoque eſſe , quoniam ſit aliquid, quod ibi homini facere non liceat : quod ſi faciat , adverſus Deorum voluntatem videatur facere. Similiter* F *de muro , & ſepulcro debere obſervari ; ut eadem , & ſancta , & ſacra , & religioſa fiant , ſed eo modo quo ſupra expoſitum eſt.* Igitur in noſtro Myrothecio *Sacroprophanum* de oleo Sancto meritò agitur , quod in divinis oraculis commune fuit unguento quo Sacerdotes initiabantur ; & quo Reges inaugurabantur. De priori Exodi cap. 30. agitur , cum à Deo regula Moyſi præſcribitur, de componendo unguento ad conſecran-

ſecrandum tabernaculum , & utenſilia illius , atque ſacerdotes; & concluditur : *Facieſque unctionis oleum ſanctum.* & in eodem cap. verſ. 31. ſubditur : *Hoc oleum unctionis , ſanctum erit mihi in generationes veſtras.* & cap. 37. ejuſdem libri , dum opera ſpiritu divino, divinaque ſapientia conſtructa à Beſeleel, & Oliab recenſentur , horum occaſione ſacer textus. *Compoſuit*, inquit, *& oleum ad ſanctificationis unguentum.* In poſteriori etiam ſignificatione , nimirum pro oleo quo inaugurabantur Reges , ſumitur Pſal. 88. in quo ſacra Scriptura meminit Davidis, illiuſque unctionis , & ait : *Inveni David ſervum meum, oleo ſancto meo unxi eum.* Ex quo quidem unico loco ſatis apertè conſtat , oleum etiam , quo Reges ungebantur, oleum ſanctum in ſacris Scripturis appellatum fuiſſe. Ut verò ab etymologia vocis exordiamur , Latinorum vox *Sanctus* ab hac voce *Sagum* dictam aliqui putant, quæ ut ex Beroſo tradunt, idem quod nobis Sanctum ſignificabat antiquis , vel idem quod Sacrum : quamobrem herbæ illæ , quæ Legatis Populi Romani dabantur à Conſule, vel à Prætore , ut tuti redderentur , ſi quando ad hoſtes , vel alio fuiſſent mittendi , ſagmina dicebantur , Feſto auctore, & Alexand. ab Alexand. lib. 5. cap. 3. Martian. quoque l. ſanctum. ff. de rer. diviſ.

Sanctus Græcis dicitur ἅγιος , cujus vocabuli etymon , vel erit , ut aliqui dicunt , à verbo ἅζω , quod eſt *veneror*; ut propterea ſanctus idem ſit quod venerandus , ac colendus : vel erit ab α litera privativa , & dictione γῆ , quæ terram ſignificat, ut idem ſit ἅγιος , quod ſine terra , ſive à terrenis ſeparatus. quamobrem propriè, ac primario Sanctus ſignificabit id , quod puritatem , ac ſanctitatem ſibi intrinſecam habet; cui ſit adeò connaturalis ſanctitas; ut nihil terreni habeat ; ſed natura ipſa ſanctus; innocens , purus, & ſine macula ſit. Propterea igitur propriè Sanctus , verèque de ſolo Deo affirmari poteſt : ut præclariſſimè inſinuarunt beatiſſimi illi cœlorum ſpiritus , quos Iſaias cap. 6. vidit , divini amoris igne eouſque inflammatos, ut idem nomen Seraphicum meruerint obtinere. Hi enim Deum contemplantes, ſanctitatemque illius admirantes, alter ad alterum clamabant , קָדוֹשׁ קָדוֹשׁ קָדוֹשׁ Sanctus , Sanctus , Sanctus. quaſi dicere vellent : ſolus Deus propriè , & primario Sanctus eſt. Intrinſecè, & ex natura ſua ſolus Deus ſanctitatem aliis rebus communicare , & impertiri poteſt. quamobrem licet nonnullis videri poſſet ſanctos hos Spiritus voluiſſe, eminentem gradum divinæ ſanctitatis in illis verbis explicare ; quia nimirum lingua ſancta , quæ ſuperlativum gradum , vocis ejuſdem duplicatione format. ut in pluribus ſacræ Scripturæ locis videri poteſt , ac peritis linguæ ſanctæ perſpicuum eſt. In cœleſti tamen gloria , Seraphici illi Spiritus divinam excellentiam , ac majeſtatem cum vellent ſignificare , idque quod Latinè nos dicimus ſanctiſſimus , exprimere volentes קָדוֹשׁ קָדוֹשׁ ideſt , Sanctus , Sanctus dixiſſent. Ut igitur beatiſſimi illi Spiritus ultra gradum ſuperlativum , divinam excellentiam acclamarent , illique ſoli propriam , & connaturalem ſanctitatem aperirent , vocem illam triplicarunt.

Et in hac etiam ejuſdem vocis triplicatione , hominum mentes ſublevari cupiebant ; ut intelligerent in Deo triplicatam ſanctitatem , in una ſanctitate, Deumque tripliciter ſanctum in perſonis , unicè ſanctum in natura profitebantur ; & quod in ſolo Deo triplicata ſanctitas coaleſcit in unica ſanctitate; adeò ut eſſentialis ratio ſanctitatis , in ſolo Deo eſſentialiter reperiatur. Niſi enim ita Seraphicæ voces accipiantur , nequaquam pro debito alter Seraphinorum divinas concelebraſſet laudes. Quod enim alter, duplicata voce Sanctus, Sanctus , ſuperlativum ſanctitatis gradum Deo tribuerat ; alter qui ſemel tan- A tum Sanctus clamaverat, poſitivum gradum non exceſſiſſet , præter fas divinæ Majeſtatis. Uti igitur perfectam ſanctitatem ; & hanc triplicatam in una ſanctitate , in myſterio Trinitatis profiterentur beatiſſimi illi Spiritus; eandem vocem Sanctus triplicabant , & ab ejuſdem vocis triplicatione numquam ceſſarunt.

Verum ad oleum revertamur, quod *ſanctum* dicebatur ; nec recedamus à doctrina Feſti , quam paſſim omnes tam ex recentioribus , quam ex antiquioribus grammaticis acceptarunt : illud erit *Sanctum*, *Sacrum* , ac *Religioſum* , quod ab hominum injuria fuerit tutum & defenſum. quidquid verò tutum fu- B erit conſecratione *Sacrum* dicetur. quod verò lege & ſanctione aliqua tutum erit ab hominum injuria, pietate, ac religione aliqua dicetur *Religioſum*. Itaque quod ſanguine fuſo , aliiſque ceremoniis adhibitis, in Dei cultum deſtinabatur , ſacrum & conſecratum dicebatur ; cui opponitur prophanum. Religioſum dicebatur , quod intactum erat ab his , quæ communis erant juris : ut arare , ædificia conſtruere, & alia ſimilia facere. Quamobrem religioſum opponitur puro , & à relinquendo religioſus dicebatur ; ut locus , in quem illatus fuiſſet mortuus. de his nihil à nobis, ſed tantum de Sancto , quod ratione, lege, pœnaque impoſita fiebat. ita Cicer. pro Corn. Bal- C bo : *Primum enim* , inquit , *ſacroſanctum nihil eſſe poteſt , niſi quod populus , plebſve ſanxiſſet , deinde ſanctiones ſacrandæ ſunt , aut genere ipſo , aut obteſtatione, & conſecratione , aut pœna , cum caput ejus, qui contra facit, conſecratur.* Quamobrem dicebantur ſancta mœnia civitatis. nec ſolum mœnia , ſed & pomerium ipſum ſic dicebatur. licet verius religioſum fuiſſet dicendum , quod nec coli , nec arari poſſet. illa quidem quod nemini tranſgredi liceret ; hoc quod tam intra, quàm extra , omnes ab eo arcerentur; nec cuiquam illi admovere ædificia fas eſſet : ut præclarè docet Alex. ab Alexan. lib. 6. genial. dier. cap. 14. juxta quam rationem leges quoque ſanctæ dicuntur; teſte D Ulpian. quod nemini illas tranſgredi liceat. Plebis Tribunitiæ Magiſtratus ſanctus dicebatur apud Romanos, ut affirmat Alex. ab. Alexan. lib. 6. cap. 24. quod nemini liceret in eum mittere manum : ut conſtat ex lege , quæ ibi habetur ſub hac forma : *Tribunum , invitum tamquam unum è multis nemo cogito agere , neque verberato , neque alteri ut verberet imperato ; neque occidito , neque occidi jubeto ; ſi quis autem prohibitorum horum quid fecerit, impius , execrabiliſque eſto.* Ex eo igitur, quod homines conſtituti in hoc , vel illo Magiſtratus honore , eſſent tuti , & immunes ab omni hominum injuria, dicebantur Sancti. in qua etiam ſignificatione hanc vocem Sanctum E accepit Juvenalis Satyr. 3. cum ait :

Præterea ſanctum nihil eſt & ab inguine tutum.

Loquitur enim de Græcorum inſolentia, quorum in urbe adventu nullarum mulierum caſtitas tuta videbatur. In hac igitur ſignificatione , Sanctum dicitur , tam de rebus animatis , quam inanimatis. nam & altaria, & vaſa ſacra Sancta dicebantur; quod his præterquam ad ſacros uſus , uti nefas eſſet , quo etiam pacto oleum , quo Sacerdotes conſecrabantur, & Reges inaugurabantur , Sanctum dicebatur; quia uſus illius , omnibus , præterquam in conſecrationibus , atque Regum inaugurationibus , hominibus F vetitum fuerit : ut ſequenti libro , & tertio fuſè oſtendemus.

Nunc ad oleum , de quo nunc à nobis agitur. Religioſum quidem dici nequit ; ut ex traditis perſpicuum eſt ; Sacrum , & Sanctum dici poteſt. quamobrem hebraicè שֶׁמֶן הַקֹּדֶשׁ dicitur , dictio autem iſta הַקֹּדֶשׁ venit à verbo iſto קָדַשׁ quod interpretatur *ſanctificare* : quod potius ſanctare dicendum eſſet ; ſi

ſi ita loqui liceret : quia eſt verbum in conjugatione Kal , quæ habet ſignificationem lenem ; retinendam quidem , ſi verbum latinum ſignificationis lenis haberemus ; per quod utique vox illa interpretanda eſſet. Duæ dictiones ad rem noſtram facerent, quæ ab illo verbo derivantur, videlicet קָדוֹשׁ quæ *Sanctus* latinè interpretatur in concreto adjectivo ; & intellectui formam quandam proponit per modum adhærentis ſubjecto, ut aliquando cum Scholaſticis loquamur ; & hæc alia dictio קֹדֶשׁ quæ ſubſtantivè *Sanctitas* in abſtracto interpretatur, formamque aliquam per modum per ſe ſtantis intellectui repræſentat , ut dicunt Dialectici. Quoties verò ſermo eſt de ſacro hoc oleo in ſacris literis , toties vulgati codices in concreto de illo loquuntur : ut in Pſalmo 88. de Davide dicitur : *Inveni David ſervum meum* , *oleo ſancto meo unxi eum.* & ſic alibi pluries : cum tamen textus hebraicus ubique retineat dictionem קֹדֶשׁ & loquatur in abſtracto. Quamobrem interpretari deberet *Sanctitas* , *Sanctitudo* , *Sanctimonia* , *Sanctificatio ;* pro forma aliqua nimirum , quæ aliis ſanctitatem impertiri , & communicare poteſt. Quia tamen juxta phraſim ſacræ Scripturæ , ſæpè abſtractum pro concreto ponitur ; in dictione קֹדֶשׁ concretum latinum ponitur pro abſtracto hebraico : ut exempli gratia , cum ſacratior & ſecretior locus ſacri Tabernaculi קֹדֶשׁ הַקֳּדָשִׁים appellatur : ubi cum aliqui *Sanctitas Sanctitatum* in abſtracto interpretentur ; nihilominus alii *Sanctum Sanctorum* in concreto dixerunt. Enimverò loca divino cultui , & religionis miniſterio dicata , ſunt quidem ſancta , eo ſanctitatis gradu , ut ſanctitatem etiam aliis rebus communicare poſſint : quamobrem ſacrificia , altaria, thura , odorata veſtimenta ad ſacra obeunduni munera, ignes ad comburendum victimas , & alia quæcumque religionis aliquo ſigno inſignita קֹדֶשׁ id eſt, *Sanctitas* dicuntur per nomen formæ. Sacrum Latinè , me judice , rectè dicerentur. qua ratione tam templum , quam tum oleum, quo Reges inaugurabantur ; cum etiam illud quo Sacerdotes conſecrabantur ; ſacrum dicebatur : quia ſanctificatio , & conſecratio rebus quæ his inungebantur , communicabantur : ut habetur Levit. *Qui tetigerit eam* , *ſanctificabitur.* Quod tanta nimirum eſſet ſanctitas rerum, quæ Deo conſecratæ per olei unctionem erant; ut ſolo contactu ſanctitatem aliis rebus conferre poſſent. Dicebantur etiam Sancta , ſive verius Sacroſancta , utenſilia omnia divino cultui dicata ; quatenus religioni , atque Deo , hoſtiis , victimis , ſanguine , & ſanctis cæremoniis conſecrata erant. Qua ratione fortaſſe dixerunt aliqui nomen iſtud *Sanctum* à verbo *ſancio* derivari , quod eſt ſanguine ſancire , id eſt ſacrare. Nam ſanguine victimarum , oſtendemus in ſequenti libro Tabernaculum , Altaria, & Sacra vaſa conſecrata fuiſſe : quin etiam ipſos Sacerdotes tam minores quam maximos , ſanguine victimarum , & ſacro oleo initiatos , atque ſanctificatos fuiſſe videbimus. Hoc igitur oleum de quo agimus, quo Reges inaugurabantur ; & illud quo Sacerdotes conſecrabantur , SANCTUM dicetur , lege pro eo firmata. Nam legibus , plebisve ſcitis , pœnis adjectis , res ſanctificatas fuiſſe etiam apud Romanos , teſtis eſt Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 14. hac ratione oleum hoc ſanctum fuiſſe , probat lex pro eo lata à Deo cap. 30. Exodi , ſub hac verborum forma : *Filiis quoque Iſraël dices ; hoc oleum unctionis ſanctum erit mihi in generationes veſtras. caro hominis non ungetur ex eo* , *& juxta compoſitionem ejus non facietis aliud* , *quia ſanctificatum eſt* , *& ſanctum erit vobis. homo quicumque tale compoſuerit* , *& dederit ex eo alieno* , *exterminabitur de populo ſuo.* De oleo verò , quo Reges inaugurabantur , licet lex ſancita pro illius ſanctificatione non habeatur , Doctores tamen illi , qui idem oleum pro Regibus & Sacerdotibus ſtatutum fuiſſe affirmant, hoc nequaquam in difficultatem vocabunt. nec nos etiam , qui licet aliter ſentiamus , ſanctum quoque dicemus oleum Regiæ inaugurationis , tum quia hanc dignitatem dat illi Deus Pſalmo 88. dicens : *Inveni David ſervum meum* , *oleo ſancto meo unxi eum* : tum quia in tabernaculo ſervabatur , ut Reg. 2. cap. 1. ſcribitur : in quo quidem tabernaculo ſacroſancta ſolummodo cuſtodiebantur. Verum quia in novo argumenti genere , ac in divinis oraculis interpretandis verſamur ; in quibus ne tantillum quidem à recto declinare conceditur ; & lapſus eſt facilis humani ingenii imbecillitati : propterea hic doctos viros interpellare conſtitui , ut ſi quæ explodenda cenſuerint , illa omnino deleant : ita enim unguentariæ noſtræ officinæ ſuavitas , decor , fragrantia , & odor conciliabitur. Si quem verò fructum ex his noſtris ſtudiis ſtudioſi ceperint , D. N. Urbano VIII. Pontifici Optimo Maximo ſe debere illum intelligant ; qui Sacrario Apoſtolico me præfecit : & pro ſua in ſtudioſos omnes benignitate, lucubrationibus his lucem videre præſtitit ; aliàs enim Religioſa paupertas , & Scholaſtica ſtudia , Myrothecia noſtra omnino oppreſſiſſent. Cum igitur de oleorum , & unguentorum generibus , quæ ad ſingularium perſonarum deſtinabantur uſum , ut his Sacerdotes conſecrarentur , Reges inaugurarentur , nuptiæ celebrarentur , & cadavera condirentur , plurima ſuperſint arcana explicanda , pro unoquoque ſequentes inſtituemus libros. His igitur , quæ de prophanis mulierum unguentis diximus in ſuperioribus , deque nepotinis ſtudiis corrupti ſeculi tradidimus , addantur , quæ in hoc capitulo de oleo SANCTO , & alibi de nutrimento ſacrarum lucernarum aperuimus ; & his limitibus Myrothecium hoc primum SACROPROPHANUM omnino claudatur.

MYROTHECII PRIMI FINIS.

SERIES CAPITUM.

CAP. I.

SAcra oleorum vocabula aperiuntur. pag. 1

CAP. II.

Sacrorum unguentorum vocabula illuſtrantur. 5

CAP. III.

Olei ſimplicis munera, ac dignitas ex ſacris, & prophanis aperitur. 8

CAP. IV.

Arborum genus, ad lucernas pro candelabro Domini, & olivandi ritus monſtrantur. 13

CAP. V.

Sacra olearia ars, ad oleum ſacri Candelabri præparandum docetur. 17

CAP. VI.

Lucernarum cultus, & religio, ex Sacris & Prophanis oſtenditur. 21

CAP. VII.

Sacrarum lucernarum forma oſtenditur. 26

CAP. VIII.

Ignis ad accendendas lucernas Candelabri ſancti, unde hauſtus oſtenditur. 37

CAP. IX.

Sacri ignis cultus, & religio explicatur. 43

CAP. X.

Sacra ſacrarum lucernarum infundibula in miniſterium olei, & luminis explicantur. 50

CAP. XI.

Olei aſſervandi in tabernaculo locus demonſtratur. 55

CAP. XII.

Forma vaſis olearii ad uſum Candelabri ſancti monſtratur. 57

CAP. XIII.

Non ſolius Pontificis, ſed inferiorum quoque ſacerdotum erat, lucernas Cendelabri oleo nutrire. 64

CAP. XIV.

Olei offerendi nulla Iſraëlitas teneri lege, falſo exiſtimavit Abulenſis. 69

CAP. XV.

Jure præcepti Iſraëlitæ offerre oleum ad uſum candelabri tenebantur. 73

CAP. XVI.

Unguentorum exordia, à primis ferè temporibus oſtenduntur. 77

CAP. XVII.

Unguenta quanta fuerint in æſtimatione apud veteres. 83

CAP. XVIII.

Forum aromatarium inſigniores urbes habuiſſe videntur. 88

CAP. XIX.

Unguentorum profuſus uſus, & abuſus oſtenditur. 91

CAP. XX.

Ungentarii, & Unguentarii quæ ſint diſcrimina. 96

CAP. XXI.

Unguentorum ſacrorum ſpecies ex prophanis etiam recenſentur. 100

CAP. XXII.

Sacrorum unguentorum componendorum ars oſtenditur. 106

CAP. XXIII.

Olei lætitiæ, ac gaudii vocabula illuſtrantur. 110

CAP. XXIV.

Quodnam unguenti genus olei lætitiæ nomine ſignificetur. 114

CAP. XXV.

Roſacei unguenti, & roſarum præſtantia in oleo lætitiæ demonſtratur. 120

CAP. XXVI.

Roſaceæ coronæ uſus antiquiſſimus illuſtratur. 126

CAP. XXVII.

Olei lætitiæ compoſitio monſtratur. 132

CAP. XXVIII.

Suſini unguenti, liliorum, liliaceæque coronæ uſus oſtenditur. 135

CAP. XXIX.

Explicatur cur oleum lætitiæ ſic appellaretur. 139

CAP. XXX.

Balnei aqua uti ſanitatis putabatur, & amicitiæ, ac fidei ſymbolum habebat. 144

CAP. XXXI.

Veteres lotione cœnam præveniebant. 151

CAP. XXXII.

Aquam luſtralem purificationis cauſa Servatorem noſtrum frequentaſſe oſtenditur. 154

CAP. XXXIII.

Domeſtica quoque balnea frequentaſſe Chriſtum conjectatur. 159

CAP. XXXIV.

Balneum oleo, & unctioni conjungebatur. 165

CAP. XXXV.

Solium, ſtrigiles, linteaque ex ſacris oraculis aperiuntur. 171

CAP. XXXVI.

Sudatorii, Calidarii, Tepidarii, Unctuariique calor illuſtratur. 178

CAP. XXXVII.

Non ſolum ablutio, ſed & oleum ex inſtitutis veterum convivio debebatur. 185

CAP. XXXVIII.

Prophetas ad munus propheticum obeundum aliquo genere olei unctos ſuſpicari poteſt. 189

CAP. XXXIX.

Prophetas nullo olei genere initiatos fuiſſe teneri poteſt. 196

CAP. XL.

Unguentorum inter pocula luxus aperitur. 202

CAP. XLI.

Unguenta pueris, puelliſque præminiſtris convivis porrigebantur. 207

CAP. XLII.

Aromatum, & unguentorum in vino potandorum uſus illuſtratur. 210

CAP. XLIII.

Croſſi, Trullæ oleariæ, aliaque unguentorum vaſcula declarantur. 214

CAP. XLIV.

Unguentaria pyxis ex ſacris oraculis explicatur. 221

CAP. XLV.

Ampulla, lecythus, & lenticula, ſacra unguentorum vaſa explicantur. 227

CAP. XLVI.

Alabaſtrum indigitatur, & Onyx unguentarius explicatur. 232

CAP. XLVII.

Alabaſtri unguentarii forma, & uſus illuſtrantur. 238

CAP. XLVIII.

Sacrum unguentarium cornu explicatur. 243

CAP. XLIX.

Cultus, & unguenta pro mundo muliebri illuſtrantur. 246

CAP. L.

Smigmatum ad cutem expoliendam, ablutionum, ac unguentorum uſus penes mulieres explicatur. 251

CAP. LI.

Mari, amaraci, myrthique uſus unguentarius in mundo muliebri Eſtheris non improbatur. 255

CAP. LII.

Unguentum Eſther, myrrhæ verius conceditur, & uſus illius explicatur. 260

CAP. LIII.

Veteris teſtamenti oleum ſanctum illuſtratur. 265

SA-

SACRORVM
ELAEOCHRISMATΩN
MYROTHECIVM ALTERVM,

Quod inſcribitur

CONSECRATIONIS,

Explicans compoſitionem, & uſum unguenti à Deo inſtituti ad Conſecrationem Sacerdotum, Altarium, Tabernaculi, & omnium Moſaicorum utenſilium, eorumdemque formas de novo ex ſacris Litteris cognitas aperiens.

AUCTORE

F. FORTVNATO SCACCHO

Ordinis Eremitarum S. Auguſtini,

APOSTOLICI SACRARII PRAEFECTO.

Opus ſacrarum rerum antiquitate, necnon etiam Hebræorum, Græcorum, Latinorumque moribus, ac ritibus tam ſacris, quam prophanis, undequaque conſperſum.

ILL.MO AC REV.MO D.

D. FRANCISCO BARBERINO

S. R. E. CARDINALI

AVINIONENSI LEGATO

S. D. N. VRBANI VIII.

EX FRATRE NEPOTI. S.

SACRORUM Oraculorum perobſcura interpretatio, quæ inter latebras veterum conſuetudinum, rituum, Ethnicorumque mores deliteſcebat; pro noſtræ tenuitatis modulo deprompta, & explicata, præſidium captat & lucem, à Tui Nominis Claritudine, Illuſtriſſ. ac Reverendiſſ. Princeps: cujus olea ab Herculea clava effloreſcens, quam Tibi inter Academiæ notas aſciviſti, & Patrui Tui S. D. N. URBANI Laurus, cum utriuſque plantæ ramuſculis, in coronam ſeſe complectentibus, quantum apud Barberinam familiam, optimarum artium ſtudia ſint in pretio teſtantur. Propterea enim ſuæ coronæ ALIT ARTES S. D. N. lemma inſcripſit; Tu verò clavæ effloreſcenti SOLA. SIBI. PRETIUM adpoſuiſti; ut omnibus planè conſtet; quanti virtus ex labore parta, non ſolum à Barberinis æſtimetur; ſed forum, nundinaſque litterarias apud Barberinos, omnes auſpicari debere intelligant. Cum igitur à Phœbea Sacerdote, commanducata Lauro, oleaque coronata, oracula fuiſſe prodita, veterum Scriptorum monumenta tradant; atque illa quidem, ambagibus, mendaciis, fraudibuſque referta: æquum certè erat; ut noſtra in hoc Myrothecio expoſita, Vera, & Sacroſancta, veterum ſolummodo rituum tecta involucris, Tuis Illuſtriſſime, ac Reverendiſſime Domine Lauro, & Oleæ inniterentur. Tum ne ipſe ancipiti myſteriorum mole oppreſſus omnino ſuccumberem; tum ne aliquem fortaſſe ex adverſo inſurgentem reformidarem: nam quiſquis negotiari cogltat, forum, & nundinas ſibi ſalutandas meminerit. Quamobrem cum diù quidem mihi perſpectum ſit, quam benevolè Sacra hæc noſtra ſtudia, & omnes litterarios conatus proſequaris: ut nunc etiam inter Romanæ Aulæ immenſa ne-

gotia, quæ ſuſtines; veteres Eccleſiæ antiquitates, ac ritus, non rarò perveſtigare ſit Tibi curæ: has de Moſaicis ritibus, & conſecrationibus lucubrationes, Illuſtriſſimæ Dominationis Tuæ Patrocinio fultas volui. Atque hic de Tuis laudibus agendi, latiſſimus ſanè campus aperiebatur; ceterum abſtinere juſſit, ingenuus ille, notus mihi & omnibus pudor, & modeſtia Tua; quam ſi onerare, quamvis rectiſſimis, veriſſimiſque laudibus aggrederer, offenſam nullis rationibus eluctari poſſim. Quod quidem in excelſo homine, non ſolum præclaræ indolis, verum etiam amoris in litteras, argumentum eſt luculentiſſimum. Acceſſio enim tam magnæ dignitatis Cardinalatus, de Tua voluntate in bonas litteras, litteratoſque omnes, non ſolum nihil immutavit; imò propenſionem mirum in modum auxit. Habet autem virtus in excelſo ſita, faciem ac frontem Auguſtiorem, cujus ipſe aſpectu non ſemel recreatus, eidem etiam deberi ſum arbitratus, quicquid de Sacerdotum, Altarium, & reliquorum utenſilium Moſaicorum conſecratione, in noſtro hoc Myrothecio depromſi. Quamvis enim SOLA SIBI PRETIUM virtus ſit, ut verè dicis: hæc tamen dignitate, laudeque ab excelſis hominibus provenientibus, ſuos etiam ad opus exſtimulat clientes; ut in me contigiſſe fateor, in quo bene agendi, atque ſcribendi voluntas tantum fuit. Nam ea, ad quam promotus ſum Apoſtolici Sacrarii Præfectura, S. D. N. VRBANI Tui Patrui benignitate, Tuiſque ſtudiis, me omnino compellit; non ſolum ut indies laboribus rei litterariæ, labores adjungam; ſed etiam ut meipſum, meaque omnia Illuſtriſſimæ, ac Reverendiſſimæ Dominationi Tuæ devota velim. Cujus obſequentiſſimæ, & prolixæ erga Te voluntatis meæ, ut in præſentiarum rationem dumtaxat habeas, ſummis precibus ab Illuſtriſſima, ac Reverendiſſima Dominatione Tua contendo. Utque libens hanc induſtriæ noſtræ fœturam, lucem ſub Tuis auſpiciis affectantem, accipias precor. Enixè autem cupit Proceribus per Te probari, quibus meritò es probatiſſimus. Vale, Vir ſumme, mihi, omnibuſque bonarum litterarum amatoribus, & Catholicæ Eccleſiæ fidelibus, una cum Patruo Tuo S. D. N. URBANO fœlix, & ſoſpes vive. Dat. Romæ viij. Kalen. Septemb. M. DC. XXVII.

Ill.mæ ac Rev.mæ D.nis Tuæ

Humillimus & devotus ſervus

F. FORTUNATUS SCACCHUS *Apoſt. Sacr. Præfect.*

LECTO-

PUBLICVM jam videt alterum hoc noſtrum Myrothecium, CONSECRATIONIS inſcriptum; quod jam certè vidiſſet, niſi ſtatim ac primum Myrothecium in Theatrum Litteratorum exiit, gravi oppreſſus morbo, ad annum uſque & ultra decubuiſſem. ut ut autem Summi Numinis placitu à decubitu tandem convalui, nil magis mihi in antiquis fuit; quam priori, hoc quoque aliud adjungere, ut Sacrorum Elæochriſmatων diſtinctioni, in altero explicatæ, quantum in me erat, ſatisfacerem, & Lectori Optimo, unguentum hoc Conſecrationis deſiderandum minimè eſſet: quod in reliquis etiam, Deo propitio, quoquo modo potero, me facturum ſpondeo. Deterrebat nos Sacrorum Oraculorum αἰνιγματώσια, quæ cum tenebricoſa quammaximè ſit; majori, ſplendidiorique face indigere videbatur: non quod iſtorum, vel dicendi genus intricatum ſit, & abditum, vel voces inſolentes, & verba deſita ex Titiniis, & Pacuviis ſacer Scriptor, aut Interpres conſectari conſueverit. Quid enim ſacris Bibliis explicatius? quid verbis ſimplicius? ſed ratio ænigmatis, aut obſcuritatis in nobis eſt; quod non ſatis ab antiquitatis, & veteris memoriæ rebus parati, obſcuritatem nobiſcum ad illarum lectionem afferamus; vel hebetiore ſenſu, vim, argutiam, & acumen, tam Prophetarum, quam Pſalmographi, & Salomonis in Canticis, atque Proverbiis, aliiſque ſacræ Scripturæ libris non aſſequamur. Videbatur materia hæc, dicendi elegantiorem formam ſpectare, & Scriptorem minimè admittere, qui totius vitæ ferè ſpatium in Scholaſticis, Theologiciſque ſtudiis inſumpſiſſet: ab harum enim dicendi genere contigit, ut tam hæ, quam aliæ primi Myrothecii noſtræ lucubrationes ſquallidæ, informes, inelegantes, & ab omni cultu alienæ omnino appareant: præſertim in hoc Conſecrationis Myrothecio, in quo ſacrarum Scripturarum ſtudioſis, nobis loquendum cum fuerit, cuncta etiam quodam ſimplici ſtylo depromſimus. Quamobrem operis mole, propriaque imperitia deterritus, eò maximè propendebam, ut tam ab iſto, quam à reliquis, quæ remanent libris publicandis, libentiſſimè abſtinerem, & ab inceptis deſiſtere minimè pudebat: ſed neſcio quo fato, viri me doctiores, ad ea publicanda non tam ſuadeant, quam impellant; ea fortaſſe ratione, ut mea imperitia, peritiores, cordatioreſque alii fiant, in his, quorum explanatio in Chriſti Eccleſia perneceſſaria cenſebatur; meo muneri ſatisfactum exiſtimantes, rudem materiam aliis in poſterum poliendam præſtitiſſe. Dabit fortaſſe Deus, ut in reliquis, quæ remanent Myrotheciis, culturæ magis ſit opera danda.

De inſcriptione Operis, quid addam ad ea, quæ ad primum Myrothecium dixeram, vix ſupereſt; eamdem enim proſequimur materiam unguentorum, & oleorum: quamobrem ſub eodem titulo Sacrorum Elæochriſmatων, hoc quoque Orbis ſcenam ingreditur; quia verò hoc Myrothecio, vas alterum unguentarium in noſtra officina conſpicitur; propterea Conſecrationis propria ſcheda inſcribitur; ut ſtatim primo intuitu in ea ingredientibus occurrat, quid in ipſo claudatur. Priori enim, in quo Oleorum, & Unguentorum uſum in univerſum contemplabatur; quia de Unguentis etiam ad mulierum uſum, ex ſacris litteris in eo tractabatur; Sacroprophanum nos illud inſcripſiſſe conſtat. In iſto autem Myrothecio, quia unguentum illud clauditur, quo Tabernaculum Moſaicum, Arca Teſtamenti, Menſa Propoſitionis, Candelabrum, Altaria tam aurea ad uſum thymiamatis, quam ærea ad uſum ſacrificiorum, & omnia ſacrorum utenſilia ſanctificabantur; quæ juxta Dei præſcriptum in ſacris miniſteriis veterum, & Leviticorum ſacrificiorum deſerviebant; nec ſolum unguenti hujus nomina, ſed etiam aromata, quibus hoc Unguentum componebatur, elucidanda ſuſcepimus; propterea Myrothecium Conſecrationis illud inſcripſimus.

Dum autem iſtorum ſacrorum utenſilium Conſecratio inveſtigatur, hacque de cauſa omnes curæ, cogitationeſque noſtræ eò verterentur, ut intima ſenſa, ſacrorumque oraculorum mentem, quantum homini datur, penetraremus; formas quoque eorundem non animadverſas prætermittere, aut inexplicatas præterire, minimè æquum cenſebatur. In his præter Rabbinos, & Nicolaum de Lira; Arias quoque Montanus in ſuo Apparatu ad Regia Biblia, in Opuſculo quod Aaron à ſacerdotio inſcripſit, ante illum Abulenſis, Cajetanus, & alii, demum verò Joannes Baptiſta Villalpandus cum Hieronymo Prado, ambo doctiſſimi ex Societate viri in tribus illis voluminibus, quos Majeſtate Regia dignos, Regis Hiſpaniarum impenſis ediderunt; Auguſtinus Torniellus Clericus Regularis in ſuis Annalibus, & alii doctiſſimi viri, plurimum laborarunt: nec nos iſtorum doctiſſimorum virorum feliciſſimè exantlati labores deterruerunt; quin plurima in formis ſacræ Arcæ, Candelabri, Menſæ, Altaris aurei, & quod potius eſt in Altari holocauſti, tam Moſaico, quam Salomonis, & Ezechielis, quæ Templo jam ædificato excitata fuere, à prædictis doctiſſimis viris, minus adverſa, atque intermiſſa perſpectaremus. Quamobrem licet omnino novas, ſacrorum utenſilium formas comminiſci videremur; ab his quas jam relati Auctores tradiderunt ſatis diverſas, antiquis tamen Lapidibus, Nummis, atque veterum Teſtimoniis excitati, & quod magis eſt, Sacrorum Oraculorum auctoritate fulti, illas publicare coacti ſumus. ſperantes profectò nequaquam novas, ſed ad veras, & à Deo inſtitutas ſacræ ſupellectilis formas, illa omnia revocaſſe.

Vaſa etiam penè reliqua, quæ in ſacris Iſraëlitarum adhibebantur, quibus potuimus iconibus conſpicienda propoſuimus; ut innumerabilia ſacrarum Scripturarum loca invia, & ignota, noſtris his ſtudiis, quibus veterum mores aperiuntur, pervia fierent; & quæ obſcura erant diverſorum

rum Scriptorum dictis, ſententiiſque illuſtrarentur; ſicubi verò opus fuiſſet, illorum teſtimoniis, ac tabulis firmarentur: & quæ apud prædictos jam doctiſſimos viros non habentur, aut ſub latebris antiquitatis tecta remanſerant, aut omninò ignota, vi hebraici vocabuli diſcuſſa, Ethnicorum quoque κακοζηλία *animadverſa, Græcorum, ac Romanorum ritibus libratis, Poëtarum, ac Veterum, tam Græcorum, quam Latinorum ſcriptis evolutis, non ſolum ſacrorum inſtrumentorum formæ, ſed etiam plurima divinorum Oraculorum loca, ac etiam non pauca antiquorum Scriptorum monumenta explicata remanerent.*

Excurri etiam nunc in ἔθη, *& ritus veterum idololatrarum, nunc in mores, &* ἤθη, *antiquitatis veſtigia diligenter perſecutus, quando vel locus admonebat, vel uſus, & res exigebat. Nec enim alienum à ſacris Oraculis, prophanorum Scriptorum teſtimonia putari debent: nam Iſraëlitæ quoque Deo Opt. Max. in deſerto ſacra facturi, atque ibidem Tabernaculum, Arcam, & vaſa aurea, & argentea conſtituturi, ab Ægyptiis, qui ea Iſraëlitis ſuffurati fuerant, ejus materiæ vaſa mutuo petierunt, cum Ægyptum egrederentur. Deum autem id juſſiſſe conſtat; ut proprios repeteret dominos ſuppellectilis aurea, & argentea, quam vis, atque tyrannicæ ſervitutis ratio, juris alieni fecerat. Quamobrem æqui, ac boni conſulendo, à ſacris ſuperſtitioſorum hominum, vaſa repetere, quæ in cultum Idolorum idololatræ adhibuerant; ut veri, ac Summi Dei religioni reſtituantur, decet ſacrorum Oraculorum Interpretem, ſacrorumque utenſilium contemplatorem. Hinc auſpice Deo, factum eſt, ut non ſolum ſacra Oracula. ſed etiam plurima ex antiquis Lapidibus, Nummis, atque Hiſtoriis etiam prophanis manifeſta fierent, quæ antiquitatum ſtudioſos juvare poterunt.*

In his verò elucidandis, atque effodiendis, quantum negotii, ac difficultatis ſit, viderint hi, qui nos in methodo componendi hoc unguentum animadvertent, Aromatarii, Unguentarii, & Myropolæ munera exercuiſſe, ac propterea Plinium, Dioſcoridem, Theophraſtum, Ariſtotelem, Matthiolum, Galenum, & alios hujus doctrinæ viros graviſſimos evolviſſe; referant etiam alii, qui numquam ſatis ſe dixiſſe intelligunt, in perſcrutando ſolius Altaris holocauſtorum formam, quam Dei juſſu Moyſes in deſerto aptavit; cujus tamen formam ex Moſaicis Oraculis monſtravimus: & in Altari Gradus, Craticula, Arula, Foculi, & alia ferè innumerabilia ſacrorum miniſtrorum utenſilia, quæ in tenebris antiquitatis latebant, perſpicuè illuſtrantur. Diverſas Altarium formas apud Iſraëlitas, Deum minimè vetuiſſe perſpicuum eſt: quin potius non ſolum ſacra oblata ſuper Altaria, ſed in ipſa humo, in ſublimioribus excelſiſque locis. inter denſiſſimas arbores, gratanter ſacrificia admiſiſſe, hilarique fronte accepiſſe; liquido ex divinis palam fit litteris. Qua ratione etiam ſacrorum miniſtri, oleo ſancto ungerentur, in hoc Myrothecio aperitur: quo ritu, quibus cæremoniis Summi Sacerdotis conſecratio, à reliquorum minorum Sacerdotum conſecratione diſtingueretur, elucidatur. itaque tempus, ac conſecrationis forma inobſervata non relinquitur. Sacerdotes quoque minimè una cum reliquis inanimatis utenſilibus, ſed poſt illa conſecrata monſtrantur.

Ad quæ elucidanda, non ſolum variis rerum antiquarum libris, ac nummorum iconibus adjuti ſumus, quos beniguiſſimè nobis commodavit Ill.[mus] *ac R.*[mus] *D. Laurentius Card. Magalottus, qui pro ſua, quam in litteras, ac litteratos omnes habet, propenſione, non ſemel, ſed ſæpiſſimè nos ad hæc ſtudia ſacra incitavit, ac excitavit, excitata verò juvit, ac fovit; ſed etiam uſi ſumus Nummis, veterum Monumentis, atque Muſeis, quæ hic Romæ habentur. His etenim ſimpuvia, libatoria, guttique Propoſitionis Menſæ, quadriga Salomonis, quæ Arcam tegebat, foculi Altaris aurei, Thuribula, & alia plura; quodque magis eſt, in ipſa ſacra Arca ſacrum Dei Tribunal, ac Imperatorium ſolium, ab aliis quod ſciam nondum cognitum, in propria icone effigiatur, & quantum fieri poteſt, elucidatur.*

Quia verò humiliter, ac infimè de noſtris ſtudiis, & lucubrationibus ſentire, propriamque imperitiam fateri non pudet; non ſolum illa omnia judicio Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſubmiſſa volumus; pro qua Eccleſia, illiuſque doctrina ſanguinem fundere parati ſumus; ſed etiam doctioribus viris, & virorum doctioribus lucubrationibus, illorumque limæ noſtra omnia ſcripta perpendenda, collimanda, eradenda, & ad rectam lineam revocanda libentiſſimè ſubmittimus: nobiſque gratiſſimum erit, non ſolum ab illis corrigi, verum etiam magno lucro æſtimabitur, ore, ſcriptiſque admoneri, ubi aliquid rectæ rationi, aut ſacris oraculis, quæ ſupra rationem ſunt, minus conſonum in noſtris ſtudiis ſuboluerit: ubique enim, & ſemper veritati adlaborare curavimus; quam ſi alii nobis ipſis feliciores aſſequentur; certè omni conatu eam venerabimur, tuebimur, & amplectemur. Quæcumque verò his non conſentient, aut doctioribus viris minus probata erunt; ab his deleta, & noſtris omnibus ſcriptis eraſa, atque omnino expuncta affirmamus; ſemper parati, quoties opus fuerit tam in his, quam in ſequentibus Myrotheciis palinodiam recantare, cum aliquid minus cordatè à nobis prolatum fuerit.

Methodus ſcribendi noſtra in his fuit, non ea quæ decebat ſacrorum Oraculorum Interpretem, ſed quam potuimus ſumus perſecuti: ultra vires noſtras aliquid à nobis poſtulare iniquum eſt. nam etiam rudes lapides Sculptoribus occurrunt, ut ex illis detractis ſuperfluis, & addendo quæ deeſſe putantur, pulcherrimas & arte digniſſimas forment imagines; quod certè doctiores, & eruditi facere poterunt. Utinam in reliquis, quæ remanent lucubrationibus, dignius aliquid pro majeſtate Sacrorum Oraculorum exhibeamus: quod ferventioribus votis a Deo Opt. Max. efflagito; cui laudem, & gloriam ex noſtris ſtudiis, ſi quid præſeferant boni, debetur. Interea Benevolum Lectorem oro, ut omnia in his ad vivum unguem ne reſecet; ſed erratis meis humaniſſime ignoſcat; & iis etiam, quæ rectè ſcripta judicaverit; non invideat. Vale.

Im-

Imprimatur, ſi videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

A. Epiſc. Hierac. Viceſg.

EGO Frater Paulus Ciera Venetus Auguſtinianus, in Romana Academia publicus Sacrarum Litterarum Profeſſor, & Theologus Illuſtriſſimi, ac Reverendiſſimi D. Cardinalis Aloyſii Caetani. Vidi, & legi Librum mihi tranſmiſſum à Reverendiſſ. Patre Magiſtro Nicolao Rodulfio Sacri Palatii Magiſtro; cui titulus eſt: *Sacrorum Elæochriſmatωn Myrothecium Secundum, &c.* Auctore Reverendiſſimo P. F. Fortunato Scaccho Apoſtolici Sacrarii Præfecto. Opus ſanè non minus arte, ingenio, doctrina, eruditione plenum, quam primum ab eodem Auctore editum; nihilque in eo animadverti, quod, aut Catholicæ veritati, aut Chriſtianæ pietati adverſetur. In quorum fidem, &c. Romæ ex Monaſterio D. Auguſtini VIII. Non. Febr. 1627.

Ego qui ſupra F. Paulus Venetus.

NE *quam graviſſimi, & eruditi viri, à primi Sacrorum Elæochriſmatωn Tomi lectione voluptatem hauſerunt, intermittant; Opus, quod primo ſimile agnovimus, ut in lucem prodeat, facultatem concedimus. Romæ in Palatio Apoſtolico die* XIX. *Auguſti M. DC. XXVII.*

Fr. Nicolaus Rodulfius Ord. Præd. Sac. Pal. Magiſter.

R.mo P. F. FORTVNATO SCACCHO

Ord. Eremit. S. Auguſtini,

SACRARII APOSTOLICI PRÆFECTO;

MAGISTRI F. GEORGII MAIGRETII BELGAE

Carmen Adgratulatorium.

FOrtunate, Sacris cui præeſſe
Τοιούδ' Αρχιερῆος, *haud favores,*
Sed virtus facit, eruditioque
Tum quos pervigili ſubinde cura
Profers ingenii undecumque fœtus,
Seù MYROTHECIUM SACROPROPHANUM,
Seù præſentia CONSECRATIONIS
Das Oracula, myſticoſque ritus
Doctè ſcilicet, ac laborioſè
Libris explicitos, perennibuſque.
O ſi Belgiaca fores in ora!
Nongenti tibi baſiatione
Auguſtiniadæ tui ſodales
Laſſarent quater, ampliuſque dextram.
Nunc verſus properant ad occupatum;
Non quales dare BARBERINA MVSA
Conſuevit faciles & elegantes.
At nulla venere, horridi, trementes
Inter tympana Martis, atque turbas.
Quod ſi Dîs Superis leve, ac decorum
Δοῦναι χεῖρα βροτοῖσι τοῖς πεσοῦσι,
Τόλμα σοῖς ἑτάροισι συμμάχεσθαι,
Εἰ μὲν πάσχομεν ἄλγε' οὐ δικαίως,
A Gigantibus heù minuta turba;
Quod fors audierit Sacer Senatus.
Sic magnus Pater, atque Rex Sacrorum
VRBANUS moderetur æquus Orbem.

CATA-

CATALOGUS AUCTORUM,

Qui in hoc opere citantur.

A.

Accurſius gloſſa.
Adolphus Occonus.
Ælianus de inſtruenda acie.
Ælianus de varia hiſtoria.
Alciatus.
Alexander ab Alexandro.
Alphonſus Toſtatus Epiſcopus Abulenſis.
Alphonſus de Caſtro.
Andreas Mathiolus.
Antonius Auguſt.
Apollonius Argonaut.
Apulejus.
Aquila Bibliorum interpres.
Archidiaconus.
Arias Montanus.
Ariſteas.
Ariſtophanes.
Ariſtoteles.
Arnobius.
Athenæus.
Avicenna.
S. Auguſtinus.

B.

Baldus.
Baradas.
Barnabas Briſſonius.
Bartolus.
Benedictus Arias Montanus.
Benedictus Pererius.
S. Bonaventura.
Brecheus.
Budæus.

C.

Cajetanus.
Chaldæus paraphr.
Callimachus.
Caſſiodorus.
Cæſar Baronius.
Celſus.
Clemens Alexandrinus.
Cicero.
Cluſius.
Cointhus.
Columella.
Concilia.
Conſtantinus.
Cornelius Tacitus.
Cornelius Fronton.
Corraſius.
Couarruuias.

D.

Dalemcampius hiſt. plantar.
David de Pomis.
Diodorus.
Dion.
Dioſcorides.
Donatus.

E.

Euripides.
Euſebius.
Euſtathius.
Erizus.

F.

Ferdinandus de Eſcalante.
Fernellius.
Feſtus.
Feuardentius.
Forrerius.
Franciſcus Ribera.
Franciſcus Suarez.
Franciſcus Valeſius.
Fulvius Urſinus.

G.

Gabriel Vaſquez.
Galenus.
Garzias Luſitanus.
Gaſpar Bauhinus.
Geminianus.
Genebrardus.
Godeſcalcus Stevechius.
Goltzius.
Gothofredus, margines digeſt.
S. Gregorius.
Gruterus.
Guilelmus Choul.

H.

Herodianus.
Herodotus.
S. Hieronymus.
Hieronymus Prado.
Homerus.
Horatius.
Hugo Cardinalis.
Hippocrates.
Hugo de S. Victore.

I.

Jacobus Boulduch.
Jacobus Gutherus.
Jamblicus.
Janus Parrhaſius.
Joannes Baptiſta Villalpandus.
Joannis Calvini Dictionarium correctum.
Joannes Maldonatus.
Joannes Medina.
Joannes Scapula.
Joannes Spondanus.
R. Jonathan.
Joſeph Bengorion.
Joſephus Hebræus.
S. Iſidorus.
Iſidorus Clarius.
Julius Salinus.
Juſtiniani inſtitutiones.
S. Juſtinus Martyr.
Juvenalis.

L.

Lactantius grammaticus.
Lampridius.
Laurentius Valla.
Lelius Giraldus.
Lipomanus.
T. Livius.
Lonicerus hiſtor. plantarum.
Lucanus.
Lucianus.
Ludovicus Dominicus.

M.

Macrobius.
Manilius poëta.
Marcellus Virgilius.
Marcus.
Martialis.
Martianus Juriſconſultus.

N.

Nicolaus de Lyra.
Nicolaus Sanderus.
Nonius.
Nonnus Dionyſiacon.

O.

Octavius Roſcius.
Oribaſius.
Origenes.
Orpheus.
Ovidius.

P.

Paulus Juriſconſultus.
Pauſanias.
Petrus Comeſtor.
Philippus d'Aquin.
Philo Judæus.
Philoſtrat. de vita Apoll.
Pierius.
Plato.
Plinius Senior.
Plinius Junior.
Plutarchus.
Pollux.
Polybius.
Porphyrius Ariſtotelicus.
Porphyrius Pythagoricus.
Propertius.

Q.

Quintilianus.

R.

Ricardus.
Rigaltius.
Robertus Bellarminus.
Rodiginus.
Roſinus.
Ruellius hiſtor. plantar.

S.

Sabellicus.
Salmaſius.
R. Salomon.
Sanctes Pagninus.
Seneca Philoſophus.
Seneca Poëta.
Septuaginta Interpretes
Serrarius.
Servius Honoratus.
Sigonius.
Sophocles.
Statius.
Stobeus.
Strabo.
Suetonius.
Suidas.

T.

Terentius.
Tertullianus.
Theocritus.
Theophraſtus.
S. Thomas Aquinates.
Thucydides.
Tibullus.
Tiraquellus.
Torniellus.
Triſmegiſtus.
Turnebus.

V.

Valerandus Doureus medicus.
Valerius Flaccus.
Valerius Maximus.
M. Varro.
Vatablus.
Vegetius.
Virgilius.
Vitruvius.
Ulpianus.

SACRORUM ELAEOCHRISMATΩN MYROTHECII SECUNDI

Quod inſcribitur CONSECRATIONIS,

Caput Primum.

Unguenti Conſecrationis vocabula explicantur.

Ad loca Exodi 30. *Facieſque unctionis oleum ſanctum unguentum compoſitum opere unguentarii.* & infra : *Hoc oleum unctionis ſanctum erit mihi in generationes veſtras.* Levit. 8. *Tolle Aaron cum filiis ſuis , veſtes eorum , & unctionis oleum.* & ad alia loca.

UNGUENTUM quo ex Moſaÿcis inſtitutis Sacerdotes inaugurabantur, altaria, utenſiliaque ſacrificiorum , tabernaculum, altare thymiamatis; candelabrum , ſacra arca , horumque utenſilia , & reliqua Sacrorum inſtrumenta conſecrabantur; olei ſancti vocabulo ſignificari, jam ad calcem noſtri præcedentis Myrothecii monſtravimus : quin etiam inter ſancta olea, primam ſedem ſibi vendicare , unguentum hoc præſtantiſſimum , ſimulque ſanctiſſimum , certiſſimum eſſe debet. Eo enim non ſolum Sacerdotes , ſacris miniſteriis operam daturi, ut diximus, initiabantur; & utenſilia , ac ſupellectilia in Dei Optimi Maximi cultum ſacrabantur : ut meritò hac ſolum de cauſa, hoc oleum SANCTUM appellari poſſet ; ſed quod potius eſt , ſanctitate ipſiuſmet hujus unguenti inſtitutoris , cujus Deus ipſe fieri voluit ; reliquorum quoque ſanctificandorum virtute SANCTUM dici debuiſſe perſpicuum eſt. Quapropter , præcedens Myrothecium , in quo de unguentis , de quibus ſacris agitur in litteris , univerſali quadam ratione actum fuit ; hoc ſequitur Conſecrationis Myrothecium ; ut generi partes reſpondeant.

Ut verò à philoſophis, peripateticiſque dogmatibus non recedamus; à quidditate nominis ſacri hujus olei , atque ab ejus etymologia exordiamur, neceſſe eſt. Sunt enim nomina, imagines quædam articulatæ , vocales , ſive ſcriptæ , characteribuſque depictæ , quibus quæ dictionibus, ac vocibus ſignificantur , manifeſta fiunt : quamobrem qui diligenter etymologiam tenebit , vimque nominis notam habuerit ; ſignificatæ quoque rei notitiam , atque quidditatem perſpicuam habeat operæ pretium erit.

D

Unguentorum autem nomina ſumi ſolita , nonnumquam ab aromatibus , quæ illius compoſitionem ingrediebantur , diximus Myrothec. 1. cap. 21. interdum à loco , in quo præſtantiora illa ipſa habebantur unguenta; nonnumquam ab effectu; aliquando etiam ab artifice, qui illud ipſum unguenti genus excogitaſſet : de quibus omnibus fuſius ibi à nobis dictum fuit. Ab aromatibus igitur nomen huic unguento dare ſi velimus , COSTINUM dici poſſet : tum ratione coſti , quo nihil in ejus compoſi-
E tione , quam Deus cap. 30. Exodi tradidit , præſtantius inter aromata, quæ unguentum hoc componebant , aut eo dignius ingrederetur : tum etiam, quod unguenta ex arte unguentaria ab eo aromate appellabantur, quod poſtremo loco unguentariam compoſitionem condiebat. ſicuti cap. 22. primi Myrothecii oſtendimus.

Si verò à loco hujus unguenti nomen ſumendum eſſet , SYNAICUM dici deberet. Nam in deſerto Synai Deus Moyſem alloquutus , hoc genus unguenti apparare juſſit. Cum enim fœdus in Synai iniiſſet cum populo Deus benedictus, & in eodem
F monte intra caliginem nubis Moyſes introiſſet , ut dicitur Exodi cap. 25. dum Moyſi recenſeret Deus, quas oblationes ſibi admitti vellet , & in cultum tabernaculi offerri ; tandem ait , *Oleum ad luminaria concinnanda , aromata in unguentum , & thymiamata boni odoris* , ſupple accipies , dum filii Iſraël offerent.

Ab artifice nomen huic unguento tribuentes, DIVINUM appellandum erit. Deus enim artifex, atque inventor hujus præſtantiſſimæ compoſitionis , qua

qua Sacerdotes, & ſacra utenſilia conſecrarentur, haberi voluit. & meritò quidem, quod enim in Dei obſequium mancipabatur; ſive illud animatum eſſet, ut Sacerdotes; ſive inanime, ut reliqua ſacrorum utenſilia; divinitatis quodam charactere materiali inſigniri debuit. cujus characteris, ac materiæ quo illa ſignanda erant, alium quam Deum auctorem habere nequibant. quamobrem dicitur Exodi 30. *Loquutuſque eſt Dominus ad Moyſen dicens: Sume tibi aromata primæ myrrhæ, & electæ quingentos ſiclos, & cinnamomi medium, ideſt ducentos quinquaginta ſiclos, calami ſimiliter ducentos quinquaginta ſiclos, caſiæ autem quingentos ſiclos in pondere Sanctuarii, oleum de olivetis menſuram Hin.*

Si verò denique ab effectu, oleum hoc nomen ſortiri debeat, & à ſacris oraculis nobis recedendum minimè fuerit, etiam quantum ad nomen; oleum CONSECRATIONIS appellandum erit, ut cap. 29. Exodi appellatur: in quo Deus conſecrari Sacerdotem jubet à Moyſe, dicens: *Et oleum unctionis fundes ſuper caput ejus, atque hoc ritu conſecrabitur.* & ſæpiſſimè alibi, hoc idem nomen ſacro huic unguento tribuitur. ita ut quæ hoc oleo ſancto uncta non eſſent, nulla ratione ſacra haberentur, quia Exodi 40. dicitur: *Omnia unctionis oleo conſecrabis, ut ſint Sancta Sanctorum.*

Nec erit prætereundum, quod multiplex cum eſſet oleorum, & unguentorum uſus; non ſolum apud Gentiles, ſed etiam apud Hebræos, ut ſatis luculenter præcedenti Myrothecio monſtravimus; quibus omnibus ad corpus perungendum veteres utebantur: oleum tamen hoc, quo Sacerdotes ex divinis inſtitutis ſacrabantur; per antonomaſiam & excellentiam, in ſacris litteris, *oleum unctionis* appellabatur, & hebraicè שֶׁמֶן הַמִּשְׁחָה *ſcemen hamiſcha*: quaſi reliqua unguenta, vel ad unctiones non eſſent; vel unguedine caruiſſent. Cujus denominationis ratio ut inveſtigetur, obſervare oportet, duobus quidem vocabulis ſacra oracula, noſtrum unguentum CONSECRATIONIS appellare conſueviſſe; aliquando enim *oleum ſanctum*, generali quodam nomine dici ſolet: interdum ſingulari ratione *oleum unctionis* illud nominare, mos eſt in divinis oraculis, ut ex locis ſacris perſpicuum eſt. Nam agitur de hoc ſacro oleo cap. 30. Exodi, in quo ex Dei præſcripto illius compoſitionis methodum, Deus ipſe, Moyſi præſcribere dignatus eſt: & poſtquam de aromatibus ſingulis, quæ illius compoſitionem ingrediebantur, diſſeruit, ſubintulit, quaſi vellet nomen unguento imponere, *Facieſque unctionis oleum ſanctum unguentum compoſitum opere unguentarii:* Græcè, *καὶ ποιήσεις αὐτὸ ἔλαιον χρῖσμα ἅγιον, μύρον μυρεψικὸν τέχνῃ μυρεψοῦ. ἔλαιον χρῖσμα ἅγιον ἔσται·* Septuaginta legunt. hoc eſt. *Et facies illud oleum unctionis ſanctum unguentum, unguentatum arte unguentarii, chriſma unctionis ſanctum erit.* & parum infra eodem nomine appellatur. Similiter Levit. cap. 8. cum agitur de erectione tabernaculi, altarium, & ſacerdotalis dignitatis inſtitutione: quæ omnia ſacra hujus unguenti unctione ſacrabantur; dixit Dominus ad Moyſem, *Tolle Aaron cum filiis ſuis, veſtes eorum, & unctionis oleum.* Septuaginta legunt, *καὶ τὸ ἔλαιον τῆς χρίσεως.* id eſt, *& illud oleum unctionis.* quo pariter nomine ſacrum hoc unguentum, pluries in eodem capitulo appellatur. Numerorum cap. 35. hujus unguenti meminit ſacra Scriptura, & *oleum ſanctum* illud appellat. eſt enim ſermo de civitatibus, quæ ex Dei præſcripto, ad ſecuritatem illorum futuræ erant, qui caſu & fortuito aliquem interfeciſſent: quæ quidem in unaquaque tribu Iſraëlitica diſtributæ, hinc inde per totam terram Promiſſionis diſpergebantur: ut omnibus ad refugium præſto eſſent, quouſque (ut ibi dicitur) Sacerdos Magnus, A qui oleo ſancto unctus fuerat, moreretur: qua occaſione, hoc oleum, *Sanctum* ſimiliter appellatur. ſed de illo, ſub hoc nomine, egimus libro præcedenti cap. 53. quamobrem nihil nunc de eodem ſub hac ratione, ſed tantum quatenus oleum unctionis dicebatur, nobis conſiderandum remanet. quia hoc nomine appellabatur, per ordinem ad conſecrationem, per quam utenſilia ſacra, in Dei cultum mancipabantur.

Quia verò harum dictionum, *oleum unctionis*, etymologia, potiſſimum ex hebraica phraſi attendenda eſt; cujus proprietati, ſignificationem olei unctionis, cum primis tribuere debemus; propterea hebraicæ B voces penſandæ erunt. Appellabatur enim hoc unguentum hebraicè, ut diximus, שֶׁמֶן הַמִּשְׁחָה *ſcemen hamiſchah*, Græcè *ἔλαιον χρῖσμα*, & etiam *ἅγιον μύρον·* quaſi poſterior dictio hebraica, & græca epitheta, proprietatem, ac dignitatem hujus unguenti aperire deberent.

Singulas igitur voces hebraicas conſiderantes à prima שֶׁמֶן *ſcemen* exordiamur: qua pinguedinem, non tam olei, quam alterius cujuſcumque rei, in præcedentis Myrothecii cap. 1. ſignificari oſtendimus. propterea enim arbores gignentes picem, aut alium quemcumque liquorem ſtillatitium, ſive oleaginoſum, *arbores olei*, ac pinguedinis, dici conſueviſſe, C & hoc vocabulo שֶׁמֶן *ſcemen*, ſignificari, plurima ſacrarum litterarum loca teſtantur: ut 3 Reg. cap. 6. arbor olivæ agitur bi de materia illorum duorum Cherubim, quos fieri Salomon juſſit. & in Dei templo, toto orbi venerando, intra Sanctum Sanctorum repoſuit. de lignis olivarum in noſtro textu dicuntur facti: in Hebræo pro lignis olivarum habetur עֲצֵי שֶׁמֶן *nghaze ſcemen*, id eſt ligna pinguedinis. quod idem repetitur ibidem in ſtructura oſtiolorum, quæ ad oraculi latera poſita, aditum ad Deum præſtabant: ſive ſermo ſit de poſtibus, ſive de reliquis, quibus illa oſtia claudebantur, & ornabantur. Nehemiæ quoque 8. cap. cum de celebratione feſti tabernaculorum D ſub Eſdra agitur, Scriptura ſacra folia ligni pinguedinis, in conſtructione tabernaculorum aſſumenda decernit, dicens, עֲלֵי עֵץ שֶׁמֶן: quod interpretatur Pagninus *frondes arboris pinus.* ſed magis propriè ad litteram dicemus *folia ligni olei*. Iſaiæ c. 41. ejuſdem arboris ſimiliter meminit Propheta, dicens עֵץ שֶׁמֶן id eſt, *arboris olei*, ſive pinguedinis. quamvis igitur lateat, quodnam genus arboris illud eſſet; nec ſit præſentis inſtituti hoc determinare. liquido tamen conſtat, pinguedinem quamcumque, ſive oleum, ſive unguentum, ſive reſinam, ſive balſamum, aut aliud ſimile fuerit, voce שֶׁמֶן *ſcemen* ſignificari.

Poſteriorem dictionem, nimirum הַמִּשְׁחָה *hamiſchah*, E quæ oleo, ſive unguento noſtro adjungitur, non omittamus, ut ambabus his dictionibus cognitis, unguenti quoque ſancti, de quo agimus, natura fiat nota. ea enim dictione, proprietas unguenti Conſecrationis aperitur, & ab aliis oleis differentia explicatur; quamobrem radicem, ſignificatumque diligentiſſimè hujus dictionis הַמִּשְׁחָה *hamiſchah* requiramus oportet. venit enim à radice מָשַׁח *maſchiah*, quæ in ſua ſtricta ſignificatione, *unxit* interpretanda erit. Licet in præcedenti lib. cap. 39. *eligere* etiam, juxta diverſitatem rerum, de quibus eſt ſermo, quandoque ſignificare dixerimus. de quibus nihil in præſentiarum, ſed tantum ad rem, de qua agimus, F ſermo noſter dirigetur. quapropter licet duæ illæ conjunctæ dictiones, in quodam lato genere ſignificandi, oleum electionis, rectè interpretari poſſent; cum ad ſacerdotium, vel ad regnum qui eligebantur, ut electioni nihil deeſſet, oleo quoque ungerentur; propriè tamen & ſtrictè, conjunctæ illæ dictiones, *oleum unctionis* interpretari debent.

Nec prætereundum puto, nomine *olei unctionis*, ne-

nequaquam appellatum in ſacris oraculis illud oleum, quo Reges inaugurabantur; de quo ſequenti Myrothecio tractabimus; ſed illud ſolummodo, quo Sacerdotes, & utenſilia divini cultus conſecrabantur. Et quamvis non defuerint, qui eodem oleo Sacerdotes initiatos, & Reges inauguratos putaverint; (quod nos in præſentiarum inveſtigare nolumus, ſed ad noſtrum Myrothec. 3. remittendum duximus;) quod tamen ſacerdotale tantum oleum, nequaquam verò Regium, *oleum unctionis* diceretur; non ſolum olei hujus Conſecrationis dignitatem, quam maximè commendat, ſed etiam perſonarum illarum, quæ hoc oleo conſecrabantur faſtigium extollit; ut propterea dignitas ſacerdotalis, ſolius hujus olei conſecratione, Regio munere longè dignior haberetur. Quamvis verò eodem oleo Sacerdotes, Regesque inaugurarentur, ut aliqui dixerunt; nihilominus quia uſus hujus olei, ad Sacerdotes conſecrandos erat: & hac de cauſa, quaſi per quamdam excellentiam, & antonomaſiam, *unctionis oleum* dicebatur; tam unguenti, quam illorum, qui eo ſacrabantur excellentiam aperit.

Verum Septuaginta Interpretes apertius, me judice, præſtantiam, dignitatemque hujus olei attendentes, duobus jam poſitis epithetis, præſtantiam noſtri unguenti exprimere tentarunt: illud enim unguentum ἔλαιον χρίσμα primo appellarunt, deinde ἅγιον μύρον, ut duplici phraſi ejuſdem olei præſtantiam declararent. priori dicendi modo, oleum hoc, illud idem fore ſignificarunt, quod χρίσμα per excellentiam à veteribus dicebatur, licet enim χρίσμα idem quod unguentum valeat: per antonomaſiam tamen, & excellentiam, inter odoratas, & unguentarias compoſitiones, quorum uſus erat in ſacris, aliqua fuit, quæ ſpeciali nomine Chriſma appellabatur. Fuiſſe autem genus quoddam ſpecialis, ac ſacratiſſimæ compoſitionis, quæ apud ſacros Chriſma appellaretur; Joannes cum dixit, καὶ ὑμεῖς τὸ χρίσμα ὃ ἐλάβετε ἀπ᾽ αὐτοῦ, aperuit.: ita epiſt. 1. cap. 2. Septuaginta igitur Chriſma hoc unguentum Conſecrationis nominarunt; quaſi dicere vellent, hoc oleum Conſecrationis illud eſſe, quod per antonomaſiam Sanctum Unguentum dicebatur. Sic enim in illo 30. Exodi dixere: καὶ ποιήσεις αὐτὸ τὸ ἔλαιον χρίσμα· non enim dixere, & facies illud oleum χρίσματος, id eſt, oleum unctionis; ſed dixerunt, & facies illud oleum χρίσμα.

Poſteriori epitheto, & dicendi phraſi, ἅγιον μύρον, Septuaginta Interpretes, hoc benedictum unguentum appellarunt: ideſt, *Sanctum Unguentum.* quæ vocabula non ſunt omnino prætereunda; non enim dixere *oleum ſanctum*, neque illud appellarunt *Sanctum oleum*, ſicut in Pſalmis oleum quo Reges inaugurabantur, à Propheta appellatur; ſed hoc oleum, de quo agebatur in cap. 30. Exodi, *Sanctum unguentum* appellarunt; ad differentiam reliquorum unguentorum, quorum uſus erat apud prophanos: qui etiam præſtantiſſimis odoratis compoſitionibus, & unguentis abutebantur in balneis, in poculis, & quod adhuc magis eſt, in venerem; ut Myrothecio præcedenti jam fuſe monſtravimus. aliquod tamen unguentum huic ſimile, quo una cum fragrantia, divinitatis etiam ſpecimen quoddam impertiretur, excogitare nequiverunt. quamobrem hoc unguentum *Sanctum* dicebatur; quod eo uti præterquam ad uſum Conſecrationis, vetitum eſſet: & quicquid eo ungeretur, ſanctificaretur. Sic enim dicitur Exodi 40. *Et aſſumpto unctionis oleo unges tabernaculum cum vaſis ſuis, ut ſanctificentur; altare holocauſti, & omnia vaſa ejus, labrum cum baſi ſua, omnia unctionis oleo conſecrabis, ut ſint Sancta Sanctorum.*

Sed ut aliqua etiam myſtica, præter noſtrum morem, in medium afferantur: שֶׁמֶן הַמִּשְׁחָה *ſcemen hamiſchah*, in divinis oraculis, nequaquam ſine myſterio, hoc unguentum fuiſſe appellatum putabimus: ſed propterea hoc nomine dictum, quaſi oleum hoc Meſſiam reſpiceret. Eodem enim nomine Meſſias nuncupatur; unctuſque interpretatur. Nam per illud oleum unctionis, ſacra vaſa, templum, tabernaculum, altare, & Sacerdotes, ut diximus conſecrandi erant: quæ omnia Chriſtum Dominum figurabant; qui hoſtia, Sacerdos, templum, tabernaculum, & altare oblationis, ac ſacrificii fuit: per quam oblationem, & ſacrificium, omnipotens Deus hominibus propter illorum ſcelera, meritò indignatus, placatum ſe voluit. Quia enim Chriſtus Salvator noſter, digniori, ſacratiorique oleo præ omnibus aliis inungendus erat; nimirum oleo gratiæ habitualis, oleo unctionis hypoſtaticæ, oleo perſonæ Spiritus ſancti, ſupra ipſum in columbæ ſpecie deſcendentis, oleo quoque perſonalitatis Patris, divinitate in ſpecie nubis apparente, deque illius filiatione teſtimonium præſtante; ideo digniori præ cæteris oleo unctus, Meſſias per excellentiam eſt appellatus.

Chriſti ſacerdotium teſtatur David in Pſalmo 109. dicens, *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* Sacerdotem & hoſtiam fuiſſe, docuit Paulus ad Hebr. 9. dicens: *Chriſtus aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum per amplius, & perfectius tabernaculum non manufactum, ideſt non hujus creationis, neque per ſanguinem hircorum, aut vitulorum; ſed per proprium ſanguinem introivit ſemel in ſancta.* Quibus ſane Paulus, Chriſtum Sacerdotem, & ſacrificii victimam fuiſſe, qua Deus placaretur, aperire voluit. cap. vero 3. ejuſdem epiſtolæ Chriſtum Altaris rationem habuiſſe demonſtrat; cum ait: *Habemus Altare, de quo edere non habent poteſtatem, qui tabernaculo deſerviunt.* Quo in loco ſecundum communem Doctorum opinionem, nomine altaris, Chriſtus intelligitur. Sed etiam templum, & tabernaculum Chriſtus interdum dicitur. quia in ipſo, divinitatis plenitudo habitavit. Nam ſi de nobis viliſſimis homuncionibus dicit Apoſtolus: *Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos:* multo verius templum Dei Chriſtus dicitur; quemadmodum ubique Patres fatentur.

Cum igitur Chriſtus, tabernaculum, templum, altare, victima, Sacerdos, & vas ſacri miniſterii, ad expiationem peccatorum totius mundi fuerit; qui etiam proprio cruore, placato Patre, nobis viliſſimis hominibus, qui naſcebamur filii iræ, meruit auxilia gratiæ: merito oleum ad illorum conſecrationem, ex Dei præſcripto factum, *oleum unctionis* dicebatur. hebraicè שֶׁמֶן הַמִּשְׁחָה *ſcemen hamiſcha;* quaſi dixeris, oleum Meſſiæ: quia ex meritis Meſſiæ vis omnis ſanctificans, illi oleo communicabatur. ut ab illo uſque tempore, in quo ſacra illa vaſa in Dei cultum deſtinata fuere, & oleo à Deo inſtituto conſecrata; non alia ratione ad peccata expianda cæremonias illas prodeſſe potuiſſe, ſignificaretur; quam ſanguine, & ex meritis Meſſiæ venturi. cujus nos doctrina illuſtrati, cohæredes ſumus in ſpem vitæ æternæ.

CAP. II.

Numeratæ, appenſæque pecuniæ antiquiſſimus uſus, in pretio unguenti conſecrationis oſtenditur.

Ad locum Exodi 30. *Sume tibi aromata primæ myrrhæ, & electæ quingentos ſiclos, calami ſimiliter ducentos quinquaginta, caſiæ autem quingentos ſiclos in pondere Sanctuarii, olei de olivetis menſuram Hin.* & ad alia.

A SAncti hujus unguenti, ac olei Conſecrationis præſtantia, ex pluribus, iiſque non contemnendis capitibus, nobis expiſcanda eſt. nec enim capita deſunt, ex quibus illius dignitatem haurire poſſimus. nam quod uſus illius omnibus, exceptis Sacerdotibus, à Deo prohiberetur, argumentum non infimum præſtantiæ hujus unguenti præſtat. aromatum quoque excellentia, quammaximè commendat ejuſdem unguenti fragrantiam. dignitas etiam auctoris, nempe Dei, ex cujus præſcripto unguentum hoc parari debuit, cœleſtem illius ſublimitatem explicat; & denique pretium illius unà cum reliquis, fundamenta quidem ſunt non contemnenda, B ad excellentiam, præſtantiam, & dignitatem ſancti hujus unguenti hauriendam.

Verum reliquis jam ſupra enumeratis capitibus omiſſis, quod vel humanum captum excedant, vel quod infra magis fuſe ſunt explicanda: in præſentiarum unguenti hujus, atque aromatum valorem conſiderabimus; & ex eo ejuſdem dignitatem oſtendere tentabimus: de quo Deus cap. 30. Exodi, cum regulam compoſitionis illius præſcriberet, Moyſem his verbis alloquitur: *Sume tibi aromata primæ myrrhæ, & electæ quingentos ſiclos, & cinnamomi medium, ideſt ducentos quinquaginta ſiclos, calami ſimiliter ducentos quinquaginta, caſiæ autem quingentos ſiclos in pondere Sanctuarii, olei de olivetis menſuram hin.* Ex quibus C clarè colligitur pretium iſtorum omnium aromatum, ſive ſancti hujus unguenti, ex his aromatibus componendi, ad ſummam mille, & quingentorum ſiclorum aſcendiſſe: quem etiam numerum excedet, addito ſupra dictæ ſiclorum ſummæ olei pretio, ex quo una cum aromatibus, ſanctum Conſecrationis unguentum parabatur.

Quia vero omnia prædicta aromata, in ea menſura olei infundenda, ea ratione oleo commiſcebantur; ut oleum inſpiſſatum eorundem ſubſtantiam, ac odoratam qualitatem ebiberet, ac poſtmodum ſubſtantia odorata ex his expreſſa, unguentum inde pararetur; nec id fieri poterat juxta regulas artis, D nunc ignotæ, ſine aromatum concoctione, ut ex cap. 4. Job. oſtenditur, cum potentia Behemoth deſcribitur per hæc verba: *Ferveſcere faciet quaſi ollam profundum mare, & ponet quaſi cum unguenta bulliunt.* Propterea cogimur fateri, menſuram Hin olei, quæ duodecim libras capiebat, adhuc tantillum diminuendam, ad unicam totius olei partem: atque hac ratione, undecim libræ ſancti hujus præſtantiſſimi unguenti, mille quingentorum ſiclorum valorem excederet: ex quo ſanè pretio, præſtantia, excellentia, & dignitas quoque hujus unguenti, non obſcurè colligitur.

Sed poſſet aliquis ſuſpicari, nequaquam in ſacro E textu, ſermonem de ſiclo, aut moneta aliqua numerabili haberi: ſed de pondere: quod enim nobis eſt in vulgatis exemplaribus ſiclus, hebraicè legitur שֶׁקֶל *ſceqel*, quod venit à verbo שָׁקַל *ſciaqal*, valetque librare, ſeu ſtatera, aut lance aliquid ponderare. juxta quam prædicti loci ex cap. 30. Exodi expoſitionem, ſenſus eſſet; quingentas libras caſiæ accipi deberi, in hac ſacri unguenti compoſitione; totidem myrrhæ, ducentas ac quinquaginta libras calami aromatici, nec non etiam totidem cinnamomi optimi, ut jam ſicli nomine, pondera accipienda forent.

Verum quam vanum, & à vero ſacrorum codi- F cum ſenſu, alienum ſit tale figmentum ipſa unguentaria ars plenè explicat. Fieret enim, ut mille, & quingentæ libræ præſtantiſſimorum aromatum imbibendæ in duodecim olei libris eſſent. tot enim unico olei Hin comprehendebantur: qua menſura Deus unguentum ſanctum componi conſtituerat. itaque cuncta recenſita aromata commiſcenda, quaſſanda, pulverizanda, & componenda duodecim olei libris, in unguentum fuiſſent. quantum verò ab unguentaria arte hæc diſtent, nemo eſt qui non videat; etiam qui unguentariæ artis, prima ſolum elementa guſtaverit. Nam ex recenſitis aromatibus in unguentum componendis, quædam in pulverem redigebantur, & alia quaſſabantur; quapropter totum illud oleum, in pulveribus unius, vel alterius aromatis abſorberetur: nec, quod adhuc magis eſt, illud idem oleum, quod aramata ebibiſſet, extrahi, aut aliquod unguenti genus ex illo haberi poſſet, ut Deus ſtatuerat in conſecratione ſacrorum.

Nec aliquem turbent noſtri vulgati interpretis verba, qui ſumenda fore hæc aromata, in pondere Sanctuarii præſcripſit, ut propterea de pondere ſacrum interpretem, cum ſicli meminit, intelligendum velit; nequaquam verò de aliquo monetæ genere. nam ex hebraica lectione ſacri Interpretis, ſenſus perſpicuus fiet. ubi namque nos legimus *in pondere ſanctuarii*, hebraicè habetur בְּשֶׁקֶל הַקֹּדֶשׁ *beſcekel hakodes*. quod nos reddere poſſumus, & optimè una cum Pagnino, & Aria Montano in ſiclo Sanctuarii. nam dictio שֶׁקֶל *ſceqel*, tam monetam, quam pondus ſignificat: ſicut etiam libra apud Latinos, & etiam Italos. Cum igitur in ſuperioribus, cum de quantitate aromatum ſumenda, ſermo eſſet, dictio ſiclus monetam ſignificaret, ut diximus; etiam demum pro moneta, eadem dictio intelligenda erit. ita ut pondus in noſtra vulgata editione cum dicitur *in pondere Sanctuarii* poſitum, non ſtet pro pondere, ſeu menſura illorum aromatum; ſed pro aliquo monetæ genere, quod ſiclus appellabatur in ſacris oraculis, cujus uſus eo tempore erat penes Hebræos; ad rerum emptiones, & venditiones appenſus ad lances Sanctuarii, ut oſtendemus; cujus quidem generis monetæ multoties ſacra Scriptura meminit.

Adhuc fortaſſe dubia res erit apud aliquos: quia antiquitus emptiones, venditioneſque rerum, ut ipſi putant, non nummo, aut moneta, ſed rerum commutatione tantum agerentur. etenim longo poſt tempore, neque apud Romanos, neque apud alias nationes, æris, aut argenti ſignati uſum fuiſſe affirmant communiter ſcriptores: quamobrem rerum commutatione mercimoniam exercere, neceſſariaque invicem recipere, conſueviſſe homines, præclarè teſtatur Alexander ab Alexandro lib. 4. genial. dierum cap. 15. Fuit autem adeo nummus, monetaque ſignata in odium apud nonnullas nationes, ut illam execrantes, vel nullum nummum ad ſe afferri ſinerent, ut Baleares, vel illum undique congeſtum in profunda terrarum receptacula, & abditas ſolitudines ſuffoderent; ne pecuniæ commercio ingenia, animique indoles enervarentur, ut de Carmanis, & Bambycatiis, qui in Tigri ſunt, memoriæ proditum eſt. quapropter omnes gentes, & nationes, in priori illo ſeculo, bobus, pecudibus, aut aliis hujuſmodi rebus, res coëmere conſueviſſe comperimus. & præterquam quod comprobare hoc optimè poſſemus ex uſu Romanorum, qui pecudibus, jumentis, & bobus mercimoniam exercebant, ſibique neceſſaria coëmebant, ut dicunt aliqui; necnon etiam ex Maſſilienſibus in Africa, qui pecora, & mapalia, loco pecuniæ habuiſſe feruntur, teſte Alexan. ab Alex. loco jam citato. probatur etiam communiter auctoritate antiquiſſimi Homeri lib. 7. Iliad. qui in Trojana obſidione hac ratione negotiatos eſſe Achivos, tradit per hæc carmina.

Δῶκεν Ἰησονίδης ἀγέμεν μέθυ χίλια μέτρα.
Ἔνθεν ἄρ οἰνίζοντο καρηκομόωντες Ἀχαιοὶ,
Ἄλλοι μὲν χαλκῷ, ἄλλοι δ' αἴθωνι σιδήρῳ,
Ἄλλοι δὲ ῥινοῖς, ἄλλοι δ' αὐτοῖσι βόεσσιν,
Ἄλλοι δ' ἀνδραπόδεσσι· τίθεντο δὲ δαῖτα θάλειαν.

Sapien-

Sapientiſſimus enim revera, & mirandus Homerus, Lemnios ſcribit ad Græcorum exercitum vinum in navibus, commeatumque, duce Jaſonide comportaſſe. Græcos verò non aliis profectò nummis vinum emiſſe, commeatumque reliquum, quam ære, ferro, pellibus animalium, bobus, atque aliis rebus, ex hoſtium præda, ſcribit. ſic enim illa interpretantur carmina:

Dedit Jaſonides ferendas vini mille menſuras.
Hinc vinum emebant comati Achivi,
Alii quidem ære, alii autem nitenti ferro,
Hi pellibus, iſti bobus ipſis;
Illi mancipiis: poſuerunt autem convivium lautum.

Quæ carmina etiam allegat Juſtinianus in lib. 3. Inſtit. in tit. de empt. & vendi. §. item pretium. ubi etiam ex aliquorum virorum ſententia, eam quam diximus negotiationem, rerum permutatione contrahi ſolitam inter veteres probatur: eamque ſpeciem emptionis, ac venditionis, vetuſtiſſimam eſſe docent ferè ſcriptores omnes. Etenim Pollux quoque lib. 9. cap. 6. dixit; nonnullos Auctores teſtimonio citatorum carminum probaſſe ab eo uſque tempore, rerum permutatione negotia agi ſolere: quibus ipſe Pollux ſubſcripſit; eo ductus argumento, quod pellium, boumque Homerus meminiſſet. cum enim boves opponat pellibus, *φανερῶς, inquit ἐςὶ, τὸ ζῶον, ἀλλ' ȣ̓ τὸ νόμισμα*, ideſt, *manifeſtum eſt his nominibus animal, non numiſma*, ſupple intelligi, inquit Pollux.

Verum ad rem ab ipſis intentam, nihil hinc probari arbitramur. Frequens enim eſt, commeatus deferentibus in caſtra, hos ipſos à militibus ſpoliis hoſtium, hoſtilique præda compenſari; quamobrem quod mancipiis, ære, ac ferro, Achivi ab aliis commeatus emerint, pecuniarum, ſive monetæ uſum ab eo ſeculo nequaquam tollit. nam idipſum hoc noſtro ſeculo in caſtris fieri ſolet, factumque alias in hiſtoriis ſæpè legimus, quamvis monetæ uſus frequentiſſimus fuerit. nec enim monetæ uſus derogat permutationi; etenim ipſius monetæ quoque uſus, in negotiationibus, nil aliud eſt, quam permutatio quædam auri, argenti, aut æris illius, qui emit, cùm re alterius, qui vendit. itaque monetæ uſus permutationem non omnino aufert.

Sed pro ſtatuenda rerum permutatione, & excludendo nummorum, metallique ſignati uſu, magis ſtare videtur cap. 21. Gen. in quo diſſenſio inter paſtores Abrahami, & Abimelech, deque puteo effoſſo à ſervis Abraham, lis ſuborta cum illis fuerat: quod nimirum puteum illum ſervi Abrahæ in ditione Abimelechi effodiſſe viderentur. ad controverſiam ſedandam ſacer textus ait: *Tulit itaque Abram oves, & boves, & dedit Abimelech.* quæ oves, boveſque ab Abraham Abimelecho, non alia de cauſa data cenſentur, niſi pro loci emptione, in quo ſervi illius puteum effoderant. dicitur enim ibi: *Septem agnas accipies de manu mea; ut ſint mihi in teſtimonium, quoniam ego effodi puteum iſtum*, ideſt ut ſint mihi in ſignum ſummi juris in puteum iſtum. Clarius verò ex hebraico textu בַּעֲבוּר תִּהְיֶה־לִּי לְעֵדָה כִּי וגו quæ ad verbum ſic reddi poſſent, *Propterea erit mihi ad conteſtationem.* quod vernacula lingua diceremus, *Sarà il contratto.* his verò ſatis apertè inſinuatum apparet emptionem, ac venditionem non nummis inter Abimelech, & Abraham, ſed permutatione actas fuiſſe: quæ permutatio adhuc clarior videretur ex cap. 31. ejuſdem libri; in quo Jacob opera ſua Labano ſocero locuturus, non aliud genus pecuniarum accepit quàm pecora. Sed nihil iſta me movent, quo minus nomine ſicli pecuniæ uſum intelligam in loco cap. 30. Exodi, & ab eo uſque tempore, & antea, hominibus, nummorum, pecuniarumque uſum concedam.

A Æris, ferrique meminiſſe Homerum conſtat. ſignatum necne eſſet, minimè aperuit. (nos infra oſtendemus,) quamobrem non ineptè quis fortaſſe ſuſpicari poſſet; nummos, & monetam ſub æris ferrique nominibus, apud Homerum venire. quamvis enim veteres nonnulli, pecore, boveque in emptionibus ac venditionibus uſi ſint, ferro etiam, ære, auro, & argento, rudi atque inculto, ut ſcribit Alexand. ab Alexand. lib. 4. cap. 15. de Indis & Eſſenis, qui fuſo ære, & aurichalco (quod auro pretioſius ducebant) his metallorum fruſtulis rerum commercia habebant. Ferri etiam rudis uſus in emptionibus ex Licurgi legibus fuit apud Lacedæmonas; & etiam B apud Bizantios. refert etiam idem Auctor, Luſitanos gravi æris ſarcina & argenti fruſtulis, nummi loco uſos eſſe; quod etiam Græcis contigiſſe non nego. Verum æris, ferrique ſignati uſum in commerciis, ignotum fuiſſe Trojam obſidentibus, cum aliis Scriptoribus, aſſerere timeo: cùm jam æs, ferrumque ſignatum apud Romanos ſub Numa ſcripſerit Suidas & alii, ut infra referam. Numam verò in Capitolio ſedem imperii habuiſſe, ante Trojanum excidium certiſſimum eſt. Quamobrem æs, ferrumque Homeri, monetam ſignatam illius ſeculi minimè excludit.

C Quin etiam, nomine pellium, boumque, numiſmata intellexiſſe Homerum ſuaderi poteſt: tum ex quæſiti ſcortei nummo, cum primis in caſtris; tum etiam ex moneta, quæ bovem ſculptum habebat, atque bovis vocabulo appellabatur apud Athenienſes. ut inde etiam emanarit vetus proverbium, *Bovem habet in ore*, pro homine pecunia corrupto. teſtatur iſta Pollux lib. 9. cap. 6. dicens: *τὸ δὲ παλαιὸν τȣ̃το ἦν Ἀθηναίοις νόμισμα, ᾗ ἐκαλεῖτο βοῦς, ὅτι βοῦν εἶχεν ἐντετυπωμένον.* hoc eſt, *Vetus autem erat Athenienſibus numiſma, Bos appellatum, eo quod bovem inſculptum haberet.* Probatque hoc ipſum Pollux auctoritate illorum, qui ſic Homerum intelligunt; ut ex legibus quoque Draconis, necnon etiam proverbio D veteri, aliiſque rationibus, quæ ibi pag. 431. num. 35. & alibi videri poſſunt; quamvis potius Deliorum, quam Athenienſium numiſma bovem fuiſſe alibi tradat. Non immeritò igitur ſuſpicari quis poteſt, Homerum omnia numiſmatum genera, quibus in caſtris negotia agebantur, voluiſſe recenſeri auro, argento, ære, ferro, atque nomine boum ac pellium; ac propterea nequaquam animalia ipſa, ſed monetas in ſupra allatis carminibus indicaſſe.

Pecuniarum ab eo uſque tempore, atque etiam multo ante, uſum notiſſimum fuiſſe, ſacræ teſtantur litteræ. nam Geneſ. cap. 23. Abraham empturum E agrum ab Ephron Ethæo ad uſum ſepulchri, in funere Saræ uxoris, argento agrum comparaſſe ſacra tradidere oracula his verbis. *Quod cum audiſſet Abraham, appendit pecuniam quam Ephron poſtulaverat, audientibus filiis Heth, quadringentos ſiclos probatæ monetæ publicæ.* hebraicè ſic, וַיִּשְׁקֹל אַבְרָהָם לְעֶפְרֹן אֶת־הַכֶּסֶף hoc eſt, *& appendit Abraham Ephroni argentum.* & ubi noſtra editio habet *probatæ monetæ publicæ*, hebraicè habemus כֶּסֶף עֹבֵר לַסֹּחֵר. quæ adverbum ſic reddenda forent, *Argenti tranſeuntis ad mercatores.* quapropter Chaldæus Paraphr. habet, *Argenti quod recipiebatur pro mercimoniis inter mercatores in unaquaque provincia.* qua ſanè dicendi phraſi, apertiſſime F Paraphraſtes oſtendit uſum, conſuetudinemque nummi ab illo uſque ſeculo. hoc idem habetur cap. 42. & 43. ejuſdem libri, in quibus locis, pecunia quam fratres Joſephi in Ægyptum ad emenda frumenta attulerant; quam poſtmodum in ſaccis propriis repererunt; hebraicò dicitur צְרוֹר כֶּסֶף ideſt, *colligamentum argenti.* quod nihil aliud ſignificat, quam id quod vulgo dicitur, *Groppo di moneta.*

Reliquum eſt videre, an loca ſacrarum litterarum,

de pecunia numerata ſint intelligenda; an vero de pecunia appenſa. Ne vero hinc inde rationes longius protrahantur, quamvis abſque dubio aliquo, de moneta appenſa loca ex Geneſi allata, intelligenda cenſeam; non propterea negamus, numerata quoque pecunia conſueviſſe veteres negotia agere, eiſdem locis probari. Mos enim fuit apud illius ſeculi homines, non ſolum pecuniam numerare in negotiationibus; ſed eamdem etiam appendere. Communis eſt Doctorum, Scriptorumque conſenſus de appenſione: quod quidem apertè confirmat quod de ære gravi Romanorum, tradiderunt Scriptores. de quo ita Feſtus Pauli Diaconi. *Grave æs dictum à pondere; quia deni aſſes, ſinguli pondo libra, efficiebant* B *denarium, ab hoc ipſo numero dictum. ſed bello Punico, Populus Romanus preſſus ære alieno, ex ſingulis aſſibus librariis, ſenos fecit: qui tantumdem valerent.* Dicebatur igitur æs grave, à pondere monetæ; quod ſinguli aſſes, quorum decem efficiebant denarium, maximi eſſent ponderis, unius nimirum libræ: atque ab hoc librali pondere factum, ut aſſes & crumenam, ſive ſacciperium non in zona, ſed in humeris apud Romanos geſtaretur. inde Virgil. in Eclog.

Inde domum cervice levis, gravis ære redibis.

rurſum:

Non unquam gravis ære domum mihi dextra redibat.

C Nam decem æris libræ denarium efficiebant. Alexand. ab Alexand. lib. 4. cap. 15. licet falsò affirmet, Æs grave dictum, quod maſſa æris eſſet, non percuſſa, aut ſignata, appendi, non numerari ſolita. At quicquid ſentiat Alexander ab Alexandro, me judice, à pondere, & ab uſu illius appenſionis, æs grave, pecuniam etiam dictam putabimus. Nam teſte Varrone lib. 8. de ling. Lat. Æs pro aſſibus accipiebatur ab antiquis. quo etiam ſenſu Æs accipitur in l. Aquilia; & apud Ulpian. l. ſi ſervus. §. hujus legis; ff. de verb. ſignific. Hoc igitur ære gravi appenſo, debita exſolviſſe Romanos, ſcribit Alexan. ab Alex. lib. 4. cap. 15. quod etiam nos probamus, quan- D tum ad uſum appenſionis. quamobrem Monetam, quam Deam putarunt Romani, ſuſtinentem lances in manibus effingebant: ut in nummis perantiquis, quorum etiam aliqui ſunt apud nos, paſſim videri poteſt. Quia vero tanto pondere gravabatur moneta; curribus in ærarium pecunia inferebatur; ſi quando eò mittenda fuiſſet. ſimilique modo, ubicumque opus eſſet, moneta curribus transferebatur. ſcribit id Livius lib. 4. ad fin. *Et quia*, inquit, *nondum argentum ſignatum erat; æs grave plauſtris quidam ad ærarium extrahentes, ſpecioſam eam collationem faciebant.* Et adeò conſuetudo hæc appendendi monetam, homines invaſerat; ut quamvis poſtmodum Servius E Tullius, pecuniam ſignaverit, ut nonnulli dicunt, non tamen à gravi æris nomine deſitum eſt à Romanis, in mulctis indicendis: quippe poſt Decemviros, etiam ære gravi Romanos uſos fuiſſe, debitaque exſolviſſe ſcriptores tradunt. enimvero quia cum appenſione pecuniæ ejuſdem numerandi uſus remanſerat.

In ſacris verò oraculis negotia agi ſolita appenſa pecunia, ac numerata, ſacri libri undique clamant: quin etiam etymon ipſius ſacræ monetæ, quæ ſiclum dicebatur, pecuniarum appenſionem probat. nam à verbo שקל, quod eſt libravit, ſive ponderavit; vel appendit in libra, *ſiclum* fuiſſe eo nomine dictum li- F quido conſtat. verum præter ſicli etymologiam ſunt etiam loca ſacrorum oraculorum, quæ pecuniam appendi conſueviſſe in veteri Teſtamento oſtendunt. nam Geneſ. 23. cùm Abraham ab Ephron emeret agrum, ad ſepeliendum Saram, dicitur: *Appendit pecuniam quam Ephron poſtulaverat audientibus filiis Heth quadringentos ſiclos argenti.* Qui locus non ſolum

A ex veterum conſuetudine pecuniam appenſam, ſed etiam numeratam confirmat. quod negat Alexan. ab Alexand. lib. 4. gen. dierum cap. 15, & alii cum ipſo. itaque decipitur ille, dum æs grave dici maſſam æris putat. Sacra enim oracula noſtra, quibus nihil verius, non ſolum appenſam, ſed etiam numeratam, in ſolutionibus pecuniam tradunt. quadringentorum ſiclorum numero, Abraham ab Ephrone agrum ad ſepulchri jus emiſſe ſcribunt; quam tamen ſolutionem pretii, pondere, numeroque publicam retinuiſſe rationem lance probatum fuit. Si enim ſolutiones, ac negotiationes, numerata tantum pecunia agerentur tunc temporis, & Abraham quadringentos ſiclos, Ephroni pro agro exſolviſſet; quid opus fuiſſet, illud idem pretium appendere? Utique id neceſſe fuit, ex conſuetudine temporum: quod nimirum numerato argento, ære, aut alia moneta, nihilominus juſtæ, ac debitæ ſolutionis ratio, lance attenderetur.

Capite etiam 3. Eſtheris, Aman volens Judæorum populum perdere, ſic Aſſuerum alloquitur: *Si tibi placet decerne, ut pereat, & decem millia talentorum appendam arcariis gazæ tuæ.* Sic etiam 3. Reg. cap. 21. Propheta ille qui occurrit Achabo in via, hac ratione illum alloquutus eſt: *Servus tuus egreſſus eſt ad præliandum cominus; cumque fugiſſet vir unus, adduxit eum quidam ad me, & ait: Cuſtodi virum iſtum, qui ſi lapſus fuerit, erit anima tua pro anima ejus, aut talentum argenti appendes.* Pari ratione Eſdræ lib. 1. cap. 8. dicitur de Sacerdotali ærario, quod ab Eſdra Sacerdotibus cuſtodiæ cauſa traditum fuerat: *Et appendi in manibus eorum, argenti talenta ſexcenta quinquaginta & vaſa argentea centum, auri centum talenta.* Si igitur pecuniæ dum appendebantur, nequaquam numerarentur; ut volebant Scriptores jam relati: ſed rudi maſſà conſignaretur valor illius; dicendum fuiſſet ſacris oraculis appenſum argentum, ad pondus ſexcentorum quinquaginta talentorum. Sic etiam apud Eſther dixiſſet Aman ſe publico ærario præſtiturum argenti maſſam, ad pondus talentorum decem millia: non vero decem millia talenta ſe appenſurum ærario regio. Quibus quidem dicendi phraſibus, ſacra oracula uſi ſunt; ut liquido conſtet, veterum conſuetudinem fuiſſe, non ſolum pecuniam appendere, ſed etiam numerare. Nec Romanorum æs grave id negat. nam quamvis decem æris libræ denarium efficerent; non tamen decem æris rudis libræ denarium conſtituebant: niſi decem aſſes numerarentur; quorum ſinguli libram æris haberent.

Tandem antiquiſſimum numeratæ pecuniæ uſum, probat locus ex cap. 30. Exodi, in quo de unguento, & oleo Conſecrationis agitur; in quo componendo quingentos myrrhæ præſtantiſſimæ ſiclos accipi jubet Deus, ducentos & quinquaginta ſiclos cinnamomi, totidem ſiclos calami aromatici, & denique quingentos ſiclos caſiæ: at numeratæ pecuniæ ſi nullus fuiſſet uſus eo ſeculo, fruſtra ſicli numerarentur; artem enim componendi unguenti, explicatiorem Deus tradidiſſet: ſi duas, verbi gratia, myrrhæ libras ſumi juſſiſſet, unam cinnamomi, alteram calami aromatici, & duas denique caſiæ. hæc enim omnia, maſſa hac, vel illa æris, atque argenti comparata, perſpicuè compoſitione unguenti aperuiſſet; ſed ſiclorum numeratione uſus eſt Deus, in tradenda ſacri unguenti compoſitionis methodo, ut ab eo uſque tempore, nobis eſſet argumentum, ex quo numeratæ pecuniæ uſus pateret. Verum numeratæ pecuniæ lances, ut diximus, adhibebantur; ut illius numeri ratio ad rectam revocaretur lineam: propterea in ſacro textu numerato jam aromatum pretio additur pecuniam totam in pondere Sanctuarii appendendam fore; hoc eſt lance, illam eamdem

eamdem pecuniam probandam, qua Sanctuarii negotia agebantur. ſic enim ibi legimus, *Sume tibi aromata prima myrrhæ, & electæ quingentos ſiclos, & cinnamomi medium, id eſt ducentos & quinquaginta ſiclos, calami ſimiliter ducentos quinquaginta, caſiæ autem quingentos ſiclos in pondere Sanctuarii*, ut appendendæ, numerandæque pecuniæ vetus conſuetudo perſpicua jam fiat.

CAP. III.

Signatæ monetæ antiquiſſimus uſus probatur.

Ad loca Geneſis 23. *Terra quam poſtulas quadringentos ſiclos argenti valet: iſtud eſt pretium inter me, & te.* & infr. *Quod cum audiſſet Abraham, appendit pecuniam quam Ephron poſtulaverat audientibus filiis Heth quadringentos ſiclos argenti probatæ monetæ publicæ.* 3. Reg. cap. 10. *Fecit quoque Rex Salomon ducenta ſcuta de auro puriſſimo: ſexcentos auri ſiclos dedit in laminas ſcuti unius.* & ad alia plura loca.

NUMERATAE pecuniæ, nummorumque uſum, capite præcedenti aperuimus. quia verò numeratio, nulla ratione appenſionem, ut vidimus, tollit; & eadem pecunia, quæ numerabatur apud veteres, etiam appendebatur; ut nihil in ea fraudis committeretur: potuit tamen iſta numeratio, atque appenſio, fieri metallorum fruſtulis, quæ nullo eſſent percuſſa ſigno. quamobrem ut difficillimæ materiæ breviter ad noſtri unguenti uſum tractatio redigatur, ſuperſunt attendenda monetæ ſignatæ exordia, de quibus non minima eſt inter Scriptores controverſia: ſicut etiam de genere monetæ ſignatæ, nimirum quænam primo ſignari ceperit; aurum, vel argentum; æs, aut ferrum; nam ex his omnibus metallis moneta ſignata fuit, tam antiquitus, quam etiam noſtro hoc ſeculo.

Æs ſignatum, & primo cognitum Romanis, in negotiationibus ab exordio Romanæ Reipublicæ ſunt qui negent; affirmantes coriis boum, nummorum loco, Romanos fuiſſe uſos. ita Alexan. ab Alexan. lib 4. cap. 15. & cum eo alii plures: eo ducti argumento, quod Numa Pompilius ſcorteos aſſes, congiarium populo dediſſe, ſcribatur Plutarcho in Numa. ſubſcribit dicto Alexandri, Tiraquellus in adnotationibus. Verum falſo Plutarchum adducunt, cum nihil de ſcorteis aſſibus in Plutarchi Numa dicatur. Lacedæmonas autem aliquando ſcorteo numiſmate uſos tradit Nicolaus περὶ ἐθῶν apud Athenæum; & Stobeus ſerm. 42. accepit, dicens: χρηματίζεσθαι δ' αἰσχρὸν σπαρτιάτῃ. νομίσματι δὲ χρῶνται σκυτίνῳ. ἐὰν δὲ παρά τινι εὑρεθῇ χρυσὸς, ἢ ἄργυρος, θανάτῳ ζημιοῦται. hoc eſt, *Pecuniæ ſtudio Spartanum vacare turpe dicitur. Numiſmate utuntur ſcorteo. Aurum, argentumve apud quempiam deprehendi capitale eſt.* ita Stobeus. de quibus etiam Seneca lib. 5. de beneficiis cap. 13. pariter loquitur his verbis: *Aes alienum habere dicitur, & qui aureos debet, & qui corium forma publica percuſſum: quale apud Lacedæmonios fuit, quod uſum numeratæ pecuniæ præſtat.* hinc etiam fortaſſe illud Hieronymi in Rufinum. *Ut cum montes auri pollicitus fueris, ne ſcorteum quidem nummum de theſauris tuis proferas.* Quibus ſanè teſtimoniis, quamvis ſcortei uſum aliquando, huic, vel illi Reipublicæ minime eam inficias; id tamen primis Romanæ Reipublicæ temporibus, uſu veniſſe, antequam æris, aut argenti moneta cuderetur, affirmare minimè auſim. Nec allata teſtimonia id probant, nec id tacuiſſet Seneca de Romanis, ubi Lacedæmoniorum meminit: quando nimirum primis

A temporibus Romanis ſcorteos aſſes, uſu veniſſe ipſe cognoviſſet. Nam ſcorteis quoque nummis ſtipendia milites meruiſſe, defectu æris, aut argenti ſæpè legimus in hiſtoriis, non ſolum apud veteres, ſed noſtris quoque temporibus; quamvis pecuniæ ſignatæ uſus frequentiſſimus fuerit: ut propterea ſcortei aſſes, quamvis defectum æris, auri, vel argenti re vera demonſtrent, ſignatæ monetæ uſum, atque notitiam minimè tollant: ea etenim conditione, ex coriis animalium cuſi aliquando aſſes fuere, ut hi ipſi poſtmodum publico ærario allati, ærei, vel argentei, ex publico redderentur ad valorem ſigni publici, cum primum monetarum, æris, vel argenti,
B defectus publicus ceſſaſſet. quamobrem omnino negamus ex corio boum, monetam prius cuſam, quam æream, vel argenteam, ut dicebant relati jam auctores.

Æs primo ſignatum, deinde argentum, poſtremo aurum; ſentiunt communiter ſaniores Scriptores. Æris primo ſignati inventum, Jano plurimi aſcribunt, Athenæi, Iſidori, & Macrobii auctoritate lib. 1. Saturn. cap. 7. aſſerentis, in honorem Saturni nummum primum cuſum. *Hic igitur Janus*, inquit, *cum Saturnum claſſe pervectum excepiſſet hoſpitio, & ab eo edoctus peritiam ruris, ferum illum, &*
C *rudem ante fruges cognitas, victum in melius redegiſſet; regni eum ſocietate muneravit. Cum primus quoque æra ſignaret, ſervavit in hoc Saturni reverentiam; ut quoniam ille navi fuerat advectus, ex una quidem parte ſui capitis effigies, ex altera verò navis exprimeretur; quo Saturni memoriam in poſteros propagaret.*

Et quidem frequens eſt, in numiſmatibus antiquis, navis, bicipitiſque Jani ſignum: ut nemo ſit veterum numiſmatum ſtudioſus, apud quem hujuſmodi numiſmatum plurima non reperiantur. cujus æris ſignati, rationem eamdem, præclarè Ovidius lib. 1. Faſtor. aperuit, dicens:

Multa quidem didici; ſed cur navalis in ære
D *Altera ſignata eſt; altera forma biceps.*

Et deinde infert:

At bona poſteritas puppim formavit in ære,
Hoſpitis adventum teſtificata Dei.

Quod verò de Jano affirmat Macrobius; vel de antiquiori, vel de poſteriori Jano intelligi poſſunt. junior enim regnavit in Italia, ut ſcribit Euſebius in Chronicis, anno centeſimo, & quinquageſimo ante adventum Æneæ, nimirum ſub anno mundi, bis milleſimo ſeptingenteſimo ſecundo à creatione mundi, ut Torniellus colligit in annal. tom. 1. Sed
E de iſto Jano, allata jam ſupra de hoſpitio Saturni, minimè intelligi debere puto; quod iſti Jano biceps imago nequaquam adaptetur. potius igitur de ſeniori Jano Macrobius intelligatur; quem Noe fuiſſe affirmant; à vini fortaſſe inventione Janum dictum, quod יין *Jain* hebraice vinum dicatur, voce à Latinis corrupta. Sed hunc, Saturnum hoſpitio excepiſſe, haud verè dici poteſt; cum ipſe omnium hominum primus in illo ſeculo fuerit. nam ſeniores principes nomine Saturni ſignificabantur antiquitus: neminem verò Janum, hoc eſt Noe præceſſiſſe conſtat. Quamobrem ſi ad propriam mentem mihi loquendum eſſet, poſteriorem Janum & juniorem,
F cum antiquiori Jano Scriptores veteres confudiſſe dicerem; nam antiquiorem Janum, Saturnum illius ſeculi homines appellabant, ut Beroſo placuit, apud quem ſeniores avi, Saturni dicebantur: quem etiam tradunt Latium appuliſſe, & à filio Japhet hac in regione regnantem, hoſpitio exceptum. Illius igitur memoria ut ſervaretur, qui anteriora diluvii, poſterioraque viderat; arcaque fabricata, humanum genus, à diluvio redemerat, nummos cu-

ſos

ſos putarem. licet Ovid. lib. 1. Faſt. biceps caput Jani ad anni exordia referat, eoque nomine Januarium menſem appellari credat; dicens:

Jane biceps anni tacitè labentis origo,
Solus de Superis, qui tua terga vides.

Sed ſive antiquiorem, ſive juniorem Janum in ære veteres cuderint, profectò prius æs, quam ſcorteos aſſes, Italis, atque Romanis, uſu veniſſe liquido conſtat. contra Alexan. ab Alex. & alios, qui ſequuti illius ſententiam, eamdem ſcripſerunt.

Argenteum nummum primo ſignatum apud Romanos, dicunt aliqui apud Alexan. ab Alexand. Servio Cepione, & Cn. Sempronio Conſulibus poſt Attilium Regulum. At ſi credimus Plin. lib. 33. cap. 3. natur. hiſtor. ſignatum eſt argentum anno Urbis D LXXXV. Q. Fabio Conſule, quinque annis ante primum bellum Punicum. qui annus, juxta Tornielli ſupputationem, reſpondet anno octogeſimo quinto ſupra ter milleſimum, & octingenteſimum; Antiocho ſecundo regnante apud Aſſyrios. Equidem ante victum Pyrrhum regem, argento ſignato, nequaquam uſos Romanos, ſcribit Plinius loco citato. Qui tamen primus ex auro monetam ſignaverit, Plinius ibidem ignotum putat: apud Romanos tamen, non ante ſignatum aurum, quam anno ſexageſimo ſecundo, poſt nummum argenteum; qui annus reſpondet vigeſimo tertio principatus Hircani in Judæa; & ab orbe condito, anno quadrageſimo ſeptimo, ſupra ter milleſimum, & nonageſimum quartum: quando nimirum Romani Numidas ſubjecerunt, juxta Tornielli ſupputationem.

Sed quicquid ſit de ære, argento, & auro ſignatis Romanorum, multo ſanè ante apud Iſraëlitas, monetam ſignatam ſacra oracula tradunt: ut ex variis monetarum nominibus, aperto convincitur argumento. nam talentum כִּכָּר *chichar* hebraicè dicebatur. ſicel vero, vel ſiclus Latinorum hebraicè שֶׁקֶל *ſcequel* appellabatur. obolus minimum monetæ genus hebraicè גֵּרָה *gherah* dictum fuit. Etquidem inter reliquam inutiſſimus erat obolus; quamobrem tantum æreum legimus obolum extitiſſe: at ſiclus æreus, argenteus, & aureus, reperitur; ſicuti etiam talentum auri legimus, & talentum argenti, atque talentum æris. cumque hæc monetarum nomina, & diſtinctio, uſque à temporibus Moyſis in ſacris oraculis legantur, illarumque uſus, non ſolum pondere, ſed etiam numero frequens fuerit; perſpicuum eſt, pecuniam non rudibus tantum metalli fruſtulis diſtingui conſueviſſe, ſed etiam ſignis quæ valorem indicarent.

Hoc verò non ſolum apud Iſraëlitas, de quibus in ſacris hiſtoriis cum primis ſcribitur; ſed etiam apud alias gentes: ut ab eo uſque tempore, apud Iſraëlitas, Abrahæ poſteros, alioſque illius ſeculi populos, ſignatæ monetæ uſum extitiſſe conſtet.

Stat pro nobis præclarum Joſephi teſtimonium lib. 3. Antiq. cap. 2. in quo dum Iſraëlitarum, duce Joſue, & Amalecitarum pugnam deſcribit, de qua in Exodo cap. 17. legitur prædam ediſſerens, dicit: πολὺς μὲν γὰρ ὁ ἄργυρός τε, καὶ ὁ χρυσὸς ἐγκατελείφθη ἐν τῷ στρατοπέδῳ, καὶ σκεύη χαλκᾶ, οἷς ἐχρῶντο περὶ τὴν δίαιταν· πολὺ δὲ ἐπίσημον πλῆθος ἑκατέρων· hoc eſt, *Multum enim argenti, & auri in caſtris fuit repertum, & vaſa ærea coquinaria, & eſcaria; magnus etiam pecuniæ ex utroque metallo ſignatæ numerus.* nam de pecunia cuſa intelligi verbum ἐπίσημον non eſt dubium. Jam ergo Joſephi teſtimonio, etiam apud Amalecitas pecuniæ ſignatæ uſus erat: in quorum caſtrorum præda Iſraëlitis diteſcere licuit. Monetarum autem tunc temporis apud Amalecitas copia, frequentiſſimuſque illius uſus, ſatis ex ea præda proba-

A tur. quia verò dicitur in illis caſtris inventum aurum & argentum, de metallis ſignatis non improbabiliter intelligitur; juxta ea quæ etiam in ſacris litteris ſcribuntur: & auri, argentique ſignati uſum, etiam multo ante, quam æs apud Romanos ſignaretur, apud Amalecitas, & Iſraëlitas demonſtrat. Etenim ſicli argentei meminit ſacer textus in morte Sarai uxoris Abrahæ, ut vidimus: non quidem quaſi de pecunia nuper ab Abrahamo excogitata, aut cuſa; ſed potius quaſi de re frequenti uſu jam comprobata. id enim probat phraſis ſacri textus in cap. 23. Geneſis. ſic enim Abrahæ reſpondit Ephron: *Terra*
B *quam poſtulas, quadringentos ſiclos argenti valet, iſtud eſt pretium inter me, & te.* & infra ſtatim: *Quod cum audiſſet Abraham, appendit pecuniam, quam Ephron poſtulaverat, audientibus filiis Heth, quadringentos ſiclos argenti probatæ monetæ publicæ.* Quibus in locis, tam pretii vocabulum, quam etiam ſiclorum nomen, ac numerus quadringentorum, præclarè oſtendunt, nomine ſicli, non rudis metalli fruſtula, ſed monetam ſignatam ſigno publico intelligendam fore.

Locum enim intelligere de rudis argenti fruſtulis, nullo ſigno publico cuſis, ſicli nomen prohibet; quod vox iſta *ſiclus* cum libra interpretetur; determinatum quoque argenti pondus ſignificare neceſſe eſt. Argenti verò rudia fruſtula, aut aliquæ ejuſdem me-
C talli particulæ, ſive alterius cujuſcumque rei diviſiones, nequaquam determinatum illius metalli pondus exprimunt; cum quadringenti numero ſicli jure ſepulcri exſolvi ab Abraham deberent. Perſpicuum eſt igitur ſignata argenti fruſtula intelligi in ſacro textu; quæ pondere, & ſigno ſiclum valerent; neque in alio ſenſu loca illa ſacrorum oraculorum explicari debere.

Nec ſunt, ſacri noſtri Interpretis contemnenda hæc verba. *probatæ monetæ publicæ*, quæ hebraicè ſic leguntur כֶּסֶף עֹבֵר לַסֹּחֵר hoc eſt, *argenti tranſeuntis ad mercimonium.* Ex quibus manifeſtè ſignatæ monetæ
D uſum ſacer textus demonſtrat: atque in negotiationibus, ab eo uſque tempore, hunc uſum frequentiſſimum extitiſſe oſtendit. Sarai verò Abrahæ uxoris, funeriſque illius ſtudium, anno ſeptuageſimo quinto, ſupra centeſimum, & bis milleſimum ab orbe condito contigiſſe, probant ſcriptores Annalium. Pari ferè ratione, eodemque ſenſu de numero ſiclorum ſcribitur cap. 21. Exodi, 27. Levit. Numer. 18. Deuter. 22. Joſue 7. & pluries in ſacris oraculis, ſignati ſicli mentio habetur: adeò ut uſum ſignatæ monetæ negare apud Iſraëlitas, media in luce cæcutire ſit.

Aurei ſicli ſignati, ſimiliter non raro meminere
E ſacra oracula: cum primis verò cap. 7. Num. de illo ſcripſere; in quo ſermo eſt de his, quæ principes duodecim tribuum obtulerunt: quando nimirum conſecrato jam tabernaculo, & Sacerdotes, ac reliqua ſacra utenſilia à Moyſe ſacro oleo jam inuncta fuiſſent. ſtatim enim ſingulis ſequentibus diebus, Principes nomine tribus, cui præerant, *mortariolum aureum appendens decem ſiclos obtuliſſe*, in ſacro textu ſcribitur. Non quidem, quod ſinguli mortarioli haberent auri libras decem; quod affirmare coguntur, qui ſicli nomine non monetam, ſed pondus intelligi volunt; erant enim ſinguli mortarioli ad uſum thymiamatis tantum, quamobrem pondere
F uſus exigentiam exceſſiſſent. Sacer igitur textus de moneta intelligi debet; quod nimirum ſinguli mortarioli tantum haberent auri ex ſacrorum oraculorum ſenſu, quanti tunc temporis, decem auri ſicli æſtimabantur.

Sed adhuc multo ante, aurei ſicli ſignati habemus uſum in ſacris litteris; dum enim Abraham inter vivos adhuc ageret, ſervus ille, qui Genes. 24.

ab

ab eo in Meſopotamiam abiit, ut Iſaaco filio Abrahæ uxorem quæreret, dedit Rebeccæ (ut dicitur in textu) *inaures aureas appendentes ſiclos duos, & armillas totidem, pondo ſiclorum decem.* Nec enim ſenſus eſſe poteſt de pondere; ut ſicli accipiantur in allatis locis pro libra: eſt enim auri libra unica, pondus nimis puellæ auribus inſolens: quid fuiſſent duæ auri libræ, ut textus habet; ſi nomine ſicli, libra intelligenda eſſet? nec minus inſolens in armillis pondus decem librarum auri fuiſſet; quonam enim pacto delicata puella decem auri libras circa manus & brachia ornatus gratia deferre valuiſſet? ut igitur hæc inſolentiſſima declinentur, nobis confugiendum eſt ad ſignatas monetas, & ſicli nomine monetam ſignatam accipere cogimur. etenim ſi prædicta loca de auri fruſtulis intelligerentur, cum ex his, alii majores, minores alii, fieri ſoleant; valorem inaurium, & armillarum, quas dedit ſervus Abrahæ Rebeccæ, ſacra oracula minimè binario, aut denario numero expreſſiſſent: ut verò aptè valor inaurium; & armillarum exprimatur, ſolius ſicli nomine tam pondus, quam ſignum in ſiclo intelligere cogimur. Aurei ſicli in inauribus, etiam c. 8. Judic. ſacer textus meminit. Innumerabilia habentur in ſacris oraculis penè loca, quibus aurei ſicli uſus comprobari poteſt. nam 3. Reg. cap. 10. Salomon ornavit templum, quod ædificaverat aureis clypeis: & de illorum valore in ſacro textu ſic habetur: *Fecit quoque rex Salomon ducenta ſcuta de auro puriſſimo, ſexcentos auri ſiclos dedit in laminas ſcuti unius.* In hoc igitur loco ſiclum pro pondere accipere nequimus; nam quilibet clypeus ſexcenta auri pondera, ſeu libras haberet; atque propterea nullius uſui clypei illi extitiſſent, cum tamen re vera ad uſum factos fuiſſe, veteres teſtentur litteræ: antiquis enim temporibus, fortioribus ducibus clypei aurei concedebantur, ad notam valoris; ut patet ex Statio, & aliis. Ne igitur inconvenientia in medium afferantur, valorque ſcutorum, quæ à Salomone in ornatum templi fuerant poſita, fiat manifeſtus; ad monetam auri ſignatam nobis confugiendum erit. Similiter etiam 1. Paralip. cap. 20. emit David ab Ornan Jebuſæo, aream ſacrificii de cauſa; areæ vero pretium, auri ſiclis declaratur in ſacro textu his verbis: *Dedit ergo David Ornan pro loco, ſiclos auri, juſtiſſimi ponderis ſexcentos.* itaque ſolutiones debitorum, non ſolum pondere, ſed etiam monetæ ſignatæ numero determinabantur. qui quidem monetæ aureæ numerus, non ſolum à fruſtulis, ſed etiam à ſigno, quo cuſa erat, diſtinguendus fuit: ne affirmare falſo cogamur, dediſſe David ſexcentas libras auri, pro area Ornan Jebuſæi: quod quam diſſonum à ſacris oraculis ſit, in quibus de loco pro altari erigendo agitur, viderint alii doctiores.

Reliquum eſt aliquid dicere de moneta ærea, & ferrea: inter quas quidem, ex communi Scriptorum ſententia, non erit alienum à ratione, prius æs exiſtimare cuſum, quàm ferreæ monetæ uſum admittere. ferreæ monetæ uſum Romanis, Græcis, Perſis, & omnibus ferè nationibus, veterum monumenta ubique concedunt: ferrei nummi uſus erat apud Byzantios. Erat autem ferreus hic nummus parva quædam moneta, teſte Polluce lib. 9. cap. 6. dicente: Βυζαντίων γε σιδηροῦν νόμισμα ἦν, οὕτω καλούμενον· σιδηροῦν τε νόμισμα λεπτόν. & adeò invaluit aliquando uſus ferri, ut ferri ſolius nomine, moneta intelligeretur. quod ille ipſe Pollux ibidem teſtatur, dicens: ὥστε ἀντὶ τοῦ περῶ μοι τριῶν χαλκῶν λέγειν, περῶ μοι τριῶν σιδηρῶν· quæ ſic interpretantur: *Byzantiorum autem nummus ferreus erat, ſic appellatus. Ferreum autem numiſma parvum*, ſupple fuit, *ita ut loco dicendi, eme mihi tribus æreis, diceretur, eme mihi tribus ferreis.* ferri ſolius nomine moneta intelligeretur; quemad-

A modum ſolo ærei nomine, numiſma apud aliquos intelligebatur. quamobrem de Lacedæmoniis quoque idem Pollux ait: σιδηρῷ δὲ νομίσματι, καὶ Λακεδαιμόνιοι χρῶνται, ἐκ πολλοῦ ὄγκου, ὀλίγον δὲ δυναμένῳ· hoc eſt; *Ferrea quoque moneta Lacædemonii utuntur ingentis magnitudinis, ſed minimi valoris.* hoc ipſum monetæ genus, & æris quoque, fuiſſe frequentiſſimum apud Græcos, Homerus præclarè aperuit, loco jam à nobis citato cap. præcedenti ex lib. 7. Iliad. dicitur enim ibi Græcos pretio comparaſſe commeatum à Pelaſgis allatum, quem emebant.

Ἄλλοι μὲν χαλκῷ, ἄλλοι δ' αἴθωνι σιδήρῳ.

B hoc eſt,

Alii quidem ære, alii autem ſplendido ferro.

Nec enim, ut arbitror, rectè, ferrum aut æs commutatum in commeatus, non autem numeratum, hinc putant aliqui: hæc enim cum maximè neceſſaria in caſtris cenſeantur; minimè putandum eſt æs, aut ferrum, quibus arma, galeæ, ſcuta, loricæ, lanceæ, & alia quæ ad militiam neceſſaria parabantur, diſtrahi permiſſuros Duces: ſed potius, æris, ac ferri nomine, monetas intellexiſſe Poëtam putandum, ut cap. 2. dicebam.

Apud Iſraëlitas quoque nummos æris, ac ferri C frequentiſſimos fuiſſe; ſacra paſſim teſtantur oracula, & apertiſſimè hoc licet cognoſcere ex cap. 17. lib. 1. Reg. Agitur ibi de lorica illius gigantis Goliath, & dicit textus: *Porrò pondus loricæ ejus quinque millia ſiclorum æris erat.* Qui quidem locus difficillimus eſt, ſi Spiritum ſanctum loquutum de quinque millibus librarum æris dixerimus: hæc enim lorica, nullatenus ſuſtineri potuiſſet ab homine, quamvis haberet ſex cubitos altitudinis. Facilis verò illius loci intelligentia fiet, ſi ad valorem ſiclorum confugerimus; dixerimuſque tantum ponderis, ornamentique habuiſſe loricam illam, ut valor illius, quinque millia ſiclorum æris, monetæ nimirum æreæ D ſignatæ, attingeret. Eodem etiam ſenſu intelligendum erit, quod ibidem dicitur de ferro lanceæ illius gigantis, de qua ſcribitur, fuiſſe ponderis ſexcentorum ſiclorum ferri: fieri nequaquam poterat, ut tantum ponderis haberet ferrum illud; quantum ponderis habebant ſexcentæ libræ rudis ferri: fuiſſet enim ferrum illius lanceæ longitudine, atque latitudine majus quam quinquaginta vomeres. Ruit verò difficultas, cum non de pondere, ſed de valore locus intelligetur, & ad ferream monetam confugerimus; dixerimuſque valorem ferreæ lanceæ illius gigantis Goliath, ſexcentorum ſiclorum monetæ ſignatæ fuiſſe; quod certè rationabilius videtur. Ex E quibus omnibus, uſum ferri, æriſque ſignati, negotiorum cauſa, apud Hebræos notiſſimum, atque vetuſtiſſimum fuiſſe, perſpicuè patet: ſimulque monetæ ſignatæ uſum frequentiſſimum, ſemper ab exordio ſeculorum, à primis nimirum uſque temporibus: paulo nimirum poſt diluvium extitiſſe; in auro videlicet, argento, ære, ac ferro: ut ſicli nomen frequentiſſimum in ſacris oraculis, ubique demonſtrat.

CAP. IV.

F Sicli, monetarumque nomina univerſaliora explicantur.

Ad loca Geneſis 23. *Terra quam poſtulas, quadringentos ſiclos argenti valet: iſtud eſt pretium inter me, & te.* Exodi 40. *Sume tibi aromata primæ myrrhæ & electæ quingentos ſiclos, & cinnamomi medium; id eſt ducentos quinquaginta ſiclos, caſiæ au-*

tem quingentos ſiclos in pondere Sanctuarii. & ad alia.

INNUMERABILIA fuiſſe numiſmatum genera, ac nomina pro diverſitate locorum, Principum, atque temporum perſpicuum eſt: quapropter nummorum genera, nummorumque nomina ſingulorum quærere, præter rem exiſtimavimus; cum paſſim de his inter Græcos ſcriptores Pollux lib. 9. cap. 6. & inter Latinos vetuſtiores Plinius lib. 3. & lib. 18. Alexan. quoque ab Alexand. lib. 4. cap. 15. nec non etiam Budeus, Hierony. Vilalpand. cum. Scotto, Georgio Heniſchio, Joanne à Chokier, & alii egerint. quamobrem eorundem nomina, ſigillatim in aliorum ſpeculationem relinquendo, cum antiquitatem pecuniarum, & uſum numiſmatum jam ſupra inveſtigaverimus, aliquid tantum de nominibus generalioribus aperire curabimus; atque propterea de moneta, nummo, numiſmate, & ſiclo quoque, propter quem præſens diſputatio eſt inſtituta, aliquid diſſeretur: quatenus valorem noſtri unguenti expiſcari poſſimus; & breviter de monetis antiquariæ ſtudioſis aliquid oſtendere rei.

Monetarum nomina, variis, ac diverſis ex capitibus, ſumi ſolita, veterum monumenta teſtantur; atque quotidiana oſtendit experientia. Interdum enim à materia tantum ſumitur: hac enim de ratione ſolius aurei nomine, aureum numiſma intelligitur: ſicuti etiam argenti, & ærei ſolius vocabulo, necnon etiam ferrei, nummus intelligitur; ut paſſim Pollux lib. 9. cap. 6. oſtendit, dicens: τὸ δὲ νῦν χαλκὸν οἱ ἀττικοὶ χαλκίον εἰώθασι καλεῖν, ὡς ἀπὸ τοῦ ἀργύρου, ἀργύριον, καὶ ἀπὸ τοῦ χρυσοῦ χρύσιον. hoc eſt, *Nunc enim Attici ex ære æreum vocare ſolent, ut ab argento argenteum, & ab auro aureum.* Similiter etiam in ſacris oraculis vocabulum כֶּסֶף *cheſeph* quod argentum ſignificat, & vox זָהָב *zahab*, quæ aurum interpretatur, pro numiſmatibus accipiuntur.

Nonnunquam à Principe auctore, qui numiſmata illa cudi juſſit, numiſmata nomen ſortita ſunt. Sic Darici veterum, à Dario Perſarum rege, Philippici à Philippo, Alexandri ab Alexandro; & hoc noſtro ſeculo Julii, Pauli, in Pontificia juriſdictione à Principe auctore, cujus etiam imaginem ferunt, nominantur.

Interdum à ſigno, quod à tergo videtur numiſmatis, eiſdem nomen præſcribitur: ut bigatis, quadrigatis, victoriatis bobus, aliiſque ſimilibus numis, quorum meminit Pollux lib. 33. cap. 3. Aliquando etiam à pondere, ut uncia Siculorum, apud Pollucem, dicens: λίτρα, ἀσσάριον, στατὴρ, δεκάλιτρον, ἑξάγιον, πεντάγιον. hoc eſt, *Libra, as, ſtater, decuſſis, ſextans, quincunx:* & ſimilia multa, de quibus apud Pollucem eſt ſermo. In eodem genere reponi poſſunt Romanorum ſeſtertius, denarius, libra, as, & alia hujus generis numiſmata, & apud Hebræos *ſiclus*, hebraicè שֶׁקֶל *ſceqhel*, cujus cauſa cum primis de monetis nobis agendum fuit, ut ſacri unguenti, de quo agimus, pretium, præſtantiam, atque valorem expiſcari poſſemus. Siclum autem à pondere ſic appellatum fuiſſe, res eſt aperta: & jam oſtendimus.

Monetarum nomina varia vidimus; hujus vocabuli ſpecialem etymologiam inquiramus. Monetæ enim nomine dictam pecuniam, veteres grammatici cenſuerunt; quod moneat, ne quid fraudis in ære, ſigno, pondereve fiat. ita Iſidor. lib 16. cap. 17. Coraſ. lib. 3. Miſcell. cap. 13. monetam ſic definit Conſtant. lib. 5. epit. tit. 13. Καλεῖται τὸ ἀρχέτυπον σφραγισμένον, ἢ βουλλωτήριον μεθ' ὧν ὁ τῶν δύω, Τύπος, διαχαράττεται. ideſt, *Vocatur* (ſupple moneta) *archetypos, ſignatus, aut bullatus; ex quibus, quorum duo, Titus obſignatus eſt.* Veteres, Monetam Deam eſſe dicebant, quæ pecuniæ curam haberet: quamobrem graviter animadvertebant in eos, qui dolum malum in pecunia committerent. Suſpicatur Turnebus lib. 4. adv. cap. 2. in fano Monetæ examen veſparum fuiſſe; & hoc carmine Probæ Falconiæ id probat:

Convenit ut veſpis, quarum domus arce Monetæ
Turbat agens, ſtrictis per lutea corpora telis.

Quod an verè dictum fuerit à poëtria, an à multitudine concurrentium ad monetariam, ac templum Monetæ, viderint alii: mihi doctiſſimi viri ſenſus non omnino probatur; ſed potius à ſimilitudine multitudinis, concurſum deſcriptum illis carminibus puto.

Dictam volunt alii (& quidem verius) Monetam, quod nos ſigni impreſſione, auctorum, ponderis, ac pretii moneat. inde illud Plin. in Panegyr. Trajano dictum: *Hæc ebore reddantur, hæc marmore, hæc in coloribus vivant, hæc in ære moneantur.* Caſſiod. quoque lib. 6. variar. cap. de format. com. 5. ait: *Monetam facis de noſtris temporibus futura ſecula commonentem.* Hoc ipſum metallum ſignatum, quod Moneta dicebatur; nummum apud Latinos, veriori ſanè, & antiquiori vocabulo appellari conſtat: Græcum fortè vocabulum fuit; juxta doctrinam Feſti, qui ait: *Ex Græco vocabulo* νοῦμμος, *nummum exiſtimant dictum, & tantumdem apud nos, & apud illos valere, quia pleraque nomina à Græcis accepimus, quorum hoc proprium eſt.* & quidem Græcum eſſe vocabulum, & à Græcis ſic appellatam monetam, teſtatur, probatque Pollux lib. 9. cap. 6. vult enim Doricum fore nomen; Græcorum quidem proprium, ſed illorum tantum, qui Siciliam incolunt: quamobrem dixit: ὁ δὲ νοῦμμος δοκεῖ μὲν εἶναι ῥωμαίων ὄνομα τοῦ νομίσματος, ἔστι δὲ ἑλληνικὸν τῶν ἐν Ἰταλίᾳ, καὶ Σικελίᾳ δωριέων. ὁ ἐπίχαρμός τε γὰρ ἐν ταῖς χύταις φησίν·

Ἀλλ' ὅμως καλαὶ, καὶ πῖοι ἄρνες
Εὑρήσουσι δέ μοι, καὶ νούμμους.

Καὶ πάλιν.

Κήρυξ ἰὼν εὐθὺς πριῶ μοὶ δέκα νούμμων μόσχον καλλίω. καὶ Ἀριστοτέλης ἐν τῇ ταραντίνων πολιτείᾳ φησὶ καλεῖσθαι νόμισμα παρ' αὐτοῖς νοῦμμον ἐφ' οὗ ἐντετυπῶσθαι τάραντα τὸν ποσειδῶνος, δελφῖνι ἐποχούμενον. hoc eſt, *Nummus verò Romanis videtur numiſmatis nomen. eſt verò Dorienſium Græcorum, qui in Italia, & Sicilia habitarunt. Epicharmus quidem in ollis dicit:*

Sed ſimul pulchræ, & pingues oves
Mihi inveniunt nummos.

Et rurſum.

Præco ſtatim profectus, eme mihi decem nummis, pulchram vitulam. Et Ariſtoteles in Tarentinorum Republica tradit, numiſma ab ipſis nummum vocari, eique inſculptum eſſe Tarentem Neptuni filium, delphino vectum.

Et re vera inter antiqua numiſmata, plura eo modo inſcripta, tam apud Antonium Auguſtinum, quam etiam apud alios, qui veterum numiſmata è tenebris eruerunt; ſicut apud me quoque nonnulla reperiuntur. ut jam certiſſimè ex illo ſigno appareat, quodnam monetæ genus, nummus apud veteres Græcos diceretur; licet poſtmodum nummi nomen, omni monetarum generi ſit attributum.

Nummi nomen ex primæva inſtitutione jam tenemus: vocabuli ejuſdem etymologia enucleanda ſupereſt. Joannes Calvinus in ſuo dictionario correcto; nummum à numero derivari putat, *quod illius uſus non magis à numero, quam à pondere conſtet*, inquit. Sed ſi hujus auctoris ratio ſtaret; docere nos debuiſſet, cur potius nummus, quam pondus, aut alio à pondere derivato vocabulo, moneta dicta fuerit. Non enim magis unum, quam alterum illi ex ejus etymolo-

etymologia debebatur nomen. A Numa Rege deſumptum nummi nomen, volunt aliqui cum Suida, Iſidoro, & aliis: quod is nimirum primus apud Romanos, nummum imaginibus, tituloque ſui nominis ſignaverit; ita Iſidor. lib. 16. Orig. cap. 17. *Prius nummus*, inquit, *ἄργυρος nuncupabatur; quia primum ex argento percutiebatur: nummi autem à Numa Romanorum Rege vocati ſunt, qui eos primus apud Latinos, imaginibus notavit, & titulo nominis ſui inſcripſit.* Ab eodem Numa nummum derivari Tranquillus etiam cenſuit, ut refert Suidas in dictione ἀσσάρια his verbis: Νούμας ὁ πρῶτος βασιλεὺς μετὰ ῥωμύλον ῥωμαίων γεγονὼς, ἀπὸ σιδήρου, καὶ χαλκοῦ πεποιημένα πρῶτος ἐχαρίσατο ῥωμαίοις τῶν πρὸ αὐτοῦ πάντων διὰ σκυτίνων, καὶ ὀστρακίνων τὴν χρείαν πληρούντων, ἅπερ ὠνόμασεν ἐκ τοῦ ἰδίου ὀνόματος νουμμία, ὥς φησι Τραγκύλλιος. hoc eſt, *Numa primus Romanorum Rex poſt Romulum, ex ferro, & ære factam monetam, Romanis primus donavit: cum omnes qui anteceſſerant ipſum, per coriaceam, & teſtaceam, neceſſitatem explerent; quam de proprio nomine, nummos appellavit, ut dicit Tranquillus.* hæc ibi Suidas in dictione ἀσσάρια. Aſſarium enim moneta minima apud Græcos erat.

Verum Feſti doctrinæ & aliorum nos innitentes, qui nummi vocabulum, non Latinum, ſed Græcum arbitrantur, à Græca etiam voce, nimirum ἀπὸ τοῦ νόμου Latinum nummum deductum, ut pleriſque placet, affirmabimus: quod lege nimirum ad negotiationes proviſum fuiſſet monetæ; ut tanquam συνθέματι quodam, publica forma cuſo homines negotiarentur; & nummus, uſum, dominiumque, non tam ex ſubſtantia præberet, quam ex quantitate, Magiſtratus auctoritate fultus. cui etymologiæ vocabuli Paul. l. 1. de contrahend. empt. videtur ſubſcribere lib. 8. digeſt. tit. 1. agit enim de cauſa cudendi nummos, & ait: *Sed quia non ſemper, nec facile concurrebat, ut cum tu haberes, quod ego deſiderarem, invicem haberem, quod tu accipere velles: electa materia eſt, cujus publica, ac perpetua æſtimatio difficultatibus permutationum, æqualitate quantitatis ſubveniret; eaque materia, forma publica percuſſa, uſum, dominiumque non tam ex ſubſtantia præbet, quam ex quantitate.* hæc ibi Paulus, quibus innuit, à lege nummum valorem habuiſſe; citatur etiam à nonnullis Ulpianus in eodem titulo, ſed nihil horum ibi.

Numiſma alterum eſt pecuniarum vocabulum, monetæque genus, quod à nominibus Principum dici putat Iſidor. lib. 16. cap. 17. dicens: *Numiſma eſt ſolidus aureus, vel argenteus; qui ideò numiſma dicitur, quia nominibus Principum, effigiebuſque ſignabatur.* Sed quicquid ſentiat Iſidorus, nos utcumque monetarum vocabulum à Græco verbo νομίζω, quod eſt exiſtimare, vel ut dicunt alii ἀπὸ τοῦ νομίζειν, quod eſt ſtatuere, ſeu ſancire, derivatum dicemus; quia nimirum valor nummi, à pondere, hominumque exiſtimatione proveniat. Quare numiſma derivatum videtur à nummo: ita ut tam numiſma, quam nummum ab eadem etymologia vocabuli derivari, non ſit improbabile. quod nimirum utrumque à lege, & exiſtimatione hominum vim habeat. ſic enim Ariſtoteles ſenſiſſe videtur, dicens apud Pollucem: νούμμος τοὔνομα ἔχει, ὅτι οὐ φύσει, ἀλλὰ νόμῳ ἐστὶ, καὶ ἐφ' ἡμῖν μεταβάλλειν, καὶ ποιῆσαι ἄχρηστον. hoc eſt, *Nummus nomen habet, quoniam non natura, ſed lege eſt & penes nos eſt eum tranſmutare, & facere inutilem. Olim enim*, inquit Paulus Juriſconſultus loco jam citato, *non ita erat nummus, neque aliud merx, aliud pretium vocabatur; ſed unuſquisque ſecundum neceſſitatem temporum utilibus inutilia permutabat.* itaque lege tantum, hominumque exiſtimatione nummi valorem habent: quamobrem tam numiſma, quàm nummum à νόμῳ, atque etiam à νομίζω, derivari arbi-

A tramur. Adeo verò hæc duo vocabula inter ſe conjuncta ſunt; ut ſicut aliqui numiſma à nummo derivari putant; alii è contrario à numiſmate, nummum dici arbitrantur, ut Brecheus in l. pecuniæ, ff. de verborum ſignificat. de quibus ſatis jam diximus, & pro noſtro inſtituto iſta cognoviſſe ſufficiat.

Pecunia alterum eſt monetarum vocabulum; quo metallum ſignatum ad negotiationes appellari hodie mos eſt. ita dictum plurimi arbitrantur à pecude, qua ſignabatur. ut innuit Plutarch. in republic. & Plin. lib. 33. nat. hiſt. cap. 3. & lib. 18. cap. 3. ſed horum numiſmatum, quæ pecude ſignata eſſent nullum apparet veſtigium; licet ariete, & bove ſignata nonnulla appareant. quamobrem fortaſſe verius negotiationum inſtrumenta pecunia fuere dicta; quod veterum tota ſubſtantia, ac totum patrimonium, in pecudibus reponeretur: ut ſacræ etiam teſtantur litteræ; in quibus Abrami, Iſahaci, Jacobi, Jobi, Labani, filiorum David, & aliorum divitiæ recenſentur. His igitur pecudum gregibus eſculenta, poculenta, fundos, domos, & alia omnia neceſſaria veteres coëmebant, ut tradit Columel. in præfatione lib. 6. & Alciat. in l. pecuniæ 4. ff. de verborum ſignif. quod nimirum pecudum permutatione, negotia omnia apud veteres agerentur. quapropter pecuniæ nomen ſimpliciter, ut probat Joannes Calvin. in ſuo dictionario correcto, in verbo pecunia, non tantum rem mobilem, & quantitatem, ſed etiam rem immobilem, ut corpora, rura, prædia, fundi, domus, & ſi quæ alia ſunt; apud Juriſconſultos eo nomine ſignificantur. pro qua ſignificatione afferuntur ab eodem l. pecuniæ 4. l. pecuniæ 178. pecuniæ 222. l. ſæpe 53. ff. de verb. ſignif. & alii plures textus ex Juriſconſultis citantur qui ibi videri poſſunt.

Ab univerſalioribus monetarum nominibus, ad ſingularia deſcendentes; venimus ad ſiclum, cujus gratia, reliqua à nobis pertractata fuere. Monetam hanc omnibus numiſmatis, & monetis antiquiorem eſſe, ſacra teſtantur oracula; communem etiam apud gentem Hebræam in negotiationibus ſiclum fuiſſe illa ipſa affirmant. adeoque proprium Iſraëlitarum fuiſſe ſiclum conſtat; ut apud alias nationes uſum illius nequaquam reperiamus; neque Hebræos ab uſu hujus monetæ aliquando diſceſſiſſe perſpicuum ſit. quamobrem licet ſub judicibus à Deo delegatis, Hebræorum reſpublica gubernaretur; ſive poſtmodum ſub regibus, ſive denique ſub Ducibus, ac ſummis Sacerdotibus regimen Reipublicæ Iſraëliticæ poſitum eſſet, & tandem Græcorum, atque Romanorum Imperio Judæi ſubjicerentur; ſemper ſiclum inter Judæorum monetas principaliorem locum obtinuiſſe conſtat.

Siclus hebraicè שֶׁקֶל appellatur. quæ vox à verbo venit שָׁקַל quod ſignificat ponderavit, libravit, appendit; ut etiam ſupra jam diximus. quamobrem inſtrumentum etiam, quo pondera appenduntur, ut ſtatera, & lanx ab eodem verbo dicuntur מִשְׁקֶלֶת. quia verò, ut diximus capite præcedenti, monetæ in negotiationibus, non ſolum numerabantur, ſed etiam appendebantur, & antiquis temporibus fortaſſe appenſio principaliorem locum in negotiationibus obtinebat; metallorum fruſtula, quibus negotiatio agebatur, quamvis ſignis diſtinguerentur, ab uſu tamen ponderationis שְׁקָלִים appellata fuere.

Siclus igitur idem Iſraëlitis monetæ genus erat, quod libra Latinis, ἀσσάριον Græcis. ſicluſque non aliud nomen ſortitus eſt, quam ab uſu librandi, & ponderandi metalla, in emptionibus: a quo pariter uſu Græci, & Romani aſſes, & libræ monetarum genera habuerunt. appellatus verò fuit ſiclus, quia jam publica imagine ſignatus, ſuum debitum pon-

dus retinebat; nec indigebat ponderatione: quemadmodum etiam libra, & aſſis, eadem ratione apud Romanos, atque Græcos appellata fuere. Nam libræ numiſmatis, meminere plures, præſertim Pollux lib. 4. cap. 24. & idem valere quod ſtaterem, probat auctoritate Siculorum comicorum dicens: στατῆρα δὲ οἱ τῆς κωμῳδίας ποιηταὶ τὴν λίτραν λέγουσι. τὴν μὲν γὰρ λίτραν εἰρήκασιν οἱ σικελοὶ κωμῳδοί· δίκελλαν δὲ πέντε στατήρων, Κράτης ἐν παρακαταθήκῃ τὴν πεντάλιτρον. hoc eſt, *ſtaterem autem poëtæ comici, libram dicunt, & hoc quidem Sicilienſes comici; nam ligonem pretio quinqueſtaterum Crates in Paracatatheca quinque libralem* dixit: ita ut jam ſtater, & libra apud nonnullos idem fuerit. Meminit etiam libræ numiſmatis idem Pollux lib. 9. cap. 6. dicebatur etiam ἀσσάριον id eſt *As.* itaque idem erat Græcis στάτηρ, λίτρα, ἀσσάριον, & alia hujuſmodi; quod ſiclus Hebræis in ſacris oraculis.

Sicli duplicem habemus rationem ex ſacrarum Litterarum interpretibus: alter enim fuit publicæ, & communis negotiationis ſiclus; alter fuit ſiclus ſanctuarii: non quod jure diſtinguerentur, ut dixerunt nonnulli, ſed aliquo defectu ponderis interdum ex fraude, vel uſu mercatorum diſtinguebantur. ſed fuſius aliquid in ſequenti capitulo dicemus. Prius appellatus ab auctoribus eſt ſiclus prophanus; quia in publicis prophaniſque contractibus, eo homines uterentur. & de hoc genere ſicli intelligi debere locum Geneſ. 23. tradunt. in quo dicitur de negotiatione Abrahæ cum Ephron. *terra quam poſtulas, quadringentos ſiclos argenti valet; iſtud eſt pretium inter me, & te.* alter appellabatur, ſiclus ſanctus, ſeu ſiclus ſanctuarii, ſeu ſiclus ſanctitatis. quod nimirum menſura, ac pondere ſanctuarii debitum monetæ pondus, æquandum eſſet. ſicut apud Romanos

A in templo Monetæ Deæ monetarum cuſores, & lances ad monetas æquandas habebantur. De hoc igitur ſiclo ea ratione æquato in pretio noſtri olei conſecrationis, à Deo dicitur ad Moyſem, juxta prædictam diſtinctionem ſiclorum: *Sume tibi aromata primæ myrrhæ, & electæ quingentos ſiclos; cinnamomi medium; id eſt ducentos quinquaginta; caſiæ autem quingentos ſiclos in pondere ſanctuarii.*

De monetis ſecundum illam diſtinctionem, quam aliqui auctores tradunt, & de ſiclo tam prophano, quàm ſancto, in ſacris Litteris paſſim agitur. Fuit enim talentum ſacrum, talentum prophanum: fuere quoque oboli ſacri, ac etiam oboli prophani: B ſi diſtinctionem illam admiſerimus tam de his, quàm aliis monetarum generibus, de quibus ſæpiſſimè ſacris in Litteris, perdoctè Arias Mont. & alii perſpicuè egerunt, ad quos remittimus lectorem in reliquis cognoſcendis, quæque deſiderari poterunt. Quia verò etiam à materia diſtinguebatur ſiclus, cum ſiclus ferreus, & æreus, argenteus, & aureus reperiantur, de quibus in præcedenti capite jam egimus, & in ſequentibus etiam aliquid de his dicetur; nunc non erit ultra progrediendum, cum tam apud Villalpandum, quàm reliquos citatos auctores ſufficientiſſime haberi poſſint plura, illaque doctiſſima in re nummaria. C

Formam ſicli expiſcari neceſſe eſt; de qua doctiſſime quidem diſſeruit Villalpandus. nos ex ipſo, & Antonio Auguſtino, aliiſque pluribus, ſicli poſterioris iconem hic afferemus, his notis, atque imaginibus ſignatam, quæ quamvis magicis characteribus, aut Ægyptiorum hieroglyphicis ſimillimæ videantur; antiquitas tamen in his veneranda erit, & in ſacra moneta ſacras etiam venerari litteras debemus.



De hoc ita Anton. Auguſt. *Erat princeps hic nummus Hieroſolymis, cujus imæ parti, vas impreſſum inſtar calicis, alteri vero, flos triplex, circumcirca prodigioſi litterarum characteres viſuntur. Quantum ex homine perito colligere licuit, litteræ ſunt Samaritanorum. Rabbi quidam Gerundenſis unius latus interpretabatur ſignificari JERVSALEM CIVITAS SANCTA. alterius verò ſenſum eſſe ajebat, SICLVS SANCTVARII; flore vero Virgam Aaronis florentem deſignari aſſerebat: Calice autem mannam repræſentari; quacum virga illa, ac decem præceptorum Dei tabulis, in arca fœderis, & adytis, quæ Sancta Sanctorum dicta erant aſſervabantur.* hæc autem accepimus ex doctiſſimo Epiſcopo.

Quamvis verò, hac icone, quam relati auctores ponunt, rectè ſiclus à lata lege ſignari potuerit, & infra, poſtquam in ditionem David Regis Hieruſalem civitas Jebuſæorum deveniſſet; ut legitur 2. Reg. cap. 5. non tamen ita ſiclus ante latam à Deo legem, temporibus nimirum Abrahæ ſignatus videtur; cum neque Hieruſalem, in poteſtatem Iſraëlitarum veniſſet; neque manna deſcendiſſet; neque virga Aaron floruiſſet: ſed vel ſacrificio Iſahaci, vel aliquo alio ſigno nobis omnino ignoto (quod tamen E neceſſe fuit) pondus, & valorem ſicli, publica auctoritate ſignati, manifeſtari oportuit: nam alias fruſtula argentea, ærea atque aurea, nullius fuiſſent uſui tunc temporis in negotiationibus, potius quam craſſiores, ac rudiores metalli maſſæ: cum tamen à primis uſque ſeculis monetæ ſignatæ, atque ſicli uſum notiſſimum fuiſſe conſtet, & ex jam à nobis dictis perſpicuum fiat.

F

CAP. V.

Sicli valor unguenti conſecrationis præſtantiam aperit.

Ad loca Exodi 30. *Hoc autem dabit omnis qui tranſit, dimidium ſicli juxta menſuram templi. Siclus vi-*

A *viginti obelos habet ; media pars ſicli offeretur Domino.* Levit. 27. *Omnis æſtimatio ſiclo Sanctuarii ponderabitur.* & ad alia.

Valorem ſicli expiſcari , cum primis neceſſe eſt ; ad cognoſcendum aromatum pretium , quibus ſacra hæc unctio conficiebatur : ut ejuſdem ſacræ unctionis præſtantia , ex pretio lucidior appareat. De ſiclo illiuſque valore multi , iique graviſſimi auctores , copioſius ac diligentius , quam ipſe valeam , tractaverunt : præſertim Joan. Bapt. Villalpandus in Ezechielem prophetam , Arias Montanus , & alii. quamobrem nobis non eſt longius
B protrahendus ſermo ; ſed tantum valor inquirendus : ut ad pretium pecuniæ noſtri temporis , quantum fieri poteſt , ſacri unguenti præſtantia accommodetur. valor autem ſicli cognoſci nequaquam poteſt , niſi prius diſtinctionem , quam nonnulli auctores , probabili ſane fundamento , excogitarunt ; ſicli nimirum communis , & uſualis , à ſiclo alio , quem ſanctuarii dixerunt ; elucidare conemur. de ſiclo ſub hac diſtinctione loquutos agnovimus Nicolaum de Lira in cap. ult. Levit. Pagnin. in theſaur. linguæ ſanct. & qui additiones ad illum theſaurum addiderunt. Vatabl. Exod. 30. Lipoman. Covarr. in lib. de mon. cap. 2. nu. 9. & alii , ut Barad. in ſua concordia
C Evangelica, Benedictum Ariam Montanum, virum ſane de ſacris litteris quam optime meritum , linguarumque peritia celebrem : is enim in apparatu ad regia Biblia , quorum editioni præfectus adſtitit ; in opuſculo , in quo de monetis , menſuriſque Hebræorum egit , ſatis luculenter , & docte atque eleganter de ſiclo loquitur ; & hanc ſicli communis , à ſiclo ſanctuarii diſtinctionem , locis plurimis comprobavit. at Ribera in cap. 8. Amos proph. nu. 16. & cum eo Villalp. in Ezech. proph. allatam diſtinctionem non admittunt , ſed unicum ſiclum in quibuſcunque ſolutionibus tam ſacris , quàm prophanis habuiſſe Iſraëlitas ſentiunt. quod etiam Maldonat. in
D cap. 17. Matth. nu. 24. probat ; & alii fere reliqui omnes qui noſtro ſeculo de re nummaria egerunt.

Sed adhuc de valore ſicli eſt difficultas ; nam quamvis plurimi jam citati Scriptores , ſicli prophani à ſiclo ſancto diſtinctionem admittant , inter ſe tamen de ſicli valore pugnant : nam aliqui , iique plures , majorem valorem dant ſiclo ſanctuarii , quam ſiclo communi , & uſuali ; alii vero ſecus affirmant , ſicloque prophano majus pondus adſcribunt , quàm ſiclo ſancto. Nec deſunt loca ex ſacris oraculis , quibus utraque ſententia fulciatur, & ambigendi locus utrique remaneat. ſunt vero alii qui pondus definiant ;
E & dicant , ſiclum habuiſſe pondus ſemunciæ , cujus rei teſtis videtur Joſephus ; affirmans tales apud Hebræos fore ſiclos , quales ſunt tetradrachmæ Atticæ apud Græcos. quod quidem genus monetæ quatuor drachmas complectebatur , ut nomen ipſum tetradrachmæ indicat. eſt autem inter drachmam Atticam , denariumque Romanorum argenteum , parum aut nihil ferè diſcriminis , imo ſecundum aliquos etiam idem idem omninò ſunt , teſte Alexandro ab Alexandro lib. 4. genial. die. cap. 24. de his ſcribente. idem etiam ex auctoritate Dion. probat , qui voluit centum drachmas, centum denariis argenteis æquari , qui libram argenti efficiunt. ex Plutarcho etiam , & aliis tradidit Alexander id eſſe perſpicuum.
F quatuor igitur drachmæ , ex quibus ſiclus integratur , quatuor denarios æquabit , qui cum argenteæ unciæ dimidium attingant , tale etiam ut illi dicebant , pondus ſicli erit : ut vult etiam Perer. in Geneſ. in cap. 21. & cap. 23. quod ex auctoritate Hieronymi in cap. 45. Ezechielis probat. nam ſiclum obolos viginti valere , dixit propheta loco citato. quod etiam docet Alexander ab Alexandro ubi ſupra. & ſuaderi poteſt ea ratione , quia quatuor drachmæ , unde etiam genus illud monetæ , tetradrachmæ , ut dicebamus , nomen accepit , argenti ſemunciam tantum attingunt. & quamvis ſecus ſenſiſſe videatur Hieronymus , cum in tradit. hebraic. cap. 24. in Geneſi dicat : *Baca , quod in hoc loco pro didrachma ſcribitur , ſemuncia eſt. Secel verò , qui Latino ſermone ſiclus corruptè appellatur , unciæ pondus habet.* Ex quibus D. Hieronymi verbis palinodiam recantaſſe , exiſtimat Pererius ; contrariumque his , quæ jam alibi docuerat , hic docuiſſe. Sunt tamen, qui neque contraria ſibi ipſi docuiſſe Hieronymum , neque aliquando in his palinodiam recantaſſe velint , ſi tamen rectè intelligatur. quamobrem in Pererium inſurgunt , neque unde miraretur , habuiſſe tradunt : ſi diſtinxiſſet Pererius ex Hieronymi ſententia , ſiclum Sanctuarii , à ſiclo prophano , illius loca facillimè conciliaſſet. ibi enim in cap. 45. Ezechielis Hieronymum loquutum de ſiclo prophano , dicunt illi ; de quo etiam genere ſicli , Propheta loquebatur : & de hoc genere monetæ omnes illi intelligi debent ; qui docent ſiclum pendere ſemunciam argenti : quod etiam Arias Montanus in libro de ponderibus , & menſuris obſervavit. At verò in traditionibus Hebræorum , Hieronymum de ſiclo Sanctuarii loquutum volunt : cujus omnes menſuræ , ut ipſi arbitrantur , duplo majores erant , quam prophanæ. quamobrem ſiclus Sanctuarii erat unius unciæ argenti , & quatuor drachmarum Hebræarum , quæ erant duplo majores , quam Atticæ , ut ex Budæo teſtatur Ribera in cap. 3, Oſee , ejus nimirum valoris , cujus erat drachma Æginenſium , quæ duplo major erat Attica , & decem obolis permutabatur. hæc ex Ribera.

Et in hoc quidem , quod habet de drachma Æginenſium , majoris valoris quam drachma Attica , Pollucem etiam patronum habet lib. 9. cap. 6. dicentem : ἀλλὰ μὴν τὴν αἰγιναίαν δραχμὴν νομίζω μείζω τῆς ἀττικῆς , δέκα γὰρ ὀβολοὺς ἀττικοὺς οἱ ἀθηναῖοι παλαιὰν δραχμὴν ἐκάλουν. hoc eſt , *Sed utique Aeginaea drachma major eſt Attica. decem enim obolos Atticos valebat , Athenienſes drachmam magnam vocarunt.* Ex quibus perſpicuum eſt , Æginæam drachmam majorem fuiſſe drachma Attica ; ſed non duplo majorem , ut illi dicebant ; quia hæc ſex obolis permutabatur ; Æginæa verò non quidem obolis duodecim ad duplicitatem drachmæ Atticæ , ſed tantum decem valebat obolos , ut vidimus. Præterea quatuor drachmæ Atticæ argenti , ſemunciam habent , juxta pondus Romani denarii , & viginti quatuor oboli ſemunciam habebunt. at quatuor drachmæ Æginææ quadraginta obolos haberent : itaque argenti unciam non attingerent , & ſemunciam argenti , quatuor Æginææ drachmæ longe excederent. Quod autem ſiclus Sanctuarii , unciæ argenti pondus haberet ; præter Hierony. affirmat etiam Pagnin. in ſuo Diction. cum omnibus illis , qui additiones ad illud ediderunt. Marc. Marin. in ſua Arca Noë in dictione שֶׁקֶל Avenàr , & alii viri eruditiſſimi in ſuis Dictionariis , & ita etiam ſenſiſſe Vatabl. non obſcurè colligi poteſt , ex his quæ docuit de Mna ſacra in cap. 45. Ezechielis. His etiam ſubſcribit Arias Montan. loco citato ; qui duplo majus habuiſſe ponderis , ſiclum Sanctuarii à ſiclo communi , duplicique æſtimatione alterum ab altero diſtingui conſueviſſe affirmat. quamobrem cum quatuor drachmis Atticis , ſive Romanis Juliis , ſicli communis valor æſtimaretur , octo valuiſſe ſiclum Sanctuarii vult. his etiam videtur aſſentire D. Eucher. lib. 2. inſtruc. dicens : *Sicel , qui corruptè ſiclus dicitur , unciæ pondus habet , ſcrupula decem.* Daniel in notis ad Petron. nulla facta diſtinctione in ſiclo , ait : *Sicel , qui Latino ſer-*

mone ſiclus corruptè dicitur , Hebræum nomen eſt ; habens apud eos unciæ pondus , apud Latinos verò , & Græcos quarta pars unciæ eſt , & ſtateris medietas: drachmas appendens duas. unde cum in divinis libris legitur ſiclus , uncia eſt , cum verò in Gentilium , quarta pars unciæ eſt.

At mihi quidem certiſſimum eſt ſiclum tam prophanum , quàm ſanctum ſemunciam argenti ponderis retinuiſſe , & nihil ſupra : nam ubique in ſacris Litteris dicitur ſiclum viginti obolorum valorem retinere. ita dicitur cap. 30. Exod. ubi ſermo eſt de ſiclo Sanctuarii , & dicitur: *Hoc autem dabit omnis qui tranſit ad nomen ; dimidium ſicli juxta menſuram templi ; ſiclus viginti obolos habet. Media pars ſicli offeretur Domino.* hoc idem legitur Levit. 27. ubi de valore ſicli agitur. *Omnis æſtimatio* , inquit textus, *ſiclo Sanctuarii ponderabitur. Siclus viginti obolos habet.* Numer. cap. 3. cum conſecrarentur omnes Levitæ Domino , pro cunctis primogenitis filiorum Iſraël ; & numerus filiorum Iſraël , numerum Levitarum excederet ; pretio quique ſiclorum exceſſum redimere jubentur , ac dicitur. *In pretio autem ducentorum ſexaginta trium , qui exceſſerunt numerum Levitarum, de primogenitis filiorum Iſraël, accipies quinque ſiclos per ſingula capita , ad menſuram Sanctuarii: ſiclus habet viginti obolos.* in quibus jam allatis locis ubique ſermo eſt de ſiclo Sanctuarii , cujus valor viginti obolis æſtimatur. Eundem valorem retinuiſſe ſiclum ad prophanas negotiationes cap. 48. Ezechiel. oſtenditur ; in quo agitur de ſervanda debita ponderum , atque menſurarum, necnon etiam monetarum æqualitate: diciturque , *ſiclus autem viginti obolos habet.* cum tamen hic de ſiclo communis uſus , & negotiationis ſermo ſit ; non autem de ſiclo dando in aliquod munus tabernaculi : & tamen ſiclus , hic quoque apud Prophetam , valorem viginti obolorum retinet ; & omnino æquat ſiclum , quem ad Sanctuarii pondus exhibendum à filiis Iſraël juſſerat Deus Exodi 30. Levit. 27. & Numer. 3. Ezechielem autem loquutum de ſiclo ad communem negotiationem probat contextus illius capituli , in quo Dominus per Prophetam jubet , magiſtratus Iſraëlitici jam rapinis minime operam dent ; ſed judicium , juſtitiamque diligant. *Sufficiat vobis Principes Iſraël ; iniquitatem, & rapinas intermittite , & judicium , & juſtitiam facite* , inquit Propheta : & ſtatim de menſuris juſtis , ac ponderibus eoſdem admonet. perſpicuum eſt igitur commentitium eſſe quicquid de duplici ſiclo, prophano nimirum , & Sanctuarii nonnulli comminiſcuntur.

Hunc autem ſiclum non excedere ſemunciam argenti , ducor auctoritate Septuaginta Interpretum, & aliorum Græcorum Codicum , qui ubique in ſacris litteris , ubi ſermo eſt de ſiclo , toties dixere didrachmam , vel ſtaterem ; quæ nummum duarum drachmarum valent. ita Gen. 23. ϗ ἤκȣσεν Ἀβραὰμ τῷ ἐφρὼν τὸ ἀργύριον ὃ ἐλάλησεν εἰς τὰ ὦτα τῶ υἱῶν χὲτ, τετρακόσια ἀργυρίȣ δοκίμȣ ἐμπόροις. hic autem ſermo eſt de moneta ad prophanas negotiationes : & illud numiſma , quod noſtri ſiclum appellarunt , didrachmam Septuaginta dixerunt. ſic enim interpretantur illa verba : *Et audivit Abraham Ephron , argentum , quod loquutus eſt in auribus filiorum Chet , quadringenta didrachma argenti , æſtimationis emporii.* ſimiliter etiam Exodi 30. ubi eſt ſermo de numiſmate in reſpectu ad ſacra , & dicitur. ϗ τȣτό ἐςιν ὃ δώσȣσιν ὅσοι ἂν παραπορεύωνται τὴν ἐπίσκεψιν , τὸ ἥμισυ τȣ διδράχμȣ , κτ̃ τὸ δίδραχμον τὸ ἅγιον , εἴκοσι ὀβολοὶ τὸ δίδραχμον , τὸ δὲ ἥμισυ τȣ διδράχμȣ εἰσφορὰ κυρίῳ. qui locus non ſolum oſtendit idem fuiſſe Hebræis ſiclum , quod Græcis Alexandrinis erat didrachma ; ſed etiam , quod didrachmum ſanctum , quod idem erat cum ſiclo , non excedebat pondus viginti obolorum. ſic enim interpretatur ille locus Septuaginta : *Et hoc eſt quod dabunt quotquot veniunt ad viſitationem , medium didrachmi , juxta didrachmum ſanctum viginti oboli didrachmum ; medium autem didrachmi oblatio Domino.* Levit. cap. 27. in quo ſermo eſt de negotiationibus profanis , in agris vendendis & emendis , quorum æſtimatio ad Pontificem , ſeu Sacerdotem pertinebat : Deus enim tamquam Imperator Iſraëlitici exercitus , regionem quam armis ipſi acquirebant, ſibi acquiri volebat ; & veluti à colonis ab Iſraëlitis poſſideri. quia ſiclis negotiationes agebantur ; propterea de valore illius dicitur: ϗ πᾶσα τιμὴ ἔςαι ςαθμοῖς ἁγίοις , εἴκοσι ὀβολοὶ ἔςαι τὸ δίδραχμον. hoc eſt, *Et omnis æſtimatio erit ponderibus ſanctis , viginti obolis erit didrachmum.* eſt hic ſermo de valore monetæ in negotiationibus prophanis , ut propterea de ſiclo ad prophanas negotiationes locus intelligendus ſit , ſicuti etiam locus Ezechielis cap. 45. cum dicitur, ϗ τὸ ςάθμιον εἴκοσι ὀβολοὶ ὁ σίκλος. hoc eſt , *Pondus viginti oboli ſiclus.* quæ quidem dicendi phraſes planè indicant commentitium eſſe, quod auctores jam à principio capituli relati de duplici ſiclo , ſancto nimirum & prophano comminiſcuntur.

Valorem ſicli , numeratis obolis monſtravimus, idem magis adhuc explicandus eſt per drachmas. & quamvis auctores de ſiclo tantum profano videantur loquuti , tamen qui dicunt ſiclum plurimi valuiſſe, ad quatuor drachmas illius valorem extendunt ; & optimis quidem probant rationibus , Joſephumque patronum habent. verum qua ratione cum tetradrachma Attica ſtet didrachmum Septuaginta Interpretum, videtur difficillimum; Joſephque nobis, Græcaque exemplaria quammaximè contraria videntur. Sed difficultati facile occurremus , & Pollux lib. 9. cap. 9. quo pacto tetradrachmum Atticum ſtet cum didrachmo Septuaginta aperiet : nam planè oſtendit drachmam Atticam , minorem fuiſſe drachma Æginæa ; hanc autem Æginæam drachmam , decem obolos valuiſſe oſtendit , dicens : ἀλλὰ μὴν τὴν μὲν αἰγιναίαν δραχμὴν , μείζω τῆς ἀττικῆς· δέκα γὰρ ὀβολοὺς ἀττικοὺς ἴσχυεν ἣν οἱ ἀθηναῖοι παχεῖαν δραχμὴν ἐκάλȣν ; μίσει τῶν αἰγιναίων, αἰγιναίαν καλεῖν μὴ θέλοντες. hoc eſt, *Enimvero Æginæa drachma major Attica , habebat enim decem obolos quam Athenienſes drachmam magnam vocabant , odio Æginæorum , Ægineam drachmam appellare nolentes.* Cum igitur drachma Attica ſex obolos valeret , ut habet Pollux ibidem ; quatuorque Atticæ drachmæ viginti quatuor obolos haberent ; fieri potuit, ut , quia in hebraico textu pro obolo ſtat dictio גֵּרָה , quæ non poterat exprimi niſi per obolum ; propterea , ubi textus hebraicus habebat viginti גֵּרָה *gerà* , interpretes viginti obolos dixerint : & ſiclus , qui viginti valebat obolos, poni ab aliquibus potuerit pro tetradrachma Attica: cum verè valeret didrachmum Æginæum ; atque ideò Græca exemplaria in ſacris litteris, pro ſiclo, ubique dixere didrachmum. ſive fortè verius drachma Attica minus valebat, Hieroſolymis , quam valeret apud Athenienſes ; nam apud hos ſex obolis æſtimabatur , cum tamen Hieroſolymis quinque tantum obolis valeret. ratio autem eſt manifeſta , quia ſiclus ut habet Joſephus , valebat tetradrachmam Atticam , ideſt quatuor Atticas drachmas ; & tamen ſiclus viginti obolos non excedebat : quamobrem ſingulis drachmis quinque oboli reſpondebant.

Jam facile explicatur ſicli pondus: quod nimirum ſi de argenteo ſiclo ſit ſermo , ſemunciam argenti tantum ſiclus pendat ; & non ultra. evidentique argumento , ut puto, oſtenditur : nam idem erat ſtater apud Græcos , quod ſiclus Hebræis. *Eademque eſt, & Hebraici , & Græci nominis origo* , inquit Maldonat. in Evang. in cap. 17. Matth. nu. 27. *utrumque enim pondus ſignificat. itaque idem erat ſtater , & tetradrach-*

drachmum , id eſt duæ drachmæ : propterea jubet Chriſtus pro ſe , & pro Petro ſtaterem dari , quia unuſquiſque didrachmum , id eſt dimidium ſicli pendere debebat. hæc ibi Maldonatus : & plura alia apud ipſum de ſiclo , & ſtatere , quotum pondus ſemunciam fuiſſe , quatuor nimirum drachmas Atticas, perſpicuè oſtenditur. Et quia ubique , ut vidimus , ſiclus viginti obolos habere dicitur , & ferè didrachmum Æginæum pendebat ; ſive de ſiclo per reſpectum ad Sanctuarium ſermo ſit ; ſive ad negotiationes laicales reſpiciatur ; conſequens erit quemcunque ſiclum ſemunciam argenti apud Iſraëlitas habuiſſe. A

Satisfaciendum eſt his , qui diſtinctionem ſicli prophani à ſancto excogitarunt , locis quidem ſacris fulti , in quibus dicitur ſiclum ſolvendum juxta menſuram Sanctuarii ; quæ loca jam in principio hujus capitis attulimus : ſed facili negotio ſolvitur difficultas ex his quæ jam cap. 4. diximus, nimirum quod numiſmata non ſolum numerabantur, ſed etiam appendebantur ; ne quid fraudis aut doli mali in pecunia , & in negotiationibus committeretur. quia vero Deus Iſraëliticam Rempublicam conſtituerat , legibuſque firmaverat ; etiam numiſmatum pondus conſtituerat , quod pondus in Sanctuario ſervari volebat , & ad illius menſuram in quacunque negotiatione juſta , pecuniarum ſolutionem fieri , non ſolum numiſmata numerando , ſed etiam appendendo jubebat. propterea ſacra oracula habent ad menſuram , ad pondus , & ad normam ſicli , quæ in Sanctuario ſervabatur , ſiclorum ſolutiones fieri debuiſſe. B C

Hinc jam pretium unguenti conſecrationis , ejuſdemque præſtantia ſubodorari poteſt. Mille & quingentis ſiclis emebantur aromata ex Dei præſcripto : hi verò attingebant ſummam quinquaginta unciarum argenti ſupra ſeptingentas ; ſi de ſiclo argenteo ſacra oracula , in illa aromatum æſtimatione , loquuta volumus , totum itaque pondus argenti expendendi in aromatibus pro compoſitione unguenti , ſeptuaginta quinque librarum argenti ſummam attinget : quam ſummam , ſi ad noſtræ monetæ genus revocare voluerimus ; ut unicuique libræ argenti , decem ſcuta aſſignemus ; pretium hujus unguenti erit ſeptingentorum , & quinquaginta ſcutorum. Quamobrem cum in compoſitione hujus unguenti ad unicam totius compoſiti partem , bullitione minuendum foret ; ut jam diximus ; & ad ſummum undecim libræ illius unguenti inde extrahi poſſent : unaquæque libra unguenti circa ſeptuaginta ſcuta monetæ Romanæ æſtimabitur. Quo quidem pretio præſtantia hujus unguenti aperitur : comparatione cum primis unguenti nardini in obſequium Chriſti fuſi in convivio à muliere illa , quæ Dominum unxit; cujus unguenti libra trecentorum denariorum ſumma tantum ad minimum æſtimabatur, quæ trecentorum denariorum ſumma triginta , aut parum ſupra hujus noſtræ monetæ ſcuta attingere poterit ; ut Myrothec. 4. probabimus : & nihilominus adeò Diſcipulorum quorundam animum perturbavit ; ut quidam illorum ſcandalizarentur , non ſolum de muliere , illorum judicio, nimis prodiga in profuſione unguenti ; ſed etiam de Chriſto Domino , in profuſione permittenda minus pio : quamobrem hac de cauſa quorundam Diſcipulorum animum adeo à Chriſto alienavit ; ut quamvis innumerabilia vidiſſent ab illo patrata miracula , nihilominus de illo deferendo cogitaverint. Quanto præſtantius hoc æſtimandum erit , quod quamplurimis de rationibus nardinum unguentum excedit , ac ſuperat ? excedit profectò in dignitate ab auctore petita ; excedit præſtantia & excellentia ab aromatibus accepta , & tandem excedit etiam pretio. quæ omnia expiſcanda ſuſcepimus ; ut inde animum noſtrum , & fuſione illius , in conſecratione D E F Sacerdotum , & vaſorum , atque utenſilium quæ in Dei cultum ſacrabantur : nequaquam à ſummi Dei cultu alienare mentem aliquo modo noſtram valeat ; ſed potius in Dei majeſtate laudanda in dies ipſi proficiamus , atque excitemur.

CAP. VI.

Sacri thymiamatis præſtantia monſtratur.

Ad locum Exodi 30. *Sume tibi aromata , ſtacten , & onycha , galbanum boni odoris , & thus lucidiſſimum : æqualis ponderis erunt omnia : facieſque thymiama compoſitum opere unguentarii , mixtum diligenter , & purum , & ſanctificatione digniſſimum. Cumque in tenuiſſimum pulverem univerſa contuderis , pones ex eo coram tabernaculo teſtimonii , in quo loco apparebo tibi.* & ad alia loca.

DUPLICI compoſitione odorati , coli voluit Deus à filiis Iſraël in tabernaculo. de quibus Scriptura meminit cap. 30. Exodi , oleo nimirum , ſive unguento ſuaviſſimo, atque fragrantiſſimo ; nec non etiam ſuffitu , nihil minus odorifero , fragranti , atque ſuavi : de utroque egit in eodem capitulo : pro utriſque aromatiferæ artis regulas præſcripſit : utriuſque auctor ipſe haberi voluit. Oleo coli voluit in conſecratione tabernaculi , altarium , & omnium vaſorum , quæ in ſacrificiis , uſu venire potuiſſent ; nec non etiam in conſecratione Sacerdotum , qui miniſtraturi fuiſſent thymiama , cum Sacerdotes oracula adirent. Tam olei , quàm incenſi aromata præſtantiſſima fuere. unguento colebatur Deus , & linitura vaſorum : thymiamate colebatur ſuffumigio.

Nomina attendantur ſacri hujus ſuffitus , de quo agitur à nobis ; ut præſtantia aromatum in oleo latius micet. Thymiama dixerunt illum Latini , Græco retento vocabulo , quo θυμίαμα genus hoc ſuffumigii Græci ipſi appellarunt. קְטֹרֶת *ketoreth* hebraicè dicitur in ſacris textibus. notanda verò eſt phraſis Septuaginta Interpretum in compoſitione hujus ſuffitus : qui poſtquam aromatum quantitatem , ac qualitatem præſcripſerunt , ſacer illorum textus ſubintulit : καὶ ποιήσουσιν αὐτὸ θυμίαμα μυρεψικὸν ἔργον. hoc eſt , *Facient illud* , id eſt , illud aromatum jam dictorum pondus , *thymiama aromatarium opus.* Dicitur autem thymiama ἀπὸ τοῦ θυμιάω , vel ἀπὸ τοῦ θύω , quod ut Euſtathius pluribus in locis oſtendit , duo ſignificat : idem nimirum quod θυμιᾶν , id eſt , ſuffire , ſuffumigare , & odores incendere : atque etiam ſignificat immolare , ſive occidere , & ſacrificare. quin etiam ſacrificium θυσίαν dictum volunt ἀπὸ τῆς θυμιάσεως. quod mortalium primi , ex combuſtis arboribus , ſive plantis , earumque partibus , & fructibus , ſuffitum Deo impenderent ; ut veteres Grammatici tradiderunt cum Porphyrio lib. 2. de ſacrificiis , dicente : ἐκ δὲ τῆς θυμιάσεως τῆς ἀπὸ γῆς , θυμιατήριά τε ἐκάλουν , καὶ τὸ θύειν , καὶ θυσίας· ἃ δὴ ἡμεῖς ὡς τὴν ὑστέραν πλημμέλειαν ἐκβαίνοντα , οὐκ ὀρθῶς ἐξακούομεν , τὴν διὰ τῶν ζώων δοκοῦσαν θεραπείαν , καλοῦντες θυσίαν. τοσοῦτον δὲ τοῖς παλαιοῖς τοῦ μὴ παρακινεῖν τὸ ἔθος ἔμελεν , ὡς κατὰ τῶν ἐκλειπόντων τὸ ἀρχαῖον , ἐπεισαγόντων δὲ ἕτερον , ἀρησομένοις , ἀρώματα τὰ θυμιώμενα νῦν προσαγορεῦσαι· hoc eſt , *Ex ſuffumigatione illorum , quæ ex terra* (ſupple ſunt) *thymiateria appellarunt , & ſacrificare , & ſacrum facere. Illud autem eſt antiquis , ſacrificare de more futurum , ſicut reliquis veterum.* & infra : τὸ δὲ παλαιὸν διὰ ποπάνων , καὶ τῶν καρπῶν ἦν· ὅθεν , καὶ θυσίαι , καὶ θυμέλαι , καὶ θυηλαὶ ἐκαλοῦντο , καὶ αὐτὸ τὸ θύειν τοῦ θυμιᾶν εἴχετο , καὶ τοῦ παρ᾽ ἡμῶν λεγομένου ἐπιθύειν ὅ γε ἡμεῖς

νῦν

νῦν θύειν λέγομεν, ἔρδειν ἔλεγον. vide hunc locum apud Stuch. pag. 139. Et ideo proprium fuit veteribus verbo θύω uti; pro incendere odores ſacrificiorum de cauſa potius, quam pro mactare victimas; ut nihil deſiderari poſſit. his ſuffragatur is, qui ſcripſit, σφάξαι μὲν τὸ ἱερουργῆσαι ζώων, θῦσαι δὲ τὸ θυμιᾶσαι· θύεται γὰρ τὰ θυμιάματα. hoc eſt, *verbum* σφάξαι, *ſignificat ſacrificare animal*; θῦσαι *autem idem quod ſuffumigare: ſuffumigantur enim ſuffumigia.* itaque thymiamata idem ſunt quod ſuffumigia. neque aliud Deus præcepit Moyſi, niſi ut aromata à ſe conſtituta, præparari juberet, juxta rationem aromatiferæ artis, in componendis ſuffumigiis.

Iſtud ipſum vis hebraicæ dictionis קְטֹרֶת *qetoret* aperit; quæ *ſuffumigavit* interpretatur, *adolevit odores*, *incendit*. illa autem vox cognationem habere videtur cum voce קָטַר *qatar*, quæ interpretatur, *attractus fuit*, nidor nimirum ex fumo. nam vocem קָטַר *qatar* ſignificare fumum, & ſuffumigationem, plane colligitur ex illo Cantic. 3. מִי־זֹאת עֹלָה מִן־הַמִּדְבָּר כְּתִימְרוֹת עָשָׁן מְקֻטֶּרֶת מֹר וּלְבוֹנָה hoc eſt, *Quæ eſt iſta aſcendens de deſerto ſicut virgulæ fumi, ſuffumigata myrrha, & incenſo.* & ubi nos legimus hebraicè מְקֻטֶּרֶת *mequtereth*, quod Latinè ſonat *ſuffumigata*, Græcè legitur τεθυμιαμένη. Ex quibus planè liquet, thymiama nil aliud eſſe, quam ſuffumigium: ſic planè dictum, quod illius uſus in ſacris tantum adhiberetur; nequaquam verò ad prophanos uſus. quapropter lex lata fuit à Deo, ne quis hac ſuffumigatione uteretur: nec urere compoſitionem hujuſmodi licitum alicui, vel alicubi Deus voluit, præterquam in ſacro Dei tabernaculo.

Deum odoribus, aromatibusque delectari, communis antiquorum ſenſus, totaque ipſa antiquitas exiſtimavit. quapropter inter præcipuos religionis actus, ſuaviora quæque aromata ſuper ignem injicere, gratum Deo putarunt: adeò ut hinc adorare videatur deductum, quaſi odorari; nimirum odoribus numen ſibi propitiare. nam etſi adorandi, adorationiſque nomen, ut plerique Grammaticorum non male ſentiunt, ab ore videatur dictum; tamen non alienum, ſed planè verò ſimilius videtur adorationem, quaſi odorationem dictam fuiſſe: odores autem in gratiam numinis combuſti, reverentiam, honoremque illi habitum oſtendunt ab his, qui eorum cauſa odores incendunt. maximam quidem adorationis partem, in odorum ſuffumigationibus veteres poſuerunt. hinc etiam verbum adoleo, uſurpari ſolitum fuit in ſacris. quamobrem Virgilius dicebat:

Verbenaſque adole pingues, & maſcula thura.

& lib. 1. Aeneid. eodem adolendi verbo in ſacris uſus, dicebat.

Quinquaginta intus famulæ, quibus ordine longo
Cura penum ſtruere, & flammis adolere Penates.

Verbum in ſacris ſanè, vel ab olei libaminibus uſurpatum, ut Myrothecio primo dicebamus; vel etiam à præpoſitione *ad*, & verbo *oleo*, quod eſt olfacere deductum: quaſi adolere aliquid, ſit idem quod Deum invitare, ut olfaciat, quod bene olet.

Nec mirum eſſe debet, Gentiles, odoribus, ſuffimentiſque in ſuis ſacris uſos fuiſſe: iiſque res quaſvis purificandi, Deoſque ſuos propitiandi, omnimodam ferè vim tribuiſſe: cum odores, ſi vis illorum, atque natura in genere ſpectetur; vel ipſa ratione, experientiaque teſte locupletiſſima, maximè tenues ſint, ſubtiles, ignis, ac ſpiritus naturam habentes; ut definit etiam Plutar. in comment. de EI foribus templi Delphici inſcripto, dicens: δυεῖν δὲ τῶν λοιπῶν, ὀσμὴ μὲν ἣν ἡ ὄσφρησις εἴληχεν, ἀναθυμίασις οὖσα, καὶ γεννωμένη θερμότητι, πυρῶδές ἐστιν. hoc eſt, *Ex reliquis autem duobus eſt odor. ideſt ex qualitatibus aëris olfactus arripiens ſuffumigata exiſtens. cum ſit exhalatio à calore elicita.* quamobrem odores cùm celerrimè ſurſum ferantur, & longè, lateque diffundantur; hominum, animaliumque cerebrum penetrandi, varièque afficiendi, vel lædendi, vel recreandi, ſive reficiendi, maximam vim habeant: ac propterea ſummam habere proportionem videantur cum ſubſtantia ſpirituali; & ex conſequenti Deo, qui ſpiritus eſt, non ſolum quammaximè odores convenire, præ omnibus ſacrificiis à veteribus cenſebatur; ſed velocius, quam reliqua ſacrificia ad Deum penetrare aromata combuſta credebantur. Qua ratione ſanctus Dei Propheta dixit in Pſalmo: *Dirigatur oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo.* non enim orationem comparandam duxit holocauſtis, aut quibuſvis aliis ſacrificiorum generibus, quorum nidore maximè Deum delectari, ſacra manifeſtant oracula; ſed potius ſuffitu aromatico, quod ſubtilioris ſubſtantiæ de cauſa, velocius cœlum penetrare, gratiuſque naribus illius fore cenſebatur. in Apocalypſi ſimiliter Sanctorum orationes, non holocauſtis, aut victimis comparantur, ſed thymiamatibus, ſacroque ſuffitui à Deo Moyſi præſcripto. ſic enim dixit Angelus ad Joannem.

Antiquiores Deum coluiſſe ſimplicioribus herbis, ac plantis ſcribit Prophyr. lib. 2. de non necandis animalibus. poſtmodum ſuffitus haberi ceperunt ex myrrha, coſto, croco, cinnamomo, & aliis hujuſmodi odoribus pretioſis, tranſmarinis, & longinquis ex regionibus advectis. in hac ſententia Ovid. lib. 1. Faſtor. ita cecinit:

Ara dabat fumos herbis contenta ſabinis;
Et non exiguo laurus aduſta ſono.

Ex quibus perſpicuum eſt laurum ſacram fuiſſe antiquitus, quod etiam Plutar. teſtatur in opuſc. de Delphico EI, in quo laurum Diis ad uſum ſuffumigationum fuiſſe ſcribit. Sabinam ſacram cenſuit ad eundem uſum ſuffumigationum Propertius, & eidem crepitum laurinum adſcribit, dicens:

Flore ſacella tego, verbenis compita velo,
Et crepat ad veteres herba ſabina focos.

Cumque lauro Ovidius adjunxerit ſabinam herbam, & hanc verbenam pinguem dixerit Virgilius; laurum ſacram, quam regiam dicunt, intelligendam reor à pinguedine foliorum, quam nomine etiam verbenæ ſignificari, arbitrantur nonnulli. Verbenæ cremandæ uſum in Aris, numinum propitiandorum de cauſa, Virgilius oſtendit, dicens:

Verbenaſque adole pingues, & maſcula thura.

Sulphure, tædiſque luſtratos veteres, eorumdem plurima monumenta teſtantur. Ficus quoque pro thure olim in ſacris adoleri ſolitas, manifeſtant illa Juliani Imperatoris verba in epiſtola ad Serapionem quæ ficuum pariter, atque centenarii numeri egregiam laudationem continent. Verba ejus hæc ſunt: Καθάπερ ἀντ' ἄλλης τινὸς ἀλεξήσεως ἱερᾶς ταῖς τῶν βρωμάτων ἀδικίαις περιπλυσσόμενον. καὶ μὴν ὅτι θεοῖς τὸ σῦκον ἀνάκειται, καὶ θυσίας ἐστὶν ἁπάσης ἐμβώμιον, καὶ ὅτι παντὸς λιβανωτοῦ κρεῖττον ἐς θυμιάματος σκευασίαν ἐστὶν, οὐκ ἐμὸς ἴδιος οὗτος ὁ λόγος, ἀλλ' ὅστις τὴν χρείαν αὐτοῦ ἔμαθεν, οἶδεν ὡς ἀνδρὸς σοφοῦ, καὶ ἱεροφάντου λόγος ἐστί. hoc eſt, *Tamquam hoc unum* (ſupple ficus) *pro omnibus ſacrum remedium adverſus ciborum injurias exhibeatur. Enimverò Diis eam conſecrari, omnibuſque aris adhiberi, & quovis thure ad odores aptiorem eſſe; non mea eſt oratio, ſed quiſquis uſum ejus didicit; à ſapiente aliquo homine, ſacrorumque antiſtite manaſſe intelligat.* ſic etiam & alia plura ſuffumigia à Scriptoribus recenſentur, quibus plantarum uſus in Aris, Diis gratus oſtenditur.

Verum

Verum gummas arborum commiſcere ſolitos veteres; haſque cremare in aris, multipliciter conſtat apud veteres; quin etiam pro varietate temporum, varia etiam aromata adhibuiſſe illos, teſtis eſt Plutar. lib. de Iſid. & Oſyr. de Aegyptiis agens. ubi quid meridie in aris ipſorum cremetur, aperit. at meminit cujuſdam aromaticæ miſturæ, quæ Kyphi dicebatur. de qua ſic loquitut: *τὸ δὲ κῦφι, μίγμα μὲν ἑκκαίδεκα μνῶν συντιθεμένων ἐςὶ, μέλιτος, καὶ οἴνου, καὶ ςαφίδος, καὶ κυπέρου, ῥητίνης τε καὶ σμύρνης, καὶ ἀσπαλάθου, καὶ σεσέλεως, ἔτι δὲ σχοίνου τε καὶ ἀσφάλτου, καὶ θρύου, καὶ λαπάθου, πρὸς δὲ τούτοις, ἀρκευθίδων ἀμφοῖν (ὧν τὴν μὲν μείζονα, τὴν δὲ ἐλάττονα καλοῦσι) καὶ καρδαμώμου, καὶ καλάμου. συντίθενται δὲ οὐχ ὅπως ἔτυχεν, ἀλλὰ γραμμάτων ἱερῶν τοῖς μυρεψοῖς, ὅταν ταῦτα μιγνύωσιν, ἀναγινωσκομένων.* hoc eſt, *Kyphi autem miſtura quidem ſexdecim eſt rerum in unum compoſitarum: mellis, vini, uvæ paſſæ, cyperi, reſinæ, myrrhæ, aſpalathi, ſeſelis, adhuc & junci odorati, bituminis, folii ficulni, rumicis, ad hæc & ulvæ Juniperi utriuſque*, (duas enim nominat, majorem, ac minorem) *cardamomi, & calami. commiſcentes autem* (ſupple has ſpecies) *non temere ſe habent, ſed litteræ ſacræ ſeplaſiaris, dum iſthæc miſcent, recitantur.* Ex quo Plutarchi teſtimonio liquet apertè, quanta Ægyptii religione tenerentur in cultura, & compoſitione ſuffitus, quo numen propitiari falſo arbitrabantur.

Græcos pariter ſuffumigationibus uſos fuiſſe in cultum Deorum plurima veterum teſtimonia paſſim probant. inter quæ primam obtinet ſedem, locus Sophocl. in Electr. apud quem Clitemneſtra violati conjugii, interfectique viri pœnas datura, ſomniis agitatur; quæ ut expiet, Deoſque propitios ſibi reddat, ſnffumigationibus ſacris adit Phœbum; ſuffumigationibus inquam ex variis pulveribus compoſitis. ita Sophocl. in Electr. verſ. 637. his carminibus:

ἔπαιρε δὴ σὺ θύμαθ' ἡ παροῦσά μοι
πάγκαρπ' ἄνακτι τῷδ' ὅπως λυτηρίους
εὐχὰς ἀνάσχω δειμάτων ἃ νῦν ἔχω.

Appellat autem hæc ſuffumigia, thymiamata: tum quod ſacra forent; tum quod ex multiplici arborum gummi, ſive ſemine componerentur: quas quidem gummas *καρποὺς* Poëta dixit; quia inter fructus illarum arborum recenſentur, & ob commixtionem ſeminum, eamdem ſuffumigationem *πάγκαρπον* dixit Poëta. ubi Interpres ait: *ἐπὶ παν ὅσωερα ἔθυον τοῖς θεοῖς·* ideſt, illo vocabulo uſus eſt Poëta, quod *omnia ſemina ſacrificarent diis.* eſt autem advertendum illo vocabulo ſignificari ſemina, non omnia, ſed illa ex quibus panis non conficitur. & ideò illo vocabulo uſus eſt Poëta in allegatis carminibus: quæ ſic interpretantur.

Sollicitè tu thymiamata mihi effer
Omnium frugum, ut Phœbo preces,
Quæ me de his terroribus liberent, effundam.

Verè tamen propitiari voluit Deus Opt. Max. compoſitione a ſe inſtituta cap. 30. Exodi, de qua ſic Moyſen alloquitur: *Sume tibi aromata, ſtacten, & onycha, galbanum boni odoris, & thus lucidiſſimum, æqualis ponderis erunt omnia. Faciesque thymiama compoſitum opere unguentarii, mixtum diligenter, & purum, & ſanctificatione digniſſimum. cumque in tenuiſſimum pulverem univerſa contuderis, pones ex eo coram tabernaculo teſtimonii, in quo loco apparebo tibi, Sanctum Sanctorum erit vobis thymiama.* Cujus ſuffitus præſtantiam, paucis his verbis variè, ac multipliciter aperuit Deus; argumento ſumpto à generali vocabulo aromatum, quibus illum componi, ac præparari juſſit. סַמִּים etenim illa aromata dicebantur; quorum corpora vel integra, & pulverizata, cum ſua quali-

A tate odorata in condimenta ingrediebantur; & *ςύμματα* fortaſſe græcè appellabantur: quæ ab hedyſmatibus eo ſecernebantur, quod hæc *ςύμματα* ſolidiora eſſent; (interpretatur enim vox illa ſpiſſamentum, ut videre poteris in Dictionario ſub voce *ςύφω*) & Plinio teſte loco ſupra citato, ſtimmata erant odorifera quædam ſpiſſamenta: quæ ſi quando liquabilibus humoribus commiſcebantur; ea tantum de cauſa addebantur, ut facilius aromata commiſcerentur; & in unum corpus redigerentur, ſolidioraque fierent. Cum igitur ſuffitum thymiamatis parari Deus Moyſi præcepit, ea aromatum genera in compoſitione illius adhiberi voluit, quæ סַמִּים *ſamim* hebraicè
B appellabantur. quia condimentum illud thymiamatis, ejus ſoliditatis, ac ſpiſſitudinis fieri volebat Deus, quæ pulverizationi, combuſtioni, atque ſuffumigationi aptaretur. cujus ſuffumigii cauſa, thymiamata, à Græca voce *θυμιάω*, quod eſt vaporare, à Deo inſtituebatur. *Θυμίαμα* à Septuaginta Interpretibus hæc compoſitio dicitur his verbis: *καὶ ποιήσουσιν αὐτὸ θυμίαμα μυρεψικὸν, ἔργον μυρεψικοῦ συνθέσεως, κατὰ ἔργον ἅγιον.* hoc eſt, *Et facient illud ſuffitum odoratum, opere compoſitionis unguentarii juxta opus ſanctum.*

Nec ſolum aromatum generali vocabulo, hujus
C compoſitionis dignitatem Deus expreſſit; ſed etiam ſingulorum aromatum excellentiam, eodem micare voluit; ſtactes nimirum, galbani, quæ inter aromata primam ſedem obtinent. ne verò deciperentur artifices in eo componendo, addidit id, quo aromatum magis, ac magis præſtantia aperiretur. ſtacten primo poſuit; ut dignitatem ſuffitus explicaret; quam ſic dictam puto in noſtro exemplari pro myrrha præſtantiſſima, cujus uſum extitiſſe in ſuffumigationibus numinum, antiquorum monumenta tradunt. ſtat pro ea Euripid. in Troad. in qua Tragœdia Chorus Trojanarum mulierum, de Jove conqueritur, dicens:

D *Ναὸν, καὶ θυόεντα βωμὸν*
προὔδωκας Ἀχαιοῖς
ὦ Ζεῦ, καὶ πελάνων φλόγα.
σμύρνης αἰθερίας τε καπνόν.

hoc eſt,

Templum & odoriferam aram
Prodidiſti Græcis,
O Jupiter, & ſacrificiorum flammam,
Et myrrhæ ætheræ fumum.

Sumi quoque debere *galbanum boni odoris* jubet Deus. ac ne in thure pariter aliqua fraus committe-
E retur, notam perfecti thuris adjecit, dicens: *Et thus lucidiſſimum.* utque compoſitum hoc, illum expiraret odorem, quem ipſe expetebat; ſingulorum aromatum quantitatem, ac pondus præſcripſit, dicens: *Aequalis ponderis erunt omnia.* quid plura? Hujus ſuffitus artifex voluit ipſe fieri; regulaſque contuſionis præſcribere, dicens: *Facieſque thymiama compoſitum opere vnguentarii, mixtum diligenter.* adhuc adjecit, *& purum.* nec his contentus addidit: *cumque in tenuiſſimum pulverem omnia contuderis. &c.* & reliqua omnia ac ſingula tanta diligentia expreſſit; ut me lateat, an medici, qui curandis corporibus medicamenta inſtituunt, ſolertiores, aut æque diligentes repe-
F riantur, in medicamentorum compoſitionibus; ac Deus ſe præſtitit in compoſitione ſacri hujus ſuffitus.

Tantique Deus fecit hanc ſuffitus compoſitionem; ut poenam graviſſimam indiderit in eum, qui tale, vel ſimile compoſitum, proprio uſui aptaret. *Sancta Sanctorum erit vobis; talem compoſitionem non facietis in uſus veſtros, quia ſanctum eſt D mino. homo quicunque fecerit ſimile, ut odore illius perfruatur, peribit de populis ſuis.*

audiantur

audiantur Septuaginta Interpretes, ut ex utroque A textu præſtantia hujus ſuffitus lucidior fiat. *ἅγιον τῶν ἁγίων ἔςαι ὑμῖν θυμίαμα. κτ̀ τὴν σύνθεσιν ταύτην οὐ ποιήσετε ὑμῖν ἑαυτοῖς, ἁγίασμα ἔςαι ὑμῖν κυρίῳ. Sanctum Sanctorum* dicitur. hoc eſt, inter reliqua quæ Deo conſecrata ſunt, quorum uſus, aut contactus non conceditur niſi ſolis Sacerdotibus, numerabitur. Recenſetur quoque hujus ſuffitus compoſitio; non quidèm inter ea, quæ ſimpliciter ſancta ſunt; ſed inter ea quæ præcipua ſanctificatione ſunt conſecrata. nec ſatis exiſtimavit ſacer textus dixiſſe, *Sanctum Sanctorum erit vobis*, niſi etiam addidiſſet. *ἁγίασμα ἔςαι ὑμῖν κυρίῳ.* hoc eſt, *purificatio*, ſive *luſtratio erit vobis Domino.* quapropter vetitum fuit ipſis etiam Sacer- B dotibus ingredi Dei templum, aut tabernaculum ſine hoc ſacro ſuffitu. prohibitioni etiam appoſuit pœnam, qua nulla gravior, dicens. *ἀπολεῖ) ἡ ψυχὴ ἐκείνου ἐκ τοῦ λαοῦ αὐτοῦ. perdetur anima illius*, hoc eſt, omnino alienabitur, vel ut dicitur hebraicè נִכְרְתָה nichretha *eradicabitur anima illa de populo ſuo:* perire namque de populo ſuo, & eradicari, non tam extinctionem tranſgreſſori comminatur; quam toti illis proſapiæ, univerſæque cognationi exitium indicit. cùm enim jure naturæ nil magis appetendum ſit homini, quam propriæ proſapiæ continuata ſucceſſio: & tunc temporis perpetuitas nominis quam maximè expeteretur; non ſolum nomini ea lege, C ſed cognationi, poſteritati, tranſgreſſori ipſi ruina indicitur. quamobrem ſi quis Dei timore poſtpoſito talem compoſitionem ſibi aliquando paraſſet; pœna capitis à Judicibus feriri debuit; & hi ſi neglexiſſent, occultum Dei judicium tranſgreſſori timendum erat.

Tanti denique hanc aromatum præſtantiam fecit Deus; ut in ſummæ indignationis ſuæ manifeſtis indiciis, dum ejus ira graſſaretur in populum, hoc ſolo ſacro ſuffitu, placatum ſe præbuerit. nam in ſeditionem verſus fuerat populus Num. 16. contra Moyſem, & Aaron; tumultus populi, in Dei miniſtros increverat: quapropter omnino populum delere cum decreviſſet Deus, ab omnimoda illorum D nece ſubſtitit, thymiamatis ſuavitate detentus. ſic enim dicitur. *Dixit Moyſes ad Aaron: tolle thuribulum, & hauſto igne de altari, mitte incenſum deſuper, pergens cito ad populum, ut roges pro eis; jam enim egreſſa eſt ira à Domino, & plaga deſævit. quod cum feciſſet, & cucurriſſet ad mediam multitudinem, quam jam vaſtabat incendium, obtulit thymiama, & ſtans inter mortuos, ac viventes, pro populo deprecatus eſt, & plaga ceſſavit.* hæc ibi ſacer textus. ut oſtendat quantum hoc ſuffitu delectaretur Deus. nam & hoc ipſo etiam Aaron à morte ſecurus reddebatur; quoties Dei tabernaculum, ac Sanctum Sanctorum ingrederetur. ita cap. 16. Levit. agitur hic de die expiationis; in quo E Aaron Sanctum Sanctorum numinis propitiandi de cauſa ingrediebatur. ne igitur alicujus irreverentiæ de ratione, in illum deſæviret Deus, illi ipſi tales in ingreſſu præſcribuntur regulæ. *Aſſumptoque thuribulo, quod de prunis altaris impleverit, & hauriens manu compoſitum thymiama in incenſum: ultra velum intrabit in ſancta; ut poſitis ſuper ignem aromatibus, nebula eorum, & vapor operiat oraculum, quod eſt ſupra teſtimonium, & non moriatur.* Quamobrem perſpicuum fit ex his quam gratum ſanctum thymiama eſſet Deo; quamque præſtantiſſima aromata, quibus illud componi juſſerat.

F

CAP. VII.

Dignitas olei Conſecrationis, ab excellentia aromatum illud componentium aperitur.

Ad locum Exodi 30. *Sume tibi aromata primæ myrrhæ, & electæ quingentos ſiclos, & cinnamomi medium, ideſt ducentos quinquaginta ſiclos, calami ſimiliter ducentos quinquaginta, caſiæ autem quingentos ſiclos in pondere Sanctuarii, olei de olivetis menſuram hin, facieſque unctionis oleum ſanctum, unguentum compoſitum opere unguentarii, & unges ex eo Tabernaculum teſtimonii.* & ad alia.

TRIBUS ſanè argumentis ſacra aperuere oracula præſtantiam unguenti, quod parari Deus voluit, pro conſecrandis Sacerdotibus, atque utenſilibus ſacris: quorum duo in ipſo ſtatim exordio aperuit; alterum denique in ſingulis aromatibus recenſendis. primum ſumitur à dictione בְּשָׂמִים *beſamim*, qua aromata pro unguento ſancto appellantur. ſecundum à dictione רֹאשׁ *roſch*, qua præſtantiſſima aromata ſumenda mandantur. & tertium denique à ſingularibus adjunctis, quibus ſingulorum aromatum qualitates, ac dignitates exprimuntur. quæ fortiorem habent energiam in hebraico exemplari, quod ſic legit, וְאַתָּה קַח־לְךָ בְּשָׂמִים רֹאשׁ מָר־דְּרוֹר חֲמֵשׁ מֵאוֹת וְקִנְּמָן־בֶּשֶׂם מַחֲצִיתוֹ חֲמִשִּׁים וּמָאתָיִם וּקְנֵה־בֹשֶׂם hoc eſt, *Et tu* (ſupple Moyſes) *accipe tibi beſamim præſtantiſſima; myrrhæ electæ quingenariam, & cinnamomi aromatici medium illius quingenarii, & calamum aromaticum*, &c. Nam quamvis ejuſdem dignitatis, ac excellentiæ, tam aromata hujus unguenti, quam thymiamatis videantur; quia in vulgatis exemplaribus eadem leguntur verba, dum compoſitio unguenti, ac thymiamatis à Deo Moyſi præſcribitur, ſic *Sume tibi aromata*; quæ ſimiliter, cum de compoſitione ſacri thymiamatis agitur, leguntur ſic: *Sume tibi aromata:* in hebraicis tamen codicibus, aliqua vocum diſtinctione, altera compoſitio ab altera diſtinguitur. nam cum, aromata pro ſacri thymiamatis conpoſitione a Deo præſcribuntur, hebraicè legitur קַח־לְךָ סַמִּים *qach, lecha ſamim:* hoc eſt, *Sume tibi ſamim.* illæ nimirum ſpecies aromaticæ, quæ hoc nomine, juxta illius ſeculi conſtituta, lingua ſancta appellabantur. de aromatibus verò accipiendis pro compoſitione ſacri olei Conſecrationis, in hebraico codice legitur קַח־לְךָ בְּשָׂמִים *qach lecha beſamim. Sume tibi beſamim:* illæ igitur ſpecies aromaticæ aſſumendæ præcipiuntur, quæ iſto nomine *beſamim* tunc dicebantur. exemplaria quoque Græca, nonnullam in his vocibus diſtinctionem cognoverunt. Aquila enim legit, *καὶ σὺ λάβε ἀρώματα*, cum de unguento agitur. ubi verò de ſuffitu eſt ſermo, dicitur, *καὶ σὺ λάβε ἡδύσματα.* alii è contrario dixere, cum ſermo eſt de oleo, *καὶ σὺ λάβε ἡδύσματα.* cum verò de ſuffitu, *καὶ σὺ λάβε ἀρώματα* dicunt. alia denique exemplaria utrobique dictionem *ἡδύσματα* retinent. Et licet utrobique aromatum vocabulo uſus noſter interpres, pari modo tranſtulerit: nihilominus defectu Latinarum vocum id feciſſe, nemini, qui proprietatem linguæ ſanctæ cognoverit, dubitandi locus relinquitur. Quamobrem aliquod genus dictionis, & diverſitatis, inter ſuffitum aromatibus conditum, atque aromatibus pro oleo Conſecrationis, fateri admittereque cogimur.

Diverſitatem hanc aromatum, pro diverſitate compoſitionum, ſacer ipſe textus, juxta hebraicum exemplar inſinuaſſe videtur: quia cum de compoſitione ſacri olei loquitur, aromatibus quoddam epitheton attribuit, dicendo: *Sume tibi aromata prima:* nullum vero epitheton, aut adjunctum in poſteriori ſuffitus condimento additur; ſed ſimpliciter legitur: *Sume tibi aromata.* Quamobrem & interpretes hanc diverſitatem attendentes, de priori genere aromatum dixerunt aliqui. *Sume tibi aromata præſtantiſſima.* alii dixerunt: *Sume tibi aromata præcipua*; atque alii aliter; quibus prædictorum aromatum præſtantiam, excellentiamque quodammodo ſignificarent, ſicuti ex hebraico codice infra probabimus. At cum loquuntur de aromatibus poſterioris generis pro ſacro thymiamate parandis, nihil addiderunt: ut hoc pacto,

cto, quantum hæc ab illis diverſa, & quodammodo viliora forent, optimo argumento inſinuarent. Sed exemplaria quoque Græca, quamvis tam hæc pro ſuffitu quam illa pro oleo ἡδύσματα dixerint; nihilominus deſcendentes ad ſingularia aromata, hæc ipſa diſtinguunt. Nam in olei compoſitione ſic loquuntur. ἢ σὺ λάβε ἡδύσματα, ἄνθος σμύρνης ἐκλεκτῆς, ideſt, *& tu accipe florem myrrhæ electæ*. at vero in compoſitione ſuffitus dixerunt. λάβε σεαυτῷ ἡδύσματα, στακτὴν, &c. ideſt, *ſume tibi ipſi hedyſmata, ſtacten*, &c. itaque in compoſitione unguenti, flores myrrhæ, accipi jubetur; in compoſitione ſuffitus illa myrrha, quæ appellabatur ſtacte, ſumenda mandatur.

Cogimur ergo, ut præſtantiam, & excellentiam ſacri olei conſecrationis ex aromatibus perſpicere valeamus, & aromatum diverſitatem intelligamus; harum vocum בְּשָׂמִים *beſamim*, & סַמִּים *ſamim* diſcrimen, atque diverſitatem, pro viribus inveſtigare. Enimvero Sanctes Pagninus, & Arias Montanus in ſacris Litteris, ac peritia linguæ Sanctæ eruditiſſimi viri, in iis quas ediderunt tranſlationibus, atque etiam in dictionariis, nullum diſcrimen inter illa duo vocabula agnoſcere videntur; ſed tam uno, quam altero eadem ſignificari arbitrantur. Alii aliter ſentiunt; inter quos Marc. Marin. Vir peritia linguæ Sanctæ notiſſimus, ac ſingularis, inter illa hoc excogitavit diſcrimen, ut בְּשָׂמִים *beſamim* ſit nomen genericum ad omnia aromatum genera, at verò סַמִּים *ſamim* ſit nomen ſingularis unguenti: quaſi velit hoc poſtremum nomen, alicujus particularis compoſitionis fuiſſe, ex aromatibus, quæ ſuperiori vocabulo ſignificantur conflatæ. ut in Dictionario in hac voce בְּשָׂמִים *beſamim* adhuc apertius videri poteſt. Verum huic doctrinæ ipſemet textus ſacer repugnat, qui cum de unguento conficiendo agit, non illa aromata ſumenda tradit, quæ ſub nomine סַמִּים *ſamim* veniunt; ſed ea, quæ בְּשָׂמִים *beſamim* appellantur: at in poſteriori compoſitione, in qua non de unguento, ſed de aromatibus comburendis, & ſuffitu ſermo erat; non בְּשָׂמִים *beſamim*, ſed סַמִּים *ſamim*, accipienda mandantur.

Sunt alii ob ſummam eruditionem, & linguæ Sanctæ peritiam non contemnendi auctores; notæ verò viliſſimæ, ac nomine indigni, ob hæreſim, in quam turpiter lapſi ſunt; qui inter hæc duo vocabula, illud diſcrimen excogitarunt, ut בְּשָׂמִים *beſamim*, odorem pretioſum, ſive rem aliquam odoriferam in hortis ſuccreſcentem ſignificet; quæ etiam ad cibos condiendos, & ad præſtandum odorem medicamentis, atque medicatis potionibus ſit perquam jocunda: ita tamen, ut etiam per ſe ſimpliciter, & cum aliis rebus ejus odor, gratus, & ſalubris ſit. Dictio vero סַמִּים *ſamim* ſolum de illis odoratis aromatibus dicatur; quæ vel ad ſuffumigationes, vel ad unguenta pro ungendis corporibus, uſui eſſe poterant. Verùm adeò obſcure, atque confuſè, loquuntur, ut vix quid ſibi velint explicent; antiquitatis velo, ut puto, aromatumve imperitia oppreſſi.

Verum enimverò, diſcrimen hoc, ab his auctoribus aſſignatum, commentitium eſſe, ſacro textu convincitur. Duo enim illi affirmarunt. primo quod *Beſamim* in hortis colerentur; alterum quod exteriori tantum linituræ, illorum aromatum pinguedines deſervirent. Utrumque falſo: quia dum de ſacri olei noſtri, & unguenti compoſitione, ad ſacra utenſilia, Sacerdoteſque forinſecus liniendos, conſecrandoſque agitur; aromata illa בְּשָׂמִים *beſamim* appellantur, ut vidimus: ſub qua voce, cinnamomum, calamus aromaticus, & caſia recenſentur; quorum neuter, ut ſtatim videbimus, hominum cultura fœcundè ſuccreſcebat. Præterea in poſteriori magis adhuc falluntur: nam ſi aromata, quæ vocabulo illo ſignificantur, ad externam corporum

A linituram nequaquam accommodata forent: ut quid Deus, ſub interminatione graviſſimæ punitionis, unguentum ex illis ad corpus ungendum fieri omnibus prohibuiſſet? ſicuti expreſſe habetur in ſacro textu: *Caro hominis non ungetur ex eo*, inquit Deus, *& juxta compoſitionem ejus non facietis aliud: quia ſanctificatum eſt, & ſanctum erit vobis. homo quicunque tale compoſuerit, & dederit ex eo alieno, exterminabitur de populo ſuo.* Loquitur textus ſacer de unguento quod his aromatibus conficiebatur; quæ nomine בְּשָׂמִים *Beſamim* appellabantur. affirmare igitur aromata, quæ vocabulo illo comprehenduntur ad corpus ungendum eſſe inepta; falſum eſſe conſtat: quia
B alias fruſtra præceptum de non utendo eo unguento à Deo latum fuiſſet.

Ipſe igitur in diverſitate vocum, rei etiam diverſitatem agnoſcendam eſſe fateor. in hac autem diverſitate aſſignanda ejus ſum opinionis, ut illa aromata quæ *Beſamim* בְּשָׂמִים appellantur, quamvis in cibos, medicamentaque venire poſſe non negem; nihilominus hæc aromata liquidiora fuiſſe arbitrer. ita tamen, ut quando cibis, aut medicamentis aromata hæc commiſcebantur, nullam ſolidam compoſitionem, aut ſpiſſamentum aliquod facerent, potui, aut fluxibilitati minus accommodatum; ſed ſuavitatem, odoremque, ac gratiam tantum, his conci-
C liarent quibus admiſcerentur: qua propter parum ex his oleo, ſive alicui cuicunque liquori adjungeretur. Eaque ratione, ac methodo illa aromata, his commiſcebantur; quatenus humore liquido excolato, oleum odoratum exprimeretur; ſive quodvis aliud genus condimenti odorati, liquidæ, fluxibiliſque ſubſtantiæ; pro qualitate odoris, & aromatum, quæ in illud condimentum ingrediebantur.

Ducor auctoritate Septuaginta, qui dictionem illam Hebraicam בְּשָׂמִים *Beſamim* per hanc ἡδύσματα tranſtulerunt: qua quidem voce, aromata illa, & unguenta ſignificantur, quibus odor cibis, condimentis, vel etiam unguentis conciliatur. ut videri
D poteſt in Theſaur. linguæ Græcæ littera E, tom. 1. col. 1433. & in Dictionario Scapulæ ſub dictione ἡδὺς, & colligitur ex Galen. lib. 3. de alim. & Athen. lib. 2. & 4. quamobrem teſte Plin. lib. 13. cap. 1. hedyſmata appellabantur, nonnulla unguenta, quæ ex ſuccis aromatum, oleo admixtis conficiebantur: quod etiam Myrothecio primo, in cap. 2. diximus, & cap. 22. latius aperuimus. Ea igitur aromata בְּשָׂמִים *Beſamim* meritò appellata fuere; quæ commixta oleo alterive liquori, eidem fragrantiam conciliabant; ac propterea ea tantum comprehendi illa voce cenſuimus; quæ vel liquida, vel ad liquidum aliquod condimentum conficiendum, uſum
E habebant.

Quamvis igitur aromata, quæ ad ſanctum Dei thymiama præparandum ſumebantur; præſtantiſſima, pretioſaque forent: quia tamen unumquodque aroma, natura ſua odoriferum, dum comburitur, exoleſcit vi ipſius ignis expellentis, humidumque conſumentis, in quo odor reſidet. Nequaquam propterea adeò præſtantiſſima aromata ad thymiama requirebantur; quin multo præſtantiora ad unguenta, & olea odorata paranda opus eſſent. Ut enim liquida ſuavem aliquem odorem ex commixtione, & infuſione aromatum admittant, atque conſervent; præſtantiſſima, ac perfectiſſima quæque aromata, ne-
F ceſſario poſtulant; eaque humidi odorati copia polleant, neceſſe eſt; cujus ſuperabundantia, ſuavitatem, liquido humori communicare valeant, quemadmodum norunt hi, qui rem pigmentariam tractant. Nam expulſione humidi odorati ſuffumigia olent: at verò in humidorum commixtione & compoſitione unguenti, humidi odorati complexione, odor eidem conciliatur. Quamobrem aromata, quæ

בְּשָׂמִים *Beſamim* in ſacra Scriptura appellantur cap. 30. Exodi , & pro oleo unctionis Sacerdotalis componendo , Moyſi ſumenda mandantur , multo pretioſiora fuiſſe neceſſario oportebat; quam , quæ in compoſitione ſuffimenti ſancti aſſumebantur. ut igitur aromatum , ad unguentum, præſtantia pateret : dicitur in textu , ſumenda fore aromata prima ; id eſt præſtantiſſima , & præcipua.

Hanc aromatum excellentiam , in dictione illa בְּשָׂמִים *Beſamim* ſacra oracula præclarè aperuerunt: ut tamen magis adhuc exprimeretur ; in hebraico textu , dictio illa ראשׁ *rohs* legitur ; dicendo קַח־לְךָ בְּשָׂמִים ראשׁ *qach lecha Beſamim rohs.* circa quam poſtremam vocem, difficultas aliqua inter Interpretes exoritur : an debeat nimirum dictioni antecedenti בְּשָׂמִים *Beſamim* conjungi , vel dictioni ſubſequenti מָר *mor* , cum ſic dicatur in textu בְּשָׂמִים ראשׁ מָר *Beſamim rohs mor.* poſtremam hanc lectionem vulgatum interpretem tenuiſſe videtur , dicendo , *Sume tibi aromata primæ myrrhæ & electæ , &c.* cui dictioni ſubſcribunt, qui circumferuntur Codices , ſub nomine Septuaginta Interpretum , tam in Vaticano , quam in Baſil. codice , & in quocumque alio , ſic legentes : καὶ σὺ λάβε ἡδύσματα ἄνθος σμύρνης ἐκλεκτῆς , id eſt , *Et tu ſume ſuavitates florem myrrhæ electæ.* itaque quod noſter Interpres dixit *primæ* , illi *florem* dixerunt , hebraicam vocem ראשׁ *rohs* ſubſequenti dictioni myrrhæ adjungentes. ſecus alii ſenſerunt , ſignificatumque illius vocabuli ראשׁ *rohs* antecedenti adjunxerunt : quamobrem quidam dixerunt, *Sume tibi aromata præcipua* , alii *aromata capitis* , ut Arias Mont. & Marc. Marinus. alii dixerunt *odoramenta præſtantiſſima.* ita Vatablus. alii *aroma pretioſum.* qui omnes dictionem ראשׁ *rohs* , & ſignificatum illius , antecedenti dictioni בְּשָׂמִים *Beſamim* copularunt.

Si vero mihi quoque , cum peritiſſimis viris, balbutire liceret ; atque in Domini gazophylacium , minutum unum projiciendi facultas daretur : his ipſis poſtremo recenſitis ſcriptoribus adſentirem ; & vocem ראשׁ *rohs* , cum ſit in ſtatu abſoluto , non ſequenti dictioni *myrrhæ* , ſed antecedenti *aromata* , jungendam eſſe dicerem ; legendumque ſic , *Sume tibi aromata primæ myrrhæ , &c.* Et ad id ea ratione moveor ; quia , ſi hoc poſteriori modo , verba illa eſſent conjungenda ; fruſtra quodammodo dictio illa *electæ* , adjungeretur *myrrhæ* , dicendo , *primæ myrrhæ , & electæ :* quia reliquorum aromatum qualitatem , ac præſtantiam, unico adjectivo , atque epitheto , ſacra Scriptura explicavit. ſic enim ibi de aliis aromatibus legitur : *Cinnamomi aromatici , calami aromatici , oleum olivæ ;* ſupple , *Sume tibi* , &c. quid igitur opus erat duo prænomina, & epitheta afferre ; cum de præſtantia myrrhæ agebatur , dicendo , *Sume tibi aromata primæ myrrhæ & electæ ?* cum ſatis qualitas aromatis ſumendi pro hoc unguento declararetur, dicendo; vel *primæ myrrhæ*, hoc eſt pretioſæ myrrhæ, vel dicendo *myrrhæ electæ*, quod idem omnino ſignificat. Nec enim tot ſpecies myrrhæ dabantur , ut alia myrrha prima , alia myrrha electa fuiſſet. idem enim prorſus ſunt ; ac proinde ex illis duobus adjectivis , poſitis ad myrrhæ præſtantiam declarandam , alterum ſuperfuiſſet. Præterea huic interpretationi adſtipulatur accentus hebraicus , qui à Grammaticis dicitur *Munach* , & in dicto loco ſub illa dictione בְּשָׂמִים *Beſamim* , quæ aromata interpretatur , collocatur : ille autem accentus , non eſt de numero illorum , qui apud Grammaticos linguæ ſanctæ , Regii dicuntur ; ſed cum ſit de numero miniſtrorum , orationem ulterius ad ſequentem dictionem protrahendam indicat ; nequaquam verò ibi ſiſtendum : quia illi accentui *munach* , commata Latinorum reſpondere nequeunt ; quouſque accentum Regium oratio attingat , qui in dictione ראשׁ *rohs* habetur ; quæ ſignificat *prima* , ſeu *præcipua* , ſingulari poſito pro plurali , juxta phraſim linguæ ſanctæ ; & in parte extrema illius dictionis ראשׁ *rohs* , in ſiniſtro cornu litteræ שׁ accentus ſegolta adeſt. ſic enim legitur בְּשָׂמִים ראשׁ cum igitur accentus ille ſegolta, ſimplici Latinorum commati reſpondeat ; niſi quis cæcutire velit in hebraico exemplari , apertè intelliget, neceſſe eſſe Latinum comma , nequaquam in dictione *aromata* collocandum , neque ibi ſiſtendum , ſed ulterius orationem protrahendam, ut poſt dictionem *prima* , comma Latinum collocetur ; & juxta Hebraicam punctuationem legendum erit , *Sume tibi*
B *aromata prima , myrrhæ electæ* , &c.

Stat quoque virgula Mackaph , pro hoc interpretandi genere. nam dum in eo ſacro textu reliqua enumerantur aromata, inter illud aroma quod recenſetur , & adjunctum , quo illius excellentia exprimitur ; *mackaph* inter dictionem , & dictionem interponitur. hoc pacto קִנְּמָן־בֶּשֶׂם *qinmon boſem* , id eſt , *cinnamomum aromaticum* קְנֵי־בֹשֶׂם *qene boſem* , id eſt , *calamum aromaticum.* cumque juxta regulas grammaticales hebraici idiomatis , virgula *mackaph* dictionem ſequentem antecedenti conjungat ; & inter dictionem *myrrha* , & dictionem *electa* , virgula *mackaph* adſit , ſic מָר־דְּרוֹר *mor deror* , id eſt, *myrrha*
C *electa ;* perſpicuum eſt dictionem *electam* , adjungi *myrrhæ* , ad illius præſtantiam aperiendam ; & ſequentem dictionem priori adjungi , tamquam epitheton illius : nequaquam verò dictionem *prima*, cum dictione *myrrha* ; cum accentus ille *mackaph* non adſit ; ſed diviſim illa legantur ſic ראשׁ מָר *rohs mor* , id eſt , *myrrha electa ;* ut liquido conſtet , dictionem *prima* , juxta hebraicam phraſim , antecedenti jungendam , non verò ſubſequenti : ac propterea conjunctionem , *&* , poſt vocem *myrrha* , quæ habetur in noſtra vulgata editione , non haberi in hebraico exemplari; ſicuti etiam neque Septuaginta Interpretes eam retinuerunt; qui dixerunt, ἄνθος σμύρ-
D νης ἐκλεκτῆς , id eſt , *florem myrrhæ electæ*, nulla præpoſita copulativa , dictioni *electæ.* Igitur juxta hebraicam phraſim legendum erit , *Sume tibi aromata prima , myrrhæ electæ , &c.* ut ex illa dictione *prima*, expiſcari poſſemus, quam præſtantiſſima aromata ſumenda forent , pro ſacro Conſecrationis oleo , ad ſacrorum utenſilium , tabernaculi , ſacerdotumque ſanctificationem , & ad diſtinctionem eorum , quæ pro thymiamate aſſumebantur.

Nec propterea aliqua temeritatis nota , me inurere velint , qui forte putarent , me vulgatum interpretem in his reprehendere voluiſſe. abſit hoc à viro Catholico. vulgatum interpretem ſumme veneror ,
E & ingenue fateor neminem ſimplicioribus, ſimulque tenacioribus verbis, quam illum, ſacram Scripturam fuiſſe interpretatum : ſed quia hæc noſtra difficultas, non eſt de numero illarum ; quæ ad dogmata fidei pertinent : poſſumus ſalva conſcientia , in aliqua dictione recedere à vulgato interprete , ut diximus in 1. tom. quæſtion. theolog. diſp. 22. cap. 1. cum ex noſtra hac interpretatione nihil omnino interpreti detrahatur , prædictique loci ſenſus , clarius explicetur. habemus etiam Sanctem Pagn. Ariam Mont. Vatab. Iſid. Clar. Marc. Marin. & alios plures linguæ ſanctæ eruditiſſimos viros ; qui hanc tueantur
F interpretationem : noſtra autem diſputatio , tantum de vocibus eſt , quæ ſenſum in ſubſtantialibus , nec immutant , nec invertunt.

Nam fortaſſe antiquitus , quando accentus in ſacro textu hebraicè ſcripto , non aderant ; illa etiam lectio , quam habet vulgatus interpres haberi potuit , in aliquibus exemplaribus græcis , vel hebraicis : quamobrem nil mirum , quod vulgatus Interpres , ſenſum potius , quam verba attendens , eam amplexus ſit interpretationem. Fieri etiam potuit , ut

ut ipſe tranſtulerit : *Sume tibi aromata prima.* incuria verò librariorum , ac temporum injuria , tranſitus facile fieri potuit , ab a , in ae , diphthongum, & pro dictione prima , lectum fuerit primæ , quæ optimè ſequenti dictioni myrrhæ connectebatur. tandem ut melius ſententia cohæreret ſequenti dictioni *electæ* , additam fuiſſe convinctionem , Et , atque , ita pro antiquiori lectione : *Sume tibi aromata prima, myrrhæ electæ* , &c. irrepſerit : *Sume tibi aromata , primæ myrrhæ* , *&* *electæ* , prout nunc habetur in vulgatis codicibus. Quæ omnia ſalvo omni meliori judicio ſanctæ Matris Eccleſiæ , & piorum hominum; à me dicta ſunto. nobis autem ſufficiat , olei conſecrationis præſtantiam , ex his aperuiſſe. Cum enim omnimoda excellentia , atque unguenti cujuſcunque perfectio ab aromatibus , quibus condiuntur proveniat ; ex his omnibus aperte cognoſcitur, quam fuerit præſtantiſſimum , quam digniſſimum , quamque excellentiſſimum hoc Sacerdotale oleum. Et quia illa externa unctio , ſignum erat gratiæ , quæ ab ipſo Spiritu ſancto in animam Sacerdotis conferebatur ; non immerito inde expiſcabitur ; qualis , & quanta fuerit dignitas, ac præſtantia ſummi Antiſtitis , aliorumque Sacerdotum in lege Moyſi à Deo lata.

CAP. VIII.

Explicatur præſtantia myrrhæ , quæ compoſitionem olei Conſecrationis ingrediebatur.

Ad locum Exodi 30. *Sume tibi aromata primæ myrrhæ* , *&* *electæ.*

OLEI Sacerdotalis præſtantia , atque dignitas ex generali aromatum vocabulo in univerſum ſatis probata : de ſingulis ſigillatim ſpeciebus aromaticis quæ hujus ſacri unguenti compoſitionem ingrediebantur ; nobis futurus eſt ſermo : non alio , quam eo quo in ſacro textu recenſetur ordine ; ut ex eorum aromatum excellentia , ſacri hujus unguenti Conſecrationis , cujus ipſe ſummus omnium artifex auctor fieri voluit, dignitas atque præſtantia magis eluceſcat. primam autem ſedem in hac unguenti compoſitione myrrha obtinuit ; ut dicitur cap. 30. Exodi : nec quodcumque genus myrrhæ , ſed myrrha electa appellatur , ut habet vulgatus Interpres , quæ ἄνθος σμύρνης , ideſt , *flos myrrhæ dicitur* , tam in codice Vaticano , quam Baſileenſi apud Septuaginta. Verum quod florem dixere Septuaginta , & vulgatus dixit electa : hebraicus textus מָר־דְּרוֹר *mor deror* dixit ; in quo cum dictio דְּרוֹר *deror* ſignificet libertatem ; vocabuli hujus energia , in cauſa fuit , ut variè Doctores illam vocem ſint interpretati. nam Pagnin. Arias Montan. & Vatabl. *myrrham ſponte fluentem* illam appellaverunt ; ſive *myrrham liberam* , prout idem Vatabl. in adnot. habet. Rabbi David de Pomis *myrrham optimam* , ſive *exquiſitam* dixit ; quidam dixerunt, *myrrham puriſſimam* , alii denique *myrrham libertatis.* Omnes etenim illius vocabuli דְּרוֹר *deror* , atque energiæ illius ſignificationis rationem habuerunt ; juxta quam ſignificationem , qualitatem myrrhæ, quæ primò ſeſe objicit, in unguenti hujus compoſitione , explicare nos quoque cum reliquis tentabimus.

Ut igitur germana illius vocabuli ſignificatio, viſque appareat ; naturam , proprietates , & varia genera myrrhæ obſervare oportet. Eſt enim myrrha arbuſcula , quæ in Arabia naſcitur , ut habet Dioſcor. lib. 1. cap. 67. vel 78. ut habetur in Græco exemplari. Sunt enim capita librorum Dioſcoridis variè , ad varietatem codicum diſpoſita. de illa ita Dioſcorides : σμύρνα δάκρυόν ἐστι δένδρου γινομένου ἐν ἀραβίᾳ , ὅμοιον τῇ αἰγυπτιακῇ ἀκάνθῃ· οὗ ἐγκοπτομένου , ἀποῤῥεῖ τὸ δάκρυον, εἰς ὑπεστρωμένας ψιάθους , τὸ δὲ ἐπὶ τῷ στελέχει περιπήγνυται. hoc eſt , *Myrrha eſt lacryma arboris , quæ in Arabia gignitur , ſimilis ſpinæ Aegyptiæ , cujus ex vulnere defluit lacryma in ſubjectas tegetes. quod autem circum caudicem concreſcit* , *&c.* Hoc pariter de myrrha habet Plinius lib. 12. cap. 15. qui hanc arbuſculam ad quinque cubitos conſurgere dixit. quia verò multis in locis Arabiæ , ac etiam alibi , myrrha gignitur pro diverſitate regionum , diverſa etiam ſortitur nomina. quamobrem habetur myrrha Indica , Troglodytica , Caucalis , & Ergaſima , quarum omnium poſtremam ac deterrimam eſſe , Dioſcor. ſcriptoreſque reliqui tradunt. meminit etiam myrrhæ Boëticæ Dioſcorides lib. 1. cap. 79. & Achaicæ Columella , dicens :

Et melior ſtacte ponatur Achaica myrrha.

Quod quidem genus myrrhæ , impropriè ſic appellatum fuiſſe , non dubito. numquam enim in regione Achaia myrrham naſci comperitur : fortaſſe verò ſic appellatur à Columella ; quod ex Achaia tunc temporis Romam afferretur. Alia etiam plura genera myrrhæ Plin. & alii recenſuerunt. ejus nimirum generis quod *myrrhis* dicitur , ſive *myrrhica* Latinis , & μύῤῥα Græcis , de qua latè in hiſtor. plantar. Dalemcampii , ſive Ruelii lib. 6. cap. 32. alterius etiam Dioſcorides meminit , quæ Animæ , ſeu myrrha Aminnea , ſeu Minea à regione dicebatur ; de qua in eadem hiſtoria lib. 18. cap. 27. quam improbat Dioſcorides , dicens : ἡ ἡ ἀμίνναια δὲ καλουμένη ἀποδόκιμος. quæ myrrhæ genera cum noſtro inſtituto minimè deſerviant , penes Plin. & auctores citatos , quæ ad illorum naturam ſpectant , videri poſſunt. nobis de illa tantum , quæ σμύρνη Græcis dicitur , loquendum erit.

Non defuere igitur inter veteres , qui myrrham de qua loquimur, Deo minimè deberi arbitrarentur : quin etiam neſcio quo argumento à ſacris fortaſſe illam quoque arcerent. hoc de Sabæis Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 17. refert ; quod nimirum cum omnia aromatum genera Diis Sabæi accumularent ; myrrhæ tamen nihil impertirentur. *quaſi numinibus ipſis, ſubirati eſſent* , inquit ille , *quod ſolam myrrham ex omnibus odoribus , apud ipſos gigni non ſiviſſent.* contrario ſanè argumento à Plin. qui lib. 12. cap. 15. propterea non dari myrrhæ portiones Deo in Arabia, tradit ; quod etiam apud alios myrrha naſcatur. Verum reclamant communiter Scriptores veteres , Alexandrumque erroris arguunt. nam Sabæos quoque, myrrhæ germine gaudere communiter tradunt, & Plin. cap. 16. auctor eſt , cum meminit myrrhæ ſembracenæ ſic dictæ à Civitate Sembracena Regni Sabæorum mari proxima. quapropter quo fundamento , minimè apud Sabæos myrrham progerminari , aſſeruerit eruditiſſimus Alexander ab Alexand. non video , ni mendum aliquod in codicibus contigerit. Verum admittere ſi velimus ; id quod Alexander ſcripſit ; propterea Sabæos diis myrrham non obtuliſſe fatebimur , vel quod de propriis tantum terræ fructibus ; nequaquam vero de peregrinis , Deo munera deberi exiſtimarent ; vel quod tanti facerent myrrham , ut ſoli verò Deo naſcituro ſervandam , & nequaquam falſis diis offerendam cenſuerint. Ideoque nato Domino , advenientes Sabæi , aurum , thus , & myrrham Servatori noſtro obtulerunt , ut ſcribit Matthæus Evangeliſta. de quibus Eccleſia in hymno officii dixit :

Regem, Deumque annuntiant
Theſaurus , & fragrans odor
Thuris Sabæi , ac myrrheus
Pulvis ſepulchrum prædocet.

Quan-

Quanta verò fuerit in opinione; quantique pretii, arbuſcula hæc odorata myrrhæ, liquorque ex ipſa fluens, apud omnes nationes atque gentes, plurima antiquitatis monumenta teſtantur. nam Cappadoces, ex myrrhinis virgis, vaticinia ſumere conſueverunt; ſi credimus Alexand. ab Alex. lib. 3. gen. dier. cap. 13. quaſi aliquod divinitatis ſpecimen, planta hæc in ſe haberet. quapropter Mart. lib. 1. epigr. Cæſari Domitiano aſſentaturus, cui in ſpectaculis Domino, & Deo feliciter acclamatum fuerat; cum his vocibus acclamationibuſque ſummopere Domitianum delectatum cognoviſſet, ut nihil aſſentationi deeſſet; Domitiano, veluti Deo odoratorum aromatum munera, undequaque ab extremis orbis uſque regionibus oblata fuiſſe, innuit dicens:

Feſtinavit Arabs, feſtinavere Sabæi,
Et Cilices nimbis hic maduere ſuis.

Meminit verò Arabum, atque Sabæorum, Martialis; non tam diſtantiæ regionum ratione habita, ex quibus ad illa viſenda ſpectacula homines Romam confluxerant; quam ut aſſentationis gratia thuris Sabæi, myrrhæ Arabicæ, & Croci Cilicum ſuffumigationem, Domitiano veluti Deo oblatam probaret. quamobrem gentium, ac locorum meminit Poëta, pro aromatibus, quæ apud illas gentes naſcuntur.

Non erit nobis modo diſputandum, quibuſnam in locis myrrhæ arbores gignantur, aut naſcantur; an nimirum in locis frigidioribus, an vero calidioribus: verane an falſificata ad nos advehatur myrrha; cujus coloris, ſaporis, ac qualitatis ea optima myrrha conquirenda fuerit; de quibus omnibus Dioſcor. lib. 1. cap. 78. Plin. lib. 12. cap. 15. & hiſtor. plant. lib. 18. cap. 4. & cum his, alii plures. nobis ſufficiat obſervaſſe arbores, ex quibus legebatur myrrha bini fuiſſe generis, ſativas nimirum, atque ſilveſtres: & ut Plin. Dioſcor. locis jam citatis, & Ruell. lib. 1. de nat. ſtirp. loco citato tradunt; multo meliorem, atque longè præſtantiorem myrrham, ſativas arbores præſtare, quam ſylveſtres. amant enim hæ arbuſculæ pingue ſolum, & raſtris, & ablaqueationibus coli teſte Plinio, quo cultu, abundantiorem, copioſioremque myrrhæ quantitatem gignunt.

Legitur verò myrrha, ex arboribus ſui nominis, lacryma erumpente, quæ ab arbore ejus nominis myrrha appellatur. optima verò illa eſt, quæ in Arabia gignitur: regio profectò odoribus fœcundiſſima. unde Strabo aromatiferam illam appellat. & Herodot. in Thalia: *Arabia plena eſt odorum*, inquit, *& aromata gignit pretioſiſſima.* quæ quidem aromata, quaſi enumerans Diodor. tradit in Arabia naſci caſiam, myrrham, thus, coſtum, cinnamomumque. ad hanc hujus Provinciæ fertilitatem, atque gignendi aromata fœcunditatem, reſpiciens Proper. lib. 3. Eleg. in ea quam adverſus avaritiam ſcripſit, ubi aromatum luxum inſectatur, quibus mulierum pudicitia proſtituebatur, ait:

Cinnamon, & multi paſtor odoris Arabs.

Quamvis igitur cortice inciſo myrrhæ lacryma, ex arboribus ejus nominis legatur; ut tradit Dioſcorides in principio hujus capituli relati, ferunt tamen præ pinguedine ſoli, in quo arbuſcula hæc plantata fuerit, aliquando etiam cortice non inciſo, myrrham exſudare, auctore Plinio lib. 12. cap. 15. quam quidem lacrymam, ex arboribus ipſis, non expectata inciſione, ſponte fluentem ſtacten, ideſt, myrrham ſtillatitiam appellari Plin. dixit; à verbo, ut puto, Græco ϛάζειν, quod eſt ſtillo, ſic appellatam. Eſt autem ſtacte duplicis adhuc generis; àliquando enim arboribus jam inciſis, & myrrha jam collecta, expreſſione ejuſdem myrrhæ, pinguedo extrahitur, quæ ſtacte appellatur. nam ſtactem,

A myrrhæ pinguedinem appellari, auctor eſt Dioſcor. lib. 1. cap. 79. & Marcel. Virgil. ejus interpres, & etiam cap 75. non alia profecto de ratione, niſi quia ob pinguedinem illius extrahitur. ſic enim de ſtacte Dioſcorides cap. 74. ϛακτὴ δὲ καλεῖται προσφάτου σμύρνης τὸ λιπαρὸν, κεκομμένης μεθ' ὕδατος ὀλίγου, ἀποτεθλιμμένου τε δὶ ὀργάνου. εὐώδης τε λίαν, καὶ πολυτελής ἐϛι. hoc eſt, *Stacte dicitur pinguedo recentis myrrhæ fuſæ cum exigua aqua, & organo expreſſa; ea eſt, perquam odorata, ac pretioſa.* Hanc copioſè exprimi ex myrrha, quæ *pediaſimos* appellabatur, ex Dioſcoride ibidem cap. 78. habetur. ſed accidit aliquando ex ubertate ſoli, tantam ipſius myrrhæ pinguedinem eſſe,

B ut non expectata ipſiuſmet gummi expreſſione, ſponte ex ipſa arbore myrrha fluat, atque exſudet liquor, qui etiam verius ſtacte appellatur, auctore Plinio: *Sudant autem* (inquit, ſupple arbores) *ſponte priusquam incidantur, ſtactem dictam, cui nulla præfertur.* hoc autem genus myrrhæ ex ſe copioſam exſudantem ſtactem, gabiream myrrham appellari Dioſcor. cap. 78. tradit. eſt etiam aliud genus ſtactes, quod ita vulgo appellatur, & nil aliud eſſe præter ſtyracem liquidam, optimè probat Ruell. lib. 1. de natur. ſtirp. cap. 98. ſed quia ad rem noſtram nihil conducit, aliis de illo diſputandum relinquimus.

C Verum, ut ad ſacra nos transferamus, & perfectiſſimum genus myrrhæ à nobis perquiratur; quod *myrrham electam* dixit noſter interpres, in ſacris oraculis cap. 30. Exodi, veræ myrrhæ varia genera recenſeamus; quæ quamvis diverſo referantur ordine à Dioſcoride, atque à Plinio, nos reliquis omnibus prætermiſſis myrrhæ generibus, de Troglodytica tantum agemus, de qua Dioſcorides, cum varia myrrhæ genera recenſuiſſet, ait: πρωτεύει δὲ ἡ τρωγλοδυτικὴ καλουμένη, ἀπὸ τῆς γεννώσης αὐτὴν χώρας. hoc eſt, *Præcellit autem* (ſupple omnibus myrrhæ generibus) *quæ Troglodytica appellatur, à regione in qua gignitur.*

D Myrrhæ verò Troglodyticæ pretioſioris, plura ſunt ad rem noſtram genera; aliud quod corticis inciſionem expectabit, aliud quod nulla expectata corticis inciſione, lacrymam diſtillat; quæ ſtacte appellatur, ut diximus. ut idem ſit, ſacrorum oraculorum, myrrha ſponte fluens, ac ſtacte, quam ægineta, myrrham ſtillatitiam appellavit.

Aliud genus ſtactes, ex myrrha Troglodytica, liquor ille dicetur; qui ex pinguedine myrrhæ per expreſſionem, ut vidimus, extrahitur. nec aliam ſtactem Marcel. Virgil. interpres Dioſcor. tam ibi, quam cap. 75. agnovit. Etenim quæ ſponte ex ſe ab arboribus ſudat; an dicenda ſit ſtacte, necne, in

E dubium ille revocat; nos Medicis iſta diſcutienda relinquimus. hanc ipſam appellari Styracem, apud Serapionem docet Matthiol. in Dioſcor. Ruell. verò loco jam citato, pinguiſſimum myrrhæ florem, ſtactem iſtam expreſſam appellat: imò etiam ex auctoritate Hieronymi, ſic appellari Marcell. Virgil. affirmat.

Tertium denique ſtactes genus illud eſt; quod ob ſummam myrrhæ pinguedinem, ex ipſamet myrrha, lacryma jam collecta, nulla expectata machinarum inciſione, ſponte non ab arbore, ſed ex ipſamet pinguedine myrrhæ fluit, atque exſudat. qua ratione intelligendum arbitror, locum ex Theoph. lib. 9.

F cap. 4. cum ait: τῆς δὲ σμύρνης ἡ μὲν ϛακτὴ, ἡ δὲ πλαϛή ideſt, *in myrrha autem alia ſtacte, alia plaſte.* ſignificat autem plaſte, artificium humanum: ita ut ſenſus ſit, me judice, ex generibus myrrhæ, aliud ſtillantium, aliud factitium fore. perſpicuum verò eſt myrrham, humano artificio, nequaquam fieri poſſe; ſed naturaliter ex arboribus inciſis, vel non inciſis exſudare. & quamvis Marcell. Dioſcoridis interpres in cap. illo 78. &

78. & 74. multum laboret in his vocabulis: ego tamen plaſten dici exiſtimo, ſtactem, ſive myrrhæ florem, expreſſione habitum. ſimpliciter verò ſtactem, florem myrrhæ appellari, qui ſponte fluit, atque exſudat; ſive ex arboribus nondum inciſis, ſive ex lacryma collecta, nondum tamen expreſſa.

Odoratiſſimum quidem, atque præſtantiſſimum liquorem eſſe hoc genus myrrhæ, ſive ſtactes, probant ſcriptores; adeoque celebrant, ut ex ſe, ſine alterius rei admixtione, Dioſcorides loco citato cap. 74. unguentum facere ſcribat: quamobrem unguento eam conjunxit Lucret. lib. 2. dicens:

Aut amaricini blandum, ſtactæque liquorem.

Et quamvis liquoris nomine, ſtacte expreſſa, in hoc Poëtæ loco rectè accipi poſſet; nihilominus magis ad rem videbitur; liquoris nomine & ſtactes, myrrhæ florem pretioſiſſimum intelligere, qui ex ipſa arbore non inciſa, ob illius pinguedinem fluit, atque unguentum exſudat odoratiſſimum. quamobrem Ovidius quoque lib. 1. de arte amandi, verſ. 285. myrrham ex ſeipſa unguentum facere, dixit:

Myrrha patrem, ſed non ut filia debet, amavit:
Et nunc obducto cortice preſſa latet.
Illius lacrymis, quas arbore fundit odora,
Vngimur, & dominæ nomina gutta tenet.

Præſtantiam verò, dignitatemque myrrhæ, ſtactesque, Plin. & Dioſcor. locis citatis perſpicue docent. nam odoris hujus excellentiam, ut aliquo modo Dioſcor. inſinuet, ex myrrha fieri paſtillos pingues, & odoratos dixit. paulo quoque infra, de cujuſdam arboris radicibus cum ageret; præſtantiores cæteris fore illas radices docet; quæ vulgo dicebantur myrrha Bæotica, quòd odore, ſuavitatem myrrhæ præ ſe ferrent. ſtactes verò, ſive myrrhæ fluentis, ex arbore non inciſa, tantam fore excellentiam, tradit Plin. cap. 15. ut nulla myrrha ei præferatur. quod etiam confirmat Matthiol. Gaſpàr. Bauhin. in addit. ad Matthiol. at ubi omnium doctiorum virorum, aliorumve plurimorum deeſſet auctoritas; ſatis myrrhæ, ſtacteſque præſtantia, teſtimonio ſacri textus Exodi cap. 30. comprobata foret. nam cum Deus Moyſi, ſumenda aromata prima, hoc eſt, excellentiſſima juſſiſſet, inter hæc excellentiſſima aromata, primam ſedem myrrhæ præſtat. Nec contemnendum erit in myrrhæ præſtantia, quod nato Domino, pretioſiſſima quæque ſuæ Provinciæ oblaturi Sabæi, unà cum auro, & thure, myrrham quoque attulerint, inter præſtantiora aromata, æqualis apud illos cum auro dignitatis.

Myrrhæ excellentia etiam ex pretio non minimo, me judice, argumento proſtat: de quo Plin. lib. 12. cap. 16. agit in hæc verba: *Pretia ex occaſione ementium varia. Stactæ à XIII. ad quadraginta. Sativæ ſummum X. XI. Erythrææ, ad ſexdecim. Hanc volunt Arabicam intelligi. Troglodyticæ nucleo ſedecim; ejus vero quam odorariam vocant, quatuordecim.* hæc ſunt verba Plinii, me judice, ſatis, vel ex corrupto codice, vel alia de ratione obſcura. nam myrrha Erythræa quænam eſſet, ſatis in dubium revocari poſſet; quod in ſuperiori capitulo 15. ubi de myrrha egerat, nihil Erythrææ meminerit. Arabica enim myrrha quæcumque, Erythræa dici potuit; quod à mari Erythræo tranſveheretur; ad differentiam reliquarum, quæ in aliis regionibus naſcebantur: & ideò ſubdit, *hanc volunt Arabicam intelligi.* Sed quid ſibi velit nucleus Troglodyticæ, non video; niſi fortè legendum eſſet, *Troglodyticæ pretium ad ſedecim.* Verum cum ſtactem pretioſiſſimam fore, præ cæteris aliis omnibus myrrhæ generibus, dixerit Plinius: non video qua ratione ſtare

A poſſit, ut adeò viliſſimo vendi poſſet pretio, ut ſenarium tantum numerum aliquando ſtacte attingeret. de quo etiam genere monetæ intelligendus ſit Plinius; non minimam apud me difficultatem habet. Verum ex proximè ſuperioribus cap. 12. & 14. in quibus de thure, & coſto, & illorum pretio eſt ſermo, cum expreſſione monetæ; monetam quoque in pretio myrrhæ expiſcandam puto. nam cap. 12. ubi de ſpica nardi ſermo eſt, deque folio, ſic legitur. *Pretium ſpicæ in libras X. C. Folii diviſere annonam: ab amplitudine hadroſphærum vocatur majoribus foliis X. L.* &c. quæ ſic interpretanda reor; ut pretium ſpicæ nardi centum denarii eſſent: B hadroſphæri autem libra denarii quinquaginta pretium eſſet. capite verò 14. ubi de thure agitur, ſic dicitur: *Jam quacumque iter eſt, alibi pro aqua, alibi pro pabulo, aut pro manſionibus, variiſque portoriis pendunt; ut ſumptus in ſingulos camelos denariûm DCLXXXVIII. iterumque imperii noſtri publicanis penditur. Itaque optimi thuris libra X. VI. pretium habet; ſecunda X. V. tertia X. III.* quamobrem denarios hic intellexiſſe puto Plinium; tum quia in eo genere monetæ camelorum ſumptus recenſuerat; tum quia cap. 12. ejuſdem monetæ pretium conſtituerat in nardo. cumque auctor eamdem phraſim teneat, cum de pretio myrrhæ ſermonem habet, de denario ſimiliter Plinium intel- C ligemus loquutum. Et quia denarius denos valebat aſſes, ſtactes ſummum pretium erit quinquaginta denariorum, hoc eſt quingentos æreos aſſes valebit.

Ad ſacra jam oracula nos transferamus. *Sume tibi*, inquit Deus Moyſi Exodi 30. *aromata primæ myrrhæ, & electæ quingentos ſiclos.* Erat autem ſiclus Sanctuarii, ut vidimus ſecundum aliquos, duplo majus ſiclo prophano; quamobrem ſi denarius Plinii, idem cum ſiclo Sanctuarii eſſet; mille ſiclis prophanis, ſumma quingentorum ſiclorum Sanctuarii, & viginti libræ ſtactes reſponderent. Verum pondus hoc ſtactes, unico olei hin, hoc eſt duode- D cim libris vix madefieri poſſet, nec enim aliquo tempore hoc aromate caruit orbis, nam Ludovicus Dominicus in adnotationibus marginalibus ad ſuum Plinium, quem tranſtulit in linguam Italam, teſtatur lib. 12. cap. 15. maximam myrrhæ copiam, ad hæc uſque tempora, ad urbem Æthiopiæ Camaram deferri; quamvis ad auri pondus, myrrhæ pondus, venundari affirmet. Ut vero quod ſentio breviter aperiam, diſtinctionem illam ſicli Sanctuarii, & prophani, ut ſupra probavimus, non admittimus; & ſacrum textum, nulla ratione intelligendum exiſtimo, de ſiclo aureo, ſed de ſiclo communi æreo: quia quoties de argenteo, vel aureo, textus loqui- E tur; toties id expreſſum voluit Deus. cumque in cap. 30. Exodi, cum ſermo eſt de compoſitione hac ſacri unguenti, nihil appareat aurei, vel argentei; de æreo, & communi ſiclo ſacra oracula intelligenda reor: quia etiam parum ſupra de ſiclo Sanctuarii, qui valorem habebat viginti obolorum, loquutus fuerat. Idem verò fuiſſe ſiclum æreum Hebræorum cum aſſe Latinorum, à vocis ſignificatione, non obſcurè colligitur. tam enim as, quam ſicel, libram ſignificat, ut probavimus. erit igitur quingentorum ſiclorum numerus, æqualis quingentis aſſibus; attingetque ſummam quinquaginta denariorum, quo pretio ſtactes libra media, Plinio, ut F vidimus, valebat. atque ita dimidia ſtactes, ſive myrrhæ præſtantiſſimæ libra, una cum aliis aromatibus, compoſitionem hanc ſacri unguenti ingredietur.

His illuſtrantur magis adhuc ſacra oracula, atque perſpicuum fit, quodnam myrrhæ genus in hac ſacri olei compoſitione Deus adhiberi voluerit: nam cum plura genera myrrhæ habeantur apud plantarum

rum ſcriptores, & in his aliud, alio præſtantius, nobis videndum eſt; quodnam ex his omnibus myrrhæ generibus, ad hoc ſacrum unguentum, & oleum ſacerdotale componendum, ex Dei præſcripto adhibendum fuiſſet. ex illis etenim verbis Exodi 30. *Sume tibi aromata prima*, præcipua, ideſt, præſtantiſſima, profecto ab hoc ſacro unguento, myrrha Ergaſima, Caucalis, Indica, & cujuſcumque alterius regionis, aut gentis, tanquam imperfecta excludenda fuit. quia verò cæteris perfectior erat, myrrham quæ ex Arabia Troglodytica, regione Æthiopiæ ſub Ægypto, in ſinum Ægyptium, & mare Rubrum vergente adferebatur; ſolam hanc ad ſacrum hoc unguentum parandum, ex Dei præſcripto accommodatam extitiſſe conſtat; quia hæc ſola inter prima, & præſtantiſſima aromata referri poterat.

Verum quia auri ſitis mortalium pectora vexat, & ad facinus quodcumque ſtimulat: hæc eadem ſitis homines docuit, qua ratione aromata pura, impuris admixtionibus ſordidarent. adulterari autem myrrham docet Dioſcor. ac Plinius locis citatis, tum admixtione myrrhæ reliquorum generum, minus perfectorum; tum myrrhæ madefactione in aqua glebis lentiſci, & gummi; una cum ſucco cucumeris amaritudinis gratia. Quem fortaſſe paternum inceſtum, ſub fabula Cyniræ patris, Myrrhæque ejus filiæ paterno amore captæ, Ovid. lib. 10. Metamor. cecinit: ut mercatorum in adulteranda myrrha ſtudium aperiret. quamobrem ad componendum ſacrum unguentum, ſumendam myrrham liberam, ideò dictum putarunt Vatabl. & David de Pomis, ut myrrha adulterata ab hac compoſitione excluderetur; qua nequaquam, ut ipſi dicunt, myrrha libera dici debet. Sed quamvis adulteratam myrrham, omnino ab hac compoſitione excludendam fore certiſſimum ſit: dicendi tamen phraſis illorum Scriptorum, me judice, non ſatisfacit; jam enim locus relinqueretur, cuicumque generi myrrhæ non adulteratæ, ſacrum hoc unguentum ingrediendi; quod ex ſacris oraculis minimè licuiſſe conſtat. ſumenda namque dicuntur aromata præcipua, ac præſtantiſſima. quamobrem non omni generi myrrhæ, licet non adulteratæ, locus erit in hac ſacri unguenti compoſitione, ſed tantum inter ſincera, reliquis omnibus præſtantius myrrhæ genus, fas erit in hanc compoſitionem ingredi; nimirum, quæ ex Arabia Troglodytica vehebatur.

Adhuc tamen ex arbuſculis, quæ myrrham in Arabia Troglodytica gignunt; cum aliæ aliis præſtantiores, atque digniores ſint: quod aliæ campeſtres, aliæ ſativæ exiſtant, ut diximus; etiam inquirere cogimur, ex quanam illarum arborum ſpecie, ex Dei mandato noſtra eſſet legenda myrrha. nam ex prioribus myrrha Pediaſima, juxta Dioſc. colligebatur; pinguis, & odorata à πεδίον, ideſt vallis, ſeu planities dicta, ut hæc diſtingueretur à montana, multo minus perfecta; & à Gabirea, quæ colligebatur ex ſativis arboribus, reliquis omnibus myrrhæ generibus præſtantior, dignior, & pinguior, auctore Dioſcor. qui de hac re ita ſcripſit: ἡ δὲ γαβιρέα λιπαρωτάτη, ἐν εὐγείοις, καὶ λιπαροῖς τόποις γεννωμένη, ἣ καὶ πολλὴν ἀνίησι τὴν στακτήν· προτερεύει δὲ ἡ τρωγλοδυτικὴ καλουμένη, ἀπὸ τῆς γεννώσης αὐτὴν χώρας, ὑπόχλωρος, καὶ δηκτικὴ οὖσα, διαυγής· hoc eſt, *Quæ enim Gabirea* (ſupple dicitur) *pinguior eſt, & in optimo & pingui ſolo naſcens, quæ etiam copioſam ſtactem ſtillat: præcedit autem quæ Troglodytica dicitur à regione, quæ illam gignit, & eſt ſplendens, ſubviridis, ac mordens.* Quam unam, reliquis dimiſſis, ſolam accommodatam, ad ſacrum hoc unguentum parandum, ex Dei præſcripto, credendum eſt. cum hæc ſola inter præcipua, & præſtantiſſima unguenta, ſive mavis aromata, referenda ſit.

Cum igitur ex genere myrrhæ Gabireæ, cæteris
A illa præſtantior eſſet; quæ ob pinguedinem ſoli, & humoris copiam, ſponte ex ipſa arbore non inciſa, fluebat; quam ſtactem, id eſt, ſtillatitiam myrrham, jam ſupra appellari docuimus; cæteriſque præſtantiorem, atque odoratiorem ex Plin. & Dioſc. jam monſtraverimus: quamvis aliud genus ſtactes eſſet, ut vidimus, quod per expreſſionem legebatur ex myrrha; aliud quod ex myrrha jam parata, ob illius pinguedinem, ſponte exſudabat; nihilominus à compoſitione ſacri hujus unguenti, illud genus ſtactes excludendum videtur, quod per expreſſionem à myrrha colligebatur; illudque ſolum accom-
B modatum, quod ex ipſa myrrhæ lachryma, jam lecta habebatur, ſponte fluens. Si quis verò à tertio hoc ſtactes genere abnueret: pro eo nequaquam nobis decertandum erit. In dubium tamen revocari nequit, illam tantum accipiendam fuiſſe; quæ ab arbore non inciſa, ſponte fluebat. quia hoc ſolum genus ſtactes ſignificatur illa voce דרור *deror*, ut jam vidimus, à principio capituli, ex auctoritate Vatabli, & aliorum, qui illa verba interpretantur myrrham ſponte fluentem: nimirum, quæ nulla expectata, corticis inciſione, ex ſe fluit. & quamvis Marcel. Virg. interpres Dioſcor. lib. 1. cap. 75. plurimum laboret adverſus Plin. in probando nequaquam dari hoc genus ſtactes, ſive myrrhæ liberè
C fluentis, ex arbuſculis non inciſis, fultus auctoritate tum Dioſcor. tum Theoph. lib. 9. cap. 4. nos tamen nihil doctrinæ Plinii apud Dioſcor. comperimus in verbis à Marcello relatis, quæ myrrham fluentem, cortice non inciſo, reſpuat. nam cum Dioſcorides ait, In myrrhæ generibus, quædam vocatur pediaſimos, id eſt, campeſtris, pinguis, & quæ expreſſa ſtactem dat; quædam verò Gabirea omnium pinguiſſima, pingui & feraci ſolo proveniens, quæ copioſam ſtactem etiam reddit; non aperuit Dioſcor. utrum per expreſſionem, ſtacte habeatur, ex myrrha quoque Gabirea, an vero nulla adhibita expreſſione. hoc poſtremum magis mihi ar-
D ridet, & quidem locum ex Theoph. jam ſupra citato, niſi in ſenſu quem diximus accipiatur; ſaltem negari non poteſt, in hoc poſteriori ſenſu accipi debere, cum ait τῆς δὲ σμύρνης ἡ μὲν στακτή, ἡ δὲ πλαστή, quibus quidem verbis nil aliud voluit Theophraſtus, niſi dari duas ſpecies myrrhæ præſtantioris, aliam ſtacten, id eſt ſtillatitiam ſine artificio aliquo, aliam plaſtem, id eſt artificio lectam, ex arbuſculis. quapropter ex teſtimonio, & auctoritate tam Plinii, quam Theophraſti, genus myrrhæ ſponte fluentis, quod ſtacte dicatur, negandum non videtur.

Verum quicquid iſti ſentiant, parum noſtra intereſt; dummodo adſit auctoritas ſacrorum codicum;
E qui præclare contra Marcellum Virgil. myrrham ſtillatitiam indicarunt, in dictione illa דרור *deror* qua libertatem ſignificari, in ſacris Litteris, auctores Dictionariorum Linguæ ſanctæ, optimè probant: apertiuſque adhuc patebit, conſiderata etymologia illius vocabuli דרור *deror*, quam ex his duabus dictionibus דיר *dir*, & ריר *rir* ſumendam, proculdubio arbitror; quarum prior nimirum דיר *dir* ſignificat *torrefacere*, *torridum reddere* aliquid vi caloris; poſterior verò nimirum ריר *rir*, *irrorationem*, *ſalivam*, vel aliquid, quod guttatim fluat, ſignificat. Ex illis verò duabus dictionibus juxta regulas grammaticales poſſe fieri illam dictionem דרור *deror* pro-
F batur optimè; nam à dictione דיר *dir* cogeris auferre *chirech gadol*, ſi protrahenda fuerit, vel componenda; & tunc mutatur in ſceva, & loco dictionis דיר reſultat tibi דר *der*; in poſteriori autem dictione ריר *rir* protracto *jod* in *vau*, litteram eidem affinitate conjunctam; quia ut norunt Linguæ ſanctæ periti, *jod*, non eſt aliud, quam, *vau* obtruncatum; & *vau*, nil aliud eſt, niſi, *jod* protractum: igi-

igitur ſi protrahatur in *vaucholem*; pro dictione רִיר [A] *rir* habebis רוֹר *ror*, & duplicata littera media ר *res*; exſurget ſimplex in conjunctione illorum vocabulorum, & pro דְרִיר *derrir* fiet דְרוֹר *deror*. & nihil aliud ſignificabit, niſi *fluorem ſponte fluentem*, *vi caloris torrefactum*, & *conſtrictum*. quibus quidem diſtinctionibus ab ovo petitis, perſpicuum remanet מָר־דְרוֹר *mor deror*, nil aliud ſignificare, niſi myrrham, quæ ſponte, & libere ex arbuſcula fluit; & vi caloris conſtringitur. hanc autem myrrham idem eſſe cum ſtacte, quam poſuit Plinius, & Theophraſtus, quam etiam pretioſiſſimam eſſe aſſeruerunt, nemo erit jam qui non videat.

Perſpicuum igitur, atque indubitatum jam re- [B] manet apud omnes; quænam ſit hæc myrrha electa, quam dixit noſter vulgatus interpres ſumendam fore ad ſacrum hoc oleum parandum; & hebraicus textus מָר־דְרוֹר *mor deror* appellavit. ſtactem nimirum fuiſſe, quæ in Arabia Troglodytica gignebatur, non quidem quod exprimebatur ex myrrha; ſed vel quod myrrha jam lecta ex ſe fluebat, vel ſi non placet, ſtacte illa erit, quæ ex ipſamet arbuſcula non inciſa ſponte deſtillabat; libereque exſudabat; & vi ſolis in ipſomet arbuſculæ cortice conſtringebatur. quæ quidem tantæ ſemper fuit excellentiæ, atque præſtantiæ, ut non ſolum commendata ab omnibus Scriptoribus fuerit; ſed hic etiam cap. 30. Exod. à [C] Deo inter aromata pretioſiſſima referatur; atque in compoſitione ſacri unguenti ſacerdotalis, primam inter reliqua aromata occupaverit ſedem.

CAP IX.

Præſtantia cinnamomi in oleo Sacerdotali componendo monſtratur.

Ad locum Exodi 30. *Sume tibi aromata primæ myrrhæ, & electæ quingentos ſiclos, & cinnamomi me-* [D] *dium: ideſt ducentos quinquaginta ſiclos.*

ALTERUM explicandum jam aggredimur aroma; quod pro ſacro Sacerdotali oleo parando, Deus ipſe, Moyſi aſſumendum mandabat, in illo cap. 30. Exodi, dicens ad Moyſem: *Sume tibi aromata primæ myrrhæ, & electæ quingentos ſiclos: & cinnamomi medium; id eſt ducentos quinquaginta ſiclos.* Cum igitur quid *myrrhæ electæ* nomine ſignificaretur, in præcedenti capitulo pro viribus declaraverimus; cui Deus primam ſedem, in compoſitione unguenti præſcripſerat: ordo ipſe poſtulat; ut etiam de cinnamomo agamus; & quodnam ſit, ac quale genus [E] cinnamomi à Deo requiſitum fuerit, ad ſacrum oleum componendum, explicemus. Quamvis verò in noſtro vulgato codice, ad ejus excellentiam inſinuandam, nullum apponatur epitheton, tamen ſine eo neque Septuaginta Interpretes illud nominaverunt, legentes *cinnamomum benè olens*, ut habetur in Codice Vaticano, vel *cinnamomum odoriferum*, ut habet codex Baſilienſis; neque in Hebræo ſine epitheto ponitur, ſed cum adjuncto קִנְּמָן־בֶּשֶׂם *chinmon beſem.* ideſt, *cinnamomum aromaticum*: ad declarandum, fortiuſque exprimendum, quonam aromate Deus, hoc ſacroſanctæ unctionis oleum fieri vellet. [F]

Sunt, qui cinnamomum, illum arboris odoratæ corticem falſo fore putent; qui vulgo *cannella* dicitur, apud Italos aromatarios: ſed horum falſum commentum, falſamque opinionem, quæ erat Ruel. lib. 1. de nat. ſtirp. cap. 25. & in qua paſſim ſacrarum Scripturarum expoſitores impingunt; rationibus evidentiſſimis, ſimulque firmiſſimis præclarè rejicit, ille numquam ſatis laudatus in re herbaria Andr. Matthiol. in 1. lib. Dioſcor. ubi de hac planta agitur. Scriptores etiam non pauci falluntur, non diſtinguentes inter amomum, & cinnamomum; quo errore tenentur illi potiſſimum, qui politioribus litteris incumbentes, in explicandis Poëtarum locis laborant. diſtingui namque cinnamomum, ab amomo Dioſcorides ipſe aperuit: ſeorſum de uno, atque altero capitulis inſtitutis; cinnamomum μίγνυται δὲ καὶ τοῖς πολυτελέσι μύροις, καὶ καθόλου ἐστὶ πολύχρηστον. hoc eſt, *Miſcetur autem pretioſiſſimis quoque unguentis; & in ſumma magni eſt ad omnia uſus.* quod nequaquam de amomo dixerat; nec dici potuit. præter alia multa, in quibus differunt; quæ apud illum rectius videri poterunt. Eſt enim cinnamomum, ut docet Matthiol. planta, quæ nullum ex ſe progerminat truncum, ſed ab una & eadem radice ſex aut ſeptem ramos edit; plures etiam, aut pauciores, pro ſoli, radiciſque fœcunditate, ſimilis Veratro; quod vulgo Elleborum appellatur; quorum ramuſculorum altiores ad dimidium Romani pedis, nequaquam elevari, ille ipſe Matthiol. ibidem auctor eſt; ac etiam ex Dioſcor. probare conatur. quamvis in hoc longè à Plinio abſit, qui cinnamomum bicubitalem altitudinem attingere tradat. Sed quicquid ſit de hoc, quod parum noſtro negotio deſervit, Cinnamomum in Arabia Troglodytica gigni, teſtis eſt Dioſcor. & Plin. lib. 12. cap. 19. Ariſt. Jul. Solin. & alii, qui ab Andræa Matthiolo citantur, ibique videri poſſunt. Frequens fuit apud veteres cinnamomi in unguentis mentio, atque exiſtimatio; quamobrem paſſim illius meminit Martialis lib. 3. num. 63. ubi Cecilium irridet, qui balſama fragraret.

Balſama qui ſemper, cinnama ſemper olet.

Lib. verò 4. num. 13. ubi nuptias Pudentis, ac Claudiæ celebrat; præſtantiam cinnamomi, à raritate demonſtrat, dicens:

Tam bene rara ſuo miſcentur cinnama nardo.

Ejuſdem etiam uſum fuiſſe in funeribus, oſtendit lib. 11. numero 55. unguentorum, aromatumque furta reprehendens in Zoilum, qui hæc patrare non verebatur, ubi de cinnamomo ſic ait:

Et quæ de Stygio rapuiſti cinnama lecto.

De quo etiam plura alia veterum Scriptorum monumenta, paſſim reperiuntur; quibus uſus, præſtantia, & dignitas cinnamomi commendatur. cum primis autem ex ſacris oraculis, apud quæ non ſolum in compoſitione unguenti, inter præſtantiſſima quæque aromata hoc unum habetur in numero; ſed etiam in apparatu ſeplaſiarum, primam occupat ſedem. ſic enim dicitur Eccle. 24. *In plateis ſicut cinnamomum & balſamum aromatizans odorem dedi.* Ex remotiſſima verò regione, barbarieque gentis, (de qua Plinius lib. 5. cap. 8. inquit: *Troglodytæ ſpecus excavant. Hæc illis domus; victus ſerpentium carnes; ſtridorque, non vox: adeò ſermonis commercio carent;* non obſcurè habendi hoc aroma difficultatem cognoſcere poſſumus: ac propterea quam fuerit ſemper, & ubique gentium digniſſimum, atque pretioſiſſimum. Quanta denique in æſtimatione, ac pretio fuerit, inde haurias, licet, amice Lector, quod hominibus fabulas excogitandi cinnamon materiam præſtitit. nam auctore Plinio loco jam citato, fabulati ſunt veteres, Herodoto principe, cinnamomum in ea gigni regione, ubi Liber pater, nimirum Bacchus, educatus fuerat. Reperiri verò cinnamomum in eadem, non alibi, quam in nido unicæ in orbe avis Phœnicis. Colligi autem ab his, qui illud quærunt, ſponte decidens, pondere nimirum prædæ in nidum allatæ à ſingulari volucri: ſic enim diſſo-

luto nido, cinnamomi ramuſculos, qui in terra ſparguntur, facile colligi tradunt ab his, qui cinnama quærunt: vel denique plumbatis ſagittis nidum incolæ petentes, cinnamomum habere putantur: quò reſpexiſſe puto Virgilium lib. 2. Georg. dicens:

Aut quos Oceano proprior gerit India lucos,
Extremi ſinus orbis, ubi aëra vincere ſummum
Arboris haud ullæ jactu potuere ſagittæ,
Et gens illa quidem ſumptis non tarda pharetris.

Quamobrem Martialis quoque lib. 6. num. 55. his ipſas reſpiciens fabulas in Corracinum, ait:

Quod ſemper Caſiaque, Cinnamoque,
Et nido niger alitis ſuperbæ,
Flagras plumbea Nicerotiana.

Nidum alitis ſuperbæ, dixit Phœnicis nidum. His etiam commentis Ariſt. ſummum Philoſophum lib. 9. de hiſt. animal. cap. 13. aures præſtitiſſe conſtat. ait enim: φασὶ δὲ, καὶ τὸ κιννάμωμον ὄρνεον εἶναι, οἱ ἐκ τῶν τόπων ἐκείνων, καὶ τὸ καλούμενον κιννάμωμον φέρειν ποθὲν τοῦτο τὸ ὄρνεον, καὶ τὴν νεοττίαν ἐξ αὐτοῦ ποιεῖσθαι. νεοττεύειν δ' ἐφ' ὑψηλοῦ δένδρου, καὶ ἐν τοῖς θαλλοῖς τῶν δένδρων· ἀλλὰ τούς ἐγχωρείους μόλυβδον πρὸς τοῖς οἰστοῖς προσαρτῶντας, τοξεύοντας καταβάλλειν, καὶ οὕτω συνάγειν ἐκ τοῦ φορυτοῦ τὸ κιννάμωμον. hoc eſt, *Dicunt autem & cinnamomum avem eſſe, qui ſunt ex illo loco*, ideſt ex Arabia, *& appellatum cinnamomum deferre hanc avem, & nidum ex eo facere. nidificat autem excelſis arboribus, & ramis arborum, ſed incolæ ſagittis plumbatis nidum petunt; atque ita colligunt ex congerie illa cinnamomum.*

Stat etiam pro his auctoribus, atque commentis cinnamomi etymologia, ſi vocabulum hebraicum קִנָּמוֹן *qinmon* attendatur, quo cinnamon in divinis oraculis ſignificatur. nam in negotio nidi fundamentum, atque etymon habere videtur. quodammodo enim derivata videtur vox illa, ab hac voce קִנִּים *qinnim*, quæ nidos ſignificat. quamobrem ſaltem ſimilitudinem quammaximam habere videtur hæc vox, cum illa; ac propterea idem valere קִנָּמוֹן *qinmon*, atque קִנִּים־מָן *qinnim man*, ideſt, *nidorum diſtributionem:* ſeu *nidulorum diſſectionem & diſſolutionem*. Quamvis igitur mihi nequaquam improbabile videatur, avem aliquam fortaſſe reperiri potuiſſe in illis regionibus, quæ ex his ſurculis nidum conſtrueret; atque etiam nidos illos ſagittis peti ab incolis conſueviſſe, ut cinnamomi ramuſculos decidentes colligerent; tamen aliter haberi non poſſe cinnamomum, nec alibi quam in nidis illis reperiri potuiſſe, omnino falſum arbitror. his nihilominus fabulis, commentis, laboribus, ac ſtudio incolarum, in cinnamomo colligendo, ejuſdem cinnamomi non ineptè dignitas, atque excellentia præclarè ſubodoratur.

Nec minoris argumenti eſt, ad ſuadendam præſtantiam cinnamomi, ac pretioſitatem ejus, etiam ſupra aurum; id quod affirmat Plin. loco citato, nimirum Veſpaſianum Auguſtum, in templo Jovis Capitolini; ac etiam in templo Pacis, coronas interraſiles, ex cinnamomo auro contextas, primum omnium Imperatorum obtuliſſe, & templis Deorum intuliſſe: quaſi digniſſima, ac præſtantiſſima munera: ut in hac una re, prodigaque, cum Diis liberalitate, reliquos omnes Imperatores, qui mira, inæſtimabiliaque auri, & argenti munera, in templa Deorum pietatis ergo, vel mavis impietatis, intulerant; ipſe unus longè omnes ſuperaſſe cenſeretur. In templo quoque Auguſti, quod Auguſta conjux viro erexerat; cinnamomi radicem magni ponderis, aureæ pateræ impoſitam, ſe vidiſſe, auctor eſt idem Plinius. quinimmo quaſi aliquid divinitatis cinnamomum in ſe haberet, Apul. lib. 5. Me-

A tamor. Cupidinem Pſyches amore depereuntem inducit, & cum ea congredientem, cinnameo unguento perfuſum ſcribit. Perſpicuè id conſtat, dum Pſyche Cupidinem precatur, ut ſorores ſibi aliquando videre permittat, dicens: *Tu modo Zephyro noſtro, rurſum præcipe fungatur obſequio; & in vicem denegatæ ſacroſanctæ Imaginis tuæ, redde ſaltem conſpectum ſororum; per iſtos cinnameos, & undique pendulos crines tuos*, &c. Quamvis enim non me lateat capillos hos dici cinnameos, à præſtantia unguenti cinnamomi, quo capilli uncti cognoſcuntur; tamen, dum cinnamomini unguenti uſum Diis concedit; præſtantia, ac dignitas hujus aromatis non minima
B indigitatur.

Arabes quoque Troglodytæ, teſte Plinio, in eo legendo, adeò religione tenebantur; ut de licentia ſolummodo Dei, quem Aſſabinum appellabant; & hac quadraginta quatuor boum, arietum, caprarumque extis obtenta, cinnamomum colligere attentarent: non quidem aſpiciente Sole; quod cinnamomum colligere in illius conſpectu, nefas arbitrarentur; ſed in crepuſculo matutino, aut veſpertino, cinnamomum colligere curabant. cumque Deorum proprium munus, cinnamomum adjudicarent; eo jam collecto, ſacerdotali ſolummodo virga, ab ipſomet Dei, & ſacrorum Antiſtite partiebatur; cujus
C altera pars Deo cedebat. Ferunt etiam aliqui, tripliciter conſueviſſe cinnamomum ab his partiri, quarum altera pars Soli ſacra, illicò prodigioſo conflagrante igne inſumebatur; quandoquidem æque partitum fuiſſet: partibus verò non æquè digeſtis, ſecus contingebat; quaſi tantæ dignitatis ac præſtantiæ cinnamomum foret, ut Deorum proprium eſſet illius uſus, hominibus verò non, niſi Deorum munere conceſſum.

Ut verò hebraicis vocibus, atque dictionibus, ex etymologia petita ſignificatione, ludatur etiam vocabulo hebraico, aliquid enim tale ſu bindicari videtur קִנָּמוֹן *qinmon*. nam ſi etymon
D attendatur ex dictione קִנְיָן *qinian*, quæ interpretatur *acquiſitio;* & dictione מָן *man*, quæ ſignificat *rem ignotam*; quaſi rem aliquam è cœlo hominibus conceſſam, cinnamomum affirmare poſſumus: :quaſi idem ſit קִנָּמוֹן *qinmon*, atque *acquiſitio*, ſive *opes*, idem enim ſibi vult *acquiſitio*, atque *opes*, juxta phraſim linguæ ſanctæ. in etymologia igitur illius vocabuli agnoſcuntur divitiæ ſignificatæ, opes inquam è cœlo allatæ, divinitus hominibus conceſſæ, & præ illarum præſtantia ignotæ, atque inexplicabiles.

Minime igitur mirum eſſe debet; quod tanti æſtimaretur cinnamomum; ut quamvis reliqua aromata illorum eſſent, qui illa legiſſent; aut jus in locis,
E in quibus naſcebantur habuiſſent; cinnamomi tamen omne jus ad Regem regionis, quam Gebaniticam appellatam tradunt, pertinuiſſe affirment. quamobrem non poterit non eſſe rarum, ſimulque præſtantiſſimum genus illud aromatis, cujus uſus Diis ſolummodo, ac Regibus concedebatur. quodque adeò rarum fuit, ut Galen. lib. 1. de antidot. affirmet, cinnamomum adeo rarum eſſe; ut optimum nemo facile conſequi poſſit; niſi repoſitum apud Imperatores illud intueatur. quamobrem cum à tempore uſque Galeni, apud Imperatores tantum verum cinnamomum haberetur; non erit à vero alienum, quod Matthiol. ſuſpicatur; verum nimirum cinna-
F momum hac noſtra ætate apud neminem reperiri. quamvis verò decipi Galenus eos affirmet; qui cinnamomum inter illas plantas connumerandum cenſuerunt, quæ ætatem non ſentiunt, neque veteraſcunt; ipſe tamen fatetur nihilominus, cinnamomi præſtantiam tantam eſſe, ut illius odoris ſuavitas, atque fragrantia ferè inexplicabilis ſit, adeò ut præ cæteris omnibus plantis, ſuaviſſimam quandam fragrantiam

grantiam ſpiret; atque deterrimum cinnamomum, perfectiſſimam caſiam, quam vulgo *canellam* nominant, longè ſuperare atque excedare.

Pretio etiam, argumento nequaquam minimo, cinnamomi dignitas aperitur. de quo ita Plin. *Pretium eſt in libras xx.* deinde parum infra ait: *Pretia quondam fuere in libras denarium mille, auctum id ad dimidium eſt: incenſis ut ferunt ſylvis ira Barbarorum.* &c. Auctum igitur fuiſſe ad ſummam mille quingentorum denariorum; ſuaque ætate venditum libris argenti viginti; videtur colligi ex verbis prioribus: ut non ſolum pretium auctum fuerit parte dimidia, ſed duplo majore. ex quibus Plinii verbis, obiter adnotabimus, non obſcurè colligi, centum denarios, libram unam argenti, eo quoque ſeculo habuiſſe. nam ſi auctum fuit pretium cinnamomi ad bis mille denarios; tantum igitur bis mille denarii erunt, atque argenti libræ viginti. quamobrem dixerat ſupra, *pretium eſt in libras xx.* centum ergo denarii tantumdem habebunt valoris, ac habet argenti libra.

Cum igitur ducenti, & quinquaginta ſicli, etiam argentei; ſi dixerimus ſiclum tantundem valere, quantum denarius Romanus, duas argenti libras cum dimidia, nobis præſtarent; ad quam ſummam, vendi cinnamomum, pro componendo unguento ſancto, Deus ipſe mandaverat: eo pretio ſolum habebimus unam cinnamomi unciam. Si autem de ſiclo æreo ſacrum textum loqui velimus; & idem ſiclum Hebræis, quod as Romanis, dixerimus; ducenti & quinquaginta ſicli, dabunt viginti quinque denarios argenteos, qui quartam partem unius cinnamomi drachmæ vix dabunt: ſi ad Plinii pretium poſitum ratio habeatur. Quod etiam cinnamomi pretium ita reſpexit forſitan nomen illud hebraicum קִנָּמֹן *qinmon*, quaſi קִנְיַן־מָנֶה *qhinian maneh*; ideſt, *acquiſitio Mna*, quæ pondus erat auri, vel argenti maximum. aut quaſi קָנָה מָנֶה *qanah mane*, hoc eſt, *acquiſivit Mercurium*, qui erat Deus Mercatorum: quaſi hoc nomine ſignificetur, quod qui mercaturam exercebat in cinnamomo; tam propitio Deo illam peragebat, ut Deum ipſum, qui mercaturam fortunabat, ſibi emiſſe videretur. aut קָנֶה מְנִי *qhaneh meni*, hoc eſt, *canna Mercurii:* quaſi cinnamomi vocabulo, aroma divinum ſignificaretur. quibus equidem etymologicis ſignificationibus, pretioſitas, dignitas, atque excellentia hujus aromatis non quidem obſcurè, ſed ſatis claro argumento colligitur.

Cinnamomi quinque genera nobis Dioſcor. cognoſcenda præſtitit; cinnamomique diverſitatem à regionum diverſitate haberi ſcribit, dicens: κινναμώμου ἐςὶ πλείονα εἴδη, ὀνομαζόμενα ἐπὶ χωρίοις. hoc eſt, *Cinnamomi ſunt plures ſpecies, ſic appellatæ à regionibus.* Ex his verò aliud erat, quod odore ſuo nares offendit; & tanquam imperfectiſſimum evitandum docet: aliud candidum, fungoſum, aſpectu tumens; quem non multi faciendum Dioſcorides affirmat. aliud Moſylico cinnamomo ſimile, nigrum, frequentibus nodulis, atque geniculis non inciſum, affert idem Auctor, & quidem odoratiſſimum, & optimum; aliud etiam montanum, non adeò perfectum; aliud denique perfectiſſimi cinnamomi genus illud eſſe ſcribit, quod Moſylicum appellant, de quo ita Dioſcorides: διαφέρει δὲ τὸ μοσυλὸν, διὰ τὸ σώζειν ποσῶς ἐμφέρειαν πρὸς τὴν μοσυλιτὶν καλουμένην κασίαν. hoc eſt, *Præfertur autem Moſylicum, eo quod referat ſpeciem illius caſiæ, quæ Moſylitica dicitur.* Moſyliticum autem cinnamomum, dicebatur à portu, & promontorio Moſyleo, Æthiopiæ emporio celeberrimo, quò Mercatores conveniebant, cinnamomi emendi gratia; non quod Moſyli naſceretur, ut tradit Matthiol. ſed quod eo à Troglodytis, qui illud collegerant, negotiationis gratia veheretur. Hoc autem cinnamomum Moſyliticum, odoratiſſimum, perfectiſſimum, atque digniſſimum fuiſſe, auctor eſt Dioſcor. quod autem Moſyli non naſceretur cinnamomum; probat Marcel. Virgil. ex auctoritate Plinii lib. 6. cap. 29. hujus etiam cinnamomi ſex ſpecies, & differentias habes apud Theophr. lib. 9. cap. 5. hiſtor. plant. cujus quidem cinnamomi differentias à vicinitate, ſeu diſtantia ſummitatis ramuſculorum à radice ſumebant. itaque optimum illud creditur, quod in ſummo vertice caulis præſcinditur: ut ſcribit Matthiol. illud verò deterrimum ex iſto cinnamomo Moſylitico, quod radici propinquius reſidet. ratio etiam pro hoc dicendi genere, ſtare apparet: quia tota cinnamomi perfectio, in vigore corticis, & floris poſita erat; cum igitur ibi vigor, copioſior, recentiorque habeatur: idcirco à ſummitate ramuſculorum perfectio illius ſumitur. Quamobrem non tantum ſex ſpecies, ſed plures, vel pauciores pro lubitu haberi poterunt. dummodo omnium perfectiſſimum ſit, quod in ſummitate caulis præſcinditur. illius verò præſtantiæ ſigna hujuſmodi, tradit Dioſcorides, ut in cinnamomo nimirum Moſylitico recentior ſumatur. dicit enim ſic: καὶ τούτου τὸ πρόσφατον, τῇ χρόᾳ μέλαν, τεφρίζον ἐν τῷ οἰνώδει, λεπτὸν δὲ τοῖς ῥαβδίοις, καὶ λεῖον, ὄζοις συνεχέσι κεκρυμμένον, σφόδρα εὐῶδες. hoc eſt, *Et hujus quidem recens, nigro cortice, ex vinoſo in cineritium vergens, leve, tenuibus ramulis, & frequentibus nodis cinctum, ſuaviter olens.* & infra ait: ἀποδοκίμαζε δὲ τὸ λευκὸν, καὶ τὸ ψωρῶδες, καὶ τὸ ῥυσσόκαρφον. καὶ λεῖον, καὶ τὸ ξυλῶδες δὲ κατὰ τὴν ῥίζαν ὡς ἀχρεῖον παραιτοῦ. hoc eſt, *Deligito autem album, & ſcabrum, & rugoſum. leve autem & lignoſum circa radicem, veluti inutile rejicito.* quæ ne contraria ſint prioribus, legenda erunt ſic, ἀποδοκίμαζε δὲ μὴ λευκόν. hoc eſt, *Deligito autem non album*, &c. alias in verbis ipſis contradictio eſſet: nam à nigredine corticis paſſim cinnamomum commendatur; ut etiam Martial. lib. 6. nu. 55. in Coracinum dixerit:

> *Quod ſemper caſiaque, cinnamoque,*
> *Et nido niger alitis ſuperbæ*
> *Fragras plumbea Nicerotiana,*
> *Rides nos Coracine, nil olentes.*

Perſpicuè, & apertè jam conſtat, quonam genere cinnamomi, voluerit Deus, oleum hoc ſanctum ſacerdotale ſibi parari. cum enim non ſatis intentum Deum aperuiſſe videretur, dicendo, ſumenda fore aromata præſtantiſſima, ſive aromata capitis, ut jam oſtendimus, ex aliorum tranſlationibus: hoc eſt, ſumenda fuiſſe in compoſitione hujus unguenti, ex aromatibus, quæ præſtantiora eſſent; de cinnamomo ſigillatim verba faciens, ſumendum eſſe dixit cinnamomum aromaticum, ſive bene olens קִנְּמָן־בֶּשֶׂם *qinmon beſem*, ut dixit hebraicus textus, quibus profectò, non aliud cinnamomum, quam Moſyliticum, nigrum, & vinoſum cinereſcens, nodulis ac geniculis frequenter interſectum, acre, & quod guſtum erodat, odoratiſſimum, & denique præciſum in ſummis ramuſculis, recenter ex Arabica Troglodytica allatum, ſumendum Deus voluit; illudque præſtantiſſimum, atque digniſſimum cinnamomum fore, quod juxta præſcriptum Domini, ad ſacrum oleum ſacerdotale componendum, quærendum erat.

CAP. X.

Calami aromatici pro oleo Sacerdotali dignitas explicacur.

Ad locum Exodi 30. *Sume tibi aromata primæ myrrhæ, & electæ quingentos ſiclos, & cinnamomi medium*

dium : id eſt ducentos quinquaginta ſiclos ; calami ſimiliter ducentos quinquaginta.

TERTIO, Dei juſſu, in compoſitione conſecrationis olei, ingrediebatur aroma, quod ſacri codices *calamum* dixerunt. ſic enim habet textus : *Sume tibi aromata primæ myrrhæ, & electæ quingentos ſiclos : & cinnamomi medium ; id eſt ducentos quinquaginta ſiclos, calami ſimiliter ducentos quinquaginta.* quamvis verò in noſtræ vulgatæ editionis textu, ſine adjuncto, aut epitheto, calamum ſumendum dicatur ; non tamen ita, neque apud Septuaginta Interpretes, qui calamum bene olentem ſumi voluere. ut habetur in exemplari Vaticano ; ſive calamum odoriferum ; ut habetur in codice Baſilienſi ; nec ſimiliter in hebræo exemplari præſtantia hujus aromatis ſine adjuncto explicatur, in quo per hæc verba קְנֵי־בֹשֶׂם *gene boſem.* hoc eſt, *calamum aromaticum*, quinam ſumendus ſit calamus aperitur ; & adjuncto præclarè nobis declaratur ; quonam genere calami ſibi unguenta, in conſecratione tabernaculi, Sacerdotum, atque utenſilium parari vellet Deus. alias enim ſatis in ambiguo res ipſa fuiſſet ; liſque ſub Judice penderet, ſi verba nuda editionis vulgatæ, attendenda forent. nam etiam vox illa hebraica קְנֵי *gene*, quemadmodum etiam latina *calamus*, ad omnes ſpecies arundinum, & calamorum extenditur.

Hebraicam dictionem קְנֵי *gene* à voce קָנָה *qanah* certum eſt derivari, quæ interpretatur *acquiſivit.* quamobrem calamum קְנֵה *geneh* appellatum, nonnulli hebraizantes arbitrantur ; quod antiquitus arundinum, & calamorum negotiatione, plurimas divitias mercatores acquirerent. verum id ſit necne, viderint alii : ſomniis namque Rabbinorum, nobis non eſt inhærendum. Calamorum nihilominus uſum adeò multiplicem extitiſſe certum eſt ; ut etiam divitias plurimas ex ipſorum negotiatione parari potuiſſe à nonnullis improbabile omnino non ſit. nam teſte Plin. lib. 16. antiquitus quando jaculatores, in bello primariam militiæ ſedem retinebant ; ſagittæ ab eis calamis parabantur : *Calamis* (inquit) *populi Orientis bella conficiunt.* quodque Plinius, in univerſum loquutus, populos Orientis dixit ; diſtinctius adhuc tradidit Alex. ab Alex. lib. 6. gen. dier. cap. 22. dicens Æthiopum, Arabum, Indorum, Scytharum, Sarmatum, Bactrianorum, & Ægyptiorum calamis, ſagittarum loco uti, fuiſſe conſuetudinem. quamobrem apud Virg. Ecl. 3. Menalca, Dametæ objicit, quod una cum arcu, calamos quoque injurioſe Daphnidis fregiſſet, dicens :

Aut hic ad veteres fagos, cum Daphnidis arcum
Fregiſti, & calamos.

Ex calamis etiam inſtrumenta, ad canendum, inflandumque accommodata fiebant. quæ Syringes à Nympha hujus nominis, dicta fuiſſe conſtat : cujus inſtrumenti muſici inventorem, Pana Deum ruſticorum fuiſſe Poetæ confinxerunt. quod hujus inſtrumenti, ut puto, uſus penes ruſticos cum primis in pretio haberetur ; quamobrem apud Virg. Eclog. 5. Mopſus à Menalca invitatur ad calamos inflandum, cui calamos inflanti, carminibus ſe reſponſurum perhibet, dicens :

Cur non, Mopſe, boni quoniam convenimus ambo,
Tu calamos inflare leves, ego dicere verſus, &c.

A qua quidem, calami ſignificatione, Græci fecerunt verbum καλαμίζω pro *fiſtula cano*, quo uſus eſt Athen. lib. 16. & alii interpretati ſunt *fiſtula carmen diſperdo* Erat & calamus piſcatorius ad quem, pendulo filo appoſita eſca, piſces prenduntur. de quo Mart. dixit :

Galbula decipitur calamis, & retibus ales.

Et ab hoc genere piſcationis Græci dixerunt καλαμεύω *arundine piſcor.* inſtrumenta quoque, quibus ad ſcribendum utimur, calami dicti ſunt ; quia arundineis jam olim, in ſcribendi exordio litteras efformare cœptum fuit. quorum calamorum optimi gignebantur in Gnido inſula Veneri ſacra. quamobrem emanavit proverbium, *Gnidii calami* ; deteriores verò habebantur calami arundinei, qui ad lacum Anetum in Aſia, ad ſcribendum accommodati, gignebantur. reliquis vero præferebantur Ægyptii calami ; propter quamdam cognationem ; quam cum ipſo papyro habere affirmabant, de quo Mart. in diſtich. dixit :

Dat chartis calamos habiles Memphitica tellus :
Texantur reliqua tecta palude tibi.

Nam calamis etiam, ad ſcribendum minus accommodatis apud gentes Septentrionales mos fuit, (quod hodieque etiam in Italia durat) tecta tegere : ſed præter hæc qui plura de calamis cognoſcere deſiderat ; quotque ſpecies plantarum, & aromatum calami nomine veniant, Plin. Theophr. Dioſcor. Matthiol. & alios adeat ; ex quibus, non obſcurè cognoſcere iſta poterit. quamobrem non omnino à ſcopo ſagittam projeciſſe videtur ille, qui verbum קָנָה *qanach* derivatum dixit ab *acquirendi* ſignificatione : quaſi calamorum, præſertim odoratorum, negotiatione plurimæ acquirerentur divitiæ. Verum de calamorum negotiatione, obiter his dictis, ſacra petamus oracula, quorum interpretes in interpretatione illorum verborum קְנֵה בֹּשֶׂם, *geneh boſem*, minimè conveniunt. aliqui enim *calamum aromaticum*, alii denique *calamum odoriferum* dixerunt. quapropter maximi nobis negotii ſunt verba illa ; ut inter multorum jurgia, certò affirmare valeamus, de quo calamo ſacer textus intelligatur. nam dictio בֹּשֶׂם *boſem*, quæcunque aromata odorata ſignificare cum poſſit ; ambigitur non immeritò, de quo calamo, ſacra ſint intelligenda oracula. Dioſcor. lib. 1. cap. 17. calamum odoratum in India naſci teſtatur. quidam dicunt, calamum aromaticum in Arabia gigni ; alii calamum, odoris fragrantiam ſpirantem, Erythræum appellant ; ut Dionyſ. de ſitu orbis. ſed quia apud Gaſp. Bauhin. in adnot. ad Matthi. qui commentat Dioſcor. cum de calamo odorato agit, idem prorſus à Theophr. Galen. & aliis calamum aromaticum appellari tradit ; quod à Plinio, & Dioſc. calamus odoratus appellatus fuit ; in interpretandis ſacris oraculis, labor noſter levari cœpit, & aditus aperiri, ut illud idem aromatis genus, utroque nomine ſignificari intelligeremus. nam & Græca exemplaria quoque, hoc loco habent, ϗ καλάμου εὐώδους, hoc eſt, *calami boni odoris.* quamvis verò Dioſcor. lib. 1. cap. 17. hoc idem aroma ſimplici nomine κάλαμος appellet : & in principio capituli κάλαμος ἀρωματικὸς illud idem nominet ; de eodem illo nihilominus intelligendus erit ſacer textus ; cum nullus detur calamus aromaticus, diſtinctus ab odorato, aut odoratus diſtinctus ab aromatico, apud illos, qui plantarum hiſtoriam ſcripſerunt. & de hoc ait Dioſcor. μίγνυται δὲ, ϗ μαλάγμασι, ϗ θυμιάμασι πρὸς εὐωδίαν. hoc eſt, *Miſcetur autem malagmatibus, & thymiamatibus odoris gratia.* qua de cauſa in oleo noſtro Conſecrationis ſedem habuiſſe, perſpicuum eſt.

Arbitrabantur nonnulli calamum odoratum, ſive aromaticum, radicem eſſe illius plantæ, quam iridem, ſive acorum vocant ; quæque minuta in fruſtula conciſa, in odoratos pulveres reſolvitur ; ex quibus etiam pulveribus odoratis, odorati pulvini à feminis religioſis, ſtomachi gratia, maximè his noſtris in regionibus parari ſolent ; quibus & veſtimentis, & linteis in arcis ſervatis odor conciliatur, & fri-

frigidi ſtomachi calor excitatur. ita ſcriptum reliquit de iridis qualitatibus , & illius natura , ex illorum ſententia , qui decipiuntur , Ruel. lib 1. cap. 34. & Matthiolus , quorum tamen commentum falſum eſſe , & vanum ; rationibus optimis , atque argumentis Andreæ Matthioli , ubi cum Dioſcoride de calamo aromatico agit , præclarè demonſtrat.

Variis , ac pluribus in locis calamum aromaticum gigni , ex probatiſſimis auctoribus , idem Dioſcorides optimè probat. cui ſuffragantur Plin. Ruel. & alii. eſt enim locus in Syria , ubi calamus aromaticus gignitur : non quidem in valle , quæ Aulones dicta fuit, prope Antilibanum montem , & lacum Genneſaretidem , ut falſo exiſtimavit Strabo , teſte Ruel. loco citato , & Plin. ſed in quadam Syriæ vallicula , quæ inter Libanum montem , & alium quendam collem jacet , auctore Theophr. lib. 9. cap. 5. & Plin. lib. 12. cap. 22. gignitur. Eſt enim, ut tradunt iſti , in prædicto loco , lacus quidam minimus , cujus aquæ in æſtate ſiccantur ; & licet calami , atque junci , aquoſa paluſtria ament , hunc tamen calamum aromaticum Syriacum , exſiccatis paluſtribus proſilire teſtatur Plinius lib. 12. cap. 22. & Ruell. lib. 1. cap. 34. ejus enim eſt loci illius proprietas, & aquarum illarum natura , ut jam exſiccatis aquis ab humore in ſubterranea imbibito , calami odorati progerminent; terraque humectata odorati junci materiam ſubminiſtret. gigni verò in India quoque , veluti in naturali ſolo , calamum odoratum Dioſcor. & Plin. affirmant. ſed præſertim naſci optimum apud Arabes omnes fatentur. Quapropter Plutar. in libello , *quod bruta ratione utantur* , calamum hunc odoratum , Arabicum appellat; & Dionyſ. de ſitu orbis , calamum Erythræum appellavit , quod ab Arabibus , ut puto , ad mare Erythræum vectus, ad nos inde aſportaretur. Eſt & aliud genus calami odorati , quod naſci apud Mæotidem paludem auctor eſt Ruellius ubi ſupra , & hoc ex aliorum auctoritate ; verum reliquis omnibus imperfectius eſſe , ex eo , maxime colligi poteſt; quod radicibus ſubalbidis , fore aſſerat ; calamum verò odoratum album deterrimum fore Plin. lib. 12. cap. 22. affirmat. Genera igitur odoratorum calamorum pro regionum diverſitate diſtinguentes , quatuor habebimus calamorum genera , nimirum Mæoticum omnium imperfectiſſimum , Syriacum , Indicum , & Arabicum reliquis omnibus perfectiorem , utomnes auctores communi ſententia , ex auctoritate Plinii fatentur.

Præſtantiſſimum , & digniſſimum , atque odoratiſſimum fore , hoc genus aromatis ; ſuavemque ſpirare fragrantiam , auctores ipſimet fatentur omnes ; & quam accommodatum ad unguenta fuerit , inde maxime ſubodoratur , quod ab Hippocrate appellatur *κάλαμος μυρεψικὸς* , id eſt : calamus unguentarius. Optimi calami odorati ſigna ex colore hauriuntur : qui fulvus erit, juxta Dioſcor. præſtantiam obtinebit. ἔστι δὲ , inquit , *ἀυτοῦ κάλλιστος ὁ κιῤῥὸς πυκνογόνατος , καὶ εἰς πολλοὺς σκινδαλμοὺς θραυόμενος , γέμων ἀραχνίων , τὴν σύριγγα ὑπόλευκος , ἐν δὲ τῇ διαμασήσει γλίσχρος*. hoc eſt, *Optimus autem eſt gilvus, geniculatus , & qui in multas aſſulas frangitur , plenus araneorum , fiſtula albicans ; & qui in mandendo , lentus eſt*. Plinius tamen dixit qui niger ſit. Verum nos quod ad colorem calami odorati , hos auctores , ita accipiamus ; ut rufum , nigreſcentem voluerit colorem calami odorati Dioſcorides : nigrum rubeſcentem , & ad rufum tendentem , voluerit Plinius. Bonitatem etiam , ac perfectionem illius expiſcandam , ex odore affirmat Plin. ut de longe nimirum nares feriat , ſuoque odore invitet. ex tactu , ut ſit mollis; ex ſtatura, brevior & craſſior; qui cum frangitur lenteſcat, & nequaquam in fruſtula con-
A cidatur , ſed in aſſulas plurimas ſecetur. in interiora plurimo araneo conſperſus ; quem quidem araneum, calami odorati florem auctores appellant ; quod nimirum illius copia , odoris præſtantia vigeat.

Calami aromatici , ex pretio , præſtantia expiſcetur ; de quo agit Plin. & in exemplari , lingua Itala tranſlato , opera Ludovici Dominici , pretium illius fuiſſe dicitur , ab undecim ad quindecim ; at in Latino exemplari ita de pretio Plinius : *Calamo pretium in libras XI. junco XV.* quæ ſi de denariis accipiantur ; & ex conſequenti de ſiclis argenteis ; quemadmodum ex proximis capitulis , ubi actum fuit de pretio cinnamomi , ſuſpicari poſſes ; omnino
B pretium hoc ſtare non poteſt cum ſacro textu Exodi 30. nam ducentis quinquaginta ſiclis , calamos aromaticos emi jubet Deus ; profectò plures quam ducentæ libræ calami aromatici , ad ſacrum hoc oleum præparandum , aſſumi debuiſſent. hanc autem aromatici calami doſin, nulla ratione unica menſura olei, per Hin ſignificata madefieri potuiſſe , nemo non videt. Ut verò veritas ſubodorari poſſit , Plinium loquutum putamus de calamo aromatico , ſive junco Syriaco , nulla facta diſtinctione aromatici calami , ab odorato junco. at Deus ipſe loquitur de calamo aromatico , Indico , aut Arabico. quamvis verò Plinius Syriacum præſtantiorem eſſe tradat calamo In-
C dico , & Arabico , nihilominus Theophraſtus , & Dioſcorid. folius Indici , & Arabici calami odorati meminerunt. Si verò denario argenti libra reſponderit , ut voluiſſe Baron. tom. 1. Annal. conſtat , & Plinius quoque de denario ibi accipiendus eſſet ; undecim denariis cuilibet libræ calami aromatici adſcriptis , ducenti quinquaginta ſicli , quinque ſupra viginti libras argenti nobis præſtarent : qua pecuniarum ſumma vix duas tantum haberemus calami aromatici libras in compoſitione ſacri hujus unguenti. Verius tamen arbitror , cum de pretio agitur , Plinium intelligendum de pretio quindecim librarum argenti pro ſingula libra calami odorati, ſicque duo-
D decim ſcuti cum dimidio , unciam unam haberent aromatici calami. at ducentis quinquaginta ſiclis æreis , qui duos ſcutos cum dimidio attingerent , duæ circiter drachmæ calami aromatici , ad ſacrum unguentum componendum haberentur. Sed nihil certi in hac re ſtatuere poſſumus ; alibi fortaſſe , & ab aliis clarius diſcutietur : ſatis tamen hujus aromatis præſtantia & excellentia , ex dictis , & communi omnium conſenſu , aperta , & probata manet. cum primis in componendis unguentis , ut ex Dioſcoride ſupra jam oſtendimus.

Poſſumus jam certò certius expiſcari genus calami odorati , quod adhiberi , atque adjungi voluit Deus
E reliquis aromatibus in compoſitione unguenti Conſecrationis. quod noſtra cum primis intereſt : ſignificatur enim his verbis. קְנֵה־בֹשֶׂם *qeneh boſem* in ſacris oraculis , id eſt , *Calamus ſuave olens.* quamobrem Deum , accipiendum juſſiſſe conſtat calamum aromaticum , perfectiſſimum , craſſum , breviſſimum , araneo plenum , ex India , vel Arabia Troglodytica petitum , quem Erythræum appellaſſe Dionyſium jam diximus ; quique odore ſuo à longè nares attraheret ; tantamque ſuavitatem ſpiraret ; ut præter reliqua quæcumque genera calami aromatici excelleret. deque hoc genere calami aromatici , intelligendum fore cap. 30. Exodi , ubi Deus Opt. Max. ungu-
F enti componendi normam , & regulam præſcripſit.

CAP. XI.

An Caſia compoſitionem olei Conſecrationis ingrederetur?

Ad locum Exodi 30. *Sume tibi aromata primæ myrrhæ, & electæ quingentos ſiclos, & cinnamomi medium, id eſt, ducentos quinquaginta ſiclos, calami ſimiliter ducentos quinquaginta, caſiæ autem quingentos ſiclos.*

QUARTO, ſacri conſecrationis olei compoſitionem, cum reliquis aromatibus, aliud aroma ingrediebatur; quod, juxta vulgati interpretis ſenſum, *caſia* dicitur. Exod. 30. *Sume tibi aromata* (inquit) *primæ myrrhæ, & electæ quingentos ſiclos; & cinnamomi medium, id eſt: ducentos quinquaginta ſiclos; calami ſimiliter ducentos quinquaginta; caſiæ autem ducentos ſiclos.* at hoc aroma quod noſter interpres caſiam appellavit, hebraicè dicitur קִדָּה *qidah*: ob cujus vocis obſcuritatem, interpretes variè vexati, in diverſas ivere ſententias. In ipſa igitur ſacri olei compoſitione, noſtræque unctionis veſtibulo, varietas interpretum, rei difficultatem demonſtrat; noſtramque imbecillitatem non parum turbat; ut vix certò divinare poſſimus, quid ſtatuendum ſit. nam aliqui unà cum noſtro vulgato interprete, caſiam dixerunt. ita Septuaginta quoque interpretes, juxta interpretationem codicis Baſilienſis; quibus etiam conſenſit Paraphraſis Chaldæa, maximæ auctoritatis, præſertim apud Rabbinos, quam Thargum ipſi appellant. nam vocem illam hebraicam קִדָּה *qidah*, per hanc aliam קְצִיעֲתָא *qetſi gnatha* ſunt interpretati, quæ *Caſiam* ſimiliter ſignificat, ſi interpreti illius paraphraſis credimus. dictum verò fuit hoc aroma Caſia, juxta etymologicum παρὰ τὸ κάσαι, quaſi κοσμῆσαν διὰ τῆς εὐοσμίας τὰς αἰσθήσεις.

Satis pervulgarem plantam caſiam extitiſſe, ſeculo atque ætate Plinii, imò etiam ante Virgilii, nimirum ſeculum, eorumdem auctorum monumenta teſtantur. nam ad ornandos crines, caſiæ uſus introducitur à Virgilio Eclog. 2. quamobrem dixit:

Tum caſia, atque aliis intexens ſuavibus herbis,
Mollia luteola pingit vaccinia caltha.

Quin etiam in apium negotio, & opere, nihil magis conducere videtur, ex Virg. noſtri doctrina, quam Caſia. Adeò enim frequens, atque communis fuit, caſiæ odoratæ uſus; ut ſi de renovandis apibus ſermo eſt lib. 4. Georgic. id ſine caſia nequeat fieri apud Virgilium; qui vitulo prius occiſo, ait:

Sic poſitum in clauſo linquunt, & ramea coſtis
Subjiciunt fragmenta, thymum, caſiaſque recentes.

Apibus verò jam genitis, locus aptus provideatur, ut in dies alvearia incrementum ſuſcipiant. verum in hoc quoque negotio à Caſia recedendum minimè erit, de hoc autem in ſecundo Georg. libro, cum de apibus, alveariiſque ſibi agendum occurriſſet; deque plantis, quibus delectantur apes, inquit:

Vix humiles apibus Caſias, roremque miniſtrat.

Ubi cum quis ſuſpicari poſſet, an de caſia odorata Poëta loquatur; audiendus erit in 4. Georg. libro, de hoc eodem negotio, & alveariis agens, his verbis:

Hæc circum Caſiæ virides, & olentia latè
Serpylla, & graviter ſpirantis copia thymbræ &c.

Ubi ſanè de Caſia odorata Virgilium fuiſſe loquutum, ex atteſtatione Columellæ lib. 3. de re ruſt. cap. 8. attendatur. his enim in laudem Romæ verbis loquitur. *Judæam, & Arabiam pretioſis odoribus illuſtrem haberi* (ſupple manifeſtum eſt) *ſed nec noſtram Civitatem, prædictis egere ſtirpibus* (ſupple conA ſtat) *quippe cum pluribus in locis, jam caſiam frondentem conſpicimus.* de caſia Arabica igitur, quæ nulla alia eſt, ab odorata loquitur Columella; quam cum Romæ quoque haberi affirmet, profectò Poëtam quoque de hac eadem caſia loquutum fuiſſe indubitatum erit: quod de illo genere plantæ proculdubio Poëta loquatur, quæ Romæ tunc habebatur; quam etiam in cibum & nutrimentum apum aptari jubet dicens:

. . . . . paſcuntur & arbuta paſſim,
Et glaucas ſalices, caſiamque, crocumque rubentem.

Caſia igitur odorata, vulgaris Romæ adeò fuit, B cum Virg. ſcriberet; ut magis adhuc vulgarem eamdem fuiſſe apud Ægyptios credere oporteat; cum primis verò, in regionibus illis ad mare Erythræum, ubi Moyſes à Deo, unguenti ſancti compoſitionem didicit. ut ſola ſaltem hujus caſiæ vulgaritas, ab eodem præſtantiam, dignitatemque arcere videatur; ne videlicet inter aromata prima, quæ Deus ſumenda Moyſi præcepit; recenſenda videatur.

Remanet igitur diſcutiendus communis ferè ſenſus, noſtri vulgati interpretis; & aliorum cum ipſo, qui caſiam interpretantur hebraicam vocem קִדָּה *qidah*; ne omnino à communi Interpretum ſenſu receſſiſſe videamur. cujus quidem aromatis plures ſpecies ab C his afferuntur, qui de re herbaria ſcripſerunt. nobis tamen non eſt ſermo habendus de eo genere, cujus uſus eſt in potionibus, ac medicamentis: nimirum de ea, quam appellant *caſiam fiſtulam*, ſive *ſiliquam Ægyptiam, catharticam*, aut *nigram*; neque de ea, quam noſtri herbarii *caſiam ligneam maritimam* vocant: ſed quia in ſacro conſecrationis oleo verſamur, de ea tantum caſia, cujus uſus eſt in unguentis, atque ſuffitibus; quæ dicitur aromatifera, loquendum nobis erit. cujus etiam plura genera tradidit Dioſcorides, lib. 1. cap. 12. quorum primum, prope odoriferam Arabiam, ſeu ἀρωματοφόρον, id eſt aromatiferam, gigni tradidit. Eſt autem hæc caſia odo- D rata, coloris fulveſcentis, & pulcherrimi, ita ut corallium quodammodo æmuletur; cujus etiam ramuſculi ſunt perquam anguſti, longi, craſſi, odorati, & aromatici: poſterius vero caſiæ genus, quod ſimiliter ibidem naſcitur, multò priore pretioſius, atque præſtantius fore affirmat. ſimiliter craſſum, purpureum, & nigricans; odorem vero, quam ſuaviſſimum, roſiſque ſimilem Dioſcorides habere teſtatur.

De his rebus differens Matthiol. in prædicto loco Dioſcor. optimis, firmiſſimiſque rationibus oſtendit; caſiam odoratam, de qua ibi ſcripſit Dioſcor. illud fore genus aromatis, quod vulgo *cannella* Italicè ap- E pellatur; caſiaque odorata nuncupatur. cui etiam ſubſcribit Gaſpar. Bauhin. & Lonicer. in hiſt. plant. unà cum aliis relatis à Bauhino in adnot. ad Matthiolum. Hujus caſiæ odoratæ pleni ramuſculi fruſtulum, à Ferdinando optimæ memoriæ Imperatore, ſe accepiſſe Matthiolus ſcripſit; experimentoque didiciſſe, interni ligni ſaporem, nullum eſſe, qui cum natura ſua tenuiſſimus ſit; adeo cortici inhæret, ut ab illo nulla ratione, ſeparari, aut divelli poſſit. cumque in ſolo cortice, tota hujus aromatis præſtantia poſita ſit; ad hunc habendum, auctore Plinio lib. 12. cap. 29. tale mendacium commenti ſunt veteres. Surculos duorum cubitorum à trunco, F qui eſt lauro ſimilis, præſcindunt: trunco relicto, ad alios progerminandum ſurculos. ſurculos igitur ſic præciſos, intra recens decorticati animalis corium Arabes conſuunt, ſive obvolvunt; ut putreſcente corio, vermes progeniti, unà cum corio, lignum quoque intra corticem clauſum erodant; atque ita præſtantiſſimus caſiæ odoratæ cortex habeatur. quod idem Plinius pariter lib. 12. cap. 29 ubi de caſia egit,

egit, ſcriptum reliquit. Hæc autem commenta mendacia, excogitarunt veteres negotiatores apud Herodotum, ut aromatum præſtantia, atque pretium augeretur; id hodie comprobantibus, qui has ad nos advehunt merces.

Hoc igitur aroma, ſanctam hanc unguenti ſacri compoſitionem ingredi debuiſſe, ex Dei præſcripto, eo affirmaverunt plurimi; quod in noſtro vulgato codice Bibliorum, & in aliquibus aliis tranſlationibus, abſque aliqua alia declaratione caſiam ſumendam fore legatur, ut jam in principio hujus capituli vidimus. Plurima tamen, eaque non contemnenda argumenta, nos ab hoc aromate alienarunt, illudque in primis, quod Scriptores communiter caſiam à cinnamomo; tantum ratione majoris, aut minoris perfectionis diſtinguunt. videantur, & conferantur Scriptores, de utroque aromate diſputantes; præſertim Dalecampius in hiſtor. plant. lib. 28. cap. 36. quamobrem cum cinnamomum, jam ſecundo loco, in hac compoſitione ſumi juſſiſſet Deus; non erat cur iterum, ſub nomine caſiæ illud idem genus aromatis, quarto recenſeretur in loco. Addatur etiam, quod cum quingentos ſiclos aromati hujus, ad compoſitionem ſacri noſtri unguenti, ſumi velit Deus; ut una cum aliis aromatibus in unico olei Hin, ſacrum hoc unguentum paretur; incongruum ſane videbatur mandatum.

Theophr. lib. 9. hiſtor. plant. cap. 5. & Galen. lib. 1. de antidot. ubi tradit caſiam ſæpenumero in cinnamomum tranſmutari; ſe vidiſſe ait eximiæ caſiæ ramulos, omni ex parte cinnamomum referentes, & etiam è contra ſe cinnamomi ſurculos vidiſſe affirmat caſiæ prorſus perſimiles. itaque communi conſenſu Scriptorum nullatenus hæc duo diſtinguuntur, niſi majori, aut minori perfectione. nec iſta caſia apud Arabes, aut Æthiopes habetur; ut Luſitanorum navigationibus compertum eſt; ſed in Zeilam inſula naſcitur; quæ perfectiſſimum dat cinnamomum, ſive caſiam; & in Jaoam, ac Malavar, quæ ſatis imperfectius cinnamomum dat caſia, ſive cinnamomo Zeilami. prius igitur cinnamomum *cannellam* appellarunt negotiatores, qui illam Græcis apud Alexandriam vendebant: quaſi dicerent Amomum ex China delatum, quia Chinenſes ad Perſas illud transferebant. eam Perſæ, *Darchini*, caſiam appellarunt, hoc eſt lignum Chinenſe. illud verò genus caſiæ, ſive cannellæ, quod ex Jaoa, & Malavar adferebatur, imperfectiuſque erat; negotiatores Alexandrini, appellarunt vocabulo Chinenſi, *Cais manis*; quod lingua Malaia, *dulce lignum* ſignificat. duo diverſa nomina, eidem rei, imponentes, in negotiando cum Græcis, ut pretium augerent. cum tamen ſola perfectione, aut imperfectione diſtinguerentur: ut aperte tradunt Luſitani, qui eò navigant; & fuſius Penna, & Garcias probant, ac Dalecampius loco jam citato.

Pretio autem quingentorum ſiclorum; ſive ducentorum, & quinquaginta circiter ſcutorum, præſentis monetæ, tanta caſiæ odoratæ quantitas, haberi potuiſſet, ut ex Plin. loco citato liquet; quanta quatuor olei Hin, ad eam caſiæ odoratæ quantitatem madefaciendam nequaquam ſatis fuiſſent. nam noſtro quoque hoc ſeculo, caſiæ odoratæ, ſive cannellæ, ut vulgo appellatur; ſi quingenti, & quinquaginta ſicli emerentur, illaque in minutos pulveres reſolveretur; proculdubio neque duo olei metra (ſic appellatur menſura olei noſtrarum regionum) totam illam caſiæ odoratæ quantitatem, imbibere valerent. quamobrem ſi quinquaginta olei libræ ſingulo metro reſpondent, nec ſatis fuiſſent: multo minus credibile eſt, unico olei hin id fieri potuiſſe; quod duodecim tantum olei libras continebat.

Videtur etiam huic interpretationi repugnare vox

A ipſa hebraica קדה *qidah.* plantam enim germinantem, non rectè, ſed quadam ſuiipſius inclinatione, à ſuperiori verticis parte ſignificat. ideoque virgultum non admodum elevatum ſignificatum dictione קדה *qidah*, ex phraſi linguæ ſanctæ conſtat. at Caſiam odoratam, quæ *Cannella* vulgò appellatur, arborem, lauro non diſſimilem, cognovimus ex Bauhino in adnot. ad Matthiolum, in commentariis ſupra Dioſcor. & ex aliis Scriptoribus: quapropter Caſia odorata, de qua in noſtra compoſitione, juxta ſacrum oraculum, non procera arbor, ſed humile virgultum erat; quod in ſummo vertice tantiſper inclinabatur; quod de Caſia odorata eſſet affirmandum. quando vox illa קדה B *qidah* eam ſignificaret. quæ quam ab hujus caſiæ natura, quæ *cannella* dicitur, aliena ſint; monumenta illorum, qui de re herbaria ſcribunt, communiter teſtantur. quamobrem à compoſitione noſtri olei Conſecrationis, caſiam odoratam, quæ vulgò *cannella* dicitur; ſecludendam liquido, me judice, conſtat.

Audiantur igitur alii ſacrorum oraculorum interpretes: quorum graviores ex Græcis exemplaribus petendi erunt. ſic enim Græca exemplaria in unguenti compoſitione habent: ϗ ἴρεως πεντακοσίȣς σίκλȣς τȣ͂ ἁγίȣ. hoc eſt, *Et iridis quingentos ſiclos ſancti;* itaque *iris*, juxta hanc interpretationem, quarto in-C grediebatur, ſacri olei compoſitionem: quam quidem de iride interpretationem, Septuaginta quoque interpretes, in exemplari Vaticano retinuiſſe, perſpicuum eſt. Aroma igitur illud, quod caſiam dixit vulgatus interpres, per vocem *Iris* ab his declaratur, quod græcè ſit ἴρεως, & per iſtam vocem, alteram ſunt interpretati hebraicam קדה *qidah.* quam tamen interpretationem, omnino explodendam putamus. nam ſi de communi iride, græca intelligantur exemplaria; quo fundamento hujuſmodi interpretatio retinenda ſit, non video. quamvis enim radix hujus plantæ geniculata, fruſtratim conciſa, & exſiccata, aliquem ex ſe, ſatis ſuavem edat odo-D rem: quin & pulverizata adhuc, teredinibuſque ex vetuſtate corroſa, non minorem, imò odoratiorem ſervet fragrantiam, teſte Dioſcor. lib. 1. cap. 1. dicente: παλαιȣ́μεναι ὑπὸ τερηδονίζονται, εὐωδέστεραι μέντοι τότε γίνονται. hoc eſt, *Inveteratæ quidem teredinibus infeſtantur; & quidem ſuaviores tunc fiunt.* Quamvis igitur, quamcumque ſuavitatem, radicibus his iridis concedamus; attamen neque cum myrrha, calamo, aut cinnamomo conferenda videtur: nec pretioſum aroma hoc affirmare quis audeat. à raritate namque, & odore aromata dignitatem, ac præſtantiam ſuſcipere conſtat: iris verò commune eſt aroma, ut ita dicam, omnibus gentibus, atque natio-E nibus, ut experientia ipſa probatur: & Marcel. Virg. in cap. 1. lib. 1. Dioſcor. præclarè teſtatur. Nec ſolum in calidis, temperatiſque regionibus iridis copia habetur; ſed meliores adhuc iridis radices, atque odoratiores in aquilonari ſolo, ſub frigido cœlo, reperiri ex auctoritate Theophraſti, Celſi, Columellæ, & Plinii probat Marcel. Virgil. Pretioſum igitur aroma, quis illud affirmet, quod minima pecuniarum ſumma, ſui ipſius copiam maximam facit? viliſſimoque venditur pretio? nam Plin. cum egiſſet de præſtantiſſimis aromatibus, pretiumque etiam illorum nobis ſcriptum adnotaſſet; tamen lib. 21. cap. F 7. quamvis odoratiſſimam, ut re vera eſt, iridem dixerit; iridem tamen inter aromata recenſere veritus eſt.

Præterquam quod, cum omnia hæc aromata ad ſacrum hoc unguentum præparandum, unico olei Hin, perfundenda forent, atque madefacienda; & ſolius hujus aromatis, quod iridem iſti dixerunt, ſummam quingentorum ſiclorum emendam juſſerit Deus; qui fieri poſſet, ut unius Hin olei menſura, illius

illius imbibitioni ſatis eſſe poſſet ? nam communi unguentariorum judicio , nec quinquaginta olei menſuræ quingentis iridis ſiclis ſuffeciſſent.

Alii fuere in lingua ſancta non contemnendæ peritiæ , qui ad Theſaurum Sanctes Pagnini notas addiderunt, quique vocem קדה *qidah* per zingiber converterunt: & zingiber dixere, unà cum aliis aromatibus , ſacri Conſecrationis olei compoſitionem , ingredi debuiſſe. Verum allatis jam argumentis pariter rejiciendum arbitror , quod hi , cum aliquibus Rabbinis de zingibere aſſeruerunt. aromaque illud ea voce קדה *qidah* ſignificari cenſuerunt. nam neque Dioſcor. lib. 2. cap. 154. ubi de zingibere egit; neque alii Auctores , quod ego noverim , huic aromati qualitatem aliquam odoratam adſcripſerunt ; quæ aliquam ſuavem fragrantiam expiraret ; aut aromati dignitatem conciliaret. & quamvis ex India, & Troglodytica Arabia adferri, veterum monumenta tradiderint , nihilominus illis ipſis in regionibus , ejuſdem plantæ copia , ejuſdem dignitatem minuit : nam quaſi gramen apud eos ubique naſcitur; ut auctor eſt Marcel. Virgil. lib. 2. in Dioſc. cap. 146. quamobrem non tantum vulgaris eſt planta, verum etiam abjectiſſimi pretii , niſi fortaſſe zingiberis nomine , hi intelligant pſeudocinnamomum , aut xylocinnamomum ; quandam cinnamomi faciem præ ſe ferens. ita de his ſub nomine zingiberis Dalecampius lib. 18. cap. 36. in hiſtor. plant. Decepti fortaſſe ſunt illi , quod Galen. lib. 1. de antidot. eam perfectiſſimam caſiam dicat , quæ *zizir* cognominatur ; à quo Galeni *zizir* , ſuum zingiber illi Auctores hauſerunt.

Cumque ex Dei juſſu præſtantiſſima , necnon etiam digniſſima quæque aromata ſumenda forent , ad componendum unguentum Conſecrationis, ut ex jam dictis argumento ſumpto à præſtantia aromatum , necnon etiam à pretio eorundem , conſtat ; zingiber verò nullo fuiſſe in loco inter ea, etiam ſi eo nomine , pſeudocinnamomum , vel xylocinnamomum intelligeretur , res eſt manifeſta ; rejicitur etiam hæc interpretatio , eo communi argumento , quod ſolius hujus aromatis , de quo nunc noſter eſt ſermo ; quingentos ſiclos ſumi debere cum mandaſſet Deus ; iſto pretio , pecuniarumque ſumma , tanta zingiberis quantitas haberetur : ut ad componendum ſacrum hoc unguentum , olei quadringentæ libræ ; ne dicam duodecim tantum ad menſuram Hin , minimè ſatis fuiſſent ; quæ cum ita ſint, profecto zingiber locum in hac compoſitione habere nequibat.

CAP. XII.

Coſtum, nomine Caſiæ ſignificari in hac compoſitione oſtenditur.

IN interpretatione hebraicæ vocis קדה *qidah* tota hujus loci difficultas poſita eſt. quamobrem in tanta interpretum diverſitate , rationabiliora attendentes , obſervandum cenſuimus , quod noſter vulgatus interpres *Caſiam* , Rabbi Sahadias , *Coſtum* interpretatus eſt. quæ ſanè interpretatio , mihi omnium imperitiſſimo , quammaximè arridet. Verum quænam planta , hodie veterum coſtus dicenda ſit ; adeò ambiguum , ac ſubobſcurum eſt , ut nihil certi de eo ſcriptores de re herbaria habeant. Garzias lib. 1. arom. Indic. cap. 35. *Coſtus* , inquit , *Arabibus dicitur Coſt , aut Caſt ; in Guzarate Vplot , in Malaca , ubi ejus plurimus eſt uſus , Pachoa , & inde vehitur in Chinarum regionem.* Deſcribunt autem coſtum , qui viderunt , ſambuci effigie , & arbuti ,

A aut azimbri magnitudine : azimbri Cluſius Juniperum interpretatur. hæc ex Garzia deſcriptio , planè oſtendit illum ſenſiſſe , non radicem aliquam , ſed lignum Coſtum fuiſſe. Et hoc quidem expreſſe docuit lib. 1. cap. 22. de pipere ſcribens. hæc verò Garziæ de coſto ſententia , Plinio refragatur ; qui diſertè coſtum radicem eſſe dixit ; Dioſcorides pariter, dum ait : *Helenii Comageni radicibus, adulterari coſtum :* planè indicat coſtum non ligni , ſed radicis ſpeciem habere.

Sunt qui Angelicam , nigrum coſtum , ſive Indicum faciant , propter odorem ſuavem , & inſignes vires : ſed non eſt peregrina planta , imò Europæ

B familiariſſima Angelica : parum adſtrictionis habens, neque exulcerans linguam , ut de coſto Dioſcorides voluit : quamobrem alii , Zedoariam , legitimum coſtum eſſe contendunt , ſive zingiber. *Eſt autem coſtus* , inquit Matthiol. *planta ferulæ ſimilis , quam alii zedoariam dixerunt.* putat colligi ex Dioſcor. lib. 1. cap. 15. ſed nihil ibi Dioſcorides in deſcriptione coſti : totus verſatur in diſtinguendo genera, & perfectiores coſti ſpecies ; ſi autem de zedoaria Galeni, Matthiolum intelligere velimus ; Matthioli coſtus idem erit, cum ea planta, quam anthoram communiter appellant, contra venena potiſſimum, maximarumque virium antidotum. ut doctiſſimè probat Matthiol. in cap. 73. lib. 4. Dioſcor. & confirmatur à

C Gaſpar. Bauhino ibidem. hæc autem de zedoaria , aut zingibere Europæis , nulla ratione accipi poſſunt : quod hæc minus odora , minus aromatica , minuſque guſtui grata ſint ; ſecus ac veteres ſcriptores de coſto tradiderunt.

Verius igitur dixerunt alii , paucis abhinc annis radicem , e Syria & Ægypto Venetias advehi cœptam , zedoariæ , aut zingiberis effigie , quam Valerandus Doureus materiæ Medicæ peritiſſimus , verum coſtum eſſe judicavit. Quod ſi non eſt , inquit Penna , quia tamen eximia odoris , ſaporiſque gratia pollet , parem cum coſto laudem mere-

D tur.

Præſtantia verò , & dignitas coſti , non in caule, ſed in radice jacet. quapropter coſtum , quatenus accipitur pro aromate odorato , nil aliud eſt , niſi radix odorata, ut præclarè auctores jam citati tradunt, rationibuſque ſuadent. hebraica autem dictio קדה *qidah* , quæ venit à radice קדד *qadad* , & juxta tradita ab auctoribus Dictionariorum , ſignificat genus arbuſti odoriferi , ſurſum creſcentis , quod in ſummo vertice paululum inclinatur ; aut etiam plantam humilem ; nam קדד *qadad* , eſt *verticem inclinare , humiliare ſe.* cumque qualitates ſignificatæ per hebraicam dictionem קדה *qidah* , coſto quam optime

E competant ; ut ex illius ſimilitudine ad ferulam , & ferulæ figuram , ſatis ex dictis apparet , atque perſpicuum fit ; firmaturque etiam auctoritate Bauhini, dicentis , *Coſtum eſſe plantam non magnæ proceritatis , neque caulem nimis altum emittere , nec etiam nimis erectum , ſed tantiſper inclinatum.* Profecto ex verbis hujus viri, in cognitione herbarum peritiſſimi, quam hæc conformia ſint dictioni קדה *qidah* , nemo non videbit.

Quoniam verò , ut diximus , coſtum ab aliis zedoaria appellatum fuit ; & ex auctoritate Gaſpar. Bauhini in cap. 155. lib. 2. Dioſcor. ex Callecuth Indorum regno , zedoaria quædam ad nos affertur;

F quæ planta cum graminacea ſit; profectò idem quod coſtum , illam ipſe judicat. Hac de ratione , errore fortaſſe ducti nonnulli Rabbinorum , dictionem illam קדה *qidah* zingiber , ut vidimus , ſunt interpretati : quod zedoariam, quæ coſti Syriaci ſpeciem retinebat ; apud Indos appellari ſylveſtre zingiber comperiſſent. Propterea coſtum Syriacum , & Indicum ſimilitudinem zingiberis ſervare teſtantur Dalem-

lecampius lib. 28. cap. 42. & Matthias de Lobel in obſervat. & icon. & radicibus zingiberis : quibus etiam ſubſcribit Cluſius , in Garziam herbarium Lugdunenſem : & alii , quos refert Bauhinus. De hoc fortaſſe zingibere , ſive coſto poſſet interpretari Virgil. lib. 1. Georg. cùm de odorato gramine ait :

Arborei fœtus alibi , atque injuſſa vireſcunt
Gramina , nonne vides croceos ut Tmolus odores ,
India mittit ebur , molles ſua thura Sabæi.

Quia vero coſtum Indicum , Iridis odorem redolet , auctore Bauhino , Cluſio in Garziam , & Taberna Montano relatis Bauhini loco citato ; hinc fortaſſe , in nonnullis exemplaribus Septuaginta Interpr. pro coſto iridem legimus , ex quibus liquido conſtat ; quod licet vocem illam קִדָּה *qidah* , nonnulli zingiber interpretati ſint ; alii iridem , alii verò zedoariam , vel aliter ; omnes tamen non aliud quam coſtum , illis vocabulis ſignificare fortaſſe voluerunt : ut interpretatus eſt ille Rabbi Sahadias , qui etiam , vel ut ſignificaret ſimilitudinem coſti , & zingiberis ; vel quaſi dubitabundus hæſitaret , quid proprie ea voce קִדָּה *qidah* , ſignificaretur ; dixit *zingiber , vel coſtum* ; quaſi diceret illa voce ſignificari coſtum , quod ab aliis zingiber appellatur.

Quod verò uſus coſti eſſet apud veteres etiam falſæ religionis ſectatores ; illoque uterentur in cultum ſuorum Idolorum , ad ſuffumigationes , auctor eſt Ruel. lib. 1. de nat. ſtirp. cap. 32. & colligitur ex Propert. lib. 4. eleg. in eam , quam de ſacrificio inſcripſit ; ubi agens de ſacrificio , & de ſuffumigatione , quæ ad ſacra adhibebatur , deque aromatibus ad illorum uſum ; ad numina propitiandum , ſolius coſti meminit dicens :

Coſtum molle date , & blandi mihi thuris honores.

Nam Diabolus in ſua falſa , ac impia religione ; ſub pietatis ſpecie , Dei verum cultum , & religionem ſemper æmulari conatus eſt. quamobrem ipſe quoque coſtum ſibi in ſuffumigiis adhiberi voluit. quod Deus Optimus Maximus coſtum in unguento ſacro , ſibi parari juſſiſſet.

Coſti varias , atque diverſas ſpecies , conſiderare oportet : ut quænam illarum præſtantiſſima eſſet habeamus ; Deoque pro ſacro unguento parando , juxta illius mandatum obtemperemus. Plin. lib. 12. cap. 12. duo coſti genera prodidit ; nigrum unum , candicans alterum. officinæ communiter Arabes ſecutæ , dulcis , & amari coſti meminere ; quæ diſtinctio , qua ratione ſit intelligenda , excuſandaque , videatur Dalecampius in hiſtor. plant. lib. 18. cap. 42. Avicennæ tres ſunt coſti ſpecies lib. 2. cap. 161. *Arabicus eſt* , inquit , *albus , levis , & aromaticus. Alter eſt Indus , qui eſt magis levis. Tertius eſt amarus , & gravis odoris qui nominatur gariophilata.* Tria autem coſti genera etiam Dioſcor. lib. 1. cap. 15. prodidit. cujus anteſignanus , qui cæteras coſti ſpecies , excellentia , & odore præcellit , auctore cum Dioſcor. Matthiolo ibi , & Bauhino, nec non & Ruell. lib. 1. de nat. ſtirp. cap. 32. eſt coſtus arabicus ; quem candicare , levem eſſe , & eximiam odoris ſuavitatem habere ferunt. de quo fortaſſe loquutus eſt Horat. cum illum appellavit Achæmenium coſtum , id eſt Perſicum ab Achæmene primo Perſarum Rege , teſte Acrone & Herod. lib. 4. à quo omnes etiam Perſarum Reges , uſque ad Darium , originem traxerunt ; ut Plut. etiam in Alcib. lib. 1. ſcripſit , dicens : *οἱ περσῶν βασιλεῖς Ἀχαμένους ἔκγονοι.* quia enim Arabia Troglodytica , dicebatur illa regio , quæ poſita eſt , inter Perſicum , Erythræumque ſinus ; quæ hodie etiam ſub ditione Regis Perſarum degit ; hac de cauſa , etiam coſtum allatum ex regione , nimirum ex Arabia Troglodytica , coſtum Achæmenium dictum fuit ; quod etiam primum inter ſpecies coſti obtinebat locum. Alteram ſedem apud Dioſcor. obtinet coſtus Indicus ; qui plenus eſt , niger , & levis , ut ferula (ſic enim legi debet textus Dioſcor. juxta correctiorem lectionem , & hoc ex ſententia Matthioli.) Poſtremus denique locus , inter coſti ſpecies , aſſignandus videtur Syriaco coſto : quem tradit Dioſcor. gravem eſſe pondere , colore buxeum , & odore ferientem , non verò ſuavem. Hujus plantæ meminit etiam Plin. lib. 12. cap. 12. ſed non videtur agnoviſſe coſtum Arabicum , ſed tantum Indicum : cùm ſolius nigri coſti meminerit ; quod etiam obſervavit Ruel. lib. 1. de nat. ſtirp. cap. 32. ſi enim cognoviſſet Arabicum coſtum cæteris præſtantiorem ; utique de illo aliquid nobis ſcriptum reliquiſſet. Garzias inter recentiores , de re herbaria ſcriptores lib. 1. arom. Ind. cap. 35. unicum coſti genus dumtaxat eſſe tradit : atque ſe perquiſiſſe à negotiatoribus Arabibus , Perſis , & Turcis , an alius quiſpiam Coſtus apud eos naſceretur , & id eos negaſſe : idem percunctatum fuiſſe à Nizamambuchis Medicis ; ſed negaſſe ſe alium coſtum vidiſſe umquam ; quam qui ex India ad eos deferretur. Quod autem tam diverſa nomina , & generum varietatem , atque colorum ſortitus ſit coſtus ; in cauſa fuiſſe putat Garzias, negotiatores, qui ex variis regionibus oriundi erant : cum tamen naſcatur circa Guzarate inter Bengala , Delli , & Cambaya , in Mardon , & Chitor.

Cum igitur tres coſti diſtinctiones nos habere conſtet ; non ſolum odore , ſed etiam calore inter ſe diſtinctas : candicantis nimirum , quem Arabicum dixit Dioſcorides ; nigricantis , quem Indicum eſſe voluit ; atque etiam buxeum coſtum Syriacum ille ipſe tradiderit ; & hujus poſtremi odorem , acutum eſſe , ita ut feriat ; ac pungat ; ipſemet teſtatus ſit. cum tamen Indicum , atque Arabicum , eximiam habere odoris ſuavitatem , atque fragrantiam ; ita ut caput ſtatim tentet ; iidem Auctores ferant : hoc poſtremum coſti genus ad noſtrum Conſecrationis unguentum componendum ; præ ceteris magis accommodatum erit. Nam ob ejus ſuavitatem , atque præſtantiam , uſum incalluiſſe parandi unguenta ex coſto , non minus quam ex caſia , myrrha , & aliis aromatibus , Matthiol. ex auctoritate Dioſcor. affirmat ; & hoc idem Theoph. lib. 9 hiſtor. plant. cap. 7. confirmat. Ad hæc verò accommodatiſſimum illud coſti genus eſſe prodidit , qui candicat , ob ſuam ; qua reliquas ſuperat ſpecies , præſtantiam : quod & Plin. lib. 12. cap. 12. prodidit ; aſſerens coſtum candicantem , reliquis præſtantiorem eſſe , præſertim ſi recens fuerit , ut Dioſcorides dixit. Quo verò recentior ; eo ſuaviorem , atque fragrantiorem , nec non etiam candidiorem eſſe omnes fatentur.

Quanta verò hujus radicis præſtantia , dignitaſque apud veteres fuerit , ſatis , me judice , ex dictis liquet ; & verba Plinii , ubi ſub nomine Iridis coſtum appellat , non obſcurè hoc indicant , dicens : *Radix , & folium Iridis eſt maximo in pretio.* adhuc verò magis dignitatem illius , ex pretio & raritate , expiſcari poterimus. nam Matthiol. in lib. 5. Epiſtol. in epiſt. ad Balthaſ. Myropolam Bononien. de raritate ejus clariſſimum habet teſtimonium ; oſtendens quam ſit difficile repertu. Licet enim hic eruditiſſimus vir , de re herbaria optimè meritus , & numquam ex hominum memoria delendus , duas coſti radices , ſe habuiſſe ſcribat , Arabici unam , Indici alteram : inde tamen non licet argumentum ſumere ad probandum coſtum inter aromata rariſſima , nequaquam fore enumerandum : imò quanti illo faciendum ſit , probatur ; cum etiam Plin. ubi

de coſto egit, ſolius coſti nigri meminerit; quamvis candicantem coſtum agnoverit, & quovis alio perfectiorem eſſe aſſeruerit, non tamen unde afferretur, aut cujus eſſet qualitatis retulit, quaſi de re parum ſibi nota. & Dalencampius loco jam citato, ait: *Nec mirum eſt, ſi ejus loco utuntur adulterino, officinæ procul à Luſitania diſſitæ; quoniam exigua admodum quantitas coſti in Luſitaniam defertur.*

Quod ſi de pretio noſter ſit ſermo, ſexdecim librarum pretium illius fuiſſe, Plinium auctorem habemus, loco jam ſæpe citato: quod quidem pretium, ſi de libris argenteis accipiatur, juxta ea, quæ jam dicta ſunt, & nomine ſicli argenteum ſcutum intelligeremus, centum ſexaginta ſcuti unicam tantum libram coſti Indici attingerent, de quo ibi Plin. loquebatur: & ſiclorum quingentorum pretio tres vix libræ coſti emerentur: ſin autem velimus ſiclum argenteum habere valorem quatuor denariorum argenteorum, quingenti ſicli duo millia denariorum dabunt; ſicque viginti argenti libris habebitur, & hac ſumma quindecim coſti unciæ haberentur. Cum autem coſtus Arabicus, multo Indico præſtantior; & coſtus candidus nigro coſto dignior eſſet, de quo ibi loquebatur Plinius, digniori, atque majori pretio venditum fuiſſe, credere par eſt; quod Iſraëlitis erat ad uſum unguenti Conſecrationis. Si verò de ſiclo æreo locus Exodi accipiatur, quingenti ſicli ærei quinquaginta ſcutos dabunt, dimidiam nimirum argenti libram: cumque juxta Plinii pretium centum triginta, & parum ſupra argenti ſcuti, unciam coſti præſtarent, prædicta ſiclorum ſumma, vix tres drachmæ coſti haberentur, ad ſacrum hoc Conſecrationis unguentum. Quamobrem ſi ex pretio, dignitas etiam atque præſtantia ipſius aromatis requirenda fuerit; ut jam in aliis aromatibus explicandis fecimus: coſti etiam odoratiſſimi, de quo nunc loquimur, excellentia perſpicua habebitur.

Conſtat jam manifeſtè, coſtum illud fuiſſe quartum genus præſtantiſſimi, digniſſimique aromatis; quod unà cum myrrha, cinnamomo, calamoque aromatico ex Dei præſcripto aſſumendum fuit; ad ſacroſanctum oleum, & unguentum conficiendum, pro conſecrandis Sacerdotibus, & omnibus utenſilibus, quæ ad Dei cultum dicanda fuerant. Quia verò plura genera coſti, alterum altero præſtantius ex dictis jam agnovimus; atque ex Dei mandato digniſſima, ac præſtantiſſima quæque aromata ſumenda fuerunt: jure coſtus Syriacus, atque coſtus Arabicus ab hac unguenti compoſitione arcentur; ſicut etiam nigricans, buxeus, atque ſenteſcens coſtus ab ea rejicitur, quod nomine præcipuorum aromatum, illa coſti genera, minimè comprehendantur. quamobrem his relictis, proculdubio coſtum dumtaxat Indicum ſumendum fuiſſe conſtat, huncque candicantem, & cum candore levitatem retinentem, ſuaviſſimi, atque fragrantiſſimi odoris, ut non pungeret, ſed caput tantum ſua ſuavitate tentaret. Inveteratus etiam coſtus, non erat ab Iſraëlitis admittendus; ſed in hac ſacri unguenti compoſitione coſti recentis tantum uſus fuiſſet: ut ſuaviſſimi odoris ſpiritus, in illo magis, ac magis ſervarentur; atque ita divinis mandatis Iſraëlitæ ex debito obtemperantes, ad numinis beneplacitum, ſacroſancti olei Sacerdotalis compoſitionem pararent.

CAP. XIII.

Olei perfectio ad compoſitionem unguenti Conſecrationis monſtratur.

Ad locum Exodi 30. *Sume tibi aromata primæ myrrhæ, & electæ quingentos ſiclos, & cinnamomi medium, ideſt, ducentos quinquaginta ſiclos, calami ſimiliter ducentos quinquaginta, caſiæ autem quingentos ſiclos in pondere Sanctuarii, olei de olivetis menſuram Hin; faciesque unctionis oleum ſanctum.*

QUÆ ſpectant ad elucidationem aromatum, quæ ſancti olei compoſitionem ingrediebantur, pro modulo noſtro, jam abſolvimus. reliquum eſt, pro munere, de oleo quoque, quo potiſſimum hæc ſacra unctio conficiebatur, ſermonem habere; ſacra atteſtante Scriptura, præter illa aromata, etiam oleum olivarum neceſſario requiſitum fuiſſe ad hanc ſancti unguenti compoſitionem. Nec equidem immeritò, nam in unguentis parandis ad delicias, voluptatis cauſa, in quibus aromatum tenacitas, potius odoris gratia quærebatur, quam eorumdem fluxus; oleum quammaximè neceſſarium eſſe, auctor eſt Dioſcor. lib. 1. cap. 29. dicens: χρήσιμον δὲ τοιοῦτον, καὶ εἰς τὴν τῶν μύρων κατασκευήν. hoc eſt, *Idoneum eſt tale*, ſupple oleum, *ad præparationem unguentorum.* Præ cæteris autem generibus oleorum, Venafranum, ad unguenta ſummè commendat Plin. lib. 15. cap. 2. & hoc quia ob ſuam excellentiam, & præſtantiam, unguentis, ſuavitatem præſtet, & odorem augeat. quin etiam Venafranum oleum, & in Venafrano agro Licianum, ab unguentis præſtantiam accepiſſe memorat, dicens: *Principatum in hoc quoque bono obtinuit Italia, toto orbe, maximè Venafrano, ejuſque parte, quæ Licinianum fundit oleum: unde & Licinianæ gloria præcipua olivæ. Unguenta hanc palmam dedere, accommodato ipſis odore.* Poſſumus enim exiſtimare, oleum quodammodo neceſſarium ad odorata unguenta paranda: quia ex auctoritate Plinii lib. 13. cap. 2. odores multo melius in oleo, quam in reliquis liquóribus ſervantur. quamobrem, ut in compoſitione illa unguenti, quam ad conſecrandum tabernaculum, Sacerdotes, & utenſilia divini cultus Deus inſtituit, oleo, ſuaviſſima aromata, ac præſtantiſſima imbibi meritò voluit; idcirco cum de illius compoſitione Deus egit, Moyſi præcepit, dicens Exodi 30. *Sume tibi aromata primæ myrrhæ, & electæ quingentos ſiclos, & cinnamomi medium, ideſt, ducentos quinquaginta ſiclos, calami ſimiliter ducentos quinquaginta, caſiæ autem quingentos ſiclos in pondere Sanctuarii, olei de olivetis menſuram Hin: faciesque unctionis oleum ſanctum.*

Si de olivis pertractare voluerimus, jam ſatis de illis, illorumque generibus variis, cap. 18. lib. 1. egimus: quibus addere poſſumus, quod aliæ ex baccis ab oleaſtro gignuntur; aliæ ab olea; & teſte Marcell. Virgil. in cap. 128. lib. 1. Dioſcor. univerſæ Græciæ, in majori quodam honore fuit oleaſter, quam olea; quamvis hanc, Palladem ſapientiſſimam Deam, illum verò Herculem fortiſſimum heroëm, ad eam attuliſſe gentem fabularentur; ipſiuſque frondibus, primus ipſe coronam acceperit, auctore Plin. lib. 16. cap. 44. olea doctrinarum omnium præclariſſima erat nota; oleaſter campum apertum Olympiacis, atque Circenſibus ludis, monſtrabat. hujus ramis victorum capita coronabantur; illa pacis ſymbolum ſuis Civibus perpetuum præferebat. Sed tamen tantum valet in humanis pectoribus ambitio, honoriſque laus, ut hæc corona præferretur pacis ſymbolo; quamobrem certandi quodam ſtudio, incenſa tota Græcia, oleaſtrum magis quam oleam amavit: plus ex agreſti, quam ex ſativa olea commodi, & honoris ſibi ſperans. Sanitatis, aut curationis innumerabilium vitæ noſtræ malorum, nulla ratione habita; ad quos medendos in tantum oleum juvat, ut illi non minus vita, quam beatior vita debeatur: quod multis, præter quotidianos in ſanitate uſus, morbis, vitiis,

tiis, malis intus, forisque remedio ſit. Ab hiſtamen Athenienſes excipiendi videntur, qui victores non oleaſtro, ſed olea coronabant. Sicuti etiam Romana Majeſtas, quæ magnum honorem oleæ præbuit, equitum turmas, idibus Julii ea coronando, item minoribus triumphis eadem ovantes adornando.

Sed oleaſtro, quo coronabantur Græci, tantum iidem tribuere, ut voluerint corruptibilem illam coronam, poſt mortem longioris vitæ Olympiæ victoribus monumento fore. nos verò longioris vitæ coronam expectantes, etiam in ſacrarum litterarum Olympia decertabimus: ut ex oleaſtro, & olea, petito oleo, quodnam illorum ex Dei præſcripto, ad ſacrum unguentum componendum accommodatum eſſet, intelligamus. Ex utroque genere baccarum, ſylveſtrium nimirum, ac ſativarum, oleum exprimitur; quod nativum & commune appellatur: ea tamen ratione diſtinguuntur, quod oleum ex olivis prioris generis, nimirum ex oleaſtris lectis, quæ nullo cultu, aut humana induſtria gignuntur; omnium oleorum ſqualllidiſſimum fore, teſtatur Matthiol. in cap. 28. lib. 1. in Dioſcor. amarum quoque dixit illud Plin. lib. 15. cap. 6. oleum verò, quod exprimitur ex olivis ſativis, pulchriorem ſervat colorem, perfectionem, tenuitatem, ac pinguedinem ſuaviorem habet, naturaque ſua multo perfectius eſt alio. Duplici etiam methodo, utrumque genus iſtorum oleorum, cum ex baccis exprimitur, ut inde oleum extrahatur, parari ſolet; videlicet, vel ſale commiſceri, vel ſine eo exprimi, ut docet Matthiolus. Oleum tamen ſimpliciter præparatum, multo perfectius eſt; quam quod cum ſale exprimitur. Quibus oleorum generibus jam expreſſis, candorem illis communicari poſſe aquæ ablutione, olearia ars docuit: quamobrem aliud oleum dicitur lotum, aliud verò illotum: & ablutio aliquando non ad candorem oleo præſtandum; ſed ad tollendam tantum illi mordicationem adjungi ſolet. Similiter etiam hæc olei ablutio, vel aqua communi, vel roſacea, aut alterius ſtillatitii generis, fieri conſuevit. Quibus ita conſideratis, reliquum eſt videre, quodnam illorum perfectius exiſtat, quod enim candorem ſine aliquo artificio habuerit; perfectius utique erit, quam quod arte candeſcet. oleum verò candidum, ſive lucidum, non lucido eſt perfectius: & inter lota olea, lotum ſimplici aqua, roſacea loto, multo eſt perfectius; licet hoc odoratius illo. cum enim odorem liquidi humoris ſecum admixti retineat, fieri nequit; quin etiam roſaceæ aquæ ſubſtantia, cui odor ille eſt connaturalis, in oleo adhuc aliquo modo retineatur. quamobrem perfectius erit oleum aqua non mixtum, quam aqua roſacea ablutum.

Agatur nunc de generibus oleorum, quæ ex baccis olivarum ſativarum exprimuntur; quæque cultura & ſtudio gignuntur. nam aliud ex baccis olivarum maturis, & nigris, ſive rubeſcentibus, aliud ex baccis immaturis viriditate præſtantibus, pinguibus, & plenis pingui ſucco exprimitur; ex quibus illud genus olei habetur, quod communi vocabulo *Omphacinum* appellatur. nam oleum ex diverſis præparationum generibus, diverſa ſortiri nomina perſpicuum eſt. Nam oleum omphacinum à communi ſecernitur; quamvis tam commune, quam omphacinum oleum ex olivis exprimatur; & alterum altero perfectius ſit. ideò præter ea quæ jam lib. 1. de variis oleorum ex locis, ubi naſcuntur, generibus, diximus; ut negotium iſtud de compoſitione ſacri Sacerdotalis olei elucidare valeamus; de varia etiam olei præparatione diligenter agamus: & varias oleorum differentias, radicitus, quantum fieri poteſt inquiramus: ut cum perfectiſſimum cognoverimus; eo oleo aromata commiſceantur; atque

A eodem ſacrum unguentum componendum ex Dei mandato cenſeatur. Omphacinum igitur perfectius eſt oleo, quod ex baccis jam maturis, & nigreſcentibus exprimitur: utrumque autem hoc genus olei, nimirum omphacinum, & non omphacinum, vel erit recens & novum, ut muſtum, amurca etiam adhuc conſperſum, vel tantiſper ſedatum; quod quidem multo perfectius erit oleo recenti, cujus feces nondum ad ima deſcenderint, ſed adhuc, cum ipſa olei ſubſtantia circumvolvuntur. Olei igitur omphacini illud perfectius erit, quod tantiſper antiquatum fuerit, & annum non exceſſerit. quod idem ſentiendum eſt de oleo non omphacino, ex
B baccis olivarum jam maturis expreſſo. tantiſper enim antiquatum oleum, recens profectò puritate, atque dulcore excedit.

His de oleo conſideratis, videamus quale oleum, hanc ſancti unguenti Conſecrationis compoſitionem, cum aromatibus, ex Dei præſcripto ingredi debuiſſet. quamvis enim oleum, una cum aromatibus, unguentorum compoſitionem ingrediendo quodammodo corrumperet; quamobrem Virgil. lib. 3. Georg. agens de ſimplicitate vitæ ruſticanæ, deque agricolarum felicitate, ſimulque etiam urbanos abuſus in veſtibus pretioſis, ac uſu unguentorum damnans, inquit:

C *Alba nec Aſſyrio fucatur lana veneno,*
Nec Caſia liquidi corrumpitur uſus olivi.

Ea verò de ratione Commentatores obſervarunt, dictum fuiſſe a Poëta, corrumpi oleum Caſia: quia oleum, dum eſt in ſua ſimplici natura, plurimi eſt uſus ad varia medicamenta pro varietate morborum; quas tamen perfectiones omnes, cum unguentum componit, & aromatibus jungitur, eaſdem oleum perdere perſpicuum eſt: nec illius uſus tunc alius erit, quam ille, ad quem unguentum deſervit. Erat tamen perneceſſarius iſte olei uſus in unguentis, quia ubi plurima concurriſſent aromata, ſine oleo
D haud commiſceri poterant; & ideò ad hanc ſancti unguenti compoſitionem, non ſolum aromata digniſſima, ſed etiam oleum præſtantiſſimum, ex Dei præſcripto ſumenda præcipiuntur. Quamobrem non aliud profectò, quam omphacinum; cum iſtud cæteris perfectius ſit. illudque nec nimis recens, nec nimis antiquatum erit accipiendum; ſed cujus jam quieviſſent feces, quia hoc defecatum dicebatur, non illud. Exprimendum verò hoc oleum omphacinum erat, ex baccis olivæ ſativæ, non ſylveſtris: hoc enim fuiſſet imperfectius illo. & quia lotum, illotum perfectione excedit; niſi illotum naturaliter ex ſe adeò clarum, lucidumque fuiſſet, ut nulla a-
E blutione indigeret; proculdubio ad parandum hoc ſacrum unguentum, lotum oleum accipiendum fuiſſet; ubi lotione oleum indiguiſſet. Lotum, inquam, non roſacea, aut aquis aliquo aromate præparatis, ſed pura aqua abluendum fuiſſet: quia hæc cum non ſit levis uti ſtillatitia, oleoque ratione gravitatis opponatur, eidem commiſceri nequibat; ac propterea oleum nobis purum ac lucidum, naturalis aquæ lotio exhibebit. hocque oleo puro, aromatibus ex Dei præſcripto commixto, ſancti unguenti compoſitio præparabitur.

Aliena verò à ſacris oraculis docere ne videamur;
F aut quæ ſacris Scripturis comprobari non valeant; loca ſingula unde hæc claro argumento colligere poſſumus, expendantur: primumque ſumatur ex cap. 25. Exodi, ubi Deus Moyſi præcepit, ut filios Iſraël primitias Deo offerre jubeat; & explicans quænam rerum genera Deo grata forent, quæque tunc ſibi offerri vellet; olei cum reliquis ad luminaria concinnanda meminit. de quo ſpecialiter agens cap. 27. inquit: *Præcipe filiis Iſraël, ut afferant tibi*

oleum de arboribus olivarum, puriſſimum, piloque contuſum, ut ardeat lucerna. Quem quidem locum jam lib. 1. cap. 18. cum de oleo candelabri ageremus, pro viribus illuſtravimus. Quod autem idem omnino oleum ad luminaria, & ad unguentum præparandum adhiberi debuiſſet cap. 35. Exodi textus aperuit; ubi de his quæ oblata fuerant à Principibus populi, & Patriarchis tribuum Iſraëliticarum agitur. Quas quidem obtuliſſe oleum ad luminaria concinnanda, & ad præparandum unguentum, ſacer ipſe textus prodidit, dicens. *Principes verò obtulerunt lapides onychinos, & gemmas ad ſuperhumerale, & rationale, aromataque, & oleum ad luminaria concinnanda, & ad præparandum unguentum.* Oleo ergo cujus uſus erat ad luminaria, eodem omnino ad componendum unguentum, uti Iſraëlitæ tenebantur. Quamobrem quæ ibi à nobis dicta fuere, huc transferenda erunt: ſatis enim in loco à nobis relato ex cap. 27. Exodi puritas, ac perfectio olei, quod huic unguento adhibendum fuit, expreſſa habentur. Licet enim nihil de oleo hujus, vel illius generis cap. 30. Exodi, in quo de compoſitione hujus ſacri unguenti agitur, tacitè tamen hoc indigitatur; ubi de puritate olei ad ſacras lucernas ſermo eſt.

CAP. XIV.

Myſtica compoſitio aromatum, quibus ſacrum oleum Conſecrationis parabatur.

Ad locum Exodi 30. *Sume tibi aromata primæ myrrhæ, & electæ quingentos ſiclos, & cinnamomi medium, ideſt, ducentos quinquaginta ſiclos, calami ſimiliter ducentos quinquaginta, caſiæ autem quingentos ſiclos in pondere Sanctuarii, olei de olivetis menſuram Hin; faciesque unctionis oleum ſanctum, unguentum compoſitum opere unguentarii.* & ad alia.

EST doctrina ſanctiſſimi Patris mei Auguſtini lib. 3. de doctr. Chriſt. cap. 9. inter ſigna, quæ ultra ſeipſa, alterius etiam rei notitiam in animis noſtris gignunt; præter illa, quæ ab hominibus, & etiam à natura conſtituta ſunt: pariter alia quædam ſigna eſſe, divinitus quidem inſtituta, quæ præter ſpeciem, quam ſenſibus ingerunt, reique notitiam, quam ex ſua natura præſtant, alterius quoque ſupernaturalis doni cognitionem tradunt: hæc verò ſigna, non ſolum nobis Chriſtianæ Religionis ſectatoribus per Dei filium, è cœlo ſunt allata; ſed etiam populo Iſraëlitico per Moyſis miniſterium, divina bonitate tradita fuere. Ea verò vis eſt, atque conditio ſignorum, quæ à Deo immediatè ſunt inſtituta; ut non ſolum ſignificent, ſed etiam efficiant quod ſignificant. Quamvis igitur apud Theologos ſub judice lis ſit, an ſacramenta veteris legis efficerent gratiam, necne; ut videre eſt apud D. Thom. illiusque commentatores 3. par. quæſt. 62. ſanior tamen ſententia eſt, me judice, quæ ſacramenta veteris legis contuliſſe gratiam ex opere operato negat; ut eſt apud Suarez 3. par. tomo 3. diſp. 10. ſect. 1. & 2. Cujus negationis ratio eſt in promptu; quia nimirum illa ſacramenta, gratiam non continebant: cum nondum eſſet ſolutum pretium noſtræ Redemptionis; per quod Deus gratiæ debitor conſtituitur. in Circumciſione, & in aliis ſacramentis, ſaltem gratia, per fidem venturi Meſſiæ alicui conceſſa augebatur, ut Suarez ibidem ſect. 3. concedit: atque propterea ſaltem, modo quodam improprio, affirmare poſſumus ſacramenta illa vete-

A ris legis, habuiſſe vim effectivam gratiæ; quia per fidem Chriſti venturi, illis gratia concedebatur: quamobrem de circumciſione ſcribens Paul. ad Rom. 4. quæ data fuit Abrahæ inquit: *Et ſignum accepit circumciſionis, ſignaculum juſtitiæ fidei.* nimirum juſtificationis. *ut agnoſcerent homines*, inquit Auguſtinus lib. 2. de nupt. & concupiſc. cap. 12. *ex ſigno hoc, ſe juſtificari, fide Chriſti venturi, non operibus.* Quod idem de reliquis ſacramentis veteris legis dicendum erit ex doctrina S. Bonavent. in 4. diſt. 1. art. 1. quæſt. 5. Sancta igitur hæc Sacerdotalis unctio ex meritis Chriſti venturi, Sacerdotibus dignè illam in veteri lege ſuſcipientibus, gratiam vel contuliſſe,
B vel ſaltem eamdem auxiſſe, credendum erit. nam ſacer quoque textus, in illo capite, non obſcurè id aperuit cum ait Exodi 30. *Aaron & filios ejus unges, ſanctificabisque eos, ut ſacerdotio fungantur mihi.* Eſt enim ſanctificare, gratum aliquem reddere ſummo, & omnipotenti Deo.

Nec te deterreat, precor, amice lector; quod uno, & eodem oleo ſancto, utenſilia etiam tabernaculi conſecranda eſſent; quæ proculdubio, ſanctitatis, ac gratiæ omnino expertia ſunt; nec aliqua ratione ſanctificationis gratiæ capacia fieri poſſunt. Etenim oleo ſancto ea liniebantur, non quidem ut gratiam, ſive ſanctitatem reciperent; ſed ut homi-
C nes admonerentur in illorum unctione; ex uſu illorum Deum placari, & gratiam recipi ab his, qui digne illis utenſilibus uterentur. quamobrem in eodem capitulo, cum de utenſilibus ſacris egiſſet Deus, ſtatim ſubintulit, *qui tetigerit ea ſanctificabitur.*

Verum in præparatione unguenti conſecrationis, nihil de ponderibus, & menſuris illorum tradidit Deus; ſed ſolius olei menſuram aperuit; de qua nullus ambigendi locus relinquitur. Cum igitur reliquorum aromatum pondera, & menſura, in compoſitione ſacri hujus unguenti perquirenda, inveſtigandaque nobis ex munere ſint, juxta regulas unguen-
D tariæ artis procedendum erit: quæ in componendis medicamentis, eam ſervat methodum, ut baſim prout finis intenti exigentia poſcit, primum conſtituat; dehinc alia adhibeat aromata, quæ baſim ad finem intentum, adjuvare valeant; vel etiam aromatis, quod pro baſi conſtitutum fuit, vires corrigere, ac moderari poſſint, ſi finis intentus quoquo modo impediretur. denique alia etiam aromatibus adjungi conſueverunt, quæ ratione ſubtilioris naturæ, virtutes medicamentorum in ſe recipiendo, illas pro voto artificis temperarent, corrigerent, atque dirigerent: cujus excipientis locus, in hac noſtra ſacri unguenti compoſitione, oleo committitur; cu-
E jus quantitatem ad unius Hin menſuram, Deus unguenti artifex ſtatuit.

Eſt autem Hin, menſura quædam liquidorum, antiqua in ſacris litteris, quæ duodecim *loghim* continebat; ſed quænam menſura eſſet *logh*; quam liquidi humoris quantitatem contineret; apud auctores non ſatis pro comperto habetur. nam ſanctus Hieronymus, non ſolum pœnitentiæ, ſed etiam ſacrarum litterarum ſplendidiſſimum Eccleſiæ lumen; quoties in ſacris Litteris in hebraico textu לג *logh* legitur; toties ipſe ſextarium interpretatur. At ſextarius juxta doctrinam Fratris Ferdinandi de Eſcalante lib. 7. clypei concion. cap. 25. viginti uncias
F menſurales continebat; quæ decem, & octo unciarum pondus attingunt: quæ quidem decem, & octo unciæ, Hiſpanicam libram habent. quamobrem ſextarius Hieronymi, idem erit cum Hiſpanico *quartiglio*; quam menſuram, olei libram continere certiſſimum eſt. quæ doctrina cum communi Doctorum ſententia ſtat, quæ idem in liquidis לג *logh* putat, atque libram. Et licet alii ſint, qui ſubtilius commenſu-

menſurantes לג *logh* tantam liquidi humoris quantitatem continere dicant; quanta ſex ovorum corticibus contineretur, parum noſtra intereſt. nam cum unico ovi cortici duæ liquidorum unciæ tribuantur; ſex ovorum corticibus, unicam Italicam libram olei contineri certiſſimè conſtat. quamobrem unicus hin, qui duodecim continet *logh*, duodecim olei libras continebit. qua olei quantitate, imbibenda, commiſcendaque erant, ex Dei præſcripto, aromata omnia ad componendum ſacrum Conſecrationis oleum. Aromata autem in difficultate ſunt maxima, cum nihil in ſacro textu, de eorum ponderibus, & menſuris egerit Deus: ſed tantum pecuniæ, ac pretii meminerit, quo emenda fuerant; incertum verò ſit ejus ætatis aromatum pretium; quamobrem, divinandum erit, ut ita loquar, in aromatum pondere inveſtigando: in compoſitione hujus unguenti. *Sume tibi*, inquit Deus, *myrrhæ electæ quingentos ſiclos*. quæ de myrrha electiſſima ſtacte appellata, intelligenda fore, jam docuimus. de cujus pretio ex Plin. lib. 12. cap. 15. ibidem diximus.

Cum autem in medicamentis compoſitis, illud baſis, & fundamenti nomen ſortiatur, quod primo, & per ſe finem intentum ab artifice componente reſpicit; in ſacra hujus unguenti compoſitione, baſis, & fundamentum ut aperiatur; finem tam internum, quàm externum à Deo Opt. Max. intentum, inveſtigare cogimur. etenim ſi finem primarium, ſacræ hujus unctionis quæramus; Sacerdotumque ſanctificationem, per infuſionem gratiæ, vel ejuſdem quoque augmentum dixerimus, à ſcopo, me judice, non aberrabimus: nam ſacer textus ſatis id aperuit, tum dicendo: *unges Aaron, & filios ejus, ſanctificabiſque eos:* tum in illis aliis verbis, *facieſque unctionis oleum ſanctum.* Cum igitur illorum ſanctificationem meditaretur Deus, odoratam quoque compoſitionem meditatum fuiſſe, textus ipſe aperuit ſubinferens: *unguentum* (ſupple facies) *compoſitum opere unguentarii.* Ne obiter, quæſo amice lector, vocabulum *unguentum* percurratur, ſed quæratur quid ſit. *eſt autem unguentum unguinoſum odoramentum*, ut ait Fernel. vir doctiſſimus lib. 4. method meden. cap. 19. ideò enim aromata odorata oleo commiſcentur; ut oleum vim odoratam excipiat. nam hæc auctore Fernel. ibid. cap. 7. non modo oblectant; ſed & corroborant, & corporis ſpiritus vehementer reficiunt; animumque exhilarant. ut ſpiritus igitur Sacerdotum reficeretur etiam ad res ſupernaturales, exhilarareturque ad ſerviendum Deo in lætitia; hinc odoratiora, & digniora aromata, quale eſt ſtactes, pro ſacri hujus unguenti compoſitione, ſumenda præcepit Deus.

Verum ad gratiæ infuſionem, vel augmentum revertamur; quam primo, & per ſe à Deo intentam fuiſſe diximus; quæque ſine fide, omnino negatur; juxta doctrinam Apoſtoli, *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo.* quia verò tanta fidei claritate Summi Sacerdotis animus, aliorumque etiam minorum Sacerdotum mentes illuſtrari debuere, ut quodammodo Angelos æquarent, juxta illud Malach. 2. dicentis: *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem ex ore ejus requirent, quia Angelus Domini exercituum eſt;* idcirco myrrha pretioſiſſima & digniſſima, baſis, ac fundamentum hujus unguenti Conſecrationis tenere debuit; quæ ſuo odore cerebrum recreat, ſupervacuos humores abſtergit, & abſorbet; auctore Fernel. lib. 5. cap. 19. cumque, ut idem auctor tradit lib. 19. cap. 12. cum amaritudine ſumma, tenuis ſit ſubſtantiæ, potentiſſimè extergit, albugines tollit, caliginem diſcutit, & ſcabritiem levigat. quæ quidem ſtactes conditiones, quam ſint accommodatæ ad ſignificandam claritatem fidei, requiſitam in Summo Sacerdote, & aliis ſacrorum mini-

A ſtris, nemo non videt. taliter equidem ab omni ſcabritie Sacerdotis mens aliena, tanto etiam lumine illuſtrata eſſe debet; tamque ab omni velamine, aut caligine munda; ut ſi quando dubitatio aliqua in populis oriretur de doctrina fidei, pietatis, ac religionis, Sacerdotem Summum conſulendum juſſerit Deus.

Verum quia charitate Sacerdos fervere debet, ut muneris ſui munia proſequi valeat; propterea cinnamomum Deus myrrhæ addi juſſit. nam myrrha licet in ordine calidorum ſit ex Dioſcor. lib. 1. cap. 75. tamen eam non habet caloris copiam, ut ferve-
B at, niſi aliquo alio aromate juvetur. ineptè igitur ſatis Sacerdos legis, & doctrinæ notitiam aliis præſtare poterit; niſi à ſordibus quoque cordis, ventriculo purgato, charitatiſque calore roborato; primus ipſe legis, & pietatis doctrinam concoxerit. Eſt enim cinnamomum calidum in tertio ordine calidorum, & ex doctrina Fernel. lib. 5. cap. 21. putredinem exſorbet, ad venena eſt utile, excalefacit, adſtringit, roborat ventriculum, & concoctionem juvat. quamobrem quam iſtud aroma accommodatum ſit ad ſignificandum conditiones requiſitas, ad Sacerdotis munia, res ipſa declarat. Purgare enim illi expedit cordis ventriculum, charitate, divinæque dilectionis ardore corroborari; ut pietatis doctri-
C nam ſibi divinitus communicatam concoquere valeat; & reliquis quoque membris ejuſdem corporis, cujus ipſe eſt caput, communicare queat: ut fidei claritas per myrrham eidem communicata, cinnamomi efficacia, ac virtute ferveat.

Doctrina autem ſana, in ventriculo ſacerdotalis cordis minime concoqueretur; ni hydrops ille vitiorum, ſuperbiæ nimirum ac temulentiæ, omninò ſanaretur; ſitiſque rerum humanarum, honorum, atque dignitatum inextinguibilis tolleretur: propterea aliud quoque aroma, quò iſta ſanarentur adhibere neceſſe fuit; ut priora aromata, myrrha nimirum, & cinnamomum alterius viribus juvarentur: idcir-
D co calamum aromaticum adjungi Deus præcepit. Ea enim eſt calami aromatici vis, auctore Fernel. lib. 5. cap. 24. ut leviter adſtringat ventriculum, & hepar excalfaciat, atque roboret, hydropemque ſanet. divinæ namque gratiæ virtute, conſuetudo peccandi neceſſario fuit tollenda; quæ eſt hydrops, fidei lumen obnubilans; & cor, tum à receptione, tum à concoctione ejuſdem maximopere impedit: voluit verò Deus effectus hos divinæ gratiæ, in Sacerdote ſignificari, calamo aromatico, qui unguentum hoc ingrediebatur.

Nec mirum videri debet, Deum coſtum, prædictis jam aromatibus adjunxiſſe. non enim Sacerdo-
E ti ſufficit; intellectum lumine fidei illuſtratum habere; ad cognoſcendum, & penetrandum divinæ legis arcana: ſicuti nec etiam ſatis eſt ſtomachum calore roboratum, ad legis divinæ doctrinam, & pietatis ſcientiam concoquendam habere; cor voluntatemque ardenti charitate inflammatam ſervare; etenim adhuc in Sacerdote remanet deſiderandum; ut cœleſtis doctrina, divinarum rerum fœtus, piorumque operum, ex concepta Dei, & proximi dilectione, partus edat: quos edere minime poterit, niſi conceperit; ut autem tam conceptum, quam partum iſtum ſibi gratum inſinuaret Deus; prædictis aromatibus coſtum adjungi juſſit. coſtus enim,
F auctore Fernel. lib. 5. cap. 26. impurum uterum expurgat, tum potu, tum ſuffitu, & ad concipiendum maxime juvat. Volebat igitur bonus Deus, ſacra hac unctione, Sacerdotis intellectum fide illuminatum, ſignificare; charitate & gratia inflammare, atque ſanctificare: & demum ad pia opera edenda potiſſimum præparare; volebat demum Sacerdotum munera aperire; præſtantiſſimiſque illis

aro-

aromatibus , quales virtutes in ipſis , ipſe deſideraret inſinuare.

Miraberis fortaſſe Lector , maximam horum aromatum calliditatem , quodque quatuor communes medicamentorum gradus caloris , excedere videatur; quamobrem regulas ex præſcripto artis unguentariæ, tranſgreſſam eſſe hanc compoſitionem videatur. Sacerdotum dignitas intueatur quæſo qualis , ac quanta debeat eſſe. de rebus Fidei cognitio in Sacerdotibus contempletur. de his enim dicebat Petrus , *Parati eſſe debemus , rationem reddere ejus , quæ in nobis eſt fidei , & ſpei.* conſideretur quanta in Deum , & proximum charitate fervere , Sacerdotis pectus debeat. quamobrem Paul. ad Timoth. in cap. 6. dicebat , *ſectare juſtitiam , pietatem , fidem , charitatem , patientiam , manſuetudinem , &c.* perpendatque Lector quos pietatis fœtus Sacerdos edere debeat. Paul. enim ad Titum cap. 2. de hoc dicebat : *In omnibus te ipſum præbe exemplum bonorum operum , in doctrina, in integritate , in gravitate , verbum ſanum , & irreprehenſibile : ut is qui ex adverſo eſt vereatur, nihil habens malum dicere de nobis.* Hæc omnia ſi mente revolvantur , amice lector , animoque à nobis Sacerdotibus agitentur ; ſummam calliditatem , excellentiamque ſacri hujus unguenti nequaquam admirabimur ; quin potius aperte cognoſcemus , quid Deus in his aromatibus ſignificare voluerit ; & divini placiti intentum aſſequemur. Sacerdotem nimirum teneri , in omnibus perfectionibus , atque virtutibus , communem , vulgaremque terminum tranſcendere, communeſque ſanctitatis limites excedere , ni muneri ſacerdotali deeſſe velit : juxta doctrinam Auguſtini in regula , *quanto quis in loco ſuperiori , tanto in periculo majori verſatur.* Diſcant Sacerdotes timere , & certo ſciant ſe acrius à Deo puniendos , ſi peccaverint. id enim ſtatim poſt unctionem , filiorum Aaron , Nabal , & Abiu Deus aperuit , cum enim proprio incumberent miniſterio , parumque defeciſſent ; illicò egreſſus ignis à Domino , eoſdem repentina morte mulctavit. Cur verò adeò in amicos ſævierit Deus , teſtatus eſt , dicens : *Sanctificabor in his , qui appropinquant mihi.* utinam aliorum ruina edocti , noſtræ ſaluti conſulamus.

CAP. XV.

Compoſitio ſacri Conſecrationis olei docetur.

Ad locum Exodi 30. *Sume tibi aromata primæ myrrhæ. & electæ quingentos ſiclos , & cinnamomi medium , id eſt , ducentos quinquaginta ſiclos , calami ſimiliter ducentos quinquaginta , caſiæ autem quingentos ſiclos in pondere Sanctuarii, olei de olivetis menſuram Hin; facieſque unctionis oleum ſanctum , unguentum compoſitum opere unguentarii.*

PONDERA aromatum , quæ ſacrum Conſecrationis oleum ingrediuntur , nihil expendere profuiſſet , niſi ad artem unguentariam , hæc ipſa redigerentur. ſic enim omnibus numeris completa , abſolutaque divinæ unctionis, noſtrique Conſecrationis olei cognitio præſtabitur. hanc ipſemet hujus Compoſitionis Artifex ſummus , in ſacro textu breviſſimis verbis præclarè inſinuavit , loco jam ſæpè citato , dicens : *Facieſque unctionis oleum ſanctum , unguentum compoſitum opere unguentarii.* Ex quibus perſpicuum eſt , quid , & qua etiam arte , ſacrum hoc oleum componendum eſſet. quamobrem ex regulis aromatariæ , ſive unguentariæ artis , ſacri hujus unguenti componendi methodum expiſcari tentabimus.

A Verum ne aliquid intactum relinquatur ; quod ad hujus ſacri olei exactam cognitionem , quoquomodo nos conducere poſſit ; cum duo habeantur vocabula in hebraico exemplari , quibus componendum aperitur שֶׁמֶן *ſcemen* , nimirum & illud aliud רֹקַח *roqach ;* & priori ſignificetur oleum , poſteriori verò compoſitio odorata ; perſpicuum ex his eſt , componendum ex his odoratum quemdam liquorem , non quidem inſpiſſatum, ſed fluentum ad inſtar olei; quem unguentum appellavit ſacer noſter Interpres. quamobrem ut rei notitia habeatur , unguenti vocabulum , quaſi ab ovo eruendum erit. Unguentorum itaque ſignificatio ſi hac noſtra ex ætate atten-
B datur ; medicamenta ex variis aromatibus , herbis , præſertimque oleis condita appellari conſueviſſe, certiſſimè conſtat. quæ unguenta à Medicis , ac Chirurgis ad medendum humana corpora inſtituta ; diverſitatem nominum ſortiuntur , à diverſitate , ac varia vulnerum , atque infirmitatum natura ; quæ unguentis ipſis tollenda , atque medenda erunt. quamvis ſi rebus nomina reſpondere debeant ; hæc medicamenta , ut præclarè Gaſpar. Bauhin. in cap. 41. lib. 1. Dioſcorid. obſervavit ; potius myrrhocopa , quam unguenta dicenda fuiſſent.

Antiquitus autem , ut teſtis eſt Dioſcor. loco citato , & Galen. lib. 6. ſimplic. medicam. & Mat-
C thiol. in cap. 42. lib. 1. Dioſc. unguenti vocabulo , olea aromatibus condita appellabantur , quibus corpora irrigabantur ; ut eorum odore vires animales recrearentur , ſicuti etiam nos in primo noſtro Myrothecio diximus. Licet verius rigoroſo vocabulo , quæ ex ſolis aromatum ſuccis condiebantur compoſita ; unguenta propriè , rigoroſèque appellarentur ; quæ nimirum ex arborum fructibus, aut diverſarum herbarum ſeminibus , aut ſtirpium reſinis , aut alia re hujusmodi in oleaginoſum liquorem extrahebantur ; vel aromatibus , odoris gratia , condiebantur: in qua ſignificatione, etiam juxta vetus unguentariæ artis inſtitutum , nos quoque de oleo ſacro Conſe-
D crationis loquimur in præſens, unguentumque illud, oleum dicimus ; in quo odoris gratia aromata imbibita fuerint. in quo pariter ſenſu intelligendus eſt textus ſacer ; quoties unguenti nomine , de ſacroſancta hac compoſitione , ad ſacerdotalem unctionem , ſacrorumque utenſilium conſecrationem meminerit.

Methodus hujus compoſitionis , ex unguentaria arte , juxta illius regulas , aromatibus primo præparatis , petenda erit. quamobrem cum ſtacte , ſeu myrrha primo ſeſe offerat , tamquam baſis , fundamentumque ſacræ hujus compoſitionis ; dubitandi locum præſtabit , olei myrrhæ diverſa apparandi me-
E thodus. ſiccatis namque gallinarum ovis , & eo uſque jam decoctis , quouſque duritiem contrahant; ſi mox per medium ſciſſa , vitelliſque extractis , loca media & vacua , ſtacte , ſeu myrrha pulverizata repleantur ; ſtacte ipſa , ſeu myrrha in oleum liqueſcit ; qui liquor myrrhæ oleum dici conſuevit. Liqueſcet verò myrrha , ovis ipſis humido in loco ſervatis. Eſt & alia hujus olei parandi methodus ; myrrha nimirum , ſive ſtacte pulverizata , atque in oleum infuſa ad malagma conſpiſſandum. ex hoc enim malagmate , ſi humor exprimatur ; oleum quod myrrhæ , ſive ſtactes dici ab aliquibus conſuevit ; proculdubio exſudabit. Olea enim quæ aromatibus ,
F herbis , aut aliis rebus componuntur : vel expreſſione , vel ignis concoctione parantur ; aut ſolius Solis calore extrahuntur ; quæ quidem olea , inſolata appellari mos fuit. parantur autem hæc olea inſolata florum , aut germinum, ſurculorum, radicum , aromatum , & aliorum hujus generis infuſione in oleum , quod per aliquod temporis ſpatium , in Sole dimiſſum fuerit. Myrrhæ quoque oleum aliquando hac

hac ratione parari, auctor eſt Dioſcor. lib. 1. cap. 51. in compoſitione olei Suſini, & cap. 52. cum de oleo Narciſſino ageret, & cap. 61. ſcribens compoſitionem olei Mendeſini. Aliquando myrrha pulverizata, vino imbibenda fuit, ad parandum oleum; quemadmodum in compoſitione olei Cyprini contingit. ut ex eodem cap. 54. & 55. conſtat de oleo Irino agente. Adhibebatur verò vinum ad vaſa illinienda, in quibus unguenta concoquebantur, & illa olea ebulliebant. Mel quoque ex præſcripto artis addebatur; ut ab aromatum pulveribus commixtis, atque in offulas diviſis, oleum extraheretur. id accepimus loco cit. cap. 63. cum de oleo cinnamomino agitur. & cap. 57. ubi de oleo amaracino ſermo eſt. Cum igitur multipliciter, oleum myrrhæ parari poſſet, inquirendum ſub judice remanet, quænam ſervaretur methodus in hac ſacri unguenti compoſitione. Dicimus igitur, ut compoſitionis methodus, quantum fieri poteſt, perſpicua fiat, omniſque ambiguitas evaneſcat, oleum myrrhæ jam in albuminibus ovorum liquefactæ, ab hac ſacri unguenti compoſitione omnino arcendum. Nam divino præcepto ſtatuitur, myrrham ad ſacri unguenti compoſitionem, accipi debere, non oleum myrrhæ; quale illa liquefactio communiter appellari ſolet. Nec etiam arbitror myrrham fuiſſe pulverizandam, atque melle redigendam in offulas, ut his in oleum injectis, oleum ſic aromatizatum extraheretur. nam mel à ſacris à Deo præſcriptis, omnino prohibebatur. quod etiam de vino aſſerendum cenſeo; quod vinum non neceſſario, horum unguentorum compoſitionem ingrederetur. Nam ſi Deus, mel, aut vinum, ad hujus unguenti compoſitionem adhiberi voluiſſet; utique quemadmodum olei, & aliorum, quæ hanc ſacri unguenti compoſitionem ingrediuntur, illa quoque expreſſiſſet. nam, me judice, ſatis nequaquam fuiſſet dicere, unguentum iſtud arte unguentarii componendum fore; ſic enim libertati artificis relinquebatur, vino, melle, oleoque uti, aut non uti: quia ut diximus, nec vinum, nec mel omnino, nec oleum olivarum neceſſario requirebantur. potuiſſet enim oleo, ex myrrha prius extracto, huic addere reliqua aromata. Cum igitur ſolius olei Deus meminerit, non mellis, nec vini: & hæc ad regulas unguentariæ artis, pendenda forent; profecto excludenda ab hac ſacri unguenti compoſitione mel, vinumque omnino fuerunt. Solius igitur myrrhæ præſtantiſſimæ, ſeu ſtactes in oleo pulverizatæ uſus relinquitur; ut oleum extractum, unà cum aliis aromatibus imbiberetur; atque his ea ratione pulverizatis, ſacrum unguentum componeretur. Uſus cinnamomi inquiratur, quod in ramuſculis haberi, jam ſupra oſtendimus, cap. 9. ramuſculorum verò uſus, in arte unguentaria, duplex eſt methodus, nimirum pulverizatione, & tunſione. Quod ſi tunſione aromaticorum ramuſculorum uſus fuerit, aqua aliquantum perfundebantur, ut Dioſc. lib. 1. cap. 42. docet; ubi roſacei unguenti compoſitionem aperit; deque junco odorato ſermonem habet. Et cap. 55. compoſitionem unguenti irini docens, præparationemque ligni balſami, quod roſacei unguenti compoſitionem ingrediebatur; etiam hoc tundendum tradit. Cap. quoque 57. agens de unguento Amaracino, junco odorato, & calamo aromatico inſpiſſando, hæc quoque ex ejus dictis videntur tundenda: niſi fortaſſe velit hujuſmodi ligna pulverizanda fore; quod etiam alia methodo in ramuſculis odoratis, veteres unguentarii utebantur: præſertim cum Dioſcor. in hoc poſtremo loco doceat, hujuſmodi tunſiones, eatenus in mortario fieri debere, quatenus ea cribranda ſint. quod fieri nequiret, ni prius pulverizata tunſione, vel lima illa ipſa aromata fuiſſent. quemadmodum de cinnamomo, in

A componendo oleo Amaracino cap. 57. lib. 1. Dioſc. docuit. Cum igitur iſtud aroma, quod cum aliis in compoſitione noſtri Conſecrationis olei, ad offas, ſolius olei miniſterio, conficiendas ſubigendum fuiſſet; utique etiam pulverizandum; nam alias in offulas redigi minime potuiſſet, aut oleo imbibi.

Calamus odoratus in genere cannarum, ſive arundinum reponitur: propterea proculdubio contundendus, ac frangendus primo, ſicque fractus, atque contuſus, ad oleum inſpiſſandum, eodem imbibendus fuit. quemadmodum Dioſcor. cap. 42. primi libri in compoſitione olei roſacei, & cap. 46. in
B compoſitione olei telini docuit. aliquando verò, non ſtatim ac confractus fuiſſet calamus oleo immiſcebatur; ſed antequam oleo commiſceretur; vino imbibebatur, ut idem docet cap. 51. agens de oleo Suſino; & cap. 52. agens de oleo Narciſſino; & cap. 56. agens de oleo Glaucino. Sed quia, ut jam diximus, vinum ab hac unguenti ſancti compoſitione, alienum arbitramur: hinc ſolius fractionis, contuſioniſque calami aromatici uſum, in hac compoſitione unguenti admittimus. quo fracto, atque contuſo, oleo ipſum ſtatim imbibendum arbitror; & eo inſolato, vel cocto, inde ab oleo, calamum odoratum extrahendum fuiſſe cenſeo; ut in oleo illo calami aromatici virtute relicta, poſtmodum eodem in
C oleo, reliqua aromata perfunderentur. Coſtum ſimiliter, cujus virtus in radice poſita erat, in pulverem redigendum, ac denique in offulas diviſum, ex præſcripto artis, ad hujuſmodi unguenta componenda parari ſolitum Dioſcor. cap. 56. auctor eſt: de unguento Glaucino agens, in quod coſtum ingrediebatur: & cap. 57. agens de unguento Amaracino, in cujus ſimiliter compoſitione, coſtum locum habebat. ratione tamen interdicti à Deo vini, & mellis, à compoſitione quam præ manibus habemus; potius coſti offulæ rejiciendæ erunt: nec coſtum niſi pulverizatum, & oleo imbibitum unà cum
D aliis aromatibus ſimiliter pulverizatis, compoſitionem hanc ingredi potuiſſe, arbitramur: ut ſanctum hoc oleum Conſecrationis ritè perficeretur.

Cujus autem artis eſſet hoc oleum parare, Deus declaravit, dicens, opere unguentarii parari debere. non quidem illius unguentarii, qui medicamenta ad curandum vulnera parat; ſed ejus, qui aromata odoris de cauſa commiſcet, oleaque odorata conficit. præclarè hoc expreſſit textus hebraicus his verbis רֹקַח מִרְקַחַת מַעֲשֵׂה רֹקֵחַ שֶׁמֶן *roqach*, *mirqachat*, *magnaſeh roqeach*, *ſcemen.* id eſt, (ſupple & facies illud oleum) *pigmentum pigmentationis opere* (id eſt arte) *pigmentantis oleum.* vox enim hebræa מִרְקַחַת *mirqachat* propriè ſignificat pigmentationem naribus gra-
E tam, & odoratam. quæ ars antiquitus dicebatur Myropolica; & hujus artis magiſter Myropola. cujus artis illa erat pars præcipua; ut odores componeret, & unguenta ad corpora recreanda præpararet: ut ex Plaut. in Caſſ. liquido conſtat, dum ait:

Myropolas ſollicito omnes, ubicunque unguentum lepidum.

Quamobrem myropolium, unguentaria taberna dicebatur. Myropolica itaque arte, ejuſve regulis, ac præceptis, hoc ſacrum, præſtantiſſimum, & odoratiſſimum unguentum componendum fuiſſe, ver-
F ba ipſius ſacri textus indicant.

Sacræ igitur hujus compoſitionis olei methodus hæc erit; ut ſumpto unico olei omphacini Hin, quæ menſura olei libras duodecim capiebat; ejus quidem puritatis, atque perfectionis, ut nulla indigeat lotione: prius aliquantulum oleum aromatibus, ex regulis artis inſpiſſari oportebat; ut paulatim odores, & aromatum vim admitteret: propterea in id oleum

calami odorati diligenter fracti, & contuſi primum duæ drachmæ immittendæ erunt; ſpatioque aliquorum dierum in oleo relicto calamo, donec in oleo omnino maceraretur; interim tamen ſæpius interdiu ſpathula aliqua oleum cum calamo commiſcendo, ut tota ſubſtantia, & virtus odorata calami aromatici, eidem oleo communicaretur. Quibus ritè peractis, ut totum hoc malagma olei, & calami aromatici inſpiſſaretur, in balneo maris tantiſper malagma concoquendum fuit, quouſque aliquam modicam craſſitudinem oleum contraheret; dein oleo colato, tota ejus malagmatis, oleique ſubſtantia in vaſe recepta, eidem reliqua aromata pulverizata, diligenterque cribrata, ſigillatim commiſcenda erant: nimirum ſtactes præſtantiſſimæ libra dimidia, cinnamomi drachmæ unius quarta pars, coſti verò drachmæ tres ſumerentur: oleum vero quod admittere debuit odores, & juxta regulas artis in hac ſacri unguenti compoſitione excipiens appellatur, triplam ad minimum proportionem ad totum compoſitum haberet. quod alii diligentiores juxta regulas artis pigmentariæ, rectius conſiderare poterunt, & horum aromatibus dotes præſcribere: quibus in omnibus me remitto.

His igitur aromatibus oleo infuſis, malagma dimittendum fuiſſe arbitror, per aliquod temporis ſpatium, vaſe quamdiligentiſſimè clauſo, interim interdiu ſæpius aliqua ſpathula, aromata, & oleum commiſcendo, movendo, atque pertentando, ut aromata illa emolleſcant; oleumque, illorum aromatum virtutem, & qualitatem odoratam ebibat: tandem malagma, illudque inſpiſſamentum iterum concoquendo, non ad carbonum ignem, quia eſt nimis efficax, & virtus odorata illorum aromatum forſitan evaneſceret; ſed in balneo maris, quouſque benè, & optimè oleum aromatizetur, & omnem illorum aromatum ſubſtantiam, ac virtutem excipiat. hanc ut ebiberit, coletur oleum, & torculari, vel aliquo alio inſtrumento, unà cum oleo tota illorum aromatum ſubſtantia expreſſa, oleum, & unguentum ſanctum habebitur, ut puto, quod Deus fieri Moyſi præcepit; quo Sacerdotes conſecrarentur, & reliqua quoque utenſilia, divino cultui manciparentur. Quæ quidem compoſitio unguenti, quantum laboris nobis fuerit; illud ſit argumentum, quod Medici, Aromatarii, Unguentariique munera à nobis alieniſſima obeunda fuerunt: & de unguento egimus, de quo nemo alius adhuc egit; nulloque duce, invia perambulavimus ſacræ Scripturæ loca, quæ à nobis dicta, ſi Lectori benevolo probari comperiemus, nobis quoque probata erunt, ſi quis verò rationabiliora ingenioſè excogitaverit, nobis probata certo teneat.

CAP XVI.

Quanta religione, ſacrum Conſecrationis oleum colendum juſſerit Deus.

Ad loca Exodi 30. *Filiis quoque Iſraël dices; hoc oleum unctionis ſanctum erit mihi, in generationes veſtras, caro hominis non ungetur ex eo, & juxta compoſitionem ejus non facietis aliud; quia ſanctificatum eſt, & ſanctum erit vobis. homo quicunque tale compoſuerit, & dederit ex eo alieno, exterminabitur de populo ſuo.* Exod. 19. *Hæc dices domui Jacob, & annunciabis filiis Iſraël*, &c.

UTinam excellentiam, dignitatemque ſacri conſecrationis olei; quam ex aromatum præſtantia expiſcari tentavimus, aſſecuti ſimus, quod tamen ubi ex voto minime contigerit, ſaltem noſtri ingenioli terminum, ea in re declaranda, aſſecutos eſſe, fateri minime verebimur: dabit Deus, ut alii perſpicaciori lumine donati, in his elucidandis, ſagittam ulterius à me jaciant, ſcopumque fortiùs attingant. Nunc noſtri eſt muneris ejuſdem ſancti olei dignitatem ex religione quærere, qua illud revereri juſſerat Deus cap. 30. Exodi, qui cum ibidem ejus compoſitionem inſtituiſſet; de religione, qua ab hominibus ſanctum hoc oleum venerari cupiebat, agens; ſic Moyſem alloquitur: *Filiis quoque Iſraël dices. hoc oleum unctionis ſanctum erit mihi in generationes veſtras: caro hominis non ungetur ex eo, & juxta compoſitionem ejus non facietis aliud; quia ſanctificatum eſt; & ſanctum erit vobis. homo quicumque tale compoſuerit, & dederit ex eo alieno, exterminabitur de populo ſuo.* Loci hujus explicatione, ſacri olei reverentia conſideranda occurrit; cum primis verò id pendet ex ſupra poſitis verbis, quærendo an verba illa, vim præcepti teneant; & divini præcepti tranſgreſſor cenſendus fuiſſet, quicunque unguentum huic ſimile confeciſſet; vel eo uſus fuiſſet; ſive extraneis tale unguentum præſtitiſſet. hæc enim tria allato à nobis jam loco complectuntur.

Exiſtimare fortaſſe aliqui potuiſſent; verba illa, præcepti vim nequaquam habere; cum non pronuncientur per verbum imperandi צִוָּה *tſivah*; quod propriè *præcipere*, ſeu *mandare* interpretatur: & eſt perſonæ auctoritatem, ac poteſtatem habentis. Cum igitur locus allatus, decretumque jam poſitum, de cultu ſacri conſecrationis olei, per verbum דִּבֵּר *dibber*, quod *alicui loqui*, cum aliquo *ſermonem habere*; aliquid alicui *dicere*, verè & propriè ſignificat; videbantur loca allata, à vi præcepti aliena eſſe. ſic enim hebraicus textus habet וְאֶל־בְּנֵי יִשְׂרָאֵל תְּדַבֵּר *vehel benè Iſraël tedabber*. hoc eſt: *& ad filios Iſraël loqueris*. intelligentiam verò hujus loci, maximè dubiam facit illud verbum *loquor*. nam ſi concedere velimus, quod quicquid in Scripturis ſacris per verbum, *loquor, loqueris*, exprimitur; vim præcepti habeat; plurima, eaque innumerabilia in Scripturis ſacris, præcepta aſſignanda forent; quæ omninò, vi præcepti carere, communis Eccleſiæ, Interpretumque ſenſus monſtravit. Quin ipſamet divina oracula id commonſtrant. quoties enim Moyſes, aliquid ad populum, Dei nomine, afferebat; toties hac dicendi phraſi, illum locutum, ſacra oracula teſtantur, quod cum ſæpe, atque ſæpiſſime legere contingat; præcipiendi modus, ac præceptorum finis, nullus profectò pro his eſſet.

Etiam ſtant pro hac ſententia, quæ cap. 19. Exodi habentur. cum Deus Moyſem alloquitur dicendo ei. *hæc dices domui Jacob, & annuntiabis filiis Iſraël.* quibus ſtatim adjunguntur præcepta plurima, moralia, cæremonialia, atque judicialia; Iſraëlitico populo tradita, ante initum cum Deo fœdus, ad quæ tamen certum eſt, illum populum, ante initum fœdus, obligatum nequaquam extitiſſe; niſi tantum naturali jure: quia nondum fœdus, pactumque populus ille cum Deo inierat; cujus vigore ad illorum præceptorum obſervantiam, ſe obligabat. quemadmodum poſtea feciſſe legimus cap. 24. Exodi. igitur vocabula illa *dicere*, & *loqui*, quæ ſimiliter in citato loco cap. 19. habentur; vim præcepti nequaquam habebunt; nec legis obligationem inducent: alias dicendum eſſet, populum ad obſervantiam illarum legum, atque præceptorum, ligatum extitiſſe, antequam ſe fœdere vinxiſſet. quamobrem illa fœderis, atque paciſcendi cæremonia quam ibi ſervatam legimus, fruſtratoria omnino extitiſſet.

Satis quidem ſpecioſè, rationibus his ſuaſibile videbatur, cultum ſacri olei, præcepto minime vinciri.

ri. nemo tamen his moveatur; facillimum namque erit, perplexum fortaſſe lectoris animum, ab his involucris liberare, & prædictis rationibus facere ſatis. etenim ad priora capita, quæ illi verbo *loqueris* innituntur, & hebraicè habetur verbum דִּבֵּר *dibber*; affirmare nequaquam veremur; vi illorum verborum, præcipi populo, ne ſacro illo unguento utatur; nevè unguentum aliud, illi omnino ſimile, ad humanos uſus parare audeat. ea propter dictionem illam *loqueris* in textu poſitam, conſentaneam hebraico vocabulo דִּבֵּר *dibber*, vim præcepti, tum reſpectu Moyſis, qui divino nomine illa ad populum Iſraëliticum referre cogebatur, tum reſpectu populi, cui illa mandabantur; reipſa habere indubitatum erit.

Nam quamvis illa, illique ſimiles dictiones, cum ab aliquo, penes quem nulla ſit auctoritas, aut poteſtas, pronuncientur; vel etiam ſi dignitatis alicujus exiſtat; ſermo tamen ejus, ad inferiores, ſibi ſubditos minime dirigitur; ſed vel ad æquales, aut ad ſibi ſuperiores, tunc præcepti vim nullam retineant; nihilominus quando oratio, ſeu ſermo, à perſona aliquo genere auctoritatis, poteſtatiſque præfulgida proficitur; ut à Rege, Principe, vel denique ab ipſo ſummo Deo, Regum omnium Rege ſummo, vocabula utique illa, vim legis, ac præcepti habebunt; & ſignificationem coactivam retineant neceſſe eſt. cum primis ſi vocabula illa, *loquendi*, aut *dicendi*, in originali textu hebraico, in conjugatione, quam dicunt, *Dagheſſatam*, habeantur: per eam enim conjugationem, vis quædam, atque energia in ipſa hebraicæ linguæ phraſi exprimitur; quæ præcipiendi vim, præceptorumque efficaciam juvant. Magis adhuc prædicta vocabula imperandi ſignificationem retinebunt; ſi alia vocabula ſubſequantur, prohibitionis ſignificationem habentia, ut *non facies*, aut *non dices hoc*, *vel illud*, & hujus generis alia: quemadmodum videre licet cap. 20. Exodi, cujus in initio eſt vocabulum וַיְדַבֵּר *vaidaber*. ideſt, *Et loquutus eſt*. cui in initio capituli ſubinferuntur plurima præcepta per verba prohibitiva, dicendo לֹא יִהְיֶה *loh ihieh*, *non erit tibi*, *&c.* לֹא תַעֲשֶׂה *loh tagnaſceh*, *non facies.* לֹא תִשְׁתַּחֲוֶה *log thiſtachaveh*, *non adorabis.* & reliqua alia plurima prohibitiva; quæ per totum illud capitulum leguntur, adjuncta illi exordio: *& loquutus eſt:*. & alibi etiam ſæpè in libris Exodi, Levitici, Numerorum, atque Deuteronomii; ſicuti etiam in loco à nobis allato, in quo illi exordio, *filiis quoque Iſraël dices*, adjunguntur, *caro hominis non ungetur ex eo*, *non facietis aliud*, & alia verba prohibitiva, adjuncta etiam pœna. Quapropter argumento non minimo, quando vocabula illa, *& loquutus eſt*, atque ſimilia vim præcepti retineant, perſpicuum eſt; quæque de jure præcepti in cultu ſacri unguenti, adeò certiſſimo fundamento inniti intelliguntur; ut ſi rectè conſiderentur; plurimorum in divinis oraculis locorum ſenſus, aliàs perobſcurus, lucidiſſimus fiat, illorumque intelligentia plurimum juvetur.

Nec magis nos turbant, quæ ex cap. 19. Exodi, in initio hujus capituli allata ſunt. nam vulgati Interpretis vis in dictionibus poſita, ubi non apparet diverſitas ſenſus, aut hæc ſuſpicari poteſt, ex hebraicis textibus petenda erit. quamobrem cum in textu allato pro contraria ſententia, non habeatur verbum דִּבֵּר *dibber*, quod interpretatur *locutus eſt;* ſed verbum אָמַר *hamar*, quod interpretatur *dixit*, vim coactivam nequaquam illud habere, quemadmodum alterum verbum *dices*, perſpicuum erit. Et quamvis illa præcepta moralia, cæremonialia, ac judicialia, quæ ibi cap. illo 19. & in ſequentibus habentur, populo propoſita fuerint; antequam populus ipſe cum Deo fœdus feriret, atque cum illo, more

A aliorum Principum Deus benigniſſimè paciſceretur: his tamen ea quæ docuimus, minimè concutiuntur; ſed firmiſſima noſtra jam poſita doctrina manet. etenim populus ad illorum obſervantiam, jam tacitè quodammodo ad ſingula illa ſe obligaverat; & ſaltem animi conſenſu, illa omnia ſe obſervaturum promiſerat; conſentiens in electionem Principis, nempe in Deum; qui illos ſignis, & portentis ab Ægypto liberaverat; cujusque in arte militari peritiam expertus fuerat; illum nimirum in Imperatorem eligendo, & cum electione Principatus, pariter in omnibus juribus, quæ ſunt Principum, conſentiendo. Cum igitur inter Imperatoris, ac Principis jura
B condere leges primam occupet ſedem, in hoc quoque conſenſiſſe videntur.

Iſta verò pro libito, aut ex proprio marte nequaquam confingimus; ſed ex ſacrorum oraculorum medullis eruimus. Cum enim Moyſes verba Dei, nondum in Principem, ac Imperatorem electum, ad populum retuliſſet; Moyſi reſpondit, aſſenſitque populus, ſe omnia facturum promittens, quæcumque illi Deus mandaſſet. ſic enim legimus Exodi. 19. *Venit Moyſes, & convocatis majoribus natu populi, expoſuit omnes ſermones, quos mandaverat Dominus.* Populum verò ad omnia illa præcepta obſervanda
C animo conſenſiſſe, & tacitè ſe obligaſſe, antequam fœdus de obſervantia legis cum Deo iniret; ex his quæ ſubinferuntur liquido conſtat. *Reſponditque omnis populus ſimul; cuncta quæ locutus eſt Dominus, faciemus:* inquit textus. cumque poſtea in ſequenti capitulo verbum דִּבֵּר *dibber* ponatur: cum dicitur וַיְדַבֵּר *vaidabber*, quod interpretatur, *& locutus eſt;* atque poſtmodum plurima ex Dei præſcripto præcipiantur: legis hæc ac præcepti vim habere, ambigendum minimè erit.

Sed ne fruſtra nos dagheſſatæ conjugationis meminiſſe videamur, attendere licebit in ſupra poſito textu cap. 30. Exodi, quem in præſenti capitulo
D diſcutiendum accipimus: verbum illud *loqueris*, in conjugatione dagheſſata, in textu hebraico haberi ſic תְּדַבֵּר *tedabber*. quæ quidem vox eſt futuri temporis, habet tamen vim imperativam, juxta phraſim linguæ ſanctæ, auctoritateſque Magiſtrorum, qui de re Grammatica ſanctæ linguæ ſermonem habuerunt: atque propterea poſt verbum *loqueris*, quod noſtra vulgata editio, *dices*, eſt interpretata, plurimæ aliæ particulæ prohibitivæ ſtatim ſubinferuntur. nimirum לֹא יִיסָךְ *loh uſach*, ideſt, *non effundetur*, ſcilicet unguentum hoc לֹא תַעֲשׂוּ *loh tagnaſù*, ideſt, *non facietis*, aliud, nempe unguentum huic ſimile. & inſuper Deus ipſe eſt, qui loquitur, ejuſque ſermo ad
E inferiores dirigitur: nimirum ad Moyſem, & ad populum Iſraëliticum. Ex quibus omnibus clariori adhuc lumine, & firmiori adhuc fundamento, vim legis, atque præcepti tenere verba illa affirmandum erit.

Nam ut præclarè adnotarunt Alphon. de Caſtr. lib. 1. de lege pœn. cap. 4. docum. 4. Joan. Med. C. de Jejunio, quæſt. 7. & unà cum his Doctoribus etiam Gabr. Vaz. 1. 2. diſp. 118. cap. 3. num. 21. verba hujuſmodi, *debent*, *tenentur*, *non licet*, *non poteſt*. & alia hujus generis, verbo præcipiendi æquipollent: & legis, atque præcepti, his, quæ mandantur vim præſtant. cumque in ſupradicto textu ſimilia verba adſint: ut cum dicitur, *non effunde-*
F *tur* unguentum hoc; *non facietis* unguentum aliud illi ſimile: proculdubio in prædicto textu cap. 30. Exodi in verbis illis; vim legis apparere certiſſimè tenendum erit; & verba illa, divino jure, vim coactivam habere, jure optimo nemini dubitandum relinquitur.

Verum ne fruſtratorius noſter labor ſit:. atque præter jam dicta, aliis adhuc firmis fundamentis, eadem comprobare ut ſtudeamus: pro majori illo-

rum firmitate addatur; quod quoties in aliqua lege, ſtatuto, atque decreto pœna apponitur; toties illud decretum, ac ſtatutum vim legis, atque præcepti obtinere innuitur, ſubditoſque obligatos ad illius obſervantiam fore ſignificatur. Licet enim inter Doctores Theologos controverſia ſit; de illis decretis, atque ſtatutis, in quibus tranſgreſſores pœna afficiuntur; an ad culpam tantum obligent; an verò ſimul, ac ſemel culpæ, ac pœnæ tranſgreſſores ſubjiciantur: nemo tamen eſt, qui hujuſmodi decretis, atque ſtatutis, ſubditos obligari neget; illaque ipſa vim legis, atque præcepti tenere, dubio procul nemo non aſſerit. Quia ergo in prædicto textu ex cap. 30. Exodi, tranſgreſſores illius, pœna afficiuntur; cum ibi dicatur, hominem illum de medio populi ſui excidendum fore, ſi hoc ſacro unguento utatur; vel tale unguentum compoſuerit; vel de illo ſuper hominem non ſacerdotem effundat; vel denique aliquem alienum à gente Judæorum, ſive Iſraëlitarum, eo perfuderit; utique ex his verbis evidenti argumento probatur, illud Dei ſtatutum, de cultu huic ſacro Sacerdotali oleo exhibendo, vim legis, ac præcepti tenere, & ad ſui obſervantiam homines obligare.

CAP. XVII.

Lex de cultu Sacerdotali oleo præſtando, tam Levitas, quàm Aaronitas ligabat.

Ad loca Numer. 18. *Dixitque Dominus ad Aaron, in terra eorum nihil poſſidebitis, nec habebitis partem inter eos. Ego pars, & hæreditas tua in medio filiorum Iſraël.* ibidem cap. 1. *Tollite ſummam univerſæ congregationis filiorum Iſraël, per cognationes & domos ſuas, & nomina ſingulorum quicquid ſexus eſt maſculini.* infra. *Loquutus eſt Dominus, dicens: Tribum Levi noli numerare, neque pones ſummam eorum cum filiis Iſraël.* & ad alia.

AGENS Deus de cultu, & obſervantia hujus ſacri olei Sacerdotalis cap. illo 30. Exodi Moyſem alloquitur; in hac verborum forma. *Hæc dices filiis Iſraël.* quamobrem non incongrue exiſtimare quis poſſet, Levitas, ac Sacerdotes, quique de proſapia Aaron erant, nequaquam vi hujus præcepti obligari, neque ad illius obſervantiam adſtringi; ac proinde abſque præcepti tranſgreſſione, Sacerdotibus, Levitiſque pro libito licuiſſe, ſacro hoc ſacerdotali unguento uti, illud componere, aliud illi omnino ſimile parare; & denique etiam de illo, alienigenis, atque extraneis, ſine tranſgreſſionis nota, dare: quæ omnia prohibita fuiſſe jam capite præcedenti oſtendimus. Id vero ea ratione quis ſibi perſuadere poſſet: quia præceptum hoc, ſolum ad filios Iſraël directum videbatur; ut ex verbis ipſius textus probatum conſtat. at Sacerdotes, atque Levitæ, nomine Iſraëlitarum comprehendi nequaquam cenſentur, in ſacris Litteris; atque propterea, neque ad obſervantiam hujus præcepti alligati exiſtunt: cum præceptum illud, fieri ad filios Iſraël tantum jubeat Dominus, dicens: *Hæc dices filiis Iſraël.*

Quod autem Sacerdotes, nomine filiorum Iſraël minime comprehendantur; ſatis apertè Propheta in Pſalmo 113. ſignificaſſe videtur. nam cum in laudem filiorum Iſraël ceciniſſet; *Domus Iſraël ſperavit in Domino, adjutor eorum & protector eorum eſt*; tanquam de gente, & familia à domo Iſraëlitica diverſa, nec nomine filiorum Iſraël comprehenſa, ſubintulit ſtatim; *Domus Aaron ſperavit in Domino, adjutor eorum, & protector eorum eſt.* & licet hæc loca ad

A firmandum intentum, firmiſſima cenſeri poſſent; verumtamen veritatis elucidandæ de cauſa, addatur locus ex cap. 29. Exodi, ubi cum Deus ageret de victimarum membris, quæ ex ſacrificiis Deo à filiis Iſraël offerendis ad Sacerdotes pertinebant: *Sanctificabiſque*, inquit, *& pectuſculum conſecratum, & armum quem de ariete ſeparaſti, quo initiatus eſt Aaron, & filii ejus, cedentque in partem Aaron & filiorum ejus jure perpetuo à filiis Iſraël.* Quibus plane poſtremis verbis Sacerdotes, nomine filiorum Iſraël, non comprehendi declaratur. Quod eo nomine, in adductis ſacræ Scripturæ locis ſi non comprehenduntur; certè nec cap. 30. Exodi, ubi de unguento agitur
B eo nomine comprehendentur: quia præceptum hoc, ad filios Iſraël dirigitur. Cumque juxta commune juris prudentum axioma, pœnæ ſint ſtrictè interpretandæ, atque intelligendæ; præceptum hoc de non componendo ſacro unguento, quod ad filios Iſraël dirigitur, ſtrictè erit accipiendum, & ad filios tantum Iſraël reſtringendum: non verò ampliandum ad Sacerdotes, aut Levitas; qui ut vidimus, nequaquam nomine filiorum Iſraël comprehendebantur.

Nam etiam ab hæreditate filiorum Iſraël, Aaronitæ excluſi fuerunt; ut habetur cap. 18. Num. ubi legitur: *Dixitque Dominus ad Aaron, in terra eorum*
C *nihil poſſidebitis; nec habebitis partem inter eos: ego pars, & hæreditas tua, in medio filiorum Iſraël.* quo in loco inconſideratè non ſunt prætereunda verba illa, *in terra eorum.* quaſi dixerit Deus ad Aaronem, in regione non tua, ſed aliorum, & ideò Aaron, nihil tibi, tuiſque poſteris erit ibi poſſidendum; nulla tibi hæreditas habenda erit, in regionibus, quæ jure hæreditario ad illos pertinebunt. quod ſi ab hæreditate etiam filiorum Iſraël Aaronitæ, atque Levitæ excluduntur, profectò cum illis non comprehenduntur.

Sacerdotes non comprehendi nomine filiorum Iſraël, jam probavimus; quid de Levitis ſit ſentien-
D dum videre oportet. quamvis enim tam Aaronitæ, quam Levitæ ab eodem Patriarcha Levi originem duxerint; ſolum tamen qui per Aaronem originem trahebant, ſacerdotii hæredes erant, & hac dignitate à Levitis reliquis diſtincti cenſebantur. à cœtu igitur, & nomine filiorum Iſraël, ipſos etiam Levitas excludi, probatum ex eo conſtat; quod hæreditatem unà cum reliquis filiorum Iſraël minimè acceperint. illi enim tantum, jure merito, nomine filiorum Iſraël appellandi videntur; qui inter duodecim tribus recenſentur; quique ea in regione hæreditatem acceperunt, quæ ſanctiſſimo viro Jacob Patriarchæ, à Deo promiſſa fuit; qui poſt luctam
E cum Angelo habitam, Iſraëlis nomen ſortitus eſt. quamobrem non tantum illos, qui ex femore Jacob deſcenderunt; ſed potius illos, qui in regione promiſſa hæreditatem ſortiti ſunt, nomine filiorum Iſraël appellandos eſſe, rationi fundatæ in ſacris oraculis conſentit.

Nam cum aliquando ex Dei mandato populus Iſraëliticus per manum Moyſis numeraretur; qui erant de Levitica tribu, ab eo numero excluſi ſunt: Deo ad Moyſem, & Aaron cap. 1. Num. dicente: *Tollite ſummam univerſæ congregationis filiorum Iſraël per cognationes & domos ſuas; & nomina ſingulorum, quicquid ſexus eſt maſculini*, &c. Moyſe verò & Aaron
F juſſa explentibus, numerati fuerunt Rubenitæ, filii Simeon, filii Juda, filii Iſſachar, filii Zabulon, filii Ephraim, filii Manaſſe, quorum poſtremi Joſephi fuerunt, & ab ipſo Jacobo inter proprios filios adoptati; & ideò ſolum ratione adoptionis, inter filios Iſraël numerabantur: filii quoque Benjamin, filii Dan, filii Aſer, filii Gad, filii Nephtalim recenſiti ſunt: quibus tribuum Iſraëliticarum, duodena-

denarius numerus complebatur. Sub finem tandem ejuſdem capituli, quaſi Levitæ de numero filiorum Iſraël non eſſent, ſubditur: *Levitæ autem in tribu familiarum ſuarum non ſunt numerati cum eis.* & illico ſubinfertur, *Locutus eſt Dominus ad Moyſem dicens: tribum Levi noli numerare, neque pones ſummam eorum cum filiis Iſraël.* Non igitur tribus Levitica inter filios Iſraël reponenda videtur, neque nomine filiorum Iſraël accipienda; cum neque filiis Iſraël annumeretur, neque inter duodecim tribus Iſraëliticas locum habuerit.

Veriori tamen, ac firmiori doctrinæ inſiſtendo, dicendum videtur; neminem ex deſcendentibus de femore Jacob, ſive Sacerdotes, ſive Levitæ fuerint, ab obſervantia hujus præcepti immunem fuiſſe, aut aliquo jure ab ejus obligatione ſolutum iri. Ea propter ipſos etiam Levitas, & ipſos etiam Aaronitas, nomine filiorum Iſraël, in prædicto loco cap. 30. Exodi comprehendi dicimus. ut præclare etiam Abulen. quæſt. 13. in cap. 30. Exodi docet: & hac ratione probare nititur. Quoties laicus aliquid agendo peccat, Sacerdos idem agendo, & committendo proculdubio peccabit; imò eò gravius adhuc, quo majori ſanctitate, & religione, præſertim in obſervantia divinorum præceptorum pollere debet; ſed laici tale unguentum, contra Dei mandatum componentes, proprium corpus tali unguento ungentes, de eodem alienis dantes, graviſſimè peccaſſent: ergo etiam Sacerdotes, & Levitæ eadem faciendo peccaſſent: imò etiam eo gravius, quo ipſi, ut vidimus, majori obſervantia in divinis decretis ligabantur: ergo & ad illos præceptum illud extendebatur. quo unico fundamento, tota Abulenſis doctrina innititur, quam prolixius apud eumdem extenſam videre poterit Lector.

Sed licet à ſententia doctiſſimi Abulenſis nequaquam diſſentiam, me tamen judice, frivola, nulliuſque omnino roboris, quæ ab ipſo allata ſunt argumenta videri debent cuicumque æqua ingenii lance illa fundamenta, illiuſque Doctoris rationes conſiderare volenti. Nam peccatorum gravitas, & ratio ipſa criminum, ex ipſa vi legis, ac præcepti attenditur: quamobrem ſi quid laico lege vetitum fuerit, non verò Sacerdoti; contra latam legem aliquid faciendo, laicus, non verò Sacerdos peccabit. ut ſacrum facere, Sacramenta miniſtrare, ſacra contrectare, laico vetita ſunt, non Sacerdoti; quamobrem laicus, non autem Sacerdos illa agendo peccabit. ſicut etiam in veteri Teſtamento, panes propoſitionis manducare, laicis, non Aaronitis vetitum erat; & ideò non iſti, ſed illi, de panibus illis veſcendo, peccabant. contra verò, reperiuntur alia Sacerdotibus, non verò laicis prohibita. ut in Eccleſia Latina uxorem ducere Sacerdotibus, non verò laicis vetitum eſt: quamobrem iſti uxorem ducendo minimè peccant; utique verò illi, qui ſacris initiati fuerint. non ergo bene argumentatur Abulenſis; laici peccabant, hoc unguentum ſacræ Sacerdotalis unctionis componendo, eodem utendo, de eodem alienis dando. igitur multo gravius Sacerdotes, Levitæque peccaſſent. nec bonæ conſequentiæ regulas tenet; dum deducit ad obſervantiam illius præcepti, iſtos quoque teneri, eoque præcepto alligari. probandum fuerat ex verbis ipſius præcepti, tam Sacerdotes, quàm Levitas alligari, & ad utroſque verba divinæ legis extendi.

Validiora igitur fundamenta in vi verborum legis ſtabilita excogitare cogimur, ad prædictam doctrinam comprobandam; non pro libito, aut ex capite ſacra interpretando, ſed ſacrorum textuum diligentiſſima diſcuſſione. Nam præceptum hoc de non componendo tale genus unguenti, de non utendo eo, deque non dando de eodem alienis, ad filios

A Iſraël, ut vidimus, dirigebatur: Deo ad Moyſen ſic dicente: *Hæc dices filiis Iſraël.* quod equidem præceptum, antequam Levitæ à reliquis Iſraëliticis tribubus ſepararentur, à Deo latum fuit. nam Levitæ à reliquis tribubus Iſraëliticis, poſt erectionem tabernaculi, illiuſque conſecrationem, in Dei obſequium ſeparati fuerunt. tabernaculum verò conſecrari ceptum eſt menſe primo, prima die menſis anni ſecundi ab exitu filiorum Iſraël de Ægypto, ut dicitur cap. 40. Exodi: at Levitæ cum omni proſapia Sacerdotum menſe ſecundo ejuſdem anni, à reliquis tribubus in tabernaculi, ac Dei obſequium deſtinati fuerunt. ſic enim legimus cap. 1. Num. *Lo-* B *quutus eſt Dominus ad Moyſem in deſerto Sinai in tabernaculo fœderis.* hoc autem contigit prima die menſis ſecundi, anno altero egreſſionis illorum ex Ægypto, dicente Deo, *Tollite ſummam filiorum Iſraël,* &c. Verum præceptum iſtud, de reverentia huic ſacro Sacerdotali oleo præſtanda, quo omnibus filiis Iſraël illius uſus vetabatur; Moyſi, & filiis Iſraël latum fuit, in monte Dei Oreb; quando Dominus Moyſi tabernaculi architecturam monſtravit; atque ritus Conſecrationis illius eumdem docuit, multo antequam Levitæ à filiis Iſraël ſepararentur; priuſquam Sacerdotes à reliquo populo diſtinguerentur, & ſa- C cris initiarentur: atque unà cum Levitis tabernaculo manciparentur. Cum igitur eo præſertim tempore, nomine filiorum Iſraël, omnes illi, qui de femore Jacob egreſſi ſunt, & ab eodem adoptati fuerant, intelligendi neceſſario veniſſent; & tam Sacerdotes Aaronitæ, quam omnes Levitæ de femore Jacob egreſſi eſſent, nec adhuc à reliquis ſeparati fuiſſent; ipſos quoque nomine filiorum Iſraël comprehendi liquido conſtat; & ad illos etiam extendi hoc præceptum perſpicuum eſt; & nil minus, quam aliæ tribus Iſraëliticæ, Leviticam quoque tribum ad obſervantiam præcepti alligatam extitiſſe.

Nec allata in principio capituli argumenta, quemquam movere debent. nam quamvis Levitæ aliqua D ratione agros, ac prædia colenda in terra promiſſionis, forte ſibi in hæreditate aſſignata, nequaquam ſuſceperint: nihilominus abſolutè affirmare illos in terra promiſſionis, cum filiis Iſraël hæreditatem non accepiſſe, falſum omnino eſt. acceperunt enim urbes, oppida, atque caſtella, ubi habitarent. nam Levitis, ac Sacerdotibus à Deo decretæ fuerunt decimæ omnium fructuum, tam in jumentis, quam in proventibus terræ, quibus alerentur. quod equidem fecit Deus; quia illos culturæ agrorum operam navare non decebat, qui divino cultui mancipati fuiſſent: & ideò eo labore exempti, fructus, ac proventus regionis, & terræ receperunt. Quamobrem E iſtorum hæreditas, ſi loqui velimus cum juriſprudentibus, potius veniet ſub jure legati, quam hæreditatis; cum ſit genus quoddam donationis, à teſtatore nempe Deo ipſo, Levitis præſcriptæ; à reliquis tribubus, tanquam ab inſtitutis hæredibus, eiſdem præſtandæ poſt aditam hæreditatem. *inſt. de legat.* §. 1 *& ff. de leg. ſec. l. legatum, l. quoties, C. de hæred. inſtit.* non enim ipſi Levitæ ſuo jure, aut propria auctoritate, poterant accipere decimas proventuum, aut propria auctoritate urbes, atque oppida ſibi eligere, in quibus habitarent; ſed à reliquis tribubus tamquam divinæ diſpoſitionis legitimis hæredibus, urbes, & oppida, & decimas expectare te- F nebantur: quemadmodum habetur cap. 35. Num. Deo Moyſem alloquente in campeſtribus Moab per hæc verba: *Præcipe filiis Iſraël, ut dent Levitis de poſſeſſionibus ſuis urbes ad habitandum, & ſuburbana eorum per circuitum.* Sed ab his cavillationibus juriſprudentum, quorum opera, plurimæ indies inter homines ſuboriuntur lites, recedamus; nos qui ſacra pertractamus; ſacra inquam illius ætatis, quæ

juris

A jurisprudentum tantam peritiam non cognoverunt; nec tot jurgiis, atque inextricabilibus litibus opprimebantur. Quamobrem licet phraſi ſacrarum Scripturarum, Levitas hæreditatem inter filios Iſraël ſuſcipere non debere, legatur: nomine tamen hæreditatis, agrorum poſſeſſio tantum, & prædiorum colendorum ratio accipitur: non verò quod Levitæ; debitas partes, & portiones, jura, atque loca propria ad inhabitandum non ſuſceperint. quæ quidem ſucceſſio, etiam nomine hæreditatis venit intelligenda apud Jurisprud. inſtit. de fidei commiſſ. hæred. §. *reſtituta*, & §. *ſed quia.* multo igitur rationabilius vocabulo hæreditatis ea ſignificabuntur in ſacris oraculis, B ſancto Spiritu dictatis. & quamvis adire hæreditatem ſit de intrinſeca ratione hæredis, quatenus hæres eſt; nemo tamen rectè dicere poterit, id neceſſario requiri ad rationem filii, nam & hi quoque exhæredari poſſunt. gloſ. in §. *ſi tutor*, *inſtit. de inoffic. teſtam.* nec propterea nomine filiorum privari poſſunt; quia hoc à natura acceperunt; illud à libera voluntate alterius habetur. quamobrem ſi Sacerdotes, atque Levitæ hæreditatis filiorum Iſraël non fuiſſent participes; nomine tamen filiorum Iſraël privari nequibant; ac propterea verbis illius præcepti de reverentia præſtanda ſacro oleo comprehendebantur; C & ad illius obſervantiam, ſicut & reliqui de populo Iſraëlitico alligabantur.

CAP. XVIII.

Præceptum de reverentia ſacro Conſecrationis oleo præſtanda, Gentiles quoque alligaſſe videtur.

Ad loca Exodi 30. *Filiis quoque Iſraël dices; hoc oleum unctionis ſanctum erit mihi, in generationes veſtras, caro hominis non ungetur ex eo, & juxta compoſitio*D*nem ejus non facietis alud; quia ſanctificatum eſt, & ſanctum erit vobis. homo quicunque tale compoſuerit, & dederit ex eo alieno*, &c. Ad Galat. 5. *Teſtificor autem rurſus omni homini circumcidenti ſe, quoniam debitor eſt univerſæ legis faciendæ.* Exod. 12. *Si quis peregrinorum in veſtram voluerit tranſire coloniam, & facere Phaſe Domini, circumcidetur prius omne maſculinum ejus*, &c. & ad alia plura loca.

AUGETUR quam maxime difficultas, de reverentia exhibenda, ſacro Conſecrationis oleo, ſi ad Gentiles noſtra convertatur oratio: an E Græci nimirum, Romani, aut alterius cujuſcunque nationis ab Iſraëlitica gente, ad obſervantiam hujus præcepti tenerentur. tria enim unico præcepto comprehenduntur; primò enim Deus ſtatuit decretum de non componendo hoc unguento; de non utendo illo ſecundò loco ſtatuitur; denique ultimò de non dando de hoc unguento exteris. nimirum his, qui de populo Iſraëlitico non fuerint. nam ſi de tota veteri lege, populo Iſraëlitico per Moyſem à Deo lata, loqui velimus, à communi Theologorum ſententia nobis recedendum non erit. eam ferè omnes habent F cum D. Thom. 1. 2. q. 98. art. 5. ubi Theologi communi conſenſu affirmant, nullo obligationis vinculo, ad obſervantiam Moſaicæ legis Gentiles extitiſſe ligatos, præſertim ad præcepta cæremonialia, & ad reliqua, quæ naturæ præceptis ab ipſo Deo addita fuerunt: quamobrem doctiſſimus Abulenſis quæſt. 14. in cap. 30. Exodi argumentatur; nec etiam obligatos extitiſſe Gentiles ad præceptum, de non componendo ſacrum Conſecrationis unguentum: quod quidem non contemnenda ratione probari poſſe videtur. nam hoc præceptum, ſolum ad filios Iſraël dirigebatur, Deo ad Moyſem dicente: *Filiis quoque Iſraël dices:* de quorum numero cum Gentiles non eſſent; quod neque præceptum hoc ad illos extenderetur; manifeſtum fieri conſtat: ac proinde neque ad illius obſervantiam alligatos, doctiſſimus Abulenſis ſcribit, atque pro viribus defendere conatur.

Quod ſi quis contra ſententiam Abulenſis inſurgat, contrariumque docere velit, & Abulenſem ea ratione oppugnare tentaverit, quod Deus Hebræorum, ſummus Deus, & omnium hominum ſupremus Dominus exiſtat: ac proinde argumentari is velit, leges ejus ab omnibus ex debito ſervandas fuiſſe. Reſpondet Abulenſis, nos poſſe conſiderare Deum, & ut Deum; & etiam ut legiſlatorem ſingularis cujuſdam populi; nimirum Hebraici, in monte Synai leges ferentem; eaque ratione ut quandam particularem Rempublicam inſtituentem, ſuaque illius Reipublicæ politia ſtabilientem. Deus igitur ſi contempletur à nobis, inquit ille, ſecundum priorem conſiderationem, utique ad omnes homines eo pacto referri, ille concedit, ejuſque leges, ea ratione latas ad omnes ſe extendere: at nequaquam ita ſentiendum erit quando, ut Legiſlator in Synai contemplatur; quo pacto ſolum ad populum Hebræum, & non ad alias nationes revera referri Abulenſis tradit: in quo quidem populo ſingularem quandam Rempublicam, à reliquis diſtinctam ordinabat: quod quidem liquido conſtat ex cap. 19. Exodi, in quo Deus populum alloquens: *Si audieritis*, inquit, *vocem meam, & cuſtodieritis pactum meum; eritis mihi in peculium de cunctis populis. mea eſt enim omnis terra, & vos eritis mihi in regnum Sacerdotale, & gens ſancta.* cujus textus auctoritate probatum videtur; Deum ut ordinatorem cujuſdam particularis Reipublicæ, nequaquam ad homines omnes referendum: neque omnes homines ad obſervantiam illarum legum, quas illi populo ipſe tradidit, obligare voluiſſe.

Quod ſi iterum quis inſurrexerit contra Abulenſis doctrinam, dixeritque Deum Hebræorum, omnium hominum Dominum eſſe; atque ideo ab omnibus colendum; nec non etiam ſtatuta, legeſque illius ab omnibus ſervandas fore. Abulenſis rectè concedet, Deum ab omnibus mortalibus pro viribus colendum eſſe, ac venerandum fuiſſe; non tamen hoc genere ſpecialis cultus, aut his ritibus, quibus Rempublicam Iſraëliticam inſtruebat; ac propterea minimè omnes homines ſuis tunc latis legibus obligaſſe; nec ipſum Iſraëliticum populum quouſque fœdus aliquod, ſive pactum à populo cum Deo Opt. Max. initum fuiſſet. quamobrem Deus, ut Judæos ad obſervantiam legis obligaret, quam per manum Moyſis tradidit; eorumdem conſenſum quæſivit; ut habetur Exodi cap. 19. quo habito conſenſu, & non ante; mandata ac ſtatuta nonnulla; & leges etiam aliquas populo illi dare exorſus eſt, ut ex cap. 20. 21. 22. & 23. omnibus apertiſſimum eſt. in quibus etiam capitulis attendere incongruum non erit; quod quamvis Hebræorum conſenſum habuiſſet; tamen ad obſervantiam legis à ſe traditæ, Hebræos obligare noluit; quouſque mactatis victimis, earumdem ſanguine aſperſo populo, fœdus cum eodem percuſſiſſet, ut ſcribitur cap. 24. Exodi. & Paulus meminit cap. 9. epiſtolæ ad Hebræos. ea enim ſervata, aſperſionis ſanguinis cæremonia, eoque ſanguine, omnes quodammodo commaculabantur; inter mactatas victimas, iidem quodammodo tranſiſſe cenſebantur; ut ritus feriendorum fœderum, ejus ætatis, ut infra probabitur, ſervati cenſerentur.

Hæc dicta ſunt pro ſententia Abulenſis, cui quidem licet, quantum ad obſervantiam totius legis Mo-

Moſaicæ abſolutè attinet , libenter ſubſcribam ; nec à communi Theologorum doctrina , mihi recedendum putem. verumtamen in hac noſtra difficultate diſtinguendum arbitror. non enim eò dirigitur noſter ſermo , ut de omnibus Gentilibus in communi noſtra procedat difficultas ; ſed ſolum de illis nos loquimur , qui unius Dei veri notitiam habentes, Deum etiam Hebræorum , verum eſſe Deum cognoviſſent ; vel ſaltem id probabiliter ſuſpicari potuiſſent. ut de Platone credere à veritate alienum non erit ; cum plurimi iique graviſſimi Doctores , eum ſacras Hebræorum litteras didiciſſe referant. deque Hermete Triſmegiſto ex Dialogo ipſius , qui Aſclepius inſcribitur , apertiſſimè conſtat : ut videre eſt apud Apuleium ejus Dialogi interpretem. Plurimos namque apud Romanos etiam extitiſſe , qui Moſaicam legem , & Numen ab eodem prædicatum colerent. Juvenalis Romanus Poëta id aperuit Satyra 14. dicens :

Quidam ſortiti metuentem Sabbata patrem ,
Nil præter nubes , & cœli numen adorant :
Nec diſtare putant humana carne ſuillam ,
Qua pater abſtinuit, mox & præputia ponunt.
Romanas autem ſoliti contemnere leges,
Judaicum ediſcunt, & ſervant, ac metuunt jus,
Tradidit arcano quodcumque volumine Moſes.
Non monſtrare vias , eadem niſi ſacra colenti :
Quæſitum ad fontem ſolos deducere verpos.

Et ne quis arbitraretur , Juvenalem loquutum de Judæis , non verò de Romanis ; contrarium ſuadent illa Poëtæ verba , *Judaicum ediſcunt ;* quibus quidem patet non de iis , qui Judæi naſcebantur , ſed de iis , qui à Romanis Idololatriis , ad veri numinis cognitionem tranſibant ; de quibus etiam loquutum arbitror Martialem lib. 7. num. 8. 1. cum de Menophilo ait :

Menophili penem tam grandis fibula veſtit,
Ut ſit comœdis omnibus una ſatis.
Hunc ego credideram (nam ſæpe lavamur in uno)
Sollicitum voci parcere , Flacce , ſuæ :
Dum ludit media populo ſpectante palæſtra ,
Delapſa eſt miſero fibula : verpus erat.

Quæ de Gentili Romano dicta à Poëta , ipſa me judice , palæſtra ſuadet : nec enim aliquando in palæſtram Romæ deſcendiſſe Judæos legimus. quamobrem Romanos etiam nonnullos , veri Numinis cognitionem habuiſſe , certo cognoſci poteſt. Si verò noſter ſit ſermo de illis , qui nullam Dei veri notitiam habuerunt ; nullo etiam legis Moſaicæ vinculo , eos alligari indubitata res erit. Neque noſter ſermo in præſentiarum eſt de omnibus legis Moſaicæ præceptis , etiam per reſpectum ad illos Gentiles , qui veri Dei notitiam habuiſſent ; ſed ſolummodo de ſingulari præcepto, nimirum de reverentia exhibenda ſacro Conſecrationis oleo : quod ut jam in ſuperioribus vidimus; lege lata ab ipſo ſummo Deo , ſub interminatione pœnæ graviſſimæ in tranſgreſſores , in monte Synai latum fuit ; tria unica lege comprehendens præcepta.

Ut verò certa ab incertis , & dubia ab indubitatis ſeparentur; necnon etiam clara ab obſcuris vindicentur : tanquam certum , & indubitatum , primo decernatur. Gentiles etiam non circumciſos , qui ſaltem probabiliter ſuſpicari potuiſſent, Deum Hebræorum , verum eſſe Deum , utique ad obſervantiam plurimorum præceptorum , quæ in lege veteri continebantur , obligatos extitiſſe. & hoc non ineptè , ſed ſatis accommodatè probatum remanet , ex veteri illo, totoque orbe celeberrimo Sapientum axiomate, *ſequere Deum.* quo ſignificabatur ; Deo in omnibus obediendum , ac eundum quocunque vocaret. Hac A igitur ſtante doctrina , utique Gentiles qui Deum Hebræorum , verum eſſe Deum cognoviſſent , illum ſequi tenebantur. at ſequi aliquem , ut Deum , & Dominum , ut Regem , ut Principem , & ut Ducem , nil aliud eſt quam eidem obedire , legem illius ſervare, mandatis atque ſtatutis ejuſdem obtemperare. ea propter ex Gentilibus quoque qui Deum Hebræorum, verum eſſe Deum cognoviſſent ; mandata illius cuſtodire , præcepta , ac leges obſervare profecto tenebantur. Naturalis quoque ratio id ſuadet : naturali etenim lumine , novit homo , ni inſipientem eſſe velit , Deo obediendum eſſe , ac pro viribus etiam colendum. Quicunque igitur Deum B Hebræorum verum eſſe Deum cognoviſſent, vel id tanquam probabiliſſimum ſuſpicati fuiſſent ; utique huic Deo parendum eſſe , & hunc ipſum colendum fore noviſſent. jam igitur jure naturæ , non ſolum hunc Deum , & non alium colere homines obligabantur ; ſed hoc etiam , vel illo ſibi placito cultu. quamobrem qui hoc genus cultus Deum ſibi elegiſſe , alterum reprobaſſe cognoviſſent ; ipſi quoque hoc genere cultus , & non altero , eumdem colere tenerentur ; ac proinde ad obſervantiam Moſaicæ legis , ſaltem quoad aliqua præcepta cæremonialia , atque moralia.

Cæremonialium præceptorum meminimus : quia C præcepta omnia Moſaicæ legis , trifariam Doctores ſacrarum Litterarum partiri conſueverunt : nimirum in præcepta moralia , cæremonialia & judicialia. quorum poſtremum caput, ad totius tantum Reipublicæ gubernationem , Civiumque concordiam ſervandam pertinuiſſe conſtat. alterum ad ritus , & ſacrificiorum cæremonias ſpectaſſe manifeſtum eſt : quamobrem cæremonialia appellabantur. priora denique moralia appellata fuere ; quia ad optimos mores quoſcunque docendos reſpiciebant ; & ad conſequendum , diuque ſervandum Dei , proximique amorem ; quæ naturæ jure debentur. Quicunque igitur Gentilis , Deum Hebræorum , verum eſſe D Deum cognoviſſet, & populo Hebræo hæc, & hæc moralia præcepta , quæ in duabus lapideis tabulis digito Dei inſculpta habebantur , Deum quoque tradidiſſe noviſſet ; quamvis Gentilis iſte circumciſus non fuiſſet , ad obſervantiam nihilominus illorum præceptorum cogebatur : ea ſolum de ratione, quod illa præcepta moralium dignitatem ſortirentur : quo nomine concluſiones quædam ex principiis naturalibus illatæ ſignificantur. probatur verò hæc doctrina auctoritate Apoſtoli cap. 2. ad Rom. cum ait : *Gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis ſunt faciunt.* Horum autem verborum ejus eſt ſenſus : quod Gentiles qui legem ſcriptam, divino magiſterio traditam non acceperunt ; naturaliter quæ legis ſunt faciunt. E hoc eſt , tenentur facere : non quod viribus naturæ illam ſervare valerent , cum hoc falſum ſit; ſed quia illa præcepta ſunt quodammodo naturalia ; natura ipſa inclinante ; homines non expectato explicite Dei magiſterio , præcepta illa , ſecundum datum ſibi liberum arbitrium executioni mandare tenebantur. Si verò ex Gentilibus aliquis , nimirum ex Romanis , Græcis , aut alterius nationis , circumciſionis ſignum accepiſſet, ad obſervantiam totius Moſaicæ legis & præceptorum, quæ illi regioni conſentanea forent, obligaretur. nimirum ad præcepta omnia moralia , & ad cæremonialia aliqua , ad quæ videlicet F nec diſtantia loci , nec regionis ratio impediretur : nec ab aliquo illorum immunis extitiſſet. quod verò nos tenuiſſimi ingenii aſſerimus ; ſumptum eſt ex doctrina Pauli cap. 5. ad Galat. cum illorum opinionem , atque errorem rejicit ; qui Gentiles Chriſti fidem ſuſcipientes , circumcidendos fore docebant. quorum errorem ea ratione Apoſtolus redarguit, quia ſi circumcidi fideles tenerentur , ad obſervantiam

quoque totius Moſaicæ legis obligati exiſterent: quamobrem ait : *teſtificor autem rurſus omni homini circumcidenti ſe , quoniam debitor eſt univerſæ legis faciendæ.* quæ pariter doctrina multo antiquior eſt Paulo. habetur enim cap. 12. Exodi , cum à Deo ſanctiones , & ritus celebrationis Paſchæ præſcribuntur Gentilibus , Paſcham juxta ritum Hebræorum , celebrare volentibus : qua quidem de re , in hæc verba loquitur Deus : *Si quis Peregrinorum in veſtram voluerit tranſire coloniam , & facere Phaſe Domini , circuncidetur prius omne maſculinum ejus , & tunc ritè celebrabitur , eritque ſicut indigena terræ. Si quis autem circumciſus non fuerit , non veſcetur ex eo.* quod & plures Gentilium feciſſe ex cap. 8. libri Eſther , non obſcurè colligitur ; multos enim Gentilium ad legem Moſaicam ſe tranſtuliſſe, ibi legitur his verbis: *Plures alterius gentis & ſectæ , eorum religioni adjungebantur.* quibus quidem ex locis , ad obſervantiam omnium præceptorum Moſaicæ legis teneri ; ut jam diximus perſpicuum fit , & probatum manet.

Dicatur à nobis aliquid de præceptis judicialibus , quæ Hebræorum optimam gubernationem , Reipublicæque ſtatum reſpiciunt ; de quibus proculdubio affirmandum erit , Gentiles in propriis regionibus , ac ſub principibus , alterius gentis ab Iſraëlitica, ad illorum obſervationem nullo modo obligatos extitiſſe : quamvis Deum Hebræorum , verum eſſe Deum cognoviſſent. Aſſertum noſtrum ea ratione, & optima ſufficientiſſime probatur; quia hujuſmodi leges, & præcepta ſingularem populorum , ac locorum ſtatum reſpiciebant , ſuaque peculiari politia Iſraëliticam Rempublicam conſtituebant. Sed ſub ea ratione Reipublicæ , Gentiles qui alterius nationis à populo Hebræorum , & filiorum Iſraël erant , non comprehendebantur ; imò altera ab altera Republica diverſiſſima cum ſit , proprias quoque leges , atque ſtatuta habuiſſe , veteres hiſtoriæ , & ſcriptores probant. cum igitur leges alicujus Reipublicæ nemo obſervare teneatur , niſi ille qui de illius corpore eſt , & qui ſub illa adhæſit , vixerit , quacum & fœdus habere dicitur : igitur ad obſervantiam præceptorum judicialium , quæ pro recta gubernatione Reipublicæ Hebræorum à Deo lata fuerunt , nullus Gentilis extra terram promiſſionis obligabatur.

Quamvis verò de præceptis judicialibus ita ſe res habeat ; de præceptis tamen cæremonialibus certiſſimè tenendum erit ; Gentiles agnoſcentes Deum Iſraëlitarum , verum eſſe Deum ; ad obſervantiam aliquorum præceptorum cæremonialium interdum obligari : ad ea nimirum , quæ in propria regione , ut diximus , quam inhabitabant ; longè à Dei tabernaculo , ſive templo conſtituti , licitè , libereque in Dei honorem , & proximorum ſalutem obſervare poterant. Exempli gratia orationibus Deum colere, mentem ſuam ad illum elevare , ſacrificia Idolis , ac ſimulacris non offerre , & ad alia. ſi quando vero ſacrificia obtuliſſent , orationeſque fudiſſent , aut mentem in Deum elevaſſent ; illam ad ipſum Deum verum , quem cognoverant , dirigere tenebantur. quod hæc vera ſint , & ita ſe gerere Gentilis teneretur , ex cap. 5. lib. 4. Reg. præclare probatur. ubi ille Naaman Syrus , precibus , & mandato Eliſæi à lepra mundatus , Prophetam ſic alloquitur : *Verè ſcio , quod non ſit alius Deus in univerſa terra , niſi tantum in Iſraël.* ecce ubi Naaman , ſe Deum verum cognoviſſe fatetur : & ſtatim Eliſæum alloquitur , dicendo : *Obſecro concede mihi , ut tollam onus duorum burdonum de terra ; non enim faciet ultra ſervus tuus holocauſtum , aut victimam diis alienis , niſi Domino.* nimirum Deo Hebræorum. Ex quibus quidem ſacræ Scripturæ verbis , aperto teſtimonio convincitur ; nequaquam Gentilem obligatum extitiſſe

A jure alicujus præcepti , victimas Deo in propria regione offerre , longè terrarum ſpatiis à Judæa , & templo Hieroſolymitano diſſita ; ſed ſolum obligatum extitiſſe jure præcepti , ſua ſacrificia , ſi quando illa obtuliſſet , Deo vivo , & vero dirigere , eo modo quo poſſet ; quocumque in loco illa obtuliſſet. quæ profectò de orationibus quoque dicenda erunt , & ex eodem ſacræ Scripturæ loco convincuntur ; quamobrem ſubditur : *Hoc autem ſolum eſt , de quo depreceris Dominum pro ſervo tuo. quando ingredietur Dominus meus templum Remmon , ut adoret , & illo innitente ſuper manum meam : ſi adoravero in templo Remmon , adorante eo in eodem loco : ut ignoſcat mihi Dominus ſervo tuo pro hac re.* hæc ſunt verba textus , in quibus lector non prætereat ; nequaquam dixiſſe Naaman, ſe Idolum illud adorare velle ; ſed ſe coactum iri , ad ſe inclinandum , & ad faciendum alia cum Rege , qui brachio illius innitebatur : Naaman tamen non aliò , quam ad verum Deum, ſuam intentionem dirigere velle , profitetur ; quam quidem , Deo precibus Eliſæi gratam, acceptamque fieri precatur apertè. Igitur ex his ſacrarum Litterarum ſtudioſus intelligat , Gentiles , qui veri Dei aliquam cognitionem habuiſſent , ad nonnulla etiam præcepta cæremonialia Moſaicæ legis alligatos extitiſſe. quibus etiam alia ſimilia paſſim habemus in libris Eſdræ, & Danielis.

His pro modulo noſtro de lege Moſaica , in ordine ad Gentiles pertractatis , ut ſolidiora eſſent, quæ nobis dicenda de præcepto reverentiæ , ſacro Conſecrationis oleo exhibendæ , remanebant ; ad illud noſtra nunc convertatur oratio , ut inſtituto hujus capitis reſpondeamus , atque ideò pro certo ſtatuatur ; Gentiles Deum Hebræorum , verum eſſe Deum agnoſcentes , rebus ſacris, à Deo inſtitutis, nimirum ſacræ arcæ , tabulis lapideis , in quibus digito ipſius Dei , ſacra lex inſculpta erat , candelabro , unguento , aliiſque ex divina inſtitutione ad Dei cultum conſecratis , reverentiam exhibere obligatos extitiſſe : præſertim ad illa cæremonialia præcepta , quæ ſua in regione , ut diximus , liberè obſervare ſibi licuiſſet : quamobrem cum nullum afferri poſſit impedimentum ; quo cogerentur , præcepti de reverentia ſacri Conſecrationis olei tranſgreſſores exiſtere , hujus etiam præcepti vi , in propria regione Gentiles alligatos extitiſſe videtur ; quæ longiori examine , atque indagine , in ſequentibus examinabuntur.

Ne quis verò moveatur in contrariam ſententiam, rationibus jam in principio capituli allatis , pro ſententia Abulenſis : quæ ſequenti cap. à nobis examinanda erit. veruntamen ut dicta à nobis, ac dicenda firmiora ſint ; rationibus pro contraria ſententia poſitis ſatisfaciamus. Dicimus igitur quod quamvis in illo præcepto ſermo ad filios Iſraël dirigatur ; cum de compoſitione unguenti , & tabernaculi conſecratione agitur ; id ea potiſſimum ratione fit ; quia filiis Iſraël primo publicari præceptum hoc debuit , quos Moyſes alloquebatur : propterea enim ait Deus in exordio illius præcepti , *hæc dices filiis Iſraël :* verum hæc verba vim præcepti habent , ſolum in ordine ad Moyſem , cui præcepti publicatio committebatur : præceptum verò de reverentia ſacri unguenti nequaquam in illis poſita eſt ; ſed in ſubſequentibus verbis , præcepti jus inchoatur ; *Caro hominis non ungetur ex eo* , &c. ad omnes igitur homines cujuſcumque nationis Deus reſpiciens , præceptum illud ſtatuit.

Sunt etiam in prædicto textu illa verba obſervanda , quæ præcedentibus ſubſequuntur ; nimirum *Homo quicunque tale compoſuerit , & dederit de eo alieno* , &c. quæ quidem magis adhuc noſtrum intentum probant ; præſertim ſi hebraicus textus ad verbum

bum reddatur ſic : *Homo qui compoſuerit ſicut illud, & qui dabit de illo ſuper alienum*, &c. quæ ut fideliter tranſlata intelligas, verba ipſa hebraica apponenda : אִישׁ אֲשֶׁר יִרְקַח כָּמֹהוּ וַאֲשֶׁר־יִתֵּן מִמֶּנּוּ עַל־זָר *his haſcer irqhach camohu vahaſcer iten mimnmennu gal zar.* In quibus verbis duæ clauſulæ, duobus diſtinctæ relativis non erunt prætereundæ. prior illa eſt, *Homo qui compoſuerit ſicut illud.* poſterior eſt, *Et qui dabit de illo ſuper alienum*; cujus poſtremæ clauſulæ relativum, *qui*, certum eſt referri ad hominem Iſraëlitam, reſpectu cujus, reliqui homines dicuntur alieni in ſacris litteris : & ita alienus hic appellabitur Gentilis, ut diſtinguatur ab alio homine, ſignificato illo relativo, *qui*: quamobrem manifeſtum eſt, totam hanc poſteriorem ſententiam, ad virum Iſraëlitam referri. cùm neceſſariò prior ſententia ad omnem prorſus hominem dirigeretur, nimirum cum ait : *Homo quicumque compoſuerit ſicut illud*, &c. ea propter præceptum illud, de non componendo tale unguentum, ad omnes homines dirigi, dubio omni carebit.

Illa etiam, quæ contra Abulenſem objecta fuerunt; ſuo remanent in robore : nec illa, quibus ipſe prædictus ſatisfacere nititur, aliquid valent. nam quamvis Deus lator præceptorum judicialium, in conſtituenda Iſraëlitica Republica, novæ cujuſdam politiæ inſtitutor fuerit; tamen ut auctor Sacramentorum, & rituum, atque cæremoniarum, quæ rectum, & Deo placitum cultum proſpiciunt, omnes quoſcumque homines reſpicit : aliàs non licuiſſet omnibus ad legem Hebræorum tranſire : nec fuiſſent probandi, qui ad eos tranſiſſent; quia leges ab illo latæ non omnes reſpexiſſent : cum tamen ſecus ex ſacris conſtet oraculis : quia ut Deus & Dominus omnium, & non aliter Sacramenta inſtituere, tam in nova, quam in veteri lege potuit. in his enim tamquam Supremus Dominus, & omnium effectuum ſuprema cauſa, cognoſci ab hominibus contendebat. illo autem fœdere, & pacto cum filiis Iſraël inito, ipſi non ſolum ad obſervantiam moralium, & cæremonialium præceptorum omnium obligabantur, ſed etiam ad judicialia omnia, & ad quæcumque illis Deus mandare voluiſſet. Quibus equidem omnibus, Gentiles nequaquam ligabantur. perſpicuum eſt igitur, qua ratione Gentiles, ad cultum ſacri hujus olei obligarentur.

CAP. XIX.

Rationibus probatur, Gentiles ligari præcepto, de cultu Olei Conſecrationis.

Ad loca Numer. 4. *Nolite perdere populum Cahath de medio Levitarum, ſed hoc facite eis, ut vivant, & non moriantur, ſi tetigerint Sancta Sanctorum. Aaron, & filii ejus intrabunt, ipſique diſponent opera ſingulorum, & divident quid portare quis debeat : alii nulla curioſitate videant, quæ ſunt in Sanctuario priuſquam involvantur, alioquin morientur.* 1. Reg. cap. 6. *Percuſſit autem Dominus de viris Bethſamitibus, eo quod vidiſſent arcam Domini.* & ad alia.

QUAE præſenti capitulo dicenda veniunt, præcedentibus adjunguntur; quod ea ratione fecimus, ne nimia prolixitate Lectorem benevolum tædio afficeremus : quamobrem per partes ea diviſimus, quæ unico comprehendi capitulo poterant. Redeamus ergo ad noſtrum inſtitutum, noſtraque ſententia firmioribus doctrinis innitatur. Nec enim deſunt loca etiam ſacrarum Scripturarum plurima, quibus & Gentiles quoque alligatos extitiſſe,

A ad reverentiam ſacro oleo exhibendam probatur. Nam ab his quoque, quanta cum religione divina myſteria ſuperſtitioſa, quæque Deo ſacra erant, pertractanda forent, Apul. lib. 11. Metamor. teſtatur; propriam ad ſacra myſteria initiationem referens. Quid enim ſecum actum ſit, nocte illa, quando ad ſacrorum augurationem acceſſit, ſcribens ſic habet : *Quæras forſitan ſatis anxiè, ſtudioſe Lector, quid deinde dictum, quidvè factum. Dicerem ſi dicere liceret, cognoſceres ſi liceret audire. ſed parem noxam contraherent aures & linguæ, illius temerariæ curioſitatis.* Cum igitur prophanæ, ac falſæ religionis ſectatores, falſa dogmata tanta cum religione tegerent, atque venerarentur; quanta religione venerati fuiſſent ſacra veræ religionis, ubi ad verum Dei cultum iſta pertinere cognoviſſent? ſed de hoc audiamus Hermetem Triſmegiſtum; ſic quidem appellatum, quod ter maximus cenſeretur, in ſuo Dialogo *Aſclepius* plurima perdoctè de vero Deo diſſerens, Aſclepium ſic alloquitur : *Vides ergo, o Aſclepi, in quibus conſtituti, quæ tractemus, aut quæ audeamus attingere.* de Deo etenim loquebatur, & ad Deum converſus ſic illum exorat. *Sed, Deus ſumme, tibi gratias ago, qui me videndæ divinitatis tuæ illuminaſti lumine.* & converſus ad Aſclepium, & alios, quos alloquebatur, ſubit : *Et vos o Tati, & Aſclepi, & Ammon intra ſecreta pectoris, divina myſteria ſilentio tegite, & taciturnitate ſervate.* Quibus quidem duobus auctoribus, quanta religione, atque pietate, ſacra in reverentiam illis eſſent, præclarè habetur. nec incommodè inde argumentari licet, ſumma religione veneratum iri ſacrum Sacerdotale oleum ab illo homine, qui Deum Hebræorum, verum eſſe Deum cognoviſſet; quamvis de numero filiorum Iſraël non fuiſſet.

Ex ſacra etiam Scriptura petitis argumentis, hoc idem probemus; exordiumque ſumamus ab his, quæ Dominus Moyſi, & Aaron præcepit Num. 4. jubet enim ibi Sacerdotes, vaſa Sanctuarii omnia cooperire, ſi quando caſtra alibi metari Iſraëlitæ compellerentur; & tabernaculum cum omnibus ſuis vaſis hinc inde aſportare, itineris cauſa cogerentur. cuncta enim ſacra vaſa ea ratione aulæis operiri volebat; ne aliquis ſacra illa utenſilia reſpiceret; quæque in Sanctuario ſervabantur, perſcrutari auderet. hoc autem ſub interminatione mortis præcipitur in hæc verba : *Nolite perdere populum Cahath* (meminit hujus familiæ, quia ad illam pertinebat vaſa Sanctuarii portare, cum iter ageretur à populo in deſerto) *de medio Levitarum : ſed hoc facietis ut vivant, & non moriantur, ſi tetigerint Sancta Sanctorum. Aaron, & filii ejus intrabunt, ipſique diſponent opera ſingulorum, & divident quid portare quis debeat. alii nulla curioſitate videant, quæ ſunt in Sanctuario priuſquam involvantur, alioquin morientur.* Hoc præceptum tantum dirigi videbatur ad filios Cahath; quia ipſis Sanctuarii utenſilia, portandi cura commiſſa fuerat : at nihilominus non ſolum ad illos, ſed etiam ad alios quoſcumque de populo Iſraël præceptum hoc cultus extendebatur : nec hoc in dubium revocare licet. Ea propter, Gentiles etiam ad illius obſervantiam teneri perſpicuum eſt; quemadmodum cap. 6. lib. 1. Reg. ex his quæ Iſraëlitis Bethſamitibus acciderunt, probari optime poteſt. de quorum caſu ſic in textu legitur : *Percuſſit autem Dominus de viris Bethſamitibus, eo quod vidiſſent arcam Domini : & percuſſit de populo ſeptuaginta viros, & quinquaginta millia plebis, & luxit populus.* Similiter percuſſi fuerunt Azotii, qui erant Gentiles, ut habetur cap. 5. ejuſdem libri, his verbis : *Aggravata eſt autem manus Domini ſuper Azotios, & demolitus eſt eos; & percuſſit in ſecretiori parte natium Azotum, & fines ejus. Et ebullierunt villæ, & agri in medio regionis illius, & nati ſunt mures*

res , & facta eſt confuſio mortis magna in civitate.

Nec in contrariam ſententiam Lector abeat , ex his quæ lib. 4. Reg. & apud Danielem leguntur, de aſportatione ſacrorum utenſilium templi Hieroſolymitani, juſſu Nabuchodonoſoris facta , ut in Babylonem aſportarentur. quæ licet hoſtiliter aſportata fuerint : quia ſumma cum religione , cultu , atque reverentia utenſilia hæc ſacra , illò Nabuchodonoſorem ea aſportaſſe par eſt credere , propterea ſine aliquo divinæ iræ , ea de re , judicio , ad Babylonem uſque deducta fuerunt. nec ſacra oracula id ſubindicare , ſaltem ſubobſcurè prætermiſerunt. tum quia Nabuchodonoſorem illa prophanaſſe, neque ob irreverentiam à Deo punitum aliquando ſcribitur; tum denique quia id ubi fecit Balthaſſar , illius in regno Babylonico ſucceſſor , illicò cœlitus , manus in parietem convivii miſſa eſt , mortis ſententiam in illum ſcribens ; & divinæ ultionis in ipſum ſævientis teſtimonium manifeſtans. ut ſcribitur cap. 5. Dan. his verbis: *Præcepit ergo jam temulentus* , ſupple Rex, *ut afferrentur vaſa aurea , & argentea , quæ aſportaverat Nabuchodonoſor pater ejus de templo, quod fuit in Jeruſalem, ut biberent in eis ipſe , & optimates ejus , uxoreſque ejus, & concubinæ. tunc allata ſunt vaſa aurea , & argentea , quæ aſportaverat de templo, quod fuerat in Jeruſalem , & biberunt in eis Rex , & optimates ejus, uxores & concubinæ illius. Bibebant vinum, & laudabant Deos ſuos aureos , & argenteos, aereos ligneoſque , & lapideos. in eadem hora apparuerunt digiti quaſi manus hominis ſcribentis contra candelabrum , in ſuperficie parietis aulæ regiæ ; & Rex aſpiciebat articulos manus ſcribentis.* Quam ſcripturam licet nequiverint legere ſapientes Babylonici; legit tamen Daniel, agnovitque divinam ſententiam mortis in Regem in illis verbis : MANE. THECEL. PHARES. quorum verborum ea erat interpretatio ; quod appenſus Rex , ob ſua crimina in ſtatera divinæ juſtitiæ , atque judicii jam fuiſſet, minimèque ibi inventus ejus ponderis, cujus tenebatur eſſe : non alia profectò de ratione; niſi quia ſacra Dei utenſilia , prophano uſu commaculaverat ; & legem de reverentia illis exhibenda transgreſſus fuerat. Quamobrem de illo vindictam ſumere non diù diſtulit Benedictus Deus ; ſed ea ipſa in nocte , cujus in veſpera , hæc Rex commiſerat ; & ſacra vaſa prophanare auſus fuerat , cum interfici permiſit, urbemque Babylonicam ab hoſtili exercitu depopulari ; & regnum Babylonicum, ſub Perſarum jugum venire decrevit.

Ex his ſacræ Scripturæ locis , atque hiſtoriis, me judice , claro ſatis argumento probatur , Gentiles ad reverentiam , ſacro Sacerdotali oleo exhibendam obligatos fuiſſe. nam ex illis rationem in hanc formam habere poſſumus: (ut etiam Scholaſticis Doctoribus in aliquo, aliquando morem geramus.) ſi Azotii, Accaronitæ, & Balthaſſar Babyloniæ Rex , qui Gentiles erant; nullo obligationis vinculo, ex vigore legis, ad reverentiam debitam , erga Dei Arcam præſtandam tenerentur ; nulliuſque præcepti rigore vetarentur inveſtigare , aut ſcrutari , quid in arca ſervaretur ; ſimiliterque Balthaſſar , & ejus Principes , atque Regni proceres , nullo præcepto tenerentur, reverentiam exhibere ſacris tabernaculi , & templi utenſilibus ; nihil certè hi peccaſſent ; nec illi Accaronitæ Dei Sacram Arcam irreverenter tractando , quando illam in templo Dagon conſtituerunt; neque Azotii, aut Bethſamitæ curioſè inveſtigando , quænam in Sacra Dei Arca aſſervarentur; neque Balthaſſar Rex Babylonis ſacra vaſa prophanando ; igitur non pro meritis , & juſtè à Deo punirentur. Cum igitur ex ſacris Oraculis liquido conſtet ; pro jam dictis , veluti pro capitalibus criminibus , Deum de illis vindictam ſumpſiſſe : de Accaronitis nimirum , quod Sacram Dei Arcam , propè A Idolum Dagon conſtituiſſent ; de Bethſamitis quod curioſè eamdem Sacram Dei Arcam introſpexiſſent; ut optimè habet Vatabl. de Babyloniis , quod ſacra Dei vaſa, ad prophanos uſus adhibuiſſent : dicendum eſt igitur , atque certiſſimè tenendum , ex his ſacræ Scripturæ locis , evidenti quodammodo argumento colligi ; præcepta illa Moyſi , & Iſraëlitis lata , de reverentia rebus ſacris præſtanda , de non curioſè perſcrutando , quænam in Sacra Dei Arca aſſervarentur; Gentiles etiam ad illorum obſervantiam obligaſſe ; ac proinde jure præcepti, etiam ipſos alligaſſe , cum hæc Gentilibus in culpam , prædictis in locis dentur.

B Nunc pari ratione contra doctrinam Abulenſis, atque illorum etiam , qui eam ſequuntur , affirmatè pronunciamus: præceptum de non componendo tale unguentum , quale componi mandaverat Deus, ad ſacrandum Dei Tabernaculum , ſacra illius vaſa, nec non etiam Sacerdotes, quo etiam uſus ſacri illius unguenti omnibus prohibebatur , præterquam Sacerdotibus tantum , cum initiarentur ; quo præcepto ſimiliter unguentum alienis communicare interdicebatur ; non ſolum populum Iſraëliticum , ſed Gentiles etiam ligaſſe : non quidem omnes , ſed illos tantum, qui Deum Hebræorum, verum eſſe Deum, vel certo cognoviſſent ; vel probabili conjectura id C ſuſpicari potuiſſent. Quemadmodum de Accaronitis , de Azotiis , deque Balthaſſar Babyloniæ Rege, ex Sacris Scripturis perſpicuum eſt. nam cum filii Iſraël cap. 4. lib 1. Reg. Arcam Dei in caſtra adduxiſſent ; ut defenderent ſe ab Accaronitis , Azotijs , & reliquis Philiſtæis : *Ingemuerunt Philiſtiim*, inquit textus , *dicentes. Veh nobis , non enim fuit tanta exultatio heri , & nudius tertius ; veh nobis, quis nos ſalvabit de manu ſublimium Deorum iſtorum ? hi ſunt Dii qui percuſſerunt Aegyptum omni plaga in deſerto.* & licet ſit hic Deorum vocabulum in plurali ; id tamen nequaquam ea ratione factum eſt , quod Philiſtiim putarent plures Deos adorari à filiis Iſraël ; ſed quia D in Hebræo eſt nomen אֱלֹהִים *elohim*, quod eſt in plurali ; licet in Sacris Oraculis ſemper accipiatur pro Deo uno , in perſonarum pluralitate. Nam cum Philiſthæi remitterent quoque Arcam Dei ; ut certiores fierent, omnem infirmitatem , à Deo illis immiſſam, ob irreverentiam, qua Arcam tractaverant; obſervaverunt cap. 6. ejuſdem libri , an ad Bethſamitas ferretur Dei Arca : ſic enim Satrapæ Philiſthinorum illis conſuluerunt : *Dimittite eam ut vadat, & aſpicietis , & ſi quidem per viam finium ſuorum aſcenderit contra Bethſames , ipſe fecit nobis hoc malum grande* , & infra ait ſacer textus : *Ibant autem in directum vaccæ per viam quæ ducit Bethſames , & itinere* E *uno gradiebantur, pergentes, & mugientes, & non declinabant neque ad dexteram , neque ad ſiniſtram.* Habuerunt igitur Philiſthiim , unde ſuſpicarentur, imò clarè cognoſcerent, Deum Iſraël, verum eſſe Deum. Nec Balthaſſar Rex Babylonicus, ab ejus cognitione fuit alienus ; tum quia Danielem cum tota Hebræorum captivitate , apud ſe habebat ; tum etiam quia Nabuchodonoſor illius deceſſor faſſus eſt , & publico edicto cavit, ne quis Dei Iſraël Numen obtrectaret : quod non eſſet alius Deus , potentior illo. ſic enim legitur cap. 3. Daniel. poſtquam tres pueri, de camino ignis liberati fuiſſent. *A me ergo poſitum eſt hoc decretum , ut omnis populus , tribus , & lingua quæcumque loquuta fuerit blaſphemiam contra Deum Si-* F *drach , Miſach , & Abdenago , diſpereat , & domus ejus vaſtetur , neque enim eſt alius Deus qui poſſit ita ſalvare.* Cum igitur Gentiles haberent , unde optimo argumento ſuſpicari poſſent veram Dei Iſraëlitici divinitatem , præcipientis cultum Sacri Conſecrationis olei; utique ad legem pro illo latam tenebantur: eo argumento , quod quæ à Deo præcepta ſunt , in reve-

everentiam rerum Deo ipſi ſacrarum, quoſcumque etiam Gentiles, ut probavimus obligabant. at ſacrum hoc unguentum in numero eorum erat, quæ Deus ſui juris fecerat, ſibique ſacraverat; & maximè revereri juſſerat: igitur Gentiles quoque ad illius obſervantiam tenebantur; & ſacrum hoc Sacerdotale oleum, revereri cogebantur. ea propter nequibant licitè aliud illi ſimile componere, eo uti, aut alienis de eo dare. Probatur intentum, ex textu, Deo ipſo atteſtante, atque dicente: *Hoc oleum unctionis, ſanctum erit mihi in generationes veſtras.* Quæ verò ſancta Deo dicuntur, taliter ſancta ſunt, ut nemini ea violare liceat; & nefas ſit eadem non revereri; præſertim cum ſub mortis interminatione, reverenda præcipiantur; ac propterea omnibus verendum, ne ſi ſecus fecerint, acriter à Deo puniantur. Quod verò his quæ Sancta appellantur; reverentiam præſtare Gentiles, unà cum Iſraëlitis cogerentur, hoc argumento ſuaderi poteſt. Nam licet omnibus in templo Hieroſolymitano adorationis debitum cultum etiam Gentilibus ſummo Deo præſtare concederetur; tamen partem illam Templi, quæ Sancta dicebatur, nemini adire, niſi Sacerdotibus permittebatur: pari igitur ratione, ſacro huic Conſecrationis unguento, jure ſanctitatis reverentia præſtanda fuit, quod ex ſe Sanctum diceretur: quamobrem omnibus filiis Iſraël Sanctum eſſe debere imperatur. Etenim rationem aſſignans ſacer textus, cur homines tale unguentum componere prohiberentur; non aliam habet, niſi hanc unam, *Quia ſanctificatum eſt, & ſanctum erit vobis;* vel ut habet Hebraica lectio קֹדֶשׁ הוּא *kodes hu, ſanctum ipſum.* ſupple *eſt*: ſed quæ ex ſe Sancta dicuntur, nulli nec etiam Gentilibus violare fas erat: igitur ipſi quoque ad ſervandam legem latam, de reverentia exhibenda huic ſacro unguento, tenebantur.

Et denique ſit hæc ratio noſter Achilles. nam Deus capitalem pœnam in tranſgreſſores intulit; talis enim cenſebatur pœna eradicationis de populo ſuo; & hæc pœna cuicumque Iſraëlitæ decernebatur, qui alicui alieno homini, & ex Gentilium nationibus, ſacrum iſtud unguentum communicaſſet: igitur jam ex præcepto Dei ſacri hujus unguenti uſus Gentilibus interdicebatur. A fortiori igitur ejuſdem unguenti compoſitionem, Gentilibus vetitam fuiſſe ratio poſtulat; vigore ejuſdem præcepti: pendet enim uſus uniuſcujuſque unguenti ab illius compoſitione; ea propter his quibus uſus prohibetur, compoſitionem etiam vetitam eſſe quis dubitabit? quamobrem licebit concludere, firmiſſimèque ſentire, præceptum latum Iſraëlitis de non componendo ſacrum illud unguentum, deque non utendo eo, aut aliis dando; quibus capitibus cultus illius clauditur; & reverentia illi exhibenda præcipitur; Gentiles quoque ad ejus obſervantiam obligare.

CAP. XX.

Tranſgreſſores præcepti, de reverentia oleo Conſecrationis præſtanda, mortaliter peccabant.

Ad loca Exodi 30. *Caro hominis non ungetur ex eo, & juxta compoſitionem ejus non facietis aliud; quia ſanctificatum eſt, & ſanctum erit vobis.* Lucæ 18. *Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Exodi 20. *Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem quæ eſt in cœlo deſuper.* & ad alia.

UT affatim elucidentur, quæ diximus de reverentia ex Dei præſcripto ſacro huic Sacerdotali oleo præſtanda: adhuc explicandum remanet, æquaque lance librandum, utrumne præceptum iſtud de ſacro unguento Conſecrationis non componendo, & de non utendo illo, quod citato jam ſæpe loco Exodi 30. habetur; tranſgreſſores, ſolius culpæ reos faceret; quamobrem mortalis tantummodo peccati labe intra conſcientiam reus fieret, quicumque contra illud præceptum aliud ſimile oleum paraſſet, vel eo uteretur; ſive denique ad Gentiles, vel ad alienos, ſacrum hoc unguentum tranſmiſiſſet; atque ita nulli pœnæ externæ ſubjaceret; neque tranſgreſſores ab his, qui Reipublicæ præerant, pœna aliqua afficiendi forent: ſive è diverſo ſentiendum ſit, ut nimirum labe mortalis culpæ immunis tranſgreſſor exiſtens, ſoli externæ pœnæ ſubjaceret: cum in textu dicatur: Animam, hoc præceptum tranſgredientem, excidendam eſſe *de medio populi ſui.* Poterit denique à nobis dubitari, an talis, ac tanta vis obligatoria præcepti eſſet, ut tranſgreſſores non ſolum mortalis labe commacularentur; ſed ſimul etiam pœnis ex lege ſtatutis ſubjicerentur. Quia verò de obligatione quam hoc præceptum inducit, tam reſpectu Iſraëlitæ, quam hominis Gentilis, in præcedentibus diſſeruimus; idcirco, & de utriſque etiam in præſenti, & ſequentibus capitulis, noſter erit ſermo.

Quamobrem ut rectè intelligantur illa; quæ pro diſcuſſione iſtarum difficultatum dicenda remanent; non erit præter rem obſervare diſcrimen, quod inter leges, ſive præcepta (pro eodem enim hæc duo hic accipiuntur. nam quod Deo placuit, legis habet vigorem. *arg. inſtit. de jure nat. gent. §. ſed*) inter leges inquam & præcepta, quæ tantum ad culpam, & illa quæ tantum ad pœnam obligant. nam præceptum, ſive lex illa, quæ tranſgreſſores mortalis culpæ tantum reos facit; ita immediatè, & directè ex intentione Legiſlatoris ſubditos omnes ligat; ut peccati mortalis labe omnino inquinentur quicumque legem trangreſſi fuerint. Culpa enim eſt deviatio à bono, vel aliquid omittendo, vel malum committendo. Bartol. *in l. quod Nerva, ff. depoſiti.* quam eamdem definitionem per alia verba tradiderunt Theologi in definitione peccati, dicentes; Peccatum nihil aliud eſſe, quam deviationem à recta regula rationis; vel ut alii dixerunt, averſio à Creatore, ſive ab incommutabili bono; & converſio ad creaturas, ſive commutabile bonum; hæc enim omnia in idem recidunt. Et quia finis legis potiſſimum divinæ, nil aliud eſt, quam ſemitam quamdam complanare, qua homo recto tramite ad bonum ducatur: inde fit, ut deviatio quæcumque à lege, à bono quoque ſit deviatio: in qua deviatione, ut diximus, formalis ratio culpæ conſiſtit. ea propter, nemo ab illa deviare valet, quin peccati labe commaculetur.

At verò lex illa, quæ ſolius pœnæ transgreſſores reos facit, potius ad magiſtratus dirigitur, atque ad illos, quibus Reipublicæ cura demandata eſt, quique ex munere habent, legum, ac præceptorum obſervantiam curare; quam ad ſubditos, & inferiores. Pœnæ enim rationem habet, hominem aliquo legitimo jure privare, ſive in patrimonio, & jure quæſito, ſive in corpore, *cap. diſpendia de reſcript. in ſexto*: cumque neminem privare poſſit alium, legitimo aliquo jure, niſi Magiſtratus, & qui in Republica præeſt; ea ratione liquido conſtat, pœnam ex lege irrogare tranſgreſſoribus, munus illius fore, cui invigilandum pro legum cuſtodia fuerit: quamobrem legem, quæ habet annexam pœnam, ad illos propriè dirigi dicemus, qui cæteris aliqua ratione præſunt. Exemplis ipſam rem jam ſatis clarè explicatam firmemus. Audire ſacrum in die feſto, quod ab Eccleſia ſub reatu mortalis culpæ præcipitur, ita inferiores ligat, ut hujus præ-

cepti per omiſſionem tranſgreſſor, eo ipſo culpæ obnoxius fiat, & in die feſto non audito ſacro, mortaliter peccet: hos autem pœna aliqua afficere, tantum ratione alterius ſuperadditæ legis, Præſides valent, per aliam nimirum legem pœnam tranſgreſſoribus indicentem. At verò ſi Princeps exempli gratia juſſerit; ne quis ſub pœna ultimi ſupplicii extra urbem triticum efferat: hujus præcepti ac legis tranſgreſſor, nequaquam eo ipſo ſe occidere tenetur; neque eo ipſo ſolvere pœnam, quamvis pœna alterius generis fuiſſet; ut præclare habet Archid. *cap. felicis. de pœn. in ſex. Gemm. in cap. pro humana*, §. *ſacri.* & facit etiam Bald. *in l. jubemus*, §. *iconomus*, *C. de ſac. ſanct. Eccl.* & Bartol. *in l. Divus.* ſed magiſtratus, atque ejus qui Reipublicæ præeſt munus erit, iſtius legis obſervantiam curare; ejuſque tranſgreſſores, pœna ex lege ſtatuta punire.

Quibus attente conſideratis, & æquo animo libratis, eò unde digreſſi ſumus noſtra vertatur oratio; nimirum ad præceptum, de reverentia Sacro Conſecrationis oleo præſtanda; in quo quidem præcepto, certum in primis erit, omnes Iſraëlitas vigore, ac vi præcepti, ad illius obſervantiam, ſub reatu mortalis culpæ alligatos extitiſſe. & ratio ex divinæ legis auctoritate ſumitur; quæ huic præcepto, cum imbibita appareat, noſtram hanc doctrinam evidentiſſimam facit. Præceptum enim hoc à Deo latum fuit Iſraëlitis: cumque ſub reatu mortalis culpæ ligent, quæ à Deo præcipiuntur; etiam ſi præcipiantur ab ipſo, tamquam ab inſtitutore alicujus ſingularis Reipublicæ; quia tamen in eadem Republica, ut Deus colitur, adoratur, & acceptatur; fit conſequens, ut mortalis culpæ labe commacularentur in Republica Iſraëlitica, qui præceptum de reverentia ſacro Conſecrationis oleo præſtanda tranſgrederentur. Fatemur quidem divinas leges non ſemper tranſgreſſorem mortali culpa ligare; nimirum ſi ratione alicujus circumſtantiæ vinculum præcepti defecerit, (ut puta materiæ) quod ſolum accidit præceptis illis, quæ reſpiciunt bonum proximi, vel imperfectæ deliberationis; quod in exercitio cujuſcumque præcepti aliquando contingere poteſt: quia in primo motu voluntatis, ſive ſit motus primo primus, ſive motus ſecundo primus, culpa mortalis nequaquam apparere poteſt: tamen ubi deſierint illæ conditiones, quæ venire nequeunt in præceptum, de reverentia ſacro Conſecrationis oleo præſtanda, dicendum erit, & pro certo firmandum, præceptum hoc, Iſraëlitas omnes ad ſui obſervantiam, ſub pœna mortalis culpæ ligaſſe.

Magis adhuc eo firmari poteſt noſtra doctrina, quod Iſraëlitæ ad id ſe obligaverunt. cum Moyſe Dei verba ad populum referente, ut legimus cap. 19. Exodi, totus ſimul populus reſpondit: *Cuncta quæ locutus eſt Dominus, faciemus:* & hoc idem iterum, atque tertio firmaverunt: utque majori vinculo vincirentur, cum ipſo Deo in monte Synai fœdus fecerunt; ut legitur in eodem lib. cap. 24. ſed illa, ad quæ obſervanda aliquis fœdere aliquo ſe ligavit, ſub reatu mortalis culpæ obſervare tenetur *cap. 1. de pact. & in cap. juram. 22. quæſt. 5.* Bald. *in l. cum quis, cap. de juram.* igitur Iſraëlitæ quoque ad obſervantiam hujus præcepti, de reverentia ſacro huic Conſecrationis oleo præſtanda, & aliorum divinorum præceptorum, cæremonialium maximè, ſub reatu mortalis culpæ tenebantur. His etiam addere poſſumus; quod in humanis legibus, quoties aliqua graviſſima pœna apponitur, maximè ſpiritualis in Eccleſiaſticis ſanctionibus, ut excommunicationis, ſuſpenſionis, & hujus generis, toties obligatio ſub reatu mortalis culpæ inducitur. ut communiter Theologi cum D. Thoma 1. 2. in materia de legib. tradunt. & plurimi juris canonici Doctores *in cap. nullus. 11. q. 3. & cap.*

A 1. *de ſenten. excom. in ſexto* confirmant. igitur à fortiori in divinis legibus hoc locum habebit. cumque in præcepto hoc de reverentia, ſacro huic Conſecrationis oleo, præſtanda, pœna graviſſima tranſgreſſoribus infligenda apponatur; Deo dicente, animam illam, quæ hujus præcepti contemtrix exiſtet, excidendam fore de populo ſuo; (de cujus pœnæ intelligentia, ſtatim dicemus.) ea propter omni dubio procul, præceptum iſtud, ad ſuam obſervantiam ſub reatu mortalis culpæ Iſraëlitas omnes obligaſſe, indubitata res erit.

Sed major adhuc lis eſt de Gentilibus, de quibus in præcedentibus duobus capitulis locuti ſumus, de
B illis nimirum, qui Deum Hebræorum, verum eſſe Deum cognoviſſent; vel hoc probabiliter ſuſpicarentur; certoque ſcirent Deum legem tuliſſe de reverentia ſacro Conſecrationis oleo præſtanda: an nimirum ipſi quoque ad obſervantiam hujus præcepti, ſub reatu mortalis culpæ tenerentur. Abul. quæſt. 15. in cap. 30. Exo. ſtat pro parte negativa, pro certo affirmans, quod Gentiles nullo modo peccarent, neque aliquam inobedientiæ maculam contraherent, præceptum illud non ſervando, & ſecus, atque ibi habetur faciendo. Pro ſua ſententia ſic, more ſcholaſtico argumentatur. Lex non obligat, niſi illos, quos Legiſlator obligare vult; ſed ſolam gentem Hebræ-
C am, voluit Deus obligari, & non alias nationes ad obſervantiam hujus præcepti: ergo reliquæ nationes non obligabantur. Igitur faciendo contra illud præceptum, nullo modo peccaſſent; quia nullam legis alicujus, aut præcepti tranſgreſſionem incurrerent. Minorem propoſitionem ſuæ argumentationis, ex eo probat, quod Deus ſolum cum gente Hebræa fœdera iniit; & illam ſolum ſibi in populum peculiarem elegit: ergo illam tantum ad obſervantiam hujus legis, & non alias nationes obligare voluit. Igitur etiam ſi aliquis Gentilis Deum Hebræorum verum eſſe Deum cognoſceret; & præceptum hoc edidiſſe, de reverentia ſacro Conſecrationis oleo præ-
D ſtanda: ſecus tamen faciendo, ac præceptum poſtulat, nihil peccaret. & affert Abulenſis inſtantiam; quia quamvis ego ſcirem Chriſtum alicui homini, aliquid præcepiſſe, ad illius tamen præcepti obſervantiam, ſub pœna peccati nequaquam eſſem obligatus. quamvis certò apud me eſſet Chriſtum verum Deum eſſe. utque doctrina hæc magis roboretur; exemplum poſſumus afferre, de eo quod præcepit Chriſtus juveni illi apud Marcum, & Lucam nimirum de contemnendis omnibus, & illum ſequendo, cum ait: *Vade, vende omnia quæ habes & da pauperibus, & veni, ſequere me.* Ex his infert Abulen. quod licet Gentilis ſciret Deum Hebræorum verum eſſe
E Deum; & illis hæc, & hæc præcepta tradidiſſe; non tamen rectè inde colligitur, Gentilem vigore illius præcepti obligatum exiſtere, ad ea ſervanda, quæ illa lege ſive præcepto, mandabantur. Quod ſi contra Abulenſem inſurrexerit quis, argumentis ex lege Evangelica petitis ad quam omnes tenentur: reſpondet ille diverſam rationem de hac, atque de Moſaica haberi: quia lex Evangelica lata eſt à Chriſto; ut per univerſum orbem prædicaretur, & obſervantia illius omnibus injungeretur; Chriſto Apoſtolis præcipiente, ut illa ubique prædicarent dicendo: *Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ.* quod Moſaicæ legi nequaquam accidit;
F ac propterea pari paſſu, in hac, atque in illa non erit incedendum.

Abulenſis doctrinam, tamquam doctiſſimi viri oracula, alii excipiant; nobis in præſenti difficultate, contraria via magis ſecurè incedendum exiſtimamus; perſiſtendo in his, quæ in duobus capitulis præcedentibus docuimus. Quapropter juxta ea, quæ ibi diximus, certiſſimè tenemus, Gentilem qui Deum He-

Hebræorum, verum eſſe Deum cognoviſſet; hujuſque præcepti de reverentia præſtanda oleo ſacræ Conſecrationis, tranſgreſſor exiſteret, illud conficiendo, aut de eodem utens, aut aliis etiam ad uſum porrigens, peccati mortalis reus fieret. ut autem hæc noſtra ſententia firma exiſtat; contrariis omnino ab Abulenſi utamur argumentis. nam, ut oſtendimus capitibus præcedentibus, hoc præceptum etiam ad Gentiles extendebatur; & ad ejus obſervantiam ipſi quoque tenebantur: quicumque igitur ex Gentilibus, (quo nomine omnes nationes ab Iſraëlitis comprehendebantur) hoc unguentum compoſuiſſet; vel eo uſus fuiſſet; vel alteri de illo ad uſum dediſſet; hujus præcepti tranſgreſſor exiſteret. at quæcumque tranſgreſſio divini præcepti, quod ut à Deo recipitur; & ad quod obſervandum aliquis obligatur, eſt mortale peccatum. igitur Gentilis tranſgreſſor exiſtens, dubio procul mortaliter peccaſſet.

Magis iſta roborari poſſunt, ex impugnatione antecedentis ſententiæ, ſumpto argumento à contrario, debilitatemque illius doctrinæ oſtendendo. quia ſi Gentiles in compoſitione hujus unguenti, ac tranſgreſſione præcepti, de reverentia præſtanda ſacro unguento, non peccaſſent; nec etiam peccaſſent Gentiles idola, atque ſimulacra faciendo, eiſque cultum exhibendo. In his tamen graviſſime illos peccaſſe, fatentur omnes, ſaltem occaſionaliter (quod dictum accipe, quia de hoc præcepto, & ejus recta intelligentia, quantum ad artem ſtatuariam, Deo dante, alibi à me diſputandum erit) igitur etiam mortaliter peccabant tranſgreſſores hujus præcepti, in compoſitione, & uſu ſacri unguenti. Hujus verò noſtri argumenti aſſumptum inde probamus, quia præceptum illud de non fabricandis idolis, atque ſimulacris quarumcumque rerum, aut eis cultum exhibendo, ſpecialiter populo Hebræo datum fuit. ſic enim legimus Exodi 20. *Non facies tibi ſculptile:* in quibus verbis illud pronomen ſecundæ perſonæ, *tibi*, ſatis indicare videtur, Dei ſermonem ad ſolum Hebræorum populum dirigi, & ad ſingulos Iſraëlitas; nequaquam verò ad populos alterius nationis. quamobrem ſi ſtandum eſſet Abulenſis regulis, & illorum qui illum ſequuntur, dicendum eſſet; licuiſſe Gentilibus ſimulacra, atque idola facere. Nam illud quoque præceptum datur per multa prohibentia, *non facies tibi.* quemadmodum etiam præceptum de non componendo tale unguentum, in quo dicitur, *non facietis.* & parum infra ſubditur, *ſanctum erit vobis.* quæ verba inconſideratè non ſunt percurrenda. Propterea ſi Gentiles in compoſitione hujus ſacri olei, præceptique tranſgreſſione, nullius culpæ rei fierent; nec etiam in tranſgreſſione præcepti, quo ſimulacra confici prohibebantur, culpæ fierent obnoxii. Cum autem iſta dicere falſiſſimum ſit, profectò illa quoque falſa erunt; ex quibus abſurda hujuſmodi ſequuntur. quapropter cum pari paſſu argumenta hæc incedant; perſpicuum erit, in compoſitione hujus unguenti, utique Gentiles mortalis peccati labem contraxiſſe; ſicut in conſtruendis Idolis, ac ſimulacris, tam Gentiles, quam Hebræi, graviſſimi criminis ſcelere commaculabantur: licet Iſraëlitæ graviori ſcelere tenerentur, idola, ac ſimulacra faciendo, quia fœdere cum Deo inito de non faciendis ſimulacris, in monte Synai ſe obligaverant.

Nec quemquam vel auctoritas, vel dicta Abulenſis moveant. nam auctoritati præferenda eſt veritas, in ratione firma. ejus verò dictis ſatisfacere, facillimum erit. nam in præcedentibus capitibus, Deum voluiſſe hoc præcepto obligare omnes homines, cujuſcumque nationis eſſent, jam monſtravimus cap. 17. nam quamvis cum ſolo populo Hebræo fœdera Deus percuſſerit, pactumque inierit; & fœdera quoque illa, ad inſtitutionem cujuſdam particularis

A politiæ ordinarentur: attamen ſpecialis hæc Politia, & Reſpublica non præceptis cæremonialibus, aut moralibus, ſed judicialibus cum primis conſtituebatur, & ordinabatur. hæc enim ſunt quæ primo Rempublicam conſtituunt: præcepta autem moralia communia ſunt omnibus hominibus: ea propter Philoſophi docent Ethicam facultatem, communem eſſe omnibus hominibus, & omnibus Rebuſpublicis, quia agit de moribus. at verò Politica, quæ agit de recta Reipublicæ gubernatione pro diverſitate Rerumpublicarum, ipſa quoque variatur. & ſit inſtantia noſtra de Eccleſia Latina, & Statutis, ac ſacris illius ritibus, ut quid de præceptis cæremonialibus B ſentiendum ſit, liquido conſtet. nam licet ſub ſuavi jugo Eccleſiæ Romanæ Itali, Galli, Hiſpani, Germani, aliæque plures Reſpublicæ degant; quæ eiſdem cæremoniis, ac cæremonialibus præceptis, Deo debitum cultum exhibent: diverſas tamen pro diverſitate Rerumpublicarum, & Regnorum ſortiuntur leges judiciales. Redeuntes igitur ad rem noſtram, & ad cæremonialia quæ Dei cultum ex Moſaicis inſtitutis reſpiciebant. cum ante adventum Chriſti non eſſent vera Sacramenta, quæ gratiam efficerent, quam ſignificabant; dummodo ritus ordinarentur, & dirigerentur ad cultum unius Dei; parum referebat, cujus generis eſſent; quamobrem ratione ſo-C lummodo divini beneplaciti, ad hæc potius quam ad alia Iſraëlitæ cogebantur. his apertè conſtat nihil facere ad rem, quæ de inſtitutione ſingularis Reipublicæ attulit Abulenſis; cum præceptum hoc reverentiæ præſtandæ ſacro unguento nequaquam judiciale ſit, ſed inter cæremonialia numerari liquido conſtet.

Inſtantia verò quam adfert Abulenſis, quod homines univerſi non teneantur obſervare, quæ Deus præcepiſſet alicui homini in ſingulari; & nos pro Abulenſi exemplum de Chriſto jubente juvenem illum relinquere omnia ſua, illius rationem firmavimus: cuncta hæc, & ſexcenta alia ſimilia, nihil omnino va-D lent, nec faciunt ad rem. Eſt enim argumentum à particulari ad univerſale, à præcepto lato uni homini, ad obligationem obſervantiæ ad alios quoſcumque; eſt argumentum à conſiliis ad præcepta. Non enim juſſit Chriſtus juvenem illum vendere omnia; ſed conſilium præſtitit, ut ad perfectionem tenderet. In quo quidem genere argumentandi, abſurda ſunt, quæ inde ſequuntur. Jam enim ſæpè diximus hoc præceptum de non componendo ſacro hoc unguento, & reliquis in eo contentis, ad omnes homines dirigi; nec ad ſingularem aliquem hominem latum fuiſſe; ſed ſaltem ad univerſam Hebræorum Rempublicam ex Abulenſis ſententia, & illorum qui il-E lum ſequuntur: quamobrem argumenta illius non æquo pede currunt. jam enim oſtendimus, omnes iſtud præceptum comprehendiſſe homines; atque idcirco omnes peccaſſe, etiam Gentiles, in tranſgreſſione illius, certiſſimè tenendum erit.

CAP. XXI.

Animadverſionis, & commonitionis pœna indicitur, in tranſgreſſione cultus ſacri olei.

Ad loca Exodi. 30. *Homo quicumque tale compoſuerit, & dederit de eo alieno, exterminabitur de populo ſuo.* F & cap. 21. *Si quis aperuerit ciſternam, & foderit, & non operuerit eam, cecideritque bos, aut aſinus in eam, reddet Domino pretium jumentorum.* & ad alia.

MAXIMA etenim fuit apud omnes homines, & quaſcumque nationes legum auctoritas; & meritò quidem, quia ſine legibus Reſpubli-

publicæ ſtare nequeunt, nec una Republica altera melior dicitur, niſi quæ perfectioribus, atque ſanctioribus legibus firmata fuerit; atque propterea lex regina rerum omnium merito appellata eſt; ut refert Martian. Juriconſultus *lib. de legibus* 2. ex variis antiquis auctoribus, præſertim ex Chryſippo Philoſopho in *lib. de leg.* quorum verba hæc ſunt. Ὁ νόμος πάντων ἐστὶ βασιλεύς, θείων τε, καὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων. δεῖ δὲ αὐτὸν προστάτην τε εἶναι καὶ τῶν καλῶν, καὶ τῶν αἰσχρῶν, καὶ ἄρχοντα, καὶ ἡγεμόνα, καὶ κατὰ τοῦτο κανόνα τε εἶναι δικαίων, καὶ ἀδίκων, καὶ τῶν φύσει πολιτικῶν ζώων, προστατικὸν μὲν ὧν ποιητέον, ἀποδραστικὸν δὲ ὧν οὐ ποιητέον. hoc eſt: *Lex eſt omnium divinarum, & humanarum rerum regina. Oportet enim eam eſſe præſidem & bonis & malis, principemque ac ducem, & ſecundum hoc, regulam juſtorum, & injuſtorum, & eorum animantium, quæ natura civilia ſunt; præceptricem quidem faciendorum, prohibitricem verò non faciendorum.* Quapropter tranſgreſſores legum, Principi, atque Magiſtratibus inobedientes punire, ac de illis vindictam ſumere, ne dicam utile, imò adeò pernecesſarium eſt Reipublicæ, atque humanæ rationi conſonum; ut quamvis naturæ ipſi contrarium videatur, quemquam pœnis torquere, aut vi cohibere, ne ſua libertate quis utatur; in qua ab ipſa natura, ipſiusque naturæ auctore creatus eſt. *inſtit. de jure perſon.* §. 1. verumtamen impudentiam quorumdam, vi redarguere, criminoſorum quoque hominum effrenatam licentiam, ac libertatem pœnarum freno, intra legum fines, ac terminos, juxta legum præſcripta ab his, qui præſunt in Republica cohibere, juris gentium fore, nemo meritò dubitare poterit. Eſt enim jus gentium, quod naturalis ratio inter omnes gentes conſtituit; & apud omnes populos peræquè cuſtoditur: quemadmodum dicitur *inſtit. de jur. nat. gent. & civ.* §. *jus autem, & de rerum diviſ* §. *ſingulorum.* enimvero ſontes, ac legum tranſgreſſores, vi cohibere, atque pœnis impoſitis, hominum quorumdam audaciam frenare, ſemper, & ubique omnibus nationibus, ac populis commune fuit; ut ſcitè, doctèque diſcurrendo per mores, & genera pœnarum, à diverſarum nationum Rebuſpublicis, in ſontes præſcripta Alexan. ab Alexan. *lib.* 3. *gen. dier. cap.* 5. demonſtrat.

Plato auctor eſt in Gorgia, & alii plerique non ignobiles Philoſophi, puniendorum criminum duplicem cauſam afferri poſſe: unam, quam dixerunt commonitionis, qua is qui peccaverat, ne de cætero tale contraheret crimen commonebatur; quam pœnam per leges inferri mos fuit, cum leviter aliquis deliquiſſet: alteram quam animadverſionis appellarunt, quæ viris facinoroſis, magnoque alicui crimini obnoxiis inferebatur: quique propter aliquod ſummum facinus, pœnas ſcelerum tam jure, quam lege perſolvere cogerentur. Hoc verò poſtremum pœnæ genus, animadverſionis dictum fuit. quia non propter illum, qui pœnam ſolvere cogitur, impoſita fuit: (nam ille qui fato fungitur, dolorum omnium, atque vitæ humanæ pœnarum finem accipit.) ſed reliquorum qui ſuperſunt gratia, ut metu pœnæ, reliqui ab eadem noxa deterreantur. delictum enim quo impunitius, eo effrenatius committitur: propoſita enim impunitatis ſpes, mortalium animos criminibus invitaret.

Indicabant hoc optimè faſces Romanorum Conſulum, ſecuribus alligati; oſtendebant enim fuſtibus, & flagris cædendos, qui leviter peccaſſent, ut in poſterum corrigerentur: ultimo verò ſupplicio ſecuribus feriendos, qui graviori crimini obnoxii fuiſſent; poſteris documento futuros, ne ipſi quoque pari crimine vincirentur; atque eaſdem ultimi ſupplicii pœnas ſubire cogerentur. hoc idem Plutarch. in quæſt. Roman. pulchrè conſideravit, & adnotavit, dicens: διὰ τί τῶν στρατηγῶν αἱ ῥάβδοι συνδεδεμέναι προσηρτημένων τῶν πελέκεων φέρονται; πότερον ὅτι συμβολόν ἐστι τοῦ μὴ δεῖν πρόχειρον εἶναι, καὶ λελυμένην τὴν ὀργὴν τοῦ ἄρχοντος; ἤ, διατριβὴν, καὶ μέλλησιν ἐμποιοῦν τῇ ὀργῇ τὸ λύειν ἀτρέμα τὰς ῥάβδους, πολλάκις ἐποίησε μεταγνῶναι περὶ τῆς κολάσεως; ἐπεὶ δὲ τῆς κακίας τὸ μὲν ἰάσιμόν ἐστι, τὸ δὲ ἀνήκεστον, αἱ μὲν ῥάβδοι νουθετοῦσι τὸ μεταθέσθαι δυνάμενον, αἱ δὲ πελέκεις ἀποκόπτουσι τὸ ἀνουθέτητον. hoc eſt: *Ut quid Imperatorum virgæ colligatæ appenſis ſecuribus feruntur? utrum ſymbolum eſt, non oportere proclivem eſſe Magiſtratus iram, & ſolutam? an ſolutio faſcium, quæ paulatim fit, moram aliquam injiciens iræ, & cunctationem, identidem effecit ut mutata fuerit de ſupplicio ſententia? nam ex malis aliquod ſanabile eſt, aliquod inſanabile: virgis quidem corrigebatur, quod erat ſanabile; ſecuribus amputabatur quod erat immedicabile.*

Sic igitur in divinis legibus, atque ſtatutis & pœnis, quæ ad ulciſcendum tranſgreſſores in illos decernebantur; illæ in quibus ultimum ſupplicium tranſgreſſoribus decernebatur, animadverſionis dicebantur, ut cum dicitur Exodi 21. *Qui percuſſerit hominem volens occidere, morte moriatur.* & ſic pluries in ſacris oraculis habetur, *Occident eum*, vel *interficient eum*, vel *lapidibus obruent eum*, ac ſimiliter, in quibus ultimi ſupplicii pœna in tranſgreſſorem indicitur. Pœna animadverſionis hæc dicitur, quia reliqui admonentur; ne illis criminibus vinciantur: & quia non propter illum qui pœnam pendit; ſed ut reliqui admoneantur imponitur; propterea dicitur animadverſionis. Aliæ erant pœnæ aut perſonales, aut pecuniariæ, quæ dicuntur commonitionis, ratione qua diximus: ut cum dicitur Exo. 21. *Si quis aperuerit ciſternam, & foderit, & non operuerit eam, cecideritque bos, aut aſinus in eam, reddat Dominus pretium jumentorum.* & aliæ pariter pœnæ, in quibus vel pecuniaria mulcta indicitur; vel reus pœna ultimi ſupplicii non opprimitur; etiam ſi ſint perſonales, ut *oculum pro oculo, dentem pro dente*, & ſimiles.

Denique erat aliud genus pœnarum, quarum executionem, ut ſtatim videbimus, Deus ſibi reſervaverat; in quibus genus quoddam ultimi ſupplicii tranſgreſſori comminabatur, & ſimul etiam extinctionem prolis, atque proſapiæ in familiis Iſraëliticis. Erant enim veteres cupidiſſimi prolis habendæ, quia ea nomen uniuſcujuſque patrisfamilias cuſtodiebatur. quod non ſemel legitur in ſacris Oraculis, dum catalogi familiarum recenſentur. hinc illud Prophetæ in Pſalmo 44. in epithalamio dicentis: *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filii, conſtitues eos principes ſuper omnem terram. Memores erunt nominis tui, Domine, in omni generatione, & generatione.* Et ideò ſummum malum, atque graviſſimam pœnam arbitrabantur, poſteritate, ac ſucceſſione privari. qua ratione hoc genus pœnæ meritò inter eas enumeratur; quæ animadverſionis dicuntur, & eo nomine appellantur: ut cum dicitur cap. 21. *Cuſtodite Sabbatum meum, ſanctum eſt enim vobis: qui polluerit illud, morte morietur: qui fecerit in eo opus, peribit anima illius de medio populi ſui.* & his ſimilia paſſim habentur in Scripturis ſacris. non enim ſolum ultimum ſupplicium tranſgreſſori comminabatur, ut reliqui commonerentur ne talia perpetrarent; ſed etiam quia ad numen propitiandum, & Deum placandum ſacrificia erant inſtituta, hujuſmodi pœna poteſt etiam dici commonitionis, quia admonebatur tranſgreſſor, ne talia amplius patrare auderet.

Statuta igitur à Deo in hoc præcepto pœna tam commonitionis, quàm animadverſionis quodammodo dici poteſt. nam ſontis correctionem ea procurabat; atque etiam culpa vindicata, reliqui ne talia crimina committerent, admonebantur. Quia verò tranſgreſſori

greſſori hujus præcepti verendum remanebat, ne forte immatura morte à Deo præventus, de populo Iſraëlitico excinderetur; ſive aliqua alia ratione à Deo puniretur; propterea illi erat unde pium, miſericordemque Deum ſacrificiis placare niteretur. hac enim de ratione dicendum eſt, Sacrificia Deum inſtituiſſe, variis peccatorum generibus accommodata, quibus homines expiarentur; iratumque numen pacatum ſibi reddere poſſent: quin etiam tam Iſraëlitæ, quàm Gentiles, qui hujus præcepti transgreſſores extitiſſent; quoties in ſe reverſi divinam indignationem veriti, Sacrificiis propriam expiare culpam, & Deum placare curaſſent; toties imminens periculum, vel immaturæ mortis, vel aliud ultionis genus cavere potuiſſe credibile eſt.

Nec prætereundum cenſui, pœnas ſontium apud Latinos ſupplicia, quaſi ſupplicationes appellatas fuiſſe, quia ſæpius Romani Reges, homicidii conſcios, arietis damno mulctabant; ut habet Alex. ab Alex. lib. 3. gen. dier. cap. 5. quem in ſacrificiis Deorum expendere conſueverunt. Quia igitur priſca paupertas, ex noxiorum bonis, ſacra Diis exhibuiſſe fertur: hinc fortaſſe factum eſt, ut mulctis pecuniariis à Romanis certus fuerit præfinitus modus; quem tranſcendere minimè fas erat; ut ex Livio Decad. 1. in lib. 4. colligitur. modus verò is fuit, ut maxima illarum, trium millium, & viginti aſſium numerum non excederet; quia ut puto ſacrificiorum habita ratione, plus triginta bobus, & duabus ovibus quempiam mulctari non decebat. Æſtimabatur autem bos centuſſibus; ovis verò decuſſibus; & hæc maxima erat pœna; minima verò ove tenebatur una; ut omnia pœnarum genera Sacrorum viderentur rationem habuiſſe. Quam rationem Deus quoque ſuis in legibus, in criminibus occultis reſpexit; quoties ad forum fori culpa minimè deducta fuiſſet; horum enim expiandorum cauſa ſacrificia inſtituit, ut in Levitico legitur; ubi pro diverſitate culparum, diverſa quoque ſacrificia inſtituuntur: minimè tamen ſacrificiorum rationem habere voluit, niſi ad placandum numen in foro conſcientiæ, & delendam maculam culpæ ex anima; quoties crimina manifeſta forent, atque ad forum judiciale deducta: quia hoc expedit ad commune bonum Reipublicæ, quod præ oculis Deum habuiſſe conſtat in inſtitutione Iſraëliticæ, & in omnibus præceptis, quæ hac de cauſa judicialia in ſtatutis Moſaicis appellantur; quia in illis norma Judicibus, ac Magiſtratibus ſervanda præſcribitur.

CAP. XXII.

Poſteritate, ac nomine privabatur; qui à cultu ſacri olei defeciſſet.

Ad loca Exodi 30. *Homo quicumque tale compoſuerit, & dederit ex eo alieno, exterminabitur de populo ſuo.* Geneſ. 17. *Maſculus, cujus præputii caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo.* illuſtrantur loci 4. Reg. 9. *Perdamque omnem domum Achab, & interficiam de Achab mingentem ad parietem.* & Exodi 20. *Ego ſum Dominus Deus tuus fortis, & zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem.* & ad alia plura.

IN explicatione pœnæ à Deo dictæ, in tranſgreſſorem cultus ſacri Conſecrationis olei verſamur; in illis nimirum verbis Exodi 30. *Exterminabitur de populo ſuo*, atque ſimilium pœnarum, quas in ſacris Litteris ſæpiſſimè comminatur Deus, adverſus

A contemptores ſuarum legum. an nimirum illa dicendi phraſis, de corporali ſit intelligenda; an verò de aliquo alio genere pœnæ & animadverſionis, ſacra loquantur oracula. ita enim fiet, ut pœna divino jure ſtatuta in eum, qui ſacrum hoc unguentum compoſuiſſet, vel aliquo modo præceptum illud prævaricatus fuiſſet, ſatis explicetur. ſic enim ibi legimus: *Homo quicumque tale compoſuerit, & dederit ex eo alieno, exterminabitur de populo ſuo.*

Ut verò maturius iſta enucleentur; non erit præter rem ex ſacris Litteris obſervare diverſitatem dicendi, & phraſium varietatem in pœnis in-
B dicendis, quibus alicujus divinæ legis prævaricatores mulctantur. Quædam enim perſonales erant, & in eamdemmet tranſgreſſoris perſonam, tranſgreſſionem vindicantes, animadvertebant. quædam aliæ pecuniariæ cum eſſent; tranſgreſſorem nequaquam feriebant; ſed illius bona, aut jura, actiones, poſſeſſiones, & alia hujuſmodi æſtimabilia à poſſeſſore alienabant. quamobrem in pœna lata Exodi 30. contra eum, qui à debito noſtri ſacri olei cultu defeciſſet, ambigitur an perſonaliter, an verò aliquo jure privandus is eſſet; qui legem hanc contempſiſſet. nam in horum expoſitione non modice plurimi, iique graviſſimi Doctores laborarunt.

C Ab ipſo igitur Doctorum Eccleſiæ lumine P. Auguſtino exordium ſumatur. is enim lib. 15. de Civit. cap. 27. quærens quomodo in præcepto circumciſionis, quod habetur Geneſ. 17. verba illa intelligenda ſint: *Delebitur anima illa de populo ſuo*, & ambigeretur, de cujus anima loquatur textus: præſertim quia ſi velimus Deum loquutum de anima pueruli, injuſtum videatur in eum ſævire, qui nihil peccavit; neque cujus culpa omiſſa fuit circumciſio, cum arbitrii, aut ſe circumcidendi compos non fuerit. potius igitur præceptum, & pœna tranſgreſſori indicta, ad parentes referenda fuerunt; quorum culpa circumciſio infantium prætermiſſa videbatur. Cum tamen
D Deus ibi dixerit: *Delebitur anima illa de populo ſuo.*

Sanctiſſimus P. Auguſtinus, non de morte corporali, ſed de ſpirituali textum intelligit, quæ contingit animæ defectu gratiæ; quam infantes tunc minimè conſequebantur ſi circumciſione caruiſſent. Quam interpretationem etiam lib. 2. contra Pelag. & Cœleſt. cap. 30. complectitur. quærens enim quid peccaverit puer ille, qui circumciſus non fuit; cum verba illa de morte corporali intelligenda viderentur; neceſſarioque ex lege incircumciſus interficiendus eſſet, reſpondet: Sed rectè profectò infans ille perditione punitur: qua pertinet ipſe ad maſſam perditionis, & qui ex Adam natus eſt, juſtè intelligitur antiqui debiti obligatione damnan-
E dus, niſi inde fuerit non ſecundum debitum, ſed ſecundum gratiam liberatus. de morte itaque ſpirituali, locum illum, Auguſtinus interpretandum, & non de corporali cenſuit.

Auguſtini Doctoris ſanctiſſimi eam interpretationem plurimis rejicit Perrer. diſp. 6. in cap. 17. Geneſ. nu. 55. & ſequentibus, & in illius interpretationis confutatione multa, me judice, non ſatis firma Perrerius docet. excuſandum autem Auguſtinum ſcribit; quod ſequutus Septuaginta Interpretes legit circumcidendum maſculum die octavo; quapropter locum illum de infantibus intellexit, quem de adultis intelligere debuiſſet; ait Perrerius. quæ an ſint
F vera, viderint alii. Senſus enim Patris Auguſtini, & ejus expoſitio veriſſima eſt: non enim negat etiam de corporali pœna locum illum intelligendum fore. nam cum ſpiritualis etiam interpretatio locorum ſacræ Scripturæ ſit de mente Spiritus ſancti, & argumentum faciat penes illos, à quibus recipitur ille ſenſus; ſanctiſſimique Patris negotium, cum Pelagio, & Cœleſtio eſſet, qui illam de gratia interpre-

tationem non reſpuebant; propterea ea eſt uſus interpretatione, quæ erat ad gratiæ argumentum, de qua ejus erat ſermo: præterquamquod Auguſtinus non genericè loquitur de ſenſu pœnæ illius, quoties in tranſgreſſores indicitur à Deo; ſed tantum verſatur circum illum locum de circumciſione.

Aliorum eſt ſententia de pœna corporali tantum verba illa, in cap. 17. Geneſ. & alia quæcumque illis ſimilia in ſacris oraculis habentur, intelligenda fore. In qua ſententia eſt Perrerius loco citato: & pro eadem adducit Cajetanum, & Nicolaum de Lira. Poteſt etiam pro ea interpretatione ſtare Abulenſis quæſt. 15. in cap. 30. Exodi, in loco proprio de quo eſt noſtra quæſtio, dicens: *Quod Deus mittet in eum*, ſupple tranſgreſſorem, *aliquam mortem per ſe, vel tradet eum in manus alicujus beſtiæ, vel viri, ita ut faciat eum mori.* Hugo de S. Victore, quamvis de ſenſu illorum verborum dubius fuerit, intelligendane eſſent de morte corporali & naturali; an verò de morte civili, per exilium nimirum, & expulſionem tranſgreſſoris de populo; potius videtur inclinaſſe in poſteriorem, quam in priorem interpretationem, dicens: *Deleri de populo, eſt vel interſici, vel expelli à populo.* Rabbini communiter duplicem pœnam tranſgreſſori præcepti de obſervantia Sabbati, in quo dicitur: *Qui polluerit Sabbatum meum, morte moriatur. Qui fecerit in eo opus, peribit anima ejus de medio populi ſui*, comminari affirmant. ut prior præſcribatur ei, qui in foro fori Sabbatum violaſſe convinceretur; cui quidem pœna capitalis, ac ultimi ſupplicii indicebatur illis verbis, *morte moriatur:* poſterior verò præſcriberetur illi, qui ſecreto, tantumque in foro conſcientiæ, ut loquamur cum Scholaſticis, Sabbatum violaſſet in illis verbis, *Peribit anima ejus de medio populi ſui:* cujus peccati pœna erat præmatura mors, ut illi tradunt. Itaque ex iſtorum quoque ſententia illis verbis, mors corporalis indicebatur tranſgreſſori. Eſt enim hic locus de Sabbato non violando, potiſſimum Perrerii argumentum, ad probandum illa verba de morte corporali intelligenda eſſe; hæc autem de violenta, vel præmatura, vel alio ſimili genere mortis.

At me judice, neminem movere debent loca jam allata, præſertim præceptum illud de Sabbato, quod ſummi roboris pro prædicta ſententia Perrerius arbitratur. nos enim quamvis in aliquibus præceptis mortem corporalem affirmemus comminari à Deo tranſgreſſoribus illorum præceptorum, de quibus infra agetur: at in noſtro nequaquam corporalis mors indicitur, ſed tranſgreſſor privandus jure hæreditatis inter Iſraëliticas tribus, & ſucceſſionis in poſteritate minitatur: quæ pœna morte ipſa gravior tunc cenſebatur; quamvis non corporalis dicenda eſſet, ſed potius appellanda incorporalis.

Ut autem noſtra hæc ſententia lucidior, & clarior appareat, ex doctrinis Juriſperitorum fulciatur. meminiſſe igitur oportet, quod cum Juriſperiti circa res ſenſibiles verſentur; ea de quibus tractant, in res corporales, & incorporales diſtinxerunt. quamobrem in Inſt. Juſtin. lib. 2. habent titulum de rebus corporalibus, & incorporalibus. *Incorporales autem ſunt*, inquit Imperator, *quæ tangi non poſſunt, qualia ſunt ea, quæ in jure conſiſtunt; ſicut hæreditas, uſusfructus, uſus & obligationes quoquomodo contractæ.* hæc ibi Juſtinian.

Cum igitur inter jura filiorum Iſraël, hæreditas inter Tribus Iſaëliticas recenſeatur, ut habetur Num. 17. Deo ſic ſtatuente ibi: *Ad filios autem Iſraël loqueris hæc: Homo cum mortuus fuerit abſque filio, ad filiam ejus tranſibit hæreditas. ſi filiam non habuerit, habebit ſucceſſores fratres ſuos. Quod ſi & hos non habuerit, dabitis hæreditatem fratribus patris ejus. Sin autem nec patruos habuerit, dabitur hæreditas his,*

A *qui proximi ſunt. Eritque hoc filiis Iſraël ſanctum lege perpetua.* Perpetuitas nominis in tabulis erat aliud jus, ut paſſim legitur præſertim in libro Numer. cap. 26. & Joſue per multa capita, & præſertim ex propagatione poſteritatis: qua de cauſa, etiam ſi quis ſine liberis obiret, legem ſanciverat Deus, de vidua demortui à propinquiori conſanguineo ducenda in uxorem ad ſuſcitandum nomen demortui conſanguinei, ut habetur Deuteron. 25. & ratio legis hæc eſt: *Accipiet eam frater ejus, & ſuſcitabit ſemen fratris ſui, & primogenitum ex ea filium, nomine illius appellabit, ut non deleatur nomen ejus ex Iſraël*, inquit textus.

B Quamvis igitur lex illa: *Morte moriatur*, circa corporalia verſaretur, ut ſtatim videbimus; & verè morte corporali mulctandus. eſſet quicumque tranſgrederetur aliquod divinum ſtatutum, cui ſub illa verborum forma, illa pœna indicta eſſet: ubi tamen dicebatur tranſgreſſorem periturum de *medio populi ſui* aut ſic *excidetur de populo ſuo.* hujuſmodi & aliæ ſimiles comminationes verſantur circa incorporalia, ut cum Juriſperitis loquamur. Cum igitur pœna appoſita tranſgreſſori præcepti de reverentia ſacro Conſecrationis oleo præſtanda, ſit hujuſmodi. *Homo quicumque tale compoſuerit, & dederit ex eo alieno, exterminabitur de populo ſuo:* Perſpicuum eſt, non

C quidem puniendum hujuſmodi tranſgreſſorem corporaliter, ut auctores jam relati affirmabant; ſed circa bona incorporalia: privandum nimirum, jure hæreditatis inter Iſraëliticas familias, jure poſteritatis, atque ſucceſſionis, delendumque etiam nomen illius, à publicis tabulis, in quas nomina familiarum Iſraël referebantur.

Remanet adhuc, ut magis pateant, quæ dicimus, obſervandum in ſimilibus dicendi loquutionibus, aliquando apponi notam individualem perſonæ, in quam tranſgreſſio vindicanda erat; ut cum dicitur: *Delebitur*, vel *eradicabitur anima illa de populo ſuo*, ſive *de populis ſuis.* Interdum verò non apponitur;

D ſed abſolutè legis pœna in tranſgreſſorem ſtatuitur, dicendo: *Eradicabitur*, vel *delebitur*, ſive *exterminabitur.* & his ſimiles dicendi phraſes enunciantur: quamobrem ſilentio non eſt tegendum quid una aut altera locutionis phraſi importetur. ut cuncta, quæ ad noſtri inſtituti elucidationem faciunt; quantum fieri poteſt, intelligantur. Quoties igitur pœna aliqua in tranſgreſſorem legis, dictione individuanti indicitur; ut cum dicitur, *Delebitur anima illa de populo ſuo*, adeò ſtrictè pœna in trangreſſorem cadebat, ut ſibi profectò, mortis animadverſio timenda eſſet. nam anima juxta phraſim ſacrarum Litterarum, hominem & totum hominem ſignificat. Ut autem ora-

E culis oracula reſpondeant; noſtrum aſſertum ex cap. 17 Geneſ. confirmetur: in quo Deus præceptum circumciſionis Abrahæ dedit ſub ea pœnæ comminatione, dicens: *Maſculus cujus præputii caro circumciſa non fuerit; delebitur anima illa de populo ſuo.* ubi Iſidor. clar. in adnot. ad bibl. ea ratione apud Hebræos illam pœnam intelligendam fore tradit; ut tranſgreſſor illius præcepti mori deberet, ante quinquageſimum ſecundum ſuæ ætatis annum, vel non relinquaret poſt ſe ſemen. Sed quicquid ſit de anno quinquageſimo ſecundo, vel quinquageſimo tertio ſupra, vel infra, quem neminem niſi tantum Deum

F præfinire potuiſſe arbitror: præmaturam mortem tranſgreſſori timendam utique dubitare non poſſumus, puniendumque tam in perſona propria, quam in ſua proſapia hujuſmodi hominem, mihi non eſt dubium; ideoque in illis præceptis adjungi dictionem *illam*, ut in ipſummet tranſgreſſorem cum primis pœnam cadere intelligeremus.

Practicè id explicemus ex loco Exodi 4. in quo Dominum voluiſſe interficere Moyſem ſcribitur, ſic

enim

enim legitur: *Cumque eſſet*, ſupple Moyſes, *in itinere*, *in diverſorio occurrit ei Dominus*, *& volebat occidere eum. Tulit illico Sephora acutiſſimam petram*, *& circumcidit præputium filii ſui*, *tetigitque pedes ejus*, *& ait; Sponſus ſanguinum tu mihi es.* itaque Dominus qui Moyſi occurrerat in diverſorio, non volebat occidere puerum, ſed Moyſem; qui illius præcepti tranſgreſſor extiterat: igitur animam ipſam tranſgredientem divinum præceptum, non puerum qui aliorum culpa incircumciſus remanſerat; pœna puniendum fuiſſe arbitror.

Quando verò in textu ſacro pœna abſolutè enunciatur, diciturque, quod tranſgreſſor *Excidetur de populo ſuo*, ſive *eradicabitur*, abſque dictione perſonam puniendam individuante, quæ loquendi phraſis majorem energiam habet; ut in ſtatuto ad favorem ſacri olei Conſecrationis habetur. Hujuſmodi pœna potius in totam illius familiam, ac poſteritatem cadebat, quam ſigillatim in ipſam tranſgreſſoris perſonam; vel verius in perſonam, atque proſapiam, ut nimirum brevi tempore ſibi poſteritas deſideranda eſſet; ipſumque tranſgreſſorem, vel non habiturum filios, vel quos habuiſſet unà cum illo brevi morituros fore. quemadmodum tranſgreſſoribus hujus præcepti de reverentia præſtanda ſacro Conſecrationis oleo, pœna decernitur in illis verbis, *Excidetur de populo ſuo*, ſive *de populis ſuis*, vel *delebitur*, & ſimilia. & in hebraico textu illud idem ſignificatur verbo נִכְרַת *nichrath*, nomen nimirum tranſgreſſoris delendum de populo Iſraëlitico per extinctionem familiæ in tribubus Iſraëliticis, ut diximus; vel fortè etiam per alienationem cultus, tranſgreſſore tranſeunte ad Idololatras.

Auctoritate etiam Septuaginta, ſic intelligendam pœnam hanc probare poſſumus. hi enim in illud cap. 17. Gen. ubi nos legimus, *Delebitur anima illa de populo ſuo;* dixerunt, *Interibit anima illa de genere ſuo.* Quid autem aliud eſt interire de genere ſuo, quam non conſervari in ſua proſapia? quid aliud eſt deleri de populo ſuo, aut excidi de populo ſuo; niſi nomen non retinere in catalogo familiarum Iſraëlitarum? Hæc igitur timenda populo Iſraëlitico, & tranſgreſſoribus divinæ legis remanebant; quoties in aliquo ſtatuto, pœna per illam phraſim tranſgreſſori præſcriberetur. num vero id futurum per mortem violentam & immaturam tranſgreſſoris eſſet, ut Abulenſis, & alii dicebant, vel alio modo; nequaquam ſacræ litteræ id ſignificarunt. Graviſſimi itaque ſupplicii loco veteres ducebant, nomen alicujus de populo deleri: quamobrem Joſue cap. 7. cum in conſpectu Dei Iſraëlitas ab hoſtibus proſtratos lamentaretur; nullo alio efficaciori argumento ſe ad commiſerationem populi, Deum provocare poſſe exiſtimavit; quam nominis perpetuitate: extinctionem enim nominis Iſraëlitarum cum primis ſe vereri affirmat, dicens. *Audient Cananæi*, *& omnes habitatores terræ*, *& pariter conglobati circumdabunt nos*, *atque delebunt nomen noſtrum de terra.* Quamobrem in ſacris oraculis laudatur Booz, quod defuncti conſanguinei nomen ſuſcitare curaverit, ut ſcribitur cap. 4. lib. Ruth. conſtitutus enim Booz in judicio coram Magiſtratu dicebat: *Teſtes vos eſtis hodie*, *quod poſſederim omnia quæ fuerunt Elimelech*, *& Chelion*, *& Mahalon tradente Noëmi*, *& Ruth Moabitidem uxorem Mahalon in conjugium ſumpſerim*, *ut ſuſcitem nomen defuncti in hæreditate ſua*, *ne vocabulum ejus de familia ſua*, *ac fratribus & populo deleatur.* Hoc argumento etiam mulier illa Thecuitis uſa eſt, cum David Regem adit 2. Reg. cap. 14. ut illum iratum in Abſalonem placaret. Simulato enim luctu Regem aggredi non eſt verita, & duos proprios filios rixatos, ut alter ab altero interficeretur; mentita eſt: cujus demortui propinquos interfectum vindicaturos, virum internecioni dari pe-

A tiiſſe fingit; atque pro eo Regem ſe deprecari affirmat; dolens filium à propinquis ad necem quæri, dicens: *Et quærunt extinguere ſcintillam meam*, *quæ relicta eſt*, *ut non ſuperſit viro meo nomen*, *& reliquiæ ſuper terram.*

Criminoſorum igitur hominum ſcelera Deus vindicare volens, in peccatoribus ſæpiſſimè comminatur non ſolum corporalem mortem, ſed etiam nominis illius extinctionem, ut ſacris in litteris videre licet, per hæc verba, *Deleatur nomen ejus de terra*, & alia ſimilia. quemadmodum accidit in tranſgreſſorem præcepti de reverentia ſacro huic præſtanda oleo Conſecrationis, in quo dicit Deus, *Homo* B *quicumque tale compoſuerit*, *& dederit ex eo alieno*, *exterminabitur de populo ſuo.*

Sed illud nobis obſervandum relinquitur, quod Joſue loco jam citato, nominis Iſraëlitarum extinctionem per hoſtium manus cum vereretur; hanc explicuit per verbum hebraicum כָּרַת *carath*, in tertia conjugatione, dicendo וְהִכְרִיתוּ *vehichrithu*, ideſt, *& ſuccident:* ſimiliter Booz loco citato, cum ſe teſtificatur accepiſſe uxorem propinqui ſui, ne excidatur nomen demortui de terra, per idem verbum in conjugatione paſſiva hoc dicit וְלֹא יִכָּרֵת שֵׁם־הַמֵּת *velo iccareth ſcembammeth*, hoc eſt, *& non excidatur nomen mortui.* inter quas duas dicendi phraſes, illud C diſcriminis probabiliter videre reor, quod prior in tertia conjugatione extinctionem nominis hujus, vel illius tantum reſpiciat; non verò proſapiæ, aut familiæ affatim. at verò in ſecundo genere phraſis, quæ paſſim in ſacris Scripturis reperitur, ſi attendatur vis illius vocis, in paſſiva præſertim ſignificatione, extinctionem nominis alicujus in ſua proſapia, & poſteritate indicare videtur; quod ſupplicii genus apud veteres Iſraëlitas, omnium graviſſimum erat. Viderint alii firmiora, & doceant.

Alia plurima ſacrarum Scripturarum loca, & ejuſdem dicendi phraſes ex his elucidatæ manent. Hinc enim phraſis illa ſacrarum Scripturarum ori- D ginem traxit; à Prophetis non rarò Dei nomine frequentata, *Delebo uſque ad mingentem ad parietem:* uſurpata quidem ad ſignificandam omnimodam internecionem alicujus familiæ. quaſi dicat, neci dabo non ſolum homines illius familiæ, ſed etiam feles & canes. Sunt enim hæc animalia, quæ ad parietes mingere conſueverunt. Illa quoque, *Ego ſum Deus zelotes*, *viſitans peccata patrum in filios*, *in tertiam*, *& quartam generationem:* ab his deducta fuit. quorum quidem locorum intelligentiam multi non ſunt aſſequuti. non enim locus hic poſtremus in eo ſenſu E accipi debet; quod filius, aut nepos pœnas pendere debeant parentum: ut plurimi etiam ex Judæis falsò antiquitus intelligebant: contra quos Deus per Ezechielem inſurgit; & illorum interpretationem rejicit, dicens: *Anima quæ peccaverit*, *ipſa morietur.* Sed illis verbis ſignificatur Deum optimum maximum, tam pium, ac miſericordem eſſe; ut de ſceleribus hominum vindictam ſumere differat, in tertiam, & quartam generationem; miſericorditer expectans, an filii crimina, ſceleraque parentum imitentur, an verò corrigantur. Quod ſi filii minimè corrigantur, imò hæreditariis criminibus obnoxii fuerint; parenteſque in his imitentur, adhuc miſericorditer ulciſci differt; expectando, an iſtorum pro- F les, atque prolis filii, à ſceleribus parentum reſipiſcant; an vero hi quoque parentum, avorum, atque proavorum crimina, unà cum lacte, & ſanguine ebiberint; nec ſtudeant irati meritò Numinis indignationem placare, ne in proſapiæ extinctionem aliquando ſævire cogatur.

Hæc illius loci interpretatio, ſi cui minus grata videretur; poterit etiam dicere, Deum optimum maximum, juxta qualitatem, atque quantitatem

tem ſcelerum aliquorum, qui prævaricari Dei ſtatuta non ſunt veriti, tranſgreſſoris nomen aliquando in filios immediatè tranſgreſſori ſuccedentes, interdum mitius ſe habentem, ulterius vindictam protraxiſſe, ad ſecundam generationem, nimirum ad nepotes uſque, ſicque in nepotibus extinguatur tranſgreſſoris proſapia, & cum proſapia quoque nomen. interdum adhuc mitius miſericorditer alicujus tranſgreſſoris proſapia protrahitur; ut juſto Dei judicio tandem deleatur. Itaque nunc in filios, modo in tertiam, interdum in quartam generationem, nomine alicujus tranſgreſſoris, atque proſapia extincta, vindictam ſumpſit Deus de peccatoribus; ut pro qualitate criminis, eſſet quoque plagarum modus. atque hac ratione dicitur Deum viſitare peccata patrum in filios, in tertiam, & quartam generationem, extinctionem alicujus proſapiæ uſque ad illam differendo.

CAP. XXIII.

Magiſtratuum jus, in tranſgreſſores divinæ legis explicatur.

Ad loca Exodi 30. *Homo quicumque tale compoſuerit, & dederit de eo alieno, exterminabitur de populo ſuo.* Ibid. cap. 22. *Si quis furatus fuerit bovem, aut ovem, & occiderit, vel vendiderit, quinque boves pro uno reſtituet, & quatuor oves pro una ove.* & ad alia plura.

EXEQUUTIO pœnarum in quacumque Republica, juxta legis præſcripta, illius eſt munus, qui Reipublicæ præeſt, atque in ea ſummam à Deo, & ab hominibus electoribus, auctoritatem obtinet. Quod autem Regna à Deo ſint, non ſolum ſacræ litteræ docuerunt; ſed prophani quoque Scriptores id profitebantur. nam Poëtarum omnium Magiſter, & Princeps Homerus lib. 1. Iliad. cum loquitur de ſuprema Agamemnonis poteſtate in exercitu Græcorum, ad Trojanum excidium proficiſcentium; hanc ab Jove derivatam ſcribit; dicens:

Σκηπτοῦχος βασιλεὺς ᾧ τε ζεὺς κῆδος ἔδωκεν.

Quibus quidem verbis, non ſolum Poëta nobis aperit; unde Agamemnoni ſuprema ſit derivata poteſtas; ſed etiam quam grave onus ſit aliis imperare: nam dictio illa κῆδος, curam cum anxietate & labore ſignificat; quam curam Regibus ab ipſo Jove commiſſam, fatetur in illo carmine, ſic ad verbum interpretato.

Sceptriger Rex, cui Jupiter curam dedit.

Sed quid prophana quærimus? nonne in libro Prover. cap. 8. habetur, Sapientia dicente: *Per me Reges regnant, & potentes juſta decernunt.* & Paulus ſcribens ad Rom. cap. 13. docet, nullam eſſe poteſtatem niſi à Deo, dicens: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: non eſt enim poteſtas niſi à Deo, quæ autem ſunt, à Deo ordinatæ ſunt: itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit.* Quinimò Chriſtus quoque Salvator noſter, ac magiſter, hanc nobis doctrinam aperuit. cum enim coram judice Pilato conſtitutus, atque interrogatus, ſilentium illi objiceretur à Pilato, ea ratione, quod penes Pilatum eſſet facultas eum ſervandi, eumdemq. perdendi, dicendo: *Mihi non loqueris, neſcis quia poteſtatem habeo crucifigere te, & poteſtatem habeo dimittere te?* reſpondit ei, *Non haberes in me poteſtatem, niſi datum tibi eſſet deſuper.* Joan. 19.

A Qui igitur aliis præeſt, atque imperii habenas regendas ſuſcepit; dominium ſolummodo tale in perſonas ſuorum ſubditorum à Deo habet, quale eidem ab ipſo, & à lege conceditur. quamobrem exequi legem ejus erit muneris; quoties mortem, vel mutilationem membrorum in corpore ſubditorum, lex ipſa ſtatuet; ut ſontes timere diſcant; modeſti tueantur; unicuique proprium jus ſervetur; atque Reipublicæ pax cuſtodiatur; ad quæ Reges cum primis invigilare oportet, quia ut præclarè cecinit Ovid. lib. 2. de Ponto Ep. 9.

Regia (crede mihi) res eſt, ſuccurrere lapſis;
B *Convenit & tanto, quantus es ipſe, viro.*

Quod etiam Seneca ſimiliter in Octavia verbis non diſſimilibus habet, dicens:

Conſulere patriæ, parcere afflictis, fera
Cæde abſtinere, tempus atque iræ dare,
Orbi quietem, ſeculo pacem ſuo.

Hæc ſunt quæ Regi, ac Principi conveniunt; quæ nequeunt fieri niſi juxta legum præſcripta; ut mali æquo jure puniantur. qua ratione gladium Principi datum, ſcripſit Paulus Roman. 13. *Dei enim miniſter eſt*, inquit, *tibi in bonum; ſi autem malum feceris, time: non enim ſine cauſa gladium portat.*
C *Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei qui malum agit.*

Has pœnas dum crimінoſis Principes inferunt; non odio aut ira, ſed ex munere, & publici boni cauſa ad id moveri debent; nec oblivіſci eiſdem pœnis ipſos quoque ſubjacere aliquando poſſe. quod etiam admonuit Juvenalis Saty. 17. dicens:

Si fortuna volet, fies de Rhetore Conſul,
Si volet hæc eadem, fies de Conſule Rhetor.

Et Manilius lib. 4. Aſtron. hæc eadem conſiderans, nonnullorum Regum, ac Principum deplorat miſeriam, dicens:

D *Quid numerem everſas urbes, Regumque ruinas?*
Inque rogo Crœſum? Priamumque in littore truncum,
Cui nec Troja rogus? quid Xerxem, majus & ipſo
Naufragium pelago? quid captos agmine Reges?

Et alia multa poſſent afferri ad hanc rem, quibus humanæ viciſſitudinis atque miſeriæ monerentur Principes. qua fortaſſe de cauſa jubebat Deus, Principem ſibi deſcribere exemplar legum à ſe latarum: quæ pariter leges in criminoſos debitas decernebant pœnas, ne abſque freno Iſraëlitis luxuriandum eſſet. Cum igitur qualem inducat culpam tranſgreſſio præcepti de reverentia ſacro Conſecrationis oleo præ-
E ſtanda, à Deo lati, viderimus capitibus præcedentibus, ac etiam cui ſubjaceret pœnæ, qui ejuſdem præcepti tranſgreſſor extitiſſet: ut pœnæ igitur gravitas eluceſcat, profundius perſcrutandum arbitramur ad quos nimirum pertineret pœnarum executio, quas Deus in criminoſos, atque tranſgeſſores ſtatuerat; hac enim ratione clarius eluceſcet, quid ſibi velint verba illa, *exterminabitur de populo ſuo;* quibus divinæ legis tranſgreſſoribus aliquod genus extremi, atque graviſſimi ſupplicii decernitur.

Triplicem igitur modum loquendi ſacrorum oraculorum attendere neceſſe eſt: nam aliquando, idque
F ſæpius, in tranſgreſſores quorumdam divinorum præceptorum, ſacra Scriptura taliter ſævit; ut in perſcribenda pœna, tali utatur loquutionis phraſi: *qui fecerit hoc, aut illud, morte moriatur.* ea propter præter rem non erit, cognoſcere quidnam illa verborum reduplicatio velit; quidve ſit morte mori, cum non niſi morte quis mori poſſit. Aliquando etiam agitur de pœna capitis, & ultimi ſupplicii in tranſgreſ-

tranſgreſſores alicujus divinæ legis, ſub alia verborum forma, dicendo: *Qui* hoc, vel illud *fecerit*, *occident eum*, vel *interficient eum:* ut cap. 21. Exodi, cum agitur de pœna bubulci, vel alterius cujuſvis hominis poſſidentis armenta; qui non recluſiſſet bovem furore agitatum, & cornu petentem, ei pœna decernitur in hæc verba: *S bos cornupeta fuerit ab heri, & nudiuſtertius, & conteſtati ſunt Dominum ejus, nec recluſerit eum, occideritque virum, aut mulierem, & bos lapidibus obruetur, & dominum ejus occident.* His paſſim ſimilia occurrunt in pluribus ſacræ ſcripturæ locis. Interdum denique de pœna tranſgreſſoris alicujus legis, vel præcepti agitur per hæc verba; *Qui* hoc, vel illud *fecerit, exterminabitur de populo ſuo*, vel, *excidetur anima illa de medio populi ſui*, vel, *peribit de populo ſuo*, vel, *delebitur de populo ſuo:* & ſimilia ſæpiſſimè. quemadmodum in præcepto iſto de cultu ſacro huic Conſecrationis unguento præſtando, quò illius compoſitio & uſus, quibuſcumque hominibus omnino interdicitur, & tranſgreſſori pœna exterminationis de populo ſuo comminatur; quod genus pœnæ gravius quodammodo erat, quam ultimum ſupplicium.

Quæratur igitur, quid inter hæc tria pœnarum genera diſcriminis reperiatur: ſic enim nebulis excluſis, veritas ipſa lucidior emicabit. Igitur à priori animadverſionis genere exordium ſumentes, in quo pœna his verbis indicitur, *morte moriatur*, figuratè Deum in ſacro textu loquutum fuiſſe, aliquis exiſtimabit, per figuram nimirum pleonaſmi, & re vera ſic ex Latina phraſi dicendum fuiſſet; tamen cum in his dicendi modis, interpres vulgatus phraſes Linguæ Sanctæ tenuerit; ab ea illius phraſis ratio petenda erit. Nam cum illa vocabulis comparativis, atque ſuperlativis careat; quorum tamen, tam Græca, quàm Latina lingua copioſiſſimè abundat; cogitur hac de cauſa Hebræorum idioma, appoſitione præpoſitionis מן *min* ad vocabulum, quòd comparative efferri vult, comparationes formare. quam comparationem multoties ſola littera *Mem* cum puncto *chirek*, ſic מִ *mi* dictioni alicui adjuncta, ſacræ Litteræ oſtendunt. cujus rei exempla dimittimus, cum ſint notiſſima, ne videamur Linguæ Sanctæ grammaticam docere. gradus verò ſuperlativos, non adjunctione alicujus præpoſitionis, aut adverbii, ſed earumdem vocum reduplicatione in Lingua Sancta efficiuntur.

Quibus cognitis, facilis eſt locorum, in quibus reduplicantur voces, intelligentia. utitur namque ſacra Scriptura reduplicatione illa, *morte moriatur*, in ſtatuendis pœnis; ùt tranſgreſſores verè ſibi moriendum eſſe certò ſcirent. quemadmodum etiam in præcepto de nòn edendo de ligno ſcientiæ boni & mali, lato in Adamum in paradiſo terreſtri, & in alio quocumque loco, in quo ſimiles phraſes habentur; ea reduplicatione certò affirmatur, quod ibi dicitur. quaſi ibi diceretur; omnino & verè moriatur: ſicuti etiam aliquando dicitur *comedendo comedit.* hoc eſt omnino comedit; & ſic de aliis ſimilibus dicendi modis, ſentiendum proculdubio erit.

His igitur verbis *morte moriatur*, pœna ultimi ſupplicii taliter contra præcepti tranſgreſſores decernebatur; ut omnino indiſpenſabiliter, tranſgreſſori moriendum eſſet: neque vita tranſgreſſori donari poterat ab aliis quibuſcumque, præterquam à Deo, ſi reus ad forum fori delatus fuiſſet, atque criminis convictus. Quamobrem Judices, ac Magiſtratus, qui populo præerant, legis executionem ea ratione curare tenebantur; ut nullo modo in illorum eſſet poteſtate, indictam à Deo pœnam mitigare, corrigere, aut permutare. Quamobrem cum tranſgreſſio ad forum fori deducta fuiſſet; reus morte omnino plectendus erat. Licet enim ſub Regibus mutato
A Reipublicæ Iſraëliticæ ſtatu aliter aliquando factum videatur; nos ſumus in caſtris, in quibus Deus, ut Imperator exercitus, populum Iſraëliticum gubernandum ſuſcepit. Sumamus ad probandum quæ diximus, locum in quo de Sabbato obſervando cap. 21. Exodi, & alibi, hujuſmodi fertur præceptum. *Cuſtodite Sabbatum meum, ſanctum eſt enim vobis; qui polluerit illud, morte moriatur.* Accidit, ut quidam in die Sabbati tranſgreſſionis opus feciſſet: Moyſi videbatur, hominem illum neceſſitate aliqua coactum id feciſſe; colligebat enim nonnulla lignicula in deſerto; quapropter minimè ſæviendum in eum, ex præſcripto legis, Moyſes ſuſpicabatur: quod nequaquam alicujus lucri de cauſa illa legiſſet; ſed propriæ indigentiæ curam tantum habens: atque ideò vel diſpenſandum cum eo, vel pœnam in mitiorem commutandam arbitrabatur. Nihilominus ne in poſterum difficultas aliqua in eo præcepto
B ſuboriretur, aut ambiguitas de intelligentia legis, deque genere mortis, quo Sabbati tranſgreſſor plectendus fuiſſet, cap. 15. Num. Moyſes Dominum conſuluit: *Dixit Dominus ad Moyſem*, inquit textus, *morte moriatur homo iſte; obruat eum lapidibus omnis turba extra caſtra.* quam ſententiam ſtatim executioni mandatam legimus ſic: *Cumque eduxiſſent eum foras, obruerunt eum lapidibus, & mortuus eſt ſicut præceperat Dominus.* Manifeſtum eſt igitur præceptum illud, quod in ultionem tranſgreſſoris Sabbati ſævie-
C bat, omnino indiſpenſabile fuiſſe. nam etiam cap. 24. Levit. agitur de pœna blaſphemi. Erat autem vir Ægyptius, qui in deſerto cum filiis Iſraël deſcenderat; erat enim mater ejus Iſraëlita, is Dominum blaſphemaverat, & nomini Dei maledixerat, quo nihil gravius committi poterat. Videbatur tamen, ut puto, cum eo diſpenſandum, quod primo animi motu id feciſſet, quod potius Ægyptius quam Iſraëlita, ad quem lex fuerat lata, cenſeretur; aut quod lex de blaſphemo puniendo, nondum fortè lata fuiſſet; nihilominus blaſphemum in carcere ſervandum Moyſes juſſit; ut expectaretur conſulto oraculo, quid Deus decerneret: *Educ blaſphemum extra caſtra*, inquit
D Deus, *& ponent omnes qui audierunt, manus ſuas ſuper caput ejus, & lapidet eum populus univerſus: & ad filios Iſraël loqueris. homo qui maledixerit Deo ſuo, portabit peccatum ſuum, & qui blaſphemaverit nomen Domini, morte moriatur.*

Tranſeamus ad alterum pœnarum genus, illis verbis, *occident eum*, vel *interficient eum*, & aliis ſimilibus ſignificatum. quibus quidem verbis, quamvis ultimi ſupplicii pœna tranſgreſſoribus imponeretur; non tamen erat hujuſmodi pœna omnino indiſpenſabilis, ſed judicum arbitrio relinquebatur, concordatis partibus rem componere; deque pœna capitis cum reo diſpenſare, vitam eidem donando, prout
E caſus, & ratio poſtulabat, conſideratis circumſtantiis in crimine. Quod autem apud Judices, & Magiſtratus, in hoc genere pœnarum, facultas, quam diximus, eſſet, locus ex cap. 21. Exodi probat. ibi enim ille cujus bos virum, vel mulierem cornu petiiſſet, & occidiſſet: ipſe quoque ad mortem pœnæ ultimi ſupplicii puniendus damnabatur; ſi commonefactus bovis impetum non repreſſiſſet, ac proinde jure damnandus fuiſſet. ſic enim dicitur: *Si bos cornupeta fuerit ab heri, & nudiuſtertius, & conteſtati ſint dominum ejus, nec recluſerit eum, occideritque vi-*
F *rum, aut mulierem: & bos lapidibus obruetur, & dominum occident.* Propriam nihilominus reus redimere vitam valebat; rebus cum his, quorum intererat compoſitis. & ne longius à loco unde diſceſſimus abeamus; Dominus ibidem id affirmat, dicens: *Quod ſi pretium ei impoſitum fuerit; dabit pro anima ſua quicquid fuerit poſtulatus.* quo ſtatuto proculdubio declaratum relinquitur; hoc genus pœnæ; quam-

vis ad caput ſpectaret, & in ea lege tranſgreſſoribus ultimum ſupplicium præſcriberetur; nihilominus, non fuiſſe ejuſdem ſenſus cum antecedenti; ſed diſpenſabilem, ut dicebamus, & in pecuniariam mulctam commutari potuiſſe.

Sed quia in præſens, noſtrum negotium verſatur, circa tertium pœnarum genus: prius conſiderandum cenſui, quod quantum ad executionem pœnarum jure divino latarum, de quibus hucuſque diximus, ſilentio nequaquam prætereundum erit; quod quoties in aliqua divina lege pœna corporalis in tranſgreſſores decernitur; nequaquam ſenſus eſt quemlibet legis hujus tranſgreſſorem, ſibi ipſi mortem inferre debere; præcipitio ſe collidere, cum alium præcipitem dediſſet; aquis ſe præfocare, ſi quando contigiſſet alium quempiam, irato animo, aquis demerſiſſe, ac præfocaſſe; oculum ſibi eruere, dentem ſibi evellere, vel alia hujus generis facere, quæ divino jure in tranſgreſſores hujus, vel illius legis ſtatuuntur. enimvero nequaquam iſta voluit lex; cum neminem vitæ, mortis, atque propriorum membrorum dominum eſſe Deus voluerit; ſed divina lex alicujus præcepti tranſgreſſorem, ſubjacere illis pœnis voluit; quæ in eiſdem legibus à Deo latis contra tranſgreſſores decernuntur.

At vero quoties in ſacris Litteris pœna pecuniaria ſtatuitur, ut exempli gratia cap. 22. Exodi, de pœna furis agitur, & dicitur: *Si quis furatus fuerit bovem, aut ovem, & occiderit, vel vendiderit; quinque boves pro uno reſtituet, & quatuor oves pro una ove.* Tunc quia unuſquiſque ſuorum bonorum eſt Dominus, divinæ legis ſenſus erit ipſummet tranſgreſſorem in foro conſcientiæ illam ſolvere pœnam teneri. atque ſi in obſervanda lege negligens fuiſſet; Judex ipſe de cujus munere erat juſtitiam, & æquitatem in ſubditos cuſtodire, ac divinarum legum obſervantiam pro viribus curare, executioni legis in ſubditum tranſgreſſorem ſtudere tenebatur; atque ad ſolutionem pœnæ à lege impoſitæ furem cogere, ſecundum illum cui furata debebantur. Quemadmodum perſpicuum eſt in ſupra jam adducta lege, in qua decernebatur; ut ſi quis unum bovem proximi furatus fuiſſet, quinque reſtitueret: & quamvis furtum occultum eſſet, tamen fur in foro conſcientiæ quinque boves reſtituere tenebatur, vel pretium illorum: quamobrem ſi aliquando furti reus manifeſtaretur, atque legi, & conſcientiæ ſatis minimè feciſſet; eidem reſtitutionem Judex mandare cogebatur. Quapropter præclarum inter has duas leges diſcrimen obſervare neceſſe eſt: prior enim, quæ perſonalis erat quantum ad executionem ſolum Judices ligabat, non verò ſubditos: poſterior verò tam ſubditos ad ſolutionem pœnæ in foro conſcientiæ, quàm Magiſtratus, ac Præſides ad executionem curandam obligabat.

Quia verò noſtrum negotium eſt circa tertium pœnarum genus; circa pœnam nimirum, quæ tranſgreſſoribus præcepti de reverentia ſacro Conſecrationis oleo præſtanda præſcribitur Exo. 30. cum dicitur: *Homo quicumque tale compoſuerit, & dederit de eo alieno, exterminabitur de populo ſuo.* Hebraicè verò ſic ex וְנִכְרַת מֵעַמָּיו *venichrath megnammav.* nonnumquam verò dicitur *eradicabitur de populis ſuis*, ſive *excidetur de populis.* hujus legis executio, neque Judices, Principes, ac Magiſtratus, neque ſubditos aliquo jure obligabat; ut in ſeipſis exequi legem ſtuderent; ſed Deum ipſum lex hujuſmodi executorem habebat, & non alium. præcepti enim ſenſus nequaquam illo putari debet, quod tranſgreſſor ſibi ipſi ſtatim mortem inferre debeat, aut in exilium agi, aut extinctionem propriæ proſapiæ curare, ne illius nomen diù conſervaretur; aut adire Judices, qui illum è publicis tabulis eraderent; quæ diverſa

A hic nos attulimus, pro diverſitate explicationum, quas verba illa admittunt; ſed hujus præcepti tranſgreſſor, qui unguentum componeret ſimile illi, quod pro conſecrandis rebus parari mandaverat Deus; eo ipſo quod aliqua in lege vetita ex his, in quæ, quam diximus, pœna ſtatueretur, commiſiſſet; Deus admonitum voluit, pœnæ exterminationis, ſeu exciſionis de populo illum ſubjacere. quæ ſanè pœna gravior erat, quàm pecuniaria mulcta, aut etiam perſonalis animadverſionis, ut diximus: quia in pecuniariis pœnis res tantum minuebatur; in perſonalibus ipſamet perſona quandoque moritura finem habebat; B relicto tamen de ſe nomine in ſua poſteritate, familia & proſapia: at in hac præcepti tranſgreſſione, criminoſi memoria omnino delebatur; ut illi neque nomen ſupereſſet in catalogo familiarum Iſraëliticarum, ad quem jus habebat; neque hæreditas ſibi in filiis, ac ſucceſſoribus ſperanda eſſet; quorum etiam mors illis verbis comminabatur.

Sunt loca in ſacris Litteris ex quibus non obſcurè hæc colligi poſſunt. peccaverant filii Heli cap. 2. lib. 1. Reg quamobrem dicitur in ſacro textu. *Erat ergo peccatum puerorum grande nimis coram Domino, quia retrahebant homines à ſacrificio Domini.* & Heli quamvis leviter aliquando corripuerit filios ſuos; non tamen C ſacerdotali officio eos privavit, ut tenebatur. Quamobrem Propheta Dei nomine, qui illum adiit, ſic ait. *Quare calce abjeciſtis victimam meam, & munera mea quæ præcepi ut offerrentur in templo; & magis honoraſti filios tuos quàm me?* ad ulciſcendum igitur hoc peccatum ſolum, de proſapia illius dicitur ibidem. *Pars magna domus tuæ morietur cum ad virilem ætatem venerit. Hoc autem erit tibi ſignum, quod venturum eſt duobus filiis tuis; in die uno morientur ambo.* itaque executio pœnarum, quæ ſub illa verborum forma ſtatuuntur; Deo ſoli reſervatur.

Poſſunt etiam comprobari hæc eadem, ex caſu Regis Azariæ, qui quamvis in numero Regum cenſeatur in ſacris Litteris, qui recto corde Dominum co- D luerunt; tamen in eo deliquit, quod auſus eſt ad altare thymiamatis Deo incenſum offerre, de quo lex erat cap. 32. Exodi. *Homo quicumque fecerit ſimile, ut odore illius perfruatur, peribit de populis ſuis*, & quamvis excuſare ſe poſſet Rex; quod minimè incenſum obtuliſſet, ut illius odore frueretur; ſed potius ut Deum coleret; nihilominus lepra à Deo ſtatim percuſſus eſt, ut dicitur 4. Regum 15. & lib. 1. Paralip. cap. 16. ac propterea à conſortio reliquorum de populo ſeparatus, coactus eſt ſeorſum extra regium palatium, & extra urbem habitare; ne reliqui contaminarentur juxta Dei ſtatuta de leproſis. *Fuit igitur Ozias Rex* (idem enim qui Azarias dicitur E in 4. Reg. Ozias appellatur lib. 2. Paralip.) *leproſus uſque ad diem mortis ſuæ, & habitavit in domo ſeparata plenus lepra, ob quam ejectus fuerat de domo Domini.*

Sigillatim verò cap. 23. Ezechiel. ſub figura duarum meretricum Deus Samariam, atque Jeruſalem alloquitur; & reprehendens peccata horum duorum regnorum, meminit tranſgreſſionis ſtatuti de thymiamate, ac unguento non componendo, quæ ad uſus ſacros deſtinaverat; pro quibus etiam exciſionis de populo pœnam indixerat; illorum plurima recenſet peccata, & ad rem noſtram, Propheta Dei nomine ait; *Sediſti in lecto pulcherrimo, & menſa orna-* F *ta eſt ante te; thymiama meum, & unguentum meum poſuiſti ſuper eam.* Infra verò agens de ulciſcendo illorum peccata, quos idola coluiſſe jam Propheta dixerat, (Sabbata etiam prophanaſſe dicuntur, Sanctuarium violaſſe, & alia ſcelera commiſiſſe,) ſtatim ſubdit. *Et lapidentur lapidibus populorum, & confodiantur gladiis eorum: filios, & filias earum interficient, & domos earum igne ſuccendent.* quaſi Deus de-

decernat has obrui lapidibus, quia Sabbata polluerunt; interfici, quia idola venerati ſunt; & tandem omnino familiam extingui; quia transgreſſi ſunt præcepta debiti cultus in thymiamate, ac unguento; quorum transgreſſoribus exciſionem nominis comminabatur; cujus executio Deo ipſi ſervabatur.

CAP. XXIV.

Communis uſus olei in utenſilibus religionis explicatur.

Ad locum Exodi 30. *Facieſque unctionis oleum ſanctum, unguentum compoſitum opere unguentarii, & unges ex eo tabernaculum teſtimonii, & arcam teſtamenti, menſamque cum vaſis ſuis; candelabrum & utenſilia ejus; altaria thymiamatis, & holocauſti, & univerſam ſuppellectilem, quæ ad cultum eorum pertinent, ſanctificabiſque omnia, & erunt Sancta Sanctorum: qui tetigerit ea, ſanctificabitur.* & ad alia.

SPECIMEN quoddam Divinitatis in oleo, præ omnibus terræ, atque arborum fructibus, veteres omnes agnoviſſe, cuicumque ſacras, ac prophanas litteras, primoribus tantum labiis attrectanti, indubitatum erit: noſque etiam ſatis, ut putamus in primo noſtro Myrothecio cap. 30. illud idem probavimus. Quamobrem oleum apud veteres æternitatis ſymbolum habuiſſe auctor eſt Pier. lib. 53. hierogl. cumque æternitas ſolius Dei attributum ſit, eique ſoli conveniat; oleum quoque divinitatis ſimulacrum præ ſe ferre, ſcitè, & doctè ab eodem Pierio, loco jam citato monſtratur, ex quodam nimirum Ælii Lampridii loco in vita Heliogabali. qui quidem graviſſimus auctor, Sybaritas eo anno periiſſe refert, quo mixtum quoddam, ſive compoſitum ex oleo, & garo commenti fuerunt. de quo ſic ibi Ælius: *Sybariticum miſſum ſemper exhibuit ex oleo, & garo, quod quo anno Sybaritæ repererunt, perierunt.* Immò adeò luxuriavit in his lautitiis Heliogabalus, ut idem auctor paulo ſupra dicat: *Hydrogarum Romanorum Ducum primus, publicè exhibuit; cum antea militaris menſa eſſet, quam poſtea ſtatim Alexander reddidit.* quid iſta ſibi velint; quidvè portendant; lectori aperire neceſſe eſt, ut intelligentia afferatur loci jam à nobis allati, & in eo ſpecimen divinitatis, quod in oleo ſubodoratur, agnoſcatur.

Garum igitur liquorem quemdam antiquitus fuiſſe, ex piſcium inteſtinis ſale maceratis liquatum, ſcire oportet: ſic ſanè dictum, quod primò cœperit ex Garo piſce parari. eſt enim Garus, piſcis ex genere locuſtarum: ita Plinius lib. 31. cap. 7. & 8. & lib. 32. cap. 1. licèt poſtmodum, ex quibuſque piſcium vilioribus partibus, omnino abjiciendis, fieri cœperit: de quo Plin. lib. 31. cap. 7. *Aliud etiamnum liquoris exquiſiti genus*, inquit, *quod garon vocavere, inteſtinis piſcium, cæteriſque, quæ abjicienda eſſent, ſale maceratis; ut ſit illa putreſcentium ſanies. hoc olim conficiebatur ex piſce, quem Græci Garon vocabant.* & cap. 8. numerat alios piſces, ex quibus fiebat garum: hinc Plato apud Athen. lib. 2. dipnoſoph. cap. 30. *In putri garo*, inquit, *me tingentes ſuffocabant*: appellat illud edulii genus putre garum; quia ut diximus, ex putreſcentibus piſcium inteſtinis fluebat: quamvis in pretio poſtea habitum, auctore Mart. lib. 13. epigram. cùm ait:

Ebria Bajano veni modo concha Lucrino:
Nobile nunc ſitio luxurioſa garum.

Sed quia ad rem noſtram non attinet nunc de eo

A agere, libenter hæc miſſa facimus; ut in oleo divinitatem; & divinorum contemptum apud Sybaritas intelligamus. Eo enim oraculi reſponſo prænuntiabatur, tunc Sybaritas perituros, cum ad extremum, eumque voluptatis gradum ebrii deveniſſent, ut divina contemnerent. erant enim Sybaritæ populi in magna Græcia omnium voluptatum magiſtri; omniumque deliciarum genere, adeò effeminati, ut Sybaritica menſa in proverbium apud veteres abierit. Cum Pierio igitur dicemus ex oraculo, tunc perituros Sybaritas, cum plus honoris vilioribus rebus & creatis, quam dignioribus & divinis in oleo ſigni-
B ficatis detuliſſent. Quamobrem divini Sybaritarum, illud oraculum cum accepiſſent, ea, qua diximus, ratione interpretantes, ruinam illis prædixiſſe feruntur; quod etiam eventu comprobatum extitit. Cum enim apud illos, quidam ſervus, ad Domini ſævitiam ſubterfugiendam, ad Deorum aras confugiſſet, quibus immunitas jure debebatur; nihil profecit: at verò ubi ad patris herilis monumentum ſe recepiſſet; paterno monumento, paternævè memoriæ plus honoris deferente hero, quam Deorum Aris, ſive verius quam ipſi; ut ita dicam, divinitati, numquam ſatis à creaturis cultæ, ac veneratæ; ſervus veniam impetravit. Quam quidem honorum præpoſteram rationem, garum oleo miſcere, fuiſſe, ut oracula
C prænunciabant, eventu probatum eſt. nam eo anno Crotoniatis bello indicto à Sybaritis, licet hi viribus longe eſſent ſuperiores; ceſſere tamen, ac periere. Oraculorum igitur teſtimonio (quod ad rem noſtram facit) divinitatem oleo ſignificari, non obſcure probatum remanet.

Ne verò quis exiſtimet ex ſacris litteris, vera oracula deeſſe, quibus divinitas in oleo probetur; locus ex cap. 9. Judic. ejus divinitatem ſignificari monſtrabit. in eo enim cum reliquæ arbores, ea ratione conveniſſent; ut ex illis aliquam ſibiipſis præficerent; promoviſſentque olivam: hæc tantum munus declinans, ſic reliquas eſt alloquuta arbores: *Num-*
D *quid poſſum deſerere pinguedinem meam; qua & Dii utuntur & homines, & venire ut inter ligna promovear?* Nam olei uſus, qui in textu iſto Diis tribuitur, ejuſdem divinitatem ſatis aperte, me judice, manifeſtat. clarius tamen patebit ſi hebraica legerimus הֶחֳדַלְתִּי אֶת־דִּשְׁנִי אֲשֶׁר־בִּי יְכַבְּדוּ אֱלֹהִים וַאֲנָשִׁים hoc eſt, *Nunquid deſeram pinguedinem meam, quam in me glorificant Dii, & homines.* ſive ut legunt nonnulli in Græcis exemplaribus, ἀφεῖσα τὴν πιότητά μου, ἣν ἐν ἐμοὶ ἐδόξασεν ὁ Θεὸς, καὶ οἱ ἄνθρωποι, hoc eſt, *Derelinquens pinguedinem meam, quam in me glorificant Deus, & homines.* Quibus quidem duobus, ex variis dialectis locis, liquet non ſolum pinguedinem olivæ, oleum
E ipſum appellari; ſed etiam glorificatum dici à Deo, & ab hominibus; ſive ut alii legunt, honoratum ab eiſdem; quia diviniſſimum cum oleum ab hominibus putaretur, idem judicium de eodem fieri à Deo exiſtimabant. nihil enim in divinis reponi licet, quod ad Deum non pertineat, divinitateque non polleat. quamobrem aliquod divinitatis ſpecimen, oleo ineſſe, ex hominum exiſtimatione, Spiritus ſanctus allato in loco inſinuare voluit.

Nec præter rem videbitur, ſi dixerimus, hac forte de cauſa, divinum munus oleum creditum: oleam quoque ſupplicationis ſymbolum fuiſſe, ut
F docet Pierius lib. 53. §. ſupplicatio. quamobrem Virgil. quoque lib. 8. Æneid. cum Æneam ad Evandri regiam perducit ſupplicaturum, nec non etiam ab eodem auxilium poſtulaturum, ramum olivæ lanea vitta obvolutum, pro more illius ſeculi, protendentem ſcribit; & olivam pacificam appellat, dicens:

Tum pater Aeneas puppi ſic fatur ab alta,
Paciferæque manu ramum prætendit olivæ.

Polybius quoque lib. 3. cum quoſpiam induxiſſet Barbaros cum ramis oleæ, adjicit: τοῦτο γὰρ σχέδον πᾶσι τοῖς βαρβάροις ἐςὶ σύνθημα φιλίας, καθάπερ τὸ κηρύκειον τοῖς ἕλλησιν. hoc eſt, *Hoc enim ferè apud omnes Barbaros eſt ſymbolum amicitiæ, ſicut caduceum apud Græcos.* Nec prætereundum arbitror, quod Interpres Eurip. adnotavit in Andron. dicens: ἔθος ἦν τοὺς δεομένους ἐλαίης κλάδους, καὶ τῇ χερσὶ, καὶ τῷ ςόματι ἔχοντας δέεσθαι· id eſt, *Moris fuit ſupplicum, ramos oleæ & manibus, & ore tenere.* Pariter igitur Æneas ſic alloquens Evandrum, affertur à Poëta:

Optime Grajugenum, cui me fortuna precari
Et vitta comptos voluit prætendere ramos.

Ea propter cum mittebantur Legati alicubi ſupplicaturi, oleæ & lauri ramos, lana involutos geſtare ſolitos, teſtantur Auctores. noſque horum noſtrorum Myrotheciorum frontem lauro, ac olea ornavimus; non ſolum quia ex his ramis contexta corona, fuit ſymbolum S. D. N. URBANI VIII. cui uni omnes noſtros labores dicavimus; ſed ſimul etiam, ut aperiremus quanti ſapiens ille Pontifex faceret bonas artes, dum adhuc in minoribus eſſet; coronam ex lauro, & olea in ſui ſymbolum aſcivit; qua ſtudia omnia quo eſſent apud ſe in pretio, indigitare contendebat: quapropter illam ipſam coronam, hac inſcriptione ALIT ARTES condecoravit. Denique id fecimus ut illis ipſis arboribus, quæ nunquam hiemem, aut cariem ſentiunt; æternitati noſtrarum lucubrationum, ejuſdem Summi Pontificis nomine, quantum in nobis erat, conſuleremus. illius enim ſola benignitate ad Apoſtolici Sacrarii Præfecturam vocati ſumus. Simul etiam tandem eiſdem arborum ramis, Lectores ſupplicare ſtuduimus, ut ſi quid in his noſtris Myrotheciis minus rectè dictum fuiſſet, benigniſſimè condonarent. Interdum enim auctoris imperitia, interdum librariorum incuria, nonnumquam pluribus Romanæ Curiæ negotiis, minus valent homines, quam poſſent; ubi à curiis, & curis vacui, litteris tantum operam oleumque impenderent. Quamobrem niſi oleo divinæ gratiæ, ex ſpeciali auxilio adjuvemur, haudquaquam quæ à nobis dicentur ſancta erunt.

Sed ab olea, ad oleum jam redeamus; deque illius in conſecrandis rebus ſanctitate agamus: profanæ enim religionis veteres ſectatores, qui per omnia adeò fuere ſuperſtitioſi, ut impiè pietatem ſummam, ac religionem in cultu idolorum poſitam arbitrarentur: lapides, ligna, animalia bruta, necnon & horribiles Dracones dum colerent; hæc etiam omnia oleo inungere, ac conſecrare conſueverunt. quod licet apertis teſtimoniis de ſingulis probari nequeat, niſi innumerabilibus veterum congeſtis teſtimoniis, non ob id tamen obſcuris teſtimoniis hoc probatum comperimus: quemadmodum colligere licet ex multigenis ipſorum Gentilium ſuperſtitionibus. Nam lapides, ſive mavis titulos conſecrare conſueviſſe veterum illius temporis monumenta teſtantur. mitto nunc, quæ dicenda forent de lapidibus in fundamentis domus alicujus, ſive templi ex illorum conſuetudine conſecratis, atque auſpicatis; de terminis tantum in finibus agrorum, noſter erit in præſentiarum ſermo.

Adeo enim ſeſe extulit, ac ultro in erroribus progreſſa eſt, ſtulta illa, ac ſuperſtitioſa Gentilitas; ut non tantum lapides, atque ligna, in hominum, aut brutorum ſimilitudinem affabre effigiata, oleo perungerent; ſed etiam rudes, atque impolitos lapides, quorum uſus in agris terminandis erat, oleo perungere, ac conſecrare ſolerent: quemadmodum verba illa Siculi Flacci innuunt, de condit. agr. dicens: *Cum terminos diſponerent, ipſos quidem lapides in ſolidam terram collocabant: proximè ea loca, in quibus*

A *foſſis factis, illos diffixuri erant; & unguento, & velaminibus, & coronis eos ornabant.* Neque oleo hos lapides illi inunxiſſent; niſi in oleo divini aliquid ineſſe arbitrarentur; atque etiam aliquid divinitatis in terminis, ut notum eſt, admiſiſſent. Hinc Ovidius in faſtis libro 2. numero 641. ſcribit, per reſpectum ad hanc conſuetudinem.

Termine, ſive lapis, ſive es defoſſus in agro
Stipes, ab antiquis tu quoque nomen habes.

Solebant enim alicui numini dedicare lapidem terminalem, & tam numinis, quam patroni nomina in lapide inſculpere; propterea Poëtam dixiſſe arbitror,
B terminum habere nomen. vel dicitur habere nomen, hoc eſt divinitatis ſpecimen, quam eatenus in his lapidibus venerabantur; ut etiam aras his conſtituerent, & ſacrificiis etiam colerent; ut ibidem Poëta ſcribit.

Venerabantur autem tanta religione hos lapides veteres illi ſuperſtitioſi: ut manu contrectare eoſdem, aut movere timerent. locus ex Platone lib. 8. de leg. id clarè aperit, ſic enim habet: Νῦν δ' ἐπὶ τοὺς κατὰ τροφὴν, καὶ ὅσοι περὶ αὐτὴν ταύτην συνδιαπονοῦσιν ἀναγκαῖον νομοθετοῦντά ἐςι τρέπεσθαι. πρῶτον δὴ νόμοι ἔςωσαν λεγόμενοι τοὔνομα γεωργικοί. διὸς ὁρίου μὲν πρῶτος ὅδε νόμος εἰρήσθω· μὴ κινείτω γῆς ὅρια μηδεὶς, μήτε
C οἰκείου πολίτου γείτονος, μήτε ὁμοτέρμονος ἐπ' ἐσχατιᾶς κεκτημένος ἄλλῳ ξένῳ γείτονῶν, νομίσας τἀκίνητα κινεῖν ἀληθῶς τοῦτο εἶναι. βουλέσθω δὲ πᾶς πέτρον ἐπιχειρῆσαι κινεῖν, τὸν μέγιςον ἄλλον, πλὴν ὅρον μᾶλλον, ἢ σμικρὸν λίθον ὁρίζοντα φιλίαν, καὶ ἔχθραν ἔνορκον παρὰ θεῶν. hoc eſt: *Nunc ergo de cibariis, deque iis, qui labore ſuo victum parant, leges conſtituere neceſſe eſt. primum autem leges ſtatuantur, quæ dicuntur Agrariæ. Jovis autem terminalis prima lex erit. Nemo terminos terræ moveat, nec civis vicini, nec finitimi peregrini, ſi agri extrema poſſideat, exiſtimans id utique perinde eſſe, ac ſi immobilia moveat, malitque unuſquiſque ſaxum ingens movere quodcumque, quam*
D *terminum aliquem, aut minimum lapidem dirimentem amicitiam, aut inimicitiam, jurejurando firmatam apud Deos.* His igitur Plato aperuit, quanta religione agrorum termini venerandi forent: quam Platonis legem, à divinis ſtatutis deſumptam fuiſſe, perſpicuum eſt ex his, quæ leguntur cap. 19. Deuter. *Non aſumes, & transferes terminos proximi tui, quos fixerunt priores in poſſeſſione tua, quam Dominus Deus tuus dabit tibi in terra, quam acceperis poſſidendam.* Et inter maledictiones, quibus mala populo imprecari voluit Moyſes, ſtatim ac Jordanem pertranſiſſent filii Iſraël, quas ab omni populo confirmari juſſit: ex his altera enunciatur contra illum, qui terminos
E agrorum in damnum proximi commoviſſet, dicens: *Maledictus, qui transfert terminos proximi ſui: & dicat omnis populus, Amen.* Ex quibus clare apparet, Platonem perlegiſſe ſacra oracula Moyſis, ut plurimi dicunt. Videtur enim lex illa ad verbum ex ſacris oraculis tranſcripta: licet ſancta polluere, non ſit veritus; non ſolum idololatricis verbis Jovis terminalis, ſed etiam ſuperſtitioſis ritibus atque cæremoniis, quibus in ſtabiliendis terminis prophani illi utebantur. Nam Deus in ſupra poſita lege, rationem habuit ad rem proximi, ab alio minimè concupiſcendam, ut jam in tabulis ſtatuerat; ne verò quòd aliquid numinis in his: quemadmodum Plato,
F & alii, qui in eorum erectione, ac conſecratione; eiſdem ſanctificationem ut impertirentur; oleo lapides, quibuſdam ſervatis ritibus, & cæremoniis, de quibus ſupra, perungebant.

Ex his autem loca nonnulla ſacrarum Scripturarum aperiuntur. nimirum quiſnam fuerit titulus ille, quem Geneſ. 31. erexit Jacob fœdere inito cum Laban ſocero ipſius. terminum enim ſtatuerunt, ut dici-

dicitur in textu, initi fœderis monumentum poſteris; nec ſolum initi fœderis memoria ſignabatur, ſed etiam poſſeſſionis terminus præfigebatur, cuicumque illorum; ut quouſque alteri illorum pervenire liceret, altero inſcio monſtraretur. Illum verò lapidem defixum, alteri illorum, hoſtili animo præterire nequaquam licebat; quamobrem dicitur ibi: *En tumulus hic, & lapis, quem erexi inter me, & te, teſtis erit. tumulus inquam iſte & lapis, ſint in teſtimonium, ſi aut ego tranſiero illum, pergens ad te, aut tu prætererieris, malum mihi cogitans.* Fuit autem tumulus iſte, hoc eſt lapidum conſtructio, in modum altaris, ſuper quo immolatis victimis, dedicaverunt lapidem illum, locique ſanctitatem deſignarunt. De quo etiam lapidis genere, ſumpta metaphora, intelligitur Iſaias cap. 19. qui ſimilem lapidem unà cum altari conſtituens in termino Canaham, & Ægypti dicit: *In die illa, erit altare Domini in medio terræ Ægypti, & titulus Domini juxta terminum ejus, erit ſignum, & teſtimonium Domino exercituum in terra Ægypti.* Meminit autem Propheta altaris, ratione habita ad illorum temporum uſus, quando victimis primò immolatis, & ſacris ritibus adhibitis, termini conſtituebantur. In quibus quidem colendis, atque venerandis, fuit adeò proclivis ſuperſtitioſa Gentilitas; ut nec oleum aromatibus conditum, nec candelas, nec victimarum ſanguinem, in eorum erectione, & cultu prætermitterent. Quamobrem Concilii Africani decretum extat cap. 51. Arcadio, & Honorio Impp. quo reliquias idololatriæ non ſolum in ſimulacris, ſed etiam in arboribus, lapidibus terminalibus, & lucis, delendas omnino decernitur.

Nec mirum, obſervarunt enim, & rectè Philoſophus, & Martyr Juſtinus, Clem. Alexand. Origen. Euſeb. & complures alii, falſam, vanamque idololatrarum ſuperſtitionem, multis in rebus, veræ ac piæ religionis fuiſſe æmulam: quamobrem cum apud ſacros, pioſque viros lapidum erectionem, atque conſecrationem, olei perfuſione factam legiſſent; ipſi quoque impiè, pietatis veræ æmulatores facti, lapides oleo perfundere conſecrando curarunt. hæc dicta ſint de terminis, qui in finibus agrorum conſtituebantur.

Verum non ſolum hos colere lapides, ſtulta illa veterum antiquitas docuit; ſed quæcumque in loca, vel horror alicujus ſpeluncæ, vel arborum denſitas, vel ratio acceptorum beneficiorum illos vocaſſet; conſecrato lapide, unctoque id ſignabant; ad memoriam loci ſacri; ut ibi viatores ſubſiſterent, Deoſque precarentur. in hanc ſententiam Tibullus Poëta dixit.

Nam veneror, ſeu ſtipes habet deſertus in agris,
Seu vetus in trivio florea ſerta lapis.

Dicitur verò vetus lapis in trivio à Poëta, & non in finibus agrorum, ea qua diximus de ratione, nimirum ſuperſtitioſi cultus de cauſa. Horum nonnullos memorat Apulejus initio lib. 1. Florid. & in his de lapidibus unctis meminit, ita ſcribens: *Neque enim juſtius religioſam moram viatori objecerit: aut ara floribus redimita, aut ſpelunca floribus inumbrata, aut quercus cornibus onerata, aut fagus pellibus coronata, vel colliculus ſepimine conſecratus, vel truncus dolamine effigiatus, vel ſtipes libamine humectatus, vel lapis unguine delibutus.* Hæc Apulejus, ſuperſtitiones illorum veterum referens, qui non ſolum aras coronabant; ſed etiam ex ſpeluncis reſponſa expectabant: quorum celeberrima hac de cauſa erant, quæ Delphis habebatur; quod etiam Virgil. innuit lib. 6. Æneid.

In perungendis quidem lapidibus, ut divini aliquid illis impertiri viderentur; ſuperſtitioſiores, quam in reliquis Gentiles fuerunt. & quamvis Go-

A deſcalcus Stevechius ad Apuleji locum, interpretetur illum non de lapidibus, ſed de ſimulacris inungi ſolitis à veteribus, & ex Minutio Felice apertiſſimè probet, cujus hæc ſunt verba: *Ut tam luculento die in lapides eum patiaris impingere effigiatos ſane, & unctos, & coronatos;* Minutio nos quoque aſſentimur de coronatis, atque unctis ſimulacris, ut ſupra diximus; locum tamen Apuleji, de lapide effigiato, cum Stevechio nequaquam intelligimus; ſed de columna aliqua, aut altari, ſive de lapide aliquo erecto, & uncto dicimus intelligendum Apulejum, quos veteres venerabantur: & pro noſtra ſententia, pro quo Apuleji lapide non effigiato, ſtat locus alter ejuſ-
B dem Apuleji in prima Apologia pro ſe dicta, in qua contemptum ſacrorum, atque divorum objicit Æmiliano ſuo accuſatori, dicens: *Iſte verò nec Diis rurationis, qui eum paſcunt, ac veſtiunt, ſegetes ullas, aut vitis, aut gregis primitias impertit; nullum in villa ejus delubrum ſitum, nullus locus conſecratus. & quid ego de luco, & delubro loquor? negant vidiſſe ſe, qui fuere, unum ſaltem in finibus ejus, aut lapidem unctum, aut ramum coronatum.* Quibus equidem Apulejus verbis non ſolum lapides ungi ſacrorum de cauſa, ab illis veteribus demonſtrat ſolere in loco allato; non quidem effigiatos, quos Deos ipſe appellaverat, ſed de ineffigiatis, quos lapides unctos appel-
C lat, illum locutum conſtat. Ejus enim oratio de lapidibus erat, qui habentur in agris, & in itineribus inter ceſpites, atque arbores reperiuntur: quorum apertiſſimum nobis extat teſtimonium apud Arnobium, de ſe ipſo agentem, cum paganiſmi adhuc teneretur erroribus. illud habet lib. 1. adverſus gent. dicendo: *Venerabar (ò cœcitas) nuper ſimulacra, modò ex fornacibus prompta, in incudibus Deos, & malleis fabricatos, elephantorum oſſa, picturas, veternoſas in arboribus tenias. Si quando conſpexeram lubricatum lapidem, & ex olivæ unguine irrigatum, tamquam ineſſet vis præſens, adulabar, affabar, & beneficia poſcebam, nihil ſentiente de trunco.* Dicitur autem ab Ar-
D nobio lubricatus lapis, idem qui ineffigiatus lapis appellatur; rotundus nimirum & arte expolitus. propriè enim ut auctores latinæ linguæ tradunt, & etiam Valla lib. 4. elegant. habet, locus lubricus dicitur, in quo quis nequit conſiſtere; quales ſunt herbæ perfuſæ ſanguine, aut terra argilloſa, humecta, aut marmora levigata, terra glaciata, aut gelata, cæteraque hujuſmodi; ubi commodè veſtigium figere non poſſumus. quæ ſanè de lapide effigiato comprobari nequeunt, niſi Arnobium impropriè loquutum velimus; aut figuratè, ratione unguinis, aut olei, quo effigiati etiam lapides ungebantur: ad quam figuratam loquutionem confugere, nullo cogimur argu-
E mento. nam in loquutione propria, germanum auctoris ſenſum, utique tenemus.

De hoc genere lapidum, ſive titulorum qui in agris collocabantur; ubi nulla nobis veterum teſtimonia ſuffragarentur; ſacra minimè deeſſent oracula. nam Geneſ. cap. 28. extat hiſtoria illa dormientis Jacob in terra Chanaan, cum Meſopotamiam proficiſceretur: qui cum ſcalam excelſiſſimam intellectualibus oculis fuiſſet intuitus; *erexit lapidem in titulum fundens oleum deſuper*, in textu dicitur: quem lapidem non quidem ſtatim ac experrectus fuit, unxit; ſed cum mane evigilaſſet, locique ſanctitatem, ac præſtantiam cognoviſſet, fudit oleum; ut in lo-
F co Deo jam ſacro, & ſancto, lapis quoque ſanctitatis index, oleo conſecraretur. Quod etiam cap. 34. ejuſdem libri iterum Jacob feciſſe ſcribitur; conſecrando ibi lapidem, ubi cum Deo luctatus fuerat, repromiſſiones acceperat, nomenque ſibi permutatum cognoverat; quam conſecrationem, olei tantum libaminumque effuſione factam fuiſſe legimus in hæc verba: *Ille verò erexit titulum lapideum, in quo*

locutus fuerat ei Deus ; libans ſuper eum libamina, & effundens oleum. Ne verò quis ſacrum textum acciperet, de lapide aliquo ad terminandum locum definitum, contrarium ex ſacris perſpicue conſtat. non enim Jacob alicujus terræ poſſeſſionem, tunc terminum affectabat; ſed loci ſanctiorem venerationem curabat: ut nimirum eò tranſeuntes, & lapidem unctum conſpicientes, loci ſanctitatem, de more veterum venerarentur. quamobrem loca quoque Arnobii, & Apuleji de lapidibus ad ſanctitatem loci deſignandam, in condenſis arborum finibus, intelligenda erunt. idem enim eſt Arnobii lubricatus lapis, quod Jacobi titulus. ſic enim Græcè legitur hic locus, ϗ ἀνέστη ἰακὼβ τὸ πρωῒ, ϗ ἔλαβε τ̃ λίθον ὃν ὑπέθηκεν ἐκεῖ πρὸς κεφαλῆς αὐτȣ̃, ϗ ἔστησεν αὐτὸν στήλην, ϗ ἐπέχεεν ἔλαιον ἐπὶ τὸ ἄκρον αὐτῆς. ſimilia quoque, imo clariora leguntur ibidem cap. 35. cum redeunte Jacob ex Meſopotamia, apparuit illi Deus, ſic enim legitur. ϗ ἔστησεν ἰακὼβ στήλην ἐν ᾧ τόπῳ ᾧ ἐλάλησε μετ' αὐτȣ̃, στήλην λιθίνην· ϗ ἔσπεισεν ἐπ' αὐτὴν σπονδὴν, ϗ ἐπέχεεν ἐπ' αὐτὴν ἔλαιον. hoc eſt: *& erexit Jacob columnam in loco, in quo locutus eſt cum eo, columnam lapideam, & libavit ſuper illam libamen, & effudit ſuper eam oleum.* jam igitur de columnis ad ſacrificia aptis, nec admodum altioribus, ſed rotunditate lubricis, qualis erat, quam erexiſſe Jacob ſacri habent codices; lubricatum lapidem Arnobii neceſſe eſt intelligamus.

Quæ à nobis huc uſque dicta ſunt de lapidum Conſecratione per oleum; non alia de cauſa allata fuere, niſi ut olei uſum in Conſecrationibus monſtraremus; etiam ante tempora legis Moſaicæ, quo etiam tempore, quæ in Dei cultum conſecranda fuere; ut præcedentibus ſubſequentia, & temporibus tempora reſponderent, oleo conſecrabantur. ut cap. 40. Exodi habetur ex præſcripto Dei dicentis ad Moyſen: *Et aſſumpto unctionis oleo, unges tabernaculum cum vaſis ſuis, ut ſanctificentur, altare holocauſti, & omnia vaſa ejus, labrum cum baſi ſua, omnia unctionis oleo conſecrabis, ut ſint Sancta Sanctorum.* Quapropter tantam in oleo à Deo inſtituto ſanctitatis, atque ſanctificationis, vim apparere conſtat; ut nihil Deo ſacrum reputari, ex ejus inſtitutis liceat, quod oleo non fuerit delibutum: oleo, inquam, non communi, ſed ex Dei præſcripto aromatibus condito; de quo in ſuperioribus jam egimus. Quamobrem in eodem libro cap. 30. de ſingulis ſacri tabernaculi utenſilibus ſcribitur; Deo ſic Moyſen alloquente: *Facieſque unctionis oleum ſanctum, & unguentum compoſitum opere unguentarii, & unges ex eo Tabernaculum teſtimonii, & Arcam teſtamenti, Menſam cum vaſis ſuis, Candelabrum, & utenſilia ejus, Altaria thymiamatis, & holocauſti, & univerſam ſupellectilem, quæ ad cultum eorum pertinet, ſanctificabiſque omnia, & erunt Sancta Sanctorum: qui tetigerit ea ſanctificabitur.* Hæc ſunt verba textus, in quibus attendat Lector vim hujus ſacri, ac ſancti olei: non enim ſolummodo oleum ipſum ſanctum erat; ſed etiam ab eo ſanctificabatur; quicunque oleo perun cta contrectaſſet. ſic enim plurimi accipiunt dictionem illam *ſanctificabitur* in paſſiva ſignificatione; ut nimirum qui vaſa conſecrata contrectaſſet, ab his ſanctificaretur: alii imperſonaliter eam dictionem intelligunt; ut nimirum qui acceſſurus eſſet ad ea, prius ſanctificari deberet. Sed quomodocumque iſta intelligantur, perſpicuum eſt, ejus ſanctitatis hoc Oleum fuiſſe; ut ſanctitas eo aliis impertiretur; & tanta Numinis præſentia, ut ſolius olei linitione ſancta cenſerentur.

CAP. XXV.

Quæ ſacro conſecrarentur oleo monſtrantur.

A Ad locum Exodi 30. *Facieſque unctionis oleum ſanctum, unguentum compoſitum opere unguentarii, & unges ex eo Tabernaculum teſtimonii, & Arcam Teſtamenti, menſamque cum vaſis ſuis, candelabrum, & utenſilia ejus, altaria thymiamatis, & holocauſti.* & ad alia plura loca.

FORTE ſubdubitandum occurret, quænam ſit ſupellex Tabernaculi, ac utenſilia quæ ſacro oleo perungenda, & conſecranda juſſerat Deus. Etenim multiplicem fuiſſe ſupellectilem hanc, ipſiuſmet Tabernaculi, ac utenſilium quæ in Tabernaculo aſſervabantur, & extra Tabernaculum ad

B uſum ſacrificiorum erant, ex ſacris textibus liquido conſtat. Ne verò Deo optimo Maximo invidiſſe idolorum cultores viderentur; illorum quoque fana profana, multiplici ſupellectili ornari ſtuduerunt. ſacra vaſa quæ apud Eupolidem urbem ad Deorum cultum aſſervabantur, Pollux lib. 10. cap. 53. enumerat; dicens: σκευῶν ἢ ἐν Εὐπόλιδος πόλεσι κατάλογος. καρδόπȣς ἢ, κρατῆρας· ὀκτὼ ἢ χύτρας, δύο τρύβλίω, προσκεφάλαιά τε, ϗ θέρμαστρον, ἓξ θρόνȣς, χύτραν, κάνητας ἑκατὸν, κόρημα, κιβωτὸν, λύχνον· hoc eſt; *Utenſilium verò in Eupolidis urbibus catalogus eſt. pilæ, crateres, ollæ octo, bina acetabula, pulvinaria, cacabus, ſellæ ſex, olla, caniſtra centum, ſcopæ; arca,*

C *candelabrum.* Quibus enumeratis totum opus onomaſticon Pollux claudit. Sed de his nihil ad nos; ſacra cum tractemus, ex Moſaicis tantum; & de hoc his verbis ſacra loquuntur oracula Exodi 40. *Et aſſumpto unctionis oleo unges Tabernaculum cum vaſis ſuis, ut ſanctificentur; altare holocauſti, & omnia vaſa ejus: labrum cum baſi ſua, omnia unctionis oleo conſecrabis, ut ſint Sancta Sanctorum.* Itaque ex vi hujus textus habemus, fuiſſe conſecrandum Tabernaculum cum utenſilibus illius, labrum non quidem cum utenſilibus ejus, ſed tantum cum baſi ſua. at ex cap. 30. Exodi, non tantum Tabernaculum, ſed etiam Arcam Teſtamenti, fœderis nimirum inter

D Deum & populum initi, Menſam panum propoſitionis cum illius utenſilibus, his nimirum quæ ad panes ſervandos, ac inibi reponendos faciebant, Candelabrum cum illius utenſilibus, Altare aureum, quod thymiamatis dicebatur, & intra ſanctum Tabernaculi collocabatur, cum omnibus utenſilibus ejus, Altare ſimiliter holocauſti, in quo nimirum hoſtiæ cremabantur, cum omnibus illius utenſilibus. ſic enim legimus in loco citato: *Facieſque unctionis oleum ſanctum, unguentum compoſitum opere unguentarii, & unges ex eo Tabernaculum teſtimonii, & Arcam Teſtamenti, Menſam cum vaſis ſuis, Candelabrum & utenſilia ejus, Altaria thymiamatis, & ho-*

E *locauſti, & univerſam ſupellectilem quæ ad cultum eorum pertinet, ſanctificabiſque omnia, & erunt Sancta Sanctorum.* hoc eſt, & verè ſancta, atque ſanctificata erunt.

Ut verò cuncta clarius explicentur, ſingula percurramus. nam Tabernaculi ſuppellectile, columnæ intermediæ appellantur, ex quibus velamina illa, atque cortinæ ſuſpendebantur, quæ ſimul aureis uncinis ideò appendebantur, ut his totum Tabernaculum intro tegeretur: nec non etiam velamen illud, quo in Tabernaculo ſacratior locus, qui Sanctus Sanctorum dicebatur, & adytum, ſive ab aliis, oracu-

F lum; ab altero exteriori, qui erat extra velamen diſtinguebatur. Quo itidem velamine ſacra illa Arca, cum Propitiatorio, & vectibus deauratis occultabatur; in quo Deus reſponſa dabat; ut omnibus prophanis, & laicis locus præcluderetur, ac propterea ſacratior haberetur. alia etiam cortina ex hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & byſſo retorta opere plumario ſuſpendebatur, quæ tentorium in ſacris litteris appellabatur. quæ tandem totum

tum Tabernaculum ipſum complebatur. quæ omnia, cum aliis quamplurimis utenſilibus, de quibus poſtmodum agetur, nomine ſuppellectilis Tabernaculi comprehenduntur.

Erant quoque ſuppellectilia ſacræ menſæ, in qua ex Dei præſcripto ſingulo quoque Sabbato, ſublatis veteribus, recentes Panes Propoſitionis ſuperimponebantur; cum quibus vaſa illius, & vectes, ex Dei mandato conſecranda fuiſſe dicuntur. quo vaſorum vocabulo catini, ſive ſcutellæ, quibus ſimila oleo fermentata Deo offerebatur ad altare, accipi debent; quæ acetabula etiam apud noſtrum vulgatum interpretem appellantur, ſimpuvia, cyathi, ſalina, & alia, de quibus infra ſigillatim agetur. Sic enim dicitur de utenſilibus ſacræ menſæ cap. 25. Exodi: *Parabis acetabula, & phialas, thuribula, & cyathos in quibus offerenda ſunt libamina ex auro puriſſimo:* quæ tandem opera abſoluta comperimus, ſtudio Beſeleel, & Oliab: cap. 37. ſic enim ſacra tradidere oracula: *Et vaſa*, ſupple fecit Beſeleel, *ad diverſos uſus menſæ, acetabula, phialas, & cyathos, & thuribula ex auro puro, in quibus offerenda ſunt libamina.*

Similiter etiam pro altari thymiamatis conſtituta fuiſſe utenſilia hujus propria, non eſt dubium; nimirum acerram, thuribulum, & foculum, de quibus poſtea agemus, nec non etiam vectes illius deauratos, quibus altare illud, hinc inde aſportari poſſet; cochlearia quibus thus examinaretur; quorum quidem miniſterium erat ad diſcernendum, an quæ offerebantur talia forent, qualia ex præſcripto legis decernebantur: ſicuti etiam nomine utenſilium altaris, batillum ad imponendum ignem in altare, atque alia etiam hujus generis, quæ neceſſaria erant ad adolendum incenſum, & utenſilium nomine ſignificantur.

Lucernæ, etiam pro Candelabro, emunctoria, & vaſa, in quibus excrementa luminum, jam emuncta projiciebantur: vaſa olearia, cum ſuis infundibulis, & alia plura, quæ ad uſum Candelabri deſerviebant; ac nomine utenſilium Candelabri veniunt; de quibus dicitur ad Moyſen cap. 25. Exodi, *Facies & lucernas ſeptem, & pones eas ſuper Candelabrum, ut luceant ex adverſo, emunctoria quoque, & ubi quæ emuncta ſunt extinguantur, fiant de auro puriſſimo.*

Ad altare etiam ſacrificiorum deveniendum remanet; cujus etiam utenſilia recenſenda ſunt: quo nomine crateres ad offerendum adipes in altari, cyathi, in quibus libamina offerebantur, craticula, arula, quibus ligna, & ignes ſuſtinerentur, lebetes ad recipiendum ſacrificiorum cineres, forcipes quibus prunæ ſuſciperentur, fuſcinulæ, & ignium receptacula, quibus prunæ commoverentur, & ignes excitarentur; vectes etiam in uſum altaris, nonnullaque alia, quæ erant ad uſum ſacrificiorum, de quibus ad Moyſem ſic Deus loquitur Exod. 27. *Facies & altare de lignis ſetim.* & infra, *facieſque in uſus ejus lebetes, ad ſuſcipiendum cineres, & forcipes, atque fuſcinulas, & ignium receptacula, omnia vaſa ex ære fabricabis, craticulamque in modum retis æneam, per cujus quatuor angulos, erunt quatuor annuli ænei, quos pones ſubter arulam altaris. eritque craticula uſque ad altaris medium.* & cap. 38. facta fuiſſe ſcribitur in hunc modum: *Fecit & altare holocauſti de lignis ſetim.* & infra, *& in uſus ejus paravit ex ære vaſa diverſa, lebetes, forcipes, fuſcinulas, uncinos, & ignium receptacula, craticulamque ejus in modum retis fecit æneam, & ſubter eam in altaris medio arulam, fuſis quatuor annulis per totidem reticuli ſummitates ad immittendos vectes ad portandum*, quæ omnia nomine ſuppellectilis ad Dei cultum pertinentis ſignificantur: & non ſolum quæ intra Tabernaculum claudebantur; ſacro cum primis ſacranda erant oleo; ut etiam

A ipſa forent ſancta, contrectantibuſque ſanctitatem impertirent; ſed etiam nonnulla alia, quæ extra Tabernaculum reponebantur, de quibus omnibus ſuo loco dicetur.

Nec tantum vaſa hæc inſenſibilia, & ignobilia, ut ita loquar, oleo perungenda fuerunt; ſed etiam nobiliſſima quæque animata vaſa; ipſi nimirum ſacrificiorum miniſtri. ut enim divinitatis ſplendor aliquis, ſive radius miniſtris etiam ſacrorum communicaretur; ſacro hoc oleo deliniri illos præcepit Deus, ut habetur cap. 30. Exodi, cum de uſu ſanctæ unctionis ageret: *Sanctificabiſque omnia, & erunt Sancta Sanctorum, qui tetigerit ea ſanctificabitur*, inquit, *Aaron*
B *& filios ejus unges, ſanctificabiſque eos, ut ſacerdotio fungantur mihi.* non enim alia ratione ad ſacrorum miniſterium Sacerdotes admittere licebat; nec cœleſtis aliqua dignitas, qualis eſt ſacerdotalis miniſtris impertiebatur, niſi efficacia hujus ſacri, ac ſancti unguenti; quod quidem ejus erat excellentiæ, dignitatis, atque efficaciæ, ex divina inſtitutione, ut ſanctitatem rebus, ut diximus impertiret. Nec ipſorum tantum Sacerdotum corpora, aut corporum membra nonnulla, ſed etiam veſtes quibus Summus Sacerdos, & minores quoque Sacerdotes utebantur; ſacro oleo aſpergendas mandavit Deus: ut ea omnia, quæ ex Dei præſcripto ad miniſterium ſacrorum, &
C Dei cultum fabrefacta fuere; ſpecimen aliquod divinitatis, ex hujus ſacri olei unctione in ſe reciperent. ita ut nihil eſſet Sacrum; quod olei ſancti contactu Sacrum non efficeretur; non ſolum apud Gentiles, ut in præcedenti capitulo vidimus; verum etiam apud ſacros, ſanctiſſimoſque viros, verè ac ſanctè religionis ſectatores.

Cum igitur Sacerdotes ſacrificiis, aliiſque piis officiis operam dantes, ea de cauſa Deum adeunt, ut piis muneribus eumdem ſupplicent, propitiumque ſibi, ac populo reddant. quemadmodum etiam Plato 8. de leg. dicebat: ὅπως ἂν μία γε τὶς αρχὴ θύῃ θεῶν ἢ δαιμόνων τινὶ ἀεὶ ὑπὲρ πόλεώς τε, ϗ αὐτῶν, ϗ
D κτημάτων. Loquebatur enim de conſtituendo ſacrorum magiſtratum in Civitate, & rationem aſſignat, dicens: *Ut unus aliquis magiſtratus ſacrificet alicui Deorum, aut Dæmonum ſemper pro civitate, & ſuipſius rebus.* propterea igitur Sacerdotes *prius pro ſuis delictis*, ut habet Paul. ad Hebr. cap 9. *deinde pro populo* Deum ſupplicare tenentur. quod etiam apud Ethnicos obſervatum invenimus, ut ex Platone diximus, & auctore Alexan. ab Alexan. lib. 4. gen. dier. cap. 17. Nam rem divinam facturi Idololatriæ miniſtri, ad ſuam levandam culpam, ſeipſos in primis reos dicere ex inſtituto ſacrorum tenebantur, noxæ pœnitere, ac fateri admiſſum. Deinde
E vel ipſe, vel publicus præco, ſacro præcedens, excitabat populum, ut faveret linguis; ſilentio nimirum ſervato, & numine ſupplicato: ea propter ut puto Sacerdotes, non oleam more ſupplicum, quæ illico evulſa ab arbore ſiccari poterat; ſed oleum æternitatis, ac divinitatis ſymbolum ferebant. Ferebant inquam, perfuſi & uncti oleo: quod etiam quodammodo Patriarcha ille ſanctiſſimus inſinuaſſe videtur; cum oleo uncto jam lapide, quem in titulum erexerat; ſtatim precationem ſubintulit, dicens: *Si fuerit Dominus mecum, & cuſtodierit me in via per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum, reverſuſque*
F *fuero proſperè ad domum patris mei: erit mihi Dominus in Deum, & lapis iſte quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei.*

Sed ſive Sacerdotes oleo unctos velimus; ut divinam quamdam in ſe dignitatem conciperent, ſive ut Deo ſupplicandi munus acceptare profiterentur; nos utrumque fatebimur; diceműſque uſum olei in ſacrandis miniſtris adhibitum; ſupplicandi gratia, atque

A que etiam, quia quæ ad Deum accedunt; deificа efficiuntur. ut igitur Tabernaculum, vaſaque illius, arca fœderis, ſacra menſa, candelabrum, altare aureum, labrum cum baſi ſua, altare holocauſti, nec non etiam Sacerdotes deificarentur; oleum aromatibus conditum parari, & eo uti in rebus conſecrandis, ſuo populo, ut vidimus, Deus imperaverat.

Quamobrem ut in his pertractandis ab ordine ſacro non recedamus, ſed aliqua methodo procedamus; omnium, quæ ad Dei cultum mancipabantur, & ex Dei præſcripto ſacro perungenda oleo erant, trimembris à nobis diſtinctio fiet, ut ſeorſum
B ſingula maturius inveſtigare liceat. Priori loco Tabernaculum cum omnibus, quæ ad ipſum pertinent conſiderabimus: nimirum velamina, tam ſuperna, quàm interna & externa; Arcam cum ſuis vectibus, & Propitiatorium cum aliis partibus, Menſam cum illius utenſilibus, Candelabrum cum vaſis, quæ ad ipſum pertinebant; & denique Altare aureum, in quo ſacrum odoratiſſimum thymiama comburebatur. Secundo locò conſiderabimus reliqua omnia, quæ ad extra Tabernaculi collocabantur; nimirum Altare holocauſti, cum omnibus illius utenſilibus, & Labrum æneum, in quo aqua aſſervabatur, ad miniſtrorum ablutionem, quoties Tabernaculum ingreſ-
C ſuri fuiſſent. Poſtremo denique loco conſideranda animata vaſa erunt, Sacerdotes nimirum, tam majores quam minores: quamvis enim hi dignitate, atque natura, reliquis omnibus jam enumeratis præcellant; quod animata ſint vaſa, ad Numinis imaginem creata; reliqua verò enumerata, inanimata: nihilominus poſtremo loco à nobis in hac rerum ſacrandarum trina diviſione recenſentur; quia à ſacro textu poſtremo in loco reponuntur: quamobrem Exodi cap. 40. Deum ad Moyſen locutum hac forma ſcribitur: *Et aſſumpto unctionis oleo, unges Tabernaculum cum vaſis ſuis, ut ſanctificentur.* in quibus cum ſermo de conſecratione illorum eſſet, quæ divino cultui
D mancipabantur; ſtatim ab his exorditur, quæ à nobis primo loco recenſita fuerunt. deinde de his quæ ſecundo loco à nobis referuntur meminit, dicens: *Altare holocauſti, & omnia vaſa ejus, labrum cum baſi ſua, omnia unctionis oleo conſecrabis, ut ſint Sancta Sanctorum.* Denique poſtremo de miniſtrorum conſecratione agit, dicens: *Applicabiſque Aaron, & filios ejus ad fores Tabernaculi teſtimonii, & lotos aqua indues ſanctis veſtibus, ut miniſtrent mihi, & unctio eorum in Sacerdotium ſempiternum proficiat.* hæc ſunt verba ſacri textus, & hic conſecrationis epilogus. Illa verò rerum ſacrandarum, trimembris noſtra divi-
E ſio, triplici illa ut reor unctionis repetitione, in ſacro textu explicatur; ut rerum ſacrandarum numerus, conſecrationiſque ritus, atque cæremoniæ omnino abſolverentur. cujus Conſecrationis complementum, per verbum *impleo manus*, in diverſis oraculis, ut infra dicemus, ſignificatur; metaphora à conſecratione Sacerdotum ſumpta, cujus manus in complemento conſecrationis, hoſtiis onerabantur; ad alia etiam inanimata, quamvis nullas habeant manus.

F
CAP. XXVI.

Area pro Divino Tabernaculo ante erectionem deſignatur.

Ad loca Exodi 40. *Erexit & atrium per gyrum Tabernaculi & altaris, ducto in introitu ejus tintorio.* 1. Paralip. 21. *Et ædificavit ibi altare Domino: abtulitque holocauſta, & pacifica, & invocavit Dominum, & exaudivit eum in igne de cœlo ſuper altare holocauſti.* & ad alia.

PRIUSQUAM de conſecratione Tabernaculi à nobis agatur, non immerito dubitandum occurrit, an totum illud ſpatium agri, ſive area illa, in qua ſacrum Tabernaculum, Dei monitu, erigendum erat; antequam eò perveniſſent ſacrorum utenſilium portatores, area aliqua, ſive ſpatium deſignaretur, cultui ſacrorum, & ſacrificiis accommodatum; ne ſacrorum miniſtri, a ſacris faciendis quodammodo remorarentur. Et in ipſo ſtatim hujus capitis veſtibulo nomen areæ occurrit: ut à nomine exordium ſumentes, ejus quod intendimus naturam, ac ſignificatum indagemus. Nam licet area in ruſtica phraſi locum trituræ accommodatum ſignificet, & areolæ quoque in hortis dicantur, loca germinum culturæ, per modum areæ accommodata: nobis tamen area non eſt niſi campus ſpatioſus, ac planities maxima, quæ area in urbibus dici ſolet: quod nimirum pura ſit, & ædificiis vacua, cui ſuper imponuntur ædificia, in qua ſignificatione Horat. dixit:

Ponendæque domo quærenda eſt area primum.

Hac enim ratione loquuntur de area Juriſconſulti *l. ſi in area, ff. de condit. indeb.* quamobrem in aliena area ædificare dicuntur, qui in alieno fundo domum conſtruere audent. *l.* 27. §. *idem eſt. l.* 37. *ff. de rei vindic.* quæ etiam manet, depoſitis ædibus. Nec nobis diſputandum erit de area; an propriè de urbano ſolo dicatur, an de ruſtico; vel e contra propriè de ruſtico metaphoricè verò de urbano: viderint iſta Juriſconſulti: nobis hoc nomine ſignificatur, locus Tabernaculo erigendo quam maximè accommodatus. Nec pro nobis, neque pro Juriſconſultis; deſunt veteres lapides, qui ſua vetuſtate, ac ſuavitate probent, aream locum eſſe ædificiorum, atque culturæ vacuo, & ſacris; quam primis accommodatum. Extat Romæ lapis in hac verborum forma:

HAEC. AREA. INTRA. HANC. DEFINITIONEM. CIP
PORVM. CLAVSA. VERVBVS. ET. ARA. QVAE. EST
INFERIVS. DEDICATA. EST. EX. VOTO. SVSCEPTO
QVOD. DIV. ERAT. NEGLECTVM. NEC. REDDITVM
INCENDIORVM. ARCENDORVM. CAVSA. QVAN
DO. VRBS. PER. NOVEM. DIES. ARSIT. NERONIA
NIS. TEMPORIBVS. ET. HAC. LEGE. DEDICATA
EST. NE. CVI. LICEAT. INTRA. HOS. TERMINOS
AEDIFICIVM. EXTRVERE. MANERE. NEGOTIARI
ARBOREM. PONERE. ALIVDVE. QVID. SERERE
ET. VT. PRAETOR. CVI. HAEC. REGIO. SORTI. OBVE
NERIT. LITATVRVM. SE. SCIAT. ALIVSVE. QVIS
MAGISTRATVS. VOLCANALIBVS. X. KAL. SEP. OM
NIBVS. ANNIS. VITVLO. ROBIO. ET. VERRE

Ex quo litterato lapide, plane conſtat, aream dici, locum vacuum ædificiis, & cultura: atque hoc vocabulo ſignificari, quaſi exaruerit, ut placet Feſto; vel quod in illo ara ſuperimponeretur, ut placet aliis. Sed noſtra non intereſt quid hi, vel illi ſenſerint; ſed tantum figendo tabernaculo, ſpatium aptum quærendum erit; quod fanum dictum aliquando conſtat apud veteres Scriptores. ita Liv. lib. 10. primæ decadis, cum ait: *In pugna ad Luceriam facta, Jovis ſtatoris ædes fuit vota; ut Romulus ante voverat, ſed fanum tantum, ideſt locus templo affatus, ſacratus fuerat.* Cicer. lib. 13. epiſt. ad Att. 41. ait: *Sed heus tu, diem meum ſcis eſſe* III. *non. Jan. aderis igitur. Scripſeram jam: Ecce tibi orat Lepidus ut veniam (opinor augures nihil habere) ad templum effandum Saturni* ἀσπόνδϗ, *videbimus te igitur.* hæc ibi. quamobrem ſiſtere fanum dicebatur, determinare aream, vel ſpatium, in quo ædificaretur templum: quam-

quamobrem aream concedere, & ſpatium deſtinare ad aliquod Templum conſtruendum, publici erat juris; & ad Decuriones pertinebat: ut conſtat ex Plin. lib. 10. epiſt. 9. Illud verò ſpatium, ſive aream Fanum dici, apud veteres puto; quod augures quibuſdam afflatis verbis terminaſſent, ſacro ædificio aptiſſimum. quod ex Cicerone loco citato, & Varrone colligitur. Fuit enim vetus Romanorum conſuetudo ædibus ſacris à parte anteriori aream adjungere. Sic enim, Tarquinio Rege ejecto, ager qui Tarquiniorum erat, Marti dicatus, campus Martius dictus eſt; ut ſcribit Liv. lib. 2. decad. 1. ſic etiam, C. Caſſii Domus, cui ob affectati regni crimen, dies perduellionis dicta fuit; everſa, & demolita, area ante Telluris ædem facta eſt; teſte Livio ibidem. Sed & Sp. quoque Melii domus, quod turpiter regnum appetere conatus eſſet; poſtquam capitis accerſitus pœnas dedit, patrimonio publicato Æquimelium dicta eſt; ut habet Cicer. in orat. pro domo ſua, ad Pontif. & Liv. decade 1. lib. 4. Sed ex antiquis quoque lapidibus, id uſu veniſſe apud Romanos perſpicuum eſt. probat præclarè noſtrum intentum, lapis à nobis jam relatus: ſed ſtudioſorum gratia, alter etiam Narbonenſis adferatur, in hac verborum forma:

Q. VIRBIVS. Q. F. MAXIMVS
M. VAVS. L. CAPITO
PR. II. VIR. ARAM. VOLCANO
MACERIAQ. AREAM
SAEPIENDAM. PISCINAM
QVE. EX. DD
DE. PECVNIA. PVBLICA
FACIENDA. COER
Q. VIRBIVS. Q. F. MAXIMVS
PROBAVIT

Græci quoque Romanis nequaquam invidere voluerunt in vanis ſuperſtitionibus: propterea in ſacris interdum myſteriis, etiam magicis, aream prius deſignari curarunt; ut templorum in his ædificationes imitarentur: ſic enim legimus apud Lucian. in Dial. Philopſeud. ὁ δὲ καὶ ἄλλα ἐποίησε θεσπέσια ὡς ἀληθῶς· ἐς γὰρ τὸν ἀγρὸν ἐλθὼν ἕωθεν ἐπειπὼν ἱερατικά τινα ἐκ βίβλου παλαίας ὀνόματα ἑπτὰ, θείῳ καὶ δᾳδὶ καθαγνίσας τὸν τόπον, περιελθὼν ἐς τρὶς, ἐξήλασεν ὅσα ἦν ἑρπετὰ ἐντὸς τῶν ὅρων. hoc eſt, *Hic autem* (ſupple Babylonius, de quo loquebatur) *& alia verè mirabilia fecit. nam in agrum profectus mane, cum pronunciaſſet ſacra quædam nomina ſeptem ex vetuſto libro, ſulphure & face locum luſtrans, circumambulans ter, excivit quotquot erant ſerpentes intra regionem.* hæc ibi Lucianus. Sed Euripides quoque Luciano longè vetuſtior, meminit Phœbi areæ; nec non etiam lauro, qua illam religioſè vereri conſueverunt cultores illius. de hoc Euripid. in Jon, & ibi ipſa Jon ita cecinit:

Ἄγ' ὦ νεηθαλὲς, ὦ
Καλλίστας προπόλευμα δάφνας
ἃ τὰν Φοίβου θυμέλαν
σαίρεις ὑπὸ ναοῖς.

Et quamvis hic, Jon Euripidis, videatur loqui de templo ipſo; nimirum de area, quæ intra templum erat; nihilominus de area quoque, quæ vel in anteriori parte templi, vel circum circa templum habetur, poſſe illa interpretari conſtat. nam dictio θυμέλη, qua Poëta utitur, propriè locum ſignificat, in quo citharœdi, tubicines, ſaltatores, atque cantores locum habebant in ludis tragicis. ſic enim de his Pollux lib. 4 σκηνὴ μὲν ὑποκριτῶν ἴδιον, ἡ δὲ ὀρχήστρα τοῦ χοροῦ, ἐν ᾗ καὶ ἡ θυμέλη εἴτε βῆμα, εἴτε βω-

A μός· hoc eſt, *Tabernaculum ſcenicorum proprium, orcheſtra vero chori, in qua & Thymela, ſive ſit tribunal, ſive altare.* Itaque pro ſpatio accipitur, in quo agunt hujuſmodi homines: & quia in areis præſertim extra delubra Deorum, cantores, & tubicines locum habebant ad chorum agendum: hac de cauſa de area extra templum parata Euripidem locutum arbitror: quia cum ignea eſſent ſacra illius ætatis; ſub dio, & in aperto frequentius habebantur, quam intra ipſas ædes. Sic enim Latinè illa carmina vertuntur.

B

Age ò recens natum, ò
Miniſterium pulcherrimæ lauri,
Quæ Phœbi aream
Verrit ſub templo.

Nec lauro tantum, ſed myrto etiam Phœbi aream verrere ſolitam Jon, idem Poëta ibidem teſtatur, dicens:

Μυρσίνας ἱερὰν φόβαν
ἃ σαίρω δάπεδον Θεοῦ
πανάμερος ἅμ' ἡελίου
πτέρυγι θοῇ
λατρεύων τὸ κατ' ἦμαρ.

Quo in loco Jon cultus gratia, aream Phœbi ſe
C myrto verrere apertiſſimè teſtatur. At dictio δάπεδον apertius de area extra ædem interpretatur. Significat enim campum, & ſolum apertum ædificationi aptum; appellaturque δάπεδον, ut nonnullis placet, quaſi ἀπὸ τοῦ δάπτω τοῦ κόπτου. ſic enim interpretantur hæc carmina:

Myrti ſacram comam,
Qua verro ſolum Dei
Quotidie cum ſolis
Ala celeri
Serviens quotidie.

Itaque ſolum Dei, dicit Poëta non tantum, quod
D intra templi parietes, circumclauſum habetur; ſed etiam totum illud ſpatium, quod Deo alicui dicabatur, ſic appellatum fuiſſe ex veterum teſtimonio, nos credere, ratio poſtulat. materiæ quoque ſubjectæ, de qua ſermo eſt apud Euripidem, nimirum ratio templi Phœbei illud idem nobis ſuadet.

Verum ad ſacra redeamus oracula: etenim quæ diximus de cultu areæ, quæ fuit apud impiæ religionis ſectatores, pariter apud Hebræos uſu veniſſe; aream deſignare, ante erectionem altarium, ſacrorum de cauſa, ſi diligentius ſacræ pervolvantur litteræ, à veritate nequaquam alienum videbitur; imò litteris ſacris quammaximè conſonum. Loca pluri-
E ma ſacrorum oraculorum id aperiunt. nam agrum emiſſe Jacob à Sichimitis, ubi erigeret altare, ſacrumque faceret cap. 33. Gen. narratur. Sic enim legimus; *Emitque partem agri, in quo fixerat tabernaculum, à filiis Emor, patris Sichem centum agnis, & erecto ibi altari, invocavit ſuper illud fortiſſimum Deum Iſraël.* non enim totum agrum hic emiſſe ſcribitur, ſed tantum partem; illam nimirum, quæ juxta ritus ſacros ad rationem altaris, & ſacrificii ex conſuetudine requirebatur. non enim culturæ, ſed ſacrorum de cauſa, partem agri Jacob emiſſe tunc ſcribitur. Similiter etiam quando Angelus Dei Iſraëliticum populum vexabat, ob regis David peccatum; peſtiſque graſſabatur; ut ſeptuaginta millia virorum,
F breviſſimo dierum ſpatio in Iſraël extra Jeruſalem perierint; ut dicitur in Paralip. 21. & ad Numen placandum Davidi altare erigere imperatur; antequam altare ab eo erigatur, de area deſignanda cogitatur; deque parando ſpatio, cui altare ſuperimponatur. quamobrem aream Ornan emit Rex, & ibi, ut dicitur, *ædificavit altare Domino, obtulitque holocauſta, & pa-*

& pacifica, & invocavit Dominum, & exaudivit eum in igne de cœlo ſuper altare holocauſti. Similiter etiam Salomon templum toto orbe celebre ædificaturus, prius de ſpatio complanando, areaque aptanda cogitavit; ſuper quam tota ædificii moles conſtrueretur: qui locus cum anguſtior eſſet, quam futurum ædificium requirebat; coactus eſt Salomon, voraginem illi adhærentem, ab imo lapidibus plurimis replere, pontibuſque ædificatis complanare: quæ complanatio 3. Reg. 11. cauſa rebellionis Jeroboam fuiſſe, ſic dicitur: *Et hæc eſt cauſa rebellionis adverſus eum, quia Salomon ædificavit Mello, & coæquavit voraginem Civitatis David patris ſui.* Verum ex Joſepho clariora fiunt omnia. is enim lib. 15. Antiq. cap. 14. de colle in quo Area Ornan erat, ubi Salomon templum conſtruxit, ita loquitur: *Tumulus erat petriculoſus, arduus à vertice ſenſim verſus Orientem urbis latus reſupinus; hujus verticem primus Salomon Rex noſter, inſtinctu Dei, muris circumdedit.* & lib. 1. de bello cap. 6. dicit: *Fanum autem conditum erat, ut dixi, ſupra duriſſimum collem, & initio quidem vix templo, atque areæ ſufficiebat jacens in ſummo planities; quòd undique præceps erat, atque declivis. cum autem Rex Salomon, qui etiam templum ædificaverat, muro ejus partem ab oriente cinxiſſet; una porticus aggeri eſt impoſita.* hæc græcè non attulimus, quod non omnino neceſſarium id duceremus. itaque Salomon templum ædificaturus de area deque ſpatio, ſibi prius cogitandum agnoſcit.

At in dedicatione Tabernaculi, nihil neque verbum de Conſecratione areæ in ſacris legimus; quod ſilentio prætereundum non videbatur. ſed Joſephus id nequaquam prætermiſit cap. 6. Antiquit. lib. 3. juxta antiquiorem tranſlationem, juxta verò Græcum exemplar habetur in princip. cap. 5. *πάντων δὲ ἑτοίμων γεγενημένων χρυσίου τε καὶ χαλκοῦ, καὶ τῶν ὑφαντῶν, προεῖπων ἑορτὴν Μωυσῆς, καὶ θυσίας κατὰ τὴν ἑκάστου δύναμιν, ἵστα τὴν σκηνήν· πρῶτον μὲν αἴθριον διαμετρησάμενος.* id eſt, *Omnibus itaque in præparatione jam conſtitutis auro, & ære, & textilibus, prædicens feſtivitatem Moſes, & ſacrificia pro uniuſcujuſque virtute facienda, ad ſtatuendum tabernaculum accerſit; prius autem atrium menſus eſt, &c.* quæ apud eumdem Joſephum ſequuntur cap. 5.

Et quidem ſacra oracula, ſpatium, ſive aream, in qua tabernaculum erat erigendum, cortinis circumdatam tradidere. quemadmodum ex ſacris Ethnicorum quibuſdam vittis ſpatium ſacri ædificii, ſeu ſacram aream circumdatam cognovimus ex Alexan. ab Alexan. lib. 6. gen. dier. cap. 14. quem quidem locum areæ, templum etiam dictum comperimus apud veteres; ut adnotavit Janus Parrhaſius in quæſitis ſuis epiſt. 57. & Serv. lib. 4. Æneid. ver. 199. Varro lib. 6. de ling. Lat. dicens: *Curia Hoſtilia templum eſt, & tamen ſanctum non eſt. hoc eſt, quicquid palis, haſtis, aut aliqua re ſimili claudi poteſt.* unde etiam Feſtus lib. 11. dixit: *Minora templa fiunt, cum loca aliqua tabulis, aut linteis ſepiuntur, ne uno amplius oſtio pateant.* In quo genere ſanctum atrium, & aream tabernaculi collocare poſſumus. Illis enim cortinis aream ſacri tabernaculi, legimus in Exodo, deſignari conſueviſſe. in ea verò ſublimitate conſtituebantur cortinæ; ut prophani, populus, atque etiam ex lege purificati, poſſent tabernaculum, & altare ſacrificiorum, non quidem de vicino, aut prope, ſed tantum à longè conſpicere, nec non etiam ſacra miniſteria Sacerdotum, in comburendis victimis contemplari: non tamen atrium cortinis circumdatum penetrare. Quamobrem cortinas illas fibulis quibuſdam, atque laqueolis ſimul conjungi præceperat Deus cap. 27. Exodi in hæc verba: *Facies & atrium tabernaculi, in cujus auſtrali plaga, contra meridiem, erunt tentoria de byſſo retorta. centum cubitos*

A *tenebit unum latus in longitudine, columnas viginti, cum baſibus totidem æneis, quæ capita cum celaturis ſuis habebunt argentea. in latitudine verò atrii,* inquit, *quod reſpicit ad occidentem, erunt tentoria per quinquaginta cubitos, & columnæ decem, baſeſque totidem.* Similiter etiam quantum ad latitudinem Deus diſpoſuit orientem verſus, quò facies tabernaculi reſpiciebat; ſed quantum ad menſuras cortinarum aliter ſe habuit, quam in aliis atrii lateribus, voluit enim hæc aulæa fieri aperta, ut accommodata forent populo, qui ſacras erat, quaſi ad portam atrii, hoſtias oblaturus: quamobrem ait. *In ea quoque atrii latitudine, quæ reſpicit ad orientem, quinquaginta cubiti erunt: in*
B *quibus quindecim cubitorum tentoria lateri uno deputabuntur, columnæque tres, & baſes totidem: & in latere altero erunt tentoria cubitos obtinentia quindecim, columnæque tres, & baſes totidem: In introitu verò atrii fiet tentorium cubitorum viginti ex hyacintho & purpura, coccoque bis tincto, & byſſo retorta, opere plumarii: columnas habebit quatuor, cum baſibus totidem. Omnes columnæ atrii per circuitum veſtitæ erunt argenteis laminis, capitibus argenteis, & baſibus æneis.* & cap. 40. iterum Deus mandat Moyſi deſignandum fore atrium, ſive aream ubi erigendum erat tabernaculum, *Circumdabiſque,* inquit, *atrium tentorii, & ingreſſum ejus.* & ſtatim de executione hujus præcepti ſubditur: *Erexit & atrium per gyrum tabernaculi, & alta-*
C *ris, ducto in introitu ejus tentorio:* ut omnibus laicis terminus præſcriberetur accedendi. tum ne ſacra poſthaberentur, dum undique populus confluxiſſet, tum etiam ne miniſtris, ſacris incumbentibus, vulgus coacervatim accedens, impedimento eſſet. Alia plura adhuc de area, deque vittis ſuperſunt dicenda in ſequentibus capitulis, in quibus de luſtratione, atque conſecratione tabernaculi ſermo erit. Jam igitur perſpicuum eſt, ſpatium, aut aream deſignandam, & cortinis quaſi quibuſdam vittis fuiſſe revinciendam, in ſacris Moſaicis, ante tabernaculi erectionem.

D

CAP. XXVII.

In quo loco conſtructum fuerit ſacrum Tabernaculum, & utenſilia illius, explicatur.

Ad locum Exodi cap. 38. *Hæc ſunt inſtrumenta Tabernaculi teſtimonii, quæ enumerata ſunt juxta præceptum Moyſis; in cæremoniis Levitarum, per manum Ithamar filii Aaron Sacerdotis, quæ Beſeleel filius*
E *Uri de tribu Juda, Domino per Moyſem jubente, compleverat: juncto ſibi ſocio Oliab filio Achiſamech de tribu Dan, qui & ipſe artifex lignorum egregius fuit, & polymitarius, atque plumarius, ex hyacintho, purpura, vermiculo, & byſſo.* & ad alia.

TOTA capitis hujus difficultas circa initium ſacri à Deo inſtituti olei verſatur, tempuſque inveſtigare contendit; in quo Conſecratio ſacri Tabernaculi inchoata fuit: inde enim quo tempore ſacri Conſecrationis olei à Deo inſtituti uſus cœperit, expiſcari facilius poſſumus. verum iſta minimè cognoſcentur, niſi cognito loco, in quo artifices ad Tabernaculum conſtruendum operi incumbebant. Circa quæ ambigendum primo occurrit, quo in lo-
F co deſerti à Beſeleel, & Oliabo opus conſtructionis Tabernaculi inchoatum, proſecutum, completumque fuerit; an nimirum alibi, quam in medio caſtrorum, fabricæ hujus Tabernaculi artifices operam dederint; an verò intra eamdem aream, in qua poſtmodum conſecratum fuit, ibidem Tabernaculo operam dederint. Certum eſt enim non unico die, ſed pluribus menſibus huic operi artifices intendiſſe; ut

ut præclarum illud ſummi Dei omnipotentis portatile templum, auro, argento, gemmiſque fulgidum, divinæ præſentiæ terrenum habitaculum pararent.

Quia verò artifices hujus fabricæ, ſapientia, ſcientiaque à Deo repleti ſcribuntur: ut ſacrorum oraculorum in artificum laudibus abdita pateant; aliqua ad Tabernaculi fabricam pertinentia, & Moyſis architectonicam cognitionem, præſupponere neceſſe eſt; nimirum quod ſacrum Tabernaculum à Beſeleel, & Oliabo, aliiſque inferioribus artificibus conſtructum fuerit; atque una cum eo paraverint quoque, ac conſtruxerint, quæ ad columnas ligneas auro tectas requirebantur; fuſioni quoque metallorum ſtuduerint, ut ex his pararent, quæ ad baſes argenteas, aureas, & æreas, ad capitella, & ad paxillos pertinebant: necnon etiam ad altaria, menſam, & candelabrum; & denique arte textoria, ad velamina, cortinas, aulæa, & tentoria incubuerint; & ad reliqua omnia, quæ ad Dei, & Tabernaculi cultum ſpectabant: tamen Moyſes, ut optimè Lira etiam obſervavit cap. 1. Num. unus ipſe Doctor, unus ipſe Magiſter omnibus artificibus, ac operariis præſidebat; ut is cuncta dirigeret ad mentem illius, qui exemplar ſibi in monte monſtraverat, & diligentiſſimè moderaretur; ſicque omnia in ſacro Dei Tabernaculo fieri, quammaximè invigilabat.

Dicuntur tamen Beſeleel & Oliab à Deo fuiſſe repleti ſapientia in Tabernaculi opere; non quod propria virtute ſine Moyſis præfectura, tantam molem conſtruere poſſent; prout Moyſi in monte oſtenſa fuerat; ſed ut facile intelligerent, quæ à Moyſe dictabantur; executionique mandare poſſent, quicquid illis à Moyſe præcipiebatur. Nec in re tam aperta ambigendi relinquitur locus, ſi ad normam verborum, & rationis, quæ in ſacris litteris habentur, expendantur: quod ſi quis fortaſſe in his tantiſper dubitaret, cap. 25. 26. 27. 28. & 29. Exodi legere ſibi licet; indeque haurire uni Moyſi, non Oliabo, aut Beſeleelo à Deo figuram, & formam omnium operum, ac valorum ad uſum divini Tabernaculi oſtenſam fuiſſe. & cap. 26. ejuſdem libri Moyſi, non verò Oliabo, aut Beſeleelo dicitur: *Eriges tabernaculum juxta exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt.* & cap. 38. in quo de ultima operis manu eſt ſermo, hæc verba habentur; *Hæc ſunt inſtrumenta Tabernaculi teſtimonii, quæ enumerata ſunt juxta præceptum Moyſis, in cæremoniis Levitarum, per manum Ithamar filii Aaron Sacerdotis: quæ Beſeleel filius Vri, filii Hur de tribu Juda, Domino per Moyſen jubente compleverat; juncto ſibi ſocio Oliab filio Achiſamec de tribu Dan, qui & ipſe artifex lignorum egregius fuit, & polymitarius, atque plumarius ex hyacintho, purpura, vermiculo, & byſſo.* Illi igitur artifices, & operum præfecti Beſeleel & Oliab, ad Moyſis mandata, opus fieri curabant. Quamobrem Moyſes ipſe Architectus, & totius operis ſummus Præfectus erat.

Manifeſta quoque ratio id ſuadet, quia exemplar Tabernaculi in monte unus Moyſes viderat; ſolus igitur ipſe cognoſcere poterat in ſacri Tabernaculi ſtructura, ejuſdem formam; ut de præſcripto illius artifices inſtruerentur; & ipſi à Moyſe præſcripta, opere exequerentur. Nec enim aliquando cum Moyſe in monte Beſeleel, aut Oliab, ſive utrumque ſimul extitiſſe legimus; aut Deum horum mentem illuſtraſſe, ut magiſterio alicujus minimè indigerent: quæ quamvis à Deo fieri poſſent, nec in hoc dubitandum ſit; miracula tamen afferre, aut divinæ omnipotentiæ adſcribere, ſine neceſſitate, & ſine ſacrarum litterarum fundamento, ineptia eſt Rabbinorum.

Præfectum operis Moyſen agnovimus: quod in [A] area ſacrum Tabernaculum, cum reliquis illius utenſilibus conſtrueretur, conſiderandum ſupereſt. non enim à tali fabrica alienum videtur, rationi artis locum præſtare; ſed tamquam certum ſupponendum, neminem futurum tam vecordem, ac ſtultum, ut negare audeat, artifices illos, qui in opere Sanctuarii elaborarunt, regula, filo, menſura, æquilibri, & aliis plurimis inſtrumentis indiguiſſe; quorum miniſterio ratio artis architectonicæ utitur: his enim cuncta ad normam, & regulam Moyſi à Deo præſcriptam, artifices facilius moderabant. Nam ſi prædicti artifices his non indiguiſſent; Deus minimè indigitare curaſſet quam diligentiſſimè in libro [B] Exodi, quorumcumque ſacrorum utenſilium menſuras, haſque ſigillatim deſcribere: ſecus verò cum legamus, ea de ratione, à Deo præſcripta cognovimus; ut cuncta filo, & menſura, juxta rationem architectonicæ artifices commetirentur. nam cap. 25. Exodi de Arca, ejuſque menſuris in hæc verba agitur: *Arcam de lignis ſetim compingite, cujus longitudo habeat duos, & ſemis cubitos.* Contempletur Lector reliqua etiam omnia; quæ ad Dei cultum deſtinata fuere; & ex minutiſſima deſcriptione, ac commenſuratione illorum omnium, quæ ad uſum Tabernaculi erant, intelliget; artifices illos, [C] quantumvis illuminatos à Deo, regulis, ac menſuris indiguiſſe; ut cuncta ad normam artis architectonicæ fierent, Moyſe illis hæc omnia, ex Dei mandato præſcribente.

Menſuræ & regulæ in ſacris oraculis, rebus his præſcriptæ, locum indigitant, in quo artifices operi intendebant. nam dum Tabernaculum artifices conſtruerent; experimento quoque aliquando didiciſſe cogebantur, an tabulæ Tabernaculi altitudinis cubitorum decem, rectè inter ſe connecterentur; ſicque templi illius portatilis parietes, ac latera juxta debitam normam conſtituerentur: an baſibus argenteis rectè tabulæ illæ infigerentur; ut quam [D] rectiſſimè parietes ſacri Tabernaculi ſtare poſſent: an cuncta denique illius ſacri ædificii peraccommodatè ſimul connecterentur: & alia tandem experiri cogebantur artifices; ut pro ratione artis cuncta moderarentur. quæ omnia eo in ſpatio, atque area experienda fuere, me judice, ubi proculdubio erigendum poſtmodum, conſecrandumque ſacrum Tabernaculum erat: ne nobis neceſſe ſit aliam aream in deſerto quærere; in qua Tabernaculum nondum ſacrum erigendum fuiſſet, illius conſtructionis experiundæ cauſa: an nimirum juxta menſuram à Deo præſcriptam, fabrefactum foret. Et quamvis concedatur tabulas, lignaque ſacræ arcæ fœderis, ſeorſum elaborari, & ad invicem copulari optimè potuiſſe à [E] Beſeleel & Oliabo; in eorum nimirum privato tabernaculo: atque Arcam ibidem ſuis undequaque numeris abſolvi; quod etiam de ſacro Altari thymiamatis, de Altari ſacrificiorum, de Menſa panum propoſitionis, de Candelabro, atque utenſilibus minoribus, inſtrumentiſque omnibus, quæ ad horum uſum erant affirmari, nullum præ ſe fert inconveniens; niſi loci communis immunditia obſtet; hoc tamen de tabulis, ac ligneis columnis, quibus Tabernaculum conſtituebatur, nequaquam dici poteſt. Nam quamvis columnas illas, ſerra ſcindere, & aſcia perpolire, auro, & argento tegere, in proprio domicilio, operum Præfecti peraccommodatè [F] poſſent; experimento tamen probare, rectè ſimul connecterentur, necne, vectibuſque colligarentur, ut Deus juſſerat; nullo pacto ex loci inopia, in proprio Tabernaculo, hoc illis recta cum ratione permitti poteſt: quia tabulas illas, ſeu mavis dicere columnas quadratas erigere, experimentoque probare, rectène ſimul compaginarentur, an non; nihil aliud erat, quam Tabernaculum conſtruere.

Enimvero inter quinque vectes, qui ſacram hanc fabricam conſtringebant, Tabernaculumque firmabant, digniorem certe locum tenebat vectis ille, qui intra craſſitudinem tabularum, ſive columnarum introrſum ab extremo ad extremum per Tabernaculi latera decurrebat. ut autem hi vectes tam exteriores, quam interiores, appoſitè ſuum conſtringendi, compaginandique columnas, munus retinere poſſent; ne latum quidem unguem, tabulæ, ſeu columnæ illæ, inter ſe altera ab altera diſcrepare cogebantur; ſed potius ad filum tam ſupernè, quam infernè æquari neceſſe erat: adhibito æquilibrio, debitaque rectitudine, omni ſtudio, ac diligentia, obſervata. Hæc verò experimento probare artifices illi, & operum Præfecti nequibant; niſi tabulæ, ſeu columnæ ſimul conjunctæ, aliquo in ſpatio erigerentur, ſtareque compellerentur. iſta autem in propriis domiciliis, ac tabernaculis à Beſeleel & Oliabo fieri potuiſſe; nemo affirmabit: tum quia nullus eſt Scripturæ ſacræ locus, in quo id ſubodoretur; tum quia anguſta ad hæc, illorum artificum tabernacula fuiſſe neceſſe eſt; & aliud ſpatium inter caſtra Iſraëlitica Tabernaculo Dei quærendum fuiſſet. Quamobrem cum nullo alio in loco aptius, quam ubi ex Dei, ac Moyſis præſcripto poſtmodum erigendum erat; ſtatus & connexio Tabernaculi experiri poſſet; utique ibi dicendum erit, & non alibi fabricam illam Tabernaucli dum fabrefieret, interdum erectam fuiſſe, ut experimento probaretur ab artificibus, an Dei præſcripto correſponderet opus; artificesque divinis obtemperaſſent mandatis. Erant enim in aperto, ac deſerto loco; quamobrem neceſſe fuit Iſraëlitico exercitui ad Tabernaculum Dei ſtatuendum, atque firmandum, ſolum complanare, ejuſdem vacua loca replere, elevata, ac tumida etiam humiliare, ut baſes columnarum complanato ſolo, firmiſſimè, atque rectè diſpoſitæ, ad ſuſtinendas Tabernaculi columnas firmarentur.

Nec enim more Rabbinorum divino miraculo cuncta aſcribere noſtrum erit; ſed concedendum profectò verum eſſe, quod obſervavit doctiſſimus Franciſcus Valeſius in ſua ſacra philoſophia, & alii viri docti; Deum quidem in miraculis operandis, naturalibus quoque aliquando uti cauſis; nimirum in mirabilibus ac miraculis, quæ ſecundum ſubſtantiam, ſupernaturalia non ſunt; ſed tantum ſupernaturalia, quoad modum: de his enim accipi debet; quod à viris doctiſſimis jam relatis, de divinis mirabilibus affirmatur. in his enim ſecundi generis miraculis ipſas quoque naturales cauſas concurrere ad effectus miraculoſos producendos, juxta proprias naturas, nos etiam affirmamus: non quidem ex vi propria, ſed particularis ipſius Dei concurſu, & motione ſuos effectus operando. Hæc vera apparent in pluribus divinis miraculis; quorum unum, vel alterum veritatis elucidandæ gratia afferamus. ſit primum in Eliſæo 4. Reg. cum aquas Jerichuntinas ſalis commixtione ſalubres, ac dulces effecit: nam & aliis aquis impotabilibus, ſale effici dulces aliquando contingit; ſed quod aquarum copia maxima, ut in locis paluſtribus haberi ſolent, modico ſanaretur ſale; hoc divinæ ſolius fuit poteſtatis; quæ vim ac virtutem modici ſalis auxit, adeoque roboravit; ut modico ſale aquarum copia dulceſceret, potabiliſque fieret.

Aliud de mari rubro non omittatur, cujus littora ex annua conſuetudine exſiccantur; cum nimirum fluctus, montibus innitentes in extrema maris parte, flantibus ventis auſtralibus in adverſum reprimuntur; cum alias ob litorum anguſtiam, tranſire inde volentibus iter tumentibus undeque fluctibus omnino præcludatur. cujus maris Erithræi proprietatis, teſtis eſt Tacit. lib. 5. annal. dum Tyridatis Regis Parthorum ex inſtitutione Romanorum ad illum regnum vocati, Artabanique bella ſcribit, Maris rubri meminit, dicens: *At qui Parthis adventabant, facile arcebantur, cum alios inceſſus hoſtis clauſiſſet; unum reliquum mare inter, & extremos Albanorum montes æſtus impediret, quia flatibus Eteſiarum implentur vada. Hybernus auſter revolvit fluctus, pulſoque introrſus freto brevia litorum nudantur.*

Cum igitur Deus Optimus Max. filios Iſraël, per illud mare ſiccis pedibus tranſeuntes in alio litore ſtatuere vellet; vehementiſſimum tunc flare juſſit Auſtrum, ut dicitur Exodi 14. *Cumque extendiſſet Moyſes manum ſuper mare, abſtulit illud Dominus flante vento vehementi & urente, tota nocte, & vertit in*
B *ſiccum.* quamobrem miraculi vis non ea fuit; quod flante vento urente & vehementi extrema illa maris rubri pars exſiccaretur; ſed quod ad extenſionem Moſaicæ virgæ flaret auſter; majori quam ſoleret vehementia, ac impetu; & hoc impetu flatus ad Ægyptiorum caſtra non pertingeret; ſicque extrema illa maris rubri pars, non ad modicum, ſed taliter exſiccaretur, ut armatorum ſexcenta millia, ſicco veſtigio in adverſo ſtatuerentur littore. In Tabernaculi quoque fabrica, Deus quidem ſingulari quadam, & excellenti ſapientia in architectonica Beſeleel, & Oliab replevit; quamobrem ex Dei illuſtratione, plurima quæ conſtructionem Tabernaculi
C juvabant, artifices cognoverunt; quæ alias minimè cognoviſſent: nihilominus in pondere, menſura ſacri Tabernaculi, utenſiliumque illius non ſupernaturaliter, & miraculosè, ſed naturaliter operabantur.

Eodem igitur ſpatio, in quo ex Dei mandato; erigendum ſacrum Tabernaculum fuit; probabiliſſimum, & rationi quam maximè conſentaneum etiam erit, inchoatum, proſecutum, abſolutumque fuiſſe; ibidem erectum, ſtatutum, atque ornatum; reliqua omnia lignea utenſilia intra idem Tabernaculum conſtructa, ſuiſque numeris abſoluta fuiſſe: Arcam nimirum, Menſam, Candelabrum cum lucernis,
D Altaria, & quæcumque illorum inſtrumenta, ac utenſilia. ratio etiam id ſuadet ſumpta à loci opportunitáte: nam ex utenſilibus, quæ ad Dei cultum, Tabernaculi altariſque miniſterium parabantur; aliqua ad artem fuſoriam pertinebant; ut concha ænea, baſes, & capitella columnarum tam ænea, quàm aurea, & argentea, cyathi, pateræ, & alia hujus generis; aliqua ad artem malleatoria, fuſoriaque ſimul, ut candelabrum, & laminæ tam aureæ, quam argenteæ, & æreæ, quibus arca, altare thymiamatis, menſa, & columnæ tam Tabernaculi, quam Atrii tegendæ fuerunt; alia denique ad artem textoriam, & acu pictoriam pertinebant; ut velamina, tentoria,
E cortinæ, & quæ in ſuperiora ad tectum Tabernaculi inſervire debuerunt. Pelles quoque rubricatæ alterius erant artis; mitto nunc, quæ ad fabrilignariam attinebant; cujus artis cum primis erat, Dei Tabernaculum conſtituere. Licet verò hujus poſtremæ artis munera, tam in area & ſpatio ipſiuſmet Tabernaculi, quam intra domeſtica tentoria ſatis accommodatè elaborari, parariq. potuerint; necnon etiam laminæ aureæ malleo extendi, ac extenſæ ſuis in locis coaptari; nihilominus, quæ fuſoriæ, textoriæque artis erant, ſeorſum à loco Tabernaculi neceſſario paranda fuerunt: præſertim quod ea, quæ ad
F textoriam artem ſpectabant; non hominum, ſed mulierum fuiſſe munus ſacræ litteræ in libro Exodi teſtentur. Quapropter operum præfecti, ad experiundum, an tentoria, velamina, cortinæ, & alia omnia ex Dei, Moyſiſque præſcripto parata fuiſſent; in tabernaculo, & atrio propriis in locis illa accommodare, ſuſpendereque debuerunt: quæ tamen appendi minime poterant; niſi jam erecto tabernaculo: quamobrem non una, aut altera dies ſatis ad tantam

tantam molem fuit; neque hebdomada una, aut altera, menſe uno, aut altero in conſtruendo illo Tabernaculo artifices ſtuduiſſe neceſſe eſt; ſed in eo opere ſeptem menſium ſpatium fuiſſe inſumptum teſtatur Joſeph. lib. 3. antiq. cap. 9. Ne igitur in lucis medio cum Rabbinis cæcutiamus; Tabernaculum, nequaquam unius diei ſpatio erectum fuiſſe affirmabimus, atque in eodem conſecrationem Tabernaculi, Sacerdotumque inchoatam, ut communiter dicunt; cum ſoli erectioni una dies ſatis eſſe nequiret; ſed temporis debito ſervato intervallo, non alibi quam in eodem ſpatio, in quo poſtmodum ſacrum Tabernaculum erectum, atque conſecratum ſcimus, in eodem quoque conſtructum affirmabimus.

CAP. XXVIII.

Dedicatio ſacri Tabernaculi monſtratur.

Ad locum 3. Reg. 8. *Tunc congregati ſunt omnes majores natu Iſraël cum Principibus Tribuum, & Duces familiarum filiorum Iſraël ad Regem Salomonem Jeruſalem, ut deferrent arcam fœderis Domini de Civitate David, ideſt de Sion. Convenitque ad Regem Salomonem univerſus Iſraël in menſe Ethanim in ſolemni die, ipſe eſt menſis ſeptimus; veneruntque cuncti ſenes de Iſraël.* & ad alia.

CUm ſemper ſacrarum rerum, rituum, atque cæremoniarum, quæ in Dei cultum inſtituta fuere, ſuperſtitioſa Gentilitas æmula fuerit; ea propter à ſacra Dei lege, Iſraëlitis ab ipſomet ſupremo Numine, per manum Moyſis lata, ritus, atque cæremonias Ethnicos emendicatos fuiſſe ſuſpicabimur; quibus apud ipſos Idolorum templa, ac ædes ſacrarentur. Nam Romani Idolorum omnium cultores, qua ratione Urbem ipſam, erroris magiſtram ſanctiſſimus Leo Papa merito appellavit; non ſolum in Urbe, ſed aliis etiam in locis, ritibus quibuſdam propriis, ac cæremoniis, templa dicabant. quarum cæremoniarum radios, nonnullos conciſſos, quaſi è latebris deſpicientes, quantum à nobis fieri poteſt, elucidare conabimur. Primo igitur verba, verborumque diverſitas in his conſideranda erit; dum aliqua prophana divini fiebant cultus. hæc enim ſignificantur per verba, *dedicare*, *luſtrare*, *expiare*, *conſecrare*. Et *implere* dicitur, juxta phraſim ſacrarum litterarum; *initiari* poſſemus hoc dicere. & quamvis *conſecrare*, ac *dedicare* promiſcuè à Scriptoribus accipiatur, præſertim in recentiori genere Latinæ phraſis; olim tamen apud vetuſtiores linguæ Latinæ grammaticos, alia atque alia ſignificatione accipiebantur.

Ut autem à materia aliqua ſumatur diverſitas, conſecrare dicebatur de quacumque re, ſive animata, ſive inanimata; quæ ab uſu prophano, ad cultum religionis deſtinaretur: quamobrem non ſolum templa, areæ, altaria, ſtatuæ, tituli, termini agrorum, & alia his ſimilia conſecrabantur, ſed etiam Sacerdotes, & homines, atque animalia, quæ ſacris dicabantur. Dedicare verò rebus tantum inanimis conveniebat; ac de his tantum verificabatur, nimirum de templis, ſtatuis, imaginibus, lucis, columnis, altaribus, ac ſimilibus. De luſtratione, expiatione, conſecratione, & initiatione poſtmodum agetur: nunc de dedicatione agendum erit. Eſt enim dedicare, aliquid Deo offerre, & eo vocabulo exprimitur; quaſi dedicare ſit dicendo aliqua verba, alicui Numini aliquid in obſequium dare, atque in perpetuum eidem mancipare. nam in
A dedicatione verba neceſſario requirebantur; ac ſingularia, determinataque verba effari cogebantur, tam is qui dedicabat, quam Pontifex qui dedicantem præibat; alias dedicatio nulla, & irrita cenſebatur: & alia etiam requirebantur, de quibus modo ſigillatim tractabitur; quarum plurima hoc præclaro lapide perantiquo, quem Gruterus, p. XXIII. 12. & Gutherius de veteri jure Pontificio. lib. 3. c. 11. referunt, conſcripta habentur.

L. AELIO. CAESARE. IMP. P. CAELIO. P. F. BALBINO. VI
BVLLIO. PIO. COSS. VII. IDVS. OCTOBRES
CN. DOMITIVS. VALENS. DVVMVIR. I. D. PRAEEVN
B TE. C. IVLIO. SEVERO. PONTIF. LEGEM. DIXIT
IN. EA. VERBA. QVAE. INFRA. SCRIPTA. SVNT
IVPPITER. OPTIM. MAXIME. QVANDOQVE. TIBI
HODIE. HANC. ARAM. DABO. DEDICABOQVE. OL
LIS. LEGIBVS. OLLISQVE. REGIONIBVS. DABO. DEDI
CABOQVE. QVAS. HIC. HODIE. PALAM. DIXERO. VT
INFIMVM. SOLVM. HVIVS. ARAE. EST. SI. QVIS. HIC
HOSTIA. SACRVM. FAXIT. QVOD. MAGMENTVM. NEC
PROTOLLAT. ITCIRCO. TAMEN. PROBE. FACTVM
ESTO. CAETERAE. LEGES. HVIC. ARAE. EAEDEM
SVNTO. QVAE. ARAE. DIANAE. SVNT. IN AVENTI
C NO. MONTE. DICTAE. HIS. LEGIBVS. HISCE. REGIO
NIB. SICVTI. DIXI. HANC. TIBI. ARAM. IVPPITER
OPT. MAX. DICO. DEDICOQVE. VTI. SIS. VOLENS
PROPITIVS. MIHI. COLLEGISQVE. MEIS. DECVRIO
NIB. COLONIS. INCOLIS. COLONIAE. MARTIAE
IVLIAE. SALONAE. CONIVGIBVS. LIBERISQVE
NOSTRIS.

Numen igitur cui aliquid dedicabatur, exprimebatur. ſed præter hæc erant quædam verba ſolemnia, & vetera; de quibus Cicero in oratione pro domo ſua ait: *Ego vero ſi omnia ſolemnibus verbis ve-*
D *teribus, & priſcis inſtitutis acta eſſe dicerem.* Sed ad rem noſtram nunc verba non attinent; ſed ſolum Numinis invocationem conſideramus, quæ præcedebat omnes & quaſcumque alias cæremonias, ac verborum formas, quibus in dedicationibus veteres utebantur. quæ in noſtro litterato lapide habentur, primo ibi. IVPITER. OPT. MAXIME QVANDOQVE. TIBI. HODIE. HANC. ARAM. & deinde infra repetuntur, dicendo: HANC. TIBI. ARAM IVPPITER. OPT. MAX. ex quibus Numinis nomen exprimendum in dedica-
E tionibus perſpicuum eſt.

Quamobrem ſimulacrum Numinis, cui templum ſacrabatur, in medio ejuſdem veteres collocaſſe ſcimus: hinc enim Virgil. 3. Georg. Auguſto templum ſe dicaturum affirmans, ſimulacrum illius in medio ſe collocaturum ſcribit, dicens:

Et viridi in campo templum de more ponam.
In medio mihi Cæſar erit, templumque tenebit.
Illi victor ego, & Tyrio conſpectus in oſtro,
Centum quadrijugos agitabo ad flumina currus.

Quamvis autem à ſimulacris Iſraëlitæ abſtinerent; non tamen Tabernaculum, aut Templum dedicarunt, niſi prius ſacra in adyta inferretur Arca,
F quam Dei tribunal præ ſe tuliſſe norunt omnes; & ut infra dicemus, in ea Deus in humana ſpecie, nube velatus conſpiciebatur. Præceſſiſſe verò Arcam, Tabernaculi dedicationem, dicitur Exodi cap. 40. & ſimiliter præceſſiſſe dedicationem, atque conſecrationem Templi ſcribitur 3. Reg. cap. 8. *Et intulerunt Sacerdotes arcam fœderis Domini in locum ſuum, in oraculum Templi, in Sanctum Sanctorum ſubter alas Cherubim.*

Accedebat ad dedicationis ritus publica auctoritas; quamobrem non ſolum publica ſacrorum loca, ſed nec privata, alicui ſine auctoritate publica dedicare conceſſum erat. Quod non ſolum Platonis ſententia, ſed etiam lege Papiria, ac Curiata apud Romanos cautum erat: ea propter abſque juſſu Principis, ei qui Regia poteſtate, ut Conſul, Prætor, & Imperator, aut alter, qui ſummam apud Romanos teneret dignitatem, Templum, Aram, Statuam, aut aliquid aliud dedicare non licebat. hac enim ratione Ciceronis domum à Q. Clodio Diis dedicatam, Sacerdotes liberaverunt. quod neque juſſu populi, neque plebis ſcitu, dedicata eſſet. Ratio autem erat, quia in dedicatione, exprimendæ erant conditiones, immunitates, miniſteria illius rei dedicatæ, necnon etiam quibus illa Ara, Templum, aut Statua in miniſterium futura eſſet; quæ ſolius Principis auctoritate firmari poterant; & ideò neceſſe erat exprimere in lapide dedicationis, cujus auctoritate res illa dedicata fuiſſet; ut in lapide noſtro apparet, in quo Imperatoris, Conſulum, & Pontificis præeuntis nomina exprimuntur in illis verbis: L. AELIO. CAESARE. IMP. P. CAELIO. P. F. BALBINO. VI. BVLLIO. PIO. COSS. exprimitur etiam nomen Pontif. dedicationem præeuntis in illis verbis: PRAEEVNTE. C. IVLIO. SEVERO. PONTIF.

Reliquum eſt videre quid in dedicatione Templi juſſa Principis operarentur: utque plurima prætermittantur; illud ex veterum Scriptorum auctoritate certum eſt; non licuiſſe aliquam rem, aut Templum dedicare, niſi Principis mandato, dedicationi unus præficeretur; qui cum Sacerdote præeunte poſtem teneret; aliter enim dedicatio erat irrita, atque irreligioſa. hac enim ratione Cicero domum ſuam liberatam dicit. lib. 4. ad Attic. epiſt. 2. dicens: *Si neque populi juſſu, neque plebis ſcitu, qui rem dicaſſe diceret, ei rei nominatim præfectus eſſet.* quæ quamvis minimè requiri in ſacri Tabernaculi dedicatione videantur; tamen ut perpicuum ſit idololatras, ritus à ſacris Moſaicis mutuatos fuiſſe, vel ſaltem imitatos; videbimus etiam in ſacri Tabernaculi dedicatione, nec Principis placitum, nec auctoritatem Præfecti dedicationis, neque Populi conſenſum deſiderari.

Principis auctoritas non defuit; quia cap. 40. Exodi dicitur. *loquutus eſt Dominus ad Moyſem, dicens: Menſe primo, prima die menſis, eriges Tabernaculum teſtimonii*: & infra: *Et aſſumpto unctionis oleo unges Tabernaculum cum vaſis ſuis, ut ſanctificetur;* itaque Deus ipſe, qui ut Imperator Iſraëliticum exercitum regebat; Tabernaculum ſibi fieri, & Moyſis miniſterio dedicari juſſerat. quod etiam Philo lib. 3. de vita Moyſis aperuit, dicens: προσῆκον γὰρ ἦν τῷ ἀληθῶς ἀρχιερεῖ, καὶ τὴν τοῦ ἱεροῦ, κατασκευὴν ἐπιτραπῆναι ἵν᾽ ἐκ πολλοῦ τοῦ περιόντος ἡρμοσμένας, καὶ συμφόνους τοῖς δημιουργηθεῖσι ποιῆται τὰς ἐκ τῶν ἱερέων λειτουργίας. hoc eſt, *Conveniens enim erat, ut veri Pontificis arbitrio fieret ſacer apparatus; ut præſto eſſet copia rerum optimarum, & conſenſus in miniſteriis ſacerdotalibus.*

Auctoritas etiam Præfecti dedicationis, qui à Principe deſignatus fuiſſet, nequaquam defuit. ipſi namque Moyſi cura hæc à Deo demandata fuit, ut ex loco jam ſupra citato conſtat. quamobrem dicitur in eodem capitulo in exequutionem divini beneplaciti, atque præcepti. *Igitur menſe primo, anni ſecundi, prima die menſis, collocatum eſt Tabernaculum, erexitque Moyſes illud, & poſuit tabulas, ac baſes, & vectes, ſtatuitque columnas.* Ad quam etiam ſacri Tabernaculi conſecrationem, quam Moyſes in deſerto Dei mandato peregit; populi conſenſum aliquo modo non adhæſiſſe, ne quis ſuſpicaretur, à concurſu donariorum, quæ ad illud conſtruendum obtulerunt manifeſtus, atque apertus eſt, populi Iſraëlitici conſenſus. nam cap. 25. Exodi, in quo jubet Deus, Moyſen donaria in opus Tabernaculi ſponte oblata à populo Iſraëlitico ſuſcipere: *Loquere*, inquit, *filiis Iſraël, ut tollant mihi primitias ab omni homine, qui offert ultroneus accipietis eas.* & cap. 35. ejuſdem libri dicitur: *Egreſſaque omnis multitudo filiorum Iſraël de conſpectu Moyſis obtulerunt mente promptiſſima atque devota, primitias Domino, ad faciendum opus Tabernaculi teſtimonii.* ita ut nec inauribus, nec annulis, nec armillis, nec ornamentis quibuſvis parcerent viri, ac mulieres; quin illa eadem ad ædificium offerent Tabernaculi: imò tanto conſenſu, atque concurſu in opus Tabernaculi convenerunt omnes, ut plus offerrent Iſraëlitæ, quam opus eſſet; neceſſariumque fuit Moyſi, præconis voce prohibere populum ab oblatione pro ædificio ſacri Tabernaculi. ſic enim dicitur ibid. cap. 36. *Unde artifices venire compulſi dixerunt Moyſi, plus offert populus, quam neceſſarium eſt. Juſſit ergo Moyſes præconis voce cantari: nec vir, nec mulier quidquam offeret ultra in opere Sanctuarii. ſicque ceſſatum eſt à muneribus offerendis, eo quod oblata ſufficerent, & ſuperabundarent.* Sed in Conſecratione etiam, ac prima Tabernaculi erectione, populi conſenſum præſtitum habitum, Joſeph in verbis jam alias à nobis citatis, apertiſſimè tradidit. Sacra etiam oracula hunc conſenſum ſubindicarunt cap. 39. Exodi, in quo populum Iſraëliticum, Moyſi obtuliſſe Tabernaculum cum omnibus, quæ ad divinum cultum pertinebant, ſcribitur his verbis Num. 31. *Perfectum eſt igitur omne opus Tabernaculi, & tecti teſtimonii: feceruntque filii Iſraël cuncta quæ præceperat Dominus Moyſi, & obtulerunt tabernaculum & tectum, & univerſam ſupellectilem, annulos, tabulas, vectes, columnas, ac baſes,* & ſic reliqua enumerantur ſingula, quæ ad religionem faciebant. quæ omnia ſtatim ac completa fuerunt, à filiis Iſraël Moyſi oblata dicuntur, ut conſecrarentur. Ex qua communi totius populi oblatione, perſpicuus eſt populi conſenſus: in ea enim oblatione, dedicatio cum primis poſita erat.

Salomonem quoque populi aſſenſum; quodammodo expectaſſe legimus 3. Reg. cap. 8. cum præclarum, totoque orbe celeberrimum illud templum, Deo Optimo Maximo dedicavit; miniſterio Pontificis, qui tunc ſacris Moſaicis præficiebatur. ſic enim legimus: *Tunc congregati ſunt omnes majores natu Iſraël cum Principibus Tribuum, & Duces familiarum filiorum Iſraël ad Regem Salomonem in Jeruſalem, ut deferrent arcam fœderis Domini de civitate David, ideſt de Sion. Convenitque ad Regem Salomonem univerſus Iſraël in menſe Ethanim, in ſolemni die, ipſe eſt menſis ſeptimus; veneruntque cuncti ſenes de Iſraël, &c.* Majores verò natu dicuntur, ut rectè explicat Pineda in libris de rebus Salomonis cap. 24. ver. 1. Principes Tribuum, non quidem Patriarchæ familiarum, ſeu progenierum, ſed magiſtratus ipſi, qui Iſraëliticas urbes gubernabant, in variis tribubus diſtributas; vel etiam illi ſeptuaginta ſeniores, qui à Moyſe ad judicandum populum ex Dei monitu fuerunt deſtinati: familiarum verò Duces, in allato loco 3. Reg. Patriarchæ dicuntur. quo quidem optimatum numero, tota Republica Iſraëlitica perficiebatur; quibus apertè colligitur, totum populum Iſraëliticum conveniſſe ad Templi dedicationem. à dedicatione igitur Templi deducto argumento, ex conjecturis non improbabilibus, & locis ſacris tantiſper ſubobſcuris, eumdem conſenſum, in dedicatione Tabernaculi exquiſitum adfuiſſe arbitramur. Qua autem forma id effecerit Salomon apud Joſephum lib. 8. antiq. cap. 3. ſcribitur in hæc verba: *Salomon per litteras juſſit, Magiſtratus, ac Seniores Hebræorum, totumque Populum Jeroſolymam congregare, ad ſpectandum Templum, & ad transferendum illuc Arcam Deo ſacratam.*

tam. Quibus Joſephi epiſtolis præconem addidit Chaldæus prophraſtes, in loco jam citato ex 3. Regum: quæ quidem præconis vox, tum ad convocandum, tum etiam ad populum jam convocatum, in Dei cultum, & religionem excitandum, fuit. & optimo quidem jure, populi ad dedicationem ſacrarum ædium conveniebant; quod illo religioſo, ac pio concurſu, nil aliud populi omnes contenderent; quam opem divinam implorare, necnon etiam divini Numinis aſſiſtentiam in Rempublicam precari. ut nimirum toti populo, & cuilibet de populo ſigillatim, in omnibus actibus præſens adſit, ſuaque præſentia cunctos foveat, atque faveat. ſingulos igitur quoſque convocare æquum erat; ut omnes eò convenirent, ubi pro omnibus Numen propitiabatur. Plurimæ quoque habendæ erant Deo grates; qui cum immenſus, & infinitus ſit, nullovè loco contineri poſſit; inter homines tamen regias, atque baſilicas habere dignabatur; in quibus homines convenientes orare, ſummique Numinis iu neceſſitatibus propriis opem implorare, & adire liberè poſſent.

CAP. XXIX.

Dedicantis conditiones aperiuntur.

Ad loca Exodi 25. *Ab omni homine, qui offeret ultroneus accipietis eas.* & cap. 36. *Qui cum inſtarent operi, quotidie mane vota populus offerebat; unde artifices venire compulſi, dixerunt Moyſi: Plus offert populus quam neceſſarium eſt.* & ad alia.

Huc uſque, quæ univerſaliter requirebantur in dedicatione aperuimus: quæ requirerentur ei qui dedicationi præficiebatur; ſive ut rem dedicaret; ſive ut in dedicatione præiret dedicanti; conſideranda remanent: quæ brevitatis cauſa, ad quatuor capita revocanda cenſuimus; nimirum ad legem, ad manus, ad verba, & ad mentem: hæc enim omnia quam rectè dedicatori dirigenda erant, ne dedicatio irrita, inaniſque fieret. Ut nimirum mente in Deum elevata eſſent, tam Sacerdos qui præibat, quàm dedicationis Præfectus, ne aliquo modo à cœleſtibus, & numinibus, ad terrena diſtraherentur. Mens enim propter Deos cum primis requirebatur; quod hi etiam, ut Gentiles fatebantur, omnia ex mente metiantur; quamobrem eam puram, atque integram etiam Gentiles in dedicante deſiderabant. Quam integra verò, ac pura fuerit Iſraëlitarum mens in fabrica Tabernaculi conſtat, ex his, quæ cap. 25. Exodi ſcribuntur: Deum nimirum juſſiſſe Moyſen donaria recipere ab his, qui ſponte illa Domino obtuliſſent: *Ab omni homine*, inquit Deus, *qui offeret ultroneus, accipietis eas*; & cap. 36. tanta promptitudine populum donaria obtuliſſe ſcribitur; ut cohibendus fuerit populus decreto publico, ne quid amplius offerret: *Qui cum inſtarent operi, quotidie mane vota populus offerebat; unde artifices venire compulſi, dixerunt Moyſi: Plus offert populus quam neceſſarium eſt.* Itaque eadem mente pariter, qua munera offerebant, Tabernaculum obtuliſſe Senatores Iſraël credendum eſt; cum de illius Conſecratione eſſet agendum: quamobrem dicitur de hac oblatione cap. 39. Exodi, & in fine ſubditur: *Obtulerunt filii Iſraël ſicut præceperat Dominus. Quæ poſtquam Moyſes cuncta vidit completa, benedixit eis.*

Hanc mentem rectiſſimam quoque fuiſſe in Moyſe viro ſanctiſſimo, nemo dubitabit; teſte ipſo Deo, qui de Moyſe dixit in Num. 12. cum de eo Maria
A ejus ſoror, & Aaron illius frater murmuraſſent: *Audite ſermones meos, ſi quis fuerit inter vos propheta Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad illum. at non talis ſervus meus Moyſes, qui in omni domo mea fideliſſimus eſt; ore enim ad os loquor ei, & palam & non per ænigmata, & figuras Dominum videt.* quod ſanè teſtimonium, divino ore prolatum, Moyſis ſervi Dei ſanctitatem manifeſtiſſimè aperit: prætermittantur ſexcenta alia, quæ ex divinis oraculis depromi poſſent; ſanctitatis Moyſis, mentiſque illius in Deum directæ; & à terrenis omnino ad cœleſtia ſublimatæ teſtimonia apertiſſima.

Prætereundum tamen nequaquam arbitror Philonis teſtimonium præclariſſimum de rectitudine Moy-
B ſis. ille enim adnotavit lib. 3. de vita Moyſis, in electione Sacerdotum, ac illorum, qui ſacris initiandis Deo debitum cultum exhiberent; Moyſem non propinquitatis rationem habuiſſe, ſed ſanctitatis, atque perfectionis, quæ in miniſtris requirebatur. ſic enim dicit: τὸν μὲν οὖν ἀδελφὸν ἐξ ἁπάντων ἐπικρίνας ἀριστίνδην ἀρχιερέα· τοὺς δ' ἐκείνου παῖδας ἱερεῖς ἐχειροτόνει, προνομίαν οὐ τῷ οἰκείῳ γένει διδοὺς, ἀλλ' εὐσεβείᾳ, καὶ ὁσιότητι ἃς ἐνεώρα τοῖς ἀνδράσιν ὑπούσας. σαφὴς δὲ πίστις, οὐδέτερον υἱῶν, δύο δὲ ἦσαν αὐτῷ, τούτου τοῦ γέρως ἠξίωσεν, ἀναγκαίως ἂν ἀμφοτέρους ἑλόμενος εἴ τινα τιμὴν τῷ φιλοικείῳ ἔνειμε. καθίστη δὲ μετὰ τῆς ἅπαντος τοῦ ἔθνους γνώμης, ὡς τὰ λό-
C για ὑφηγεῖτο, καινότατον τρόπον, καὶ ἄξιον ἱστορηθῆναι. hæc Philo de Moyſe, ejuſque rectitudine in Sacerdotum, atque Pontificis electione, quorum verborum hæc eſt interpretatio: *Fratrem igitur ex omnium judicio elegit Pontificem. Filios verò illius Sacerdotes conſtituit, præeminentiam dans, non domui, aut generi, ſed pietati, atque ſanctitati, quas adverterat in his viris exiſtere; id vero ex eo perſpicuum eſt quod neutrum filiorum, quum duos ſuſcepiſſet, hoc munere dignatus fuerit; ambos utique electurus, ſi aliquem honorem, propinquorum ſtudio tribuiſſet. hos igitur elegit de communi gentis ſententia, ut jubebant oracula novo prorſus & memorabili modo.* His, me judice, ſatis apparet
D quantæ fuerit perfectionis, & à terrenis ſejunctus Moyſes, quem Deus præfecit ſacræ Tabernaculi conſecrationi.

Vocem etiam requiſitam apud Ethnicos in templorum dedicatione, diximus ex Gutherio: at hæc per reſpectum ad verba quæ propria dedicationis eſſe debebant. & hæc ſingularis dedicandorum templorum forma eo ſpectabat; ut verba nimirum enuncianda, tam ab eo qui aliquid diis dedicare volebat, quam à Pontifice præeunte ritè effata forent. ambo enim verba propriæ formæ habebant. Dedicantis illa erant, quæ habet Cicer. in orat. pro domo ſua. ADES. ADES. LVCVLLE SERVILI. DVM.
E DEDICO. TEMPLVM. IOVI. VT. MIHI. PRAEEATIS. POSTEMQVE. TENEATIS Quæ verba non ſunt Pontificis dedicantis; quia ejus erat poſtem tenere, & dedicatori præire, non verò alium rogare, ut hæc cum eo faceret. in quo ut video Gutherius & alii decepti ſunt; ab eo Cicer. loco formam dedicationis haurientes; quam à Pontificum verbis petere tenebantur. non enim diſtinxerunt inter utrorumque verba. Similiter etiam advertebatur à veteribus, ut forma dedicationis pronunciata à Pontifice, qui Templum dedicabat; rectè effata foret. & in his nomen etiam Numinis exprimebatur, cui Ara, Statua, Templumvè dicabatur.

F Verborum forma, quæ à præeunte Pontifice pronunciabantur, illa erat: *Do, Dico, Dono*, & ſimilia, quæ tribus vicibus propterea repetebantur; quia in dedicationibus Numen primo invocandum fuit; cui Statua, Templum, Ara, aut aliud dedicabatur; & ideò in noſtro lapide dicitur: IVPPITER. OPTIM. MAXIME. QVANDOQVE. TIBI. HODIE. HANC. ARAM DABO. DE-

DI-

DICABOQVE. Secundo in univerſum conditiones, ſub quibus dedicatio fiebat, exprimebantur, & veluti à Numine placitum dedicandi ſub illis conditionibus exquirebatur; ut dicitur in lapide noſtro. OLLIS. LEGIB. OLLISQVE REGIONIBVS. DABO. DEDICABOQVE. & ideo hæ in futurum prænunciabantur; quia nihil huc uſque operabantur; nam futura nihil ponunt in eſſe. Itaque dedicatio non habebat vim uſque ad prolationem verborum de præſenti, quæ ſtatim legibus enunciatis ponuntur in lapide cum dicitur: HIS. LEGIBVS. HISCE. REGIONIBVS. SICVTI. DIXI. HANC TIBI. ARAM. IVPPITER. OPT. MAX. DICO. DEDICOQVE. tandem dedicatione facta tamquam ad Numinis præſentiam, illud idem precabatur adeſſe propitium. ut in lapide habetur. in quo ſubinferuntur à Pontifice, hæc verba: VTI SIS. VOLENS. PROPITIVS. MIHI. COLLEGISQVE MEIS. DECVRIONIB. COLONIS. INCOLIS. COLONIAE. MARTIAE. IVLIAE. SALONAE. CONIVGIBVS. LIBERISQVE. NOSTRIS.

Verba dedicationis tam à Pontifice præeunte, quàm à Præfecto dedicationis diſtinctè, & apertè enuncianda erant. Nam in his adeò ſuperſtitioſi fuerunt Ethnici veteres, ut non ſolum verbis ad hoc uterentur ſpecialibus; ſed religione tacti caverent, ne aliquo modo verba interrumperentur: quamobrem nefas ducebant, aliquo verbo non ritè prolato, gemitu, vel ſuſpirio, precationem interrumpere; quamobrem Plin. lib 11. cap. 37. ſcribit Metellum Pontificem, cum adeò inexplanatæ eſſet linguæ, ut cum difficultate litteram R exprimeret: multis menſibus fuiſſe tortum, dum meditaretur, (in dedicanda æde Opiferæ) illius nomen rectè pronunciare, nevè in littera ſibi infeſta impingeret. ea propter, religione capti auctores graviſſimi, ut Liv. lib. 2. decad. 1. Dion. lib. 5. Valer. Max. lib. 5. cap. 10. & alii, Horatii Pulvilli meminerunt, non ſine admiratione: qui cum Capitolium dedicaret, ſummoque Jovi conſecraret; ac poſtem Templi jam pro more teneret, formamque veteris precationis effaretur; filii obitu eidem nunciato, nec poſtem dimiſit, nec precationis formam interrumpere eſt auſus: ne una cum poſte dimiſſo, aut forma precationis non rectè prolata, religionem violaſſe videretur.

Quod quidem fortitudinis exemplum, Seneca quoque veneratur in Conſol. ad Marc. cap. 13. nam Romano Græcum hominem comparat; cui cum in ipſo ſacrificio, proprii filii mors nunciaretur; tibicinem tantum qui in ſacrificiis adhibebatur tacere juſſit; coronamque capitis ſibi detraxit pro more luctus; cætera tamen ad ſacra ſpectantia ritè perfecit; quamobrem laudis plurimum ſibi apud ſuos, ac exteros hac fortitudinis, atque patientiæ nota acquiſivit: cum tamen & merito Seneca plus honoris deferendum exiſtimans Romano, quam Græco homini, ſic dixerit: *Nec nimis admiretur Græcia illum patrem, qui ipſo in ſacrificio nunciata filii morte, tibicinem tantum tacere juſſit, & coronam capiti detraxit, cætera ritè perfecit. Pulvillus hoc fecit Pontifex, cui poſtem tenenti, & Capitolium dedicanti: mors filii nunciata eſt, quam ille exaudiſſe diſſimulans, & ſolemnia pontificalis carminis verba concepit, gemitu non interrumpente precationem, etiam ad filii ſui nomen Jove propitiato.* hæc Seneca, qui in hujus viri laudes erumpens, ſubdit: *Dignus me hercule memorabili dedicatione, dignus ampliſſimo ſacerdotio, qui colere Deos, nec iratos quidem deſtitit.* Quæ ſanè Romanorum, atque Græcorum fortitudo, nihil aliud reſpiciebat; niſi in forma verborum cum dedicabantur templa, aut alia, à ratione religionis non aberrare, aut contra religionem aliquid committere.

Quænam apud Iſraëlitas in dedicationibus, atque A conſecrationibus, verborum forma ſervaretur; ſacra nequaquam aperuerunt oracula; præſertim in prima Tabernaculi erectione. In templi Hieroſolymitani dedicatione aliquid habetur; ex quo, ad dedicationem nonnulla ſubodorari poſſunt: nimirum ſupremi Numinis invocatio; ſæpe enim legimus 3. Reg. cap. 8. Salomonem dicentem, *Domine Deus*, in illa oratione dedicationis Templi, & ibid. nu. 13. offert illi Templum, dicens: *Aedificans ædificavi domum in habitaculum tuum, firmiſſimum ſolium tuum in ſempiternum.* Deinde ut illam domum acceptet, Deum precatur; nec non etiam ut propitietur populo ſuo; dimittatque peccata populi, dicens num. B 28. *Domine Deus meus; audi hymnum, & orationem, quam ſervus tuus orat coram te hodie, ut ſint oculi tui aperti ſuper domum hanc nocte ac die.* Multo etiam plura, longiſſima oratione ſubintulit Salomon, quæ illo capitulo videri poterunt.

Manus adhibitas in ſacris Ethnicorum, omnes paſſim Scriptores affirmant, qui de hac re ſcripſerunt: Stuchius in ſuo de Sacrificiis, Jacobus Gutherius lib. 3. de vet. jur. Roman. Pontif. lib. 3. cap. 11. & Alexan. ab Alex. lib. 6. cap. 14. loquitur: *Templi verò conſecratio fiebat; ut qui templum, ædemve dedicaturus erat, poſtem tenens, accenſo foculo, & advocato Numine, cui templum, ædesve ſacrabantur; ſe ex pro-* C *phano uſu, & humano jure, templum, cellam, menſas, arulas, quæque eo pertinent eximere; eaque conceptis verbis ipſi numini (nominat numen) divina, humanaque omnia conſecrare, dicareque affirmet.* Poſtem verò tenebat Sacerdos in ſacris prophanæ religionis, ut numinis nomine ſe in poſſeſſionem illius numinis locum accipere oſtenderet; ſunt enim manus poſſeſſionis indices: ſic etiam in aræ dedicatione, ara ipſa manibus prehendebatur. Hæc fierentne in ſacris, incertum eſt: nam offerentis traditionem oblatæ rei, & Sacerdotis acceptationem neceſſario requiſitam in ſacrificiis comperimus. quamobrem fortaſſe has interceſſiſſe putandum eſt; cum populus Tabernaculum D cum utenſilibus obtulit, & Moyſes illa omnia acceptavit. Et quamvis manus adhibitas in uſu olei ad conſecrandum Tabernaculum ſciamus; nec nobis conſtet qualiter apud Gentiles conſecrarentur aræ, templa, & alia, nunc non ſunt ad rem, quia dedicatio à nobis conſideratur.

Lex tandem ultimo in dedicationibus conſideranda erit. nimirum conditiones, quæ decernebantur alicui aræ, vel templo, ſive cuicumque alteri, quod dedicaretur; quæ in noſtro lapide ſignificantur illis verbis: LEGEM. DIXIT. IN. EA. VERBA. QVAE. INFRA. SCRIPTA. SVNT. verba verò legis inſcripta ſunt illa. OLLIS. LEGIB. OLLIS- E QVE. REGIONIBVS. & parum infra. SI. QVIS. HIC. HOSTIA. SACRVM. FAXIT. QVOD. MAGMENTVM. NEC. PROTOLLAT. ITCIRCO. TAMEN. PROBE. FACTVM ESTO. CAETERAE. LEGES. HVIC. ARAE. EAEDEM SVNTO. QVAE. ARAE. DIANAE. SVNT. IN. AVENTINO. MONTE. & ſic habentur paſſim in aliis lapidibus. *Magmentum verò*, Feſtus inquit, *veteres dixerunt, quaſi majus augmentum & auxilium, & ex auctione numeri, concurſu alienigenarum magmentum dicebatur.* quamobrem aræ illi ad uſum alienigenarum fore conceditur; quoties in ea ſacrum facere illi vellent; ea tamen conditione, F ne ultra debitum tempus ſacrum protraherent. Noſtri verò Tabernaculi conditiones, ex legibus habentur in illis verbis, *legitimum, ſempiternum erit in generationibus veſtris.* Quæ non ſemel, ſed ſæpiſſimè in deſcribendis ſacris ritibus replicantur.

CAP.

CAP. XXX.

Arcam pro Dei Tabernaculo erigendo, aqua luſtratam fuiſſe ſubodoratur.

Ad loca Num. 31. *Hoc eſt præceptum legis, quod mandavit Dominus Moyſi. aurum, & argentum, & æs, & ferrum, & plumbum, & ſtannum, & omne quod poteſt tranſire per flammas, igne purgabitur. quicquid autem ignem non poteſt ſuſtinere, aqua expiationis ſanctificabitur.* Levit. 11. *Fontes verò, & ciſternæ: & omnis aquarum congregatio munda erit.* & ad alia.

VIDIMUS aream complanatam, in qua erigendum Tabernaculum, Dei juſſu fuit; quibus cæremoniis eadem purgaretur, ut ſacri Tabernaculi fieret capax, conſiderandum ſupereſt. veteres enim ſolitos luſtrare urbes, agros, ovilia, & alia hujuſmodi, nota eſt doctrina ex Macrobio, Virgilio, & aliis, quam tradit etiam Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 27. gen. dier. In conſecrationibus quoque hanc methodum ſervatam conſtat ex veterum monumentis. prius enim aliquid divino cultui mancipabatur, quod fiebat dedicatione, ubi res in alicujus fuiſſet jure; mancipationem ſequebatur luſtratio; luſtrationi accedebat expiatio; poſtquam res aliqua expiata fuiſſet, conſecrabatur. Quamobrem, cum jam deſignatam viderimus aream, in qua ſacrum Dei Tabernaculum erigendum fuit, luſtratam quoque, atque purgatam, aliquibus cæremoniis, extra omne dubium fieri debet. Quod enim vile, atque prophanum eſt; ſacrum eſſe nequit; Plutarcho teſte in lib. de Stoicis ſibi adverſantibus. Et meritò quidem, quia prophana dicuntur, quæ in alicujus ſunt uſu; at res ſacræ, religioſæ, atque ſanctæ, in nullius debent eſſe bonis, nec in alicujus poſſeſſionem venire; ut veteri lege ſervatum eſt. & lapis etiam allatus ex parte probat: habetur etiam *l. in tantum*, §. *ſacræ res*, *ff. de rerum div.* ut igitur à prophano uſu, ad ſacrum aliquid tranſeat, ſacræ cæremoniæ requirebantur. Quamvis verò area, ſeu ſpatium illud, in quo Dei Tabernaculum in deſerto erigebatur, in nullius bonis exiſtimari debuerit; non propterea ſacrum exiſtimari, aut inter res ſacras computari licuit; quia occupari ab aliquo poterat, ſicque fieri in bonis alicujus. Res autem ſacræ, ita extra omnium bona fieri debent; ut nec ab aliquo occupari poſſint; ſed Diis, more, inſtitutoque civitatis conſecrata eſſe; ut dicit Treba. *l. ſacra. ff. eodem.* quamobrem ſpatium in deſerto, quod occupantis fieri poterat; ſacrum minimè reputari debuit; aut aptum divini Tabernaculi erectioni, niſi aliquo ritu, aut inſtituto ſacrum, & divini quodammodo juris fieret.

Vetus quidem prophana religio, externæ potius, quam internæ puritati ſtudere videbatur; quamobrem in illius magis, quam in hujus cuſtodiam incumbebat: qua de cauſa idololatræ frequentiſſimè inter aquas in balneis, mari, ac fluminibus luſtrationum cauſa verſabantur: quamobrem non tantum perſonæ, ſed etiam loca, civitates, regiones, provinciæ, animalia, agri, prædia, poſſeſſiones, exercitus, vaſa inſenſibilia, veſtes, lecti, ſedilia, & alia omnia immunda cenſebantur; niſi aqua purificata, mundataque fuiſſent. Præſertim verò in his Iſraëlitæ ſtudebant, cum ſacra facturi, vel oblaturi veteres eſſent. plura ſunt in hanc ſententiam in ſacris oraculis teſtimonia, maximè in lib. Lev. per plura capita, ut cap. 11. 13. 14. & aliis ſubſequentibus. Purificabantur verò legaliter ab immunditiis quibuſcumque & quomodocumque contractis, igne vel aqua: non enim nunc de expiationibus agimus. nam licet expiare aliquid; aliquando ſumatur pro purgare in univerſum,

A tamen propriè expiatio ſanguine fiebat: at quia nunc ſanguine non fœdamur, de illa non agimus, ſed de purgatione tantum, quæ igne, vel aqua fiebat, & luſtratio dicebatur.

Quamvis autem verbum *luſtrare*, pro *aſpicere*, *proſequi*, *circumire*, aliiſque in ſignificationibus ſumatur; de quibus Nonius cap. 4. Calepinus, & Dictionarii ſuis in locis agunt: nunc à nobis *luſtrare* ſumitur tantum in ordine ad ſacra: quatenus aliquid in uſu ſacrorum, à prophanitatibus, prophanoque uſu ſeparabatur: quod Græcè propriè dicebatur κάθαρσις, & etiam καθάρσια, hoc eſt, *purificatio*. Cujus quidem duo erant præcipua inſtrumenta, nimirum ignis

B & aqua. Cur hæc duo in luſtrationibus adhiberentur, quærit Ovid. in celebrandis Palilibus, quæ in Aprili Romæ habebantur, undecimo Kalendas Majis de his agit lib. 4 Faſt. & poſtquam multa dixit in ordine ad ſacra facienda, de luſtrationibus agit: & ad hæc ignem & aquam adhibet, dicens num. 775.

His Dea placanda eſt: hæc tu converſus ad ortus
Dic ter, & in vivo prolue rore manus.
Tum licet, appoſita veluti cratere camella,
Lac niveum potes, purpureamque ſapam.
Moxque per ardentes ſtipulæ crepitantis acervos,
Trajicias celeri ſtrenua membra pede.

C *Expoſitus mos eſt. moris mihi reſtat origo.*
Turba facit dubium; cœptaque noſtra tenet.
Omnia purgat edax ignis, vitiumque metallis
Excoquit: idcirco cum duce purgat oves.
An, quia cunctarum contraria ſemina rerum
Sunt duo, diſcordes ignis & unda Dei;
Junxerunt elementa Patres: aptumque putarunt
Ignibus, & ſparſa tangere corpus aqua.
An, quod in his vitæ cauſa eſt; hæc perdidit exul:
His nova fit conjux: hæc duo magna putant?

Alias etiam longiores rationes Poëta adducit, quæ apud illum videri poterunt. quæ duo purificationis

D inſtrumenta, idololatræ à ſacris, ſua κακοζηλίᾳ acceperunt. nam in his quæ ſacrorum de cauſa purificanda erant, regula traditur generalis cap. 31. Numer. in quo Eleazar Sacerdos, milites qui contra Madianitas pugnaverant, de ſe purificandis alloquitur, hac verborum forma: *Hoc eſt præceptum legis, quod mandavit Dominus Moyſi, aurum, & argentum, & æs, & ferrum, & plumbum, & ſtannum, & omne quod poteſt tranſire per flammas, igne purgabitur.* juxta quod luſtrationis genus, Vlyſſem etiam apud Homerum, poſt cædem procorum; domum propriam à cædibus ſulphure, & igne luſtraſſe legimus libro 22. in fine, his verbis:

E Οἶσε θέειον γρηῦ κακῶν ἄκος, οἶσε δέ μοι πῦρ
Ὄφρα θεειώσω μέγαρον.

Propter ſummas quas in medendo ſulphur habet vires; appellatur expulſor malorum à Poëta: ſic enim interpretantur carmina ex Homero allata.

Porta ſulphur anus, malorum medelam, porta etiam mihi ignem,
Vt fumigem domum.

Sic etiam Amphitryo apud Theocrit. in Idyl. 24. domum purgari ſtudet, infectam draconum ſanguine & cæde, qui Herculis adhuc pueri necem inten-

F taverant. & hoc aqua, atque ſulphure conſulente Tireſia.

. . . . . Καθαρῷ δὲ πυρώσατε δῶμα θεείῳ
Πρῶτον. ἔπειτα δ' ἅλεσσι μεμιγμένον (ὡς νενόμισται)
Θαλλῷ ἐπιῤῥαίνειν ἐστεμμένον ἀβλαβὲς ὕδωρ.


Qua autem ratione domus emundanda eſſet, ſi quando immunda cenſeretur in ſacris oraculis, dici-

tur cap. 14. Levitici, & alibi, cap. 19. Numer. ubi de funere agitur, & domo mundanda.

Quia igitur nobis cum ſacris eſt ſtandum, & nequaquam cum prophanis, redeamus ad noſtra, & audiamus ſacra oracula, quid jubeant de mundandis reliquis, quæ ignem non ſuſtinent, de quibus ſic dicitur ibi Num. 31. *Quicquid autem ignem non poteſt ſuſtinere, aqua expiationis ſanctificabitur.* Ut autem quid ſibi velit ſacer locus, in aqua expiationis intelligatur, & quid hoc nomine in illo capitulo veniat; non erit nunc prætereundum, veteres Iſraëlitas triplicem habuiſſe aquam, ad aliquid mundandum; quarum prior aqua communis erat, de qua dicitur Levit. cap. 11. num. 36. in quo de immunditiis eſt ſermo: *Fontes verò & ciſternæ, & omnis aquarum congregatio munda erit:* quamobrem communi ablutione aquarum mundabatur, quicquid immundum lege cenſeretur; niſi aliquid adhuc Deus, ultra illam adhiberi juſſiſſet. Hujus aquæ uſus erat in ablutione totius humani corporis, quoties purgatione indigeret, aut alterius integri vaſis, ſeu alterius cujuſcumque rei, quæ mundari debuiſſet; ablutione quæ dicitur רחץ *rachats* hebraicè; quæ quidem corpus hominis, non verò veſtimentum reſpicit.

Alia erat aqua, quæ expiationis dicebatur; hebraicè מֵי נִדָּה *mei niddah*, hoc eſt, *aqua ſeparationis*, quæ hoc nomine appellabatur; quia mulier ſeparata per legalem immunditiam à ſacris, ad eadem admittebatur, ubi aqua iſta emundata fuiſſet. Modus conficiendi hanc aquam traditur Numer. cap. 13. per totum. cineribus enim vaccæ ruſæ commixtis aqua hæc parabatur; quæ luſtrationis & expiationis appellatur; ibidemque hujus aquæ, jure ſacrorum, uſus traditur. qui quidem uſus nequaquam ad totius corporis ablutionem extendebatur; ſed ſola ejuſdem aſperſione, res communi aqua jam lota, ſanctificabatur.

Denique erat alia aqua communis; quæ in labro, ſive mari æneo in Templi atrio, vel Tabernaculi aſſervabatur, medio inter altare, ipſumque Tabernaculum; hæc autem non erat ad munditiam legalem, ut falſo nonnulli putarunt, quia immundi ad eam non admittebantur; ſed tantum Sacerdotibus jam mundis ad labrum in atrio accedere concedebatur: imò ſummus Sacerdos, jure munditiæ legalis adeò coarctabatur; ut neque ad patris funus accedere ſibi concederetur: & nihilominus quamvis nullo immunditiæ jure teneretur, hujus aquæ uſu adſtringebatur. Erat igitur labri ænei aqua, ad manus tantum, & pedes abluendos Sacerdotum, quoties ad Tabernaculum teſtimonii ingreſſuri eſſent; de qua ſuo loco à nobis infra agetur. Duplex verò in ſacris oraculis aſperſio habetur; alia dicitur זרק *zaraq*, quæ aſperſorio aliquo fiebat; quod juxta ſacrum contextum lana coccinea factum erat, ad formam, ut puto, aſperſorii ethnicorum, quæ erat hæc:



Quamvis materia fortè diſcreparet. nam hyſſopo, & ligno cedrino, atque lana coccinea hoc fiebat; itaque aſperſorii virga ex cedro erat; ſummitas illius, quæ aquis immergebatur, & quâ purificanda aſpergebantur; aliquando hyſſopo tantum, inter-

A dum verò hyſſopo, & lana coccinea circumdabatur; ut purificanda aſpergerentur, juxta ſtatuta legis Num. 14. 19. & alibi; cujus aſperſorii ex cedro uſus, nullus omnino in luſtratione areæ fuit. tum quod nondum aquæ ad id inſtitutæ forent; tum etiam quod ſolis aquis expiationis, illud aſperſorium adhiberetur. Alia aſperſio hujus aquæ per verbum הזה *hazah* exprimitur; & quamvis nihil hic de digito exprimatur, nihilominus digito, aut digitis concluſis ad palmam, excluſiſque ſolitam fieri arbitror, ex aliis ſacrorum oraculorum locis. At nunc poſtremæ aquæ uſum non quærimus; neque alterius, quæ ſeparationis, ſeu expiationis, & etiam luſtrationis aliquando dicitur, quia nondum inſtitutæ, aut paratæ
B iſtæ fuerant; cum Tabernaculum nondum erectum fuiſſet. Area igitur in qua erigendum erat Tabernaculum, ſi quo modo luſtranda fuit; communi tantum aqua fieri id concedebatur. quamobrem luſtrationis aquam cum jam teneamus, videndum remanet; an ſpatium, ſive area hæc, in qua ſacrum Tabernaculum erigendum fuit; tam in prima ſui erectione, quam quoties caſtra movenda erant, & Tabernaculum alibi erigendum; aliquo ritu, ſeu cæremonia, communi aqua area illa luſtraretur: quemadmodum ethnicos conſueviſſe, ſcimus ex Tacito lib. 20. Annalium, in quo de area quæ ſacra-
C batur, ait: *Undecimo Kal. Junii ſerena luce ſpatium omne, quod Templo dicabatur evinctum, vittis, coroniſque ingreſſi milites, quibus fauſta omnia felicibus ramis; deinde virgines Veſtales cum pueris, puelliſquepatrimis, matrimiſque, aqua rivis, & fontibus, amnibuſque hauſta perluere. tum Helvidius Priſcus Prætor præeunte Plauto Heliano Pontifice luſtrata bovis, tauriſque area & ſuper ceſpitem redditis extis, Jovem, Junonem, Minervam, Præſideſque Deos imperii precatus, uti cepta proſperarent, ſedeſque ſuas, pietate hominum inſtitutas, divina ope attollerent.*

Sed ſacra repetamus, & Tabernaculi aream contemplemur. Etenim ſi ſermo ſit de prima Taberna-
D culi erectione in deſerto, de qua cap. 40. Exodi agitur; videbatur dicendum Tabernaculum prius erectum, deinde atrium revinctum, cortinis, aulæis, atque tentoriis: tantumque poſt ſacri Tabernaculi conſecrationem aream aquis luſtratam fuiſſe. Aliquis verò ea ratione ad hæc movebitur; quia Sacerdotibus tantum, & Levitis Deo ſacris, poſt luſtrationem, atque conſecrationem ſacrorum utenſilium, illud atrium ingredi, atque in illo ſpatio verſari lege à Deo lata concedebatur: reliquis verò omnino illud ingredi interdicebatur. Quamobrem ſi atrium, ſeu aream ſacratam fuiſſe dixerimus, antequam Tabernaculum à Moyſe erigeretur; ſolus ipſe Ta-
E bernaculum, tantamque molem erigere cogeretur, illud idem diſponere, Candelabrum collocare, Menſam, & ſacram Arcam ſuis in locis ſtatuere, ac denique Altaria, & vas æneum collocare ſibi neceſſe fuiſſet; & alia denique plura facere, quæ nec à Moyſe ſolo, neque ab ipſo cum aliis pluribus fieri poterant: ſolum enim Altare, quatuor ad minimum homines, ad ſui motionem exquirebat, cum per deſertum portaretur. Quod autem ſolus Moyſes illa omnia facere cogeretur; evidenti argumento conjectari conſtat: quia neque Levitis, neque Aaronitis, aut quibuſvis aliis de populo, nondum juris divini factis, eidem ſuppetias ferre, ratione divini inter-
F dicti licuiſſet: nam poſt erectum Tabernaculum, ac conſecratum, Sacerdotes etiam poſtmodum initiatos legimus; & Levitas demum divino obſequio mancipatos ſacra tradidere oracula. quamobrem neque his, Moyſi ſuppetias ferre, luſtrata jam area licuiſſet.

Atrium igitur, ſpatium nimirum illud, quod Tabernaculi area dicebatur, in qua Tabernaculum erigen-

gendum erat , quæque cortinis , & columnis deſignabatur; poſt erectionem Tabernaculi Deo dicatum fuiſſe , Spiritum ſanctum cap. 40. Exo. aperuiſſe arbitrabar. poſtquam enim Tabernaculi erectionem ſacer enarraſſet textus ; atrii quoque conſtitutionem ſubintulit , dicens : *Erexit & atrium per gyrum Tabernaculi , & Altaris , ducto in introitu ejus tentorio.* Hæc ſacra oracula, de prima atrii conſtitutione. Merito igitur ſuſpicari poſſe videbatur, nequaquam aream luſtratam ante Tabernaculi conſecrationem , ſed prius ſpatio deſignato , & in eo ſpatio erecto Tabernaculo , deinde cortinis circumcirca recincto , tandem fuiſſe luſtratum. His tamen argumentis nemo moveatur ; quia diſtinctio mundorum ab immundis, & luſtrales aquæ , Iſraëlitis etiam ante latam legem , uſui erant : quæ etiam ſanctificationes dicebantur. nam diſtinctionem animalium mundorum ab immundis legimus , ex quo Noë in arca animalia ad illorum genera ſervanda recepit ; & ex quo Jacob ſeparatim ab uxoribus in tabernaculo vivebat , quanto ſtudio muliebres immunditias declinarent viri illi , perſpicuum eſt. Nam Laban Rachelis tentorium ſcrutari non eſt auſus, quia illa ſe menſtruis laborare purgationibus finxit. quamobrem ſtatim ingreſſus illius tabernaculum, ne contaminaretur , idola parum curavit. & cap. 19. Exodi , cum Dominus exercitum Iſraëliticum vellet alloqui , dixit ad Moyſem : *Vade ad populum , & ſanctifica illos hodie , & cras , laventque veſtimenta ſua.* Eſt autem ſanctificare aliquid , idem quod abluere , & mundare , ut ad res divinas , atque ſacras paratum foret. itaque quamvis luſtrata , & purificata area , immundis nequaquam licuiſſet in eam ingredi ; ut Moyſem in erigendo Tabernaculo juvarent ; minimè tamen vetitum erat, quo minus Aaron , Sacerdotes , Levitæ, & quotquot de populo , etiam jam luſtrati , & jam mundi, extitiſſent ; Moyſi ſuppetias ferrent.

Nec locus ex ſacris litteris in contrarium urget : nam quamvis dicatur Exodi 40. prius erectum Tabernaculum quam atrium , ſermo eſt de erectione columnarum , & aulæorum , quæ circumcirca Tabernaculum gyrabant : quæ omnia poſt Tabernaculi conſtitutionem, erecta fuiſſe non negamus; ſed cum Moyſe , erectionis Tabernaculi cauſa , & columnarum atrii, illud idem ſpatium , ingreſſos fuiſſe, quotquot mundi erant aſſerimus. nam etiam quando alio commigrandum accidiſſet , atque alio transferendum Tabernaculum fuiſſet , atque etiam deponendum , Gerſonitæ atrium erigebant in loco quod nubecula ſignaſſet , & in ſpatio jam luſtrato : cum tamen illo ingredi Tabernaculo jam erecto , atque conſecrato, ſolis Sacerdotibus concederetur, de quorum numero Gerſonitæ non erant. igitur adjutum Moyſen ab aliis , qui mundi fuiſſent in prima erectione Tabernaculi , etiam poſt luſtratam aream ; nullum præ ſe fert inconveniens.

CAP. XXXI.

Aream pro Tabernaculo erigendo verè luſtratam ſuadetur.

Ad locum 1. Paralip. 23. *Et erunt ſub manu filiorum Aaron in cultum domus Domini , in veſtibulis , & in exhedris , & in loco purificationi, & in Sanctuario , & in univerſis operibus miniſterii Templi Domini.* Illuſtratur locus 1. Reg. 7. *Et convenerunt in Maſphath , hauſeruntque aquam , & effuderunt in conſpectu Domini, & jejunaverunt in die illa , atque dixerunt ibi, Peccavimus Domino.* & ad alia.

A AReam verò aqua luſtratam fuiſſe , argumentis ex ſacris litteris , & his ſatis probabilibus ſuaderi oſtendimus. Argumentum quod ultimo loco attulimus , ad corroborandam areæ luſtrationem extendatur. nam poſterioribus ſeculis , Tabernaculo jam conſecrato, una cum Sacerdotibus, & Levitis, quoties exercitui Iſraëlitico aliquo commigrandum fuit , & Tabernaculum unà cum exercitu , alio transferendum contigiſſet ; Tabernaculi & atrii cura Levitis , qui erant de proſapia Gerſon , & Merari demandata fuit : ut habetur cap. 14. Numer. cum verò hi ad eum locum, ubi figendum fuiſſet Tabernaculum , perveniſſent ; prius aream ibi
B eligere cogebantur, ubi Deus ſuæ reſidentiæ locum, columna nubis deſignaſſet ; deinde columnis erectis, cum jam atrium illi deſignaſſent , & cortinis cinxiſſent , ſacrum Tabernaculum erigere tenebantur ; poſtmodum autem altare , vas æneum , & reliqua Sanctuarii utenſilia , intra Tabernaculum per manus Sacerdotum collocabantur. Hac ratione Iſraëlitarum caſtra metata fuiſſe, probari puto ex cap. 10. Numer. ubi ſi quando movenda fuiſſent caſtra ; præcedebat tribus Judæ , deinde Iſſaſchar , poſtremo Zabulon ; has tres tribus Gerſonitæ , & Meraritæ ſequebantur; qui columnas, atque cortinas tam atrii , quam Ta-
C bernaculi deferebant : aliæ tres tribus hos ſequebantur , nimirum Ruben , Simeon , & Gad : tandem Cahathitæ , qui Sanctuarium, & utenſilia illius deferebant , has eaſdem tribus ſequebantur. Quamobrem totius Tabernaculi fabrica, utenſilia , aulæa, velamina , & alia quæcumque ad Imperatoris tentorium pertinebant , in medio militarium copiarum , juxta regulas militares portabantur : ita ut à fronte tribus Tribubus utenſilium pars præverteretur; tribus aliis præcedentia ſubſequerentur impedimenta , & ſubſequentia præcederent ; & tandem currus impedimentorum, & columnarum Tabernaculi . ſex poſtremæ tribus ſubſequebantur : ea ratione, ut impe-
D dimenta omnia , in medio totius exercitus collocarentur. & hoc ex præſcripto rationis militaris , de qua ſic habet Veget. lib 3. de re milit. cap. 6. *Impedimenta , ſagmarii , calones , vehiculaque in medio collocentur ; ita ut expedita pars equitum , & peditum ſubſequatur.* & ſtatim , *A lateribus quoque pari armatorum manu impedimenta claudenda ſunt.* vel de his loquendum erit , juxta Ælianum de inſtruenda acie : qui circa finem ſic loquitur. *Impedimenta haberi in primis neceſſarium eſt , & ducem iis conſtituere probum convenit , modis quibus poſſunt duci impedimenta , aut enim præcedent copias omnes , aut ſequentur, aut in alterutro latere conſtituentur , aut in medio copiarum claudentur.*

E Nec inobſervatum remaneat in hoc itinere contemplando , populum Iſraëliticum , nequaquam iter feciſſe more alicujus , vel aliquorum privatorum hominum , ut aliquis fortè exiſtimans decipi poſſet; ad inſtar enim exercitus ſexcentorum millium armatorum , præter mulieres , parvulos , & ſenes , caſtra mota conſtat ; Deumque Iſraëlitici exercitus Imperatorem , more militarium copiarum , milites ac reliqui ſequebantur. Quamobrem non omnes ſimul , ac uno , eodemque die , ac tempore moveri poterant ; ſed turmatim , juxta militares regulas , Ducibus , atque vexillis monentibus movebantur : quod
F non ſemel ſacra admonent oracula ; præſertim in libris Numerorum , & Deuteronomii. Quamobrem multoties contingere potuit , ut ubi ad locum , in quo caſtra metari anteriores debebant , perveniſſent ; de loco verò priori , necdum reliqui moviſſent.

Conſiderandum jam remanet , ad vim argumenti retinendam ; cur ſacer textus Meraritas & Gerſonitas , qui cortinas atrii unà cum columnis , ſive tabulis,

lis, tam atrii, quam Tabernaculi deferebant; præmitti voluerit Cahathitis, qui tribus Ruben, Simeon, & Gad ſequebantur: nam in his quoque tribubus, quæ interponebantur inter anteriores, poſterioreſque Levitas, armatorum exercitum centum quinquaginta, & unum millia, ac quadringenti numerabantur: ut ex cap. 1. Numer. liquido conſtat: qui numerus mulieres, lactentes, parvulos, ac ſenes non complectebatur, quod nequaquam in ſacris litteris armatorum nomine veniant. Cujus præmiſſionis, ac ordinis in itinere ratio videtur, locus Tabernaculo eligendus à Gerſonitis, areaque paranda, atque luſtranda, & cortinis denique eadem cingenda, priuſquam ſacrum Tabernaculum, & reliqua ſanctiora utenſilia à Cahathitis delata, ſuis locis per manus Sacerdotum inferrentur, atque Dei juſſu diſpoſita collocarentur. Nam alias Tabernaculum iterum conſecrare oportuiſſet, loco non mundo jam coinquinatum; quod tamen factum nullibi ſacra dicunt oracula. Igitur affirmare oportet aream luſtratam poſt deſignationem, prius quam in illa Tabernaculum erigeretur, & ſanctiora utenſilia ſuis in ſedibus ſtatuerentur.

Quibus autem cæremoniis, quoque ritu area illa, ſive ſpatium totius atrii luſtraretur, in quo Tabernaculum erigendum erat; ex ſacris Scripturis videtur omnino ignotum; quod nullibi hujus dedicationis, ſive præparationis ſacra Scriptura vel meminiſſe appareat. Conſueviſſe autem veteres Ethnicos, quæcumque à prophano uſu ad ſacrum transferebantur, aqua luſtrare atque purgare, jam monſtravimus. Illam quoque aquam luſtralem habuiſſe Iſraëlitas, loca plurima ſacrorum oraculorum manifeſtant: & quidem aqua communi aream conſueviſſe Iſraëlitas abluere, perneceſſarium videtur; ſaltem ut ſolum, in quo Dei Tabernaculum erigendum fuiſſet, complanaretur.

Sed loca ſacra minimè deſunt, ex quibus clarius adhuc, quam ex conjecturis allatis, non ſolum aqua communi complanatum ſolum, ſed luſtrali etiam ſanctificatum, ſubodorari poſſit. Nam quando templum jam fabricandum erat, Levitas conſtituiſſe David ad mundandum atria Templi dicitur 1. Paralip. cap. 23. num. 28. in quo dicitur de Levitis: *Et erunt ſub manu filiorum Aaron in cultum domus Domini, in veſtibulis, & in exhedris, & in loco purificationis, & in Sanctuario, & in univerſis operibus ejus.* Ubi verò dicitur in noſtro exemplari, in loco purificationis, hebraicè dicitur וְעַל־טָהֳרָה *vegnal tohorah*, hoc eſt, *& ſuper munditiam*, ſive *puritatem.* Itaque onus Levitarum erat verrere, & mundare, ſive luſtrare, ſi quando opus fuiſſet, totum ſacrum templum, quod Salomone Rege fabricandum erat. Græcè hoc ibidem dicitur per reſpectum ad munditiam legalem, καὶ ἐπὶ τὸν καθαρισμόν. itaque quamvis dicatur onus Levitarum, juxta communem expoſitionem fuiſſe, quinam mundi, vel non mundi eſſent, recenſere; ex his qui ad ſacrificia nimirum veniebant. Poſſet etiam locus interpretari, quod Levitis incumberet, luſtrare Templum, ac Templi atria, & reliqua loca, ut non obſcurè ex hoc loco luſtrationum uſus oſtenderetur.

Apertius verò cap. 29. lib. 2. Paralip. ſub Ezechia Rege Judææ luſtrationem hanc areæ indigitari conſtat. Prophanato namque Templo ſub Achaz, de mundando illo Ezechia jam Rege agebatur, de quo dicitur: *Congregaveruntque fratres ſuos*, ſupple Levitæ, *& ſanctificati ſunt, & ingreſſi ſunt juxta mandatum regis & imperium Domini, ut expiarent domum Dei. Sacerdotes quoque ingreſſi Templum Domini ut ſanctificarent illud, extulerunt omnem immunditiam, quam intro repererant in veſtibulo domus Domini, quam tulerunt Levitæ, & aſportaverunt ad Torrentem Cedron*

A *foras.* & quia verbum *ſanctificare*, ut ex multis locis ſacrorum oraculorum conſtat, ſignificat idem quod *purificare*; ſive per aquam, ſive per ſanguinem, quod *expiare* dicitur; ſive per oleum, quod per verbum *conſecrare*, ſolet declarari, & apud Levitas non eſſet uſus, neque ſanguinis, neque olei, neque expiatio per ſacrificia, tunc locum haberet; quia Altare, Templumque prophanata fuerant. Perſpicuum eſt igitur Levitas domum Domini ſanctificaſſe, non alia ratione, quam ablutione.

Explicatur verò clariſſimè, quid Levitæ ſanctificaverint, attendentes quod ubi nos legimus illos ſan-
B ctificaſſe veſtibulum Hebraicè dicitur לֶחָצֵר *lachatſar*, eſt autem חָצֵר *chatſer*, *atrium.* & ideò Sacerdotes, eduxiſſe immunditias, quas intra domum ſanctam repererant in atrio, ibi ſcribitur. itaque quamvis ad Sacerdotes tantum pertineret ingredi domum Domini, ſanctioraque loca penetrare; cum illa ſanguine expiare, & oleo atque victimis non poſſent; quod Altaria prophanata eſſent: verrendo igitur, ac abluendo domum Domini, eamdem ſanctificaſſe dicendum erit. Simili etiam ablutione, à Levitis ſanctificata atria Templi, certiſſimum eſſe debet. Hæc enim ibi ſignificantur vocabulo domus Dei: cum tamen altera pars הֵיכָל *hechal* dicatur quæ ſanctior erat.
C Itaque luſtrationem areæ neceſſariò ex loco iſto, conſecrationem tam Templi, quàm Altaris, & omnium utenſilium, quæ ad Dei cultum pertinebant; præceſſiſſe certum videtur. In hac luſtratione areæ, ſive ſpatii in quo plantandum Dei Tabernaculum erat, impegiſſe puto Rabbinos, & Nicolaum de Lira: eam enim non agnoſcentes dixere, ultimis ſeptem diebus prioris anni, Dei Tabernaculum fuiſſe conſecratum. Quia verò primo die, primi menſis, anni ſecundi mandabatur à Deo, Exo. 40. erigendum fore Tabernaculum, atque aliter cogitare de Tabernaculi conſecratione, ex verbis ſacri codicis compellebantur prædicti auctores; quodam lethargo ſopiti,
D ut vim ſacri textus effugerent, ſomniarunt nullum præcedentium ſeptem dierum, appellari diem erectionis: quod Tabernaculum illud, mane erigeretur, & veſperi deponeretur.

Attendat lector, quid mendaciſſimi homines comminiſcantur. etenim quorumnam opera Dei Tabernaculum mane erigendum, veſpereque deponendum fuit? num à ſolo Moyſe? Negent neceſſe eſt. Uni etenim homini erigendi, deponendique machinam Tabernaculi, & molem vaſtiſſimam nequaquam vires ſufficiunt, ad quam viginti duo hominum millia ex Dei præſcripto deſtinata fuerant. Neceſſariò
E igitur in illa Tabernaculi erectione, Moyſes aliorum ope cum indigeret; inquirendum remanet ab his, quibuſnam Moyſes juvari potuerit: non enim Levitis nondum ſacratis, neque Sacerdotibus id concedebatur; Tabernaculo à prima uſque die ſacra unctione jam ſanctificato; quamobrem ab hominibus non ſacris, aut ſanctificatis, Moyſes juvari minimè poterat Domino dicente: *Qui tetigerit illud ſanctificabitur.* Hæc verò abſurda facile vitantur; negando per ſeptem poſtremos dies prioris anni Tabernaculum fuiſſe conſecratum, rationibus jam allatis: ſed poſtremis diebus Tabernaculum, cum area fuiſſe aqua luſtrali mundatum, ut poſtmodum expiationis, atque conſecrationis capacia fierent.
F Quamobrem ab hoc ritu Iſraëlitæ acceperunt, ut poſtmodum ſub Ezechia Rege in reſtauratione religionis, antequam Templum, & Altare reconſecrarentur; illa eadem per ſeptem dies, aqua luſtrarint, uti oſtendimus.

Adeò ſtudioſos Iſraëlitas hujus luſtrationis fuiſſe videtur: ut quamvis nos lateat, quibus cæremoniis id ab ipſis fieret; in hac tamen luſtratione ſeptem

tem dies conſumpſiſſe cap. 9. lib. 2. Paralip. ſcribitur. nam prima die menſis cœperunt Sacerdotes domum Dei abluere, & die octavo ejuſdem menſis ſacri Templi conſecrationem exorſos, ſacra dicunt oracula, vel nona ejuſdem menſis: itaque ſeptem ad minimum dies in Templi, & Sanctuarii luſtratione conſumpti fuerunt. quia verò ſeptem diebus, quamcumque conſecrationem abſolvi, non ſemel ſacra teſtantur oracula: propterea dicerem, de prima die menſis, paratis his, quæ ad loci emundationem, atque luſtrationem requirebantur, dici in textu, *Cœperunt autem prima die menſis primi mundare.* itaque propriè ſecunda menſis luſtratio illius fuerit proſecuta, & per ſeptem dies impleta, atque ita octava fuerit prima reconſecrationis ejuſdem Templi, & Altaris, atque ſacrorum utenſilium; quamobrem dicitur: *Et in die octavo ejuſdem menſis ingreſſi ſunt porticum Templi Domini, expiaveruntque Templum diebus octo.*

Ex aqua hac luſtrali perdifficilis ille locus 1. Reg. cap. 7. aperitur, in quo Samuel ut reconciliaret populum cum Deo Opt. Max. novo percuſſo fœdere, populum Deo iterum copulaſſe ſcribitur hacque de cauſa congregaſſe populum in Maſphath, *quia locus orationis erat in Maſphath;* dicit textus, nec videtur alia de cauſa Maſphath locum dici orationis, niſi ob ſacri Tabernaculi præſentiam. Sed mittam nunc diſputare cum Abulenſi, utrum Tabernaculum fœderis, unà cum Arca, & reliquis utenſilibus ſacris, ſteterit aliquando in Maſphath, vel non ſteterit; licet enim hoc ipſe neget, ego affirmandum exiſtimarem. nam cap. 10. ejuſdem libri populus in Maſphath congregatus refertur, ad eligendum Saül in Regem; ibique juribus regis publicatis ſubinfertur: *Et ſcripſit in libro, & repoſuit coram Domino.* Reponere verò, ex ſacris oraculis, aliquid coram Domino, nihil aliud ſignificat, niſi reponere aliquid in Tabernaculo Domini; ſic enim communiter locus ille ab auctoribus interpretatur. Quamobrem inepte inde argumentari liceret in Maſphath ſacrum Dei Tabernaculum aliquando non extitiſſe. Hæc dicta ſint obiter, & ad ea revertamur, quæ noſtra ſunt. certum eſt enim Maſphath fuiſſe locum orationis, ibique Samuelem erexiſſe altare, atque holocauſtum obtuliſſe. hæc enim prædicto in loco cap. 7. ſcribuntur. Quapropter, ſive erigendi Tabernaculi cauſa in Maſphath, ſive altaris tantum de cauſa, ad offerendum ſacrificia, neceſſario affirmare cogimur, ſpatium aliquod, ſive aream ibidem à Samuele deſignatam fuiſſe, ſuis finibus terminatam, in qua ſacra fierent, & altare erigeretur, ſacrificiorum de cauſa; ne prophani, & non ſacri turmatim, coacervatimque ad altare accedentes, impedimento ſacrorum miniſtris fierent: quam aream luſtratam fuiſſe, ac Deo dicatam, textum ipſum ſignificaſſe videtur, reconditis illis verbis: *Et convenerunt in Maſphath, hauſeruntque aquam, & effuderunt in conſpectu Domini, & jejunaverunt in die illa, atque dixerunt, peccavimus Domino.*

Is eſt locus adeò perdifficilis, ut in ejus declaratione plurimum torqueantur auctores; nihilque certum auſint affirmare. torquentur autem, quod videre nequeant, quam ob cauſam, aqua illa hauſta fuiſſe dicatur. Nicolaus de Lyra Rabbi Salomoni ſubſcribit; qui aquam illam hauſtam, effuſamque fuiſſe affirmabat, in ſignum humiliationis: quaſi Iſraëlitæ illa aqua ſignificare vellent, quod quemadmodum aqua effuſa ad nihilum valet ultra, niſi omnium pedibus calcari; ita ad nihilum ob peccata ſe redactos confiterentur: ac ſi dicerent, nos in coſpectu tuo nihil ſumus, & ad nihilum valemus; atque legis tranſgreſſione in nihilum ſumus redacti, ut verbis ipſorum loquar. Rabbi Jonathan filius Oziel, lo- A cum non de naturali aqua, ſed metaphoricè intelligit; docetque hos Iſraëlitas, lacrymas ex contritione cordis effudiſſe; atque nomine aquæ, nil aliud quam lacrymas intelligendas voluit. Alii, quos refert Nicolaus de Lyra in prædicto loco cap. 7. lib. 1. Reg. dixerunt, in illa aqua, maledicta congeſta fuiſſe, adverſus Idololatras; Samuelem verò illarum aquarum potu, experimento probaſſe, quiſnam illorum Gentilitatis adhuc teneretur erroribus; idolaque coleret; aut verè ab illis jam receſſiſſet: affirmant enim, quod qui Deum verum recognoviſſent, & ad illius cultum verè ſe convertiſſent; liberè nulloque impedimento, aquam à Samuele porrectam bi- B berent; qui verò adhuc Gentilitatis tenerentur erroribus, aquam illam deglutire non potuiſſe: quinimò ita labiis bibentium illam aquam adhæſiſſe, ut ab invicem ſeparari nec labia poſſent: quare labiorum conglutinatione à Samuele cogniti, illicò interficiebantur. ſicut Moyſem feciſſe legimus in deſertò cum illis, qui vitulum aureum adoraverant. Abulenſis verò ille toto orbe celeberrimus, q. 28. in cap. 7. lib. 1. Reg. hac difficultate preſſus, & oppreſſus, dicit, aquam ibi hauſtam, Deo in ſacrificium oblatam: hacque de cauſa dici, hauſtam fuiſſe, & effuſam coram Domino. Probat verò intentum quibuſdam adeò frivolis conjecturis, ut pudeat virum do- C ctum his adhæſiſſe nugis. Etenim quam nugatoria ſint hæc, quamque ridicula omnia quæ à Rabbinis, ſine fundamento excogitata ſunt; & quæ ab his auctoribus dicuntur, nemo eſt adeò imperitus, qui hoc apertè non videat. nam inter jam allatas expoſitiones, ſi alicui illarum fides præſtanda fuiſſet; potiſſimum ei, quæ tradidit nomine aquarum, lacrymas intelligi debere: nam ſaltem in ſenſu morali locum habet, & ſatis pia, ac religioſa apparet.

Verum ad morales interpretationes, myſticoſque ſacræ Scripturæ ſenſus, me judice recurrendum non eſt, dum veram ſacri textus intelligentiam quæri- D mus. Quamobrem locum allatum minimè de lacrymis, ſed de aqua naturali interpretamur; atque propterea aquam hauſtam dicimus; non quidem libationis, humiliationis, aut emundationis ſignificandæ cauſa; ſed ut area, ſeu ſpatium ſacrorum de cauſa deſtinatum, luſtraretur. Erecturi enim filii Iſraël Tabernaculum in Maſphath, aream deſtinare, complanareque cogebantur, totumque illud ſpatium, in quo Tabernaculum, ſive Altare erigendum fuerat, ubi etiam oblatum à Samuele holocauſtum legimus, aquis etiam luſtrare tenebantur; prout moris erat, ne turmatim ad Altare populi accederent. Propterea die illo, in quo aream aquis luſtrarunt E Levitæ, reliqui corpus etiam jejunio afflixerunt; quemadmodum in Tabernaculi erectione, mulieres aliquas in lib. Exo. jejunaſſe legimus. aquæ igitur luſtrali, cujus uſus apud Iſraëlitas cap. 31. Num. apertè habetur, jejunium adhibebant, quia etiam jejunio Gentiles luſtrabantur, qui ſacra facturi fuiſſent, auctore Stuch. in libro de ſacrificiis Gentilium.

Præterea qui Deo mancipandi fuiſſent; aqua prius luſtrabantur: ut de Levitis in eorum oblatione, ac ſanctificatione conſtat; deque aliis omnibus, quoties Deo reconciliandi fuiſſent; quamobrem ſacrificia adire, hoſtias offerre, Iſraëlitis vetitum erat; niſi F aquis prius ſe purificaſſent. id enim cum primis legibus ſuis caverat Deus. quamobrem Ezechiel cap. 36. agens de purificatione hominum futura per gratiam Chriſti, ad ritum veteris luſtrationis reſpiciens ex perſona Dei dicit: *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris.* de aqua igitur luſtrali, prophetæ dictum intelligendum cum ſit; ea quoque quæ cap. 7. primi Re-

Regum ſcribuntur, de hauſta aqua, & effuſa in conſpectu Domini; ad luſtrandum unà cum populo aream, & ſpatium illud cortinis revinctum, ut ſacri Tabernaculi, Altariſque fieret capax, numinis in populum propitiandi cauſa, intelligenda erunt.

Nec prætermittendum duxi, locum Joſephi de hac re lib. 6. Antiq. cap. 2. dicentis: *συνάγει δ' αὐτοὺς ὁ Σαμουῆλος εἴς τινα πόλιν λεγομένην μασφάτιν. κατοπτευόμενον τοῦτο σημαίνει κατὰ τὴν ἑβραίων γλῶτταν. ἐντεῦθεν ὑδρευσάμενοί τε σπένδουσι τῷ θεῷ, καὶ διανηστεύσαντες ὅλην τὴν ἡμέραν ἐπ' εὐχὰς τρέπονται.* quæ Joſephi verba, ex interpretatione, ut creditur Rufini, ſic redduntur: *Quo facto congregavit eos Samuel in quadam civitate quæ vocatur Maſphath, quod nomen* deorſum inſpicere *Hebraica lingua ſignificat. hinc haurientes aquam immolaverunt Deo, & tota die jejunantes, in orationibus converſati ſunt.* hæc Joſephus. quæ tamen de aquæ immolatione dicuntur, in hac interpretatione, mihi omnino ignota ſunt. Nam immolare dicitur de victimis tantum, de aqua nequaquam; ſed aquam effundi dicimus: & aquam effundere in conſpectu Domini, non video quod poſſit interpretari, de aqua Deo libata; niſi aliquando Iſraëlitas gentilizaſſe dixerimus: aut libare, his idem valeat quod effundere, & ſic interpretandus ſit Joſephus: *Congregavit autem illos Samuël in quamdam civitatem appellatam Maſaphatim, conſpicuum id ſignificat, ſecundum linguam Hebræorum; ibi aquam haurientes, & effundentes Deo, & jejunantes totum diem, in orationibus verſabantur.* ita me judice interpretatio veriorem retinet ſenſum. Cum igitur ibi Altare ſacrificiorum cauſa erigendum eſſet, hauſta aqua fuit, ad aream complanandam, & atrium illud luſtrandum, ne erigeretur Altare in ſpatio immundo, & ne aliquid ſacris miniſtris, in ſacrificiis offerendis, impedimento eſſet.

CAP. XXXII.

Quo tempore uſus ſacri Unguenti, & olei Conſecrationis apud Iſraëlitas cœperit.

Ad loca Exodi 40. *Menſe primo, prima die menſis eriges Tabernaculum teſtimonii, & pones in eo Arcam, dimitteſque ante illam velum.* Ezech. 43. *Hi ſunt ritus altaris, in quocumque die fuerit fabricatum, ut offeratur ſuper illud holocauſtum, & effundatur ſanguis.* & ad alia plura.

USus Conſecrationis olei, de quo nos egimus, exordium ſumſit cum conſecratione ſacri Tabernaculi, & reliquorum ſacrorum utenſilium: itaque tunc ſacrum hunc uſum inchoaſſe affirmabimus, quando conſecratio incœpta eſt. & quia veterum conſuetudines jam antiquatæ remanſerunt, ſacræ litteræ obſcuritatis velo undique teguntur; ut non facile ſit exquirere, atque inveſtigare quid illæ velint. Quamobrem in interpretatione loci ex cap. 40. Exodi, ambigendum remanet, Deo præcipiente Moyſi in hæc verba: *Menſe primo, prima die menſis eriges Tabernaculum teſtimonii, &c.* quænam dies in ſacris Scripturis dies erectionis dicatur. quamobrem niſi quis ſomniare velit cum Rabbinis; qui aſſerunt; toto tempore antecedente ultimam Tabernaculi conſecrationem, quæ prima ſecundi anni fuit, per ſeptem dies poſtremos anni prioris, Tabernaculum mane fuiſſe erectum, & veſperi depoſitum; tantum verò primam diem primi menſis ſubſequentis, quæ prima anni ſecundi erat, diem erectionis appellari, quia Tabernaculum mane erectum fuit: ut veſperi non amplius deponeretur; ſed perpetuo ſtaret: nec aliquando deinceps deponendum erat, niſi quando populum, ad Dei nutum, caſtra movere contigiſſet.

Rabbinorum ſomnia optimo jure rejicit Abulen. quæſt. 3. in cap. 7. Numer. hoc autem pluribus rationibus, quæ apud ipſum videri poterunt. Equidem Rabbini illi, & Nicolaus de Lira, qui eis in hoc ſubſcribit; parum, vel nihil cognoviſſe de fabrica illa Tabernaculi videntur; nec mente concepiſſe, quam immenſæ eſſet molis portatile illud templum; quamque maximum ædificium, quod in medio exercitus Iſraëlitici ſexcentorum millium armatorum Coloniæ conſtituendæ cauſa collocandum fuit; Summi Imperatoris, divinæque majeſtatis cultus cauſa: tamen ex ſacris Scripturis perſpicuum eſt; quam auguſtiſſima forent, quæcumque utenſilia in illa fabrica deſtinabantur. Sex enim currus ad columnas atrii tantum & Tabernaculi; baſes argenteas, & æreas, necnon etiam cortinas, atque tentoria per deſertum ferenda, fuiſſe deſtinatos, ſacra teſtantur oracula; præter arcam, altaria, menſam, & reliqua utenſilia, quæ humeris Cahathitarum, & Sacerdotum portabantur; quæ omnia proculdubio talia, tantaque erant, ut duo ſupra viginti millia homines de tribu Levi, ſoli huic operi ex Dei præſcripto incumbere tenerentur; ut cap. 3. Numer. habetur. quæ magnificentia, atque majeſtas, nulli unquam Imperatorum quamvis excelſiſſimorum, ſuppellectili contigit. Qua igitur ratione fieri potuit, ut fabrica illa, quæ hominum viginti duo millia pro ſuo uſu requirebat; ſingulo quoque die erigi, ac deponi poſſet? nondum ſanctificatis Levitis, nondum Sacerdotibus conſecratis, aut aliis, uſui ſacri Tabernaculi deſtinatis? itaque præter omnem rationem à Rabbinis illud dicitur; & præter omnem rationem fabricam hanc per ſeptem dies poſtremos, primi anni erectam, ac depoſitam affirmant.

Hac temporis erectionis difficultate oppreſſus Abulenſis, ne his ſubſcriberet, qui conſecrationem Tabernaculi factam ſub finem prioris anni affirmabant; quæſt. 3. in cap. 7. Num. primam diem menſis primi, primam quoque erectionis Tabernaculi fuiſſe, primamque conſecrationis ejuſdem docuit; eamdemque primam quoque Conſecrationis Sacerdotum, ac etiam primam oblationis duodecim Patriarcharum: quorum quiſque nomine totius ſuorum tribulium, ad Tabernaculum accedebat; ut propriæ tribus donaria Deo offerret. Contra quam doctrinam ſi quis eo argumento inſurgat, quod ſolus Moyſes, qui tunc Summi Sacerdotis munus exercebat; ſupra viginti quinque hoſtias offerre cogeretur; quas ſolus offerre nequaquam potuiſſet; cum numerus hoſtiarum, humanas excederet vires: reſpondet Abulenſis, Moyſem adjutum fuiſſe tunc, ad ea omnia munera ab Aarone, & filiis illius; qui in proximo minores Sacerdotes conſecrabantur: adjuverunt vero ipſum, non quidem veluti ex officio, & ex munere miniſtrantes, ſed quaſi coadjutores; cum etiam Levitas hoc aliquando munus exercuiſſe, lib. 2. Paralipom. cap. 19. apertè legatur ex inopia Sacerdotum.

Sed hæc Abulenſis, alias graviſſimi viri, doctrina; gratis ab ipſo conficta, gratis etiam à nobis rejicienda erit. nam Levitas aliquando Sacerdotibus ad detrahendum pelles animalium, quæ ſacrificiorum cauſa decorticabantur, opem porrexiſſe; ut ibi 2. Paralip. legitur; non eſt ſufficiens argumentum, ut affirmemus hoc etiam permiſiſſe Moyſem, minoribus Sacerdotibus nondum conſecratis, aut Levitis nondum ſanctificatis: neque ab inconvenienti validum poteſt deſumi argumentum. dicitur enim ibi Levitis, idcirco hoc permiſſum fuiſſe, quia Sacerdotes pauci erant; ac propterea tunc uſque hoſtias de-

decorticare Levitis tantum permiſerunt, quouſque is Sacerdotum numerus conſecraretur, qui ad illa opera ſufficeret. Nonne laudabilius duceretur, eam ſolemnitatem ſolemniſſimæ oblationis, eouſque Moyſem diſtuliſſe, quouſque Sacerdotum ſufficiens numerus, ad opus ſacrificii haberetur; quam Levitis permittere, ut ea in Tabernaculo agerent, quæ ex lege eis nondum ſanctificatis prohibebantur?

Nec enim quia in ſacris Scripturis, jure regio, aliquid factum ſcribitur, idcirco ſemper probandum erit. nam etiam multo tempore ſub Regibus populum Iſraëliticum, in excelſis ſacra feciſſe legimus: ubi etiam Eliam id feciſſe teſtantur ſacri libri; nec tamen inde argumentum validum ſumere licet, hoc aliis licuiſſe. Num quia legimus in libro Judic. Jephthe filiam ſibi unicam, in holocauſtum Deo concremaſſe, juxta communem antiquorum ſententiam, propterea humanas victimas Deo ex voto facere licebit? nequaquam certè: pari ratione in caſu noſtro dicendum erit. Retorqueatur igitur locus in Abulenſem ipſum: enimvero ſi lib. 2. Paralip. cap. 29. potius permiſſum fuit Levitis ea gerere, quæ ad munus Sacerdotale pertinebant; quam Sacerdotibus nondum ſanctificatis, & Deo ſacris; qui de genere Levitico erant; quibuſque hæreditario jure miniſtratio illa debebatur: apertiſſimum profectò argumentum indè ſumere licet, Sacerdotibus nondum ſanctificatis, nulla ratione ſacro Dei altari miniſtrare à Moyſe permiſſum fuiſſe. igitur ad miniſteria ſacri altaris, & ad ſacrificia, auxilio Moyſes ſi indiguiſſet; potius Levitas, quam Sacerdotes nondum ſacros, ſibi in ſubſidium vocaſſet: quod ante Conſecrationem, cuicumque ſub pœna mortis, ad ſacrum, & ſemper venerandum Dei altare, accedere prohibitum eſſet.

Mihi igitur in hac de tempore erectionis difficultate, dicendum videtur, ſacrum Tabernaculum, eo ipſo in loco, in quo primo conſtitutum fuit, ab artificibus, qui illius fabricæ incumbebant, ibidem per ſeptem primi anni poſtremos dies, prius aquis luſtratum; poſtmodum prima die ſequentis menſis, quæ fuit primi anni ſecundi, ſacratum fuiſſe; diemque erectionis, in Scripturis ſacris, appellari diem primam primi menſis ſecundi anni, quando illius Conſecratio cœpta eſt. Aliquibus enim diebus in perfecta, omninoque abſoluta diſpoſitione, tam Tabernaculi, quam illorum omnium, quæ ad ipſum, & ad Dei cultum pertinebant conſumptis, & utenſilibus quibuſque in locis propriis locatis, tam intra, quam extra Tabernaculum, tandem abſoluta ejuſdem ſacri Tabernaculi luſtratione, prima die primi menſis, anni ſecundi, ab exitu filiorum Iſraël de Ægypto, ejuſdem Tabernaculi cœpta fuit expiatio, & conſecratio, per continuatos ſeptem dies primi menſis proſequuta, præſcriptis à Deo ritibus, ac cæremoniis, quibus infra oſtendemus. Quia verò prima dies primi menſis anni ſecundi ſolemnis, feſtivaque toti populo fuit; quod in illa Tabernaculi conſecratio exordiretur; idcirco dies illa, dies erectionis Tabernaculi appellabatur; licet Tabernaculum nondum ſacrum, multo ante erectum fuerit, & per dies plurimos antecedentes ſteterit. quamobrem cum in ſacro textu legitur, prima die, primi menſis erigendum fuiſſe Tabernaculum Dei, de initio Conſecrationis illius, ſacra oracula intelligenda ſunt.

Ut autem quæ dicimus lucidiora fiant; obſervandum erit nomine erectionis tabernaculi, altaris, & utenſilium, quæ ad cultum Dei pertinebant, debere intelligi illorum conſecrationem. Niſi enim de die conſecrationis illa intelligantur; reliqua impoſſibilia erunt: non enim fieri poteſt, ut ſolus Moyſes, ut ſæpe diximus, tantam molem columnarum, aulæorum, & aliorum utenſilium, quibus ſtatuebatur

A Tabernaculum in Dei cultum, ac religioſam obſervantiam, juxta ea, quæ in ſacris Litteris traduntur; unius diei ſpatio ſtatuere, ac firmare poſſet, quin etiam expiationem, & conſecrationem ejuſdem inchoare hoſtias, & victimas offerre, ad Sacerdotum conſecrationem, quam Abulenſis tradit, & ad alia plura ad quæ hominum multitudo non pauca vix ſufficeret: quamobrem dicendum certò erit, toto tempore prioris anni antecedentis, ex quo fabrica Tabernaculi inchoata fuit, firmata, & ſtabilita, luſtrata quoque cuncta fuiſſe, quæ ad illud pertinebant, prout abſolvebantur. Prima verò die primi menſis anni ſecundi, ejuſdem Tabernaculi, atque
B utenſilium expiationem, atque conſecrationem inchoatam: quod Conſecrationis exordium erectio dicitur, quia ex eo die tentorium illud à prophano uſu ad ſacrum deſtinabatur. Non enim ſola luſtratione id fiebat, ut infra oſtendetur, ſed expiatione & unctione; quamobrem Tabernaculum in illa die fieri Dei Tabernaculum incipiebat.

Huic loquendi modo ſimile aliud legitur cum de Altari Ezechiel. 43. ſermo eſt. diciturque: *Hi ſunt ritus altaris in quacumque die fuerit fabricatum: ut offeratur ſuper illud holocauſtum, & effundatur ſanguis.* Ad rem noſtram attendantur illa verba: *in quacumque die fuerit fabricatum.* non enim unico tantum die
C fabricatum illud altare fuit; neque in eo altari offerre holocauſtum, antequam conſecraretur, licebat. Sed dicitur dies fabricæ altaris, pro die illius conſecrationis. ſic igitur à pari Exodi 40. dicitur, prima die menſis erigendum Tabernaculum; quia conſecratio ea die inchoanda erat.

Sed ut hæc, aliaque ſacræ Scripturæ loca clariora fiant; non eſt prætereundum, noſtrum interpretem in ſacris libris ex Hebræo latinitate donatis, aliquando non verba, ſed periodi ſolummodo ſenſum attendere; interdum ob nimiam aſperitatem interpretationis Hebraicæ phraſis, in ipſa verborum vi interpres ipſe paraphraſtici munus ſubit; interdum
D Græca exemplaria ſequitur; interdum denique in ipſa aſperitate, & rigoroſitate Hebraicarum dictionum ſtare contendit; prout loquendi phraſes tenacitatem ſententiarum, cum ſimplicitate, & veritate ſignificationis ſtant. Unus eſt locus is, quem præ manibus habemus, in quo noſter interpres Hebraicæ dictionis rigoroſitatem, aſperitatemque retinens, erectionis vocabulo uſus eſt, dicens Exodi 40. *Menſe primo prima die menſis, eriges Tabernaculum teſtimonii*, pro, *conſecrabis Tabernaculum teſtimonii.*

Ut igitur veram hujus loci intelligentiam exquirere, & habere poſſimus, vocis Hebraicæ vim, ac energiam in ſignificando diligenter inveſtigemus;
E ut inde ſenſum, intelligentiamque hauriamus; liquidoque conſtet, diem erectionis, diem conſecrationis appellari. Latino igitur erigendi vocabulo ubique reſpondet Hebraicum verbum קום *qhom*, in conjugatione *hiphil*, prout ratio ſermonis poſtulat, juxta phraſim Linguæ Sanctæ: nimirum in ſignificatione, interdum activa, interdum paſſiva. Hujus ergo verbi ea eſt vis, ut in conjugatione prima, quam Grammatici lenem appellant, & in ſecunda, quam iidem dagheſſatam dicunt; actum ſurgendi ſignificet, atque per vocem Latinam *ſurgere*, quam optimè interpretetur. at in tertia conjugatione, quam *hiphil* Grammatici nominant: quia juxta regulas gramma-
F ticales actionem factam per aliam perſonam ſignificat, & vox הקים *heqhim*, in ea conjugatione eſſet interpretanda *fecit ſurgere;* unica voce Latina nos dicimus, *erexit.* hinc meritò Latini hanc vocem *erexit*, accomodarunt Hebraicæ voci הקים *heqhim* in illa tertia ſignificatione. Vox tamen iſta Hebraica, non ſolum eam habet ſignificationem; ſed etiam *ſtabilire* aliquid, & *confirmare;* præſertim ve-

ro

rò aliquid *ſancire*, atque in Dei cultum conſecrare, dedicareque ſignificat. nam cap. 9. Eſther, in quo agitur de conſtituenda ſolemnitate, ſive de diei dedicatione, in memoriam populi Judaici liberati de manu Ægyptiorum, deque cæde, eidem populo parata juſſu impii Amani, qui odio quo proſequebatur Mardocheum in univerſo Aſſueri Regno, quoſcumque Hebræos, una ſtatuta die trucidari curaverat: in memoriam, inquam, beneficii adeò ſingularis & inſignis, feſtum diem Hebræi inſtituerunt; & ſolemniſſimum perpetuis futuris temporibus haberi decreverunt. quæ ſolemnitas *Purim* à ſortibus appellata fuit. Cujus tamen inſtitutionem, ubi ſupra, his verbis legimus: *Scripſeruntque Eſther Regina filia Abihail, & Mardochæus Judæus, etiam ſecundam epiſtolam, ut omni ſtudio dies iſta ſolemnis ſanciretur in poſterum.* ubi verò verbum *ſanciretur*, noſter interpres habet hebraicè לְקַיֵּם *leqhaiem* legitur. quam dictionem, alii interpretati ſunt, *ut roborarent*, alii *ut firmarent*, aliter alii; ſed quocumque modo illam interpretentur, à verbo קוּם *qhom*, in ſecunda conjugatione formari, grammaticis conſtat; valetque *ſancire*, *firmare*, *roborare*, ſive dedicare aliquem diem in Dei cultum, & religionem. Sequitur textus ibidem: *Et miſerunt ad omnes Judæos, qui in centum viginti ſeptem Provinciis Regis Aſſueri verſabantur; ut haberent pacem, & ſuſciperent veritatem, obſervantes dies ſortium.* hebraicè לְקַיֵּם אֶת־יְמֵי הַפֻּרִים *leqhaiem heth jemei happurim*, ideſt, *ut ſolemniſarent dies ſortium.* ut firmarent, ut obſervarent cultu ſacro, dies ſortium; ut divino cultui dedicarent dies ſortium. Ecce locus ſacrorum oraculorum, in quo iterum dedicatio alicujus rei in Dei cultum, per verbum קוּם *qhom* dicitur; denotaturque illius diei religioſa, ac ſolemnis obſervantia. Sequitur textus ibidem: *Et ſuo tempore cum gaudio celebrarent, ſicut conſtituerat Mardochæus, & Eſther.* hebraicè illud, *ſicut conſtituerat*, dicitur כַּאֲשֶׁר קִיַּם *cahaſcer qhiam*, quod alii dixere, *ſicut injunxerat;* poteſt etiam dici, *ſicut ſanciverat.* Sed quomodocumque dicatur, reſpicit actum ſanctificationis, & dedicationis alicujus per reſpectum ad Dei cultum: & dicitur per illud verbum קוּם *qhom.* Adhuc ſequitur textus: *Et illi obſervanda ſuſceperunt à ſe, & à ſemine ſuo jejunia, & clamores, & ſortium dies* hebraicè dicitur כַּאֲשֶׁר קִיְּמוּ *cahaſcer qhijemu.* ideſt, *quemadmodum obligaverunt.* noſter interpres dixit, *obſervanda ſuſceperunt.* at quomodocumque illa verba interpretentur; ſolemnitatem obſervandam ſuſcipere, in actum religionis, per illud verbum קוּם *qhom* ſignificatur. & ex hoc ſolo ſacro textu, me judice, ſatis liquido conſtat, verbum illud קוּם *qhom*, quo Moyſes utitur cap. 40. Exodi in conſecratione Tabernaculi, & per verbum *erigere* à noſtro vulgato interpretatur; inſtitutionem, ſive dedicationem ſolemnitatis, dierumque aliquorum conſecrationem ſignificare.

Adhuc dicta à nobis magis corroborare poſſumus ex 1. Reg. 2. in quo ſermo eſt de repudiando Heli, ejuſque proſapia à Summi Sacerdotii munere, & reliquis ſacris functionibus, alio ſanctiore illo à Deo ſubrogato, in dignitatem Summi Sacerdotii: de quo ſic loquitur Deus ad Samuelem, *Et ſuſcitabo mihi Sacerdotem fidelem*, hebraicè illud *ſuſcitabo*, dicitur per hoc verbum קוּם *qhom*, hoc modo וַהֲקִימֹתִי לִי הַכֹּהֵן נֶאֱמָן *vehaqhimothi li hachohen neheman.* hoc eſt, *Et conſecrabo mihi Sacerdotem fidelem.* nam quid aliud eſt ſuſcitare ſibi Sacerdotem, ſive erigere ſibi Sacerdotem, quam illum conſecrare? non enim Sacerdotis munere, aut nomine quis rectè inſignitur; niſi poſtquam ſacro inunctus oleo, & Conſecrationis unguine delibutus fuerit. Pariter 2. Reg. 24. per Nathan Prophetam, jubetur David, fabricare altare in area Areuna Jebuſæi, ad placandum Dominum Deum, in populum peſte ſævientem: nec ambigen-

A dum erit, altare illud conſecrandum fuiſſe; ut in eo ſacra facere liceret. hæc autem dicuntur per verbum illud קוּם *qhom*, in hæc verba הָקֵם לַיהוָה מִזְבֵּחַ *haqhem ladonai mizbeach. Erige Domino altare.* & licet expreſsè verba illa non haberent vim denotantem conſecrationem, dedicationem, aut ſanctificationem; id ſignificari, per illud verbum indirectè, in loco jam allegato, nullo modo inficias ire licet.

Cum igitur ex ſacra Scriptura, & locis jam allatis, verbum illud קוּם *qhom* vim ſanctificationis habeat; utique eam retinebit in loco allato capitulo 40. Exodi, in quo hebraicè ſic legitur: *taqhim heth miſcan hohel monghed.* תָּקִים אֶת־מִשְׁכַּן אֹהֶל מוֹעֵד quæ juxta phraſim lib. Eſth. interpretabimur: *Statues ſolemnitatem tabernaculi teſtimonii.* vel conſecrabis, vel ſancies feſtum diem Tabernaculi teſtimonii. Quando verò in eodem capitulo ſubditur: *Factum eſt in menſe primo, in anno ſecundo, in prima menſis.* הוּקַם הַמִּשְׁכָּן
B *huqham hamiſcan*, quod interpretatur, *Erectum fuit tabernaculum.* Juxta præallegatam ſignificationem illius vocabuli, poterit interpretari, *Sancitum fuit ſolemne feſtum Tabernaculi*, vel, *Stabilita fuit ſolemnitas Tabernaculi teſtimonii.* quemadmodum Joſeph. lib. 3. Antiq. dicebat. Quæ quidem interpretationes, neque à veritate, neque à phraſi ſacrarum ſcripturarum ſunt alienæ, ac propterea non reſpuendæ: ut inde nobis liquido conſtet, in loco allato ex cap. 40. Exodi, ſermonem eſſe de ſolemnitate Conſecrationis Tabernaculi
C teſtimonii, quam Moyſes ſancivit in populo celebrandam; non verò de materiali illius Tabernaculi erectione, quæ tabularum, columnarumque conſtitutione, reliquorumque omnium debita diſpoſitione, per ſingulas filiorum Iſraël manſiones fieri conſueverunt; quoties per deſertum caſtra hic, illicque metanda fuerunt: ſicque dicemus, à prima die primi menſis, anni ſecundi ab exitu filiorum Iſraël de Ægypto, cœpiſſe uſum ſacri olei & unguenti ad conſecrationem ſacrorum utenſilium à Deo inſtituti. Non quidem quod eo die, ſacri olei uſus cœperit ad conſecrationem Sacerdotum: hoc enim negamus, ut infra oſtendemus; ſed tan-
D tum conſecratione inſenſibilium utenſilium, uſus illius cœpit haberi ex Dei inſtituto. itaque prima dies primi menſis anni ſecundi, fuit etiam primum exordium uſus ſacri unguenti.

CAP. XXXIII.

Tabernaculi & partium, ac aliquorum utenſilium illius forma, Conſecratioque explicatur.

E Ad loca Exodi 40. *Et aſſumpto unctionis oleo, unges Tabernaculum cum vaſis ſuis, ut ſanctificentur.* Ibidem. *Menſe primo, prima die menſis, eriges Tabernaculum teſtimonii, & pones in eo Arcam, dimitteſque ante illam velum: & illata menſa pones ſuper eam, quæ ritè præcepta ſunt. Candelabrum ſtabit cum lucernis ſuis, & altare aureum, in quo adoletur incenſum coram Arca teſtimonii; tentorium in introitu Tabernaculi teſtimonii pones*, &c. Ibidem. *Fecit Moyſes omnia quæ præceperat Dominus*, &c. & ad alia plura.

F

SACRAE areæ luſtrationes jam vidimus: ordo igitur, ratioque poſtulat; ut ad ipſum Tabernaculum, & ad ea, quæ ad ipſum ſpectabant, tam ad ornatum, quam ad utenſilia quamprimum accedamus. nam apud Romanos hæc tria, Fanum, Ædificium, & Templum, ea ratione diſtincta tradunt Scriptores, quod Fanum propriè eſſet area tem-

plo

plo deſtinata, aut ſtructuræ ædificii parata, ut ex Livio lib. 10. habetur: ubi fuiſſet conſtructum Ædificium, antequam ſacraretur, Ædificium, ſive Ædes, illud idem dicebatur: conſecratione accedente, Templum appellabatur. inde illud Ovid. lib. 4. Faſtorum.

Sancta vocant Auguſtà patres, Auguſta vocantur
Templa, Sacerdotum ritè dicata manu.

At more caſtrorum, ſacrum hoc ædificium, Tabernaculum nominabatur; quia inde quæ ad belli, paciſque pertinebant, à Deo expediebantur.

Romanos etiam militari gloria celebres, in caſtris habuiſſe tabernaculum, non ſolum Prætorium, ſed etiam ſacrum, in quo ſigna cuſtodirentur, ac venerarentur; quæ ædicula aliquando appellabatur; antiqua Scriptorum monumenta teſtantur. Jam dudum enim à temporibus Cæſaris, Pompeji, & Craſſi, Aquila aurea, quæ principalis erat in Romanorum exercitu, ſacellum habebat perexiguum; in quo collocabatur, longiſſimæ haſtæ infixa; & geſtabatur in omnibus exercitibus, ex delectu comparatis: cujus quidem haſtæ pars inferior, peracuta erat, ita ut in terra haſta defigi cum Aquila poſſet. hæc ſcribit Dion. in Pomp. Cujus etiam cauſa, templum fuiſſe Romæ in caſtris Prætorianis nota res eſt. cum enim Prætoriani milites intra Urbem, paſſim per domos urbanas habitarent; Tiberius Imperator locum extra Urbem illos habere juſſit. de quo Suetonius cap. 37. ait: *Stationes militum per Italiam ſolito frequentiores diſpoſuit, Romæ caſtra conſtituit, quibus Prætorianæ cohortes, vagæ ante id tempus, & per hoſpitia diſperſæ, continerentur.* Sic enim conſtituerat Octavianus Cæſar, ut Suetonius affirmat. quin etiam locum eorum caſtris decernit Plin. lib. 4. cap. 5. dicens: *Ad extrema tectorum, cum caſtris Prætoriis ab eodem milliario per vicos omnium viarum menſura collegit, paulo amplius ſeptuaginta millia paſſuum.* Fuiſſe autem hunc locum via Appia, ad locum qui hodie *Caput bubulum* vocatur, ſcribit Sabel. in paraphraſes ad Suetonii Othonem Sylvium. Quod verò in his caſtris templum haberetur, in quo ſigna militaria cuſtodirentur, ac venerarentur; quemadmodum etiam in exercitu ædicula habebatur; ex Herodiani libris, ſatis perſpicuum eſt: cum de Antonino Heliogabalo, & Alexandro fratre illius Imperatore agit; quem cum defunctum divulgaſſet Heliogabalus, ut militum animos pertentaret, Herodianus ait: *κατακλείσαντές τε αὐτοὺς ἐν τῷ στρατοπέδῳ, τὸν Ἀλέξανδρον ἐν ἱερῷ ἠξίουν ἰδεῖν. ὁ δ' Ἀντωνῖνος ἐν δέει πολλῷ γενόμενος, παραλαβὼν τὸν Ἀλέξανδρον, συγκαθεσθεὶς αὐτῷ ἐν τῷ βασιλικῷ φορείῳ, ὅπερ διὰ χρυσοῦ πολλοῦ, καὶ λίθων τιμίων πεποίκιλτο, κατῆλθεν εἰς τὸ στρατόπεδον σὺν τῷ Ἀλεξάνδρῳ. ὡς δὲ ἀνοίξαντες τὰς πύλας ἐδέξαντο αὐτοὺς, ἔς τε τὸν νεὼν τοῦ στρατοπέδου ἤγαγον*, &c. Alia ponit Herodianus, in quibus de templo in caſtris perſpicua tradit, atque in illo occiſum Antoninum ſcribit. ſic nunc locus allatus interpretatur. *Concludentes autem ſeipſos in caſtris* (ſupple Prætorianis) *Alexandrum in templo videre velle dictitabant. Antoninus autem timore multo ictus, aſſumens Alexandrum ſecum, illo conſidente in Imperatorio vehiculo, multo auro & gemmis pretioſiſſimis ornato, contendit in caſtra cum Alexandro, ut autem apertis januis ſuſceperunt illos, in templum caſtrorum deduxerunt.*

Alexan. quoque ab Alex. lib. 1. gen. dier. cap. 12. hoc idem teſtatur, dicens: *Fuitque more noviſſimo ſervatum, ut in principiis caſtrorum, aut juxta tabernaculum Ducis, templum, ſive ædiculam ſimili exemplo milites conſtruant; juxta quam ſigna, & Aquilam venerarentur, & ſervarent; unde cum opus eſſet, extra caſtra adduci poſſent.* Tertullianus quoque in Apo-

A logetico, religionis caſtrenſis meminit, qualis erat apud Romanos, qui Chriſtianos tanquam crucis ſtudioſos accuſabant; cum tamen eos idem feciſſe in caſtrenſi negotio oſtendat, dicens: *Sed & victorias*, inquit, *adoratis cum in tropæis cruces ſint, inteſtina tropæorum: religio Romanorum tota caſtrenſis ſigna veneratur, ſigna jurat, ſigna omnibus Diis præponit.* Sed non omittamus ſine animadverſione, quod dicitur de loco hujus ædiculæ ab Alexandro, nimirum de principiis caſtrorum. non enim hic caſtrorum principia ab Alexandro initia locorum, ubi caſtra ipſa metata fuiſſent dicuntur; ſed principiorum nomine veniunt

B loca in caſtris, ubi Principes milites habitabant; quod etiam dicitur lib. 3. Cod. quæ ſit longa conſuetudo, l. 12. in fine, ff. de re militari: & ab his Principibus una porta Principalis dicebatur in caſtris. Quam omnem ædiculæ rationem Gentes ab inſtitutis divinis hauſerunt; & quæ Deus in caſtris Iſraëlitis tutelæ, ac religionis cauſa decreverat; idololatræ æmulari non ſunt veriti: ſed in ſtationibus Dei tabernaculum, atque caſtra imitabantur; ut ſub ſpecie religionis populum, ille perimeret leo, qui ſemper rugit, circumiens, & quærens quem devoret.

Verum Benedictus Deus noluit duplex Taberna-

C culum in caſtris Iſraëliticis conſtitui, ſed unicum, in quo tamquam Deus religioſe coleretur; & ex quo ipſe, veluti dux Iſraëlitici exercitus, quæ ad militiam ſpectabant, diligentiſſimè curaret. in quo ſtatim occurrit unde admiremur, quantis favoribus piiſſimus, ſimulque clementiſſimus Deus, Iſraëliticam Rempublicam proſequeretur; miraculorum omnium fidem excedit, Dei erga illam dilectio, quantumve ſtuduerit, non ſolum ſanctiſſimis legibus, piiſſimiſque ſtatutis, atque decretis eam ſtabilire; ſed inſtructa acie, aliiſque militaribus ſtudiis, victorem de hoſtibus, & militari gloria florentem populum Iſraëliticum fieri curavit. nam prodigiis, por-

D tentiſque maximis non ſemel, ſed ſæpiſſimè hoſtes deterrendo, ad Iſraëlitas victoriam inclinare juſſit. Verum quamvis favores, quibus Deus populum proſequebatur innumeri ſint, ſingulari tamen præſentia velle cum populo adeſſe, & inter caſtra quodammodo verſari, reliquos omnes excedit; qua de cauſa ſacrum Tabernaculum Moyſen in caſtris erigere juſſit. Nequid verò fieret, in ſtructura Tabernaculi majeſtati indecens; exemplar Moyſi in monte monſtrare voluit, ut ad illius formam aliud in caſtris erigeretur; cujus ipſemet Deus, & non alter architectus haberetur: ut ſacra oracula ubique prædicant. Si verò fideli oculo cuncta, quæ Deus in Ta-

E bernaculi fabrica juſſit, conſpiciantur, perſpicuum fiet, Tabernaculum nihil aliud fuiſſe, quam quoddam portatile Templum, compaginandum, ac diſſolvendum, & pro loci, ac temporis indigentia, erigendum ac deponendum. Nam quoties Iſraëlitis caſtra alibi metanda fuiſſent; toties Tabernaculum diſſolvebatur; iterumque erigebatur in loco, in quo Deus caſtra firmanda (ſtante columna) juſſiſſet: tamquam ſummus Imperator, & populi Iſraëlitici Dux, qui in illo Tabernaculo tamquam in tentorio reſidere dignabatur. ut loquamur cum Joſepho lib. 3. antiq. cap. 6. cum ait: *Ex tali namque materia*, ſupple quam obtulerunt Iſraëlitæ, *Taberna-*

F *culum fabricatum eſt; quod migratum, & per loca diverſa devectum, nihil à Templo differebat.* Hùc filii Iſraël in neceſſitatibus, ut Deum conſulerent, de his quæ contigiſſent veniebant: ubi caſtra metanda eſſent, quando levanda, quando hoſtibus occurrendum, quando ab illis declinandum, ab eo ex Tabernaculo admonebantur: qua ratione etiam hi vel illi punirentur, ſi quando ab obedientia ſummo Duci debita, milites defeciſſent, ab eo indicebatur: ſicque alia quæ ſum-

mo

mo Duci congruunt, à Deo militari judicio, & induſtria decernebantur.

Nec in hoc genere loquendi diſſentimus à Philone, qui lib. 3. de vita Moyſis, ſtatim in principio ſic loquitur: εἰ μὲν οὖν τὴν χώραν εἰς ἣν μετανίσαντο, ἤδη παρειλήφεισαν, ἀναγκαῖον ἦν ἱδρύσασθαι περισημότατον νεὼν ἐν τῷ καθαρωτάτῳ λίθων πολυτελῶν ὕλης, καὶ περὶ αὐτὸ τείχη μεγάλα δείμασθαι, καὶ νεωκόροις παμπληθεῖς οἰκίας, ὀνομάσαντας ἱερόπολιν τὸν τόπον. ἐπεὶ δ' ἔτι κατὰ τὴν ἐρήμην ἐπλάζοντο, τοῖς μήπω παγίως ἱδρυθεῖσιν ἥρμοττε φορητὸν ἔχειν ἱερὸν, ἵν' ἐν ταῖς ὁδοιπορίαις, καὶ στρατοπεδείαις θυσίας ἀνάγωσι, καὶ τἆλλα ὅσα, κατὰ τὰς ἱερουργίας δρῶσι μηδενὸς ἀμοιροῦντες ὧν χρὴ τοὺς ἐν πόλεσιν οἰκοῦντας. hoc eſt, *Siquidem regionem, in quam commigrarunt, jam obtinuiſſent, condendum fuiſſet templum nobiliſſimum in loco puriſſimo ex materia lapidum pretioſorum, & in circuitu illius murus magnus extruendus cum permultis ædificiis in uſum Sacerdotum, & locus nominandus Hieropolis. Quoniam autem adhuc in deſerto errabant* (ſupple Iſraëlitæ) *nullamque certam ſedem habebant; conveniebat templum ambulatorium; ut tam in itinere, quam in caſtris ſacra facerent, & alia quæ ex cæremoniis debebant: nihil omittentes ex his, quæ neceſſaria ſunt habitantibus in Civitatibus.* Σκηνὴν οὖν ἔργον ἱερώτατον δημιουργεῖν ἔδοξεν, ἧς τὴν κατασκευὴν θεσφάτοις λόγοις ἐπὶ τοῦ ὄρους Μωυσῆς ἀνεδιδάσκετο. hoc eſt, *Tabernaculum igitur opus ſacrum erigi placuit; cujus apparatum divinis ſermonibus ſuper montem Moyſes didicit.* Igitur ex Philone diſertiſſimo Hebræorum habemus ſacri Tabernaculi fabricam, nil aliud fuiſſe, quam, ut dicebamus, portatile templum. de quibus Feſtus etiam lib. 11. ait: *Minora templa fiunt ab auguribus, cum loca aliqua tabulis, aut linteis ſepiuntur, ne uno amplius oſtio pateant.* quam rationem linteorum, atque tabularum, ſervatam à Moyſe, in fabrica divini Tabernaculi, ubique prædicant ſacra oracula: ut meritò minus templum, Tabernaculum illud diceretur. ſed per reſpectum ad caſtra Iſraëlitica, quæ in deſerto erant, ſummi Imperatoris tentorium dicebatur: ſtudio militiæ à Deo juſſum erigi: ut una cum Tabernaculis militum, ſummi quoque Imperatoris Tabernaculum haberetur; ne ſitus ad caſtra metanda, quæque ſummi Imperatoris ſunt ſtudia, omiſiſſe videretur.

De quibus quidem ſtudiis, adeò gloriabatur Deus, ut militaris gloriæ cupidus, à Seraphin de hac una re voluerit celebrari apud Iſaiam, illis dicentibus: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum.* & cum aliquando illi palatium, ſive baſilicam ſanctus David parare vellet: domum renuit, militaris gloriæ cupidus, dicens 2. Reg. 7. *Numquid tu ædificabis mihi domum ad habitandum? nec enim habitavi in Domo, ex die illa qua eduxi filios Iſraël de terra Aegypti, uſque in diem hanc, ſed ambulabam in Tabernaculo, & in tentorio.*


Quia igitur de Conſecratione Tabernaculi à nobis eſt agendum, dubitandum ſtatim occurrit de partibus ſingulis ſacræ hujus fabricæ. cum enim illud portatile Templum, pluribus compaginaretur tabulis, aureis laminis undequaque tectis; ex columnis etiam, velaminibus, baſibus argenteis, & capitellis aureis, vectibus tam ligneis, quàm aureis, aliiſque pluribus ad ipſum Tabernaculum pertinentibus, tota illius fabrica conſtaret: meritò dubitatur an Tabernaculum cum omnibus, quæ ad ipſum pertinebant primò erectum, integratumque fuerit; omnibus etiam utenſilibus, ſacriſque illius vaſis, proprio in loco diſpoſitis, tuncque demum ſacro oleo conſecratum fuerit; an verò ſingulæ quæque partes Tabernaculi ſeorſum, ſingula quæque utenſilia illius, nimirum Arca ſacra, Menſa panum propoſitionis, Candelabrum cum illius utenſilibus, & Altare aureum ſeorſum conſecrata fuerint à Tabernaculo; ac poſtmo-

A dum tabulæ omnes conjunctæ, Tabernaculum conſtitutum, ac conſecratum fuerit. utroque enim modo conſecratio locum habere poteſt, & verè dici à Moyſe ſacrum Tabernaculum fuiſſe conſecratum.

Et quamvis ex ſacris Scripturis nihil certi habeatur; ſi tamen ad rationem loquendum eſt; ſana mens refugit credere, aut admittere, ſeparatam illam partium Tabernaculi conſecrationem, quod rationi conſona nullo modo videatur. Sacrum enim illud Tabernaculum, Moyſi ex Dei mandato præſcriptum, quadraginta, & octo trabibus, ſive columnis conſtabat, quarum quadraginta ſex, cubitum in latitudine, ac dimidium habebant; altitudinis vero cubitos decem; profunditas denique, ſive craſſities earundem columnarum, quatuor digitorum erat: juxta quam formam, his quadraginta ſex tabulis, duæ trabes angulares addebantur; ut ad quadraginta octo eſſent: quibus ſi addantur quatuor aliæ columnæ, ex quibus ſanctius velum pendebat; inter Sanctum Sanctorum, & Tabernaculi Sanctum diſtinguens; necnon etiam aliæ quinque columnæ, quæ in extrema Tabernaculi parte, Orientem reſpiciebant; Tabernaculumque ab atrio ſeparabant; quinquaginta ſeptem columnis, totum integrum Tabernaculum conſtituetur: quatuor etiam vectes aurei ab extra adjungebantur; & per ſuos annulos aureos immittebantur; quibus omnes tabulæ, ſive columnæ Tabernaculi, inſimul colligarentur. inſuper etiam vectis unus ligneus, interiora columnarum penetrabat, à prima uſque ad ultimam, ut tabernaculum totum ad lineam conſtitueretur; & totum ædificium firmaretur: quo nil auguſtius excogitari poterat: nam ſingulas columnas, ac tabulas à parte interiori, totius Tabernaculi, ita vectis conſtringebat; ut adverſus vim ventorum, ac turbinum, columnæ cum toto ædificio firmarentur. Quorum omnium columnarum, ac tabularum claritatis gratia, formam pag. ſequenti delineandam curavimus, juxta varia Doctorum placita. Quæ enim ſignatur A eſt juxta ſententiam Tornielli: quæ verò ſignatur B eſt ex mente Ariæ Montani, quam ut rationabiliorem amplectimur. Quia verò Torniellus aliam exteriorem, alteram interiorem in tabulis ſacri Tabernaculi ſpeciem commentus eſt, nos utramque conſpiciendam ex ipſo præſtavimus.

Et ne quid deſiderandum remaneat; tabulis ſeorſum oſtenſis, integrum etiam Tabernaculum, Tabernaculique interiorem partem delineatam oſtendere ſtuduimus; ut auguſtiſſimæ molis architecturam, ex aſpectu magis admiremur. Sanctum Sanctorum dicebatur pars minor, ac ſanctior; in qua ſacra Arca, Dei tribunal repoſitum fuit; reliqua ſacri Tabernaculi pars Sanctum appellabatur; in qua Altare aureum ad thymiama, frontem ſacræ Arcæ reſpiciebat; hinc inde, Auſtrum verſus, aureum Candelabrum poſitum viſebatur; ad Aquilonem verò Menſa aurea, quæ panes propoſitionis ſuſtinebat. nihil igitur in eo admittebatur, quod aureum non eſſet. Forma eſt qualem fig. C. propoſuimus.

Cum igitur Templi hujus portatilis fabrica talis eſſet; perſpicuum eſt, à ſolo Moyſe nulla ratione Tabernaculum erigi potuiſſe; ſed aliorum auxilio in eo erigendo indiguiſſe. tabularum enim altitudo, decem cubitorum erat, ut diximus. tabulæ iſtæ, undique tam ab extra, quàm intra laminis aureis tegebantur. erant ex ſolido argento baſes, capitella ex ſolido auro fuſa fuiſſe ſcribitur: quomodo igitur Moyſes Tabernaculum erigere potuiſſet, capitella columnis ſuper imponere, eiſdem baſes ſupponere, vectes aureos hinc, indeque in extremis lateribus Ta-



Tabernaculi conſtringere, ac firmare? nulla certe ratione. Poſtquam etiam Moyſes columnas firmaſſet; tria aulæa, primum ex byſſo, alterum ex hyacintho, & purpura, & tertium denique ex pellibus; quæ eatenus Tabernaculum in ſuperiora, & à lateribus contegebant, ut terram ferè contingerent: ſolus ille nemine ſibi auxilium ferente, quomodo ſuper hæc imponere Tabernaculo, atque extendere potuiſſet? Quæ introrſum denique reponebantur; picturata nimirum aulæa, ut Sanctum Sanctorum, à Sancto diſtinguerent; & quæ in oſtio Tabernaculi aditum præcludebant; poterantne ab uno tantum homine ſuſpendi, ac extendi? fidem excedit, hæc ſine miraculo affirmare. Quod interponere frivolum eſt, atque commentitium; cum in Scripturis ſacris nihil tale habeatur; nec miracula à viris doctis ſint confingenda, niſi ubi Scriptura aliquid narrat, quod ſine miraculo intelligi nequit.

Quamobrem ſolum Moyſen tantam molem erexiſſe, nullum veritatis ſpecimen præ ſe tulit; cum vix plures homines ad id ſatis eſſe potuiſſent. Nam ſi quando per deſertum Tabernaculum aliò transferre Iſraëlitæ cogerentur; ſex plauſtris Tabernaculi tabulæ deferebantur, ex munere Meraritarum, ut ex cap. 4. Num. liquido conſtat; quem quidem Meraritarum numerum, ſex millia pertigiſſe dicitur ibidem cap. 3. Quamvis igitur non omnes, ad deferendum columnas Tabernaculi, & atrii, neceſſario requirerentur; ſed per ſtationes, & dies, ac etiam per familias, ad ea onera diſtribuerentur; licet mille tantum requiri dixerimus; ſaltem hinc certum erit, ſolum Moyſen tantam molem nequaquam erexiſſe. ni ridicula aliqua miracula cum Rabbinis fingere velimus; qui nullo innixi fundamento, miraculoſe Tabernaculum ſomniant, ipſum in deſerto erexiſſe. ſed hi portantes velamen in oculis, ut dixit Paulus, in ſacris Scripturis interpretandis, nugis adhærent, ſomniaque confingunt; ipſam quoque ſacrarum Scripturarum nudam litteram ignorantes.

D Sed ut in hac re, velamen quantum poſſumus ab ipſorum oculis auferatur; legatur cap. 40. Exodi, in quo in Hebraico textu, cui ſoli fidem Rabbini præſtant, cum de erectione Tabernaculi per manum Moyſis agitur, in hæc verba legitur, hebraico in codice הוּקַם הַמִּשְׁכָּן *hucam hamiſchan*, in quibus Hebraicis verbis dictionem illam הוּקַם *hucham*, paſſivæ conjugationis *hophal* advertent, & juxta regulas grammaticæ, repræſentare rem executioni mandatam ab aliquo, altero præcipiente. Quapropter illorum verborum ſenſus erit; Tabernaculum fuiſſe ab alio juſſum erigi: ideſt Moyſe nimirum mandante his, qui ædificii opus conſtruxerant, ut Tabernaculum erigerent. Cumque Tabernaculum, Moyſe imperante, fuerit erectum ab aliis; nequaquam ab eo ſolo, miraculoſe, & nullo adjuvante erigebatur, ut ſtultiſſimi illi homines ſomniant. E

Moyſes igitur in erectione Tabernaculi, ſi ab aliis, cum primis à Beſeleele, & ab Oliabo juvandus fuit; qui totius fabricæ Tabernaculi, magiſtri præſides in Architectonica ex præſcripto Moyſis fuerunt; & hoc neceſſario affirmare cogimur. Neque ſpatium, ſive atrium, in quo Tabernaculum erigebatur, luſtratum fuiſſe dicemus, niſi Tabernaculo jam erecto, & nondum conſecrato. Tabernaculi quoque partes, & utenſilia illius, nequaquam ſeorſum ſingula, conſecrata fuiſſe affirmabimus, ſed ſimul cum Tabernaculo; aliàs Moyſes in eorum conſtitutione à nemine juvari potuiſſet; quia non omnibus hoc concedebatur, poſtquam Tabernaculum, & illius utenſilia ſacro fuiſſent conſecrata oleo, Deoque mancipata. Sic F enim dicitur de Levitis cap. 1. Numer. *Ipſi portabunt Tabernaculum, & omnia utenſilia ejus, & erunt in miniſterio, ac per gyrum Tabernaculi metabuntur: cum proficiſcendum fuerit, deponent Levitæ Tabernaculum: cum caſtrametandum, erigent: quiſquis externorum acceſſerit, occidetur.* De Levitarum tribu Beſeleel, & Oliabus non erant; igitur poſt columnarum conſecrationem, Moyſen juvare non potuiſſent. Levitæ

vitæ autem ſolummodo poſt Sacerdotum conſecratio- A
nem, Deo in opus Tabernaculi dedicati fuerunt;
Aaronitæ verò poſt conſecrationem Tabernaculi,
ut oſtendemus, ſacro oleo conſecrati fuerunt:
quibus duobus tantum perſonarum generibus, ſacra
illa contrectare concedebatur ex Dei præſcripto; re-
liquis verò interdicebatur, non ſolum Tabernacu-
lum, aut utenſilia illius contrectare; ſed nec habere
tentoria circa atrium, aut Tabernaculum: quam-
obrem 1. Num. dicitur; *Porrò Levitæ per gyrum Ta-
bernaculi figent tentoria, ne fiat indignatio ſuper multi-
tudinem filiorum Iſraël, & excubabunt in cuſtodiis Ta-
bernaculi teſtimonii.*

Ea propter certiſſimè nobis affirmandum erit; prius B
Tabernaculum erectum fuiſſe, omnibuſque ſuis par-
tibus abſolutum, atque perfectum; tectum etiam
ſuperimpoſitum, atque velaminibus ornatum, &
poſtmodum expiatum, ac ſacro oleo conſecratum,
tam Tabernaculum, quam reliqua illius utenſilia,
ut divino cultui conſecrarentur, ac ſupremi Numi-
nis, verique Dei habitaculum, & Tabernaculum
fierent; ſicque à prophanis uſibus omnino abſolve-
rentur. Qua etiam ratione non ſolum Tabernacu-
lum perfectum, ornatum, integratumque fuiſſe,
dicendum eſt; verum etiam omnia vaſa, & inſtru-
menta divini cultus, nimirum Arca, Menſa Panum
propoſitionis, Candelabrum, Altare aureum, & re- C
liqua eorumdem utenſilia, quæ ſacra cenſebantur,
& intra Tabernaculum reponebantur; prius ibi in-
tromiſſa fuiſſe, ſuiſque in locis apprimè collocata,
poſtmodum tam ipſa ſacra vaſa, quam ipſum ſacrum
Tabernaculum, ſacra unctione, ſuis ritibus, ac
cæremoniis, de quibus ſtatim dicemus, conſecrata.

Nec deſunt ſacræ Scripturæ teſtimonia, quæ al-
lata à nobis probabiliſſimæ rationi reſpondere oſten-
dant. Sumatur vel unus teſtis ex cap. 40. Exodi,
Deo Moyſi erectionem Tabernaculi præcipiente in
hæc verba: *Menſe primo, prima die menſis, eriges
Tabernaculum teſtimonii, & pones in eo Arcam, di-
mitteſque ante illam velum: & illata Menſa pones ſuper* D
*eam, quæ ritè præcepta ſunt. Candelabrum ſtabit cum
lucernis ſuis, & Altare aureum, in quo adoletur in-
cenſum coram Arca teſtimonii: tentorium in introitu
Tabernaculi teſtimonii pones, &c.* & ibidem paulo in-
fra; quo ordine Moyſes Dei, ac Domini juſſa ex-
pleverit, ſic narratur: *Fecitque Moyſes omnia, quæ
præceperat Dominus. Igitur menſe primo anni ſecundi,
prima die menſis, collocatum eſt Tabernaculum, ere-
xitque Moyſes illud, & poſuit tabulas ac baſes, & ve-
ctes, ſtatuitque columnas, & expandit tectum ſuper Ta-
bernaculum Teſtimonii, impoſito deſuper operimento,
ſicut Dominus imperaverat.* Nudi Tabernaculi, nu-
da & abſoluta conſtructio in his enarratur; cui Ar- E
cæ, reliquorumque conſtitutio, ac ſuis in locis de-
bita diſpoſitio ſubinfertur, cum ſubditur: *Poſuit &
teſtimonium in Arca, ſubductis infra vectibus, & ora-
culum deſuper. Cumque intuliſſet Arcam in Taberna-
culum, appendit ante eam velum, ut expleret Domini
juſſionem: poſuit & Menſam in Tabernaculo teſtimonii,
ad plagam Septentrionalem extra velum, ordinatis co-
ram Propoſitionis panibus; ſicut præceperat Dominus Moy-
ſi. poſuit & Candelabrum in Tabernaculo teſtimonii e re-
gione menſæ in parte Auſtrali, locatis per ordinem lucer-
nis, juxta præceptum Domini. poſuit & altare aureum
ſub tecto teſtimonii contra velum, & adolevit ſuper eo
incenſum aromatum, ſicut juſſerat Dominus Moyſi. po-* F
ſuit & tentorium in introitu Tabernaculi teſtimonii. Et
licet in his poſtremis ſacræ Scripturæ verbis, ut in-
fra monſtrabitur, erectionis ſimul, ac conſecratio-
nis, ſacer textus meminerit; in ipſa tamen Taber-
naculi erectione; ordo etiam quorumcunque ad ip-
ſum attinentium ideò oſtenditur: ut prius unum-
quodque ſuis in locis diſpoſitum fuiſſe, quam ſacra-
retur; apertiſſimè demonſtraretur. Cum verò in textu dicitur: *Et adolevit ſuper eum incenſum aromatum.* locus iſte, omnia ſuperius dicta minimè facta fuiſſe tunc cum erecta fuerunt, & in Tabernaculum inducta probat; quia nefas erat in Altari thymiama incendere ante illius conſecrationem, quæ tantum die octava menſis abſoluta fuit: igitur locus debet interpretari, quod incenſum Moyſes poſtmodum adoleverit, cum illud Altare, & Tabernaculum conſecraſſet. Multa enim per anticipationem in Divinis oraculis enarrantur; quæ poſtmodum executioni mandata fuere. illo igitur ordine Moyſen ea feciſſe conſtat; quia ſubinferuntur hæc verba: *Sicut juſſerat Dominus.* Is autem illa omnia fieri juſſerat, non quando Tabernaculum erigebatur; ſed quando poſtmodum Tabernaculum, Altare, & reliqua omnia, quæ in Tabernaculo erant, conſecrata fuiſſent. Tunc enim panes ſupra menſam impoſiti fuere; tunc lucernæ in Candelabro ordinatæ dicuntur; tunc tandem ſacrum thymiama ſuavi odore ſacrum Tabernaculum complevit, foculo in altari aureo accenſo, & denique dimiſſis velis Sanctum Sanctorum à ſancto, & integrum Tabernaculum ab atrio ſejunctum fuit.

CAP. XXXIV.

Expiatio, & Conſecratio ſacri Tabernaculi explicatur.

Ad loca Exodi 4. *Et aſſumpto unctionis oleo unges Tabernaculum cum vaſis ſuis.* Levit. 8. *Obtulit & vitulum pro peccato. Cumque ſuper caput ejus poſuiſſet Aaron, & filii ejus manus ſuas, immolavit eum: hauriens ſanguinem, & tincto digito, tetigit cornua altaris per gyrum. quo expiato & ſanctificato, fudit reliquum ſanguinem ad fundamenta ejus.* & ad alia.

RELIQUUM eſt in Conſecratione ſacri Tabernaculi, & reliquorum omnium utenſilium, aliqua de quibus ſubdubitari poteſt, in medium afferre. Cum primis verò inquirendus erit ſanguinis uſus, an nimirum in conſecrando Dei Tabernaculo, ſacri olei unctionem, aliquod genus expiationis præcederet: aut aliqua alia ratione aqua, vel ſanguine Tabernaculum ante unctionem luſtraretur, aut expiaretur. qua quidem in difficultate Abulen. quæſt. 8. in cap. 6. Num. & q. 5. in cap. 8. Levit. in quo agitur de Altaris expiatione, partem negantem pro viribus defendit; nec ſolum hoc de Tabernaculo cenſet; ſed etiam de altari holocauſtorum, ac ſimiliter de quibuſcumque aliis utenſilibus, ac ſacris vaſis, tam altarium, quàm etiam Tabernaculi, illud idem ſentire cogitur. quapropter explicans verba illa in expiatione altaris, quæ habentur Lev. 8. in quibus dicitur: *Obtulit & vitulum pro peccato. cumque ſuper caput ejus poſuiſſet Aaron, & filii ejus manus ſuas, immolavit eum hauriens ſanguinem, & tincto digito, tetigit cornua altaris per gyrum, quo expiato & ſanctificato, fudit reliquum ſanguinem ad fundamenta ejus.* poſtrema verba, dicta putat à ſacro ſcriptore; non quod verè altare expiaretur; ſed quod ſupra illud altare ſacrificium expiationis pro peccato offerretur: ut homines peccatis irretiti, ab eiſdem ſacrificiis expiarentur. pro Abulenſi ejuſque ſectatoribus, Philo ſtare videtur lib. 3. de vita Moyſ. nullam enim animalium mactationem præceſſiſſe unctionem ſcribit. imò poſtquam narravit Pontificis, ſacri Tabernaculi, & reliquorum utenſilium unctionem, animalia mactata fuiſſe tradit; quæ Conſecrationi Tabernaculi, atque utenſilium, & Sacerdotum initiationi erant in obſequium.

Se-

Secus verò omnino ab Abulenſi dicendum videtur A ; ſacrum nimirum Tabernaculum , ſacro oleo minimè delibutum fuiſſe , donec ejuſdem expiatio per ſanguinem præceſſiſſet. itaque manus quas veteres Idololatræ poſtibus templorum adhibuerunt ; nos in ſacri Tabernaculi conſecratione , oleo & ſanguini quodammodo adhibitas fuiſſe dicimus : eo ducti argumento , quod neque altaris holocauſti , neque æneæ illius conchæ , in qua aqua luſtralis aſſervabatur , neque Sacerdotum , neque veſtium ſacerdotalium per oleum Conſecrationem , in Scripturis divinis legamus, quin earumdem rerum expiatio per ſanguinem præceſſerit ; ſaltem ſacro oleo ſanguini admixto. quapropter , quod Tabernaculi conſecratio B parvo negotio per ſolam linitionem ex ſacro oleo abſolveretur , ut tradit Nicolaus de Lira ; falſum , atque commentitium arbitror.

Hæc probabiliſſimis conjecturis , atque auctoritatibus perſpicua fient ; tum ex Scripturis ſacris , tum ex Joſepho lib. 3. antiq. c. 9. ea tamen conditione ; ut prius Arca , & Candelabrum , & Menſa panum propoſitionum , & Altare aureum intra Tabernaculum fuerint collocata , ſuiſque in ſedibus ritè , ac debitè diſpoſita , ut jam oſtendimus , quam ſacro oleo una cum ſacro Tabernaculo linirentur.

Audiamus quæſo Joſephum cap. 12. pag. 89. ea quæ docuimus verbis perſpicuis aperientem , cum C loquitur de conſecratione Tabernaculi jam completi, & undequaque abſoluti in hæc verba : *κἀκ τοῦ αἵματος τῶν τεθυμένων τήν τε στολὴν τοῦ Ἀαρῶνος , καὶ αὐτὸν σὺν τοῖς παισὶν ἔῤῥαινεν , ἀφαγνίσας πηγαίοις τε ὕδασι , καὶ μύρῳ , ἵνα τοῦ θεοῦ γίγνοιντο. ἐπὶ μὲν οὖν ἡμέρας ἑπτὰ , τοῦτον τὸν τρόπον αὐτούς τε καὶ τὰς στολὰς ἐθεράπευε , τήν τε σκηνὴν , καὶ τὰ περὶ αὐτὴν σκεύη ἐλαίῳ τε προτεθυμιωμένῳ , καθὼς εἶπον , καὶ τῷ αἵματι τῶν ταύρων , καὶ κριῶν σφαγέντων καθ᾽ ἑκάστην ἡμέραν ἑνὸς κατὰ γένος.* hoc eſt , *Deinde ſanguine mactatorum ſtolam Aaronis , & ipſum cum filiis aſperſit ; purificans fontanis aquis , ac unguento , ut Dei fierent ; atque hoc modo ſeptem dies , ipſos & ſtolas curabat ; tabernaculum item , & ejus vaſa unguento præparato D , ut dicebam , & ſanguine taurorum , & arietum qui ſinguli de ſuo genere quotidie mactantur.* Ad probandam Tabernaculi expiationem nihil apertius dicere Joſephus potuiſſet : fuit enim Sacerdos in Jeruſalem , atque propterea omnes ritus Conſecrationis optimè noviſſe, æquum eſt credere ; ac propterea verbis ipſius ſtandum , ex quibus utenſilium omnium expiatio aperitur.

Nec ſolum Tabernaculi expiatio ex his Joſephi verbis hauritur ; ſed ejuſdem luſtratio per aquam. nam de luſtratione Sacerdotum dixerat , *ἀφαγνίσας πηγαίοις τε ὕδασι* , hoc eſt , *Purificans fontanis aquis.* ſimiliter de Tabernaculo ſubdit : *ἐθεράπευε τὴν τε* E *σκηνήν* , *Purificavit Tabernaculum.* Quæ duo verba quamvis pro quacumque interdum ſumantur purificatione ; præſertim pro luſtratione nunc videntur ſumenda. Doctiores meliora videant. nunc de expiatione noſter eſt ſermo. quamobrem teſtimonio Joſephi probatum remanet in Conſecratione illorum , quæ ad Tabernaculum pertinebant , expiationem præceſſiſſe Conſecrationem. Ratione etiam expiatio oſtenditur. Nam ad divinum cultum , non ſolum Sacerdotes , ſed etiam altaria , & Tabernaculum conſecrabantur ; ſed inexpiata Conſecrationi apta non erant : igitur ſanguine non ſolum Sacerdotes , ſed etiam Tabernaculum , cum omnibus quæ ad illud F pertinebant , à Moyſe conſperſa fuerunt; ut ſanguine expiarentur , ac poſtmodum unguento , ſacroque oleo , divino cultui manciparentur.

Videamus modo quid de hac Tabernaculi , atque altarium expiatione , ſacræ litteræ tradant , dum de anniverſaria expiatione Tabernaculi in lib. Levit. cap. 16. agunt ; in quo etiam ritus expiationis Sanctuarii , per ſeptenam ſanguinis cum digito aſperſionem explicantur ; ſanguinis inquam vituli , pro peccato oblati : & ſubdit textus : *Juxta hunc ritum faciet* , ſupple Aaron , *Tabernaculo teſtimonii , quod fixum eſt inter eos in medio ſordium habitationis eorum.*

Quæ quidem ſacri Tabernaculi expiatio , Sacerdotum expiationem præcedebat. non quidem Pontificis , quia quemadmodum in prima Tabernaculi erectione Moyſes vices Pontificatus ſupplendo , ſacra utenſilia expiavit , & conſecravit ; ita Aaronis ſucceſſor & Pontifex illud idem anniverſariè peragebat : atque propterea licet Pontificis expiationem , Tabernaculi expiatio non præcederet , reliquorum tamen Sacerdotum expiationem præcedebat. Sic enim dicitur ibidem, *Expiabit autem Sacerdos* , hoc eſt Summus Sacerdos , *qui unctus fuerit , & cujus manus initiatæ ſunt , ut Sacerdotio fungatur pro patre ſuo , indueturque ſtola linea , & veſtibus ſanctis : & expiabit Sanctuarium , & Tabernaculum Teſtimonii , atque altare, Sacerdotes quoque , & univerſum populum.* hoc eſt ſanguine expiabit Sanctum Sanctorum , reliquum Tabernaculi , Altare quod eſt in atrio , deinde Sacerdotes , & denique univerſum populum. Itaque expiatio Tabernaculi , expiationem Sacerdotum præcedebat , quando jam in anniverſaria expiatione Sacerdotes , ac Pontifex conſecrati erant. Rationabilius igitur quando nec Pontifex , nec Sacerdotes conſecrati habebantur ; Tabernaculi expiationem reliquorum expiationem præceſſiſſe dicendum erit ; atque re vera Tabernaculum expiatum fuiſſe. Quod autem expiatio Tabernaculi ſanguine fieret, præter Joſephum, ſacer etiam textus loco proximè citato habet num. 15. dicens : *Cumque mactaverit hircum pro peccato populi , inferet ſanguinem ejus intra velum , ſicut præceptum eſt de ſanguine vituli , ut aſpergat è regione oraculi , & expiet Sanctuarium ab immunditiis filiorum Iſraël , & à prævaricationibus eorum , cunctiſque peccatis , juxta hunc ritum faciet Tabernaculo teſtimonii.* & paulò infra dicitur : *Poſtquam emundaverit Sanctuarium , & Tabernaculum , & Altare* , &c. Tabernaculum igitur expiabatur : & hæc expiatio ſanguine fiebat , ſicut de more fiebat cum aliis , ut infra oſtendemus. in prima igitur Tabernaculi erectione, expiatio præceſſit Conſecrationem.

Aliquis fortaſſe cum Abulenſi ea ratione , nequaquam tunc primo ſanguine expiandum Tabernaculum fuiſſe exiſtimabit ; quia recens conſtructum , in deſerto erigebatur , atque propterea nec dum peccatis populi fuerat prophanatum ; quemadmodum cum per annum jam inter Iſraëlitas perduraſſet , eorumdem peccatis inquinatum , ex more veterum credebatur. ſic enim dicitur loco jam citato : *Et expiet Sanctuarium ab immunditiis filiorum Iſraël , & à prævaricationibus eorum , cunctiſque peccatis.* Animadvertant quæſo iſti , ſe toto erraſſe cœlo : nam quicquid non eſt Deo ſacrum , prophanum eſſe reputatur : quamobrem quicquid de novo Deo dedicatur ; cùm uſque ad illud tempus prophanum fuerit , non ſolum luſtratione , ſed expiatione , & conſecratione indigere liquido conſtat. Argumentari enim poſſumus à pari de Altari , & Tabernaculo. nam ſacrificiorum altare , quam immunditiam contraxerat in illius primæva erectione ? aut quibus ſordibus in peccatis filiorum Iſraël ſorduerat ? concha illa ænea ad luſtrationem Sacerdotum poſita , quas maculas ex peccatis filiorum Iſraël contraxerat ? & nihilominus tam altare , quam illa ænea concha , ſanguine expianda mandantur , cum primo eriguntur ; ut infra ex ſacris litteris probabitur. quinimo à conſecratione Altaris holocauſtorum , & conchæ æneæ , quæ erant extra Tabernaculum ; à fortiori argumentari licet , ejuſdem ſacri Tabernaculi expiationem in prima ejuſdem erectio-

erectione, atque conſecratione. in eo enim quotidie ſacrum incenſum thymiamatis à Sacerdotibus offerebatur; in eodem ob ejus ſanctitatem, omnibus laicis ingreſſus interdicebatur, ad poſtremum uſque diem expiationem antecedentem; imò etiam in ipſo expiationis die, nemini ingreſſus in Tabernaculum, non tantum non permittebatur, quinimò per viginti cubitos, omnes ſeparabantur à quocumque ſacri atrii latere; cujus termini cortinis, & columnis ſtatuebantur, ac decernebatur quouſque laicis venire concederetur. nec dici poteſt expiandum Tabernaculum in die anniverſario, quod aliquod ſacrificii genus, pro peccatis populorum in illo offerretur; nullæ enim in eo victimæ pro peccatis populorum cremabantur: quamobrem nullam poterat altare aliquando, ex commercio populorum contraxiſſe maculam: nihilominus ſanguine expiandum, ſemel in anno præcipitur; tanto rigore, ut hircum pro peccato in altari offerre minimè liceret; niſi prius Sanctuarium, Tabernaculum, & Altare ſacrificiorum expiata fuiſſent. Igitur etiam cum primum Tabernaculum collocatum fuit, antequam divino cultui deſtinaretur, ſanguine expiandum fuiſſe, indubitatum erit.

Quamvis verò in conſecratione Tabernaculi, unctio expiationem ſequeretur, ut diximus, ut Tabernaculum ſanctificaretur; ſolius tamen ſanguinis expiatione, tabernaculum, aut altaria, ac reliqua utenſilia ſanctificari minimè poterant: nec enim ſacrum, aut ſanctum aliquid habebatur; quod ſacro unguento unctum non fuiſſet, ut habetur Exodi cap. 40. ubi agitur de uſu hujus unguenti in hæc verba: *Et aſſumpto unctionis oleo, unges Tabernaculum cum vaſis ſuis; ut ſanctificentur.* Sanctificatio autem hic dicitur, pro eodem quod conſecrare; hoc enim vocabulum tanquam compoſitum ex *cum*, & *ſacro*, hujus ſignificationem ſequitur: propterea, ſicut ſacrum ſumitur, tam in bonam, quàm in malam partem; ſic etiam conſecratum, & conſecrare: ſed in malam partem non accipitur, niſi per reſpectum ad irata Numina, juxta ſubjecti rationem, quod conſecratur: quamobrem dicitur aliquis homo Diis conſecratus, in malam partem; nimirum pro adeò ſceleſto homine, qui ne ſuis criminibus commaculet alios, ab eiſdem ſegregandus ſit; & Diis devovendus; ut de illo vindictam ſumant, & pro ſceleribus, atque criminibus divino juſſu, vel exilio, vel morte à reliquis ſegregetur, aut igne abſumatur: in quo ſenſu ſumitur etiam verbum græcum ἀνάθημα, latinè enunciatum *anathema*, in ſacris oraculis vulgatæ editionis; ſic etiam appellantur à Polluce ἀναθήματα ſacra donaria; quæque Diis devota erant; quamobrem lib. 1. cap. 1. num. 24. dicit ἀνάθημα ποιήσασθαι, ἀναθεῖναι εἰς τὸν νεών, hoc eſt, *anathema facere, eſt templo dedicare.* proprio autem vocabulo hebraicè, illud idem per dictionem חֵרֶם *cherem* ſignificatur, qua ratione dixit Joſue ad filios Iſraël cap. 6. de Jericunte. *Vociferamini, tradidit enim vobis Dominus Civitatem, ſitque civitas hac anathema.* & infra. *Vos autem cavete ne de his, quæ præcepta ſunt, quippiam contingatis, & ſitis prævaricationis rei, & omnia caſtra Iſraël turbentur. quidquid autem auri & argenti fuerit, & vaſorum æneorum ac ferri, Domino conſecretur, repoſitum in theſauris ejus.*

In bonam vero partem conſecrare, eſt aliquid religioſum facere, & Deo ſanctum, ut dicit Cornel. Front. Itaque vocabulum conſecrare ex ſui natura, dicit aliquid devovere Deo in cultum religionis, & in obſequium miniſteriorum, quæ piè à miniſtris Deo offeruntur. Hebraicè dicitur illud idem קִדֵּשׁ *qhides*, hoc eſt, *ſanctificare*, vel etiam חָנַךְ *chanach*, hoc eſt, gratum facere. Quamobrem ſi licet ab Etymologia argumentum ſignificationis ſumere; di-

A cemus conſecrare, eſſe aliquid Deo mancipare, ut in *l. ſi quando, 3. cap. de bon. vac.* quo verbo uſus eſt Juli. in verſione novel. 6. pro verbo græco χειροτονεῖσθαι, quod ſignificat *manus* imponere. Hoc enim modo ceptos conſecrari in Eccleſia Chriſti Epiſcopos, liber Actuum Apoſtolorum planè docet; in quo per impoſitionem manus Spiritum ſanctum recipiebant, qui Evangelii diſſeminandi cauſa ab Apoſtolis aliquo mittebantur.

Quamvis verò optimè conſecrare per verbum καθιερόω, vel ἁγιάζω dici poſſit; quaſi per conſecrationem aliquid divinum fiat: in quo ſenſu de Sacerdotibus dicitur Exo. 29. *Sed & hoc facies, ut mihi*
B *in Sacerdotio conſecrentur.* & infra. *Et tiaram in capite ejus, & laminam ſanctam ſuper tiaram, & oleum unctionis ſuper caput ejus, atque hoc ritu conſecrabitur.* & cap. 40. ejuſdem libri dicitur de Tabernaculo, & omnibus illius utenſilibus. *Et aſſumpto unctionis oleo, unges Tabernaculum cum vaſis ſuis, ut ſanctificentur. Altare holocauſti, & omnia vaſa ejus, Labrum cum baſi ſua, omnia unctionis oleo conſecrabis, ut ſint Sancta Sanctorum.* Sicque paſſim, ac frequentiſſimè in divinis oraculis; præſertim in noſtro textu, cum tamen in Græcis exemplaribus verbum ἁγιάζω legatur. Verbum tamen χειροθονέω, me judice, rectius quam reliqua vocabula exprimit vim dictionis *con-*
C *ſecrare*, cum manuum impoſitionem ſignificet; & ſine opere manuum conſecratio, in piam ſignificationem nulla ratione accipi poteſt. Quamobrem non ſolum in Eccleſia Chriſti, in ſacramentorum adminiſtratione varia manuum impoſitio requiritur; cum primis in ſacramento Ordinis, atque Epiſcopalis dignitatis; verum etiam apud veteres, prophanæ religionis ſectatores, in conſecrationibus, manus cum primis in numero habebantur. Refert enim Alex. ab Alex. lib. 6. gen. dier. cap. 14. quod is, qui Templum dedicabat, poſtem ejuſdem Templi tenere cogebatur; aliquo Pontifice præeunte, qui certa quædam, & ſolemnia verba effaretur. quod etiam teſta-
D tur Val. Max. lib. 5. cap. 10. & ante hunc Cicer. in orat. pro domo ſua: *Verbone Pontifices putatis*, inquit, *ſi is poſtem tenuerit, & aliquid dixerit, domum uniuſcujuſque conſecrari poſſe?* & ibid. *Poſtem teneri in dodicatione oportere videor.* ita Cicero. ex quibus liquet poſtem tenere debuiſſe eum, quem Senatus dedicationi præfeciſſet; licet in dedicanda ara, vel ſimulacro manus minimè requirerentur, ut docet Alex. ab Alex. ubi ſupra. Nec ſolum manibus, poſtes Templi, vel Tabernaculi tenebantur, ab his qui Idola colebant, ſed ſabina etiam herba manibus geſtabatur, ut idem auctor ſcribit. in omni igitur Conſecratione manuum miniſterium fuiſſe neceſſarium
E perſpicuum ſit.

Verum nec poſtes Templi Salomonem tenuiſſe, nec tentoria Tabernaculi Moyſem manibus in Conſecratione illorum apprehendiſſe legimus, nec putamus: quia Salomoni Sacerdotum ingredi atrium non permittebatur; in quo Sacerdotum atrio Templi poſtes aperiebantur. nec Moyſen Sacerdotem, & Ducem populi id feciſſe legimus; nondum Aarone conſecrato, qui præiret, verbaque proferret: nec enim idololatræ ſacra tractare noverant; niſi per quamdam κακοζηλίαν, nec nobis ſuadere debemus omnia illos noviſſe, quæ ad Conſecrationem pertinebant: aut ſacra oracula omnino prophanis ritibus, ac uſibus
F coarctanda ſunt; ut velimus, quæ apud eos leguntur, in ſacris etiam apparere litteris.

Moyſen igitur in dedicationibus, & conſecrationibus non poſti, ſed oleo manum admoviſſe legimus Exodi 40. dicente Spiritu ſancto: *Et aſſumpto unctionis oleo, unges Tabernaculum cum vaſis ſuis, ut ſanctificentur altare holocauſti, & omnia vaſa ejus, labrum cum baſi ſua, omnia unctionis oleo conſecrabis, ut*

ſint

ſint Sancta Sanctorum. & paſſim oleo omnia conſecrata leguntur in Scripturis.

In quibus verbis adhuc requirendum relinquitur: an hæc Tabernaculi ſacra unctio, aſperſione fieret, an verò linitione. Si enim aſperſione fiebat; ambigendum adhuc ſupereſt; an hæc aſperſio inſtrumento aliquo, an miniſterio digitorum fieret, & ita aſpergendum ſacro oleo Tabernaculum fuerit. His enim tribus modis manus in Conſecratione adhibitas conſtat. verum dubitandi locum ademit interpretatio, quam noſter vulgatus habet Levit. 8. de hac unctione loquens in hæc verba: *Tulit & unctionis oleum, quo linivit Tabernaculum cum omni ſuppellectili ſua.* Quæ verba in hebraico Codice ſic legenda eſſent: *Tulit quoque Moyſes oleum unctionis, & unxit Tabernaculum, & omnia quæ in illo erant, ſanctificans ea.* Quamvis igitur hebraica exemplaria, non explicent modum unctionis; id explicat in verbo *linivit*, interpres vulgatus. Utrum verò id fieret, in angulis Tabernaculi formata Græca littera K, ut dixit Nicolaus de Lyra, niſi librariorum in meis exemplaribus ſatis pervetuſtis error adſit; vel Græca *Chi*, in hunc modum X, ut docet Rabbi Salomon, vel alio modo, incertum omninò remanet. quamobrem ſi aliter aliis ſentiendum videbitur; illorum judicio decernenda relinquuntur. Sufficiat nobis olei inunctione, atque linitione Tabernaculum conſecratum cenſeri.

CAP. XXXV.

Sacræ Arcæ materia aperitur, & forma, quam aliqui ponunt improbatur.

Ad loca Exodi 25. *Arcam de lignis ſetim compingite, cujus longitudo habeat duos & ſemis cubitos: latitudo cubitum & dimidium: altitudo cubitum ſimiliter, ac ſemiſſem*, &c. Ibid. 26. *Facies & velum de hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & byſſo retorta, opere plumario & pulchra varietate contextum: quod appendes ante quatuor columnas de lignis ſetim, quæ ipſæ quidem deauratæ erunt, & habebunt capita aurea.* & ad alia plura.

TOTUM ſacrum Dei Tabernaculum duabus partibus dividebatur; nimirum in anteriori, & poſteriori, quæ ad Occidentem vergebat, & ſex columnis retro, ſive tabulis claudebatur; & à reliquo Tabernaculo quatuor columnis ſeparabatur; non quidem inſimul junctis ſicut reliquæ, quæ parietes conſtituebant; ſed inter ſe ea ratione diſtinctis, atque diſpoſitis, ut veli ſuſpenſuram columnæ tenerent; adytus ſummo Pontifici tantum aperirent; cæteris verò ita præcluderent, ut nec videre poſſent quid ibi haberetur intra Sanctum Sanctorum. Hæc Tabernaculi pars Sanctior, ut vidimus, dicebatur; quia in ea Deus reſponſa conſulentibus dabat, & ea quæ ad bellum, pacemque exercitus Iſraëlitici pertinebant, ipſe unus decernebat. diceretur apud Latinos Adytum, Oraculum, & ſacratior Templi pars. Hoc igitur Sanctum Sanctorum, quod tertiam totius Tabernaculi partem occupabat, decemque cubitorum erat, claritatis gratia jam ſupra cap. 33. delineatum dedimus. In hac igitur ſacratiori Tabernaculi parte, ſacram Arcam ſervari, præcepit Deus, unà cum ſuis vectibus; quibus deferri de loco ad locum poſſet; ſi quando caſtra movenda eſſent. De his ſic dicitur in ſacro textu, Exodi 26. *Facies & velum de hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & byſſo retorta, opere plumario, & pulchra varietate contex-*

A *tum; quod appendes ante quatuor columnas de lignis ſetim, quæ ipſæ quidem deauratæ erunt, & habebunt capita aurea, ſed baſes argenteas. Inſeretur autem velum per circulos, intra quod pones Arcam teſtimonii; quo & ſanctuarium & ſanctuarii ſanctuaria dividentur. Pones & propitiatorium ſuper Arcam teſtimonii in Sancto Sanctorum.*

Hæc loca ſacratiora religionis, quæ Sancta Sanctorum in ſacris litteris dicta fuere, Oracula dicebantur ab Ethnicis, quia in eo idola oracula edere putabantur: quamobrem communia fieri oſtenti, atque prodigii loco illi accipiebant. hac de cauſa Herodian. lib. 1. urbem conflagraſſe ſcribens ſub Commodo Marci filio; eam conflagrationem inter prodigia recenſet: ea cum primis de ratione, quod Palladium in templo Veſtæ ſacrum, viſum palam fuerit. ſic enim ſcribit: καταφλέξαν δὲ τὸ πῦρ τόν τε νεὼν, καὶ πάντα τὸν περίβολον ἐπενεμήθη, καὶ τὰ πλεῖστα τῆς πόλεως, καὶ κάλλιστα ἔργα. ὅτε καὶ τῆς ἑστίας τοῦ νεὼ καταφλεχθέντος ὑπὸ τοῦ πυρὸς, γυμνωθὲν ὤφθη τὸ τῆς Παλλάδος ἄγαλμα, ὃ σέβουσί τε, καὶ κρύπτουσι ῥωμαῖοι, κομισθὲν ἀπὸ Τροΐας ὡς λόγος, ὅτε πρῶτον, καὶ μετὰ τὴν ἀπ' ἰλίου εἰς ἰταλίαν ἄφιξιν, εἶδον οἱ καθ' ἡμᾶς ἄνθρωποι. ἁρπάσασαι γὰρ τὸ ἄγαλμα αἱ τῆς ἑστίας ἱέρειαι παρθένοι, διὰ μέσης τῆς ἱερᾶς ὁδοῦ εἰς τὴν τοῦ βασιλέως αὐλὴν μετεκόμισαν. Quæ ſic interpretantur: *Ignis autem, templo, ſupple Pacis, incenſo, & omnem circuitum, & plurima pulcherrimaque ædificia urbis abſumſit: ubi poſtea quam Veſtæ fanum eodem incendio hauſtum fuiſſet, apparuit nudatum Palladis ſimulacrum, quod colunt & in abdito habent Romani, Troja, ut fama eſt, allatum, & ab eorum in Italiam appulſu, tum primum noſtri ævi hominibus conſpectum. Quum enim Virgines Veſtæ Sacerdotes hoc ſimulacrum rapuiſſent, per mediam ſacram viam ad ædes imperatorias id tranſtulerunt.* Simile incendium dolens Ovidius lib. 6. Faſtor. num. 437. & referens quæ Metellus magnæ fortitudinis vir fecerit, ab incendio Palladium, & reliqua ſacra ſurripiens; ait:

Heu quantum timuere Patres, quo tempore Veſta
Arſit, & eſt adytis obruta pæne ſuis.
Flagrabant ſancti ſceleratis ignibus ignes:
Miſtaque erat flammæ flamma profana piæ.
Attonitæ flebant demiſſo crine miniſtræ:
Abſtulerat vires corporis ipſe timor.
Provolat in medium, & magna, Succurrite, voce,
Non eſt auxilium flere, Metellus ait.
Pignora virgineis fatalia tollite palmis:
Non ea ſunt voto, ſed rapienda manu.
Me miſerum! dubitatis, ait. dubitare videbat,
Et pavidas poſito procubuiſſe genu.
Haurit aquas: tollenſque manus, Ignoſcite, dixit,
Sacra: vir intrabo non adeunda viro.
Si ſcelus eſt; in me commiſſi pœna redundet:
Sit capitis damno Roma ſoluta mei.

Ex quibus perſpicue cognoſcitur loca in templis habuiſſe idololatras, in quibus omnibus aditus occludebatur, & ſanctiora, atque ſacratiora religionis aſſervabantur: quæ prophanari, quavis occaſione, mali ominis arbitrabantur; ut vidimus ex Herodiano, & Ovidio: quæ loca Penetralia, Penum, Adytum, & Sacraria etiam dicebantur; illaque adire præterquam Sacerdoti Summo, ſummum nefas exiſtimabant. ut de Heliogabalo idem quoque Herodianus ſcripſit lib. 5. dum Deos quoque illuderet, Palladiſque ſimulacrum afferri juſſiſſet, ut Deo ſuo conjugem quæreret: cui dotis loco, omnium templorum donaria auferri voluit, ſuoque idolo dari. Nam etiam Ælius Lampridius in Heliogabalo ſic ſcribit: *Sacra Populi Romani ſublatis penetralibus prophanavit. ignem perpetuum extinguere voluit.* & infra: *Et in penum Veſtæ, quod ſolæ virgines, ſolique Pontifices adeunt irrupit, pollutus ipſe omni contagione morum*

morum, cum iis qui ſe polluerant. & penetrale ſacrum eſt auferre conatus, cumque ſeriam, quaſi veram rapuiſſet, quoniam Virgo maxima falſam monſtraverat, atque in ea nihil reperiſſet; applosam fregit; nec tamen quicquam religioni dempſit; quia plures ſimiles factæ dicuntur, ne quis veram unquam poſſit auferre. hæc cum ita eſſent, ſignum tamen quod Palladium eſſe credebat abſtulit, & auro fictum in ſui Dei templo locavit. Matris etiam Deûm ſacra accepit; & adeo debacchatus eſt, ut typum eriperit, & alia ſacra quæ penitus habentur condita. & infra: *Lapides qui Divi dicuntur, ex proprio templo Dianæ Laodiceæ, ex adyto ſuo, in quo eos Oreſtes poſuerat, afferre voluit.* hæc ex Lampridio allata ſunt. In quibus nobis minimè diſputandum erit, quinam ſint Divi Lapides Dianæ, de quibus rectè, me judice, Jacob. Guth. lib. 3. de jure Pontif. cap. 5. neque cum criticis, quærenda ſunt lectionis menda, & alia reponenda. Sed ſatis cenſemus probaſſe, unius teſtimonio, tam Romanos, quam Græcos in ſuis templis, ſacratiora habuiſſe loca, in quibus ſacratiora quoque religionis reponerent. neque fas eſſet niſi ſolis Pontificibus ſummis, maximiſque, loca illa adire. ſicuti etiam ſacrum Dei tabernaculum, in cujus ſanctiori, ac ſecretiori parte Dei juſſu, Arca fœderis collocata fuit, de qua ſic Philo lib. 3. de vita Moyſ. ἡ δὲ κιβωτὸς ἐν ἀδύτῳ καὶ ἀβάτῳ τῶν καταπετασμάτων εἴσω, κεχρυσωμένη πολυτελῶς ἔνδοθεν καὶ ἔξωθεν ἧς ἐπίθεμα ὡσανεὶ πῶμα, τὸ λεγόμενον ἐν ἱεραῖς βίβλοις ἱλαστήριον. hoc eſt, *Arca autem in adyto, intra vela poſita eſt, inaurata pretioſiſſimè intus & foris, cui quaſi operculum impoſitum eſt, dictum in ſacris libris Propitiatorium.*

In hujus ſacræ Arcæ forma minimè mihi laborandum exiſtimabam; nam in ea è latebris eruenda Ariam Montanum, Torniellum, Joannem Baptiſtam Villalpandum, Abulenſem, & alios me doctiores, feliciſſimè laboraſſe cognoveram: cuncta nihilominus, quæ ad illius fabricam ſpectant contemplando; plurima in eorum lucubrationibus deſideranda videor videre; quæ totam illius ſtructuram illuſtrent. ut illorum igitur ſtudia, noſtrique labores appareant; ſacræ Arcæ nomina, materia, & forma conſiderandæ erunt: & in forma in qua major apparet difficultas, Arcam ipſam, operculum, ſive Propitiatorium, duos Cherubinos, & Cherubinorum alas ſigillatim contemplabimur, annulos etiam & vectes ad Arcam hinc inde transferendam, quibus diligentiſſimè contemplatis totius Arcæ fabrica perſpicua fiet.

Aliquid igitur de ejus nominibus dicenda remanent, ut ſacræ Arcæ notitia plena habeatur. nam Arcam dici ab arcendo fures, ſunt aliqui ex Latinis, qui dicant: hanc autem ſacram Arcam, de qua loquimur; & quæ in Tabernaculo Dei ſanctiorem tenebat locum, ſimilitudine tantum, & nomine Arcam dictam arbitramur. Arca enim quæ communibus uſibus ſervit, hebraicè תבה *thebhah* dici ſolet; hanc autem de qua loquimur ארון *haron* in ſacris oraculis dictam conſtat: fortaſſe ab ארן *heren*, quod *lignum cedri*, ex quo ſimilia utenſilia apud Iſraëlitas parabantur; ac propterea eo nomine ſignificabantur: ſed divinæ litteræ variis adjunctis, cum de ſacra, aut communi Arca loquuntur, ſeſe explicant. aliquando enim Arca fœderis hæc ſacra dicitur, aliquando Arca Teſtimonii appellatur; interdum Arca ſanctificationis, diverſaque tandem ſortitur nomina, juxta diverſitatem reſpectuum, quos in populis Iſraëlitis operabatur.

Dicebatur enim Arca fœderis; quia Deus pacto cum Iſraëlitis convenerat, de introducendo eos in terram promiſſionis; nimirum in regiones Cananæorum; ſuamque præſentiam, ac opem illi populo, quouſque in eam regionem introduceretur, ſpoponderat: quamobrem quia ratione pacti, nube ſuper Tabernaculum exiſtente, id caverat Deus; propterea Arcam fœderis illam appellari voluit. Arca teſtimonii dicebatur, ratione tabularum Legis, digito Dei ſcriptarum, quæ teſtimonium appellantur ſæpiſſimè in ſacris litteris, ut cap. 25. Exo. dicitur: *Reſpiciantque ſe mutuo verſis vultibus in Propitiatorium, quo operienda eſt Arca, in qua pones teſtimonium, quod dabo tibi.* Erant enim tabulæ illæ, quaſi chirographum pacti initi, inter Deum & populum Iſraëliticum, quo populus obligabatur ad obſervantiam, & cultum Dei, juxta leges ab ipſo latas, in quibus ille conſenſerat. Denique dicebatur Arca Sanctificationis, Sanctuarii, ſive Sanctitatis; quia inter ſanctiora vaſa Deo dicata, principem tenebat locum; & in ſanctiori adyto locum habebat, tum etiam quia ſanctificationis oleo inuncta, tota undique conſecrata erat; nec ab aliquo contrectari, ſed nec videri poterat, præterquam à Sacerdotibus Deo conſecratis, ſacroque oleo inunctis; ac propterea tota illa Arca ſanctificata, ſanctificationis etiam erat iis, qui eam contrectaſſent, aut vidiſſent, aut denique debito cultu venerati fuiſſent. Supra eam duo Cherubim erant, hinc inde in illius extremitatibus poſiti; de quorum forma nobis ſtatim agendum erit.


Ad ea quæ ſub pedibus duorum Cherubim jacebant, nimirum ad Arcam deſcendamus. Hæc tota erat lignea, in extremitatibus, ad latera, & in plano inferiori, circumquaque aureis laminis tam intus, quam foris tecta; ita tamen ut in plano ſuperiori circumcirca corona aurea circùm gyraretur, & tandem tabula quadam tegeretur, atque clauderetur; non quidem lignea, aut laminis aureis contecta, ſed tota ex ſolido auro: quæ tabula & ſacræ Arcæ clauſura, intra auream coronam complectebatur; ut compagines Arcæ, ac tabulæ aureæ, foris nulla ratione apparerent. Dicebatur tabula hebraicè הכפרת *haccaporet*, ideſt *tegumentum*, *coopertorium*, ea enim ſacra Arca omnino claudebatur, atque operiebatur. hoc negant aliqui, ſed potius ſuſpenſam eam arbitrantur, ſupra Arcam manibus duorum Seraphim ſuſtentatam. ita Villalpandus eam habet in ſua de ſanctuario templi delineata figura: verum dictio hebraica הכפרת *haccapporeth*, quo vocabulo hæc tabula nominatur, in ſacris codicibus, illius ſententiæ omnino repugnat: eſt enim à radice כפר & ſignificat *cooperire*, contactu ejus rei, quæ operitur, ita ut claudatur; ſicut ex pluribus ſacræ Scripturæ locis patet; quamobrem collocanda erit hæc tabula ſupra Arcam, ita ut omnino eam claudat, ſicut etiam Joſephus apertiſſimè dixit lib. 3. Antiq. cap 6. in illis verbis: στρόφιγξί τε χρυσοῖς τὸ ἐπίθεμα προσηνωμένον εἶχεν θαυμαστῶς, ὃ πανταχόθεν ἴσον ἦν, κατ' οὐδέτερον μέρος ἐξοχαῖς τὴν συναρμοσίαν λυμαινόμενον. hoc eſt, *Cardinibus autem aureis tegmen coaptatum habebat mirabiliter, quod undique æquale erat, neutra ex parte concinnitatem extantiis minuens.* non eſt igitur cur ſupra Arcam, medio in aëre elevetur hæc tabula; ſed Arcam omnino claudat, neceſſe eſt. Græcè dicitur ἱλαστήριον, & latinè *Propitiatorium:* vel quia, ut puto, præcepta moralia ea in Arca claudebantur; quæ qui obſervaverit, Deum propitium certo habebit; juxta illud Salvatoris noſtri, *hoc fac & vives:* vel etiam quia cum expiaretur populus & tabernaculum, & utenſilia illius; hæc tantum ſacræ Arcæ pars ſanguine, expiationis cauſa, conſpergebatur. Dicitur etiam aliquando oraculum, quia erat quaſi ſuppedaneum divini tribunalis, unde ipſe oracula edebat.

De materia duorum Cherubim nihil dicendum remanet, cum eſſent aurea. ſic enim de his dicitur Exodi 25. *Duos quoque Cherubim aureos, & productiles facies ex utraque parte oraculi.* Ne quis verò

laminis

laminis aureis, & vacuos faciendos hos Cherubim arbitraretur; in textu Cherubim faciendi dicuntur ex auro ductiles. Quamvis verò ductile dicatur, quod facile malleis extenditur; hoc aurum non propterea tale dicitur, quod auro in laminis extenſo malleo illi fieri deberent; ſed aurum ductile hic dicitur, vel ad ſignificandam hujus auri excellentiam, quo Cherubim effigiabantur; nimirum ex auro puro, quod facile malleis ducitur. vel aurum ductile dicitur, quod in typum aurum liquefactum projiciendum eſſet. Hebraicè enim apertiſſimè dicitur זָהָב מִקְשֶׁה *zahabh miqscheh*, ideſt *aurum ſolidum*, aurum durum. nam dictio קָשָׁה *qhaſchah*, à qua illa formatur, ſignificat durum, & difficile aliquid eſſe. Itaque metallum dicitur durum, quod non eſt inane, aut vacuum, ſed ſolidum, ex quo auro Cherubim hos faciendos, voluit Deus. Græca exemplaria habent *χρυσᾶ τορευτά, aurea tornata.* hoc eſt, ex auro torno elaborato. Non quidem, quod Cherubim torno elaborari poſſent; ſed tale appellatur metallum ſolidum & non inane, aut vacuum; vel etiam quia hos duos Cherubim, cum ſtriis ſub pedibus effigiari neceſſarium fuit; ut in ipſa aurea tabula, quam ſub pedibus habebant rectè firmarentur, inconcuſsèque ſtarent.

Cherubim forma majorem difficultatem habet: nam duorum Cherubinorum pedes, fuerintne in humana ſpecie facti, ut voluit Arias Montanus, an vitulina, ut Villalpandus, & alii ſenſerunt, res eſt adeò incerta, ut nihil certi in his decerni poſſit. Nulla verò ratione admittenda videtur Joannis Baptiſtæ Villalpandi, aut illorum ſententia, qui ſacræ hujus Arcæ coronidem inferiorem, duorum Cherubim baſim conſtituunt, & in ea diſpoſitione Cherubinos ſtatuunt per extrema Arcæ; qua hanc ſupra femora, & circa umbilicum ipſorum elevantes, Propitiatorium non quidem ejuſdem Arcæ tegumentum, ita ut Arcam claudat, ſtatuunt; ſed ſupra Arcam tantiſper elevatum, duorum Cherubim manibus ſuſtentatum, medio in aëre ſuſpendunt. huic enim formæ repugnant veteres Hebræorum Scriptores, & ſacra quoque oracula. nam Philo Judæus, qui Arcam, ut in templo jacuerat, ſaltem ex traditione optimè noverat, Propitiatorium baſim ſcribit; in qua duo Cherubim ſuſtentarentur. ſic enim ait: *τὸ δ' ἐπίθεμα τὸ προσαγορευόμενον ἱλαστήριον, βάσις ἐπὶ τῶν πτηνῶν δυοῖν, ἃ πατρίᾳ γλώττῃ προσαγορεύεται χερουβίμ, ὡς δ' ἂν Ἕλληνες εἴποιεν, ἐπίγνωσις, καὶ ἐπιστήμη πολλή.* hoc eſt, *Operculum autem appellatum Propitiatorium, baſis eſt duorum volucrum, quæ paterna lingua appellantur Cherubim, utque græcè dicatur, ſcientia & doctrina multa.* Quamobrem Iconem ſacræ Arcæ ex Villalpando, hic Fig. A. delineari ſtuduimus, ut quæ diximus, & dicenda remanent clariora fiant.



Joſephus quoque loco jam citato, de hac Arca loquitur dicens: *τῷ δ' ἐπιθέματι αὐτῆς ἦσαν πρόσυποι δύο, χερουβεὶς μὲν αὐτοὺς ἑβραῖοι καλοῦσιν.* hoc eſt, *Operculo quidem illius, hoc eſt Arcæ, erant duæ figurationes, Hebræi Cherubinos quidem illos dicunt.* Fuit autem Joſephus Hieroſolymitanus Sacerdos, nobilis genere, Magiſtratibus in propria gente inſignis, doctiſſimus per omnia, & ob ſolam ſummam ſcientiam, Veſpaſiano, ac Tito carus: quamobrem ſcientiæ cauſa dubitandum minimè erit, quin veram ſacræ Arcæ formam cognoverit. Quibus quidem duorum Scriptorum teſtimoniis liquet, Arcam non bene figurari, niſi Propitiatorium, ejuſdem Arcæ operculum, baſis etiam duorum Cherubim conſtituatur. in quo quidem graviſſimè deceptum Joannem Baptiſtam Villalpandum, res eſt notiſſima, in eam, quam ex ejus fabrica Templi ſacræ Arcæ figuram, jam ſupra delineatam monſtravimus.

Nam præterquam quod ab hac forma, multa deeſſe, ex his quæ habentur in ſacris textibus videntur: nimirum duorum Cherubinorum alæ, & alia multa quæ capite ſequenti monſtrabuntur; diſplicet quammaximè Propitiatorium, manibus duorum Cherubinorum ſuſtentatum, ſacramque Arcam nulla ratione claudens, aut tegens, ut ex dictis, & allatis Joſephi, atque Philonis teſtimoniis fieri debuiſſet. Quorum teſtimonia quam conſentanea ſint cum his, quæ in ſacris dicuntur litteris, textus ſacer declarat, dicens cap. 37. Exodi: *Duos etiam Cherubin auro ductili* (ſupple, fecerunt Beſeleel & Oliab) *quos poſuit ex utraque parte Propitiatorii, Cherub unum in ſummitate unius partis, & Cherub alterum in ſummitate alterius partis: duos Cherubim in ſingulis ſummitatibus Propitiatorii, extendentes alas, & tegentes Propitiatorium, ſeque mutuo, & illud reſpicientes.* hæc ſacer textus: ex quibus liquet, Propitiatorium ſacræ hu-

hujus Arcæ , pedum quoque Cherubim baſim , & ſuppedaneum fuiſſe. non enim jubet Deus fieri Cherubinos in ſummitate extremorum ſacræ Arcæ , aut in ejuſdem extremis conſtitui ; ſed duabus extremitatibus Propitiatorii , duos Cherubinos ſtatui jubet. Igitur non Arca , ſed Propitiatorium , Cherubinorum ſuppedaneum ſtatuendum voluit ; & eodem Propitiatorio ſacram Arcam claudi , ac contegi.

Similiter dicendum eſt , non rectè figurari à Torniello , Aria Montano , & recentioribus aliis , qui Propitiatorium ſuppedaneum ſtatuunt ; & ſuper illud duos Cherubim ſeſe invicem alis complectentes : ita nimirum , ut unius alæ extenſæ , ſuis extremitatibus alterius Cherubim alas in extremis ſimiliter partibus ſecet ; ſic enim alas revera extendunt , atque expandunt , ut dicitur Exodi 25. ibid. Exodi 37. nequaquam verò ea ratione extendunt ; atque alas expandunt , ut Propitiatorium , quod Arcam operit, & ſub illorum pedibus jacet , tegatur ; ſed omnino intectum , atque diſcoopertum remanet contra præſcriptam à Deo formam. Mitto quòd ex Rabbinis de maſculino , ac feminino ſexu Arias Montanus in duobus Cherubim dixit. Sunt enim potius irridenda , quam complectenda viro Chriſtiano. hanc ex illis Scriptoribus commixtam Arcam delineatam dedimus. Fig. B. iconis præcedentis.

CAP. XXXVI.

Sacræ Arcæ vera forma oſtenditur.

Ad locum Exodi 25. *Duos quoque Cherubin aureos , & productiles facies ex utraque parte oraculi ; Cherub unus ſit in latere uno , & alter in altero , utrumque latus Propitiatorii tegant , expandentes alas , & operientes oraculum , reſpiciantque ſe mutuo verſis vultibus in Propitiatorium quo operienda eſt Arca.* Illuſtratur locus 1. Paralip. 28. *Ut ex ipſo fieret ſimilitudo quadrigæ Cherubin extendentium alas , & velantium Arcam fœderis Domini.* & ad alia plura.

VIDIMUS capitulo præcedenti materiam , tam Arcæ , quàm Cherubinorum , in quibus nulla eſt difficultas ; circa formam difficultas omnis verſatur. Quid doctiſſimi viri ſenſerint de hac forma aperuimus ; nunc quò noſtra tendant ſtudia explicare conabimur : & quid de forma Arcæ , ex ſacris oraculis excogitaverimus , pro viribus aperire tentabimus ; ut doctiores doctiora à nobis in medium afferant , quibus noſtra inſcitia aperiatur. Verum ne quòd à nobis dicetur , quis ſuſpicetur alienum à ſacro textu ; hic illud apponendum cenſuimus , ut in ſacris Bibliis jacet. Sic enim de forma Arcæ cap. 25. Exodi , in ſacro textu dicitur : *Arcam de lignis ſetim compingite , cujus longitudo habeat duos & ſemis cubitos : latitudo , cubitum & dimidium : altitudo, cubitum ſimiliter ac ſemiſſem. Et deaurabis eam auro mundiſſimo intus & foris : facieſque ſupra coronam auream per circuitum.* Hæc eadem habentur , tam de longitudine , quàm de latitudine , & ſtatura ipſius Arcæ in cap. 37. Exodi. & quia omnia , quæ ad cultum ſacrorum inſtituta fuere portatilia fieri debuerunt : propterea cogitandum fuit , qua ratione Arca portari poſſet , atque propterea de inſtrumentis quibus portaretur dicitur : *& quatuor circulos aureos , quos pones per quatuor Arcæ angulos : duo circuli ſint in latere uno , & duo in altero. Facies quoque vectes de lignis ſetim , & operies eos auro. Induceſque per circulos , qui ſunt in Arcæ lateribus , ut portetur in eis : qui ſemper erunt in circulis , nec unquam extrahentur ab eis.* ſunt autem in hac ſacra fabrica diſtinguenda ſuperiora ab inferioribus. In ſuperioribus enim habebantur Cherubim , & Propitiatorium , inferius Arca ipſa , ſi rigoroſè loquamur : non enim totum tribunal dicebatur Arca ; ſed ſolum , quæ ſub pedibus Cherubinorum erat , & Propitiatorio tegebatur. Quamobrem uſus quoque in tota hac fabrica diſtinguendus erit : & quidem de uſu Arcæ , quæ ejus erat formæ , ut in ea ſervarentur ſacræ legis tabulæ dicitur : *Poneſque in Arca teſtificationem quam dabo tibi :* ſicut etiam de eodem uſu dicitur parum infra : *In qua pones teſtimonium quod dabo tibi.* Erat autem, ſacræ huic Arcæ ligneæ , auro tectæ , ſuperius tegumentum totum aureum , quo Arca claudebatur ; erat etiam corona aurea qua complectebantur , quæ in circuitu per latera Arcæ habebantur. De tegminis longitudine , atque latitudine eadem docentur in ſacro textu , ac de Arca dictum fuerat. his verbis : *Facies & Propitiatorium de auro mundiſſimo : duos cubitos & dimidium tenebit longitudo ejus , & cubitum ac ſemiſſem latitudo.* Cum igitur Propitiatorium Arcæ operculum tetigimus, Cherubim contemplemur, de quibus dicitur : *Duos quoque Cherubim aureos & productiles facies , ex utraque parte oraculi. Cherub unus ſit in latere uno , & alter in altero. Utrumque latus Propitiatorii tegant expandentes alas , & operientes oraculum , reſpiciantque ſe mutuo verſis vultibus in Propitiatorium , quo operienda eſt Arca.* Horum Cherubim uſus nobis conſiderandus proponitur , & explicatur in ſacro textu illis verbis : *Inde præcipiam , & loquar ad te ſupra Propitiatorium , ac de medio duorum Cherubim , qui erunt ſuper Arcam teſtimonii , cuncta quæ mandabo per te filiis Iſraël.*

Poſtrema hujus ſacræ fabricæ pars , qua illius ſuperiora deſcribuntur , totius fabricæ formam nobis aperiet. Ex his enim conſtat ; ea ratione collocandos fuiſſe Cherubim , hinc inde ſupra Arcam , ut Dei ſedem conſtituerent ; & Imperatoris tribunal componerent. Conſuetudo enim fuit Principum omnium , in quacumque Republica , tribunalia , ſedeſque magnificentiſſimas , auro , gemmiſque contextas habere. nam & Virgil. lib. 1. Æneid. ſolium Didonis deſcribens in adventu Æneæ , ait :

> *Tum foribus Divæ , media teſtudine Templi*
> *Septa armis , ſolioque alto ſubnixa reſedit :*
> *Jura dabat , legeſque viris , operumque laborem*
> *Partibus æquabat juſtis , aut ſorte trahebat.*

Et quia in re nota verſamur , teſtimonio Scriptorum plurimorum minimè egemus. verum de hoc tribunali , Imperatoriaque ſede , quemadmodum etiam de proprio Tabernaculo ſibi parando , Deum nihil egiſſe conſtat ; quouſque populus , atque reliqui totius exercitus milites , in caſtra degentes , illum Ducem ſummum elegiſſent ; quod infra probabitur. nam & in caſtris tum Romæ , tum etiam in bello , tribunalia habuiſſe Imperatores Romanos conſtat. quamobrem Herodian. lib. 1. ubi Marci Imperatoris extremum diem narraſſet ; ſtatim Commodi electionem in Imperatorem ſcribens , ait : παρηγγέλθη τε δὴ πᾶσιν ἐλθεῖν εἰς τὸ εἰωθὸς πεδίον αὐτοὺς ὑποδέχεσθαι. προελθὼν δὲ ὁ Κόμμοδος , τάς τε βασιλείους θυσίας ἐπετέλει , καὶ βήματος αὐτῷ εἰς ὕψος ἀρθέντος ἐν μέσῳ τῷ στρατοπέδῳ , ἀνῆλθεν ἐπ᾽ αὐτό. hoc eſt : *Edictum itaque omnibus* (ſupple eſt) *ut præſto eſſent in campo , quò convenire frequentes conſueverant. Procedens autem Commodus , ſacrificavit regias victimas ; & ſuggeſtum ſibi in medio caſtrorum excitatum conſcendit.* Quin etiam aliquando in agro milites dum eſſent ; deque imperio , ac pro Imperatore agendum eſſet ; tribunal ex arborum frondibus eidem erexerunt , teſte Plin. in Panegyr. Trajano dicto : *Decora facies Conſulis* , inquit , *multa poſt ſecula tribunal viridi ceſpite extructum, nec faſcium tantum , ſed pilorum , ſignorumque honore cir-*

circumdatum. augebant majeſtatem Præſidentis, diverſi poſtulantium habitus, ac diſſonæ voces, raraque ſine interprete oratio. Imperatoriæ igitur conſuetudini indulgens, non ſolum tentorium more caſtrorum, ſed etiam in tentorio tribunal, ac ſolium ſibi conſtitui juſſit Deus; ex quo more Imperatorio expediret; tam quæ ad pacem, quam quæ ad bella pertinebant. quamobrem totius Arcæ fabricam formam ſolii Imperatorii habuiſſe, perſpicuum eſſe debet.

Clariora hæc fient tum Scriptorum teſtimonio, tum etiam ſacrarum litterarum auctoritate. nam Joſephus lib. 3. Antiq. cap. 6. de ſacra Arca ſcribens, affirmat Moyſem, propterea hos duos Cherubim Arcæ hinc inde apposuiſſe, quia illos viderat in Dei ſolio. ſic enim ait: Τῷ δ' ἐπιθέματι αὐτῆς ἦσαν πρόσυποι δύο, χερουβεὶς μὲν αὐτοὺς ἑβραῖοι καλοῦσιν. ζῶα δ' ἐστὶ πετεινά, μορφὴν δ' οὐδενὶ τῶν ὑπ' ἀνθρώπων ἑωραμένων παραπλήσια. μωϋσῆς δὲ φησὶν τῷ θρόνῳ τοῦ Θεοῦ προσυπεῖς ἑωρακέναι. hoc eſt, *Operculo autem ejus duæ effigies inerant. Cherubim quidem illos Hebræi appellant. animantia autem ſunt volucria, ſpecie quidem eorum quæ homines unquam viderint diſſimilia; Moyſes autem dixit, throno Dei figurata vidiſſe.* Itaque duos Cherubim, quos ſculpendos in ambobus ſacræ Arcæ extremis juſſit Moyſes; ea de ratione fecit, quia in divino tribunali eos viderat. quamobrem ad omnium ſtructuram, de quibus Moyſes cum Deo egit, nimirum ad Tabernaculum, & utenſilia illius ſæpè dicitur: *Fac illa juxta exemplar quod tibi in monte monſtratum eſt.* Duo igitur hi Cherubini divinum ſedile conſtituere debent, & ambo divinum tribunal: propterea enim dixit Deus, loquens de uſu horum Cherubim: *Inde præcipiam & loquar ad te ſupra Propitiatorium, atque de medio duorum Cherubim, qui erunt ſuper Arcam teſtimonii, cuncta quæ mandabo per te filiis Iſraël*; in quo Imperatoris formam ſervavit; dum aliquid militibus faciendum decernebat.

Minimè prætereamus divini imperii majeſtatem: Locum alloquutioni decernit ſupra oraculum de medio duorum Cherubim; quod etiam dicitur lib. Numer. cap. 7. n. 89. *Cumque ingrederetur Moyſes Tabernaculum fœderis, ut conſuleret oraculum, audiebat vocem loquentis ad ſe de Propitiatorio, quod erat ſuper Arcam teſtimonii inter duos Cherubim. unde & loquebatur ei.* Itaque quamvis Deus omnia impleat, & in quacunque parte Sancti Sanctorum eſſet, ac loqui Moyſi, atque Pontifici poſſet; quoquomodo, & quocumque in loco vellet; nihilominus locum ad loquendum inter duos Cherubim elegerat; ut more Imperatorio, ac Regio, de tribunali alloqueretur; ac propterea de medio duorum Cherubim, qui erant in extremis Arcæ; quaſi medius inter illos ſederet.

Nec omnino aliqua ſenſibili forma carere voluit Deus Optimus Maximus, omnino ineffabilis, & inviſibilis, dum Sacerdotem, aut Moyſem alloqueretur, ſed viſibili ſpecie veſtiri dignabatur. *Loquere ad Aaron fratrem tuum*, inquit Levit. 16. *ne omni tempore ingrediatur Sanctuarium, quod eſt intra velum coram Propitiatorio quo tegitur Arca, ut non moriatur, quia in nube apparebo ſuper oraculum.* Itaque Benedictus Deus viſibili forma, non quidem ſub nubeculæ ſpecie, ſed nube tectus, viſebatur ſupra Arcam à Moyſe, ab Aarone, & à Pontifice ſummo, Sanctum Sanctorum ingrediente; vel etiam in humana forma apparebat, ſed nubecula tectus. Nam de manifeſta & viſibili apparitione divina hæc intelligenda puto, ex illis verbis, *apparebo*, id eſt me videbit, quæ ex Hebræo clarius habentur; per hæc verba כִּי בֶּעָנָן אֵרָאֶה עַל־הַכַּפֹּרֶת hoc eſt, ut Sanctes Pagninus, & Montanus interpretantur, *Quia in nube conſpiciar ſuper Propitiatorium.* vel magis clarè, *Quia in nube videbor ſuper Propitiatorium.* hoc eſt, ſuper

A tegumentum claudens arcam. id enim ſignificat dictio הַכַּפֹּרֶת *hacaporeth.* græcè ſic dicitur: ἐν γὰρ νεφέλῃ ὀφθήσομαι ἐπὶ τοῦ ἱλαστηρίου. hoc eſt, *Etenim in nube manifeſtabor ſuper Propitiatorium.* itaque nequaquam in forma nubis, ſed humana, ut puto, forma, nube velatus videbatur Deus in Sancto Sanctorum.

Clarius adhuc firmari poſſunt iſta, argumento ſumpto à conformi apparitione Dei ſuper Arcam, dum Moyſen, & Sacerdotem quoque alloqueretur. nam Exodi 25. ubi de fabrica ſacræ Arcæ agitur & de duobus Cherubim, dicit Deus ad Moyſen: *Inde præcipiam, & loquar ad te de medio duorum Cherubim:*
B & eodem modo, ac forma dicebatur Deus de Propitiatorio, cum Aaron, & reliquis Sacerdotibus colloqui, quoties Sancta Sanctorum ingrediebantur; ut conſulerent ſacra oracula; licet id ſemper illis nequaquam conceſſum eſſet. tunc ſic argumentari licet; ſed Deus Moyſi loquebatur, בְּמַרְאֶה *bmareh*, viſibiliter & manifeſtè, ut dicitur Num. 12. *Et non in ænigmatibus*, וְלֹא בְּחִידֹת *veloh bechidoth*, id eſt, clarè & apertè, non verò in ambagibus, ut idola faciebant apud Gentiles וּתְמֻנַת יְהוָה יַבִּיט *utemunath Adonai jabit*, id eſt, *& figuram Domini aſpiciet.* ex quibus ſatis, me judice, manifeſtatur: Dominum in ſpecie viſibili ſe manifeſtaſſe, veluti Imperatorem ſedentem in
C ſolio, intra Sanctum Sanctorum, in medio duorum Cherubin. nam illa dictio תְּמֻנַת *temunath*, & illa alia מַרְאֶה *mareh*, nequaquam de glorioſa viſione, ſed tantum de ſpecie aliqua viſibili interpretari poſſunt: quòd ibi Deus videretur à Moyſe, ac reliquis Summis Sacerdotibus, qui eò ingrediebantur, quoties in die expiationis in Sancta Sanctorum illis ingredi concedebatur.

Quod autem aliqua forma, & non alia quam humana Deus conſpiceretur, multa ſunt loca ſacrarum litterarum; ex quibus id haurire poſſumus; nimirum à facie, ab ore, à pedibus, à modo ſedendi, à modo loquendi, & ſimilibus; quæ Deo apparenti in
D medio duorum Cherubim ſupra Arcam tribuuntur, & humanæ formæ ſunt propria. Nam de pedibus divinis dicitur Exodi 24. quando Benedictus Deus ſe conſpiciendum præbuit Moyſi, Aaron, Nadabo, Abiù, & Septuaginta de ſenioribus Iſraël. tunc enim dicuntur conſpexiſſe Deum: *Et viderunt*, inquit textus, *Deum Iſraël & ſub pedibus ejus, quaſi opus lapidis ſapphirini, & quaſi cœlum cum ſerenum eſt.* Itaque Deum in ea forma conſpexerunt, in qua pedes agnoverunt. de facie locus habetur Exodi 33. in quo
E dicitur: *Loquebatur autem Dominus ad Moyſem facie ad faciem, ſicut ſolet loqui homo ad amicum ſuum.* Itaque in ea figura humanæ faciei, quà homines naturaliter ornantur, & à cæteris brutis diſtinguuntur; in eadem Deus videbatur à Moyſe, eique colloquebatur: ut vox etiam & vocis articuli, in omnibus humanam imitarentur ſpeciem, ſonum & articulationem vocum, atque dictionum. de ore ac modo loquendi humano à Deo dicitur Numeri 12. cum Aaron, & Maria ſoror illius, contra Moyſem quoquomodo murmuraſſent: *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad illum. At non talis ſervus meus Moyſes, qui in omni domo mea fideliſſimus eſt. Ore enim ad os loquor ei, & palam, & non per ænigmata, & figuras*
F *Dominum videt.* In quo loco maximè notanda ſunt illa verba *ore ad os loquor ei.* Hebraicè פֶּה אֶל־פֶּה *peh hel peh*, ubi duo ora ſignificantur ejuſdem formæ; ita ut os divinum quo loquebatur ad Moyſem, ejuſdem eſſet formæ cum ore humano, quo Moyſes ſimiliter cum Deo loquebatur: loqui verò alicui ex ore eſt more humano loqui, & ex forma humana.

Quam Deum retinuiſſe à poſitura pariter figuræ, in

in qua conſpiciebatur; id eſt à forma ſedendi, non obſcure colligitur. Dicitur enim *ſedens* à Propheta in Pſalmo 79. laudante Deum à ſitu , & forma , illumque excitante ad ſuccurrendum populo , exercituique Iſraëlitico , nimis afflicto , & hoc ex debito Imperatorio : quamobrem reſpiciens ad figuram , in qua conſpiciebatur ſuper Arcam : *Qui ſedes ſuper Cherubim* , ait , *manifeſtare coram Ephraim* , &c. & in Pſalmo 98. *Dominus regnavit* , inquit Propheta , *iraſcantur populi. qui ſedes ſuper Cherubim* , *moveatur terra.* & alia plura ibi à Propheta dicuntur ; quæ Deum ut Imperatorem Iſraëlitici exercitus compellant. Cap. etiam 3. Daniel. pueri illi , qui in fornace ignita inter flammas Deum laudabant , laudes inchoantes à loco quem elegerat nimirum à Templo , illico ſe conferunt ad thronum , quod habebat in Templo, dicentes : *Benedictus es in throno regni tui* , *& ſuper laudabilis* , *& ſuperexaltatus in ſecula ;* & habito reſpectu ad illius tribunal , quo in Arca viſebatur , ſubdunt : *Benedictus es qui intueris abyſſos* , *& ſedes ſuper Cherubim.* Itaque ex his omnibus ſacris teſtimoniis , non obſcure colligitur Deum in ſpecie humana , non ſolum patribus ante latam legem , ſed Moyſi , Aaron , & Sacerdotibus omnibus , quouſque ſacra Arca in Templo Hieroſolymitano ſtetit , ſemper in humana ſpecie cunctis apparuiſſe , & viſum fuiſſe ſedentem ſupra Arcam , & in ea forma humana , oracula reddidiſſe.

De forma horum duorum Cherubim , qui Dei ſedem conſtituebant , quammaximè ambigitur ; non ſolum ratione diſpoſitionis , & poſituræ alarum ; de quibus poſtea dicemus ; ſed etiam de numero ambigitur, quot nimirum alis ipſi contegerentur. Duas illis communiter tribuunt, quatuor alii, verum cum ſæpiſſimè animadvertiſſem in illo Cantico Eccleſiaſtico , quod Patri Auguſtino tribuitur , verba illa , *Tibi Cherubim*, *& Seraphim inceſſabili voce proclamant*, & juxta doctrinam Gregorii hom. 34. in Evangel. Angelorum , atque Archangelorum nomina non naturæ , ſed muneris fuiſſe ; Cherubim quoque à Seraphinis minimè natura diſtingui arbitrabar ; ſed tantum munere. Licet ſpecificam diſtinctionem naturarum in ſanctis illis , ac ſupremis divinæ majeſtatis miniſtris , nequaquam negem ; ſed de externa tantum horum ſpirituum ſpecie reſpectu noſtri , & de Cherubinorum indiſtinctione à Seraphinis loquimur. Fulciebatur hæc mea opinio , quod apud Ezechielem comperiſſem , animalia alis diſtincta in Dei throno ſe vidiſſe ea forma , & hæc eadem animalia idem propheta Ezechiel appellat Cherubim. Iſaias quoque propheta ſcribens divinum thronum , Seraphim ſex alarum in eo agnovit. In qua quidem ſententia, lucubrationibus doctiſſimiſque ſtudiis Joan. Bapt. Villalpan. tom. 2. explanation. in Ezech. cap. 43. par. 2. lib. 4. cap. 36. quammaximè ſum adjutus. is enim adnotavit ex Clemen. Alexandr. lib. 5. Stromat. eaſdem imagines ſacræ Arcæ , quæ Cherubim dicuntur , eaſdem ab eodem Seraphim dici , & ſenas habere alas; quia in illis Clemens ſignificari voluit mundum ſenſibilem , qui duodecim Zodiaci ſignis diſtinguitur ; quæ ſignorum diſtinctio in duodecim alis ſignificatur , unicuique ſenæ ſi aſſignatæ fuerint alæ. hoc argumentum prolixe ab eodem auctore tractatur , ad quem Lectorem remittimus ; nobis ſit ſatis doctiſſimi viri ſententiam indicaſſe, cui libenter ſubſcribimus. nam facilius quæ dicenda ſuperſunt de ſacra Arca , Deique in Iſraëlitico exercitu , in medio caſtrorum Imperatorio ſolio , re vera explicabuntur.

Alia plura dicenda ſuperſunt, quibus duorum Cherubim forma magis adhuc explicatur , nunc ſtatim aperienda. In hoc enim ſolio Benedictus Deus reſponſa dabat ; ut ipſemet teſtatus eſt Moyſi, dicens:

A *Inde præcipiam* , *& loquar ad te ſupra Propitiatorium* , *atque de medio duorum Cherubim* , *qui erunt ſuper Arcam teſtimonii* , *cuncta quæ mandabo per te filiis Iſraël.* Ex quibus , & his quæ diximus de Imperatorio tribunali ; poſitura alarum duorum Cherubim expiſcanda erit ; quæ, licet abſtruſè, quòd illius ætatis conſuetudines antiquatæ ſint , ſacra oracula nos docuere , cum de illius fabrica loquerentur : & qualiter diſponendæ alæ duorum Cherubim fuerint, aperuerunt in illis verbis Exodi 25. *Vtrumque latus Propitiatorii tegant*, *expandentes alas*, *& operientes oraculum*, *reſpiciantque ſe mutuo verſis vultibus in Propitiatorium* , *quo operienda eſt Arca.* Quæ ſimiliter habentur ibi- B dem cap. 37. *Extendentes alas* , *& tegentes Propitiatorium* , *ſeque mutuo* , *& illud reſpicientes.* hæc ibi.

Itaque ſic diſponendi erant hi duo Cherubim , ut alis tegerent latera Propitiatorii. Dicuntur verò latera Propitiatorii extrema ejuſdem per longum , quæ quidem abſque dubio ſuperiori figura tegebantur ; ſed minimè Propitiatorium ipſum operiebatur. Præcipiuntur enim quatuor Cherubim facere ; tegere nimirum latera Propitiatorii , extendere alas , operire Propitiatorium , & denique illud idem intueri. ita tamen ut unoquoque Cherubino unica expandente ala, duabus ita tegeretur Propitiatorium ; ut tamen Propitiatorii latera , omnino tecta aliquo modo remane- C rent. Cum igitur Propitiatorium , ſive oraculum in ſacris inſtitutis diceretur tabula illa aurea , quæ omnino Arcam in plano ſuperiori tegebat , claudebat , atque ſub pedibus duorum Cherubim jacebat , & in ea Cherubim ſtantes erigebantur ; & duabus ſaltem alis Cherubim cogerentur Propitiatorium cooperire ; duas verò reliquas alas extenſas in ſuperiora habere , atque utrumque facere eiſdem alis perquam difficile videatur : ea ratione alæ duorum Cherubim diſponendæ erunt ; ut illi duabus tantum tegant Propitiatorium , reliquas verò duas in altum expandant , alis reliquis pudenda tegant , ſi quæ pudenda in his excogitari poſſunt ; quæ verò ad tergum habere ex- D cogitantur , quaſi in volatum efferant : nam humanam quandam formam habuiſſe Cherubinos, latè probat Villalpan. tom. 2. Explanat. in cap. 41. Ezechiel. par. 2. lib. 4. cap. 45. duabuſque alis texiſſe inferiora femorum , ex Forerio , & aliis doctiſſimè probat.

Si enim quatuor alæ duorum Cherubim in plano extendantur , atque conglomerentur ; re vera illas expandent Cherubim , tegentque laminam auream , nimirum Propitiatorium quo Arca clauditur ; ſed ita Propitiatorium alis tegetur , & alæ ante pectus duorum Cherubim conjungentur, atque conglutinabun- E tur ; ut proſpectandi Propitiatorium , duobus Cherubim nullus remaneat locus : cum tamen de eo proſpiciendo à Cherubinis , cum primis caviſſet Deus , in ſacræ Arcæ fabrica dicens ; *Reſpiciant ſe mutuo verſis vultibus in Propitiatorium.* quamvis igitur in planum quatuor alæ duorum Cherubim complicarentur ; & ubi ſedeat Imperator haberetur ; tamen ubi terga Imperatoris, ac ſedentis fulciantur non erit : neque re vera tribunalis , abſque fulcimento , & ſedili , forma ſervabitur.

Hac igitur ratione tota hæc fabrica effigiabitur ; ut nimirum ex quatuor alis ipſorum Cherubim , duæ anteriores extendantur in plano ante pectus duorum F Cherubim , ſimulque conglomerentur , conjungantur , atque complanentur , ad tribunalis ſedile conſtituendum. Quamobrem phraſis ſacri Hebraici textus notanda erit : bis enim loquitur de alis duorum Cherubim in plurali dicens : וְהָיוּ הַכְּרֻבִים פֹּרְשֵׂי כְנָפַיִם לְמַעְלָה סֹכְכִים בְּכַנְפֵיהֶם עַל־הַכַּפֹּרֶת , id eſt , *Et erunt Cherubim extendentes alas ad ſuperiora* , *obumbrantes in alis ipſorum ſuper Propitiatorium.* Duæ igitur alæ extendendæ erant in ſuperiora ; duæ aliæ alæ non dicuntur

tur

tur expandendæ ad ſuperiora, ſed his obumbran- A
dum Propitiatorium. ſicque dicitur etiam de illis in
ſacro vulgato textu, *Tegentes Propitiatorium*, he-
braicè סֹכְכִים בְּכַנְפֵיהֶם עַל־הַכַּפֹּרֶת *cooperientes in alis ipſorum*
ſuper Propitiatorium. idemque iiſdem verbis repetitur
cap. 37. ibidem; eſtque notanda dicendi phraſis in
illo verbo סֹכְכִים eſt enim à verbo סָכַךְ *ſachach*, & ſi-
gnificat *cooperire*, rem opertam non tangendo; ut
præclarè notant radicum hebraicarum auctores. ita-
que ſignificat aliquid ſuſpenſum ſuper id quod tegi-
tur. Græca exemplaria habent, συσκιάζοντες ταῖς
πτέρυξιν αὐτῶν ἐπὶ τοῦ ἱλαστηρίου. Aquila dixit σκεπά-
ζοντες. hoc eſt, *Obumbrantes alis ipſorum ſuper Propi-*
tiatorium. & ſecundum Aquilam *protegentes.* itaque B
ea ratione complanandæ fuerunt iſtæ duorum Che-
rubim alæ anteriores; ut nequaquam tangerent, aut
planum ſuperius Propitiatorii contegerent, ſed quo-
dammodo ante pectus duorum Cherubim contractæ
explanatæque, in medio aëre ſuſpenſæ, obumbra-
rent Propitiatorium, & tribunalis ſacri ſedile con-
ſtituerent.

Duæ reliquæ alæ Cherubim, nimirum quæ in po-
ſteriora humerorum, erant, expandendæque dicun-
tur in ſacro textu: at in hebraico, qua etiam in
parte expandendæ forent, explicatur dictione לְמַעְלָה
lemanglah, hoc eſt, *in altum.* his inquam duabus
ſimul conjunctis, & complicatis, conſtituebatur C
tribunalis ac ſolii fulcimentum; nimirum illud, cui
tergum ſedentis innititur. Capitibus verò duorum
Cherubim hinc inde exiſtentibus, Imperatoris bra-
chia ſuſtineri videbantur: quamobrem verſis vulti-
bus, & tantiſper inclinatis, ad reſpiciendum Propi-
tiatorium ab illa parte vacua & angulo, quem ala
converſa complanataque ad pectus reliquit; commo-
diſſimè inferiora pedum, atque Propitiatorium, Che-
rubini intueri poterant; quod volunt illa verba he-
braica capitis 25. וּפְנֵיהֶם אִישׁ אֶל־אָחִיו אֶל־הַכַּפֹּרֶת יִהְיוּ פְּנֵי
הַכְּרֻבִים hoc eſt, *Et facies illorum unius ad alterum, ad*
Propitiatorium erunt facies Cherubim. id eſt, conver-
ſæ ad Propitiatorium, & ad invicem erunt: quæ
forma duorum Cherubim verificari nequit, niſi tan-
tiſper inclinentur vultus illorum ad Propitiatorium,
quod ſub pedibus habebant.

Qua quidem alarum duorum Cherubim diſpoſitio-
ne, his quæ ſurſum elevabantur, poſterius Propi-
tiatorii latus tegebatur; anterius verò reliquis duabus
alis æquabatur, quæ ad conſtituendum ſacri hujus
tribunalis ſedile complanabantur. Sicque ex ſex alis
duorum Cherubim, duabus, quæ in humeris erant,
conſtituebatur tribunal, duabus inferioribus femora
tegebantur: duæ tandem reliquæ quaſi ad volatum
expandebantur. ut in hac noſtra Arcæ delineatione
conſtat. Fig. A.



 Hæc

Hac noſtra ſacræ Arcæ ſtructura, & Cherubinorum ſex alis, loca plurima ſacrarum litterarum nimis obſcura explicantur; cum primis quæ de Cherubinis poſitis à Salomone in templo Domini, ſtantibus in Sancto Sanctorum habentur. quamobrem miſſis his, quæ ab aliis dicuntur, atque elucubrantur; breviter quæ ſentiam aperiam. Nam illi duo Cherubim de lignis olivarum ideò facti, auroque tecti intra oraculum ſcribuntur; ut Dei Arcam in medio reciperent. Arcam nimirum cum ſuis Cherubinis, prout à Moyſe in deſerto, Dei juſſu conſtructa fuerat. ſic enim dicitur 3. Regum 6. *Et fecit in oraculo duos Cherubim de lignis olivarum decem cubitorum altitudinis.* & parum infra num. 28. dicitur: *Texit quoque Cherubim auro.* & 2. Paralip. cap. 3. dicitur: *Fecit etiam in domo Sanctorum Cherubim duos, opere ſtatuario, & texit eos auro.* Hi enim duo Cherubim non reſpiciebant Arcam; nec facies habebant verſus Arcam; ſed portas, quæ ad templum, & ſanctum exterius aperiebantur, proſpectabant. ut dicitur 2. Paralip. cap. 3. his verbis: *Ipſi autem*, ſupple Cherubim, *ſtabant erectis pedibus, & facies eorum erant verſæ ad exteriorem domum.*

Unuſquiſque ex illis duas alas ad tergum extendebat, ita ut una attingeret parietem Sancti Sanctorum; extremitate altera, extremum alæ alterius Cherubini, qui in eodem oraculo ſtabat. ut præclarè deſcribitur in ſacro textu, ibidem his verbis: *Alæ Cherubim viginti cubitis extendebantur, ita ut una ala haberet cubitos quinque, & tangeret parietem domus, & altera quinque cubitos habens, alam tangeret alterius Cherub: ſimiliter Cherub alterius ala, quinque habebat cubitos, & tangebat parietem, & ala ejus altera quinque cubitorum, ala Cherub alterius contingebat. igitur alæ utriuſque Cherubim expanſæ erant, & extendebantur per cubitos viginti.* hæc ſacer textus de alis duabus utriuſque Cherubim, qui ſtabant hinc inde ab Arca.

Verum præter has alas, duas alias in altum extenſas, Cherubinis his adſcribere cogimur; quibus ſuperius Arcam protegerent; ut dicitur 2. Paralip. cap. 5. num. 7. *Et intulerunt Sacerdotes Arcam fœderis Domini in locum ſuum, ideſt ad oraculum Templi in Sancta Sanctorum ſubter alas Cherubim: ita ut Cherubim expanderent alas ſuas ſuper locum in quo poſita erat Arca, & ipſam Arcam tegerent cum vectibus ſuis.* & 3. Reg. cap. 8. nu. 7. dicitur: *Siquidem Cherubim expandebant alas ſuper locum Arcæ, & protegebant Arcam, & vectes ejus deſuper.* Itaque præter alas, quas Cherubim à tergo Arcæ recta expandebant, à pariete unius lateris, ad alium parietem alterius lateris per viginti cubitos; alias quoque alas circa humeros Cherubinis damus; ut in altum his extenſis, per modum tegminis in ſuperiora tegerent Arcam, eamdem contegerent, atque obumbrarent, Arcam nimirum & vectes. Itaque non unam tantum alam ſinguli Cherubini extendere; ſed ſinguli ambas, quas ad humeros habebant, ſuper Arcam explanare cogebantur; ut Arcam, vectesque tegere poſſent; & per modum quadrigæ cooperire; ut David ſibi à Deo revelatum dixit; 1. Paralip. 28. nu. 18. his verbis: *Altari autem in quo adoletur incenſum, aurum puriſſimum dedit: ut ex ipſo fieret ſimilitudo quadrigæ Cherubim extendentium alas, & velantium Arcam fœderis Domini. Omnia, inquit, venerunt ſcripta manu Domini ad me, ut intelligerem vniverſa opera exemplaris.* & quia præter has alas, duas alias unicuique Cherubim tribuere decebat; quibus anteriora femorum operire poſſent; ſatis, ut puto, perſpicuum eſt, hos quoque Cherubim ſex alas habuiſſe, ut oracula oraculis reſpondeant. quamobrem Fig. B. iconis præcedentis quadrigam hanc delineandam curavimus, ut doctiores, ſacris oraculis magis conſona lucubrare non omittant.

CAP. XXXVII.

Conſecratio ſacræ Arcæ explicatur.

Ad loca Exodi 30. *Facieſque unctionis oleum ſanctum, unguentum compoſitum opere unguentarii, & unges ex eo Tabernaculum teſtimonii, & Arcam teſtamenti.* Levit. 16. *Tollet quoque de ſanguine vituli, & aſperget digito ſepties contra Propitiatorium ad Orientem.* & ad alia plura loca.

PHILONIS Judæi ſententiam requiri ſi velimus; in Conſecratione utenſilium ſacri Tabernaculi ab Altari holocauſtorum exordiri oportuiſſet: illud enim ſacro primum conſecratum oleo docet lib. 3. de vita Moyſ. dicens: ὡς δὲ ταῖς ἐσθήσεσιν ἤσκησεν αὐτοὺς, χρίσματος εὐωδεστάτου λαβὼν, ὃ μυρεψικῇ τέχνῃ κατειργάσθη, τὰ ἐν ὑπαίθρῳ πρῶτα, τόν τε βωμὸν, καὶ τὸν λουτῆρα κατέχριε, ἐπιῤῥαίνων ἑπτάκις. ἔπειτα τὴν σκηνὴν, καὶ τῶν ἱερῶν σκευῶν ἕκαστον, τὴν κιβωτὸν, τὴν λυχνίαν, τὸ θυμιατήριον, τὴν τράπεζαν, τὰ σπονδεῖα, τὰς φιάλας, τ᾽ ἄλλ᾽ ὅσα πρὸς θυσίας ἀναγκαῖα καὶ χρήσιμα. καὶ τελευταῖον προσαγαγὼν τὸν ἀρχιερέα πολλῷ λίπει τὴν κεφαλὴν ἀλείφει. hoc eſt, *Ut verò veſtibus veſtivit eos, unguentum odoratiſſimum accipiens, unguentaria arte confectum, ſubdialia primum, altare ſcilicet & labrum unxit, aſpergens ſepties. poſtmodum Tabernaculum, & ſacrorum vaſorum ſingula, arcam, candelabrum, altare incenſi, menſam, calyces, phialas, cæteraque ſacrificiis deſervientia. poſtremo adducens Pontificem, multo unguento caput unxit.* Philonis igitur ſententia fuit, altare holocauſtorum prius fuiſſe unctum, & labrum, quæ erant in atrio ſub dio, quam Tabernaculum, ac reliqua; quæ intra illud claudebantur. nec à ratione omninò aliena videntur, quæ à Philone dicuntur, nam ad expiationem, ſanguis neceſſario requirebatur, qui ſolo altari jam erecto, haberi poſſe cenſebatur. Nos verò ordinem ſequuti, de quo diximus cap. 25. Tabernaculi conſecrationem primum conſiderantes, ad interiora illius penetrabimus, nec ab illo recedemus, quouſque internorum etiam Tabernaculi vaſorum conſecrationem viderimus. Quia verò in ſacra Scriptura cum agitur de conſecratione Tabernaculi, ipſum quoque ſacro oleo fuiſſe unctum, & omnia quæ in illo erant, certiſſimè præcipitur; inde apertè conſtat, etiam ſacram Arcam cum vectibus, ſacro fuiſſe delibutam oleo, intus & foris, necnon etiam in ſuperiori parte ejuſdem Arcæ, oleo ſacro ſanctificatos fuiſſe Cherubinos, atque Propitiatorium, eorundem ſuppedaneum, & ſacræ Arcæ tegumentum; quod excellentiorem ejuſdem Arcæ locum tenebat.

Sacra igitur Arca in Sanctiori totius Tabernaculi parte collocata viſebatur. quemadmodum apud Ethnicos, & Gentiles ſanctiora idola, ac ſimulacra in adyto reponebantur; apud quos etiam uſu venit, ſimulacra oleo ſacrare, Numinique dedicare, ad cujus honorem ſimulacrum erigebatur. Auctore ut ferunt aliqui Liv. lib. 1. decad. 5. de ſimulacro Junonis, Romam advecto, & oleo conſecrato dicente: *In Templo ipſum quoque*, ſupple ſimulacrum, *prius unctione dicatum una cum ara, & pulvinari collocabatur.* Quibus profectò verbis aperit Livius, ſi germanus eſt locus, conſuetudinem fuiſſe Romanorum, unctione ſimulacra dedicare, & ad rem iſta plura Stuchius in libro de ſacrificiis pag. 55. & quamvis locus iſte nobis ſatis rem probaſſet; non incommodè tamen olei ſacri uſus in conſecrationibus ſuſpicari ex eo poteſt, quod in luſtrationibus veteres oleum adhibere ſolebant: ut auctor eſt Alex. ab Alex. lib. 5. gen. dier. cap. 27. ſed & Plutarch. in quæſt. Romanis à Stuchio, in lib. de ſacris antiquorum adducitur, pro multiplici uſu olei in conſecrandis præſertim ſimulacris. Saturni quoque ſimulacrum ligneum

neum, aliquando oleo repletum Stuch. refert, tum ut ſacraretur, tum ut à carie vindicaretur. ſed ego nihil hujuſmodi apud Plutarchum reperi; viderint alii: nobis ſufficiat veterum Ethnicorum æmulationem, cum ſacris veræ religionis inſinuaſſe, verumque Dei cultum in uſu olei ſacri, quoties conſecraretur res aliqua ex Dei mandato oſtendiſſe, ut ſacræ Arcæ conſecrationem à veteribus etiam imitatam monſtraremus.

Arcam igitur prius ſanguine expiatam, ut diximus de utenſilibus omnibus, oleo fuiſſe poſtmodum inunctam, ſicque conſecratam affirmamus. cujus conſecrationis ritus, atque cæremoniæ, tabularum legis introcluſione complebantur. Singulos ritus conſecrationis ſacræ Arcæ, ſi quis cognoſcere percuperet, inveſtiget ipſe. In Scripturis, aut aliis Scriptoribus, nihil haberi fateor; quamobrem divinandum cum ſit; dicerem totam ipſam Arcam intus, ac foris unà cum Cherubinis, prius aqua luſtrali ablutam; & hoc ſemel tantum, non per ſeptimanam: luſtratio autem præcedebat quamcumque conſecrationem, ut diximus, & ex ſacris, atque prophanis litteris probavimus. Luſtrationem ſequebatur expiatio; nihil enim conſecrabatur niſi prius expiaretur. Obſervandum eſt, aliquid dedicari Numini, ſolius oblatione laici, ut cum quis aliquid Numini offerret, & Sacerdos qui pro Numine ſtabat, acceptaſſet: tunc inter prophana illud jam non computaretur; nec prophano uſui deſervire poſſet. Oblatio ſacræ Arcæ ſcribitur Exodi 39. re jam oblata, ut fieret ſanctificationi apta, luſtrabatur aqua, vel igne, ſi bello capta fuiſſet. Sacra igitur utenſilia, aqua luſtranda fuerunt; ut capacia fierent conſecrationis: quæ cum luſtrata fuiſſent à ſordibus, ac prophanis maculis, quibus fortè commaculata fuerant, ex contactu immundorum hominum, aut alterius rei immundæ, ſanguine expianda erant; quia ut dicebat Apoſtolus, *ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio.* hoc eſt, non fit expiatio ab immunditiis. Quo autem ritu fuerit facta expiatio hæc; quamvis certo minimè ſciamus; dicerem tamen eo ritu factam, quo expiatio Dei juſſu die anniverſaria expiationis fieri ſolebat; de qua dicitur Levit. 16 his verbis: *Tollet quoque de ſanguine vituli, & aſperget digito ſepties contra Propitiatorium ad Orientem.* Quod autem tunc unico explebatur die, & ſingulari tantum aſperſione fiebat; in prima tamen ſacræ hujus Arcæ conſecratione ſepties faciendam arbitramur: ſemel nimirum ſingulo quoque die. Expiationem autem conſecratio ſequebatur; quæ ſacri olei unctione fiebat, ſepties repetita per ſeptem dies, quia tot requirebantur ad quamcumque conſecrationem; ut dicitur Levit. 8. & nos adhuc probabimus. In expiatione autem non tota ipſa Arca intus, ac foris ſanguine liniebatur; ſed tantum Propitiatorium ſanguine aſpergebatur: at verò copioſiorem uſum olei, eidem Arcæ, in Conſecratione concedimus; ut nimirum circumquaque eo inuncta fuerit, tam intus quàm foris: intus quidem tabularum legis cauſa, quæ digito Dei ſcriptæ, in ea ſervandæ fuerant: quamobrem conſecrari ſacro oleo, totam illam Arcam, æquum videbatur; ut nihil eſſet intus non ſacrum; quod tabulis illis, divinitate characterizatis contrectaretur. propterea nequaquam incluſas in ea Arca tabulas arbitramur; niſi conſecrationis, unctioniſque illius ſeptimana jam abſoluta: non enim tabulas illas lapideas, Dei ipſius digito ſacris characteribus cælatas Arcam claudi decens videbatur, ante ejuſdem Arcæ conſecrationem, tanti muneris profecto indignam.

Nam aurei Altaris ad thymiama quoque, ac reliquorum utenſilium conſecratio, miniſterio ad quod fuerant fabrefacta perficiebatur; nec ad illud mini-
A ſterium, ad quod deſtinata fuerant admittebantur; niſi poſt unctionem: igitur ſacra quoque Arca, quæ ad aſſervandum tabulas digito Dei cælatas deſtinata fuerat; earumdem tabularum conſervatione, conſecrationis ultimam manum recipiet.

Exterius verò, oleo perfuſam ſacram Arcam circumquaque propterea diximus; quia Dei tribunalis, ac ſolii præſeferebat ſpeciem vereque erat, ut diximus. Igitur ipſos quoque Cherubinos, in quorum medio Deus in humana ſpecie, veluti ſedens viſebatur; alas ipſorum etiam in quarum duabus inſidebat, innitebatur quoque Deus; capita Cherubinorum, quibus bra-
B chia ſedentis in ſolio ſuſtentari videbantur; ac tandem reliqua omnia oleo ſanctificari, rationi conſonum erat; quod ſanctitatis auctori in miniſterio futura forent. ſic enim de Cherubinis Joſephus lib 3. antiq. c. 8. loquitur: *Super tegmen verò ejus erant figurationes duæ, quas Hebræi Cherubim appellant, ſunt enim animalia volatilem habentia figuram, quæ à nullo hominum ſunt conſpecta. Hæc dixit Moyſes in Dei ſe conſpexiſſe ſede figurata.* Nec mirandum videtur Joſephum dixiſſe Cherubim animalia: erat enim veterum philoſophorum ſententia, Angelos quoque connumerandos inter animalia: quamobrem Porphyrius ait: *Sumus enim nos animalia, & Dii.* pedes pariter
C horum ſpirituum, qui ſummo Deo aſſiſtunt; quaſi plantas pedis vituli, ſe vidiſſe, dixit Ezechiel. ut propterea non immeritò juxta humanum conceptum; animalia dixerit Joſephus Cherubim.

Hæc igitur ſacra Arca oleo conſecrata, divina præſentia ſanctificabatur, atque perficiebatur. quamobrem Deus Optimus Maximus, non ſolum, ut vidimus, verbis hanc ſacram Arcam, ſuæ Majeſtatis tribunalis ſedem decrevit; ſed etiam propria præſentia declaravit; nube implente omne Tabernaculum ſtatim, atque illius conſecratio abſoluta fuit. Domino etiam præcipiente, ne pro libito Sacerdotes, aut Pontifex, ſacrum adytum ubi erat Arca ingrederen-
D tur; quia ibi ipſe reſidebat in nube; ſed tantum ſtatutis ab eo temporibus, & conditionibus ab eodem decretis: quamobrem Moyſi dixit; *Loquere ad Aaron fratrem tuum; ne omni tempore ingrediatur Sanctuarium, quod eſt intra velum, coram Propitiatorio quo tegitur Arca, ut non moriatur, (quia in nube apparebo ſuper oraculum) niſi hæc ante fecerit, &c.* dicitur verò intra parentheſim, *quia in nube apparebo ſuper oraculum:* quaſi voluerit Spiritus ſanctus, ſacrorum librorum auctor, aperire; quod alæ Cherubim, quæ ſupra oraculum extendebantur, velut ſedile ſe habebant; in quo Deus nube tectus ſedebat. Duo erant miniſteria ad quæ Arca deſtinabatur;
E nimirum ut ſolium in ea eſſet Dei; & ſacra Lex in ea aſſervaretur: hanc autem nequaquam intra Arcam clauſam fuiſſe conſtat; niſi abſoluta jam ſeptimana conſecrationis, quia tunc tantum nebula apparuit, quæ impleret Tabernaculum: per quam nebulam Deus aperire voluit; ſuam adeſſe præſentiam, jamque in ſolio, ac tribunali ſedere. Dixerat enim Levit. 16. ut vidimus ſe in nube ſeſſurum, in medio duorum Cherubim, ſuper Propitiatorium. quia igitur ſacrorum utenſilium conſecratio, ut diximus, uſu ejuſdem complebatur; munerum nimirum ad quæ illa deſtinata fuiſſent; propterea non prima die, non ſecunda, ſed tantum completa jam
F conſecratione; nebula ſuam Deus in Tabernaculo manifeſtavit præſentiam; ut rectè cuncta fuiſſe peracta ſignificaret; & ſe jam Regio more, in proprio Tribunali ſedentem, Iſraëlitæ venerarentur. ſic enim dicitur Exo. 40. *Poſtquam omnia perfecta ſunt, operuit nubes Tabernaculum teſtimonii, & gloria Domini implevit illud. Nec poterat Moyſes ingredi tectum fœderis nube operiente omnia, & Majeſtate Domini coruſcante.*

ruſcante, quia cuncta nubes operuerat. Quam conſuetudinem Deum ſervaſſe quoque legimus 3 Reg. 8. quando Salomon Templum Domino dedicavit; immiſſa namque Arca in Sanctum Sanctorum, nubes implevit omnia, ad divinam præſentiam in eo Templo declarandam.

CAP. XXXVIII.

Sacræ Menſæ Panum Propoſitionis forma monſtratur.

Ad Exodi 25. *Facies & menſam de lignis ſetim, habentem duos cubitos longitudinis, & in latitudine cubitum, & in altitudine cubitum ac ſemiſſem. Et inaurabis eam auro puriſſimo: facieſque illi labium aureum per circuitum, & ipſi labio coronam interraſilem altam quatuor digitis: & ſuper illam, alteram coronam aureolam. Quatuor quoque circulos aureos præparabis, & pones eos in quatuor angulis ejuſdem menſæ per ſingulos pedes. Subter coronam erunt circuli aurei, ut mittantur vectes per eos, & poſſit menſa portari. Ipſos quoque vectes facies de lignis ſetim, & circumdabis auro ad ſubvehendam menſam.* & ad alia plura.

SANCTO Sanctorum egrediamur: ſacratiſſimi loci dignitatem piè veriti. quamobrem velo demiſſo, quo ſanctiora, & Sanctum Sanctorum claudebatur; ſacram auream menſam in ſancto extra velum adeamus. Quæ quidem pari modo, ut de Arca diximus, ſanguine expiata, ſacroque oleo ſimiliter inuncta, impoſitione ſacrorum Panum Propoſitionis, divino cultui mancipabatur; ſicque illius conſecratio abſolvebatur. De ea ſic loquitur ſacer textus Exodi 40. *Menſe primo, prima die menſis, eriges Tabernaculum Teſtimonii, & pones in eo Arcam, dimitteſque ante illam velum, & illata menſa pones ſuper eam, quæ rite præcepta ſunt.* & infra, in eodem capitulo, explicans ſacer textus, quænam intelligantur poſita à Moyſe ſuper menſam, & ritè à Deo præcepta, ſubdit: *Poſuit & menſam in Tabernaculo Teſtimonii, ad plagam Septentrionalem extra velum, ordinatis coram Propoſitionis panibus ſicut præceperat Dominus Moyſi.* & cap. 25. de utenſilibus dicitur: *Parabis & acetabula & phialas, thuribula & cyathos, in quibus offerenda ſunt libamina, ex auro puriſſimo, & pones ſuper menſam panes Propoſitionis in conſpectu meo ſemper.* Capite verò 37. diſtinctè agitur de ſacræ menſæ utenſilibus per hæc verba: *Et vaſa ad diverſos uſus menſæ,* ſupple fecerunt Beſeleel & Oliab, *acetabula, phialas, & cyathos, & thuribula ex auro puro, in quibus offerenda ſunt libamina.* Quæ omnia utenſilia, ſacranda cum menſa jubebantur.

Quamobrem nobis ante Conſecrationem, contemplanda erunt menſa, annuli, vectes, acetabula, phialæ, cyathi, & thuribula; ut ſacræ hujus menſæ, quantum fieri poteſt, plena notitia habeatur. & de vectibus quidem nihil conſiderandum remanet, præter id quod dictum eſt, cum de Arca ſermo eſſet: nimirum fuiſſe haſtas quaſdam, ſive dolones ligneos, laminis aureis contectos, quibus menſa, in transferendo Tabernaculo, hinc inde portaretur.
F Non eſt tamen prætereundum Joſephum adnotaſſe, vectes hujus menſæ, non immitti in annulos immediatè, ſed quibuſdam fibulis annulos & ſuperiora menſæ comprehendendo, in hos vectes intromitti conſueviſſe, quibus Menſa portaretur. ſic enim dicit: *δι' ὧν ἵεσαν στελεοὶ χρύσεοι ξύλου τὰ νέρθεν ὄντες ἐξαίρετοι. κοῖλον γὰρ εἶχεν ἐπ' αὐτοῖς τὸ κατὰ τοὺς κρίκους κοινωθέντας. οὐδὲ γὰρ εἰσὶν διηνεκεῖς, ἀλλὰ πρὶν συνελθεῖν εἰς τὸ ἄπει-*
A *ρον, εἰς περονίδας τὴν ἀρχὴν τελευτῶντες ὧν ἡ μὲν εἰς τὸ περιανέχον ἐμβαίνει τῆς τραπέζης, ἡ δὲ εἰς τὸν πόδα, καὶ τούτοις κατὰ τὰς ὁδοὺς ἐκομίζετο.* hoc eſt; *Per quos,* ſupple annulos, *immittebantur vectes firmiſſimi auri, internè lignei exiſtentes: vacuitatem enim habebat ſuper illos, quæ per annulos inſerebatur. neque enim erant continui, ſed antequam in infinitum convenirent in fibulas, ſecundum principium deſinebant. quarum una prominentem partem menſæ ingrediebatur, altera in pedem, & his per viam ferebatur.* Quæ licet ſatis aſperè à Joſepho deſcripta ſint, tamen ex phraſi hebræo-græca, modo quo poteſt deſcribitur. Certum eſt his fibulatis zonis quas phrygionicas fuiſſe credendum eſt, minus
B quaſſari menſam dum vectibus portaretur. vera ſint, necne alii viderint. Ribera lib. 2. de temp. cap. 10. lucem attuliſſe videtur, huic Joſephi loco, dicens: *Et per ſingulos pedes inerant annuli ferè circa ſummum pedem, adhibebanturque utrinque duo ceu manubria è ligno firmiſſimo deaurata, quæ non per circulum utrumque, ut vectes trajiciebantur, ſed fibulato morſu, menſæ labrum supernè, infernè pedis annulum comprehendendo, facultatem transferendi quocumque opus eſſet præbebant.* hæc ille. Reliqua videant alii, nos his ſubſcribimus, qui cum Villalpando par. 2. Explan. in cap. 41. Ezech. lib. 4. cap. 56. tradunt, vectes non ſemper manſiſſe in menſam, ſed tunc tantum cum
C aliò, hæc transferenda eſſet.


De forma igitur Menſæ hujus, ut hanc primum aggrediamur, variè loquuntur Doctores. nam de materia nihil nobis dicendum ſupereſt, cum cedrinam fuiſſe, & auro tectam, res ſit aperta, & apud Scriptores nihil de materia ambigendum remaneat. De forma tantum eſt diſceptatio. ubi Abul. quæſt. 24. in cap. 25. Exodi, quærit an verè dicatur à Joſepho, hanc ſacram menſam ſimilem fuiſſe Delphicæ menſæ, & id negat; quia hæc, de qua loquitur ſacer textus, multo tempore anteceſſit menſam illam, quæ Delphis habebatur: quam ſanè rationem rideant omnes neceſſe eſt. non enim dicit Joſephus lib. 3. cap.
D 9. Deum juſſiſſe Moyſen, facere hanc ſacram menſam, ſimilem ei quæ Delphis habebatur; ſed dicit illam ſimilem fuiſſe menſæ, quæ Delphis habebatur. ipſe enim Græcè ſcribebat, cum menſa Delphica celeberrima in tota Græcia jam eſſet: quamobrem ut aliqua ratione hanc ſacram menſam, de qua ipſe loquebatur, Græci cognoſcerent, Delphicæ menſæ hanc ſimilem dixit.

Verum antequam Doctorum placita diſcutiantur; in medium prodeant, quæ ex divinis oraculis, de illius ſtructura habentur. de qua ſic dicitur Exodi 25. *Facies & menſam de lignis ſetim, habentem duos cubitos longitudinis, & in latitudine cubitum, & in al-*
E *titudine cubitum ac ſemiſſem. Et inaurabis eam auro puriſſimo: facieſque illi labium aureum per circuitum, & ipſi labio coronam interraſilem altam quatuor digitis: & ſuper illam, alteram coronam aureolam. Quatuor quoque circulos aureos præparabis, & pones eos in quatuor angulis ejuſdem menſæ, per ſingulos pedes. Subter coronam erunt circuli aurei, ut mittantur vectes per eos, & poſſit menſa portari. Ipſos quoque vectes facies de lignis ſetim, & circumdabis auro ad ſubvehendam menſam.* Hæc ſacer textus de fabrica, atque ſtructura hujus ſacræ menſæ.

Hanc ut contemplandam porrigerent Rabbini, ſtultiſſima, atque ridicula ſomniarunt: quæ videri
F poſſunt apud Philippum d'Aquin in opere, quod nuper edidit de caſtris Iſraëliticis: cujus liber ob multa ineptiſſima, jure merito de albo librorum emaculatorum, Patres delere mandarunt. Non enim ex ſacris, ſacram menſam delineandam Rabbini volunt; ſed pro capite ineptiendo quatuor columnas, in ſuperiora Menſæ, hinc inde alteram contra alteram apponunt. Has ad lineam quatuor menſæ pedum attol-

tollunt; & quibuſdam pyramidulis, deorſum vergentibus, foliiſque effigiatis ac celatis, ſuſtentari oſtendunt; quas quidem cælatas pyramidulas deorſum vergentes, tantum à pedibus ſacræ menſæ ſeparant, quantum annuli ad extra feruntur; in quem vectes ad menſam portandam inferebantur. Supra menſam verò, in qua columnæ ſe mutuo reſpiciunt, qui-

A buſdam mediis virgis vacuis, & aureis, juxta rationem artis, conjunctæ columnellæ firmantur. Supra hos canales, vel medias fiſtulas dicunt, quod panes Propoſitionis ſuſtentabantur: quam ſacræ Menſæ formam, prout habetur in auctore jam relato, hic delineandam curavimus Fig. A.



In qua quidem figura, pyramidulæ auro cælatæ, quatuor columnæ, quæ ſeſe ſurſum attollunt, ac fiſtulæ, ſive mediæ fiſtulæ, aut canales, quibus interſecantur, ac firmantur illæ columnæ; omninò commentitia ſunt; pro captu; & ex capite Rabbinorum; aliena profectò à ſacro textu, in quo nihil penitus de his habetur: verum non eſt novum Rabbinis, ſomniare in expoſitione ſacrorum oraculorum, quoties quæ in his habentur, capere ſe poſſe deſperant.

Saniora cum Catholicis contemplemur, qui in forma menſæ nihil ex capite excogitarunt; ſed in expoſitione ſacrorum oraculorum dum verſantur; laborant in intelligendo quid Deus velit in ills verbis: *Facieſque illi labium aureum per circuitum, & ipſi labio coronam interraſilem altam quatuor digitis, & ſuper illam alteram coronam aureolam.* & ſtatim infra: *Subter coronam erunt circuli aurei, ut mittantur vectes per eos, & poſſit Menſa portari.* In qua ſacræ Menſæ deſcriptione; Torniellus coronæ nomine intelligendum arbitratur, quod Italicè *cornice* appellatur: ita ille in Annalibus ſub anno mundi 2544. n. 70. & labium dici quod zophorus, Italicè *fregio*, ab Architectis appellari ſolet: coronam labio adjunctam ſcribi, quæ coronix, & Italicè *cornigione*, ab eiſdem Architectis dicitur: tandem coronam aureolam appellari putat, quæ interius in plano ipſius Menſæ ex puro auro, tantiſper in quadrum elevabatur à plano Menſæ, vel figura ovata, ut ſentit Arias Montanus, ad panes ſanctos claudendos, ne ex Menſæ motu, motionem aut caſum ipſi quoque paterentur; ſi quando Menſa de loco ad locum circumferretur: ſub zophoro in ſingulis pedibus circulos aureos poſuit, per quos vectes laminis aureis veſtiti immitterentur: ipſa denique Menſa laminis aureis tota tegebatur. ut in ſuperiori Fig. B. ex illius ſententia Menſæ delineatione perſpicuum eſt.

Tandem lineolis quibuſdam, baſes pedum, ſive

D columnarum colligat, quibus Menſa conſtringebatur, ut aptius recta ſtaret; & tam pedes, quàm Menſa tota commodius firmarentur, ad ſtandum immobiliter; ac firmius etiam hinc inde portari poſſet. ut intelligentiæ gratia ſupra delineandam ex illo curavimus.

In his verò ſacræ Menſæ delineationibus, abſunt ab ea Rabbinorum ineptiæ, & cum divinis oraculis quam maximè illius auctor ſtare conatur: aliqua tamen in ea ſunt, quæ à nobis minus rationi, & oraculis conſona cenſentur: cum primis verò lineolæ illæ ligneæ, quæ à parte inferiori ſacræ Menſæ pedes colligant, non videntur ad rem: nam quamvis ſtatum Menſæ firmiorem quidem faciant, ut diximus; cum tamen nihil de his in ſacris habeatur Litteris, propterea dubium videtur, an ſint ibi reponendæ necne, ad hæc enim nulla neceſſitate co-
E gimur: nam altitudo Menſæ cubiti, & ſemis dicitur, in loco jam à nobis ex cap. 25. Exodi citato. Hujus enim altitudinis, pedum pars ſuperior, Menſa ipſa, corona interraſili; quatuor digitorum lata colligabatur: deinde parum infra pedes ipſi ſimiliter vectibus conſtringebantur; qui numquam ex annulis extrahebantur, ut communiter ab auctoribus ſcribitur. Itaque vix unius cubiti ſpatium remanebat in pedibus, omni colligatione vacuum. pedes etiam ſunt ex parte in aliquo negotio. Viderint alii doctiora, nobis in his balbutire ſat eſt.

Norma ſacræ hujus Menſæ, ex aliorum placitis, breviter viſa, conſideremus quid ſacra oracula nobis
F indigitent. Sunt autem duo præcipuè; quæ Menſæ ſtructuram difficilem reddunt; primum eſt faſcia illa, quæ tabulam ſuperiorem Menſæ, & pedes colligabat: alterum eſt, in pedibus annulorum loca, quibus vectibus immiſſis Menſa portaretur. & denique ipſorum quoque pedum forma. De priori ita Hebraicus codex loquitur: וְעָשִׂיתָ לּוֹ זֵר זָהָב *venghaſitah loh zer zahab.* hoc eſt, *& facies ei*, ſupple Menſæ, *coronam auri.* quænam verò, & qualis eſſet iſta co-

corona, Græcus ſacrorum Bibliorum codex explicat per verbum *cymatium*, dicens: καὶ ποιήσεις αὐτῇ ςρεπτὰ κυμάτια χρυσᾶ κύκλῳ. hoc eſt, *& facies ei flexibilia cymatia aurea circumcirca.* Eſt autem Cymatium apud Plinium, & Vitruvium de re Architectonica, faſcia illa, quæ ponitur in ſummo epiſtylii: cum autem epiſtylium ſuperiora teneat columnarum, quod alio vocabulo capitellum dicitur, & capitello inhæreret in ſuperiora, ipſa tabula; liquido conſtat hoc labium ſive coronam, cum Hebræis loquendo, circumcirca Menſam debuiſſe circum gyrare; & capitella etiam pedum complecti, atque colligare. Ne verò de forma illius dubitandum eſſet; dicitur cymatium debuiſſe imitari labium. forma nimirum fieri verſatili, atque flexibili, porrigentis ad extra, quaſi circuli pars quarta; quamobrem dixit noſter interpres, *& facies illi labium aureum per circuitum.* dixerunt Septuaginta flexibilia cymatia: ne corona ſcilicet fieret quemadmodum Rabbini excogitarunt, & neque Joſephus poſuit. nam hebraicè non dicitur faciendam עֲטָרָה *gnatarah*, quæ vox coronam proprie ſignificat, ſed זֵר *zer*, dixit Moyſes ratione circuitus; quia menſam circumquaque labium ambiebat; quod coronis ab Architectis dici ſolet; & corona etiam apud Latinos aliquando appellatur.


Coronæ, ſive coronidi huic, ut loquamur cum Architectis adjungebatur zophorus; de quo ſic in Hebræo וְעָשִׂיתָ לּוֹ מִסְגֶּרֶת טֹפַח סָבִיב *vegnaſitha lo miſgereth topach ſaviv.* hoc eſt, *& facies illi*, ſupple coronidi, *clauſuram palmi circumcirca.* hanc clauſuram coronam dixit noſter Interpres, dicens: *Et ipſi labio coronam interraſilem altam quatuor digitis.* ſunt enim quatuor digiti, idem quod palmus apud Geometras: dixit eam interraſilem, ut cælatam aliquo modo, atque effigiatam hanc eamdem faſciam, ornamenti cauſa oſtenderet. quid in ea cælatum eſſet, videat Abulenſis. Nam quod noſter Interpres dixit faſciam fuiſſe latam quatuor digitos, dixit Joſephus παλαιςὴν, quæ vox ſignificat palmum quatuor digitorum, & diſtinguitur ab alia menſura σπυθαμῇ, quæ palmum ſimiliter ſignificat, ſed duodecim digitorum. Hanc etiam faſciam præclarè Septuaginta Interpretes expreſſere dicentes: καὶ ποιήσεις αὐτῇ ςεφάνην παλαιςοῦ κύκλῳ. hoc eſt, *& facies illi*, id eſt *cymatio*, *coronam palmi circumcirca.* quamvis verò Septuaginta uſi ſint vocabulo ςεφάνη, quod coronam ſignificat; tamen à latitudine palmi liquido conſtat, nequaquam de corona, propriè ſic appellata loqui, ſed de lignea faſcia, quæ ſub coronide ſuperiori pedes Menſam ſuſtinentes colligabat. Hebraicus textus טֹפַח *topach.* id eſt *clauſuram* dixit; quia iſto zophoro deorſum vergente ſuperior coronix ornabatur; & pedes ſuſtinentes Menſam colligabantur, atque firmabantur.

Zophoro tandem alia coronis minor aderat; de qua dicitur in textu, וְעָשִׂיתָ זֵר־זָהָב לְמִסְגַּרְתּוֹ סָבִיב hoc eſt, *& facies coronam auream clauſuræ ejus circumcirca.* itaque coronis claudebat, atque conſtringebat Menſam, & ſacræ Menſæ pedes; jungebaturque ipſi zophoro. Forma verò hujus inferioris coronidis erat eadem cum priori, ad modum labii; quemadmodum hebraicus זֵר *zer*, etiam demonſtrat. ſic enim dicitur in græco, καὶ ποιήσεις ςρεπτὸν κυμάτιον τῇ ςεφάνῃ κύκλῳ, hoc eſt, *& facies flexibile cymatium ipſi coronæ circumcirca*: quod noſter Interpres dixit, *& ſuper illam alteram coronam.* & quia ut dicebamus, cymatium ponitur in ſummo epiſtylii ſive capitelli; perſpicuè ex his conſtat, omnem hanc ſtructuram coronidis ſuperioris, atque inferioris, cum intermedio zophoro, ſupra capitella pedum, collocandam fuiſſe. licet etiam dicatur hanc inferiorem coronam faciendam ſuper zophorum; illud *ſuper* non ita accipiendum eſt, quaſi corona hæc, ipſum zophorum tegeret, ac operiret, aut ſuperiora illius teneret, cum potius ſub eo eſſet; ſed dicitur, *ſuper*, hoc eſt connexa eidem zophoro; nimirum ut adhæreat eidem infra zophorum: eſt enim phraſis hebraica, & modus loquendi ſacrarum Litterarum.

Loca pro annulis quærenda remanent; ſed nequaquam difficile inveſtigantur; dicitur enim in textu, appoſitos fuiſſe annulos in quatuor pedibus menſæ ſub ipſo zophoro, qui ſuper pedes menſæ, ut dicit Joſephus, eminebat: & huic ultima coronis adjungebatur; cui annuli ad vectes ſubinferebantur. ſic enim ſcribitur Exodi 25. *Quatuor quoque circulos aureos præparabis, & pones eos in quatuor angulis ejuſdem menſæ, per ſingulos pedes. ſubter coronam erunt circuli aurei, ut mittantur vectes per eos, & poſſit menſa portari.* ſic quoque dixerunt Septaginta, ὑπὸ τὴν ςεφάνην. at in hebræo codice dicitur לְעֻמַּת הַמִּסְגֶּרֶת תִּהְיֶיןָ hoc eſt, *è regione clauſuræ erunt.* nimirum ſub ipſis lignis quæ zophorum faciunt, claudunt, & pedes menſæ colligant. illud verò *è regione* ſignificat annulos nequaquam immediatè ſub ipſo zophoro infigendos, ſed tantiſper à zophoro, ſive corona, ut loquamur cum Hebræis diſtantes fuiſſe. & hæc de annulis ſufficiant.

Agere denique de forma pedum ſacræ menſæ neceſſe eſt; ut perfectam menſæ ſacræ cognitionem habere poſſimus. etenim pedum integra quadrata forma, quam Torniellus poſuit, neſcio an ſit conformis his quæ traduntur ab auctoribus, & ſacris teſtibus. nam quamvis Philo nihil loquatur de illorum ſtructura; Joſephus tamen lib. 3. c. 7. in meo codice qui eſt Lugdunenſis editionis apud Sebaſtianum Gryphium, ſic legit: ἦσαν δ' αὐτῇ πόδες, τὰ μὲν ἐξ ἡμίσεος ἕως τοῦ κάτω τελέως ἀπηρτισμένοι, οἷς δωριεῖς προστίθησι ταῖς κλίναις ἐμφερεῖς. τὸ δὲ πρὸς αὐτὴν ἀνατεῖνον τετράγωνοι τῇ ἐργασίᾳ. κοιλαίνεται δὲ καθ' ἕκαστον πλευρὸν, κοιλαίνουσά πως κατὰ παλαιςὴν τὸ ἔδαφος, ἕλικος περιθεούσης τό τε ἄνω, καὶ τὸ κάτω μέρος τοῦ σώματος. καθ' ἕκαστον δὲ τῶν ποδῶν, καὶ ταύτῃ ἐλήλατο κρίκος, οὐκ ἄπωθεν τοῦ ἐπιθέματος, δι' ὧν ἴεσαν ςελεοὶ χρυσέοι ξύλου τὰ νέρθεν ὄντες ἐξαίρετοι. κοῖλον γὰρ εἶχεν ἐπ' αὐτοῖς τὸ κατὰ τοὺς κρίκους κοινωθέντας. οὐδὲ γὰρ εἰσὶν διηνεκεῖς, ἀλλὰ πρὶν συνελθεῖν εἰς τὸ ἄπειρον, εἰς περονίδας τὴν ἀρχὴν τελευτῶντες. ὧν ἡ μὲν εἰς τὸ προανέχον ἐμβαίνει τῆς τραπέζης, ἡ δὲ εἰς τὸν πόδα, καὶ τούτοις κατὰ τὰς ὁδοὺς ἐκομίζετο. hoc eſt, *Erant autem illi*, ſupple menſæ, *pedes, qui quidem ex medietate inferiori uſque ad finem pleni, ſimiles his quos Dorienſes apponunt lectis, pars verò quæ ad ſuperiora tendebat quadrangulari opere erat. excavatur autem per unumquodque latus; excavatio eſt veluti menſura palmi volubilis, zona circumeunte ſuperiorem, & inferiorem ejus corporis partem; & per ſingulos illius pedes illi inſerebatur annulus; non procul à ſuperimpoſitione, per quos erant manubria aurata ligni, ſubter id quod eminebat. &c.* Colligationem enim quamdam habebat, quæ annulis communicabatur; ſed priuſquam illa immitteretur in circulum in fibulis primum finiebat; quarum quæque in prominentem partem menſæ ingrediebatur, altera in pedem; ut his per viam menſa portaretur. Itaque pedes hujus ſacræ menſæ erant excavati infra medium & tornatiles; quæ pars torno excavata magnitudinis erat, quaſi unius palmi; ſupra verò & infra, habebat faſciam ligneam quadratam; ex quibus faſciis, & id quod tornatili opere elaboratum aderat; tota ipſa columna, & pedes menſæ complectebantur: ut ſequenti noſtra delineatione apparet.

Et quamvis poſſet aliquis ſuſpicari Joſephum loquutum de cymatio; quia tamen de pedibus menſæ loquitur, quibus in ſuperiora & inferiora faſciam apponit: nos de quadrangulis, quæ ſuperimponebantur, & ſupponebantur tornatili opere, Joſephum accipimus, (licet nec illud eamus inficias) cui credere tamquam Sacerdoti Hebræo ratio poſtulat; in aliquibus ex his, quæ ſacris oraculis non contradicunt.



cunt. An verò pedes ſtabilirentur globulis in parte inferiori, an plana columnarum, in plano pavimenti firmarentur, doctiores judicabunt. quibus omnibus conſideratis, ſupra poſitam ſacræ Menſæ formam delineandam curavimus.

CAP. XXXIX.

De ſacræ Menſæ Conſecratione.

Ad locum Exodi 40: *Et aſſumpto unctionis oleo, unges Tabernaculum cum vaſis ſuis, ut ſanctificentur.*

CONSECRABATUR tandem ſacra Menſa, olei unctione, & ſanctorum Panum impoſitione: quia, ut diximus ſupra, miniſterio perficiebatur ſacrorum utenſilium conſecratio. itaque luſtrata, atque expiata ſanguine de more, ſacro hæc quoque oleo, per ſeptem dies delibuta ſanctificabatur; ut ſanctorum Panum capax fieret. Verum quo ritu, quibuſque cæremoniis expiaretur, & quâ forma liniretur per ſeptem dies, nihil in ſacris habetur litteris; niſi quod Exodi 40. præcipitur inungi, cum dicitur: *Et aſſumpto unctionis oleò, unges Tabernaculum cum vaſis ſuis, ut ſanctificentur.* Cumque inter vaſa, & utenſilia Tabernaculi recenſeatur Menſa, perſpicuum eſt, unctam quoque fuiſſe, antequam ſuper illam Panes propoſitionis collocarentur; hac enim de cauſa menſam parari juſſerat Deus: quam E Conſecrationem teſtatur etiam Philo lib. 3. de vita Moyſis, dicens: ὡς δὲ τῇ ἐσθήσεσιν ἤσκησεν αὐτοὺς, χρίσματος εὐωδεστάτου λαβὼν, ὃ μυρεψικῇ τέχνῃ κατειργάσθη, τὰ ἐν ὑπαίθρῳ πρῶτα, τόν τε βωμὸν, καὶ τὸν λουτῆρα κατέχριε, ἐπιρραίνων ἑπτάκις. ἔπειτα τὴν σκηνὴν, καὶ τῶν ἱερῶν σκευῶν ἕκαστον, τὴν κιβωτὸν, τὴν λυχνίαν, τὸ θυμιατήριον, τὴν τράπεζαν, τὰ σπονδεῖα, τὰς φιάλας, τἆλλ' ὅσα πρὸς θυσίας ἀναγκαῖα, καὶ χρήσιμα. hoc eſt, *Ut verò veſtivit eos ſacris veſtibus; unguentum ſuave olens accipiens, unguentaria arte compoſitum, primum ſubdialia, altare nimirum, labrumque perunxit, aſpergens ſepties: deinde Tabernaculum, & ſacra vaſa ſin-* F *gula, Arcam, Candelabrum, thymiaterium, menſam, effuſoria, phialas, cæteraque ſacrificiis deſervientia.* Itaque ſacra Menſa inter utenſilia ſacri Tabernaculi recenſetur, & illa quoque ſigillatim oleo ſacro perfuſa fuit.

De variis Panum generibus Athenæus lib. 3. per plura capita ſcripſit; præſertim cap. 25. & cap. 26. Sed de eiſdem agere noſtri nequaquam eſt inſtituti. Sufficit enim cognoſcere, quæ cognoſcenda, de pane frumentaceo ſunt, qui omnium alimentorum ex terræ ſeminibus perfectiſſimus eſt. inde Athenæus C lib. 3. cap. 30. ex auctoritate Diphili Siphinii ait: ἄρτοι οἱ ἐκ πυρῶν, κριθίνων εἰσὶ πολυτροφώτεροι, καὶ εὐοικονομητότεροι, καὶ τὸ ὅλον κρείττονες hoc eſt, *Farracei panes longè valentiores ſunt, hordeaceis, & faciliores ad concoquendum, & in genere meliores.* Plutar. etiam lib. 6. quæſtion. conviv. cap. 8. perfectionem panis admiratur; quod omnibus animalibus conformis omnino videatur, dicens: ὁ δὲ θαυμασιώτατόν ἐστιν, οὐκ ἀνθρώπους μόνον, ἀλλὰ καὶ κτήνη μάλιστα πάντων ἐδωδίμων ἀναῤῥώννυσιν ἄρτος. ὥστε κἂν ἐλάχιστον ἐμφάγωσιν, ἵστανται, καὶ βαδίζουσι. hoc eſt, *Et quod ſumme mirum eſt, non homines modo, ſed & jumenta præ cætero paſtu recreat panis; adeò ut ſi vel minimum eo veſci contigerit, con-* D *firmentur, atque progrediantur.*

Eccleſiaſtico ſimiliter cap. 29. Spiritus ſanctus affirmat, hominis vitam à pane dependere, dicens: *Initium vitæ hominis panis & aqua.* & ea denique fuit hujus alimenti excellentia, ut in ſacris litteris ſolius panis nomine, quicumque cibus ſignificaretur; divinitatemque in panum inventore teſtarentur homines, communi quodam conſenſu. ea propter Siculi Cererem, quod uſum panis frumentacei eos docuiſſet, ſumme venerabantur; atque non ſolum divinos honores eidem decreverunt; ſed hanc præ aliis omnibus Numinibus ſummè colebant. In Scolo quoque Bœotico, Athenæus locis citatis, duas erectas ſtatuas affirmat; quarum altera dicebatur *Megalarti*, id eſt magnorum panum datrici, altera verò *Megalomazi*, id eſt, magnorum mazi datrici: erat enim μᾶζα, genus quoddam panis ſimiliter ex farina. Sed ſatis de prophanis cultibus Veterum loquuti ſumus; quibus quidem, Veteres teſtabantur divinitatis aliquid ineſſe panum datori: quod ſimul cum pane, vitæ quoque dator ille cenſeretur; qui tam magno beneficio homines affeciſſet.

Hoc igitur ut cognoſcerent filii Iſraël; in ſacro Tabernaculo, non quidem in Sancto Sanctorum, ſed extra velum in Sanctum, Deus menſam parari juſſerat; ſuper quam panes duodecim prægrandes, ad numerum tribuum filiorum Iſraël ſuperimponerentur; ut Iſraëlitæ vitam, alimentumque ab ipſo ſummo Numine ſibi paratum intelligerent; atque ab alio nemine, quàm ab ipſo, vitam quoque ſibi ſervandam profiterentur. Quam rationem Abulenſis etiam tetigit quæſt. 28. in cap. 25. Exodi: dum enim in-

quirit cur Deus vellet ſibi hos panes apponi, ait: *Cauſa autem ſpecialis eſt etiam in hac oblatione, ut diſtinguatur contra alias, quia homines recipiunt a Deo multa beneficia, & inter cætera quædam ſunt præcipua; maximum autem per quod homines conſervantur in vita eſt panis largitio: nam initium vitæ hominis panis, & aqua ut patet Eccl. 29. ut ergo dentur ſpeciales gratiæ Deo de beneficio alimentationis in pane, ponebantur iſti panes coram Domino.* hæc ibi Abulenſis, & alia multa in hanc ſententiam.

Hos Panes, qui ſacræ huic Menſæ ex Dei mandato ſuperimponebantur, ſingulos decem librarum pondus habuiſſe, Doctores tradiderunt; nimirum Ribera lib. 2. de templo cap. 10. & Torniellus, de quibus panibus ſic loquitur ſacer textus Levit. cap. 24. *Accipies quoque ſimilam, & coques ex ea duodecim panes, qui ſinguli habebunt duas decimas; quorum ſenos altrinſecus ſuper menſam puriſſimam coram Domino ſtatues, & pones ſuper eos thus lucidiſſimum.* Nec nobis inquirendum eſt; qua methodo, aut ratione panes iſti ſuper menſam diſponerentur. quæſtionem hanc Rabbinis relinquimus, & Abulenſi quæſt. 28. in cap. 25. Exodi: huic quidem aſſentimur, in eo quod dicit Iſraëlitas ſimilam tantum, non panes jam coctos, in miniſterium hujus menſæ, Sacerdotibus offerre conſueviſſe.

Coquere hos panes, nequaquam munus erat mulierum, quæ appellantur panificæ in regio jure lib. 1. Reg. cap. 10. aut illius celeberrimi piſtoris Thearion, cujus meminit Plato in Gorgia, & Athen. loco citato cap. 15. ſed Sacerdotes ipſi; qui Moyſi in ſacris miniſteriis ſuccedebant, ut in prædicto textu habetur, panes illos coquere ex munere tenebantur. quod etiam Hieronym. in cap. 1. Malach. affirmat, plurimaque alia ad Sacerdotes pertinuiſſe docet, quæ ad compoſitionem iſtorum panum pertinebant, dicens: *Panes verò Propoſitionis, juxta Hebraicas traditiones, ipſi Sacerdotes ſerere, ipſi demetere, ipſi molere, ipſi coquere debebant.* ſed an ita fieret, diſputat Ribera loco citato, & Torniel. ſub anno mundi 2544. ad quos Lectorem mittimus; non enim ad Conſecrationem, aut unctionem iſta ſpectant. Noſtri verò eſt muneris, ritus inquirere, tam antecedentes, quam ſubſequentes conſecrationem ſacræ Menſæ. Ethnicos quoque divinorum, atque ſanctorum rituum æmulatores, habuiſſe ſacros panes, quibus ſacrificiorum cauſa uterentur, perſpicuum eſt ex Athen. lib. 3. cap. 25. qui cujuſdam panis, qui dicebatur Achaïnas, meminit in Cereris honorem apud Græcos parari ſoliti, quod auctoritate Semis lib. 8. Deliadis probat, dicens: Ἀχαΐνας. τούτου τοῦ ἄρτου μνημονεύει Σῆμος ἐν ὀγδόῳ δελίαδος, λέγων τοῖς θεσμοφόροις γίνεσθαι. εἰσὶ δὲ ἄρτοι μεγάλοι, καὶ ἑορτὴ καλεῖται μεγαλάρτια τῶν ἐπιλεγόντων τῶν φερόντων.

Ἀχαΐνην, στέατος ἔμπλεον τράγον.

Hoc eſt *Achaïnus* (videlicet panis Achaïnus.) *Hujus autem panis meminit Semos in octavo Deliadis dicens fieri per Theſmophoria* (erant autem Theſmophoria Cereris ſacra) *ſunt autem panes iſti magni, & feſtum iſtud dicitur Megalartia*, (hoc eſt magnorum panum) *cantantibus illis qui portabant*, ſupple panes.

Achainem plenum adipe comedebat.

Hæc de hi panibus Athenæus. qui Achaini, ut arbitror dicebantur ab Achæis populis, (quod nobiſcum ſentit Caſaubonus) apud quos uſu veniſſe credibile eſt.

Et ne videantur hi panes diſſimiles fuiſſe ab eis, qui in Tabernaculo Domini, ſacræ aureæ Menſæ ſuperimponebantur; utrorumque magnitudo, eorumdem ſimilitudinem oſtendit. de magnitudine panum hujus ſacræ Menſæ jam diximus, ex Ribera, A vel dicemus cum Torniello ſub anno mundi 2544 nu. 71. fuiſſe magnitudinis unciarum centum & viginti ſex; ut eſſent ſinguli panes librarum decem & ſemis. quæ magnitudo maxima ſanè mihi videtur; cum duo panum ordines, ſupra Menſam auream conſtituendi eſſent; Menſa verò binos tantum haberet longitudinis cubitos; & præter panes vaſa etiam nonnulla ſuper illam, ut videbimus, collocanda eſſent. Magnitudini iſtorum Panum, reſpondent etiam illi, de quibus Athenæus; ut colligitur ex nomine dierum feſtorum illorum Panum, qui Megalartia, ideſt magnorum Panum feſti appellarentur.

Erant etiam alii Panes ſacri, qui Theiogonæ ab Ætolis dicebantur; quorum meminit Athen. ubi ſupra cap. 29. ex auctoritate Triphonis lib. 1. de plantis, & Nicandri: qui Panes ſic appellabantur, quod eſſent Diis ſacri, & fortaſſe in agonalibus ludis, ac feſtivis diebus erat illorum uſus, atque propterea à B θεὸς, & ἀγων dicebantur θεοιαγῶναι. De magnitudine horum Panum nihil auctores. Panes ſimiles his, quos habebant Iſraëlitæ, vel ſaltem aliquid tale, Alexandrinos quoque Hebræorum conterminos habuiſſe, auctor eſt idem Athen. ibidem. hi enim panem carbonarium, ſive ſubcineritium, ut Athenæo placet, Saturno ſacrificabant; ac in Templo illius omnibus quibuſcumque edere volentibus apponebant. Hunc autem panem eumdem putat Athenæus cum eo, qui apud Athenienſes Encryphias dice- C batur. cujus etiam meminit Hippocrates lib. 7. leb. morb. Archeſtr. etiam de his Panibus meminit, & Athenis optimos haberi probat in ſua Gaſtronomia, dicens: ἐγκρυφίαν τ' δ' εἰς ἀγορὰν ποιούμενον ἄρτον αἱ κλειναὶ παρέχουσι βροτοῖς κάλλιστον ἀθῆναι. hoc eſt, *Encryphiam, quem ut in foro vendant conficiunt, comedentibus optimum nobiles mortalibus præbent Athenæ.* Noſtri verò Panes facierum, ſive Propoſitionis, quorum ſuperimpoſitione ſacræ Menſæ abſolvebatur conſecratio; quos etiam infermentatos fuiſſe conſtat; non quidem omnibus ut illi, ſed ſolis Sacerdotibus in Tabernaculo Domini in cibum cedebant; ut paſſim ſacra teſtantur oracula. de hac ſacræ Menſæ ple- D na, abſolutaque conſecratione per Panum impoſitionem dicitur Exodi 40. *Poſuit & Menſam in Tabernaculo teſtimonii ad plagam Septemtrionalem extra velum, ordinatis coram Propoſitionis Panibus, ſicut præceperat Dominus Moyſi.*

CAP. XL.

Sacræ Menſæ vaſa, & utenſilia ex Rabbinis explicantur.

E Ad Exodi 25. *Parabis & acetabula, ac phialas, thuribula, & cyathos, in quibus offerenda ſunt libamina, ex auro puriſſimo.* 1. Reg. 21. *Neque enim erat ibi Panis, niſi tantum Panes Propoſitionis, qui ſublati fuerant à facie Domini, ut ponerentur Panes calidi.* & ad alia loca.

NUNC de vaſculis, utenſilibuſque hujus ſacræ Menſæ multa, eaque difficillima dicenda ſuperſunt. ſacer enim textus de eis ſic loquitur, Exodi 25. *Parabis & acetabula, ac phialas, thuribu-* F *la, & cyathos, in quibus offerenda ſunt libamina, ex auro puriſſimo.* Acetabula igitur, phialæ, thuribula, & cyathi, nomine utenſilium ſacræ Menſæ veniunt: quos etiam ſacer textus enumerat cap. 37. dum Beſeleeli, & Oliabi opera in cultum Tabernaculi commendat. Hæc quoque ſacra unctione conſecrata fuiſſe, dicitur Exodi 30. *Facieſque unctionis oleum ſanctum, & unges ex eo Tabernaculum teſtimonii,*

nii , *& Arcam teſtamenti* , *Menſamque cum vaſis ſuis*. Itaque Menſa , vectes , acetabula , phialæ , thuribula, & cyathi ſacro oleo, nomine utenſilium ſacræ Menſæ , conſecranda fuerunt : ac proinde de ſingulis nobis inquirendum eſt. Fuiſſe verò omnia vaſa , quæ ſacræ huic Menſæ ſuperimponebantur aurea , res eſt aperta ; quia intra ſacrum Tabernaculum nihil apparebat, quod aureum non eſſet ; & ſigillatim vaſa hæc omnia fuiſſe aurea, infra in ſequentibus capitibus oſtendetur. Sed nihil nunc de materia. de forma major eſt difficultas.

Videamus igitur primo loco , cujus fuerint formæ acetabula ; quæ inter utenſilia ſacræ Menſæ primo enumerantur. hæc enim ſacer textus appellat hebraicè קְעָרֹת *qengharot* , quæ acetabula aliqui ſunt interpretati , alii ſcutellas appellarunt ; catinum , crateres alii dixerunt ; ut quid propriè ſignificet ignorari omninò videatur. Certum tamen eſt apud Græcos , genus vaſis capacioris ſignificari, quo in libationibus, & ſolemnioribus epulis ad commiſcendum aliquid utebantur.

Græci appellarunt hæc vaſa τρυβλία. tryblion autem idem quod catinum ſignificat; uti diximus etiam in noſtro Myrothecio 1. cap. 43. & quidem ſatis amplum , ac magnum hoc genus vaſis fuiſſe videtur apertum , quod dicatur Num. 7. cum enumerantur oblationes tribuum Iſraëlitarum; *Primo die obtulit oblationem ſuam Nahaſſon filius Aminadab de Tribu Juda. Fueruntque in ea acetabulum argenteum pondo centum triginta ſiclorum.* cum igitur acetabulum unum, ponderis eſſet ſupra ſex argenti libras, utique genus amplioris erat vaſis , in ea forma , qua catinum apud nos. Neque de hoc vaſe omnino intelligendus eſt locus hic proximè relatus ; nam illud de quo loquimur , aureum erat ; cum ſuperimponeretur ſacræ Menſæ intra Tabernaculum. Exiſtimari poſſet , fuiſſe vas ad recipiendos in ſe Panes inferne; niſi tale vas nulla ratione admitterent Rabbini, & alii, qui affirmant nullum conſueviſſe vas panibus ſupponi, ut eoſdem ſuſtentaret.

Secundo loco veniunt phialæ in noſtro textu, qui ſic loquitur. *Parabis & acetabula , ac phialas.* hebraicè hæ phialæ dicuntur כַּפּוֹת *cappoth* , quam vocem aliqui , maximè ex Rab. cochlearia ſunt interpretati : ſed quid habeant cochlearia Rabbinorum cum Latinis phialis , non video ; niſi quod forſitan ordo enumerationis in his minimè attendendus videatur ; neque in exemplaribus Græcis , neque Latinis, ſed integra tantum vaſorum enumeratio , ſicut in Hebraicis exemplaribus, præ oculis cum primis habenda eſt. niſi velimus , vaſa ſecundo loco enumerata in Hebraico textu , quæ dicuntur Latinè phialæ , & ſunt poculorum genera, quæ intus in rotundum excavantur ; manubrio à tergo addito ad aliquid pulverulentum ex alio vaſe ſumendum , deſervire potuiſſe; nimirum ex acerra, vel ſalino , atque propterea minimè improbandi ſint , qui cochlearia dixerunt , ad uſum fortè incenſi ; quod viderent in ſacris oraculis his adjungi thuribula. erant autem hæc vaſa aurea , quia ad uſum ſacræ Menſæ deſtinabantur ; jungebanturque thuribulis , nimirum acerris , pro more veterum , qui acerra utebantur ad incenſum : ſed cur in Menſa collocentur hæc ipſa, potius quam in altari aureo , in quo thymiamatis uſus erat me latet.

Enumerantur etiam inter vaſa ſacræ Menſæ , quæ hebraicè dicuntur קְשׂוֹת *qheſoth.* thuribula à noſtro Interprete , & à ſancto Hieronymo appellantur: ſed ut potius thuribula tertio loco enumerata à noſtro Interprete ſuſpicari poteſt ; pro majori explicatione ſuperioris vaſis , quod phialæ noſter Interpres dixerat.

Quid verò ſignificetur hebraico vocabulo קְשׂוֹת *qhe-*

A *ſoth* , omnes penè Interpretes , & hebraicarum radicum ſcriptores , ſe ignorare quodammodo fatentur ; conveniunt tamen cum Rabbinis , ut ea voce ſignificari conſentiant medios calamos , hoc eſt duas unius calami per medium ſciſſi partes; quibus panes ſuſtentarentur. His adhæſiſſe Septuaginta ſuſpicari poteſt , cum dixerunt , ϗ τὰ σπονδεῖα , in plurali ; ſunt autem ſpondea veluti calami , in quibus muſicè canitur. Pro iſta hujus vocabuli ſignificatione ſtat Pollux lib. 4. cap. 10. nu. 5. ubi cum de muſica ageret, modos Pythicos recenſens, inter hos ſpondeum quoque enumerat , dicens : τοῦ δὲ πυθικοῦ νόμου τοῦ αὐλητικοῦ , μέρη πέντε , πεῖρα , κατακελευσμὸς , ἰαμβικὸν ,
B σπονδεῖον , καταχόρευσις. hoc eſt , *Pythici verò modi, qui tibia canitur* , *partes quinque ſunt* , hoc eſt , ſpecies quinque ſunt, *rudimentum* , *provocatio* , *jambicum* , *ſpondeum* , *& ovatio* ; & quoties de modo , quo tibia canitur ſermo eſt , toties inter hos ſpondeum , quod græcè σπονδεῖον dicitur , recenſetur.

Vocabulo igitur græco σπονδεῖα , & hebraico קְשׂוֹת *qheſoth* , quod medias fiſtulas Rabbini interpretantur ; aliquis canalis per quem ſanguis vel vinum in ſacrificiis libaretur , vel aliquid aliud ſimile , ea voce interpretari poſſe videtur : quorum vel duos hinc inde à panibus poſitos , conjectare poſſemus , ad illos ſuſtinendos ne laberentur : vel quod bini calami
C ſingulo panum ſenario apponerentur : vel denique quatuor , ne panes moverentur : vel duo , aut tres medii calami aurei ; ut dicunt Hebræi, ſingulis ſupponebantur panibus , ut ſinguli eventarentur , nullumque mucorem contraherent. certum eſt enim hæc fuiſſe inſtrumenta , inter utenſilia ſacræ hujus Menſæ deſtinata. ex hac figura conjectura , juxta Rabbinorum interpretationem , vocabuli קְשׂוֹת *qheſoth* , magis perſpicua fiet. quæ verò Rabbini magis propria cenſeant , ex ſequenti Figura patebunt.



D

Sed iſti nebulones habentes velamen ſuper cor , Scripturaſque ſacras non intelligentes, vigilando ſomniant ; & inter illos maxima eſt in admiratione, qui ineptiora in Scripturas ſacras attulerit. affirmant enim illorum expoſitores , panes iſtos ſemper ex divino miraculo calorem conſervaſſe ; ex alio verò capite timent , ne mucorem contrahant ; atque propterea medias fiſtulas ſingulis ſupponunt , ut aërem admittant , & nulla ratione fiant mucidi : minimè advertentes , quam à panibus calidis mucor abſit ; & quam longè mucor à calore propellatur. quamobrem miracula , divinis oraculis adverſa , ſomniare non
E verentur. nam 1. Reg. cap. 21. in quo ſermo eſt de Propoſitionis panibus , Davidi in neceſſitate conſtituto , ab Abimelecho Sacerdote oblatis , de menſa ſublati dicuntur , ut in ea alii calidi apponerentur. *Neque enim erat ibi panis , niſi tantum panes Propoſitionis , qui ſublati fuerant à facie Domini , ut ponerentur panes calidi.* Hæc textus ; ex quo Rabbini convincuntur ; & panes inde ſublatos non fuiſſe calidos probatur : dictio etiam hebraica חֹם *chom* , apertiſſimè de panibus calidis ſermonem ibi eſſe , & nequaquam de recentioribus convincit : ut propterea perſpicuum ſit , quam commentitia ſint , quæ ipſi tradunt , de mediis fiſtulis , panibus Propoſitionis ſup-
F poſitis, ad muciditatem arcendam.

Ultimo tandem loco recenſentur cyathi in noſtro textu Exodi 25. ubi ſic dicitur : *Parabis & acetabula , ac phialas , thuribula , & cyathos , in quibus offerenda ſunt libamina , ex auro puriſſimo.* hebraicè וּמְנַקִּיֹּתָיו אֲשֶׁר יֻסַּךְ בָּהֵן hoc eſt , juxta Sanctem Pagninum : *& cyathos ejus , quibus libabitur in eis.* De ſignificatione igitur vocis hebraicæ מְנַקִּיּוֹת *menaqhioth*,

maxima & numquam plenè cognita difficultas eſt: quæ vox venit à radice נָקָה *naqhah*, vacuum ſignificans; & cyathum communiter Auctores, meritò illud vocabulum interpretantur; quod ſit nimirum vas vacuum. Marc. Marin. emundatoria dixit, putatque eo vocabulo ſignificari inſtrumentum aliquod, quo emundaretur menſa; & panes expolirentur, ne mucidi fierent. *ſcopetti* Italicè illa vaſa interpretatus eſt. Verum, me judice, illi interpretationi refragantur illa ſacri textus verba אֲשֶׁר יֻסַּךְ בָּהֵן *haſcer juſſac bahen*, quod nimirum libaretur in eis. non enim emundatoriis his, quæ M. Marinus poſuit, aliquis humor fluxibilis libatur, aut libari poteſt: ſunt enim emundatoria illa ad libamina omnino inepta. Septuaginta dixerunt, ϗ τοὺς κυάθοις ἐν οἷς σπείσεις ἐν αὐτοῖς. hoc eſt, *& cyathos, in quibus libabis in eis.* Quamobrem ea voce inſtrumenta ad libamina ſignificata videntur, hisque libare debuiſſe Moyſen. & quamvis libare poſſit etiam de aridis dici; cyathis tamen libare arida conſueviſſe numquam legimus: ſunt namque cyathi inſtrumenta ad libamina alicujus materiæ fluxibilis Fuiſſe igitur מְנַקִּיּוֹת *menaquioth*, inſtrumenta, quibus vel panes operirentur, dicunt Hebræi; vel quaſi columnæ hinc inde menſæ appoſitæ panes fulcirentur atque mediæ fiſtulæ ſuſtinerentur; quibus panes ſuperimponebantur. Quamobrem totam menſam cum panibus comminiſcuntur Rabbini in formam, quam accepimus à quodam Philippo d'Aquin, ex lib. Gallico, quem nuper edidit, & juxta conſenſum Rabbinorum ſe loquutum profitetur de tabernaculo & caſtris Iſraëlitarum, deque menſa, & aliis, quam etiam pagina 480. poſuimus, cum de forma hujus ſacræ menſæ ſimiliter noſtra eſſet oratio.

CAP. XLI.

Forma acetabulorum, & thuribulorum, quæ ſacræ Menſæ imponebantur; ex auctoris ſententia explicatur.

Ad loca Exodi 25. *Parabis & acetabula, & phialas, & thuribula.* Num. 7. *Primo die obtulit oblationem ſuam Nahaſſon filius Aminadab de tribu Juda, fueruntque in ea acetabulum argenteum pondo centum triginta ſiclorum, phiala argentea habens ſeptuaginta ſiclos, juxta pondus Sanctuarii, utrumque plenum ſimila conſperſa oleo in ſacrificium.* 1. Mach. cap. 1. *Et Menſam Propoſitionis, & libatoria, & phialas, & mortariola aurea.* & ad alia loca.

NOs ſacrorum locorum difficultate, licet maximè fatigemur, atque premamur; minimè tamen in his difficultatibus, ac ſcopulis communi interpretationi ex Rabbinis allatæ, conſenſum præbere potuimus. etenim jam diximus, ſic haberi in noſtro textu, *Parabis & acetabula, ac phialas, thuribula, & cyathos, in quibus offerenda ſunt libamina.* Septuaginta, ac reliqua exemplaria græca dixere: ϗ ποιήσεις τὰ τρυβλία αὐτῆς, ϗ τὰς θυίσκας, ϗ τὰ σπονδεῖα, ϗ τοὺς κυάθους ἐν οἷς σπείσεις ἐν αὐτοῖς, ἐκ χρυσίου καθαροῦ ποιήσεις αὐτά. Itaque vaſa illa, quæ acetabula à noſtro vulgato interprete, τρυβλία in Græcis exemplaribus, & à Septuaginta Interpretibus dicuntur. at קְעָרוֹת *quengharoth* hebraicè appellantur, ut in principio præcedentis capituli dicebamus. Dicuntur verò à noſtro Interprete acetabula; non quidem in eo ſenſu, in quo aceti vaſcula enumerantur ab interprete Pollucis; illa enim græcè ὀξπορα dicuntur à Polluce, quaſi acetum ferentia: noſtra verò vaſa non erant ad acetum, cujus nullus erat uſus in hac menſa, aut in ſacris Hebræorum; ſed græca τρυβλία, latinè *acetabula*, à verbo latino *accipio*, ut puto, dicebantur; quaſi recipientia dixeris: ſignificatur enim tam græco, quam hebraico vocabulo, vas ad aliquid recipiendum.

Rabbini, cujus eſſent uſus in menſa hæc omnia vaſa, ignorant; ea propter affirmatè dixerunt, non omnia hic enumerata vaſa ad uſum menſæ Panum propoſitionis fuiſſe; ſed vel ad alios uſus; vel eo nomine ſignificari ſcutellam, in qua incenſum ſuper menſam, & panes collocabantur. Sed præterquam quod ſacra oracula non ſtant cum illis; quia ubicumque ſermo eſt de hac ſacra Menſa, ubique hæc vaſa, in uſum ſacrorum, Menſæ huic ſuperimponuntur. nam & Septuaginta dixerunt, ϗ ποιήσεις τὰ τρυβλία αὐτῆς, *& facies tryblia ei*, ideſt, eidem menſæ; & hebraicè dicuntur קְעָרֹתָיו *quangarothau*, ubi relativum per ו *vau* ſignificatum, acetabula ad menſam, & non ad aliquid aliud referunt. Quamvis igitur affirmare; horum vaſorum aliqua, ad alios uſus fuiſſe, nimirum ſacrificiorum, quæ in altari habebantur in atrio; nobis non videatur omnino improbabile; tamen huic menſæ propria fuiſſe, tamquam illi debita, ex inſtitutis divinis, negari non poteſt.

Falſum etiam puto, acetabula ad uſum incenſi fuiſſe: ubique enim tam lib. 1. Machab. cap. 1. quam Jerem. 52. & 3. Regum 8. & Numer. cap. 7. in quo agitur de oblationibus Patriarcharum, quæ ſingulo die pro conſecratione Tabernaculi oblata ſunt; vaſa ad uſum incenſi כַּפּוֹת *cappoth* dicuntur, & per mortariola à noſtro vulgato interprete redduntur. nullibi verò in ſacris oraculis illa eadem vaſa dicuntur קְעָרוֹת *qhengharoth*. Acetabula igitur, quæ τρυβλία à Septuaginta dicuntur, fuiſſe vaſa ad uſum ſacræ hujus Menſæ Panum propoſitionis, & aurea fuiſſe certiſſimè affirmo, ſacris fretus oraculis.

Aurea quidem fuiſſe quantum ad materiam, nulli dubium eſt; ſed ad uſum incenſi hæc fuiſſe, non aſſentimur. Nec etiam placet, quod Villalp. in cap. 41. Ezech. tradit tom. 2. par. 2. lib. 4. cap. 57. qui eo nomine duo vaſa quammaxima excogitavit; quorum ſinguli ſex Propoſitionum panes complecterentur, undique aurea; in quibus libatoria, & vaſa ad thuris uſum comprehenderentur, atque clauderentur. hæc ille habet pag. 312. col. 1. Nos breviter dicimus eo nomine, vaſa ad uſum ſimilæ ſignificari, qua vel Panes Propoſitionis conficerentur; ita tamen ut prius in his catinis Deo ad altare pars aliqua ejuſdem ſimilæ offerretur: vel vaſa in quibus ſimila oleo fermentata, à filiis Iſraël in ſacrificiis oblata offerebatur. quæ vaſa alio vocabulo pateræ, vel crateres dicuntur à Joſepho lib. 8. Antiq. cap. 3. & re vera hujuſmodi vaſa ad ſimilæ oblationem pertinuiſſe, ex cap. 7. libri Numer. conſtat; ſi vocabulo habenda eſt fides. Cum enim ibi ſermo ſit de oblationibus Patriarcharum, dicitur unumquemque obtuliſſe קַעֲרַת כֶּסֶף אַחַר מְלֵאָה סֹלֶת hoc eſt, *Catinum, ſive ſcutella plena ſſimila.* & Septuaginta dixerunt ibidem, ϗ προσήνεγκε τὸ δῶρον αὐτȣ̃ τρυβλίον ἀργυροῦν ἕν. & infra, πλήρη σεμιδάλεως. hoc eſt, *& obtulit,* (ſupple Nahaſon) *munus ſuum tryblion unum plenum ſimila.* Quamobrem ex conformitate vocum, tam hebraicarum, quam græcarum, conſtat, vaſa quæ acetabula à noſtro Interprete, & קְעָרוֹת *quengharoth* hebraicè dicuntur, ad uſum ſimilæ fuiſſe. Duplex verò habebatur in ſacra Propoſitionis Menſa genus vaſorum aureorum ad uſum ſimilæ, quæ offerebatur; aliud erat ad offerendam ſimilam oleo conſperſam in altari, illam nimirum, quæ ſuper membra mactatorum animalium ibidem cremabatur; & hoc diſcum latinè dicere poſſumus, ſive lancem; græcè appellatur πινακή. Aliud

vas


vas aureum in Menſa collocatum erat; in quo pars ſimilæ oblatæ, quæ in altari offerenda erat, prius oleo commiſcebatur, & ſubigebatur; quod Crater appellatur à Joſepho. Utrumque ſimilæ uſum, ex ſacris habetur litteris Levit. 2. in quo de farinacea oblatione eſt ſermo, diciturque: *Anima cum obtulerit oblationem ſacrificii Domino; ſimila erit ejus oblatio, fundetque ſuper eam oleum, & ponet thus, ac deferet ad filios Aaron Sacerdotes.* Ecce prima ſimilæ oblatio, deinde ſubdit textus: *Quorum unus* (ſupple Sacerdotum) *tollet pugillum plenum ſimilæ, & olei, ac totum thus, & ponet memoriale ſuper altare in odorem ſuaviſſimum Domino.* Ex quibus verbis ſimilæ ac olei fermentationem conſtat, in cratere ex Joſepho fieri ſolitam. non enim oleum pugillo concludi poteſt, ſed vaſe in aliquo, hujuſmodi fermentatio ſimilæ, & olei fieri debuit; cum non in crateris, ſed in pateris, ut dicebat Joſephus, ſimilæ oblatio haberetur.

Is enim lib. 8. Antiquit cap. 2. enumerans vaſa ſacræ Menſæ, & ejuſdem indigitans ſtructuram, atque numerum penè immenſum ait: *τραπεζῶν τὲ τὸ πλῆθος ἀνέθηκεν ὁ βασιλεὺς, καὶ μίαν μὲν μεγάλην χρυσέαν, ἐφ' ἧς ἐτίθεσαν τοὺς ἄρτους τοῦ θεοῦ. καὶ ταύτης παραπλησίας μυρίας πρὸς αὖ ἑτέρῳ τρόπε γεγενημένας ἐφ' ὧν ἐπέκειτο τὰ σκεύη, φιάλαι τε καὶ σπυνδεῖα, χρύσεα μὲν δισμύρια, ἀργύρεα δὲ τετρακισμύρια.* hoc eſt, *Obtulitque Rex*

A *multitudinem menſarum, & unam quidem valde præcipuam auream, ſuper quam ponebant panes Dei, & huic proximas ſimiles, altero modo factas, ſuper quas vaſa jacebant, ideſt, phialæ, & pateræ aureæ quidem viginti millia, argentearum verò quadraginta millia.* Et parum infra loquens de lancibus à Salomone factis ad uſum altaris, ſubdit: *πινάκων δὲ χρυσέων, εἰς τὸ προσφέρειν ἐν αὐτοῖς πεφυραμένης σεμιδάλεως τῷ βωμῷ μυριάδας ὀκτὼ, τούτων δ' ἀργυροῦς διπλασίονας.* hoc eſt, *Lancium item aurearum ad offerendam in eis ſimilam, conſperſam ad altare octo millia, argentearum verò duplici numero.* Aliud etiam genus vaſis ad uſum ſimilæ ſuperimponebatur huic menſæ aureæ;

B quod aureum etiam erat, & dicebatur Cratera, de qua Joſephus ibidem ait: *κρατῆρας δ' οἷς ἀνέφυρον τὴν σεμίδαλιν μετ' ἐλαίου χρυσέους μὲν ἑξακισμυρίους, ἀργυρέους δὲ δὶς τοσούτους.* hoc eſt, *Crateras autem, in quibus commiſcebant ſimilam cum oleo, aureas quidem ſexaginta millia, argenteas autem alterum tantum.* Hæc igitur vaſa, quæ imponebantur menſæ ad ſimilam, aureaque erant; non ſolum ad uſum menſæ, ſed etiam in miniſterium altaris, ad ſimilam offerendam pertinebant; & per catinos, ſive lances, aut etiam Crateres à nobis reddi, ac interpretari poſſunt; quæ à noſtro interprete acetabula dicuntur, & in formam Fig. A. expreſſam, vel ſimilem vas

C iſtud delineare poſſumus.



Catinos, lances, aut crateres, aliquis minimè fortaſſe ſuper hanc Menſam admittet, quod vaſis adeò magnis, locum in ſacra Menſa duorum tantum cubitorum, una cum panibus quam maximis, nullum adfuiſſe locum videatur. quamobrem hæc vaſa parva fuiſſe, & ad uſum ſalis, per *ſalinum* vocem illam interpretari poſſe dicemus. Nam ſalis uſus frequentiſſimus fuit in ſacris, ſacrificiiſque veterum Hebræorum. quæ cum jam ſcripſiſſemus, Villalpandum quoque huic menſæ, vas ſalis conceſſiſſe comperimus loco citato. licet hoc ſalinum, poſteriori vocabulo phialarum ſignificari arbitretur; vel opercula vaſorum, in quibus panes complectebantur: quod ſanè non placuit. Ac de ſale quidem in genere multa Plin. lib. 31. cap. 7. *Vita*, inquit, *ſine ſale*

nequit degere: adeòque neceſſarium elementum eſt, ut tranſierit intellectus ad voluptates animi quoque. Nam ita ſales appellantur: omnis vitæ lepos, & ſumma hilaritas, laborumque requies, non alio magis vocabulo conſtat. Honoribus etiam, militiæque interponitur, ſalariis inde dictis, magna apud antiquos auctoritate, ſicut apparet ex nomine Salariæ viæ, quoniam illa ſal in Sabinos portari conſuerat. hæc Plin. & alia multa de ſale.

F Plutarch. ſimiliter lib. 5. ſympoſ. quæſt. 10. multa de ſalis auctoritate diſſerit. Homerus pariter Iliad. 1. ſalem divinum appellavit, & ethnici omnes *κακοζηλία* quadam, ſine ſale nullum ſacrificium ratum habebant; ut propterea à mola ſalſa ſingula illorum ſacra inchoarentur.

Quia igitur ſal fœderis exquirebat Deus ab Iſraëlitis,

litis; nullumque habetur in tota Tabernaculi ſuppellectile vas ad ſalem ſervandum; hunc in Menſa illa ſacra poſitum exiſtimari poſſet; ut unà cum panibus, Menſæ illi ſacræ ſuperimponeretur. ne quid convivio, aut humani alimenti in ea deeſſet. De forma illius nihil certi dicere poſſumus, niſi eam tenere, quæ in arcu Titi repræſentatur; aut fuiſſe ad formam catini, ſeu ſcutellæ; vas nimirum concavum in rotundum. Nam etiam in arcu Titi duo vaſcula viſuntur, hinc inde poſita, ad formam pyxidum, quæ ſalina fuiſſe ſuſpicari poſſunt. Et ex Muſeo D. Franciſci Angelonis Illuſtriſſimi, ac Reverendiſſimi Cardinalis Aldobrandini à Secretis, qui de rebus antiquis bene meritus, in gratiam doctiorum virorum multa congeſſit; ſalini, ut puto, ſuprapoſitam Fig. B. formam delineandam optimum duximus.

Salina igitur acetabulorum nomine accipi poſſe, non negamus. fuiſſe verò aurea ſalina hæc, ſubindicare videntur oracula; quia omnia vaſa in ſacro Tabernaculo paranda, ex auro puriſſimo fieri Deum juſſiſſe perſpicuum eſt. Hæc verò ejuſdem nequaquam magnitudinis cenſeri debent; qualia erant illa argentea vaſa, quæ Principes tribuum obtulerunt plena ſimila, ut dicitur Num. 7. iſtud enim catinum, ſive ſcutellam, ſive ſalinum aureum, multo minus extitiſſe, ratione uſus ſalis par eſt credere. Nam quæ in dedicatione Tabernaculi Patriarchæ tribuum Iſraëlitarum obtulerunt, ad uſum ſimilæ in altari offerendæ, argentea erant; ac propterea capacioris magnitudinis; minora certè hæc, quæ erant ad ſal ſervandum.

Etenim Deum juſſiſſe ſal apponi in ſuis ſacris, ſacra oracula pluribus in locis affirmant: præſertim Levit. cap. 2. his verbis: *Quicquid obtuleris ſacrificii ſale condies; nec auferes ſal fœderis Dei tui de ſacrificio tuo, in omni oblatione tua offeres ſal.* ubi primo ex ſacris Moſaicis obſervandum; nullibi inter ea, quæ recenſentur à Deo offerri à filiis Iſraël ex animalibus, ſacrificiorum de cauſa, ſalis Deum meminiſſe; ſed tantum cum farinaceis oblationibus juſſit ſal afferri ad Tabernaculum: & nihilominus, ut vidimus, ſal apponi in omni ſacrificio mandaverat. ex hebraica quoque phraſi non erit prætereundum ſal non jungi, niſi illi oblationi, quæ farinacea erat, hebraicèque dicebatur מִנְחָה *minchah*, ut ex eodem Levitici loco perſpicuum eſt. Præterea ſalem fuiſſe amicitiæ, ac fœderis ſymbolum, nulla probatione indiget: quamobrem videndum remanet, quodnam eſſet ſal iſtud; quod fœderis Dei, in ſacris decretis appellatur; & nequaquam auferendum jubetur: immo & fœdera, quæ ſale condita, in Scripturis dicuntur, perpetua etiam ſtabilitate firma cenſentur, ut Num. cap. 18. igitur à ſacris fœderibus, ſal etiam fœderis in ſacris Litteris petendum erit.

Deus, fœdere inito cum populo Iſraëlitico, illius exercitus Imperatorem, ac Ducem ſe præbuiſſe ſæpè dicitur: ſalis etiam pactum cum Iſraëlitis ſe iniiſſe dicit Num. 18. & alibi: Arca quoque teſtamenti dicitur Arca fœderis, ratione Chirographi in tabulis lapideis digito Dei ſculptis: totum pariter Tabernaculum, fœderis appellatur. Credibile igitur videtur non minima conjectura, Tabernaculum illud, non ſolum tabularum lapidearum cauſa, ſed etiam legis, ac ſalis pacti in eo aſſervati, ſic appellatum, atque perpetuo illud ſal fœderis in Tabernaculo aſſervatum fuiſſe. cumque nullus ſit locus magis accommodatus, ac proprius ſalis, quam Menſa Panum, (quia ut diximus farinaceæ oblationi jungebatur) ibidem quoque hoc ſal fœderis perpetuò aſſervatum conjectare licet.

Noſtræ favet conjecturæ Philo Judæus, qui lib. A 3. de vita Moyſ. agens de hac ſacra Menſa, ſalem cum panibus in ea appoſuit, dicens: *ἡ δὲ τράπεζα τίθεται πρὸς βορείοις, ἐφ᾽ ἧς ἄρτοι, καὶ ἅλες, ἐπειδὴ πνευμάτων τὰ βόρεια τροφιμώτατα, καὶ διότι ἐξ οὐρανοῦ, καὶ γῆς αἱ τροφαὶ, τοῦ μὲν ὕοντος, τῆς δὲ τὰ σπέρματα τῶν τῶν ὑδάτων ἐπιρροαῖς τελεσφορούσης.* hoc eſt, *Menſa autem poſita eſt verſus Septentrionem ſuper quam panes, & ſales. quoniam ſpiritus Borea vegetat maximè, & quia è cœlo, terraque alimenta proveniunt, hoc quidem pluente, illa verò ſeminibus per aquas irroratis maturante.* Itaque in Menſa cum Panibus erant quoque vaſa ſalis. non unum tantum, ſed fortè duo: ideò dixit Philo; *καὶ ἅλες* in plurali numero. & hebræus codex ſcutellaB rum meminit in plurali, dicens קְעָרוֹת *qhengharot*, quia nimirum plures ſalis ſcutellæ, in eadem Menſa appoſitæ cernebantur. Argenteæ erant ſcutellæ, quæ pro ſingulis tribubus ad offerendam ſimilam, oblatæ fuerant à Patriarchis, ut conſtat ex cap. 7. Numer. aureæ verò, quæ ex Dei conſtituto in Menſa apponebantur pro Sacerdotibus, & pro Populo, in pacto ſalis.

Phialæ ſecundò loco à noſtro Interprete recenſentur, quæ græcè *θυΐσκαι* appellantur, & hebraicè כַּפּוֹת *cappoth*. Rabbini cochlearia iſta appellant, ut vidimus, ſed parum ad rem. Pollux lib. 1. num. 25. inter ſacra dona, Phialas repoſuit; ſed non exC plicat cujus eſſent operis, uſus, aut formæ. & lib. 10. cap. 19. inter vaſa potoria phialæ ab eodem enumerantur: ſicuti etiam lib. 6. cap. 16. quamobrem phialas ſecundo loco poſitas à noſtro Interprete exiſtimo, ut hac voce interpretaretur hebraicam כַּפּוֹת; græcamque *θυΐσκας*, & Interpretem reſpexiſſe potius ſenſum quam verba: nam כַּפּוֹת *cappoth*, alibi ſemper interpretatus videtur per mortariola, & vas ad incenſi uſum reddiderit. nam Numer. cap. 4. primo loco enumeravit thuribula, cum græcè habeantur *τρύβλια*, ut hinc pateat, non verborum, ſed ſenſus rationem ubique habuiſſe. Incenſi verò vas ſignificari illa voce phiala, phraſis eſt ſacrarum LitD terarum: nam ſeniores illi, quos vidit Joannes in Apocalypſi, habebant ſinguli in manibus phialas plenas odoramentorum; ex quibus perſpicuum eſt, phialas dici vaſa, in quibus aromata ad thymiama ſanctum ſervabantur. Etenim hebraica dictione vaſa ad uſum incenſi hic ſignificari nequeunt effugere Rabbini, in dictione illa כַּף *caph*, ex qua in plurali fit כַּפּוֹת *cappoth*. Nam cap. 7. Numer. cum filii Iſraël ſuas oblationes offerrent Moyſi poſt conſecrationem Tabernaculi, & Menſæ; recenſuiſſetque ſacer textus oblatum catinum & ſcutellam, plena ſimila ab unoquoque, ſubdit; *mortariolum ex decem ſiclis aureis plenum incenſo;* hebraicè verò כַּף אַחַת עֲשָׂרָה E זָהָב מְלֵאָה קְטֹרֶת, ex quibus & aliis pluribus ſacræ Scripturæ locis, liquido conſtat per כַּפּוֹת in plurali, ſignificari vaſa ad uſum incenſi; quæ decem tantum ſiclorum auri pondus haberent. ſicuti etiam Reg. 3. & 4. lib. quoque ſecundo Paralip. Jerem. quoque cap. 25. eodem vocabulo, eadem vaſa ſignificari conſtat. libro quoque Machab. 1. cap. 1. Mortariola noſtri Interpretis, quæ erant ad uſum incenſi ſuper Menſam *θυΐσκαι* græcè appellantur ſic, *καὶ τὴν τράπεζαν τῆς προθέσεως, καὶ τὰ σπονδεῖα, καὶ τας φιάλας, καὶ τὰς θυΐσκας τὰς χρυσᾶς.* hoc eſt, *& Menſam Propoſitionis*, ſupple abſtulit Antiochus, *& libatoria, & phialas, & mortariola aurea.* F Jam igitur ex locis hebraicis, ac græcis liquido conſtat voce כַּפּוֹת *cappoth*, quam per phialas reddidit noſter Interpres, ſignificari vas ad ſervandum incenſum.

Noſtri interpretis vocem Joſephus probat, juxta quem phialæ vaſa incenſi dicuntur; quæ in Menſa cum Panibus ideò apponebantur; quia ejuſdem panibus ſuper imponebantur; ut dicit lib. 3. antiq. cap. 9. *Ponebatur enim in Templo*, inquit, *ad Aquilonem con-*

converſa, ſupple Menſa, *non longè ab adyto: & duodecim panes azymos in ea ponebant, ſenos per partem mundos valde, ex farina duorum aſſaronum, quæ menſura hebraica ſeptem cotylas Atticas habet.* ὑπὲρ δὲ τῶν ἄρτων ἐπίθεντο φιάλαι δύο, χρυσέαι λιβάνου πλήρεις hoc eſt, *ſuper panes autem ponebantur duæ phialæ aureæ thure plenæ.* Phialam forma Fig. C. iconis præcedentis poſita delineavimus. ex quibus Joſephi verbis lucidius micat noſtri vulgati interpretatio; & phialas vaſa ad incenſi uſum fuiſſe perſpicuum eſt. quas propterea θυίσκας Septuaginta appellarunt; quia ſimiliter ea voce thuribulum, vas nimirum ad incenſi uſum, ſignificatur. quamobrem cum non ſatis apertus cenſeretur voce phiala, ſenſus dictionis כַּפֹּת poſitæ in ſecundo loco; vulgatus tertio loco fortè addidit vocem thuribula, pro majori explicatione phialæ; quibus ſcutellas quaſdam, ad uſum incenſi, panibus impoſitis, illis vocibus ſignificari voluit: ſicuti etiam Numer. 4. dictionem קְעָרֹת reddidiſſe per vocem thuribula videtur; & dictionem .כַּפֹּת, de qua loquimur per vocem mortariola.

CAP. XLII.

Libaminum, atque libandi ritus in ſacris exprimuntur.

Ad loca Deuter. 32. *De quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminum.* Numer. 15. *Offeret quicumque immolaverit victimam, ſacrificium ſimilæ, decimam partem ephi, conſperſæ oleo, quod menſuram habebit quartam partem hin: & vinum ad liba fundenda ejuſdem menſuræ dabit in holocauſtum ſive in victimam.* & ad alia.

Ut veram locorum explicationen eruamus; & horum vaſorum forma agnoſcatur, quæ in ſacra Menſa habebantur; convertamus nos ad libamina veterum: quæ quidem frequentiſſima fuere, tam in ſacris prophanis, quàm in Iſraëliticis à Deo inſtitutis. Nam ab his libationibus, vaſorum, quæ libationum cauſa ſacræ Menſæ imponebantur, plenam cognitionem habebimus. Hæc verò vaſa, libaminum gratia Menſæ huic impoſita fuiſſe, ſacra teſtantur oracula: ſic enim dicitur Exodi 25. *Parabis, & acetabula, ac phialas, thuribula, & cyathos in quibus offerenda ſunt libamina.* Ex quibus, & aliis locis pluribus, hæc vaſa, quorum formam inquirimus, ad libaminum uſum fuiſſe perſpicuum eſt; ac propterea à libaminibus notitia ſignificati illius vocis, & vaſis forma, de qua ambigitur, manifeſta fient.

Uſus enim libationum fuit frequentiſſimus, in quocumque ſacrorum genere; etiam apud Ethnicos, qui quadam κακοζηλίᾳ ſacros ritus imitari non deſtiterunt. Ut verò à nomine exordiamur: libare (ut cum Grammaticis loquamur) eſt aliquid leviter deguſtare: & quamvis aliqui putent, hoc verbum dici à Libero patre; quod primus tam vini, quàm libationum inventor exiſtimetur; in quorum ſententiam ivit Ovid. lib. 3. Faſt. nu. 734. atque propterea dicit:

Nomine ab auctoris ducunt Libamina nomen,
Libaque quod Sanctis pars datur inde focis.

Aliorum tamen ſententia eſt à Græco verbo λείβω, quod eſt libo, ſive ſacrifico, derivatum eſſe. quod quamvis incertum ſit, non tamen caret probabili conjectura. Cum enim Latini, ac veteres Romani, à Græcis ſacra didicerint; cum ſacrorum cultu ac religione, nonnulla Græca quoque vocabula retinuiſſe, improbabile non eſt. Nobis tamen de no-

A minibus, illorumque etymologiis, non eſt diſputandum; ſed cognoviſſe ſufficiat adeò ſacris Deorum libationes communes fuiſſe; ut quamvis Latinè nihil aliud libare ſignificet, quam leviter deguſtare, vel labiare, ideſt ſupremis labiis aliquid attrectare, ut alii dicunt; proptereaque de liquoribus tantum fluxibilibus deguſtatio verè dicatur; nihilominus adeo conjungebatur ſacris libatio; ut libare ſumatur paſſim, pro ſacrificare, tam apud Græcos, quàm apud Latinos. Libationum numquam finis in veterum ſacrificiis erat. nam ſtatim ut ignis erat accenſus, ante victimæ mactationem, frons victimæ vino inſpergebatur; vino fovebatur ignis; vinum thu-
B ri jungebatur; ſuper ignem vino madebant exta, & adipes ſacrificiorum; vinum bibebant ſacrificantes; & adeò fuere frequentes libandi ritus, ut numquam in his ſatis. Nam quamvis aliquando aqua libatum in ſacris ſcribat Nonnus Dionyſiac. lib. 4. factum tamen excuſat; quod vini uſus nondum eſſet apud homines; itaque poſt inventum vinum, nullum ſacrum fuit cui vinum non adeſſet. Vino Genio ſupplicabatur; quamobrem Perſius ait;

Funde merum Genio.

Horatius quoque lib. 3. carmin. dixit:

C *Cras Genium mero curabis, & porco bimeſtri.*

Meminit verò prius vini quam hoſtiæ, quaſi illud potius ad rationem ſacrificii requireretur. & in eadem ſententia in epiſt. ait:

Floribus, & vino Genium memorem brevis horæ.

Et adeò eſſentialis libatio in ſacris cenſebatur; ut ab ea ſacrificium exordium ſumeret, etiam antequam hoſtia mactaretur. Primo enim quotquot ad ſacrificium convenerant, vinum deguſtabant. ita Roſin. lib. 3. cap. 33. ait: *Deinde vinum aſpergebat,* ſupple Sacerdos, *ſed priuſquam id effunderet ſimpulo, ſeu ſimpuvio ligneo, vel fictili, admodum par-*
D *vo, & ipſe leviter delibabat, & aſtantibus guſtandum deferebat, ut pariter libarent.* ſingulis enim omnibus, qui ſacrificio intererant, hoſtiæ mactatæ pars aliqua deſtinabatur, ut 1. Reg. cap. 1. habetur in ſacrificio Elcanæ. quod etiam in ſacris Ethnicorum teſtatur Nonn. Dionyſ. lib. 5. num. 31. in ædificatione Thebarum de Cadmo dicens:

. . . . . καὶ Κάδμος ἑλὼν ἐπένειμεν ἑκάστῳ
κεκριμένης ὀρέγων ἰσοελκέα μοῖραν ἐδωδῆς.

Eſt enim ſermo de ſacrificio, quod Cadmus inſtituerat in natali Cadmeæ urbis. ſic enim interpretantur illa carmina.

E . . . . . *Et Cadmus ſumens diſtribuit cuique*
Diviſi præbens æquilibrem partem cibi.

Sicut igitur cibus diſtribuebatur inter eos, qui ad ſacrificium convenerant; ita etiam diſtribuebatur vinum. Nam de diſtributione carnium dicitur 1. Reg. 1. *Venit ergo dies, & immolavit Elcana, deditque Phenennæ uxori ſuæ, & cunctis filiis ejus, & filiabus partes: Annæ autem dedit partem unam triſtis, quia Annam diligebat. Dominus autem concluſerat vulvam ejus.* Quæ partitio pariter in vino facta ibi ſubindicatur. Vocabatur hic ritus vinum deguſtandi, libatio, in qua unus quaſi præſultor, ideſt prægu-
F ſtator, alios præcedebat; qui deinceps ſingulis, pocula plena porrigebat, vini ad libandum: quod ex quibuſdam antiquorum poëtarum locis colligitur: nam Odyſ. lib. 3. Piſiſtratus jubet Telemachum poſtquam libarit; alteri quoque poculum tradere, ut ſimiliter libet: Poëta ſacrarum rerum peritiſſimo dicente:

αὐτὰρ ἐπὴν σπείσῃς τε, καὶ εὔξεαι ἣ θέμις ἐστὶ,
δὸς καὶ τούτῳ ἔπειτα δέπας μελιηδέος οἴνου
σπεῖσαι.

Niſi fortè velimus hoc in loco Homeri, non Telemachum, ſed famulos, qui aſtabant, obtuliſſe convivis pocula, ut libarent: & ne quis ſuſpicetur ſermonem eſſe hic de effuſione, non de prægustatione, ratio convivii pro nobis ſtabit; ſic enim allata græca carmina, latinè redduntur.

Cæterum poſtquam libaveris, & ſupplicaveris, ut decens eſt,
Da, & huic poculum dulciſſimi vini
Libare.

Sunt & alia plura Homeri loca, ex quibus ritus hic libationis, atque pocula porrigendi præclarè probari poſſet: eſt oſtendere veteres conſueviſſe, poculum ad libamina porrigere, primum uni ex ſacrificantibus, vel uni ex convivis, illi nimirum, qui ſupremum inter aſtantes forſitan teneret locum; ut de Mentore ex Homero perſpicuum eſt; hac de cauſa ut invicem ſibi porrigerent convivæ, ac ſacrificantes vini vas. quamobrem Virgil. lib. 8. Æneid. eamdem conſuetudinem reſpiciens, ait:

. . . . . . *& pocula porgite dextris.*

Et ne à ſacris recedamus, ſtat pro iſto ritu locus ille Deuteron. in quo Deus exprobrat Iſraëlitis, ſacrorum prophanorum cultum, in quibus habebant fiduciam, dicens: *Ubi ſunt Dii eorum, in quibus habebant fiduciam, de quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminum.* Ex quo apertè conſtat conſueviſſe ſacrificantes, bibere vinum, quod Numini oblatum fuerat: hoc autem fiebat diſtribuendo pocula. quamobrem Chriſtus quoque Salvator noſter, (quod non eſt prætereundum) cum in nocte ante ſuam Paſſionem, vinum in ſanguinem permutaſſet; ex eo ipſe guſtavit, & ſtatim Diſcipulis præbuit, dicens: *Dividite inter vos, & bibite ex eo omnes:* ut ſacrificii rationem habuiſſe, in ſacra illa inſtitutione probaretur; & in ſacra Euchariſtia, ſacrificii ritus, Eccleſiæ ſuæ ſanctæ tradidiſſe, perſpicuum fieret.

Ubi vinum deguſtaſſent ii qui ſacrificio intererant; victima mola ſalſa, & vino inſpergebatur. ita Roſinus lib. 3. antiquit. ubi ſupra, docet: *His peractis ſacrum ab immolatione Sacerdos inchoabat, fruges, aut molam ſalſam in caput victimæ deponebat, addito thure maſculo; deinde vinum aſpergebat.* hæc Roſinus, ex quibus intelligitur illud Ovid. lib. 3. Faſt.

Atque aliquis modo trux viſa jam vertitur ara;
Vinaque dat tepidis, ſalſaque farra focis.

Non enim mactabatur victima, quin prius in altari ignis arderet quia igitur eadem mola ſalſa, & vinum, quæ fronti victimæ inſperſa fuerant, in altari projiciebantur; propterea Poëta focis dat vina, ac farra ſalſa, quia inter cornua victimæ, inter quæ mola ſalſa projiciebatur, una cum vino illa jactabatur. hinc illud Virg. lib. 4. Æneid. in ſacris Didonis Æneæ nupturæ dixit:

Ipſa tenens dextra pateram pulcherrima Dido,
Candentis vaccæ media inter cornua fundit.

& lib. 1. Faſtor. Ovid. n. 357. vitem commiſeratur à capro corroſam, atque in illum inſurgens Poëta, ait:

Rode caper vitem: tamen huic cum ſtabis ad aram,
In tua quod ſpargi cornua poſſit, erit.

Sed fortaſſe quis locum certum ſpargendi vina quæret in hoſtia: nam inter cornua ſpargi una dicuntur; quæ in capite hoſtiæ ſupra frontem ſpargerentur.

A verum in ipſa fronte vina ſpargenda fuiſſe, idem in eodem libro. n. 720. aperuit, dicens:

Thura, Sacerdotes, pacalibus addite flammis;
Albaque perfuſa victima fronte cadat.

Fundebatur pariter vinum foculo jam accenſo; quamobrem Virgil. Georg. 4. ait:

Ter liquido ardentem perfudit nectare veſtam;
Ter flamma ad ſummum tecti ſubjecta reluxit.

Et Ovid. lib. 5. Triſtium eleg. 5. quæ eſt in natalem uxoris ſuæ, vini ſuper ignem fuſi in aram meminit, dicens:

B

Araque gramineo viridis de ceſpite fiat;
Et velet tepidos nexa corona focos.
Da mihi thura, puer, pingues facientia flammas,
Quodque pio fuſum ſtridat in igne merum.

Poſtquam etiam mactata hoſtia eſſet, membraque flammis impoſita, in Deorum honorem cremanda; vino ſimiliter tam exta, quàm etiam femora, aris impoſita perfundebantur, iterum, atque iterum, & tertio: quamobrem Homer. in deſcriptione ſacrificii Neſtoris ait Odyſſ. lib.

. . . . *ἐπεὶ δ' αἴθοπα οἶνον*
C *λεῖβε.*

Quæ Homeri ſapientiſſimi loca; in quibus de ſacrificiis, atque de libationibus eſt ſermo, vini effuſione ſuper hoſtiarum diſſecta membra meminit, dum adhuc inter ipſos ignes in altari ea ipſa cremarentur, ſic enim illa interpretantur.

. . . . . . *Super autem femora vinum*
Libavit.

Stat pro iſto ritu etiam Virg. lib. 4. Georg. cum deſcribit ſacrum convivium, illudque magnificum, quo Cyrene filium, loco feſtivo excepit, in quem aram thure incenſam ponit, medioſque inter focos li-
D bationes appoſuit, dicens:

. . . . *Panchæis adoleſcunt ignibus aræ,*
Et mater, cape Mæonii Carcheſia Bacchi,
Oceano libemus, ait.

Macrobius quoque lib. 7. *Pari more*, inquit, *poſt ſolitos victus liborum, & pultium, hoſtiarumque Cæſarum, quo putrefiat facilius, & percoquatur cibus, frequentiſſimo irrigant, accipiuntque ſe vino.* Cydipes pariter apud Ovid. ſcribens ad Acontium in epiſt. quæ eſt Poëtæ vigeſima, Delum ſe adveniſſe ſcribit, dicens:

E *Protinus egreſſæ, ſuperis, quibus inſula ſacra eſt,*
Flava ſalutatis thura, merumque damus.

Itaque thuris, ac vini meminit ſtatim, ubi de religioſo cultu agitur. una verò cum frugibus, in ignes vina immiſſa dicit lib. 2. Faſtor. n. 651. in quo ſermo eſt de ſacris, quæ Deo Termino offerebantur, dicit:

Inde, ubi ter fruges medios immiſit in ignes,
Porrigit inciſos filia parva favos.
Vina tenent alii: libantur ſingula flammis.
Spectant, & linguis candida turba favent.

Ut ferè tota ſacrificii ratio in effuſione, & vini uſu poſita videretur. nam ad numerum determina-
F tum etiam libabatur, & in ſacrificiis natalitiis, toties vinum in altari ſuper ignem effundebatur; quoti fuiſſent anni illius pro quo ſacrum fiebat. ita Ovid. lib. 3. Triſt. eleg. 13. quæ eſt de ſuo natali, ait:

Fumida cingatur florentibus ara coronis,
Micaque ſolemni thuris in igne ſonet?

Li-

Libaque dem pro te genitale notantia tempus?
Concipiamque bonas ore favente preces?

Habebant etiam veteres, pro his libationibus ſignata verba, quibus utebantur. dicebant enim MACTVS. HOC. VINO. INFERIO. ESTO Inferium autem vinum à veteribus, ideò dictum docet Trebatius, ne omne vinum, quod in cellis, & apothecis habebatur, religione obligatum videretur; ſed tantum illud, quod effundebatur tunc, vel ad frontem victimæ, vel in altari ſuper ſacrificia injiciebatur. quod propriè, ut puto, σπένδω dicebatur, forſitan à verbo σπονδίζω, quod eſt *uro*, quia nimirum ibi comburebatur.

Vinum etiam ſanguini veteres commiſcebant, ac eiſdem aram deturpabant. quamobrem Herodian. lib. 5. ſcribens Heliogabali inſolentiſſimos mores, ait: Βωμοὺς τε πλείστους περὶ τὸν νεὼν ἱδρύσας, ἑκάστοτε πρωϊὼν ἔωθεν, ἑκατομβάς τε ταύρων, καὶ προβάτων πολὺ πλῆθος κατέσφαττε, τοῖς τε βωμοῖς ἐπετίθει, παντοδαποῖς ἀρώμασι σωρεύων, οἴνου τε τοῦ παλαιοτάτου, καὶ καλλίστου, πολλοὺς ἀμφορέας τῶν βωμῶν προχέων, ὡς ῥεῖθρα φέρεσθαι οἴνου τε, καὶ αἵματος μεμιγμένου. hoc eſt, *Aras autem plurimas circa templum erigens, prodiens autem mane quotidie, hecatombas taurorum, & ovium maximam multitudinem immolabat, & aris ſuperimponebat, omne genus odoribus coacervatis; vini quoque veterrimi & optimi plures amphoras in aris profundebat, ut rivi excurrerent vini & ſanguinis commixti.* Quæ de vino & ſanguine in pateris permixto antequam ſuper ignes effunderetur ex pateris; an verò ita ſanguis vino permixtus excurrerit; ut tamen ſuper ignem ſeorſum unuſquiſque prius profuſus fuerit, & de his Herodianus ſit intelligendus; viderint alii. ſatis ſit nobis quod vinum ſanguini jungebatur in ſacris, quod etiam illud Papinii lib. 6. Thebaid. probat, dicentis:

Spumantesque mero pateræ verguntur, & atri
Sanguinis, & rapti graviſſima Cymbia lactis.

Hac vini & ſanguinis commixtione in libaminibus, illuſtratur locus Nonni in Dionyſ. lib. 7. num. 14. ubi oſtendens vini virtutem, & libandi morem, dicit:

. . . . . . οὐ τότε λοιβὴ
Ἠερίους ἐμέθυσσε πόρους εὐώδεϊ καπνῷ
Οἰνοβαφής.

Nam dictio hæc poſtrema conſtruitur cum alia priori λοιβὴ, id eſt *libatio*: dicitur autem libatio Οἰνοβαφὴς, id eſt, *vino tincta*, quia ſanguini in libationibus, vinum commiſcebatur ex inſtitutis ſacrorum. Propterea Poëta dixit libationem, id eſt ſanguinis effuſionem, quæ fiebat ſuper ignes, & victimam in altari, vino fuiſſe tinctam. ſic enim interpretantur illa carmina:

. . . . *non tunc libatio*
Aërios perfuderat meatus bene olenti fumo
Vino tincta.

id eſt, antequam Bacchus vini fructum reperiret; fiebat quidem victimæ mactatæ libatio, ſolo cum ſanguine; at vino nequaquam illa libatio tingebatur: ſed vino reperto, jam libatio ſanguinis, vino quoque tingitur. ne verò innumerabilia congeram, ſatis ſit dixiſſe; numquam libationibus in Ethnicorum ſacris finem fuiſſe. quod irridens Arnobius lib. 6. ait: *Non cæſorum ſanguinem animalium damus, non thura, non fruges ſalſas, non denique vinum liquens paterarum infuſionibus inferimus.*

Nam ſanguis vino admixtus facilius diluitur; magisque aptus ad aſperſiones, & ad effuſiones redditur, quæ ſuper hoſtiarum diſſecta membra in altari

A fiebant, ſuper ſtruem lignorum. de quo Nonnus Dionyſ. lib. 5. nu. 270. dicens:

Καὶ διὸς ἰκμαίοιο θυώδεα βωμὸν ἀνάψας
Αἵματι ταυρείῳ γλυκερὴν ἐπεχεύατο λοιβήν.

hoc eſt, γλυκερὴν λοιβὴν, *dulce libamen*: quo nomine vinum appellat, ἐπεχεύατο, *effudit*, αἵματι ταυρείῳ, *ſanguine taurino*, nimirum admiſcuit. Illud enim ἐπεχεύατο *ſuperfuſionem* ſignificat; ut ex vi vocis perſpicuum ſit, vinum admixtum ſanguine, in altari ſuper ſacrificia effundi ſolitum. ſic enim illa interpretantur Nonni carmina:

B *Et Jovis humidi fragrantem cum adoleviſſet oram,*
Sanguine taurino dulce ſuperfudit libamen.

Altarium etiam contactus, juxta ritus ſacrificiorum, huic effuſioni jungebatur. nam ſanguis ſtatim ac jugulum exierit, congelatur, conſtipaturque adeò, ut humore egeat. vino igitur ſanguis non modico commiſcebatur; ut etiam per canales ad altaris baſim excurreret. membra verò igni impoſita vino fuiſſe conſperſa illud Homeri probat.

ἐπεὶ δ' αἴθοπα οἶνον λεῖβε.

hoc eſt, *Super autem femora vinum libavit.* Sicut etiam illud Homeri Iliad. lib. 11. de Peleo ſacrificante, & in aureo cyatho libante, de quo Poëta dixit.

C

. . . . γέρων δ' ἱππηλάτα Πηλεὺς
πίονα μηρί' ἔκηε βοὸς Διὶ τερπικεραύνῳ,
αὐλῆς ἐν χόρτῳ, ἔχε δὲ χρύσειον ἄλεισον,
σπένδων αἴθοπα οἶνον ἐπ' αἰθομένοις ἱεροῖσι.

De cyatho igitur ad ſacrum Poëta loquitur, vel magis propriè de gutto, ſive patera ſacrificali illum loquutum dicemus. non enim ibi de libatione antecedente ſacrum, ſed de effuſione vini inter ipſa ſacra agitur. ſic enim interpretantur illa carmina.

D . . . . *Senex equitator Peleus*
Pinguia femora adolebat bovis Jovi gaudenti fulmine,
Aulæ in ſepto, tenebat autem aureum cyathum,
Libans nigrum vinum ſuper ardentia ſacra.

Ex quibus clarè, effuſio vini ſuper membra victimarum ardentium in altari, perſpicua eſt. de quo etiam Cointhus Smyrn. lib. 14. Paralip. num. 101. loquitur de ſacrificiis Græcorum, quibus ipſi gratias Diis agebant, Trojana jam abſoluta expeditione, dicens:

Ἀργεῖοι δ' ἄρα πολλὰ βοῶν ἐπὶ μηρία θέντες
E Καῖον ὁμῶς σχίζησι· καὶ ἐσσύμενοι περὶ βωμοὺς
Λείβεσκον μέθυ λαρὸν ἐπ' αἰθομένῃσι θυηλαῖς
Ἦρα θεοῖσι φέροντες.

In quibus Poëta membrorum victimarum meminit; quæ in altari Græci gaudentes concremabant; vinoque de more ſacrorum imbuebant; ne ritus ſacrificiorum omiſiſſe viderentur. ſic enim carmina allata interpretantur.

Argivi autem plurima boum femora aris imponentes
Cremabant una cum fiſſis lignis, & euntes circa altaria
Libabant vinum dulce ſuper incenſas victimas
F *Gratias Diis agentes.*

Sed quia, ut ſæpè diximus, Ethnici, ſacros ritus, quadam κακοζηλίᾳ ab inſtitutis Moſaicis ſuffurari non ſunt veriti; libamina quoque habuiſſe Hebræos, pluribus in locis ſacræ nobis aperiunt paginæ. Libaminum quoque nomine vina, ſiceramque venire, quæ in ſacrificiis offerebantur; non ſolum ad prægustationes, quæ fiebant inter ſacrificantes Numinis

minis gratia, ſed etiam ad effuſiones ejuſdem vini ſuper ignem, qui ardebat in altari, res eſt certior, quam probatione indigeat. nam Exodi 29. ubi de cultu Tabernaculi, Altarium, & Sacerdotum ſermo eſt; atque poſt eorumdem conſecrationem, ſacrificiorum ritus exprimuntur, dicitur: *Hoc eſt quod facies in altari: Agnos anniculos duos per ſingulos dies jugiter, unum agnum mane, & alterum veſpere, decimam partem ſimilæ conſperſæ oleo tuſo, quod habeat menſuram quartam partem hin, & vinum ad libandum ejuſdem menſuræ in agno uno. Alterum verò agnum, &c.* Eſt etiam lex generalis pro omni ſacrificio Num. 15. in quo dicitur: *Cum ingreſſi fueritis terram habitationis veſtræ, quam ego dabo vobis, & feceritis oblationem Domino in holocauſtum, aut victimam, vota ſolventes, vel ſponte offerentes munera, aut in ſolemnitatibus veſtris adolentes odorem ſuavitatis Domino, de bobus, ſive de ovibus: offeret quicumque immolaverit victimam, ſacrificium ſimilæ, decimam partem ephi, conſperſæ oleo, quod menſuram habebit quartam partem hin; & vinum ad liba fundenda ejuſdem menſuræ, dabit in holocauſtum, ſive in victimam.* Hæc dicuntur in univerſum in ſacris libris de ſacrificiis. ſtatim etiam ibidem lex ſacrificii quotidiani duorum agnorum reperitur, & vini libamen ad tertiam partem ejuſdem menſuræ præſcribitur. Itaque in ſacris à Deo inſtitutis, tria in quocumque ſacrificio offerebantur, nimirum hoſtia ad mactandum, oblatio quæ farinacea erat, & vina ad libandum. quod etiam cap. 28. ejuſdem libri replicatur his verbis: *Libamenta autem vini, quæ per ſingulas fundenda ſunt victimas, iſta erunt.* & cap. 29. de his ſæpiſſimè agitur. ut perſpicuum ſit, vinum ad libamen ſacrificiis Domini fuiſſe adeò junctum, ut nullum ſine libamine in lege Moſaica ſacrum fieret.

Quamvis verò, ut jam vidimus, libare propriè dicatur de prægustatione, quæ ſacrificium præcedebat; & nequaquam propriè de effuſione vini in altari: quia tamen uno, eodemque vino tam prægustationes, quam effuſiones fiebant: hac de cauſa illa vina dicebantur libamina, & libamenta; præſertim in noſtro vulgato Interprete, cum potius dicenda forent vina ad effundendum, ſicut habetur in phraſi hebraica; quia illa effuſio in Dei cultum fiebat, atque propterea veluti principalior actio in ſacrificiis, quæ hac occaſione in altari offerebantur, in ſacris codicibus vina, ad fundendum appellantur. loca nonnulla jam adduximus ex interprete etiam vulgato, ſed in hebraico exemplari paſſim habentur, pro libamentis, & libaminibus noſtri Interpretis, effuſiones vini. licet verò una, eademque voce à noſtro Interprete illa duo ſignificentur; diſtinctis tamen dictionibus hebraicè exprimuntur; ut Linguæ ſanctæ peritis conſtat. nam effundere, in cultum etiam religionis per verbum נסך *naſach* explicatur; ut locis citatis conſtat: libare verò etiam in ſacris per verbum שתה *ſciathah* exprimitur: ut Iſaiæ cap. 62. in quo ſermo eſt de ſacra compotatione, & dicitur: *Et qui comportant illud, bibent in atriis ſanctis meis.* Sic etiam per idem verbum illud exprimitur Deuteron. cap. 32. num. 38. in quo ſermo eſt de cultu idolorum, & dicitur idololatras bibiſſe vinum libaminum.

CAP. XLIII.

Sacri Simpuli forma aperitur.

Ad loca Exodi 25. *Parabis & acetabula, ac phialas, thuribula, & cyathos, in quibus offerenda ſunt libamina.* 1. Paralip. 28. *Ad fuſcinulas quoque & phialas, & thuribula ex auro puriſſimo, & leunculos aureos pro qualitate menſuræ pondus diſtribuit.* & ad alia plura.

A

DIFFICILIORA remanent explicanda: nam vaſa, quæ tertio loco enumerantur ad uſum menſæ in ſacris oraculis; קשות *qheſoth* hebraicè appellantur; ſed à noſtro Interprete thuribula appellata fuiſſe monſtravimus: non quidem quod hæc dictio, hebraicæ illi קשות *queſoth* reſpondeat; ſed anterioris vocis elucidationis gratia, ut jam ſupra explicavimus. Καὶ τὰ σπονδεῖα dixere Septuaginta, ut vidimus. Fuiſſe autem propriè σπονδεῖον inſtrumentum ad ſacrificiorum uſum, habetur ex ſacris,
B & prophanis litteris: nam lib. 1. Paralip. cap. 28. ubi ſermo eſt de auro, quod David reliquit Salomoni in ædificio domus Domini, & de vaſculis in uſum ſacræ menſæ dicitur: *Aurum quoque dedit in menſas Propoſitionis, pro diverſitate menſarum, ſimiliter & argentum in alias menſas argenteas: ad fuſcinulas quoque & phialas & thuribula ex auro puriſſimo, & leunculos aureos, pro qualitate menſuræ pondus diſtribuit in leunculum & leunculum.* ubi quæ phialæ dictæ ſunt in vulgato; græca exemplaria habent σπονδεῖον. & ſic allatum jam à nobis locum reddunt: εἰς τὸ χρυσίον ἔδωκεν αὐτῷ ὁμοίως τὸν σταθμὸν τῶν τραπεζῶν τῆς προθέσεως, ἑκάστης τραπέζης χρυσῆς, καὶ ὡσαύτως τῶν ἀργυρῶν, καὶ τῶν
C κρεαγρῶν, καὶ σπονδείων, καὶ τῶν φιαλῶν τῶν χρυσῶν. καὶ τὸν σταθμὸν τῶν χρυσῶν, καὶ τῶν ἀργυρῶν, καὶ θυΐσκων κεφουρὲ, ἑκάστου σταθμοῦ. hoc eſt, *Quod ad aurum dedit ei ſimiliter pondus menſarum Propoſitionis, ſingulæ menſæ aureæ, & ſimiliter argentearum: & fuſcinularum, & libatoriorum, & phialarum aurearum, pondus aurearum & argentearum, & thuribulorum Cephuræ, cujuſque ponderis.* ſimiliter etiam inter inſtrumenta ſacra recenſentur ſpondia à Polluce lib. 10. cap. 18. in quo ſermo eſt de libaminibus ab his libandis, qui ad balnea ingrederentur: poſtquam enim altaris meminiſſet, ait: καὶ τοῦ, καὶ σπονδεῖον ᾧ τὸν οἶνον ἐπισπένδουσι. hoc eſt, *Tum & libatorium, quo vinum libant*, ſic
D locum communiter reddunt: itaque libatoria fuiſſe ad uſum ſacræ menſæ certiſſimum eſt, quicquid Rabbini, ut vidimus, quibuſdam mediis fiſtulis ſomnient, quibus panes ſuſtentarentur. ſacri etiam codices illorum ſomnia reprobant dum legunt, *Parabis & acetabula, ac phialas, thuribula & cyathos, in quibus offerenda ſunt libamina.*

Cum igitur veterum tam Ethnicorum, quàm Moſaicorum libaminum, viderimus uſum, & frequentiſſimum cultum capite præcedenti; propterea neceſſe quoque eſt, illos habuiſſe vaſa, ad hujuſmodi libaminum cultum. tria igitur hic à nobis vaſorum genera conſideranda erunt; alterum nimirum quo
E vinum libaminum ad Sacerdotem in atrium adferebatur, juxta Domini præſcriptionem ex ſtatutis ſacrificiorum. de quo dicitur Numer. cap. 15. *Offeret quicumque immolaverit victimam, ſacrificium ſimilæ, decimam partem ephi, conſperſæ oleo, quod menſuram habebit quartam partem hin: & vinum ad liba fundenda ejuſdem menſuræ dabit in holocauſtum ſive in victimam.* quod fortaſſe vas נבל *nebhel* dicebatur apud Hebræos. Cum enim in quocumque ſacro, tres hoſtiæ ex communi ritu ſacrificiorum mactarentur: prior nimirum pro peccato, altera in holocauſtum, & tertia denique appellaretur hoſtia pacificorum; unico vaſe, totum vinum quod ad tres iſtas hoſtias requi-
F ſitum erat, ab eo qui ſacrum agebat, portabatur. pro his ſtat locus 1. Reg. cap. 1. in quo Anna mater Samuelis cum puerum ablactaſſet, ac in Silo ſacrificii cauſa veniſſet, dicitur num. 24. *Et adduxit eum ſecum poſtquam ablactaverat in vitulis tribus, & tribus modiis farinæ, & amphora vini.* quod aut Latinis eſt amphora, נבל *nebhel* hebraicè dicitur. quod quidem unicum vini vas tribus hoſtiis reſpondebat, ut perſpi-

ſpicuum eſt. at alibi lagena appellatur, ut cap. 10. ejuſdem libri, in quo Samuel electionis Sauli in Regem ſignum, eidem ex ſacrificio præſtat, dicens nu. 3. *Cumque abieris inde, & ultra tranſieris, & veneris ad quercum Thabor, invenient te ibi tres viri aſcendentes ad Deum in Bethel, unus portans tres hœdos, & alius tres tortas panis, & alius portans lagenam vini.* quæ vini lagena, tribus ſimiliter hoſtiis reſpondens, eodem vocabulo נֵבֶל *nebhel* hebraicè exprimitur. hujus quoque fortaſſe generis erant lapideæ hydriæ, de quibus Joannes in nuptiis Canæ Galileæ, dicit:

A *Erant enim ibi lapideæ hydriæ ſex poſitæ, ſecundum purificationem Judæorum.* Erat enim purificatio genus cultus, quod ſacra reſpiciebat, ut ſæpè diximus: itaque illæ vini hydriæ erant vaſa, quæ ratione cultus nuptialis, juxta mandata legis ad vinum in ſacro nuptiali deſerviebant.

Cujus fuerint formæ vaſa libaminum, ignotum omnino eſt. Ex Gentilibus inveſtigare hæc ſi voluerimus, ex lapidibus, nummis, & aliis veterum monumentis exhibebimus hujus vaſis formam qualem Fig. A. proponimus.



Quod vaſis genus Præfericulum ab Ethnicis appellatur, & inter religionis inſtrumenta recenſitum cognovimus ex locis jam citatis; quamobrem etiam in lapidibus in religionis notam lauro afficitur. De hoc vaſe ita Feſtus Pauli: *Præfericulum vas æneum ſine anſa*, ſupple eſt, *patens ſummum velut pelvis, quo ad ſacrificia utebantur.* & in ſchedis Feſti ex Fulvio Urſino adjunguntur hæc verba: *In ſacrario Opis conſivæ.* Lapides verò ac nummi his contradicunt, in eo quod præfericulum fuiſſe vas ſine anſa dicunt, nam ubique anſa affectum viſitur, uti monſtravimus in icone jam poſita: vetuſtate hæc fiunt obſcura. ut autem ad ſacra redeamus; ex Græcis exemplaribus parum, aut nihil de his habetur: nam 1. Reg. cap. 1. vocem Hebraicam illa retinuerunt in nomine vaſis dicendo: καὶ ἀνέβη μετ᾽ αὐτοῦ εἰς σηλὼμ ἐν μόσχῳ τριετίζοντι, καὶ ἄρτοις, καὶ οἰφὶ σεμιδάλεως, καὶ νέβελ οἴνου. hoc eſt, *Et aſcendit* (ſupple Anna) *cum eo in Silo in vitulo trimo, & panibus & ephi ſimilæ, & nebhel vini.* Magis videntur expreſſiſſe vaſis genus cap. 10. ejuſdem libri. ſic enim habent, καὶ ἀπελεύσῃ ἐκεῖθεν καὶ ἐπέκεινα, καὶ ἥξεις ἕως τῆς δρυὸς θαβὼρ, καὶ εὑρήσεις ἐκεῖ τρεῖς ἄνδρας ἀναβαίνοντας πρὸς τὸν θεὸν εἰς βαιθὴλ, ἕνα αἴροντα τρία αἰγίδια, καὶ ἕνα αἴροντα τρία ἀγγεῖα ἄρτων, καὶ ἕνα αἴροντα ἀσκὸν οἴνου. hoc eſt, *Et abibis inde & ultra, & tranſibis, & venies uſque ad quercus Thabor, & invenies ibi tres viros aſcendentes ad Deum in Bethel, unum ferentem tres capras, & unum ferentem tres menſuras panum, & unum ferentem utrem vini.* itaque vas, quod primo dixit *nebhel*, ſecundo loco dixit *utrem.* Vulgatus, interdum illud idem vas vertit per amphoram, interdum per lagenam. vas vini his vocabulis ſignificari certum eſt. De forma dubitatur, quapropter aliorum lucubrationibus hoc dimittendum

D cenſui: videatur quid de menſuris Arias Montanus, Villalpandus, & alii ſcripſerunt.

Erat autem adeò ſacrificiis proprium libamen, ut inter religionis notas, una cum ſimpulo, & lituo vas iſtud in nummis teneat locum, cui ſeceſpita, & aſperſorium etiam aliquando adjungitur. Verum præter iſtud vas duo alia excogitare oportet, nimirum quo vinum prægustabatur ante ſacrificium; & aliud quo illud inter victimæ cornua effundebatur, in ara, in ignibus, & in toto ſacrificio. nunc de his nobis non eſt loquendum, ſed de priori vaſorum genere, quæ libatoria dici poſſunt: quia, ut diximus, libare eſt ſupremis labiis guſtare, atque propterea libatio propriè dicebatur prægustatio illa, quæ

E ſacrum præcedebat, & libatoria, vaſa quæ ſacrificium præcedebant. Etenim Græcos ea habuiſſe dictio σπονδεῖα, atque etiam altera λοιβεῖα manifeſtat: illa enim libatoria interpretantur; quorum ſæpiſſimè apud Auctores tam Poëtas, quàm alios mentio habetur: nam ex multiplici uſu libaminum in ſacrificiis, numerus etiam libatoriorum, penè innumerabilis perſpicue colligi poteſt.

Quod autem in ſacris quoque Hebræorum, hæc vaſa haberentur, atque illorum multitudo, quodammodo innumerabilis eſſet: ſacer textus declarat, lib. 1. Machab. 1. in quo ſermo eſt de Antiocho Rege

F Syriæ, qui Templum ſacrum Jeroſolymitanum auſus eſt prophanare. *Et intravit in ſanctificationem cum ſuperbia*, ait textus, *& accepit phialas, & mortariola aurea, & velum, &c.* & cap. 2. lib. 3. Eſdræ; divinus cultus per Cyrum Perſarum Regem reſtitutus ſcribitur; cum reædificatione Jeroſolymitani Templi, ac urbis, omniumque ſacrorum utenſilium reſtitutione, quæ Nabuchodonoſor de Templo Jeroſo-

roſolymitano abſtulerat, atque Babyloniam tranſtulerat. aliqua etiam vaſorum ſupputatio habetur hac forma: *Et Cyrus Rex protulit vaſa ſacra Domini, quæ tranſtulit Nabuchodonoſor Rex Babylonis ex Jeruſalem, & conſecravit ea Idolo ſuo. & proferens ea Cyrus Rex Perſarum, tradidit Mitridato, qui erat ſuper theſauros ipſius. per hunc autem tradita ſunt Salmanaſaro Præſidi Judææ. horum autem hic numerus. libatoria argentea duo millia quadringenta, athiſcæ argenteæ triginta, phialæ aureæ triginta; item argenteæ duo millia quadringentæ, & alia vaſa mille; omnia autem vaſa aurea, & argentea quinque millia octingenta ſexaginta.* hæc ibi. quæ quamvis non ſint ex ſcripturis canonicis; ſunt tamen ex ſcripturis quaſi canonicis; quæque fuerunt aliquando à nonnullis ex Patribus & aliis, inter Scripturarum loca repoſita. Perſpicuum igitur eſt, in Templo Jeroſolymitano, non ſolum uſum libaminum adfuiſſe; ſed etiam libatoriorum: nec unum, aut alterum tantum habuiſſe Judæorum ſacra, ſed plurima: libatoria quoque inter ſacra vaſa, quæ ad Menſam Panum Propoſitionis pertinebant, pariter primo libro Machabæorum loco citato recenſita fuiſſe.

Formam horum vaſorum quærendam eſſe ratio poſtulat: nec nobis recedendum erit ab illis, qui in Menſa ſacra aſſervabantur, & קשות *qeſoth* dicebantur; quo quidem vocabulo ex communi conſenſu interpretum, tam Latinorum, quàm Rabbinorum in explicatione radicum medias quaſdam fiſtulas ſignificari dicitur. nos quoque aſſentiendo huic interpretationi, quænam vaſa à mediis his fiſtulis denominationem ſumant, inveſtigare non veremur. vaſa enim quæcumque aliquando à materia, interdum ab inventore, nonnumquam à re ad quam conſervandam deſtinantur, ſæpiſſimè à forma, interdum etiam ab his, quæ ad ornatum formæ, & ad uſum etiam faciunt, denominationem ſumpſiſſe, nota res eſt. à materia appellantur alabaſtra, ab inventore murrina; hydriæ nominantur ab aqua ad quam primo ſervandam deſtinata fuerunt; calyces, pateræ & lenticulæ, ac alia hujuſmodi à forma nominantur; gryphi, & alia plura, de quibus Athenæus & Pollux, talia à figuris nonnullis dicebantur; quibus ornabatur ipſorum forma; à quibus etiam קשות *qheſoth* Hebræorum, quaſi medias fiſtulas appellata putamus; quod nimirum uſus gratia, medias has fiſtulas, illa vaſa haberent.

Cum igitur hæc ad uſum ſacrorum eſſent, inveſtigandum remanet cujus eſſent formæ. de qua ſic Villalp. tom. 2. Explan. par. 2. in cap. 41. Ezech. lib. 4. c. 57. *Vas quoddam ductile ſignificabit, ſignis aſperum, ac variis cælaturis: ita ut aptè expoſuiſſe videatur Vatablus opercula & crateres, quibus tegerentur thus & Panes propoſitionis: nam ut dixi, hæc omnia intra vas primum conſtituta, uno, eodemque operculo vas ipſum claudente operiebantur.* Hæc autem an verè dicantur à Villalpando, viderint alii.

Ex veterum cæremoniis, vocabuli ſignificatione retenta, vaſis forma à nobis expiſcanda erit; & inveſtigandum inter veterum ſacra vaſa, quænam ex illis has medias fiſtulas, ſive canales excavatos haberent. Nec aliud inter ea occurrit, niſi ſimpulum veterum Ethnicorum, ſive ſimpuvium, ut alii dicunt, vel ſimpinium juxta alios, de quibus vocabulis noſtra non erit controverſia: hæc enim vaſa certum eſt, has medias fiſtulas habuiſſe non ſolum à tergo, ubi manubrio ſatis longo fulciuntur, uno altero majore, quod veluti quemdam canalem excavatum habent; ſed etiam in anteriori parte, unde liquor deguſtabatur, medio canali vas excavatur, ad vinum fundendum, deguſtandum, atque libandum; ſicque extra protenditur, ut ori cum adjungitur, vini tantillum exſorbere liceat: quod conſtat ex ejus

A forma, quam ex antiquis lapidibus, nummis & monumentis, ſuperioris iconis Fig. B. delineandam curavimus. nam nos ipſi ex Vaticanis hortis, & in his ex vetuſtiſſimo lapide, illam accepimus ſimpuli delineationem, quæ etiam pluribus aliis in monumentis veterum, ubique conſpicitur.

Iſto igitur vaſe, veteres in libationibus Deorum uſos fuiſſe, lapides, nummi, Scriptores tam poëtæ, quàm oratores paſſim teſtantur. nam Plin. 35. cap. 12. *In ſacris*, inquit, *non murrinis, chriſtallinisve, ſed fictilibus ſimpulis prolibabatur innocentius.* Loquebatur enim ille de veteri Romanorum ſimplicitate, ac paupertate. M. Varro ſimpula fuiſſe ſcribit caly- B ces fictiles, & vaſcula, quibus utebantur in ſacrificiis, à ſumendo dicta; quod his vinum minutatim ſumerent. verba illius ponam. *Quo vinum dabant, ut minutatim funderent à guttis, Guttum appellarunt, & quo ſumebant minutatim, à ſumendo ſimpulum nominavere. in hujuſce locum in conviviis è Græcia ſucceſſit Epichyſis, & Cyathus; in ſacrificiis remanſit guttum, & ſimpulum.* Nec erit ex Varrone prætereunda vocabuli etymologia, & in ea non quidem ſumptio minuta; quod nimirum vini parumper in vas immitteretur; ſed quod in præguſtationibus minutatim, & parum ex eo vini ſumerent ſacrificantes; ac propterea ſimpulum hoc vas appellatum, dixiſſe C Varronem; quo confirmantur, quæ jam capite præcedenti de præguſtationibus dicebamus, antecedentibus ſacrificium. Fuere enim adeò ex ritibus ſacris debitæ, ut vaſi nomen indiderint; & ſimpulum diceretur, quia minutatim ex eo vinum ſumeretur. quod etiam libatorium appellare latinè poſſumus, quia ſupremis labiis ex illo vaſe, vinum religionis gratia vix guſtaretur.

Feſtus quoque Pauli de ſimpulo dixit: *Simpulum vas parvum non diſſimile cyatho, quo vinum in ſacrificiis libabatur, unde & mulieres rebus divinis deditæ ſimpulatrices dicuntur.* Et quia, ut vidimus, ſimpulum fictile apud Romanos erat, quod primus poſt D Romulum Rex, religione Deorumque cultu ſummè laudatus Numa, in ſacris tradidiſſe ferebatur, propterea Juvenalis horum religionem irridens, dicebat:

Simpulum ridere Numæ, nigrumque catinum.

Appellat Numæ ſimpulum; quod ei hujus vaſis inventum Romani tribuerent. Si verò à forma, nomen ei indicere velimus, canalizatum, ſive fiſtulatum vas appellari poſſet; quod à tergo, & in anteriori, canalibus ſive mediis fiſtulis ornare- E tur.

Sed huc uſque extra Tabernaculum verſamur; Sanctum Domini ingrediamur; ſacramque menſam Iſraëlitarum repetamus; ſuper quam Propoſitionis panes imponebantur; ut ſingulis in Sabbatis renovarentur. Non quidem quod liba ſuper eam menſam offerrentur ſingulo Sabbato, quoties panes ſuper menſam ponerentur; quemadmodum Villalpandus exiſtimavit, Joſephi interpretatione latina deceptus, quam lib. 1. de bello cap. 5. ſic legit: *Pompejus una cum ſuis comitibus in templum ingreſſus, ubi neminem præter Pontificem adeſſe fas erat, quæ intus erant Candelabra cum lychnis, & menſis in quibus libare, atque adolere moris eſt, & vaſcula ex auro cuncta ſpe-* F *ctavit.* quamobrem talia fuiſſe vaſa putat, quæ in Arcu Titi ſupra menſam viſuntur; Joſephi verò locum minimè pro ſe ſtare advertiſſet Villalpand. ſi Græco exemplari, non interpretationi Latinæ fidem adhibuiſſet. ſic enim legitur. παρελθὼν γοῦν σὺν τοῖς περὶ αὐτὸν ὁ Πομπήϊος εἰς τὸν ναὸν, ἔνθα μόνῳ θεμιτὸν ἦν παριέναι τῷ ἀρχιερεῖ, τὰ ἔνδον ἐθεάσατο, λυχνίαν τε, καὶ λύχνους, καὶ τράπεζαν, καὶ σπονδεῖα, καὶ θυμιατήρια ὁλόχρυσα πάντα, πλῆθός τε ἀρωμάτων, &c. quæ ſic in-

interpretari debent : *Veniens igitur Pompejus cum comitibus in Templum , ubi ſoli Pontifici ingredi licet, interiora conſpexit , Candelabrum ſcilicet & lucernas, & menſam , & libatoria , & thymiateria undique aurea omnia, multitudinem etiam aromatum*, &c. Ex quibus conſtat nequaquam Joſephum dixiſſe , quod in illa menſa mos eſſet vinum libare , aut tunc cum panes illi imponebantur ; ſed tantum , quod in illa , libatoria à Pompeio viſa fuerunt.

Sed nullibi in ſacris litteris , huic ſacræ menſæ liba appoſita fuiſſe legimus , nec in prima erectione , neque poſtmodum cum Tabernaculum de loco ad locum tranſveheretur ; neque in expiatione Tabernaculi , neque aliqua alia occaſione. Si tamen conjecturis locus eſſet ; videretur dici poſſe, Hebræos tunc cum ſimila ad panes commaſſandos adferebant , etiam vinum ad libamina adferre conſueviſſe. Id conjectare poſſumus , ex generali regula ſacrorum , qua ſimilæ, & farinæ ſemper portio vini ad libandum Domino reſpondebat. nam cap. 28. Num. poſtquam ſacer textus de jugi ſacrificio meminiſſet, deque ejus libaminibus , ſubdit : *Die autem Sabbati offeretis duos agnos anniculos immaculatos , & duas decimas ſimilæ oleo conſperſæ in ſacrificio , & liba quæ ritè funduntur per ſingula Sabbata in holocauſtum ſempiternum.* Ambigi nunc poſſet, quæ ſint hæc liba , quæ ut dixit ſacer textus , per ſingula Sabbata ritè fundebantur. nam ſi dixerimus fore liba, reſpondentia jugi ſacrificio duorum agnorum ; ſubinferam, jam in ſuperioribus iſta ſatis explicata fuiſſe ; atque propterea minimè videbatur neceſſarium, addere aliquid aliud de libamentis, aut dictionem illam ritè apponere , quaſi jam dictum , declaratumque præſupponatur , quæ libamenta die Sabbati ſint offerenda. Sed rectè reſponſum putamus , quod de libaminibus ibi ſermo ſit ; quæ unicuique ſacrificio adjungebantur. Non enim in loco allato ſermo eſt de ſimila , quæ ad Panes propoſitionis commaſſandos offerebatur ; ſed de illa quæ cum victima ſacrificii quotidiani , quod in Sabbato duplicabatur , ad ſacrum altare ex publico afferebatur.

Cum igitur in Menſa ſacra Panis collocaretur, & alia inſtrumenta , ut vidimus , quæ ad ritum ſacrificiorum , in altari holocauſtorum faciebant, nimirum ad ſimilam oleo commaſſatam offerendam , vaſa incenſi , & alia quoque ad ſal , ut monſtravimus ex Philone ; fuiſſe etiam vaſa alia ad vini uſum , nimirum ad libamina , certum eſſe debet.

Quamobrem nullibi legitur , ſacrum textum meminiſſe horum Panum propoſitionis , in quo etiam non meminerit libatorii. ſic enim dicitur Exodi 25 *Parabis & acetabula , ac phialas , thuribula , & cyathos , in quibus offerenda ſunt libamina.* vel juxta hebraicum & noſtrum ſenſum : *Parabis & acetabula , & mortariola , & ſimpula.* hæc enim vaſa , quæ ſimpula , ſive ſimpuvia apud Latinos dicebantur ; à canalibus , ſive mediis fiſtulis , poſteriori nimirum , ac anteriori , quo vinum prægustabatur , & vas ſuſtentabatur ; in numero plurali קשות *qheſot* dicta apud Hebræos putamus : quòd non unum , aut alterum illorum in menſa haberetur, ſed ex his plura. Quod genus vaſis, nomine phialæ fortaſſe noſter intellexit Interpres ; quia ut habet Iſidor. lib. 20. cap. 5. *Vaſa potoria phialæ dictæ ſunt , quod patentes , diſpanſiſque labris ſint.* Simpulum anteriori labro expanſum fuiſſe, ex forma ipſius manifeſtum eſt ; ac propterea phiala dictum ſimpulum à noſtro Interprete , ſuſpicari non immeritò poteſt.

A CAP. XLIV.

Sacri cyathi ad vina fundenda forma , ex veterum monumentis declaratur.

Ad locum Exodi 25. *Parabis & acetabula , ac phialas , thuribula , & cyathos , in quibus offerenda ſunt libamina.* Illuſtratur locus 1. Paralip. cap. 28. *Ad fuſcinulas quoque & phialas , & thuribula ex auro puriſſimo , & leunculos aureos pro qualitate menſuræ pondus diſtribuit , in leunculum & leunculum. ſimiliter & in leones argenteos diverſum argenti pondus ſeparavit.* & ad alia plura.

B EXPOSITIO ſacrarum litterarum difficillima eſt; quod illius ætatis mores, ac conſuetudines, quæ à veteribus ſervabantur , tam in ſacris , quam in quibuſcumque quotidianis occaſionibus , adeò ſint antiquatæ ; ut nec ipſi Rabbini , jam quicquam ex ſacris intelligant litteris ; nec ad veras vocum ſignificationes pertingant. noſtri verò Dictionariorum auctores , eadem de veterum moribus ignorantes , aut vix , aut numquam à Rabbinis , interpretando ſacrarum litterarum voces, diſcedunt. quamobrem ex Ethnicorum κακοζηλίᾳ , jure optimo veterum mores
C explicare cogimur ; ex illiſque veluti ſacrorum inſtitutorum prædonibus , intelligentia divinorum oraculorum , quantum conjectura concedit, petere non eſt incongruum.

Remanent igitur in hac ſacra menſa inveſtiganda, quænam ſint illa vaſa, quæ מנקיות *menaqhioth* hebraicè , & in Græco ſacrorum exemplari κύαθοι appellantur : quam vocem retinens noſter Interpres, cyathos dixit , Exodi 25. *Parabis & acetabula ac phialas , thuribula , & cyathos , in quibus offerenda ſunt libamina.* Hebræi recentiores ritus ſacrificiorum ignorantes , ineptire coguntur. Emundatoria, ut vidimus , dixit M. Marin. & cum illo alii quoque he-
D braizantes , Dictionariorumque auctores.

Rabbini quia nequeunt effugere, hanc vocem derivari à radice hebraica נקה ſignificarique illa dictione , aliquod vas vacuum , veluti ſcutella ; affirmare audent , hac voce ſignificari quædam vaſa , quibus operiebantur Panes Propoſitionis : nec vident, panes iſtos habuiſſe ponderis decem libras , & ſemiſſem ; quamobrem *catini* ea vaſa dicenda fuiſſent , & non מנקיות *menaqioth* ſed קערות *qhengharoth* hebraicè. Verum cum Rabbini in fundo horum panum , ut ſacræ menſæ imponerentur , vaſa aliqua non admiſerint , ut vidimus cap. præced. nec vaſa ad panes operiendos admittere debuiſſent : ea cum primis de ratione,
E quod ex ipſis ſint plures , qui confingant hos panes fuiſſe quadratos ; ac etiam cum quibuſdam plicaturis, ut vidimus in figura ex Philippo allata , vel aliter Propoſitionis panes imaginantur ; ut ad illas formas, ſcutellas ineptas fuiſſe conſtet ; ſi de tegumento panum agatur. Quæ etiam ſubſequuntur in textu, contra Rabbinos ſtare videntur : nam cum de uſu iſtorum vaſorum in illo agitur , dicitur : *In quibus offerenda ſunt libamina.* Igitur non ad panes tegendos , ſed ad libamina offerenda , horum vaſorum uſus erat.

Qui in prædicta voce de tegumento cogitant ; ne verbis quæ ſequuntur opprimantur ; nimirum his אשר יסך בהן interpretanda dicunt , *quibus tegentur in*
F *eis :* ita ut dictio יסך nequaquam ſit à radice נסך quæ ſignificat effundere, ſed dicunt fieri a radice סכך quæ ſignificat operire. ſed daghes quod eſt in ventre litteræ ס *ſamech*, & antecedentem *nun* deficere oſtendit , mendacii ſecundum regulas grammaticales illos convincit. quamobrem velint nolint ; de effuſione Rabbini textum intelligere coguntur ; quæ fiebat vino , oleo , vel aliqua alia materia fluxibili. nam & 1. Machab. cap. 1. & alibi ſæpiſſimè in ſacris litteris

ris illa dictio יִסַּךְ de paſſiva liquoris alicujus effuſione ab omnibus auctoribus interpretatur; ut ad nugas confugere ſtultiſſimum ſit.

Verum liquoris effundendi ritus in ſacrificiis, petiti ab Ethnicis, divinorum oraculorum vocabula à nobis quæſita aperient; una cum aliis plurimis, ejuſdem ſacrarum Litterarum locis: dummodo non prætereamus, ritu libandi, non ſolum ſignificari prægustationem vini, quæ hoſtiæ mactationem præcedebat; ſed etiam illam vini effuſionem, quæ ſuper hoſtiarum membra ſupra ignem in altari, jam poſita habebatur. Libandi verbo hæc ſignificabatur, ut puto, à verbo Græco λείβω. ita tamen ut Latinum libo, libas, quando prægustationem ſignificabat a labiis duceretur; & idem eſſet libare, quod ſummis labiis aliquid deguſtare: cum verò eo verbo ſignificaretur vini effuſio à Græco prædicto, quod fundere ſignificat, derivatum fuerit. quamobrem & lacrymas libare tam Latini, quàm etiam Græci, ſæpiſſimè dixerunt. ut apud Nonnum in Dionyſiacis lib. 11. n. 321. & alibi ſæpè. Sive etiam quod tam effuſio, quàm prægustatio, eodem vino fieret, quod cum victima afferebatur. quia igitur primus vini uſus erat in prægustatione, quæ dicebatur libatio, & hæc principaliorem locum in ſacris tenebat; ideò etiam vini reliquus uſus, libatio pariter dicebatur: etiam ſi in effuſione, hujus vini uſus poſitus eſſet.

Nec nobis immorandum erit in libatione, ſive vini privata effuſione, in qua ubi accubuiſſent ad Menſam convivantes, aliquid e poculo Deorum in honorem, vel in terram, vel in ignem, quod magis religioſum putabant, effuſum fuiſſe legimus, ut apud Virgil. lib. 5. Æneid.

Dixit & in menſa laticum libavit honores,

& alibi:

In menſam læti libant, Divosque precantur.

ſic etiam multibiba illa Plauti lena in Curcul. vini quiddam diffundens ait:

Venus de paulo, paululum hoc tibi dabo lubenter,
Nam tibi amantes propinantes vinum dant;
Mihi haud ſæpè tales hæreditates eveniunt.

vel etiam in mari ſi navigarent, religioſè vina fundebant. unde illud Virgil. lib. 5. Æneid.

Stans procul in puppi (ſupple Æneas) *pateram tenet, extaque ſalſos*
Porricit in fluctus, ac vina liquentia fundit.

Sed ad ſacras effuſiones tranſeuntes, quæ ut vidimus cap. 42. in altari habebantur, & frequentiſſimæ erant; vaſa quibus in his uterentur inveſtiganda erunt. & quamvis ut vidimus in altari, ſuper ignem, ſimila oleo conſperſa effunderetur; non tamen propterea ad hanc ſimilæ ſparſionem, vaſa hæc adhibenda erant. His enim videntur contradicere verba ſubſequentia textus אֲשֶׁר יִסַּךְ בָּהֵן nam verbum יִסַּךְ quod venit à radice נָסַךְ eſtque de verbis defectivis *peh* נ, ut loquamur cum hebraizantibus, de aridis non dicitur; de quibus nec etiam Latinè dicimus arida effundi, ſed potius projici: effundere verò, de ſolis liquidis dici poteſt, ſicut etiam hebraicum verbum נָסַךְ cum ſuis derivativis, de liquidis tantum verificari poteſt: ut propterea verba illa textus אֲשֶׁר יִסַּךְ בָּהֵן nulla ratione de ſimila, atque thure fermentatis verificari poſſint, atque pariter vaſa מְנַקִּיּוֹת *menaquioth* appellata, ad ſimilam oleo conſperſam, ſuper ignem in altari projiciendam deſervire nequeant.

Et ne à ſacris textibus recedamus, animadvertenda erunt illa noſtri vulgati verba, *in quibus offerenda ſunt libamina.* ex his enim uſus iſtorum explicatur;

A & quamvis verbum libare communiter, ut diximus, accipiatur pro ſacrificare, immolare, mactare, & pro reliquis, quæ ad ſacra reſpiciebant, ac veluti præcipua in ſacrificiis actio, per illud verbum exprimatur; proprie tamen, ut etiam diximus, illam prægustationem vini ſignificabat, quæ victimæ mactationem præcedebat; quam mactatio, ſanguinis receptio, atque etiam ejuſdem victimæ membrorum ſuper altare impoſitio ſequebatur; quibus etiam demum vinum ſuperinfundebatur, in honorem Numinis; tum ut vino ignes alerentur; tum etiam ut ſacrificiorum fumi, ſuaviorem expirarent nidorem: tum denique ut ſanguis vino dilutus facilis eſſet ad
B aſperſiones, & effuſiones, quæ ſuper altare fiebant.

Hæc igitur vaſcula, quibus vinum fundebatur in aris, ſive ſolum, ſive cum ſanguine commiſceretur; & quibus ſanguinis effuſiones ad baſim altaris fiebant, cyathi dicebantur communi vocabulo. λοιβεῖα, atque etiam σπονδεῖα propriè Græcis. Licet inter hæc duo vocabula, illud eſſet diſcrimen; quod λοιβεῖον commune eſſet ad effuſionem quamcumque tam vini, quàm olei, & aliarum quarumcumque rerum fluxibilium, quarum in ſacris uſus eſſet; at σπονδεῖον de ſolo vaſe, quod erat ad vini fuſionem dicebatur. Aliis quoque nominibus, tam apud Græcos, quam apud Latinos, hæc vaſa ſignificantur. Ἄλεισον Græ-
C cum, δέπας, ποτήριον, & ſimilia nomina, ad vaſcula, quorum in ſacrificiis erat uſus, referenda ſunt apud Græcos; potiſſimum verò, quæ dicuntur ἄλεισα, δέπατα, & κύαθοι. Apud Latinos verò communiter, patera in ſacrificiis erat vas, quo ſanguis fundebatur: dicebatur autem patera à patendo, ut dicit M. Varro lib. 4. de Ling. Latin. dicens: *Præterea in poculis erant pateræ, eo quod pateant, Latinè ita dictæ. hiſce etiam nunc in publico convivio antiquitatis retinendæ cauſa, cum magiſtri fiunt, potio circumfertur, & in ſacrificando Diis, hoc poculo magiſtratus dat Deo vinum.* inde fortaſſe Virg. lib. 5. Æneid. Æneam Trojanorum ducem in ſacrificando Neptuno
D pateram tenuiſſe ſcribit, dicens:

Stans procul in puppi, pateram tenet, extaque ſalſos
Porricit in fluctus, ac vina liquentia fundit.

Quæ verò vaſa, labra minus extenſa habebant; quorumque uſus erat in ſacris, ad vina fundenda, patellæ dicebantur, teſte M. Varr. loco citato: *Patinam à patulo dixerunt*, inquit, *ut puſillas, quod his libarent in cœnis, patellas.* & Manlius apud Nonium Marcel. cap. 15. ait: *Quo circa oportet bonum civem legibus parere, & Deos colere, & in patellam dare* μικρὸν κρέας, ideſt, *parum carnis*, ſumpta carne pro ſanguine, ut arbitror. & in Feſto tam Pauli, quàm
E aliorum, dicitur: *Patellæ vaſcula parva picata, item ſacris faciendis apta; quæ erant forma velut capitula quædam.* hæc Feſtus. ut propterea hæ patellæ ſacris faciendis aptæ, nequaquam diſſimiles ſint à ſacrorum gutto. de quo M. Varr. lib. 4. de Ling. Lat. dicit: *Quo vinum dabant, ut minutatim funderent, à guttis, Guttum appellarunt, & quo ſumebant minutatim, à ſumendo ſimpulum nominavere, in hujuſce locum, in conviviis è Græcia ſucceſſit Epichyſis, & Cyathus, in ſacrificiis remanſit Guttum, & Simpulum.* Ex quibus Varronis verbis, & aliis ejuſdem locis, conſtat patellas, guttos, & cyathos idem fuiſſe apud veteres in ſacris agendis: licet eadem vaſa magis propriè,
F cum de ſacris ageretur, patellæ, & gutti appellarentur, quam cyathi; quorum uſus magis propriè in communi menſa erat.

Illud verò inter Simpulum, & Guttum diſcrimen in ipſis altaribus erat; quod ad libandum vinum ſimpulum deſerviebat; guttus verò ad idem fundendum in ſacris habebatur. quorum ſacrorum cyathorum formam ex veterum idololatrarum monumentis habe-

habere poſſumus ; eamque ex Muſeo Perilluſtris Equitis Franciſci Gualdi Ariminenſis habui. hæc vero vaſcula inter antiquorum Guttos recenſenda duxi, parvitate vaſculorum ductus, & quod eodem ſpiraculo, quo vinum admittebant, eodem effundere cogerentur ; effundereque vina nequirent, niſi aër in his eodem foramine admitteretur ; atque propter-

A ea ſingultiendo, ac guttatim illud effundere compellerentur ; propterea cujus etiam formæ fuerint Guttus Varronis, ac effuſoria veterum in ſacrificiis plane conſtat. quamobrem non injucundum Lectori puto horum vaſorum conſpexiſſe formam ; quam hic delineatam dedimus.



His ita veterum auctoritate conſtitutis, reor quam facillimè intelligi poſſe, quænam vaſa dicantur in ſacro textu מְנַקִּיּוֹת conſtituanturque à Moyſe intra Tabernaculi Sanctum ; & ſupra ſacram Menſam Panum Propoſitionis ad uſum ſacrificiorum collocentur, ad vinum in altari effundendum ; quæ ejuſdem formæ cum patella, cyatho, vel verius cum gutto veterum Romanorum arbitramur extitiſſe. quamobrem à forma dicebantur מְנַקִּיּוֹת *menaqhioth*, quod vacuitatem, quam habent ſcutellæ ſignificat. & certè verius appellantur *menaquioth* hæc vaſa ; quia vacua ſunt intro, & circumquaque etiam ſuperius, ita teguntur, atque adeò clauduntur, ut neque ſurſum pateant ; quemadmodum ſcutellæ ; ſed per canalem oblongum liquorem ita admittunt, ut per eundem effluant ; atque propterea rectè, & propriè à verbo נָקָה denominantur.

Quod verò hæc vaſa ad vina in ſacris eſſent ; loca plurima ſacrarum litterarum aperiunt, tam Exodi 25. quam 27. & Numeri 4. ac Jerem. 52. ubi de raptu vaſorum ſacrorum eſt ſermo in excidio Hieroſolymitano ; dum populus captivus duceretur in Babyloniam : ubique enim vaſa hæc quæ מְנַקִּיּוֹת *menaqhiot* appellantur ; in numero ſacrorum reponuntur. Vini ad libamina ſermo eſt Levitici 23. cum agitur de die in quo manipulus conſecraretur. *Cadetur* (inquit Deus) *agnus immaculatus anniculus in holocauſtum Domini, & libamenta offerentur cum eo, duæ decimæ ſimilæ conſperſæ oleo in incenſum Domini, odoremque ſuaviſſimum, liba quoque vini, quarta pars hin*, hebraice וְנִסְכֹּה יַיִן רְבִיעִת הַהִין hoc eſt, *ad libamina illius*, vel *ad effundendum ei*, ſcilicet oblatione, *vini quarta pars hin.* de ſicera verò ſermo eſt in ſacro textu Numeri 28. & alibi. quapropter perſpicuum eſt ; libamina in ſacris oraculis dici de liquidis tantum, rationeque ſolius libaminis poni hæc vaſa. poſtquam enim dixiſſet ſacer textus Exodi 25. facienda fore hæc vaſa, eorumdem uſum aperiens, dicitur אֲשֶׁר יֻסַּךְ בָּהֵן hoc eſt, *quibus effundetur in eis.* ut his verbis, non ſolum textus ſacer aperuerit, vaſa illa

fuiſſe ad uſum liquidorum ; ſed etiam uſus qualitatem explicaret : oſtendens non ad ſumendum vinum, ſed ad idem effundendum in ſacris, uſum illorum fuiſſe. non ad libamina, hoc eſt prægustationes, ſed ad effuſiones, quæ fiebant victimis jam mactatis. Nec aliquem turbet noſter
D vulgatus Interpres, dicens Exodi 25. *In quibus offerenda ſunt libamina.* quia uſus eſt generali verbo libationis pro quacumque actione ſacrorum. Sumitur enim multoties apud auctores verbum *libare* etiam de aridis ; quo etiam ſenſu S. P. Auguſtinus dixit, *ad immolandum in eis*, generali ſacrorum verbo uſus pro ſpeciali actione.

His illuſtratur locus perdifficilis ſacrarum litterarum 1. Paralip. cap. 28. nu. 17. cujus verba ſunt : *Ad fuſcinulas quoque, & phialas, & thuribula ex auro puriſſimo, & leunculos aureos, pro qualitate menſuræ pondus diſtribuit in leunculum & leunculum : ſimiliter & in leones argenteos diverſum argenti pondus ſepara-*
E *vit.* ita ſacer textus. In quo ſermo eſt de auro quod ad ſacra à Salomone excitanda paraverat David, & de ſacra Menſa, illiuſque vaſis. ſed quid ad vaſa leunculos aut leones ? quid cum Menſa, & menſis Panum Propoſitionis ? aliena ſanè à ſenſu videntur, quæ de leunculis adduximus ; cum ibi de effingendis, aut ſculpendis leonibus argenteis, vel aureis agatur : hi autem leunculi non erant ad pedes menſæ ſuſtinendos. audiatur, quæſo, ſacer hebraicus textus. וְהַמִּזְלָגוֹת וְהַמִּזְרָקוֹת וְהַקְּשָׂוֹת זָהָב טָהוֹר וְלִכְפוֹרֵי הַזָּהָב וּמִשְׁקָל לִכְפוֹר וּכְפוֹר וְלִכְפוֹרֵי הַכֶּסֶף בְּמִשְׁקָל לִכְפוֹר וּכְפוֹר ideſt, juxta tranſlationem Ariæ Montani, & Sanctis Pa-
F gnini, *Et fuſcinulis & aſperſoriis, & ſimpulis*, dicemus nos, *aurum purum, & crateribus aureis in pondere crateri & crateri : & crateribus argenteis in pondere crateri & crateri.* Senſus eſt, quod David unicuique crateri tam argenteo, quam aureo, pondus tam auri, quam argenti præſcripſit. Verum quid habeat crater cum leunculo commune, difficile hauritur.

Hebraici textus difficultas eſt in illa dictione כְּפוֹר quæ quidem venit à radicâ כָּפַר *chaphar*, quæ ſignificat *cooperuit*, *oblinivit*, & propriè ſignificat aliquid operire, materia aliqua tenaci; nimirum non panno, aut veſte, quæ removeri poſſunt, ſed aut tabula aliqua, aut bitumine, pice, cæmento, aut alia re glutinoſa, qua aliquid opertum penitus abſconditur. hac de ratione operculum aureum, quo ſacra fœderis Arca operiebatur, & legis divinæ tabulæ occultabantur כַּפֹּרֶת *chaporeth* dicebatur. & quia leunculi in cavernis occultantur, propterea ea dictione leones, aliqui ſignificari putant: Sed quid ad rem noſtram, cum propoſitionum menſis leunculi aurei, vel argentei?

Dicam quod ſentio breviter: nimirum illa vaſa, quæ ad vinum effundendum in altari deſerviebant, & gutti appellabantur à Latinis, quorum formam jam ſupra ex veterum monumentis retulimus; hæc eadem appellata leunculos fuiſſe à noſtro Interprete; quia unde effundebant vinum & liquorem, leonis caput effigiatum habebant, ut in præcedente ſchemate apparet.

Quod ex eodem Muſeo Perilluſt. D. Franciſci Gualdi Ariminenſis Equitis S. Stephani, cum ſuperioribus guttis accepimus. In hoc enim humor intus exiſtens abſconditur tum forma vaſis, tum etiam quia medium in quo foramina apparent, tegi etiam operculo conſueviſſe conſtat; ut vas aſpectu pulchrius appareret, atque etiam ut liquor intus exiſtens, difficilius effunderetur, ſingultiendoque guttatim exiret, dum aër detineretur. Quamobrem quæ מְנַקִּיּוֹת dicuntur in Exodo, כְּפוֹרִים *cheporim*, in Templo Salomonis à forma appellata arbitror. ex Græcis autem exemplaribus, cum in his perturbatiſſima ſint, vel parum, aut nihil certi haberi poteſt. aliqui enim legunt: καὶ τῶν κρεαγρῶν, καὶ σπονδείων, καὶ τῶν φιάλων τῶν χρυσῶν τὸν σταθμὸν τῶν χρυσῶν, καὶ τῶν ἀργυρῶν, καὶ θυΐσκων κεφουρὲ ἑκάστου σταθμοῦ. hoc eſt, *Et fuſcinularum, & libatoriorum, & phialarum aurearum pondus aureorum*, ſupple vaſorum, *& argenteorum, & acerrarum cephuræ ſingulo pondere.* Quid autem voluerint dictione *Cephure* ipſi noverint. nam nec illam notam reperi in auctoribus Dictionariorum: arbitror igitur Græca exemplaria retinuiſſe dictionem hebraicam, cum ignorarent, quid ea dictione ſignificaretur. alia exemplaria legunt: καὶ τῶν φιάλων τῶν χρυσῶν τὸν σταθμὸν, καὶ τὰ κεφουρὲ τὰ χρυσᾶ ἐν σταθμῷ εἰς κεφωὲρ καὶ κεφώρ. καὶ τὸν σταθμὸν τῶν χρυσῶν, καὶ τῶν ἀργυρῶν, ἑκάστου σταθμόν, hoc eſt, *Et phialarum aurearum pondus, & aurea Cephure in pondere Cephoris, & Cephoris, & pondus aureorum & argenteorum ſingulorum pondus.* ideſt, quibuſcumque vaſis ſuum deſtinavit pondus; ſive futura eſſent; ſive ex argento fieri deberent. hæc quidem ex illis ſacris codicibus; ſed implicata adeo, ut quid velint, intelligi nequeat. noſtra conjectura eſt, cùm hebraicè *cephorim* dicerentur hæc vaſa, eamdem vocem retinuiſſe, atque Græca exemplaria dixiſſe cephure.

Multiplex numerus iſtorum vaſorum, qui legitur in ſacris libris, aliquem fortaſſe turbabit. dicitur enim lib. 3. Eſd. cap. 2. cum ſermo eſt de reditu populi in Hieruſalem: *Horum autem* (ſupple vaſorum) *hic numerus, libatoria argentea duo millia quadringenta, athiſce argenteæ triginta, phialæ aureæ triginta, margentatæ duo millia quadringentæ, & alia vaſa mille; omnia autem vaſa aurea, & argentea quinque millia octingenta ſexaginta.* & apud Joſeph. lib. 8. Antiquit. cap. 3. numerantur vaſa aurea, & argentea quæ fecit Salomon ad uſum menſarum, & dicitur: τραπεζῶν τε τὸ πλῆθος ἀνέθηκεν ὁ βασιλεὺς, καὶ μίαν μὲν μεγάλην χρυσέαν, ἐφ' ἧς ἐτίθεσαν τοὺς ἄρτους τοῦ θεοῦ, καὶ ταύτης παραπλησίας, μυρίας, πρὸς αὐτης ἑτέρῳ γε τρόπῳ γεγενημένας, ἐφ' ὧν ἐπέκειτο τὰ σκεύη, φιάλαι τε καὶ σπονδεῖα, χρύσεα μὲν δισμύρια, ἀργύρεα δὲ τετρακισμύρια.

A hoc eſt, *Obtulitque Rex multitudinem menſarum, & unam quidem valde præcipuam auream, ſuper quam ponebant panes Dei, & huic proximas decem ſimiles altero modo factas, ſuper quas vaſa jacebant, ideſt phialæ, & pateræ, aureæ quidem decem millia, argenteæ verò quadraginta millia.* Et infra alia plurima ſubdit de numero vaſorum, quæ videntur penè incredibilia; nihilominus credibilia fient, habita ratione ſacrificiorum illius temporis. Cum enim convenire tribus vicibus in anno, ſinguli de populo Iſraëlitico, ad dies feſtos in Hieruſalem tenerentur; ibique ad ſacrificia, ſingula quæque familia ſaltem teneretur; cum B ibidem omnes libare vinum; & pro ſingulis omnibus vinum in ſacrificio effundere, divini eſſet juris; minimè mirum videri debet, ſi ad majus tum Sacerdotum, tum populorum commodum; millia, & decem millia vaſorum aureorum, atque argenteorum, de unoquoque genere ac forma conſtructa apparerent: quia in Sanctum nihil inferre licebat, quod aureum, vel argenteum non eſſet. horum omnium denique vaſorum conſecratio ſacri unguenti contactu, cum primis, ut arbitror, in interiori ejuſdem vaſculi parte abſolvebatur.

C

CAP. XLV.

Moſaici Candelabri materia, & forma ex aliorum ſententia explicatur.

Ad locum Exodi 25. *Facies & candelabrum ductile de auro mundiſſimo, haſtile ejus, & calamos, ſcyphos, & ſphærulas, ac lilia ex ipſo procedentia.* & ad alia loca.

NOBIS ſermo de tædis, aut facibus non eſt: neque de lampadibus, aut laternis, & aliis inſtrumentis ad lucem, de quibus Pollux lib.
D 10. cap. 26. neque de lucernis; quæ in eo à candelabro diſtinguebantur, quod lucerna diceretur λυχνίον in tertio genere; & in ea oleo, vel alia pingui materia ignis foveretur. nam λύχνος Græcè dicitur potius materia ipſa, qua ignis fovetur, per modum candelabri, ut cera, vel alia materia non fluxibilis, quam à materia, & forma candelam diceremus Latinè: cujus candelæ nullus erat in ſacris Ethnicorum, aut Hebræorum uſus. Candelabrum verò, ſive λυχνίον in tertio genere à politioribus Græcis Scriptoribus, vel etiam λυχνία in fœminino genere dicitur; ut paſſim legitur in Bibliis. itaque candelabrum appellatur propriè tam Græcè, quàm Latinè, illud inſtrumentum, ſuper quod lucerna,
E vel candela ponitur; ut ab eodem ſuſtentetur. Sic enim de eo Pollux loco citato. καὶ λυχνίον μὲν ἐφ' οὗ ἐντίθεται ὁ λύχνος, ἡ καλουμένη λυχνία. hoc eſt, *candelabrum quidem*, ſupple dicitur, *ſuper quod imponitur candela, quæ dicitur lucerna.* Hæc autem lucerna ad multiplicitatem narium, ac luminum dicebatur lucerna dimyxos, aut trimyxos à narium, & luminum numero; quæ uno eodemque oleo foverentur, denominatione ſumpta. de his Horatius libro 3. Ode 8. ſic ſcribit ad amicum:

Sume, Mæcenas, cyathos amici
F *Soſpitis centum, & vigiles lucernas*
Perfer in lucem, procul omnis eſto
Clamor & ira.

Erat enim lucernarum uſus in ſolemnioribus epulis, ac cœnis, nec unius tantum, aut alterius, ſed plurium, & luminum, & lucernarum: cum primis verò in cœnaculis lucernis utebantur, quæ plures nares haberent, quibus totum undique cœnaculum illu-

illuſtraretur; & quamvis plures lychni eſſent; quia tamen uno, eodemque vaſe oleum continebatur; una tantum lucerna dicebatur; totum illud vas, pluribus naribus circumquaque vallatum: de qua Mart. in 2. part. diſtich. ſic inquit:

Illuſtrem cum tota meis convivia flammis,
Totque geram myxos, una lucerna vocor.

Nam teſte Polluce ex auctoritate Sophoclis, ut tradunt commentatores, myxi, nares appellantur. quamobrem lucerna polymyxa dicitur, quæ plures habet nares, in quibus plures lychni exiſtant. Sed re vera myxus mucor dicitur, qui ex naribus fluit; quapropter lucerna in tantum polymyxa dicitur; in quantum plures habet nares, ex quibus humor ad nutrimentum luminis fluat. Quamobrem ſanctum Dei candelabrum licet heptamyxum dici poſſet, quod ſeptem naribus Dei ſanctum Tabernaculum illuſtraret: quia tamen non omnes myxi ex una lucerna, ſed ſingulis lucernis ſuus myxus reſpondebat; nequaquam Candelabrum, de quo loquimur lucerna polymyxos appellari poterit.

Candelabrum etiam non dicitur, in quo plura lumina, diverſis ſtipitibus ſuſtinentur; cujus generis erant, de quibus Homer. lib. 7. Odyſ. qui cum uſum plurium lucernarum in ſacris Ethnicorum oſtendat, Regiam Alcinoi ſcribens, in qua juxta uſum illius ætatis, ſacra convivia habebantur: meminit etiam centum puerorum aureorum, vel mavis dicere centum ſtatuarum aurearum, quæ totidem ſuſtentabant lampades, dicens:

Χρύσεοι δ' ἄρα κοῦροι ἐϋδμήτων ἐπὶ βωμῶν
ἕστασαν, αἰθομένας δαΐδας μετὰ χερσὶν ἔχοντες,
φαίνοντες νύκτας κατὰ δώματα δαιτυμόνεσσι.

Quod autem Poëtæ ſermo ſit de conviviis ſacris, ex illa dictione βωμῶν, quæ in primo habetur carmine perſpicuum ſit. Significat enim aram, ſeu altare Deo ſacrum, in quo fiebant ſacrificia. Quamvis verò aliquando, etiam per figuram ſynecdochem, parte pro toto ſumpta, totum etiam templum βωμὸς ſignificet, ut auctor eſt Joan. Scapula ex auctoritate Sophoclis: tamen propriè altare ſignificat; & in altaribus ſtatuæ illæ aureæ, quæ faces ſuſtinebant, vel forte verius lumina, ſumpta face pro lumine, à Poëta collocantur; ut ex hac illorum carminum interpretatione perſpicuum eſt.

Aurei autem pueruli bene ædificatis in aris
Stabant, ardentes lampades in manibus habentes,
Prælucentes per noctes in domibus convivis.


At ſi fortaſſe mireris Lector, in Poëta centenarium altarium numerum; & quod hæc altaria in Regia Principis conſtituta forent; reminiſcere precor veterum moris, apud quos publica negotia publicæque perſonæ, ut Reges, ac Principes in templis, vel circa templa, ſedes habebant. quamobrem Romanorum quoque Curia, quæ in Capitolio erat, una cum Curia, Jovis quoque ſacras ædes habebat; in quibus populus ſacrorum cauſa cum Principe, & Senatu conveniebat. Reminiſcatur etiam Lector Græcas hecatombas; in quibus centum boves, centum oves, & alterius generis centum hoſtiæ, ſacrificabantur; ut populus omnis convivaretur. Regium enim erat Sacerdotis munus, ut ex his, aliiſque plurimis, de quibus agere noſtri nequaquam eſt inſtituti, conſtat. Centenarius igitur ille altarium numerus, pluribus hoſtiis in ſolemnioribus feſtis complebatur; ut omnibus eſſet unde convivarentur. quin etiam puto, ideò ſuper centum aras, apud Homerum, centum pueros aureos impoſitos ſcribi, ut unicuique altari ſuus imponeretur ignis; neque alter alteri commiſceretur. quemadmodum enim unicui-

A que illorum idolorum, propria erant ligna dicata, quibus tantum & non aliis ſacra facere, illi idolo apud Ethnicos licebat; ſic etiam ſingulares habuiſſe ignes, pro varietate ſacrificiorum & idolorum diſtinctos, credere præter rationem non videtur.

Nec erit unde miremur centum aras, aut centum aurea infantium ſimulacra, Ethnicos illos in fanis ſuorum ſimulacrorum habuiſſe, ac centum ſimul lampadibus uſos fuiſſe; potius miremur unicum tantum Candelabrum, Ethnicos aliquando apud Idola habuiſſe, in quo tot lychni, & lucernæ eſſent, quot annus dies numerat. ita Alexan. ab Alexan. lib. 1. cap. 14. nam in Prytaneo Tarentino, à Dionyſio
B tyranno Juniore, in notam dierum totius anni, Candelabrum hujuſmodi collocatum fuiſſe ſcribitur. Illud igitur verè candelabrum appellari debet, quo lucernæ, ſive lumina ſuſtinentur; ſive hæc lumina oleo, ſive cera foveantur: quamobrem dicit Dominus Matthæi cap. 5. οὐδὲ καίουσι λύχνον, καὶ τιθέασιν αὐτὸν ὑπὸ τὸν μόδιον, ἀλλ' ἐπὶ τὴν λυχνίαν. hoc eſt, *Neque accendunt*, ſupple homines, *lucernam, & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum.* Inter quæ noſtrum ſacrum aureum Candelabrum, in Tabernaculo Dei collocatum, ex præſcripto ipſius, ſeptem tantum lucernas habebat, ad lucem ſeptem Planetarum ſignificandam; ut Joſephus lib. 3. An-
C tiq. cap. 7. docet, & Philo Judæus lib. 3. de vita Moyſ. dicens: ὅθεν ἓξ μὲν κλάδοι, τρεῖς δ' ἑκατέρωθεν τῆς μέσης λυχνίας ἐκπεφύκασιν εἰς ἀριθμὸν ἕβδομον. ἐπὶ δὲ πάντων λαμπάδιά τε, καὶ λύχνοι ἑπτὰ, σύμβολα τῶν λεγομένων παρὰ τοῖς φυσικοῖς ἀνδράσι πλανητῶν. ὁ γὰρ ἥλιος ὥσπερ ἡ λυχνία, μέσος τῶν ἓξ τεταγμένος ἐν τετάρτῃ χώρᾳ φωσφορεῖ τοῖς ὑπεράνω τρισὶ, καὶ τοῖς ὑφ' αὐτὸν ἴσοις. hoc eſt, *Hinc ſex fuere rami, tres quidem ex utroque latere medii Candelabri producebantur, ad numerum ſeptenarium. Super omnes autem ſummitates Candelabri erant ſeptem lucernæ, ſymbola illorum, qui à phyſicis dicuntur planetæ. Sol enim tanquam lucerna, medius po-*
D *ſitus inter ſex in quarta parte lucet, tres ſubter habens, & tres alios ſuper ipſum.* Formam igitur ſancti hujus Candelabri, cujus conſecrationem cum divino Tabernaculo inquirimus, inveſtigare tenemur cum omnibus utenſilibus, quæ ad ipſius cultum ex Dei præſcripto deſtinata fuerant.

Myrothecio præcedenti, cum de oleo quo nutriebantur lucernæ ſacri candelabri, noſter eſſet ſermo, ſufficienter, ut puto, lucernarum ſacrarum formam inveſtigavimus; frontem quoque, tergumque hujus ſacri Candelabri monſtravimus: reliquum eſt candelabri formam aperire; ut de conſecratione illius agere licite poſſimus. vaſa etiam ſacri Candelabri
E aperuimus; ut conſecrationis modus omnis monſtretur. nec ex uno tantum, aut altero Scripturæ ſacræ loco, illius forma explicanda erit; ſed locis pluribus diſcuſſis, cuncta quæ de illius ſtructura ſacra tradidere oracula, pro viribus cognoſcere ſtudebimus. Nam ſacrorum Candelabrorum uſum, etiam Ethnicos, in Templis ſuorum Idolorum habuiſſe conſtat; quo, ut puto, ignis ſacer fovebatur; quia ut diximus eodem libro, ſacro tantum igne ſacrificia, veteres ſuperſtitioſiores, concremare audebant. Quorum etiam Candelabrorum formam, ſi ex parietinis ruinis, præſertim ex lapide in Vaticanis hortis, aſſervatam intelligere ſit gratum, hanc delineandam curavimus. Eam etiam habet Guillelmus Choul, ubi de antiquorum religione ſermonem inſtituit. &
F communis etiam pagina, quæ æneis inciſa laminis in gratiam ſtudioſorum, Romæ typis mandata, ex antiquis lapidibus communiter circumfertur. quapropter cum apud prædictos auctores, atque etiam apud Antonium Auguſtinum in Dial. antiq. numiſmatum, & alios habeatur, ab ejus nihilominus figura in præſenti abſtinendum minimè duximus; ut videre licet.

Multò



Multò auguſtius iſto , ſacrum à Deo inſtitutum Candelabrum fuit : non ſolum ratione materiæ, quæ tota erat aurea , ſed etiam formæ. de eo ſic dicitur Exodi 25. ad Moyſen : *Facies & candelabrum ductile de auro mundiſſimo , haſtile ejus , & calamos , ſcyphos, & ſphærulas, ac lilia ex ipſo procedentia. Sex calami egredientur de lateribus , tres ex uno latere , & tres ex altero : tres ſcyphi quaſi in nucis modum per calamos ſingulos , ſphærulaque ſimul , & lilium : & tres ſimiliter ſcyphi inſtar nucis in calamo altero , ſphærulaque ſimul , & lilium : hoc erit opus ſex calamorum , qui producendi ſunt de haſtili. In ipſo autem Candelabro erunt quatuor ſcyphi in nucis modum , ſphærulæque per ſingulos , & lilia. Sphærulæ ſub duobus calamis , per tria loca , qui ſimul ſex fiunt , procedentes de haſtili uno. Et ſphærulæ igitur & calami ex ipſo erunt , univerſa ductilia de auro puriſſimo. Facies & lucernas ſeptem , & pones eas ſuper Candelabrum , ut luceant ex adverſo. Emunctoria quoque & ubi , quæ emuncta ſunt extinguantur , fiant de auro puriſſimo. Omne pondus Candelabri , cum univerſis vaſis ſuis habebit talentum auri puriſſimi.* Hæc ſacer textus ſatis , ac apertè de ſacri Candelabri forma ; quamvis , cum plurima in his jam antiquata ſint ; ratione antiquitatis obſcura quoque fiunt. his congruunt quæ cap. 37. ejuſdem libri habentur ; cum de ejus fabrica jam completa à Beſeleele , & Oliabo , ſacer loquitur textus. nec nobis in aliis Scriptoribus immorandum , ſed diligenter quid ſibi velint ſacra oracula , inveſtigandum erit.

Magnificentiſſima hujus ſacri Candelabri ſtructura , non tantum à materia , quæ aurum puriſſimum, ut dicebamus erat , ſed etiam à quantitate hujus materiæ pretioſiſſimæ, quæ in hoc opere inſumpta fuit, penſanda eſt. Talentum integrum inſumi in hoc opere , ut vidimus , juſſit Deus ; illud idem auri pondus à Beſeleel inſumptum in Candelabri opere dicitur Exodi 37. his verbis : *Talentum auri appendebat Candelabrum cum omnibus vaſis ſuis.* Cujus rei tota difficultas in cognoſcendo talenti pondere , atque valore poſita eſt. nam talentum habuiſſe centum minas teſtantur paſſim omnes. Joſephus 3. antiq. cap. 7. vel 10. juxta varias editiones , Candelabrum appendiſſe minas centum ſcripſit : quapropter talentum cum minis centum , æqualiter æſtimandum videtur. quod etiam admittit Torniellus ſub anno mundi 2544. ſuorum Annalium , & communiter omnes.

Sed jam valor minæ Hebraicæ inquirendus videtur , ut Talenti pondus aperiatur. Torniellus in eodem loco docet minam habuiſſe triginta uncias ,

A hoc eſt duas libras & ſemis. & hoc probat tum auctoritate Joſephi lib. 14. antiq. cap. 12. tum ratione, quia nimirum : *Mina Hebraica pendebat ſexaginta ſiclos, quorum quilibet quatuor efficit drachmas, hoc eſt , ſemiunciam. ergo mina erat pondus triginta unciarum* , ita ille. Sed in his quæ ſubinfert, me judice , ſibimet repugnat ; duplex enim talentum cum Couarruuia , Abulenſi , & Aria Montano agnoſcit, prophanum nimirum , & ſanctum ; atque pariter duplex mina erit danda , nimirum prophana , & ſancta ; cui ſexaginta argenti unciæ eſſent adſcribendæ : & ſiclus non ſemiunciam , ſed unciæ valorem habebit ; cujus contrarium jam diximus.

Aſſentimur igitur Torniello , quod mina duas libras , & ſemis valeret ; nam ut etiam ipſe tradidit , Joſephus id habet , ac etiam Hebraicus codex Joſephi Ben Gorion lib. 4. cap. 26. idem confirmat, dicens : וְהַמָּנֶה שְׁנַיִם לִטְרֵי וַחֲצִי הוּא hoc eſt : *Et mina duas libras , & dimidiam habet.* B quod verò de triginta unciis pro una mina Torniellus tradidit, ſimiliter admittimus. dicimus enim minam habuiſſe ſexaginta ſiclos ; quod ex cap. 45. Ezech. conſtat , dum ait : *Porrò viginti ſicli , & viginti quinque ſicli , & quindecim ſicli minam faciunt.* Cum igitur jam ſupra cap. 5. à nobis monſtratum fuerit , ſiclum ſemiunciam argenti habere ; ſexaginta ſicli triginta argenti uncias valebunt. Inde verò minam hebraicam , ac libram græcam aliquando fuiſſe in genere moneta- C rum , non autem in genere ponderabilium , perſpicuum eſt. de libra autem moneta , quæ erat eadem cum hebraica mina , ſic dicit Joſeph Ben Gorion loco jam citato : אֲשֶׁר יַעֲשׂוּ אוּנְקִיאוֹת שִׁשִּׁים הַלִּטְרָא hoc eſt ; *quod faciunt unciæ ſexaginta libram.* id eſt una libra conſtat unciis ſexaginta. Libram verò monetam nullibi aliquando legitur apud aliquos Auctores, aut aliquas Nationes ſexaginta uncias habuiſſe , ſed nomine unciarum , ſicli ſignificantur : ita ut unciæ nomen non ponderis, ſed monetæ ſit ; quæ ſic tunc temporis diceretur. igitur mina quam dixerat habere duas libras , & dimidiam , non de libris monetis, intelligi debet ; ſed de libra pondere duodecim un- D ciarum communium : & quamvis ad pondus viginti quatuor unciarum alicubi habeatur libra , quæ apud Hiſpanos libra craſſa appellatur ; communiter tamen apud quaſcumque Nationes , libra habet duodecim uncias.

Reducere oportet talenti hujus ſummam , ad noſtri temporis monetam : ſic enim mina habebat duas libras & ſemis ; talentum verò , ut ex Hebræo Joſephi conſtat, centum minas ; jam talentum habebit ducentas , & quinquaginta auri libras : & hæc erit ſumma auri quantitas , quæ in tota ſacri Candelabri ſtructura , cum omnibus utenſilibus , quæ ad ipſum pertinebant, conſumpta fuit. ut hinc maneat perſpi- E cuum , quam auguſtiſſimum , magnificentiſſimumque eſſet ſacrum hoc Candelabrum , de quo loquitur ſacer textus in Exodo, non tam ratione materiæ, quàm etiam ratione ponderis auri , in illius fabrica inſumpti.

Altitudinem Candelabri quamvis ex ſacris libris expiſcari non poſſimus ; tamen ad tertiam totius Tabernaculi altitudinem , illius ſummitatem pertigiſſe ſi dixerimus , ab ſcopo fortaſſe non aberrabimus. In hac enim ſublimitate poſitum , majeſtatem ſervabit, & nihil erit, unde nobis damnum , ſuperiori- F bus tecti aulæ eximendum ſit. de quo Candelabro Torniellus ſcribit , dicens : *Dimenſiones quoque ipſius Candelabri , & ramorum ejus , nimirum altitudo & latitudo , nequaquam deſcriptæ comperiuntur , ſed ex auri pondere , quod in ipſo Candelabro , & memoratis inſtrumentis ad uſum ejus pertinentibus , inſumptum traditur ; licet conjicere ipſum (niſi fortè ex lignis auro textis compactum fuiſſet , quod tamen ex Scriptura ſacra elici*

elici nullo modo poteſt) non admodum grande , altumve extitiſſe. & ita expediebat ne fumus lucernarum, cortinam ſuper Tabernaculum extenſam ſua propinquitate inficeret. Nos tamen de majeſtate Candelabri fabricæ ea ratione ſentimus, ut nihil vile, aut depreſſum in eo advertamus ; ſed Candelabrum duplo ferè majus , quam Altare , & Menſam extitiſſe putamus. trium enim cubitorum geometricorum ad minimum ſacri Candelabri altitudo erit ; quamobrem cum ignis qui in aureo Altari poſitus , in combuſtione thymiamatis tectum fœderis non offenderet, utique nec à luminibus ſacrarum lucernarum , in ſublimi Candelabri poſitarum, aliquid detrimenti tecto pertimendum erit.

Forma Candelabri majorem fert ſecum difficultatem ; quamobrem in ea ſummè invigilandum erit ; nec aliquid de illa curandum, quæ in Arcu Titi Romæ inter ruinas Romanæ magnificentiæ , ac majeſtatis viſitur. de qua ſic Joſeph. lib. 7. de bello Jud. ſecundum Ruffini diſtinct. cap. 24. juxta diviſionem Græci exemplaris; in quo Joſephus de triumpho Titi meminit, & de ſpoliis, dicens : λάφυρα δὲ τὰ μὲν ἄλλα χύδην ἐφέρετο , διέπρεπε δὲ πάντων , τὰ ἐγκαταληφθέντα τῷ ἐν ἱεροσολύμοις ἱερῷ· χρυσῆ τε τράπεζα τὴν ὁλκὴν πολυτάλαντος, καὶ λυχνία χρυσοῦ μὲν ὁμοίως πεποιημένη. τὸ δὲ ἔργον ἐξήλλακτο τῆς κατὰ τὴν ἡμετέραν χρῆσιν συνηθείας. ὁ μὲν γὰρ μέσος ἦν κίων , ἐκ τῆς βάσεως πεπηγὼς , λεπτοὶ δ' ἀπ' αὐτοῦ μεμήκυντο καυλίσκοι, τριαίνης σχήματι παραπλησίαν τὴν θέσιν ἔχοντες , λύχνον ἕκαστος αὐτῶν ἐπ' ἄκρων κεχαλκευμένος. hoc eſt , *Ferebantur quidem & alia paſſim ſpolia ; eminebant autem inter omnia quæ*

A *reperta fuerunt in Templo , quod erat Hieroſolymis, aurea nimirum Menſa , ponderis talentum magnum , & Candelabrum ex auro ſimiliter factum; opus autem commutatum fuerat à noſtræ conſuetudinis uſu. Erat enim media columna innitens baſi ; tenues autem canulæ ab ea producebantur, fuſcinæ ſchematis habentes ſimilem conſtitutionem , ſingulis ipſorum ſuper ſummitatem lucerna fabricata erat.* Itaque Candelabrum illud, quod in illo Titi Arcu cernitur , ſimilitudinem aut formam nequaquam retinuit, quam Moyſes conſtituerat, aut quam Hebræi in ſacro Candelabro retinuerunt. quapropter quamvis tale ſchema , non conſentiat divinis oraculis , nihilominus in gratiam ſtudioſorum antiquitatis, delineatum , prout jacet in illo Arcu Titi
B habent Torniellus , Villalpandus , & alii Latini Scriptores.

Rabbini de forma Candelabri ſtultiſſima ſomniant. nam in libro quem nuper ediderunt Lutetiæ Pariſiorum , Gallica & Hebræa lingua (quia in hoc Candelabro lilia , ad illius ornatum afferuntur) non alia lilia agnoverunt , ſi credimus Aquino , quam quæ Reges Galliarum in ſuis ſtemmatibus ediderunt : ignorantes in ſtructura rerum, quæ foliis , floribus , aut aliis ſimilibus ornamentis decorantur ; juxta artem aurificam & architectonicam , alia lilia ab his, quæ in agris & in hortis habentur , nequaquam alicujus fore uſus , nec decorem afferre. qui tamen il-
C lorum ineptias agnoſcere cupit , ſchema hujus Candelabri delineatum habebit in libello illo de caſtrorum metatione Iſraëlitarum Philippi de Aquin Gallicè ſcripto.



Antonius Torniellus inter Latinos Scriptores , & recentiores doctiſſimus , in ſuis Annalibus ſub anno Mundi 2544. poſt numerum 72. in quo de ſacro hoc Candelabro agit, & ejuſdem poſtmodum typum viſendum tradit; in multis , me judice, peccat. nam ramuſculi , ſive brachiola Candelabri ; ex medio quidem haſtili exoriuntur in ejus typo ; at non in-

F fra ; ſed ſupra primam ſphærulam duo priora brachiola emanant. quamobrem ſphærulam ſupra cyathum, ſive ſcyphum collocare, liliaque abſque ſphærulis , infra lilia cogitur effigiare , contra textum ſacrum , ex quo ſphærulas ſub liliis collocandas fuiſſe conſtat. Semper enim junguntur ſphærulæ liliis in ſacris codicibus , ita Exodi 25. & 27. quamobrem cogi-

cogitur lucernas ſacri Candelabri ſphærulis imponere, ſuper quas nulla ratione, aut arte conſiſtere queunt; niſi vel ſtriato calamo ibi retineantur; vel lucernæ cum Candelabro in typo ſimul effigientur; quod nequaquam in noſtro Candelabro accidit, ut ex ſacris textibus perſpicuum eſt.

Arias Montanus vir doctiſſimus, deque ſacris oraculis optimè meritus, ſacri Candelabri formam excogitavit, qualem Fig. præcedenti delineandam duximus.

In qua quidem ſacri candelabri forma, cum primis Arias Mont. ſcyphis oppreſſus videtur; qui ad modum nucis faciendi in ſacro textu dicuntur; ipſe autem dum amygdalatos ſcyphos voluit effingere, ut rigorem verborum ſervaret, campanas effinxit; atque dum per medium amygdalas ad naturalem juncturam aperire debuiſſet; qua ratione ſcyphorum figuras amygdalæ retinuiſſent; per tranſverſum amygdalas ſecavit, & pro ſcyphis, campanas tradidit. Deinde quatuor tantum lilia in Candelabro effigiavit: alterum inferius in medio haſtili: ſeptem reliqua in ſingulis ramorum ſummitatibus, ad excipiendas lucernas; cum tamen tot ſcyphi, quot ſphærulæ, ſive poma, ut loquamur cum illo, & lilia, & quot lilia ac ſphærulæ, tot etiam ſcyphi in hoc opere Candelabri effigiandi eſſent; ita enim ſacrum textum indigitaſſe videtur: quia quoties loquitur de ſcyphis, toties ſcypho jungit lilium & ſphærulam. Joſephus quoque ſcribit, opus ejus Candelabri fuiſſe Septuaginta partium, quæ nequaquam verificari poſſunt; niſi tot ſint poma, ſive ſphærulæ, quot ſunt ſcyphi, ac totidem etiam fuerint flores, ſive lilia, quot ſcyphi, ac ſphærulæ. Sic enim fient ſexaginta ſex, ſacri Candelabri membra; quibus ſi baſis tribus fortaſſe leunculorum pedibus ſuſtentanea addatur; jam proculdubio ſeptuaginta Joſephi partes, ac membra Candelabri habebimus. quæ omnia à nobis ſunt poſita, ut quæ dicenda remanent, lucidiora fiant.

CAP. XLVI.

Forma ſacri Candelabri, & partium illius de mente Auctoris aperitur.

Ad loca Exodi 25. *Facies & Candelabrum ductile de auro mundiſſimo, haſtile ejus, & calamos, ſcyphos, & ſphærulas, ac lilia ex ipſo procedentia.* Num. 4. *Sument & pallium hyacinthinum, quo operient Candelabrum cum lucernis, & forcipibus ſuis, & emunctoriis, & cunctis vaſis olei, quæ ad concinnandas lucernas neceſſaria ſunt.* & ad alia plura loca.

PRAETERMISSIS his, quæ ab aliis de Canlabro traduntur; antequam noſtra, de liliis, ſphærulis, ac ſchypis in medium tradatur ſententia; duximus attendendum ſacri Candelabri ſtructuram, diſſolubilem, nequaquam indiſſolubilem fuiſſe; ita ut componi, ac deponi commode poſſet; ex ſolido auro intus ſtriatum, & cochleo opere factum, ut diſſolvi jungique illius partes liceret, quoties ab invicem ſemotis alio transferendum fuiſſet Candelabrum: atque etiam inſimul ſtriis colligari illius partes poſſent; quoties firmandum erigendumvè eſſet: hoc voluiſſe ſacra oracula exiſtimamus, quoties de illius ſtructura loquuntur. nam cap. 25. Exodi dicitur ad Moyſem: *Facies & candelabrum ductile de auro mundiſſimo, haſtile ejus, calamos, ſcyphos, & ſphærulas, ac lilia ex ipſo procedentia:* magis autem explicans, ut reor, ſacer textus, quænam eſſent in Candelabro facienda ductilia, ſubinfert: *Et ſphærulæ igitur, & calami, ex ipſo erunt, univer-* **A** *ſa ductilia de auro puriſſimo.* & cap. 37. ubi de abſoluta ſacri Candelabri ſtructura eſt ſermo, dicitur: *Fecit & Candelabrum ductile de auro mundiſſimo.*


Quid ſibi velit ductile in noſtro vulgato Interprete; videre oportet ex Hebraicis textibus, qui ſic habent Exodi cap. 25. מִקְשָׁה תֵּעָשֶׂה הַמְּנוֹרָה hoc eſt, *Ductile facies Candelabrum.* vel ut alii ad vocabuli proprietatem magis attendentes dicunt, *ſoliditatem facies Candelabrum.* hoc eſt, ſolidum fiet. Ad ejus enim ſoliditatem indicandam, atque verborum proprietatem aperiendam, nomine *thoar*, hoc eſt formæ (ut cum hebraizantibus loquamur) ſacer textus **B** utitur; quod nomen abſtractum dicunt Dialectici. illud etiam ſatis expreſſerunt Septuag. Interpretes dicendo, καὶ ποιήσεις λυχνίαν ἐκ χρυσοῦ καθαροῦ, τορευτὴν ποιήσεις τὴν λυχνίαν. hoc eſt, *Et facies Candelabrum ex auro mundo, tornatile facies candelabrum.* At quia ductilia propriè apud Latinos metalla dicuntur, quæ malleo extenduntur; quis fortaſſe arbitrari poſſet, Candelabrum ex laminis aureis, malleo extenſis factum fuiſſe, deinde ſupra formam explicatis; ac tandem igne, ut ſuſpicatur Torniellus, inſimul compactis formatum, juxta typum à Deo Moyſi præſcriptum.

Sed hebraica vox omnem tollit ductilium lamina- **C** rum opinionem, dicens; Candelabrum faciendum ſoliditate, nimirum non laminis, ſed ſolidum, & non vacuum, quemadmodum etiam de Cherubinis Arcæ dicebamus, ac de Propitiatorio. ſolidum, inquam, tam haſtile, quam ſex ramos, qui ex ipſo producebantur, fieri jubebatur; ita ut circumgyrari & expoliri poſſent; & volubiles eſſent quaſi torno facti, ut Septuaginta ſunt interpretati. quamobrem Tornielli ſuſpicio de laminis aureis; ſupra lignum extenſis, in ſtructura Candelabri omnino ruit. nam torno perfici Candelabrum minimè potuiſſet; niſi rami ſacri Candelabri in typo funderentur. quod re vera factum Joſephus lib. 3. Antiq. cap. **D** 7. aperuit, dicens: ἵσταται λυχνία ἐκ χρυσοῦ κεχωνευμένη. hoc eſt, *Erat Candelabrum poſitum ex auro fuſili.* Structura igitur Candelabri, & omnium ramuſculorum, qui ex ipſo prodibant, & in eo erant, fuſo auro in iconibus ex terra factis, eam retinuerunt formam, quam excavata prototypa, cælatam ſervabant; ut in auro redderentur, poſtquam fuiſſet fuſum, & formatum in prototypo; ut malleis & torno, lima, forcipibus, & quibuſcumque aliis, ad rationem artis requiſitis, illius ſtructura perficeretur.

Ne quis verò omninò eatenus ſolidum fuiſſe Candelabrum exiſtimaret; ut nihil in eo vacui adeſſet, **E** aut in ramis, qui ex haſtili illius prodibant; dixit Joſephus loco citato: ἵσταται λυχνία ἐκ χρυσοῦ κεχωνευμένη, διακένος σταθμὸν ἔχουσα μνᾶς ἑκατόν. hoc eſt, *Poſitum erat Candelabrum ex auro fuſum, vacuum, pondus habens mnas centum.* Fuſum itaque erat Candelabrum, & non laminis compactum: quamvis verò ex fuſione ſolida eſſet factum; non tamen omnino ſolidum, ſed vacuum aliqua ex parte erat: ut cochleis nimirum ſtriatis pars una maſculina, alteri parti, quæ cochleam femellam haberet, commodè jungi, atque disjungi, componi, atque diſſolvi poſſet; ſicque femellam cochleam reciperet, ac retineret maſculinam ſtriam, ut cuncta firma conſiſte- **F** rent. Hanc cochlearum ſtructuram, cum reliquis inſinuaſſe puto, ſacrum noſtrum Interpretem, verbo ductile; quod quidem, me judice, ex 5. Pollucis libro cap. 24. ſatis apertum fiet, ubi §. 2. de ære ſermo eſt, dicentis: καὶ τροχίαν μὲν χαλκὸν, τὸ χυτὸν χρὴ καλεῖν. τυπίαν δὲ ὃν ἂν οἱ νῦν εἴποιεν ἔλατον. hoc eſt, *Et orbiculare quidem æs, quod fuſile appellare oportet, informatum autem quod nunc dicemus ductile.* Itaque orbiculare

orbiculare æs dicitur à Polluce, non quod torno elaboratur, ſed quod cochlea ſtriata, ſive orbita, ita formabatur, ut pars parti adhæreret. Cum igitur laminarum ſtructura in ſtriatis cochleis formari, minime poſſit, atque propterea metalla, ea ratione formanda, neceſſario fundenda ſint; ideò illud aurum dicebatur fuſile. Cum verò aurum, aut æs ſine typo effingi in cochleam ſtriatam arti repugnet; & malleis denique omninò perficiantur metalla; ideò dicit Pollux, typium æs appellari, quod nunc etiam ductile nuncupatur. ut ſenſum Pollucis hinc pateat, valde diverſum eſſe ab illo, quem Rodulphus Galthe. illius interpres tenuit. qui locus certè in- B

A ſignis eſt ad ſtructuram Candelabri aperiendam. & vocis *ductile* ſignificationem monſtrandam, in opere ſacri Candelabri. Ex hac enim una voce, non ſolum minimè fuiſſe vacuum Candelabri opus, ſed ſolidum ex auro, perſpicuum fit; ſed etiam ex pluribus compactum partibus conſtat. ut figura hic delineata ſignificari curavimus. in qua medium haſtile cum ſua femella cochlea, & maſculina ſtria cum lucerna, A ſignatur. B maſculinam ſtriam cum ſuperiore femella cochlea oſtendit. quæ verò recipitur in femella ex ramuſculis ſignatur C.



Firmanda ſunt iſta conjecturis, atque rationibus ex ſacris oraculis petitis. attendendum tamen eſt, quod cum mihi ſermo eſſet in primo noſtro Myrothecio cap. 12. de vaſis pro ſacro Candelabro, & vas olei aureum, aſſervatum fuiſſe ab Iſraëlitis, medio in ſtipite Candelabri monſtrare conaremur; ex loco Num. cap. 4. id conjectavimus, in quo Cahathitas Candelabrum ex munere debuiſſe portare ſcribitur; eiſdem verò nihil licuiſſe tangere ex his, quæ ad Candelabrum pertinebant, aut ad illius utenſilia; quapropter vas olei ab eodem Candelabri medio ſtipite pependiſſe dicebamus: non ſolum dum in Tabernaculo Candelabrum ſtaret; verum etiam dum in itinere portaretur. nunc male nos ex loco Numerorum conjectaſſe fatemur. quoties enim Iſraëlitarum movenda forent caſtra, & ſacri Tabernaculi utenſilia aliò transferenda, inter quæ ſacrum Candelabrum computabatur; hoc uti erat in Tabernaculo integrum, ac ſtans, Cahathitas deferre conſueviſſe arbitrabamur; minimè advertentes, nequaquam rationi conſonum id extitiſſe, cum primis propter lucernas, quæ in ſummitate Candelabri collocabantur: quamobrem pallium hyacinthinum, quo ex Dei præſcripto cooperiendum Candelabrum erat, neceſſariò oleo, aliquo modo fœdandum fuiſſet.

Nunc igitur palinodiam recantantes, maturiuſque cuncta dijudicantes, ſacrum Candelabrum, tum in ſtipite, tum in ramis, ſtriis ac cochleis compactum,
E à Sacerdotibus deponi ſolitum affirmamus; & in aliqua Arca ad hæc accommodata repoſitum, cum lucernis fortaſſe etiam accenſis, nec non etiam reliquis utenſilibus ac vaſis, portari ſolitum à Cahathitis affirmamus; quoties aliò Iſraëlitarum caſtra transferenda fuiſſent: quo ſanè modo, ſacrum Candelabrum facilius, & rationabilius deferri poſſe, quam integrum, res eſt omnino aperta, ac manifeſta. pallium quoque hyacinthinum, quo operiendum Candelabrum à Deo jubebatur; non ipſummet Candelabrum texiſſe, ſed Arcam in qua Candelabrum, cum omnibus illius utenſilibus repoſitum erat, pal-
F lio tegendam ex Dei præſcripto dicimus: & hoc velle ſacrum textum, cum ait Num. 4. nu. 9. *Sument & pallium hyacinthinum*, ſupple Sacerdotes, *& operient Candelabrum cum lucernis, & forcipibus ſuis, & emunctoriis, & cunctis vaſis olei, quæ ad concinnandas lucernas neceſſaria ſunt, & ſuper omnia ponent operimentum janthinarum pellium inducentque vectes.* hæc omnia vaſa, quæ cum Candelabro tegenda juſſit

Deus

Deus, in ipſomet Candelabro eſſe nequibant; utique verò cum ipſo, & membra illius, aliqua in Arca concludi, tegique potuerunt, atque propterea hac ratione, divinum præceptum intelligendum erit. palinodiam autem, tam in his, quam in aliis recantare non verebimur, quoties, vel a nobis, vel ab aliis ſanctiori minerva reperta veritas agnoſcetur. eſt enim ſanæ mentis veritatem tantum quærere, ac repertam venerari.

Sacrum verò Candelabrum deponi ſolitum, multa ſunt, quæ in ſacris oraculis ſuadent, præter eam, quam attulimus rationem. Nam hoc ſacrum Candelabrum, præcipuum locum tenuiſſe inter ſacra Tabernaculi utenſilia, quæ in ſancto aſſervabantur, nota res eſt: nihilominus huic annulos fieri, quibus portaretur nullibi Deum juſſiſſe legimus. reliqua verò, quæ aureis laminis tegebantur; ut ſacra Arca, Menſa Propoſitionis, Altare thymiamatis, quæque nulla ratione à ſua forma mutari volebat Deus, quoties caſtra movenda fuiſſent: his omnibus annulos, ac vectes fieri juſſerat; quibus per deſertum portari poſſent; ita enim de Arca dicitur cap. 25. Exodi: *Facies quatuor circulos aureos; quos pones ſuper quatuor Arcæ angulos aureos, duo circuli ſint in latere uno, & duo in altero. Facies quoque vectes de lignis ſetim, & operies eos auro, inducesſque per circulos, qui ſunt in Arcæ lateribus, ut portetur in eis.* In eodem capitulo de Menſa Panum Propoſitionis, dicitur: *Subter coronam erunt circuli aurei, ut mittantur vectes per eos, & poſſit Menſa portari.* & cap. 27. ſermo eſt de altari holocauſti: *Craticulamque in modum retis æream, per cujus quatuor angulos erunt quatuor annuli ænei.* deinde: *Facies & vectes altaris de lignis ſetim duos; quos operies laminis æneis, & induces per circulos, eruntque ex utroque latere altaris ad portandum.* Similiter capite 30. in quo loquitur ſacer textus de altari thymiamatis, dicitur: *Facieſque ei*, ideſt altari, *coronam aureolam per gyrum, & duos annulos aureos ſub corona per ſingula latera, ut mittantur in eo vectes, & in altare portetur.* At quoties de Candelabro aureo iſto, de quo loquimur, ſacra oracula ſermonem habent; nullibi nec verbum quidem de annulis, ſolum de vectibus, quibus poſſet portari. ſermo eſt Num. 4. de tranſlatione ſacri Tabernaculi, & dicitur: *Sument & pallium hyacinthinum, quo operient Candelabrum, cum lucernis, & forcipibus ſuis, & emunctoriis, & cunctis vaſis olei, quæ ad concinnandas lucernas neceſſaria ſunt, & ſuper omnia ponent operimentum janthinarum pellium, & inducent vectes.* Verum quibus in annulis, Candelabri vectes inducendi eſſent, non apparet: nec ratio artis habet, quo in Candelabro annulos pro vectibus conſtituat. Igitur de vectibus ſermo hic eſt; quia his portabatur capſa, in qua Candelabrum, cum omnibus illius utenſilibus, repoſitum fuerat; atque propterea neque aureis, neque æreis laminis, hi vectes tegendi dicuntur; quia de horum ſtructura nihil Deo curæ fuit; ſatis enim erat, de ſimplici ligno vectes haberi, ad illam capſam portandam: quamobrem luculentiſſime conſtat, nequaquam Candelabrum hoc, integrum transferendum, ſed cochleis, ac ſtriis ſolutis; ut per ſacerdotes, in aliqua Arca ad id accommodata repoſitum, à Cahathitis portari poſſet, ac de loco ad locum, juxta præceptum Domini transferri; niſi enim cochleis, ac ſtriis fabricatum Candelabrum extitiſſet, diſſolvi, ac reintegrari minimè potuiſſet.

Accedit ad hæc auctoritas ſacrarum Litterarum, ex quibus Candelabrum cochleis, ac ſtriis conſtructum colligi poteſt: nam loquens ſacer textus de ſtructura ramuſculorum Candelabri, dicit Exodi 25. *Tres ſcyphi quaſi in nucis modum per calamos ſingulos, ſphærulaque ſimul & lilium.* loquens de haſtili medio Candelabri ait parum infra. *In ipſo autem Candelabro erunt quatuor ſcyphi in nucis modum, ſphærulæque per ſingulos, & lilia.* Nunc percunctor illud *per ſingulos*, ad quidnam referatur? non quidem ad haſtile quod unum erat; ſed neceſſario ad ſcyphos referri debet: ut ſit ſenſus, ſingulis ſcyphis reſpondere debuiſſe ſphærulam, & lilium: ex qua loquendi phraſi perſpicue conſtat, non duo tantum lilia, in haſtili medio Candelabri, effigianda fuiſſe, ut volebat Arias Montanus, ſed quatuor lilia, & ſphærulas ad numerum ſcyphorum. Cur autem apertius in ſacro textu iſta non exprimantur, dicendo nimirum in ipſo Candelabro, erunt quatuor ſcyphi in nucis modum, & quatuor ſphærulæ, & quatuor lilia; ſed dicitur, *Sphærulæque per ſingulos, & lilia.* ratio eſt, quia haſtile medium Candelabri, in quatuor partes diſſolvebatur, & unicuique parti reſpondebat ſphærula, & lilium, & ſcyphus; in quo cochlea erat femella, ac ſtria maſcula, ut alter in altero reciperetur, ac firmaretur.

His Septuaginta Interpretes capite eodem conſonant dicentes: καὶ ἐν τῇ λυχνίᾳ τέσσαρες κρατῆρες ἐκτετυπωμένοι καρυΐσκοις, ἐν τῷ ἑνὶ καλαμίσκῳ οἱ σφαιρωτῆρες, καὶ τὰ κρίνα αὐτῆς. hoc eſt, *Et in Candelabro quatuor crateres effigiati ut nuces, in quo ſingulo calamo ſphærulæ, & lilia.* Ubi pro recta intelligentia prætereundum non eſt illud participium ἐκτετυπωμένοι, formatum à verbo τυπόω. quod ſignificat formare aliquid, juxta typum prius factum. dicitur deinde in textu, quod ſingulo calamo reſpondebant ſpherulæ & lilia; & ſermo eſt de haſtili medio Candelabri; quod quidem unum exiſtens, non videbatur poſſe dici ἐν τῷ ἑνὶ καλαμίσκῳ, *in ciaſcheduna delle canne*, ut verbis utamur vernaculis, ad Græcam proprietatem retinendam. illis igitur ſacer textus utitur verbis, quia in quatuor calamos haſtile medium ſacri Candelabri diſſolvebatur; & ſex collaterales ramuſculi, qui tres ſcyphos habebant, in tres diſſolvebantur partes; ut unicuique parti reſponderet ſcyphus, ſphærula, & lilium. quamobrem totum Candelabrum per partes formabatur, fuſo auro in typo partium Candelabri.

De ſphærulis, ſive globulis, aut pomis, ut dicunt, ac interpretantur alii, non eſt nobis controverſia; neque de liliis; niſi tantum de numero, & de hoc jam diximus. de ſcyphis ad inſtar nucum eſt maxima difficultas: quanam ratione ſcyphi ad inſtar nucum fuiſſe intelligantur. Nam Torniellus ſub anno 2544. num. 72. *Puto autem*, inquit, *illud in nucis modum per ſynecdochem, ibique totum pro parte uſurpari, ac ſi diceretur ad ſimilitudinem ſemi nucis nucleo vacuæ: ſive de nuce amygdalina, ut multi putant, ſive de quavis alia, aut communi intelligas, nihil refert. nam cum ſcyphus vas eſſet ad bibendum paratum, ut apertè colligitur Geneſ. cap. 44. verſ. 1. quis non videt illud dimidiatæ, quam integræ nuci commodius poſſe aſſimilari?* hæc apud illum, qui etiam Joſephum calumniatur, quod præter lilia ſphærulas, & ſcyphos, mala punica in Dei Candelabro poſuerit. Sed nihil de malis punicis, ut ille auctor Joſepho tribuit, deceptus quidem Joſephi interpretatione. ſic enim Joſephus lib. 3. Antiq. cap. 7. vel 10. apud alios. πεποίηνται δὲ σφαιρία, καὶ κρίνα σὺν ῥοΐσκοις, καὶ κρατηριδίοις. hoc eſt, *Fecerunt autem ſphærulas, & lilia cum corymbis, & craterculis.* Itaque quemadmodum Scriptura ſacra tria in ornamentum Candelabri commemorat, nimirum ſphærulas, lilia, & ſcyphos, ita pariter Joſephus, niſi quod liliis ornatus gratia corymbos dedit, de quibus nos ſtatim.

Qui dicuntur ſcyphi, à noſtro Interprete, crateres dicuntur apud Septuaginta, & diminuto nomine craterculi, illi ipſi appellantur à Joſepho, & quia crateres ſunt vaſa potoria, & in hebraico textu dicuntur

cuntur גְּבִיעִים מְשֻׁקָּדִים *ghebbhinghin meſchuquadim*, hoc eſt, *ſcyphi amygdalati*, id eſt in forma amygdalarum potius, quam nucum juglandium: quæ alia voce in Scripturis appellantur. amygdalarum igitur forma retinenda erit, quam interpretationem etiam retinuit Aquila inter antiquos, dicens, καὶ τρεῖς κρατῆρες ἐξημυγδαλωμένοι. hoc eſt, *Et tres crateres amygdalati.* idcirco nos quoque hanc ſequuti ſententiam, fuſo auro, ſacri Candelabri ſcyphos, retenta amygdalarum forma, delineabimus.

Torniellus ubi ſupra in Joſephum adhuc inſurgit, dicens: *Erunt igitur lucernæ numero ſeptem, ſcyphi verò, & ſphærulæ, ac lilia ſimul computata, non ut ait Joſephus ſeptuaginta, ſed tantummodo ſexaginta ſex, ut dinumerari poteſt in ejus typo.* ita Torniellus. ſed audiamus quæſo Joſephum, dicentem: πεποίηται ἡ σφαιρία, καὶ κρίνα σὺν ῥοΐσκοις, καὶ κρατηριδίοις ἑβδομήκοντα τὰ πάντα ἐξ ὧν ἀπὸ μιᾶς βάσεως συνετέθη, πρὸς ὕψος. hoc eſt: *Fecerunt autem*, ſupple Candelabro, *ſphærulas, & lilia cum corymbis, & craterculis, ſeptuaginta omnia, quorum ſex ab una baſi in altum aſſurgebant.* Et quidem ſexaginta ſex tantum ſunt ſphærulæ, lilia, & craterculi: verum ſi his adjungatur una baſis, cum tribus pedibus, qui tribus cochleis, & totidem ſtriis, ſub una baſi jungebantur ad Candelabrum ſuſtinendum, mendacii nequaquam Joſephus arguetur; ſed ſeptuaginta, ut ille ſcripſit Candelabri partes, effigiatas auro fuſili habebimus, ad componendum, firmandum, & diſſolvendum Candelabrum, pro loci opportunitate, quoties caſtra Iſraël transferenda, & alibi metanda forent; ut in infra poſito typo videre licet: & pro faciliori intelligentia, legendus erit Joſephus hac punctuatione: πεποίηται ἡ σφαιρία, καὶ κρίνα σὺν ῥοΐσκοις, καὶ κρατηριδίοις. *& hic punctum*, ἑβδομήκοντα τὰ πάντα. *hic punctum alterum*, ἐξ ὧν, & reliqua ibi. hoc eſt: *Fecerunt autem ſphærulas, & lilia cum corymbis, & craterculis. ſeptuaginta omnia. quorum ſex ab una baſi in altum conſurgebant.* ſic enim facilior lectio, & Joſephi intelligentia haurietur; nihil verò de malis punicis in Joſepho, ſed formam liliorum adhuc ornatiorem, & naturaliorem exprimens, cum corymbis illa formari juſſit. hos enim ſignificat σὺν ῥοΐσκοις, non verò mala punica. nec hi corymbi, ſacris oraculis contradicunt: nam lilia facienda in Candelabro dicitur, corymbiculi ſunt connaturales liliis, nec ſine his facienda lilia ſacer textus mandavit. Quæ igitur in eo expreſſa non habentur, Joſephus apertius expreſſit dicens, in Candelabro facienda κρίνα σὺν ῥοΐσκοις. hoc eſt, *lilia cum corymbiculis.* juxta quam lectionem, & ſacrorum oraculorum decreta, Candelabrum delineandum decrevimus, in præcedenti icone.

Nunc de utenſilibus ſacri Candelabri cogitare oportet; de quibus Exo. 25. dicitur ad Moyſem: *Facies & lucernas ſeptem, & pones eas ſuper Candelabrum, ut luceant ex adverſo. Emunctoria quoque, & ubi quæ emuncta ſunt extinguantur, fiant de auro puriſſimo.* Vaſa quoque olei, inter utenſilia Candelabri cap. 4. Numer. recenſentur; ſicut etiam cap. 4. Zachariæ, præter vaſa olei, quatuordecim infundibula, Candelabro, & lucernis apponuntur; de quibus infundibulis cap. 10. noſtri primi Myrothecii ſatis diximus. itaque inter utenſilia ſacri Candelabri, lucernæ, vaſa olearia, emunctoria, emunctorum receptoria, infundibula, & denique forcipes recenſentur. Formam ſacrarum lucernarum ibidem aperuimus cap. 7. Emunctoria verò, quæ & forcipes dicuntur in ſacris Litteris, unde laborem habeat non video. ſed ut iſta etiam apertius perſpicua fiant; tantum adnotabimus, minimè fieri debuiſſe, juxta communem formam; in qua non ſolum abſcindendi lychnos eſt ratio; ſed etiam graveolentiæ, in præciſione lychnorum; ne ſcilicet fumo ejuſdem lychni extincti, nares vexentur: quamobrem his capſulas quaſdam in medio ſciſſas adhibent, quibus præciſi lychni recipiantur; & in eiſdem fumus illorum commoriatur. In his verò ſacris emunctoriis, ſolius præciſionis, atque lychni apprehenſionis, ratio habebatur: atque propterea nomine ſumpto à verbo לָקַח dicebantur *malchachaim* מַלְקָחַיִם hoc eſt inſtrumenta ad apprehendendum aliquid. Vaſa pariter illa aurea, in quibus ut puto, aqua aſſervabatur, ut in eis ſtatim lychni extinguerentur, qui emungebantur ex lucernis, ne aliquid grave olens, in Tabernaculo haberetur; quaſdam aureas capſulas, aut crateres, aut aliquod aliud hujus generis fuiſſe perſpicuum eſt. Quæ omnia vaſa, una cum Candelabro, ſacro oleo injuncta, à Moyſe conſecrata fuere. ſic enim dicitur Exodi 30. *Facieſque unctionis oleum ſanctum, unguentum compoſitum opere unguentarii, & unges ex eo Tabernaculum teſtimonii, & Arcam teſtamenti, Menſamque cum vaſis ſuis, Candelabrum, & utenſilia ejus.* quæ ubi própriis in locis collocata eſſent, ſacro etiam oleo conſecrata fuiſſe cap. 40. Exodi dicitur.

CAP. XLVII.

Aurei Altaris uſus, & forma monſtratur.

Ad loca Exodi 30. *Facies quoque Altare ad adolendum thymiama, de lignis ſetim, habens cubitum longitudinis, & alterum latitudinis, id eſt, quadrangulum, & duos cubitos in altitudine. Cornua ex ipſo procedent. Veſtieſque illud auro puriſſimo, tam craticulam ejus, quam parietes per circuitum, & cornua.* & ad alia.

INTER utenſilia ſacri Tabernaculi præcipuum, ac ferè primarium locum, Altare aureum tenebat; quòd ſacrum, ſuaveque thymiama Deo quotidie, ſuper illud cremaretur. quo quidem genere ſacrificii, velut ad placandum Numina accommodatiſſimò, plurimum etiam Ethnici uſi ſunt. quemadmodum enim in ſacrificiis Moſaicis, nullum ſacrificium oblatum, thure caruit; ita etiam prophani, ſine thure idolis victimas immolare, aut ſacrificia offerre cavebant. cujus etiam meminit Horatius lib. 3. Ode 8. agens de feſto Calendarum Martii, ſcribens in hæc verba:

Martiis cœlebs quid agam Calendis,
Quid velint flores, & acerra thuris
Plena miraris, poſituſque carbo in
Ceſpite vivo.

Nec ſilentio prætereundum puto, thus adeò ſacrificiis germanum, ut nomen ipſum thuris, à verbo græco θύω, quod eſt ſacrifico, derivatum fuiſſe, non immeritò plurimi dicant. Exiſtimarunt enim veteres ſuffumigia, ſeu ſuffimenta, odores, odoramenta, atque aromata, adeò Diis grata, atque jocunda fore, ut his propitiari poſſent, ac res quaſvis pollutas, atque contaminatas ſuffumigiis expiari. Quamobrem ſuffitionum iſtarum, ac ſuffumigationum, incenſorum, atque thymiamaton, creberrima apud Scriptores prophanos fit mentio; ita ut proram, & puppim, ut ita loquar, religionis in ſuffumigiis collocaſſe videantur: id autem ex ipſis primum nominibus, apertiſſimum videtur; nam fumus non à *furno*, vel à *furvo* derivatur, ut grammatici volunt, ſed potius ἀπὸ τοῦ βωμοῦ deducitur, mutata B, in F, latinum. βωμὸς autem græca vox, aram ſeu altare ſignificat; quæ nidorum, ſive ſuffumigiorum de cauſa, fumida, fumoſa, fumans, fu-

fumifera , renidens , vaporata dicitur. hinc Ovid. lib. 3. Triſt. ait :

Fumida cingatur florentibus ara coronis.

& Virg. in Ætna ait :

Surgit odoratis ſublimis fumus ab aris.

Quamobrem frequentiſſimè etiam aræ, ab Homero dictæ fuerunt θυήεντες , id eſt odoræ , ſive odoratæ ; quod nimirum ſacrificium , ſine odore , non ſacrum , ſed prophanum cenſeretur. at ſine victima, ſolius odoris oblatio , & in ara ſuffumigatio , ſacrificium Diis gratiſſimum arbitrabatur.

Thuris uſus communiſſimus fuit , ac frequentiſſimus in omnibus ſacris , tam Ethnicorum , quàm Iſraëlitarum; ut in quocumque genere ſacrificii , thus adhibendum , & in Altari cum victima totum cremandum , juberet Deus in Levitico , & alibi ſæpè. Inde enim Pii nomen thus adeptum ſcimus , Sacri , Votivi , & aliis nominibus decoratum fuit apud Poëtas , quibus religio thuris aperiretur. Pium dicitur ab Ovidio :

Superis pia thura ferebant.

Votivum ab eodem thus appellatur in 3. eleg. dicente :

Aſpicis , ara , preces , votivaque thura piorum.

Sacrum dixit thus Cointhus , quia nimirum à thure cum primis , habebat victimam ſacram fore ; quamobrem ſine thure , aris impoſita , nec Diis grata , nec hominibus putabatur ; ſed veluti piaculum , ab aris victima arcenda cenſebatur ; hinc illud Poëtæ :

Cum thure ſacro ſuſpicias rogo.

Quamvis igitur ſacra quoque Hebræorum , à Deo inſtituta , thus admitterent , & frequentiſſimè illud poſtularent ; non tamen intra Tabernaculum , neque in Sanctum , neque in Sanctuarium admittebatur ; neque ſanctiora divini cultus loca , thuri concedebantur à Deo , niſi in compoſitione aliorum aromatum : quæ compoſitio à communi vocabulo aromatum , thymiama appellatur ; & hac ſola compoſitione , ſacra loca ſuffumigare , à Deo permittebatur.

Inſtrumentum in quo intra Tabernaculum ſuffumigia cremabantur , erat altare aureum , de cujus nominibus hic agendum erit. Θυσιαστήριον græcè hoc altare , quod nos jugulatorium interpretaremur, dictum reperitur , in Græcis ſacrorum oraculorum exemplaribus , in quibus cap. 30. Exodi legimus : καὶ ποιήσεις θυσιαστήριον θυμιάματος ἐκ ξύλων ἀσήπτων. hoc eſt , *Et facies jugulatorium thymiamatis ex ligno imputribili.* Altare autem Latinè & Græcè βωμὸς verius , communiter interpretatur illa vox ; ab uſu ad quem deſtinabatur denominatione ſumpta. licet vocis Græcæ vis , mactationem hoſtiarum ſpectet. Et quemadmodum altare Latinorum generale vocabulum eſt ; ſic etiam Græcum βωμὸς , & hebraicum vocabulum מִזְבֵּחַ. Quod hebraicum idioma non habeat ſingulares dictiones , ac voces , quibus altare ſacrificiorum , ab altari aureo diſtinguat. quamobrem in lingua ſancta , eodem nomine , utrumque altare, tam holocauſtorum , quam ſuffitus thymiamatis appellatur. Quamvis illa vox à radice זָבַח *zabhach*, quæ ſignificat mactare hoſtias , ſeu victimas , veniat ; & omnis hoſtiarum ſanguis , ab hoc altari arceretur , raròque ſanguine hoſtiæ mactatæ tingeretur. Nam vox quoque θυσιαστήριον , non quidem ἀπὸ τοῦ θυμιάματος , quod ſuper hoc altare cremabatur ; ſed ἀπὸ τοῦ θύω , quod eſt ſacrificia , ſive hoſtias macto derivatur : quamobrem animalia quoque mactata θυσία

A dicebantur. Niſi velim s à verbo θυάω , quod eſt ſuffumigo , θυσιαστήριον derivari , quia ſuper illud ſuffumigia cremabantur. Erat autem θυσιαστήριον vocabulum generale, cuicumque ſanè aræ conveniens, ſive ſit alta , ſive infima : quia ſine odoribus & ſuffumigiis ſacrificia non cremabantur. quemadmodum etiam generali vocabulo , apud Latinos ara dicitur , ubi ſacra cremantur.

Propriè tamen ab aliquibus , hoc altare aureum de quo loquimur θυμιατήριον dici poſſet ; cum Philone lib. 3. de vita Moyſ. & Joſepho lib. 3. Antiq. nam altare ſubdivale Thyſiaſterium dictum volunt , quaſi τηρητικὸν θυσιῶν , id eſt , *Servatorem animalium*
B *mactatorum* ; quod nimirum animalia , quæ in altari mactabantur , non perirent , ſed ſervarentur. hoc verò altare aureum , quod erat intra Tabernaculum, ab ipſis thymiamatibus , & à ſuffitu , Thymiaterium , idem Philo dictum putat. dices Latinè locus , in quo comburitur thymiama , & hoc apud Polluc. lib. 10. cap. 18. legere poſſumus , dicentem : θυμιατήριον δ' ἄν τις προσκομίζει. τὸ δὲ αὐτὸ , καὶ ἐσχάριον ἄν τις εἴποι. hoc eſt , *Thymiaterium autem aliquis afferat , illud ipſum foculum aliquis dicat.* quæ adhuc magis explicabimus ; ut velit , altare illud , ſuper quod ignis imponitur , ad concremandum thymiama, & propriè ab aliquibus foculus dicitur ; ab aliis thy-
C miaterium dici. Altare etiam ipſum , ſuper quod hoſtiæ imponebantur, ac in honorem Deorum cremabantur ; thymiaterium aliquando appellabatur , teſte Polluce lib. 1. cap. 1. dicens : ἐφ' ὧν δὲ θύομεν ἢ πῦρ ἀνακαίομεν , βωμὸς , θυμιατήριον , ἑστία. hoc eſt. *Super quæ jugulamus , aut ignem accendimus , quod eſt altare, thymiaterium , heſtia* , ſupple appellatur. magis tamen propriè eo vocabulo vaſa , in quibus thus, & alia aromata cremabantur ad ſuffitum , nuncupabantur.

Poteſt igitur jure meritò thymiaterium hoc altare aureum appellari , quia ſacrum thymiama ſuper illud , ex præſcripto Dei concremandum erat , &
D quamvis aromata quæcumque , apud Ethnicos thymiamata dicerentur , ut habet Pollux lib. 1. cap. 1. §. 24. tamen in Scripturis ſacris , particulari hoc vocabulo , illud tàntum ſuffimenti genus appellabatur ; quod ſuper hoc altare cremabatur ; cujus Deus ipſe auctor fieri voluit : de cujus compoſitione jam ſupra cap. 10. ſumus loquuti. & quamvis noſter Interpres retenta Græca voce , thymiama hoc ſuffimenti genus dixerit ; per antonomaſiam hebraicè קְטֹרֶת. *chetoreth* , id eſt , *ſuffitus* appellabatur à verbo hebraico קִטֵּר. quod ſuffire , id eſt , fumo aromatum Numen placare , atque propitium reddere , ſignificat. Adeò ſibi proprium , Deus hoc ſuffumigium fieri voluit ;
E ut nemini neque ad modicum , eo uti aliquando permiſerit , & quamvis in quocumque etiam ſacrificio, atque oblatione , thus adhiberi Deus concederet , in altari ſubdivali ; tamen intra Tabernaculum , & in Sancta Sanctorum , in quo illius habebatur tribunal; nullum aliud ſuffumigii genus , niſi hoc thymiama admiſit ; & illius tantum de cauſa aureum altare parari mandavit.

Hoc verò aroma , quam gratum revera Superis eſſet ; obſervavit quoque magnus ille Porphyrius , dicens : *Thymiamate , id eſt thureo ſuffimine Deos coli videtur conveniens. tum quod gratius , & acceptius , tum quod purius , & emaculatius quam hecatombe. Deos*
F *enim ſanguis haud quaquam oblectat.* Sacra oracula hoc idem de Deo firmaſſe videntur : nam in hoc altari aureo , ſuper quod ſacri thymiamatis fumum ſuave olentis ſibi offerri juſſerat Deus ; caverat etiam ne in illo ſanguis offerretur , aut victima , aut oblatio farinacea , ut habetur cap. 30. Exodi , dicens : *Non offeretis ſuper eo thymiama compoſitionis alterius , nec oblationem , & victimam , nec libabitis libamina. & de-*

pre-

precabitur Aaron ſuper cornua ejus ſemel per annum in ſanguine, quod oblatum eſt pro peccato, & placabit ſuper eo in generationibus veſtris. id enim magis verba hebraicà aperiunt: dicunt enim לא תעלו עליו קטרת זרה ועלה ומנחה ונסך לא תסכו עליו hoc eſt, *Non offeretis ſuper illud thymiama alterum.* hoc eſt, alio modo quam juſſum eſt fieri. *Neque holocauſtum*; erat autem holocauſtum victima, quæ tota comburebatur in laudem, & confeſſionem divinæ omnipotentiæ. *Neque oblationem*; erat autem oblatio, quæ מנחה dicitur hebraicè, farinacea, & ſimul cum victimis Deo offerebatur. *Et effuſionem non effundetis ſuper illud*, quò ſane teſtimonio perſpicuè conſtat, Deum thymiama hoc, gratius quam victimas, oblationes, ac libamina acceptaſſe.

Eſt etiam locus non unus, aut alter in ſacris litteris, quibus id probari poteſt. nam Deuter. cap. 32. thymiamate divinum furorem placandum dicitur à Sacerdotibus, dum Moyſes benedicit ſingulis tribubus, illarumque laudes extollit, de Sacerdotibus ait: *Hi cuſtodierunt eloquium tuum, & pactum tuum ſervaverunt, judicia tua ô Jacob, & legem tuam ô Iſraël, ponent thymiama in furore tuo, & holocauſtum ſuper altare tuum.* ita ut cum aliquando Dei furor ſæviiſſet in populum Iſraëliticum; non aliter placatus eſt, quam ſacro thymiamate. ſic enim dicitur Num. 16. *Cumque jacerent in terra, dixit Moyſes ad Aaron, Tolle thuribulum, & hauſto igne de altari, mitte incenſum deſuper, pergens cito ad populum, ut roges pro eis. Jam enim egreſſa eſt ira à Domino, & plaga deſævit. Quod cum feciſſet Aaron, & cucurriſſet ad mediam multitudinem, quam jam vaſtabat incendium, obtulit thymiama; & ſtans inter mortuos, ac viventes, pro populo deprecatus eſt, & plaga ceſſavit.* In die quoque expiationis, quando Sacerdoti Summo tantum permittebatur ingredi Sancta Sanctorum, ubi erat Arca Domini; ſine thymiamate nequaquam permittebatur illi ſub pœna mortis. ita Levit. cap. 16. dicitur: *Loquere ad Aaron fratrem tuum*, (dixit Deus ad Moyſem) *ne omni tempore ingrediatur Sanctuarium, quod eſt intra velum coram Propitiatorio, quo tegitur Arca, ut non moriatur.* & infra præſcribens Deus modum, quo licuiſſet Pontifici Sanctuarium ingredi, poſtquam vitulum mactare juſſit, addidit: *Aſſumptoque thuribulo, quod de prunis altaris implevit, & hauriens manu compoſitum thymiama in incenſum, ultra velum intrabit in Sancta, ut poſitis ſuper ignem aromatibus, nebula eorum & vapor operiat oraculum, quod eſt ſuper teſtimonium, & non moriatur.* Divinam hanc complacentiam in thymiamate, non obſcurè illud monſtrat; quod Propheta in Pſalmo præſtitit, dicens: *Dirigatur Domine oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo.* Dum igitur Propheta orationem ſuam ad Deum dirigi poſtulat, non ſicut ſacrificiorum fumus, non quemadmodum holocauſtorum nidores; non ut adipes pacificorum; non ut ſanguis victimæ pro peccato; ſed tantum more combuſtionis thymiamatis: profectò incenſum thymiamatis, gratius Deo extitiſſe, quam illa omnia ſignificavit. ea propter ad cultum iſtum adeò ſibi gratum, in ſacro Tabernaculo, & non extra, quemadmodum reliqua, ſacrum altare conſtitui voluit.


Hujus præſtantiſſimi Altaris forma, atque ſtructura habetur in ſacris oraculis Exodi cap. 30. *Facies quoque Altare ad adolendum thymiama, de lignis ſetim, habens cubitum longitudinis, & alterum latitudinis, id eſt, quadrangulum, & duos cubitos in altitudine. Cornua ex ipſo procedent. Veſtieſque illud auro puriſſimo, tam craticulam ejus, quàm parietes per circuitum, & cornua. Facieſque ei coronam aureolam per gyrum, & duos annulos aureos ſub corona per ſingula latera, ut mittantur in eos vectes, & Altare porte-*

A *tur. Ipſos quoque vectes facies de lignis ſetim, & inaurabis.* hæc ſacra oracula de materia, formaque ſacri hujus Altaris aurei.

Et quidem de materia, magnitudine, latitudine, & altitudine illius, nulla eſt controverſia inter Doctores; cum ſatis aperta ſint, quæ in ſacro textu habentur. De craticula ſuperiori, de qua nemo dubitavit, nobis ambigendum erit; præſertim cum dicatur in loco proximè citato Exodi 30. *Veſtieſque illud auro puriſſimo, tam craticulam ejus, quàm parietes per circuitum, & cornua.* Itaque craticula etiam huic Altari concedenda videtur, quemadmodum Altari holocauſtorum: ſicut etiam illi conceſſerunt
B Scriptores omnes, qui de eo loquuntur; ut Arias Montan. Torniell. Villalpand. & alii omnes. Verum ſi attendantur tenuiſſimi pulveres, in quos thymiama reſolvebatur, ex Dei præſcripto; perſpicuum erit, parum aut nihil hujus pulveris neceſſario remanſurum ſuper carbones, ſed partem majorem in terram deciſſuram, ſi huic Altari craticulam dederimus; cum tamen de illo excinerando, aut de colligendo thymiamate, quod infra illud decidiſſet, nihil ſacra oracula loquantur.

Certum igitur eſſe debet, nullam hoc Altare habuiſſe cratem in ſuperiori plano, in quo carbones, & thymiama in ſuffumigium imponebantur, ſed to-
C tum laminis aureis in ſuperiora coopertum, & extitiſſe in ejus medio foculum aureum, corona circumdatum, non perforatum, ſed integrum, intra quem carbones injicerentur cum thymiamate; quoties mane & veſperi offerretur: quo conſumpto, ab illo ſacro Altari removebantur tam foculus, quam carbones jam extincti, qui in illo erant. Et ne videamur ex capite hæc commenta excogitaſſe, habebimus patronos Cajet. in cap. 30. Exodi, & Eugubin. Audiamus Joſephum lib. 3. Antiq. ſic dicentem cap. 7 vel 10. ſecundum alia exemplaria: *μεταξὺ δὲ αὐτῆς, καὶ τῆς τραπέζης ἔνδον, ὡς προεῖπον, θυμιατήριον, ξύλινον μὲν, ἐξ οὗ καὶ τὰ πρότερα ἦν σκεύη μὴ*
D *σηπόμενα. στερεὰ δὲ περιελήλατο αὐτῷ λεπὶς, πηχυαῖον μὲν κατὰ πλευρὰν ἑκάστην τὸ πλάτος, ὕψος δὲ διπλάσιον. ἐπῆν δὲ ἐσχάρα χρυσέα ὑπὲρ ἀνεστῶσα ἔχουσα κατὰ γωνίαν ἑκάστην στέφανον*, &c. hoc eſt: *Inter illud*, ſupple candelabrum, *& menſam ſitum erat thymiaterium*, id eſt arula ſuffumigatoria, *lignea quidem & ipſa ex imputribili, ſicut erant priora vaſa: ſolida lamina circumquaque contecta, cubitali in quadrum latitudine, altitudine verò dupla, ſuper quam ſtabat foculus aureus, corona aurea circumquaque cinctus, &c.* Ut autem in his Joſephi verbis innoteſcat diſcrimen, inter foculum, & craticulam, quæ altaribus imponebantur, ſtatim ferè loquens de altari holocauſtorum, in quo
E non foculus, ſed craticula erat in medio, ut infra dicemus, ad ſuſtinendum ligna & hoſtias, ait: *δικτύῳ τὴν ἐσχάραν ἐμφερῆς.* hoc eſt, *Cratem pro foculo ſuperimpoſitam habens.* Ex quibus manifeſtum eſt ex Joſepho, cratem diſtingui à foculo; hunc habuiſſe altare aureum, in quo incenſum adolebatur; cratem verò altare holocauſti habuiſſe. Neque his contradicunt ſacri Codices; nam Exodi cap. 30. ubi nos legimus, craticulam altaris aurei tegendam auro puriſſimo, hebraicè non habetur aliquid de craticula, ſed dicitur, וצפית אתו זהב טהור את־גגו hoc eſt, *Et teges illud auro puro, tectum ejus, &c.* Significat
F enim dictio גג *gag* planum ſuperius altaris, non verò craticulam, quæ מכבר *micbar* hebraice dicitur; noſter autem Interpres craticulam poſuit pro foculo. Græca quoque exemplaria mirificè id explicant; nam cum loquuntur cap. 30. Exodi, de altari aureo dicunt: *καὶ καταχρυσώσεις χρυσίῳ καθαρῷ τὴν ἐσχάραν αὐτοῦ, καὶ τοὺς τοίχους αὐτοῦ κύκλῳ, καὶ τὰ κέρατα αὐτοῦ.* hoc eſt, *Et inaurabis illud auro puro, foculum ejus; & angulos ejus circumcirca, & cornua ejus.* Cum

verò cap. 27. ſermo eſt de altari holocauſtorum, & de craticula illius, dicitur: ϗ ποιήσεις αὐτῷ ἐσχάραν ἔργῳ δικτυωτῷ χαλκῆν. hoc eſt, *Et facies ei*, ſupple altari, *foculum opere reticulato æneum.* Itaque foculus altaris ænei erat reticulatus, non verò foculus altaris aurei, in quo adolebatur thymiama. quamobrem hanc Altaris aurei figuram, hic delineari pro majori intelligentia curavimus.



Dubitandum fortaſſe occurret de cornibus hujus Altaris; ſed quia hæc non erant diſſimilia, ab his quæ in Altari holocauſtorum habebantur; cum de illo ſermonem habebimus, aliquid pro elucidatione cornuum dicetur. De ejuſdem ſitu in Tabernaculo eſt aliqua difficultas inter Doctores; ſacer textus de hoc ſic loquitur: *Poneſque altare contra velum, quod ante Arcam pendet Teſtimonii, coram Propitiatorio, quo tegitur teſtimonium, ubi loquar tibi.* Et ubique ſemper tam apud Joſephum, quam Philonem, & alios Scriptores, etiam non ſacros, Altare aureum, medium inter Menſam & Candelabrum ſtatuitur: ſed alii propinquiorem ad velum; alii verò remotiorem illi locum præſcribunt; illud in ipſo Tabernaculi veſtibulo collocantes, ſtatim poſt aulæum, quod erat in introitu Tabernaculi: ita ut Altare aureum in ipſo veſtibulo ſacri Tabernaculi è regione oraculi extra velum locum haberet. Sed de his diſputandum nobis non eſt, cum nihil ex Scripturis ſubodorari poſſit, niſi quod in ſacro Tabernaculo, hoc altare medium inter Menſam & Candelabrum ſtatuebatur.

CAP. XLVIII.

Utenſilia in miniſterium Altaris aurei aperiuntur.

Ad loca Exodi 30. *Veſtieſque illud auro puriſſimo, tam craticulam ejus, quam parietes per circuitum, & cornua.* Levit. 10. *Arreptiſque Nadab, & Abiu filii Aaron thuribulis, poſuerunt ignem, & incenſum deſuper, offerentes coram Domino ignem alienum: quod eis præceptum non erat.* Ezech. 8. *Et ecce applicant ramum ad nares ſuas.* & ad alia.

SIGILLATIM de utenſilibus ſacri hujus Altaris, ſatis obſcure ſacra loquuta ſunt oracula; ut cap. 4. lib. 2. Paralip. in quo de operibus Salo-

A monis eſt ſermo, & dicitur, nu. 22. *Thymiateria quoque, & thuribula, & phialas, & mortariola ex auro puriſſimo*, ſupple fecit. & lib. 3. Reg. cap. 7. hujuſmodi vaſa ſimiliter recenſentur; ſed quia confunduntur, cum aliis etiam, quæ erant ad uſum Menſæ, & Candelabri, idcirco locum non adducimus. at verò in Exodo, nihil ſigillatim de his utenſilibus ſacra oracula, tantum univerſali vaſorum vocabulo comprehenduntur. ſi autem divinandum eſſet, & ex ritibus Ethnicorum prophana reſanctificare liceret, inter utenſilia numerarentur vectes, arcula thuraria, foculus, thuribula, & mortariola aurea: ubique enim ſacræ Litteræ, dum Moyſen
B alloquuntur meminere ſolius Altaris, & vectium, & cap. 4. Num. in quo ſermo eſt de filiorum Iſraël profectione, ſacrique Tabernaculi tranſlatione dicitur, nu. 11. *Nec non & altare aureum involvent hyacinthino veſtimento, & extendent deſuper operimentum janthinarum pellium, inducentque vectes.* Et de vectibus quidem nihil dicendum remanet; cum omnino ſimiles eſſent, his ipſis quibus Arca portabatur.

Cochlearia ab hoc Altari arcenda ſunt; ſolius enim manus miniſterio, & numquam aliter, thymiama thuribulis imponebatur, nec aliter licebat, ut dicunt etiam Rabbini, & ſubodorari poteſt ex
C Levit. cap. 2. ubi de oblatione ſermo eſt, ſic: *Deferet ad filios Aaron ſacerdotes: quorum unus tollet pugillum plenum ſimilæ & olei, ac totum thus, & ponet memoriale ſuper Altare in odorem ſuaviſſimum Domino.* quemadmodum igitur pugillo, ſimilam oleo commaſſatam, in Altare ſuper ignem Sacerdos imponebat; pariter etiam thus miniſtraſſe dicendum videtur; atque etiam thymiama ad Altare aureum, quod in ratione ſuffumigii eodem modo ac thus ſubminiſtrandum videbatur. Saniora & doctiora alii ſi dixerint, acquieſcam; ſed cap. 16. Levitici cochlearia ab uſu thymiamatis omnino arcentur.

D Elucidentur igitur jam utenſilia, quæ apertiora videntur; inter quæ primam ſedem occupat foculus; vel ſi loqui velimus cum vulgato craticulam dicemus. Craticulam admittit Villalpandus, cineres intra Altare decidiſſe non negat. quin etiam Altari à Salomone conſtructo feneſtram in latere Orientali effingit, ad excinerandum Altare. ita in illius figura habetur, quam ponit 2. tom. explanat. in cap. 41. Ezech. par. 2. lib. 4. ante cap. 49. & tandem in eodem capitulo deſcribit. Hæc craticula & Altare fulcitur auctoritate vulgati Interpretis, qui uſus eſt verbo craticula; quam tamen nos pro foculo poſitam diximus; fulcitur auctoritate Joſephi, quem certe
E ille non vidit; ut capite præcedenti monſtravimus: nec enim vocabulo ἐσχάρας craticulam ex Joſepho ſignificari ipſe monſtrabit, ſed potius contrarium.

Nos hæc miſſa facientes, utique tenemus, atque affirmamus, nullam fuiſſe in Altari thymiamatis cratem, ſed foculum mobilem. Obſcuriſſima ſunt, & perquam difficilia, quæ de his utenſilibus, in ſacris oraculis habentur: nam 2. Paralip. cap. 4. loco jam citato, in enumerandis utenſilibus ad uſum incenſi, ſeu thymiamatis, ſunt aliqua quæ appellantur הַמְּזְרָקוֹת *hamizraqot.* thymiateria dixit vulgatus Interpres; pſalteria dixerunt alii, ſed minus verè. nam certum
F eſt ea voce ſignificari inſtrumenta quædam putationi apta, vel potius palmites, ſive verius inſtrumenta aliqua palmitibus, hinc inde, & circumquaque ornata; quamobrem pſalmi quoque, eo vocabulo inſcribuntur, vel quod in inſtrumentis ea ratione ornatis canerentur; vel quod in Dei Templo tunc cantarentur; dum ſacrum thymiama in foculo palmitibus ornato cremaretur. ut propterea 3. Reg. cap.

7. in

7. in uſu ſacrorum eadem vaſa thuribulis junguntur: ſignificari igitur ea voce putamus foculum, qui medio in Altari aureo ſitus erat, ad uſum thymiamatis.

Hac dictione הַמִּזְרָקוֹת *hamizraqoth*, poſſet illuſtrari locus difficillimus Ezech. c. 8. in illis verbis: *Ecce ipſi applicant ramum ad nares ſuas.* in cujus loci expoſitione, genus quoddam idololatriæ agnoverunt Interpretes, in floribus ac ramuſculis poſitum; quos idololatræ applicatos ad idola, poſtmodum honoris, ac religionis cauſa deoſculabantur. Nos locum intelligi poſſe putamus, non de ramuſculis, ſed de foculo thymiamatis; nimirum de thymiaterio, quo contra Dei præceptum fruebantur Iſraëlitæ illi, contra quos loquitur Propheta: nam hebraicè ſic legimus: וְהִנֵּה שֹׁלְחִים אֶת־הַזְּמוֹרָה אֶל־אַפָּם hoc eſt, *Ecce illi applicant thymiaterium ad nares ſuas*: ut odore nimirum vetito perfruerentur. Quod etiam alias objecerat Deus per Prophetas Hieroſolymitis, dicens: *Unguentum meum, & thymiama meum*, &c. Viderint alii doctiora. ramum dixiſſe vulgatum affirmabimus pro vaſe palmitibus ornato.

Ut igitur cuncta lucidiora fiant, & loquutiones græcæ intelligantur; notandum erit diſcrimen hujus vocis ἐσχάρα, ab hac alia ἐσχάριον. Priori enim ſignificatur cruſtula illa, quæ ex combuſtione, aut ex impoſitione carbonum ignitorum, alicubi remanet; quamobrem etiam puſtulæ in morbis ſic appellantur. ἐσχάριον verò illud vas ſeu inſtrumentum dici poteſt, in quo carbones recipiuntur, teſte Polluce lib. 10. cap. 24. dicente: καὶ μὲν ἐσχάραν εἴποις ἂν, τὸ ἀνθράκιον τοῦτο, καὶ ἐσχάριον. ideſt, *& focum qui-*


A *dem dices, carbonarium hunc & foculum:* & hoc probat teſtimonio Ariſtophanis, & Stratis. quaſi diceret Pollux, quod locus ille in quo carbones ponuntur, dicitur *eſchara*, atque etiam *eſcharion*. & lib. 1. cap. 1. nu. 5. definiens locum illum in quo ſuper Altare flamma ardet; ratione nigredinis, & notarum combuſtionis, quas relinquit, eſcharam locum illum dicit ſic, ἐσχάρα δ' ἰδίως δοκεῖ μὲν ὧδε ὠνομάσθαι, ἐφ' ἧς τοῖς ἥρωσιν ἀποθύομεν, ἔνιοι δὲ τῶν ποιητῶν, καὶ τὸν τῶν θεῶν βωμὸν οὕτω κεκλήκασιν. hoc eſt, *eſchara autem proprie videtur ſic nominari ſuper quam heroibus ſaccrificamus. aliqui autem poëtarum, Altare quoque Deorum ſic vocaverunt.* licet utraque vox latinè, fo-

B cum ſive foculum interpretetur. unde Ovid. lib. 6. Faſtor. ait:

Et focus à flammis, & quod fovet omnia dictus.

Dicimus igitur in hoc Altari aureo, fuiſſe ſuperpoſitum vas quoddam aureum, in quo reciperentur carbones, thymiamate reſperſi; propterea thymiaterium dictum arbitramur. nam quamvis quodcumque inſtrumentum thymiamatis, ſive ad ſervandum thymiamata, ſive Altare ſuper quod thymiama cremabatur, ſive illud ſuper quod carbones, ad ſuffumigandum thymiamata, imponebantur, ita nominari poſſit, propriè tamen præ aliis poſtremum ſic dice-

C batur; teſte Polluce lib. 10. c. 18 dicente: θυμιατήριον δ' ἂν τις προσκομίζοι. τὸ δ' αὐτὸ καὶ ἐσχάριον ἄν τις εἴποι. hoc eſt. *Thymiaterium autem aliquis afferat.* illud idem foculum aliquis dicet. hujus foculi, atque thymiaterii hæc ſit forma Fig. A expreſſa, vel ſimili, dummodo ſit amovibilis.



In medio Altaris aurei erat hoc thymiaterium, ſive foculus, in quem carbones hauſti de Altari holocauſtorum injiciebantur, & ſuper carbones thymiama in ſuffumigium; hoc tamen in ipſo thuribulo antequam in foculum carbones injicerentur, in ipſo ſtatim ſacri Tabernaculi veſtibulo.

Materiam hujus foculi fuiſſe aurum, indubitatum eſſe debet: de qua ſic loquitur Deus cap. 30. *Veſtieſque illud auro puriſſimo tam craticulam ejus, quàm parietes per circuitum & cornua.* hæc ſacer textus. quamobrem me latet unde hauſerit Torniellus, quod dicit hanc craticulam fuiſſe æneam, & deſuper inauratam. licet enim aurum, in vaſe clauſum fuſioni ſubdatur; non tamen ita accidit auro aëri expoſito, ex quo calor & fumus facile evaporari poſſunt; ut

F in incenſoriis, quibus utitur Eccleſia conſpici poteſt. Præterea in ſacro Tabernaculo nihil Deus admiſit, quod aureum non eſſet; argentum tantum in baſibus columnarum, quæ terram tangebant, vix permiſſum fuit; quamobrem ab hoc Altari æs abfuiſſe neceſſe eſt.

Quarto loco recenſentur, quæ mortariola appel-

lantur à noſtro Interprete, in loco jam allato ex cap. 4. lib. 2. Paralipom. obſervandum verò puto antequam ulterius progrediamur; thuribula dici poſſe vaſa, in quibus thus conſervatur, vaſa in quibus thus crematur, vaſa in quibus pinſitur, & quæcumque ad uſum thuris adhibentur; ſicut etiam thymiateria appellantur, vaſa quæcumque ad uſum thymiamatis; nimirum illa, in quibus thymiamata ſervantur; vas in quo thymiama crematur, & etiam altare, quò carbones thymiamate reſperſi injiciebantur. Nos igitur non ordinem enumeratorum vaſorum ſequentes, ſed potius thymiamatis uſum præ oculis habentes, de phialis agemus. hæc enim erant vaſa, in quibus thymiamata ſervabantur, ut jam probavimus, præſertim ex ſenioribus, quos vidit Joannes in Apocalypſi, habentes ſingulos phialas aureas plenas odoramentorum. Latini hanc Arculam nominavere Acerram, hoc eſt arcula ad munus aræ. vel ut dicit Feſtus Pauli: *Acerra eſt ara, quæ ante mortuum poni ſolebat, in qua odores incendebantur:* alii dicunt arculam eſſe thurariam, ſcilicet ubi thus reponebatur. Ex quibus perſpicuum eſt, thuribulum, acerram, thymiaterium, & alia hujuſmodi vocabula, ſumi pro quocumque vaſe ad thuris, aut ſuffumigiorum uſum.

Quod poſtremo loco de acerra dicitur; facit quammaxime ad rem noſtram: quamobrem in omnibus lapidibus antiquis, in quibus veterum ſacrificia inſculpta cernuntur, juxta Sacerdotem ſacrificantem, puerulus cum hac arcula thuraria viſitur. Græcè φιάλαι videntur appellata hujuſmodi vaſa; ut habetur lib. 2. Paralip. loco citato. hæc enim à Polluce etiam lib. 1. cap. 1. inter ſacra donaria recenſentur, in cultum Deorum oblata. non eſt tamen prætereundum, in ſuffumigiorum uſu, vaſorum nomina, quæ illis debentur, confundi; vel etiam hæc ſunt illa utenſilia, quæ Græcè θυΐσκαι appellantur. legunt enim Septuaginta cap. 7. Numer. θυΐσκην μίαν, ſupple obtulit Aminadab, δέκα χρυσῶν πλήρη θυμιάματος, hoc eſt, *Thyiſcam unam decem aureorum plenam thymiamate.* cum igitur vox θυΐσκη, derivetur à voce θύα, quæ mortarium, ſive pilam ſignificat: ut propterea inter inſtrumenta ruſtica à Polluce lib. 1. c. 12. §. 15. recenſeatur; ideò mortariola dixit interpres vulgatus. quod Latini dixerunt thuribulum; magis verò propriè acerram veteres appellarunt; & ex vetuſtis lapidibus, illius formam Fig. B iconis præcedent. riddidimus.

Hebræos etiam habuiſſe vaſa hæc, ad ſervandum odores, nullum eſt dubium; cùm thuris uſus in ſacrificiis, frequentiſſimus eſſet, qui nimirum in altari exteriori habebatur, & thymiama mane, & veſperi cremaretur in Altari aureo. Hæc eadem vaſa thymiateria appellat Joſephus lib. 8. antiq. cap. 2. dicens: θυμιατήρια δὲ χρυσᾶ, ἐν οἷς ἐκομίζετο θυμίαμα εἰς τὸν ναὸν δισμύρια. ὁμοίως ἄλλα θυμιατήρια οἷς ἐκόμιζον ἀπὸ τοῦ μεγάλου βωμοῦ πῦρ ἐπὶ τὸν μικροβωμὸν τὸν ἐν τῷ ναῷ, πεντακισμύρια. hoc eſt, *Thymiateria autem aurea, in quibus deferebant thymiama in Templum viginti millia. ſimiliter & alia thymiateria, quibus ignis ab altari magno deferebatur ad minus, quod eſt in templo, quinquaginta millia.* Ex quibus Joſephi verbis, duo genera thymiateriorum habentur, alia quibus thymiama in templum, nimirum in Sanctum inferebatur; alia quibus ignis ab altari majore, ad altare aureum ferebatur; de quibus ſtatim dicemus. Priora verò ſunt, quæ phialæ, vel mortariola appellantur in ſacris oraculis: quia his thymiama in Templum, & ad altare offerebatur, & in eiſdem thymiama ſervabatur. de quibus idem Joſephus lib. 1. de bello Jud. cap. 5. ſcribens captam Hieroſolymam à Pompejo, & illius in ſacrum templum ingreſſum, quæque ipſe ibi viderit, ait: καὶ θυμιατή-

A ρια ὁλόχρυσα πάντα, πλῆθός τε ἀρωμάτων σεσωρευμένων. hoc eſt, *Et thymiateria ex auro omnia, plena coacervatorum aromatum.* Itaque ſanctum thymiama, & aromata, quibus illud parabatur; in Templo ſancto, una cum Candelabro, Menſa, & Altari ſervabantur: vaſa quoque in quibus cuſtodiebantur, thymiateria appellabantur.

Duodecim in Tabernaculo oblata fuiſſe thymiateria, colligitur ex cap. 7. Num. in quo ſinguli Patriarchæ Tribuum, pro ſua quiſque Tribu, munus in cultum Tabernaculi obtulit: & inter hæc enumeratur vas, quod mortariolum dixit noſter Interpres, plenum quidem thymiamate. hoc vas dici-
B tur hebraicè כַּף *caph*, ut diximus etiam cum de Menſa Panum Propoſitionis loqueremur cap. 41. ſic enim hebraicè legitur cap. 7. Numerorum, cum de oblatione Aminadab Principis Judæ loquitur textus כַּף אַחַת עֲשָׂרָה זָהָב מְלֵאָה קְטֹרֶת hoc eſt, *Mortariolum unum ex decem ſiclis aureis, plenum incenſo.* Et quia ſumus in auro, ſcutellam hanc, quæ à Patriarchis Tribuum oblata dicitur, decem auri uncias pependiſſe, ſuſpicari poſſumus. quibus ſimilia ſunt, quæ à reliquis Patriarchis oblata dicuntur, in eodem capitulo. quamobrem ſubodorari licet; hoc vas ad uſum thymiamatis, apud Hebræos non arculæ
C formam, ſicut Latinorum acerra, ſed ſcutellæ, ſive mortarioli figuram, apud Iſraëlitas habuiſſe: quemadmodum ad uſum Menſæ ſupra cap. 41. diximus.

Vas aliud ad uſum pariter ſancti hujus Altaris, & incenſi thymiamatis id erat, quo carbones ignis, ex Altari majore accipiebantur per Sacerdotem; & ad hoc Altare aureum ferebantur: ut igne impoſito in Altari cum thymiamate, in eo ſuffiretur ſanctum Dei thymiama: quamobrem Joſephus, ut vidimus lib. 8. Antiquit. θυμιατήριον illud appellavit. Hujus vaſis meminere ſacra oracula cap. 16. Numer. Deus enim iratus, ſævierat in multitudinem Iſraëli-
D ticam; quod murmuraſſet populus contra Moyſem & Aaron. hæc cum Moyſes cognoviſſet, ad placandum Numen juſſit Aaron cremare, Deoque offerre thymiama, dicens: *Tolle thuribulum, & hauſto igne de Altari mitte incenſum deſuper, pergens cito ad populum; ut roges pro eis: jam enim egreſſa eſt ira à Domino, & plaga deſævit.* Illud autem, quod thuribulum dixit noſter Interpres, hebraice הַמַּחְתָּה *hamachtha* appellatur, ſicuti etiam cap. 10. Levit. dum narratur Nadab & Abiu interfectos à Domino, quod ignem impoſuiſſent ſuper thuribulum, de Altari non ſumptum, ut illis præceptum fuerat. Illud thuribulum vocabulo ſignificatur, quo Græcè dicuntur
E πυρεῖα, hoc eſt, ignium receptacula. ſic enim tam cap. 16. Levit. quam 16. Numer. appellatur apud Septuaginta, qui ibi ſic legunt: λάβε τὸ πυρεῖον, καὶ ἐπίθες ἐπ' αὐτὸ πῦρ ἀπὸ τοῦ θυσιαστηρίου. hoc eſt, *Accipe receptaculum ignium, & pones ſuper illud ignem*, ab Altari holocauſtorum, ſupple, accipiens illud. Nam illud propriè appellatur θυσιαστήριον. quia verò ſacer textus hoc eodem vocabulo utitur, dum extinctoria lucernarum enumerat, ea propter hæc ſimilia fuiſſe affirmabimus; dummodo manubrium à parte poſteriori huic concedamus; quo hinc inde ab Altari ſubdivali, ad aliud aureum, quod erat intra Taberna-
F culum, deferri poſſet, carbonibus thymiamate reſperſis, & per ſummum Pontificem, ſemel in anno intra Sanctum Sanctorum allatum.

Vox Græca πυρεῖον, probat apertè Ethnicos quoque hujuſmodi vaſa habuiſſe. ſic enim de illo Suidas: πυρεῖον θυμιατήριον. οἱ δὲ ἕλληνες κατέλιπον πυρεῖα, καὶ δᾶδα δόντες σίνωνι σκοπὸν ἐσόμενον. ὁ δὲ τὸ πυρεῖον, καὶ τὸν πυρσὸν ἀνίσχε τοῖς πολεμίοις. ὁ δὲ ἡρακλεῖος τάς τε πόλεις καθῄρει, καὶ τὰ πυρεῖα διέστρεφε τῶν περσῶν, καὶ σοφοκλῆς. πυρεῖα ὁμοῦ τὰ δε κείνου τὸ θησαύρισμα σημαίνει τὸ δέ. hoc eſt,

eſt, *Pirion eſt thymiaterium. Græci autem relinquentes pyria, & faces dantes Sinoni exploratori futuro. ille autem & pyrion & facem accenſam hoſtibus ſuſtulit. & Heraclius civitates diſperdidit, & pyria ſubvertit Perſarum. & Sophocles & pyria ſimul iſta. theſaurum ſignum ſignificat iſtud.* Ex quibus Suidas teſtimonio veteris hiſtorici, nobis minus noti, de Trojana expeditione ſcribentis, nec non alterius, qui res geſtas Heraclii ſcripſit, & etiam auctoritate Poëtarum oſtendit vocem Pyrion ſignificare ignium receptaculum ad ſuffumigationes, quod apud nos thuribulum & thymiaterium dici poteſt. Romanos quoque habuiſſe hujuſmodi vaſa, ſacrorum ratio in offerendo incenſo idolis, hoc apertè probat; at ſi conjectare liceret, illud unum inter pyria enumerarem, quod ex Muſeo Perilluſtris Domini Franciſci Angelonis ſupra delineandum, Fig. B. antiquitatum ſtudioſis præſtitimus.

Æneum eſt hoc vas, cujus manubrium in poſteriora illius poſitum redarguit; qui pateram illud dicebant; cum hanc omnino rotundam, lapides ubique commonſtrent. Fuiſſe hoc vas ad uſum ſacrorum, laurea corona, qua cingitur, id oſtendit, eadem enim planta, Sabina quoque dicebatur. eſt enim hoc vas ſatis amplum, aptèque permagnum, & tantiſper in umbilico ad modum conchæ deſcendit; labroque circumcirca, corona ipſa, & totum vas cingitur: ſicque quod in icone poſita non ſatis exprimitur verbis, hic aperiendum cenſuimus. Illud enim vas in gratiam Alexandri, fratris Heliogabali conſtructum putamus; qui cum bonis artibus ac litteris operam daret, ut teſtatur Herodianus in fine lib. 5. & 6. ſuæ hiſtoriæ: propterea Mercurius cum Imperatore colloquens, in eo vaſe fingitur. In eo igitur carbonibus, atque aromatibus impoſitis, ſuffumigia Numinibus conſueviſſe offerri putamus.

Sed prophana relinquendo, ſacra jam repetamus, & pyria, ſive thuribula ſacrorum oraculorum contemplemur. Materiam horum thuribulorum, aurum fuiſſe conſtat; quia nullum vas licebat intra Sanctum, aut Sanctuarium inferre, quod aureum non eſſet: hoc autem thuribulum in Sanctum Sanctorum etiam, & nedum in Sanctum inferebatur, ut dicitur Levit. 16. De forma, rotundane, quadrata, an fuerit ovata, nihil certi affirmari poteſt, ſed illud manubrium habuiſſe exiſtimamus; ut commodius ſine læſione manuum Sacerdotis portaretur. in eo enim non ſolum carbones de Altari holocauſtorum aſſumebantur, ut ſtatim in Tabernaculum inferrentur; ſed etiam in eodem vaſe, thymiama ante ingreſſum Tabernaculi cremandum, ſuperimponebatur; ut dicitur Levit. 10. *Arreptis Nadab & Abiu, & filii Aaron thuribulis poſuerunt ignem, & incenſum deſuper, offerentes coram Domino ignem alienum, quod eis præceptum non erat.* Ex quo loco ſatis apertè colligitur, non conſueviſſe Iſraëlitas Sacerdotes, quoties Deo thymiama offerre cogerentur; in hoc thuribulo inferre ignem intra ſanctum, illoque impoſito in foculo Altaris aurei, poſtmodum ſuper ignem ſpargere thymiama; ſed potius aſſumpto in thuribulo, ſeu pyriaterio igne, de altari ſubdivali, ibidem thymiamate ſuper carbones impoſito, illud ad Altare holocauſtorum Deo offerre contra velum Tabernaculi, ac tunc evaporante thymiama fumum, Sanctum Dei ingredi, & in altari aureo in foculo ignem & thymiama invergere, expectando ibidem, donec totum thymiama conſumeretur, & carbones extinguerentur. Jam enim Myrothecio primo dicebamus, Sacerdotes cum excinerabant altare à cineribus, adſtare conſueviſſe, donec favillæ ignis ab altari ſublatæ, ſi quæ adfuiſſent, omnino extinguerentur. ita fieri ſolitum in comburendo thymiamate credendum eſt. Non fuiſſe minimum vas, ſed ſatis amplum thuribulum ſuſpicari poteſt; quia multoties per aliquod temporis ſpatium, Pontifex cogebatur, cum prunis & thymiamate thuribulum manibus deferre, dum Sancta Sanctorum in anniverſaria expiatione ingrediebatur, ut dicitur Levit. 16. *Aſſumptoque thuribulo, quod de prunis altaris impleverit, & hauriens manu compoſitum thymiama in incenſum ultra velum intrabit in Sancta, ut poſitis ſuper ignem aromatibus, nebula eorum & vapor operiat oraculum, quod eſt ſupra teſtimonium, & non moriatur.* Ex quo loco cochlearia, ad uſum incenſi, nullius fuiſſe uſus in ſacris Hebræorum, ut ſupra dicebamus, eſt manifeſtum; ſed manibus Sacerdotes aſſumpſiſſe aromata, & eadem impoſuiſſe ſuper ignes, ſicut Ethnicos quoque feciſſe, vetuſti lapides oſtendunt. quia verò tam incenſi, quam thuribuli uſum, hic locus præclarè aperit ex lectione Septuaginta Interpretum, idcirco eam afferendam duxi. καὶ λήψεται, inquiunt, τὸ πυρεῖον πλῆρες ἀνθράκων πυρὸς ἀπὸ τοῦ θυσιαστηρίου, τοῦ ἀπέναντι κυρίου. καὶ πληρώσει τὰς χεῖρας θυμιάματος συνθέσεως λεπτῆς, καὶ εἰσοίσει ἐσώτερον τοῦ καταπετάσματος. καὶ ἐπιθήσει τὸ θυμίαμα ἐπὶ τὸ πῦρ ἔναντι κυρίου καὶ καλύψει ἡ ἀτμὶς τοῦ θυμιάματος τὸ ἱλαστήριον τὸ ἐπὶ τῶν μαρτυρίων, καὶ οὐκ ἀποθανεῖται. hoc eſt, *Et accipiet*, ſupple Aaron, *plenum thuribulum carbonum ignis, ab altari holocauſtorum, quod eſt in conſpectu Domini.* hoc enim altare ſignificatur dictione θυσιαστηρίου. ab hoc igitur, & non ab aureo altari, quod θυμιατήριον dicebatur, carbones ſumendi erant. *& implebit manus thymiamatis compoſiti tenuiſſimi, & introibit intra velum, & imponet thymiama ſuper ignem in conſpectu Domini, & operiet nebula thymiamatis Propitiatorium, quod ſupra teſtimonium & non morietur.* Itaque ab altari, quod erat extra Tabernaculum uſque ad Sancta Sanctorum, tam introeundo, quam exeundo, in Sancta Sanctorum, orare tenebatur Pontifex pro ſe, pro domo ſua, deinde pro populo. cujus cauſa delectas habuiſſe preces non ambigitur. cumque toto hoc temporis ſpatio Pontifex manibus thuribulum illud, ſive pyrion ſuſtinere cogeretur, ne læderetur à calore, manubrio aureo afficiendum vas fuit. Præterea cum Domini ira, in populum Numeri 16. aliquando ſæviret, juſſu Moyſis, aſſumpto thuribulo Aaron, & in eo hauſto igne de altari, ac thymiamate impoſito, expiaſſe populum, Numenque placaſſe ſcribitur; thymiama ipſo offerente ſuper thuribulum, ubi deſæviebat ira, pluresque mortui jacebant: caſtra autem Iſraël plurima agri milliaria occupaſſe manifeſtum eſt; plurimas igitur horas Aaron ſuſtinuiſſe thuribulum carbonibus plenum perſpicuum eſt: quod facere nequiviſſet; niſi manubrium vas habuiſſet. Hujus igitur vaſis formam, ratione Fig. C. expreſſa delineari poſſe putavimus.

De conſecratione utenſilium ſacri hujus Altaris non aliter judicium ferimus, quam de reliquis utenſilibus ſacræ Menſæ, atque Candelabri: quod nimirum, quemadmodum illa prius ſanguine expiata, atque aqua luſtrali purificata, poſtmodum inuncta fuere, & ſuis miniſteriis applicata, quibus ſacra fierent; ita dicimus hujus ſacri Altaris, ejuſque utenſilium conſecrationem abſolutam fuiſſe. quod ex Joſepho lib. 3. cap. 9. juxta Græcum exemplar habetur; à quo dicitur, Tabernaculum cum omnibus illius utenſilibus ſanguine taurorum, & arietum expiatum, ac unguento linitum fuiſſe, ut Dei fieret habitaculum, divinæque Majeſtatis domicilium.

CAP. XLIX.

Labri ad ſervandum aquam conſecratio.

Ad

Ad loca Exodi 30. *Facies & labrum æneum cum baſi ſua ad lavandum, poneſque illud inter Tabernaculum teſtimonii, & Altare.* Ibid. 40. *Et aſſumpto unctionis oleo unges Tabernaculum cum vaſis ſuis, ut ſanctificentur: Altare holocauſti & omnia vaſa ejus: labrum cum baſi ſua: omnia unctionis oleo conſecrabis.* & ad alia.

SACRUM Tabernaculum, jam velo demiſſo egrediamur, & ad ſubdivalia accedamus, ut in atrio verſemur. Agendum igitur nunc erit, de vaſe illo prægrandi, quod ad aſſervandum aquam in uſum ſacrorum, ſtatim Tabernaculo egreſſis primo occurrit. Cultum aquarum luſtralium, habuiſſe quoque Ethnicos in illorum ſacris atque in cultu idolorum, res eſt aperta; ut videre eſt apud rerum antiquarum Scriptores. Nam Ægyptii à quibus reliqui omnes ſacra accepiſſe profitebantur, ſacram pompam, ſine aqua minimè celebrabant, teſte Plutarch. in Iſid. & Oſir. immò aquam nomine Oſiridis intelligi arbitratur, & ait: διὸ καὶ τοῖς τὸν Ὄσιριν σεβομένοις ἀπαγορεύεται δένδρον ἥμερον ἀπολλύναι, καὶ πηγὴν ὕδατος ἐμφράττειν. οὐ μόνον δὲ τὸν Νεῖλον, ἀλλὰ πᾶν ὑγρὸν ἁπλῶς Ὀσίριδος ἀπορροὴν καλοῦσι· καὶ τῶν ἱερῶν ἀεὶ προπομπεύει τὸ ὑδρεῖον ἐπὶ τιμῇ τοῦ θεοῦ. hoc eſt, *Ea de cauſa Oſiridis cultoribus nefas eſt, arborem domeſticam perdere, aut fontem aquæ obturare. non ſolum autem Nilum, ſed omnem humorem abſolutè, Oſiridis defluxum vocant, ac hydria ſemper Sacra præcedit, in honorem Dei.* & præter hæc alia plura habentur, ex quibus ſacræ aquæ uſus conſtat. Hac enim utebantur Sacerdotes ſacra facturi; hac luſtrabantur, qui hoſtias obtuliſſent; hac victimam antequam mactaretur purificabant; hac veſtimenta purgabant, ſi quando ſacra Altaria acceſſiſſent; ut fere nihil ſacrum habuiſſe videantur, quod aqua luſtratum non eſſet. De luſtratione totius corporis miniſtrorum, infra agemus: tantum manuum, ac pedum munditiam, nunc curabimus; qua de cauſa poni labrum in ſacro Dei Tabernaculo jubebatur. nam corporis ablutionem, præceſſiſſe Sacerdotum conſecrationem, nota res eſt. Manuum luſtrationem contemplemur; quarum quidem luſtratio, adeò ſacris Ethnicorum neceſſaria, ex illorum inſtitutis cenſebatur; ut Templis Deorum inſcriberent, ne quis intra vaſa pura conſiſteret, qui manibus eſſet impuris: quam inſcriptionem habet Lucian. in dialogo de ſacrificiis. Quamobrem Hom. lib. 1. Iliad. dum ſacra ſcribit, quæ Sacerdotes Græcorum habuerunt placandi Apollinis cauſa, quem iratum credebant, ob raptam Briſeidem; antequam cultros hoſtiarum ſanguine tingerent, manus laviſſe ſcribit, idque ante reliqua ſacra, dicens:

. . . . . Τοὶ δ' ὦκα θεῷ κλειτὴν ἑκατόμβην
Ἑξείης ἔστησαν εὔδμητον περὶ βωμόν.
Χερνίψαντο δ' ἔπειτα, καὶ οὐλοχύτας ἀνέλοντο.

quod exponit Euſtath. dicens: θύοντες χερνίπτονται οἱ παλαιοί· δεῖ γὰρ καθαροὺς τῶν θείων γίγνεσθαι. hoc eſt, *veteres ſacrum agentes abluerunt manus, oportet enim mundos eſſe ad Deos accedentes.* Sic etiam Lyſias eodem verbo uſus, ἐχερνίψαντο, inquit, ἐκ τῆς ἱερᾶς χέρνιβος. hoc eſt, *Lavabant manus, ex aquiminali.* & anonymus quidam apud Suidam de ſacris agens, dixit: χερνιπτομένους πρὸς αὐτοῖς τοῖς βωμοῖς ἀπέκτειναν. hoc eſt, *Proluentes manus ad ipſa altaria occiderunt.* Eſt autem obſervandum, quod mola ſalſa ſtatim in primo exordio ſacrorum, victimis injiciebatur; deinde jugulabantur hoſtiæ; verum manuum ablutio etiam molem ſalſam præcedebat. ſic enim Latinè illa Homeri carmina interpretari poſſunt.

.... Hi autem ſtatim Deo glorioſam Hecatombem
Deinceps ſtatuerunt, bene ædificatum circa altare,
Manus autem laverunt poſtea, & molas ſumpſerunt.

Libro quoque tertio Iliados, de quodam ſacrificio fœderum cauſa interpoſito, agens, ablutionis manuum meminit, dicens:

Ἀτὰρ βασιλεῦσιν ὕδωρ ἐπὶ χεῖρας ἔχευαν.

Quem Homeri locum explicans Euſtathius, ejus Poëtæ interpres erudititiſſimus, ait; ὡς μέλλουσι θύειν. hoc eſt, *Tamquam ſacra facturi.* quod nimirum ſacrificiorum tantum de cauſa, aquam ad Regum manus datam, ſcribat Poëta, cujus carmen interpretari poteſt ſic.

At ſuper Regum manus aquas fundebant.

Apollonius quoque lib. 2. Argonaut. ſacrificii meminit; manuſque ſacrificantium ablutas ſcribit, ea videlicet de cauſa, quod altare complecti tenerentur. quamobrem Aſterium fulmine ab Jove percuſſum, ſunt fabulati; quod manibus impuris illius aram tenuiſſet. & Nonnus libro 4. Dionyſiac. ſacrificium Cadmi referens, in Thebarum ædificatione ait, num. 351.

Βοῦν ἱερὴν θυόεντι διαστήσας προβωμίῳ
Δίζετο πηγαίων ὑδάτων χύσιν, ὄφρα καθήρῃ
Μαντιπόλους ἑὰς χεῖρας.

hoc eſt,

Bovem ſacram odoriferam conſtituens ad aram,
Quærebat fontalium aquarum fluxum, ut purgarent
Sacrificantes ſuas manus.

Ablutionis ſacræ, apud Scriptores, loca habentur innumerabilia; in quibus vaſa aquaria, inter ſacra utenſilia recenſentur; quæ etiam Græcis nominibus χέρνιβες, χερνίβιον, & χειρόνιπτρον appellantur: quorum ſæpiſſimè meminit Pollux, & Homerus; & nihil aliud ſunt, niſi vaſa inſtrumentaque ad manus abluendas. Pollux enim lib. 1. cap. 1. §. 29. inter ſacra inſtrumenta χέρνιβες recenſet; & ex auctoritate Antiphanis lib. 10. cap. 18. ubi de libaminibus agit, deque inſtrumentis ſacrificiorum, χέρνιβας, & χερνίβιον refert in numerum. Sic etiam inter inſtrumenta menſaria eorumdem vaſorum meminit lib. 10. cap. 13. quæ inſtrumenta Pollubra, & Aquiminalia, Latinè ab aliquibus dicuntur: hoc eſt vaſa ad lavandum manus. Quinimo ſunt etiam qui putent, Delubra, loca Numinibus dicata, ideò ſic dicta fore, quaſi à diluendo: quia videlicet ſacra facturi, prius manus abluere tenebantur. Sed nihil quod ſciam apud veteres de ablutione pedum; quod nimirum diſcalceatos ad ſacra acceſſiſſe veteres Ethnicos, nullibi legatur.

Manuum autem, ac pedum de cauſa, poſitum fuit vas æneum juſſu Dei, aqua plenum à Moyſe, inter Tabernaculum, & altare hoſtiarum. Hujus vaſis fabrica ſcribitur Exodi cap. 30. ſic: *Facies & labrum æneum cum baſi ſua ad lavandum, poneſque illud inter Tabernaculum Teſtimonii, & Altare.* Quamobrem antequam ad altare accedamus, hujus vaſis prægrandis formam, conſecrationemque conſiderare oportet. quod quidem fuiſſe poſitum ſuper baſim, ſimiliter æneam, dicitur cap. 38. his verbis: *Fecit*, ſupple Beſeleel, & Oliab, *labrum æneum de ſpeculis mulierum, quæ excubabant ad oſtium Tabernaculi.* Locus huic vaſi inter Altare & Tabernaculum erat. qua verò de cauſa illud eò loci fuerit collocatum, in priori noſtro Myrothecio cap. 8. jam diximus. quamobrem non eſt cur eadem repetantur.

Salomonis autem ſeculo, in ædificatione Templi, toto orbe celeberrimo cum Iſraëlitarum numerus,

& Reſ-

& Reſpublica creviſſet ; divini quoque cultus frequentia , necnon etiam Sacerdotum numerus auctus eſſet : atque propterea unum , aut alterum horum vaſorum ; non ſatis cenſeretur ; ut ſolemnioribus diebus , Sacerdotes , cunctis ad ſacrificia venientibus , ſacra miniſtrare poſſent ; decem vaſa ænea , aquarum de cauſa , quæ quadraginta aquarum batos caperent , Salomonem conſtituiſſe in Templo dicitur 3. Reg. 6. præter quæ , etiam aliud vas erat magnum , quod mare appellabatur ; quod duo millia aquarum batos capiebat , ut ibidem dicitur. Hoc poſtremum vas , alterius non erat uſus ; quam ut Sacerdotes , non quidem miniſtraturi ad altare ſacrificiorum , ſed ingreſſuri ſanctum Tabernaculum , ſive miniſtraturi incenſum , ſive lucernas ordinaturi , aut ſanctius adytum adeuntes , manus & pedes abluerent , atque purgarent ; ſicque abluti ac purgati, & diſcalceati , ſacrum Dei Tabernaculum ingrederentur. ita dicitur Exodi 30 ubi de fabrica , & uſu labri ænei ſcribitur : *Et miſſa aqua lavabunt in ea Aaron , & filii ejus manus ſuas , ac pedes, quando ingreſſuri ſunt Tabernaculum Teſtimonii , & quando acceſſuri ſunt ad altare , ut offerant in eo thymiama Domino ; ne forte moriantur.*

Sacerdotum igitur vitæ conſulens Deus Optimus Maximus, aquam in atrio propè Tabernaculum adhiberi cavit ; & vas ad illorum ablutionem parari , quod etiam concha labrum , & luter dicebatur. Hebraicè illud vas כִּיּוֹר *chior* appellatur; cujus vocabuli radix, quænam propriè ſit in lingua ſancta ignoratur : ſed non incongruè ſuſpicari poteſt , radicem fore iſtam vocem כור *chur* , quæ ſignificat fornacem exciſam , & excavatam ; quia nimirum æneo opere conſtitutum vas , in fornace fuſum fuit. vel etiam dici poteſt , radicem illius fore hoc vocabulum כָּרָה *charah* , quod ſignificat excavare ; & dictum fuerit כִּיּוֹר *chior* , quaſi vas excavatum : quamobrem etiam lebetes , in quibus ſacrificiorum carnes coquebantur; eo nomine כִּיּוֹר *chior* appellabantur.

Iſtud vas labrum dicitur apud noſtrum Interpretem, ſive labium, ut habent alii codices , ſed ineptè quidem ; nulla enim affinitas eſt inter labrum , & labium , dum de vaſis ab ablutiones loquimur. Eſt enim labrum vas in balneis ad lavandum aptum ; & dicitur labrum , quaſi lavabrum. hinc illud Cicer. *Labrum in balneo fac ut ſit.* Virgil. quoque lib. 8. Æneid. dixit de hoc genere vaſis.

Sicut aquæ tremulum labris ubi lumen ahenis ,
Sole repercuſſum aut radiantis imagine lunæ.

Mare hoc idem genus vaſis appellabatur in templo Salomonis , & non incongruè : tum ratione metaphoræ , quod eſſet maximum vas , duoque millia caperet aquæ batos ; tum quia apud Hebræos , quælibet aquarum congregationes , maria dicebantur. à Septuaginta Interpretibus dicitur λουτὴρ hujuſmodi vas, ſic enim legimus Exodi 30. ποίησον λουτῆρα χαλκοῦν , καὶ βάσιν αὐτοῦ χαλκῆν , ὥστε νίπτεσθαι. καὶ θήσεις αὐτὸν ἀνὰ μέσον τῆς σκηνῆς τοῦ μαρτυρίου , καὶ ἀνὰ μέσον τοῦ θυσιαστηρίου. hoc eſt, *Facies & labrum æneum , & baſim illius æneam, ut laventur , & collocabis illud inter Tabernaculum teſtimonii , & altare.*

Dicebatur verò λουτὴρ , lavacrum , ſive pelvis , in qua erat aqua ad lavandum ; τὸ λουτρὸν verò cella , in qua pelvis ſtabat ad lavandum , & aqua balnei. Vtrumque verò vocabulum derivatur à verbo λούω. ſic enim dicit magnum etymologicon , λουτρὸν παρὰ τὸ λούω , τὸ λούω , οὐ γὰρ αὐτοὶ καθαίρομεν τὸ ὕδωρ , ἀλλὰ καθαιρόμεθα. hoc eſt , hæc dictio *lutron ſit a verbo luo , quod eſt lavo , non enim ipſi purificamus aquam , ſed purificamur* , ſcilicet ab *aqua*. quamobrem faciendum hoc vas æneum fortaſſis dicitur , & ſubditur in textu *ad lavandum* ; hoc eſt , ut purificentur Sacerdotes ,

A quando ingreſſuri ſunt Tabernaculum teſtimonii. Sunt enim nomina lavacri , & lutri accommodatiſſima balneis , atque balneatoribus , & lavationi ipſi : quamobrem Pollux lib. 7. cap. 33 §. 2. dixit : προσήκοι δ' ἂν βαλανείῳ , λουτρὸν ; καὶ λούεσθαι , καὶ λουτρῶνες ὡς Ξενοφῶν. καὶ τὸ ὕδωρ τοῦ λουτροῦ , λουτρεῖον ὡς Ἀριστοφάνης ἐν ἥρωσι.

Μήτ' ἀπόνιπτρον θύραζ' ἐκχεῖσθαι , μηδὲ λουτρεῖον.

& reliqua addit ex Æſchylo idem probans. hæc autem ſic interpretantur. *convenientia autem balneo* , ſupple ſunt , *lavacrum & lavari , & lavatores ut Xenophon* , ſupple dixit : *& aqua lavacri lutrion* , ſup-
B ple appellatur , *ut Ariſtophanes in heroidibus*, hoc eſt in tragœdia , quæ ſic inſcribitur , dicens :

Neque lotoriam pedum aquam foras , nec lotionem effudit.

& licet ſit difficultas de voce ἀπόνιπτρον , nimirum an ſignificet pedum ablutionem, an manuum , utrumque Ariſtophani interpres unico illo vocabulo ſignificari voluit , dicens : τὸ τῶν χειρῶν , καὶ τῶν ποδῶν ἀπόνιμμα· hoc eſt , *vocabulum* ἀπόνιπτρον *ſignificat lavationem ſordium tam manuum , quàm pedum.* Noſtrum tamen vas conſtitutum juſſu Dei , inter Tabernaculum , & Altare ſacrificiorum , potius ἀπόνιπτρον dici
C debet , quam χειρόνιπτρον , quia non tantum ad manus , ſed etiam ad pedes abluendos poſitum erat. dicitur enim in textu Exodi 30. ut vidimus : *Et miſſa aqua lavabunt in ea Aaron , & filii ejus manus ſuas ac pedes , quando ingreſſuri ſunt Tabernaculum teſtimonii.*


Ethnici verò habuerunt aquam quandam luſtralem, qua utebantur in ſacris , non enim ex qualibet aqua licebat eis lavari , aut purificari , ut ex illis Thucydidis verbis apparet lib. 4. ὕδωρ τε , ὃ ἦν ἄψαυστον σφίσι , πλὴν πρὸς τὰ ἱερὰ χέρνιψι χρῆσθαι ἀνασπάσαντας ὑδρεύεσθαι , id eſt : *aquam etiam quam nefas eſſet ipſis tangere , niſi ad abluendas in ſacrificiis manus , in alios uſus haurire.* & Dionyſ. Halicarn. ait lib. 7. καὶ
D καθαρῷ τὰ ἱερὰ περιαγνίσαντες ὕδατι. hoc eſt , *& pura aqua luſtrantes ſacra* , & apud Romanos par eſt credere manus laviſſe Sacerdotes aqua , qua univerſaliter in ſacris utebantur , & religiosè venerabantur. Nam teſte Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 17. aqua hauſta ex fonte Juthurnæ , qui circa flumen Numicium labitur , tantæ religionis Romanis erat ; ut omnibus ſacrificiis adhiberetur ; & ea aqua primum victima inſpergeretur : nec aliter ſacrificii digna cenſebatur; aut in conſpectu Numinis offerri licebat. In ſacris quoque Veſtæ aquam hanc terram attrectaſſe , piaculum , malumque omen adeò cenſebatur , ut plurimum horrerent , teſte Lactantio , ab aliquibus re-
E lato in libro 8. Thebaid. Statii , in illis verbis:

Sicut Achæmenius ſolium , genteſque paternas Excipit.

Quamobrem vaſe latioris & pyramidati fundi , eam aquam ipſi hauriebant ; ne vas illud in quo hanc aquam attinxiſſent ; ſupra terram ſtare aliquo modo poſſet ; ſed manibus illud ſuſtentare ſacrorum miniſtri cogerentur : quod fiebat vel à Flaminicis virginibus , quæ erant ſacrorum miniſtræ , vel manibus puerorum qui Flamini miniſtrabant ; vel manibus ancillarum virginum Veſtalium , vel aliorum miniſtrorum , qui puri & ſacri cenſerentur. Hujus vaſis formam , nos accepiſſe putamus ex Guillelmo
F Choul , in ſuo de Romana religione libro Gallico idiomate ſcripto ; quamvis verò vas illud ipſe dicat in Templorum ingreſſu collocatum , luſtrationum cauſa , more luſtralium aquarum , quæ Templis Chriſtianis , ex inſtituto Romanæ Eccleſiæ , fidelibus præponuntur cum aqua, falsò id ab eo dici putamus. Nec enim apud veteres Scriptores , Idolo-

rum cultores, hujus quod ipſe ponit vaſis mentio aliqua, nec forma quam ponit ſtare per ſe poteſt: religioſum quidem fuiſſe vas, & cultus cauſa vectum, hoſtiarum capita ibi inſculpta, apertè hoc indicant: verum à forma pyramidali argumento ſumpto, quod

A per ſe ſtare nequiret; dicemus hoc vas fuiſſe, quod a ſacris Veſtalibus, ut vidimus, cum aqua deferebatur, quam terram attrectaſſe nefas erat. cujus formam dare hic Fig. A. conſtituimus delineatam, prout ab eodem auctore accepimus.



Hoc vas futile dicebatur, Feſto teſte dicente: *Futile vas eſt quoddam, quo utebantur in ſacris Veſtæ. quia aqua ad ſacra Veſtæ in terra non ponitur, quod ſi fiat, piaculum eſt.* ita etiam Servius in illud Virgilii lib. 11. Æneid.

. . . . *conſiliis habitus non futilis autor.*

Futilis, inquit Servius, *quoddam eſt vas lato ore, fundo anguſto, quo utebantur in ſacris Veſtæ: quia aqua ad ſacra hauſta, in terra non ponitur, quod ſi fiat, piaculum eſt, unde excogitatum vas eſt, quod ſtare non poſſet, ſed poſitum ſtatim effunderetur.* Donatus quoque in Andr. act. 3. ſcen. 5. ibi:

Servon' fortunas meas commiſiſſe futili.

Vas, inquit, *quod futile dicitur, non deponunt miniſtri ſacrorum; quod eſt acuto fundo, & patulo ore, eoque inſtabile eſt. Quamobrem Poëta ſumpta metaphora ab illo vaſe, ut indicet fortunas ſuas commiſiſſe ei, qui eas minimè ſervaret, dixit commiſiſſe futili, nimirum ei, qui illas profunderet prodigè.* & adeò hanc aquam venerabantur; ut ea ægros curari, & bonæ valetudini reſtitui putarent.

Simile etiam ferunt de aqua Callirhoes fontis apud Athenienſes, ut dicit Lilius Girald. ſyntag. 17. ubi de ſupplic. de aqua Eleutheri apud alios Græcos Pauſan. lib. 2. qui de Corinth. eſt: & ſcribit hac aqua Oreſtem luſtratum fuiſſe. aqua etiam Nili ſacra habebatur; præſertim apud Ægyptios, & apud Babylonios, quorum Reges aquam Nili tanti fecere, ut inter præſtantiſſimas gazas, illam aſſervarent. cumque ſacrorum de cauſa aqua Nili, hydriâ ad Templum humeris ferretur; omnes procumbebant,

D & Diis gratias agebant, Giraldo ubi ſupra auctore. Apud Græcos verò cæteris populis ſuperſtitioſiores, tantæ erat religionis fons Callirhoe; ut in maximis ſacris, atque nuptialibus, aliam aquam adhibere, nefas cenſeretur. Callimach. quoque in Apollin. ait:

Ἀσυρίου ποταμοῖο μέγας ῥόος, ἀλλὰ τὰ πολλὰ
Λύματα γῆς, καὶ πολλὸν ἐφ' ὕδατι συφρίτον ἕλκει,
Δηοῖ δ' οὐκ ἀπὸ παντὸς ὕδωρ φορέουσι μελίσσαι,
Ἀλλ' ἥτις καθαρή τε, καὶ ἀχράαντος ἀνέρπει
Πίδακος ἐξ ἱερῆς ὀλίγη λιβὰς, ἄκρον ἄωτον.

Agit hic poëta de ſacris Cereris, ſcribitque quan-
E tum ſtuduerint veteres in his ſacris, ut limpidam, puram, & ab omni ſorde mundam adhiberent aquam. non enim tantum ad genus fluvii reſpiciebant; ſed etiam è fonte ſacro, ſupremum tantum aquarum florem, hoc eſt ſummum hauriebant; atque in his ſacris bibebant. ſic enim allata carmina interpretantur:

Aſſyrii fluvii copioſus fluxus; ſed multas
Sordes terræ, & multam ſuper aquam illuviem trahit.
Cereri autem non ex omni aqua offerunt meliſſæ,
F *Sed quæ pura, & nulla ſorde infecta proſerpit*
Fonte ex ſacro parva libatio, ſupremus flos.

Alia multa de certa aliqua aqua, quæ adhibebatur in ſacris legi poſſunt apud Giraldum, & Alexandrum ab Alexandro locis citatis. at in ſacris oraculis, licet in apparatu Sacerdotum ablutio decernatur; nihil tamen de certa aqua cavetur; tantum fieri luſtrationes ex aqua viva dicuntur, nimirum hauſta

hauſta ex aliquo flumine, aut fonte : quia ad omnes luſtrationes, cani aquam adhiberi jubebatur. Quia verò hæc aqua, qua implendum noſtrum vas juſſit Deus ; ad lavandum manus tantum, & pedes Sacerdotum erat, qui jam antequam ad ſacrum accederent, totum corpus luſtraſſe tenebantur; propterea quæcumque aqua, apta ad hoc vas putabatur. De forma hujus vaſis non eſt nobis diſputandum, cum nihil in ea difficilius appareat ; & alii, ut Arias Montanus, & Torniellus, cum reliquis ſatis abunde in formam Fig. B. iconis ſuperioris allatam de illa diſſeruerint.

Conſecrationem hujus vaſis, reliquum eſt poſt formam conſiderare ; quam cum aliis vaſis, atque ſacri Tabernaculi utenſilibus communem habuiſſe, certa res eſt. Aqua igitur prius luſtratum hoc vas, deinde ſanguine expiatum, denique oleo ſacræ unctionis delibutum, atque ſanctificatum, ac tandem aqua impletum, ſicque Conſecrationem expletam fuiſſe dicimus. nam Exodi 30. habetur, ubi de unguento agitur : *Et unges ex eo Tabernaculum teſtimonii, & Arcam teſtamenti, Menſamque cum vaſis ſuis, Candelabrum & utenſilia ejus, altaria thymiamatis, & holocauſti, & univerſam ſuppellectilem, quæ ad cultum eorum pertinent, ſanctificabisque omnia, & erunt Sancta Sanctorum.* hæc ibi. Ubi quamvis Conſecrationem hujus labri, Deus minimè juſſiſſe videatur; nihilominus comprehendi debet ſub nomine ſuppellectilis totius Tabernaculi, & atrii : cujus tamen Conſecratio expreſſà habetur Exodi 40. his verbis : *Et aſſumpto unctionis oleo unges Tabernaculum cum vaſis ſuis, ut ſanctificentur altare holocauſti, & omnia vaſa ejus, labrum cum baſi ſua, omnia unctionis oleo conſecrabis, ut ſint Sancta Sanctorum.* Quamobrem non tantum vas aquæ à Deo ungendum, atque conſecrandum præcipitur ; ſed etiam baſis ſuper quam firmabatur ; cumque vas plenum aqua, ſacro oleo ungi nequiret ; credendum eſt, prius ſacro fuiſſe inunctum oleo, poſtmodum aqua impletum, ut dicitur in illis verbis : *Labrum inter Altare, & Tabernaculum*, ſupple pones, *quod implebis aqua.* Igitur labri Conſecratio implendo illud aqua omninò complebatur.

CAP. L.

Nomen ineffabile, atque divinitatem Principes ſibi arrogare non ſunt veriti.

Ad locum Exodi 3. *Ego ſum qui ſum : Sic dices filiis Iſraël : Qui eſt, miſit me ad vos. Hoc nomen mihi eſt in æternum, & hoc memoriale meum in generationem, & generationem.* & ad alia.

NOBIS ad Altarium conſecrationem accedentibus, conſideranda relinquuntur ſummi Numinis invocatio, ac ſtatus Iſraëliticæ Reipublicæ : qui ſtatus à cognitione Nominis ac Numinis in illa præſidentis, præcipuè pendet, ſummæ ſemper venerationis apud homines. Nam varia Altarium diſpoſitio, tam illorum quæ ſtabilia erant, quam aliorum quæ mobilia, & portatilia habebantur ; & fœderum, aut amicitiæ gratia erigebantur, explicatu non eſt facile ; niſi prius cognoverimus ſtatum Iſraëliticæ Reipublicæ ; à quo jura Regia, vis præceptorum ac legum hauriuntur ; & denique innoteſcit, ad quid tenerentur in his Iſraëlitæ.

Conſuevere autem Principes, duplici ſemper nomine decorari ; alio quo dignitas principatus indicaretur ; alio quo ſingularis perſona ſignificaretur, quæ principatum ſuſtinebat : hoc nomen, illud prænomen dicebatur. De divino nunc nomine erit agendum. & ſanè difficillima fore, quæ in ſacris Litteris inveſtiganda remanent de divinis nominibus, nota res eſt. hæc verò reconduntur tum myſteriis, quæ eo plus habent ſanctitatis, quo reconditiora, minuſque vulgata ſunt ; tum quia agendum in his eſt de ſubſtantia, atque re nullo intellectu cognoſcibili ; ac denique antiquitatis velo tecta : cujus morum, ac conſuetudinum notitia omninò hominibus obliterata eſt. De nominibus itaque Dei, qui ineffabilis & innominabilis eſt, balbutiemus, ut Altarium erectiones in medium afferre poſſimus: hac enim de cauſa divinorum Nominum (quantum licet humanæ inſipientiæ) notitiam neceſſariam duximus : ut de ſacrorum inſtitutione, regimineque Reipublicæ Iſraëliticæ ab illius exordio, nimirum ex quo Populus eductus fuit ex Ægypto, uſque ad ſubverſionem, & everſionem Jeruſalem, aliqua in medium afferre valeamus. interque Nomina, non omnia noſtræ conſiderationi ſubjiciuntur ; ſed tantum duo præcipua, quæ ſupremo illi Numini, ut humana mens quodammodo in illius cultum, & amorem conſurgere poſſet; quantum humanæ ſtultitiæ ad captum illius conceditur ; ex ejuſdem ſummi Dei oraculis attribuuntur. De nomine ineffabili dicemus cap. præſenti, de altero nomine *Elohim* cap. ſequenti loquemur : interim conſideranda erit, etiam in nominibus, hominum arrogantia.

Nomen autem conſiderandum ſuſcepimus, quia de Divina ſubſtantia, nec balbutiendo loqui poſſumus. rectèque dixiſſe puto Senecam lib. 4. de benefic. cap. 8. *Quocumque te flexeris, ibi illum*, ſupple Deum, *videbis occurrentem tibi, nihil ab illo vacat. Opus ſuum ipſe implet.* Sed de divinis Nominibus verba faciens in eodem libro cap. 7. inſurgit contra illum, qui conſueverat dicere de bonis, quibus probabatur, natura hæc mihi præſtat. *Non intelligis te*, inquit Seneca, *cum hoc dicis, mutare Deo nomen? quid enim aliud eſt natura, quam Deus? & divina ratio toti mundo, & partibus ejus inſerta?* non enim loquebatur Seneca in rigore Metaphyſico ; quod nimirum, idem eſſet formaliter Deus quod natura ; ſed conceptu communi, & vulgari loquebatur ; affirmans nimirum idem eſſe Deum, quod auctor naturæ, qui dedit naturæ, ut eſſet principium ; cauſaque motus & quietis fieret, ut Ariſtoteles de natura dicebat. ſequitur Seneca : *Quoties voles, tibi licet hunc auctorem rerum noſtrarum compellare, & Jovem illum Optimum, ac Maximum dices, & Tonantem ac Statorem : qui (non ut hiſtorici tradiderunt) ex eo quod poſt votum ſuſceptum, acies Romanorum fugientium ſtitit ; ſed quod ſtant beneficio ejus omnia, ſtator, ſtabilitorque eſt. hunc, eumdemque & fatum ſi dixeris, non mentieris. tot appellationes ejus poſſunt eſſe, quot munera.* hæc ille. multaque alia congerere poſſemus ex variis veterum ſcriptis ; ſed nihil nunc de divino in genere nomine, ſed tantum de his nominibus, quibus ab Iſraëlitis invocari placuit.

Agitur nunc de nomine ineffabili, quod Tetragrammaton communiter dicitur, ex quaternario litterarum numero ; quo non ſine Dei ſpeciali providentia, penes principaliora idiomata, divina natura ſignificatur : ſive enim dixeris *Deus* Latinè, ſive δίος, ſive θεὸς græcè, ſive יהוה hebraicè, quatuor characterum ſcripturam atque ſonum, ſanctum Dei hoc nomen non excedet. hoc autem præſtantiſſimum nomen & ineffabile יְהֹוָה *Jehova*, non eſt agnomen, aut prænomen Dei, ſed illi ſingulare, adeoque proprium, ut eo nomine, illius ſubſtantia, eſſentia, unitas, natura, & perſonarum diſtinctio quoque explicetur. Derivatur enim à verbo הָיָה *hajah*, vel à verbo הָוָה *havah*, ut dicunt alii, quod parum intereſt; idem enim ſignificant, nimirum eſſentiam, vel eſſe, aut etiam entitatem in abſtracto, non au-

tem in concreto; cum divina eſſentia in nullo ſubjecto ſit; aut ſubjecto inhærere poſſit.

Hoc autem nomen adeò Dei proprium eſt, ut magis illi conveniat, quam homini cuicumque nomen proprium Petri, Joannis, Andreæ, & ſimile, quo alter ab altero diſtinguitur. etenim individualia illa nomina, caſu ſunt poſita, & naturam, aut eſſentiam ſubjecti non explicant: hoc verò ſanctum Dei nomen, ab ipſomet Numine ſibi impoſitum, ſummi Numinis naturam, pro captu noſtro, & ſupra noſtrum captum, explicare ex ſacra Scriptura conſtat. nam cap. 3. Exodi cum de nomine proprio Deus à Moyſe interrogaretur, reſpondit: *Ego ſum qui ſum. Sic dices filiis Iſraël, Qui eſt, miſit me ad vos. hoc nomen mihi eſt in æternum: & hoc memoriale meum in generationem & generationem.* ita vulgatus, & hebraicus codex habet. כֹּה תֹאמַר לִבְנֵי יִשְׂרָאֵל אֶהְיֶה שְׁלָחַנִי אֲלֵיכֶם hoc eſt, *Sic dices filiis Iſraël, Qui ſum, miſit me ad vos.* loquitur in prima perſona, quia ipſe loquitur de ſeipſo: quando verò Deus loquitur de nomine ſibi proprio, quaſi abſtractè ſubdit: כֹּה־תֹאמַר אֶל־בְּנֵי יִשְׂרָאֵל יְהוָֹה אֱלֹהֵי אֲבֹתֵיכֶם hoc eſt, *Sic dices ad filios Iſraël, Jehova Dominus patrum veſtrorum, &c.* loquitur in tertia perſona formata ab eodem verbo, aſſumpto *Jod* juxta regulas grammaticales, & mutato *Jod* in ו *vau* juxta regulam litterarum permutabilium: quaſi diceret, *eſt*, ſive *erit:* ex quibus perſpicuum eſt, nomen hoc Dei dicere entitatem, atque ab eſſe derivari, ſignificareque idem, quod *ens exiſtens*, ſi latinè loquendum ſit. quamvis revera latina vocabula deſint, quibus ſignificatio hujus nominis exprimatur: nobis ſit ſatis oſtendiſſe, hoc nomen ineffabile, ſingulare ac proprium Dei eſſe, atque propterea nulli puræ creaturæ aliquando communicatum fuiſſe.

Verum adeò hominum mentes excæcavit ambitionis gloria; ut divinitatem appetere, divinaque nomina uſurpare illi aliquando veriti non ſint: quamobrem de hoc genere hominum accipio, quod habetur Gen. 11. de potentioribus illius ſeculi, quos ad invicem dixiſſe ſcribitur: *Faciamus nobis civitatem & turrim, cujus culmen pertingat ad cœlum, & celebremus nomen noſtrum, antequam dividamur in univerſas terras.* certum enim eſt homines illos, nequaquam cogitaſſe cœlum penetrare; non enim adeò ſtulti erant, ut id ſibi in mentem venire potuerit; ſed de honore, cultuque divino ſibi arrogando, cogitabant; divinitatem ſaltem apud poſteros expetebant: id enim eſt celebrare ſuum nomen, nimirum cultu dignum illud reddere: quod nequaquam veriti ſunt facere illorum poſteri; hac enim de ratione tot Joves apud veteres Ægyptios, Græcos, & Romanos habentur, tot Saturni, tot Martes, & alia Numina; ut pro unaquaque gente, numina propria ab hominibus excogitarentur. Eo enim devenit hominum inſania, ut freti potentia, dominio, imperandique libidine, inter Deos, ac numina, principes poſt mortem recenſere auſi ſint; atque propterea in nominibus quoque his, vel illis ſibi arrogandis, dignitatis gloriam cum primis poſitam arbitrarentur. hac de cauſa nominibus, cognominibus, prænominibus Numinum, agnominibus Cæſarum, Auguſtorum, Aureliorum, & aliorum, quos inter Divos jam retulerant, decorari ſtuduerunt, & à divinis etiam nominibus minime abſtinuerunt.

Quamobrem his quoque antiquiores, Jovis nomen uſurpare auſi ſunt: ſacrum Dei nomen ineffabile, corruptis, atque contractis vocalibus proferendo. cum enim hebraice proprio nomine Deus in ſancta lingua יְהוָֹה *Jehova* appellaretur, Græci hoc idem Διος, dixerunt, unde latinum nomen *Deus* habuit originem. Latini vero *Jovem* pro יְהוָֹה *Jehova* pronunciarunt. Quod etiam teſtatus eſt M. Varro Romanorum doctiſſimus, ſic enim de eo ſcribit P. Auguſt. lib. 1. de conſ. evang. cap. 22. *Varro quo doctiorem apud ſe neminem inveniunt Romani, Deum Judæorum Jovem putavit: nihil intereſſe cenſens, quo nomine nuncupetur, dum eadem res intelligitur; credo illius ſummitate deterritus. nam quia nihil ſuperius ſolent colere Romani, quàm Jovem; quod Capitolium eorum ſatis, apertèque teſtatur, eumque Regem omnium Deorum arbitrantur: cum adverteret Judæos ſummum Deum colere, nihil aliud potuit ſuſpicari, quàm Jovem.* ſic ibi Auguſtinus Pater meus ſanctiſſimus, ac æquè doctiſſimus, quod etiam de ſententia Varronis; in capitis ſequentis initio confirmat.

Principes igitur plurimi, qui diverſis temporibus, ſive apud Græcos in diverſis Provinciis, ſive apud Romanos, ſive alias quaſcumque apud Nationes regnarunt, nominis divinitatem expetentes, quam verè habere nequibant; Jovis nomen uſurpare non ſunt veriti. Quodque pejus eſt, ſanctiſſimum nomen, ſub Jovis appellatione, diverſis vitiis, ac fœditatibus ſordidarunt: plurima facinora Jovi attribuentes, ut ſpecie religionis, homines ad vitia incitarentur. Quia verò Lilius Giraldus in ſuo eruditiſſimo opere de Diis gentium in primo ſyntag. hanc Jovis derivationem irridet, irriſamque ab aliis cognovi; libenter ab illa abſtinuiſſem, ſi aliqua ratione eam irridendam probaſſent. Verum cum nullum ſit facinus, quod hominum ſtultitia non tentaverit; & in nomine Jovis non ſolum vocales, ſed etiam characteres, cum nomine ineffabili יְהוָֹה ſacrorum oraculorum conſentiant; & à ſacris oraculis ſacra ſua, idololatræ furari non horruerint; rationem non video, cur pariter ex diverſitate idiomatis, ac vocalium ſono ab יְהוָֹה *Jehovah*, Jovem facere exteræ Nationes non potuerint: tanta enim ambitione, atque ſuperbia, miſerrimos mortales vexatos ſcimus; ut non ſolum Deorum nomina turpiter invaſerint; ſed etiam divinos honores, templa, altaria, Deorum formas, Numinum habitus, & alia hujuſmodi expetiverint, ſibique deferri ſint paſſi.

Honores divinos Romanos Imperatores ſibi uſurpaſſe teſtantur Flamines principibus deſtinati, qui tamen Diis tantum conſtituebantur, teſtantur templa, ſtatuæ, imagines, & ſimulacra Imperatoribus erecta, altaria, ſacrificia, & reliqua ſacerdotia, quæ paſſim in nummis, lapidibus, ac antiquis Scriptoribus oſtenduntur. nam de Commodo impiiſſimo Imperatore ſcribit Herodian. lib. 1. ἀντὶ δὲ Κομμόδου, καὶ Μάρκου υἱοῦ, Ἡρακλέα τε, καὶ Διὸς υἱὸν αὐτὸν κελεύσας καλεῖσθαι, ἀποδυσάμενός τε τὸ Ῥωμαίων, καὶ βασίλειον σχῆμα, λεοντῆν ὑπεστρώννυτο, καὶ ῥόπαλον μετὰ χειρὸς ἔφερε. hoc eſt, *Et pro Commodo Marci filio, Herculem ſe & Jovis filium juſſit appellari. depoſitoque Romanorum, & Regio cultu, leoninam ſubſtravit, & clavam manu geſtabat.* Erant enim leonina pellis, clavaque manibus geſtata, Herculis notæ. Eſt etiam apud me, nummus Alexandri Macedonici, cornuto amictu, cultuque arietinæ pellis tecti, habitum nimirum Jovis Ammonis geſtantis, quem veteres eo cultu venerabantur. Sunt etiam nummi, & alia veterum monumenta, Severi Imperatoris, leonina pelle tecti. eò enim proceſſit Imperatorum ambitio, populorum adulatio, utrorumque inſania; ut non ſolum cum jam Imperatores defeciſſent, divini eis honores à Senatu decernerentur; ſed etiam dum adhuc in vivis agerent; & quod pejus eſt; dum turpiter vitam in vitiis traducerent, Deos eoſdem Senatus proclamaret.

Neque ab hac inſania, ſeveriſſimis animadverſionibus, à Deo homines liberari potuerunt. Nullus enim mortalium divinos honores aliquando expetivit; ut etiam adnotavit Plut de Iſide & Oſiride qui graviter poſtmodum punitus non fuerit. is enim de Iſide, & Oſiride

A & Oſiride fabulas dum referret, ad rem noſtram ait: πολλῶν δὲ τοιούτων λεγομένων καὶ δεικνυμένων, οἱ μὲν οἰόμενοι βασιλέων ταῦτα, καὶ τυράννων διὰ ἀρετὴν ὑπερφέρουσαν ἢ δύναμιν, ἀξίωμα τῇ δόξῃ θεότητος ἐπιγραψαμένων εἶτα χρησαμένων τύχαις ἔργα, καὶ πάθη δεινὰ καὶ μεγάλα διαμνημονεύεσθαι, hoc eſt, *Multos autem ſimilibus dictis, & demonſtratis, qui quidem arbitrantur hoc pacto Regum, & Tyrannorum eventa commemorari, qui ob ſummam virtutem, aut potentiam, dignitatem gloriæ divinæ ſibi arrogarunt; ac demum gravibus fortunæ adverſitatibus & incommodis fuerunt percuſſi &c.* & poſtmodum parum infra ait: εἰ δέ τινες ἐξαρθέντες ὑπὸ μεγαλαυχίας, ὥς φησιν ὁ Πλάτων, ἅμα νεότητι, καὶ ἀγνωσίᾳ φλεγόμενοι τὴν ψυχὴν, μεθ᾽ ὕβρεως ἐδέξαντο θεῶν ἐπωνυμίας, καὶ ναῶν ἱδρύσεις, βραχὺν ἤνθησεν ἡ δόξα χρόνον. hoc eſt, *Si autem aliqui elati propter ſuperbiam, ut ait Plato, ſimul juventute & inſcitia animo inflammati, per laſciviam acceperunt Deorum cognominationes, & templa ſibi poni voluerunt; eorum gloria brevi* B *floruit tempore.* Ex quo poſtremo Plutarchi loco, non ſolùm perſpicuè patet, humanæ ſuperbiæ faſtus; ſed etiam multo ante, quam apud Romanos Imperatores, ambitio hæc deveniſſet; veterum etiam Regum mentes, apud alias nationes, divinitatis appetitum excæcaſſe.

CAP. LI.

Nomen ineffabile, & Deo proprium, ignotum fuit ante Moyſen.

Ad loca Exodi 6. *Ego Dominus qui apparui Abraham, Iſaac, & Jacob in Deo omnipotente: & nomen meum Adonai non indicavi eis.* Ibid. cap. 3. *Ego ſum qui ſum. Sic dices filiis Iſraël: qui eſt, miſit me ad vos.* & ad alia plura.

Religioſi ſummi Numinis cultores, ac ſapientes, tanta ſemper religione Sanctum Dei nomen venerati ſunt; ut nec illud, ex ſono vocalium, jure proferre auderent: propterea ἀνεκφώνητον à B. Hieron. ideſt, *ineffabile* dictum fuit, quod minimè fari, ut ſonat liceret; juxta Theodoretum ἄφραστον, ideſt, *indicibile* dictum fuit; ſecundùm Damaſcenum ἄῤῥητον, hoc eſt, *ineloquibile* appellabatur. ab ejùs ſono, atque pronunciatione omninò abſtinebant: quamobrem pro illo tetragrammato, nomen *Adonai* quatuor ſimiliter litterarum, veteres pronunciabant. quod uſque hodie religiosè in textibus ſacris legendis, Hebræi obſervant, & D. Hieronymus obſervandum docuit.

Falluntur verò, qui id ſuperſtitiosè fieri arbitrantur. Noſter enim vulgatus interpres, quem meritò Catholica Eccleſia tantopere veneratur; quoties in divinis oraculis habuit Sanctum illud Nomen; ubique per dictionem *Dominus* vocem illam tranſtulit; ſignificatum dictionis *Adonai* retinens, cavens nominis ineffabilis ſignificatum exprimere. Septuaginta quoque Interpretes, pro nomine illo ineffabili יהוה ubique Κύριος, ideſt, *Dominus* dixerunt: non quidem quod ignorarent veram illius nominis pronunciationem, ut falſo exiſtimat Pieri. in cap. 6. Exodi diſp. 2. nu. 13. ſed avita religione deterriti, ne videlicet Sanctum effarentur. dum verò Nominis *Adonai* per dictionem Κύριος ſignificatum illi expreſſerunt; & à ſignificato nominis ineffabilis abſtinuerunt; liquido tam Septuaginta, quàm Vulgatus, ubique Adonai ſe legiſſe aperuerunt, ac eo ſono vocis Adonai, pronunciaſſe vocem nominis ineffabilis יהוה; atque propterea non quidem ſuperſtitiosè, ſed ex religione, divinique Numinis, ac nominis reverentia, meritò etiam aliis abſtinendum monſtrarunt.

Eſt autem hoc ſanctum Dei nomen, ſummi Numinis proprium: & ideò inter ſingularia beneficia in Moyſem collata, hoc unum Deus recenſuit; nimirum nomen hoc ſibi proprium, illi revelaſſe, quod nemini Patriarcharum aperuerat. ita ait Exodi 6. *Ego Dominus, qui apparui Abraham, Iſaac, & Jacob in Deo omnipotente, & nomen meum Adonai non indicavi eis.* qui locus quantum obſcuritatis habeat, diverſæ auctorum expoſitiones perſpicue aperiunt. quæ omnes, vel circa rem ſignificatam per nomen iſtud verſantur; vel coarctantur ad majorem, vel minorem Dei cognitionem; aut ad clariorem, vel minus claram Dei notitiam ſe conferunt: quas longius allatas, ſi quis videre deſiderat, apud Benedictum Perrer. in cap. 6. Exodi, diſp. 3. in tom. 1. ſelect. diſputationum, eas habebit.

Variis igitur Doctorum placitis dimiſſis, breviter dicimus ſignificari in loco allato, Deum Moyſi primo aperuiſſe, ſe vocari hoc nomine ineffabili יהוה *Jehovah*, ſibique hoc nomen fore proprium; & hoc nomine coli velle ab Iſraëlitis, quod quidem nomen, nulli ex veterum Patriarchis ipſe aperuerat. Ratio verò cur tunc Moyſi, & non antea prioribus Patriarchis nomen illud revelaſſet, fuit; quia tunc primo ritus religionis, & cæremonias cultus, Deus homines docuit; inter quas ſacri cultus C cæremonias, Numinis nomen cognoſcere, neceſſarium cenſebatur, invocationis cauſa; ut apud prophanos videre licet. Tunc igitur primo Moyſi Deus, quo vocabulo, tanquam proprio nomine nuncuparetur, aperuit, quod anterioribus non indicavit; quia cum illis numquam de cultu, atque ſacris cæremoniis religionis, egiſſe ſcimus. Quanti æſtimandum foret hoc beneficium, Moyſi animadvertendum Deus proponit, dicens: *Ego Dominus qui apparui Abraham, Iſaac, & Jacob in Deo omnipotente, & nomen meum Jehovah non indicavi eis.*

Nec inficit noſtram ſententiam; quod Sanctum hoc nomen ſæpiſſimè ante Moyſen in Scripturis ſa- D cris reperiatur; ut Geneſ. 15. loquens Deus Abrahæ, ait: *Ego Jehovah qui eduxi te de Ur Caldæorum*, & de Enoch filio Seth dicitur Geneſ. 5. *Hic cœpit invocare nomen Domini*; & cap. 15. ipſe Abraham videatur compellaſſe Deum illo ineffabili nomine, dicens: *Domine Deus quid dabis mihi?* hebraicè Jehova, elohim, quid dabis mihi? ſicque etiam ſæpiſſimè in antecedentibus, ſub hoc ineffabili nomine, divina opera ubique recenſentur; ut propterea falſum videatur affirmare, Sanctum hoc nomen ineffabile, Patribus ante Moyſen non innotuiſſe.

Noſtra tamen ſententia firma conſiſtit; tum quia E Deus minimè dixiſſe videtur; ſe nemini ex antecedentibus Moyſem, nomen illud ineffabile aperuiſſe; ſed illud non revelaſſe Abrahamo, Iſahaco, & Jacobo. quin etiam illud idem Adamo, Noë, Seth, & Enoch revelaſſe ſuſpicari poſſet: quia de Enoch dicitur cœpiſſe *invocare nomen Domini;* nimirum ſacra agere, in nomine Domini; atque propterea liceret affirmare, quod primus Enoch, eo uſus ſit in Sacris faciendis, & ritus quoque inſtituerit; quibus, cum Divino nomine Sacra facientes uterentur, ut grata illa ſacra fierent Numini, & his propitiaretur.

F Sed adhuc ſubobſcurum hoc videtur in Sacris litteris: in quibus ſæpiſſimè Deum ſub eo nomine invocatum ab Abrahamo, Iſaaco, & Jacobo, legitur; ut propterea nominis ineffabilis notitiam eos habuiſſe, apertum cenſeatur. Nihilominus ſi Moyſem, quinque librorum auctorem fuiſſe attendatur, & in primo libro ſacræ Geneſis, creationem rerum omnium contendiſſe tradere, eorumque propagatio-

 nem,

nem ab exordio mundi uſque ad populum Iſraëliticum: is ut eumdem ipſum Deum, qui ſibi apparuerat, cœlum & terram creaſſe doceret, homines formaſſe, diluvium immiſiſſe, Pentapolim ſubvertiſſe, Abrahæ apparuiſſe, & reliqua omnia, de quibus ipſe ſcripſit in libro Geneſis feciſſe; propterea eo nomine uſum intelligeremus; ne forte ſuſpicaretur à diverſitate nominis, qua utebatur; aliud Numen ab eo, qui illa creaverat, ſibi apparuiſſe, populumque de Ægypto liberaſſe. quamobrem Deum ad Abraham dixiſſe ſcribitur: *Jehovah, qui eduxi te de Ur Caldæorum:* non quòd eo nomine uſus fuerit Deus, quando Abrahæ apparuit; ſed ut Iſraëlitæ ſcirent; illum Deum, qui Moyſem alloquebatur; non alium fuiſſe ab eo, qui Abraham, à quo illi deſcendebant, à propria regione ſecedere juſſerat, eumdemque de Ur Caldæorum eripuerat.

Quia enim paulo poſt diluvium, homines per varias colonias deducti atque per orbem diſperſi, has, vel illas regiones inhabitarunt; prout ab hoc, vel illo Angelo, Deo imperante deducebantur: & nihilominus Dei obliti, adeò inſanire ceperunt; ut quæque familia numina ſibi propria uſurparet; diaboloque ſuggerente, idola ſibi conſtitueret; atque etiam à diabolo divinitatis æmulo, in varias colonias deducerentur; ut fere omninò Dei obliviſcerentur: Deus benedictus, ne debitus ſibi cultus, ab hominum memoria caderet; videreturque proprium honorem, hominumque ſalutem neglexiſſe, Abraham proſapiamque illius ſibi delegit; ut ipſe quoque in coloniam illum, illiuſque poſteros deducendo, ab his ſaltem placito ſibi cultu veneraretur. Quamobrem juſſit Abraham, propria relicta regione, peregrinum inhabitare ſolum; ſæpiſſimèque illi viſus, fidem illius experiri voluit, ac tandem illius poſteritati, regiones Cananæorum ſub fœdere promiſit dicens, Gen. 15. *Semini tuo dabo terram hanc à fluvio Aegypti uſque ad fluvium magnum Euphraten, Cinæos, & Cenezæos, Sedmonios, & Hethæos, & Pherezæos, Raphaim quoque & Amorrhæos, & Cananæos, & Gergeſæos, & Jebuſæos:* idque etiam cùm Iſahaco, & Jacobo ratum voluit; Abrahamo prænuncians afflictiones, atque labores in Ægypto, ſuæ poſteritati futuros, ut legitur in eodem capitulo.

Moyſes igitur, qui hiſtoriam hanc ſcribebat Iſraëlitis; qui adhuc Ægyptiaca captivitate tenebantur; ut eos certos redderet liberandos de captivitate Ægyptiaca, & poſſeſſuros eas regiones, quas quondam Abrahæ, Iſahaco, & Jacobo Deus promiſerat: ut ſe ab eodem Deo miſſum ad eos liberandos, qui Patriarchis hæc promiſerat, profiteatur; nomen Dei proprium ſibi manifeſtatum docet ab eo, illis verbis: *Ego Dominus, qui apparui Abraham, Iſaac, & Jacob in Deo omnipotente, & nomen meum Adonai non indicavi eis.* clariùs ex hebræo וַיְדַבֵּר אֱלֹהִים אֶל־מֹשֶׁה וַיֹּאמֶר אֵלָיו אֲנִי יְהוָה׃ וָאֵרָא אֶל־אַבְרָהָם וְאֶל־יִצְחָק וְאֶל־יַעֲקֹב בְּאֵל שַׁדָּי וּשְׁמִי יְהוָה לֹא נוֹדַעְתִּי לָהֶם hoc eſt. *Et loquutus eſt Elohim ad Moyſem, & dixit ad eum, ego Jehova, & apparui Abraham, Iſaac, & Jacob in el Shaddai, & nomen meum Jehova non manifeſtavi eis.* & græcè adhuc perpulchrè hæc ipſa manifeſtantur. ſic enim legitur, ἐλάλησε δὲ ὁ θεὸς πρὸς μωϋσῆν, καὶ εἶπε πρὸς αὐτὸν, ἐγὼ ὁ θεὸς, καὶ ὤφθην πρὸς ἀβραὰμ, καὶ ἰσαὰκ, καὶ ἰακὼβ, θεὸς ὢν αὐτῶν, καὶ τὸ ὄνομά μου κύριος οὐκ ἐδήλωσα αὐτοῖς. nam cum ex phraſi Septuaginta θεὸς ponatur, ubi elohim hebraicè habetur; & κύριος adſit ubi eſt nomen *Jehova*; ſenſus illorum verborum erit, quod quamvis manifeſtaverit ſe Deus illis Patriarchis ſub nomine *elohim*, non tamen ſub nomine *Jehova*; ſic enim interpretantur illa verba: *Loquutus eſt autem Deus ad Moyſen, & dixit ad illum; ego Deus & apparui Abraham, Iſaac, & Jacob Deus ipſorum exiſtens & nomen meum Jehova non indicavi*

A *eis.* Quamobrem cum primo Deus alloquitur Moyſen in cap. 3. Exod. non eſt uſus nomine *Jehova*, ſed nomine *elohim* dicens: *Ego ſum elohim patris tui, elohim Abraham, elohim Iſaac, & elohim Jacob.* cum tamen Moyſes referret ad populum, quæ ſibi contigiſſent, nomine *Jehova* utitur dicens; ait *Jehova*, *Jehova* dixit, *Jehova* fecit, & aliis ſimilibus loquendi phraſibus. Moyſes igitur ut illi ipſi Iſraëlitæ ſcirent, ab eodem Deo liberandos, qui illa promiſerat; unà cum nomine *elohim* ex patrum & prædeceſſorum traditione Iſraëlitis cognito, nomen quoque *Jehova* ſemper conjunxit: non quidem tanquam prædeceſſorum ſeculo manifeſtum, ſed veluti cognitum de novo ab iis, B quibus ipſe ſcribebat.

Quia autem, ut ſupra dicebamus, nomen hoc à verbo ſubſtantiali derivatur, & ſubſtantiam indicat; propterea maximè advertendum eſt, neque Moyſi hoc nomen Deum manifeſtaſſe, niſi poſtquam ſuam eſſentiam, atque ſubſtantialem naturam eidem aperuiſſet. nam Exo. cap. 3. cum de nomine illum interrogaſſet Moyſes, reſpondit Deus: *Ego ſum, qui ſum, ſic dices filiis Iſraël, Qui eſt miſit me ad vos.* & in hebraico codice habetur verbum ſubſtantivum, ſicut etiam in latino. Mihi tamen prætereundum non erit præclarum, quod hic latet myſterium, Deum nimirum loquutum de ſeipſo in prima, & tertia C perſona. Nomen enim ſuum dixit fore: *Qui ſum*, dicens, *Ego ſum, qui ſum.* deinde loquitur de ſeipſo in tertia perſona: *Sic dices filiis Iſraël, Qui eſt miſit me ad vos.* Cum verò Moyſes alloquendo Seniores Iſraël divino uti nomine debuiſſet, dicendum illi videbatur: ille, qui appellatur *Qui ſum, miſit me ad vos.* Si verò Deus, nomine proprio appellabatur *Qui eſt*; interrogatus à Moyſe de nomine, debuiſſet, me judice, reſpondere, *Ego ſum qui eſt*, nimirum ego nominor *Qui eſt.* Quamobrem non vacare myſterio arbitror, tranſitum iſtunc in divino nomine, à prima ad tertiam perſonam in eodem verbo: quod Deum feciſſe puto myſterii incarnationis, ſecun- D damque perſonam occultandi cauſa. Omnia enim ſacra oracula caviſſe conſtat, ne trinitas perſonarum, incarnationiſque myſterium, in vulgus prophanaretur: quamobrem ſacratiori velo hæc tegere, quam diligentiſſimè ſtuduerunt. Quamvis in hoc ſancto Dei nomine, trinitatem perſonarum, cum unitate eſſentiæ, ex doctrina veterum Rabbinorum, nomina etiam Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, complecti in eo, Galatinus lib. 2. de arcan. cathol. verit. per plura capita, necnon etiam Perer. cap. 6. Exo. diſp. 1. Lilius Girard. ſyntag. 1. & alii pro- E bent; hæc tamen omnia ſacratiſſimo aulæo tegebantur in ſacris litteris.

Placet ab eo loco Exodi occaſione ſumpta, reconditum arcanum de templo Delphico aperire. habebat enim is ſuper portam hieroglyficum quoddam, Græcis characteribus inſcriptum ſic E I; non quidem communibus, ſed aureis exaratum litteris, illudque ex Pythagoricis myſteriis, vel ex Triſmegiſto, vel ex aliis antiquioribus derivatum ferebant. adeò verò reconditum hoc hieroglyficum cenſebatur, ut nemini fieret pervium. Plutarchus de eo præcipuum opuſculum ſcripſit; diſputans quid eo hieroglyfico ſignificaretur: cumque varias aliorum ſententias retuliſſet, tandem concludit, numerum quina- F rium ſacratiſſimum, ac ſimul perfectiſſimum, eo ſignificari, per litteram E Græcis ſignificatum; quo etiam divinitatem, in eo numero indigitatam docet. quæ Plutarchi doctrina quam habeat veritatem, viderint alii.

Æternum Verbum, ſecundamque Perſonam Sanctiſſimæ Trinitatis, in eo hieroglyfico ſignificari affirmamus, quæ carnem aſſumptura erat. Etenim apud doctiores dubium non habet, veteri, & antiquiſſima religione, ex Triſmegiſti doctrina, Pytha-

thagoræ, aliorumque Ægyptiorum, ſacrorum oraculorum myſteria, fuiſſe velata. Tantiſper igitur tollantur vela myſteriorum à nobis, quibus lux de cœlo fulſit, & verbum ſubſtantivum *Sum*, *es*, *eſt*, de ſolo Deo Opt. Max. in tempore præſenti verè dici pateat. Nam in Deo, neque præteritum, neque futurum reperitur. Cum igitur græcè illæ tres Perſonæ, efferantur per has voces εἰμὶ, εἶ, ἐϛὶ. eo hieroglyfico duorum characterum E, & I, quo formatur diphthongus E I, aureis litteris inſculpta, ſuper portam templi Delphici: templum illud, primi inſtitutores, qui à ſacris oraculis non diſcedebant, ſacrum eſſe ſignificare forſitan voluerunt; vero Deo, præſertim Verbo divino carnem aſſumpturo, quod etiam ſimul cum Patre, & Spiritu ſancto latriæ adoratione, nos Chriſtiani colimus; & in veteri lege Iſraëlitæ, in hoc nomine ineffabili *Jehova*, tanquam in Dei nomine proprio venerabantur. Deus igitur ipſe in tranſitu à prima perſona, ad tertiam verbi ſubſtantivi, me judice, myſterium hoc ſecundæ perſonæ Trinitatis, Divinique Verbi occultare voluit. Doctiora, & ſaniora dent alii, ut ego quoque diſcam.

CAP. LII.

Elohim Deus dicebatur ut Imperator, fœdere inito cum Iſraëlitico populo.

Ad loca Exodi 3. *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis.* Gen. 6. *Videntes filii Dei filias hominum, quod eſſent pulchræ, acceperunt ſibi uxores, ex omnibus quas elegerant.* Deuter. 26. *Dominum elegiſti hodie, ut ſit tibi Deus, & ambules in viis ejus, & cuſtodias cæremonias illius, & mandata atque judicia, & obedias ejus imperio.* & ad alia plura loca.

NOMEN אֱלֹהִים *elohim*, quo, licet habeat aliquando ſingulare, frequentius tamen in plurali ſacra oracula utuntur; de Deo non ut individuale, & proprium dicebatur; ſed de illo, ut princeps. Itaque hoc nomen tunc temporis, vel ſignificabat imperium, præſertim in exercitu, quale eſt apud Latinos nomen Imperatoris: aut erat alicujus principalis dignitatis nomen, qualia fuerunt apud Romanos Cæſaris, & Auguſti nomina, apud Ægyptios Abimelechi, & poſtmodum Pharaonis, apud Babylonios Nabuchodonoſoris: quæ nomina derivabantur ab aliquibus, qui eo nomine appellati cum fuiſſent, illi Reipublicæ, cui præfuerant, boni nominis, atque ominis aderant. quamobrem poſtmodum ejuſdem boni ominis cauſa, eadem nomina ſucceſſores aſſumebant: vel tandem, quod verius puto, nomen אֱלֹהִים *elohim* ex vi vocis dignitatis erat; qualia ſunt apud nos nomina Regis, Ducis, Imperatoris, Papæ, & aliorum ſimilium, quæ nulli ſunt propria, ſed adjunguntur nomini proprio ad ſignificandum, qua fungatur dignitate is, qui tali inſignitur nomine.

Argumento probabili ad ea ducimur. nam Angelis, Principibus, ac viris inſignioribus, in ſacris oraculis hoc nomen tribuitur: ipſe enim Deus, cum oratorem ſuo nomine ad Pharaonem, & filios Iſraël Moyſen mitteret, eo nomine ornavit, dicens: רְאֵה נְתַתִּיךָ אֱלֹהִים לְפַרְעֹה hoc eſt, *vide conſtitui te Elohim ad Pharaonem.* Datum Principibus, qui inter homines dominabantur, locus Gen. 6. probat; in quo de cauſis diluvii agitur, diciturque, *Videntes filii Dei filias hominum;* in Hebræo eſt וַיִּרְאוּ בְנֵי־הָאֱלֹהִים אֶת־בְּנוֹת הָאָדָם hoc eſt, *Et viderunt filii Haelohim filias*

A *hominis.* nomine autem filiorum Haelohim non ſignificantur Angeli, ut nonnulli falſo aſſeruerunt. neque filii juſtorum, nempe à Sem, ut puto, eo vocabulo nominantur; non enim viri ſancti & juſti, in omnimodam depravationem filiorum conſenſiſſent: potius igitur eo nomine intelligendos arbitror, qui præſidebant inter homines, & dominabantur tunc temporis. qui etiam, ut dicunt Rabbini, operam dabant rapinis, odiis, homicidiis, omnibuſque aliis ſceleribus; de quibus in ſacro textu dicitur: *Gigantes autem erant ſuper terram in diebus illis: poſtquam enim ingreſſi ſunt filii Haelohim ad filias hominum, illæque genuerunt; iſti ſunt potentes à ſeculo, viri fa-*
B *moſi.* hoc eſt, filii illorum Principum, qui etiam in Principatibus patribus ſuccedebant, bella gerere, inſultareque infirmioribus ceperunt. Quod autem Principes eo nomine dicerentur; probat etiam illud Pſalmi 81. *Deus ſtetit in ſynagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat.* ubi dictio *Elohim* de Principibus, & primoribus Reipublicæ, ex communi Doctorum expoſitione accipitur. hac etiam de cauſa, ut puto, idola in ſacris litteris *Elohim*, ob hoc ſæpiſſimè dicebantur, quod nil aliud eſſent, quam imagines præteritorum Principum; qui à populis hujus, vel illius Reipublicæ Principatus cauſa venerabantur. Quamobrem hoc nomen *Elohim* dignitatis extitiſſe, vide-
C tur apertum.

Noſtra conjectura juvatur hujus vocabuli etymologia: non enim in dubium revocandum videtur, formari nomen elohim ab his vocabulis אֵל hoc eſt, *fortis;* & אָלָה quod ſignificat adjurare; nominaliterque illa vox ſumpta, ſignificat adjurationem; & ab hac אָלָה quæ ſignificat aliquid altum. Cum igitur nihil ſublimius Deo, etiam ipſum ſignificat; & ab illo ſingulari, fit plurale Elohim. Cum enim principes, potentes etiam appellarentur; per dictionem אֵל id eſt *potens* ſignificabantur: ſimiliter à dictione אָלָה *alah*, quia aliquo fœdere, ac juramento interpoſito, Principes eligebantur, atque in ſublimi alio-
D rum hominum collocabantur. Cum igitur idola, quæ apud gentes venerabantur, Regum, atque Principum imagines eſſent; propterea nomine אֵלִים in plurali, & etiam dictione אֵל in ſingulari paſſim ſignificantur: quaſi dixeris fortes, potentes, bellicoſi, lingua Italica *valoroſi.* Quæ omnia feliciſſimè de Deo, imò verius, quam de reliquis verificari perſpicuum cum ſit; propterea appellatum Elohim dicemus: nomine ab illis omnibus vocabulis derivato, ſicut & reliqui omnes Principes, qui potentiam ſignificatam in nomine אֵל *el*, magnopere affectabant. Nec erit prætereundum Deum in hoc nomine Elohim אֱלֹהִים ad dictionem אֵלִים addidiſſe litteram ה dicentem אֱלֹהִים
E *Elohim*, non autem *Elim*; in qua littera, maximam energiam adeſſe conſtat. nam etiam cum Abrahamo nomen Deus immutaret, celeberioremque redderet, ut eſſet Dux, & Imperator militum; proprio ejus nomini eamdem litteram ה adjunxit: dicebatur enim אַבְרָם, juſſit eum vocari אַבְרָהָם Abraham, additione litteræ ה *he.* Eſt autem vis hujus litteræ oſtenſiva, ſive demonſtrativa; eſt etiam relativa; itaque Imperatoris nomini dat vim, atque ubi אֵלִים *Elim* ſignificat fortes Duces, & validos, additione illius litteræ ה fit demonſtratio. quaſi ſit ſenſus, illi validi, illi fortes, diceremus Italicè, *li valoroſi*, *li potenti*, & ſimiles. Deus igitur conſtituendo Ducem
F populi Moyſem in bello contra Pharaonem; hac ratione dixit illum conſtituiſſe *elohim Pharaonis.* Cum verò Imperatoriam dignitatem, militareque magiſterium, in copiis Iſraëliticis ipſe exercere vellet; nomen *Elohim* pariter aſſumpſit; eoque nomine honorari ab Iſraëlitico exercitu, à quo etiam ſub eo nomine tamquam Princeps, & Imperator eligi voluit.

Lo-

Locus in ſacris oraculis hoc apertè declarat; valde quidem, me judice, notandus Deuter. 26. in quo cum juraſſet populus in Dei legibus perſeverare, ait Moyſes: *Dominum elegiſti hodie, ut ſit tibi Deus, & ambules in viis ejus, & cuſtodias cæremonias illius, & mandata, atque judicia, & obedias ejus imperio.* quæ hebraicè ſic leguntur: אֶת יְהוָה הֶאֱמַרְתָּ הַיּוֹם לִהְיוֹת לְךָ לֵאלֹהִים hoc eſt, *Jehovah elegiſti hodie, ut ſit tibi Elohim.* In quo autem hujus dignitatis ratio poſita ſit; & ad quid tenerentur illi, qui hac ratione illum elegerant; quidque juris vigore hujus electionis illi conceſſiſſent Iſraëlitæ; & in quo hæc electio habendi Deum pro *Elohim* poſita eſſet, Moyſes illis verbis explicat: *Ut ambules in viis ejus, & cuſtodias cæremonias illius, & mandata, atque judicia, & obedias ejus imperio.* Quæ verborum forma, Deum ut Imperatorem reſpicit, & habentem regimen Iſraëliticæ Reipublicæ, cum jure & auctoritate leges, atque mandata conſtituendi, atque firmandi omnino illam Rempublicam.

Clariora adhuc, quæ diximus fient; ſi vocabulum fœderis, quo à Deo, ſtatuta in bonum Iſraëliticæ Reipublicæ appellantur, cognoſcere tentabimus. Quoties enim in divinis oraculis, de lege Iſraëlitico populo tradita eſt ſermo, toties verba fœderis ea lex nominatur, ut Deuter. 29. dicitur: *Hæc ſunt verba fœderis, quod præcepit Dominus Moyſi, ut feriret cum filiis Iſraël in terra Moab, præter illud fœdus, quod cum eis pepigit in Oreb.* & ibid. cap. 4. Moyſes ad populum Iſraël, divinæ legis ſtatuta vocat pactum, dicens: *Et oſtendit vobis*, ſupple Deus, *pactum ſuum, quod præcepit, ut faceretis, & decem verba, quæ ſcripſit in duabus tabulis lapideis.* Liber quoque ille, in quo ſcripſit Moyſes leges à Deo latas in monte, & ſanguine aſperſit; ut ſtabilito pacto ex more, & conſuetudine illius ſeculi, eas ſervandas præberet populo Iſraëlitico, liber fœderis dicitur Exodi 24. atque in hac phraſi, ſacra oracula ſæpiſſimè loquuntur: propterea nomini proprio, & ineffabili *Jehova*, nomen quoque *Elohim* addidit Deus; quod Principatus, dignitatiſque erat, quam ipſe in Iſraëlitica Republica ex vi fœderis, & electionis habere volebat.

Ut verò nominis *Elohim*, & fœderis, quibus ſacra oracula utuntur, rationem aliquam afferamus; obſervandum erit, dupliciter noſtro modo concipiendi, Deum à nobis conſiderari poſſe; nimirum ut Deus eſt, necnon etiam ut Imperator Iſraëlitici exercitus, ſive Iſraëliticæ Reipublicæ Dux, atque Princeps. In fœdere igitur & pacto, loquendum de Deo non erit, ut Deo: ſic enim ſupremus Dominus, & Conditor creaturæ univerſæ cum ſit; ad leges ipſius ſervandas, etiam nullo interveniente fœdere, homines tenentur. nec ſolum Iſraëlitica Reſpublica, ſed ſinguli cujuſcumque nationis ſint, ad illorum obſervantiam obligantur; ea ſolum ratione, quod Dei ſtatuta eſſent: nihilominus Deus pro ſua benignitate, humanæ imbecillitati ſeſe accommodans, dum Iſraëlitis, tamquam alicujus exercitus Imperatorem ſupremum, habere ſe voluit; qui aliquam deducturus Coloniam, Imperatoriam dignitatem, ab eorumdem militum electione expectat. Cujus electionis exempla non ſemel, ſed ſæpiſſimè legimus; non ſolum in ſacris, ſed etiam in antiquis Scriptorum monumentis. Deus enim ſtatim ac Imperator electus fuit, cum Iſraëlitis fœdus iniit, de regionibus, atque de præda hoſtili cum militibus partienda: qui milites vice verſa, eidem Imperatori ad obediendum, juramento militari ſe obligarunt: quo nihil ſanctius in Romana militia, atque apud reliquas gentes erat. Exemplum electionis habemus in Apollon. lib. 1. Argon. apud quem Jaſon profecturus ad Aëtam ſic loquitur.

A Ἀλλὰ φίλοι, ξυνὸς γὰρ ἐς ἑλλάδα νόστος ὀπίσσω,
ξυναὶ δ' ἄμμι πέλονται ἐς αἰήτας κέλευθοι·
τοὔνεκα νῦν τὸν ἄριστον ἀφειδήσαντες ἕλεσθε
ὄρχαμον ὑμείων, ᾧ κεν τὰ ἕκαστα μέλοιτο
νείκεα, συνθεσίας τε μετὰ ξείνοισι βαλέσθαι.

Nam velleris aurei de cauſa, hi omnes cum Jaſone, Hercule, Areſtoride, & aliis ad Aëtam, in longiſſimas regiones mari emenſo abibant; ſed de Duce eligendo, ante omnia agendum conſtituunt; cui cura belli paciſque ſit. ſic enim interpretantur illa carmina in perſona Jaſonis.

Sed ô amici, communis in Græciam reditus poſtea,
B *Communis nobis eſt ad Aëtam peregrinatio,*
Quapropter nunc optimum, nec ceſſate, eligite
Ducem veſtrum, cui ſingula curæ ſint
Certamina, pactaque cum hoſtibus ferire.

De juramento militari nihil ſupereſt, quod res maximè nota ſit. Deum ſe ita geſſiſſe cum populo Iſraëlitico, ſacra undique, ut puto, aperiunt oracula: & ne longè abeamus, Joſue moriturus cap. 24. ſuæ hiſt. objicit populo Iſraëlitico, quanta fecerit Deus, non ſolum quando illum de terra Ægypti educere vellet; ſed etiam cum per deſertum deduxit: hoſtiles incurſus, à quibus liberatus eſſet eidem objicit; quas victorias conceſſerit adverſus hoſtes, qui C illum aggrediebantur; quanto denique ſtudio in potentiſſimas, fœcundiſſimaſque regiones prout promiſerat adduxiſſet. proclivitatem verò eorumdem ad cultum Idolorum prænoſcens, ad Idola eos reverſuros, & nequaquam in Dei cultu permanſuros affirmat. milites verò Iſraëlitas, pro divino cultu in contrarium inſiſtentes ut confirmet; revocat illis in memoriam, quod ipſi elegerint Dominum, dicens: *Teſtes*, inquit, *vos eſtis, quia ipſi elegeritis vobis Dominum, ut ſerviatis ei, reſponderuntque teſtes.*

Itaque quamvis Deus ut Deus, omnia pro libito moderari, leges ſtatuere, ſtatuta delere, ac im- D mutare poſſit, & pro placito creatura uti; tamen quia Iſraëliticam deducere coloniam, more aliorum ducum intendebat; humanæ imbecillitati ſeſe accommodans & temporum conſuetudini indulgens, ab eiſdem eligi in Imperatorem non detrectavit; ut ejuſdem Iſraëlitici populi ſtudio, atque conſenſu, totius populi imperium, regimen, curaque ſibi commiſſa videretur. quare cum Deus ſuam potentiam, Iſraëlico populo oſtentaſſet, animumque illius pertentaſſet; an vellet nimirum ab eo deduci, ac gubernari, in textu ſubditur: *Reſponditque omnis populus, cuncta, quæ loquutus eſt Dominus, faciemus. cumque retuliſſet Moyſes verba populi ad Dominum, ait ei Dominus:* E *Jam nunc veniam ad te in caligine nubis, ut audiat me populus loquentem ad te, & credat tibi in perpetuum.* Ex quibus perſpicuum eſt, Deum pro ſua benignitate, ex conſuetudine humanorum Principum, Iſraëlitici exercitus voluiſſe expectare placitum, ſuique ab eo populo electionem in Imperatorem.

Cum igitur populi aſſenſum, Moyſes ad Dominum retuliſſet; affirmaſſetque libentiſſimè in Principem, atque Imperatorem à populo electum fuiſſe, ejuſque imperium gratiſſimo animo Iſraëlitas omnes admiſiſſe & fauſtis acclamationibus excepiſſe, ſtatim Deus hoc accepto nuncio, de ſe ad populum manifeſtando cum Moyſe agere cœpit; deque legibus ad F ejus populi politiam, & cultus ſacros ferendis. Nec enim uſque tunc Deus populo apparuerat, neque illum loquentem populus audierat; nec populo Deus leges tradiderat: quas tandem, cum populo audiente, voce tenus tradidiſſet; in fine antequam ejuſdem populi aſſenſum exquireret: ſe quoque populum introducturum in regiones Cananæorum ſpopondit, dicens Exodi 23. *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præ-*

præcedat te, & cuſtodiat in via, & introducat in locum quem paravi; & explicans quænam hæc eſſent loca, ſubjungit: *Præcedetque te Angelus meus, & introducet te ad Amorrhæum, & Hethæum, & Pherezæum, Cananæumque, & Hevæum, & Jebuſæum, quos ego conteram.* infra quoque aperiens, quibus conditionibus populum Iſraëlem velit introducere in illas regiones, ait: *Terrorem meum mittam in præcurſum tuum, & occidam omnem populum, ad quem ingredieris: cunctorumque inimicorum tuorum coram te terga vertam: emittens crabrones prius, qui fugabunt Hevæum, & Cananæum, & Hethæum, antequam introëas. Non ejiciam eos à facie tua anno uno; ne terra in ſolitudinem redigatur, & creſcant contra te beſtiæ. Paulatim expellam eos de conſpectu tuo, donec augearis, & poſſideas Terram.* Quia verò Deus ſe Dominum univerſæ terræ dixerat; ne forte Iſraëlitæ crederent, propterea omnem terram ſibi ceſſuram in poſſeſſionem, terminos præſcripſit, dicens: *Ponam autem terminos tuos à Mari rubro uſque ad Mare Palæſtinorum, & à deſerto uſque ad fluvium: tradam in manibus veſtris habitatores Terræ, & ejiciam eos de conſpectu veſtro.* quibus tandem à Deo promiſſis; populus reſpondit una voce, ut dicitur Exodi 24. *Omnia verba Domini, quæ locutus eſt faciemus.*

Ex quibus perſpicuum eſt, leges latas Iſraëlitico populo, verba fœderis, ac pacti merito appellari; quod omnipotens Deus, cum illo populo, paciſci minimè renuerit, humanorum Principum more; pactorum ac fœderum cæremonias ſervando, ex conſuetudine illius ſeculi, in electione Principum, & in reliquis contractibus. Fœderum, pactorumque cæremoniæ ſubodorantur ex capite 15. Geneſ. ubi cum Deus poſteritati Abrahæ, Cananæorum regionem promiſiſſet; dixiſſetque Abraham ad illum, *unde ſcire poſſum, quòd poſſeſſurus ſim eam? Et reſpondens Dominus: Sume, inquit, mihi vaccam triennem, & capram trimam, &c.* quæ ibi habentur. Deus autem in forma, & ſimilitudine ignis, ex more paciſcentium voluit pertranſire, inter illas animalium diviſiones. *Cumque ſol occumberet,* dicitur in textu, *ſopor irruit ſuper Abram, & horror magnus & tenebroſus invaſit eum.* & infra: *Cum ergo occubuiſſet ſol, facta eſt caligo tenebroſa, & apparuit clibanus fumans, & lampas ignis, tranſiens inter diviſiones illas.* Quod autem hic tranſitus, ratione fœderis fuerit, dicitur ibidem his verbis: *In illo die pepigit Dominus fœdus cum Abram, dicens: Semini tuo dabo terram hanc, à fluvio Aegypti uſque ad fluvium magnum Euphratem: Cinæos, &c.* Cujus etiam ritus pertranſeundi inter victimarum diviſiones, & ſanguine firmandi fœdera, meminit Jerem. cap. 34. Tranſitum verò illum, fœdus feriendi gratia fuiſſe, Chryſoſt. homil. 36 confirmat, dicens: *Vide quemadmodum Deus more humano iniit fœdus cum Abram. Quando nos aliquid promittimus, & volumus certum reddere eum, cui promiſſio fit, ita ut de promiſſis nihil ambigatur, ſignum aliquod damus & pignus; ut ad illud ſpectans ſcire queat promiſſa omnino eventura: ita miſericors Deus quærenti Abrahæ unde ſciam? reſpondit: Sume mihi vaccam trimam, &c. attende obſecro in quantam craſſitudinem, deſcendendum ſibi fuerit, bonus Dominus; quo Patriarcham, argumentis copioſis certiorem redderet. nam quia olim talis erat mos paciſcendi, & pacta firmandi; ideo & ipſe Deus hac via ingreſſus eſt.* ſic Chryſoſtomus, quibus in ſanguine, & ſacrificiis paciſcendi ritus oſtendit; & Deum more humano ad ritus illius ſeculi, paciſci non reſpuiſſe. ut etiam id feciſſe cum populo Iſraëlitico, in monte & deſerto Synai, ſacrificiis, ritibus & ſanguine confirmando ſuam electionem, pro certo affirmare non vereamur.

Cum igitur inter fœderis cæremonias, non ſolum A cunctas leges, ſed etiam promiſſa illi populo à Deo, Moyſes in libro ſcripſiſſet, ut dicitur Exo. 24. populus iterum auditis legibus, diviniſque promiſſis, conſenſum præſtitit; & fœdus cum Deo iniit, de obſervanda illa lege, ut dicitur Exodi 24. *Aſſumenſque volumen fœderis, legit audiente populo: qui dixerunt: Omnia quæ locutus eſt Dominus, faciemus, & erimus obedientes.* quem conſenſum ſtatim, ac populus pro more illius ſeculi præſtitit; ſanguine fœdus firmatum eſt, ut dicitur in textu: *Ille vero ſumptum ſanguinem reſperſit in populum, & ait: Hic eſt ſanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiſcum ſuper cunctis ſermonibus his.* Obſervanda eſt, hæc poſtrema ver-
B borum pars: nimirum firmatum eſſe fœdus inter Deum, & populum Iſraëliticum. eſt enim pactum duorum conſenſus, ut dicitur in lege pactum. Digeſt. lib. 50. tit. 12. l. 4. & ff. 2. tit. 14. de pac. l. 1. ubi ex Ulpiano dicitur, pactum eſt duorum, pluriumve in idem placitum. & in marginal. Gothfredi ad declarationem ponitur ex Eclog. 1. cap. 5. τὰ περὶ ἐξουσιαστῶν ἢ ἡγεμόνων ἐθνῶν πρὸς εἰρήνην τύχον, ἢ ἄλλο τι τοιοῦτον. Harmenopul. 9. §. 4. id eſt, *publica conventio eſt, quæ per Principes fit, aut belli Duces, veluti ad pacem, aut quid tale:* & quia in pactis conditiones ponuntur ad quas hi qui conveniunt obligantur; ita in Synai Deus cum Iſraëlitico populo
C fœdus iniit. populus enim his conditionibus legibus à Deo traditis ſtare ſe obligabat; Deus verò ex altera parte introducere populum in regiones gentium, quæ recenſitæ fuerant promittebat. Hæc enim duo, ore proprio ſpoponderat Deus, cum populum alloquutus eſt: hæc duo Moyſes quoque retulit plebi, ut dicitur Exodi 24 duo hæc in libro fœderis ſcripta fuerunt. hæc eadem tandem duo audiente populo Moyſes legit cum fœdus firmaretur, & populus admiſit. Ut autem electio iſta Dei veluti Imperatoris, in Synai celebrata, perſpicua fiat, à ſacris non recedamus litteris. de hac enim electione Dei
D in Dominum, deque electione Iſraëlitarum à Deo in populum, ſæpiſſimè ſacra oracula meminere, præſertim cap. 26. Deut. ubi poſtquam Moyſes admonuiſſet populum, de obſervanda lege à Deo lata; convolvens brevi compendio totam legem, tam ratione moralium præceptorum, quàm cæremonialium, atque politicorum, ait: *Hodie Dominus Deus tuus præcepit tibi, ut facias mandata hæc, atque judicia: & cuſtodias cæremonias illius, & mandata atque judicia, & obedias ejus imperio.* In quibus verbis, non eſt prætereundum, Judiciorum nomine, & mandatorum, (quatenus dictioni hæc judiciis conjungitur) ſignificari leges, quæ ad politicam guber-
E nationem pertinebant: Cæremonias verò dici in Scriptura ſacra leges, quæ ad ſacrificia, & reliquos ſacrorum ritus faciebant: Viarum denique nomine ſignificari præcepta moralia, quæ in lapideis tabulis conſcripta habebantur. Ex verbis igitur allatis in ſupra allegato textu, perſpicuum eſt, populum Iſraëliticum, in electione Dei ut Imperatoris; ad illa omnia ſervanda ſe obligaſſe, quæ Deus ſtatuiſſet: quamobrem Moyſe legente in libro divina ſtatuta, & populo in fœdere inito in Horeb aſſentiente, ſtatim Moyſes ſubintulit: *Et Dominus elegit te hodie ut ſis ei populus peculiaris, ſicut locutus eſt tibi, & cuſtodias omnia præcepta illius: & faciat te excelſiorem cunctis gentibus quas creavit.* Manifeſta eſt igitur his ſacris textibus mutua fœderatorum obligatio. Deo ni-
F mirum eligente Iſraëliticum populum, cum obligatione dandi illi regiones Cananæorum in poſſeſſionem, & reliquarum nationum, quæ illas regiones habitabant; populoque Iſraëlitico vice verſa eligente Dominum in Imperatorem exercitus, cum obligatione leges illius ſervandi; cujus etiam mandatis, obedire omninò populus profitebantur.

Quia igitur Principes, & Imperatores reliquarum A nationum, quos jam mortuos gentes colebant; ſive adhuc inter vivos militari gloria conſpicui venerarentur, אֵלִים *elim* dicebantur: Deus ratione fœderis initi cum populo, Princeps jam & Imperator illius Reipublicæ conſtitutus, tanquam præ cæteris Principibus dignior & excelſior, apud Iſraëlitas nomine Elohim appellari voluit. Ut autem initi fœderis forma clarius eluceſcat, quam Deus, cum Reipublicæ Iſraëliticæ Imperator eligeretur, ſervari voluit; quid ſacra oracula referant, attendatur. nam Exodi 19. Deus miſit Moyſem ad populum, qui ſic illum alloqueretur: *Vos ipſi vidiſtis quæ fecerim Aegyptiis, quomodo portaverim vos ſuper alas aquilarum, & aſſumpſerim mihi.* B In priori parte horum verborum, proponit Deus Iſraëlitico populo conſiderandum, quomodo proſtraverit militiam Pharaonis miraculoſe, currus falcatos confregerit, rapuerit alios per aërem, ut turbine primum agitati, tandem in mari demergerentur; equites confuderit, ac denique cum pedeſtribus copiis omnes ſubmerſerit: ipſumque Pharaonem Regem Ægypti, qui in re militari peritiſſimus toto orbi cenſebatur; cum omnibus qui illum ſequebantur tandem occiderit. Populum ſuper alas aquilarum portaſſe dicit; ut nullo incommodo ad loca deſerti, ſe populum Iſraëliticum deduxiſſe oſten dat: & aquilæ comparatione utitur, ut nihil nocere C illis potuiſſe probet: non inimicorum tela, non gladios; falcatos currus fruſtra ad id veniſſe, & omnia denique arma, quibus parati proceſſerant Ægyptii ad prœlium, irrita fuiſſe. Tandem illos eoſdem ad ſe aſſumpſiſſe affirmat; quia in ſuam fidem Iſraëliticam gentem acceperat; ut toto orbi manifeſtum fieret, quali ac quanto Duce populus iſte regeretur. Vel ſi cum hebraico textu loqui velimus, dicemus וָאָבִא אֶתְכֶם אֵלָי hoc eſt, *& adduxi vos ad me.* quia enim Deus montem illum Sinai ſibi ſanctificatum declaraverat, dicendo Moyſi: *terra in qua ſtas, terra Sancta eſt*, id eſt, *mihi ſacra;* ac veluti D in locum Deo ſacrum cum veniſſet, eum ſacrificia ibi facere juſſerat; propterea dixit, *& aſſumpſerim mihi.* ſenſus igitur illorum verborum eſt: vos cognoviſtis quam potenter, velit nolit hoſtis, huc vos adduxerim, exſiccato etiam Mari rubro, ut ſicco veſtigio huc perveniretis.

Deinde in eodem capituli textu ſubjungitur: *Si ergo audieritis vocem meam, & cuſtodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis; mea eſt enim omnis terra; & vos eritis mihi in regnum ſacerdotale, & gens ſancta. hæc ſunt verba, quæ loqueris ad filios Iſraël.* qui locus hunc facit ſenſum. Si ergo me in Principem, & Dominum veſtrum elegeritis; de legibus vobis tradendis cogitabo, quæ ſi cuſtodieri- E tis & obedieritis mandatis meis; & non prævaricabitis pactum, quod inibo vobiſcum; præ omnibus populis terræ, quibus impero, cum ſim Dominus omnium, & poſſem alias nationes eligere, vos eritis mea hæreditas, meus populus, in quo regnum & ſacerdotium mundum firmabo; legibus & cæremoniis quibus decet, veſtram Rempublicam denique ſtabiliam. Hic verò de legibus jam ſtatutis, non eſt ſermo, ſed de ſtatuendis, ut conſtat ex his quæ ſubinferuntur, in quibus leges Moyſi à Deo traduntur: neque de pacto jam inito, cum in eodem libro cap. 24. ſubſequenti, cæremoniæ pacti legantur, poſt- F quam hæc verba Deus Moyſi dixiſſet; & poſtquam etiam populi Seniores alloquutus fuiſſet.

Tanti verò fecit hanc populi electionem, & in Republica Iſraëlitica dominium Deus, tunc potiſſimum, quando in deſerto populus arma tractaret; ut Principem, Dominum, Regem, ac exercitus Imperatorem non ſolum in terris appellari; ſed etiam de militari ſtudio in cœlis celebrari voluerit. Nam illi duo Seraphin quos Deum laudantes vidit Iſaias, Deum Sanctum dicebant, triplicataque voce, eundem Sanctum celebrabant, canticum verò claudebant, appellando Deum, *Elohim* exercituum; id eſt Imperatorem exercituum; & ad finem uſque ſeculi, Imperator exercitus, in ſua Eccleſia celebrari vult. tantoque ſtudio gloriam militarem, ab eo uſque tempore appetiiſſe videtur Deus; ut in curru triumphali, divina quadam arte conſtructo, Moyſi Senioribuſque Iſraël in deſerto ſe monſtraverit; triumphator quoque appellari voluit. 1. Reg. 15. ubi cum Saul Samuelem deprecaretur, ut Dominum placaret, ait Samuel: *Porro triumphator in Iſraël non parcet, & pœnitudine non flectetur, neque enim homo eſt, ut agat pœnitentiam.*

Domini verò nomen frequentiſſimum in ſacris oraculis, quod Adonai hebraicè dicitur, & Deo ſæpiſſimè tribuitur, de dominio politico, quod Deus jure electionis profitebatur in populum Iſraëliticum, intelligi ſemper debet. Eſt enim locus pulcherrimus in lib. Jud. cap. 8. qui id probet, de quo etiam agemus in cap. ſequenti: nam cum Duce Gedeone, à ſervitute Madianitarum liberatus fuiſſet Iſraël, & principatum, atque imperium Iſraëlitæ Gedeoni obtuliſſent, ejuſque poſteritati, dicentes: *Dominare noſtri tu, & filius tuus, & filius filii tui, quia liberaſti nos de manu Madian*, reſpondit ille: *Non dominabor veſtri, nec dominabitur in vos filius meus, ſed dominabitur vobis Dominus.* Nulla ratione Gedeon Principatum, atque Imperium ſibi à populo oblatum admiſit; ſed conteſtatus eſt, populi Imperium, ac Principatum ad Deum pertinere. & cap. 8. lib. 1. Reg. cum non bene Samuel ſentiret de petitione populi, quo ad Regem: dixit Dominus ad Samuelem: *Audi vocem populi in omnibus, quæ loquuntur tibi. non enim te abjecerunt, ſed me ne regnem ſuper eos.* & Propheta Pſal. 94. invitans populum ad laudandum Deum, hac ratione utitur; quoniam Deus Adonai, & Rex magnus ſuper omnes Deos; vel ut legunt Græca exemplaria nonnulla, *ὅτι θεὸς μέγας κύριος, καὶ βασιλεὺς μέγας ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν.* hoc eſt. *Quoniam magnus Dominus, & Rex magnus ſuper omnem terram.* Ex quibus Regium jus Deo in Republica Iſraëlitica tributum conſtat.

CAP. LIII.

Iſraëliticæ Reipublicæ regimen ſemper fuiſſe Monarchicum monſtratur.

Ad loca Judic. 8. *Dixeruntque omnes viri Iſraël ad Gedeon: Dominare noſtri tu, & filius tuus, & filius filii tui: quia liberaſti nos de manu Madian. Quibus ille ait: Non dominabor veſtri, nec dominabitur in vos filius meus, ſed dominabitur vobis Dominus.* 1. Reg. 8. *Rex enim erit ſuper nos, & erimus nos quoque ſicut omnes gentes: & judicabit nos Rex noſter, & egredietur ante nos, & pugnabit bella noſtra pro nobis.* & ad alia plura loca.

FOEDUS initum à Deo cum Iſraëlitica Republica, cujus ipſe inſtitutor, & rector haberi voluit; præter optimum regimen illius Reipublicæ, nobis qui ſacras, & veteres paginas revolvimus, atque explicare contendimus, plurima in eis loca, quæ difficillima in ſe videbantur, facillimè explicant. Ex hoc enim fœdere, Monarchicum regimen Iſraëliticæ Reipublicæ perſpicuum manet: & quamvis de forma fœderum feriendorum apud veteres, agendum videretur, quia tamen apud altaria, qui-

quibuſdam ſervatis cæremoniis firmabantur, de quibus poſtea dicemus; nunc de ſtatu illius Reipublicæ agendum eſt. Tres enim à ſcriptoribus & politicis, Reipublicæ alicujus ſtatus deſignantur; nimirum Monarchicus, Ariſtocraticus, & Democraticus; in quo igitur genere reponenda ſit Iſraëlitica Reſpublica, à tempore egreſſionis ex Ægypto, uſque ad Reges, ambigitur. Cenſent Ariſtocraticam, nimirum Optimatum Rempublicam, illam fuiſſe ſub Judicibus Abulen. quæſt. 13. prol. Sigon, lib. 7. de Republ. Hebr. cap. 2. Perer. lib. de benedict. Patriarch. Fevardent. in Ruth cap. 1. pag. 10. & quamvis aliquando de illius Monarchia, aliquid ſentiant; id tantum concedunt illi Reipublicæ, vivente Moyſe ac Joſue Reipublicæ Ducibus; nequaquam verò poſt illorum mortem. Monarchicam fuiſſe docent Nicol. Sand. lib. de viſib. Monarch. Bellarm. lib. 1. de Pontif. cap. 2. Serar. in lib. Judic. quæſt. 8. in cap. 1. & alii.

Hanc ſententiam tamquam veriorem amplectimur; ſed nequaquam eo, quo iſti nituntur fundamento. Putant enim hi proximè citati Auctores, penes Judices qui Joſue ſucceſſerunt, regimen Reipublicæ extitiſſe; ſicuti etiam Joſue ac Moyſem veluti Dominos, & Principes gubernaſſe Hebræorum Rempublicam putant. Perrerius & Fevardentius, Moyſen, & Joſue tantum quaſi Principes Reipublicæ regimen curaſſe tradunt. his tamen extinctis, eamdem Rempublicam ad Ariſtocratiam tranſiſſe docent. Nos verò ea ratione fuiſſe Monarchicum Iſraëliticæ Reipublicæ regimen dicimus; ut non ſolum ſub Judicibus, ſed etiam ſeculo Joſuani, atque Moyſis, numquam à Monarchico regimine deſierit; Deusque ſua benignitate, more aliorum Principum, ſublatis humanis imperfectionibus, Iſraëliticæ Reipublicæ, curam gerere voluerit. Doctrinam hanc à nobis excogitatam, ne quis ſuſpicetur; aſſertores habebimus ſacrorum oraculorum teſtimonia, ac veterum Scriptorum auctoritates non paucas. nam Joſephus lib. 4. Antiquit. cap. 8. ait ex perſona Joſuani. Ἀριςοκρατία μὲν ὖν κράτιςον, ϗ κατ᾽ ἀυτὴν βίος, ϗ μὴ λάβοι πόθος ὑμᾶς ἄλλης πολιτείας, ἀλλὰ ταύτην ςέργετε τούς νόμους ἔχοντες δεσπόντας, κατ᾽ ἀυτοὺς ἕκαςα πράττοντες, ἀρκεῖ γὰρ ὁ Θεὸς ἡγεμὼν εἶναι. hoc eſt; *Optimatum quidem regimen eſt optimum, & ſub illo vivere, at non eſt unde accipiatis aliam Rempublicam; ſed hanc diligite, leges habentes dominas, ſecundum eas ſingula operantes, præſtat enim Deum præſidem eſſe.* Hæc Joſephus; in quibus quamvis Joſue laudet Ariſtocratiam; Iſraëlitis tamen tradidit nequaquam expetendum aliud genus Reipublicæ; ſed perſiſtendum in hoc genere regiminis, quod Deus inſtituerat; moderando nimirum ſeipſos, ſuaſque operationes, juxta latas à Deo leges. Rationem aſſignat: quia præ omni Reipublicæ genere, illud eſt melius, in quo Deus ipſe præſidet. Hebræorum igitur Reſpublica ſemper Monarchica fuit, non quia is, vel alter Judex conſtitutus eſſet, qui aliquo modo præeſſet Reipublicæ, ad Dei placitum explorandum & exequendum; ſed quia unus Deus, veluti illius Reipublicæ inſtitutor eam gubernabat.

Regimen enim illud, illaque politia Monarchica appellatur, in qua non tantum unus præeſt; ſed inſuper ita præeſt, ut habeat abſolutam poteſtatem condendi leges, pro libito variandi, & reſcindendi; cum tamen ipſe nullis teneatur legibus, ut dicitur in Inſtitutionibus Juſtiniani. at verò Judices, qui Iſraël poſt mortem Joſue & Moyſis, Rempublicam temperabant; imò & Joſue, & Moyſes ſuo ſeculo, legibus tenebantur omnibus, quæ à Deo latæ fuerant; ad illudque regimen ea conditione à Deo præficiebantur; tamquam ab ipſo primo præſide auctoritatem habentes, ſolius voluntatis illius interpretes eſſent,

A & negotia Reipublicæ ad illum omnino deferrent. Neque igitur tamquam Monarchæ, neque tamquam in Ariſtocratia, Reipublicæ illi præficiebantur.

Eſt etiam alter Joſephi locus, ibidem in eodem ſermone Moſaico, in quo leges belli præſcribuntur populo Iſraëlitico; & qualiter hoſtes aggredi, vel non aggredi debeant, indicitur his verbis: φρονοῦντας ἐφ᾽ ἀυτοῖς ὡς ἰχύϊ διαφέρουσιν, εἰ δ᾽ ἀδικεῖν ἐθέλοιεν, ςρατὸν ἐπ᾽ ἀυτοὺς ἀγάγετε, ςρατηγῷ μὲν ἀυτοκράτορι χρώμενοι τῷ Θεῷ, ὑποςρατηγὸν δὲ χειροτονήσαντες ἕνα τὸν ἀρετῇ περιέχοντα. hoc eſt, *ſentientes de ſeipſis*, id eſt hoſtes confidentes in ſeipſis, *quod fortiter pluſquam vos facturi ſint, atque propterea vexare ſi voluerint*, ſupple B vos, *exercitum contra illos educite Deo Imperatore exercitu utentes, & eligentes Ducem aliquem virtute præcellentem.* Hunc verò Ducem non erit prætereundum, ὑποςρατηγὸν, quaſi pro Imperatore à Joſepho appellari. quod nimirum vice Dei veri Præſidis, & Imperatoris, militiam, ac militares copias ad Dei voluntatem gubernaret, ac ordinaret. regimen igitur Iſraëliticæ Reipublicæ, in quo unus Deus præſidebat, ex auctoritate Joſephi, alterius generis quam Monarchicum, exiſtimari minimè debet.

Regum ſeculo, Iſraëliticæ Reipublicæ regimen, monarchicum fuiſſe non ambigitur. verum quod Deus Iſraëliticam Rempublicam, ut Præſidens ea C ratione gubernaverit; ut certè Iſraëlitica Reſpublica, tam poſt Reges, quam ante, ex quo Deus populum alloquutus eſt in Horeb, tradens eis leges, & inſtituta Politica, ſemper Monarchica fuerit, & nequaquam Ariſtocratica, perſpicuum eſt. Stant etiam nonnulla ſacræ Scripturæ loca. nam cap. 8. lib. Judic. cum Gedeon debellaſſet Madianitas, qui aggreſſi fuerant Iſraëlem, cum exercitu centum quinquaginta millium armatorum: voluerunt filii Iſraël principatum Reipublicæ in Gedeonem, & familiam ejus transferre, dicentes: *Dominare noſtri tu, & filius tuus, & filius filii tui, quia liberaſti nos de manu Madian.* Illis non aſſenſit Gedeon, ſed po-D tius dixit: *Non dominabor veſtri, nec dominabitur in vos filius meus, ſed dominabitur in vobis Dominus.* Quod autem Iſraëlitæ Imperium, ac Principatum Monarchicum, Gedeoni obtulerint, perſpicuum eſt ex hebraico textu, in quo illud dominium, quod Gedeoni obtulerunt, per verbum מָשַׁל expreſſerunt; quod dominium abſolutum ſignificat, à Gedeone recuſatum; qui mera pietate, in Deum dominium populi referendum aſſeruit. Septuaginta illud idem per verbum ἄρχειν expreſſerunt; quod ſignificat dominari in aliquo, tamquam Principem, & Imperatorem, dicentes: ϗ εἶπον ὑιοὶ ἰσραὴλ πρὸς Γεδεὼν, ἄρχε ἡμῶν, ϗ σὺ, ϗ οἱ ὑιοί σου, ϗ ὁ ὑιὸς τοῦ ὑιοῦ σου, ὅτι E σὺ ἔσωσας ἡμᾶς ἐκ χειρὸς Μάδιαν. ϗ εἶπε πρὸς ἀυτοὺς Γεδεών· οὐκ ἄρξω ἐγὼ ὑμῶν, ϗ οὐκ ἄρξει ὁ ὑιός μου ὑμῶν, κύριος ἄρξει ὑμῶν. hoc eſt, *Et dixerunt filii Iſraël ad Gedeon, Princeps eſto noſtrum, & tu & filius tuus, & filius filii tui: quoniam tu ſalvaſti nos ex manu Madian. & dixit ad illos Gedeon: Ego non imperabo vobis, nec imperabit filius meus vobis, Dominus imperabit vobis.* Eſt autem adeò proprium verbi ἄρχω principatum ſignificare; ut quodcumque principium, & rei alicujus initium, per illud verbum ἄρχω ſignificetur; & ab hoc verbo fit ἀρχὴ, nomen quod ſonat Initium, Magiſtratus, Imperium, Præfectura, Regnum, Regimen, & quæcumque tandem Princi-F patum, aut Dominium important; quæ eo vocabulo paſſim apud Auctores explicantur: ita ut etiam apud Heſych. illud genus Apis, quod rex ſolet appellari ſine aculeo ac ſpiculo, ἀρχὴ dicatur, hoc eſt *Princeps*, ſive *Rex* reliquarum apum. quamobrem mirum videri non debet, Septuaginta ἄρχω, ſignificaſſe Dei dominium, quod ut Præſes in Iſraëlitica Republica habebat.

Stat pro ſtatu Monarchico Iſraëliticæ Reipublicæ in ſacris litteris 1. Reg. cap. 8. in quo de mutando ſtatu Reipublicæ in Regium agitur : de transferendo nimirum dominio, à Principe inviſibili, qui erat Deus, & per interpretes ſuos, ac Magiſtratus à ſe conſtitutos, juxta leges à ſe latas, uſque tunc Rempublicam Iſraëliticam gubernaverat; ad Principem viſibilem, Regem nimirum, à quo regerentur Iſraëlitæ tempore pacis ac belli. ſic enim dixerunt ad Samuelem : *Rex enim erit ſuper nos, & erimus nos quoque ſicut omnes gentes, & judicabit nos Rex noſter; & egredietur ante nos, & pugnabit bella noſtra pro nobis.* Cumque diſpliceret Samueli, & jure quidem, ac fleret hanc Principis commutationem, præſto fuit ſuo famulo Deus; ut illum conſolaretur, dicens : *Audi vocem populi in omnibus, quæ loquuntur tibi. non enim te abjecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos.* Regia igitur poteſtate, uſque tunc Deus, vigore fœderis initi in Horeb, Iſraëliticam Rempublicam gubernaverat, tamquam inſtitutor illius; à qua denique repulſus doluit.

Hæc autem Regia poteſtas quam præclarè exprimitur hebraicè; ſic enim legimus : כִּי לֹא אֹתְךָ מָאָסוּ כִּי אֹתִי מָאֲסוּ מִמְּלֹךְ עֲלֵיהֶם hoc eſt, *Quia non te ſpreverunt, ſed me ſpreverunt ne regnem ſuper eos.* In quibus verbis obſervanda eſt in hoc textu dictio מֶלֶךְ *malach*, quæ Regium dominium ſignificat : quod quidem dominium Dei in populum Iſraëliticum, in cap. 8 libri Judicum citato, dicitur per verbum מָשַׁל quod dominium abſolutum ſignificat : ut ex utroque textu, Regia & abſoluta in populo poteſtas oſtenderetur, quia ipſe tunc uſque in Iſraëlitico populo præfuerat. Quamobrem Septuaginta quoque, qui in illo capite 8. Judicum, dominium hoc Dei dixerant per verbum ἄρχω, nunc in 8. Regum utuntur verbo βασιλεύω, dicentes, ὅτι οὐ σὲ ἐξουθενήκασιν, ἀλλ' ἢ ἐμὲ ἐξουθενήκασι τοῦ μὴ βασιλεύειν ἐπ' αὐτῶν. hoc eſt, *Quoniam non te flocci fecerunt, ſed me flocci fecerunt, ut non regnem ſuper eos.* Eſt autem βασιλεύω regnare, & imperare primaria auctoritate, & à quacunque alia independente; qua Deus voluit ſignificare, ſe Iſraëliticam Rempublicam gubernaſſe, uſque ad illud Saulis tempus.

Ariſtocratica aliquando, & aliquibus, Hebræorum Reſpublica videtur : Joſepho etiam id non rarò indigitante. Verum hujus Scriptoris variæ loquendi phraſes, miræ nequaquam videri debent. neque enim hæc duo vocabula *Monarchiæ*, & *Ariſtocratiæ*, in eo rigore à Joſepho, ac reliquis Rabbinis ſumuntur; quemadmodum à noſtris, & à Græcis etiam Scriptoribus accipi ſolent. Ut autem breviter ſingula perſtringantur; dicimus, quod ſi Hebræorum Reſpublica à nobis juxta viſibile regimen contempletur; quo à fœdere inito cum Deo in Horeb, uſque ad tempora Regum utebatur, Ariſtocratica dici poſſet; quantum ad perſonas humanas, ac viſibiles, a quibus regebatur. Id enim perſpicuum fiet ex cap. 18. Exodi, & 1. cap. Deuter. ibi enim legitur, Jethro Sacerdotem Madianitam, ſocerum Moyſis, conſilium illi præſtitiſſe de Senatu conſtituendo, qui non ſolum militares copias regeret, ſed lites ac jurgia, quæ in dies occurrebant in populo decerneret; ſicut feciſſe ibi dicitur. & in Deuter. Moyſe illa referente, ait : *Non valeo ſolus negotia veſtra ſuſtinere, & pondus ac jurgia. date ex vobis viros ſapientes, & gnaros, quorum converſatio ſit probata in Tribubus veſtris, ut ponam eos vobis Principes. Tunc reſpondiſtis mihi : bona res eſt quam vis facere, tulique de Tribubus veſtris viros ſapientes & nobiles, & conſtitui eos Principes, Tribunos, ac Centuriones, & Quinquagenarios ac Decanos, qui docerent vos ſingula.* Hi verò qui à Moyſe conſtituti fuerant, non ſolum poteſtatem habebant, in his quæ ad militiam ſpecta-

A bant, ut diximus; verum etiam decidendi, quæ ad jurgia pertinebant. quamobrem ſubintulit Moyſes ad eos, quos in Magiſtratu poſuerat. *Audite illos*, hoc eſt populos, *& quod juſtum eſt judicate, ſive civis ſit ille, ſive peregrinus.: nulla erit diſtinctio perſonarum, ita parvum audietis ut magnum, nec accipietis cujuſquam perſonam, quia Dei judicium eſt.* Notanda ſunt hæc poſtrema verba, *quia Dei judicium eſt.* ideſt, non debetis reſpicere perſonam hominum; quia hanc poteſtatem, quam habetis in populo; à Deo tanquam à Rege accepiſtis; & judicium quod geritis, non eſt veſtrum, ſed Dei Imperatoris noſtri ac Principis. Hæc fuere acta in de-
B ſerto Horeb, in exordio conſtituendi Rempublicam Iſraëliticam. ex quibus perſpicuum eſt, quod quamvis conſtitutus à Moyſe fuerit Senatus; non tamen propterea illa Reſpublica Ariſtocratica fuit; quia nequaquam ad proprium placitum Rempublicam gubernare poterant illi Præſides, ſed leviora juxta leges decernere, graviora ad Moyſem referre tenebantur; ut Dominum conſuleret.

His addantur quæ leguntur cap. 11. Numer. de deſignandis ſeptuaginta Senioribus, ad regimen populi, Dei juſſu electis : qui, ut ſervum ſuum Moyſem ab onere, ſicut petierat ſublevaret; dati ſunt illi in adjutorium regiminis; de quibus legitur:
C *Et dixit Dominus ad Moyſem, Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenibus Iſraël, quos tu noſti quod ſenes populi ſint, ac Magiſtri, & duces eos ad oſtium Tabernaculi fœderis, facieſque ibi ſtare tecum, ut deſcendam & loquar tibi, & auferam de ſpiritu tuo, tradamque eis, ut ſuſtentent tecum onus populi, & non tu ſolus graveris.* hæc ibi in ſacro textu. Verum ab hac Senatus, ac Magiſtratus deſignatione, nequaquam argumentari licet Reipublicæ Iſraëliticæ regimen Ariſtocraticum fuiſſe. non enim Ariſtocratiæ nomen convenit; ubi unus eſt qui præſidet, reliquis Magiſtratibus leges præſcribens, ſecundum quas judicare illi debeant. cum igitur in Iſraëlitica Republica Deus
D præſideret, & leges reliquis Magiſtratibus, ac Senatoribus præſcriberet; Ariſtocraticum regimen illius appellari non debet.

Nec quemquam turbet, quod toties Reipublicæ regimen, in Moyſe videretur tunc poſitum. Ille enim nequaquam propria auctoritate, ſed tamquam a Deo delegatus, & Dux conſtitutus, Reipublicæ ita præerat, ut omnia ad Deum referre, atque cum ipſo conſulere teneretur; ut quæ agenda Deo viderentur; Moyſi ille mandaret; ac mandatis obtemperare Moyſis eſſet, non verò aliquid imperare; proptereaque Imperator, aut Rex illius Reipublicæ dici minimè debeat : taliter enim cum Deo
E negotia omnia conſultare tenebatur; ut aliquando in deſerto Sinai, dum adhuc populus in Horeb caſtra haberet, & quis ligna in die feſto collegiſſet; licet id lege prohibitum eſſet, & Moyſes juxta leges de illo ſententiam ferre poſſet; nihilominus de hac re judicium ferre nequaquam Moyſes auſus eſt; niſi prius Dominum conſuluiſſet, qui mortis ſententiam in hominem dixit. Aliquando etiam cum ſiti laboraret populus, & alibi flagraret deſiderio carnium; de annona populo providenda, nihil Moyſes cogitavit; nihil de aquis ad ſitim populi extinguendam; ſed ad Deum ſummum populi Imperatorem retulit; quem etiam, ut pro deſiderio populi
F neceſſaria provideret, ſollicitavit : in quo etiam videtur Moyſes dubitaſſe; quo pacto in deſerto, ubi nulla erant animalium paſcua, & à mari longè aberant, de annona, & carnibus provideri populo poſſet. Nunquid credendum eſt, virum ſanctiſſimum, ac doctiſſimum in omni ſapientia Ægyptiorum, ut dicitur Act. 7. dubitaſſe de divina omnipotentia? minimè quidem : cum verò Deus, non ut

ut Deus, ſed veluti Imperator populi Iſraëlitici, deducturus Coloniam, negotium tunc ageret, tam cum Moyſe, quam etiam cum populo; propterea dixit Moyſes ad illum Num. 11. *Sexcenta millia peditum hujus populi ſunt, & tu dicis, dabo ei eſum carnium menſe integro? Numquid ovium & boum multitudo cædetur, ut poſſit ſufficere ad cibum, vel omnes piſces maris in unum congregabuntur ut eos ſatiet?* in quibus quidem dubitaſſe Moyſem certum eſt. Nonne plus fuerat Mare rubrum aperuiſſe, & totum exercitum ſicco veſtigio in adverſum littus conſtituere; & alia plurima quæ viderat in Ægypto facere, quam carne ſatiare populum? ſed quia hæc ante initum fœdus cum populo egerat Deus ut Deus, & poſt initum fœdus, ut Dux & Imperator populi, à Moyſe conſiderabatur: propterea hæc illi difficilia in deſerto videbantur, ubi nulla erant animalia ad eſum: quod quicumque alter Dux, aut Imperator jure ducatus, aut Imperatoria ſollicitudine, atque induſtria, talia facere minimè potuiſſet.

Itaque Moyſes non ut Imperator populi Iſraëlitici, ſed quaſi pro Imperatore illius populi curam gerebat; ac quotieſcunque ſeditione populus commovebatur; quemadmodum inter milites in caſtris ſolet contingere, ad ipſum Dominum Moyſes confugiebat; ut commotam ſeditionem compeſceret: quaſcumque etiam populi Iſraëlitici neceſſitates, ad illum in Tabernaculo fœderis, ideò Moyſes referebat; quia omnino nullam in populo auctoritatem, ac poteſtatem ipſe habebat; neque Iſraëliticum exercitum quaſi Imperator gubernabat. Nam cum aliquando populus deſiderio carnium commotus, in ſeditionem converteretur; de eoque Moyſes, atque Aaron doleret Exo. 16. ait Moyſes: *Audivi enim murmur veſtrum contra Dominum, nos vero quid ſumus, quia muſſitaſtis contra nos.* quaſi diceret, nihil ſumus, neque ego, neque Aaron frater meus; non enim nos ſumus Imperatores exercitus; nobiſcum non iniſtis fœdus, ſed cum Domino; proinde quotieſcunque in ſeditionem convertimini, in ipſum inſultatis; carnes petiſtis, dabit Dominus carnes. Monarchicum igitur utique, tunc temporis, uſque ad Regum electionem Iſraëliticæ Reipublicæ regimen fuit: Deo illam, ut Imperator inito fœdere, gubernante.

Judices poſt mortem Joſue, ac Moyſis dicebantur, qui ad regimen curandum præficiebantur: non quia aliquam independentem illi haberent poteſtatem, ſed quia à Deo, quaſi vicarii & interpretes ejus, quicquid ipſe decreviſſet, in bonum Iſraëliticæ Reipublicæ, populo aperiebant: ut etiam aliquando mulier nimirum Debora judicaſſe Iſraëlem dicatur, non quod verè mulier populum judicaret; ſed quia mulier ſanctiſſima, prophetiæ ſpiritu afflata, voluntatem Domini Iſraëlitis manifeſtabat, & per ipſam Principes Tribuum, Deum Imperatorem populi conſulebant; propterea dicitur Deboram judicaſſe populum. Utinam à tanto Imperatore, & Duce numquam miſeri illi deſciviſſent; numquam enim bella, & captivitates experti fuiſſent; quibus in dies premebantur; & nunc per totum orbem diſperſi, exules premuntur.

Erut fortaſſe qui putent, ſolummodo Regum ſeculo Monarchicum dicendum fore, regimen Iſraëlitici populi: non tam rationibus jam allatis; ſed etiam quia non aſſentient Monarcham eum dici, qui plenam, & abſolutam habet poteſtatem in populo, condendi, atque etiam reſcindendi leges. Nam ſub Regibus Monarchicum fuiſſe regimen Iſraëliticæ Reipublicæ, negari nequit; cum tamen Reges hujuſmodi auctoritatem non habuiſſe, ex divinis oraculis perſpicuum videatur; & nos quoque libenter ad-

A mittimus, eam auctoritatem non habuiſſe Reges Iſraël in legibus; verum non propterea ab ea ratione Monarchiæ declinamus; imò totis viribus in ea abſoluta poteſtate, Monarchiæ rationem poſitam eſſe affirmamus.

Ut autem difficultati occurramus, Reges Iſraël eam non habuiſſe poteſtatem omnimodam fatemur: non quia Monarchicè Rempublicam non regerent; ſed quia juramento ſe alligaverant ad obſervantiam legum cæremonialium; quas Deus tradiderat illi Reipublicæ per manum Moyſis. quamvis igitur jure Regio id haberent; quia tamen fœdere inito cum populo, & cum Deo, quem jam ut Deum tantum, B Reges reverebantur, ad illam obſervantiam ſe alligaverant; propterea non licebat eis, ab illarum obſervantia declinare. hæc enim in Regem à Deo Deuter. 17. lex dicta fuit: *Poſtquam autem ſederit in ſolio Regni ſui, deſcribet ſibi Deuteronomium legis hujus in volumine, accipiens exemplar à Sacerdotibus Leviticæ tribus, & habebit ſecum, legetque illud omnibus diebus vitæ ſuæ; ut diſcat timere Dominum Deum ſuum, & cuſtodire verba, & cæremonias ejus, quæ in lege præcepta ſunt.* Quæ licet ab omnibus Regibus tranſcripta credantur, tamen ſolum de Joaſo hoc aperiunt ſacra oracula, 2. Paralip. 25. dicendo: *Et impoſuerunt ei diadema & teſtimonium, dederuntque in manu ejus* C *tenendam legem & conſtituerunt eum Regem.* Nomine autem legis, verba fœderis puto intelligi, quæ ſcripta erant in Altari fœderis; vel tantum præcepta cæremonialia, ad quæ obligabatur Rex, & præcepta moralia, quæ duabus tabulis comprehendebantur; & verborum nomine, etiam in Deuteronomio ſignificantur. quamobrem licet in his, atque cæremonialibus diſpenſandi Rex poteſtatem non haberet; quod ad hæc ex fœdere, & juramento ligaretur; licebat tamen illi in plurimis, quæ ad judicia ſpectabant, ſecum & cum aliis diſpenſare: quod Iſraëliticæ Reipublicæ Princeps abſolutus eſſet; quemadmodum feciſſe ſæpiſſimè in libris Regum legitur, D nec peccato id illis imputatur.

Præcipiebat lex, Regem non habere plures uxores; (nec coarctabatur ad octodecim tantum, ut comminiſcuntur Rabbini;) Regem non debere multiplicare ſibi equos, juſſerat Deus; non in theſauris cumulare divitias plurimas: & tamen David virum ſanctiſſimum plures accepiſſe uxores, plures habuiſſe theſauros, ſacra tradidere oracula. Salomoni millia multa equorum habuiſſe, nequaquam in culpam objicitur: in ædificio Templi duos Cherubim ſtantes, Salomonem adjunxiſſe in Sancta Sanctorum legimus; David numerum Sacerdotum auxiſſe in Dei Tabernaculo legimus; & alia multa feciſſe E Reges ſcimus; quæ illis non objiciuntur: homicidia patrata legimus; homicidam cognitum, non tamen in eum animadverſum, juxta præſcripta legis, ex ſacris Litteris cognovimus; & tamen Reges non arguuntur; ea ut puto de cauſa, quia in his, quæ ad regimen illius Reipublicæ pertinebant, Reges erant ac Regio poterant uti jure: neque ad cæremonialia, in Dei cultum ab eo præſcripta tenebantur, niſi vigore fœderis, ac juramenti ut dixi; ad quod ipſimet, ſeipſos cum inaugurabantur, ſponte ſe obligaverant.

Ex quibus ad Reipublicæ Chriſtianæ commodum, F & ad tollenda jurgia colligere licet, ac certo cognoſcere; quod ſecluſis decem moralibus præceptis, quæ ſunt naturalis juris, deducta ab illis principiis naturalibus, unum Deum colendum, & proximum ſicut ſeipſum diligendum; reliqua omnia præcepta, à Deo illi populo per Moyſis manum tradita, nequaquam obligationem juris divini, nec etiam in populum Iſraëliticum inducebant; ſed tantum juris hu-

mani : quia nimirum à Deo, tamquam à Principe, & illius Reipublicæ inſtitutore emanaverant. Quæ enim ſunt juris divini, manifeſta ſunt ex principiis naturæ, cujus auctor eſt Deus, aut divina revelatione, & ex ſeipſa obligationem inducunt. Leges verò quæ ab electione Principis, à publicatione illarum, à populi aſſenſu, atque à fœderibus populi cum Principe, vigorem habent; humanam tantum inducere obligationem poſſunt; qualem induxiſſe in Iſraëlitas, leges illas politicas affirmamus; quouſque Reipublicæ Iſraëliticæ, Deus ut Imperator præfuit. Regimine autem Reipublicæ mutato in regium, penes quos erat auctoritas leges condendi, multas illarum Reges Iſraël irritas facere potuerunt, irritaſque feciſſe cognovimus. quamobrem modo in Chriſti Eccleſia, penes Summum Pontificem, in quo abſoluta poteſtas eſt, irrita faciendi etiam facultas erit, quæcumque in illis legibus mandantur, quæ juris divini, ac naturalis non fuerint; & ad Reipublicæ Iſraëliticæ regimen, ſive politicum, ſive ſacrorum de cauſa inſtitutum, pertinebit.

CAP. LIV.

Præceptum Circumciſionis, jure fœderis, tantum ligabat Iſraëlitas, poſt ingreſſum in regiones promiſſas.

Ad loca Exodi 24. *Hic eſt ſanguis fœderis quod pepigit Dominus vobiſcum ſuper cunctis ſermonibus his.* Gen. 17. *Daboque tibi & ſemini tuo terram peregrinationis tuæ, omnem terram Canaan in poſſeſſionem æternam, eroque Deus eorum*, & infra: *Et tu ergo cuſtodies pactum meum, quod obſervabitis inter me & vos & ſemen tuum poſt te; circumcidetur ex vobis omne maſculinum, & circumcidetis carnem præputii veſtri, ut ſit in ſignum fœderis inter me & vos.* & ad alia plura.

Circumcisionis legem, inter præcipua capita legis Moſaicæ, Iſraëlitæ omnes venerabantur; & inter illa ſemper fuit repoſita, tam in Eccleſia veteri, quàm nova; tam apud noſtros Theologos, quàm etiam Theologos Synagogæ: nihilominus per quadraginta integros annos, filiis Iſraël in deſerto commorantibus, ex filiis qui his naſcebantur, nullus certè circumciſus fuit; ut ſcribitur Joſue cap. 5. in hæc verba: *Populus autem qui natus eſt in deſerto, per quadraginta annos itineris latiſſimæ ſolitudinis, incircumciſus fuit.* & infra ſtatim: *Horum filii in locum ſucceſſerunt patrum, & circumciſi ſunt à Joſue: quia ſicut nati fuerant, in præputio erant, nec eos in via aliquis circumciderat.* Nec tamen ex tranſgreſſione hujus tam eſſentialis præcepti, audebit aliquis illos condemnare: quin potius Paulus ipſe teſtatur, in pluribus eorum, complacitum fuiſſe Deum. Qua igitur ratione ſalva conſcientia licuerit eis, hujus præcepti obſervantiam contemnere, in dubium vocatur; & a Doctoribus quæritur. Rideatur quæſo, quæ à Talmudicis in tractatu Jebamat cap. 8. intermiſſæ circumciſionis cauſa affertur. quod nimirum numquam ventus Boreas, vulneribus quam maxime ſalutaris flaverit, Deo prohibente ne flaret, ne diſſiparetur nubes, quæ Tabernaculo fœderis incubabat. Attendatur quæſo quid ſtultiſſimi homines ſomnient: nubem cum Angelus Dei gubernaret, etiam Borea flante, diſſipari minimè potuiſſe, non vident miſeri. Scholaſtica hiſtoria, parentum ipſorum, qui nati ſunt culpæ, ac negligentiæ id tribuit; quibus ut filii circumciderentur curæ minimè fuit. quibus adſtipulari videtur S. P. Auguſtinus q.

A 6. in Exo. fortaſſe deceptus veteri verſione Septuaginta, qua utebatur minus correcta; nam in correctioribus, filii eorum, qui ex Ægypto exierunt, dicuntur incircumciſi, ut in vulgatis. Perrer. in Geneſ. cap. 17. diſput. 4. putat in pœnam patrum non fuiſſe filios circumciſos, quaſi excluderentur à promiſſis, probat ex Num. 14. ubi dicitur: *Filii veſtri erunt vagi in deſerto, & portabunt fornicationem veſtram, donec conſumantur cadavera patrum in deſerto.* Sed hic locus non videtur ad rem; nam portare fornicationes patrum, eſt in pœnam illorum culpæ, per deſertum vagari, non à circumciſione arceri; ſic enim filii pro patribus punirentur, contra id, quod
B dicitur: *Filius non portabit iniquitatem patris.* nec diſpenſationi præcepti, hic eſt locus; cum nullibi in ſacris Litteris hæc diſpenſatio appareat.

Communior ſententia videtur fuiſſe, ob incertitudinem profectionis, quæ motu nubis, inſidentis Tabernaculo fœderis, indicanda erat; abſtinuiſſe patres à filiorum circumciſione. quia ſi circumciſo aliquo, tunc profectio indicta fuiſſet; profectò moveri illi cum vitæ periculo non licuiſſet; qua ratione divinæ legis præcepta minimè obligare, certum eſt. in hoc genere dicendi conſentiunt D. Tho. 3. q. 70. art. 4. Abulen. q. 20. 57. & 59. & tandem Serar. q. 3. in cap. 5. Joſ. Sed pace tantorum
C virorum, ad quorum memoriam flecto genua; reſponſiones iſtæ, difficultati minimè omninò ſatisfaciunt. Nonne plures eo tempore nati ſunt filii? Major igitur difficultas mulieris puerperæ erit, quam alicujus in motu pueruli circumciſi. is enim trium dierum ſpatio à vulnere ſanatur; illa autem per ſeptuaginta, aut ad minus diebus quadraginta arcebatur ab omnium conſortio; & octo ſaltem diebus, conſulere proprio vitæ diſcrimini tenebatur: nam quilibet motus eſt illi periculo. qua propter ea ratione, qua mulier jacens ex puerperio, non compellebatur ad nubis motum exire cum vitæ diſcrimine; ita dicendum eſt, ſi circumciſi fuiſſent pueruli, juxta
D præceptum, licuiſſe pariter illis permanere in Tabernaculo, quouſque ſanarentur; quamvis nubes indiceret profectionem.

Præterea totus ille exercitus, more movebatur caſtrorum; in cujus quidem militari motu, ex Vegetio, Æliano, & aliis, tria in membra totus dividitur exercitus. nimirum in corpus exercitus, in antecedentes copias, ac ſubſequentes: quæ copiæ una eademque hora, ac die moveri nequeunt, imò quo numeroſior erit exercitus, uti erat Iſraëlitarum in deſerto; cujus numerus mulieribus, ſenibus, atque infantibus computatis, ad decies centenorum millia pertingebat; quamobrem non uno, atque eodem
E omnes momento atque die, moveri poterant; ſed quoties proficiſcendum fuiſſet; licet turmatim, unuſquiſque tamen proprio ſub vexillo ſuo, & cum ſua Tribu movebatur. Plures igitur dies ad motum talis exercitus requirebantur, & nequaquam eodem momento, ac nubes profectionem indicaſſet; illico omnes proficiſci tenebantur, ut dicunt Auctores citati; atque propterea circumciſio infantium, impedimento minimè poterat eſſe; quo minus indicta profectione, tribus illa, cui indicta fuiſſet profectio, moveretur.

Sacræ Scripturæ loca plurima, quæ diximus demonſtrant: nam in caſtris metandis ſummo Duci,
F primo conſtituitur Tabernaculum ex lege militari; deinde cuſtodes Tabernaculi ſummi Ducis, qui dicuntur excubitores, ſtatuuntur; deinde circumcirca reliqui caſtra metantur; locaque militibus præſcribuntur, tum in proficiſcendo, & caſtris mutandis, tum etiam in caſtris ipſis metandis. hæc omnia quanta cum diligentia curaverit Deus attendamus quæſo; nam Num. cap. 1. dicitur: *Cum proficiſcendum*

A *dum fuerit* , *Levitæ deponent Tabernaculum* , inquit Deus , *cum caſtrametandum erigent ; quisquis externorum acceſſerit occidetur.* & in fine ſecundi capitis dicitur : *Caſtrametati ſunt per turmas ſuas , & profecti per familias , ac domos.*

Quibuſque etiam Tribubus, loca in quibus figant Tabernacula decernuntur. ad Orientem , hoc eſt , ad frontem Tabernaculi, Tribus Juda, ad latus ejus dextrum Tribus Iſſachar , ex altero latere caſtrametabatur Tribus Zabulon. latus Meridianum Rubenitæ habebant , latera illius Tribus Simeon , & Tribus Gad tenebant. tergum Tabernaculi , id eſt Occidentem verſus Tribus Ephraim ſervabat ; & B cum ea Tribus Manaſſe , ac Tribus Benjamin caſtrametabantur. ad Aquilonem erant Tribus Dan , Tribus Aſſer , & Tribus Nephtalim ; quæ duæ poſtremæ Tribus latera Dan tenebant. Hi omnes caſtrametabantur circumcirca Tabernaculum fœderis ; eo tamen ab eodem ſeparabantur ſpatio, ut duo, vel tria ad minus millia paſſuum ab eo diſtarent : quia prope Tabernaculum , & circumcirca illud , ſolis Levitis locus concedebatur , de quibus dicitur cap. 1. Numer. *Porrò Levitæ per gyrum Tabernaculi figent tentoria , ne fiat indignatio ſuper multitudinem filiorum Iſraël , & excubabunt in cuſtodiis Tabernaculi teſtimonii.*

C His etiam loca aſſignantur in caſtris , ubi tentoria circa Tabernaculum figere debeant : erant autem Levitæ omnes abſque mulieribus viginti duo millia , ut dicitur cap. 3. ejuſdem libri. quantum autem agri, caſtra viginti duo millia virorum , cum ſuis uxoribus , & filiabus , quæ hunc numerum facile excedebant , occupent ; viderint hi, qui militares caſtrametationes conſiderant : nam ex illis legibus intelligent , utique ſupra tria milliaria paſſuum , circum circa Tabernaculum Levitas occupaſſe : totumque Iſraëliticum exercitum , qui per quadrum caſtrametabatur , ultra viginti millia terræ ſpatium, per quodlibet latus occupaſſe.

D Caſtrametandi leges à Deo datas vidimus , profectionem attendamus. Proficiſcendi enim regula datur cap. 10. ejuſdem libri ; ubi non ſtatim ac nubes elevabatur , movebantur caſtra ; ſed primo Tabernaculum Levitæ cum Sacerdotibus deponebant ; poſtquam verò depoſitum fuiſſet , ad primum tubæ ſonitum movebantur caſtra eorum , qui reliquos milites & exercitum præcedebant ; nimirum tribus Juda cum tribubus Iſſachar , & Zabulon. hos ſequebantur Gerſonitæ , & Meraritæ , ut dicitur cap. 10. erat autem munus Gerſonitarum , portare velamina atrii , velamina & opertoria tecti fœderis, ex cap. 4. ejuſdem. Meraritæ verò ferebant ligneas columnas E tam atrii , quam Tabernaculi , cum baſibus tam æneis , quam argenteis , & capitellis aureis. qui omnes primas copias ſequebantur , atque tamdiu Tabernaculum à Meraritis & Gerſonitis portabatur ; donec ad erectionis locum , ex cap. 10. ejuſdem libri perveniſſent. Ad motum verò ſecundæ partis exercitus, quæ ad ſecundum tubæ ſonum vaſa colligebat ; Rubenitæ , cum aliis duabus tribubus movebantur. His Caathitæ , qui deferebant ſanctiora Tabernaculi ſuccedebant ; & ſic de aliis : *Juxta hunc modum reliqui facient , ululantibus tubis in profectionem* , ut dicitur in textu. præcedebat verò omnes ſacra Arca , quam deferebant Sacerdotes ; deque F profectione à Monte Sinai dicitur primo : *Anno ſecundo , menſe ſecundo , vigeſima die menſis , elevata eſt nubes de Tabernaculo fœderis, profectique ſunt filii Iſraël per turmas ſuas de deſerto Sinai , & recubuit nubes in ſolitudine Pharan.* ſic ibi cap. 10. num. 11. itaque ex tunc caſtra movenda eſſe, & ubi metanda cognoverunt. verum eo devenire reliqui de exercitu nequibant, niſi triplici dierum hoſpitio : quamobrem ibidem num. 33. dicitur : *Profecti ſunt ergo de monte Domini viam trium dierum , Arcaque fœderis Domini præcedebat eos per dies tres , providens caſtrorum locum. Nubes quoque Domini ſuper eos erat per diem cum incederent.* hæc ſacer textus. Nequaquam igitur ſtatim ac nubes elevaretur , totus exercitus movebatur ; ſed tantum Sacerdotes , qui Arcam deferebant , & nubem ſequebantur , uſque ad locum in quo illa quieſceret : ita enim militibus, & reliquo populo, caſtrorum locus deſignabatur. demum caſtrorum loco jam deſignato , reliqui movebantur ; non quidem tumultuatim , ſed ad primum ſonitum tubæ , copiæ antecedentes , atque ita ſecundo , & tertio tubis canentibus , ſingulo quoque die , reliqui vaſa colligebant , ac movebantur. Non itaque caſtra uno, eodemque ſimul die ; ad nubis elevationem movebantur , ſed ſingulæ copiæ , ſingulis ut puto , diebus. Hæc autem eſt ratio , quare inter vaſa ſacri Tabernaculi , & ſanctiora utenſilia , quæ à Caathitis deferebantur , Sacerdotes non legimus adfuiſſe ; qui Arcam , Dei tribunal portarent ; ſed viam trium dierum , omnem exercitum præcedebant. itaque nullum fuiſſet inconveniens , quod is , vel ille circumciſione impeditus , quamvis caſtra metanda forent ; intra caſtra , ad ſanitatem uſque detineretur , quemadmodum de puerpera diximus.

Prætereundum etiam minimè erit , in primo caſtrorum motu , Arcam per tres dies præceſſiſſe reliquum exercitum , caſtrorum locum præſcribens militibus , antequam illi moverentur. ſic enim dicitur cap. 10. Num. *Arcaque fœderis Domini præcedebat eos per dies tres , providens caſtrorum locum.* Qui ergo illo die circumciſi fuiſſent ; vel ſuos circumcidiſſent infantes ; circumciſionis cauſa minimè remorari poterant; quo minus caſtra ſequerentur, poſt tres dies ſequuturi ſacram Arcam , quæ illos jam antecedebat. itaque potuiſſent , vel ſaltem tunc cum mota nubes eſſet , ſuos circumcidere infantes , per annum in deſerto Sinai jam remorati. Quinimò Tribus Dan , cum reliquis ſibi cohærentibus , quinque ad minus poſt nubis motum, ſibi ſupererant dies in caſtris. nam anteriores copiæ , nube indicante profectionem , tres dies in primo motu nubis profectionem expectabant ; antequam tubis canentibus , illis movenda fore caſtra , indiceretur ; itaque hi quarto die movebantur : quinto die movendi fuerunt medii , in ſexto die reliqui omnes ; ergo infantes circumcidere utique potuiſſent. Communis igitur ratio non ſatisfacit , quæ aſſerit Iſraëlitas , præceptum circumciſionis ideò non ſervaſſe per quadraginta annos , ut nube indicante profectionem , ad caſtra movenda præſto eſſent , nulloque circumciſionis vulnere impedirentur , aut in caſtris detinerentur.

Nobis igitur non aliunde , quam ex fœdere , circumciſionis prætermiſſæ , petendam rationem eſſe videtur ; atque propterea totos quadraginta annos, quo tempore morati ſunt in deſerto filii Iſraël , minimè ſuos infantes circumcidiſſe dicimus ; quia fœdus non inducebat obligationem : quamobrem in poteſtatem cujuſque , ſuos infantes circumcidere , vel non circumcidere abſque peccato fuiſſe puto ; antequam in terram promiſſionis populus induceretur. huic enim præcepto , non divinum , ſed humanum tantum erat jus.

Ratione movemur ad hæc. quia ſtatuta , quæ ad politiam illius Reipublicæ pertinebant , juris humani , non autem divini vim habebant ; & nullum habebant vigorem , aut obligationem inducebant ; niſi fœdere jam inito , & populo aſſenſum præſtante ; tam nomine præſentium , quam futurorum. Nam poſtquam populus elegiſſet

Deum

Deum in Imperatorem, Principemque populi, tam ſuo nomine, quam etiam poſterorum, ut vidimus ex cap. 19. Exodi; tunc & non antea, Populi Iſraëlitici aſſenſu habito, Deus benignitate ſua, ſuper montem Sinai deſcendit; populum Iſraëliticum alloquuturus, ut Moyſem tamquam à ſe delegatum admitteret. Et quidem inter ſtatuta, quæ Deus ibi conſtituit; nihil de præcepto circumciſionis actum eſt, neque ad illam populus ſe obligavit. Moyſes autem dum fœdus initum inter Deum, & populum firmat ſanguine, ait Exodi 24. *Hic eſt ſanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiſcum ſuper cunctis ſermonibus his.* Fœdus itaque initum fuit, tantum ſuper his, de quibus Deus alloquutus populum Iſraëliticum fuerat; cujus quidem præcepta Moyſes in libro fœderis ſcripſit: quod quidem fœderis librum, ſub Joſia Rege, & Helcia Sacerdote repertum legimus 4. Reg. cap. 22. & 23. & iterum tertio ſub Eſdra. Cum igitur præceptum circumciſionis, in libro fœderis ſcriptum non fuerit; neque de illo loquutus ſit Deus ad populum; ad illius obſervantiam, vigore hujus fœderis, nequaquam Iſraëlitæ obligabantur.

Fœderis igitur alterius vigore, circumciſionis præceptum obligationem inducebat: qua ratione non à Deo in Sinai, inter leges præceptum hoc recenſitum fuit; ſed à Moyſe inter reliqua ſtatuta politica Iſraëliticæ Reipublicæ fuit poſitum: cujus præcepti vigore, homines in illam Rempublicam adſcribebantur, & in albo civium illius reponebantur. qua ratione dixit Chriſtus Servator noſter Joan. 7. *Propterea Moyſes dedit vobis circumciſionem, non quia ex Moyſe eſt, ſed ex Patribus, & in Sabbato circumciditis hominem. Si circumciſionem accipit homo in Sabbato, ut non ſolvatur lex Moyſis.* hoc eſt: Moyſes circumciſionem vobis imperavit, non Dominus: ſed propterea Moyſes circumciſionem vobis injunxit, quia Patribus dictum fuit Abrahæ, nimirum Gen. 17. *Daboque tibi, & ſemini tuo terram peregrinationis tuæ, omnem terram Canaam in poſſeſſionem æternam, eroque Deus eorum. dixit iterum Deus ad Abraham. Et tu ergo cuſtodies pactum meum, & ſemen tuum poſt te in generationibus ſuis. hoc eſt pactum meum, quod obſervabitis inter me & vos, & ſemen tuum poſt te: circumcidetur ex vobis omne maſculinum, & circumcidetis carnem præputii veſtri, ut ſit in ſignum fœderis inter me, & vos.* quaſi dicat Chriſtus. In illo fœdere, quod initum eſt tempore Moyſis in Horeb, de præcepto circumciſionis nihil actum eſt; vigore igitur illius fœderis non tenebamini; ſed quia circumciſio eſt ex Patribus: hoc eſt; circumcidere tenemini jure fœderis initi à Deo cum Abraham; ideò illam accipitis in Sabbato: & eſt Chriſti argumentum efficaciſſimum. Indignabantur enim Judæi Chriſto, quod ſanaret hominem in die Sabbati: tunc contra eos Chriſtus ſic inſurgit. liberare hominem aliquem ab infirmitate, naturalis eſt juris; circumciſionem accipere in Sabbato humani eſt juris. Si igitur juris humani ſervandi cauſa, circumcidetur homo in die Sabbati; & circumciſio non inducit transgreſſionem divini præcepti, de Sabbato celebrando; *Mihi indignamini*, inquit Chriſtus, *quod totum hominem ſanum feci in die Sabbati?*

Aut etiam dici poteſt, Servatorem noſtrum voluiſſe, præceptum circumciſionis non obligaſſe poſteros Abrahæ, tamquam ex lege, ſed legis vigorem habuiſſe à Moyſe Levit. 12. ibi enim fertur præceptum de circumcidendo infantulo die octava. Si enim ab Abraham, circumciſio habuiſſet legis vigorem, letaliter peccaſſe Moyſem dicendum eſſet; quòd ſuos filios, dum eſſet in Madian minimè circumciderit. itaque Salvator oſtendit circumciſionem non obligaſſe, niſi vigore legis Moſaicæ, non au-

A tem divinæ. hoc eſt, non jure divino, ſed jure humano, tamquam præceptum politicum, præſcribens Iſraëlitico populo formam admittendi homines ad Iſraëliticam Rempublicam. nam alias dixiſſet Chriſtus: *Si circumciſionem accipit homo in die Sabbati, ut non ſolvatur lex Dei*, aut *ut non ſolvatur lex Abrahæ*, ſive *lex data Abrahæ.* dicendo autem ut non ſolvatur lex Moyſis, manifeſtè oſtendit præceptum circumciſionis non habuiſſe legis vigorem, niſi ex ſtatutis Moſaicis; ac proinde ab Abraham uſque ad Moyſem, legis vigore, nequaquam circumciſionis præceptum, obligationem induxiſſe.

B Lex tamen circumciſionis, quæ per Moyſem inter legalia ſtatuta repoſita fuit; non alium habebat vigorem, niſi quem dabat illi fœdus initum cum Abraham à Deo. Abrahæ enim primo, poſteriſque illius circumciſio in ſignum fœderis data fuit, ut Geneſ. 17. dicitur. Cum igitur in fœdere cum Abraham inito, Deus poſteris Abrahæ, regiones Cananæorum, & alias poſſidendas dare promiſerit: reliquum eſt poſteros Abrahæ, & totum Iſraëliticum populum, ad circumciſionem obligatos minimè extitiſſe, donec Deus ſtando promiſſis, populum in regiones Cananæorum immiſiſſet. Quæ ratio aperit, cur per quadraginta annos, dum populus Iſraël per deſertum peregrinaretur, nemo circumciſus fue-
C rit. nam poſteros Abrahæ, non omnes circumciſos fuiſſe conſtat: Moyſem non circumcidiſſe filium, notum eſt ex ſacris oraculis; & tamen ſanctiſſimum atque Deo gratiſſimum, tantum virum fuiſſe, perſpicuum eſt; eo etiam tempore quo filium non circumciderat. Tunc enim alloquutus eſt illum Deus; & à Deo electus, orator ad Pharaonem, & ad populum Iſraëliticum, qui in Ægypto affligebatur, miſſus eſt; quamobrem in hoc minimè peccaſſe, liquido patet: ſicut nec reliqui de populo, qui in deſerto fuerunt, ob prætermiſſam circumciſionem, in ſacris oraculis aliquando reprehenduntur.

Magis adhuc mirandum eſt. Deus, circumcidi
D omnes, qui celebraturi fuiſſent paſcha juſſerat; tanto rigore, ut quemquam ad celebrationem paſchalem non admiſerit, qui circumciſus non eſſet. ſic enim dicitur Exodi 12. num. 43. *Hæc eſt religio Phaſe, omnis alienigena non comedat ex eo. Omnis autem ſervus emptitius circumcidetur, & ſic comedat; advena, & mercenarius non edent ex eo.* & parum infra num. 48. dicitur: *Si quis peregrinorum in veſtram voluerit tranſire coloniam, & facere phaſe Domini, circumcidetur prius omne maſculinum ejus, & tunc ritè celebrabit, eritque ſicut indigena terræ. Si quis autem circumciſus non fuerit, non veſcetur ex eo.* Itaque divina lege prohibentur Paſcham celebrare, non ſo-
E lum qui non fuerint circumciſi; ſed etiam qui non circumciderint ſuos infantes: dicitur enim ibi: *Circumcidetur prius omne maſculinum ejus*, nihilominus anno ſecundo poſtquam filii Iſraël egreſſi ſunt de terra Ægypti; quando plures unicuique infantes nati erant, & à patribus minimè circumciſi fuerant, celebratum eſt phaſe, Domino jubente, in deſerto Sinai, antequam inde proficiſcerentur, ut dicitur Num. 9. qua de cauſa arcendi ab hac celebratione ex vi præcepti, quod retulimus ex cap. 12. Exodi videbantur: & tamen in culpam illis nequaquam ceſſit. Cujus tranſgreſſionis ratio nulla alia aſſignari poteſt; niſi quod lex iſta jure fœderis initi cum A-
F brahamo tantum obligabat: atque propterea ſolummodo poſt ingreſſum in terram promiſſionis, ad circumciſionem filii Iſraël tenebantur: quando nimirum renovato fœdere, altare quoque erectum fuit in monumentum obligationis ad obſervantiam præceptorum.

Procedamus auctoritate Apoſtoli, qui ſcribens ad Galat. 5. ait: *Teſtificor autem rurſus omni homini circum*

cumcidenti ſe, quoniam debitor eſt univerſæ legis facienda. Itaque circumciſio fundamentum erat, totius legis traditæ à Deo in Horeb; quam quicumque accepiſſet, tenebatur poſtmodum ad obſervantiam totius legis Moſaicæ. Ratio autem Apoſtoli non poteſt deſumi, niſi ex illis verbis 17. Gen. jam recitatis. dixerat enim Deus ad Abraham, præter illa quæ recitavimus: *Et ſtatuam pactum meum inter me, & te, inter ſemen tuum poſt te in generationibus ſuis, fœdere ſempiterno, ut ſim Deus tuus, & ſeminis tui poſt te.* & parum poſt, explicans Deus quam conditionem ex parte Abrahæ, illorum qui in pacto comprehendi volebant, requirat, ſubdit: *Hoc eſt pactum meum, quod obſervabitis inter me, & vos & ſemen tuum poſt te: circumcidetur ex vobis omne maſculinum, & circumcidetis carnem præputii veſtri, ut ſit in ſignum fœderis inter me, & vos.* Quia igitur non alia nota eorum, qui veniunt in fœdere, quo Deus ſe obligaverat à ſervitute Ægyptiaca liberare populum, & introducere illum in terram Cananæorum, & reliquarum gentium, habebatur, quam circumciſio; propterea dixit Paulus, circumciſionem totius legis obſervationem in illum inducere, qui ſe circumcidiſſet. His ita conſtitutis, à poſteriori ſumatur noſtrum argumentum. Iſraëlitæ parum, vel nihil de his legibus ſervaverunt, quæ ipſis Deus in Horeb præſcripſerat: neque hoc illis ad peccatum imputatum ſcimus; Fateamur igitur neceſſe eſt, ad illarum obſervantiam Iſraëlitas toto illo tempore nequaquam obligatos extitiſſe. alias crimini eis verteretur eo tempore, à legalibus obſervantiis defeciſſe; & ad culpam eis omnino daretur, ſi circumciſi non fuiſſent, quia totius legis obligatos ſe eſſe, circumciſione profitebantur.

Cæremonias autem ſacras, Iſraëlitas in deſerto prætermiſiſſe, oſtendit ſacer textus Numer. 28. & ſequentibus: in quibus capitulis Moyſes moriturus; leges, atque præcepta repetit, quæ filii Iſraël in poſterum obſervaturi erant: ubique inpoſitis conditionibus quibus obligarentur; & quando obligarentur; nimirum cum tranſiſſent Jordanem, atque in terram poſſeſſionis eorum perveniſſent, in regionem quam Dominus Deus eorum, eis daturus erat: & his, atque aliis dicendi phraſibus, præcepta & leges à Moyſe, illi Reipublicæ decernuntur. apud Amos cap. 5. Deus hoc, Iſraëli in memoriam revocat, dicens: *Numquid hoſtias, & ſacrificium obtuliſtis mihi in deſerto quadraginta annis? quaſi dicat* nequaquam: quinimò exprobrat illis, coluiſſe idola, & ſecum quoque illa in deſerto habuiſſe: ut liquido ex contextu hebraico conſtat, & in Pſal. 96. dicitur de toto illo tempore: *Quadraginta annis proximus fui generationi huic, & dixi, ſemper hi errant corde: ipſi verò non cognoverunt vias meas.* Nomine autem viæ, in phraſi Scripturarum, præcepta, legeſque à Deo latæ ſignificantur; ut paſſim videre licet ex innumerabilibus ſacræ Scripturæ locis, præſertim ex Pſal. 118. Hæ autem viæ non alia de cauſa Iſraëlitis ignotæ in deſerto dicuntur; niſi quia ab illis minimè obſervabantur: ab obſervantia verò non alia ratione excuſari poterant; niſi quia nondum fœdere obligabantur: ſicut nec etiam ad circumciſionem, à qua abſtinuiſſe eos toto illo tempore perſpicuum eſt ex cap. 5. Joſue, in quo ſcribitur: *Fac tibi cultros lapideos, & circumcide ſecundo filios Iſraël in colle præputiorum.* & infra: *Populus autem qui natus eſt in deſerto per quadraginta annos latiſſimæ ſolitudinis, incircumciſus fuit.* Statim verò ac regionem Jordane tranſgreſſò poſſederunt, antequam fœderis altare erigerent; in quo ſe legi traditæ à Deo in deſerto, obligari profitebantur; circumciſus eſt omnis populus: tum quia hac ratione ſe legibus obligatos declarabant; tum quia circumciſio erat id, per quod

A regio juris eorum fiebat, qui Jordanem tranſierant; tum denique ratione Paſchatis, quod in Galgalis comederunt; ut dicitur in eodem cap. 5. Joſue: à qua quidem cæremonia, ut vidimus, incircumciſi ex lege arcebantur.

CAP. LV.

Aræ, & Altaris diſtinctio explicatur.

B Ad loca 1. Reg. 28. *Mutavit ergo habitum ſuum: veſtituſque eſt aliis veſtimentis, & abiit ipſe, & duo viri cum eo, veneruntque ad mulierem nocte, & ait illi: divina mihi in pythone, & ſuſcita mihi quem dixero tibi.* Infra. *Dixitque ei mulier: Quem ſuſcitabo tibi? Qui ait: Samuelem mihi ſuſcita. Cum autem vidiſſet mulier Samuelem, exclamavit voce magna, & dixit ad Saul: Quare impoſuiſti mihi? Tu es enim Saul. Dixitque ei Rex: Noli timere: quid vidiſti? Et ait mulier ad Saul: Deos vidi aſcendentes de terra.* & ad alia plura loca.

C QUÆ conſecranda, & ſacro oleo inungenda ex divino præcepto fuerant, jam cap. 25. ad tria revocavimus capita. de his quæ ad Tabernaculum, & quæ in illo aſſervabantur; in ſuperioribus jam pertractavimus: Iſraëliticæ Reipublicæ regimen, & in hac Republica præſidentis dignitatem ſumus contemplati. Sacra jam accedamus altaria, & de Tabernaculo egreſſos, ac labrum prætergreſſos, in quo aqua ad Sacerdotum ablutionem conſervabatur, ad altare holocauſtorum venire, ejuſdem formam ac conſecrationem contemplari, noſtri jam ſit muneris. de quibus dicitur Exodi 40. *Et aſſumpto unctionis oleo, unges Tabernaculum cum vaſis ſuis, ut ſanctificentur:* & illico quaſi agendum ſit de

D Conſecratione rerum extra Tabernaculum, ſubdidit: *Altare holocauſti,* ſupple unges, *& omnia vaſa ejus; labrum cum baſi ſua, omnia unctionis oleo conſecrabis, ut ſint Sancta Sanctorum.* Verum de hoc Altari acturi, magnum ſulcandum Oceanum aggredimur; ſyrteſque non paucæ, loca ſcopulis plena, in ſacris litteris explicanda veniunt. & licet quot fuere Ethnicorum Idola, ac Numina, tot quodammodo fuerint altarium formæ, ac diverſitates: cogimur tamen, ea tantum in his conſiderare, quæ ad elucidationem ſacrarum litterarum faciunt; & reliqua prætermittere, ne ſacra Ethnicorum conſiderare, aut eadem Divinis commiſceri velle, videamur.

E Antequam igitur conſecrationem altaris ſacrificiorum, pertractandam ſuſcipiamus; nomen ipſum altaris ſilentio minimè prætereamus. hebraicè dicitur מִזְבֵּחַ *mizbeach*, quod vocabulum à verbo hebraico זָבַח *zabbach* derivatur. hæc autem dictio interpretatur *ſacrificavit*; ſive potius mactavit; à principaliori actione ſacrificii; cui voci in ſecunda Hebræorum grammatica conjugatione, addita מ in præſenti participio activo, pro מְזַבֵּחַ *mezabeach* fit מִזְבֵּחַ *mizbeach*, quaſi dicas, ſacrificans, vel mactans, ſeu ſacrificatorium. Ad differentiam verò Altaris aurei, quod intra Tabernaculum aſſervabatur, & מִזְבַּח קְטֹרֶת in ſacris libris dicebatur: illud aliud majus, quod in atrio

F extra Tabernaculum viſebatur, & à noſtro interprete, Altare holocauſti appellatur: hebraicè ſimiliter מִזְבַּח הָעֹלָה dicebatur. Quamvis verò in hoc Altari, non ſolum holocauſtum, ſed etiam victima pro peccato, & pacificorum hoſtia offerretur; nihilominus à principaliori hoſtia, quæ erat holocauſti, tamquam à nobiliori nomen ſortiebatur. Phraſi verò hebraicæ מִזְבַּח הָעֹלָה vox græca θυσιαστήριον præclarè reſpondet:

qua utitur Philo lib. 3. de vita Moyſis, ad ſignificandum hoc ſacrum Altare, in quo hoſtiæ ex Dei præcepto ſacrificabantur. quæ etiam vox græca formatur à verbo græco θυσιάζω, quo utitur Athen. lib. 9. & alii; & ſignificat primarium actum ſacrificandi, mactationem nimirum, & combuſtionem hoſtiarum: quamobrem à combuſtione, Altare πυρκαϊήριον etiam dicebatur. Latinè verò communi vocabulo Altare appellatur, illud idem de quo agimus, quaſi alta ara. ita Iſid. lib. 15. orig. cap. 4. de Altaris etymologia: ſed Servius Honorat. altaria ab alendo dici exiſtimat; quia igni ibi alimenta præſtantur, ut nutriatur.

Verum minimè erit ultra progrediendum; niſi etiam in altaribus ſuperſtitioſæ Ethnicorum cæremoniæ attendantur. obſervavit enim Alexand. ab Alexan lib. 4. gen. dier. cap. 17. non obiter quamcumque hoſtiam, pro libito, cuilibet Numini ab Ethnicis oblatam fuiſſe, ſed ſingulares hoſtias, ſingulis Numinibus dicatas illos habuiſſe: atque quemadmodum in hoſtiis diſcriminis ratio habebatur; ita in lignis quibus ignis alebatur, & oblata concoquebantur; necnon etiam alia, & alia loca, in quibus ſacrum peragerent, pro dignitate Numinum habuerunt: qua de cauſa in eorum ſacris, diſtinctis utebantur altaribus. quamobrem Diis Superis ſacra facturi, altas atque in ſublimi poſitas aras Ethnici erexerunt; infimas verò, & terreſtres quodammodo aras, imò & nudam humum, terreſtribus Diis collocarunt; Diis verò inferis, inferas, atque infra terram excavatas ſcrobes deſtinarunt.

Hujus perantiqui inſtituti, teſtes habemus veteres Grammaticos, in quibus Serv. Honor. ait, *Aræ, & Superis, & inferis Diis conſecratæ ſunt, altaria verò ſunt ſuperiorum tantum Deorum, quæ ab altitudine conſtat eſſe nominata.* hinc Virgil. ecl. quinta.

> . . . . . . *En quatuor aras,*
> *Ecce duas tibi Daphni, duoque altaria Phœbo.*

Et Feſtus Pauli in eadem ſententia. *Altaria ſunt,* inquit, *in quibus ignis adoletur, altaria ab altitudine dicta ſunt, quod antiqui Diis Superis in ædificiis à terra exaltatis ſacra faciebant, Diis terreſtribus, in terra, Diis infernalibus in effoſſa terra.* Quamobrem profunditatem quoque ſcrobiculorum in faciendo ſacro Diis inferis, Apollon. lib. 3. Argonaut. aperuit, apud quem Jaſon ex Medeæ conſilio, nocturna ſacra Hecati facturus; ſcrobiculum effodit, cubitalis profunditatis, dicens:

> Πηχύιον δ' ἄρ ἔπειτα πέδῳ ἔνι βόθρον ὀρύξας
> Νήησε σχίζας· ἐπὶ δ' ἀρνειοῦ τάμε λαιμὸν.
> Αὐτόν τ' εὖ καθύπερθε τανύσσατο· δαῖε δὲ φιτροὺς
> Πῦρ ὑπένερθεν ἱεὶς, ἐπὶ δὲ μιγάδας χέε λοιβάς.

Obiter autem his notandum erit, μιγάδας λοιβὰς appellari à Poëta mellea libamina, quæ in hoc ſacro adhibebantur. ſed nobis ſcrobiculi profunditas erit in illis carminibus advertenda, quæ ſic interpretantur num. 1206.

> *Cubitalemque deinde in ſolo foſſam effodiens*
> *Extruxit ligna, præterea verò agnæ ſecuit jugulum,*
> *Ipſamque probe deſuper extendit, accenditque ligna*
> *Ignem ſubmittens, miſtaque ſuperinfudit libamina.*

Et hæc de diſtinctione foculi in ſcrobiculo, aræ, & altaris apud veteres: & Lactantius Grammat. apud Roſinum in eadem ſententia ait: *Tria fuerunt in ſacrificiis loca, per quæ expiationem faciebant. Scrobiculo facto inferis, aris terreſtribus, cœleſtibus extructis focis; unde denominata ſunt etiam altaria, ad quæ cum ſacrificabant, manus in altum porrigebant.* ita Auctores citati.

Sed re vera confunduntur hæc vocabula; promiſcueque ſumuntur altare pro ara, araque pro altari. Quamobrem licet antiquiſſimis, ac primis ferè temporibus id eſſet in uſu, & nominibus, juxta doctrinam illorum Scriptorum, loca ad ſacra diſtinguerentur; poſtmodum tamen apud Latinos nomina indiſtinctè ſumpta fuiſſe patet, inde illud Virgil. 4. Æneid. verſu 199.

> *Templa Jovi centum, latis immania regnis*
> *Centum aras poſuit, vigilemque ſacraverat ignem.*

Jovi igitur ſupremo Numini, ut idololatræ dicebant; cœleſtique Deo; aras dicitur poſuiſſe Jarbas, & aræ pro altaribus à ſapientiſſimo Poëta ponuntur. Sic etiam Apollini Numini inter ſuperiores, & Libero patri ex inferioribus heroibus, aras conſtitutas legimus in Comœdiis, atque Tragœdiis. quoties enim ludorum cauſa Comœdiæ apud veteres habebantur, altera Apollini, altera verò illi Deo, aut Deæ, ſive Heroi, in cujus honorem ludi celebrabantur, ara conſtruebatur: quæ etiam altaria dicebantur; & erectas ſcimus Diis inferis; quod brevitati ſtudens, omittendum duxi.

Verum ad antiquiorem ſuperſtitionem nos referentes diſtinctionemque Altarium, atque locorum pro ſacris habendis attendentes, ex ſacris oraculis à ſuperſtitioſa idololatria Hebræorum, illa omnia ortum duxiſſe affirmamus. Hi enim ſunt, à quibus gentes religionem perſcrutantes, diſtinctionem illam altarium, & locorum cognoverunt; ut ſacræ Litteræ commonſtrant Iſraëlitarum idololatriam damnantes. quamobrem ab inferorum cultu initium ſumentes, quamvis in latebris lateat; quod infra terram ſcrobibus excavatis, ut vidimus colerentur. ab his tamen alienos nequaquam fuiſſe Iſraëlitas probabimus, cum Pythones hos dici in ſacris oraculis cognoverimus; qui Manium cultui operam dantes, inferos ſuſcitare ſtudebant; & apud Homerum, aliosque poëtas legimus, hos ſtuduiſſe convolvendis Manibus. etenim in Odyſſea Ulyſſem cultum hunc exhibuiſſe Diis Manibus ſcimus; ſuſcitando quos interrogare volebat. ſimiliter apud Virgilium Æneam feciſſe legimus, & Statius quoque lib. 4. Thebaid. de hoc cultu ait:

> . . . *totidemque ſatis Acheronte nefaſtos*
> *Virginibus jubet eſſe focos. tibi rector Averni*
> *Quamquam infoſſus humo.*

Quibus obſervatis de cultu Manium, & Inferorum Deorum; hos Pythones appellatos cognoſcemus, his obſervatis quæ cap. 28. lib. 1. Reg. de Saule ſcribuntur: *Mutavit ergo habitum ſuum: veſtituſque eſt aliis veſtimentis, & abiit ipſe, & duo viri cum eo, veneruntque ad mulierem nocte, & ait illi: Divina mihi in pythone, ſuſcita mihi quem dixero tibi.* Hoc igitur genus cultus, qui cum mortuis rem agebat; & mortuos ſuſcitare poſſe credebatur; divinatio per pythonem dicebatur: & qui huic cultui operam dabant; pythonici appellabantur. ibidem infra: *Dixitque ei mulier: Quem ſuſcitabo tibi? Qui ait: Samuelem mihi ſuſcita. Cum autem vidiſſet mulier Samuelem, exclamavit voce magna, & dixit ad Saul: Quare impoſuiſti mihi? Tu es enim Saul. Dixitque ei rex: Noli timere: quid vidiſti? Et ait mulier ad Saul: Deos vidi aſcendentes de terra, &c.* Conferamus nunc locum iſtum ſacrorum oraculorum, cum loco Homeri, Virgilii, Statii, Apollonii in Argonaut. & aliorum poëtarum, perſpicuumque erit, totum ſtudium pythonicum fuiſſe in cultu Inferorum, in excitandis animabus mortuorum, aut verius Dæmonum in illarum forma; qui à necromanticis ad placitum alicujus, de futuris interrogarentur. Quem peſſimum cultum frequentiſſimum fuiſſe apud Iſraëlitas, & Jeroſolymitanos Iſaias aperuit cap. 29. in quo

ad Jeroſolymitas futuras ſtrages ac bella prædicit, quæ illis Deus immiſſurus erat, ob peſſima, & hæc turpia, dicens: *Humiliaberis, de terra loqueris, & de humo audietur eloquium tuum: & erit quaſi pythonis de terra vox tua, & de humo eloquium tuum muſſitabit.* hæc ibi Propheta, ex quibus manifeſtum eſt: circa ſubterranea fuiſſe ſtudium, ac cultum illorum, qui pythones adibant. habuiſſe autem Hebræos multos pythones, atque in his plurimum ſtuduiſſe, ſacra manifeſtant loca in libris Regum, & alibi.

Remanet adhuc probandum, quod cultus iſte, quo Iſraëlitæ Deos Inferos, ſeu Deos Manes, ut cum antiquis loquamur, venerabantur; in ſpeluncis, ac ſepulcris, lociſque humo defoſſa haberetur. Stat verò pro nobis pulcherrimus Iſaiæ locus cap. 65. qui Jeroſolymitarum idololatriam redarguens, dicit: *Populus qui ad iracundiam provocat me, ante faciem meam ſemper: qui immolant in hortis, & ſacrificant ſuper lateres: qui habitant in ſepulcris, & in delubris idolorum dormiunt: qui comedunt carnem ſuillam, & jus profanum in vaſis eorum.* Quia enim ut Myrothecio quinto dicemus; mortuorum ſepulcra in hortis à veteribus etiam Iſraëlitis ſtatuebantur; propterea propheta hortorum, ipſorumque cultus meminit, dicunturque ſacra facere in hortis, qui in ſepulcris, vel ibidem defoſſa humo, ſuper lateres ſacra faciebant; quamobrem ab Iſraëlitis pariter cultum idolorum Inferorum in ſcrobibus, & in locis ſubterraneis ethnicos accepiſſe liquido conſtet.

Genus altarium, quæ Heroibus ponebantur; quorum uſus apud ethnicos pro Diis Terreſtribus erat, Hebræos habuiſſe probatu difficilius videbatur. verum ſi diligenter, & ex veterum moribus ſacra oracula conſiderentur; hos quoque habuiſſe oſtendemus: dummodo ad memoriam revocetur, Terreſtribus Diis in ipſa humo veteres ſacra feciſſe, ut ex Alexan. ab Alex. lib. 4. cap. 17. Roſin. lib. 2. antiq. Rom. cap. 2. Rhodigin. lib. 12. cap. 1. Feſto, ut vidimus, Servio Honorat. & aliis veteribus Scriptoribus jam probavimus; quamobrem dixit Statius 4. lib. Thebaid.

. . . . Superat tamen agger in auras
Pineus. hunc juxta cumulo minor ara profundæ
Erigitur Cereri.

& adeò terræ inhærebant in his ſacrificiis, ut aram nulla ratione à terra elevarent, ſed in ipſo ſolo hærentem imponerent; ut Eumeus apud Homerum lib. 14. Odyſſ. de quo dicit poëta:

Οἱ δ' ὗν εἰσῆγον μάλα πίονα πενταέτηρον,
τὸν μὲν ἔπειτ' ἔστησαν ἐπ' ἐσχάρῃ· οὐδὲ συβώτης
λήθετ' ἄρ' ἀθανάτων (φρεσὶ γὰρ κέχρητ' ἀγαθῇσιν)
ἀλλ' ὅγ' ἀπαρχόμενος, κεφαλῆς τρίχας ἐν πυρὶ βάλλεν.
Ἀργιόδοντος ὑὸς, καὶ ἐπεύχετο πᾶσι θεοῖσι.

ubi ſuper Eſcharam in nudo ſolo, dicitur Eumeus ſacrum feciſſe hoſpitalitatis gratia in excipiendo Ulyſſem. Quoties enim veteres hoſpites admittebant ad convivium; nequaquam id faciebant Numinibus non propitiatis; ſed ſtatim ac de convivio cogitabant, ſacra facere curabant. ſic enim illa interpretantur carmina:

Hi autem ſuem adduxerunt valde pinguem quinquennem,
Hunc quidem poſtea poſuerunt in foculo, neque ſubulcus
Oblitus eſt immortalium (mentibus enim utebatur bonis)
Sed hic incipiens, capitis crines in ignem jecit
Albos habentis dentes ſuis, & precatus eſt omnes Deos.

quem locum non bene intellectum ab Alexandro videtur. eſt autem ἐσχάρα non quidem craticula, ſed arula ſuper quam carbones nutriuntur: quibus ſacra facturi ceſpitem ex gramine, ſeu verbenam

A apponunt, inquit, Alexander ab Alexandro. quorum conſuetudinem advertens Virg. lib. 12. Æneid. dixit:

In medioſque focos, & Diis communibus aras
Gramineas alii, fontemque, ignemque ferebant,
Velati lino, & verbena tempora vincti,

Non ſolum igitur ſuper aras, aut in ſaxis, ſed in nuda quoque humo, in ipſis herbarum ceſpitibus ſacra facere, & Diis Terreſtribus ſacrificia offerre ethnici conſuevere; quoties nimirum Nymphis, Diis Marinis, Fluminibus, quos imagine humana colere conſueverunt, Diis Sylvarum, quos inter arbores
B venerabantur, & aliis hujuſmodi, inter quos lares quoque numerabantur; ſacrorum de cauſa hoſtias offerebant.

CAP. LVI.

Deum non reſpuiſſe cultum in aris terreſtribus, monſtratur.

Ad loca Exodi 20. *Altare de terra facietis mihi, & offeretis ſuper eo holocauſta & pacifica veſtra, oves*
C *veſtras & boves in omni loco in quo memoria fuerit nominis mei.* 3. Reg. 8. *In die illa ſanctificavit rex medium atrii, quod erat ante domum Domini: fecit quippe holocauſtum ibi, & ſacrificium, & adipem pacificorum: quoniam altare æreum, quod erat coram Domino, minus erat, & capere non poterat holocauſtum, & ſacrificium, & adipem pacificorum.* & ad alia plura.

SATIS ex ethnicis ſacra in aris cognovimus; ad divinas Litteras nos transferamus, ut eorum auctoritate probemus, ſacrorum cauſa, ſylvas ac lucos Iſraëlitas habuiſſe, in quibus terreſtres Deos
D venerabantur. nullus itaque reperitur idololatriæ cultus apud ethnicos, quo non fuerint commaculati Iſraëlitæ: ut ab his ſuperſtitiones accepiſſe gentes ſuſpicari poſſit. Nam vocabulum BAHAL, cujus frequens eſt in Scripturis mentio, unius ſingularis Numinis nequaquam fuiſſe, certum eſt; ſed commune omnibus, quale apud nos eſt idoli vocabulum; quod omnes falſos Deos ſignificat. qua de cauſa non ſolum in numero ſingulari, ſed etiam in plurali Bahalim in Scripturis ſæpè legitur. quos quidem non ſolum in excelſis, ac montibus venerabantur Iſraëlitæ; ſed u-
E bique ſicut & reliquæ gentes colere non ſunt veritæ. ex multis ſacræ Scripturæ locis hoc perſpicuum eſt. nam cap. 4. lib. 3. Reg. ubi de regno Jeroſolymitano, & Tribu Juda ſermo eſt, dicitur: *Aedificaverunt autem & ipſi ſibi aras, & ſtatuas, & lucos ſuper omnem collem excelſum, & ſuper omnem arborem frondoſam.* ubi duplici Idololatriæ genere, filii Juda inuruntur; de cultu nimirum Deorum cœleſtium in excelſis, atque de cultu Deorum in planitie, & ſubter omnem arborem, ſub quibus Dii Terreſtres ab ethnicis colebantur. & cap. 28. lib. 2. Paralip. de Achaz dicitur: *Ipſe eſt, qui adolevit incenſum in Valle Benennom, & luſtravit filios ſuos in igne, juxta ritum gentium, quas interfecit Dominus in adventu filiorum*
F *Iſraël.* ex quibus apparet, in turpiſſimo cultu exceſſiſſe humanum captum. Nam lib. 3 Regum dum recenſetur pietas, atque religio Regis Aſæ, quantoque zelo Divinum cultum promoverit, idololatriæ Iſraëlitarum referuntur, ac dicitur cap. 15. *Et fecit Aſa rectum ante conſpectum Domini, ſicut David pater ejus: & abſtulit effeminatos de terra, purgavitque univerſas ſordes idolorum, quæ fecerant patres ejus. Inſuper & Maacham matrem ſuam, amovit ne eſſet princeps*

in ſacris Priapi, & in luco ejus, quem conſecraverat: ſubvertitque ſpecum ejus, & confregit ſimulacrum turpiſſimum, & combuſſit in Torrente Cedron: excelſa autem non abſtulit. Priapum autem inter terreſtres, & Domeſticos Deos enumerari ab antiquis certa res eſt. Ut autem ſingula breviter perſtringantur, ex locis ipſis diſtinguendæ veterum Deitates erunt. nam Dii cœleſtes, ut dicebamus, in locis eminentioribus colebantur; præſertim ab Iſraëlitis, at vero in vallibus Dii terreſtres. quo argumento Benadad uſus eſt; quando Iſraëlem aggreſſus, turpiter terga vertiſſet: *Dii montium ſunt, Dii eorum*, inquit, *ideò ſuperaverunt nos, pugnemus in campeſtribus, & obtinebimus eos.* hæc ſacer textus. Ex quo, quamvis plura loca adduci poſſent; ſufficiat tamen alterum ex 2. Paralip. cap. 28. adduxiſſe, ubi ſermo eſt de Achaz Rege Judææ, de quo dicitur: *Non fecit rectum in conſpectu Domini, ſicut David pater ejus.* & paulo infra; *Ipſe eſt, qui adolevit incenſum in valle Benennom, obſervabat ſomnia, ſectabatur auguria, maleficis artibus inſerviebat.* Ex quibus ad rem noſtram faciunt ea ſolum, quæ dicuntur de cultu idolorum in vallibus; quibus cultus Deorum terreſtrium, & ſacra in aris terreſtribus, vel in ceſpitibus facta ſignificantur: juxta cultum earum gentium, quæ idola colebant. & quamvis in ſacris oraculis non ſit hæc diſtinctio aræ ab altari, ſed vocabulo מִזְבֵּחַ quod ſacrificatorium interpretari diximus, tam ara, quam altare ſignificetur; tamen ex diſtinctione locorum, quæ ab Iſraëlitis in cultu idolorum venerabantur; non ſolum cœlorum aſtra, ſed etiam terreſtres deos, lucorum, fluminum, atque vallium ab Iſraëlitis cultos fuiſſe, perſpicuum eſt.

Elucidentur nonnulla ſacrarum Scripturarum loca, ex quibus ſummum Numen, Deumque Optimum Maximum, ab aris & ſacrificiis, quæ in humo nuda fiebant, nequaquam abhorruiſſe ſubodoratur. pro his aris ſtat locus 20. Exodi, in quo Deus agens cum Moyſe, de legibus ſervandis ab Iſraëlitica Republica, circa religionis ritus, ſic illum alloquitur: *Altare de terra facietis mihi, & offeretis ſuper eo holocauſta, & pacifica veſtra, & boves; in omni loco, in quo memoria fuerit nominis mei, veniam ad te, & benedicam tibi.* hæc ibi. Ex quibus non videtur prætereundum, quod quamvis terræ nomine, generali quodam vocabulo, Latinè comprehendantur ædificia omnia; tam lateritia, quæ fiunt ex terra igne decocta; quam etiam lapidea, cum lapides terrea dicantur: non tamen ita hebraice, qui textus hoc loco habet vocabulum *adamah*: quod in Scripturis ſacris nudam humum ſignificat; non ædificium aliquod. ſic enim legimus in hebraico textu מִזְבַּח אֲדָמָה תַּעֲשֶׂה לִּי hoc eſt, *Altare terreum facies mihi.* ad quam etiam nudam humum, reſpicientes Septuaginta Interpretes, dixerunt: θυσιαςήριον ἐκ γῆς ποιήσετέ μοι, καὶ θύσετε ἐπ' ἀυτῷ τὰ ὁλοκαυτώματα ὑμῶν. hoc eſt, *Altare ex terra*, vel verius *ſacrificatorium ex terra facietis mihi, & mactabitis ſuper illud holocauſta veſtra.* quaſi dicat, ſuper humum decernes locum ad ſacrum faciendum; & ſuper illum ſacrificabitis holocauſta veſtra. Ne quis verò putaret, quocumque in loco, Iſraëlitis licuiſſe tale genus altaris conſtituere, ſubdit licere id, *in omni loco, quo fuerit memoria nominis mei*, dicatur hebraicè בְּכָל־הַמָּקוֹם אֲשֶׁר אַזְכִּיר אֶת־שְׁמִי ideſt, *In omni loco, in quo memorabo nomen meum.* Quod quidem ſacrificium ſibi gratiſſimum futurum, profitetur verbis expreſſis, dicendo ibidem: *Veniam ad te, & benedicam tibi.* Loca verò dicata memoriæ nominis Dei, in ſacris litteris dicuntur illa, in quibus aliquando apud Patres, conſtitutum fuerat altare ad cultum Dei, quod feciſſe Noë, Abraham ſæpiſſimè, Iſaac, & Jacob non rarò legimus. In his igitur locis altaria extruere minimè licebat ex lege; ſed quoties ſacra habenda fuiſſent in Dei cultum, poſita in nuda humo ara, id fieri licebat.

Explicatur jam locus primi Regum, in quo dicitur, Samuelem extruxiſſe altare, & obtuliſſe ſacrificia in Maſphat; cum Dei tabernaculum ibi non haberetur; & tamen præceperat Deus Deut. 12. ne aliquo modo liceret offerre ſacrificia alibi, quam ubi Tabernaculum erectum haberetur. ſic enim dicitur: *Cave ne offeras holocauſta tua in omni loco, quem videris; ſed in eo quem elegerit Dominus in una Tribuum tuarum offeres hoſtias, & facies quæcumque præcipio tibi.* quod ſæpiſſimè reperitur in eodem capitulo: & tamen Samuel in Maſphath, & David ad aream Ornan ſecus feciſſe legimus: non alia ſanè auctoritate fultos, niſi quia in his duobus locis, memoria erat divini nominis, jam alias invocati à Patribus; & ideò dicitur de priori, *Quia locus orationis erat in Maſphat*: & area Ornan Jebuſæi fuiſſe in monte Moria ſcribitur: in illo videlicet monte; in quo Abraham Iſaac filium ſuum unigenitum, ſacrificare Summo Deo voluit; & à divina apparitione, mons ille Moria dictus fuit; ac proinde hæc ſacrificia Deo gratiſſima fuiſſe, liquido conſtat.

Practicè adhuc iſta magis explicentur. etenim vivente adhuc Samuele, tunc certè quando jam populus Iſraël, novo fœdere, ſe ad divinæ legis obſervantiam alligaverat; ut legitur 1. Regum cap. 7. atque cultus religionis Moſaicæ adeò vigere in populo Iſraëlitico cœpit; ut dicatur: *Abſtulerunt ergo filii Iſraël Baalim, & Aſtaroth, & ſervierunt Domino ſoli.* tunc ædificaſſe Samuelem altare Domino in Ramatha ſcribitur; & populum conſueviſſe ſacrificare in Bethel, ubi Tabernaculum non erat, ſcribitur ibid. cap. 10. nam inter ſigna præſcripta Sauli à Samuele, regiæ electionis, hæc dantur: *Cumque abieris inde*, inquit Samuel, *& ultra tranſieris, & veneris ad quercum Thabor, invenient te ibi tres viri aſcendentes ad Deum in Bethel, unus portans tres hœdos, & alius tres tortas panis, & alius portans lagenam vini.* Cum autem in Bethel, divinum altare non eſſet; certum fieri debet; non ſuper altare; ſed ſuper aram in Bethel ſacrificare licuiſſe; in ipſa nimirum humo: juxta illud Exo. 20. quia in eo loco memoria erat divinæ apparitionis, & Numinis à Jacobo viſi, ut in ſacra Geneſi legitur. conſtat igitur ab aris Deum in ſacris nequaquam horruiſſe. Quamvis verò trium hoſtiarum numerus de quibus ibi loquitur, cultum religionis in Bethel præclarè aperiat: ut ambigendi locus in his, cuicumque auferatur, audiatur Joſephus lib. 6. antiq. cap. 5. qui referens prædicta verba Samuelis ad Saulem ait: τοῦτο δὲ ἔςαι σημεῖόν σοι, ὅ σε βούλομαι προγινώσκειν· ὅταν ἀπέλθῃς ἐντεῦθεν, καταλήψῃ τρεῖς ἀνθρώπους ἐν τῇ ὁδῷ προσκυνῆσαι τῷ θεῷ πορευομένους εἰς βεθήλ. hoc eſt, *Hoc autem erit tibi ſignum, quo poteris hoc præcognoſcere: quando abieris hinc, reperies tres homines in via euntes in Bethel, ut offerant Deo.* Locus igitur erat Bethel adorationis & religionis, licet ibi altare non eſſet.

Lux hinc hauritur pluribus ſacræ Scripturæ locis, præſertim cap. 8. lib. 3. Reg. in quo numerus hoſtiarum, & victimarum innumerabilis, atque incredibilis legitur: & cum altare æneum, quod fecerat Moyſes, nequaquam eſſet capax hoſtiarum in Templi dedicatione juſſu Regis mactatarum, Salomonem in ipſa humo ſacra fieri juſſiſſe legimus 3. Regum 8. ſic enim ait: *In die illa ſanctificavit Rex medium atrii, quod erat ante domum Domini. Fecit quippe holocauſtum ibi, & ſacrificium, & adipem pacificorum: quoniam altare æreum, quod erat coram Domino, minus erat, & capere non poterat holocauſtum, & ſacrificium, & adipem pacificorum.* hæc autem nulla de ratione, niſi qua diximus ex cap. 20. Exodi, li-

licuiſſe manifeſtum eſt. Cultum terreſtrium Deorum, ex ſuperſtitionibus Hebræorum manaſſe, ex ſacris oſtendimus litteris.

Ab eiſdem cœleſtium Numinum cultus proceſſit. nihil enim hi prætermiſerunt, quo Deum irritarent; Numina ſibi in cœleſtibus ſideribus effingentes, & ad hæc religioſè colenda, montium excelſiora eligentes. Romanis ara maxima, Herculi dicata, in Circo conſtituta viſebatur; de cujus religione plura Alexander ab Alexan. & antiquiora ac certiora apud Macrobium habentur lib. 3. Saturn. cap. 6. quæ ideò maxima dicebatur, non ſolum quia prægrandis, ſed etiam quia in ſublimi & excelſo loco poſita erat. Nos tamen ab ara maxima, & excelſa idololatrarum, ad ſacra redeuntes oracula, nihil magis curæ fuiſſe Iſraëlitis reperiemus; quam ad faciendum ſacra loca excelſa eligere. quam ob cauſam Carmelum venerabantur, ſicut habetur ex 3. Reg. 18. Salomonem quoque mulierum amore captum in excelſis templa conſtruxiſſe, ſacrificiaque obtuliſſe; ſicut etiam plures alii fecere, qui Reginis Iſraëliticis blandiebantur, conſtat. 3. Reg. cap. 11. legitur: *Tunc ædificavit Salomon fanum Chamos idolo Moab in monte, qui eſt contra Hieruſalem, & Moloch filiorum Ammon, atque in hunc modum fecit univerſis uxoribus ſuis, quæ adolebant thura, & immolabant Diis ſuis.* Quamobrem ſæpiſſimè ſacra oracula, de Iſraëlitis conqueruntur, quod colerent militiam cœlorum: nimirum Solem, Lunam, & reliqua aſtra, quæ militiæ cœlorum nomine appellantur; ut videre eſt Deut. 17. & quod hunc cultum in locis eminentioribus illis exhiberent; atque in montibus, collibus, excelſiſſimiſque locis, altaria Idolis erecta, atque conſecrata haberent. propterea 4. Reg. 21. dicitur de Manaſſe: *Converſusque eſt, & ædificavit excelſa, quæ diſſipaverat Ezechias pater ejus, & erexit aras Baal, & fecit lucos; ſicut fecerat Achab Rex Iſraël, & adoravit omnem militiam cœli, & coluit eam, extruxitque aras in domo Domini, de qua dixit Dominus: In Hieruſalem ponam nomen meum, & extruxit altaria univerſæ militiæ cœli in duobus atriis templi Domini.*

Adeò verò debacchati ſunt Iſraëlitæ in eminentioribus montibus, cœleſtia numina colendo; ut cum templa adire eis vetaretur; in propriis domibus ſuper tecta altaria erigerent; ſacraque Diis Superis facerent. Sic enim legitur Jerem. 19. *Et erunt domus Jeruſalem, & domus Regum Juda, ſicut locus Topheth immundæ: omnis domus in quarum domatibus ſacrificaverunt omni militiæ cœli, & libaverunt libamina Diis alienis.* Sic etiam Sophon. 1. comminatur Deus, ſe ulturum Jeroſolymitas, qui ſuper tecta adorant militiam cœli: *Et extendam manum meam*, inquit, *ſuper Judam, & ſuper omnes habitantes Jeruſalem; & diſperdam de loco hoc reliquias Baal, & nomina æditorum cum ſacerdotibus, & eos qui adorant ſuper tecta militiam cœli.* & Levit. 26. comminatur Deus populo; ſi non permanſerit in obſervantia mandatorum ipſius; ſe deſtructurum excelſa illorum. *Deſtruam excelſa veſtra*, inquit, *& ſimulacra confringam.* Nihil autem frequentius in ſacris litteris legitur; quam hæc excelſa, in quibus filii Iſraël idola colebant. quamobrem ſi altaria dicta fuere, quaſi altæ aræ, ut vidimus, & hæ Diis Superis erigebantur, atque dicabantur. Jure igitur optimo illa tantum ara, in qua Deo Optimo Maximo, Vero Deo, & Soli Deo, Numini omnium Numinum Supremo, ſacrificium offerebatur; verè, ac propriè altare appellanda erit; tum ab altitudine materiali, tum etiam ab excellentia Numinis: multo ſanè verius, quam alia quæcumque Numinibus imaginatis erecta; ut ſuperſtitioſè his victimæ mactarentur, ac concremarentur. De hujus ſupremi Numinis ſolummodo altari, & conſecratione illius loquimur. licet etiam ab aliis altarium generibus, nobis nequaquam abſtinendum ſit: nimirum ab his, quæ fœderum cauſa erecta legimus in Scripturis ſacris, de quibus ſtatim dicemus: ſicut etiam de altaribus erectis in cultum & religionem, nobis agendum erit: ac etiam de altaribus, quæ amicitiæ cauſa erigebantur: ſimulque de portatilibus, & non ſtabilibus ac firmis altaribus, quale erat quod in Tabernaculo Domini erexerat Moyſes, de cujus conſecratione præcipuè tractamus: & hujus altaris occaſione, illa omnia conſideranda erunt; locaque non pauca ſacrorum oraculorum è latebris antiquitatis in lucem prodibunt. & ſi quid ex Ethnicis in medium afferentur; non quaſi Ethnica, ſed ut illorum furta aliquando ad verum cultum revocentur; dum ſacris ſaltem oraculis lucem afferunt; intelligentiamque noſtram quaſi coacta juvant.

CAP. LVII.

Altaria fœderis explicantur.

Illuſtratur locus Deuter. 27. *Quando ergo tranſieritis Jordanem, erigite lapides, quos ego hodie præcipio vobis in monte Hebal, & levigabis eos calce: & ædificabis ibi altare Domino Deo tuo de lapidibus, quos ferrum non tetigit, & de ſaxis informibus & impolitis: & offeres ſuper eo holocauſta Domino Deo tuo, & immolabis hoſtias pacificas, comedeſque ibi, & epulaberis coram Domino Deo tuo. Et ſcribes ſuper lapides omnia verba legis hujus planè & lucidè.* & ad alia plura.

LATISSIMUS eſt campus, ſimulque innumerabilibus plenus ſcopulis, ubi veterum altarium explicationem aggredimur: quapropter ut ſingula breviter perſtringantur, eorundem materiam, & uſum cum forma, enucleanda, atque inveſtiganda cenſuimus; ut poſtmodum felicius, atque facilius, eorumdem altarium conſecratio & conſecrationis ritus elucidentur. Diſtinguendum igitur duximus primo, in altaribus portatilibus, atque altaribus firmis, quæ lapidea erant, & in templo aliquo, vel in atriis templorum collocabantur, ut ſi quando illi Numini ſacrum facere contigiſſet; in eo, & non alibi ſacrum fieret. Ex his autem altaribus, quæ ſtabilia apud veteres Ethnicos dicebantur; ſuper quæ etiam propriis Numinibus, ſuperſtitioſa ſacra facere Ethnici non verebantur: quædam in veteribus ruinis, ac lapidibus & Nummis viſuntur: veluti mediæ columnæ, ad ſolius, ut puto, thuris uſum erectæ; ſolo enim thure multoties Ethnicos ſacra feciſſe, Sanctorum hiſtoriæ, ac etiam Scripturarum loca plurima clarè oſtendunt. Cum enim mediæ illæ columnæ hoſtiarum capaces non ſint; perſpicuum eſt, potius in his litatum ſanguine & incenſo fuiſſe; quam hoſtiis integris ſacrum factum: atque potius appellandas fuiſſe titulos, quam propriè altaria. ſed de his, deque illorum forma, atque materia ſatis.

Altaria quæ ex divinis oraculis nobis exhibentur, noſtra oratio quærit: non quidem altaria Abelis, Caini, Noë, aut aliorum veterum Patriarcharum, qui ſacra Deo, cultus cauſa, ante latam legem fecerunt; de quibus poſtmodum ſtatim à nobis agetur: ſed tantum nunc de his, quæ Numini ſupremo erecta fuere, vel erigenda traduntur in ſacris oraculis pactorum, ac fœderum cauſa: illa nimirum quæ ſtabilita fuerunt ab aliquibus, ut pacta, fœdera, conventioneſque fœderum, ac pactorum ſtabilirentur, veluti Numine propitiato & teſte, conventa, atque firmata.

Advertendum autem erit, ut reliqua intelligantur, A idem in ſacris oraculis ſignificare teſtimonium multoties, ac fœdus: qua de cauſa Tabernaculum, quod dicitur fœderis; etiam teſtimonii Tabernaculum appellatur: ſic etiam Arca, quæ dicitur Teſtamenti, etiam Arca Teſtimonii appellatur, ac etiam Arca fœderis. Teſtimonium, ex conſcriptis verbis aliquid appellatur, quæ vel ibi ſervarentur, vel in fœdere prolata, vel adducta cum eſſent, in teſtimonium alicujus confœderationis, aut pacti initi inter aliquos: quamobrem illud in quo verba, vel ſcripta, vel ſervata habebantur, teſtimonium appellabatur. Fœdus & pactum actio paciſcendi dicitur: & quia in Arca fœderis, ſive Teſtimonii leges in tabu- B lis duabus, digito Dei ſcriptæ ſervabantur, & liber etiam reliquarum legum ſanguine aſperſus habebatur; in quo populus ad obſervantiam illarum legum ſe alligabat; & de illis cum Deo paciſcebatur: propterea tam Arca illa, quam Tabernaculum fœderis appellabantur.

Eſt autem fœdus, quod à fide, ſive ferienda pœna, ut alii volunt, derivabatur; idem quod pactum, ut communiori vocabulo ſolet dici: *pactum autem eſt duorum conſenſus, atque conventio*, inquit Ulpianus, ff. de pollicit. l. prima, & Cicer. 2. de invent. ait: *Pactum eſt, quod inter aliquos convenit, quod jam ita juſtum putatur, ut jure præſtari dicatur.* C Quia igitur in fœdere conventio requiritur, propterea Juriſconſulti, *pacta conventa* hæc vocant, quia ut Cicero in libris Rhetoricorum loquitur, ex ſolo conventu valent, l. 7. §. pacta, ff. de paction. & alibi etiam teſte Barnab. Briſſon. lib. 14. de verbor. ſignificat. vel dicamus, & forte rectius; fœdus aliquod initum inter duos, dici pactum conventum, ad differentiam pacti nudi, cui non adhibetur conditio, neque cauſa, quare tales ſe obligent, atque in ſola promiſſione verborum robur habet; à qua promiſſione unuſquiſque jure recedere poteſt, quoties libuerit. at non ita in pactis conventis; nam poſita conditione, aut cauſa propter quam conveniunt partes, D jam pactum, de jure ad obſervantiam, paciſcentes ligat in foro fori. Tria igitur neceſſario requiruntur, in quocumque fœdere ritè contracto: cauſa nimirum, ob quam alter alteri ſe obligat; debet exprimi id, ad quod unuſquiſque ſe obligat; & conditio etiam explicari, ſecundum quam quiſque ſe obligat. Ex qua fœderum ratione, jus in partibus conſurgit, ut nulli illorum a conventis recedere liceat: niſi fœderum tranſgreſſores cenſeri velint.

Ut autem fœdera firma forent; vetus conſuetudo fuit, tam Ethnicorum, quam etiam Iſraëlitarum, nec non etiam eorum qui ante Moyſem vixerunt; E quoties pacta aliqua inirent, ſacra altaria erigere, ubi erecta non fuiſſent; ſacrificia adhibere; nec ſolum ſacra facere, ſed etiam Numina evocare, ut teſtes eſſent eorum, in quibus paciſcentes conveniebant: de quorum fœderum forma in ſequenti Myrothecio, Deo dante, fuſius tractabitur. Innumerabilia ſunt Poëtarum, Scriptorumque veterum loca; ex quibus quod dicimus, probari poteſt. ubique enim legimus, tam apud Livium, quam Polybium, Homerum, Virgilium, & alios, in fœderibus ſanciendis, hoc ſervaſſe Ethnicos: ſacra nimirum facere, & ad ſacra altaria fœdera contraxiſſe. Eſt autem locus Euripidi in Tragœd. ſupplices, in qua fœdus perpetuum, inter Theſeum Regem A- F thenarum, & Adraſtum Regem Argivorum, firmatum legimus: feriendi fœderis, hanc formam Minerva Theſeo præſcribit, dicens:

ἐν ᾧ δὲ τέμνειν χρὴ σφάγιά σ', ἄκουέ μου.
ἔστι τρίπους σοι χαλκόπους εἴσω δόμων,
ὃν ἰλίου ποτ' ἐξαναστήσας βάθρα
σπουδὴν ἐπ' ἄλλην ἡρακλῆς ὁρμώμενος
στῆσαί γ' ἐφεῖτο πυθικὴν πρὸς ἐσχάραν·
ἐν τῷ δὲ λαιμοὺς τρεῖς τριῶν μήλων τεμὼν
ἔγγραψον ὅρκους τρίποδος ἐν κοίλῳ κύτει.

In quibus Minerva, Theſeum adducere tripodem ſacrificialem admonet; qui apud Trojam celebris quondam fuerat; ſuper quem ſacris factis, fœdus perpetuum firmabatur cum Argivis Minervæ monitu. ſic enim illa Euripidis carmina interpretantur.

In quo autem cædere oporteat te hoſtias, audi me:
Eſt enim tibi tripus æneus intra domum,
Quem quondam Iliis ſedibus everſis,
Ob ſtudium alterius negotii Hercules feſtinans,
Conſtituere mandavit ad Pythicam aram.
In hoc ſecans tria trium ovium guttura.
Inſcribe jusjurandum in cava ſuperficie tripodis.

Sed ne à ſacris noſtris litteris diſcedamus, Geneſ. cap. 31. cum Jacob perſequeretur à ſocero Laban; atque conciliatis animis, armiſque depoſitis, in perpetuum fœdus, amicitiamque firmandam conſenſiſſent; non ſolum ſacris factis fœdus iniiſſe dicuntur; ſed altare illos ſtatuiſſe in teſtimonium initi ab ſe pacti, de quo multa ibi. & tandem ſic, *En tumulus hic, & lapis quem erexi inter me, & te*, inquit Laban, *teſtis erit; tumulus, inquam iſte, & lapis ſint in teſtimonium; ſi autem ego tranſiero illum, pergens ad te, aut tu præterieris, malum mihi cogitans. Deus Abraham, & Deus Nachor, judicet inter nos, & Deus patris eorum. Juravit ergo Jacob per timorem patris ſui Iſaac, immolatiſque victimis in monte, vocavit fratres ſuos, ut ederent panem.* id eſt, ut comederent convivium ſacrum, quod ſuper tumulum illum Deo obtulerant.

Magis ad rem noſtram facit, quod cap. 23. Exodi legitur; in quo Deus agit, de conſcribendis, atque ordinandis legibus, pro Iſraëliticæ Reipublicæ optimo regimine, quas ſi populus Iſraël ſervaverit, & cuſtodierit leges, eidem regionem Chananæorum, atque victoriam de hoſtibus promittit: & præter conditionem præſcriptam de legibus ſervandis, modum quoque ſcribit, quo ſe iſta facturum ſpopondit: nimirum ſe quidem ejecturum illas gentes, non tamen id facturum ſtatim, ne terra deſoletur, ſed paulatim. Præſcribit etiam terminos, ac fines regionum, quas Iſraëlitis dare conſtituit; ne fortè aliquid ultra ipſi prætenderent: quas leges, & promiſſiones acceptavit populus, dicens cap. 24. *Omnia verba Domini faciemus.* hoc eſt, omnes promiſſiones illius, ſub eas quas poſuit conditiones acceptamus. ut autem fœdus hoc inter Deum, & populum initum firmum eſſet, altare erigitur. ſic enim legitur cap. 24. *Scripſit autem Moyſes univerſos ſermones Domini, & mane conſurgens ædificavit altare ad radices montis, & duodecim titulos per duodecim tribus Iſraël.* & infra cæremonias fœderis aperiens juxta illorum temporum formam, *Tulitque Moyſes dimidiam partem ſanguinis, & miſit in crateras; partem autem reſiduam fudit ſuper altare. Aſſumenſque volumen fœderis legit, audiente populo; qui dixerunt: omnia quæ locutus eſt Dominus faciemus, & erimus obedientes.* Hæc eſt ſecunda ratificatio obligationis populi Iſraëlitici cum Deo: in qua qui conſenſum præſtabant in fœdere, victimarum ſanguine fœdabantur. & ideò ſubdit textus: *Ille autem* (ſupple Moyſes) *aſſumptum ſanguinem reſperſit in populum, & ait: Hic eſt ſanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiſcum ſuper cunctis ſermonibus his.* quod nimirum, juxta omnia quæ Dominus ſpopondit vobiſcum, certiſſimè faciet; nec à promiſſis deficiet.

Cum

Cum igitur populus Iſraëliticus, divinis ſtatutis ea lege ſe alligaſſet, quod in regiones Chananæorum, ac reliquarum nationum poſſeſſor fieret: ſtatim atque illum Deus immiſit, initi cum populo fœderis confirmationem exquirit: ut populus Iſraëliticus intelligeret; Deum jam quæ ſpoponderat perfeciſſe; ac propterea ſe jam ad obſervantiam divinarum legum alligari, quibus in Oreb ſe obligaverat; atque propterea minimè populo Iſraëlitico jam licere, à præceptis Divinis, ſtatutis, ac legibus recedere. hoc autem altare confœderationis, ſeu confirmationis fœderis jam initi, juſſit Deus erigi Deuteron. cap. 27. dicens: *Quando ergo tranſieritis Jordanem, erigite lapides, quos ego hodie præcipio vobis in monte Hebal, & levigabis eos calce, & ædificabis ibi altare Domino Deo tuo de lapidibus, quos ferrum non tetigit, & de ſaxis informibus, & impolitis, & offeres ſuper eos holocauſta Domino Deo tuo, & ſcribes ſuper lapides omnia verba legis hujus, planè & lucidè.* quia verò Deus ſe Exodi 19. promiſerat accepturum Iſraëliticam gentem in ſuum populum, dicens: *Si ergo audieritis vocem meam, & cuſtodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis, mea eſt enim omnis terra. & vos eritis mihi in regnum Sacerdotale, & gens ſancta.* Propterea ſtatim, ac Deus præceptum illud de ædificando altari reconfœderationis Deuter. 27. dedit, ſubditur in textu: *Dixeruntque Moyſes, & Sacerdotes Levitici generis ad omnem Iſraëlem: Attende, & audi Iſraël: Hodie factus es populus Domini Dei tui, ut audias vocem ejus: & facies mandata, atque juſtitias quas ego præcipio tibi.* Obſervandum eſt autem illud *hodie*, non ſolum ſtare pro die illa particulari, in qua Deus hoc juſſit, aut pro die illa, in qua Moyſes populum alloquutus eſt; ſed etiam pro die in qua tale altare reconfœderationis, & renovationis pacti erectum fuit, ut legitur Joſue 8. tunc enim & non antea, cœleſtis benedictio conceſſa fuit his, qui Dei ſtatuta obſervaſſent; & maledictio inflicta eſt in eos, qui prævaricatores legis à Deo traditæ extitiſſent. Quia enim Deus fœderis ſponſionem adimpleſſe minimè dicebatur, quouſque ultra Jordanem populum tranſmiſiſſet; tunc tantum & non antea illos obligari voluit; atque hac de cauſa, erigi altare reconfœderationis ipſo in veſtibulo terræ, ac regionis Chananæorum mandavit.

Pactum igitur tribus vicibus inter Deum & populum initum cognoſcimus: toties pariter altaria fœderum cauſa erecta leguntur; Deumque ſemper egiſſe de populo introducendo in regiones Chananæorum, & reliquarum gentium: hacque poſita conditione, populum vice verſa promiſiſſe Deo, obſervantiam legum latarum. ſemel & primò in Oreb fœdus initum legimus: iterum antequam Moyſes moreretur in terra Moab; quo etiam tempore, renovandi fœderis cauſa, ſacrificia à Moyſe juſſa fuerunt. de quibus dicitur Deuteron. cap. 29. *Hæc ſunt verba fœderis, quod præcepit Dominus Moyſi, ut feriret cum filiis Iſraël in terra Moab, præter illud fœdus, quod cum eis pepigit in Oreb:* deinde beneficia, quæ populo Deus impenderat in deſerto, eidem ad memoriam revocantur, & ſubditur: *Cuſtodite ergo verba pacti hujus, & implete ea, ut intelligatis univerſa quæ facitis. Vos ſtatis hodie cuncti coram Domino Deo veſtro, Principes veſtri, & Tribus, ac majores natu, atque Doctores, omnis populus Iſraël.* & infra: *Vt tranſeas in fœdere Dei tui, & in jurejurando quod hodie Dominus Deus tuus percutit tecum, ut ſuſcitet te ſibi in populum; & ipſe ſit Deus tuus, ſicut loquutus eſt tibi, & ſicut juravit Patribus tuis Abraham, Iſaac, & Jacob. nec vobis ſolis ego hoc fœdus ferio, & hæc juramenta confirmo; ſed cunctis præſentibus & abſentibus.* Quod fœdus tertio renovatum à filiis Iſraël fuit, Moyſe defuncto, ſub ducatu Joſue, ut habentur cap. 8. libri

A ipſius. Victimæ verò, atque hoſtiæ ibi oblatæ ſcribuntur: & quidem non alia de cauſa offerebantur; quam ea qua juſſerat Deus Deuter. 27 fœderis nimirum firmandi cauſa, ut ibi declaravimus. Quia verò divinæ leges, illi Reipublicæ traditæ, ſtatuta, atque decreta illius, fœderibus his firmabantur: propterea quoties de divina lege in ſacris litteris eſt ſermo, toties verba fœderis appellantur: & quoties in eiſdem legibus prævaricaſſe populum, in ſacris oraculis ſcribitur; toties etiam fœdus violaſſe dicitur: ſicut etiam eadem loquendi phraſi ſervata, quotieſcumque populus, tranſgreſſionum pœnitens, ad Deum reverteretur; fœdus cum Domino renovaſſe
B illa converſio appellatur: ut ſæpiſſimè in libris Judicum, Regum, & aliorum in ſacra Scriptura legitur.

Prætereunda non eſt forma, & ſcriptura fœderum, ut firma eſſent; quam Theſeum Minerva docuit apud Euripidem in loco citato; in quo de ſtabiliendo fœdere perpetuo, ut diximus, inter Athenienſes & Argivos agebatur: ſcriptura verò fœderis, ea ratione exaranda videbatua; ut perpetuitatem haberet; & à fœdere recedendum, partibus licere minimè putaretur. de qua ſcripturæ firmitate ita Euripides loco citato.

C *ἐν τῷδε λαιμοὺς τρεῖς τριῶν μήλων τεμὼν*
ἔγγραψον ὅρκους τρίποδος ἐν κοίλῳ κύτει,
κἄπειτα σώζειν θεῷ δὸς, ᾧ δελφῶν μέλει
μνημεῖά θ' ὅρκων, μαρτύρημά θ' ἑλλάδι.

Jubet igitur Minerva ſuper altare illud, ſuper quod ſacra habebantur; ſanguine ipſarummet victimarum fœderis formam, ac juramenti utriuſque partis, & conditiones exarari; ut verba illa ſcripta ſuper tripodem, in monumentum ſempiternum ſanciti fœderis eſſent. ſic enim Euripidis carmina Græca jam poſita interpretantur.

In eo ſecans tria guttura trium ovium,
D *Inſcribe juſjurandum in cava ſuperficie tripodis,*
Deinde des ſervandum Deo; qui Delphis præſidet,
Vt ſit & monumentum fœderis, & teſtimonium Græciæ.

Hac veteris ſcripturæ forma, qua fœdera ſanciebantur, ac firmabantur; ut puto, facile ſolvitur quæſtio, quam habent Scripturæ ſacræ interpretes, in loco Deuter. 27. in quo quærunt, quid fuerit ſcriptum in altari illo, quod Moyſes Dei juſſu, tranſacto Jordane filios Iſraël erigere præcepit: & in cap. 8. Joſue erectum legimus. Rabbini, ex Talmud, integros quinque libros ibi inſcriptos ſunt qui
E dicant; alii legis ſacræ compendium ſcriptum tradunt: decem tantum præcepta in altari exarata fuiſſe, dixit Lyran. cum aliquibus Hebræorum. Deuteronomium tantum Abulen. quæſt. 1. cap. 27. Deuter. & quæſt. 27. & 28. in cap. 8. Joſue, ſcriptum in altari voluit, quod etiam Serarius approbat quæſt. 21. in illo capite.

Aliquam iſtarum ſententiarum, verum ſacræ Scripturæ ſenſum attigiſſe, mihi dubium eſt; quamobrem arbitror non quidem ſuper calcem, qua levigatum fuit altare, verba fœderis ſcripta fuiſſe; ſed in ſumma altaris ſuperficie, in foculo ipſo verba fœderis tantum ſcripta fuiſſe; quo populus Iſraëliticus
F fatebatur ſe terram Chananæorum poſſidendam accepiſſe à Domino; ac propterea ad obſervantiam legum à Deo præſcriptarum, omnino cum ſuis poſteris obligari. nec conjecturam hanc puto vacare teſtimonio ſacrarum litterarum. ſic enim ſcribitur Deuter. 27. וכתבת עליהן את־כל דברי התורה הזאת בעברך למען אשר תבא אל הארץ אשר יהוה אלהיך נתן לך hoc eſt, *Et ſcribes ſuper illis*, ſcilicet lapidibus altaris, *omnia verba legis hujus:* & explicans quid ſit id, quod ſcribere debeat,

debeat, & quænam hæc lex, ſubdit: *Propter quod ingrediaris terram, quam Dominus Deus tuus dat tibi.* hoc eſt, quis tuus ductor fuerit declarabis; ut poſſes hanc regionem poſſidere: & qua conditione illuc veneris, nimirum hac, ut cuſtodires mandata data tibi à Deo in Horeb. itaque non dixit Moyſes ibi ſcribendam legem Domini; neque dixit legem abſolutè; ſed dixit ſcribenda verba legis hujus. nam particula demonſtrativa הַזֹּאת coarctat nos ad illa verba præſentia: & alibi ad Deuteronomium, aut ad compendium legis, aut ad decem præcepta, nos abire non permittit. Et quamvis dicat Joſue deſcriptas fuiſſe ſecundas leges Moyſi, per quas multi intelligunt Deuteronomium: ego verbum illud הַשֵּׁנִית non de ſecunda lege, quæ nullibi habetur, ſed de fœdere, quod ſecundo fuit initum à populo, locum intelligerem. Nam primum fœdus ſcriptum legimus in libro Exodi 24. ſecundum verò in hoc altari, & non alibi: in quo fœdere Deus regiones Canahan filiis Iſraël poſſidendas dare promittebat: & hic filii Iſraël illius legibus alligabantur, juxta à Moyſe præſcriptas fœderis leges. Fuit autem calce linitum altare; non verba fœderis exarandi cauſa, ſed ad perpetuitatem altaris, quod deſtruendum poſt ſacra minimè fuiſſet; immò ad perpetui fœderis, & obligationis monumentum, perpetuò ſervandum. viderint alii, quæ rationabiliora in hac difficultate cenſeantur.

CAP. LVIII.

Amicitiæ, communiſque religionis altaria monſtrantur.

Ad loca Joſue 22. *Ecce altare Domini, quod fecerunt patres noſtri, non in holocauſta, neque in ſacrificium, ſed in teſtimonium noſtrum ac veſtrum.* Illuſtratur locus 3. Reg. 18. *Et accedente ad ſe populo, curavit altare Domini, quod deſtructum fuerat. Et tulit duodecim lapides, juxta numerum tribuum filiorum Jacob, ad quem factus eſt ſermo Domini, dicens: Iſraël erit nomen tuum. Et ædificavit de lapidibus altare in nomine Domini.* & ad alia plura.

ALIUD altare erectum legimus in ſacris oraculis, non ſolum fœderis, ſed etiam amicitiæ cauſa: nimirum ut communem religionem aliqui profiterentur, in communitate erecti altaris. Exordium hinc fortaſſe habuit Ethnicorum cæremonia illa, Numina evocandi, quoties hoſtili manu, aliquas regiones aggredi vellent: tunc enim illis ipſis Numinibus, quæ ab incolis illius Regni, aut illius Provinciæ, aut civitatis coli cognoviſſent; auguſtiora templa, ſublimiora altaria, magnificentioraque ſacra ſpondebat Conſul. *Erat enim vetus mos*, inquit Alexan. ab Alexan. lib. 6. cap. 4. *ut in urbium obſidione, ubi ad ultimam dimicationem ventum eſſet, tutelares Deos, ſub quorum præſidio urbs foret, certo carmine & verbis conceptis evocarent; templaque ampliora, & ſolemnes aras illis promitterent, nefas opinati, Deos urbium Præſides, urbe hoſtiliter direpta, velut mancipia captivos habere.* Servatum id legimus à M. Furio Camillo in Vejentana expugnatione, teſte Tit. Liv. lib. 5. de quo ita ille: *Tum Dictator auſpicato egreſſus, cum edixiſſet ut arma milites caperent: tuo ductu, inquit Pythice Apollo, tuoque Numine inſtinctus, pergo ad delendam urbem Veios; tibique hinc decimam partem prædæ voveo. Te ſimul Juno regina, quæ nunc Veios colis, precor, ut nos victores in noſtram, tuamque mox futuram urbem ſequare: ubi te dignum amplitudine tua templum accipiat. hæc precatus, &c.* Communitate namque religionis, amicitiam Deorum

A forte mereri veteres exiſtimabant; & ut conjunctionem, amicitiamque cum his, vel illis populis profiterentur, ſimilibus Deorum aris, & communicatione Numinum eam teſtabantur. Hac enim de cauſa, Numinum, altarium, templorum, ac rituum, infinitam multitudinem Romanus Populus agnovit. nec deſunt Poëtarum Scriptorumque loca, quibus ex veteri conſuetudine id probatum agnoſcatur.

Verum ad ſacra oracula nos conferamus. nam Joſue cap. 22. Rubenitis & Gaditis, atque dimidiæ tribui Manaſſes, hæreditaria præſcripta regione, quam incolerent ultra Jordanem; hi ipſi altare erexerunt, tumultus & ſeditionis cauſam in toto Iſraël;
B Summi Numinis zelantes religionem & cultum: ad quos cum reliqui filii Iſraël legationem miſiſſent, ut ab eis ratio erecti altaris ſciſcitaretur: amicitiæ tantum cauſa, & in teſtimonium communis religionis, cum reliquis tribubus Iſraëliticis, illud ſe erexiſſe dixerunt; ut in eo capitulo ſcribitur his verbis: *Extruamus nobis altare, non in holocauſta, neque ad victimas offerendas*, inquiunt, *ſed in teſtimonium inter nos, & vos, & ſobolem noſtram, veſtramque progeniem; ut ſerviamus Domino, & juris noſtri ſit offerre holocauſta & victimas, & pacificas hoſtias: & nequaquam dicant cras filii veſtri, filiis noſtris: Non eſt vobis pars in Domino. quod ſi voluerint dicere, reſponde-*
C *bunt eis: Ecce altare Domini, quod fecerunt Patres noſtri non in holocauſta, neque in ſacrificium, ſed in teſtimonium noſtrum, ac veſtrum.*

Eſt etiam locus, erectionem altaris amicitiæ cauſa indicans, 4. Reg. cap. 16. in quo Achaz, ut defenderet ſe à Rege Syriæ, & à Phacea Rege Iſraël, qui eum obſederant; junctus eſt amicitia cum Theglathphalaſar Rege Aſſyriorum, cui munera miſit; cui etiam in Damaſcum occurrit, ut de belli ratione cum illo ageret. ut verò quam amicè ei conjunctus eſſet, ſignificaret; Hieroſolymis erigi altare juſſit, ſimile illi, quod apud Damaſcum in ſacris Theglathphalaſar viderat. ſic enim dicitur: *Perre-*
D *xitque Rex Achaz in occurſum Theglathphalaſar regis Aſſyriorum in Damaſcum: cumque vidiſſet altare Damaſci, miſit Rex Achaz ad Uriam Sacerdotem exemplar ejus, & ſimilitudinem, juxta omne opus ejus: extruxitque Urias Sacerdos altare, juxta omnia quæ præceperat Rex Achaz de Damaſco. Cumque veniſſet Rex de Damaſco, vidit altare, & veneratus eſt illud: aſcenditque & immolavit holocauſta, & ſacrificium ſuum, & libavit libamina, & fudit ſanguinem pacificorum, quæ obtulerat ſuper altare.* Nec in his impietatibus Rex impiiſſimus quieſcens, ſacrum etiam altare à Salomone conſtructum de loco, & de templo Domini removere mandavit. Præterea ut in nullo alio altari
E ſacrificia, atque populi libamina offerrentur à Sacerdotibus edixit; niſi ſuper hoc quod ipſe erigi juſſerat. qua verò de cauſa illud fecerit, dicit ſacer textus: *Muſach quoque Sabbathi, quod ædificaverat in templo, & ingreſſum Regis exterius convertit in templum Domini, propter Regem Aſſyriorum.* Amicitiæ itaque Regis Aſſyriorum cauſa, hoc altare erectum fuit à Rege Achaz, quod nequaquam eis licebat.

Amicitiæ etiam, & communis religionis teſtem, altare quod antiquitus ante Eliam erectum in Carmelo fuerat, ſubodorari poſſet. ſic enim legimus: *Et accedente ad ſe populo, curavit altare Domini, quod deſtructum fuerat, & tulit duodecim lapides, juxta nu-*
F *merum Tribuum filiorum Jacob, ad quem factus eſt ſermo Domini, dicens, Iſraël erit nomen tuum. & ædificavit de lapidibus altare in nomine Domini, fecitque aquæductum quaſi per duas aratiunculas in circuitu altaris, & compoſuit ligna, diviſitque per membra bovem, &c.* Ex quibus diligenter obſervare oportet, duorum hic altarium ſacram Scripturam meminiſſe, quæ fuere erecta in honorem Dei. de priori dicitur, *Et acce-*

accedente ad ſe populo, *curavit altare Domini*, *quod deſtructum fuerat.* Poſterius altare ibidem, ab Elia in honorem Dei erectum conſtat; cum ſubditur: *Et tulit duodecim lapides juxta numerum filiorum Jacob.* & reliqua, ut ibi habentur in loco citato. de priori nunc nobis eſt ſermo, ex quo poſteriora aperiuntur. De illo igitur dicitur, *& curavit*, legit hebraicum exemplar וַיְרַפֵּא *viairapeh*, hoc eſt *& medicavit*; quibus reſpondent, quæ in Græco exemplari habentur, ϗ ἰάσατο, quod verbum eſt Medicorum, *& ſanavit*, ſignificat. Ex quibus Eliam ædificaſſe altare in Carmelo, in loco, in quo jam antea aliud altare Deo erectum fuerat, perſpicuum eſt. quaſi non quidem omnino de novo Elias altare erexerit, ſed deſtructum jam olim reſtauraverit. Quamvis verò novos lapides ad erigendum altare attuliſſe dicatur; id factum ex lege cenſeri debet; qua vetabatur altare ædificari, lapidibus contaminatis. reſtauravit igitur vetus altare Elias, novis allatis lapidibus, quia vetus jam ab idololatris profanatum fuerat.

Inveſtigandum igitur remanet, quanam de cauſa, altare illud in Carmelo jam olim erectum fuiſſet. nam ſacroſanctum & religioſum illud altare extitiſſe, non verò ad cultum idolorum dicatum, illa verba aperiunt ſacri textus, *Et accedente ad ſe populo*, *curavit altare Domini*, *quod deſtructum fuerat.* Non enim altare Domini appellaretur, niſi ſacroſanctum jam olim habitum fuiſſet. nec dici poteſt, eo nomine altare vocari, quod erigendum in Dei cultum fuerat ibi ab Elia: apertè enim de altari jam olim ibi erecto ſermonem eſſe ex textu patet. illud enim altare fuiſſe jam deſtructum, ante illa Eliæ tempora, perſpicuè ſcribitur: quamobrem videndum remanet; quodnam fuerit hoc altare in Carmelo erectum, in Dei honorem. nam in Carmelo ante ea tempora Tabernaculum extitiſſe, aut aliquod templum in Dei cultum excitatum, nullibi ſcribitur. Erat autem Dei præceptum, non licere aliquod altare excitare, aut ſacrificia offerre, niſi in loco, in quo Tabernaculum, vel Templum Dei fuiſſet; qua de cauſa ob ſolam in contrarium ſuſpicionem, commotus eſt omnis Iſraël adverſus Gaditas, Rubenitas, & dimidiam tribum Manaſſes; qui altare erexerant in finibus terræ Chanaam citra Jordanem: adeoque commoti ſunt, ut reliqui cogitaverint, perdere illas tribus, ſicut Joſue cap. 22. ſcribitur: nec alia ratione quieverunt, ut vidimus, niſi quia conteſtati ſunt; illud nequaquam erexiſſe, ſacrificiorum cauſa, ſed in teſtimonium communis religionis. quamobrem impoſuerunt illi altari nomen, *Teſtimonium noſtrum*, *quod Dominus ipſe ſit Deus.*

Poſſet non abſque ratione ſuſpicari, altare in Carmelo jam olim erectum à Jacobo. ibi enim 3. Reg. 18. ſacer textus cum altaris erecti ab Elia meminiſſet, nominis mutationem divinitus Jacobo conceſſam meminit, ſic: *Et tulit duodecim lapides*, *juxta numerum filiorum Jacob*, *ad quem factus eſt ſermo Domini*, *dicens: Iſraël erit nomen tuum.* Cujus mutatio nominis, non videtur ad rem; niſi ob id ſacra oracula hujus mutationis meminiſſe dixerimus; quia ut legitur Geneſ. 32. in eo loco Jacob luctatus cum Deo, mutationem nominis accepit; cujus rei cauſa, beneficio tanto affectum Jacobum, erexiſſe altare iſtud credendum eſt; de quo 3. Reg. loco citato, fuiſſe deſtructum temporibus Eliæ ſcribitur.

Vel etiam ſuſpicari poteſt, quod quemadmodum Rubenitæ, & Gaditæ cum dimidia Tribu Manaſſes, qui remanſerant citra Jordanem; in teſtimonium communis religionis cum reliquis Tribubus, quæ hæreditatem habebant ultra Jordanem, altare excitarunt; more fortaſſe ſeculi, quemadmodum poſtea Romanos, ac Græcos ſæpè feciſſe legimus.

A Pari, ut puto, ratione, cum ſub Roboamo filio Salomonis, regnum Iſraëliticum diviſum fuiſſet; decemque Tribus Jeroboam ſibi Regem elegiſſent, ut dicitur 3. Reg. cap. 12. hi qui Jeroboamo adhæſerant; ne à communi religione Iſraëlitica defeciſſe viderentur; altare ut arbitror in monte illo extruxerunt, amicitiæ, communiſque religionis indicem. exemplo fortaſſe Rubenitarum, & Gaditarum, qui aliàs ut vidimus, hoc fecerant: nam populus quoque harum duarum Tribuum, cum reliquis octo, Jeroboamo adhæſerant.

Certum enim eſt, non ſtatim, ac Jeroboam in Regem electus fuit; illico à veri Dei cultu diſceſſiſ-
B ſe: monuerat enim illum Ahias Silonites, qui divino juſſu, Regnum eidem prædixerat; ne à divina lege diſcederet, his verbis: *Si igitur audieris omnia quæ præcepero tibi*, *& ambulaveris in viis meis*, *& feceris quod rectum eſt coram me*, *cuſtodiens mandata mea*, *& præcepta mea*, *ſicut fecit David ſervus meus*, *ero tecum.* 3. Reg. cap. 11. Quamobrem ſtatim, ac inauguratus fuit, à divina lege nequaquam diſceſſit: hac enim Regis defectione, Iſraël uſque tunc in vero Dei cultu educatus, à Rege quoque defeciſſet; nec ad regnum admiſiſſet, quem à Deo, & à lege ejus apoſtataſſe cognoviſſet. quamobrem non placet conjectura, quam diximus de altari illo à Jacobo erecto,
C cum ſacræ Litteræ nihil de eo habeant.

Jeroboam quoque illud altare Domini, in Carmelo olim erexiſſe, in teſtimonium communis religionis Iſraëlitarum, cum Judæis Jeroſolymitis, ſuſpicari poteſt: quæ conjectura ſacris innititur oraculis. nam 3. Reg. 12. dicitur: *Aedificavit autem Jeroboam Sichem in monte Ephraim*, *& habitavit ibi*, *& egreſſus inde ædificavit Phanuel.* & quamvis aliqui putent, nomen iſtud Phanuel alicujus eſſe urbis vel oppidi, ſacrorum tamen oraculorum aliquo teſtimonio, nequaquam id convinci poteſt: nam loci hujus appellationem à Jacobo veniſſe conſtat ex cap. 32. Gen. cum enim ibi luctatus eſſet Jacob cum Deo,
D ac Jacobo mutatum fuiſſet nomen, dicitur: *Vocavit Jacob nomen loci illius Phanuel dicens; vidi Deum facie ad faciem*, *& ſalva facta eſt anima mea.* quamobrem locum hunc celebrem fuiſſe conſtat, in memoriam divini beneficii, ac proinde licuiſſe in eo excitare altare dicitur Exodi 20. Conſueviſſe autem Iſraëlitas, nomina altaribus indicere, quæ excitabant; pluribus poteſt probari teſtimoniis. cum igitur ibi 3. Reg. 12. ſcribatur Jeroboam in exordio ſui regni ædificaſſe Phanuel, quo nomine divinitas ibi indigitatur, & nomen Dei exprimitur; de altari iſto à Jeroboamo ædificato intelligi hæc poſſunt, & nomen illi indictum Phanuel. nam in eo etiam loco, quem ut ſa-
E crum venerabantur Iſraëlitæ; aliquando templum, Samaritæ ſub Sanabalath excitarunt. Illud igitur altare poſtmodum à Jeroboamo excitatum, eo ad idola declinante, à Sacerdotibus excelſorum dirui potuit: & denique ab Elia denuo excitatum in teſtimonum communis religionis.

Nam cum Jeroboam primus Rex Iſraël advertiſſet, populum ſibi ſubditum, juxta præceptum divinum, ter ſaltem in anno in Jeruſalem proficiſci; quod ſola experientia agnovit; cœpit fortaſſe ſuſpicari, ne religionis cauſa, populus Regi Judææ jungeretur, & ab eo declinaret; in quam ſuſpicionem, ex frequentia ſolius religionis, & cultus, venire potuit; ut ex
F his liquido conſtet, in primordiis Regni Iſraëlitici, à communi religione, decem Tribus non diſceſſiſſe; ſed tantum poſtmodum, Rege ad Idola inclinante: qui propterea vitulos aureos conflavit, ne prætextu religionis populus ab eo diſcederet, ſed eodem prætextu in obedientia, & in Iſraëlitico regno contineretur. Accedente etiam Regio ejus edicto, in quo cavebatur, ne quis Jeroſolymam prætextu religionis peteret.

peteret. quod quidem edixiſſe Jeroboam, ſuſpicari poteſt ex cap. 11. lib. 2. Paralip. ubi dicitur: *Sacerdotes autem & Levitæ, qui erant in univerſo Iſraël, venerunt ad eum de cunctis ſedibus ſuis, relinquentes ſuburbana, & poſſeſſiones ſuas, & tranſeuntes ad Judam, & Jeruſalem: eo quòd abjeciſſet eos Jeroboam, & poſteri ejus, ne ſacerdotio Domini fungerentur.* & parum infra: *Sed & de cunctis Tribubus Iſraël, quicumque dederant cor ſuum, ut quærerent Dominum Deum Iſraël, venerunt in Jeruſalem, ad immolandum victimas ſuas coram Domino Deo Patrum ſuorum.* Ex quibus non obſcurè colligitur; propterea plurimos declinaſſe à Jeroboam, quod eos communem Moſaicam religionem relinquere juſſiſſet.

Illud etiam poſterius altare, quod 3. Regum cap. 18. erectum fuiſſe legimus ab Elia Propheta, de quo dicitur; *Et accedente ad ſe populo curavit altare Domini, quod deſtructum fuerat, & tulit duodecim lapides, juxta numerum Tribuum filiorum Jacob, ad quem factus eſt ſermo Domini, dicens: Iſraël erit nomen tuum, & ædificavit de lapidibus altare in nomine Domini;* poſſumus appellare altare communis religionis. Nam quamvis ſuper hoc altare ſacrificia obtulerit Elias; non alia tamen de cauſa illa obtulit, niſi in teſtimonium veri Dei. ſic enim oravit Elias ad illud altare: *Exaudi me Domine, exaudi me, ut diſcat populus iſte, quia tu es Dominus Deus, & tu convertiſti cor eorum.* nec ſuper illud altare aliquando poſtmodum, ſacrificia oblata fuiſſe leguntur. itaque in teſtimonium Deitatis, & communis religionis; quam habere tenebantur Iſraëlitæ, cum Judæis; utque cognoſcerent, illum ſolummodo Deum adorandum eſſe, qui apud Judæos Jeroſolymis colebatur, propterea erectum fuiſſe legimus hoc altare ab Elia.

Quamobrem ſi de nomine agendum fuerit, eodem vocabulo, hoc ab Elia excitatum, merito appellari debet; quo aliquando Rubenitæ, Gaditæque cum dimidia Tribu Manaſſes appellarunt, quod erexerunt; nimirum, *Teſtimonium noſtrum, quod Dominus ipſe ſit Deus*: ita de altari ab Elia excitato dicitur, illum oraſſe Deum hac forma: *Domine Deus Abraham, & Iſaac, & Iſraël, oſtende hodie, quia tu es Deus Iſraël:* & cum cecidiſſet ignis de cœlo, & conſumpſiſſet ſacrificia omnia, quæ in altari erant, populi aſtantes ceperunt clamare: *Dominus ipſe eſt Deus, Dominus ipſe eſt Deus.* Igitur hoc quoque altare appellari poterit, *Teſtimonium noſtrum, quod ipſe ſit Deus.* Licet illud altare, quod Rubenitæ, atque Gaditæ ad ripam Jordanis erexerant, non ad holocauſta, aut ſacrificia illud erexiſſe ſciamus; quemadmodum Eliam ſuper hoc Carmelitanum altare feciſſe cognovimus ex ſacris oraculis: nec mirum, nam miraculo deſcenſus ignis de cœlo; hic probanda fuit veritas divinitatis ejus Numinis, quod prædicabat Elias; quæ quidem minimè ambigebatur, quando Rubenitæ, & Gaditæ aliud excitarunt altare.

C A P. LIX.

Ruſticorum altarium ſtructura explicatur.

Ad loca Exodi 20. *Quod ſi Altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de ſectis lapidibus* 3. Reg. 18. *Et accedente ad ſe populo, curavit Altare Domini, quod deſtructum fuerat; & tulit duodecim lapides, juxta numerum Tribuum filiorum Jacob, & ædificavit de lapidibus Altare in nomine Domini.* & ad alia plura loca.

A RELIGIONIS cauſa, ea altaria excitata jam à nobis dicuntur; quæ ſacrorum faciendorum de cauſa, ex lapidibus in loco aliquo divinæ memoriæ dicato ſtatuebantur: nam de æneis, ac portatilibus altaribus, cum de Moſaico erit ſermo, infra agetur: de Ethnicorum altaribus, agendum à nobis non erit, niſi obiter, pro ſacris nimirum explicandis, à quibus nulla ratione recedere oportet. Itaque à tempore, exordio ſumpto, inveſtigandum occurrit; quandonam, & quo tempore altaria lapidea in ſacris litteris excitari cœperint. nam licet de his in Moſaicis libris cōſilium habeatur; præceptum tamen nullum extat; ut propterea non ex præ-
B cepto aliquo, lapidea altaria excitata appareant; ſed tantum cum permiſſa eſſent; forma, & qualitas lapidum, ex quibus facienda eſſent, à Deo præſcribitur Exodi 20. his verbis: *Quod ſi altare lapideum feceris mihi*, ſupple ô Iſraël, *non ædificabis illud de ſectis lapidibus.*

Materiam lapidum jam tenemus; altarium iſtorum exordium ambigitur: & quamvis 1. Reg cap. 14. primum altare lapideum Deo erectum videatur, ad victoriam celebrandam, quam populus Iſraël fugatis Philiſthæis obtinuit: de quo in textu dicitur: *Ædificavit autem Saul altare:* hoc autem potius accipitur de aliquo titulo erecto à Rege, ad memoriam
C reportatæ victoriæ, quam de altari ſacrorum de cauſa: cum ibi nec Tabernaculum, nec ſacra Dei Arca adeſſent. Quibus etiam Joſephus lib. 4. Antiq. cap. 7. aſſentiri videtur.

Verius igitur, me judice, dicetur Eſdram, poſt reditum de Babylone, primum altare lapideum apud Iſraëlitas in Dei cultum erexiſſe: quod ex cap. 3. lib. 1. ejuſdem colligi videtur. ſic enim ibi legitur: *Et ſurrexit Joſue filius Joſedech, & fratres ejus Sacerdotes, & Zorobabel filius Salathiel, & fratres ejus, & ædificaverunt altare Dei Iſraël, ut offerrent in eo holocautomata, ſicut ſcriptum eſt in lege Moyſis viri Dei: collocaverunt autem altare Dei ſuper ba-*
D *ſes ſuas, deterrentibus eos per circuitum populis terræ, & obtulerunt ſuper illud holocauſtum Domino mane, & veſpere.*

Huic tamen lapideo altari pugnare videbantur illa verba, *Collocaverunt autem altare Dei ſuper baſes ſuas:* quæ de aliquo lapideo ædificio accipi poſſe, nequaquam videntur; ſed potius de aliquo altari portatili, vel æreo, quale erat Salomonium. ſed hebraicus textus lapideam ſtructuram magis propriè ſubindicans, ab his ambagibus nos liberat, cum ita legat: וַיָּכִינוּ הַמִּזְבֵּחַ עַל מְכוֹנֹתָיו hoc eſt, *Et firmaverunt altare ſuper ſubſtructiones ſuas.* Conſueverunt enim architecti, faſcia aliqua lapidea, aut lateritia, ornatus gra-
E tia, cingere ædificia; cujus fortaſſe generis iſtæ ſubſtructiones fuerunt; ſuper quas Iſraëlitæ redeuntes à captivitate Babylonica, altare ſuperpoſuerunt: qua de cauſa Septuaginta fortaſſe dixerunt: ϰ ἡτοίμασαν τὸ θυσιαςήϱιον ἐπὶ τὴν ἑτοιμασίαν αὐτȣ. ideſt, *Et ſtabiliverunt altare ſuper ſtabilimenta ſua.* nimirum ſuper baſes, ſive ſubſtructiones quas fecerant ad altare illis ſuperimponendum. cumque ſuperimpoſitionem altaris verbo ἑτοιμάζω, Septuaginta dixerint, & ſubſtructiones, vocabulo ab eodem derivato explicuerint; liquido conſtat, non ex alia materia, quam ex lapide totum illud altaris ædificium extitiſſe: quod cum Machabæorum tempore prophanatum à
F gentibus fuiſſet, eo deſtructo, aliud Judæi reædificaverunt; ut dicitur lib. 1. Machab. cap. 4. his verbis: *Et acceperunt lapides integros ſecundum legem, & ædificaverunt altare novum, ſecundum illud quod fuit prius.*

Numerus quoque lapidum in ædificatione altarium, juxta ſacra oracula, non erit contemnendus; quem maximè præ oculis habuiſſe, zelantiſſimum Eliam

Eliam ſcimus ex 3. Reg. c. 18. cum fœderis renovandi cauſa, inter Deum, & decem Iſraëliticas Tribus, altare in Carmelo ſummo Numini excitaviſſe. de quo ſic dicitur: *Et accedente ad ſe populo, curavit altare Domini, quod deſtructum fuerat, & tulit duodecim lapides, juxta numerum Tribuum filiorum Jacob, ad quem factus eſt ſermo Domini, dicens: Iſraël erit nomen tuum. & ædificavit de lapidibus altare in nomine Domini.* Et ne quis exiſtimaret lapides iſtos, in ſtructura altaris conglomerandos, atque ſine delectu coacervandos, dicitur Deuter. cap. 27. *Cumque tranſieris Jordanem, in terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi, eriges ingentes lapides, & calce levigabis eos, ut poſſis in eis ſcribere omnia verba legis hujus.* Quamvis autem hic nihil de duodenario lapidum numero; quia tamen ibidem parum infra dicitur, altare illud ædificandum *de lapidibus, quos ferrum non tetigit; de ſaxis informibus & impolitis*; perſpicuè conſtat, in his Deum ad illam legem reſpexiſſe; quam cap. 20. Exodi, jam à nobis hic relato, in Sina tradiderat. & ab hoc ritu Moſaico factum fuiſſe puto; ut deinceps quoties fœdera firmarentur, inter populum Iſraëliticum & Deum, vel renovarentur, toties nequaquam* duodecim altaria, ſed duodecim tantum lapides rudes, in unico altari agglomerarentur: qui nulla ratione ferro expoliti aſſumendi jubebantur.

Hæc rudia altaria, lapideis ex tabulis, ædificata fuiſſe, ex aliquo monte, montiſque vena conſtat: ligneo nimirum inſtrumento, aut lapide proſciſſis tabulis, atque alteri altera ſuperimpoſita, donec aptum altare, ex duobus ſaltem lapidum ordinibus conſtitueretur; quorum quiſque, ſex haberet lapides ſuperpoſitos ad holocauſti altare conſtituendum. Horum altarium ſylveſtrium plurima Iſraëlitis excitare

A licuiſſe, quoties in locis ſylveſtribus, ob memoriam alicujus beneficii à Deo accepti, ſacrum eidem facere vellent, certiſſimè probat, vel illud Prophetæ Pſalm. *Conſtituite diem ſolemnem in condenſis, uſque ad cornu altaris.* vel quia nullibi id prohibuerat Deus; ſed potius expreſſis verbis permiſerat, dicens Exodi 20. *Quod ſi altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de ſectis lapidibus.* & locum decernens, ſubdit: *in omni loco, in quo memoria fuerit nominis mei, veniam ad te, & benedicam tibi.*

Ab iſto ruſticorum altarium ritu, idololatræ nequaquam abſtinuerunt; ſed divinæ majeſtatis æmuli, in omnibus ſacrarum litterarum inſtituta curare
B non deſierunt. qnamobrem apud Apollon. Argon. lib. 1. cum montanæ Junoni Jaſon ſacrificare deberet, ex vaticinio Mopſi, ſic de altari dicitur verſ. 1123.

βωμὸν δ' αὖ χεράδος παρενήνεον· ἀμφὶ δὲ φύλλοις
στεψάμενοι δρυΐνοισι θυηπολίης ἐμέλοντο.

hoc eſt,

Aramque hinc de cumulo acervarunt lapillorum;
circum autem foliis
Coronantes quernis, jam ſacrum curabant.

Cujus eſſet formæ hoc altare Argonautarum, nobis ignotum eſt; verum ſi ad antiqua altaria re-
C fugiendum eſſet; hujuſmodi altaris exemplum etiam ex Ethnicis, inter monumenta vetera Brixiana haberemus, relata ab Octavio Roſcio: quamobrem quamvis ex ſacris oraculis, ruſticorum altarium forma, methoduſque coacervandi, atque conglomerandi lapides, ſacrorum de cauſa, ignota omnino ſit; ſi tamen ab Ethnicis furta ſuffuranda eſſent; hanc ex Octavio Roſcio ruſtici altaris formam accipiemus.



Licuiſſe autem Iſraëlitis, hæc ruſtica altaria excitare, illud Saulis cap. 14. lib. 1. Reg. ſubindicat; ubi dicitur, Saulem ædificaſſe altare Domino, ob victoriam quam reportaverat de Philiſthæis. ſic etiam Samuel iturus in Bethlehem, ut Dei monitu, David ungeret; ſimulavit ſacrificii cauſa ſe illò ire; quamobrem vitulum quoque ſecum adduxit: quia nimirum plurima beneficia contulerat Deus, Jacob ibi aliquando pertranſeunte. Ita pariter Davidis ſeculo, cum peſtis propter peccatum Regis, in populum graſſaretur, ut dicitur 2. Reg. cap. 24. & lib. 1. Paralip. cap. 21. David ædificaſſe altare Domino, in area Ornan Jebuſæi ſcribitur; in qua Angelum percutientem populos conſpexerat; quamvis nec Tabernaculum, neque altare holocauſtorum, quod Moyſes conſtruxerat, in ea area Ornan Jebuſæi haberetur; ſed in excelſo Gabaon, quò adire timuit David. ſic enim legitur 1. Paral. cap. 21. *Tabernaculum autem Domini, quod fecerat Moy-*
F *ſes in deſerto, & altare holocauſtorum, ea tempeſtate erat in excelſo Gabaon; & non prævaluit David ire ad altare, ut ibi obſecraret Deum; nimio enim fuerat timore perterritus, videns gladium Angeli Domini.*

His illuſtratur locus Joan. 4. apud quem Samaritæ diſſidebant; non quidem de cultu cum Judæis, ſed de loco, in quo exhibendus eſſet Deo cultus. Ju-

dæi Hieroſolymitanum auguſtiſſimum habebant Templum; ibique tantum Deo exhiberi debitum cultum affirmabant. nec enim tunc dum hoc diſſidium inter hos eſſet, Judæi in Templo Arcam ſacram, aut lapideas tabulas digito Dei ſcriptas habebant, aut Ephod, aut aliquid aliud ex ſanctioribus à Moyſe latis; ſed tantum in illo templo, Deum colendum Judæi dicebant; quia ibidem, aliud Templum, cum illis ſanctioribus, jam olim à Salomone conſtructum fuiſſet. Samaritæ in monte Garizim aliud ædificaverunt Templum, hicque Dei cultum exhibendum monſtrabant; quia alias à Jacob in monte iſto, Deum adoratum ſciebant, ibique Deum plurima in Jacob beneficia contuliſſe. Sic enim dixit illa mulier ad Chriſtum, Joan. 4. *Patres noſtri in monte hoc adoraverunt, & vos dicitis, quia Hieroſolymis eſt locus, ubi adorare oportet.* Hæc autem Samaritanorum doctrina, aut lis, atque diſſidium cum Judæis; me judice, legis innitebatur fundamento; in qua cap. 20. Exodi, Deus Iſraëlitis, in quocumque loco erigere altaria conceſſerat; in quo aliquo beneficio ſingulari homines affeciſſet; cujus beneficii memoria ibi haberetur; ut in monte illo, fonte, & agro, in quo Jacob erexiſſe altare Deo ex cap. 33. Geneſis cognoſcimus; ut propterea Samaritæ in monte illo adorationem licitam fore affirmarent.

Duodenarius autem numerus, quamvis nullibi in ſacra lege expreſſus habeatur; ex hoc tamen facto Eliæ ſubodorari debet: quia enim fœdus tunc inter Deum, & decem tantum ex Iſraëliticis Tribubus, quæ à Rege Juda receſſerant, renovabatur; non erat Eliæ cur duodecim, & non potius decem ſolum lapides, ad excitandum illud altare aſſumeret: imò denarius lapidum numerus ad rem magis, quam duodenarius cenſetur. Ad numerum igitur illum duodenarium, Eliam aliqua lege, aut ſtatuto Reipublicæ arctatum fuiſſe, certò tenendum eſt. & re vera numerus hic lapidum, in altaribus, & fœderibus, ſubindicatus videtur cap. 24. Exodi, quando fœderis ſtabiliendi cauſa inter Deum, & Iſraëliticam gentem, Moyſem in monte Sina, altare erexiſſe legimus his verbis: *Et mane conſurgens ædificavit altare ad radices montis, & duodecim titulos per duodecim Tribus Iſraël.* Propterea illa quoque altaris hujus lex Deuteronom. 27. in eodem lapidum numero intelligenda erit. Cum igitur ab Joſue cap. 8. altare ædificatum legamus, atque etiam lib. 1. Machab. cap. 4. in reædificatione, ſive renovatione Templi, altare reædificatum cognoſcamus his verbis: *Et acceperunt lapides integros ſecundum legem, & ædificaverunt altare novum, ſecundum illud quod fuit prius, & ædificaverunt ſancta, & quæ intra domum erant intrinſecus, & ædem, & atria ſanctificaverunt.* Numerus lapidum ad duodenarium coarctandus erit, nec excedendus, aut minuendus, ne legis ritum tranſiſſe Judæi putarentur.

Duodecim enim, Exodi cap. 24. altaria conſtituta fuiſſe, juxta numerum filiorum Iſraël, & aliud altare nomine Moyſis, Leviticæque familiæ, non videtur affirmandum; ut tredecim fuerint altaria; ſed potius unum altare majus, in quo membra hoſtiarum duodecim cremarentur: duodecim verò lapides erectos cum eo, in quibus duodecim juvenes, hoſtias mactarent, ſecarent, partirentur, atque fortaſſe etiam ſanguinem cum thure incenderent; propterea non duodecim altaria, ſed duodecim titulos erexiſſe Moyſem dicitur: & lapides qui tituli in noſtro textu dicuntur; in hebraico מַצֵּבָה matſebhah appellantur: quod propriè ſignificat lapides ſtantes, veluti mediæ columnæ; atque etiam quicumque lapides, in cultu ſacrorum ea voce ſignificantur; qui in agris & locis agreſtibus ſtatuebantur. Duodecim verò aſſumendi dicuntur; quia in fœderibus ſtabi-

A liendis, ad numerum illorum, qui veniebant in fœdere, altaria erigi conſueviſſe ſubodoratur ex Num. 23. cum Balam augur, ut gratificaretur Balach Regi Moabitarum, populum Iſraëlem maledicturus acceſſiſſet. tunc enim quia ſeptem Regum, ac Gentium nomine, ſacra ab eo habebantur, ſeptem aras ædificari Balam juſſit. ſic enim legitur: *Aedifica mihi hic ſeptem aras, & para totidem vitulos, ejuſdemque numeri arietes.* quod ſecundo & tertio feciſſe Balach ibidem ſcribitur. quamobrem quia pro duodecim Tribubus Iſraël, fœdus à Moyſe cum Deo feriebatur Exodi 24. atque etiam pro tribu Levitica, quæ inter duodecim tunc adhuc numerabatur; propterea B non ſolum altare, ſed etiam duodecim titulos, Moyſem ibidem erexiſſe ſcribitur.

Sed ſi quis vellet, non quidem titulos, ea ratione qua diximus, ſed verè Moyſem erexiſſe altaria, quia dicitur: *Et mane conſurgens*, ſupple Moyſes, *ædificavit altare ad radices montis, & duodecim titulos per duodecim tribus Iſraël, miſitque juvenes de filiis Iſraël, & obtulerunt holocauſta, immolaveruntque victimas pacificas Domino vitulos;* non videretur im-C probabile. Nam ex ſacro textu, duodecim illi iuvenes obtuliſſe holocauſta videntur, & victimas pacificas, in convivium populi ſuæ Tribus: quamobrem dicitur infra ibidem: *Videruntque Deum, & comederunt, ac biberunt.* De holocauſto etiam legitur Num. 23. Balam conſtituente Balac regem, ad unam ex erectis aris, atque eidem dicente. *Sta pauliſper juxta holocauſtum tuum, donec vadam, ſi forte occurrat mihi Dominus.* quod ſecundo & tertio replicavit. Holocauſta verò nequaquam ſuper titulos, ſed in altari offerebantur, atque cremabantur: igitur duodecim quoque titulorum nomine, erecta Exodi 28. duodecim altaria, ad numerum duodecim filiorum Iſraël, holocauſtorum, & pacificorum cauſa, non eſſet improbabile. non enim unico tantum altari à Moyſe erecto tunc ad radices montis, videtur potuiſſe duode-D cim vitulos concremari, pariterque concoqui, in convivium totius populi, ut omnes de populo Iſraël, ſacris veſcerentur.


Simili quoque lege duodenarii numeri, quæcumque altaria erecta fuiſſe, de quibus ſacra loquuntur oracula, exiſtimandum erit. illud nimirum quod erexit David ad aream Ornam Jebuſæi, 2. Reg. 24. quod etiam poſt mortem Antiochi, à Machabæo excitatum legimus 2. Machab. cap. 10. & alia quæcumque exemplo Eliæ ex 3. Reg. cap. 18. excitata arbitramur. Et de altari in templo Herodis conſtructo, ſic dicitur à Joſepho lib. 6. de bello Jud. cap. 6. ſecundum Ruffin. vel 14. juxta Græcum exem-E plar: *πρὸ αὐτοῦ δ' ὁ βωμὸς πεντεκαίδεκα μὲν ὕψος ἦν πηχέων, εὖρος δὲ καὶ μῆκος ἐκτείνων ἴσον ἀνὰ πεντήκοντα πήχεις. τετράγωνος δ' ἵδρυτο, κερατοειδεῖς προανέχων γωνίας, καὶ ἀπὸ μεσημβρίας ἐπ' αὐτὸν ἄνοδος ἠρέμα προσάντης ὑπτίαστο, κατεσκευάσθη δ' ἄνευ σιδήρου, καὶ οὐδέποτε ἔψαυσεν αὐτοῦ σίδηρος.* hoc eſt, *In anteriori verò* (ſupple templi) *ara quindecim quidem cubitis alta erat, latitudo verò & longitudo ſimul vigintiquinque cubitos. quadrataque ſtans, cornutis quaſi angulis eminebat, & à meridie aſcenſus in eam clementer arduus reſupinabatur. parata autem fuerat ſine ferro, & numquam ferrum eam tetigerat.* & ſine ferro paratam dici hanc Aram à Joſepho, in obſervantiam legis à Deo latæ F Exodi 20. certum eſt. Quamobrem in hac quoque erigenda, duodenarium lapidum numerum ſervatum fuiſſe credere oportet.

Dubitandum non occurrit, cujus capacitatis altaria hæc lapidea eſſent, quæ ab Iſraëlitis excitata legimus. nam holocauſta, hoſtiaſque pacificas, in convivium populi oblata fuiſſe, ſacra teſtantur oracula. potius igitur de altaribus, & illorum capacita-

te,

te, quæ ab idololatris in ſuperſtitioſum, ac domeſticum cultum erecta ſcimus, dubitandum videtur hæc enim nec amplitudine fuerunt extenſa, nec altitudine elevata cognovimus; ſed femora Sacerdotis ſacrificantis interdum æquabant, aut vix excedebant: quemadmodum communiter lapides veteres, Nummi, ac veterum monumenta omnia teſtantur, Romæ inter urbis ruinas ſparſim reperta. Sunt enim alia altaria quadrata, rotunda, trigona etiam, altiora alia, alia minus alta, nulla tamen ferè conſpiciuntur in eo genere, nec in lapidibus, nec in nummis, quæ integræ hoſtiæ tauri, nimirum arietis, aut ſuis, etiam diſciſſis, ac ſecatis membris, capacia videantur. quapropter dubium aliquando apud me fuit, num communia Ethnicorum ſacrificia, ſolo ſanguine, atque aliquarum partium pinguium victimarum, una cum thure fierent; an verò totius victimæ, atque hoſtiæ combuſtione, eadem complerentur. quamobrem licet apud Scriptores nihil de hac re dubitatum aliquando viderim; re tamen pro poſſe animadverſa, diſtinguendum putavi inter altaria Ethnicorum: ut aliqua nimirum ſtabilia, Di-

A iſque Cœleſtibus erecta conſpicerentur in templis, alia verò Diis Manibus, atque Heroidibus, Semideis, Laribus, & his ſimilibus, juxta Ethnicorum diſtinctionem. Iſtorum altaria minime grandiora erant; ſed in his ſanguine, adipe aliquo, & thure ſacrificabatur; membra reliqua in ſacrificantium convivium ceſſiſſe, res eſt aperta. itaque domeſticorum, ut diximus, altarium communis erit forma; atque propterea inter aram, altare, & titulum diſtinguendum arbitror; ut hi lapides, in quibus hoſtiarum capita in nota ſacrorum conſpiciuntur; nulla ratione intus vacui ſint; ſed unico lapide conſtituti, tituli potius appellandi, quam altaria videantur. ratio perſpicua eſt: nam altaria ſic dicuntur ab ara elevata, & in altum poſita; in his autem lapidibus nulla apparet ara; ſed in plano ſuperiori ignis ad ſacra accendebatur; ut ipſimet hujus generis lapides foculi appellari debeant; minimè verò altaris nomen, propriè illis accommodetur. alterum tantum ex illis Fig. A. delineatum dedimus, ut ex eo reliqua innoteſcant.



Sunt autem capita hæc victimarum præciſa, cum feſta fronde, & aliis quæ ibi cernuntur ornamentis, pietatis, ac Ethnicæ religionis ſigna; quæ paſſim in veterum altaribus, ac monumentis cernuntur; ut hac nota ſacra à non ſacris in lapidibus diſcernantur: cumque apud Iſraëlitas tria ſacrificiorum genera haberentur; nimirum holocauſtum, ſacrificium pro
E peccato, & denique ſacrificium pacificorum; ex quibus duobus poſtremis ſacrificiorum generibus, quamvis Sacerdotibus, & his qui ſacra faciebant, membra diſciſſa hoſtiarum in victum, atque convivium cedere lege provideretur; in holocauſto tamen id vetabatur: nec enim pars aliqua, aut membrum aliquod hoſtiæ, in holocauſtum oblatæ, in cibum Sacerdotum, aut ſacrificantium cedebat; ſed totum omnino comburebatur. dicebatur enim holocauſtum à græco ὁλοκαύτωμα, voce formata ab ὅλον, quod eſt *totum*, & καίω, quod eſt *comburo*; quaſi diceretur, ut re vera erat, ſacrificium totum combuſtum. Erat enim holocauſtum ſacrificii genus, quo
F ſupremum Dei dominium in creaturis, ejuſdemque omnipotentia à populis confitebatur.

Cum igitur inter altaria Ethnicorum ex lapidibus antiquis, nullum viderim unius diſſectæ hoſtiæ capax; dubius ſemper fui; an Ethnici in numero ſuorum ſacrorum, holocauſtum quoque reponerent. Verum auctoritate Plutarchi, ambagibus occurſum eſt: eo enim auctore cognovi Ethnicos etiam, ut ſua κακοζηλίᾳ, divina inſtituta æmularentur, holocauſtum quoque habuiſſe. Ille enim lib. 6. Sympoſ. quæſt. 8. cauſas quærens Bulimi Græcorum, nimirum quidnam ſibi vellet illa cæremonia ejiciendi extra urbem, captivorum aliquem verberatum, proclamandique ἔξω βούλιμον, dum ejiceretur, ait: ἐδόκει δὲ ἡ βούβρωσις ἕτερον εἶναι. τὸ δὲ τεκμήριον ἐλαμβάνομεν ἐκ τῶν μητροδώρου ἰωνικῶν. ἱστορεῖ γὰρ ὅτι σμυρναῖοι τὸ παλαιὸν αἰολεῖς ὄντες, θύουσι βουβρώστει ταῦρον μέλανα, καὶ κατακόψαντες, αὐτόδωρον ὁλοκαυτοῦσιν. hoc eſt: *Videbatur autem diverſum eſſe à Bubroſti*, ſupple bulimum, *argumento ſumpto ex Ionicis Metrodori. narrat enim is, Smyrnæos olim Aeolenſes Bubroſti taurum nigrum ſacrificare conſueviſſe, & conciſum in fruſta, una cum ipſa pelle eumdem taurum holocauſtum obtuliſſe.* Sic etiam apud Apollon. Argonaut. lib. 3. Medæa Jaſonem inſtruit, de ſacris agendis in honorem Hecates, ut illius ope tuto, aureum vellus auferre poſſet. In his de agna ſacrificanda in holocauſtum eum admonet, dicens:

βόθρον ὀρύξασθαι περιηγέα· τῷ δ᾽ ἐνὶ θῆλυν
ἀρνειὸν σφάζειν, καὶ ἀδαίετον ὠμοτεθήσω
αὐτῷ πυρκαϊὴν εὖ νηήσας ἐπὶ βότρῳ.

Cum igitur hic in ſacrificio, præcipiat Medæa; agnam integram ſupra ſtruem lignorum, igne ſuppoſito concremari, & nihil illius cedere in cibum ſacrificantis, aut aliorum; utique de holocauſti ſacri-

crificio, locus intelligendus erit. ſic enim interpretantur verba Apollonii.

Foveam effode orbicularem, in ea femellam
Agnam macta, & integram impone
Ipſam, rogo probè acervato ad foveam.

Quem ſacrorum ritum, planè obſervatum ſcimus à Jaſone, in eodem Apollonio parum infra. Jam igitur Græcos habuiſſe holocauſtum perſpicuum eſt, præter alia ſacrificia, in quibus pars aliqua ſacrorum, & hoſtiarum membra, in convivium Sacerdotum, ſacrificantiumque cedebant.

Romanos quoque holocauſtum habuiſſe, ſuſpicari poſſet; dicente Iſid. lib. 6. Orig. *Holocauſtum illud eſt, ubi totum igne conſumitur quod offertur.* Et ſtatim explicans utrum veteres illud habuerint, ſubdit: *Antiqui enim cum maxima ſacrificia adminiſtrarent; ſolebant totas hoſtias, in ſacrorum conſumere flamma, & ipſa erant holocautomata,* ὅλον *enim græcè totum dicitur,* καῦσις *incenſio, & holocauſtum totum incenſum.* hæc Iſidorus, ex quibus colligi videtur Romanos etiam holocauſtum habuiſſe: ſed quia poſſet Iſidorus interpretari de Iſraëlitis tantum, & non de Ethnicis; huic Iſidori loco, Feſtus accedit, qui cujuſdam meminit ſacrificii, quod *Proptervia*, apud veteres dicebatur, in quo integra hoſtia comburebatur; ut vult Stuchius in ſuo de Antiquorum ſacrificiis libro; & citat Feſtum Pauli. quorum verba hæc ſunt: *Propterviam fuit ſacrificium, quod eſt proficiſcendi gratia Herculi, aut Sanco, qui idem eſt Deus.* Admonuit autem Stuchius nequaquam legendum eſſe Proterviam, ſed *propter viam*, duabus dictionibus, præpoſitione nimirum *Propter*, & dictione *Viam* coëuntibus; & hoc ex auctoritate Antonii Auguſtini. Verum quicquid ſit de lectione, in verbis Feſti nihil, ut conſtat, de totius victimæ combuſtione.

Suſpicarer quidem ipſe Romanos quoque habuiſſe holocauſtum; & hujus ſacrificii de cauſa, aram maximam Herculi dicatam in Capitolio conſtitutam extitiſſe. Obſtat tamen tum Macrobius, tum etiam Roſinus in Antiquitatibus, huic meæ ſuſpicioni, cum de Potitiis, atque Pinariis, Romanorum familiis tractant: apertè enim dicunt hoſtias Herculi in ara maxima combuſtas, Sacerdotibus ceſſiſſe in cibum: quamobrem totum holocauſtum in illa ara fuiſſe concrematum, nulla ratione affirmari poſſe puto; cum ſacrificii pars rem aliquam in cibum ſacrificantium ceſſiſſe perſpicuum ſit. Verum his de holocauſto miſſis, altaria habuiſſe Romanos, in quibus tota poſſet cremari victima, probat nummus Tiberii in honorem Auguſti cuſus; in quo conſpicitur ara, in ſuperiori plano ab uno extremo ad aliud excavata; cujus pars excavata, frondibus quibuſdam terminatur, quæ ut infra dicemus, cratem ſuſtinebant; ſuper quam ſtrues lignorum parabatur, & membra victimarum imponebantur, ut cremarentur. cujus nummi exemplar exegimus Fig. B. iconis ſuperioris.

Conſpiciuntur etiam hic in fronte altaris annuli, quibus porta aliqua claudi videtur, quia hæc altaria erant vacua, ut infra videbimus. & quoties in altaribus forma talis conſpicitur; toties altaria ſtabilia in his agnoſci debent, ad uſum templorum, Deorum cœleſtium, ſacrorum ſolemnium, & diſtinctionem veram horum altarium ſtabilium ab aliis domeſticis; qui potius, ut dicebamus, foculi, & tituli dicendi fuiſſent, quam altaria, quorum formam cap. præcedenti oſtendimus.

A

CAP. LX.

Altarium ſtabilium apud Iſraëlitas celſitudo monſtratur.

Ad loca Joſue 22. *Cumque veniſſent ad tumulos Jordanis in terra Canaham, ædificaverunt juxta Jordanem altare infinitæ magnitudinis.* 2 Paralip. 4. *Fecit quoque altare æneum viginti cubitorum latitudinis, & decem cubitorum altitudinis.* In Eſdr. cap. 3. *Et ſurrexit Joſue filius Joſedech, & fratres ejus Sacerdotes, & Zorobabel filius Salathiel, & fratres ejus, & ædificaverunt altare Deo Iſraël, ut offerrent in eo holocautomata, ſicut ſcriptum eſt in lege Moyſis viri Dei, collocaverunt autem altare Dei ſuper baſes ſuas.* & ad alia plura.

B

IN his ſtabilibus altaribus, celſitudo eorumdem, ac altitudo, magis debet eſſe ſcripturalibus in negotium; ut ſacrorum oraculorum veram intelligentiam inveſtigantes, ſacrorum altarium formam expiſcari valeant. Excelſa enim declinare Iſraëlitæ cogebantur ex lege; omnia enim idololatrarum excelſa, non ſolum demoliri juſſerat Deus; ſed etiam caverat quam maximè ſuis legibus, atque ſtatutis,

C

ne Iſraëlitæ in excelſis montibus ſacra facerent: quod maximè, ut cœlo viciniores eſſent, idololatræ ſtudebant. quamobrem Nonnus in Dionyſiac. lib. 44. dum Agaves ſacrificium ſcribit num. 95. dicens:

Πειθομένη δ᾽ γέροντι σοφῷ φιλότεκνος Ἀγάβη
Εἰς ὄρος ὑψικάρηνον ὁμόστολος ἤϊε κάδμῳ
Πενθέος ἐσσομένοιο, καὶ εὐκεράῳ παρὰ βωμῷ
Θῆλυν ὄϊν κερόεντι συνέμπορον ἄρσενι ταύρῳ,
Ἧχε διὸς πέλεν ἄλσος ὀρειάδος ἔμπλεον ὕλης,
Ζηνὶ καὶ ἀδρυάδεσσι μίαν ξύνωσε θυηλήν.

Illam enim ad cacumen montis aſcendiſſe cum viro Cadmo ſcribit Poëta, ibique in montana ſilva,

D

Jovi ſummo, & hamadriadibus ſacrum feciſſe dixit in illis carminibus, quæ ſic interpretantur.

Obediens verò ſeni prudenti, filios amans Agave,
In montem altum cacumen habentem, comes ibat Cadmo
Luctu futuro, & bene cornutum apud altare
Feminam ovem, cornuto comite maſculo tauro,
Ubi Jovis erat nemus, montanæ plenum ſilvæ,
Jovi & hadriadibus unum communicavit ſacrificium.

Sunt etiam paſſim alia plura veterum Scriptorum, & ſacrarum litterarum loca; quibus id idololatris uſu

E

veniſſe probatur, ſimulque Iſraëlitis vetitum. quamobrem hæc altarium celſitudo non obiter erit prætereunda, ubi ſecus eos feciſſe apparebit. Licet enim poſtmodum Vero Numini ac Deo, Iſraëlitæ quoque in excelſis ſacra fecerint. ut 1. Regum, tempore Samuelis, & David in excelſo Gabaon aſcendere timuiſſe ſcribitur: non eſt tamen nobis ſermo, de celſitudine locorum, in quibus altaria ſtatuebantur, ſed de eorumdemmet altarium excelſa ſtructura. Nam Joſue cap. 22. cum Gaditæ, Rubenitæ, atque dimidia Tribus Manaſſe, honeſta miſſione à reliquis Tribubus ſeceſſiſſent, ultra Jordanem; quam regionem ſorte inter hereditarias poſſidendas obtinuerant;

F

in ripa Jordanis altare ædificaſſe altitudinis ſummæ ſcribitur ſic: *Cumque veniſſent ad tumulos Jordanis in terra Canaham, ædificaverunt juxta Jordanem altare infinitæ magnitudinis.* Utinam ab altaris hujus ſtructura, hæ Tribus abſtinuiſſent: nec enim in diſcrimen capitis veniſſent; nec adeò reliquas Tribus permoviſſent; ut arma adverſus fratres capere ſtatuerint; niſi illi qui altare erexerant, reſipiſcerent; de quibus

bus ſic : *Quod cum audiſſent filii Iſraël, & ad eos certi nuncii detuliſſent ; ædificaſſe filios Ruben, & Gad, & dimidiæ tribus Manaſſe, altare in terra Canaham ſuper Jordanis tumulos, contra filios Iſraël ; convenerunt omnes in Silo, ut aſcenderent, & dimicarent contra eos.*

Plurima enim à reliquis Tribubus, in hoc altari erigendo, contra legem patrata à Gaditis, Rubenitis, atque Manaſſitis cenſebantur : quamobrem reliquæ Iſraëliticæ Tribus ad arma moverentur. Alibi nimirum ſacrificandum, quam in loco, in quo ſtatuerat Deus, has Tribus ſentire, in fabrica illa altaris videbatur. Deus enim in altari æreo, quod erat in atrio Tabernaculi, hoſtias ſibi offerri, atque cremari juſſerat ; iſti ædificaſſe hoc altare ideò cenſebantur ; ut in eo hoſtiæ cremarentur. In magnitudine quoque & altitudine altaris excelſa idololatrarum imitari hi velle putabantur ; cum tamen Deus omnino excelſa idololatrarum, pluribus in locis delenda juſſiſſet. Denique contra ſtatuta divinæ legis, ad illud altare conſcendere Sacerdotes non valentes, niſi per gradus ; tranſgreſſio in hoc apparebat divini præcepti, in quo id prohibuerat. Quamobrem meritò altare Sacrilegum appellatur à Phineeſſo, Eleazari filio ; qui cum primoribus Iſraëliticis eò, hac de cauſa miſſus eſt : & in legatione Rubenitas, Gaditas, & dimidiam Tribum Manaſſe, verbis his alloquitur : *Hæc mandat omnis populus Domini. quæ eſt iſta tranſgreſſio ? Cur reliquiſtis Dominum Deum Iſraël, ædificantes altare ſacrilegum, & à cultu illius recedentes ?* Ne verò altaris magnitudinem excuſarent ; quod terra habitationis illorum contaminata, immundaque cenſeretur ; ac propterea à terra recedentes, in ſublime altare erigentes, ſuperiora aëris, religionis, cultuſque cauſa petiiſſe affirmarent : excuſationi occurrit Eleazarus, ad reſipiſcentiam illos invitando ; utque ab illa regione recedentes, reliquis Tribubus Iſraëliticis ultra Jordanem adjungerentur monet : omnes enim de reliquis Tribubus paratos affirmat ; aliquid de regione, quæ ſibi in ſortem obtigiſſet, in illorum commodum cedere. *Quod ſi putatis immundam eſſe terram*, inquiunt in ſacro textu, *poſſeſſionis veſtræ ; tranſite ad terram, in qua Tabernaculum Domini eſt ; & habitate inter nos ; tantum ut à Domino, & à noſtro conſortio non recedatis, ædificato altari, præter altare Domini Dei noſtri.* Ex quibus perſpicuum fit, quam grave crimen putaverint filii Iſraël, qui tranſierant Jordanem, excelſum conſtituere altare ; & à conſtituta divinæ legis altitudine altaris quodammodo recedere.

Sed facile commotioni Iſraëlitarum occurſum eſt ; conteſtando altare illud, à Gaditis, Rubenitis, & dimidia tribu Manaſſe, ſuper ripam Jordanis, ab ea parte, quæ reliquas tribus Iſraëliticas reſpiciebat ; ſacrificiorum cauſa non fuiſſe erectum, ſed tantum in amicitiæ, atque communis religionis teſtimonium, ac propterea, neque legi alicui de altari detractum : cum lex intelligeretur ſolum de altari, quod divini cultus cauſa erigebatur ; ut in eo hoſtiæ offerrentur. dixit enim lex Exodi cap. 20. *Non aſcendes per gradus ad altare meum.* Cumque altare, quod Gaditæ, Rubenitæ, ac Manaſſitæ erexerant, altare Dei dici nequiret ; quod illius cultus cauſa excitatum minimè fuiſſet ; vetitum nequaquam videbatur, altaria erigere cujuſcumque altitudinis, aut formæ libuiſſet ; dummodo alia de cauſa, quam divini cultus, erecta extitiſſent. quamobrem quamvis excelſum fuiſſet illud altare, *& infinitæ magnitudinis*, ut dicitur in textu, non erat reliquis Tribubus, unde legis tranſgreſſionem ex altaris magnitudine ſuſpicarentur. Qua ratione Phineeſſo, reliquiſque Oratoribus, qui cum eo venerant ad Rubenitas, Gaditas, & dimidiam Tribum Manaſſes, &

A reliquo Iſraëlitico populo ſatisfactum legimus in eo capitulo : *Reſponderuntque filii Ruben & Gad, & dimidia Tribus Manaſſe*, inquit textus, *Principibus legationis Iſraël : Fortiſſimus Deus Dominus, fortiſſimus Deus Dominus, ipſe novit, & Iſraël ſimul intelliget : ſi prævaricationis animo hoc altare conſtruximus ; non cuſtodiat nos ; ſed puniat nos in præſenti ; & ſi ea mente fecimus, ut holocauſta, & ſacrificium, & pacificas victimas ſuper eo imponeremus, ipſe quærat & judicet.* Qua autem ratione amicitiæ teſtandæ cauſa, hoc altare erectum fuerit, jam diximus ſupra, & in textu ſubditur : *Quibus auditis Phinees Sacerdos, & Principes legationis Iſraël, qui erant cum eo, placati ſunt,* B *& verba filiorum Ruben, & Gad, & dimidiæ Tribus Manaſſe libentiſſimè ſuſceperunt.* In hac verò hujus altaris celſitudine, ac magnitudine, nihil de ſtructura, aut forma illius, quam quærimus.

Clariora ſunt quæ in ſacris oraculis de altari à Salomone in atrio Templi extructo habentur. Hoc enim quadratum extitiſſe, ſacris conſtat ex oraculis ; quæ apertè tradunt, hoc altare viginti habuiſſe cubitos per quodcumque latus ; & decem pariter ſublimitatis, 2. Paralipom. cap. 4. habuiſſe legitur : *Fecit quoque altare æneum*, inquit textus, *viginti cubitorum longitudinis, & viginti cubitorum latitudinis, & decem cubitorum altitudinis.* Quæ altitudo, & lati- C tudo revera neceſſaria videbatur, Templo jam extructo ; tam ratione proportionis cum atrio, quam orandi cauſa. quamvis eam ſublimitatem minimè habuerit illud aliud altare, quod in atrio Tabernaculi, Dei juſſu, à Moyſe collocatum extitit. Nam in atrio Tabernaculi, altare primo collocatum, cortinis circumcirca cingebatur ; ut propterea his qui ad cortinas adhæſiſſent, altare occultaretur. Altitudinem enim cortinarum quinque cubitorum fuiſſe dicitur Exodi cap. 38. in quo cum ſermo eſſet de aulæo in introitu atrii collocato, apud quem hoſtiæ offerebantur, dicitur : *Et in introitu ejus opere plumario fecit tentorium ex hyacintho, purpura, vermiculo,* D *ac byſſo retorta, quod habebat viginti cubitos in longitudine, altitudo verò quinque cubitorum erat ; juxta menſuram quam cuncta atrii tentoria habebant.*

Humanam igitur ſtaturam aulæorum altitudo excedebat : quapropter nemo proximè ad atrium accedens conſpicere potuiſſet, quæ in altari per Sacerdotes, circumcirca agebantur. Nam Levitis tantum, in circuitu Tabernaculi, & atrii locus concedebatur : reliquis verò Iſraëliticis Tribubus ſeorſum ab atrio & Tabernaculo caſtrametandum ſtatuebatur ; ut à longè, non prope, quæ cremarentur in altari hoſtias, & earumdem fumum cœlum petentem, intueri poſſent, orationibuſque concomitari : quamob- E rem ad hanc conſuetudinem reſpiciens David Pſalm. 140. dicebat : *Dirigatur Domine oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo.* Templo autem jam ædificato, & circumcirca variis porticibus clauſo, ut Iſraëliticus populus ſacra offerens, à pluvia, imbribus, & aliis aëris inclementiis tutus, hoſtias in altari fumantes, orationibus, ac precibus comitari poſſet ; altare in ſublime erigi neceſſe fuit ; ut tam de vicino, quam à longè poſiti, hoſtias, quæ cremabantur, oculis intueri, & orationibus proſequi valerent : nam ſi altare in ſublime erectum non conſpiceretur, ſed in plano ; quemadmodum in Tabernaculi atrio viſebatur ; anteriores tantum id ſpectaſ- F ſent ; reliqui poſteriores non ſolum ab aſpectu altaris remoti fuiſſent ; ſed etiam hoſtias, precibus comitari minimè valuiſſent. Imò quo remotiores ab altari, populi receſſiſſent ; etiam ab aſpectu ſacrificiorum longè poſiti impedirentur : cum tamen dum Tabernaculum in deſerto erectum extitit ; remotiores commodius quam hi, qui prope extitiſſent, ſacrorum flammam venerarentur. Ut igitur in con-

curſu

curſu totius populi Iſraëlitici, nimirum in ſolemnioribus diebus, quiſque ſacrorum flammam venerari poſſet, illiuſque aſpectu delectari; altaris ſtructuram in ſublime erigere Salomoni neceſſe fuit.

Ut autem forma hujus Salomonii altaris, & aliorum quorum ſacræ Litteræ meminere; ex ſacrorum oraculorum phraſi innoteſcat; diſtinguamus oportet inter altare propriè, & id quod aliquando etiam abuſive, in ejuſdem ſtructuris, altare dicitur. ſic enim totum ædificium ſuper quod altare collocabatur; altare etiam aliquando dictum fuiſſe conſtat. in qua loquendi phraſi ſacer textus 2. Paralip. cap. 4 loquitur, dicens: *Fecit quoque altare æneum viginti cubitorum longitudinis, & viginti cubitorum latitudinis, & decem cubitorum altitudinis.* & cap. 43. ab Ezechiele de altare ſibi oſtenſo dicitur; quod eſſet quatuordecim cubitorum latitudinis: cum tamen Deus trium cubitorum altaris altitudinem, & quinque latitudinis, & non ultra deſignaverit. Quamobrem inter illa duo diſtinguendo, altare propriè dicitur, quaſi alta ara, illa pars totius ædificii ſuperior, ſuper quam hoſtiæ, & alia Deo devota cremabantur: itaque latera proximè contingentia, & ſuſtentantia aram de vicino, propriè altare dici debent; vel aliquid aliud ſimile: illa verò quæ altari ſubinferebantur, ſubſtructiones nimirum, ſuper quas altare collocabatur, abuſive & non ſtrictim altare dicebantur, atque in his à ſacris oraculis minimè recedatur.

Meminiſſe igitur æquum eſt, quæ filiis Iſraël revertentibus à captivitate Babylonica, ſub Eſdræ ducatu, dicuntur in ſacris Litteris de altari: *Et ſurrexit Joſue*, inquit textus cap. 3. lib. 1. Eſdræ, *filius Joſedec, & fratres ejus Sacerdotes, & Zorobabel filius Salathiel, & fratres ejus, & ædificaverunt altare Dei Iſraël, ut offerrent in eo holocautomata, ſicut ſcriptum eſt in lege Moyſis viri Dei: Collocaverunt autem altare Dei ſuper baſes ſuas.* in quibus ſacri codicis verbis, advertere neceſſe eſt; quod priori altaris vocabulo ſignificatur, vel totum ædificium una cum ſubſtructionibus, vel ſubſtructiones ſolum, quæ duabus crepidinibus diſtinguuntur in Ezech. 43. quæ duæ Ezechielis crepidines, baſes appellantur apud Eſdram. Poſteriori verò altaris vocabulo illud tantum ſignificatur; quod Dei juſſu Moyſes in deſerto conſtrui voluit; ut ſuper illud hoſtiæ Deo oblatæ, igne ſancto cremarentur in odorem ſuavitatis; quod etiam in ædificio templi ſuper ſubſtructiones collocatum fuit in atrio Sacerdotum.

Subſtructiones igitur ſuper quas altare collocabatur, baſes dicuntur apud Eſdram, ut diximus in vulgato Interprete; Hebraicè verò dicuntur מְכוֹנוֹת *mechonoth*, id eſt, ſtabilimenta; quia nimirum aliquid ſuper impoſitum, eiſdem baſibus ſuſtentabatur: quæ apud Ezechielem, & auctorem libri Paralipomenon הָעֲזָרָה *hangazarah*, id eſt, plateæ, ſive atria appellantur; ſi communem interpretationem tenere velimus; quemadmodum architecti, latitudinem fundamenti ſuper quam ædificium collocant, plateam dicunt: vel verius eo vocabulo hebraico appellantur, quia qui ad necem quærebantur in aſylum erant: nos diximus ſubſtructiones, quod ea ratione conſtruerentur, ut in eis altare collocaretur: crepidines has eaſdem dixit vulgatus in Ezechiele cap. 43. dicens: *Et de ſinu terræ uſque ad crepidinem noviſſimam, duo cubiti, & latitudo cubiti unius, & à crepidine minore uſque ad crepidinem majorem quatuor cubiti, & latitudo cubiti unius.* quod quidem crepidinis nomen ſumptum eſt ab Aquila, Græco Interprete, qui κρηπιδώματα, eaſdem baſes, ſive ſubſtructiones nominavit: hoc eſt, *fundamenta*, ſuper quod aliquid collocatur.

Quia igitur altare æreum Moſaicum ſuper illas A crepidines collocabatur, ideò apud Eſdram poſtquam de ædificio illarum dictum fuit; *& ædificaverunt altare Dei Iſraël*: de æreo poſtmodum ſubditur וַיָּכִינוּ הַמִּזְבֵּחַ עַל־מְכוֹנוֹתָיו hoc eſt, *& firmaverant altare ſuper ſtabilimenta ſua.* Ex quibus me judice convincitur ædificationem hanc altaris, de qua loquitur ſacer textus, nequaquam de altari proprio debere accipi, ſed tantum de ſubſtructionibus, quæ impropriè, & quadam vocabuli extenſione altare dicebantur: atque propterea rationi maximè conſonum videtur, altaria Iſraëlitarum, ſuper quæ hoſtiæ cremabantur; ubique & ſemper non quidem lapidea, ſed ærea fuiſſe, ut infra lucidius demonſtrabitur. B Lapidea verò ea tantum fuiſſe, quæ vel amicitiæ cauſa, communis religionis, aut fœderum firmandorum ratione, ſive renovandorum excitabantur; ut quod à Rubenitis, & Gaditis, nec non etiam ab Elia in Carmelo excitata legimus; certiſſimè conſtat. quia nequaquam ſacrificiorum cauſa excitabantur, ſed ſi quando ſacra fierent in his, ſemel tantum occaſione fœderum, & numquam amplius de ſacris in illis faciendis agebatur; ut contigit altari ab Elia excitato; ſemel ipſe in eo ſacra fecit, in teſtimonium veri Numinis; in eodem poſtmodum ſacra facta, nullibi ſacra oracula dixerunt. quæ igitur Religionis cauſa ex ritu Moſaico excitabantur altaria, non C lapidea, ſed ærea fuiſſe affirmamus.

CAP. LXI.

Diſtinctio altaris à ſubſtructionibus illius explicatur.

Illuſtrantur loca 2. Paralip. 4. *Fecit etiam atrium Sacerdotum, & baſilicam grandem, & oſtia in baſilica, quæ texit ære.* Ezech. 43. *Et de ſinu terræ uſque ad crepidinem noviſſimam duo cubiti, & latitudo cubiti* D *unius, & à crepidine minore, uſque ad crepidinem majorem quatuor cubiti & latitudo cubiti unius: ipſe autem Ariel quatuor cubitorum, & ab Ariel uſque ſurſum cornua quatuor.* & ad alia plura loca.

CLARIOR adhuc fit diſtinctio hæc altaris, ab inferioribus ſubſtructionibus, ſuper quas altare collocabatur; prout dicebamus capitulo præcedenti; ſumpto argumento ab altitudine Salomonii altaris, de quo capite 4. lib. 2. Paralip. ubi de altari æneo, quod in ſuo Templo conſtruxit Salomon, his verbis eſt ſermo: *Fecit quoque altare æneum viginti cubitorum longitudinis, & viginti cubitorum la-* E *titudinis, & decem cubitorum altitudinis.* Quinam fieri poteſt, ut Sacerdotes, qui hoſtias in altari illo, Summo Numini offerebant; in humo deorſum ſtantes, eaſdem ſuper ſtruem lignorum imponere poſſent? cum altare de quo hic in textu dicitur, ad minimum ſex cubitis, altitudinem humanæ ſtaturæ ſuperaret? nulla ſanè ratione id fieri poterat; niſi quæ hominem in ædificio ſuperabant, & nomine altaris in ſacro textu veniunt, non de altari propriè, ſed de ſubſtructionibus, & crepidinibus à Salomone ædificatis accipiantur: ſuper quas, altare olim à Beſeleel fabricatum ex ære, collocandum fuiſſet. Nam uſque ad tempora Salomonis illud altare Moſaicum ſte- F tiſſe conſtat ex cap. 1. ejuſdem lib. 2. Paralip. à Salomone verò, aut ab aliquo alio diſſolutum fuiſſe, non legimus; omni cultu ac religione caruiſſe, nec legimus, nec credibile eſt; ſed potius eodem altari, uſum fuiſſe Salomonem & reliquos Judæorum Reges, uſque ad Babylonicam captivitatem, & Templi deſtructionem affirmandum reor.

Niſi enim eodem altari Moſaico, in ſuo Templo fuiſſet

fuiſſet Salomon, illo nimirum impoſito ſuper ſub- A
ſtructiones ſeptem cubitorum altitudinis; nequa-
quam diceretur, in textu, Salomonem coactum
fuiſſe in pavimento atrii, hoſtias offerre, quia alta-
re æneum, quod fecerat, numero hoſtiarum minus
capax eſſet: ſatius enim ipſe ſapientiſſimus vir, &
Sadoch Summus Sacerdos, in eo altari Moſaico,
eas hoſtias offerre duxiſſet; quarum altari æneum
à ſe extructum capax non erat; quam in pavimento
atrii, illas offerre; præſertim quod jam mille hoſtias
in Gabaon, ſuper illud Salomon obtuliſſe dicitur
cap. 1. libri ejuſdem. De eodem igitur altari Moſai-
co, intelligendus eſt textus, quod non eſſet capax
numero hoſtiarum, quas in eo feſto Regem obtu- B
liſſe ſcribitur. dicitur verò Salomon ædificaſſe altare,
non quidem quod altare fecerit ſupremum, in quo
hoſtiæ cremabantur, jam olim Moyſis ſæculo divi-
no monitu fabricatum: ſed quia ad ſeptem cubitos
in altum crepidines erexerat Salomon; ſuper quas
altare Moſaicum collocaretur; propterea altare ædi-
ficaſſe in atrio templi dicitur.


Illuſtratur hac diſtinctione ſubſtructionum, &
altaris locus perdifficilis ejuſdem capituli 4. lib. 2.
Paralip. in quo de Salomonis ædificiis ſermo eſt. &
dicitur num. 9. *Fecit etiam atrium Sacerdotum, &
baſilicam grandem, & oſtia in baſilica, quæ texit ære.*
Ubi quid nomine baſilicæ ſignificetur, perobſcurum C
videtur. non enim ſanctius Templum intelligi po-
teſt baſilicæ nomine; quia portæ illius auro tantum
tegi debuerunt; ut dicitur 3. Reg. cap. 6. num. 33.
*Fecitque in introitu Templi poſtes de lignis olivarum
quadrangulatos, & duo oſtia de lignis abiegnis altrinſe-
cus, & utrumque oſtium duplex erat, & ſe invicem
tenens aperiebatur. & ſculpſit Cherubim & palmas, &
cælaturas valde eminentes, operuitque omnia laminis au-
reis opere quadro ad regulam.* Portæ igitur æreæ, ad
ſanctius templum minimè pertinere poterant.
quamobrem refugere cogimur ad hebraicum textum,
in quo ſic legitur: וַיַּעַשׂ חֲצַר הַכֹּהֲנִים וְהָעֲזָרָה הַגְּדוֹלָה וּדְלָתוֹת
לָעֲזָרָה וְדַלְתוֹתֵיהֶם צִפָּה נְחֹשֶׁת hoc eſt, juxta explica- D
tionem Montani: *Et fecit atrium Sacerdotum, &
atrium auxilii magnum, & fores ipſi atrio auxilii, &
fores eorum texit ære.* nec ab hac interpretatione diſ-
ſentit Sanctes Pagninus.

At ſi advertiſſent Interpretes, atque expoſitores
diverſas fore voces חָצֵר & hanc הָעֲזָרָה utique priori
ſignificari atrium cognoviſſent; poſteriori quia venit
à verbo עָזַר quod auxiliatus eſt interpretatur; intel-
lexiſſent ſignificari ſubſtructiones altaris, quæ baſes
appellantur: quæ eo nomine dicuntur; quia altaria
in aſylum erant fugientibus. Tanta enim pietate ab
Ethnicis etiam altaria colebantur: ut noxiis & ſon-
tibus quibuſque, aſylum tutiſſimum forent; ad quæ E
non ſolum confugere liceret; ſed etiam tuti omnino
eſſent, qui ad altaria confugiſſent: qua de cauſa
apud Ithacenſes, Jovis Servatoris ara erat, à ſer-
vando contumaces, qui eo confugiſſent, Servatoris
dicta; ut auctor eſt Alexand. ab Alexand. lib. 3.
cap. 20. Plura de his habentur in Numiſmatibus
Adolphi Occonis, apud Roſinum ſimiliter lib. 2.
Roman. Antiquitatum, & apud alios, qui de re
antiqua ſcripſerunt. nobis hæc ſint ſatis ad expli-
candam rationem vocabuli hebraici עֲזָרָה *nghaza-
rah.*

Altaria enim fuiſſe in aſylum confugientibus etiam
apud Iſraëlitas probat cap 2. lib. 3. Reg. in quo Joab F
fugiens ab ira Salomonis, in Tabernaculum ſe contu-
lit, & cornu altaris tenuit. Nec mentiri Propheta
Ezechiel concedit, apud quem ſubſtructiones, quæ
à noſtro Interprete, crepidines appellantur, ſemper
הָעֲזָרָה dicuntur. quamobrem ſic locum interpretan-
dum reor: *Et fecit atrium Sacerdotum, & aſylum
grande, & oſtia aſylo, & oſtia ipſorum texit aere.*

Dicebantur verò illæ ſubſtructiones altaris aſylum
grande; quia confugientes ad illud tuti erant:
cum tamen uſque ad illud tempus habuiſſent minus
altare, ad quod confugerat Joab; & ex conſequen-
ti multo minus aſylum. Dixiſſe verò baſilicam
noſtrum Interpretem putant nonnulli, cauſa græcæ
vocis αὐλή, quæ Regiam interdum, & Curiam
ſignificat; propterea pro aula baſilicam dixiſſe pu-
tant. vel etiam *baſem grandem* antiquitus legebatur;
quæ tamen vox poſtmodum Librariorum fortaſſe in-
curia, in baſilicam permutata fuit: nobis tamen ſuf-
ficiat, ibi ſignificari ſubſtructiones, ſuper quas altare
collocatum fuit; quod fugientibus & crimino ſis in
aſylum erat.

Dicitur feciſſe oſtia in baſilica, hoc eſt in illa ſub-
ſtructione infima altaris, texiſſeque illa oſtia ære.
nam cum in illis altaribus ſacrificia fierent anima-
lium, ac victimarum combuſtione, cineres infra al-
tare caderent; erant hæc oſtiola, in infima ſub-
ſtructione poſita, ad excinerandum altare, & cine-
res ſacrificiorum removendas: quæ ære tecta fuere,
ut toti altari ſtructuræ, quæ ærea erat, reſponderent.
His illuſtrantur veteres nummi ærei Veſpaſiani, Titi,
Auguſti, & aliorum, quorum ſtructura ac forma
erat, ut in eis viſitur, ad ſimilitudinem abaci, oſtio-
lis, & annulis hinc inde in fronte poſitis, quibus
altare, veluti abacus aperiretur, atque clauderetur,
juxta delineatam in hoc nummo formam.



De quibus oſtiolis, atque annulis nihil, quod
ſciam, neque Antonius Auguſtinus, neque Goltzi-
us, neque alii Antiquarii doctiſſimi; cum tamen ſpe-
ctatis ſacrificiorum genere, & lignorum ſtrue, &
animalium membris ibidem combuſtis, ea altaria va-
cua fuiſſe neceſſe eſſet: habuiſſeque oſtiola illa, ut
cineres ex ſacris decidentes extrahi, altareque mun-
dari poſſent. His ſubſtructionibus altaris, lucem
etiam præſtat locus Ezechielis 43. in quo de men-
ſura altaris ſibi in viſione oſtenſi, dicitur: *Et de ſinu
terræ uſque ad crepidinem noviſſimam duo cubiti, &
latitudo cubiti unius; ipſe autem Ariel quatuor cubito-
rum, & ab Ariel uſque ſurſum cornua quatuor.* hæc
ſanctus Propheta. ex quibus decem circiter cubitos
altitudinis altaris ædificium habuiſſe ſuſpicari poſſet;
hac ſervata ratione diſtinctionis, ut ſubſtructiones,
quæ crepidines appellantur à Propheta, circa ſex
haberent cubitos altitudinis, altare verò tres cubi-
tos uſque ad ſummitatem cornuum, quæ ſecundum
aliquos pyramides erant; vel uſque ad ſummitatem,
& planum ſuperioris arulæ. ſicut autem hæc Prophe-
tæ verba adeò implicita, ut tot ſententiæ, quot ca-
pita in illarum expoſitione reperiantur; nos pro mo-
dulo noſtro, explicare Prophetam contendemus; &
hujus etiam altaris ſtructuram dare conabimur; in ea
altitudine, atque ſublimitate, quam Propheta indi-
gitare dignatus eſt.

Tota autem prophetiæ hujus difficultas in illa ædi-
ficii parte, quæ Ariel dicta fuit, repoſita videtur. hoc
enim vocabulo altare, ſuper duas ſubſtructiones,
quas crepidines hic Propheta appellat, collocatum,
certiſſime ſignificari, communis Doctorum ſenten-

tia fert. nam quamvis הַרְאֵל *harhel* mons Dei optimè interpretur; ac etiam אֲרִיאֵל *hariel* Leo Dei dicatur, vel *lux mea Deus*, explicetur; & hæc omnia, ita altari in altiori ſubſtructionum poſito conveniant; ut toti ædificio etiam commodè aptentur: tamen vox iſta mons Dei, magis propriè totum ædificium Prophetæ oſtenſum, quam altare tantum in ſuperiora ſubſtructionum collocatum, verè reſpicit; ſicut è contrario, *lux mea Deus*, ratione ignis in Dei cultum in altare ſplendentis; vel *leo Dei*, ratione ignis hoſtias vorantis, & ſanguinem, quo altare madebat, ebibentis: ſuperius altare tantum, verius dictum videatur, quam inferiores ſubſtructiones. His tamen nominibus, non altare ſeorſum à baſibus, non baſes ſeorſum ab altari, ſed totum illud ædificium, quam appoſitè appellaretur, perſpicuum eſt. quamobrem ex nomine Arielis, non ſatis firmum ſumi poteſt argumentum, magis pro altari in ſuperiora ſubſtructionum collocato, quam pro toto ædificio, aut ſubſtructionum aliqua, clariſſimè conſtat: quamvis pro altari tantum, communis ſtet Scriptorum ſententia.

Communem igitur ſenſum Interpretum, ſalva omni reverentia, dimittendum duximus; & nomine Arielis, intimius viſionem Propheticam ſcrutantes, vel totum ædificium Ezechielis, vel crepidinem majorem tantum, & verius quidem ſignificari affirmamus, ſuper quam collocatum altare æreum cernebatur. Firmiſſimum igitur pro ſuperiori crepidine ſumatur argumentum, à menſuris ſpatii, quod remaneret ex doctrina communi, inter altare, & ſuperiorem crepidinem. Dicitur enim à Propheta: *Et Ariel duodecim cubitorum in longitudine per duodecim cubitos latitudinis; quadrangulatum æquis lateribus.* & ſtatim ſubditur: *Et crepido quatuordecim cubitorum longitudinis, per quatuordecim cubitos latitudinis, in quatuor angulis ejus.* hæc Propheta. Ex quibus perſpicuum eſt ex menſuris longitudinis, & latitudinis; Arielis nomine, altare ut communiter dicunt, nequaquam ſignificari poſſe: quia haberet duodecim cubitos in ſingulis lateribus. cumque crepido inferior, in qua Ariel collocabatur, quatuordecim per latera cubitos haberet, ut etiam Villalpandus admittit, atque fatetur; & Propheta apertè docet; ſingulare tantum cubitum in circuitu altaris relinqueretur, ad miniſtrorum uſum: quamobrem in unico ſolius cubiti ſpatio, hoſtias in altari ſuperimponere, Sacerdotes ſtare, & ſacra munia ſacrificiorum obire, circumcircaque altare miniſtrare cogerentur, quoties quatuor altaris cornua in ſacris faciendis ſanguine linire debuiſſent. Quinimò cum Sacerdotibus pertranſeundum eſſet, per illud altaris latus quod Templum reſpicit; ac faciem, non verò tergum verſus Templum vertere tenerentur; ſine caſus periculo, eò verti nequiviſſent: qua pariter ratione, neque miniſteria circumcirca exercere, vina fundere, hoſtias cremare, eaſdem coram Deo elevare, ſtruem lignorum componere, aliaque innumerabilia facere, ſine caſus evidenti diſcrimine, nequaquam eis licuiſſet. quod utinam Villalpandus advertiſſet, & alii Scriptores; ne cogerentur menſuras altaris à Deo Moyſi definitas excedere, abſque lege & ratione, aut ab Ariele ipſo, cum periculo cadere.

Ne igitur cum capitis diſcrimine, tantoque cum periculo, Sacerdotes miniſteria ſacra peragere dicantur; & nos in anguſtiis poſiti ignoremus, quò nos vertere valeamus; Arielis nomine eamdem ſubſtructionem ſuperiorem ſignificari affirmabimus; ſuper quam altare æreum collocatum exiſtebat: quod Ariel, alio vocabulo, ab eodem Propheta, dictum fuit crepido major.

Voluiſſe Prophetam Arielis nomine ſuperiorem

A ſubſtructionem, & nequaquam altare ſignificari, videtur apertum, ſumpto argumento à conformitate menſuræ altitudinis Arielis, & majoris crepidinis. Cum enim de crepidine majori ipſe loqueretur, ait: *Et à crepidine minore uſque ad crepidinem majorem quatuor cubiti.* quia verò nomen hujus crepidinis erat etiam Ariel, ſive Harel, ſubdit per repetitionis figuram, *ipſe autem Ariel quatuor cubitorum.* hoc eſt, hæc ipſa crepido, quæ etiam Ariel appellatur, quatuor cubitos habebat altitudinis. Quam interpretationem ſtare cum verbis Prophetæ perſpicuum eſt; quia ſtatim ac deſcripſit altitudinem Arielis, longitudinem, ac latitudinem ejuſdem proſequitur, di-

B cens: *Et Ariel duodecim cubitorum in longitudine, per duodecim cubitos latitudinis, quadrangulatum æquis lateribus; & crepido quattuordecim cubitorum longitudinis, per quattuordecim cubitos latitudinis in quattuor angulis ejus.* In quibus Prophetæ verbis, nomine crepidinis, ſuperiorem intelligendam voluit Villalpandus, & reliqui communiter: ſed præterquam quod huic interpretationi obſtant; quæ de ſpatio circumcirca altare ad miniſteria ſacerdotalia obeunda, diximus. defeciſſet etiam Propheta, quia nihil egiſſet de menſuris, ac lateribus noviſſimæ crepidinis, ac infimæ ſubſtructionis; quòd nulla ratione Propheta prætermiſiſſet. ſi verò de infima crepidine il-

C lum loquutum dixerimus; cum eam duorum cubitorum altitudinis, & quatuordecim latitudinis habere dixiſſet; plenè Prophetam tam inferiorem, quam ſuperiorem crepidinem, & totum ædificium deſcripſiſſe patebit: ſicuti etiam plenè deſcripſit crepidinem majorem, cui quatuor cubitos altitudinis dedit, & duodecim in lateribus. De altaris verò menſuris nihil egit; quia à Moyſe ex divinis ſtatutis, magnitudinem illius, Iſraëlitæ jam acceperant.

D

CAP. LXII.

Forma ſtabilium altarium Iſraëlitarum explicatur.

Ad loca Exod. 27. *Non ſolidum, ſed inane, & cavum intrinſecus facies illud, ſicut tibi in monte monſtratum eſt.* Apoc. 6. *Vidi ſubtus altare animas interfectorum propter verbum Dei.* Ezech. 43. *Et à crepidine majore quattuor cubiti, & latitudo cubiti unius, ipſe autem Ariel quattuor cubitorum, & ab Ariel uſque ad ſurſum cornua quattuor.* & ad alia plura.

E

ALtare æreum non ſolùm à Moyſe conſtructum legimus, ſed etiam à Salomone in ſuo atrio collocatum, necnon etiam ab Eſdra ſubſtructionibus impoſitum altare ex eadem materia arbitramur: ſicut etiam ab Herode, ex ære altare fieri neceſſe fuit; ita ut in fabrica, & conſtructione altaris Iſraëlitici, materia ſemper fuerit ærea. Nam ſtrues lignorum, qua hoſtiæ cremabantur, in ipſius medio, intra craticulam æream componebatur; & ſuper lignorum ſtruem, hoſtiarum membra diviſa imponebantur: & hæc de materia illius dixiſſe ſufficiat.

F Ad formas igitur altaris devenientes, neceſſe eſt materiæ æreæ diſpoſitiones, ac qualitates conſiderare, atque menſuras etiam advertere, non ſolùm altaris, in quo hoſtiæ cremabantur, & holocauſta offerebantur; ſed etiam ſubſtructionum ſuper quas altare collocabatur. quamobrem à diſpoſitione ſumpto exordio, altare hoc vacuum fieri cogebatur ab Iſraëlitis, ſecundum tradita à Deo in lege Exo. 27. Deo

27. Deo ad Moyſem dicente de altari *non ſolidum, ſed inane, & cavum intrinſecus facies illud, ſicut tibi in monte monſtratum eſt.* Quæ quidem lex cum ſit negativa ſemper obligabat; juxta regulam quæ de præceptis negativis traditur.

Ne verò quis fortaſſe ſuſpicaretur, ſatis eſſe altari, legique ſatisfactum; ſi altare ea tantum parte, quæ craticulam excipiebat vacuum, in reliquo per quam firmum, ac ſolidum eſſet: lex non ſolùm jubet, altare faciendum *non ſolidum;* ſed addidit *inane*: nec tantum faciendum altare *inane* juſſit; ſed addidit *vacuum*: quæ tria verba poſita fuere ab interprete vulgato, ad declarandum vim vocis נָבוּב *nevvu*, quæ in hebraico exemplari legitur; qua omnimoda vacuitas indigitatur; & à noſtro interprete tribus explicatur dictionibus: quam vacuitatem Septuaginta dixerunt ſic. κοῖλον σανιδωτὸν ποιήσεις αὐτό. hoc eſt, *concavum tabulatum facies illud.* ideſt altare.


Quòd altarium vacuorum uſus, continuatus eſſet penes Iſraëlitas; non ſolùm quæ de oſtiolis Salomonii altaris attulimus ſupra, id perſpicuè confirmant; ſed etiam in templo Herodiano ſervatum id fuiſſe, non obſcurè probari poteſt, ex illo Apoc. 6. in quo cum Joannes, ad ſimilitudinem Templi Hieroſolymitani loqueretur de gloria; in qua altare aureum ſe vidiſſe dixerat; etiam holocauſtorum altare adponit; & in eo conſcribendo, ad hujus vacuitatem reſpiciens ait: *Vidi ſubtus altare, animas interfectorum propter verbum Dei, & propter teſtimonium, quod habebant.* dicit autem ſub altare, non verò circa altare, ſe vidiſſe animas interfectorum, quia ex Dei præſcripto altare vacuum fieri debuit; & ex conſequenti, non ex lapide, ſed ex ære illud quoque erat; quod in Templo Herodiano Joannes viderat; ad cujus normam, atque exemplar majeſtatem gloriæ Dei deſcribit in ſua Apocalypſi: & quæcumque altaria ante illud ab Iſraëlitis facta fuere, vacua fuiſſe credibile eſt: non ſolùm ut commodius excinerarentur; ſed etiam ut facilius in ſuperiora ſubſtructionum collocarentur. Altaris hujus ærei, collocandi ſupra Ariel menſuræ habentur Exod. 27. his verbis: *Facies & altare de lignis ſetim, quod habebit quinque cubitos in longitudine, & totidem in latitudine, ideſt quadrum, & tres cubitos in altitudine.* quibus ſanè apertiſſimis verbis, longitudo, latitudo, atque altitudo Moſayci altaris clariſſimè definitur. Quia verò in ſingulis angulis habebantur pyramides; ut voluit Villalpandus, quæ cornuum nomine ſignificantur, in ſacris litteris, dicentibus *Cornua autem per quatuor angulos ex ipſo erunt:* & nihil omnino in his menſuris de magnitudine & altitudine iſtarum pyramidum actum fuerat; cubitum illas habuiſſe, ex Ezech. ſuſpicari poſſet. Nam apud hunc Prophetam cap. 43. ſermo eſt de Ariele; quo nomine Scriptores, ac interpretes communiter intellexiſſe altare, conſtat, quod erat ſuper duas crepidines, in cujus ſummitate quatuor hæc cornua erant, ſive pyramides, quarum altitudinem inveſtigamus: cubitum eas habuiſſe dici poſſet; præſertim fultis auctoritate Græcorum exemplarium, quæ de his ita legunt. ἀπὸ τοῦ ἀριὴλ, καὶ ὑπεράνω τῶν κεράτων πῆχυς. hoc eſt, *& ab Ariel, & ſuperiora cornuum cubitus.* Cum igitur dictum fuerit, quòd Ariel habebat quatuor cubitos altitudinis, & Arielis nomine, communi ſcriptorum ſenſu intelligatur altare; quamvis non ſit omninò certum, ut vidimus; jam igitur relinquitur in altari Ezechielis, cornua ipſa cubitum unum habuiſſe altitudinis. Poteſt etiam deſumi argumentum pro altitudine harum pyramidum, à tota altaris fabrica, ſecundum ſententiam noſtram, quæ de Ariele aliter ſentit: nam in noſtro ſenſu, ſuperior ſubſtructio, quæ crepido major dicitur, & ſuper quam altare collocatum erat, Ariel, ut vidimus appellabatur.

A Quod autem ſuper hanc crepidinem, quæ Ariel dicebatur, altare eſſet collocatum; ex ejuſdem Prophetæ verbis, apertum videtur. ait enim Propheta: *& ab Ariel uſque ad ſurſum cornua quatuor:* quæ verba cum ſacis obſcura ſint, illuſtrantur ex hebraico textu, qui habet וּמֵהָאֲרִאֵיל וּלְמַעְלָה הַקְּרָנוֹת אַרְבַּע hoc eſt, *& ab Ariel, & ſurſum cornua quatuor:* quæ verba ſic explicari, & intelligi poſſunt. & ab ea crepidine, quæ Ariel appellatur, quæ eſt crepido major, & ſurſum, nil aliud habetur, niſi quatuor cornua: hoc eſt altare ad ſacrificia. quod quidem habebat quatuor cornua ſupra altare; elevata quidem ad modum pyramidum, in altitudine unius cubiti. itaq.
B ſenſus erit Prophetæ, quod à crepidine majori, quæ Ariel dicitur, uſque ad ſummum cornuum, quæ ſunt in quatuor angulis altaris, quatuor ſupple cubiti ſunt. defectus enim iſte cubitorum, in hac loquendi formula, ex hebraica phraſi, frequentiſſimus eſt, pluribus in locis, & præſertim in hoc textu in verſu ſubſequente. Cumque Moſaicum altare æreum trium cubitorum altitudinis eſſet, ut vidimus, & quinque in lateribus, in quadrum, prout à Deo Moyſi fuerat definitum & monſtratum, & decem totum ædificium; cubitum relinquitur cornibus, in ædificio prophetico; ut altaris altitudo unà cum pyramidibus, quatuor attingat cubitos, quemadmo-
C dum ab Ezechiele dicitur.

Nec enim credibile eſt Salomonem, aut alios fideliſſimos Dei ſervos, in conſtructione altaris, & pyramidum ſive cornuum, auſos fuiſſe menſuras excedere, quas Deus Moyſi definiverat; aut tranſgredi terminos, quos Moyſes ſtatuerat; prout ſibi à Deo imperatum fuerat; ac in exemplari oſtenſum in gloria cognoverat. quoties igitur de altarium ædificiis, menſuriſque illius in fabrica Salomonis, Eſdræ, aut in viſione Ezechielis, menſuras à Moyſe poſitas, ſacra oracula exceſſiſſe videntur; de ſubſtructionibus ſuper quas altare collocabatur, intelligenda erunt. quapropter ſi altari Ezechielis cum cornibus ſurſum
D erectis; aut cum gradu, infra altare poſitum, quatuor adſcribemus altitudinis cubitos; ſex tantum relinquentur cubiti ſubſtructionibus; ut decennarium cubitorum numerum cum altari totum ædificium attingat. de quo 2. Paralip. cap. 4. dicitur: *Fecit quoque altare æneum viginti cubitorum longitudinis, & viginti cubitorum latitudinis, & decem cubitorum altitudinis.*

Subſtructiones itaque altaris in ædificio Salomonis tres erunt excogitandæ; ut ad longitudinem infimæ, proportione ſervata, totum ædificium una cum altari ſuperiori, decem cubitos non excedat. infima baſis, ſive ſubſtructio, per latera viginti habebit cubi-
E tos longitudinis, ut dicitur in ſacro textu, cubitum ac ſemiſſem altitudinis: de qua licet nihil ex ſacris oraculis habeamus, ex Architechtonicæ, & Opticæ proportionibus, ita excogitandum duximus: media ſubſtructio, ſeu crepido ut loquamur cum vulgato apud Ezechielem, duos habebit altitudinis cubitos, cum ſemiſſe, in lateribus verò decem & ſeptem longitudinis; ut unum cubitum cum ſemiſſe, ambitus illi circumcirca remaneat: ſuperior denique crepido, ſeu ſubſtructio ſuper quam altare æreum collocabatur; duodecim in lateribus habebit cubitos, altitudinis verò tres cubitos; & duos denique cubitos in circuitu habuiſſe arbitramur; per quos circumgyrari crepido hæc poſſet: atque ita totum ſubſtructionum
F ædificium, ſeptem cubitos in altitudine tenuiſſet. tandem ſuper ultimam ſubſtructionum totius ædificii, altare æreum collocatum ab eo arbitramur, trium nimirum cubitorum altitudinis juxta menſuras à Deo Moyſi præſcriptas, ut decennarium attingeretur. tres denique cubiti remanebant cum ſemiſſe, circumcirca altare, Sacerdotibus, ſacriſque Mini-

ſtris, ut apud altare ſtare, & miniſtrare poſſent. Sic enim proportionaliter intelligenda videntur, quæ in ſacro textu, de decem cubitis altitudinis & viginti latitudinis dicuntur. cujus ſacri ædificii typum in
A hanc formam delineandum curavimus; ut ſacrarum antiquitatum ſtudioſi, faciliùs quæ in ſacris habentur litteris commenſurari valeant.



Forma altaris Ezechieli in viſione oſtenſi elucidanda remanet, de quo ita ſacer textus cap. 43. apud Prophetam. *Iſta autem menſuræ altaris in cubitu veriſſimo, qui habebat cubitum, & palmum: in ſinu ejus erat cubitus, & cubitus in latitudine, & definitio ejus uſque ad labium ejus, & in circuitu palmus unus, hæc quoque erat foſſa altaris. Et de ſinu terræ uſque ad crepidinem noviſſimam duo cubiti, & latitudo cubiti unius: & à crepidine minore uſque ad crepidinem majorem quatuor cubiti, & latitudo cubiti unius. Ipſe autem Ariel quatuor cubitorum, & ab Ariel uſque ad ſurſum, cornua quatuor. Et Ariel duodecim cubitorum in longitudine per duodecim cubitos latitudinis: quadrangulatum æquis lateribus. Et crepido quatuordecim cubitorum longitudinis per quatuordecim cubitos latitudinis in quatuor angulis ejus: & corona in circuitu ejus dimidii cubiti, & ſinus ejus, unius cubiti per circuitum: gradus autem ejus verſi ad Orientem:* hucuſque ſacer textus de forma altaris oſtenſi Prophetæ in viſione. Quamvis autem Villalpandus demonſtrare intendat, hujus altaris formam, diverſam nequaquam fuiſſe, ab eo altari, quod erexerat Salomon in ſuo Templo, nos omninò ſecus exiſtimamus: nam licet in altitudine convenirent, non conſentiebant in ſubſtructionibus. Hoc enim altare Ezechielis à Salomonio differebat primò, quod tribus ſubſtructionibus illud ſuſtentaretur, ut vidimus; Ezechielis verò duabus tantùm: quarum prima apud Ezechielem crepido noviſſima dicitur, & duos habebat altitudinis cubitos, at verò in altari à Salomone erecto, unum tantùm elevabatur cubitum cum ſemiſſe; cum tamen per latera viginti cubitos, hoc haberet; hæc autem altaris Ezechielis crepido, quatuordecim haberet longitudinis cubitos. Sic enim de illa Propheta ibidem verſ. 17. *Et crepido quatuordecim cubitorum longitudinis, per quatuordecim cubitos latitudinis in quatuor angulis ejus.* quod Propheta loquatur hic de poſtrema, infimaque crepidine, indicant quæ ſtatim ſequuntur verba: *Et corona in circuitu ejus dimidii cubiti, & ſinus ejus unius cubiti per circuitum.* hæc autem corona, quæ circumambiebat altaris foſſam, in qua etiam hoſtiarum ſanguis fundebatur; circumcirca infimam crepidinem erat. & quamvis Villalpandus conetur hanc crepidinem, & foſſam, atque reliqua, quæ Ezechieli in viſione oſtenſa ſunt, ad menſuram altaris reducere, quod in 2. Paralipo. à Salomone ædificatum ſcribitur; fruſtrà conſumpſiſſe tempus
D puto. has enim crepidines in altarium ædificiis, majores vel minores extitiſſe arbitramur; pro ut placuit his, qui ædificio intendebant; habita ratione proportionis ſervandæ, cum reliquis totius ædificii partibus. Nec prætereundum erit, quod hæ crepidines Ezechielis הָעֲזָרָה *hanghazarah* appellantur: quemadmodum illæ, de quibus capite præcedenti in fabrica Salomonis diximus. Differebant etiam, quia in altari Salomonis, duæ priori ſuperimponebantur ſubſtructiones; quæ non alio, ſed eodem vocabulo dicebantur: at verò in altari, Ezechieli oſtenſo, ſuperior crepido, non ſolùm הָעֲזָרָה appellatur, ſed crepido major, nec non etiam Ariel dictam fuiſſe
E cognovimus. Niſi fortaſſe quis vellet, tribus etiam ſubſtructionibus componi hoc ædificium Ezechielis, quarum prima, quæ dicitur ſinus totius ædificii, duos haberet altitudinis cubitos, & ſexdecim longitudinis; media ſubſtructio, quæ הָעֲזָרָה *hanghazara* הַגְּדוֹלָה *haghedolah* appellatur; quatuor altitudinis haberet cubitos, & quatuordecim longitudinis; & tandem ſuprema ſubſtructio, quæ Ariel appellabatur duodecim haberet longitudinis, ac latitudinis cubitos, quatuor verò altitudinis; quibus tandem altari ſupra poſito, totius ædificii altitudo quatuordecim fuiſſet cubitorum. Sententia tamen com-
F munis, duas tantum habuiſſe hoc altare ſubſtructiones ſenſit; & nos juxta communem interpretum ſententiam, quam etiam veriorem arbitrati ſumus, in gratiam ſtudioſorum in ſequenti capite delineandam Prophetici altaris formam curavimus. Viderint alii meliora, ut nos quoque illis aſſentiri poſſimus. erit igitur media ſubſtructio quatuor cubitos elevata; duodecim verò habebit cubitos longitudinis, atque altitudinis.

Herodes Hieroſolymitanus Rex, Auguſtiſſimum ſacri

ſacri Templi ædificium reddidit; quinimò adeò impenſè in illius fabrica totum ſe dedit, ut ad expenſas minimè reſpexerit; ſed tanta pretioſorum lapidum, gemmarum, auri, argentique copia, illud exornavit; ut dubium ſit apud ſcriptores, an ipſe Salomonii Templi ornatum exceſſerit. Altare ipſe quoque in eo excitavit, ſed à forma ædificii altaris à Salomone conſtructi, & ab illo, quod Ezechieli in viſione oſtenſum eſt; minime ſibi declinandum exiſtimavit: licet eorumdem menſuras, ad proportionem ædificii excedere, non dubitaverit. Nam quinque cubitos Salomonium altare, hoc Herodianum ſuperaſſe Joſephus ſcribit lib. 6. de bello cap. 6. juxta tranſlationem Ruffini, vel cap. 14. juxta græcum exemplar, ſic enim dicit: *πρὸ αὐτοῦ δ' ὁ βωμὸς πέντε καὶ δέκα μὲν ὕψος ἦν πήχεων, εὖρος δὲ καὶ μῆκος ἐκτεῖνον ἴσον, ἀνὰ πεντήκοντα πήχεις. τετράγωνος δ' ἵδρυτο κερατοειδεῖς προανέχων γωνίας*, &c. hoc eſt, *In anteriori verò*, ſupple Templi, *ara quindecim quidem cubitis alta erat; latitudo verò & longitudo ſimul quinquaginta cubitis; quadrataque ſtans cornutis quaſi angulis eminebat*, &c. Ad rationem architecturæ igitur hoc Herodianum altare contemplantes, tribus crepidinibus, ſive ſubſtructionibus illud erigemus; ita ut prior & infima, trium cubitorum altitudinem haberet; ſecunda ſive media quatuor cubitos ſurgat; ſuperior verò quinque habuerit altitudinis cubitos: quibus ſi addantur tres cubiti altitudinis altaris, juxta Dei præceptum Moyſi latum, quindecim altitudinis cubiti in Herodiano altari, juxta menſuram Joſephi erunt. Latitudo verò per latera ſubſtructionum ſic diſponatur; ut infima crepido, ſive ſubſtructio, vigintiquinque habuerit longitudinis, & latitudinis cubitos, juxta menſuras à Joſepho traditas: (mendum igitur fore in dictione *πεντήκοντα* exiſtimatur) cubitum verò, & ſemiſſem ſpatii ambientis circumcirca mediam crepidinem. quamobrem tribus, è viginti quinque cubitis, ſublatis, viginti duo latitudinis, atque longitudinis cubiti remanebunt, per latera mediæ crepidinis: ſpatium circumambiens mediam crepidinem in plano ſuperiori, duorum cubitorum cum ſemiſſe commenſurabitur; ut proportionaliter totum ædificium ſurgat: quapropter quinque detractis cubitis à plano mediæ crepidinis, quæ erat viginti duorum cubitorum; decem & ſeptem cubiti remanebunt in latitudinem, longitudinemque ſuperioris crepidinis per ſua latera, ab angulo ad angulum, & totius planitiei ædificii, ſuper quod collocandum erat altare: cui tandem ſuperimpoſito altari quinque cubitorum longitudinis, ac latitudinis in quadrum, ſex cubitorum ſpatium remanebit circumcirca altare; in quo Sacerdotes, ſacrorumque reliqui miniſtri hoſtias offerre, ſanguinem, ac vina ſuper ignem effundere, victimas in odorem ſuavitatis ſuper altare concremare, thus adolere, propriaque munia omnia in Dei cultum exercere valerent. Quod loci ſpatium, quàm proportionatum, atque ſufficientiſſimum eſſet, ad ſacerdotales functiones ex præſcripto divinæ legis; tum allatorum altarium formas, tum divina mandata aperiunt. Licebit ſtudioſis, hujus altaris typum, juxta illud quod ex Salomone poſuimus contemplari: ornare quoque exactiuſque illud commenſurare, pro rei ipſius majeſtate etiam valebunt. Cum itaque altaris hujus, quod in Templo Herodiano excitatum fuerat, de quo Joſephus ibi loquitur, altitudo quindecim cubitorum eſſet, & tamen quod Salomon conſtruxit, decem altitudinis cubitos non excederet, Villalpandus lib. 4. in cap. 43. Ezech. cap. 78. rejiciendam omnino hanc Joſephi menſuram altaris arbitratus eſt: quod illorum altarium menſuras ibi definitas, excedere nefas cenſeat. Sed perperam me judice conjectatur; nihil enim in ſacris habetur Litteris, quo ædificii altitudo in altaribus prohibeatur; præſertim ſi de ſubſtructionibus intelligantur Salomon & Joſephus. & quamvis hoc Herodianum altare reliquos excederet, tertia altitudinis parte, proportionem tamen totius atrii tenuiſſe, ſublimitatis, atque altitudinis formam, ex ſupra poſitis iconibus, atque menſuris perſpicuum eſt.

CAP. LXIII.

Qua ratione gradus, in altari Iſraëlitico, non prohiberentur.

Ad loca Exodi 20. *Non aſcendes per gradus ad altare meum, ne reveletur turpitudo tua.* Eccle. 50. *In aſcenſu altaris ſancti gloriam dedit ſanctitatis amictum.* Ezech. 43. *Gradus autem ejus verſi ad Orientem.* & ad alia.

CElſitudini altarium, quam in cap. 61. monſtravimus; ſacrarum Scripturarum loca non plurima repugnare videntur. Statuerat enim Deus lege lata Exodi 20. nulla ratione debere Sacerdotes, altare illius per gradus adire, dum ſacra facturi eſſent, dicens: *Non aſcendes per gradus ad altare meum, ne reveletur turpitudo tua*: & ne aliquam ob cauſam ad hunc aſcenſum ſacri miniſtri compellerentur, in fabrica illa altaris, quod in deſerto ſibi à filiis Iſraël parari voluit; humanæ ſtaturæ rationem habuiſſe, liquido patet. ne videlicet altaris altitudo humanam ſtaturam excederet, aut æquaret, quatuor tantum cubitos altitudinis habentem: quamobrem cubitum ſaltem unum, intra communes terminos humanæ ſtaturæ contineri illud ſtuduit; & trium ſolummodo cubitorum altum altare fieri, in Exodo juſſit. icone verò altarium à nobis deſcriptorum, eorumdemque ſublimitate, legi à Deo latæ detractum, videbatur.

Ad altare Moſaicum, per gradus Sacerdotes aſcendiſſe, ſacra perhibent oracula. Nam in laudem Oziæ Summi Sacerdotis Spiritus ſanctus, Eccle. 50. de eo ait: *In aſcenſu altaris ſancti gloriam dedit ſanctitatis amictum.* Propheta quoque Ezechiel cap. 43. in deſcriptione altaris, quod in viſione prophetica cognovit, atque in atrio ſui templi collocavit; ſcalarum & graduum, per quos ad illud aſcendebatur, nequaquam obliviſcitur. quinimo tam perſpicuè de his loquitur, ut aperiat etiam quo verterentur, dicens: *Et gradus ejus verſi ad orientem.* Salomon, Eſdra, Ezechiel, Herodes, & alii, ſi qui fuerunt qui altaria erexerint in Templo Hieroſolymitano; adeò in ſublimi altaria collocarunt; ut Sacerdotes in his ſacra facturi, per gradus aliquos in ſublime aſcendere cogerentur; aliàs ſacra in his facere nequaquam potuiſſent. quamobrem ſacrorum oraculorum Interpretes verſantur inter Scyllam & Charybdim, dum hæc elucidanda contemplantur. Deus in lege ſua ſancta cavit, ne ſacri miniſtri ad altare per gradus aſcenderent: qui ſacris fabricis operam dederunt, in Dei cultum, altaria adeò in ſublimi poſuere, ut abſque gradibus in illis miniſtrari non poſſet: in Eccleſiaſtico Spiritus ſanctus laudat Oziam, ad altare aſcendentem: Propheta in prophetica fabrica videt altare cum gradibus, per quos miniſtri aſcendere poſſent. Quamvis autem pro modulo noſtro aliqua dicturi ſimus; implicita tamen ille explicet, qui nihil implicitum habet. Fuere enim viri doctiſſimi, qui ineptiſſima in his elucidandis affirmaverint.

Sunt igitur qui putent, divinum præceptum latum in lege, de non aſcendendo ad altare per gradus, ne-

quaquam intelligi de gradibus, qui ad horam miniſtrationis aliquando altari apponerentur, ſed de gradibus coædificatis cum altari, eidemque perpetuo inhærentibus. Hos enim gradus ad altare pertinere perſpicuum eſſe dicunt; non verò gradus qui ad horam miniſtrationis apponerentur, in commodum miniſtri ſacra facientis, quo tranſacto miniſterio tollerentur. in quem ſenſum videntur iviſſe ſanctus Pater Auguſtinus quæſt. 173. ſuper Exo. Petr. Comeſt. cap. 59. hiſt. Scholaſt. & in Exodo cap. 41. Hugo Cardin. in cap. 20. ſuper illud: *Non aſcendes per gradus. Contra*, inquit, *infra legitur, quod Sacerdos quando immolabat, aſcendebat per gradus propter altaris altitudinem. Solutio. hic prohibet Dominus fieri gradus perpetuos, & altari immobiliter adhærentes, ſed non prohibet ſcabellum ſupponi pedibus Sacerdotis volentis immolare, cum non poſſit aliter propter altaris altitudinem, & de illo ſcabello intelligitur, de quo dicitur infra: vel forte tantum ſpiritualiter intelligitur hæc prohibitio graduum altaris.* Gloſſa etiam in illis verbis Exodi 27. *Trium cubitorum altitudinis*, gradus prohiberi tantum putat in altari lapideo; cui gradus eidem altari coædificati eſſent; non verò ſcabellum ligneum appoſitum altari ad horam miniſtrationis. *Quomodo ergo miniſtrabatur altari*, inquit, *cum alibi ſupra, gradus habere prohibeatur, ne pudenda revelentur? ſed illius dictum eſt de altari, quod ex terra, vel lapidibus conſtruitur, ubi gradus ipſi coædificati ad corpus altaris pertinerent. Nunc verò cap. 20. Exodi de tabulis fieri præcipitur, quod ſi apponatur aliquid ad horam miniſtrationis, in quo ſtet miniſter, ad altare non pertinet.*

Sed hæc interpretatio omnino commentitia videtur; atque minimè vim præcepti evacuare. non enim prohibetur graduum ædificatio, ſed ad altare aſcendere per gradus lege cavetur. quamobrem ſive gradus eſſent altari coædificati, ſive appoſititii, Sacerdos hoſtias in altari offerens per gradus contra ſtatuta legis aſcendebat. præterquam quod non videtur facere ad rationem legis expoſitio iſta. nam legis ratio allata à Deo fuit, ne revelaretur turpitudo miniſtri: quam quidem quibuſcumque gradibus, ſive appoſititiis, ſive firmis revelari neceſſe erat; ubi per gradus, aſcenſum ad altare conceſſerimus.

Rabbini ſuo more ſomniantes, multa potius riſu, quam animadverſione digna in medium afferunt. Rabbi David in illo Ezech. 43. dicit, vel locum non debere intelligi de gradibus, per quos aſcenderetur ad altare; ſed potius apud Prophetam (qui gradus videtur altari conceſſiſſe, cum ait: *Et gradus ejus verſi ad Orientem*) nomine gradus dici aliquem pontem, qui ad altare pertingeret: vel de gradibus per quos aſcenderetur ad atrium, in quo altare poſitum erat, intelligendus erit Propheta. Cui etiam Jonathas ſubſcribit, & reliqui Rabbini ferè communiter; affirmantes ſi aſcendendum ad altare ſacrorum de cauſa fuiſſet; non per gradus, ſed per pontem aliquem illò aſcendiſſe Sacerdotes, qui quidem pons vetitus minimè videtur; quod is gradus non haberet. R. quoque Salomon magnæ inter Judæos auctoritatis, illud idem de ponte docet. nam locum Ezechiel. 43. *Gradus autem ejus verſi ad Orientem.* exponens, *iſte pons*, inquit, *per quem aſcendebatur erat in Auſtro, ut aſcendens verteret ſe ad Orientem. Omnes enim verſiones erant ad latus dexterum: quomodo autem ponitur pons in auſtro, aſcendens per eum, & vertens ſe ad dexteram partem vertit ſe ad Orientem.* cum iſtorum ponte ſtat etiam Joſeph. lib. 6 de bello cap. 6. dicit enim loquens de altari: ϗ ἀπὸ μεσημβρίας ἐπ᾽ αὐτὸν ἄνοδος ἠρέμα προσάντης ὑπτίαστο. κατεσκευάσθη δ᾽ ἄνευ σιδήρου, ϗ ὀυδέποτε ἔψαυσεν αὐτοῦ σίδηρος. hoc eſt, *& ab auſtro ſuper illud*, ſupple altare, *aſcenſus clementer arduus reſupinabatur. paratum autem erat*, ſupple altare, *ſi-*

A *ne ferro & nunquam tetigerat illud ferrum.* his etiam ſubſcribit Ariſteas in libello de Septuaginta Interpretibus.

Sed in his Rabbinorum ſomniis, multimodè illi ipſi ineptire coguntur: nam ut quid pontem hi imaginantur, cum perſpicuè dicatur à Propheta aſcenſum altaris, gradus habuiſſe? Nam dictio hebraica מַעֲלוֹת *manghaloth*, de gradibus ſcalarum ſolummodo dicitur, nequaquam verò de lineis tranſverſis in aliquo ponte, ad pedes detinendos in aſcenſu, ne prolabantur hi qui aſcendunt. & licet Joſepho fides habenda eſſet, quod fuerit Sacerdos in Hieruſalem, B ſi ſcriptorum illius, ac voluminum fidum exemplar haberetur; quia tamen hujus doctiſſimi viri ſcripta, multis mendis conſpurcata Scriptorum vitio conſtat; cum grano ſalis legenda, atque admittenda erunt: quamobrem pontem iſtum ab aliquo, juxta Rabbinorum ſenſum poſitum par eſt credere. Nam quantum attinet ad prius commentum Davidis, ac Jonatæ de gradibus aſcenſionis ad atrium, eſt adeò alienum à vera Prophetæ intelligentia, ut nulla videatur reprobatione indigere. gradus enim per quos ad atrium aſcendebatur, pares omninò fuerunt, tam in porta Auſtrali ejuſdem atrii, quam Aquilonari, & Orientali; quamobrem non erat prophetæ, cur de illis potius, quam de aliis gradibus atrii C diceret: *Gradus ejus verſi ad Orientem*; niſi de gradibus aliis ab atrio loqueretur: nimirum de altaris gradibus, de quo ejus erat tunc ſermo. Quod autem de ponte in Auſtrali parte collocato, Rabbi David docere non dubitavit; ut is qui ad altare aſcendebat, ad Orientem ſe converteret: Templi fabricam contemplantes, quam à veritate alienum ſit viderint; hi præſertim qui Templum idem, ad Occidentem altaris poſitum agnoſcunt. quod utinam agnoviſſet ille Rabbinus, numquam enim pontem ad Auſtrum conſtituiſſet: fiebat enim neceſſario, ut Sacerdos ad altare conſcendens, ſacro Templo terga converteret; quod maximè Deo inviſum D conſtat cap. 8. Ezech. *Et ecce viri*, inquit propheta, *dorſa habentes contra Templum Domini, & facies ad Orientem.* nulla enim ratione, qui ad altare per pontem ad Auſtrum poſitum aſcendiſſent, vertere ſe ad Orientem poterant, quin ſacro fano terga verterent. Stant etiam contra hunc ineptiſſimum virum, prophetæ Ezechielis expreſſa verba; qui in hebraico quoque exemplari, cui ſoli Rabbini fidem præſtant; non ſolum docet altare illud, quod ſibi monſtratum eſt, gradus habuiſſe; ſed etiam ad Orientem hos gradus converſos fuiſſe affirmatè ſcribit. Ratio quoque ſacrorum, & cultus religionis, hunc graduum aſpectum in altari ſuadet; nam niſi Orientem verſus E fuiſſent, ſacrorum miniſter, hoſtias & oblationes ad altare afferens, Templum non proſpexiſſet, prout tenebatur.

Abulenſis vir doctiſſimus in cap. 20. Exo. quæſt. 47. graduum illam prohibitionem; quæ in eo capitulo legitur; intelligendam cenſet, de ligneis, ac portatilibus ſcalis, ex tranſverſis lignis compactis, quibus quidem nulla ratione fieri poterat, ait ille, ut Sacerdotes, aliis miniſtris ſub eiſdem ſcalis manentibus, turpia non revelarent. Qui quidem doctiſſimi viri ſenſus, qua ratione veritati ſit conſonum minimè apparet: non enim adeò in ſublimi altare hoc porrigebatur, ut ſacrorum miniſtri conſiſtere, F aut ſtare poſſent ſub ligneis ſcalis, quæ altaris illius ſupremam coronidem attingerent: tres habebat altitudinis cubitos altare, ut dicitur Exo. 27. & 38. quatuor cubiti humanæ dantur ſtaturæ: ei igitur altari appoſitis ſcalis, ſubtus minimè miniſtri conſiſtere poſſent, verenda aſcendentis conſpecturi. Quæ ratio quamvis ſatis ridiculam oſtendat ſententiam Abulenſis; addantur tamen etiam alia contra eam-dem.

dem. altare namque Moſaicum, non eſt imaginandum, ſimile his, quibus nos Chriſtiani utimur in Templis ad ſacram Euchariſtiam offerendam, complanati in ſuperiori ara, ad modum menſæ; convivia enim ſacra tantum in his peraguntur, in refectionem animarum: illud autem excavatum habebat medium, in quo hoſtiæ in media crate cremabantur, ut infra oſtendetur: quonam igitur pacto, ambabus manibus victimarum membris onuſtis, aſcendere valuiſſent Sacerdotes lineatam ſcalam; quam una tantum manu onuſta, aliquis artifex aſcendere vix poteſt? commentitiæ certè, atque omninò à ratione alienæ ſunt ſcalæ iſtæ, ab Abulenſi excogitatæ: quas etiam ſi ſacrorum miniſtri aſcendiſſent, fœminalibus jam præcincti, inhoneſtè nequaquam ad altare perveniſſent; nec turpitudinem revelaſſent; quod potiſſimum lege cautum videbatur. Fœminalia enim & veſtes Sacerdotales, quæcunque turpia ſunt in illis occultaſſent. Fœminalium verò uſum ab eo uſque tempore in Sacerdotibus Moſaicis D. Hieron. ad Fabiolam ſcribens agnoſcit: qui etiam ſanctiſſimus vir de Scripturis, & Eccleſia quam optimè meritus, gradus altari Ezechielis non denegat; ſed ad myſticam interpretationem eorundem graduum ſe confert: ac propterea nihil nobis, cum eo, qui litteraria in his inveſtigamus. Joannes Baptiſta Villalpand. lib. 4. par. 2. in 43. Ezech. cap. 79. concedit gradus altari; prohibitionem verò aſcenſus ad illud, quæ habetur cap. 20. Exo. ad rationem in illa lege poſitam revocat; nimirum ad illa verba: *Ne reveletur turpitudo tua.* dicitque hac lege nequaquam prohiberi aſcenſum ad altare: ſed genus ſacrorum idololatrarum vetari; qui turpitudinem religionis obtentu in ſacris ſectari conſueverant. quam interpretationem dicit inſinuaſſe S. Tho. 1. 2. q. 102. ar. 4 ad ſext. argumen. cum argumentum ſumeretur ab illis verbis: *Ne reveletur turpitudo tua. Conſiderandum*, inquit, *quod hoc etiam fuit inſtitutum ad excludendam idololatriam. Nam in ſacris Priapi ſua pudenda Gentiles populo denudabant*, ſed nihil de ſacris Priapi à S. Tho. Liranus hæc pluribus proſequitur. his adhæret Villalpan. *Non itaque gradus*, inquit, *fieri prohibentur*; *ſed eorum aſcenſus in eum finem perverſiſſimus; quippe cum immanes publicæ honeſtatis hoſtes, abſolutis nefandis aſinorum hoſtiis, ac malis artibus, & è mortuis imaginibus turpitudinum objectis, non ſatis incitato ad libidinem populo, vivo exemplo propoſito, ſuper ipſo altari verbis, & geſtis, populum ad omnem turpitudinis actum excitabant; quæ omnia inhoneſta ſcelera, atque turpiſſima, honeſtiſſima dicendi ratione inhibuit Dominus dicens: Non aſcendes per gradus ad altare meum, ne reveletur turpitudo tua.* Hæc & alia multa ab hoc auctore in hoc ſenſu loco jam citato dicuntur pag. 400. col. 2. in fine.

Huic ſententiæ omninò revera adhæſiſſem; niſi in ea deſideraretur aliquod antiquorum Poëtarum, aut Scriptorum teſtimonium; quo probaretur conſueviſſe Sacerdotes Gentiles in ſacris Priapi verenda denudare. Nam quamvis Villalpandus ſatis prolixe ſacra Gentilium, libidini, atque fornicationi fuiſſe conjuncta oſtenderit: nullibi tamen probat Sacerdotum verenda, ab eiſdem ſuper altare aperiri ſolita; ut ad libidinem aſtantes provocarentur: nam hoc probato, ſtatuti divini ſenſus, revera pateret: nec Divinæ legi gradus Ezechielis, atque Pontificis Oziæ ad altare aſcenſus, contraria apparerent. quamobrem juxta hanc doctrinam, non prohiberentur gradus; ſed tantum turpitudinis revelatio, atque inhoneſta manifeſtatio illorum vetaretur, quæ à natura occulta fuere.


Rationem igitur legis in ſequentia rejicientes, legis ſenſum pro modulo noſtro inveſtigabimus: & licet graviſſimi Scriptores, atque Interpretes ſacro-
A rum oraculorum ſint; qui graduum in altari prohibitionem in lege agnoſcant; cum tamen nec vim rationis pro lege allatæ; nec ſenſum legis ad rationem poſitam coarctare ſtudeant: liceat mihi quoque precor; in tanta Scriptorum varietate, ſacrorumque oraculorum difficultate balbutire, atque graduum, & ſcalarum prohibitionem in illa lege cognoſcere: quam prohibitionem firmiſſimè tenentes, præter legem Exodi latam c. 20. aliquando veniſſe Iſraëlitas Salomonen, aut Herodem negamus. Ut igitur à nobis allata firmiora conſiſtant; non erit prætereundum, altare propriè ſic appellatum numquam erectum fuiſſe ſupra cubitos tres altitudinis, una cum cornibus
B in extremis angulorum: quam menſuram altaris, ſæpiſſimè in ſacris Litteris dimenſam, à Deo Moyſi juſſam, à Beſeleel fabricatam, conſtanter retinuiſſe ubique Iſraëlitas, non raro ſacræ oſtendunt Litteræ. Nam quamvis totum ædificium ſubſtructionum una cum altari, quod ſuper illas collocabitur, ut capite 62. oſtendimus, altare aliquando diceretur; propriè tamen ſola illa ſuperior pars, ſuper quam cœleſtis ignis ardebat, ligna componebantur, hoſtiæ cremabantur, libaminaque fundebantur, altare dicebatur: cum tamen ſubſtructiones, ſeu baſes, quæ ad altare pertinebant, & eidem ſupponebantur, altare abuſivè dicerentur. Itaque tres tantum altitudinis cubitos
C ſemper, & ubique altare holocauſtorum retinuiſſe arbitramur, juxta definita à Deo; neque hos terminos aliquando Iſraëlitas fuiſſe auſos excedere affirmamus: ita ut Sacerdos miniſtrans in altari, unum tantum cubitum, idem ſuperaret. Sacerdos enim in altari miniſtraturus, elevare diſſectas hoſtias coram Domino, vel alias oblationes, ligna componere, libamina vini, aut ſiceræ fundere, diſſecta animalium membra, eorumdem adipes &c, ſanguinem, thus, & alia hujuſmodi, ſuper ſtruem lignorum, quæ in altaris medio cremabantur, ſuperimponere cum teneretur, juxta divinæ legis ſtatuta; ſatis ei erat uno tantum cubito altare excedere: ſic enim illius cornua
D in ſacris oraculis, ſanguine linire commodè poterat, ac reliqua munia, ſine aliqua difficultate obire; quamobrem ad illa munia in hoc altari obeunda, nullis ſcalarum gradibus opus erat.

Reliquum eſt conſiderare, quinam eſſet ſcalarum uſus, atque gradus, per quos ad altare aſcendiſſe Sacerdotes, ſacræ Litteræ non ſemel affirmant. Hæc autem difficultas, quæ Scriptorum animum tot ſeculis contorſit, me, judice facillimè jam ſolvitur, cum iconibus in præcedenti capitulo jam poſitis. Etenim gradus habuiſſe altaria, per quos ad illa aſcenderetur; præter dubium ſcripturalibus eſſe debet;
E tum Ezechielis auctoritate, qui de ſuo altari loquitur; tum etiam numero Pſalmorum, qui cantica graduum appellantur in libro Pſalmorum, & incipiunt à num. 119. uſque ad Pſalmum 134. excluſive. in quorum titulo quamvis multi multa dicant, de aſcenſu Iſraëlitarum à Babylonica captivitate in Jeruſalem, deque aſcenſu & concurſu populi ad Templum ſanctum, in ſolemnioribus diebus: quod eſſent nimirum cantica, quibus populus per viam lætabatur; & alii alia, de aſcenſu graduum per portas atriorum ad Templum; noſtra tamen ſententia eſt; Pſalmos hos ordinatos, ut cantarentur, quoties Summus Sacerdos, in aliquibus ſolemnioribus diebus
F aſcendebat gradus altaris, ut in eo hoſtias offerret. Nam quamvis quotidiana ſacrificia, per minores Sacerdotes offerrentur; tamen etiam ſummus Sacerdos, præſertim in die expiationis, ad altare accedebat ſacrificiorum cauſa; quam ob cauſam tunc à cantoribus cantabantur hæc cantica. Nam inſtituta fuiſſe poſt Templi fabricam, perſpicuum eſt ex ipſiſmet canticis, in quibus ſæpiſſimè de domo Domini ſermo eſt; quo vocabulo Templum, & non Tabernacu-

naculum ſignificabatur. non tamen illa omnia cantica, tunc compoſita fuiſſe arbitror; ſed ſumpta ex canticis David nonnulla, alia verò denuo compoſita à Salomone, & aliis auctoribus, eo tamen ordine, ut cum ad ultimum gradum perveniſſet Sacerdos, cantaretur illud: *Ecce nunc benedicite Dominum omnes ſervi Domini.* His, me judice, non obſcurè colligitur, quindecim habuiſſe gradus illam ſcalam, per quam ad altare à Summo Sacerdote aſcendebatur; in cujus aſcenſu, de Ozia dicitur in laudem ejus Eccle. 50. *In aſcenſu altaris ſancti gloriam dedit ſanctitatis amictum.* in quibus verbis ſacer textus reſpexit ad veſtem ſanctam, gemmis & auro fulgidam, nec non etiam ad pectorale ſanctum, quod duodecim gemmis ex Dei inſtituto diſtinctum viſebatur, & ad duos onychinos lapides in humeralibus alligatos, quibus Summi Pontificis amictus, cum hyacinthina punicis, ac tintinnabulis ſplendida, undique fulgores metallorum,

A atque gemmarum ſpargebat: quorum tintinnabulorum ſonus, & gemmarum ſplendor, in aſcendendo ad altare per gradus, cum longè, latèque fulgeret; de Ozia dixit Spiritus ſanctus: *In aſcenſu altaris ſancti gloriam dedit ſanctitatis amictum.*

Hi autem gradus altare non attingebant, neque ad illud pertinebant; ſed tantum ad ſubſtructiones, & crepidines ſuper quas altare collocatum erat. ea propter neque Iſraëlitarum Reges, ac Duces qui crepidinibus, has ſcalas adjungere curarunt, nec Sacerdotes ſacra facturi, qui per hos gradus ad ſummam crepidinem perveniebant, ut in altari, quod in ſuprema crepidine collocatum erat, hoſtias foculo B ſuperimponerent; ad altare per gradus aſcendiſſe propriè dicebantur; aut contra legem latam Exo. 20. aliquid egiſſe. Propterea hic Ezechielis altare, cum ſcalarum gradibus delineandum curavimus, ut quæ dicimus lucidiora fiant.



Non eſt igitur cur ad Idololatriam à Deo prohibitam confugiamus; ſicque cum Villalpando, & aliis, potius myſticas, quam litterales ſequamur ſacrorum textuum interpretationes.

Ne verò omiſiſſe videamur legis allatæ rationem, quidque voluerit Deus, in illis verbis: *Ne appareat turpitudo tua.* Obſervandum erit in hebraico exemplari legi dictionem עֶרְוָתֶךָ *ngheruathecha*, quæ ſignificat verenda: interpretanda igitur ſic ſunt illa verba: *Non aſcendes ad altare meum, ne detegantur verenda tua.* quæ quidem loquendi phraſis tam de pudendis anterioribus, quam poſterioribus dicitur. & quia orientales uſi ſunt ſemper veſtibus oblongis; propterea enim dicebat Chriſtus, monens nos paratos eſſe debere ad perfectionem: *Sint lumbi veſtri præcincti;* & de domino in obſequium boni ſervi dicebat, *præcinget ſe, & tranſiens miniſtrabit illis*, & alibi ſæpè: ex conſuetudine itaque veſtium prolixarum apud Orientales, eiſdem irridendos videtur Europæos, maximè Germanos, Italos, Gallos, atque Hiſpanos, qui thoracibus, fœmoralibus, atque tibialibus utuntur; veſtibus nimirum ita accommodatis ad corporis membra, ut poſteriora naturæ verenda, manifeſtè appareant quia igitur Sacerdotes utebantur ex lege lineis veſtibus, atque ubi aliquo gradu ad altare acceſſiſſent; atque in miniſterio altaris, igni ſuper imponendo hoſtias, aliudve agendo ſe inclinaſſent, nates quoque extrinſecus protuberaſſent; populique aſtantes ad cachinnos excitaſſent; hac de cauſa Deus per gradus ad altare Sacerdotes aſcendere vetuit; & fœminalibus ſub veſtibus illos uti juſſit; ne dum ſacra facerent, nates aliquomodo, aut natium veſtigium aliquod, ad extra appareret: & ad cachinnos excitarentur, qui ad preces inter ipſas ſacras oblationes, & ſacrificia excitandi fuiſſent.

CAP. LXIV.

D

Stabilia altaria, ac tripodes religioſi monſtrantur.

Ad locum 2. Paralip. cap. 4. *Fecit quoque altare æneum viginti cubitorum longitudinis, & viginti cubitorum latitudinis.* & ad alia plura loca.

RELIGIONIS cauſa ea altaria excitata à nobis dicuntur, quæ ut ſacra in eis haberentur in loco aliquo, divini cultus cauſa poſita fuere: licet verò de altari quoque Moſaico, divino juſſu fabricato, & in Tabernaculo poſito agere poſſe- E mus; cum tamen illud longiorem expoſcat conſiderationem, in ſequentia rejicimus. De Ethnicorum verò altaribus nobis agendum non eſt, niſi obiter pro ſacris explicandis, à quibus nunc nobis recedendum minimè erit. nihil enim de lapideis illorum altaribus, ſed tantum de portatilibus, quæ tripodes appellabantur.

Tripus autem vox græca eſt, qua aliquid ſignificatur, quod tribus pedibus ſuſtentatur, uti vox ipſa ſonat: & hujus ſignificationis auctorem etiam habemus Athenæum lib. 2. dipnoſ. cap. 2. dicentem: τρίποδα ἢ τὴν ὑπόβασιν ἔχοντες τρίποδες ὠνομάζοντο. hoc eſt, *Ternam baſem habentes, nominarunt tripodes.* F Itaque non ſolum de altari, ſed etiam de ſedili aliquo, & menſa quoque rectè dicitur, Homero teſte lib. 24. & Callimacho in lavacro Dianæ. Fuit autem aliquis, teſte Rhodig. libro 8. lect. Antiq. cap. 15. qui tripodem interpretaretur inſulſiſſimè cortinam, ſive vas pulveribus plenum, ex quo perflans ſpiritus Phœbadibus, vaticinii præberet poteſtatem. Lactantius quoque Grammaticus non minus ineptè, ſuper

ſuper Papinii verſu, qui eſt Thebaid. 1.

Salve priſca fides tripodum, obſcurique receſſus.

Tripus, inquit, *ſpecies eſt lauri, tribus radicibus Apollini conſecrata, propter triplicem vim divinationis.* quæ omnia falſo dicuntur ab his: tripodis enim nomine in Delphicis oraculis, ſedile ſive ſella intelligenda fuit, tres tantum habens pedes; ſuper quam ſedebat Pythia, quæ ſpiritu afflata, ex Apolline reſponſa dabat. quod ex Ariſtoph. in Pluto probat Rhodiginus ibidem, & Strabo, *Auctores*, inquit, *certi memorant divinum ipſum domicilium*, ſcilicet Apollinis, *profundam, & curvam eſſe ſpeluncam, non admodum lato patentem ore, unde auram quidem referri, ſacro ajunt efflante Numine; excelſum autem oſtio imminere tripodem, quem cum Pythia vates inſcenderit, hauſto divinationis ſpiritu, Dei reſponſa referre, & metro, & oratione ſoluta.* Amplius in libro de myſteriis Jamblicus: *Sibylla in Delphis*, inquit, *duobus modis ſuſcipiebat Deum, vel per ſpiritum quendam tenuem, igneumque, qui erumpebat alicubi ex ore antri cujuſdam, vel ſedens in adyto ſuper ſedem æneam habentem tres, aut quatuor pedes, & Deo dicatam; & utrobique ſe divino ſpiritu exponebat, unde divini ignis radio illuſtrabatur.* Quod autem de quatuor pedibus dixit Jamblicus, admitteretur à nobis ſi tetrapodes illa ſedes diceretur: verum tripodem dici compertum eſt, id de quo loquimur, ac ſedem fuiſſe perſpicuè patet. Bibliothecam etiam Rhodiginus citat in ſextodecimo volumine, dicentem: *Vatem unam conſtituere, mox & ſubſtruxere machinam, qua conſcenſa, vaticinari tuto poſſet. habebat illa baſes tres, unde & tripodis nomen inditum.*

Menſas quoque in quibus convivantur homines, tripodes dictas, comprobat Athenæus lib. 2. apud Rhodiginum: ſed loco citato, poculum tripodem Bacchi appellari ab Athenæo reperi, non verò menſam. Bene tamen tripodas, Senecæ crimini datum conſtat, apud Dionem in Nerone; nimirum quod divitum locupletatus calumniis, ingentes congeſſiſſet opes; ac cedrinæ materiæ tripodas haberet quingentos elephantopodes, id eſt eburneis pedibus, menſas æquales numero, ſimilesque ſuper quibus veſcebatur. & Pollux lib. 10. cap. 23. ait de his: ἡ δ' ὑποκειμένη τοῖς ὄψοις τράπεζα, καὶ τρίπους ἂν καλοῖτο. εἴρηκε γοῦν Ἀριστοφάνης ἐν Τελμησσεῦσι.

καὶ πόθεν ἐγὼ τρίπουν τράπεζαν λήψομαι;

καὶ ἐν ἐκκλησιαζούσαις, ſupple idem Auctor alias dixit:

καὶ τὸν τρίπουν δ' ἐξήνεγκε, καὶ τὴν λήκυθον.

hoc eſt,

Menſa autem ſuppoſita obſoniis; & ipſa tripus vocatur, dixit ſiquidem Ariſtophanes in Telmiſenſibus.

Et unde ego menſam tripodem ſumam?

& in concionatoribus, ſupple ait;

Et tripodem extulit, atque lecythum.

Ex quibus locis planè conſtat, nomine tripodis aliquando menſam dici, in qua veteres veſcebantur. Sed etiam ſtrata, in quibus convivæ jacebant ad menſam; tripodes interdum dictos fuiſſe, auctor eſt Pollux lib. 6. cap. 12. dicens: ἦσαν δέ τινες πρῶται τράπεζαι, καὶ δεύτεραι, καὶ τρίται. καὶ τρίποδες μὲν ἐφ' ὧν ἔκειντο. hoc eſt, *Erant autem menſæ quædam primæ, & ſecundæ, & tertiæ, & tripodes quidem, ſuper quibus incumbebant.* Et ne Auctores hujus vocabuli prætermittat, ſubdit: καὶ ἔστι τοὔνομα παρ' Ἡσιόδῳ, καὶ ἐν Τελμισσεῦσιν Ἀριστοφάνους. hoc eſt, *& eſt nomen hoc apud Heſiodum, & apud Ariſtophanem in Telmiſenſibus.* Eſt enim apud Ariſtophanem Comœdia ſic inſcripta, in qua tripodes ſtrata dicuntur, juxta hunc


A locum Pollucis. Verum in loco jam à nobis ſuperius allato, obſervavimus ex eodem Polluce, quod non tantum menſæ, in quibus apponebantur obſonia; ſed ſtrata, in quibus convivæ jacebant, tripodes appellabantur.

Verum nihil nobis cum his menſis, aut ſedilibus, ſed tantum cum pertractemus de altaribus; eo nomine dicebantur altaria portatilia, quibus Ethnici in ſacris Deorum faciendis, vel in triviis, vel in agro, vel ubicumque libuiſſet utebantur: ſuper quæ pars aliqua victimarum, ſive ex extis, ſive ex ſanguine cum thure cremabatur. hæc ſimiliter eadem de cauſa trium pedum, tripodes dicebantur; quia B tribus nimirum haſtis, vel ferreis, vel ex alia materia firma, & ſtabili componebantur; quæ ſuperius vas, atque concham regere, ac ſuſtinere poſſent. Nam ſuper tribus tripodis haſtis ſuperimponebatur catinus cum carbonibus, & prunis, quibus ſanguinem, extaque hoſtiarum cum thure concremarent in Numinis cultum, quod plurimum venerabantur: veteres lapides, numiſmata, & inſcriptiones id probant. Erant etiam tripodes lapidei, optimo argumento, ſic dicti, quia tribus tantum aſpectibus conſtabant: ſed quia inter ſtabilia potius, quam inter portatilia reponuntur, illorum formam ſubindicaſſe ſat eſt.

C Portatilia igitur petamus, non recedentes à tripodibus, cujus uſus frequentiſſimus fuit apud veteres Ethnicos: quod in ſacris crapulæ potius, quam religioni, Numinumque cultui ab Ethnicis opera daretur; quapropter victimarum, & cæſarum hoſtiarum partem maximam vorantes, parum, vel nihil igne conſumentes, Numinibus conſecrabant: ſatis religioni, & cultui indulſiſſe exiſtimantes, dum victimas Numini oſtendiſſent; aliquidve ſanguinis cum thure, ac vino eidem obtuliſſent; ut nidore fumi aër perflatus, ſuaviores convivantibus faceret epulas. Tripodum formæ in Nummis, atque in lapidibus, & antiquis monumentis ſunt multiplices; explicabi- D les nimirum, non explicabiles, altiores, minus altæ, ſicque variæ ad varietatem placiti illorum, qui his utebantur. Eſt apud me lucerna quædam antiquiſſima, cujus Myrothecio primo meminimus, in cujus ſuperiori facie, ſacrum inſculptum Priapo viſitur, & ibidem mulieres ſacrificantes gallum gallinaceum, cujus ſanguinem catinus in tripode impoſitus excipit, formam ejus Pag. proxima ſubjecimus.

Verum inter hos tripodes, ſunt qui ſuperiorem concham firmam habeant; ut hi qui frequentiſſimè in Nummis, ac lapidibus conſpiciuntur: quorum nimirum pedes contrahibiles, aut explicabiles non ſunt; alii ſunt tripodes ſacri, quorum pedes ob in- E terclusas, & inter ſe complicatas lineas contrahuntur, explicanturque; prout latior, vel anguſtior fuerit concha; quæ eidem tripodi ſuperimponitur, pro libito illius, qui ſacrum facit. Cujus tripodis forma præclara, in Arcu Conſtantini, Romæ prope Amphitheatrum cernitur; ea in fronte, quæ ad ejuſdem Arcus ingreſſus occurrit his, qui ad amphiteatrum pergunt. in ſuperiora enim, arcum ad dexteram contemplantibus, ſacrum ex porco, tauro, & ariete in tripode, mobilem ſuſtinente concham occurrit; cujus tripodis ſtructura, tam ingenioſa apparet; ut altitudine æquali, tripus ſtet erectus; quæcumque illi ſuperimponatur concha, ſive anguſtior, F ſive latior fuerit: aſcendentibus, atque deſcendentibus lineis, quæ invicem interſecantur; ac in pedibus à parte ſuperiori taliter trochleis firmantur, ut immobiliter pedibus inhærendo, in gyrum moveantur, ad contrahendum, explicandumque tripodem, juxta latitudinem, vel anguſtiam ſuperpoſitæ illi conchæ. Quæ verò deorſum ſunt lineæ, complectentes tripodis haſtas, ita tranſverſis lineis con-

 jun-



junguntur, ut mobiles ſint, aſcendendo, atque deſcendendo, prout explicabitur, aut complicabitur tripus; cujus ſupremæ partes bacchantibus in notam religionis ornantur.

Hujus autem tripodis forma, quam diximus in arcu Conſtantini conſpici, non comprehenderetur; nec qua ratione concha mobilis, pedeſque tripodis contrahi, vel explicari poſſent intelligeretur; niſi aſpectu ipſo juvaremur: tripode quodam inter Urbis ruinas reperto, atque in muſeo diligentiſſimi Viri Franciſci Gualdi Ariminenſis, Equitis ſancti Stephani, Romæ nunc inter antiqua monumenta cuſtodito. Hic enim vir antiquitatum amantiſſimus, in gratiam ſtudiorum & Muſarum, multa antiquitatis monumenta congeſſit, eaque diligentiſſimè perpolita, domi in ſuo muſeo conſervat; viriſque omnibus antiquitatum bene meritis, humaniſſimè conſpicienda exhibet. Ex eo nonnulla accepi, de quibus Myroth. 1. dixi; & hujus Myrothecii gratia, cum guttis, & aliis, de quibus in capitulis præcedentibus, tripodem etiam hunc habui delineatum, ea ſcilicet forma, quam anguſtiorem B, nec non etiam explicatiorem C, atque contractam denique per A ſignavi; ut ejuſdem tripodis forma omninò ſtudioſis conſpicua foret.

Sed ad ſacra oracula jam redeamus; & tantum in his, altarium tam portatilium, quam ſtabilium materia à nobis contempletur; quam quidem æream ſemper fuiſſe certiſſimum arbitramur, ſi de altaribus propriè loquendum ſit. Materiam igitur contemplantibus, duo genera illius conſideranda occurrunt, aliud nimirum æneum, & aliud lapideum, quæ in Dei Templo conſtituta, atque ædificata fuiſſe legimus: hoc ab Eſdra, & illius poſteris, illud à Salomone; de cujus ſtructura, & materia dicitur 2. Paralip. cap. 4. *Fecit quoque*, ſupple Salomon, *altare æneum viginti cubitorum longitudinis, & viginti cubitorum latitudinis, & decem cubitorum altitudinis.* & cap. 8. lib. 3. Reg. ſimilia verba habentur, de altari æreo à Salomone fuſo ad uſum Templi, de quo
D dicitur: *In illa die ſanctificavit Rex medium atrii, quod erat ante domum Domini. Fecit quippe holocauſtum ibi, & ſacrificium, & adipem pacificorum, quoniam altare æreum, quod erat coram Domino, minus erat, & capere non poterat holocauſtum, & ſacrificium, & adipem pacificorum.* Quibus etiam concordant, quæ à Joſepho dicuntur libro octavo cap. 2. κατεσκεύασε δὲ, inquit, καὶ θυσιαστήριον χάλκεον πηχῶν εἴκοσι τὸ μῆκος, καὶ τοσούτων εὖρος, τὸ δὲ ὕψος δέκα πρὸς τὰς ὁλοκαυτώσεις. hoc eſt, *Fabricavit autem*, ſupple Salomon, *& altare æreum cubitorum viginti in longitudine, & totidem latitudine, altitudo autem decem ad holocauſta.* Stetit autem altare hoc, toto tempore Templi à Salomone
E ædificati; licet aliquando ſacrificia ſuper illud offerre prætermitterent Iſraëlitæ; ut dicitur 4. Reg. cap. 16. num. 15. & nos oſtendimus retro cap. 58. contigiſſe tempore impiiſſimi Achazi, qui aliud in gratiam Regis Damaſceni, in Templo Domini altare conſtituerat.

Æreum fuiſſe etiam altare ab Eſdra, ſubſtructionibus ſive baſibus ſuperpoſitum, Dei ſtatuta & ratio ſuadet; ut ejuſdem etiam materiæ fuiſſe altare Ezechielis, ſuſpicari ex ſacris oraculis ſatis poſſit: ubique enim altaria intus vacua fuiſſe certiſſimè conſtat; quod caverat Deus cap. 27. Exodi, dicens: *Non ſolidum, ſed inane, & cavum intrinſecus facies illud,*
F *ſicut tibi in monte monſtratum eſt.* Quo non ſolum, altaris tranſportationi conſultum arbitror, ac levitati; ſed etiam conſuetudini cineres ab altari removendi, quæ intrò ex ſacrificiis & hoſtiis decidebant, ac deſcendebant. quæ ratio etiam in altari Salomonis, atque in altari oſtenſo Ezechieli in viſione, locum habet, Templo quoque exiſtente. Et re vera quidem cavum fuiſſe altare viſum in gloria Domini, Joan-

Joannes oſtendit in Apocalyp. cap. 6. dicens : *Et cum aperuiſſet ſigillum quintum , vidi ſubtus altare animas interfectorum propter verbum Dei , & propter teſtimonium quod habebant.* Æreum quoque fuiſſe altare Ezechieli oſtenſum , ſubodorari poteſt ex eo , quod cælaturis plurimis cohoneſtaretur : cum tamen ex ſculptis lapidibus, altaria fieri nefas eſſet; Deo præcipiente, ne ferro attingerentur lapides , ex quibus altaria excitanda forent in ſui cultum : nequeunt verò in lapidibus varia exſculpi ornamento , niſi ferro in his ſculpturæ , imagineſque effingantur. Ut igitur magnificentiæ Templi , altaris quoque ſtructura reſponderet , ærea illa fieri conſueviſſe puto : tum quod in illa materia ænea ſculpi multa poterant; ferroque attingere eadem prohibitum non erat : tum quod fuſilia metalla, dum effunduntur liquata in cælatis iconibus , ac formis , imagines omnes quæ deſiderantur , facillimè , atque pulcherrime præſtant. Tanta enim ſacra oracula de magnificentia Templi Salomonis tradiderunt , deque cælaturis in utenſilibus , ac vaſis illius; ut minimè mirum videatur; cur de altari cum agunt, illud idem non lapideum , ſed ex ære factum tradiderint. quamobrem cum non minora habeantur de Templo Herodiano ; imò ſub judice adhuc videatur; quis eorum alter in Templi fabrica exceſſerit; ſimiliterque etiam auguſtiſſima ſint; quæ ab Ezechiele traduntur de Templo ſibi in viſione monſtrato ; fabricam quoque altaris holocauſtorum in his Templis auguſtiſſimam, iconibus, imaginibus , ac cælaturis conſpicuam fuiſſe, rationi conſonat. ut nec etiam ſubſtructiones altarium , in quibus recipiebantur cineres , ferro contingi liceret, ne immundarentur; cum cineres in loco mundo ſervari, lege cautum eſſet.

CAP. LXV.

Altaris Moſaici forma explicatur.

Ad loca Exodi 27. *Facies & altare de lignis ſetim , quod habebit quinque cubitos in longitudine , & totidem in latitudine , id eſt quadrum , & tres cubitos in altitudine. Cornua autem per quatuor angulos ex ipſo erunt : & operies illud ære. Facies & vectes altari de lignis ſetim duos , quos operies laminis æneis : & induces per circulos , eruntque ex utroque latere altaris ad portandum. Non ſolidum , ſed inane & cavum intrinſecus à facie illud , ſicut tibi in Monte monſtratum eſt.* & ad alia plura.

RELINQUANTUR Ethnica, ſacraque altaria portatilia ex ſacris oraculis à nobis conſiderentur. de quibus dixit Deus ad Moyſem : *Facies & altare de lignis ſetim , quod habebit quinque cubitos in longitudine , & totidem in latitudine , id eſt quadrum , & tres cubitos in altitudine. Cornua autem per quatuor angulos ex ipſo erunt : & operies illud ære.* & infra : *Facies & vectes altari de lignis ſetim duos , quos operies laminis æneis: & induces per circulos, eruntque ex utroque latere altaris ad portandum. Non ſolidum , ſed inane & cavum intrinſecus facies illud , ſicut tibi in Monte monſtratum eſt.* Quod etiam factum intelligimus poſtmodum à Beſeleel & Oliab in eodem libro cap. 38. Hæc de hoc altari portatili ſacra tradidere oracula. Forma hujus altaris inter Doctorum placita verſatur. Sunt qui contra omne fas , altare Moſaicum lapidibus impleri ſolitum affirment ; quoties ſuper illud ſacra facienda fuiſſent. Ita Abulenſis quæſt. 6. in cap. 27. Exodi , Ricard. in explan. Tabernac. cap. 11. Hiſtoria Scholaſt. cap. 59. in Exodo , & alii nonnulli : quæ ſententia in contrarium

A ſacra oracula omninò , & expreſſè habet : ſatiſque luculenter à Torniello ſub anno mundi 2544. num. 73. rejicitur : apud quem etiam varia Doctorum placita , circa formam hujus altaris , atque etiam ex eorumdem ſententiis , hujus altaris variæ icones videri poterunt.


Difficillima porrò cum primis in hoc ædificio Moſaici altaris apparent arula , craticula , annuli , & cornua , quæ erant in hoc altari : de quibus , variis Doctorum placitis miſſis , quæ apud eumdem Torniellum videri poterunt ; breviter in medium afferam , quæ ſentiam. Altare nimirum hoc quadratum extitiſſe , quinque etiam cubitos latitudinis ha-
B bens , totidem longitudinis , & tres denique altitudinis ; ut cubitum in altitudine , Sacerdoti ſuper illud miniſtraturo ſupereſſet: quatuor enim cubiti communiter humanæ ſtaturæ adſcribuntur. Quæ verò de craticula, & arula ab aliquibus dicuntur; nequaquam intelligenda puto de aliquibus cancellis , qui ambirent altare ad decorem , & tutamen ; ne alii , præter Sacerdotem accederent ad illud , ut ex Joſephi placito, Torniellus affert : nam cum in atrio ſacri Tabernaculi Sacerdotes tantum verſarentur , ſacrorum miniſteriorum de cauſa , non erat quam-
C obrem his cancellis altare tueretur. Præterea Sacerdotes his cancellis circumcirca altare firmatis, femore aliquo elevato ad illud accedere , atque femora diſcooperire, vel etiam detegere aliquo modo verenda , ſacrorum miniſtri cogerentur ; quod ne fieret lege caverat Deus : ſi verò craticula hæc aliqua ex parte aperiretur , vix ea totum altare ambire verè diceretur. Reliqua alii judicent.

Minus etiam placet , quod Cajetanus aſſeruit, craticulam & aram ſub craticula , intra altare in quadrum ſuſtentatas , à trabibus effigendas , ita ut ab altari removerentur , eidemque pro libito intro ponerentur , quoties ſacra facienda eſſent : ſeorſum etiam ab altari ſuis vectibus portarentur; quoties Tabernaculum cum caſtris alibi metandum eſſet. & ſic
D alia multa rejicienda puto , ab eodem Torniello pluribus rationibus rejecta, quæ apud illum videri poterunt , & judicio diſcuti.

Arbitror igitur intra medium altaris , rotundam cratem incluſam extitiſſe , deorſum infra altare vergentem, ejus formæ quam infra cap. 72. monſtrabimus; in qua perpetuus aleretur ignis , qui de cœlo deſcendit , erecto jam Tabernaculo , ut dicunt ſacri codices : juxta formam, quam averſa pagina Fig. A. delineandam curavimus : quæ medium altare interius repræſentat, cum craticula quæ in plano ſuperiori complanabatur , intra altare deſcendebat , & quatuor annulis in ſuperiori ſuperficie ſuſtentaba-
E tur.

Dicant alii quidquid velint ; quæ diximus ex ſacris textibus confirmentur. Joſepho enim & reliquis Rabbinis , licet in hoc minima fides habenda ſit ; quod aliquando hoc altare Moſaicum non viderit ; ſed tantum illud , quod à Machabæis , & ab Herode excitatum fuerat ; non tamen omnino illius teſtimonium rejiciendum videtur; vel ea maximè de ratione , quod altare ſui ſeculi ſaltem inſpexerit : quod forma Moſaico , ac Salomonio extitiſſe ſimile , credendum eſt. Noſtra hæc icon , Joſephi teſtimonio comprobari poteſt , qui lib. 3. Antiq. cap. 7. ait : ἵδρυτο δὲ καὶ πρὸ τῆς σκηνῆς βωμὸς χάλκεος, ὑπόξυλος, καὶ
F αὐτὸς ἑκάστην πλευρὰν πέντε πήχεσιν ἐκμεμετρημένος, τὸ δὲ ὕψος τρισὶ ὁμοίως τῷ χρυσῷ κεκοσμημένος χαλκείαις λεπίσιν ἐξησκημένος. hoc eſt , *Collocatum autem erat & ante Tabernaculum altare æreum ſubligneum; & illud ſingulo latere quinis cubitis menſuratum , altitudo verò tribus , ſimiliter auro ornatum , & laminis æreis adopertum.*

Sed quid intelligatur nomine arulæ diligenter con-



ſiderare oportet, ut ſacri hujus altaris formam inveſtigemus: in qua quidem multi laborarunt, quorum ſententias minimè recenſendas putavi. Arbitror igitur arulæ nomine tabulam quamdam æneam totam, altaris ſuperiorem ſuperficiem tegentem intelligi debere, quæ etiam ara dici ſolet. Quia verò hæc lamina, in hoc Moſaico altari, nequaquam totam omnino ſuperficiem ſuperiorem altaris tegebat; tum quia in medio os habebat ad recipiendum ligna & ignem qui exhalabatur per craticulam, ſive ut hebraicè habetur cribrum perforatum; tum etiam quia intra altaris cornua continebatur, ſaltem cubiti unius dimidium, niſi etiam in lateribus altari æquaretur: propterea à Divo Hieronymo, & noſtro vulgato, arula, & non ara fuit appellata; quòd hebraicè dicitur כַּרְכֹּב *carcob*: & idem ſit in noſtris codicibus arula, quod hebræis erat, *carcob*, fortaſſe ab ambiendo flammam, quæ ex ea erumpebat, ſic appellatum, illius ut puto formæ, quam Fig. B. exhibuimus.

His Rabbi Salomon ſubſcribere videtur. dicit enim; *Omne quod circuit quippiam in gyrum, vel in rotundum, vocatur* כַּרְכֹּב *carcob*. quod etiam confirmatur auctoritate Rabbi David Chimchi, qui in lib. radicum docet: duplex planum in altari à ſuis Doctoribus accepiſſe, alterum quo altare tegebatur, & craticula quam diximus ſuſtinebatur, os illi aperiendo in medio, cujus diametrum ad minimum duos cubitos cum dimidio habere debuit; alterum priori impoſitum, in quo Sacerdotes miniſtrarent, ignem nutrientes, ligna injicientes, & alia facientes quæ ſacrificiis neceſſaria erant. Quibus etiam videtur conſentire Chaldæus Paraphraſtes, dicens: *Et pones eam*, ſcilicet craticulam, *ſub circulo altaris deorſum, erat retis uſque ad dimidium altaris.* Noſtra hæc conjectura quammaximè juvatur Græcis textibus, ac etiam gloſſematibus. nam cap. 27. Exodi, in quo Deus præcepit Moyſi altare erigere, formamque altaris eidem deſcribit: inter vaſa altaris, hæc enumerantur num. 3. *καὶ ποιήσεις στεφάνην τῷ θυσιαστηρίῳ, καὶ τὸν καλυπτῆρα αὐτοῦ, καὶ τὰς φιάλας αὐτοῦ, καὶ τὰς κρεάγρας αὐτοῦ, καὶ τὸ πυρεῖον αὐτοῦ, καὶ πάντα τὰ σκεύη αὐτοῦ ποιήσεις χαλκᾶ.* hoc eſt, *Et facies coronam altari & operimentum ejus, ſive tegumentum ejus, & phialas ejus, & creagras ejus, & ignium receptaculum ejus, & omnia vaſa illius facies ænea.* & eadem omnino habentur in cap. 38. hinc fortaſſe tranſcripta, quia hæc capita in græcis exemplaribus perturbatiſſima

C ſunt. interim ſatis nobis erit voce *καλυπτὴρ* ſignificari quoddam tegumentum altaris, quod illud operiebat, & inter utenſilia ſacranda oleo debet recenſeri; quia hoc inter utenſilia altaris enumeratur: aliàs non eſſet quod in Latinis textibus Græcis exemplaribus reſpondeat, cum inter reliqua hoc etiam tegumentum enumeratur. quod quamvis à Latino Interprete ſigillatim inter alia vaſa non recenſeatur; indigitatur tamen cum dicitur in Latinis codicibus, annulos craticulæ ſub arula collocandos; ut hinc pateat præter altare, arulam quoque, id eſt parvam aram, fieri Deum juſſiſſe; quæ ideò talis dicitur, ut ex vi nominis ſuper aram altaris collocandam fuiſſe conſtet; nam aliàs fruſtra diceretur arula, quæ deorſum ab ara, aut alibi, quam cum ara altaris
D collocanda fuiſſet.

Clariſſimè verò hoc tegumentum altari imponendum fuiſſe dicitur in Græcis exemplaribus cap. 4. Numer. in quo ſermo eſt de diſtributione ſacrorum onerum inter Levitas Num. 35. cum ſermo eſſet de altari holocauſtorum ſic dicitur: *καὶ τὸν καλυπτῆρα ἐπιθήσει ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον, καὶ ἐπικαλύψουσιν ἐπ' αὐτὸ ἱμάτιον ὁλοπόρφυρον. καὶ ἐπιθήσουσιν ἐπ' αὐτὸ πάντα τὰ σκεύη αὐτοῦ ὅσοις λειτουργοῦσιν ἐν αὐτοῖς, καὶ τὰ πυρεῖα, καὶ τὰς κρεάγρας, καὶ τὰς φιάλας, καὶ τὸν καλυπτῆρα, καὶ πάντα τὰ σκεύη τοῦ θυσιαστηρίου, καὶ ἐπιβαλοῦσιν ἐπ' αὐτὸ κάλυμμα δερμάτινον ὑακίνθινον. καὶ διεμβαλοῦσι τοὺς ἀναφορεῖς αὐτοῦ.* hoc eſt, *Et tegumentum imponet ſuper altare, & in-*
E *volvent ſuper illud veſtimentum totum purpureum. Et imponent ſuper illud omnia vaſa ejus, quibus miniſtrabunt in eis, & ignium receptacula, & creagras, & phialas, & tegumentum, & omnia vaſa altaris, & injicient ſuper illud velamentum pelliceum hyacinthinum, & immittent vectes ejus.* Ex quibus, me judice, perſpicua ſunt, quæ de tabula illa *Carcob* hebraicè dicta, ſuperimponenda altari ſubodoravimus.

Illuſtratur hac arula, locus perdifficilis ſacrarum Scripturarum Num. 16. quando in ſeditione Dathan, Abiron, & Core commoto populo, plurimi his
F adhæſerunt, qui Sacerdotium, & Dominatum in exercitu Iſraëlitico appetebant: qui omnes dum illis favent, extincti ſunt, de quibus dicitur in textu: *Sed & ignis egreſſus à Domino, interfecit ducentos quinquaginta viros, qui offerebant incenſum. Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Præcipe Eleazaro filio Aaron ſacerdoti ut tollat thuribula quæ jacent in incendio, & ignem huc illucque diſpergat: quoniam ſan-*

ſanctificata ſunt in mortibus peccatorum: producatque ea
in laminas, & affigat altari, eo quòd oblatum ſit in eis
incenſum Domino, & ſanctificata ſint. hæc ſacer tex-
tus, quæ ſi attentè conſiderentur; non poſſunt non
ingerere difficultatem Lectori. Jam enim altare con-
ſtructum fuerat, à Moyſe conſecratum, & omnino
abſolutum: quinam igitur fieri potuit, ut thuribu-
lis ducentis, ac quinquaginta in laminis productis te-
geretur altare? Nec enim defuerunt Scriptores, qui
dixerint, laminis horum thuribulorum, fuiſſe te-
ctum altare ligneum à Moyſe conſtructum, & cap.
38. Exodi ſic legerent in enumerandis, quæ à Be-
ſeleel facta fuerant: ϗ ἐποίησε τὸ χαλκοῦν ἐκ τῶν πυρείων
τῶν χαλκῶν, ἃ ἦσαν τοῖς καταςασιάσασι μετὰ τῆς κορὲ συνα-
γωγῆς. hoc eſt, *& fecit altare æreum ex thuribulis æ-*
reis, quæ erant hominibus ſeditioſis, cum congregatione
Core. Hoc autem falſum eſſe, annorum computa-
tio apertè demonſtrat. nam triginta ferè annos, poſt-
quam Deus altare juſſerat Moyſem facere; Core
ſeditionem accidiſſe colligitur: aliud ergo ad uſum
altaris, ex his thuribulis factum intelligimus. Erat
enim quinque cubitorum in quadrum, & trium
altitudinis altaris ædificium; jam tectum erat la-
minis æneis; ſi verò ſuper jam poſitas laminas,
aliæ adderentur ex numero ducentorum quinqua-
ginta thuribulorum, quæ *acerræ* dicuntur Joſephi
interpreti latino, utque jam oſtendimus, erant in formam
arcularum manualium, quibus carbones igniti recipie-
bantur; utique altaris forma deformaretur. Quamobrem
ne deformationi altaris Moſaici conſentire videamur,
& difficillimo loco ſacro lucem afferamus; arbitror
his ducentis & quinquaginta æneis arculis, fuſo illorum
omnium ære, elaboratam fuiſſe aliam æneam tabulam,
ejuſdem formæ cum illa, quæ *Carcob* dicebatur; ſuper-
imponenda quidem altari, & ſuperiori illius ſuperficiei,
quoties altera tolleretur. Sic enim altare mundius aſ-
ſervabatur: nec numerus thuribulorum erit in nego-
tio, cum tabula hæc, quæ *Carcob* dicebatur, ſolida
fieret, & craſſitudinis haberet ad quatuor digitos: ſic
enim igni continuo perdurare, & ligna altaris, quæ
laminis tegebantur, à calore defendi poterant, ne
calore corrumperentur.

Hæc videntur indigitaſſe ſacri codices, ſic enim
legimus in hebræo Num. 16. v. 38. וְעָשׂוּ אֹתָם רִקֻּעֵי פַחִים
צִפּוּי לַמִּזְבֵּחַ hoc eſt, *Et facient illa*, nimirum thuribula,
extenſiones laminarum operimentum altari. Itaque lami-
næ iſtæ erant ad opus aliquod quo tegeretur altare;
non quidem in fronte, aut tergo, ſed in ſuperiori
parte: hæc enim eſt vis dictionis צִפּוּי à verbo צָפָה.
Nec aliquem turbet, quod dicantur faciendæ lami-
næ in plurali numero, quia non unum tantum, ſed
etiam plura *Carcob* fieri potuerunt, his ducentis &
quinquaginta thuribulis. Nam & Septuaginta Inter-
pretes dixerunt: ϗ πόιησον αὐτὰ λεπίδας ἐλατὰς περί-
θεμα τῷ θυσιαςηρίῳ. hoc eſt, *Et facies altari peri-*
thema. & quamvis hæc dictio aliquid circumponen-
dum ſignificare videatur; tamen ſic dictam tabulam
illam arbitror; quia faciebat quaſi coronam foculo,
ſive craticulæ, quæ medium altaris tenebat. niſi for-
taſsè legendum ſit περίθερμα, qua voce ſignificatur
aliquid circumcirca calidum, quale neceſſe fuit fieri
illud *Carcob* Hebræorum, & Joſephus lib. 4. antiq.
cap. 3. dixit: Μωυσῆς δὲ τούτων ἀπωλομένων, βουλόμε-
νος τὴν τιμωρίαν αὐτῶν μνήμῃ παραδοθῆναι, ϗ τους αὖθις
ἐσομένους αὐτὴν μαθεῖν, ἐκέλευσεν ἐλεάζαρον, τὸν ἀαρῶνος
υἱὸν τὰ θυμιατήρια αὐτῶν παρὰ τὸν χάλκεον καταθέσθαι βωμόν.
hoc eſt, *Moyſes autem his interfectis, volens ſupplicium*
ipſorum memoriæ tradere, & ut eſſet documento poſteris,
juſſit Eleazarum Aaronis filium thuribula ipſorum ad æ-
neum altare deponere. hoc eſt, ut arbitror, facere ex
illis ad uſum altaris tabulam illam, quæ ſuperim-
poni, & deponi poſſet; qualem figuravimus *Carcob:*
Viderint alii, quæ ſint meliora, & ad uſum altaris
aptiora.

A Annuli hujus altaris ſunt etiam nobis ad laborem:
quamvis enim craticulam quoque annulos habuiſſe,
certum ſit; non tamen annuli illi erant ad uſum ve-
ctium, & hæc eſt ratio obſcuritatis in his textibus.
quia in altari octo deſignantur annuli, quatuor ad
uſum altaris, alii quatuor ad craticulam; atque pro-
pterea ad hos annulos vectes non adhibebantur, ut
dixerunt nonnulli; quemadmodum in aliis qui in
lateribus altaris apponebantur; in quos vectes im-
mittebantur: quorum tantum duos in hac ſtructura
altaris poſitos legimus in ſacris oraculis. quamobrem
vectes erant tantum ad uſum altaris, & non crati-
culæ; propterea ſacri textus quoties ſermonem ha-
B bent de ſtructura annulorum; ad uſum vectium in fa-
brica altaris, cum primis reſpexiſſe videntur: ex
hebraico textu, id poſſet probari, ſic enim legitur
וְעָשִׂיתָ עַל הָרֶשֶׁת אַרְבַּע טַבְּעֹת נְחֹשֶׁת עַל־אַרְבַּע קְצוֹתָיו quæ ver-
ba interpretari aliquo modo, ſic poſſent: *Et facies*
ultra cribrum, quatuor annulos æneos ſuper quatuor ex-
tremitatibus illius. nimirum altaris; ut relativum ſigni-
ficatum per ו in hebraico, referatur ad altare potius,
quam ad craticulam altaris. Quia enim, ut moris eſt
ſacri textus, poſtquam de ſtructura altaris in univer-
ſum meminiſſet, ad fabricam vaſorum deſcendit,
inter quæ enumeratur hæc craticula; de ſtructura,
ac fabrica illius, poſtquam ſacer textus loquutus fuiſ-
C ſet, redit ad reliqua, quæ ad altare ſpectant, in
quibus de annulis loquitur, præcipiens ultra craticu-
lam faciendos etiam quatuor annulos, ut in hos ve-
ctibus immiſſis, altare portari poſſet: & ita intel-
ligi, hæc loca poſſent; videant alii meliora, & ju-
dicent.

Concedimus autem quatuor annulos craticulæ, ut
dicemus infra, & de his verè loquutum allegatum
textum intelligimus: hos verò nequaquam fuiſſe ad
vectium uſum dicimus; nimirum ut craticula hæc
portari poſſet ſeorſum ab altari, ut dicebat Cajeta-
nus: ſed annulos craticulæ adfuiſſe dicimus, ut ab
altari craticula ſublata, ac repoſita, juxta exigen-
D tiam munditiei, & ſacrorum, à cineribus, fumo,
ac fuligine purgaretur. quia verò ſuperiori plano al-
taris, in quo reponebatur craticula, alia ærea tabu-
la, ut diximus, in medio perforata, reponenda erat,
quæ arula appellabatur; ad id explicandum ſacer tex-
tus, ne forte aliqui exiſtimarent, hos quatuor cribri
annulos ſuperficiei arulæ ſuperpoſitæ ſupra altare,
ſuperimponi craticulæ debuiſſe, & per illius os me-
dium intra altare ea ratione immitti, ut annuli ſu-
pra arulam remanerent: meritò ad illius declaratio-
nem dixit noſter Interpres, annulos hos craticulæ
reponendos eſſe ſub arula, hoc eſt medios, inter
planum altaris ære tectum, & ſuperiorem arulam,
E quæ tota ænea erat; annulos debuiſſe adaptari.

Reliquum eſt aliquid dicere de cornibus ſacri hu-
jus altaris, circa quæ Auctores numquam ſatis di-
gladiantur; nulla ratione apprehendentes ad quid
cornua in hoc altari ſtatuantur: quamobrem ad fi-
guratas, vel ad myſticas ſe conferunt interpretatio-
nes; vel radios nomine cornuum intelligendo, vel
coronidem, vel angulos ad extra protenſos, ut
Arias Montanus; vel quatuor pyramidulas turbina-
tas, in quatuor altaris angulos cornua hæc fuiſſe,
cum Villalpando, & aliis exiſtimant; quibus velami-
na vel tantiſper elevarentur, dum portaretur alta-
re; vel etiam ornatus gratia poſita fuiſſe arbitrantur;
F ut conſpicuum redderetur.

Sed dicant alii quidquid volunt, de veris figuris
cornuum taurinorum, ſive hircinorum ſacrum tex-
tum accipimus; quæ ad notam religionis in ſacris
altaribus Moſaicis habebantur: in angulis eorum-
dem altarium, ea ratione diſpoſita, ut in extremis
angulis in plano ſuperiori exeuntia, rurſum ad al-
taris angulum contorquerentur: in angulum exeun-

tia

tia quidem ſicuti facerent cornua arietum, vel taurorum prodeuntia, ſi in eodèm angulo locarentur. Nec hoc videatur rarum; cum cornua veteris religionis, divinique cultus inſignia tunc cenſerentur. Teſtantur hoc loca plurima, in quibus ſacra oracula de his cornibus loquuntur. apertiſſimè verò id, ex Gentilium altaribus habetur; in quibus, ſicuti etiam in nummis, taurorum calvariæ, & arietina capita feſtis frondibus inſignita, eorumdem cornua hinc inde perſpicua, altarium religioſorum, in cultum Numinum erectorum, notæ ſunt. Tantique has notas eos feciſſe conſtat; ut ſolis ex cornibus aliquando altaria excitata fuiſſe conſtet. ita Callimachus hymno in Apollin. dum ipſum altare erexiſſe ſcribit, quo nihil ſanctius veteres venerabantur; nil magis in antiquis habuit, quam cornuum meminiſſe. ſic enim ait:

Τετραέτης, τὰ πρῶτα θεμείλια Φοῖβος ἔπηξε,
Καλῇ ἐν Ὀρτυγίῃ, περιηγέος ἔνδοθι λίμνης
Ἄρτεμις, ἀγρώσσουσα καρήατα συνεχὲς αἰγῶν
Κυνθιάδων φορέεσκεν, ὁ δ' ἔπλεκε βωμὸν Ἀπόλλων,
Δείματο μὲν κεράεσσιν ἐδέθλια, πῆξε δὲ βωμὸν
Ἐκ κεράων, κεράων δὲ πέριξ ὑπεβάλλετο τοίχους,
Ὧδ' ἔμαθεν τὰ πρῶτα θεμείλια Φοῖβος ἐγείρειν.

Loquitur enim in laudem Ortygiæ urbis, Callimachus, in qua Apollo, & Diana religione ſumma colebantur: eam urbem ab his ædificatam aſtruit, aramque ipſam ab eiſdem erectam. propterea ſic loquitur in illis verſibus.

Prima quadrimus poſuit fundamina Phœbus
In pulchra Ortygia, curvam intra paludem
Diana venenata capita aſſiduè caprearum
Cynthiadum afferebat, ipſe verò compingebat aram Apollo,
Conſtruxit quidem cornibus fundamenta, compegitque altare
Ex cornibus, cornua item circum parietes poſuit,
Sic didicit prima fundamenta Phœbus jacere.


Et fuit adeò religioni annexa nota cornuum; ut inter ſeptem miracula recenſeatur à Martiali, primo ſpectac. num. 1. ara cornea. inde illud ad Domitianum, dum commendat Amphitheatrum Imperatoris, in cujus comparatione reliqua ſordeſcere putat, dixit:

Nec Triviæ templo molles laudantur honores,
Diſſimulatque Deum, cornibus ara frequens.

Nec mihi diſputandum remanet, de qua ara, aut de quo templo loquatur Martialis, ſed probaſſe ſit ſatis frequentiam cornuum in altaribus, ad notam religionis ſpectaſſe. & Cydipes ad Acontium apud Ovidium epiſt. 20. meminit ſimiliter aræ cornibus inſignis, dicens:

Miror & innumeris ſtructam de cornibus aram.

Altaria lapidea, quæ paſſim conſpiciuntur inter parietinas Urbis ruinas, religionis notam in cornibus oſtendunt. quamobrem Dianæ, aræque illius in locis conſtitutæ, cervorum cornua, per ipſas vicinas arbores paſſim affixa ſpargebantur. Sed quid ſibi velint verba illa ſacra, *Cornua ex ipſo erunt*? non ſunt omnino contemnenda. ita enim ſacer textus quoties de cornibus altaris tam aurei, quam ærei, & holocauſti ſermonem habet: quid enim eſt *ex ipſo*? Nam *ex* dicit materialem cauſam, ſi cum Metaphyſicis loqueremur; verum abeſt ab his Metaphyſica. hebraicè Exodi 27. dicitur מִמֶּנּוּ תִּהְיֶיןָ קַרְנֹתָיו ideſt, *De ipſo erunt cornua illius.* & eadem loquutionis forma habetur cap. 30. ubi de altari aureo ſacer loquitur textus; & poſſet accipi de eadem materia, nimirum ærea, vel aurea facienda cornua, de qua altare erat. ſed breviter dicimus, quod cornua dum complicantur in ſeipſis, poſſent vel ad extra protendi per angulos altaris ad formam radiorum, ut dicebat Arias Montanus de radiis, aut ſurſum dirigi recta, ut de Obeliſcis Villalpandus docebat: cum autem nihil horum concederet Deus in hoc altari; ſed potius invergi eadem, altare verſus vellet; ſicut etiam in antiquis lapidibus conſpiciuntur; dixit cornua facienda ex eodem, ideſt in eodem altari ad angulos il-



lius invergenda, ut in altaris forma conſpicitur.

Multi multa dixerint, aliis diſcutienda hæc relinquimus; ut meliora in dies excogitantibus viris doctis, ſacrarum litterarum notitia quotidie planior, apertiorque fiat.

CAP. LXVI.

Septem dierum ſpatio altare conſecrabatur.

Ad loca Levit. 16. *Poſtquam emundaverit Sanctuarium, Tabernaculum, & Altare, tunc offeret hircum*

cum viventem. Exodi 40. *Et aſſumpto unctionis oleo, unges Tabernaculum cum vaſis ſuis.* Exodi 29. *Septem diebus expiabis altare, & ſanctificabis, & erit Sanctum Sanctorum, omnis qui tetigerit illud ſanctificabitur.* & ad alia plura.

ALTARIUM Iſraëliticorum formam, per plura huc uſque capita contemplati ſumus; & quantum fieri potuit implicita explicavimus, difficultateſque maximas enodavimus; remanet jam olei Conſecrationis uſum circa altaria explicare; quòd ſanè ſacrum unguentum, tunc ſolummodo altari inſerviebat, cum jam luſtratum, ac ſanguine expiatum, conſecrandum fuiſſet; ut in ſequenti capite magis fuſè explicabitur, poſtquam de expiatione egerimus. In præſentiarum duplicem conſecrationem quam Abulenſis commentus eſt enodabimus; verum ad illarum difficultatum explicationem, progredi nobis non licet; niſi in dedicatione & conſecratione altaris prius tempus, ſacrificia & unctiones contemplemur.

Et quidem de tempore, ſeptem dierum ſpatio altare conſecrari ſolitum, ſacra undique prædicant oracula. nam Exodi 29. dicitur: *Septem diebus expiabis altare, & ſanctificabis, & erit Sanctum Sanctorum.* Quibus ſeptem conſecrationis diebus expletis, ſuccedebat octava, quæ ſemper apud Iſraëlitas ſolemniſſima fuit. Nullibi enim dedicationis altaris ſolemnitatem in ſacris oraculis legimus; quin octavæ diei ſolemnitatem, atque Conſecrationis ejuſdem feſtum, legamus. nam lib. 1. Machab. cap. 4. altaris erectio, & conſecratio octo dierum ſpatio celebratur; & iſtorum dierum octava ſolemniſſima habetur. & in eodem libro ſacer textus renovationem Templi factam à Machabæis referens, quod altare holocauſtorum nimirum prophanatum fuiſſet impii Antiochi bellis; illud cum diruiſſent Judæi, & novum excitaſſent, aliud conſecraverunt altare ad uſum ſacrificiorum: quia verò ſeptem dierum ſpatium in altaris conſecratione requirebatur, & dies octava ſolemnis erat, dicitur: *Et fecerunt dedicationem altaris diebus octo, & obtulerunt holocauſta cum lætitia, & ſacrificium ſalutaris & laudis.* cap. etiam 43. Ezech. ubi agitur de Conſecratione altaris, ſeptem pariter diebus abſolutam fuiſſe traditur: & tandem ſubintulit ſacer textus: *Expletis autem diebus*, ſupple ſeptem, *in die octava, & ultra facient Sacerdotes ſuper altare holocauſta veſtra, & quæ pro pace offeruntur, & placatus ero vobis, ait Dominus Deus.* Quibus ſanè teſtimoniis, claro, me judice, argumento, non ſolum conſecrationem altaris, ſeptem dierum ſpatio, celebrari debuiſſe monſtratur; ſed etiam ex his oraculis convincitur, octavam diem dedicationis altaris, ſolemniſſimam ſemper in populo Iſraëlitico habitam, juxta conſuetudinem dedicationum, ut legitur 3. Reg. cap. 8. in dedicatione Templi, & in Exodo ac Levitico in dedicatione Tabernaculi, atque altaris, quam præ manibus habemus.

Octava autem dies quarumcumque feſtivitatum, cum terminus ſolemnitatis eſſet, & ſolemniſſimè celebraretur; inter reliquos ſolemnitatis dies, multoties in ſacris oraculis non connumeratur. quamobrem ipſius quoque Paſchæ ſolemnitatem, quamvis octo dies perduraret, ſeptem tantum dierum ſpatio celebrandam in ſacris oraculis aliquando ſcribitur: ut videre eſt cap. 6. lib. 1. Eſdræ, cum dicitur: *Et fecerunt ſolemnitatem azymorum ſeptem diebus.* Cum tamen revera octo dierum ſpatio ſacrum Paſcha abſolveretur.

Hoc temporis ſpatium in conſecrationibus, tam altarium, quàm ſacerdotum requiri, non ignoravit Abulenſis; nihilominus aliquibus difficultatibus preſſus, quæſt. 8. in cap. 7. Num. duplicem altaris de-
A dicationem, ſive conſecrationem commentus eſt: alteram generalem cum reliquis Sanctuarii, Tabernaculique utenſilibus, quam eadem die actam fuiſſe aſſerit; in qua Tabernaculum erectum, & conſecratum fuit; uniuſque diei cultu abſolutam affirmat: alteram ſingularem ſolius ſacri altaris, holocauſtorum, ſpatio ſeptem dierum, ut ipſe putat, completam.

Sed quam longe à vero abeat doctiſſimus iſte vir, viderint alii, hebraicarum antiquitatum veri indagatores, nec non etiam ſacrarum rerum me peritiores: ego enim paucis, quæ mea in hac re ſit ſententia abſolvam; argumento ſumpto à vi vocabulorum &
B vocum, quibus in his ſacra utuntur oracula: nam altare holocauſti, quod extra Tabernaculum, in atrio poſitum fuerat à Moyſe; nomine vaſorum, quæ ad Sanctuarium pertinebant, comprehendi falſo affirmari, ſacrarum Litterarum ſtudioſi vident. Enimvero quicumque attentione debita ſacrum textum perlegerit cap. 16. Levit. perſpicuè cognoſcet, ibi tria hæc diſtingui: nimirum Sanctuarium, Tabernaculum, & Altare, quaſi tria ſint omninò diverſa. Nomine igitur vaſorum unius, nequaquam comprehendi, quæ ad alterius miniſterium pertinent, id non ſolum loca plurima demonſtrant; ſed etiam ipſa vocabula tam græca, quam latina, & he-
C braica perſpicuè oſtendunt. Verum ut cuncta lucidiora fiant; verba ſacri textus in eo loco allata attendantur: agitur in eo capitulo de annua expiatione, his verbis: *Poſtquam emundaverit*, ſupple Sacerdos, *Sanctuarium, & Tabernaculum, & Altare, tunc offerat hircum viventem.* Quibus quidem diſtinctis vocabulis, tria hæc diverſa fore liquido conſtat: nam Tabernaculum diſtingui à Sanctuario ſupra Deus aperuerat, docens qua ratione Sanctuarium expiandum eſſet, cum ait: *Et expiet Sanctuarium ab immunditiis filiorum Iſraël, & à prævaricationibus eorum, cunctiſque peccatis: juxta hunc ritum faciet Tabernaculo Teſtimonii.* aperiens vero Deus in princi-
D pio capituli, quid nomine Sanctuarii intelligeretur, ait: *Loquere ad Aaron fratrem tuum, ne omni tempore ingrediatur Sanctuarium, quod eſt intra velum coram Propitiatorio, quo tegitur Arca.* Ex quibus, vocabulo Sanctuarii ſolummodo ſacratiorem partem Tabernaculi accipi debere, perſpicuum eſt. qui quidem ſacratior locus, occiduam ejuſdem Tabernaculi partem occupabat intra velum. itaque Sanctuarium non dicebatur niſi ſacri Tabernaculi pars ſanctior, in qua Arca aſſervabatur: licet interdum etiam extenſivè totum Tabernaculum nomine Sanctuarii in ſacris oraculis appelletur. Cumque altare holocauſti, nihil attineret ad illam partem Taber-
E naculi, in qua ſacra Arca repoſita fuerat; perſpicuum manet altare holocauſtorum, nequaquam nomine vaſorum Sanctuarii comprehendi debere, quo quidem vocabulo, ut jam diximus, illa tantummodo vaſa ſignificabantur; quorum miniſterium intra ipſum Tabernaculum ſolummodo reſervabatur.

Nec erit prætereundum, quod licet aliquando, ſermo ſit in Scripturis ſacris de Tabernaculi conſecratione, atque de iis, quæ intra illud aſſervabantur, nimirum de Candelabro, Menſa, Altari thymiamatis, ac de reliquis utenſilibus, quæ ad ipſum, & ad hæc pertinebant; nequaquam ſacræ litteræ ſigillatim de his meminerunt; ſed hæc omnia
F generali quodam vocabulo, *vaſorum* nimirum nomine *Tabernaculi* illa omnia complexæ ſunt. ut cum dicitur Exodi cap. 40. *Et aſſumpto unctionis oleo unges Tabernaculum cum vaſis ſuis.* quo in loco, nomine vaſorum Tabernaculi, Menſa, Candelabrum, Altare thymiamatis, ſacra Arca, & reliqua vaſa, quæ ad iſtorum miniſterium deſerviebant, jam enumerata ſignificantur; ſicut in præcedentibus declaravimus

mus. Statim tamen ſacri textus oratio, tamquam ad aliquid ab his diſtinctum, ad ſacrum altare holocauſti convertitur, de quo agimus in præſenti. Liquido igitur conſtat, altare ſacrificiorum quod erat in atrio extra Tabernaculum, nomine vaſorum Tabernaculi nequaquam comprehendi, ut volebat Abulenſis, ſed ab his omnino diſtingui, atque diverſum eſſe.

Ratio quoque ſacris litteris innixa, duplicem illam altaris dedicationem ab Abulenſi excogitatam omnino rejicit. nam cum ſacri Altaris dedicatio ſeptem dies, ex divino inſtituto poſtularet; ubi duplicem dedicationem altaris conceſſerimus, generalem nimirum unam, primo die factam cum reliquis ſacris utenſilibus, ut volebat Abulenſis, & alteram particularem ſolius altaris; neceſſario dicendum eſſet, octavam diem dedicationis Tabernaculi, ſeptimam fuiſſe poſterioris dedicationis Altaris, quam Abulenſis ponebat. tunc verò vel ceſſaſſet diei octavi ſolemnitas dedicationis Tabernaculi, & reliquorum, quæ ad Tabernaculum pertinebant; vel adhuc protrahenda fuiſſet illa ſolemnitas ad nonam diem; quod affirmare ſacris repugnat litteris. Nec enim dici poteſt octavam dedicationis Tabernaculi, ſolemniſſimè actam, veluti totius conſecrationis terminum, ſi altare ſacrificiorum nondum completè conſecratum fuiſſet: ſi verò ſolemnitas illa diei octavæ celebrata fuit, nondum altari conſecrato, altaris conſecratio ſeptem dierum ſpatio tantum abſoluta fuiſſet; nec octavæ diei ſolemnitatem habuiſſet; quod falſum eſſe, ex ipſiſmet ſacris litteris conſtat.

Quod autem niſi altaris conſecratio fuerit inchoata, ſimulque abſoluta unà cum Tabernaculo, & reliquis utenſilibus ad ſacra, nulla ratione potuerit octava ſolemniſſimè ab Iſraëlitis celebrari, manifeſtum eſt ex ſacris litteris, inevitabili quodam argumento. Nam holocauſta, ſacrificia pro peccato, ſacra pacificorum, oblationes, & reliqua, quæ Deo in altari offerebantur, altari nondum per totos ſeptem dies conſecrato, offerri nefas erat, aut Deo in odorem ſuavitatis in igne cremari; cautum enim legimus apud Ezech. cap. 43. ne uſque ad octavam dedicationis altaris, ſacrificia in altari offerre auderent Iſraëlitæ. Eſt ibi ſermo de altaris conſecratione, & dicitur: *Hi ſunt ritus altaris, in quacumque die fuerit fabricatum, ut offeratur ſuper illud holocauſtum, & effundatur ſanguis.* Sequitur Propheta ritus expiationis ſcribens, de quibus capite ſequenti videbimus. ſubdit tandem Propheta: *Septem diebus expiabunt altare, & mundabunt illud, & implebunt manum ejus. Expletis autem diebus, in die octava & ultra, facient Sacerdotes ſuper altare holocauſta veſtra, & quæ pro pace offerunt, & placatus ero vobis, ait Dominus Deus.* Itaque ex hoc loco Prophetæ, apertè conſtat; ſolum in die octava conſecrationis altaris, quæ ſolemniſſima erat, licuiſſe Iſraëlitis holocauſta, & hoſtias Deo gratas offerre. & cap. 29 Exodi dicitur: *Septem diebus expiabis altare, & ſanctificabis, & erit Sanctum Sanctorum.* Eſt autem in his locis ſanctificare, idem quod apud Latinos conſecrare: quamobrem idem eſt de altari dicere, *& erit Sanctum Sanctorum*, ac dicere, *& erit plenè, ac verè conſecratum*: ſervatis nimirum per ſeptimanæ tempus his, quæ ad altaris expiationem ritè præcepta ſunt. Nec aliquando inveniri poterit in ſacris litteris, ſacrificia, aut hoſtias pacificas, vel holocauſta Deo oblata in altari fuiſſe, dum expiaretur; nimirum intra terminum & ſpatium ſeptimanæ, ſed tantum octava die, ut habetur Levit. 9. quando etiam de cœlo ignis deſcendit, & ſacrificia quæ in altari erant voravit. Immolabatur quidem illis ſeptem diebus hoſtia pro peccato, in expiationem altaris, quæ offerebatur ad oſtium Tabernaculi, non ve-

A rò ad expiationem totius, aut alicujus de populo: cumque octava die conſecrationis Tabernaculi, holocauſta oblata fuerint in altari, cum adipibus animalium, quæ omnia, ab igne de cœlo deſcendente vorata ſcribuntur Levit. 9. *Apparuitque gloria Domini omni multitudini, & ecce egreſſus ignis a Domino devoravit holocauſtum, & adipes qui erant ſuper altare.* Igitur octava dies conſecrationis Tabernaculi, octava etiam conſecrationis altaris fuit; aliàs nefas fuiſſet altari nondum conſecrato, holocauſta eidem ſuperimponere & adipes offerre in odorem ſuavitatis.

Nec quemquam turbare debet, quod in ſacro textu dicatur: *Facto autem octavo die.* quaſi voluerit
B Moyſes, qui illa ſcripſit; ignem de cœlo deſcendiſſe, & holocauſta ibi impoſita voraſſe, tranſacto jam die octavo, id eſt nono conſecrationis Tabernaculi, quæ fuiſſet octava dedicationis altaris; quia falſo turbaretur in his commentitiis excogitatis. Eſt enim illa dicendi phraſis noſtri vulgati Interpretis; qui volebat aperire, contigiſſe quæ ibi narrantur eodem die octavo, & ſenſus eſt: Factum eſt id, quod hic narratur, octavo die: vel cum adveniſſet jam octava dies, contigerunt quæ hic ſcribuntur: & liquet hoc ex codice hebræo; ſic enim legitur וַיְהִי בַּיּוֹם הַשְּׁמִינִי id eſt, *Et fuit in die octava*, hoc eſt, quæ narrantur in hoc capitulo, contigerunt in octavo die: quod
C firmiſſimè ſemper omnes ſacræ Scripturæ Interpretes aſſeruerunt. & Joſeph. dixit lib. 3. Antiq. cap 9. in Græco exemplari: τῇ δ' ὀγδόῃ κατήγγελεν ἑορτὴν τῷ λαῷ, καὶ θύειν προσέταξε κατὰ δύναμιν. οἱ δ' ἀλλήλοις ἁμιλλώμενοι, καὶ ὑπερβαλεῖν φιλοτιμούμενοι, τὰς θυσίας ἕκαστος ἐπιφέρει τοῖς λεγομένοις ὑπακούων. ἐπικειμένων δὲ τῶν ἱερῶν τῷ βωμῷ αἰφνίδιον ἐξ αὐτῶν πῦρ ἀνήφθη αὐτόματον, καὶ ὅμοιον ἀστραπῆς λαμπηδόνι ὁρώμενον τῇ φλογὶ, πάντα ἐδαπάνα τὰ ἐπὶ τοῦ βωμοῦ. hoc eſt, *Octava autem die indixit feſtum populo, & ſacrificare juſſit, pro ſua quemque copia. qui certantes alter alterum ambitioſe ſuperare, victimas ſinguli offerebant dictis obediendo. ſuperpoſitis autem ſacris altari, ſubito ex ipſis ignis exarſit*
D *ſponte ſua, & ſimilis fulguris ſplendens flamma emicuit, omnibus abſumptis quæ erant ſupra altare.* hæc Joſephus. In quibus perſpicuum eſt illum loqui de octava conſecrationis Tabernaculi, de quo ipſe tunc loquebatur, & non de octava conſecrationis altaris diſtincta à conſecratione Tabernaculi: ſi admitteremus duplicem illam altaris conſecrationem, quam Abulenſis commentus eſt.

Affirmandum igitur eſt, primo conſecrationis Tabernaculi die, altaris quoque conſecrationem inchoatam, & nequaquam primo inchoatam Tabernaculi conſecrationem, & cum eo habitam quoque generalem quandam altaris conſecrationem; & demum po-
E ſtera die altaris conſecrationem fuiſſe exorſam, ut volebat Abulenſis. Dicimus itaque octavam conſecrationis Tabernaculi, etiam conſecrationis altaris octavam fuiſſe, atque propterea ſolemniſſimam: neque contrarium ſacra tradunt oracula, ſed tantum conſecrationem altaris, diſtinctis cæremoniis à conſecratione Tabernaculi factam docent. Diverſi enim ritus, atque cæremoniæ ſervatæ fuerunt, in conſecrando altari, atque in conſecrando Tabernaculo, ut ſtatim videbimus capitulo ſequenti: quamobrem ſingulis ſeptem diebus, eadem ſacrificia ad expiatio-
F nem, & unctiones ad conſecrationem altaris iterabantur. quod etiam eodem dierum ſpatio factum puto, in dedicatione Tabernaculi, & omnium quæ in illo continebantur; & in Dei cultum mancipabantur. quod apertum videtur, ex his quæ legimus 3. Reg. cap. 8. in dedicatione Templi Salomonis: cujus quidem dedicatio cum ſolemniſſima fuerit; occaſione feſti Tabernaculorum quaſi duplicato dierum numero celebrata fuit; quamobrem de ea ſic legitur:

tur : *Fecit ergo Rex Salomon in tempore illo feſtivitatem* A *celebrem , & omnis Iſraël cum eo , multitudo magna ab introitu Emath , uſque ad rivum Aegypti coram Domino Deo noſtro ſeptem diebus , & ſeptem diebus , id eſt quatuordecim diebus , & in die octava dimiſit populos , qui benedicentes Regi profecti ſunt.* hæc ibi. Conſtat igitur populum Iſraëliticum feciſſe quatuordecim dies ſolemnitatis : non quidem quod quatuordecim dies Templi ſolius conſecratio requiſierit ; vel ſeptem altaris , ſeptemque alii fuerint dies conſecrationis Templi ; ſed ſeptem ſimul conſecrationis Templi & altaris , atque illorum vaſorum , quæ ad horum miniſterium deſerviebant , dies fuere attributi , ſeptem verò alii ad feſtum Tabernaculorum ſpectarunt ; ut B præclarè etiam docet Vatablus ; ita ut dies octava conſecrationis Altaris & Templi , prima in ſolemnitate Tabernaculorum eſſet ; quæ erat ſolemniſſima. & quia dies octava in feſto Tabernaculorum , ſolemniſſima ſimiliter habebatur ; & ritus omnes in illa ſolemnitate abſolvebantur ; eapropter dicitur octavo die fuiſſe dimiſſum populum Iſraël à Rege Salomone. itaque diei octavæ vocabulo , nequaquam intelligitur octava conſecrationis , ſed poſtrema dies totius feſtivitatis , quæ erat ſolemniſſima dies , octava appellatur , ex phraſi ſacrarum litterarum. quamobrem à pari dicendum erit de die octava conſecrationis Tabernaculi , in qua ignis de cœlo deſcen- C dit.

CAP. LXVII.

Offerre aliquid & implere manus , quid in ſacris Litteris ſignificet.

Ad loca Ezech. 43. *Hæc dicit Dominus Deus : Hi ſunt ritus altaris in quacumque die fuerit fabricatum : ut offeratur ſuper illud holocauſtum , & effundatur ſanguis. Et dabis Sacerdotibus , & Levitis , qui ſunt* D *de ſemine Sadoc , qui accedunt ad me , ait Dominus Deus , ut offerant mihi vitulum de armento pro peccato.* Illuſtratur locus Iſaiæ 2. *Projeciſti enim populum tuum , domum Jacob : quia repleti ſunt ut olim , & augures habuerunt ut Philiſthijm , & pueris alienis adhæſerunt.* & ad alia.

PROPULSA jam , atque veluti improbabili rejecta , duplici illa altaris dedicatione , quam commentus fuerat Abulenſis : erit fortaſſe , qui falſo putet ; ſola ſacri olei inunctione altaria , tabernaculum , atque alia ſacrorum utenſilia Iſraëlitas conſecrare conſueviſſe : ut igitur ſacri ritus aliqua ex E parte cognoſcantur ; quorum uſus apud Iſraëlitas in rebus conſecrandis erat ; non videtur prætereundum , aliud eſſe in ſacris offerre , aliud expiare , aliud conſecrare , aliud initiari. Nam oblatio fiebat rebus allatis , & in Dei cultum deſtinatis , expiatio ſanguine agebatur , conſecratio ſacri olei inunctione. initiabantur verò aliqua , exercitio miniſterii , ad quod fuerant conſecrata : & hoc ordine mancipata fuiſſe , quæ ad rationem tabernaculi , altarium , & ſacrorum utenſilium pertinebant , ſacræ teſtantur Litteræ. nam cap. 39. Exodi verſ. 32. dicitur : *Et obtulerunt tabernaculum , & tectum , & univerſam ſuppellectilem , annulos , tabulas , vectes , columnas , & baſes , opertorium de pellibus arietum rubricatis.* & ſic de reliquis dicitur , F omnibus ibi enumeratis ; quæ in tabernaculi , & Dei cultum mancipabantur ; & de altari dicitur : *Altare æneum* , ſupple obtulerunt , *reticulum , vectes , & vaſa ejus omnia.* quibus autem verbis ex cæremoniali Iſraëlitarum fieret tunc oblatio , incertum eſt. Facta oblatione rerum ; quæ luſtranda erant luſtrabantur , & hæc luſtratio aqua tantum fieri ſolebat apud Iſraëlitas : quamobrem altare quoque hoc æneum , luſtratum fuiſſe , non eſt omnino improbabile. oblationem & luſtrationem expiatio conſequebatur ; & hæc ſanguine fiebat ; quia *Sine ſanguinis effuſione* , ut Apoſtolus ait , *non fit remiſſio* , eo enim à maculis , & ſordibus peccatorum aliquid emundari putabant : itaque quamvis altare jam à filiis Iſraël Deo fuiſſet oblatum ; ut purgaretur à ſordibus , quas contraxiſſe videbatur , contactu communium rerum , expiatione opus erat ; de qua ſtatim agemus.

Enimvero apud Ethnicos ; etiam fuere ritus aliqui , pro aris conſecrandis : nam quamvis in Templi dedicatione neceſſe eſſet , ut is qui ædes conſecrabat , poſtem manu teneret , idque ritè ac debitè , ne piaculum crederetur ; nequaquam verò dedicando aram , vel ſimulacrum ; ut auctor eſt Alex. ab Alex. lib. 6. genial. dier. cap. 14. Sed ab Hebræis aberrant hi ritus ; apud quos ſcilicet ſola oblatione res aliqua in Dei cultum dedicaretur ; ut ſtatim videbimus ; & ſacri olei inunctio ad conſecrationem requireretur. Æmulatione quadam Ethnici religionis ritus ab Hebræis ſuffurati fuiſſe videntur ; cum enim hi aliquid offerebant Deo , ſemper manus adhibebant : ita quoties legimus holocauſtum , ſacrificia ; & oblationes in Dei cultum attuliſſe Iſraëlitas , toties eoſdem juſſu Dei manus impoſuiſſe ſuper victimas legimus ; & caput illarum , illaſque tenendo obtuliſſe : quod etiam ſervaſſe illos arbitror , dum utenſilia in cultum religionis jam fabrefacta offerrent : hæc autem oblatio rei conſecrandæ , adeo neceſſaria exiſtimabatur in ſacris Moſaicis ; ut etiam in conſecratione Sacerdotum ſervata fuerint ; Moyſe offerente Aaron , & filios ejus antequam illi conſecrarentur. ſic enim legitur cap. 8. Levit. *Fecit Moyſes ut Dominus imperaverat ; congregataque omni turba ante fores tabernaculi ait : Iſte eſt ſermo , quem juſſit Dominus fieri. Statimque obtulit Aaron , & filios ejus. Cumque laviſſet eos* , &c. Statim enim ac aliquid Deo oblatum fuerat ; luſtrabatur. Sic etiam cum Levitis actum legimus cap. 8. Numer. *Et locutus eſt Dominus ad Moyſen , dicens : Tolle Levitas de medio filiorum Iſraël , & purificabis eos juxta hunc ritum : Aſpergantur aqua luſtrationis , & radant omnes pilos carnis ſuæ. Cumque laverint veſtimenta ſua , & mundati fuerint , &c.* & parum infra : *Et applicabis Levitas coram tabernaculo fœderis , convocata omni multitudine filiorum Iſraël. Cumque Levitæ fuerint coram Domino , ponent filii Iſraël manus ſuas ſuper eos. & offeret Aaron Levitas munus in conſpectu Domini à filiis Iſraël , ut ſerviant in miniſterio ejus.* Omnem igitur alicujus rei oblationem , per impoſitionem manus , ejus qui illam offerebat , ſuper id quod offerebatur ; peragi conſueviſſe ſacra oſtendunt oracula.

Ut autem reliqua omnia , quæ à Propheta traduntur , & ſacrorum oraculorum loca plurima explicentur ; obſervare oportet quod offerre aliquam hoſtiam , vel quodcumque aliud , multipliciter accipi poteſt ex phraſi ſacrorum oraculorum. Interdum enim ſacra oracula loquuntur de oblatione hoſtiæ antequam mactaretur ; aliquando loquuntur de hoſtia jam mactata , & membris diſciſſa. Prior oblatio fiebat ad portam atrii Templi , aut atrii Tabernaculi , antequam Templum ædificaretur , ad aulæum nimirum , quod ad portam atrii pendebat , ut dicitur in cap. 1. Levit. *Si holocauſtum fuerit ejus oblatio , ac de armento , maſculum immaculatum offeret ad oſtium Tabernaculi Teſtimonii.* non quidem quod offerens ingrederetur atrium , quod nefas erat ; ſed Tabernaculum hic extenſive accipitur pro atrio Tabernaculi : in quo ſenſu paſſim loquuntur ſacræ litteræ , cum dicunt , *Anima quæ obtulerit.* Cum verò ſermo eſt de poſteriori genere oblationis , nimirum victimæ jam

mactatæ : per Sacerdotes ad altare , & coram Domino , hæc fiebat oblatio ; in quo ſenſu paſſim loquuntur ſacra oracula ; ut per plura capita in Levitico , & alias ſæpè habetur. In conſecrando igitur ſacrum altare , primum hoc offerebatur ; deinde hoſtia ad atrium Tabernaculi , vel Templi , in expiando mactabatur. In Tabernaculo Moſaico oblationem altaris jam vidimus, & Propheta Ezech. cap. 43. ait : *Et dabis Sacerdotibus & Levitis , qui ſunt de ſemine Sadoch , qui accedunt ad me , ait Dominus Deus , ut offerant mihi vitulum de armento pro peccato.* De vitulo igitur adhuc vivo , in dedicatione altaris primò offerendum pro peccato , loquitur Propheta : qui eiſdem cæremoniis offerebatur , quibus in Levitico hoſtiæ pro peccato : propterea non ad ipſum altare , aut ſuper ipſum oblatum vitulum intelligi debet ; ſed loquitur Propheta de oblatione ; quæ fiebat ad portam Templi. Unà verò cum vitulo hircus quoque pro peccato offerebatur : nam quamvis Propheta Ezechiel vituli tantum meminiſſe videatur, & non alius hoſtiæ ; tamen idem Propheta ſubintulit : *Et in die ſecunda offeres hircum caprarum immaculatum pro peccato , & expiabunt altare , ſicut expiaverunt in vitulo.* Perſpicuum igitur eſt , hircum cum vitulo, oblatum fuiſſe ſimul pro peccato , omnibus diebus in dedicatione altaris. dicitur enim à Propheta : *Septem diebus facies hircum pro peccato quotidie, &c.* Cum igitur ſeptem dierum ſpatio altare conſecraretur ; & ſeptem diebus faciendus eſſet hircus pro peccato , octavaque conſecrationis ſolemnis foret ; ſi poſtera die à vitulo , hircus conſecrationis offerendus fuiſſet , & non ſtatim à primo die una cum vitulo ; octava die , altare nondum fuiſſe conſecratum conſtaret : quia non totis ſeptem diebus , in expiationem altaris hircus mactatus fuiſſet.

Verum pro intelligentia plurimorum locorum ſacræ Scripturæ, prætereundum nequaquam erit ; quod cum altaria in ſacris litteris fabricata , erecta , conſtituta, & aliis dicendi phraſibus multoties dicantur; eorumdem altarium his phraſibus conſecratio explicatur. Nam ſicut apud Latinos vis verbi *facere* eſt latiſſima ; ita etiam in ſacra Scriptura latiſſimus eſt campus verbi עָשָׂה, quod *facere* interpretatur. itaque altare erectum , & fabricatum dicitur , pro erecto & conſecrato , ſicut apud Ezechielem Prophetam in illis verbis : *Hi ſunt ritus altaris : in quacumque die fabricatum fuerit , ut offeratur , & effundatur ſanguis.* ſic etiam ædificare altare dicitur in libro 1. Eſdræ. Facere altare dicitur etiam pro erigere, & conſecrare altare , ut 1. Machab. 4. dicitur , Judæos obtuliſſe holocauſta ſuper altare novum , quod fecerunt : hoc eſt , quod conſecraverunt poſtquam illud erexerunt. non enim licebat in eo holocauſta offerre niſi poſt illius expiationem , atque conſecrationem. Sequitur Propheta aliqua , & tandem ſubdit : *Septem diebus expiabunt altare , & mundabunt illud , & implebunt manum ejus.* Eſt autem implere manus in phraſi linguæ ſanctæ idem quod apud Latinos initiari ; hoc eſt applicari ad aliquod miniſterium , poſtquam conſecratum fuerit. Hoc apertè oſtenditur cap. 29. Exodi , in quo dicitur in textu hebraico , qui habet שִׁבְעַת יָמִים תְּמַלֵּא יָדָם *ſcibgnat jamim temaleh jadam* hoc eſt , *Septem dies implebis manus eorum* , id eſt Sacerdotum , ſive Latinè dixerimus , *Conſecrabis manus eorum.* Quibus ex verbis Exodi obſervare oportet, prædicta verba, *Et conſecrabis manus eorum*, non dici à propheta Moyſe de Sacerdotibus tantum ; ita ut relativum *eorum* , ſive pronomen , non referatur ad ſolos Sacerdotes ; ſed etiam ad altare referatur , de quo ibi ſtatim erat ſermo.

Quod autem implere manus , idem valeat quod initiari ex phraſi linguæ ſanctæ : ex aliis quidem locis non obſcurè probari poteſt. nam Ezech. cap. 43. cum de conſecratione altaris Propheta loqueretur , ait : *Septem diebus expiabunt altare, & mundabunt illud, & implebunt manum ejus :* hebraicè וּמִלְאוּ יָדָיו *umilehu jadau.* hoc eſt, *Et conſecrabunt manus ejus*, ſupple altaris; de hoc enim loquebatur ; & ad illud refertur τὸ *ejus.*

Cum igitur implere idem ſit quod conſecrare ; propterea Propheta agendo de conſecratione altaris dixit , *implendam manum ejus ;* atque per verbum *implere* conſecrationem ſignificavit. Quia igitur in Exodo , ſermo erat de conſecratione Sacerdotum & altaris ; eapropter quando cap. 29. Exodi, jam prææallegato dicitur , *Septem diebus conſecrabis manus eorum;* illud pronomen *eorum*, tam ad Sacerdotes, quam ad altare , & reliqua omnia ſacra vaſa referri debet ; de quorum conſecratione tunc agebatur.

Illuſtratur his locus perobſcurus Iſaiæ prohetæ cap. 2. in quo Deum Hieroſolymitas , & eorum populos reprobaſſe , multis quidem rationibus ſcribitur ; ſed his præcipuè , *quia repleti ſunt , ut olim* , ait textus , *& augures habuerunt , ut Philiſthijm , & pueris alienis adhæſerunt.* Quid eſt autem *repleti ſunt ut olim ?* ex hebraico textu , interpretatio Latinæ phraſis haurietur, ſic dicente כִּי מָלְאוּ מִקֶּדֶם in quibus verbis מָלְאוּ venit à verbo מָלֵא quod ſignificat implere, latinè dicitur conſecrare. Dicitur vero conſecratio hebraicè per verbum *impleo*, quia implendo, & onerando manus Sacerdotum , animalium membris , illi iidem initiabantur , ſive conſecrabantur : ſicut etiam cum conſecratum fuiſſet altare , eidem ſuperimponebantur membra hoſtiarum; & hac membrorum animalium impoſitione , altare plenè initiatum cenſebatur : quamobrem non à proprietate verbi , quam tenuit noſter vulgatus , ſed à principaliori ritu , ac cæremonia , qua conſecratio perficiebatur , vocabuli vi ſumpta , in phraſi ſacrarum litterarum , implere dicitur pro conſecrare. loci igitur allati ex Iſaia ſenſus eſt : quoniam conſecrati ſunt ab oriente , vel conſecraverunt ab oriente , aut juxta noſtrum Interpretem , quia conſecrati ſunt , ut olim. Propheta itaque reſpexit ad Idolorum cultum, quem anterioribus ſeculis , Iſraëlitæ aliquando habuerunt : vel ad genus cultus ſuperſtitioſi , quem aliqui Hieroſolymitarum in odium Dei ſectabantur ; orientem verſis vultibus reſpicientes ; dorſis verò Templum , in quo occidentem verſus, Deus adorationem inſtituerat; illi verò orientem verſus hoſtias ac victimas offerre non dubitabant. de quibus loquitur , ac dolet Deus cap. 8. Ezech. dicens num. 16. *Et introduxit me in atrio domus Domini interius , & ecce in oſtio Templi Domini inter veſtibulum & altare , quaſi vigintiquinque viri dorſa habentes contra Templum Domini , & facies ad orientem , & adorabant ad ortum Solis.* Quod genus adorationis ita Deus abominabatur ; ut ultimo loco inter abominationes , & genera idololatriæ graviſſima, veluti omnium peſſima ab eo recenſeatur.

Neque oſcitanter prætereundum erit illud Prophetæ : *Ut offeratur ſuper illud holocauſtum , & effundatur ſanguis.* Totius enim allati prophetici loci ſenſus eſt : *Hæ ſunt cæremoniæ conſecrationis altaris , quoties eo fine fabricatum fuerit , ut ſuper illud holocauſta offerantur , & ſanguis ad baſim illius effundatur , juxta præſcriptum ſacræ legis.* Quæ ſanè verba, à Propheta nequaquam caſu dicta fuiſſe putandum eſt ; ſed potius quia nonnumquam altaria conſtructa fuerunt fœderis , & amicitiæ cauſa , ut jam ſupra diximus , nec non etiam ut ejuſdem religionis ſymbola forent , ut in lib . Joſue cap. 22. non verò ſacrificiorum offerendorum cauſa; cumque apud Prophetam Ezechielem ſermo eſſet de altari conſecrando , quando jam Sacerdotes initiati habebantur ; quorum erat altaria Deo conſecrare ; propterea ait quando fabricatum fuerit , *Ut offeratur ſuper illud holocauſtum , & effundatur ſanguis :* quia de altari ſacrificiorum cauſa, loque-

quebatur , quorum conſecratio ad Sacerdotes pertinebat , ideò ſubdit : *Et dabis Sacerdotibus , & Levitis qui ſunt de ſemine Sadoch.*

CAP. LXVIII.

Cujus hoſtiæ ſanguine altare expiaretur.

Ad loca 1. Machab. 4. *Et ante matutinum ſurrexerunt quinta & vigeſima die menſis noni , hoc eſt menſis Caſleu , centeſimi quadrageſimi octavi anni, & obtulerunt ſacrificium ſecundum legem ſuper altare holocauſtorum novum , quod fecerunt.* Ezech. 43. *Et dabis Sacerdotibus , & Levitis qui ſunt de ſemine Sadoch , qui accedunt ad me , ait Dominus Deus, ut offerant mihi vitulum de armento pro peccato.* & ad alia plura.

OFFEREBANTUR à populo , quæ conſecranda fuiſſent , atque in Dei cultum mancipanda : una verò cum rebus conſecrandis , animalia quoque offerebantur , quæ in ſacrificio cædenda fuiſſent, quorumque ſanguine expianda erant quæcumque conſecrabantur. Cum igitur altaris conſecrationem habeamus præ manibus , conſiderandum jam remanet, quibusnam hoſtiis primo initiaretur altare; atque quorum ſanguine expiaretur. id facile intelligetur , ubi ſacrificiorum ordinem ex lege Moſaica adverterimus. Hic ſuſpicari quis poſſet, argumentis non improbabilibus, ſacrificium duorum agnorum, præceſſiſſe reliquos ritus , atque cæremonias conſecrationis tam altaris, quam Tabernaculi; ſimile quidem ei ſacrificio , quod *juge* appellabatur ; quia nimirum jugiter , & numquam intermiſſa dierum ſerie , ex Dei præſcripto offerebatur : hujus igitur ſacrificii ſanguine madefactum altare , & aliqua ratione expiatum pariter quis ſuſpicari poſſet. Ita me quoque opinaſſe aliquando fateor; pluribus equidem ductus argumentis. nam lib. 1. Machabæorum cap. 4. cum Judas altare , quod ab impio Antiocho , ejuſque exercitu profanatum fuerat ; demolitus fuiſſet, & aliud erexiſſet : in eo conſecrando, juge illud ſacrificium, ſive alterum eidem ſimile, reliquos omnes conſecrationis ritus præceſſiſſe videtur. ſic enim ibi legimus : *Et ante matutinum ſurrexerunt quinta & vigeſima die menſis noni , hoc eſt menſis Caſleu , centeſimi quadrageſimi octavi anni, & obtulerunt ſacrificium ſecundum legem , ſuper altare holocauſtorum novum , quod fecerunt.*

Ex quo ſanè textu altare hoc novum fuiſſe , jam conſtat : quod autem de altaris conſecratione in eo textu agatur , parum infra exprimitur. a tempore igitur oblationis holocauſti , quod ſummum mane fuiſſe deſcribitur , ſumpto argumento ; juge ſacrificium , vel aliud huic ſimile , expiationem altaris præceſſiſſe , exiſtimari poſſet : hoc enim ſecundum legem , in crepuſculis matutino & veſpertino offerebatur. Cumque hanc altaris conſecrationem , juge ſacrificium præceſſerit , vel aliud ſimile , non eſt cur illud idem ſacrificium, in prima Tabernaculi, Altaris, & reliquorum conſecratione, oblatum fuiſſe negetur. Conſecrationem enim novi altaris, & conſecrationis ritus inveſtigamus ; quæ norma omnium dedicationum poſterioribus ſeculis populo Iſraëlitico futura erat : ad cujus etiam præſcriptum, illud quoque altare à Juda Machabæo erectum , dedicatum , ac conſecratum fuiſſe certiſſimè , atque indubitanter credendum eſt.

Conjectura hæc juvari poſſet cap. 3. lib. 1. Eſdræ , ubi agitur de reædificatione Templi : in quo cum altare primo erectum fuiſſet; juge quoque, vel A aliud ſimile holocauſtorum ſacrificium oblatum tradi videtur. verba textus advertantur : *Et ædificaverunt altare Deo Iſraël , ut offerrent in eo holocautomata , ſicut ſcriptum eſt in lege Moyſis viri Dei : collocaverunt autem altare Dei ſuper baſes ſuas , deterrentibus eos per circuitum populis terrarum , & obtulerunt ſuper illud holocauſtum mane , & veſpere.* hæc habentur in textu , in quo ſuper altare , holocauſtum matutinum & veſpertinum oblatum fuiſſe videtur, ſtatim ac erectum fuit ; antequam aliud ſuper idem altare ſacrificium offerretur. quamobrem ex vi ſacri textus inſinuatum videtur in dedicatione altaris ; hoc ſacrificium matutinum præceſſiſſe ejuſdem altaris expia- B tionem , unctionem, & quemcumque alium ritum, qui ex præſcripto Dei , pro illius conſecratione habendus fuiſſet.

Nec ab his diſſentire videntur, quæ cap. 29. Exodi traduntur : in quo capitulo de ritibus ſervandis in conſecratione Sacerdotum agitur ; de quibus poſtquam in textu pertractatum fuit, ſtatim textus ſacer, de ritu conſecrationis altaris verba facere inſtituit , in hac forma : *Septem diebus expiabis altare , & ſanctificabis , & erit Sanctum Sanctorum.* quaſi verò jam explicetur quid in altari faciendum eſſet , ante illius expiationem , & ſanctificationem per ſeptem illos dies, ſubditur : *Hoc eſt, quod facies in altari, ag-* C *nos anniculos duos per ſingulos dies jugiter, unum agnum mane , & alterum agnum veſpere:* ubi Septuaginta pro illis verbis *in altari*, habent *ſuper altare;* quæ verba Vatablus in adnotationibus ſic interpretatur , *altaris cauſa.* Si ergo hoc ſacrificium, altaris cauſa fiebat; utique affirmandum erit , expiationem altaris , ac ejuſdem conſecrationem , atque unctionem, hoc ſacrificium matutinum & veſpertinum præceſſiſſe. Cumque ſacrificium hoc matutinum & veſpertinum , de quo loquitur ibi ſacer textus, altaris cauſa offerretur; mirum eſſe nequaquam debet , nos exiſtimare hoc non fuiſſe juge ſacrificium , quod cap. 28. Numer. offerendum præcipitur ; ſed tamen, aliud quantum D ad tempus eidem ſimile : argumento ſumpto à duplicitate ejuſdem. nam in die Sabbathi ſacrificium juge duplicabatur , ut cap. illo 28. & alibi legitur. at hic cap. 29. Exodi , in quo agitur de altaris conſecratione , de hac ſacrificii duplicitate, ne verbum quidem; ſed tantum Scriptura meminit duorum agnorum offerendorum , alterius mane , & alterius veſperi: ex quibus argumentum ſumebatur ſuſpicandi; vel hoc ſacrificium fuiſſe illud idem, quod juge appellabatur ; vel aliud illi ſimile, quod mane & veſpere offerretur. ſed ſive illud , ſive aliud, (quod parum noſtra intereſt) fuerit ; aliquod tamen holocauſti ſacrificium, præceſſiſſe reliquos conſecrationis E ritus, indubitatum videbatur.

Attentius tamen poſtmodum re conſiderata, neque illud juge ſacrificium duorum agnorum, neque aliud ſacrificiorum genus, ſuper altare Deo oblatum, aut crematum fuiſſe arbitramur, ante altaris expiationem atque conſecrationem. Ritus verò , ac cæremoniæ in expiando , dedicandoque ſacrum Dei altare , luculenter , atque præclarè ſcribuntur cap. 43. Ezechielis, his verbis : *Et dixit ad me: Fili hominis, hæc dicit Dominus Deus : Hi ſunt ritus altaris, in quacumque die fuerit fabricatum , ut effundatur ſanguis.* Jam incipiunt ritus conſecrationis , & primo ſeſe offert altaris ejuſdem oblatio, quum dicitur : *Et dabis Sa-* F *cerdotibus & Levitis , qui ſunt de ſemine Sadoch , qui accedunt ad me, ait Dominus Deus.* Victimæ oblatio ſequebatur oblationem altaris ; præcedebat vero reliquos ritus : & quia ſanguine vituli expiandum erat altare , ideò Propheta ait : *Ut offerant mihi vitulum de armento pro peccato , & comburent eum in ſeparato loco extra Sanctuarium. Et in die ſecunda offeres hircum caprarum immaculatum pro peccato : & expiabunt altare,*

altare, ſicut expiaverunt in vitulo: Cumque compleveris expians illud, offeres vitulum de armento immaculatum, & arietem de grege immaculatum. Et offeres eos in conſpectu Domini: & mittent Sacerdotes ſuper eos ſal, & offerent eos holocauſtum Domino. Septem diebus facies hircum pro peccato quotidie: & vitulum de armento, & arietem de pecoribus immaculatos offerent. Septem diebus expiabunt altare, & mundabunt illud: & implebunt manum ejus. Expletis autem diebus, in die octava & ultra, facient Sacerdotes ſuper altare holocauſta veſtra, & quæ pro pace offerunt: & placatus ero vobis, ait Dominus Deus. A

Hæc ſunt verba ſacri prophetici textus, quæ ritus expiationis altaris præclarè exprimunt; & re vera magis apertè quam alter quicumque ſacræ Scripturæ locus. Nec in dubium revocari poteſt, de hujuſcemodi ritibus in eo textu agi: hoc enim illa Ezechielis verba probant: *Hi ſunt ritus altaris, in quacumque die fabricatum fuerit.* Quorum verò animalium ſanguine altare expiaretur, Propheta in illis verbis expreſſit: *Ut offerant mihi vitulum de armento pro peccato.* & in illis aliis: *Septem diebus facies hircum pro peccato quotidie, & vitulum de armento, & arietem de pecoribus immaculatos offerent; ſeptem diebus expiabunt altare, & mundabunt illud, & implebunt manum ejus.* Jam autem explicavimus cap. præcedenti, quod implere manus valet id, quod initiare. vituli igitur, hirci, & arietis ſanguine altare conſecrandum expiabatur; quod adhuc clarius infra monſtrabitur. B

Ea verò quæ ad conſecrationem altaris ſpectabant, & Ezechieli oſtenſa fuere, ſemper ac ubique ſervata fuiſſe apud Iſraëlitas, quoties altare conſecrandum eſſet, apertiſſimè in Scripturis ſacris habetur. nam Exodi cap. 29. cum de conſecratione altaris & Sacerdotum agitur, vitulo expiandum altare dicitur: *Septem diebus conſecrabis manus eorum, & vitulum pro peccato offeres ad expiandum per ſingulos dies; mundabiſque altare cum immolaveris expiationis hoſtiam, & unges illud in ſanctificationem: ſeptem diebus expiabis altare, & ſanctificabis, & erit Sanctum Sanctorum.* Quibus verbis liquido conſtat, ſeptem dierum ſpatio fieri ſolitam ſanguine vituli expiationem altaris. Hircum quoque habet Ezechiel Propheta, mactari ſolitum in conſecratione altaris: itaque non ſolius hirci, aut vituli ſolius ſanguine, ſed utriuſque ſimul ſanguine, altare à ſordibus mundabatur. C D

Confirmari iſta poſſunt, ex ritu annuæ expiationis altaris, quæ ſcribitur Levit. 16. & dicitur de Summo Sacerdote: *Cum autem exierit ad altare, quod coram Domino eſt* (ſic autem appellatur altare holocauſti) *oret pro ſe, & ſumptum ſanguinem vituli atque hirci, fundat ſuper cornua ejus per gyrum; aſpergenſque digito ſepties expiet, & ſanctificet illud ab immunditiis filiorum Iſraël.* Hircum igitur & vitulum in expiatione altaris jam habemus; quibus aries quoque adjungebatur. Quod autem his tribus hoſtiis expiaretur altare; ſuaderi poteſt non ignobilibus argumentis: nam nomine expiationis, quæ כִּפּוּר *chippur* dicitur hebraicè, purgatio ab immunditiis legalibus ſignificatur; his verò tribus hoſtiis paſſim purgari homines ab immunditiis, habetur in Levitico non ſemel, ſed iterum, atque iterum, & pluries; expreſsè verò dicitur à Propheta Ezechiele cap. 43. cum ait: *Septem diebus facies hircum pro peccato quotidie, & vitulum de armento, & arietem de pecoribus, immaculatos offerent.* E F

Quia verò ſuſpicari aliquis poſſet in prædicto cap. 29. Exodi, nequaquam ſermonem eſſe de hoſtia expiationis altaris, ut ſenſit Rabbi Salomon, & Nicolaüs de Lyra ejus ſectator; ſed tantum de hoſtia expiationis Sacerdotum; fatear licet ſatis perobſcurè oracula ſacra in allato loco fuiſſe loquuta, nec refugere prædictam expoſitionem: quia tamen ſacri textus, non ſolum quæ ſequuntur, antecedenter referunt; ſed etiam multoties videntur hiſtorica geſta confundere; præſertim cum de eadem re iterum ac iterum eſt ſermo; propterea non eſt improbabile allata ſacri textus verba, tam de conſecratione Sacerdotum, quam etiam altaris intelligi poſſe; niſi inevitabile argumentum obſtaret, ſumptum a diverſitate ſanguinis, quo expiabantur Sacerdotes & altare. Sacerdotes enim non quidem vituli, ſed arietis ſanguine expiabantur; ut dicitur apertè Levit. 8. at altare cum Tabernaculo, & reliquis ſacris utenſilibus, ſanguine vituli, arietis, & hirci expiabatur; quamobrem non eſt cur aliter textus ſacer ibi intelligatur.

Ut igitur lucidius pateat, textum hunc cap. 29. Exodi, loqui de altaris expiatione, advertendum erit; quod ubi ſacer textus de victima pro peccato Sacerdotum loquutus fuit; & ſeptem diebus ritus illos repetendos oſtendiſſet; tandem ulterius nihil agit de conſecratione Sacerdotum, ſed ad conſecrationem altaris ſermonem convertit; inter cujus conſecrationis ritus, vituli oblatio, atque mactatio reliqua præcedebat: idcirco ſacer textus ait: *Et vitulum pro peccato offeres per ſingulos dies ad expiandum.* & ſubdit: *Mundabiſque altare cum immolaveris expiationis hoſtiam.* Illa igitur hoſtia qua altare expiabatur, atque mundabatur, vitulus fuit, de quo ſtatim ſupra loquutus fuerat; quod etiam cognovit Vatablus; ſi attentè legatur, textuique ipſius, paraphraſes in annotationibus poſitæ adjungantur in hunc modum: *Et juvencum peccati facies, id eſt, pro peccato offeres per ſingulos dies, pro expiationibus, vel propter expiationes, id eſt, ad expiandum ſcilicet altare.* Hæc habes ex Vatablo; ubi velim obſerves, dici *pro expiationibus* in numero plurali, quia eodem ſanguine vituli pro peccato altaris mactati, Arca fœderis, Tabernaculum, Menſa Panum Propoſitionum, Candelabrum, Altaria, & omnia alia ſacri Tabernaculi vaſa, & reliqua, quæ ad hæc pertinebant, expiabantur.

Sed attendamus quæſo verba hebraici textus, & proculdubio iſta clariſſimè nobis innoteſcent. וּפַר חַטָּאת תַּעֲשֶׂה לַיּוֹם עַל הַכִּפֻּרִים וְחִטֵּאתָ עַל־הַמִּזְבֵּחַ בְּכַפֶּרְךָ עָלָיו וּמָשַׁחְתָּ אֹתוֹ לְקַדְּשׁוֹ qui locus ſic ad verbum interpretari debet: *Et vitulum peccati facies per diem ſuper propitiationes, & peccabis ſuper altare in propitiando ſuper illud, & unges ipſum ad ſanctificandum illud.* quorum verborum talis eſt germana, veraque ſignificatio, ut ſingulo quoque die debuerit immolari vitulus peccati: appellatur autem vitulus peccati altaris: ille nimirum qui offertur pro peccato, juxta phraſim Linguæ ſanctæ: ideſt qui offerebatur pro immunditia altaris: hoc eſt non ſolum ut altare de prophano ſacrum fieret, quod fiebat dum offerebatur: ſed ut à ſordibus, quibus aliquid etiam inanimatum à ſacrorum uſu arcebatur, illo ſanguine purgaretur.

Pro cujus loci, & eorum quæ dicenda ſunt intelligentia, obſervare oportet: quod lex Moſaica, quantum ad cæremonias omnino circa externa verſabatur: ut tam homines, quam animalia, & etiam vaſcula, munda eſſent à contactu illorum, quæ in ſacris non admittebantur. quamobrem contactu immundorum animalium, ſanguinis putris, fluxi, menſtrui, ſtercoris, cadaveris cujuſcumque, tam animata quam inanimata immundarentur, atque luſtratione, ac etiam ſacrificiis indigerent aliquando ut mundarentur, & in uſu ſacrorum admitterentur. Iſtæ igitur immunditiæ peccata dicuntur in phraſi ſacrarum Scripturarum, ex vi hebraicæ phraſis, quæ verbo חָטָא exprimit, quod latinè diceremus *immundavit.* Sacrificia igitur, quæ ad expiandum

aliquid

aliquid ab his immunditiis offerebantur ; ſacrificia pro peccato dicebantur , & illud *offerre* per verbum *peccare* , in ſacrarum litterarum phraſi explicatur.

Aperiens igitur ſacer textus cap. 29. Exodi ut quid fieret ille vitulus peccati , ſubdit עַל־הַכִּפֻּרִים *gnal haccipurim*, id eſt, *ſuper propitiationes* : nimirum ut cultui divino , inſtrumenta illa fierent accommodata , quæ ſanguine vituli contrectabantur : & Deus propitius fieret his , qui illis inſtrumentis uterentur , divinamque opem implorarent. Explicans adhuc ſacer textus , pro quibus vitulus peccati mactaretur ; & quænam eſſent , quæ propitianda forent ; atque quarumnam rerum prophanitates , vituli ſanguine tollendæ eſſent , ait : *Et peccabis ſuper altare* , וְחִטֵּאתָ עַל־הַמִּזְבֵּחַ *vechitetha gnhal hamizbeach* , id eſt , *offeres* vitulum *peccati pro altari* , in propitiando ſuper illud. illius enim immunditiæ tollebantur in ſacrificio pro peccato , pro quo *peccabatur* , ut loquitur hebraica phraſis : cum igitur dicatur in textu *peccandum* eſſe pro altari , illius certè immunditiæ eo ſacrificio tollebantur.

Quia verò ſingulo quoque die , expiationes repetendæ erant , ſtatim ſubdit , שִׁבְעַת יָמִים תְּכַפֵּר עַל־הַמִּזְבֵּחַ *ſcibgnath jamim techaper gnal hamizbeach* , hoc eſt , *Septem dies propitiaberis ſuper altare.* cum enim dixiſſet immolandum fore vitulum peccati ſingulo quoque die , propitiationum cauſa ; illudque offerendum pro altari , cui propitiandum erat ; ideò ſubdit ſeptem diebus repetendas eſſe propitiationes ſuper altare : ut apertè manifeſtet , ſeptem diebus offerendum eſſe vitulum peccati , pro immunditiis altaris , quod ſanguine vituli liniendum erat , ut propitiaretur. Quod etiam ſimilibus verbis dixit Ezech. cap. illo 43. ubi poſtquam dixiſſet , immolandum fore vitulum in ſanctificationem altaris , ſubdit , וְחִטֵּאתָ אוֹתוֹ וְכִפַּרְתָּהוּ *vechithetha hotho vechiparthahu* , hoc eſt , *& peccabis illud* , *& idem propitiaberis.* Duorum verborum germanus ſenſus eſt , *& ſacrificio illo oblato pro peccato* , ſanguine nimirum vituli , *altare à peccato expiabis.* illud enim relativum הוּ *hu* refertur ad altare , ut perſpicuum eſt in textu , nam ſi ad Sacerdotes referretur , dixiſſet textus וְכִפַּרְתָּם *vechipartham*, affixo plurali , non verò affixo ſingulari : quamobrem non video , quid clarius dici in Scripturis ſacris potuerit ; ad oſtendendum in prædicto textu cap. 29. Exodi , de expiatione altaris agi. Nec ſolum in allato textu vitulus pro peccato altaris immolandus oſtenditur ; ſed etiam quod ſacrificium iſtud pro peccato oblatum , quoſcumque alios ſubſequentes ritus conſecrationis altaris præcedebat : ſtudioſi linguæ ſanctæ ibi videant , an ita ſe res habeat.

Nec auctoritate Rabbi Salomonis moveri debemus ; quem adeò imperitum in Scripturis ſacris cognovimus ; ut commenta tantum aliquando impudentiſſima , ſæpiſſimè futilia , ac inhoneſta etiam mendacia multoties , in ſacrarum Scripturarum expoſitione dederit. Si enim ille linguæ ſanctæ notitia polleret , ut ex munere tenebatur ; conſideraſſet profectò verba jam à nobis relata , integrum adeò habere verſiculum , ſive *paſuq* , ut cum Rabbinis loquamur , ut integræ ſententiæ ſenſus illius eſſet : poſtremaque pars optimè explicata apertè oſtendit , in eo verſiculo ſermonem eſſe , non de Sacerdotum , ſed de altaris expiatione. Nicolaüs de Lyra aliqua ratione excuſandus videtur , quod aliquando Judæus fuerit , ſectatorque Rabbi Salomonis , quemadmodum omnes alii Hebræi ; atque propterea ſacram Scripturam curſim more Rabbinorum interpretando , lapſus ſit ; iſti enim non legerunt , aut ſi legerunt , non adverterunt locum Ezech. nam ſi attentè legiſſent , nullatenus in re adeò aperta turpiter halluci-

A narentur : nec ſolum vituli ſanguine altare expiari cognoviſſent ; ſed etiam hanc vituli oblationem , præcedere alios quoſcumque conſecrationis ritus , nec apud illos juge ſacrificium , niſi conſecrato jam altari , locum habuiſſe.

Nec aliquem turbent verba illa , quæ habentur cap. 29. Exodi , *Hoc eſt quod facies in altari agnos anniculos* , *&c.* quæ pro contrario ſenſu allata fuerunt. Eſt enim ibi ſermo de ſacrificio jugi & continuato , holocauſti tam matutini , quam veſpertini , quod ſtatim poſt altaris conſecrationem exordiebatur , ut conſtat ex ipſo textu. Ubi enim dictum fuiſſet : *Septem diebus expiabis altare* , *& ſanctificabis* B *illud* , *& erit Sanctum Sanctorum ; omnis qui tetigerit illud* , *ſanctificabitur ;* illico ſubditur : *Hoc eſt quod facies in altari* , *&c.* id eſt , poſtquàm expiatum , ſanctificatum , & conſecratum fuerit altare , hoc facies in cultum illius : & ideò dicitur in verbo futuri temporis. Quod ſi aliter Vatablus ſenſit , cum inquit faciendum eſſe altaris cauſa , procul dubio deceptus eſt.

Nec majori vi urget locus ex lib. primo Eſdræ cap. 3. pro cujus loci intelligentia , notes velim , optime Lector , in ipſo ſtatim ſeptimi menſis initio , feſtum celebrari ſolitum ab Hebræis ex præcepto quod habetur cap. 23. Levit. quo ſimiliter tempore C in prædicto Eſdræ loco , à Joſue filio Joſedech , & Zorobabele altare conſecratum fuiſſe legitur : quamobrem à populo duæ ſimul feſtivitates eodem tempore habebantur ; nimirum conſecrationis altaris , & ſeptimi quoque menſis : quibus verò ritibus ac cæremoniis , altaris conſecratio habita tunc fuerit , quo ſacrificio expiatum altare , in prædicto textu non explicatur ; ſed dicitur ædificatum fuiſſe altare , ut in eo offerrentur holocautomata , & alia ſacrificia ſecundum legem Dei ; ædificatum verò dicitur altare pro *conſecratum* : quando verò ſubditur ibidem : *Et obtulerunt ſuper illud holocauſtum Domino mane & veſpere ;* non loquitur textus de ſacrificiis oblatis in D ipſamet die erectionis altaris , aut pro conſecratione illius ; ſed de ſacrificiis quæ conſecrato jam altari poſtmodum filii Iſraël , juxta præſcriptum legis obtulerunt ; nimirum decimo die expiationis , quintodecimo Tabernaculorum : quamobrem præclarè hoc infra in eodem textu explicatur ; cum dicitur ibidem : *Et poſt hæc holocauſtum juge tam in Calendis , quam in univerſis ſolemnitatibus Domini* , ſupple obtulerunt. Juge igitur ſacrificium , nimirum holocauſtum matutinum & veſpertinum , oblata fuiſſe traduntur à Spiritu ſancto ; poſtquam geſta fuerunt , quæ in ſuperioribus ejuſdem capituli narrabantur : nimirum : *Feceruntque ſolemnitatem Tabernaculorum ,* E *ſicut ſcriptum eſt.* Et ſtatim quaſi jam de alia re ſermo ſit , ſubditur : *Et holocauſta diebus ſingulis per ordinem ſecundum præceptum* , *opus diei in die ſuo.* Si verò quis poſtulet quænam ſint hæc holocauſta & ſacrificia varia , ad diverſitatem dierum ; reſpondebimus verba allata intelligenda fore , de varia holocauſtorum oblatione , quæ habebatur ſingulis diebus ſolemnitatis Tabernaculorum , & expiationis decimo die menſis ſeptimi poſt conſecratum altare.

Nec aliquid amplius , aut fortius ſententiæ noſtræ officit , ut nec locus allatus in principio capituli ex primo lib. Machab. quod enim ibi habeatur , Ma- F chabæos cum reliquo populo ſurrexiſſe ante matutinum , non rectè argumentari licet , hoc illos feciſſe holocauſti matutini offerendi cauſa ; quod ante Solis ortum , atque poſt ejus occaſum in altari Deo cremabatur ; ſed meminiſſe oportet , quæ ſupra de luſtratione areæ diximus ; quæ quidem areæ luſtratio mane , ſerenaque luce habebatur. Ad quam luſtrationem , in expoſitione hujus textus , ſi nos recepe-

 rimus ,

rimus, intelligemus quid ſibi velint verba illa, *Et ante manutinam ſurrexerunt*: cum de altaris conſecratione agitur. Eapropter non puto dictum in ſacro textu, quod ut illi ſurrexerunt, obtulerint holocauſtum juge; neque ſimpliciter aſſeritur illos obtuliſſe holocauſtum; ſed dicitur illos obtuliſſe ſacrificium ſecundum legem: quæ verba nihil aliud, me judice, volunt, niſi oblatum fuiſſe vitulum pro peccato altaris, & ſacrificium ſecundum legem conſecrationis, & dedicationis altaris, ut ſupra oſtendimus ex cap. 43. Ezechielis. quamobrem ſubditur in textu Machabæorum: *Et fecerunt dedicationem altaris diebus octo, & obtulerunt holocauſta cum lætitia, & ſacrificium ſalutaris, & laudis.* Quæ omnia intelligi debent, oblata fuiſſe poſt altaris conſecrationem; quamobrem apertum videtur poſt altaris dedicationem & conſecrationem tantum, licuiſſe offerre ſacrificia holocauſti matutini, & veſpertini; atque propterea non ſanguine iſtorum animalium, ſed eorum quæ diximus, altare primum maduiſſe, atque expiatum fuiſſe.

CAP. LXIX.

Expiationis Altaris ritus, ac cæremoniæ explicantur.

Ad loca Ezech. 43. *Et aſſumens de ſanguine ejus, pones ſuper quatuor cornua ejus, & ſuper quatuor angulos crepidinis, & ſuper coronam in circuitu, & mundabis illud, & expiabis.* Levit. 16. *Cum autem exierit, ad altare quod coram Domino eſt, oret pro ſe, & ſumptum ſanguinem vituli, atque hirci, fundat ſuper cornua ejus per gyrum, aſpergenſque digito ſepties expiet, & ſanctificet illud ab immuuditiis filiorum Iſraël.* & ad alia loca.

OBLATIONEM ſacrificii pro peccato prope altare in ejus conſecratione, altaris expiatio conſequebatur; expiatio unctionem præcedebat: quamobrem cap. 29. Exodi dicitur: *Et unges illud ad ſanctificandum illud.* Quæ verba propterea poſita videntur, ut oblationem vituli, expiationis cauſa fieri pateret; unctionem vero ad conſecrandum altare; quæ conſecratio ex phraſi hebraica, ſanctificatio dicitur: expiationis autem ritus nunc nobis explicandi ſunt. Cuncta autem radicitus enucleabuntur, & verbi *expio* compoſitio, à præpoſitione EX, & verbo PIO, formata, ſignificationem ejuſdem aperiet. Nam præpoſitio *ex* ad caſum auferendi pertinet; propterea vis illius præpoſitionis, aliquid aufert à ſignificatione alterius vocis, cui adjungitur: cum igitur verbum *pio*, licet aliquando in bonum ſenſum accipiatur; nempe pro colere, & teneriter amare; attamen pro contaminare etiam aliquando accipitur: propterea quando verbo *pio* præpoſitio *ex* adjungitur, & dicitur *expio*; tunc verbum *pio*, in malum ſenſum accipitur; & præpoſitio *ex* aufert ab illo verbo contaminationem; & *expio* ſignificat propriè, à contaminatione, & prophanitate aliquid mundare, ac purgare; à ſanctificare verò diſcrepat; quia ſanctificare eſt aliquid jam purgatum, luſtratum, & à prophanitate mundatum, aliqua cæremonia, divino cultui mancipare, quod nos conſecrare dicimus: expiare autem, aliquid præcedens ſanctificationem, conſecrationemque ſignificat.

Græci plurima habent vocabula, quibus hæc eadem ſignificantur; ſed frequentiora in ſacris ſunt hæc, καθαρόω, ῶ, quod ſignificat *purgo*, & *mundum reddo*; ſive ἁγνίζω, cujus vis eſt *caſtum*, ſive

A *mundum facio*: quibus quidem verbis propriè ſignificatur illud idem, quod per verbum Latinum *expio* explicatur. Expiationem verò conſecratio ſequitur; quæ per verbum *ſanctificare* dicitur aliquando; præſertim ſi ad vim hebraici textus, Latina interpretatio reſtringenda fuerit, quod ἁγιάζω dixere Græca exemplaria.

At hebriaci textus oracula, magis propriè, omnes ritus conſecrationis alicujus rei expreſſerunt, quatuor dictionibus: quarum prima eſt, חִטָּא *chittah*, quæ *peccavit* interpretatur: & eodem verbo dicitur ſacrificium, ſeu victima quæ offerebatur Deo ad aliquid mundandum à peccato: quo ſenſu dicitur ab B Apoſtolo, *Chriſtum pro nobis factum peccatum.* non quod ipſe aliquando peccatum fecerit; quod quidem cogitare nefas eſſet: ſed dicitur pro nobis factum fuiſſe peccatum, quia obtulit ſeipſum Deo in ſacrificium, ut nos à peccato mundaret. Aliud vocabulum eſt כִּפֶּר *chipper*, quod *purgavit* interpretatur: quia vero non purgantur, niſi quæ immunda, & ſordibus contaminata ſunt; propterea huic vocabulo reſpondet germane Latinum verbum *expio*: hoc eſt, à piaculis purgo. Eſt & alia vox קִדֵּשׁ *qhides*, quæ *ſanctificavit* interpretatur: quæ quamvis propriè, & rigoroſè ſanctificare ſignificet; cum tamen de Altari, Sacerdotibus, aut aliquo in Dei cultum deſtina- C to dicitur, quorum ſanctificatio aliquo ritu fieret; idem omnino valet, quod conſecrare. Eſt tandem ultima vox מִלֵּא *mille*, quæ *implevit*, ut diximus capite præcedenti, ſignificat; & verè valet idem quod aliquid *abſolvit*, atque *perfecit*, cum ſanctificationibus adjungitur: propriè tamen ſignificat idem, quod Latinè dicimus per verbum *initior*, *initiaris*: & ſemper adjungitur dictioni יָדַיִם *jadaim*, hoc eſt *manus*. & quamvis propriè apud Latinos de ſolis hominibus verbum *initiari* verificetur; tamen tranſtulimus vocem ad altare etiam; ut ſignificatum hebraicæ vocis, latinè, quantum fieri poterat, explicaretur.

D Peccati oblationem, ut hebraicè loquamur, monſtravimus cap. præcedenti; quæve hoſtiæ hac de cauſa, in conſecratione altaris offerrentur: reliquum eſt de הַכִּפּוּר *hachipur*, hoc eſt, de expiatione, ejuſque ritibus hic agere: ut autem à quocumque confuſionis genere abſtineamus, expiationis materia & forma conſideranda erunt. Ad materiam expiationis pertinent altaria, quæ expiantur, & ſanguis quo expiantur: ſolo enim ſanguine, quodcumque mundari à ſordibus, ſacra oracula docent: in quo ſenſu dixit Apoſtolus, *Et ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio*: hoc eſt purgatio à ſordibus, quibus ab uſu ſacrorum tam animata, quam inanimata arcebantur. E Nam quamvis ſolius aquæ ablutione purgarentur homines, in qua cineres vaccæ rufæ fuiſſent immerſæ: nulla tamen ſolemnis purgatio erat, quæ hoſtiam pro peccato non haberet: cumque altare ſolemniſſimè expiandum foret, ſanguine opus fuit, ut paſſim ſacra dicunt oracula. Ea verò in expiationum ritibus, & oraculorum intelligentia, ſervanda erit à nobis regula, quam indigitavit Joſeph. lib. 3. Antiq. cap. 9. Græcæ editionis; nimirum non alia ratione hoſtias in Altaris, & Tabernaculi erectione atque conſecratione oblatas fuiſſe, quam ex Dei præſcripto pro peccato oblatis ſacris, fieri ſolebat in annuis expiationibus, & purificationibus, in quibus F ſolo ſanguine fiebat expiatio.

Hunc purgandi altaris in illorum conſecratione, ſanguinem ſuffurati ſunt à ſacris libris Ethnici, in ſuis aris tauroboliatis. Quid ſit autem taurobolium, aut criobolium facere, dicemus infra, cum de conſecratione Sacerdotum, atque Pontificum nobis agendum erit: nam taurobolare aram, ſive altare, indigitaſſe videtur illa vetus Romana inſcriptio, quam

quam ex Rigaltio ponit Salmaſius in Ælio Lampridio in pag. 103. ad num. 23. quæ ſic habet.

ἐκ δέκα πέντ᾽ ἀνδρῶν Φοίβου τε φανήφορος ἱερεὺς
κρήσκης, ἠγάθεός τε λεόντιος εὔσοφοι ἄνδρες,
ὃς μὲν ἀπ᾽ ἀνατολῆς, ὃς δ᾽ ἄρ᾽ ἀφ᾽ ἑσπερίης
ὄργια συνρέξαντο θεᾷ παμμήτορι φείῃ
κριοβόλου τελετῆς, καὶ ταυροβόλοιο φερίστης
ἤμασι μυστιπόλοις βωμὸν ὕπερθ᾽ ἔθεσαν.

hoc eſt,

E quindecim viris Phœbi, Phanephorus ſacerdos,
Creſcens & ſacer Leontius bene ſapientes viri,
Hic quidem ab Oriente, ille autem ab Occidente
Orgia ſimul ſacrificarunt Deæ omnium matri Pheiæ
Crioboli & Tauroboli præclaris ritibus
Diebus ſacris altare ſupra poſuerunt.

Sacerdos verò primarius in collegio illius numinis, vel Phanephorus dicebatur, quaſi Solis Sacerdos, quia φάνης Sol appellatur: vel Phanephorus dicebatur, quod lumen primarius Sacerdos deferre ſoleret: & quamvis expiatio illa, de qua inſcriptio loquitur, poſſit in Sacerdotes illos referri; poteſt etiam ad aram, ſeu altare referri; ita ut altare hoc poſitum ab his Sacerdotibus prius Crioboli, & Tauroboli ſanguine expiatum dicatur, quam conſtitutum ab illis fuerit.

Quamobrem non ſolum homines, qui ſacris initiabantur, in cultum idolorum ſanguine Crioboli, atque Tauroboli fœdabantur; ſed etiam, ut puto, altaria ipſa his ſanguinibus fœdata conſecrabantur. Hanc cæremoniam fortaſſe reſpicit vetus illa fracti lapidis inſcriptio, quæ Romæ habetur, & inter Gruterianas pag. 28. num. 5. recenſetur; in qua dicitur: EX PERCEPTIS. TAVROBOLIIS. VI. ARAM conſtituiſſe: aram nimirum erexiſſe Tauroboliatam. Sed licet in dubium revocari poſſet, quicquid ſupra ex Græca, & Latina, inſcriptionibus allatum eſt; certo ſtat pro ara Tauroboliata vetus inſcriptio, quam affert Jacob. Guth. lib. 3. cap. 5. de veteri jure Roman. Pontific. dicitur enim in illa inſcriptione, Æmiliam (ut probabile eſt) petram Tauroboliatam poſuiſſe. quod licet auctor ille petram Tauroboliatam arbitretur dici, lapidem alibi erectum, qui ſacrificii monumentum ad poſteritatis memoriam contineret; nos hoc de altari dici putamus. Inſcriptio ſic habet.

AEMILIA
SERAPIAS
TAVROBOLIVM. FECIT
PETRAM. TAVROBOLIATAM
POSVIT
PER. SACERDOTE
VALERIO. PANCARPO
IDIB. MAIS. ANVLLINO. II
ET. FRONTONE. COS.

Sed allatæ jam inſcriptiones, in quibus de aris & altaribus perſpicuè ſermo eſt; Gutherium falli apertè monſtrant. nam cum Taurobolium, tauri ſanguine in ſcrobe inſtillato fieret: quidnam obſtat; quo minus ſcrobe in terram excavato, petra, ſive ara in eundem immiſſa ac ſanguine fœdata, poſtmodum in area ſacrificiorum cauſa conſtitueretur; & hæc diceretur ara, ſive petra Tauroboliata? Petra enim Tauroboliata, quæ in illa inſcriptione dicitur poſita, Latinè Ara, & βωμὸς Græcè appellatur.

Verum ad ſacra jam redeamus. nam cap. 29. Exodi, poſtquam ritus conſecrationis Sacerdotum à Moyſe traditi fuerunt; quamvis hi ritus poſteriores

A eſſent ad altaris conſecrationem; tamen ritus quoque conſecrationis altaris in eodem capitulo breviter in hæc verba traduntur: *Et vitulum pro peccato offeres per ſingulos dies ad expiandum, mundabiſque altare cum immolaveris expiationis hoſtiam, & unges illud in ſanctificationem.* Quæ quidem ſacri Codicis verba ſunt adeò aperta; ut altaris expiationem nemo inficiari queat; aut in his dubitare: niſi fortaſſe cæcutire velit, aut in hoc quoque labi, auctoritate fortaſſe doctiſſimi Abulenſis quæſt. 5. in cap. 8. Levit. qui interpretans illa verba, in quibus altare aſpergendum fuiſſe ſanguine dicitur, ut expiaretur; affirmat ita dictum, non quod altare expiaretur; ſed
B quia ſupra ipſum altare fiebat expiatio pro peccato. quæ interpretatio quem locum teneat viderint alii; qui ex dictis à nobis capite præcedenti, & ex pluribus aliis ſacræ Scripturæ locis, clarè cognoſcere poterunt; ad altare fieri quidem expiationem pro peccatis aliorum, non quidem hoſtiam ſuper illud cremando, quod lege vetitum erat. nam eadem ratione, qua victima pro peccato oblata erat, extra caſtra cremari lex ſtatuebat: ſed dicitur fundendum ſanguinem in illo capitulo 8. Levit. ut expiarentur Sacerdotes; ut verè dicebat Abulenſis; quia altare jam erat expiatum, & conſecratum; aliàs ſacrificia in eo offerre, aut cremare minimè licuiſſet, neque
C holocauſta offerre; ibi enim non de conſecratione altaris agebatur, ſed tantum de conſecratione Sacerdotum.

Sed jam ad diſcuſſionem loci allati ex cap. 29. Exodi revertamur: ex quo, ut altaris expiationem ex eo monſtremus, conſiderari oportet; ſacrum textum, vituli pro peccato Sacerdotum oblati meminiſſe; ſtatimque de altero vitulo loquitur, quo expiandum altare erat; ac propterea ſubdit וְחִטֵּאתָ עַל־הַמִּזְבֵּחַ *vechitetha nghal hamizbeach*, id eſt, *peccabis*, hoc eſt, *immolabis pro peccato altaris*, ut omnino declararet ſacer textus; ſacrificium illud fuiſſe, non quidem pro peccato eorum qui Sacerdotes con-
D ſecrabantur, aut pro illorum expiatione; ſed pro peccato altaris, & ad expiandum altare.

Expiationis altaris materiam jam tenemus; quærantur nunc cæremoniæ, ac ritus hujus expiationis, qui ad formam pertinent: in qua ut diſtinctè procedatur, loca altaris, quæ ſanguine erant madefacienda, primo videbimus, deinde modum ſervandum in apponendo ſanguine expiationis. Loca tria fuiſſe in altari portatili conſtat, quatuor verò in eo quod ſuper ſubſtructiones collocatum extitiſſet; nimirum cornua altaris, ut loquamur cum oraculis, parietes altaris, in quo hoſtiæ cremabantur, ſubſtructiones, & canalis, qui erat ad fundamentum altaris circum-
E circa: quamobrem ut à primis exordiamur, nimirum à cornibus altaris, difficultas eſt in forma rerum, quæ ſignificantur hoc nomine & vocabulo. Nomine verò cornuum altaris, ſunt qui putent intelligi aliquid protenſum, in extremis angulis altaris, quaſi cornu acuminatum, ut exiſtimavit Arias Montan. in ſuo Aaron. ſecundum quam ſententiam, quatuor hæc cornua altaris, in quatuor angulis conſtituta, non quidem rotundæ figuræ, ſed in planum altaris poſita, ad extra protenſa ab eo imaginantur: vel ut docet Ribera lib. 2. de templo cap. 8. ex auctoritate Cajet. & Lypom. Exodi cap. 27. & 30.
F cornua nil aliud erant, niſi quidam elegantes radii ſurſum erecti, in modum obeliſcorum, ſuper quatuor angulos altaris in ſuperiori ſuperficie; quod etiam Villalpandus, & alii ſentiunt: nec nobis improbabile videtur; imò præcedenti ſententiæ magis conveniens arbitramur: ea potiſſimum ratione ductis, quod ſanguine & oleo circum gyranda dicantur in ſacris litteris, ut videbimus, quoties de expiatione, aut conſecratione ſermo eſt. quæ circumgyratio ſta-

tu-

tuta cap. 16. Levit. obeliſcorum, ſive radiorum rotunditati quammaximè accommodatur, at non ita planis illis radiis in altaris angulis ad extra protenſis, ut Montanus dicebat.

Sed quæcumque fuerit radiorum, ſive cornuum altaris forma, quam ſupra explicavimus, parum noſtra intereſt: in præſenti verò negotio certum ſit primo, ſanguine hæc cornua madefieri debuiſſe: propterea Levit. cap. 16. dicitur, quando agitur de expiatione altaris: *Cum autem exierit ad altare, quod coram Domino eſt, oret pro ſe, & ſumptum ſanguinem vituli, atque hirci, fundat ſuper cornua ejus per gyrum, aſpergenſque digito ſepties, expiet atque ſanctificet illud ab immunditiis filiorum Iſraël.* Quos ſanè ritus ſervatos quoque cenſeo, cum ipſa ænea concha, cujus expiationem per ſanguinem quamvis non legamus; probabile tamen eſt, ritus eoſdem in expiatione, & conſecratione ſervatos fuiſſe; nam expiatio ſemper conſecrationem præcedebat.

Verum lucidius hoc idem nobis Ezechiel aperuit cap. 43. ſæpè citato, dicens: *Et aſſumens de ſanguine ejus, ponent ſuper quatuor cornua ejus, & ſuper quatuor angulos crepidinis, & ſuper coronam in circuitu, & mundabis illud, & expiabis.* Ex quibus perſpicuè patet, ſanguinem vituli, & ſanguinem hirci, atque arietis pro peccato oblati, tribus in locis altaris prophetici adhibendum fuiſſe, ut altare expiaretur. Primò, circumliniebantur quatuor cornua, in quatuor angulis poſita: hæc autem prima unctio ſignificatur verbis illis: *Et pones de ſanguine ejus ſuper quatuor cornua ejus.* Ejuſdem hoſtiæ ſanguine pro peccato mactatæ, ut ab enumeratione prophetica non recedamus, quatuor anguli crepidinis majoris liniebantur, ſupremæ nimirum ſubſtructionis, quæ Ariel etiam dicebatur; cui ſuperimpoſitum altare erat. Quia verò crepido illa, ſive aſylum, ut loquamur cum Propheta, non erat ſanguine liniendum in plano ſuperiori angulorum; ſed tantum ad extra, ut ſanguine angulus fieret; & eo contrectaretur utrumque latus; propterea quod dicit noſter Interpres, *& ſuper quatuor angulos crepidinis*, dixit textus hebraicus clarius וְאֶל אַרְבַּע פִּנּוֹת הָעֲזָרָה *vehel harbang pinoth hanghazarah*, in quo textu dictio illa פִּנּוֹת *pinoth*, ut præclarè adnotavit Marcus Marin. angulum in externa ſuperficie, duo latera quadrati conjungentem, & ad plura loca reſpicientem ſignificat. Ad fundamentum altaris tandem reliquus ſanguis circum circa projiciebatur; ut totum altaris ædificium complecteretur, ubi erat foſſa excipiens ſanguinem, dimidium cubitum diſtans à ſubſtructione infima; quem locum apertè indicant verba illa textus וְאֶל־הַגְּבוּל סָבִיב *vehel haghevul ſaviv*: id eſt, *& ad finem*, id eſt baſim altaris, *fundes ſanguinem circumcirca.* Parietes denique altaris etiam, in quo hoſtiæ cremabantur, & quod ſuper ſubſtructiones impoſitum erat; ſanguine in expiationem madefieri debuerunt, ut dicitur Levit. cap. 16. ſæpè repetito: quod fortaſſe faciendum fuit, ſolum ad frontem altaris, quæ orientem proſpectabat.

Quia enim altare habebat quatuor latera: nimirum occidentale, quod reſpiciebat Tabernaculum, ſive Templum; auſtrale, & aquilonare, quibus atrii latera, ſive porticus hinc inde poſitæ in fabrica Templi proſpectabantur; nec non etiam orientale, cui neceſſario inhærebat Sacerdos, dum hoſtiæ ad altare ab ipſo offerebantur: illud tantum latus ſanguine conſpergendum fuiſſe dicimus, non verò reliqua latera: tum ne Sacerdos Tabernaculo, aut Templo terga, aut humeros verteret; quod impiiſſimum erat in lege Moſaica: tum etiam quia in quacum que ſanguinis pro expiationibus aſperſione, ſive fieret intra Sanctuarium contra Propitiatorium, ſive intra Tabernaculum contra velum Sanctuarii, ſive A denique extra Tabernaculum ad aulæum ejuſdem, ſive alibi, Sacerdos ſanguinem aſpergens, faciem habebat verſus occidentem; & ſanctum Propitiatorium reſpiciebat: quamobrem dicitur Levit. 16. in anniverſaria totius populi expiatione Tabernaculi, & aliorum: *Tollet quoque de ſanguine vituli, & aſperget digito ſepties contra Propitiatorium ad orientem.* Itaque pars orientalis Propitiatorii tantum, ſanguine conſpergenda fuit: qui ritus cum ſervandi fuiſſent ubique, dicendum pariter eſt, in expiando altare, orientale ſolummodo latus, ſanguine expiandum fuiſſe.

Modus in rebus omnibus, ad formam illarum ſpe- B ctat: quamobrem ritus hujus expiationis aperire nequimus; niſi modum in ſingulis effuſionibus ſanguinis perquiramus. Ab altaris cornibus exordiamur, quæ priori loco enumerata ſunt; hæc enim tingenda ſanguine cum forent; utrumne ſanguinis effuſione fieret, an linitione, an aſperſione ejuſdem, ambigebatur. Et pro effuſione videtur ſtare cap. 16. Levit. cum dicitur: *Cum autem exierit*, ſupple Pontifex, *ad altare, quod coram Domino eſt, oret pro ſe, & ſumptum ſanguinem vituli, atque hirci fundet ſuper cornua ejus per gyrum.* Verum in hebraico habetur verbum יִתֵּן *nathan*, id eſt *dabit*: quod verbum eſt generale, & non magis effuſionem, quam linitio- C nem, aut ſanguinis aſperſionem ſignificat: verbaque ſubſequentia *per gyrum* effuſioni contradicunt; quæ fieri nequiret, niſi ſuperficies altaris eo ſanguine madefieret; quod nefas eſſet: tantum enim cornua illius, ſanguine madefacienda dicuntur, non verò altare. Et quidem ſanguine vituli, cornua altaris circumcirca linienda fuiſſe conſtat; tum verbis latinis *per gyrum*, tum hebraica dictione סָבִיב, quæ ibi in textu habetur. itaque non ſanguinem fundendo, aut colando ſuper ipſis cornibus altaris, fieri debuiſſe hanc altaris expiationem; perſpicuum etiam eſt: quia ſanguinis effuſio, aut percolatio diceretur hebraicè per verbum יָצַק *Jatzaq*: ſanguinis aſperſio D per verbum הִזָּה, ut infra dicetur. Digito igitur, & non aliter circumcirca linienda erant cornua altaris: nam ubi effuſio, aut percolatio, ſive ſanguinis aſperſio locum non habet; ſoli linituræ locus remanet; quam etiam colligo, quia ubi nos legimus, *& fundet*, hebraicè, tum cap. 16. Levit. tum apud Ezech. cap. 43. habetur וְנָתַתָּ *venathan*, *& dabit ſuper cornua. Dare* autem, ubi illa verborum propria ſignificatio, locum non habet; verbo *linire* rectiſſimè interpretatur: quo ſæpiſſimè vulgatus utitur. Eadem linitione, ut diximus cum de locis altaris madefaciendis ageremus, anguli majoris crepidinis, ſanguine ſignandi erant; & demum reliquum ſangui- E nem in canalem ad baſim altaris, Moyſes effundere tenebatur.

Hi verò ritus conſecrationis altaris ab Ezechiele præſcripti, reſpondent his, quæ de conſecratione, & expiatione ejuſdem Levit. cap. 16. in hæc verba habentur: *Cum autem exierit*, ſupple Sacerdos, *ad altare, quod coram Domino eſt, oret pro ſe, & ſumptum ſanguinem vituli, atque hirci, fundat ſuper cornua ejus per gyrum, aſpergenſque digito ſepties, expiet & ſanctificet illud ab immunditiis filiorum Iſraël*: ad fundamentum autem altaris effundebatur ſanguis pro more hoſtiæ pro peccato oblatæ.

Ethnicis quoque commune fuit, ſanguinem victi- F mæ, ad baſim altaris circumcirca fundere; ut ferè nihil ſacrum intactum relinquerent; quo non uterentur prophani illi in cultu ſuorum idolorum. Hæc ſanguinis effuſio perſpicua eſt ex verbis Luciani irridentis Gentilium ſuperſtitiones, atque dicentis: ὁ δ' ἱερεὺς αὐτὸς ἕστηκεν ᾑμαγμένος, καὶ ὥσπερ ὁ κύκλωψ ἐκεῖνος ἀνατέμνων, καὶ τὰ ἔγκατα ἐξαίρων, καὶ καρδιουλκῶν, καὶ τὸ αἷμα τῷ βωμῷ περιχέων. Duorum verborum

rum hæc eſt interpretatio: *Atqui ſacrificus ipſe ſanguine fœdatus, & ſicut Cyclops ille pecudem incidit, & inteſtina educit, & cor revellit, & ſanguinem aræ circumfundit.* Sed aſperſio parietum, ſanguine pro peccato mactatæ hoſtiæ, ut aperiatur, majori opus habet indagine; nihil in Ezechiele tamquam de re ſatis expreſſa in expiatione altaris, & cujuſcumque alterius expiationis. Fuit autem frequentiſſimus ſanguinis uſus in tingendo altare apud Ethnicos: quamobrem Cidipes apud Ovidium ſcribens Acontio ait:

Dumqua perens aras votivo ſanguine tingit;
Feſtaque fumoſis ingerit exta focis.


Verum quamvis nihil de hac aſperſione, & uſu ſanguinis in Ezechiele habeatur, habetur tamen cap. 16. Levit. num. 18. in illis verbis: *Cum autem exierit ad altare, quod coram Domino eſt, oret pro ſe, & ſumptum ſanguinem vituli, atque hirci fundat ſuper cornua ejus per gyrum, aſpergenſque digito ſepties, expiet & ſanctificet illud ab immunditiis filiorum Iſraël.* In annuali expiatione Altaris, Sanctuarii, & reliquorum ſacrorum vaſorum, ſanguinis aſperſio neceſſaria erat; juxta aliàs repetitas regulas ex Joſepho; pari ratione dicendum erit de conſecratione illius, quia eodem genere hoſtiæ hæc ipſa expiabantur in prima conſecratione, ac in anniverſaria expiatione. Nam licet cum peccaſſet Summus Sacerdos, vel Princeps aliquis, ſanguis intra Tabernaculum inferretur, aſperſioque fieret contra velum Sanctuarii; & cum peccaſſet ſingularis aliquis homo, ſanguis hoſtiæ pro peccato, extra Tabernaculum ſolum aſpergeretur: at verò in expiatione altaris, illud idem, ſanguine aſpergebatur; quamobrem Septuaginta dixerunt Levit. cap. 8. καὶ ἔῤῥανεν ἐπ᾽ αὐτῷ ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον ἑπτάκις. hoc eſt, *Et irroravit ſuper illum ſuper altare ſepties.* Addiderunt enim reduplicationem ſuper altare, ut innoteſceret quid irrorandum, ſive aſpergendum ſanguine eſſet: niſi velimus ſermonem hic eſſe, de expiatione Sacerdotum tantum. & cap. 16. dixerunt: καὶ λήψεται ἀπὸ τοῦ αἵματος τοῦ μόσχου, καὶ ἀπὸ τοῦ αἵματος τοῦ τράγου, καὶ ἐπιθήσει ἐπὶ τὰ κέρατα τοῦ θυσιαστηρίου κύκλῳ, καὶ ῥανεῖ ἐπ᾽ αὐτῷ ἀπὸ τοῦ αἵματος τῷ δακτυλίῳ αὐτοῦ ἑπτάκις. hoc eſt, *Et accipiet*, ſupple Sacerdos, *de ſanguine vituli, & de ſanguine hirci, & imponet ſuper cornua altaris circumcirca, & aſperget ſuper illud de ſanguine digito ſuo ſepties.*

Aſperſionis cauſa aſpergillum habuiſſe Ethnicos, nummi veteres, lapides, & ſi quæ alia ſunt antiquorum Scriptorum monumenta, oſtendunt: cujus forma tam in nummis, quàm in lapidibus habetur, & ab his ſumpta retulit Choul in lib. ubi de veterum religione. Sed nihil nobis cum hoc aſpergillo, cujus tantummodo luſtrationis cauſa uſum fuiſſe, jam diximus: at verò hic de aſperſione quæ ſanguine fiebat, agimus; cujus aſperſionis inſtrumentum fuiſſe digitum, ſacra tradidere oracula; ſed qua ratione digito hæc aſperſio fieret, non eſt omnino perſpicuum. Variis enim modis in aſpergendo digitis uti poſſumus: nimirum in ſanguine hoſtiæ pro peccato, intinctis, ac in ſeipſis complicatis, demumque verſus altare explicatis, ſicque irrorando Sanctuarium, Tabernaculum, atque etiam Altare. Nam dictio latina *aſpergo*, non obſcurè id inſinuaſſe cenſetur: eſt enim *aſpergo*, quaſi *ad* aliud *ſpargo*, & aliquantulum madefacio: quod explicatione digitorum aptiſſimè fieri poteſt, ſi digiti prius humore aliquo maduerint.

Hoc etiam non obſcurè dictio hebraica יַז *vajaz*, cujus eſt in illis locis uſus, videtur inſinuaſſe; quæ quidem vox eſt à radice הָזָה *hazah*, & ſignificat id quod vulgariter diximus *ſpruzzo*: quem quidem actum vulgari vocabulo Hebræi dicunt *hazahah*. ſic enim hebraicè in illo loco Levit. 16. 19. dicitur וְהִזָּה עָלָיו מִן־הַדָּם בְּאֶצְבָּעוֹ שֶׁבַע פְּעָמִים hoc eſt, *& aſperſit ſuper illud*, hoc eſt altare, *de ſanguine in digito ſuo ſeptem vices.* Cum autem aſperſio hic dicatur per verbum הָזָה *hazah*, fit clarum, idem eſſe, quod *ſpruzzare* Italicè: quæ non niſi explicatione digitorum fieri poſſe videtur, ſi humore illi maduerint.

Sed huic digitorum explicationi, in hoc altari inſpergendo, ſacra obſtare oracula videntur; quæ digito in ſingulari, non autem digitis in plurali, faciendam hanc aſperſionem tradunt: igitur non explicatione digitorum madefactorum in ſanguine, ſed tantum unico digito altare aſpergendum erat. Opponitur digito unico aſpergenti, quod videatur præter rationem; niſi dixerimus indice dexteræ manus in ſanguine intincto, atque pollici conjuncto in circulum complicari, ut illos digitos explicando, humor ab indice expelleretur; ſicque ſanguinis aſperſio in altari, ad Propitiatorium, ad velum Sancti Sanctorum, ad Aulæum Tabernaculi, & ad reliqua fieret utenſilia.

Digito fieri hanc altaris expiationem jubebat Deus; modus ſubobſcurus eſt: nec rem intellexiſſem aliquando; niſi adfuiſſent veterum Gentilium monumenta, quæ me in alterius ſanguinis expiatione, per aſperſionem revocaſſent. Nam ſacrificium Priapi poſt quam aliquando Maceratæ, ut dixi in priori Myrothecio, in ſuperiori lucernæ plano conſpexeram; tandem dono accepi, lucernæ ejuſdem antiquius planum, ab Æſinate, qui veterum monumentis delectatur: opera & cura Nobiliſſimi, ſimulque doctiſſimi Viri Marci Antonii Coccini, qui bonas litteras plurimum cum amet; dum Gubernatoris munus in ea civitate exerceret; meaque ſtudia plurimum juvare conaretur: poſtmodum, cum in eodem munere Fanum regeret, omnem lapidem movit, ut monumenti illius copia mihi eſſet: in quo etiam plurimum ſtuduit, tum Peruſiæ, tum Fulginii, tum alibi; & nunc demum Beneventi ad regimen illius urbis. Præfectus, veterum monumentis me plurimum juvare conatur. Sacrificii illius hæc eſt forma.



Hic mulieres Priapo ſacrum facientes conſpiciuntur; inter quas Sacerdos adeſt, Numinis opem implorans; quod etiam aſpergens ſanguine, propitiari ſibi ſtudet: quamobrem in ſanguine galli gallinacei madefacto pollice ſiniſtræ manus, pollice & indice dexteræ complexa pollicem ſiniſtræ ſanguine madidum, Numen verſus eumdem explicat; ut ſanguine Numen conſpergat, ac irroret: quam irrorationem ſanguine fieri, gallus gallinaceus aperit ibidem ad jugulum actus, ut ſanguis in tripodem ſuppoſitum effluat. Nam quamvis hæc irroratio, non magis ſiniſtræ pollice, quam dexteræ fieri poſſet; non ta-

A tamen adeò commodè ac propriè, quemadmodum fit pollice, & indice dexteræ, pollicem ſiniſtræ humore madidum comprimentibus: ut experientia ipſa perſpicuum eſt. Quapropter hac ex veterum monumentis habita, qui κακοζηλίᾳ ritus ſacros prophanaverunt; ſolitam quoque ab Iſraëlitis, eodem ritu ſanguinis irrorationem fieri arbitramur, quæ in ſacris oraculis aſperſio traditur, in Sanctuarii Tabernaculi, Altaris, & reliquorum expiatione. Doctiora atque clariora viderint alii, quibus ſacra Dei oracula in dies illuſtrentur: nos pro modulo, atque paupertate noſtra, minuta duo in Dei gazophylacium mittere tentavimus.

B Obſervandum erit tandem in expiationis explicationem; hujuſmodi ſeptenam altaris aſperſionem, nequaquam fuiſſe ſeptem vicibus iterandam, ſingulo quoque die; ſed ſingulis diebus, unicè ſanguine aſpergendum altare: quia in ſacris litteris non dicitur, aut indigitatur, ſingulo quoque die ſepties altare aſpergendum; ſed in illius conſecratione, quæ per ſeptem dies habebatur, ſepties tantum altare, ac reliqua conſpergenda. Licet enim aliquando ſeptenam ſanguinis aſperſionem adhibendam in unica expiatione, ſacræ doceant litteræ: id tantum præcipiunt ſacra oracula, quoties expiatio unica tantum C die abſolvebatur, ut de leproſo mundando dicitur Levit. cap. 14. & cap. 16. ejuſdem libri, in quo de annua expiatione Sacerdotum populi, Tabernaculi, & illorum quæ in Tabernaculo aſſervabantur, ſermo eſt. Septenam igitur ſanguinis aſperſionem, in expiationem ſacrorum utenſilium, per ſeptem dies diſtribuendam affirmamus, quod illius expiatio ad ſeptem dies protraheretur.

CAP. LXX.

Conſecratio altaris holocauſti explicatur.

D Ad locum Exodi 40. *Et aſſumpto unctionis oleo, unges Tabernaculum cum vaſis ſuis, ut ſanctificentur: altare holocauſti & omnia vaſa ejus: & labrum cum baſi ſua: omnia unctionis oleo conſecrabis, ut ſint Sancta Sanctorum.* & ad alia loca.

VIDIMUS fieri altaris expiationem; conſecratio ejuſdem, & reliquorum illius utenſilium, videnda remanet. expiatio ſanguine fiebat; conſecratio quam etiam ſanctificationem dicunt ſacra oracula, ſi hebraicæ vocis vis attendatur, oleo ſancto à Deo inſtituto complebatur. Verum ſicut ſa- E crum dupliciter apud Latinos accipitur, ut alibi diximus; nimirum in malum, & bonum ſenſum; ita conſecratio, ut diximus ſupra cap. 34. Itaque ante conſecrationem, licet aliquid ſit Deo oblatum, ac etiam ſanguine expiatum, hoc eſt à prophanitatibus mundatum, ac expurgatum, non tamen adhuc conſecratum reputatur; quia non eſt aliqua unctione ſanctificatum. Apud Græcos enim licet aliquid ſacrum diceretur ἁγίασμα, hoc eſt ſanctificatio, & aliis vocibus, de quibus loco citato; magis tamen propriè voce καθιέρημα quaſi verè ſacrum exprimebatur.

F Omittamus etymologias, & ſacra tractemus oracula; apud quæ, ut diximus, conſecrare dicebatur per verbum *ſanctificare:* non verba aliqua proferendo, in his quæ ſanctificabantur; ſed re aliqua quæ ſancta eſſet, eadem contrectando, quale erat oleum à Deo inſtitutum, de quo Exodi 30. *Facieſque unctionis oleum ſanctum.* Nec præterire oportet dixiſſe Dominum in allato loco cap 40. Exodi; quod ea, quæ contactu hujus olei ſacra fiebant, ea ſanctitate decorabantur; ut eſſent Sancta Sanctorum; hoc eſt, verè ſancta eſſent (id enim illa reduplicatio importat). Præterea Sancta Sanctorum dicuntur, quia ſanctum aliquid dicitur, ex ſacrarum Scripturarum phraſi, quod eſt mundum, & à legalibus immunditiis alienum: quia igitur omnia ſacra utenſilia, ſolum ad uſum illorum erant, qui mundi fuiſſent; & immundi omnino à Tabernaculo, ab altari, ab oblationibus, & ſacrificiis arcebantur; propterea mundi homines dicuntur ſancti, ex phraſi ſacrorum oraculorum: hinc illud Exo. *Sancti ſitis, quia ego Sanctus ſum*, toties repetitum in veteri lege. Cum igitur his ſolum liceret uti ſacris utenſilibus, propterea in illorum conſecratione dicitur, *ut ſint Sancta Sanctorum*, hoc eſt, ut ſint ad uſum mundorum tantum, & non immundorum. Quamobrem quæ uncta fuiſſent, non ſolum virtute ſacri unguenti; vere ſancta erant; ſed talem ſanctitatis vim; rebus unctis impertiebant; ut etiam ſanctitatem conferrent omnibus, qui unctis contrectati fuiſſent; & omnino his tantum qui conſecrati fuiſſent, ad hæc ſancta accedere liceret. propterea dixit ibid. num. 29. *Sanctificabiſque omnia, & eruntSanctaSanctorum: qui tetigerit ea, ſanctificabitur.*

Hoc itaque ſacro unguento, altaris ſacrificiorum conſecratio; & omnium utenſilium quæ ad illud pertinebant, abſolvebatur; quamobrem Exodi 40. num. 9. ubi de tempore erigendi Tabernaculum agitur, Moyſi à Deo dicitur: *Et aſſumpto unctionis oleo, unges Tabernaculum cum vaſis ſuis, ut ſanctificentur; altare holocauſti, & omnia vaſa ejus, labrum cum baſi ſua; omnia unctionis oleo conſecrabis, ut ſint Sancta Sanctorum.* Similiter etiam cap. 8. libri Levitici, cum eſſet ſermo de Sacerdotum initiatione, obiter etiam meminit ſacer textus de altaris conſecratione, quæ per oleum ſanctum fiebat, & ait: *Tulit & unctionis oleum, quo linivit Tabernaculum cum omni ſupellectili ſua; cumque ſanctificans aſperſiſſet altare ſeptem vicibus, unxit illud, & omnia vaſa ejus, labrum cum baſi ſua, ſanctificavit oleo.* Hæc & alia ex ſacris textibus habentur, de uſu ſancti unguenti in conſecratione, ſive ut loquamur cum ſacris, in ſanctificatione altaris, & aliorum ſacrorum utenſilium.

Poterat ſanè dubitari quoties, & quotupliciter ſacrum altare, reliquaque divina utenſilia, ſacro oleo conſpergenda fuiſſent, niſi clarè ſacer textus id aperuiſſet, Levit. 8. in illis verbis: *Cumque ſanctificans aſperſiſſet altare ſeptem vicibus, unxit illud, & omnia vaſa ejus.* Septies igitur altare aſpergendum ſacro hoc oleo fuit: non quidem uno, eodemque die, ſicuti adnotavimus in præcedenti capitulo de expiatione, ſed ſemel ſingulo die: nam omnium quæ ad Dei cultum pertinebant conſecratio, ſeptem dierum moram, & ſpatium cum requireret; ita pariter ſingulo quoque die, ſanguine expianda erant, & oleo ſancto inungenda.

Sed quo ritu altare hoc eſſet ſacro oleo inungendum, maximè advertendum eſt; quod enim latinè dicimus *unxit*, hebraicè dicitur per verbum מָשַׁח *maſhach.* Eſt autem ſignificatio hujus vocabuli generica; ungendique actum in univerſum declarat, modum unctionis minimè explicans. Poteſt enim aliquid ungi, oleo effuſo ſuper aliquid; quod per verbum *effundo* Latini explicant. Poteſt etiam aliquid ungi per linitionem, leviter expandendo oleum, in eo quod ungitur; & per verbum *linire* à Latinis ſignificatur. Poteſt ſimiliter aliquid ungi irrorando, ſive oleum aſpergendo ſuper illud, quod ungitur, & verbo *aſpergo* communiter à Latinis id exprimitur.

Hoc loquendi diſcrimen, Græcis fuit proprium, & per

& per verbum χρίω ungendi actum dixerunt: modum verò per alia verba explicarunt, ut per verbum χέω· & compoſitis, nimirum ἐκχέω & aliis, fuſionem humoris explicarunt: linitionem verò per verbum χρίω, & compoſita, ἐπιχρίω nimirum, & alia; vel magis propriè per verbum ἀλείφω, quod ſignificat aliquid ungere per expanſionem olei, aut unguenti: per verbum tandem ῥαίνω explicarunt Græci aſperſionem, ſive irrorationem.

Hebræi pariter ſuas habuere dictiones, quibus unctionis modum explicarent; de quibus nos alibi. Nam per verbum יָצַק *jazach*, fuſionem humoris ſignificarunt. per verbum הָזָה *hazah* aſperſionem dixerunt: at quia linitio eſt ſola oleaginoſorum humorum, & non aqueorum; propterea verbo מָשַׁח *maſchach*, quo unctio in univerſum ſignificatur, eodem linitionem ſignificarunt.

Expendatur tandem modus, quo altare conſecrabatur; modum inungendi illud ſervando, de quo Levitici cap. 8. aliquid ſubodoratur, quo diverſitatem in ungendo unius ab alio, ex utenſilibus percipere mus; ſic enim dicitur: *Tulit & unctionis oleum, quo linivit Tabernaculum cum omni ſuppellectili ſua: cumque ſanctificans aſperſiſſet altare ſeptem vicibus, unxit illud, & omnia vaſa ejus, labrum cum baſi ſua ſanctificavit oleo.* Aſperſione igitur conſecratum fuit altare, cum omni ejus ſuppellectili: verum quodnam genus aſperſionis in conſecratione altaris tenendum eſſet, liquet magis ex hebraico exemplari, quod ſic habet: וַיַּז מִמֶּנּוּ עַל־הַמִּזְבֵּחַ שֶׁבַע פְּעָמִים וַיִּמְשַׁח אֶת־הַמִּזְבֵּחַ וְאֶת־כָּל־כֵּלָיו וְאֶת־הַכִּיֹּר וְאֶת־כַּנּוֹ לְקַדְּשָׁם hoc eſt, ſi ad verbum interpretentur: *Et aſperſit de illo*, ſupple oleo, *ſuper altare ſeptem vicibus, & unxit altare, & omnia vaſa ejus.* Itaque unctio Tabernaculi, & omnium quæ in illo erant; à ſacro textu explicatur per verbum מָשַׁח *maſchach;* altaris verò conſecratio, & labri cum baſi ſua, per duplex verbum exprimitur, nimirum per הָזָה *hazah*, & per verbum מָשַׁח.

Apparet jam, me judice, quæ fuerit forma unctionis in conſecrandis quæ Deo mancipabantur: ut nimirum Tabernaculum, Arca fœderis, Menſa, Candelabrum, Altare thymiamatis, & omnia utenſilia iſtorum, per olei ſancti linitionem conſecrata fuerint. Nam quamvis verbum מָשַׁח *maſchach*, *unxit* in univerſum ſignificet: quia tamen per *linivit* exprimitur à noſtro vulgato; nec id à ſignificatione hebraici vocabuli diſſonat; imò rei conſecrandæ quammaximè accommodatur: nos auctoritate ipſius fulti, linitione illa omnia conſecrata fuiſſe arbitramur.

Quæ verò extra Tabernaculum in atrio erant; altare nimirum holocauſti, labrumque cum ſua baſi, ſacrata fuiſſe, duplici ſacri olei uſu arbitramur; nimirum aſperſione, & linitione. Primum namque ſignificatur per verbum הָזָה *hazah*, alterum per verbum מָשַׁח *maſchach.* Et quamvis Abulenſis quæſt. 5. in cap. 8. Levit. videatur non agnoviſſe hanc ſacri olei in altare, & baſim irrorationem, ſed tantum linitionem; nos tamen ex vi vocabuli illam agnoſcentes, arbitramur hæc oleo ſacro primum fuiſſe irrorata, deinde eodem linita: dictio enim *unxit*, quam ſolam cognovit Abulenſis; cujus dictionis auctoritate fulciri ſuam ſententiam exiſtimat, non ſignificat aliquod genus unctionis in verbo hebraico מָשַׁח *maſchach*; quod etiam aſperſione ſignificari non queat; ſed potius quamdam unctionem, quæ aſperſionem ſubſequebatur. Nam cum de Sacerdote ibidem loquitur textus, ac dicitur Moyſem fudiſſe de ſacro oleo unctionis ſuper caput Aaron; ſequitur quoque unxiſſe illum: quamobrem dictio *unxit*, nil aliud ſignificat, niſi effectum ſubſequens ſacri olei effuſionem, linitionem, irrorationem, &

A quemcumque olei contactum. Eadem igitur dictio in eodem ſenſu poſita, in altaris conſecratione, non negabit irrorationem; ſed dicet unctionem, quæ in altari ipſo, oleo jam irrorato, relinquebatur.

Cum labro etiam hos eoſdem ritus intelligimus ſervatos, in illius conſecratione, quia ſubinfertur in textu, *Labrum cum baſi ſua ſanctificavit oleo.* Quibus verbis, ſi attendatur copula, quæ pro *&*, & in hebraico codice eſt ו *vau*, quæ conſecrationem altaris antecedentem, ſubſequentibus jungit: utique intelligetur Moyſem ſanctificaſſe labrum cum baſi ſua, eiſdem ritibus atque altare conſecratum fuerat; ſep-
B tenaria videlicet aſperſione ſacri illius unguenti, quod ad rerum conſecrationem Deus inſtituerat: quæ nunc elucidantur à nobis, ad majorem explicationem illorum, quæ retro cap. 49. dicta fuere, cum de conſecratione labri ageretur.

Aſperſionem ſacri olei in conſecratione altaris, etiam exemplaria græca agnoverunt. Sic enim legunt: καὶ ἔρραναν ἀπ' αὐτοῦ ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον ἑπτάκις, καὶ ἔχρισεν ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον, καὶ ἡγίασεν αὐτὸ καὶ πάντα τὰ σκεύη αὐτοῦ. καὶ τὸν λουτῆρα, καὶ τὴν βάσιν αὐτοῦ, καὶ ἡγίασεν αὐτά. hoc eſt, *Et aſperſit de eo ſuper altare ſepties, & unxit ſuper altare, & ſanctificavit illud, & omnia vaſa ejus: & labrum & baſim ejus, & ſanctificavit*
C *omnia.* Quia verò, ut dicebamus cap. præcedenti, verbi græci ῥαίνω vis eſt, conſperſionem ſignificare, quaſi irrorationem; & ſub hoc uno verbo, tam altaris, quam etiam ænei labri ſanctificationem Græci agnoverunt; propterea utrumque eadem forma inunctum diximus.

Hanc aſperſionem, linitio, ut putamus, ſubſequebatur. Moyſe nimirum in prima altaris conſecratione, digito expandente ſacri olei guttas, quæ per aſperſionem in altare remanſerant. Qua de cauſa Græca exemplaria poſtquam dixiſſent, καὶ ἔρραναν ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον, ideſt, *& aſperſit ſuper altare:* ſubintulerunt, καὶ ἔχρισεν ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον. hoc eſt,
D *Et unxit ſuper altare:* ut oſtenderent eodem oleo, quò altare aſperſum fuerat; cujus aſperſionis ſtillæ in altaris parietibus remanſerant, poſtmodum à Moyſe fuiſſe altare linitum; ſicut Interpres noſter dixit, *aſperſit* primo, & poſtmodum *unxit.*

Remanet tandem in conſecratione altaris, unctionis, aſperſioniſque inſtrumenta contemplari; in quorum inſtrumentorum contemplatione, ne aliqua dubitatio ſuboriri poſſet; ſacra oracula eiſdem verbis loquuntur de aſperſione hac, atque de alia, quam diximus adhiberi expiationis gratia. Quamobrem quemadmodum expiatio digito fiebat; ſic etiam hanc olei ſacri aſperſionem digito fieri conſueviſſe
E non dubitamus; utraque enim dicitur à Græcis per verbum ῥαίνω: & in textu hebræo dicitur per verbum הָזָה *hazah.* Ne verò ambigeretur in illo cap. 8. Levitici; & quæ in loco citato de aſperſione ſanguinis ad expiationem dicuntur; de oleo ad conſecrationem interpretari non poſſent; præmiſſum in ſacro textu habetur, *Tulit & unctionis oleum:* & poſtea ſubditur in hebræo וַיַּז מִמֶּנּוּ hoc eſt, *& aſperſit de eo:* nimirum de eodem oleo. Græci dixerunt, καὶ ἔρραναν ἐπ' αὐτοῦ, hoc eſt, *& irroravit de eo:* nam præpoſitio ἐπὶ, licet valeat idem quod *ſuper*, tamen conſtructa cum genitivo valet idem quod *de* Latinorum. Itaque perſpicuum eſt non de ſanguine,
F ſed de oleo prædictam aſperſionem intelligendam fore.

Aſperſionem tandem quæ digito fiebat, ſubſequebatur in parietes altaris olei linitio: quæ eodem, ut puto, ſiniſtræ pollice fiebat, vel fortaſſe veriùs pollice, & dexteræ medio, quibus conpreſſus expreſſuſque fuerat pollex ſiniſtræ; ut oleo quo erat madidus, ea quæ conſecranda erant aſpergerentur:

Tt 2 cuncta

cuncta enim commodius dextera manu, quam ſiniſtra fiunt. Quamobrem commodiſſimè medio, & pollice dexteræ potuit Moyſes in prima altaris conſecratione, vel Summus Sacerdos in poſterioribus conſecrationibus altaris, expandere guttas olei, quibus altare & labrum æneum cum baſi ſua inſperſa fuerant; ſicque illa conſecrare: quod ſanctificare dixerunt communiter ſacra oracula, ut vidimus. Hæc à nobis pro captu noſtro dicta erunt: doctiores doctiora excogitabunt, quibus nos aſſentiri valeamus.

Complebatur conſecratio tota, & ritus omnes dedicationis ſacrorum utenſilium, unum quodque ad id quod erat ſui muneris applicando: quod complementum conſecrationis per *impletionem manus* in ſacris oraculis ſignificabatur, utjam diximus: quamobrem hoſtiis ſuperpoſitis in altari, & earumdem combuſtione, quæ Deo oblatæ in holocauſtum fuiſſent, & pro gratiarum actione, quæ pacificæ dicebantur; totalis dedicatio altaris perficiebatur; dummodo holocauſto ſuper altare impoſito, oblatio ſimilaginea oleo conſperſa ad pugillum, & thus ei adderetur; ut cum hoſtiis in altari omnia cremarentur. Sacer textus cap. 40. Exodi, hæc indigitaſſe videtur; cum de ſolemnitate illorum dierum conſecrationis Tabernaculi & Altaris, ait: *Poſuit & altare holocauſti in veſtibulo Teſtimonii, offerens in eo holocauſtum, & ſacrificia.* Nomine verò ſacrificiorum hic ſignificari oblationes, quæ ex farina ſimilaginea offerri juſſerat Deus; ejuſdem loci explicat hebraica dictio מִנְחָה *mincha.* Nam capite etiam 2. Levitici, in quo de cæremoniis ſacrificiorum agitur; hæ duæ hebraicæ dictiones קָרְבָּן *qorban*, & מִנְחָה *minchah* ſignificatione differunt: quamvis enim dictio illa קָרְבָּן *qorban* ſit nomen genericum accommodatum omni generi oblationum, ac etiam illi, quæ ſignificatur dictione illa מִנְחָה *minchah*, ut paſſim conſtat ex eodem capitulo; tamen quando ſeorſum & ſigillatim ſumuntur, hoc vocabulum מִנְחָה *minchah*, aliquid diverſum à קָרְבָּן *qorban* ſignificat, nimirum oblationem farinaceam. Imponebatur denique ſal ſuper victimam holocauſti, in ſignum fœderis, ad quod obligabantur filii Iſraël ex pacto cum Deo inito: quamobrem dicitur cap. 43. Ezech. in hæc verba: *Cumque compleveris expians illud, offeres vitulum de armento immaculatum, & arietem de grege immaculatum, & offeres eos in conſpectu Domini, & mittent Sacerdotes ſuper eos ſal, & offerent eos holocauſtum Domino.* Sicque complebatur altaris, & omnium utenſilium illius ſanctificatio.

CAP. LXXI.

Craticulæ quæ Altari inſerebatur, forma explicatur.

Ad loca Exodi 27. *Craticulamque in modum retis æneam, per cujus quatuor angulos erunt quatuor annuli ænei, quos pones ſubter arulam: eritque craticula uſque ad altaris medium.* Ibid. cap. 38. *Craticulamque ejus in modum retis fecit æneam, & ſubter eam in altaris medio arulam, fuſis quatuor annulis per totidem reticuli ſummitates.* & ad alia plura.

UTENSILIA altaris, quæ ſanguine expianda fuerunt, & oleo conſecranda, conſideranda ſuperſunt; de quorum ſtructura ſacer textus his verbis loquitur cap. 27. Exodi: *Facies in uſus ejus*, nimirum altaris, *lebetes ad ſuſcipiendos cineres, & forcipes, atque fuſcinulas, & ignium receptacula: omnia vaſa ex ære fabricabis, craticulamque in modum*

A *retis æneam, per cujus quatuor angulos erunt quatuor annuli ænei, quos pones ſubter arulam altaris, eritque craticula uſque ad altaris medium. Facies & vectes altaris de lignis ſetim duos, quos operies laminis æneis, & induces per circulos, eruntque ex utroque latere altaris ad portandum.* Inſtrumenta itaque altaris ſunt Vectes, Craticula, Lebetes, Forcipes, Fuſcinulæ, Uncini, & vaſa ad ignes recipiendos, quæ ignium receptacula in locis allegatis dicuntur מַחְתֹּת. Quantum vero attinet ad formam vectium, res eſt ſatis clara, & aperta, ac propterea non eſt nobis in controverſiam de forma illorum aliquid vocandum: cum ad uſum Arcæ, Menſæ, Altariſque thymiamatis,
B vectes pariter apponerentur; ut illa ipſa per deſertum portari poſſent.

Craticulam igitur Altaris, ſive ut hebraicè dicitur מִכְבָּר *michbar* primo conſiderabimus: & merito quidem, quòd inter altaris utenſilia, eidem cum primis deſerviret. Nam ea ratione altari incorporabatur; ut non ſolum in ea craticula ſacrificia cremarentur, ſed etiam ad altaris fabricam, & omnimodam integritatem conduceret: hanc ἐσχάραν communiter dictam à Græcis, eorumdem exemplaria ſacra oſtendunt, tam cap. 27. quam cap. 38. in quibus ſemper ubi exemplaria noſtra habent *craticulam*; communes illorum codices habent ἐσχάραν. Sunt qui il-
C lam etiam παράθεμα appellent: legitur enim ſic cap. 38. Exodi in quodam cod. num. 4. καὶ ἐποίησεν αὐτῷ παράθεμα ἔργον δικτυωτὸν κάτωθεν τοῦ πυρείου ὑπὸ αὐτὸ ἕως τοῦ ἡμίσους αὐτοῦ. hoc eſt, *Et fecit ei*, ſupple Beſeleel altari, *additamentum opere retis, infra ignis receptaculum, ſub eo uſque ad medium illius.* Dicebatur autem hæc craticula additamentum altari; quia propriè altari in medio inſerebatur.

Verum nulla voce græcè magis craticula explicari potuit, quam iſta ἐσχάρα. Hoc enim vocabulo propriè ſignificabatur locus ignis, in quo prunæ detinebantur, ad conſumendum quæ ſuperimponebantur: ligna videlicet, vel carnes, teſte Polluce lib. 10.
D cap. 24. ubi de inſtrumentis coquinariis agit, dicens: καὶ μὴν ἐσχάραν εἴποις ἂν τὸ ἀνθράκιον τοῦτο, καὶ ἐσχάριον. id eſt, *Et quidem dices foculum, illud ipſum anthracium, & craticulam.* Eodem quoque nomine appellari foculum, qui in altari erat, ſuper quem ſacrificia cremabantur; dixit idem Auctor lib. 1. cap. 1. ſect. 1. num. 5. dicens: ἐσχάρα δ' ἰδικῶς δοκεῖ μὲν ὧδε ὠνομάσθαι ἐφ' ἧς τοῖς ἥρωσιν ἀποθύομεν. hoc eſt, *Eſchara quidem ſigillatim videtur hic appellari, ſuper quam heroibus ſacrificamus.* Quæ doctrina ex Porphyrio in lib. de ſacrificiis ſumpta videtur: cum diſtinguit inter βωμὸν, & ἐσχάραν, atque μέγαρον. Ex quibus perſpicuum eſt, quid propriè ſignificare velint græ-
E ca exemplaria ſacra, quæ illa voce utuntur.

Nomina vidimus; ſitum in altari, materiam, formam, & denique uſum hujus foculi conſiderare, noſtra intereſt; ut conſecrationem quoque, ſive ſanctificationem illius cum altari cognoſcamus. Et quidem materia hujus craticulæ ambigendi locum non aperit; nam æneam fuiſſe ſacra apertè dicunt oracula Exodi cap. 27. & 38. Forma potius illius opinandi locum expoſitoribus præſtitit; ſic enim cap. 27. Exodi de ea dicitur: *Craticulamque in modum retis æneam*, ſupple facies, *per cujus quatuor angulos erunt quatuor annuli ænei, quos pones ſubter arulam altaris; eritque craticula uſque ad altaris medium.* Itaque cra-
F ticula hæc habebat quatuor annulos in quatuor angulis; & altari ea ratione inſerebatur; ut quatuor anguli illius ſub arula ponerentur: longitudo & latitudo ejuſdem, ad duos cubitos extendebatur, profunditas uſque ad altaris medium.

Singulæ nunc partes hujus craticulæ diſcutiantur; & ab ore ejuſdem exordiamur: rotundumne ſcilicet, an ovatum, an denique quadrum eſſet. Rotundum fuiſſe

fuiſſe Villalpandus tom. 2. Explan. in cap. 43. Ezech. lib. 4. cap. 81. arbitratur ; cujus verba ibi videri poterunt, nos brevitati conſulentes ea dimiſimus. In quibus quidem, multa in ſuperioribus jam à nobis rejecta habentur ; ſed quod ad præſens negotium attinet, ea ratione ſe craticulæ os rotundum effinxiſſe affirmat ; quod putaverit Sacerdotem in expiando altari, & ſanguine tingendis cornibus, id nequaquam facere potuiſſe, niſi altare ipſum conſcenderet ; atque in ipſa vacuitate, quæ remanet in receſſu formæ circularis à quadrata altaris, illæſus ille ab igne, cornua in angulis poſita, ſanguine perquam commodè tingeret, & digito contrectaret.

Deceptum verò arbitramur doctiſſimum Virum, longitudine, ac latitudine altaris ; quod duodecim cubitos attingere putaretur, cum tantum quinque ex Dei præcepto habere debuiſſet, ut jam monſtravimus ſupra cap. 66. Inſuper in expiatione altaris, deerat ignis ; quia nondum altari conſecrato, holocauſta, aut ſacrificia in eo offerre Sacerdotibus vetitum erat : quæ ſi advertiſſet Villalpandus, non tam facile deceptus eſſet : quamobrem Sacerdos ſanguine cornua altaris tincturus liberè in expiatione illius illæſus ab igne, miniſteria ſua explere commodè potuiſſet. Sed quis non videat, quam indecens eſſet ; dum ſacrificia in altari cremarentur, Sacerdotem altare conſcendere ? Sic enim turpitudo illius, quam tantopere velandam juſſerat Deus ; veſtibus ſubtilioribus à tergo protuberantibus, ad formam turpium membrorum corporis extrinſecus apparuiſſet : quod etiam jam declaravimus cap. 50. quapropter nulla ratione Sacerdotem ſacris operantem, altare conſcendiſſe ; ſed in ſuprema crepidine conſiſtentem, ſacra miniſteria omnia obiiſſe, indubitatum arbitramur.

Nec eſt quod Villalpandum turbet altaris altitudo; hæc enim tres cubitos non excedebat, ut dicitur Exodi 27. & 38. nec enim huic menſuræ, cornibus altaris addebatur ; ut videtur ſuſpicari ex Ezech. 43. in illis verbis : *Et ab Ariel uſque ad ſurſum cornua quatuor.* Nihil enim aliud Propheta voluit ; niſi ſupra Ariel extitiſſe poſitum altare, quod habebat cornua quatuor ; non verò quod excreſceret ; quæ altitudo non eſt nobis pertimeſcenda, comparata humanæ ſtaturæ : nec enim imaginari debemus cubitum majorem communi cubito, quorum quatuor humanam æquant ſtaturam ; quamobrem Sacerdos aliquis numquam fuit, qui intincto in ſanguine digito, & brachiis ad modicum elevatis, etiam ſi pyramides altari concederentur, quæ humanam ſtaturam æquabant ; ſanguine cornua tingere non poſſet. Menſuram altaris ad cubitum ordinarium referendam oſtendit ipſa altaris portatilis, per deſertum, & in terra promiſſionis huc, illucque circumlatio : nam ſuper humeros portari nequiviſſet, huc, illucque deferri vectibus, cubitum & ſemi altare infra vectes demittendo ; ſi cubiti menſura, major communi extitiſſet : itaque ad communem menſuram revocando cubitum, Sacerdoteque ſuperiori in crepidine conſiſtente, ad ſua miniſteria obeunda, non erit quare craticulæ os, ad rotundum revocare cogamur.

Potius igitur rotunditas hujus craticulæ, quæ in altaris medio inſerebatur, à ratione ſacrorum, & ex antiquis ritibus ſubodoranda erit. Sæpè enim in ſacris literis, flamma de medio altaris erumpens, dum ſacrificia cremarentur, columnæ comparatur : quamobrem in rotundum potius emiſiſſe flammam fumumque, intelligenda, quam alia forma videntur ; & ex conſequenti eamdem formam, os craticulæ in altari ; in qua ſacra cremabantur, habuiſſe dicetur. Si verò à Gentilibus ſacra etiam ſint ſubodoranda, orbicularem formam effodere Jaſonem Medæa juſſit ; dum ſacra nocturna Hecatæ illum facere docet apud

A Apollon. lib. 3. Argonaut. num. 1031. dicens :

Βόθρον ὀρύξαϲθαι περιηγέα, τῷ δ' ἔνι θῆλυν
Α'ρνεῖον σφάξειν, ϗ ἀδαίετον ὠμοθετῆσαι
Α'υτῷ.


Orbicularem autem foveam, ſacrorum de cauſa illic præcipi, par eſt credere ; ad formam cratis, quam altari inſeri mos erat ; ut ſacra in eo fierent ; ſic enim locus Apollonii interpretatur :

Foveam effode orbicularem, in ea femellam
Agnam macta, & integram impone
B *Ipſam, &c.*

Ex vi etiam hebraicæ vocis, rotunditatem craticulæ expiſcamur : quia nimirum ſacra oracula, in ea deſcribenda nullibi angulos acutos, quemadmodum altari eidem adſcripſerunt ; hi enim anguli quadrati altaris, hebraicè dicuntur פִּנּוֹת *pinnoth*, quemadmodum interiores anguli in concavo alicujus rei, dicuntur מִקְצֹעַ *miqzoangh* : quibus dictionibus ſacri textus minimè utuntur, cum de craticula ſermonem habent ; ſed potius hac alia קְצוֹת *qhezoth*, ut Exodi cap. 27. num. 4. ubi ſermo eſt de craticula : atque propterea rectè interpretantur illa, quæ dicuntur de angulis craticulæ, per vocem *extremitates* :
C itaque legendum erit in loco allato ex cap. 27. Exodi : *Et facies annulos ſuper quatuor extremitates illius.*

Sumpto etiam argumento ex nomine hujus craticulæ, quo utuntur ſacri codices, nimirum à dictione מִכְבָּר *michbar* : qua cribrum ad purgandum fermentum ſignificatur ; vel aliud tale inſtrumentum, quod à crebris foraminibus, eo vocabulo dictum Etymologici arbitrantur ; & ex vi nominis, à forma rei per vocabulum illud ſignificatæ, hoc eſt à forma cribri : necnon etiam à voce illa קְצוֹת *qhezoth*, per quam, loca in quibus annuli collocandi erant in craticulæ ſtructura, ſignificantur ; ex qua extremitates, quæ cuicumque figuræ, tam circulari, quam qua-
D dratæ conveniunt, exprimuntur ; non verò anguli qui in quadrata ſolum forma reperiuntur : perſpicuum videtur rotundum os habuiſſe craticulam hanc, atque ſub ea forma intra altare deſcendiſſe.

Et quamvis Villalpandus, hanc craticulam in modum conchæ marinæ, non verò cylindrica forma imaginetur : nos profundius penetrantes intra altare, & ad ſacrificiorum commodum reſpicientes, in acutum demittendam craticulam, & ad inſtar turbinis terminandam paulatim, nimirum ab ore dehiſcentem cenſuimus : ut ignis, ligna, hoſtiæ & alia quæ in hæc injiciebantur, ad medium altaris confluerent;
E ut ſemper ignis in eis depaſceretur, donec omnino hoſtiæ, ligna, aromata, & quæcumque in ſacrificium offerebantur, conſumerentur : quamobrem illuſtrationis gratia illorum quæ diximus, hanc craticulæ iconem hic delineandam cenſuimus.

F 

Sic enim nihil in lateribus altaris, vel cratis incombuſtum remaneret ; ut certè remanſiſſet, ſi cra-

 ticu-

ticulæ hujus fundus planus fuiſſet, aut in acutum non deſiiſſet. Plerumque etiam accidiſſet; ut lignis in latere altero incombuſtis manentibus, ignis ex altero, vel in medio altaris, abſumpta jam materia extingueretur; quod piaculum grande fuiſſet. His Joſephus quoque lib. 3. Antiq. cap. 7. aliquo modo ſubſcribere videtur, dicens: δικτύῳ τὴν ἐσχάραν ἐμφερὴς, ἐξεδέχετο γὰρ ἡ γῆ τὸ ἀπὸ τῆς ἐσχάρας πῦρ καταφερόμενον, τῆς βάσεως διαπαντὸς οὐχ ὑποκειμένης. hoc eſt, *Cratis habens foculum ſimilem*, loquebatur de altari, *excipiebat enim terra ignem ex crate demiſſum, quia nulla prorſus baſis ſubjacebat.* Hæc Joſephus, ex quibus, facillimo hoc cinerum deſcenſu, utique forma turbinata, & acuta cratis indigitata videtur. Ab hac enim forma, deſcenſus lignorum, carbonum, & cinerum facilitatem habet; quam nulla ratione habuiſſet marinæ conchæ figura, quam in crate Villalpandus excogitaverat; & quamvis eidem aliquis concedatur deſcenſus, non tamen ejus facilitatis, quam habet in forma craticulæ, quam ſupra delineatam oſtendimus.

CAP. LXXII.

Uſus craticulæ in altari Moſaico explicatur.

Illuſtrantur loca Exodi cap. 27. *Craticulamque in modum retis æneam, per cujus quatuor angulos erunt quatuor annuli ænei, quos pones ſubter arulam altaris.* Ibid. cap. 38. *Craticulamque ejus in modum retis fecit æneam, & ſubter eam in altaris medio arulam, fuſis quatuor annulis per totidem reticuli ſummitates.* & ad alia loca.

PROFUNDITAS craticulæ ad illius formam ſpectat, quam cubitum cum ſemiſſe habuiſſe, ſacra aperiunt oracula, cum dicunt; *eritque craticula uſque ad altaris medium.* quæ verba profunditatem intra altare reſpiciunt; alias nullum haberent ſenſum. Sed apertius in hebraico ſic cap. 38. Exo. תַּחַת כַּרְכֻּבּוֹ מִלְמַטָּה עַד חֶצְיוֹ ideſt, *Sub arula illius deorſum uſque ad medium illius.* Itaque craticula deſcendebat intra altare; cujus altitudo juxta Dei ſtatuta cum eſſet trium cubitorum, relinquitur ut cubitus & ſemis medium altaris teneat. De longitudine atque latitudine illius per diametrum non eſt aliquid addendum, ultra id quod diximus cap. 44. de arula quæ *Carcob* hebraicè dicebatur: neceſſe enim erat os craticulæ, aperturæ arulæ ſuperiori convenire; ea enim de cauſa arula ſuperior, in medio aperta erat; ut flamma ignis, qui in craticula ardebat, per circulum apertum arulæ erumperet, ſurſumque elevaretur. Quamobrem decipitur Villalpandus, qui ad duos cubitos craticulæ profunditatem dimiſit: nam altare tres cubitos, & nihil ultra altum fieri juſſerat Deus; nec Propheta aliud voluit, ut ſupra oſtendimus.

Hujus verò cratis annuli, quos diximus aptandos fuiſſe in extremitatibus illius, nimirum in ſuperiori circulo oris, prout à Deo ſtatutum legimus; vehementer ſacrorum Interpretes ſollicitant atque vexant: non ſolum ratione uſus, ſed etiam ſitus cauſa, & poſituræ quam habebant in altari. Et quidem quantum ad uſum annulorum; certum ſit, non fuiſſe ad vectes immittendos, ut his nimirum craticula tolleretur, & portaretur: nam in exemplari hebraico non leguntur illa verba *ad immittendos vectes, ad portandum*, licet habeantur illa fuſis quatuor annulis per totidem reticuli ſummitates, quæ ſtatim ſuperiora præcedunt; neque in cap. 27. Exodi, in quo craticulæ forma plenè à Deo Moyſi deſcribitur, habetur

A verbum, de vectibus immittendis in annulos craticulæ, quæ altari inſerebatur. Quapropter apertiſſimum arbitror ex ſacris codicibus, annulos in ſummitatibus reticuli, nequaquam fuiſſe ad uſum vectium, (qui ex Græcis codicibus in hac parte perturbatiſſimis, fortaſſe in noſtra exemplaria irrepſerunt) ut nonnulli falſo putarunt, ex obſcura intelligentia loci ſacri in Exodi 38. *Craticulamque ejus in modum retis fecit æneam*, inquit vulgatus, *& ſubter eam in altaris medio arulam, fuſis quatuor annulis per totidem reticuli ſummitates, ad immittendos vectes ad portandum; quos & ipſos fecit de lignis ſetim, & operuit laminis æneis, induxitque in circulos,*
B *qui in lateribus altaris eminebant.*

Si enim annuli hujus craticulæ fuiſſent ad uſum vectium; quatuor jam vectes ad portandum altare & cratem, faciendos ſacri codices certè juſſiſſent: cum tamen nullibi quatuor, ſed duo tantum vectes ad uſum altaris ſtatuantur. Quamvis hos textus fatear eſſe perobſcuros; & quæ hic leguntur, quodammodo contraria, his quæ habentur in cap. 27. ejuſdem libri Exodi: ne igitur contraria videantur; cum re vera diverſa eſſe nequeant, niſi vel incuria Librariorum, aut aliorum vitio, ita explicarem hunc textum cap. 38. vel incipiendo verſum, & legendo hac ratione בָּתִּים לְבַדִּים וַיַּעַשׂ אֶת הַבַּדִּים עֲצֵי שִׁטִּים
C hoc eſt, *Domos vectibus, & fecit vectes de lignis ſetim*; & ſequatur agere de vectibus ad uſum altaris: vel lectio ſic ordinetur, וַיִּצֹק אַרְבַּע טַבָּעֹת בְּאַרְבַּע הַקְּצוֹת לְמִכְבַּר הַנְּחֹשֶׁת בָּתִּים לַבַּדִּים quæ ſic interpretantur, *Et fudit quatuor annulos in quatuor extremitatibus craticulæ æneæ, domos vectium:* & hic finis ſit verſus: nec illa habeantur ad immittendos vectes ad portandum. Itaque poſtremam partem illius verſus, nimirum *domus vectium*, poſitam in hebraico exemplari exiſtimamus; ad explicandam formam illorum annulorum, qui facti fuerant in ſummitate craticulæ; dicendo, quod illi annuli erant quales alii, qui fa-
D bricati fuerunt in altari ad immittendos vectes, quibus altare portaretur. Quamobrem locus allatus ſic interpretandus erit: *Et fudit quatuor annulos in quatuor extremitatibus craticulæ æneæ, ad inſtar circulorum, in quos vectes immittuntur.* Vel ſi legetur לַבַּדִּים כָּהֶם ſenſus erit, *Quemadmodum ad vectes:* ſunt enim plurimi hujuſmodi errores in Bibliis, ut perſpicuum eſt his, qui diverſitates lectionis noſtri vulgati ab hebraico exemplari obſervant.

Poſſet etiam dici; quod ſacer textus loquutus cum fuiſſet de forma reticuli, loqui incipiat jam de
E vectibus, & ait: *Ad immittendos vectes*; & ad portandum fuiſſe quidem factos annulos, non craticulæ, de qua jam loqui deſierat; ſed annulos altaris: explicans verò vectium formam & materiam, ait: *Quos & ipſos fecit de lignis Setim, & operuit laminis æneis, induxitque in circulos, qui in lateribus eminebant.* Itaque non dixerit ſacer textus, vectes illos factos fuiſſe ad portandam craticulam, aut immiſſos in annulos, qui erant in ſummitatibus craticulæ, ſed in lateres altaris fuiſſe immiſſos dixerit ex quibus ſanè conſtat nulla ratione affirmandum, vectes hos factos fuiſſe ad craticulam portandum.

Situm etiam iſtorum annulorum, & locum quem in altari habebant, dum eidem craticula inſerta fuiſ-
F ſet, cognoſcere non eſt facile; ratione diverſæ ætatis, quæ in textibus ſacris perſpicitur, cum de illis loquuntur: de his ita noſtri Codices Exo. 27. *Craticulamque in modum retis æneam, per cujus quatuor angulos erunt quatuor annuli ænei; quos pones ſubter arulam altaris.* Itaque apertè in hoc capitulo dicitur, ſub arula altaris, quæ כַּרְכֹּב *Carcob* hebraicè dicebatur, ponendos fore annulos, qui erant in ſummitatibus craticulæ: at cap. 38. ejuſdem libri dicitur: *Craticulamque ejus in modum retis fecit æneam, & ſubter eam*


in

in altaris medio arulam , fuſis quatuor annulis per totidem reticuli ſummitates. Itaque ſacer textus, qui cap. 27. Exodi jam citato , annulis reticuli , ſub arula locum aſcripſerat ; hic cap. 38. reticulo locum dare ſupra arulam videtur; & quia annuli dicuntur collocandi in ſummitatibus reticuli; ex conſequenti annuli, non quidem ſub arula, ſed ſupra arulam erunt complicandi: quamobrem contraria dixiſſe videntur, licet contraria non ſint, quæ ex oraculis habentur, ſed inveſtigare veritatem, & rectam illorum intelligentiam nobis relinquitur.

Ex hebraico igitur exemplari Interpretis noſtri, vera intelligentia petenda erit: illud autem ſic habet Exodi 38. וַיַּעַשׂ לַמִּזְבֵּחַ מִכְבָּר מַעֲשֵׂה רֶשֶׁת נְחֹשֶׁת תַּחַת כַּרְכֻּבּוֹ מִלְּמַטָּה עַד חֶצְיוֹ hoc eſt , *Et fecit altare cribrum opere retis æneæ ſub Carcob illius , deorſum uſque ad medium illius ,* ſupple altaris. Nam hujus cauſa dixerat factum fuiſſe illud cribrum : itaque conſtantiſſimè habent ſacra exemplaria ſub arula collocandam fuiſſe craticulam æneam: non autem arulam ſub craticulam. Si enim arula conſtitueretur intra altare ſub hac craticula, ut nonnullis cum Cajetano placebat , ad ignem ſuſtinendum , qui impoſitas hoſtias abſumeret ; quis ignem prohibuiſſet , ne intra concavum altaris vagaretur , aut ne calor & flamma extenderentur intra altare , atque ligneas tabulas depaſcerentur? non enim æneis laminis altare tegi interius , quemadmodum exterius jubebatur. Aut ſi pari ratione interius quoque tabulata ære tecta fuerunt ; igne accenſo in arula , ſub ærea craticula , calefactis æneis laminis , quæ ligneas altaris tabulas texiſſent , ipſas quoque tabulas lædi , & concremari neceſſe fuiſſet : nec aliquis prohibere potuiſſet, quominus ſaltem intra paucos dies, altare abſumeretur ; nam in eo altari ignis ex Dei

A præcepto ſemper ardebat : cum tamen ex ſacris conſtet litteris uſque ad tempora Salomonis , illud altare Moſaicum perveniſſe , in eoque mille hoſtias Regem obtuliſſe. Hujus altaris diſſolutio , cum nullibi in ſacris legatur litteris ; ulterius quoque fortè perduravit ; utque puto, uſquequo templum à Salomone conſtructum ſtetit , hoc quoque altare ſtetiſſe credibile eſt ; quouſque nimirum templum à Babyloniis dirutum ſcribitur.

Uſus denique craticulæ liquido ex dictis conſtat ; dum illius turbinatam , & in acutum deſinentem formam aperiremus. Remanet diſcutiendus uſus annulorum ejuſdem craticulæ , qui duplex , me judi-
B ce , erat ; nimirum ad ſuſtinendum cribrum , atque firmandum , ne aliqua ratione commoveretur huc , illucque nutaret ; Sacerdotibus in eo hoſtias imponentibus, ſtruemque lignorum componentibus. Annuli igitur iſti nequaquam immobiles erant , aut una cum ſummo circulo reticuli formati , ſed in eo minoribus fuſis circulis , in his annuli immiſſi exiſtebant , ut commoveri , & circumgyrari poſſent ; ſic enim ſub arula facillimè complicabantur ; & ſuperficiei altaris ære tecti complanabantur ; ſicut de his dicitur Exodi cap. 27. his verbis : *Craticulamque in modum retis æneam , per cujus quatuor angulos erunt quatuor annuli ænei ; quos pones ſubter arulam altaris.*
C Ut igitur firmius craticula altari inhæreret , aliquo inſtrumento , vel medio circulo æneo ibidem fortaſſe annuli firmabantur , atque complectebantur : qui etiam annuli , & craticula , ſuperpoſita arula , firmiores reddebantur. Hac craticulæ icone cum annulis , tam forma illius , quam annulorum in ea ſitus , & uſus commodiſſimè explicatur.




Alter annulorum uſus erat ; ad tollendam ab altari hanc cratem , ſi quando altare à cineribus , fuligine , & ab aliis ignium excrementis mundandum fuiſſet ; præſertim ab excrementis, quæ ex carnibus ſacrificiorum , craticulæ inhærere fortaſſe poterant. Quamobrem craticula hac de cauſa ab altari removenda cum foret , his annulis extrahebatur , & hac extracta tam ipſa, quam etiam altare à ſordibus purgabatur ; multoties verò id fieri neceſſe fuit , igne continuo in altari ardente , ac holocauſta ſero & mane concremante ; præter alia ſacrificia , quæ in Kalendis , Neomeniis , feſtis Iſraëliticis , & populo-


F rum devotione offerebantur. Fuligo enim eſt connaturale excrementum ignis ; & quamvis edax ignis omnia conſumere credatur ; ſua tamen ipſe condenſat , conſtipat , ac etiam nutrit excrementa ; ut nulla ratione negandum ſit intra concavum altaris , quamvis æreis tegeretur laminis , fuliginis multum inhæſiſſe , ut neceſſario non ſemel , ſed pluries mundandum fuiſſet ; quod remota craticula tantum fieri poterat ; ut hac medii altaris icone , quam hic cum craticula delineatam iterum damus , perſpicuum eſt.

Explicantur hac craticula & annulis , lunulæ , & fo-

folia quæ in extremis , aut circa medium altarium Gentilium conſpiciuntur in nummis : quorum foliorum , ac lunularum , quæ in ſuperiori plano altaris viſuntur , nemo antiquitatum ſtudioſus , nec uſum , nec nomina aperuit : illarum verò lunularum , ac foliorum uſum , eumdem cum annullorum altaris Moſaici fuiſſe conſtat : nimirum ad craticulam ferream , vel æneam in medio altaris ſitam , ſuſtinendam , tollendam , atque reponendam , in qua hoſtiæ cremabantur. Hoc planè demonſtrant folia,

A quæ in plano ſuperiori altaris numiſmatis Tiberii infra poſiti , ab uno extremo ad aliud explicata habentur ; reliquum altaris vacuum conſpicitur , ut in ejus vacuitate , ligna , animalium membra , & ignis arderent : ad eumdem uſum erant lunulæ ſemiplenæ, quæ in eodem plano , in numiſmate Neronis conſpiciuntur; ut hic apparet in nummo : qua ratione fortaſſe à Nonno in Dionyſ. lib. 44. verſ. 77. altare cornutum dicitur. Nummos hic delineatos dedimus.





C A P. LXXIII.

Inſtrumentorum in cultum altaris , formæ declarantur.

Ad loca Exodi cap. 27. *Facieſque in uſus ejus lebetes ad ſuſcipiendos cineres , & forcipes , atque fuſcinulas, & ignium receptacula , omnia vaſa ex ære fabricabis.* Ibid. cap. 38. *Et in uſus ejus paravit ex ære vaſa diverſa , lebetes , forcipes & fuſcinulas , uncinos , & ignium receptacula.* & ad alia.

EX ſacris utenſilibus in uſum ſacrificiorum , aliqua ad carnes coquendas in loco mundo , alia ad mactandas victimas faciebant , ut cultri ; alia ad excipiendum mactatæ victimæ ſanguinem erant; alia ad abluendas carnes , quæ in altari concremandæ fuiſſent ; alia denique in alios uſus , potius ad convivium ſacrificantium , quam ad Deum in altari colendum pertinebant. De his nihil ; ſed tantum de illis , quæ ad altaris uſum erant , & cum altari ſanguine expiabantur , oleoque conſecrabantur , nobis agendum erit. De craticula tamquam de principaliori inter enumerata inſtrumenta jam diximus , reliqua remanent conſideranda , de quibus ita Exodi 27. *Facieſque in uſus ejus lebetes ad ſuſcipiendos cineres , & forcipes , atque fuſcinulas , & ignium receptacula , omnia vaſa ex ære fabricabis.* Ubi verò ſermo eſt de vaſis factis à Beſeleel , & Oliab ad uſum altaris , uncini adduntur , ſic : *Et in uſus ejus paravit ex ære vaſa diverſa , lebetes , forcipes , fuſcinulas, uncinos , & ignium receptacula.* & cap. 4. Numer. in quo ſacrorum utenſilium onera inter Levitas diſtribuuntur , ſanctioraque Caathitis deſtinantur, & cum his altare holocauſti quoque recenſetur ; batilla inter utenſilia enumerantur , ac dicitur : *Sed & altare mundabunt cinere , & involvent illud purpureo veſti-*
D *mento , ponentque cum eo omnia vaſa , quibus in miniſterio ejus utuntur , ideſt ignium receptacula , fuſcinulas , ac tridentes , uncinos & batilla.* & 3. Regum 7. inter opera Hirami , vaſa ad uſum altaris recenſentur his verbis : *Fecit ergo Hiram lebetes , & ſcutras , & hamulas , & perfecit omne opus regis Salomonis in templo Domini :* & 2. Paralip. 4. de eadem fabrica eſt ſermo ſic : *Fecit autem Hiram lebetes , & creagras , & phialas , & complevit omne opus retis in domo Dei.* Itaque ex ſacris oraculis ad uſum altaris habentur ; Lebetes ad cineres , Forcipes , Batilla, Fuſcinulæ , Uncini , Hamulæ , & ignium Receptacula , Phialæ ; & ſi quæ alia in ſacris litteris recenſentur , æquo jure ad hæc revocantur : aliis etiam
E pluribus in locis , de ſacris inſtrumentis ſermo eſt ; verum iſta ſufficiant , ut his declaratis , reliqua facile intelligantur. Neque de materia erit aliquid conſcribendum , dum de altari holocauſtorum agitur ; hanc enim æs fuiſſe, ubique ſacra oracula prædicant.

Ne igitur ab ordine ſacri codicis recedamus , à lebetibus ſermonem exordiemur , qui in ſacro exemplari primam ſedem occupant ; lebetumque formam ac uſum in ſacro altari contemplabimur. Qui autem dicuntur à noſtro Interprete lebetes; ollæ in hebraico exemplari appellantur , in quo ſic legimus , וְעָשִׂיתָ
F סִּירֹתָיו לְדַשְּׁנוֹ hoc eſt, *Et facies ollas ejus ad excinerandum illud.* Similiter cap. 38. hæc eadem vaſa סירות *ſiroth* dicuntur. ſic etiam appellantur 2. Paralip. locis citatis , & alibi. Hoc autem nomine , ſignificari vas ad uſum foculi , Scriptores omnes , atque Interpretes fatentur : quin etiam hoc vocabulo , vaſa ad

ſa ad uſum balnei, imò & ipſum balneum, atque hypocauſton ipſum, apud Hieremiam ſignificari, jam in primo Myrothecio cap. 36. docuimus. Pariter igitur hoc loco ſignificari vas, cujus uſus eſſet, non quidem ad carnes coquendas, aut ad aliud miniſterium ſuper altare; ſed ad cineres excipiendas, quæ decidebant de craticula, ut in locum mundum aſportarentur, juxta Dei ſtatuta, perſpicuum eſt.

Græca exemplaria in eo cap. habent: *καὶ τὸν καλυπτῆρα αὐτοῦ, καὶ τὰς φιάλας αὐτοῦ, καὶ τὰς κρεάγρας αὐτοῦ, καὶ τὸ πυρεῖον αὐτοῦ, καὶ πάντα τὰ σκεύη αὐτοῦ ποιήσεις χαλκᾶ.* Quæ exemplaria lebetes prætermiſiſſe videntur, in altaris utenſilibus recenſendis; ſic enim locus ille interpretatur, ut retineamus Græcæ phraſis rigorem: *Et operimentum ejus, & phialas ejus, & creagras ejus, & ejus ignium receptacula, & omnia vaſa ejus facies ænea.* Et eadem vaſa habentur cap. 38. Exodi, & cap. 4. Numerorum; cum enim recenſentur onera Levitarum in depoſitione Tabernaculi, atque vaſa, quæ in miniſterium altaris & ſacrificiorum erant facta, in quibus ſacra peragebantur, dicitur: *καὶ ἐπιθήσουσιν ἐπ' αὐτὸ πάντα τὰ σκεύη αὐτοῦ, ὅσοις λειτουργοῦσιν ἐν αὐτοῖς, καὶ τὰ πυρεῖα, καὶ τὰς κρεάγρας, καὶ τὰς φιάλας, καὶ τὸν καλυπτῆρα, καὶ πάντα τὰ σκεύη τοῦ θυσιαστηρίου.* Hoc eſt, *Et imponent ſuper illud omnia vaſa illius, quibus miniſtrant in eis, & ignium receptacula, & creagras, & phialas, & operimentum, & omnia vaſa altaris.* Quid autem ſit hoc operimentum, quod *καλυπτῆρα* dicebatur à Græcis, ſupra jam explicavimus: quia verò in his enumerandis utenſilibus, tam in Græcis exemplaribus, quam etiam in Latinis, ordo perturbatus conſpicitur; eam ob rem enumerationis in his non erit attendendus ordo, ſed totius periodi ſenſus.

Lebetum igitur, aut ollarum tantum, quæ primo enumerantur, formam, ut infra oſtendere tentabimus. quorum vaſorum uſus, cum ad cineres removendas de altari eſſet; poſt facta ſacra; & alibi monſtraverimus, vaſa hæc ad uſum balneorum etiam fuiſſe; nos formam, attenta vi nominis hebraici in balneo retinentes, & ſolio vaſi lebetes ſimiles effingentes, formam illarum ad excinerandum altare, pag. 670. Fig. B. delineatam, aptiſſimam for ad uſum ſacri altaris exiſtimavimus.

Nam in ſacrificiis illis, cum hoſtiarum combuſtione fierent; cineres pariter à foculo deſcendere neceſſe fuit, quas in terram deſcendiſſe ex altari Moſaico, dicit Joſephus lib. 3. Antiquit. ut jam ſupra monſtravimus. Verum ut ab altari, ad locum mundum cineres deferrentur, vas aliquod neceſſe erat, quo transferri poſſent. His enim illuſtrantur, & aperiuntur portæ illæ, quæ in altaribus antiquiſſimis, tam in lapidibus, quam in numiſmatibus conſpiciuntur: quas portas habent altaria in fronte, & aliquando ſemiapertas; cujus uſum nullus antiquorum rituum ſtudioſus explicavit: quas tamen ad excinerandum altare fuiſſe conſtat. Aperiuntur jam portæ illæ, de quibus dicitur 2. Paral. cap. 4. *Fecit etiam atrium Sacerdotum, & baſilicam grandem, & oſtia in baſilica quæ texit ære.* Nam ut diximus ſupra cap. 49. baſilicæ nomine intelligitur ſubſtructio major; in qua erant portæ ad excinerandum altare. Lucidiora hæc fiunt lapidibus plurimis, qui Romæ conſpiciuntur, & nummis, pag. 671. Fig. C.

Secundo loco veniunt monſtranda tam cap. 27. Exodi, quam cap. 38. ejuſdem libri, ea vaſa quæ hebraicè dicuntur הַיָּעִים *hajanghim.* Certum enim eſt, hac dictione, emundatoria quædam ſignificari, quibus aliquid verritur, aut emundatur. Noſter Interpres videtur aliquando per forcipes, eam dictionem hebraicam convertiſſe: licet propriè hæ מַלְקָחַיִם *melqachaim* appellentur hebraicè: hæc enim inſtru-

A menta ſunt, quibus utimur ad ignes, & prunas hinc inde circumferendas, atque tollendas, ne manus lædantur. Uſum quidem forcipum fuiſſe in altari Moſaico affirmare neceſſe eſt; tum auctoritate Iſaiæ, qui forcipe Seraphim de altari carbonem ignitum abſtuliſſe dixit; tum etiam neceſſitate uſus: nam quotieſcumque thymiama in ſacrum Tabernaculum inferendum fuiſſet; toties prunas de altari ſumendas Deus in Levitico voluit: imò quia non eas Nadab & Abiu filii Aaron ſumpſere de altari, in quo igne ſacro, qui tunc primum de cœlo deſcenderat, holocauſta cremabantur; capite crimen luerunt. Quamobrem cum craticula, & foculus in quo carbones erant,
B intra altare deſcenderet; commodius ſanè ab his, prunæ ardentes forcipe tollebantur, quam batillo.

Scopas interpretati ſunt Arias Montanus, Pagninus, Hebræi, & hebraizantes omnes illam dictionem à radice יעה *janghah*, quæ *verrit* interpretatur: & quemadmodum jam primo enumeratum inſtrumentum, ad cineres de altari removendas reſpiciebat; ad eas nimirum, quæ ſub altari ex craticula decidebant colligendas; ita ea voce ſcopæ ſignificentur, ad tollendas de ſuperficie altaris cineres, quæ ex favillis decidentibus in ſuperius planum altaris, eidem inhærebant: ut lebetibus altare tam ſupra,
C quam intra excerneretur; cineresque extra caſtra in locum mundum ad hoc deſtinatum reponerentur. Cujus verò eſſent formæ hæc inſtrumenta, an ſcilicet alterius quam communes ſcopæ, non video.

Fortaſſe & quidem verius, me judice, hoc nomine batilla, ſive palæ ſignificantur; quibus cinis ex craticula introrſum delapſus colligeretur, ac in lebetibus reponeretur; ut in locum mundum, quocumque Deus juſſiſſet, juxta legis mandata exportaretur. Hunc autem fuiſſe uſum *hajanghim*, argumentum à materia ſumi debet. Dicuntur enim facienda ex ære, aut ex ænea materia; quæ quidem
D materia ad ſcopas componendas minus apta cenſetur: formam autem batilli magis commodam eſſe ad uſum altaris & ignis, qui in eo Dei juſſu jugiter ardebat, quam ſcoparum, liquido conſtat.

Alterum locum occupant inſtrumenta, quæ in hebraico dicuntur מִזְרָקוֹת *mizraqhot*, quæ à verbo זָרַק *zaraq*, formantur, quod propriè *aſpergere* ſignificat: quamobrem illa dictio *mizraqhot*, propriè ſignificat *vaſa ſparſoria*: non quidem inſtrumenta ad ſpargendum aliquem liquorem; ſed potius vaſa illa, in quibus ſanguis, vel alter liquidus humor colligebatur, in uſum aſperſionis. Quamobrem eam vocem *pelves*
E *ſparſoriæ* aliqui interpretantur. Hoc idem vaſorum genus noſter vulgatus ex Hieronymi correctione dixit *phialam.* Quod quidem vas inter poculorum genera numerari perſpicuum eſt ex Polluce lib. 10. cap. 19. Non quidem quodcumque poculi genus, eo nomine ſignificari nonnulli volunt; ſed quoddam poculorum genus reliquis capacius, atque ita dictum arbitrantur; quaſi *πιάλη κατ' ἀντιστοιχίαν· παρὰ τὸ πιεῖν ἅλις παρέχειν*: hoc eſt, *Ab eo quod affatim ad bibendum ſuppeditet.* Nec nos mentiri ſacra oracula permittunt, aut aliena ſunt ab hoc ſenſu; nam Amos 6. cap. contra opulentos, ac divites exclamat Propheta, dicens: *Bibentes vinum in phialis, & optimo*
F *unguento delibuti:* ubi pro phialis, in Hebræo eſt vox מִזְרָקִים. Inter ſacras quoque oblationes, Numinumque donaria, phialas recenſeri debere, auctor eſt Pollux lib. 1. cap. 1. num. 25.

Duplicem verò fuiſſe uſum hujus vaſis in ſacris Moſaicis arbitror: primum nimirum in excipiendo ſanguine mactatæ victimæ; quo ſanguine aſperſiones in altari ſuper ignem fiebant, circumcirca parie-

tes, atque altaris latera verſus Sanctuarium, & alibi, ſi quo aſperſionem ſanguinis fieri lex eſſet ex inſtitutis Leviticis: quamobrem capaciſſimum vas in eo intelligi oportet, quod jugulati tauri ſanguinem interdum excipere debuiſſet: & quia in ſacris, hæc aſperſio primam ſedem retinebat; propterea ab illa vaſis his aſcripto nomine מִזְרָקוֹת *mizraqhot* illa eadem dicebantur.

Alter uſus erat ad commixtionem olei, thuris, farinæ, adipis, & reliquorum, quæ in Dei cultum ſuper ignem in altari cremabantur; ac ſanguine ſacrificii commixta injiciebantur: de quibus omnibus in Levitico agitur, juxta diverſitatem ſacrificiorum & oblationis. Non enim illa quæ injicienda in altare Sacerdotis manu jubentur à Deo, abſque aliquo vaſe fieri poterant, quo ad altare illa deferri poſſent; quamobrem de vaſe aliquo cogitandum erit. Nam ſi ex Gentilium cæremoniis iſta expiſcari voluerimus; ita de his Orpheus, qui Moſaicas leges non ignoravit, in Argonaut. num 311. ſcribit:

καὶ τότε δὲ κραντῆρα βοῶν περιμυκέα ταῦρον
σφάζον ἀνακλίνας κεφαλὴν εἰς αἰθέρα δῖαν
ζωοτομῶν, περὶ δ' αἷμα πυρὶ χέον ἔνθα, καὶ ἔνθα.

Hoc eſt, ſi ad verbum interpretentur:

Tunc quoque mugitu præſtantem, & robore taurum;
Viventem, ad Superos dura cervice reflexa,
Occidi jugulans; ſanguinem autem circum ignem fudi huc & huc.

Et infra de commixtione viſcerum, adipis, ac reliquorum, quæ in ſacrificio veniebant, ait:

Αὐτὰρ ἐπεὶ κραδίην θραύσας ποπάνοισιν ἔθηκα,
λάψας ὑγρὸν ἔλαιον, ἐπ' αὐτῷ δὲ γλάγος ἀμνῆς.

Et infra ſubdit:

Θῆκα δ' ἄρ' ἐν μέσσῳ τεῦχος κυκεῶνος ἐρείσας,
ὀστράκεον, τῷ πάντα περιφραδέως ἐμέμικτο·
Δήμητρος μὲν πρῶτα φερέσβιος ἄλφιτον ἄκτη
αἷμα δ' ἐπὶ ταύροιο, θαλάσσης θ' ἁλμυρὸν ὕδορ.

Quæ carmina ſic ad verbum interpretantur; nulla carminum ſervata ratione, ſed ſenſus tantum, quo ſacra inſtituta aperiuntur.

Cæterum ubi comminutum cor placentis impoſui;
Tum fudi liquidum oleum; ſuper illud autem lac agnæ.

Et infra:

Conſtitui in medio pateram quam ferebam,
Fictilem, in qua omnia aptè commiſta erant,
Farra quidem, primum Cereris vitalia dona,
Tum præterea ſanguis taurinus, & maris ſalſa aqua.

Ex quo ritu ſacrificandi, commiſcendique libamina, & oblationes, quæ ſacris adhibebantur, Orpheo auctore, qui ſacra Moſaica ſtuduit; quam maxima, capaciaque hæc vaſa forent, non obſcurè colligitur. Quamobrem ſacra oracula pariter inter donaria, quæ obtulerunt Principes in cultum Tabernaculi, poſtquam conſecratum fuiſſet à Moyſe; hujus generis vaſa, quæ phialæ dicuntur, non ſolum recenſuerunt; ſed etiam pondus illarum aperuerunt. Itaque illo vocabulo, ſignificari genus poculi capacioris, veluti pateram Idolatrarum, in qua ſanguis mactatæ hoſtiæ reciperetur, certiſſimum arbitror: quo ſanguine tandem in conſecratione ſacrorum utenſilium, à Moyſe aſpergebatur tentorium, quo Tabernaculum claudebatur; labrum etiam, altare holocauſti, velum ante Arcam dependens, & quæcumque alia aſpergenda forent, tam in prima rerum expiatione atque conſecratione, quam poſtmodum in reliquis

A ſacris, atque expiationibus hoc ſanguine luſtrabantur. Alii meliora videant, & proferant.

Erat aliud genus inſtrumenti inter ea, quæ ad cultum altaris pertinent repoſiti; quod hebraicè appellatur מִזְלָגוֹת *mizlagoth*. Fuſcinam, & fuſcinulam auctores interpretantur; pro inſtrumento nimirum biſulcato, ſeu triſulcato, quo carnes capiuntur, atque etiam quo prunæ in foculo commoventur; tridentes alii interpretantur. Erat autem hoc veluti ſceptrum Neptuni; unde Cicero de natura Deorum ait: *Dant etiam Deo arcum, haſtam, clypeum, fuſcinam;* eo etiam retiarii in gladiatoriis ludis utebantur. Inde Juvenal. Satyr. 2. ait.

B

Vicerat hoc monſtrum tunicati fuſcina Gracchi.

Et Martial. lib. 1.


Fuſcina dente minax.

Et re vera talem fuiſſe formam, & uſum hujus inſtrumenti, probatum videtur, tum ratione, tum etiam vocabuli etymologia. Nam cum derivetur à radice זָלַג *zalagh*, quam vocem communiter interpretantur per *diffiſſus eſt, ſulcatus eſt, & triſulcatus eſt;* eo nomine intelligi poteſt; *una forcina di tre punte* Italicè dicemus. Et quidem illo vocabulo hebraico ſignificari fuſcinulam, probat apertè locus 1. Reg.
C cap. 2. in quo ſermo eſt de filiis Heli, & dicitur: *Porrò filii Heli, filii Belial, neſcientes Dominum, neque officium Sacerdotum ad populum: ſed quicumque immolaſſet victimam, veniebat puer Sacerdotis, dum coquerentur carnes, & habebat fuſcinulam tridentem in manu ſua & mittebat eam in lebetem, vel in caldariam, aut in ollam, ſive in cacabum, & omne quod levabat fuſcinula, tollebat Sacerdos ſibi.* In quo loco pro fuſcinula eſt dictio מַזְלֵג *mazlegh*. Fuiſſe verò fuſcinulam inſtrumentum ad ſacrificia, tum relatus locus, tum alia omnia, in quibus de hoc inſtrumento ſermo eſt in ſacris, apertè hoc probant.

Græci dixerunt hoc idem *creagra*, κρεάγρα ἀπὸ
D τοῦ κρέατος, quod eſt *caro*, & à verbo ἀγρεύω, quod eſt, *capio.* quamobrem ad carnes capiendas hoc inſtrumento utebantur coqui, carniumque venditores; ut teſtis eſt Pollux lib. 7. cap. 6. & alibi, non ſemel: quamobrem cum adeps incenderetur in altari, fuſcina fortaſſe illum imponere Sacerdos ſuper ignem conſueverat, ut adoleretur; propterea 1. Reg. cap. 2. ille qui ſacrificia obtulerat, puero carnes tollenti dicebat: *Incendatur primum juxta morem hodie adeps, & tolle tibi quantumcumque deſiderat anima tua.* At quamvis interpretetur מִזְלְגֵי *mizleghe* hebraicum, per vocem latinam *fuſcina*, apud græcos per vocem κρεάγρα, tamen neque Latina dictio, neque Græca, plenè
E exprimunt vim vocis hebraicæ; atque propterea ubi hæc habent מִזְלְגֵי *mizleghe*, illi indiguerunt explicatione, & ideò dixerunt, κρεάγρα τριόδους· Latini verò dixere, *Fuſcinulam tridentem.*

Adduntur inter inſtrumenta altaris à vulgato Uncini: non quidem quod in modum uncini hoc inſtrumentum eſſet, aut quod acumen trium linearum complicaretur, quia nequiviſſent carnes tolli; ſed dicuntur uncini, ipſæmet fuſcinulæ, ad majorem explicationem vocabuli; & quamvis fuſcinæ in altare ad uſum ignis minimè neceſſariæ videantur, craticula altaris, deorſum ad altaris medium intra illud deſcendente; & deſcendente craticula prunas quoque deſcendere, ac in unum congregari neceſſe
F eſſet; tamen illius uſus in altari, vel ignis de cauſa, negari poſſe non videtur ex cap. 28. lib. 1. Paralipom. num. 17. ubi legitur, feciſſe Salomonem fuſcinulas aureas. Hæ verò fuſcinulæ aureæ ad uſum carnium aut adipis deſervire non poterant; quia neque adeps, neque carnes in Tabernaculum ſanctum inferebantur. Utebantur igitur Sacerdotes fuſcinulis

nulis aureis ad miniſterium ignis in altari aureo, æneis verò in altari holocauſtorum, & ad carnes in igne reponendas: ad eaſdem quoque prunas volvendas fuſcinulæ æneæ, ſicut etiam aureæ pro igne componendo in altari thymiamatis erant; quamobrem nonnihil complicatæ in ſummitatibus, ut puto, viſebantur: qua ratione hamulæ fortaſſe aliquando apud noſtrum Interpretem dicuntur; ratione complicationis trium linearum, quæ in ſummitatibus fuſcinularum complicabantur, hujus, ut puto, figuræ.



Denique in ſacro textu, inter altaris holocauſtorum inſtrumenta veniunt, quæ dicuntur מחתות *machtoth*: ignium receptacula dixere Latini, ſicque interpretantur communiter Doctores prædictam vocem, quam thuribula interpretatus eſt D. Hieronymus. Alii dixere acerram, ut Arias Montanus, & alii recentiores: ſed male, quia, ut diximus ſupra, acerra erat arcula thuraria, in qua thus, & alii odores, ut thymiama apud Iſraëlitas conſervabantur; non verò vas in quo odores ſuffumigarentur: at thuribula, ſive מחתות *machtoth*, erant vaſa, in qua reponebantur carbones, & ut alibi diximus, ſuper his carbonibus, odores incendebantur, nidoris, odorisque gratia. Religionis cauſa in his etiam vaſculis conſueverant Sacerdotes in altari offerre Deo thus; eo tamen ordine, ut prius prunis in his thuribulis ſumptis, thureque in illis impoſito, ac fumigante, ſic Deo offerrent: ac denique oblatione facta, totum quod in thuribulo prunarum ac thuris remanebat, ſupra altare invergerent in igne, in quo jam impoſitæ hoſtiæ cremabantur. Horum igitur formam, eamdem arbitramur fuiſſe, cum thuribulis, quæ erant ad uſum thymiamatis; quam ſupra cap. 45. poſuimus ſic delineatam: illa aurea, hæc ad uſum altaris ænea erant.

Inſtrumenta hæc ad prunas fovendas fuiſſe, ex vi vocabuli conſtat: cum autem prunæ in altaris craticula foverentur, atque ſuſtentarentur; ad incenſum etiam vix horum inſtrumentorum, atque vaſorum aliquis eſſet uſus; ambigendum relinquitur, cur inter inſtrumenta altaris recenſeantur. Licet enim cum ſæviret Dominus in exercitum, Aaron juſſu Moyſis, vaſe iſto Domino thymiama adoleverit; & quando in ſeditione Core probandi fuerunt, qui Sacerdotium concupiebant; ænea thuribula ſeditioſi habuiſſe dicantur: hæc tamen à ſeditioſis tunc tantum parata fuiſſe videntur. Et quamvis Aaron ad placandum Numen iratum, thuribulum hujus generis ſumpſiſſe dicatur; non tamen aperuere ſacra oracula, aureumne, an argenteum illud thuribulum fuerit. Quamobrem adhuc ſub judice ambigendum relinquitur, cujus eſſet uſus hoc genus inſtrumenti in altari holocauſtorum. In qua difficultate breviter, præter ea quæ dixi, ſubinferendum putavi, eodem vocabulo inſtrumenta ærea ſignificari, quibus prunas tollere Sacerdotes de altari conſueverant, quoties cineribus, & prunis altare, & craticula fuiſſent mundanda; atque etiam quoties aliò aſportandum eſſet altare holocauſtorum, una cum Tabernaculo, & reliquis ſacris utenſilibus; in quibus inſtrumentis veluti in quibuſdam conchis prunæ fortaſſe reponebantur, ut arbitror, & per viam intra cineres claudebantur ne extinguerentur. Interdum enim per triduum, exercitum nullibi conſtitiſſe, in ſacris oraculis ſcribitur: quamobrem toto illo triduo, prunæ ſancti ignis, qui de cœlo deſcenderat, deferendæ fuerunt. Cum igitur ignis ſanctus per viam deferendus fuiſſet, atque curandum, ne aliqua ratione extingueretur; totoque illo tempore ſacris nulla daretur opera; ſanctis cineribus ignis fovendus neceſſario fuit; ne quem Deus lege ſua nutriendum caverat, Iſraëlitarum negligentia innutritus deficeret. Dicendum eſt itaque conſueviſſe Iſraëlitas in deponendo altari holocauſtorum, ſacrum ignem, cineribus tectum in aliquibus conchis ferreis, vel æneis reponere, quibus ignis incluſus conſervaretur; ſicque concluſum, fortaſſe etiam intra aliquam arcam vaſe repoſito, eò, ubi erigendum fuiſſet altare, illum transferre. Hæc verò vaſa hebraicè מחתות appellata: hoc idem inſtrumentum Græci dixere πυρεῖον, ideſt foculum, quia nimirum hoc vaſe ignis fovebatur; cujus formam ea ratione qua ſuſpicamur, hic ſuperius delineandam curavimus.

CAP. LXXIV.

Quo tempore Tabernaculum, Altare, & Sacerdotes conſecrati fuerint.

Ad loca Exodi 29. *Mundabisque altare cum immolaveris expiationis hoſtiam, & unges illud in ſanctificationem: ſeptem diebus expiabis altare, & ſanctificabis, & erit Sanctum Sanctorum.* Numer. 7. *Factum eſt autem in die qua complevit Moyſes Tabernaculum, & erexit illud, unxitque, & ſanctificavit cum omnibus vaſis ſuis, altare ſimiliter, & omnia vaſa ejus. Obtulerunt Principes Iſraël & præfecti familiarum, qui erant per ſingulas Tribus, præfectique eorum, qui numerati fuerant, munera coram Domino.* & ad alia plura.

VIDEBATUR minimè ad rem pertinere, temporis indagare ordinem, in quo ſacri hujus unguenti uſus, in populo Iſraëlitico haberi cœpit; quia tamen ab ejus inquiſitione multa recondita in ſacris oraculis aperiuntur; & rei noſtræ quammaximè conducit; propterea ab ejus inquiſitione abſtinendum minimè putavimus. Et licet jam ſupra cap. 32. quo tempore cœperit uſus ſacri unguenti Conſecrationis, viſum à nobis fuerit; nunc tamen quæritur, an ſimul Tabernaculum, altaria, & utenſilia religionis cum Sacerdotibus conſecrarentur; an verò primum illa per ſeptem dies, poſtmodum Sacerdotes poſterioribus ſeptem diebus, oleo inungerentur: quamlibet enim Conſecrationem, ſeptem dierum ſpatio abſolvi, ſæpè jam diximus.

Conſecrata itaque Tabernaculum, & Altare, cum reliquis utenſilibus, ſeorſum à conſecratione Sacerdotum; primum affirmari non poſſe videtur: & re vera id negat Torniellus ſub anno mundi 2545. num. 2. fultus etiam auctoritate Abulenſis cap. 1. Levitici, quæſt. 8. & cap. 9. quæſt. 1. qui affirmat prima die anni ſecundi, coram omni multitudine, cœpiſſe Moyſen ſolemniter celebrare conſecrationem altaris holocauſti, & ſimul Aaronis, ac filiorum ejus in Sacerdotes Domini. Quæ ſententia videtur habere fundamentum in ſacris oraculis; quia juxta præceptum Domini, quod habetur cap. 40. Exodi, illa omnia ſimul conſecranda videntur. Nam menſe primo ſequentis anni ab exitu filiorum Iſraël ab Ægypto, prima die menſis Tabernaculum fuit erectum, decima quinta verò ejuſdem celebratum fuit Phaſe, nimirum Paſcha, ut habetur cap. 9. Numeri: quod ſolemniſſimum feſtum haberi incongruum videbatur, nondum Sacerdotibus conſecratis; qui ſacra peragerent in Tabernaculo, & Deo oblationes conſuetas Paſchales in altari concremarent. Nam dies octava conſecrationis, fuit ſolemne feſtum, atque per continuatos duodecim dies immediatè ſubſequentes, ut putat Abulenſis, Principes Tribuum, ſinguli ſuas oblationes ad Tabernaculum attulerunt: hi autem Patriarchæ ſuas oblationes & munera, nec non & ſacrificia offerre cœperunt; cum Moyſes Tabernaculi conſecrationem conſummaſſet, ut videtur haberi cap. 7. Numer. in his: *Factum eſt autem in die qua complevit Moyſes Tabernaculum: & erexit illud, unxitque, & ſanctificavit, cum omnibus vaſis ſuis, altare ſimiliter, & omnia vaſa ejus. Obtulerunt Principes Iſraël, & præfecti familiarum, qui erant per ſingulas Tribus, præfectique eorum qui numerati fuerant, munera coram Domino, &c.*

Ne verò aliquis ſuſpicari poſſet ex allato textu; nequaquam aperte colligi, Principes Tribuum ſacrificia, ac munera, offerre cœpiſſe, abſoluta jam Tabernaculi conſecratione, ſed tantum ex textu haberi, propria munera illos obtuliſſe poſt erectum Tabernaculum; quod prima die menſis anni ſecundi erectum conſtat; altera itaque die, nimirum ſecunda ejuſdem menſis, Patriarchæ ſua offerre munera inchoare potuerunt; dum adhuc Tabernaculum conſecraretur: ſic enim oblationes abſolverentur, antequam Paſchalis celebritas cœpiſſet; atque ita nullum impedimentum Patriarchæ attuliſſe cenſerentur Paſchali celebritati: quæ, ut conſtat, decimaquarta ejuſdem menſis ad veſperam ſuum ſumebat exordium.

His certè occurrit ſacer textus, in quo Spiritus ſanctus non ſolum docet, oblationes Principum cœpiſſe, poſtquam Tabernaculum erectum fuiſſet; ſed addidit: *Et erexit illud, unxitque, & ſanctificavit cum omnibus vaſis ſuis.* Itaque abſoluta rerum ſacrarum conſecratione, Patriarchæ munera ſua offerre cœperunt. Et quidem clarius hoc apparet, ſi vim

A hebraici textus in declarationem noſtri vulgati diligenter perpenderimus cap. 7. Num. ſic enim ibi legere licet וַיְהִי בְּיוֹם כַּלּוֹת מֹשֶׁה לְהָקִים *vahihi bejom calloth moſcheh lehaqim*, id eſt, *Et fuit in die finiendi Moyſi ad erigendum*; ſive *ad conſecrandum*, ut ſupra cap. 32. declaravimus. Itaque non in ipſo die erectionis, ſed diebus erectionis jam abſolutis, & poſtquam perfecta fuit erectio Tabernaculi, quæ complebatur cum conſecrabatur; tunc, & non antea, Principum etiam oblatio exorſa eſt. Quod etiam Vatablus optimè expoſuit, dicens in cap. citato, in interpretatione illorum verborum: *Factum eſt autem eo die, cum abſolviſſet Moyſes Tabernaculi erectionem,* B *unxiſſetque ipſum, conſecraſſetque ipſum, & cuncta vaſa ejus; aram quoque & univerſa inſtrumenta ejus: cum talia inquam unxiſſet & conſecraſſet,* inquit Vatablus, *cœperunt Principes Iſraëlis ſuas offerre oblationes & munera.* Sed de his poſtmodum; nunc ad tempus conſecrationis.

Erit enim qui fortaſſe arbitretur, Principes atque Patriarchas duodecim Tribuum, ſtatim poſt Tabernaculi, & Sacerdotum conſecrationem, donaria ſuarum Tribuum offerre cœpiſſe; quia dicitur in cap. 7. Num. poſt Tabernaculi, & altaris completam conſecrationem cœpiſſe Principes ſua offerre munera: C ſigillatimque meminit ſacer textus conſecrationis Tabernaculi atque altaris, nulla facta mentione Sacerdotum; qui ſi diverſo tempore à Tabernaculo & altari conſecrati fuiſſent; utique aliquo modo ſacer textus hoc indigitaſſet. Simul igitur eodemque tempore conſecratos Sacerdotes, Tabernaculum, Altare, & reliqua ſacrorum utenſilia conſecrata fuiſſe, ex communi ſententia affirmandum videtur.

Noſter igitur ſenſus contraria omnino graditur via: pro certo enim affirmamus, primis ſeptem diebus prioris menſis, anni ſecundi ab exitu ab Ægypto filiorum Iſraël, Tabernaculum cum his, quæ in eo D reponebantur, & altare cum ſuis utenſilibus conſecrata fuiſſe, ut alibi diximus: poſtmodum per alios ſeptem ſubſequentes dies, Sacerdotes conſecratos. Argumenta in Scripturis ſacris, pro nobis ſunt, quod prius conſecrationis Tabernaculi, altaris, & utenſilium ſacri textus meminerint; deinde Pontificiæ conſecrationis, & reliquorum minorum Sacerdotum. Sic enim legitur Exodi 40. *Et aſſumpto unctionis oleo unges Tabernaculum cum vaſis ſuis, ut ſanctificentur: altare holocauſti & omnia vaſa ejus: labrum cum baſi ſua: omnia unctionis oleo conſecrabis, ut ſint Sancta Sanctorum:* hæc de conſecratione Tabernaculi, & utenſilium inanimatorum, quæ ad Dei cultum per- E tinebant. Statimque textus ſequitur de vaſis animatis, nimirum de Sacerdotibus, dicens: *Applicabiſque Aaron & filios ejus ad fores Tabernaculi teſtimonii, & lotos aqua indues ſanctis veſtibus, ut miniſtrent mihi, & unctio eorum in ſacerdotium ſempiternum proficiat.* Ritus vero conſecrandi ſacerdotes, jam ſupra cap. 29. & infra Levit. 8. traditi fuere à Deo. Itaque prius Tabernaculum, & reliqua fuere conſecrata, poſtmodum Sacerdotes. Exodi quoque cap. 20. in quo traditur ritus ſacerdotalis conſecrationis; poſtquam de Sacerdotibus ſacer textus loquutus eſt; altaris conſecrationem ſubinferens, ait: *Et vitulum pro peccato offeres per ſingulos dies ad expiandum. Mundabiſque altare cum immolaveris expiationis hoſtiam, & unges illud in ſanctificationem.* In quibus verbis ob- F ſervare neceſſe eſt; vitulum hunc non pro Sacerdotibus oblatum, ac immolatum fuiſſe, quorum conſecrationis ritus illis verbis abſolvuntur: *Septem diebus conſecrabis manus eorum:* quæ verba ſtatim, ac dicta ſunt; ſermo eſt de altaris conſecratione, & quæ ſupra retulimus, afferuntur. Similiter cap. 30. Exodi, in quo de compoſitione & uſu unguenti ſancti

cti ſermo eſt, dicitur: *Facieſque unctionis oleum ſanctum, unguentum compoſitum opere unguentarii, & unges ex eo Tabernaculum teſtimonii, & arcam teſtamenti, menſamque cum vaſis ſuis, candelabrum, & utenſilia ejus, altaria thymiamatis, & holocauſti, & univerſam ſupellectilem quæ ad cultum eorum pertinet. Sanctificabiſque omnia, & erunt Sancta Sanctorum: qui tetigerit ea, ſanctificabitur.* His dictis, ſtatim quaſi de alia conſecratione ſacer textus ageret, ſubdit: *Aaron & filios ejus unges, ſanctificabiſque eos, ut ſacerdotio fungantur mihi.* Itaque in omnibus his ſacris textibus, Tabernaculi, & utenſilium conſecratio, à Sacerdotali ſecernitur. Et quamvis textus Levit. 8. videatur innuere ſimul & eodem tempore Sacerdotes, ac reliqua ſacrorum utenſilia conſecrata fuiſſe, quia dicitur: *Tulit & unctionis oleum, quo linivit Tabernaculum cum omni ſupellectili ſua. Cumque ſanctificans aſperſiſſet altare ſeptem vicibus, unxit illud & omnia vaſa ejus, labrumque cum baſi ſua ſanctificavit oleo. Quod fundens ſuper caput Aaron, unxit eum; & conſecravit: filios quoque ejus, &c.* tamen hic textus, ſi hebraica phraſis attendatur, à qua interpres vulgatus non receſſit; imò voluit in ea, cunctorum quæ dicit, requiri ſenſus ac intelligentiam; diviſionem conſecrationis indigitare, in ſua phraſi hebraica patebit, ſic enim legimus: וַיִּקַּח מֹשֶׁה אֶת־שֶׁמֶן הַמִּשְׁחָה וַיִּמְשַׁח אֶת־הַמִּשְׁכָּן וְאֶת־כָּל־אֲשֶׁר־בּוֹ וַיְקַדֵּשׁ אֹתָם׃ וַיַּז מִמֶּנּוּ עַל־הַמִּזְבֵּחַ שֶׁבַע פְּעָמִים וַיִּמְשַׁח אֶת־הַמִּזְבֵּחַ וְאֶת־כָּל־כֵּלָיו וְאֶת־הַכִּיֹּר וְאֶת־כַּנּוֹ לְקַדְּשָׁם וַיִּצֹק מִשֶּׁמֶן הַמִּשְׁחָה עַל־רֹאשׁ אַהֲרֹן hoc eſt, *Et accepit Moyſes oleum unctionis, & unxit Tabernaculum, & omne quod in illo, & conſecravit illa, & aſperſit de illo ſuper altare ſeptem vicibus, & unxit altare, & omnia vaſa illius, & labrum, & baſim illius ad conſecrandum illa, & fudit de oleo unctionis ſuper caput Aaron, &c.* Non igitur hoc textu innuitur eodem tempore conſecratum fuiſſe Aaron, & Tabernaculum, ſed tantum eodem oleo. Propterea prius retulit ſacer textus; quid conſecratum fuerit cum illo oleo, & quam diverſa ratione uncta fuerint vaſa: deinde eodem oleo unctum fuiſſe Aaronem ſcribit. Sed argumentum præcipuum ſumitur pro noſtra ſententia; quod in conſecratione Aaronis, & reliquorum Sacerdotum filiorum ejus, tres hoſtiæ offerebantur Domino; nimirum pro peccato illorum erat prima, holocauſtum erat altera, demum hoſtia pacificorum. Hujus poſtremæ inteſtina, & aliquæ partes Domino ſuper altare cremabantur; reliqua cedebant in cibum ipſorum, qui conſecrabantur: de hoſtia pro peccato Sacerdotum adipes cremabantur in altari; holocauſtum verò totum in altari conſumebatur. quæ tria genera hoſtiarum in conſecratione Sacerdotum mactata leguntur cap. 8. Levit. Sed in altari nondum conſecrato, antequam ſeptem dies Conſecrationis illius abſolverentur, nefas erat ſacra facere, ignemque ſuper illud, hoſtiarum cauſa accendere: quamobrem Exo. 29. num. 36. prius agitur de conſecratione altaris, & poſtmodum expletis ſeptem diebus conſecrationis illius, de ſacrificio holocauſtorum agitur; quod altari jam conſecrato Deus jugiter in illo cremari volebat. Nam etiam cap. 16. Levit. num. 18. in die expiationis mactato vitulo pro omnium expiatione dicitur: *Et poſtquam egreſſus*, ſupple Sacerdos, *obtulerit holocauſtum ſuum, ac plebis, rogabit tam pro ſe, quam pro populo, & adipem qui oblatus eſt pro peccatis, adolebit ſuper altare.* Eſt autem adolere in Scriptura ſacra, idem quod facere odorari, id eſt cremare in odorem, & honorem Dei. Et lib. 1. Eſdræ cap. 3. primo dicitur ædificatum altare, ut offerrent in eo holocauſta; & poſtmodum illos obtuliſſe holocauſtum juge ſcribitur; & cap. 43. Ezech. ubi ritus Conſecrationis altaris deſcribitur; numquam Propheta meminit holocauſti, aut ſacrificii toto tempore expiationis altaris, ſed tantum ho-

A ſtiarum pro peccato. Tandem concludit Numer. 26. *Septem diebus expiabunt altare, & mundabunt illud, & implebunt manum ejus*: id eſt conſecrabunt illud, ut alibi declaravimus. Et ſtatim: *Expletis autem diebus, in die octava, & ultra, facient Sacerdotes ſuper altare holocauſta veſtra, & quæ pro pace offerunt.* Cum igitur in Sacerdotum conſecratione, ex Dei inſtituto, holocauſta, ſacraque alia facienda forent in altari, ut dicitur Exodi 29. & Levitici 8. perſpicuum eſt igitur Sacerdotum conſecrationem ſubſecutam fuiſſe altaris conſecrationem, quæ requirebat ſeptem dierum ſpatium; & in his prioribus primi menſis diebus conſecratum altare; deinde in
B aliis ſubſequentibus Sacerdotes unctos, & ad ſacra miniſteria admiſſos.

Obſervanda eſt etiam ſacrorum oraculorum phraſis ſacrificiorum, nimirum hæc vocabula: Sacrificium, Holocauſtum, Sacrificium pro peccato, Pacifica, Oblatio, ſive Donum, ſeu Munus, & ſimilia, quæ aliquando uno, interdum alio proferuntur vocabulo Latino; cum tamen hebraicè ſuis propriis vocabulis explicentur. Linguæ igitur ſanctæ proprietas in his obſervanda eſt; quia quamvis apud Latinos permutentur vocabula, interpreſque interdum uno, interdum alio utatur, quia latinè ſunt quodammodo ejuſdem
C ſignificationis; tamen apud Hebræos firmiter retinentur vocabula, quæ ſunt propria miniſterii, quod ſignificari intenditur: quamobrem ab illorum proprietate recedere, numquam Latinus Interpres ſtuduit; ſed uſus his vocibus eſt, quibus Latinè potuit; quarum ſignificationis proprietas in Interprete, ex hebraica voce petenda eſt.

Diſtinctè igitur ut procedatur, obſervandum erit, duobus vocibus genericè ſignificari conſueviſſe, quicquid Deo offerebatur: nimirum קָרְבָּן *qorban*, & מִנְחָה *minchah*: priori ſignificantur hoſtiæ, quæ Deo ex animalibus offerebantur; poſteriori verò quicquid aliud ex farina, cum oleo, aut odoribus, Deo ex
D populi devotione offerebatur. Noſter verò interpres uſus eſt voce *ſacrificium*, interdum ad hoſtias ex viventibus, interdum etiam ad oblationes farinaceas ſignificandas, licet זֶבַח *zabhach*, quæ vox proprie ſignificat *jugulavit*, de ſolis animantibus dicatur; & paſſim à noſtro Interprete per vocem ſacrificium reddatur; quæ communis eſt tam animatis, quam inanimatis. Sed ſub vocabulo קָרְבָּן tria genera ſacrificiorum comprehenduntur: nimirum חַטָּאה *chatah*, id eſt peccatum, & dicitur peccatum illud ſacrificium, quod pro peccato offertur: עֹלָה *ngholah*, id eſt holocauſtum, & dicebatur holocauſtum, ea voce quæ ſignificat aſcenſionem, quia tota victima ſu-
E per ignem altaris ponebatur, ac cremabatur: tertium denique genus ſacrificii animati dicebatur שְׁלָמִים *ſcelamim*, hoc eſt pacificorum; quia in eo victoria ex hoſtibus tam internis, quàm externis rogabatur; etiamque pro gratiarum actione ſacrificium hoc Deo offerebatur.

His obſervatis in ſignificatione illarum vocum, ſcire eſt operæ pretium; quod unicuique horum ſacrificiorum generi, determinatæ erant oblationes, ac propria uniuſcujuſque libamina; ut ſæpè in libris ſacræ legis videre licet. Dum verò conſecraretur altare, neque oblationes, neque libamina oblata fuiſſe, aut offerri debuiſſe legimus: cum tamen in con-
F ſecratione Sacerdotum has oblationes, & hæc libamina offerenda præcipiantur cap. 8. Levitici, & alibi cap. 29. Exodi. Igitur altare & Sacerdotes cum Tabernaculo, ſimul conſecrari non poterant; ſed Sacerdotes, expletis ſeptem diebus conſecrationis altaris, ipſi quoque conſecrati fuerunt.

Dies igitur octava menſis, non illa fuit; in qua dicitur ignem de cœlo deſcendiſſe: ſed menſis octava, conſecrationis Tabernaculi, & omnium quæ in

eo repoſita fuerant octava fuit; cum utenſilibus illorum, atque etiam altaris, æneique labri, in quò aqua aſſervabatur in ablutionem Sacerdotum. Hæc autem dies octava primi menſis, & conſecrationis Tabernaculi, prima conſecrationis Sacerdotum fuit; ita ut quartadecima menſis fuerit ultima conſecrationis Sacerdotum: ejuſdem verò menſis decimaquinta, quæ erat prima azymorum, atque ſolemniſſima, duplici ſolemnitate celeberrima fuit: nimirum azymorum, quorum prima feſtiviſſima, ex lege celebrabatur; & octava etiam totius ſolemnitas, & conſecrationis omnium fuit, quæ in Dei cultum mancipabantur.

Nec deſunt ſacrarum Scripturarum loca; quibus noſtra conjectura duplicis conſecrationis, quoquomodo juvetur; in quibus octava nequaquam ordine numerali appellatur, ſed quæ omnium conſecrationum erat terminus. Locus habetur lib. 2. Paralip. cap. 29. in quo ſub Rege Ezechia, ſacrum Templum à Salomone ædificatum, impuritatibus, atque idololatriis Achazi prophanatum, reconſecrandum erat: ſed antequam de illo conſecrando agerent Sacerdotes, de illius emundatione, ſive de luſtratione tractandum, optimum cenſuerunt. Hæc autem luſtratio prima die menſis cœpit, & in die octava, tamquam ſolemniori, luſtratio jam, ac purgatio cum completa eſſet, Sacerdotes uſi ſunt atrio ejuſdem Templi Domini, & cœperunt conſecrationem Templi. Sic enim dicitur: *Cœperunt autem prima die menſis primi mundare:* deinde loquitur textus de conſecratione ejuſdem, dicens: *Et in die octavo ejuſdem menſis, ingreſſi ſunt porticum Templi Domini, expiaveruntque Templum diebus octo.*

Ut autem ſacra oracula intelligantur, meminiſſe oportet, Templum Domini appellari totum ædificium, hebraicè הֵיכָל *hechal*, & ſanctior pars totius ædificii, quæ latinè dicitur *Domus Domini*, hebraicè appellatur בֵּית יְהוָה *beth Adonai.* Quibus obſervatis dictionibus, ſciendum eſt; quod antequam compleretur ſanctificatio ſanctiorum omnium utenſilium, quæ ad Dei cultum pertinebant; illa ipſa utenſilia in atrio à Sacerdotibus poſita fuere, coram holocauſti altari, ut in ſacro ſcribitur textu, ab omnibus, & à Rege ipſo conſpicienda: ex eo igitur textu apertè colligitur, nonam menſis, fuiſſe primam Templi conſecrationis: nam decimaſexta ejuſdem menſis fuit ſolemniſſima; tuncque cœperunt ſuper altare ſanguinem effundere, hoſtiaſque cremare; ſic enim dicitur: *Et in die ſextadecima ejuſdem menſis, quod cœperant, impleverunt.* Si verò dixerimus decima ſexta, oblata fuiſſe ſacrificia pro populo, prout ibi ſcribitur; dicemus quintamdecimam fuiſſe octavam conſecrationis, & in altari jam conſecrato, ea ſolum ſacrificia oblata atque combuſta, quæ octavæ conſecrationis debebantur: decimaſexta verò quæ Regi, & populo debita erant. Verum hæc parum noſtra interſunt. Sufficit probaſſe dies luſtricos, de quibus jam cap. 31. egimus, diſtingui à diebus conſecrationis: multoque rationabilius inter conſecrationem Tabernaculi & Sacerdotum, diſtinguendum fuiſſe tempore Moyſis; decimamque ſextam menſis, vel decimamquintam, octavam conſecrationis appellari poſſe, nec id ſacris Scripturis repugnare.

Nec quemquam turbent dies azymorum: quia re vera quartadecima die ad veſperam, quando comedebatur Paſcha, abſoluta jam, atque completa erat conſecratio Sacerdotum. Nam ſi primam menſis, dixerimus fuiſſe primam conſecrationis Tabernaculi; & nonam menſis primam conſecrationis Sacerdotum; jm ergo decimaquarta ad veſperam, quando azyma exordiebatur, Sacerdos liberè ab atrio ſancto potuiſſet domum proficiſci, ibique comedere Paſcha: ſed licet nondum completa fuiſſet conſecra-

A tio, intra atrium licuiſſet eis comedere azyma paſchalia: non enim lex locum comeſtionis agni paſchalis deſignabat, ſed tantum unumquemque mactare victimam paſchalem jubebat; utque de agno paſchali à ſe mactato, aut à vicino, debito tempore comederetur, ſive domi, ſive foris lex præcipiebat: dummodo quis liber à legalibus immunditiis eſſet. Imo credibile eſt Sacerdotes, & præſertim Pontifices quotannis paſchalia azyma in domo Domini comediſſe, in loco ſancto, & mundo; quamobrem quod tempore conſecrationis arcerentur Sacerdotes ab eſu agni paſchalis, ne veſtigium quidem in ſacris B habetur Litteris. Solemnitas etiam paſchalis, quæ habebatur decimaquinta illius menſis, noſtrum intentum maximè comprobat: nam Moyſem feſtum eo die indixiſſe conſtat, tum ex Joſepho lib. 3. Antiquitat. tum ex ſacris oraculis: igitur octavam diem conſecrationis Sacerdotum, quintamdecimam menſis fuiſſe affirmamus, in qua ignis de cœlo deſcendit. Octava verò dicitur, non quod eſſet octava menſis, ſed quia erat ultima totius ſolemnitatis & conſecrationis tam Sacerdotum, quam altarium, & Tabernaculi.

Quamvis igitur locus ſacræ Scripturæ Levit. 9. dicat: *Facto autem octavo die, &c.* & in eo deſcenſus ignis cœleſtis habeatur; facile tamen reſponderi poteſt, C quod ſenſus ſit, tranſacto die octavo; non verò quod in ipſa octava die illud acciderit, vel ignis deſcenſum admittamus in octava die. Quod autem nomine diei octavæ intelligi debeat decimaquinta, totius ſolemnitatis terminus; eſt locus alter hujus phraſis ſingulariſſimus cap. 8. lib. 3. Reg. in conſecratione Templi Salomonii, quod fuit dedicatum menſe ſeptimo, inſtante feſto Tabernaculorum, & dicitur num. 64. *Fecit ergo Salomon in tempore illo feſtivitatem celebrem, & omnis Iſraël cum eo, multitudo magna ab introitu Emath, uſque ad rivum Aegypti coram Domino Deo noſtro ſeptem diebus, & ſeptem diebus, id eſt quatuordecim diebus, & in die* D *octavo dimiſit populos.* Ecce ſacri textus locus, in quo dies ſolemniſſima, & terminus totius ſolemnitatis conſecrationis, octava dicitur: quemadmodum in ſolemnitate conſecrationis Sacerdotum, Tabernaculi, Altaris, & aliorum contigiſſe dicebamus.

Nec admittenda eſt illorum Scriptorum ſententia; qui cum Torniello ex auctoritate Abulenſis, & aliorum putant; octava die primi menſis, Sacerdotes cœpiſſe miniſtrare in Tabernaculo Domini, juxta præſcriptum Moyſis: ſed juxta ea, quæ de illorum conſecratione diximus, affirmandum erit; munia nimirum ſacerdotalia, Sacerdotes cœpiſſe obire E decimaquinta, ut diximus, ejuſdem menſis: atque poſt ſacrorum utenſilium conſecrationem, Tabernaculi nimirum, atque Sacerdotum, celebratos fuiſſe dies azymorum, ſicque in reliquis ejuſdem primi menſis diebus, Levitas fuiſſe à reliquo populo ſegregatos, ac ſub præfectura Aaronis, filiorumque illius conſcriptos; non ſolum ut onera ſacra curarent, ſed etiam ut excubias agerent Tabernaculi Dei, veluti Tabernaculum ſummi Imperatoris in exercitu ſtiparent, ac ſervarent.

In cujus verbi ſignificatione lapſus eſt Abulenſis, & alii. Cum enim cap. 8. Levit. in quo agitur de conſecratione Sacerdotum, dicatur: *De oſtio quoque* F *Tabernaculi non exibitis ſeptem diebus, uſque ad diem quo complebitur tempus conſecrationis veſtræ*, in quæſt. 13. in cap. 8. Levit. quærit an licitum eſſet Sacerdotibus toto illo tempore, exire ad levandum onera naturæ; in qua dubitatione ubi probavit, quantum haberet ſecum immunditiæ egeſtio excrementorum, ait: *Sed reſpondendum eſt Sacerdotes habuiſſe in Sanctuario vaſa hujus immundi miniſterii, in quibus recipi poſſe-*

poterant ſordes eorum, & efferri extra caſtra. Sed ſi vim verborum attendiſſet, quæ ſubinferuntur, cum dicitur: *Die, ac nocte manebitis in Tabernaculo, obſervantes cuſtodias Domini ne moriamini:* cognoviſſet profecto vir doctiſſimus, obſervare cuſtodiam alicujus, & excubare, verba eſſe militaria, quæ horarias militum ſtationes explicant; quæ in hebraico textu per dictionem מִשְׁמְרוֹת *miſmaroth* explicantur, à verbo שָׁמַר *ſchiamar*, quod interpretatur *ſervavit*, derivatam. Quæ quidem excubiæ, atque ſtationes militares, licet nunquam intermittantur, & die, noctuque teneantur; per horas tamen militibus decernuntur, ut in cuſtodiam Principis deſtinatis ſibi horis invigilent; in reliquis verò unicuique liberum ſit, propriis vacare curis. Mandatum igitur de non diſcedendo de Tabernaculo toto conſecrationis tempore, ea ratione Moyſes præcepit Aaron & quatuor ejus filiis, ut obſervarent cuſtodias Domini; nimirum ut militum more, ſtationes horarias in Tabernaculo Domini haberent. Non tamen propterea, quin ad levandum onera naturæ abirent de Tabernaculo, illis vetabatur; non enim noctu toto illo tempore vigilabant; ſed noctu militares vigilias, eo ordine ſervabant; ut dum aliqui vigilarent, alii ex ipſis ſomnum caperent. Quas militares cuſtodias, divinique exercitus rationem ſi advertiſſet Abulenſis, nequaquam immunditiam in atrio, aut Dei Sanctuario admiſiſſet: ab his tandem vigiliis, & excubiis poſt illorum conſecrationem, filiis Aaron cum patre liberatis, Levitica Tribus, ut dicitur Num. 3. & 8. ad militares cuſtodias deſignata fuit.

Decipiuntur autem, qui arbitrantur Levitas Deo oblatos fuiſſe in primo menſe; nimirum eodem tempore, in quo Tabernaculum, & Sacerdotes conſecrati fuerunt. Idque perſpicuum eſt ex cap. 7. Num. in quo dicitur: *Obtulerunt Principes Iſraël, & capita familiarum, qui erant per ſingulas Tribus, Præfectique eorum qui numerati fuerant, munera coram Domino, &c.* Jam ergo ex textu, Iſraëlis numeratio præceſſerat, quando Principes Tribuum quæ numeratæ fuerant, ſolemniſſimas hoſtias, oblationes, & munera Deo offerre cœperunt. Quam quidem filiorum Iſraël numerationem in principio ſecundi menſis factam, ſacra oracula tradunt.

Hanc autem Levitarum, ad militares ſacri Tabernaculi ſtationes deſignationem, in principio ſecundi menſis decretam fuiſſe conſtat; quando jam Sacerdotes conſecrati fuerant. Nam ut dicitur cap. 8. Numer. Aaron ordinavit lucernas ſacri Candelabri in Tabernaculo; & ibid. Aaron obtulit Levitas coram Domino, ut Dei Sacerdos: alias enim nondum initiatus, nequaquam potuiſſet offerre coram Domino Levitas; erat enim Sacerdotale munus, oblata coram Domino à populis, admittere, & eadem Deo offerre. Quamobrem Num. 21. dicitur: *Elevavitque eos*, hoc eſt Levitas, *Aaron in conſpectu Domini, & oravit pro eis, ut purificati ingrederentur ad officia ſua in Tabernaculum fœderis coram Aaron, & filiis ejus.* Jam igitur Sacerdotum, & altarium conſecratio abſoluta fuerat; quando Levitæ ſub præfectura Aaron, & filiorum ejus deſtinati fuerunt. Cumque poſt conſecrationem Sacerdotum, dies azymorum protraherentur vſque ad vigeſimam ſecundam diem incluſivè: utique poſt hos dies, Levitas fuiſſe ſanctificatos, & in obſequium Tabernaculi mancipatos, dicendum erit.

Quamobrem ſi de tempore ſanctificationis Levitarum aliquid decernendum ſit; potius tenendum erit, Levitarum oblationem in miniſterium Tabernaculi, in principio menſis ſecundi contigiſſe: quia prima die hujus ſecundi menſis, populus Iſraël militari ſtudio, & ratione numerati fuere. Sic enim dicitur Numer. 1. *Loquutuſque eſt Dominus ad Moyſem in de-*

A *ſerto Sinai, in Tabernaculo fœderis, prima die menſis ſecundi, anno altero egreſſionis eorum ex Aegypto, dicens: Tolle ſummam filiorum Iſraël*, &c. In hac autem filiorum Iſraël enumeratione Levitæ non ſunt numerati; non quidem quod in Tabernaculi fœderis obſequium, ad Dei cultum jam deſtinati forent; ſed potius quod in proximo deſtinandi eſſent ad cuſtodiam Tabernaculi, ut ibi dicitur his verbis: *Tribum Levi noli numerare, neque pones ſummam eorum cum filiis Iſraël, ſed conſtitue eos ſuper Tabernaculum Teſtimonii, & cuncta vaſa ejus, & quidquid ad cæremonias pertinet.* Nondum igitur Levitæ oblati Deo fuerant prima die ſecundi menſis; cumque vigeſima

B ejuſdem nubes elevata de Tabernaculo proceſſerit de deſerto Sinai ad deſertum Pharan, filiique Iſraël cœperint caſtra movere; & ante motionem caſtrorum jam unaquæque Tribus, ſingulo quoque die, ſua munera Deo obtuliſſet: igitur die ſeptima ſecundi menſis ad ſummum, Principes Tribuum ſua munera offerre ad Tabernaculum fœderis cœpiſſe, dicendum erit; ut die decima nona ſaltem oblationes complerentur: ne ſi vigeſima die elevata fuiſſet nubes, dum homines poſtremæ Tribus oblationes, vel ſacrificia ſua offerrent; Deus elevata nube non admittere illorum munera, ſed potius reſpuere videretur, quæ ab illis ad Tabernaculum offerebantur.

C His addamus argumentum ex capite 7. Numer. in quo poſtquam Moyſes erectionem Tabernaculi, unctionem illius, & ſanctificationem compleviſſet; illorumque omnium, quæ ad Dei cultum pertinebant; dicitur Principes duodecim Tribuum ſuas oblationes offerre cœpiſſe: inter quas, præter oblationes, & libamina, ſinguli hoſtias unam ſupra viginti obtulerunt: nimirum hircum pro peccato, bovem & arietem, & agnum in holocauſtum; in ſacrificio pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. quibus ſi addiderimus continuata, atque quotidiana ſacrificia; neceſſario affirmandum erit, Sacerdotes jam unctos ac

D conſecratos fuiſſe: alias nequiviſſet ſolus Moyſes, ſi primo menſe, dum altare, & Tabernaculum conſecrabatur, priores ſeptem Principes ſua obtuliſſent munera, ut Abulenſis & alii docebant, victimarum, & ſacrificiorum numerum perſolvere, fuiſque illas ritibus, ac cæremoniis Deo in altari concremandas imponere: aut extra caſtra ſacrificia pro peccato oblata cremanda transferre. Quæ tamen facile perſolvi potuerunt, minoribus Sacerdotibus jam conſecratis & Levitis Pontificem adjuvantibus: victimas nimirum luſtrando, ac transferendo extra caſtra, quæ pro peccato offerebantur. Igitur affirmare cogimur conſecratos jam Levitas fuiſſe, cum Prin-

E cipes ſua munera ad Tabernaculum fœderis attulerunt.

Unica verò die, quæ fuit prima menſis ſecundi, totius Iſraëlitici populi numeratio abſolvi non potuit: fuere enim ſupra ſexcenta millia hi, qui venerunt in tabulas. Levitæ antequam ad miniſteria Tabernaculi deſtinarentur, poſt illos recenſiti ſunt; poſtmodum ad Tabernaculum fœderis Domino oblati, conſignati ſunt Aaroni; qui juſſit eos aquis luſtrari, & pro eiſdem oblatis ſacrificiis, expiati in Deique cultum deſtinati fuere. Denique partita ſunt inter Levitas onera Tabernaculi, quæ portanda fuerunt ab unaquaque familia, quoties proficiſcendum eſſet, &

F Tabernaculum fœderis alio transferendum, quemadmodum ſcribitur Num. 4. Quæ omnia in principio menſis ſecundi acta fuiſſe conſtat; quia quando Principes cœperunt ſolemniora munera offerre, jam Tabernaculi onera inter Levitas diſtributa fuerant. Septimo igitur die menſis ſecundi Levitæ Aaroni conſignati jam fuerant: quamobrem ſic diſponendum totum hoc tempus exiſtimavi.

Ulti-

A Ultimo menſe prioris anni, filii Iſraël, nimirum Principes Tribuum, obtulerunt Moyſi Tabernaculum, cum omnibus utenſilibus, quæ ad ipſum pertinebant; & ſeptem poſtremis diebus ſacrum Tabernaculum, cum omnibus illius utenſilibus luſtratum fuit.

Prima die menſis primi, anni ſecundi ab exitu filiorum Iſraël de Ægypto, Moyſes exorſus eſt conſecrationem Tabernaculi, altaris, & omnium utenſilium ſacrorum; quæ conſecratio per ſeptem dies celebrata fuit.

Octava die menſis primi, ejuſdem anni, completa jam Tabernaculi, & Altaris conſecratione, Moy- B ſes cœpit conſecrare Sacerdotes, quæ conſecratio ſimiliter dierum ſeptimanam integram ex lege requirebat.

Decimaquinta ejuſdem menſis conſecrationibus abſolutis, prima azymorum ſolemniſſima fuit; tum quia erat terminus conſecrationum tam Tabernaculi, quam Altaris, & Sacerdotum, tum denique, quia azyma inchoabantur: & ſolemniſſima erat; quia Deus coli hunc diem juſſerat, in memoriam egreſſionis filiorum Iſraël ex Ægypto. Hac igitur die ignis de cœlo deſcendit, filiique Aaronis incenſi ſunt, atque extincti coram altari, ut dicitur cap. 9. Numer. & à decimaquinta, uſque ad vigeſimam ſecun- C dam incluſivè, azymorum dies à filiis Iſraël celebrati fuerunt.

Reliquis diebus uſque ad finem menſis, Moyſem occupatum arbitror in præceptis cæremoniarum, de quibus ſæpè ſermo eſt in lib. Levitici, cum dicitur, loquutum fuiſſe Dominum ad Moyſem in Tabernaculo fœderis: & quamvis alias ſæpè Dominum Moyſi loquutum in Tabernaculo fœderis dicatur; tamen ſtatim, atque erectum fuit Tabernaculum; quæ Moyſi in Tabernaculo fœderis tradita leguntur, quæque ad ritus, & cæremonias ſpectabant, his diebus tradita fuiſſe, ratio ipſa ſuadet.

Prima die, menſis ſecundi, cum tribus fortaſſe D ſubſequentibus, populum Iſraël numeratum fuiſſe credimus; quia prima die hujus menſis, hanc enumerationem Deum juſſiſſe conſtat cap. 1. Numer.

Quarta die ejuſdem menſis, numerati ſunt Levitæ; quorum numeratio, brevius quam una die abſolvi nequivit.

Quinta die Levitæ poſtquam recenſiti fuiſſent, Deo à Senatoribus, & Principibus Tribuum oblati ſunt; & Aaron juſſit eos luſtrari, atque mundari, ut eſſent parati ad expiationem.

Sexta die ſacrificiis pro illis oblatis, Levitas expiatos fuiſſe credimus; ut dicitur Num. cap. 8. ſic- E que in Dei cultum mancipati retenti ſunt & ad opera Tabernaculi deſtinati.

Septima die partita fuere miniſteria, & onera Tabernaculi inter Levitas, & unicuique familiæ deſtinata ſunt à Moyſe onera, ad quæ unaquæque incumbere tenebatur.

Die octava Principes munera, & oblationes ſolemniſſimas ad Tabernaculum fœderis offerre cœperunt, ut dicitur cap. 7. Numer. quorum oblatio, & feſtum, uſque ad decimam nonam diem incluſive protrahebatur: erant enim duodecim Tribus; ſingulisque diebus, unius tantum Tribus munera offerebantur.

F Die vigeſima ejuſdem menſis ſecundi, à deſerto Sinai verſus Pharan nubecula elevata eſt, ut dicitur Numer. cap. 10. & caſtra filiorum Iſraël mota ſunt, ut Deum Imperatorem exercitus ſequerentur. Arca verò fœderis, quæ à Sacerdotibus portabatur, præcedebat totum exercitum, & nubem ſequebatur; reliqui movebantur militari more per turmas, ſigna & vexilla; ne ſi tumultuoſè moti fuiſſent, Imperatorem rationes militares ignoraſſe cenſeretur.

CAP. LXXV.

Sacerdotum luſtratio præcedebat eorumdem conſecrationem.

Ad loca Exodi 40. *Applicabiſque Aaron, & filios ejus ad fores Tabernaculi Teſtimonii, & lotos aqua, indues ſanctis veſtibus, ut miniſtrent mihi, & unctio eorum in Sacerdotium ſempiternum proficiat.* Levit. 22. *Qui tetigerit immundum ſuper mortuo, & ex quo egreditur ſemen quaſi coitus, & qui tangit reptile, & quodlibet immundum, cujus tactus eſt ſordidus, immundus erit uſque ad veſperum, & non veſcetur de his quæ ſanctificata ſunt, ſed cum laverit carnem ſuam. &c.* & ad alia.

EA in veteri lege ſacri hujus olei vis, atque virtus ex divinis inſtitutis erat; ut ſolo illius contactu omnia ſanctificarentur. Iſto etenim oleo, ut huc uſque vidimus, non ſolum inſenſibilia quæque, quæ ad Dei cultum pertinebant, conſecrabantur atque ſacrabantur; de quibus huc uſque in ſuperioribus per plura capita loquuti ſumus: ſed etiam ſenſibilia & rationalia divini cultus inſtrumenta, nimirum Sacerdotes, ac ipſoſmet ſacrorum miniſtros, hoc eodem ſacro oleo conſecrandos præceperat Deus. Hæc enim, juxta jam ſupra à nobis factam trinam rerum ſacrandarum diviſionem, in poſtremum rerum ſacrandarum ordinem rejiciuntur: cumque de reliquis huc uſque egerimus, de Sacerdotum conſecratione, atque expiatione agendum remanet.

Et quidem Sacerdotum luſtratio reliquos ritus præcedebat; ſequebatur expiatio quæ ſanguine, conſecratio unctione, actualiſque initiatio ſacrorum miniſterio, atque hoſtiarum oblatione fiebant; de quibus dicitur Exodi 40. *Applicabiſque Aaron & filios ejus ad fores Tabernaculi Teſtimonii, & lotos aqua indues ſanctis veſtibus, ut miniſtrent mihi, & unctio eorum in Sacerdotium ſempiternum proficiat.* Quo quidem in loco textus ſacer quinque præcipuè refert, quæ in illorum conſecratione ſervanda erant, ablutionem videlicet, amictum ſacrarum veſtium, expiationem, unctionem, atque conſecrationem, & denique Sacerdotalem poteſtatem; quam initiationis nomine ſignificari poſſe arbitramur. De quibus omnibus ſigillatim, & breviter pro noſtro captu, in uſu ſacri olei dicere, præſentis noſtri inſtituti munus fore cognovimus.

Totius veteris religionis cultus, in exteriori munditia poſitus videbatur: non ſolum apud Iſraëlitas, ſed etiam apud Idolorum cultores, ut dicebamus retro cap. 30. Hac de cauſa nihil frequentius legitur apud omnes antiquorum Scriptores, in uſu religionis, quam ablutiones ac luſtrationes, ſeu mundationes, ut loquamur phraſi ſacrarum litterarum: immundi enim, ideſt non loti, à quibuſcumque ſacris arcebantur. Immundabantur verò homines, quocumque contactu alterius hominis immundi, contactu animalis immundi, aut cujuſcumque alterius rei immundæ: hac de cauſa leproſi arcebantur à locis habitatis, atque etiam ſtercus, & quæcumque excrementa prohibebantur ab eiſdem. Alia etiam plura ad munditiam populorum in religionis cæremoniis ſtatuuntur; quæ in divinis ſtatutis in libro Levitici videri poterunt. Nam de ſignificatione vocis latinæ *munditia*, non erit nobis nunc diſputandum; ſatis enim putamus adnotaſſe, modis variis ſumi, variaque ſignificatione acceptari. propriè autem ad

ad rem noſtram facit, quod græcè dicitur καθάρσια, & ἁγνεία. nam priori quidem voce *mundatio*, ſive *purgatio* à ſordibus ſignificatur; poſteriori verò *caſtimonia* monſtratur. Ex quibus rigoroſis vocum ſignificationibus, proprietas quoque illarum haberi poteſt, juxta ſacrarum vocum diſtinctionem, ex phraſi ſacrarum litterarum; in quibus luſtratio ab expiatione differt, ut alibi diximus, quod illa aqua, expiatio verò ſanguine fieret. Aquæ enim aſperſione corporis labem tolli, & caſtimoniam præſtari, veteres illi exiſtimabant, ut auctor eſt Alexan. ab Alexan. lib. 4. gen. dier. cap. 17. ubi etiam tradit hoc commune fuiſſe omnibus quibuſcumque ſacrificiis, ut Sacerdos immolaturus, & rem divinam facturus, prius corporis ablutione purgaretur, & à venere abſtineret; lotusque ac purus ad ſacra tractanda accederet.

Adcò obſervantiores cæteris gentibus Iſraëlitæ in his fuere, ut 1. Regum cum David à Saule fugeret, rogaretque Sacerdotem, ſibi panem ad famem ſedandam porrigi; Sacerdos rogarit eum, an milites, qui cum eo erant, mundi eſſent & à mulieribus abſtinuiſſent. *Si mundi ſunt pueri, maximè à mulieribus?* inquit. *Et reſpondit David Sacerdoti, & dixit ei: equidem ſi de mulieribus agitur, continuimus nos ab heri, & nudiuſtertius, quando egrediebamur, & fuerunt vaſa puerorum ſancta:* hoc eſt veſtimenta, & arma, quibus ego & milites utimur; antequam egrederemur, purificata atque mundata fuere. Quæ obiter dicta ſunt pro intelligentia loci ſacri obſcuriſſimi; ſed via per quam venerant fortaſſe polluta erat; ideò ſubdit: *Porro hæc via polluta eſt, ſed ſanctificabitur hodie in vaſis.* Nam ſicut alibi diximus, ſolo contactu rerum, quæ munda non exiſterent, immundari homines lege ſancitum erat; præſertim verò à mulieribus ante ſacra per triduum abſtinendum fuit: quod perſpicuum eſt loco jam citato, & Exodi 19. in quo Deus alloqui totum exercitum volebat; quamobrem miſit Moyſem qui nunciaret populo ſe allocuturum totum exercitum, proptereaque illos parari juberet. De quo dicitur: *Deſcenditque Moyſes de monte ad populum, & ſanctificavit eum; cumque laviſſent veſtimenta ſua, ait ad eos: Eſtote parati in diem tertium, & ne appropinquetis uxoribus veſtris.* Præceſſit verò hoc ablutionis præceptum; quia caſtimoniam præſtari aquæ ablutione arbitrabatur. quapropter vi vocis ἁγισμοῦ, quæ ab ἁγνὸς derivatur, purgatio ſignificatur, quæ aquis fiebat, & a nobis latinè *luſtratio* dicitur: at verò voce καθαρισμοῦ, quæ derivatur à verbo καθαίρω, quod propriè ſignificat *mundum facio*, & vis illius eſt in ordine ad ſacra; ſignificatur id quod nos expiationem dicimus; quia ut dicebat Apoſtolus, *Sine ſanginis effuſione non fit remiſſio.*

Quia verò nobis cum ſacris oraculis negotia ſunt; ad vim vocum, quæ illorum ſunt propria, noſtra erit oratio convertenda. Sunt enim plurimæ voces in lingua ſancta, quibus mundities ſignificatur, vel actus mundationis, vel res per quam quis mundatur, & alia ad hæc ſpectantia, quæ minimè à nobis conſideranda erunt. nam quamvis verbum רָחַץ *abluit*, ſive lavit ſignificet: hoc tamen genericè, & in univerſum, de aqua præſertim dicitur; actumque mundandi explicat, tam in ordine ad ſacra, quam etiam ad alia. Dictio verò בָּרַר *barar* explicat effectum, qui ablutionem ſequitur, interpretaturque purus fuit. nec magis munditiem ex ſacra ablutione, quam naturalem, aut ex non ſacra ſignificat. Dictio autem נִקָּה *niqhah* munditiam ex judiciali poteſtate repræſentat, latinè dicemus *abſolutionem.* Nihil in hoc ad ſacrum; at dictio טָהַר *tohar* id ſignificat quod *purum*, latinè dicemus *mundum*, in ordine ad ſacrum uſum: præſertim verò ſignificat id, quod aqua purgatur; & quamvis innumerabilia ſint loca in ſacris

A oraculis, quibus id probari poſſet; ſufficiat nunc illud Pſal. 50. *Aſperges me hyſſopo, & mundabor, lavabis me, & ſuper nivem dealbabor.* Quamobrem propriè explicabitur latinè per luſtrationem, frequentius tamen מֵי נִדָּה *mei niddah*, dicebatur aqua luſtralis. Id verò quod *expiare* dicitur, per vocem כִּפֵּר ut diximus, ſignificatur; & in ſacrificiis per vocem חִטֵּא *chtiteh* quod *peccavit* ſignificat: ac per tranſlationem etiam *expiavit* aliquando vertitur.

Hoc autem luſtrationis genus, quod aquarum ablutione fiebat, communiſſimum fuiſſe uſitatiſſimumque etiam apud Gentes, auctor eſt Alexan. ab Alexan. lib. 5. gen. dier. cap. 27. & nos plura diximus ſupra cap. B 49. cum de ablutione manuum ageremus: quamobrem etiam apud illos, perneceſſaria cenſebatur ablutio his, qui cum Diis acturi eſſent. Priſca enim illa ætas, oblata ſacrificia ab impuris hominibus, Diis minimè accepta utique noverat; ut etiam adnotavit Joannes Spond. in lib. 1. Iliad. in illud Homeri:

. . . . . . ἀπολυμαίνεσθαι ἄνωγεν.

Hac de ratione varia luſtrationum genera veteres inſtituerunt, ita ut ſingulis ferè Diis, ſuas deſtinarent luſtrationes; atque pro diverſitate ſacrorum, C diverſas quoque cæremonias, ac ritus luſtrandi haberent. Mittamus nunc varia luſtrationum genera: quæ quamvis multiplicia fuerint, & igne etiam idololatræ luſtrarentur: qua de re Juvenal. Satyr. 2. ubi de Domitiano loquitur, ait:

Tot bellorum animæ, quoties hic talis ad illos
Umbra venit, cuperent luſtrari, ſi qua darentur
Sulphura cum tædis, ac ſi fortè humida laurus
Illic. . . . . .

Nihil tamen nunc nobis cum igne, de luſtrali aqua, & hoc luſtrationis genere agendum eſt: quod fuit frequentiſſimum, & communiſſimum apud Iſraëlitas. D Communi enim regula Iſraëlitarum, aqua naturalis ex vena erumpens, huic luſtrationi aptiſſima erat: dicebatur enim aqua viva, & acrioris virtutis ad purgandum putabatur; propterea fluminum aquæ, ad luſtrationes aptiſſimæ cenſebantur; propterea Joannes Baptiſta ad ſuum baptiſmum Jordanis fluenta elegit. Sed ad ſacra Moſaica redeamus; in quibus neceſſe erat, ut ſacra oblaturi, ſtatuto divino duplici aqua abluerentur; nimirum aqua viva balnei, & poſtmodum ſingulari quoque quadam aqua, in qua cineres vaccæ rufæ merſæ fuiſſent. Prior aqua, ad communem munditiam luſtrationis cauſa neceſſaria erat: hæc autem poſterior, ſingularis cujuſdam E cultus de cauſa, ſola aſperſione hominem mundabat; non enim totius corporis ablutione mundabantur, qui hac aqua luſtrabantur: propterea quoties ſacra facturi fuiſſent Iſraëlitæ, aquis abluebantur.

Luſtrationibus omnibus, aqua marina aptiſſima cenſebatur, ut teſtatur Alexan. ab Alex. lib. 5. gen. dier. cap. 27. cujus rei eam reddit rationem, ex Euſtachio Homeri expoſitore, quod illa aqua propter vim igneam, magnopere purgationibus, atque luſtrationibus & munditiis corporalibus accommodata fore cenſeretur. Stat pro iſto luſtrationum genere Cicero in orat. pro Sexto Ro- F ſcio, dicens: *Mare quo omnia, quæ violata ſunt, expiari putantur.* Hujus luſtrationis exemplum habemus apud Homer. lib. 1. Iliad. ubi cum Agamemnon dimiſſa Bryſeide, magni Sacerdotis Apollinis filia, iratum Numen placare conaretur; cujus potentiam ſui exercitus cæde, ſuo cum mœrore experiebatur; juſſit purgari populum ad ſacram offerendam hecatombem; quod erat ſacrificium centum ho-

 ſtiarum

ſtiarum apud Græcos frequentiſſimum. Hac de re ſic ſcripſit Homerus.

λαοῖς δ' ἀτρείδης ἀπολυμαίνεσθαι ἄνωγεν
οἱ δ' ἀπελυμαίνοντο, καὶ εἰς ἅλα λύματ' ἔβαλλον·
ἔρδον δ' ἀπόλλωνι τελήεσας ἑκατόμβας.

Quorum Homeri carminum germanus ſenſus, & vera interpretatio eſt; milites, Agamenonis juſſu, antequam ſacrificarent, luſtratos fuiſſe; & hoc marina, ut diximus, aqua: quod hæc præſtantiores vires habeat aqua dulci, propter illius ſalſuginem. Salis autem facultatem eſſe καθαρτικὴν, docet Oribaſius in Medicis Collectaneis lib. 15. & de virtute ſimplic. medicamen. lib. 2. Itaque in ſacrificiis, quæ aliquis ſui purgandi cauſa, propter cædem aut commiſſum ſcelus, inſtituebat, mos erat in aquam ſalem injicere, & ea aqua locum inquinatum leviter irrorare. Cum itaque crederent veteres, vim talem ſali ineſſe; hinc fortaſſe huc uſque remanſit in Eccleſia, ut ſal injiciatur in aquam luſtralem, qua fideles templum ingredientes purificantur. Proximitate igitur maris, Græci in expeditione Trojana ſacra operaturi, aqua marina potius, quam alia utebantur; qua etiam fortaſſe de ratione, vas illud, quod in Templo à Salomone, & in Tabernaculo à Moyſe, in luſtrationem Sacerdotum, collocatum legitur; mare æneum dicebatur: ſed quicquid ſit de hoc, noſtra intereſt probare, Homeri milites luſtratione præveniſſe ſacrificium; & aqua marina illos luſtratos fuiſſe; ut illa carmina aperiunt, quorum hæc eſt interpretatio:

Populos autem Atrides luſtrari juſſit,
Illi autem luſtrabantur, & in mare ſordes jaciebant,
Sacrificabant autem Apollini perfectas hecatombas.

Quo in loco dum ſordes omnes in mare projectæ ſcribuntur; ipſam quoque aram, in qua ſacrificium hoc celebratum fuit, in litore ædificatam fuiſſe ex ſacrificii loco, perſpicuum eſt: atque non alia aqua, quam marina, totum pariter luſtratum fuiſſe exercitum, ſacrificandi cauſa, ipſa ratio loci, temporis, atque proximitatis docet. Quod etiam affirmandum videtur de illa Virgiliana luſtratione Æneid. 3. cum in perſona Æneæ, inquit Poëta:

Luſtramurque Jovi, votiſque incendimus aras.

In cujus carminis expoſitione, optimè dixit Servius: *Luſtramur*, ideſt, purgamur, ſive expiamur; *ut Jovi ſacrificemus.* nam & hoc ſacrum Æneæ in littore factum fuiſſe conſtat; quamobrem marina aqua luſtratos fuiſſe Trojanos milites pro more illius ætatis, liquido conſtat.

Cumque Idololatræ Numinibus fictis ſacra facturi, aqua abluerentur, ut puritatem oſtentarent: multo rationabilius erat, ut Iſraëlitæ divinæ legis doctrinam tenentes, hoc idem ſervarent; puritatemque internam atque externam, ſacrorum miniſtri, & Sacerdotes quærerent; qui Summo, veroque Deo ſacra facturi erant; tunc præſertim cum primum ſacris initiabantur. Hoc etiam idolorum ſacros miniſtros ſervaſſe conſtat; in Lucio illo quem in Aſinum converſum, & poſtea hominem reſtitutum, Apulejus ſcribit lib. 11. Metamor. docet enim Lucium ſuum fuiſſe initiandum Sacerdotem, magnæ Deæ Iſidis; de qua cæremonia ait: *Jamque tempore, ut ajebat Sacerdos, id poſtulante, ſtipatum me religioſa cohorte, deducit ad proximas balneas, & prius ſueto lavacro traditum, præfatus Domini veniam, puriſſimè circum rotans abluit.* Hæc ille. Rationabilius verò id fieri decebat cum his, qui ad ſacra Summi & veri Dei conſecrandi fuerunt: quamobrem lotos fuiſſe Aaron, & filios illius in eorum conſecrationem le-

A gimus cap. 8. Levit. in hæc verba: *Statimque obtulit*, ſupple Moyſes, *Aaron & filios ejus; cumque laviſſet eos, veſtivit, &c.* quod etiam in aliis, jam à nobis in principio capituli allegatis teſtibus habetur.

In hac Sacerdotum ablutione, quærit Abulen. quæſt. 2. in cap. 29. an in prima Sacerdotum initiatione manus tantum, & pedes Aaron, atque filiorum illius, aqua luſtrati fuerint; an verò totum ipſorum corpus fuerit aqua mundatum: qua in difficultate, ſuam aperiens ſententiam, tandem concludit, Aaron, & filios illius in hac prima eorumdem conſecratione, toto corpore ablutos fuiſſe. Probat ex eo, quod major ſolemnitas in illa lotione requi-
B reretur, per quam Aaron, & filii illius ſacrorum miniſtri, & Sacerdotes inſtituebantur; quam in alia per quam Sacerdotale miniſterium exercebant. Sacro quoque textu id comprobare contendit: quia ubi de conſecratione Sacerdotum cap. 29. Exodi, lavandum patrem cum filiis dicitur; de ſola quidem manuum, ac pedum ablutione minus rectè dici videatur. Ea propter affirmat doctiſſimus iſte vir, totum corpus Aaron, & filiorum illius lota, in prima illorum conſecratione fuiſſe; ne in illis aliqua vetuſtatis macula relicta videretur.

Si autem Abulenſi objiciatur aliquis locus, ex quo contrarium probari videatur: ſolius nimirum manus
C ac pedum ablutio, de qua ſic legitur Exodi 30. *Et miſſa aqua lavabunt in ea Aaron, & filii ejus manus ſuas, ac pedes, quando ingreſſuri ſunt Tabernaculum Teſtimonii, & quando acceſſuri ſunt ad altare, ut offerant in eo thymiama Domino, ne forte moriantur.* Cum locus iſte ſatis apertè Abulenſis ſententiam proſterneret; ſatisfacere contendit affirmans, textum allatum de communi ibi, quotidianaque luſtratione loqui, quam Sacerdotes habere conſueverant, cum miniſtraturi ad altare accederent: non verò de ablutione quam ſacrorum miniſtri habere cogebantur; cum primum ad Teſtimonii Tabernaculum adducti fuerunt, ut ſacris initiarentur.

D Verum quamvis ſententia Abulenſis, de totius corporis lotione admitteretur, tamen ratio, atque fundamentum, quo illius ſententia innititur, minimè nobis probatur. nam quamvis certum ſit toto fuiſſe corpore ablutos Aaron, & filios, cum ſacris initiarentur; ablutionem tamen hanc totius corporis, intra Tabernaculum eos accepiſſe, negamus. Negamus etiam ea aqua, quæ in labro aſſervabatur, eos lotos fuiſſe; ut Abulenſis ſententia indigitabat. Hoc enim vas ad ablutionem tantummodo manuum, atque pedum ſacerdotum, collocatum in atrio à Moyſe ſcribitur; & de hac ſolum ablutione eſt ſermo, quoties de illa aqua ſacer loquitur textus; ut proba-
E ri poteſt ex cap. 40. Exodi, ubi agitur de conſecratione Tabernaculi, & omnium vaſorum, quæ ad Dei cultum pertinebant, deque illorum uſu, ac miniſterio. Nam de labro ſic legimus, loco citato: *Labrum quoque ſtatuit inter Tabernaculum teſtimonii, & altare, implens illud aqua, laveruntque Moyſes, & Aaron, & filii ejus, manus ſuas ac pedes, cum ingrederentur tectum fœderis, & accederent ad altare, ſicut præceperat Dominus Moyſi.* Quo in loco obſervandum diſcrimen verborum erit, variaque loquendi phraſis, ab ea, quæ habetur cap. 29. ejuſdem libri, cum
F dicitur: *Cumque laveris patrem, cum filiis ſuis, aqua.* Hic enim ſolummodo meminit ſacer textus, ablutionis Aaron, filiorumque ejus, quæ præcedebat eorumdem ſacrum veſtitum, cum conſecrandi eſſent: at hic cap. 40. etiam de ablutione Moyſis cum Aaron, & filiis agitur; quoties Tabernaculum ingrediebantur, ſive ad divina reſponſa excipienda, ſive ad munia ſacra obeunda: tunc enim ex divinis ſtatutis manus, pedeſque abluere cogebantur; quia diſcalceati ſa-

ſacrum Dei ſanctuarium , ut puto, ingredi tenebantur. Uſus igitur aquæ , quæ in labro habebatur, ad ablutionem totius corporis minimè erat , ſed tantum ad manus , pedeſque abluendos : in quo decipitur Abulenſis , nec aliter legitur aliquando in ſacris textibus ; quamobrem dicitur Exodi cap. 30. *Et miſſa aqua , lavabunt in ea Aaron , & filii ejus manus ſuas ac pedes , quando ingreſſuri ſunt Tabernaculum teſtimonii, & quando acceſſuri ſunt ad altare , ut offerant in eo thymiama Domino.* Aqua igitur iſta , Sacerdotum manus , nequaquam abluebantur ; quoties holocauſti , aut ſacrificii de cauſa atrium ingrederentur ; aut ad altare majus accederent; ut in eo aliquid ſacrificii cauſa concremarent : ſed ſolum cum Sanctuarium ingreſſuri fuiſſent, ſive ad illud expiandum in anniverſaria die expiationis , aut thymiama in altari offerendi cauſa. Quia enim Moyſes per ſeptem dies conſecrationis Tabernaculi, cum omnibus utenſilibus ſacris , ſacerdotali officio fungebatur ; quod pariter feciſſe conſtat, ſeptem aliis conſecrationis Sacerdotum diebus , & toto vitæ illius tempore ad excipiendum divina reſponſa ingreſſurus Tabernaculum fœderis erat ; hac de cauſa dicitur Exo. 40. labri aqua laviſſe manus , ac pedes Moyſem , Aaron , & filios ejus.

Eſt etiam evidens ratio contra doctrinam Abulenſis ; per quam clariſſimè conſtat , labri ænei aquam, neque ad legalem munditiam fuiſſe , neque legalem immunditiam ea aqua tolli potuiſſe. Aqua enim quæ in labro æneo aſſervabatur , non erat niſi ad Sacerdotum ablutionem , nec aliqui præter ipſos ea uti poterant ; at Sacerdotes adeò ſtudere munditiæ legali tenebantur ; ut Summus Pontifex , ſive Sacerdos Summus , ne quidem ad funus patris , matris , filii , aut filiæ , exire poſſet ; aut jure funeris immundari. Sic enim dicitur Levit. 21. nu. 10. *Pontifex , id eſt Sacerdos Maximus inter fratres ſuos , ſuper cujus caput fuſum eſt unctionis oleum , & cujus manus in Sacerdotio conſecratæ ſunt , veſtituſque eſt ſanctis veſtibus , caput ſuum non diſcooperiet , veſtimenta non ſcindet , & ad omne mortuum non ingredietur omnino , ſuper patre quoque ſuo , & matre , non contaminabitur, nec egredietur de Sanctis , ne polluat Sanctuarium Domini , quia oleum ſanctæ unctionis Dei ſui ſuper eum eſt.* Hæc ibi. Quo loco Summum Sacerdotem Iſraëlitam perpetuo mundum manere debuiſſe conſtat , nullaque occaſione immundari ſibi licuiſſe : & tamen quamvis nulla teneretur legali immunditia ; tam ipſe , quam filii illius , cum eſſent aliquod miniſterium habituri intra Tabernaculum , manus , ac pedes illa aqua lavare tenebantur. Ex quibus perſpicuum eſt , aquam illam non fuiſſe ad tollendas immunditias legales , atque propterea nequaquam lotos fuiſſe Aaron , atque filios illius luſtrandi cauſa ; cum primò acceſſerunt ad atrium , ut Sacerdotes à Moyſe conſecrarentur.

Admittimus igitur Aaron , & filios illius lotos & luſtratos fuiſſe, in exordio conſecrationis , negamus tamen lotos ea aqua qua impletum labrum fuerat ; quodque inter altare & Tabernaculum Moyſes collocaverat ; ſed eos communi aqua fuiſſe lotos affirmamus. Duo enim quantum ad aquam luſtralem , cum primis ab Iſraëlitis curabantur: alterum ne alia aqua quam currenti & fluxibili , atque ſcaturienti , in mundandis legalibus immunditiis uterentur ; quia hæc ſola munda cenſebatur in lege , in qua dicitur Levit. 11. nu. 36. *Fontes verò , & ciſternæ , & omnis aquarum congregatio munda erit.* nam aqua ſcaturiens , dicitur aqua viva , cujus meminit Levit. cap. 14. & 15. de mundando illo , qui renum diſtillationem paſſus fuiſſet : qui cum mundandus eſſet , totus lavandus in aquis viventibus dicitur. Et cap. 22. Levit. lex generalis de immunditia traditur his ver-

A bis : *Qui tetigerit immundum ſuper mortuo , & ex quo egreditur ſemen quaſi coitus , & qui tangit reptile , & quodlibet immundum , cujus tactus eſt ſordidus ; immundus erit uſque ad veſperum , & non veſcetur his , quæ ſanctificata ſunt, ſed cum laverit carnem ſuam aqua, & occubuerit ſol ; tunc mundatus veſcetur de ſanctificatis , quia cibus illius eſt.* Quamobrem ſi mundandi cauſa , lavandique in aliquo vaſe aquam hauſiſſent , in eaque aqua ſe laviſſent ; illico illam evacuare tenebantur, aut verius curabant eam per canalia effluere , ut dum alia alii aquæ in eadem piſcina ſuccedit, prior effleret , ſordeſque una cum illa difluerent , & alia mundior aqua piſcinam ingrederetur : B ne commaculata ſordibus aqua , qui mundari volebat, iterum commacularetur. Hac de cauſa in fluminibus , atque marinis undis , libentius quam alibi lavabantur.

Denique in luſtrationibus advertebant , ut quamvis unuſquiſque propria veſtimenta lavaret ; tamen quantum ad ablutionem corporis , à mundo illo lavari ſtuderent , ut mundiores eſſent ; dum ab alio mundo mundarentur. Quamobrem vetus illud adagium , ex cæremonia iſta ortum habuit, *A puro non niſi pura defluit aqua* : de quo plura diximus in primo noſtro Myrothecio. Ea propter dum conſecrandi C fuiſſent Sacerdotes; antequam ſanctis veſtibus induerentur à Moyſe , toto corpore lotos fuiſſe conſtat ; ut dicitur Exodi cap. 29. *Et Aaron , ac filios ejus ad oſtium Tabernaculi Teſtimonii , cumque laveris patrem cum filiis ſuis aqua , indues Aaron veſtimentis ſuis, &c.* & cap. 40. dicitur : *Applicabiſque Aaron & filios ejus ad fores Tabernaculi Teſtimonii , & lotos aqua indues ſanctis veſtibus.* & cap. 8. Levit. in quo ritus conſecrationis Sacerdotalis deſcribuntur, ſic dicitur : *Statimque obtulit Aaron & filios ejus* , ſupple Moyſes , *cumque laviſſet eos , veſtivit , &c.* itaque Moyſes ipſe lavit Aaronem , & filios in ipſorum conſecratione.

Illuſtratur nunc locus difficillimus cap. 19. Exodi, D in quo volens Benedictus Deus exercituum Imperatorque populi Iſraëlitici , alloqui populum , quemadmodum Imperator milites : *Vade ad populum* , inquit , *& ſanctifica illos hodie , & cras , laventque veſtimenta ſua , & ſint parati in diem tertium.* Et infra dicitur : *Deſcenditque Moyſes ad populum , & ſanctificavit eum.* Eſt autem *ſanctificare* verbum generale, quod de quacumque expiatione ad ſacra verificatur , ſive ſanguine , ſive aqua , ſive oleo fieret : conſtat id ex ſacrarum litterarum locis ; quos hic adferre abſurdum eſſet, loquimur enim ſapientioribus. Quamobrem Moyſem ſanctificaſſe populum , eſt ſingulis de populo poſuiſſe manum , luſtrandi cauſa : non E quod ipſe laverit omnes , quotquot in exercitu militabant ; ſed majores natu , in quorum luſtratione duos dies inſumpſit. Satis enim fortaſſe putabatur , aqua Moyſem illos tetigiſſe ; ita tamen , ut reliqua quæ ad luſtrationem requirebantur, ab illis qui cum ipſo jam mundi , montem conſcenderant , perſolverentur. Itaque ibi *ſanctificare* , eſt aqua populum luſtrare : in quo ſenſu dicitur Numer. 31. nu. 23. *Quidquid autem ignem non poteſt ſuſtinere , aqua expiationis ſanctificabitur.*

Cum igitur aqua hæc , quæ in labro intra atrium aſſervabatur , non eſſet expiationis aqua , ut probatum remanet : igitur nequaquam Moyſes hac aqua F Aaronem , & filios illius mundare , aut purgare potuit , ſed aqua communi ſcaturienti , & hoc extra Tabernaculum. Nam communi illa aqua omnibus hominibus mundities conciliabatur ; quamobrem totum corpus mundandi cauſa ea abluebatur. Ablutionem ſacrarum veſtium amictus conſequebatur; de quibus nihil à nobis agendum erit , quia tantum ſacra olea tractamus : neque in forma horum veſtimen-

mentorum aliquid elucubrandum ſupereſt ; ultra ea, quæ de ſacris veſtibus doctiſſimè Joſephus , Abulenſis , Lyranus , Arias Montanus , Torniellus , & alii doctiſſimi viri ſcripſerunt. Auguſtiſſima fuiſſe hæc veſtimenta , ratio ipſa divini Numinis , Pontificaliſque dignitatis ſuadet : ut Principis Deorum omnium , (ut Gentiliter loquamur) , ſummique Numinis miniſter , non ſolum moribus , ſed etiam veſtibus fulgentiſſimus , conſpicuuſque omnibus appareret : ut illius ſolummodo conſpectu , ad venerationem Summi , ac veri Dei hominum corda ſollicitarentur. Quemadmodum contigiſſe ſcimus Alexandro Macedoni , qui cum omnibus bellica ſua virtute terrori eſſet ; ſolius tamen Summi Sacerdotis Hebræorum aſpectu , adeò territus eſt ; ut in ſolum procumbere illumque adorare , minime coram ſuis proceribus puduerit.

CAP. LXXVI.

Sacerdotum dignitas , & ordo oſtenditur.

Ad loca Exo. 19. *Sacerdotes quoque qui accedunt ad Dominum , ſanctificentur.* Ibid. 29. *Tolles quoque arietem alterum , ſuper cujus caput Aaron & filii ejus ponent manus , quæ cum immolaveris , ſumes de ſanguine ejus , & pones ſuper extremum auriculæ dexteræ.* Illuſtratur locus Geneſ. 25. *Da mihi de coctione hac rufa , quia oppido laſſus ſum : quam ob cauſam vocatum eſt nomen ejus Edom. Cui dixit Jacob : Vende mihi primogenita tua. Ille reſpondit , En morior , quid mihi proderunt primogenita?* & ad alia.

RELIGIONIS cultus naturæ humanæ adeò inſitus eſt , ut nullæ umquam fuerint nationes , nullæ unquam gentes ; quæ ſacrorum Præfectos , atque miniſtros non habuerint , apud quos etiam ſummæ non foret dignitatis ſacrorum Præfectura. Nam in lege naturæ Sacerdotes extitiſſe , ſacrorum oraculorum loca plurima , in quibus de ſacrificiis eſt ſermo , ſub Abele , Caino , Enos , Noë , Abraamo , Melchiſedecho , Abimelcco , Iſaac , Jacobo , & aliis oſtendunt. Nam & ſeculo Moyſis , cum Deus alloqui vellet Iſraëliticum populum , dicitur Exodi 19. *Sacerdotes quoque , qui accedunt ad Dominum , ſanctificentur , ne percutiat eos.* Nec enim de Sacerdotio Moſaico intelligi locus ille poteſt , cum nondum fuiſſet inſtitutum ; ſed adhuc naturali lege homines ad ſacra tenerentur. Tantæ etiam dignitatis Summum Sacerdotium exiſtimabatur ; ut emiſſe Jacob ab Eſau eam dignitatem , ferant communiter Auctores in Gen. 25. quorum quidem communis conſenſus maximopere ad rem noſtram facit : hoc enim argumento probatur ſatis apertè , quod quocumque in ſeculo , & quacumque in gente , Sacerdotalis dignitas principem locum obtinuit.

Quamobrem inter jura primogeniti , ex ſacris litteris , ut ſentiunt auctores , Sacerdotium recenſetur. Hinc illud Hieronymi in loco ex Gen. allato : *Ex hoc loco* , inquit , *tradunt Hebræi primogenitos functos officio Sacerdotum , & habuiſſe veſtimentum ſacerdotale , quo induti Deo victimas offerebant , antequam Aaron in ſacerdotem eligeretur.* Et doctiſſimus Abulenſ. in illo Geneſ. loco cap. 25. octo primogenituræ veluti privilegia notavit. Primum , quod primogeniti eſſent Sacerdotes : alterum , quod primogeniti reliquos fratres præcedebant in menſa : tertium , quod cæteri fratres à primogenito benedicebantur : quarto , pretioſa veſte in feſtivitatibus & actionibus ſolemnioribus primogenitos uti : quinto , primogeni-

A tos dominium quoddam in reliquos fratres habuiſſe : ſexto , duplices partes hæreditatis adipiſci : ſeptimo , primogeniti in lege quinque ſiclis redimebantur , quaſi ſpeciali ratione ad Deum pertinentes : octavo à parentibus morientibus benedicebantur ; ſicque gubernationi domus , ſacriſque religionis præficiebantur.

Quibus omnibus conſtat , quantum dignitatis , ac majeſtatis ſummum ſacerdotium , etiam ante latam legem , ab antiquis temporibus præ ſe ferret ; ut non immerito ex agro Eſau venienti , fameque , vel potius vitio gulæ laboranti , dicentique fratri ſuo Jacob : *Da mihi de coctione hac rufa , quia opido laſſus ſum ,* B occurrerit Jacob , dicens : *Vende mihi primogenita tua.* Ad cujus favorem cum Eſau juramento primogenita firmaſſet ; is Eſau conceſſit , quicquid poſtulabat ; de quibus ſic in ſacro textu : *Ille reſpondit : en morior , quid mihi proderunt primogenita ? Ait Jacob : jura ergo mihi. Juravit ei Eſau ; & vendidit primogenita ; & ſic accepto pane & lentis edulio , comedit & bibit , & abiit , parvipendens quod primogenita vendidiſſet.*

Vendidiſſe Eſau primogenita Jacobo , in illumque ſacerdotalia jura tranſtuliſſe vili eſca , ſacra teſtantur oracula. In hac declaranda eſca , omnes ſimul Scriptores & ſacrorum oraculorum expoſitores affirmant , C pro lentis edulio illa vendidiſſe. His tamen ego aſſentiri numquam potui : argumento primo ſumpto à ſtatu , & ætate utrorumque , in qua primogenita vendidiſſe Eſau ſcribitur : à debilitate communis argumenti , quod habetur pro lente : à crimine etiam Eſau : ac denique à colore cibi , quo primogenita Eſau vendidiſſe traditur ; quæ omnia ſacris à nobis oraculis ſtabilientur. Nam ſi ab ætate utrorumque fratrum argumentum ſumere licet ; videndum erit , cujuſnam ætatis Eſau & Jacob eſſent ; quando quod unus vendidit , alter emit : in quibus ſi credimus Perrerio in præfat. ad cap. 27. Geneſ. jam Jacob , & Eſau ſeptuageſimum ſeptimum attigerant D annum , vel circiter , ut aliis placet. Itaque dicendum minimè erit , rationis defectu , Eſau jura primogenituræ vendidiſſe ; quod præponderare non poſſet , aut experientia cognoſcere , quantum primogenitus reliquis fratribus , dignitate , dominio , hæreditate , ac reliquis privilegiis fratribus præferretur ; quamobrem nulla ratione Eſau jam ferè octuagenarius , excuſandus erit ; quod jura primogenituræ vendiderit. Sicut nec ſacer textus illum excuſavit ; imò acriter damnavit , quod primogenita contempſiſſet , dicens in fine cap. 25. *Et ſic accepto pane , & lentis edulio , comedit , & bibit , & abiit ; parvipendens , quod primogenita vendidiſſet.*

E Nec excuſandus videtur Eſau neceſſitate cibi : fame nimirum illum impellente ad venditionem primogenituræ ; quia dixit : *Da mihi de coctione hac rufa , quia oppido laſſus ſum ;* & quia requiſitus à Jacob , ut primogenita illi venderet , dixit : *En morior , quid mihi proderunt primogenita ?* Hæc enim omnia vitioſè , & gula illiciente , ab eo dicta accipi debent. Fierine potuit , ut in domo ditiſſimi viri Iſaac , cui Abraham tradiderat omnia ſua bona , ut dicitur cap. 25. cui Dominus benedixerat , hoc eſt bona multiplicaverat , ut ibidem dicitur (hic enim eſt ſenſus illorum verborum) non eſſet panis ad expellendam famem , ſuſtinendamque naturam , ne fame corrueret ? F in domone viri perilluſtris , quem Reges , & Principes omnes plurimum tunc venerabantur ; cui erant pecora multa , greges , & armenta , ut dicitur cap. 26. Geneſ. deeſſet caſeus , poma non eſſent , fructus deficerent , & alia plurima , quibus filius primogenitus , jam octuagenarius famem depelleret , ut dixerit , *En morior ?* abſit iſta cogitare viro prudenti.

Potius igitur dicendum eſt, ferocitate naturæ conſueviſſe Eſau, Jacobum inſultare, pietatemque illius contemnere: & pro nihilo duxiſſe, non quidem primogenita vendidiſſe, ſed tali viro humillimo vendidiſſe: à quo non ſolum pro libito ſperaret, quæcumque jura inſolentiſſimè ſurripere, præſertim cum nondum jura primogenituræ, benedictione paterna, in Jacob tranſlata fuiſſent; ſed ſimul etiam Eſau parvipendiſſe jura ſacerdotalia; quod tantum temporalia ſibi cordi eſſent: & dominium in reliquos fratres jure, quod ſibi deberi ſciebat, nec inter jura primogenituræ vendita computabat, benedictioneque paterna, certo adipiſci poſſe arbitrabatur. Quæ ſi ex Scripturis ſubodorari licet, confirmabuntur argumento ſatis claro. Nam ſi neceſſitate famis compulſus, Eſau primogeniti jura vendidiſſet, culpandus minimè fuiſſet: nequaquam peccaſſet; nec ei vitio daretur, quod vitam à morte, edulio etiam lentis redemiſſet: & tamen contra Eſau ob hanc unam culpam Doctores omnes, Sancti omnes, jura omnia, omnia tandem ſacra oracula clamant; nam Apoſtolus ad Hebræos cap. 12. profanum Eſau appellat, quod vendidiſſet primogenita.

Sumatur jam argumentum à colore, adverſus communem ſenſum expoſitorum, qui pro lente Eſau primogenita vendidiſſe tradunt. Nam iſtum cibum, quem ſibi Jacob paraverat, & pro quo Eſau vendidit primogenita, rubrum fuiſſe, ruboreque adeò purpuraſſe, in ſacris litteris dignoſcitur; ut dixerit Eſau Jacobo, *Da mihi de hac coctione rufa.* Cujus etiam coctionis color efficacius adhuc hebraicè monſtratur, cum dicitur: הַלְעִיטֵנִי נָא מִן הָאָדֹם הָאָדֹם הַזֶּה id eſt, *Da mihi de rubeo rubeo iſto.* In qua duplicatione vocis, eſt obſervanda regula Grammaticorum linguæ ſanctæ: qui docent ſuperlativum gradum, duplicatione vocis in ſacris oraculis explicari. Quamobrem apparet pulmentum illud Jacobi, ruborem in gradu ſuperlativo habuiſſe: & ſacra hoc indigitant oracula; nam à colore illius cibi, Eſau ex tunc, *Edom*, hoc eſt rubeus appellatus dicitur. *Quam ob cauſam*, inquit ſacer textus, *vocatum eſt nomen ejus Edom.* Quod quidem nomen tam efficaciter illi adhæſit; ut omnes poſteri illius Edomæi appellati fuerint. Cujuſcumque autem generis ſumatur lens, nullibi apud plantarum, aut rerum naturalium Scriptores, neque in ſacris, neque apud Græcos, aut Latinos lens purpuraſſe reperitur; rubore adeò inflammato, ut purpurea verè appellari poſſit. Quin à rubore tantum abeſt, ut cineracei potius lens ſit coloris, quam purpurei; ac propterea ipſius color ſacris oraculis in hoc cap. 25. Geneſ. minimè convenire videatur.

Communis opinionis, atque ſententiæ pro lente argumentum diſſolvatur. Quia enim dicitur ibidem num. 34. *Et ſic accepto pane, & lentis edulio comedit, & bibit, & abiit;* communiter Interpretes habent; pro edulio lentis, Eſau primogenita vendidiſſe; quia nimirum illius cibi cum primis ſpecialis mentio habeatur: quod quidem argumentum valeret plurimum, ſi alicubi ſacra oracula, lentem petiiſſe Eſau indicaſſent. Verum cum id non indicaverint; quod edulium lentis infra inter illa recenſeatur; quæ venditis jam primogenitis, à Jacob Eſau accepit, non ſatis eſt validum argumentum. Nam dicitur de pane, *Et ſic accepto pane:* non tamen hinc argumentum ſumere licet; quod pro pane vendiderit primogenita. Dicitur etiam, *& bibit*; & tamen minimè licet argumentari, quod pro potu vendiderit primogenita. Quamobrem cum illa non valeant, & affirmare nequaquam poſſimus, Eſau pro pane, aut potu primogenita vendidiſſe: ergo neque lentis edulium, quia ibi ejus eſt ſpecialis mentio, erit in argu-

A mentum, ut pro lente vendidiſſe Eſau primogenita credatur.

Quid verè affirmari poſſit, mihi in re adeò obſcura incertum eſt: quæ veniant in conjecturam aperiam. Ut enim vitio gulæ reprehendatur Eſau; cibo delicatiſſimo opus eſt. Nam quamvis veteres, ex Æliano lib. 3. de varia hiſtoria, victus parcimonia commendentur; dum *Arcades*, inquit, *glandibus veſci conſueverant*, *Argivi pomis*, *quæ apia dicuntur*, *Athenienſes ficubus*, *Tirynthii ſilveſtribus pyris*, *Indi arundinibus*, *Carmani palmis*, *milio Mæotæ*, *& Sauromatæ*, *terebintho & naſturtio Perſæ:* Reprehendendum fuiſſe Eſau, & parcimonia commendandum Jacob,

B ſanctitas illius oſtendit: quod tamen aliquando delicatioribus cibis uterentur; ſanctitati non contradicit. Quamobrem Eſau hac venditione jam probavimus culpandum, atque peccaſſe illum certiſſimum eſt, ut oſtendimus. Homo verò ferox, licet ætate jam octogenarius, cibi deliciis captus eſt, & vitio gulæ adeò illectus, ut jura primogenituræ vendiderit, contractumque venditionis juramento firmaverit: eapropter affirmare oportet, delicatiſſima aliqua eſca eum captum fuiſſe, imò adeo peregrina, exquiſitaque, ut illis temporibus in regione feraciſſima Chanaan, cibus iſte, eximio in pretio haberetur, ut nihil ultra deſiderandum remaneret. Excuſandus au-

C tem omnino videretur Eſau, ſi fame compulſus, etiam illa eſca, jura primogenituræ contempſiſſet: lentes verò neque ibi, neque alibi, aliquando inter delicatiora edulia repoſitas fuiſſe ſcimus.

Sed quid ſentiendum ſit de qualitate cibi, quem ſibi paraſſe Jacob cognoſcimus, incertum eſt. Verum ſi conſideranda ſit dictio הַלְעִיטֵנִי *halnghiteni* hebraica, quam noſter vulgatus interpretatus eſt, *Da mihi de coctione*, & aliter alii; omnes tamen actionem comedendi, aut deglutiendi ſequuntur in interpretatione illius verbi; quod conſtat in conjugatione effari, quam dicunt Grammatici *hiphil*, atque

D propterea formari à radice לָעַט *langhat:* quæ quidem vox Orientalium ſono pronunciata, potius *loohath*, quam aliter ſonabit. Hi enim hebraicè ſonant ָ *camets*, quaſi duplicem *o*, ſicut veteres Græci *ω* pronunciabant: litteram verò ע *nghain* Orientales Hebræi, nullo edito ſono, ſolius ſpiritus lenis impulſu, veluti H illam pronunciant: itaque juxta illorum pronunciationem, radix illa ſic pronuncianda erit *loohat.* Latinis autem vel Italicis litteris ſonus illius dictionis exprimi non poteſt. Cumque הַלְעִיטֵנִי *halghiteni*, in conjugatione ſit, quæ actionem per alium factam ſignificat; & fortaſſe radicali voce, lotum antiquorum exprimere ſacra oracula voluerunt; ſi-

E gnificatio illius vocis in conjugatione *hiphil* erit, *fac me lotire:* hoc eſt, *Da mihi comedere de loto.* Quamobrem ſuſpicor lotum, ad eſum paratam ſibi à Jacobo, expetiviſſe Eſau, & iſto cibo illectum primogenita vendidiſſe.

Fuiſſe autem lotum antiquis temporibus ſummo in pretio habitam, nemo eſt qui neſciat. Nam & Virgil. 2. Georg. ubi de inſitione eſt ſermo, loti meminit, dicens:

Præterea genus haud unum, nec fortibus ulmis,
Nec ſalici, lotoque, nec Idæis Cypariſſis.

Sic etiam ovibus lotum augere lac, tradidit in 3.

F Georg. dicens:

At cui lactis amor; cytiſum, lotosque frequentes
Ipſe manu, ſalſasque ferat præſepibus herbas.

Tantaque voluptate in loto capi homines, veteres crediderunt; ut ab ejus excellentia, proverbium *lotum guſtavit*, natum voluerint; pro his qui guſtata voluptate, ad ſaniora ſtudia minime redibant: aut

 pro

pro his, qui cum extra patriam peregrinantur; de reditu nequaquam cogitant. Loti Indici meminit Nonnus lib. 23. Dionyſiac. n. 262. dicens: λωτοῦ καιομένοιο, μαραινομένου τε κυπείρου. eſt enim hic ſermo de bello Bacchi cum Indis, in quo Bacchum igne exſicaſſe flumen Hydaſpen ſcribitur. inter ligna verò, quæ aduſtione illa conſumpta ſunt, meminit loti, & cyperi, dicens:

Loto ardente, combuſtoque Cypero.

Hujus enim præſtantia, fabuloſis Græcis, poëtizandi materiam præſtitit. Credebant enim, ſpeciali quadam in inſula lotum gigni, tantaque voluptate in ejus guſtu affici homines; ut qui ſemel eò appuliſſent, & lotum guſtaſſent; patriæ, parentum, domeſticorumque adeo obliviſcerentur, ut de reditu nequaquam cogitarent. Homer. lib. 9. Odyſſ. abundè hæc teſtatur, dicens:

Οὐδ' ἄρα λωτοφάγοι μήδονθ' ἑτάροισιν ὄλεθρον
Ἡμετέροις, ἀλλά σφι δόσαν λωτοῖο πάσασθαι·
Τῶν δ' ὅστις λωτοῖο φάγοι μελιηδέα καρπὸν,
Οὐκ' ἔτ' ἀπαγγεῖλαι πάλιν ἤθελεν, οὐδὲ νέεσθαι:
Ἀλλ' αὐτοῦ βούλοντο μετ' ἀνδράσι λωτοφάγοισι
Λωτὸν ἐρεπτόμενοι μενέμεν, νόστου τε λαθέσθαι·
Τοὺς μὲν ἐγὼν ἐπὶ νῆας ἄγον κλαίοντας ἀνάγκῃ,
Νηυσὶ δ' ἐνὶ γλαφυρῇσιν ὑπὸ ζυγὰ δῆσα ἐρύσας,
Αὐτὰρ τοὺς ἄλλους κελόμην ἐρίηρας ἑταίρους
Σπερχομένους νηῶν ἐπιβαινέμεν ὠκειάων.
Μήπω τις λωτοῖο φαγὼν, νόστοιο λάθηται.

Quo in loco, Ulyſſes Alcinoo ſua incipit narrare pericula, atque peregrinationes: in his ad Lotophagos appuliſſe dicit; nimirum ad viros, qui ea in inſula, loto victitabant: qui quamvis libentiſſimè admiſiſſent viros, quos ipſe ad eos miſerat; ejus tamen cibi deliciis illi capti, ad naves redire recuſabant: quamobrem vi adigere illos, Ulyſſes coactus eſt, & reliquorum ſollicitare reditus, ne ipſi quoque loti voluptate capti, patriæ reditusque obliviſcerentur. Proptereaque quam primum ſolvere ab ea inſula ſe compulſum affirmat. ſic enim ait:

Neque ſane Lotophagi parabant ſociis mali quippiam
Noſtris, ſed ipſis præbuerunt lotum guſtare.
Horum quicumque, loti comediſſet dulciſſimum fructum,
Non jam renunciare rurſum voluit, neque redire:
Sed illic volebant, cum viris Lotophagis
Lotum edendo manere, reditusque obliviſci.
Hos quidem ego ad naves ducens, flentes, neceſſitate,
Navibus in cavis, ſub tranſtra ligavi attractos.
Cæterum alios juſſi jocundos ſocios,
Feſtinantes naves conſcendere celeres,
Ne fortaſſe quis lotum comedens, reditus obliviſceretur.

Quamobrem quo in pretio, temporibus illis lotus eſſet, ſatis apparet; & licet plura dici, afferrique poſſent, iſta tamen ſufficiant: ut conjectura noſtra, & argumentum ſumptum à præſtantia cibi, validitatem habeat.

Color loti, hunc cibum Jacob paraſſe ſuadet. Nam quamvis loti plures ſint; Africanum tamen primum tenere locum ſentiunt omnes. De illo ſic in hiſtoria plantarum: *Genera ejus plura fructibus diſtincta. Fructui magnitudo fabæ, qui velut uvarum botri, matureſcit, colores mutans.* & infra, *magnitudo huic fabæ; color croci.* Sed aliam lotum, quam Plinii, ſcriptores appellant; fabamque græcam eſſe volunt; tandem ſic de ea dicitur in eadem hiſtoria plantarum: *Flore in medio purpuraſcente, quatuor foliolis diſtincto, herbaceis ramis ſic incumbente, ut petiolo carere videatur; fructu ceraſorum figura, antequam maturaverit candido, cum maturuit ruſo, prominente è medio tenui quodam*

A *velut aculeo, ramis, & ſurculis ſine pediculo adhærente, guſtu dulci, palato non inſuavi.* hæc ibi; & infra: *cortice diluto, rubore jocundo blandiſſime oculos excipere, & quod veriſimile eſt, pelles tingi poſſe radice, & lanas; ut mirum ſit Mathiolum ſuæ loti cortici triſtiſſimo tribuiſſe, quod Plinius de hujus cortice litteris prodiderat; cujus tinctura colorem rufum fieri ipſemet alibi ſcripſit: Rufant & capillos, inquit, defluenteſque cohibent.* Itaque jam non eſt mirum dixiſſe Eſau Jacobo: הַלְעִיטֵנִי נָא מִן הָאָדֹם הָאָדֹם הַזֶּה hoc eſt, *fac me lotire quæſo de rufo, rufo iſto:* ipſumque Eſau ac omnes ejus poſteros Edomæos dictos fuiſſe, hoc eſt, *rubeos.* Quapropter à colore, à qualitate, à ſuavitate fructus B non immerito ſuſpicamur, lotum peregrinum fructum illis in regionibus, paraſſe ſibi Jacob, prandendi cauſa, una cum aliis cibis plurimis, & potum: illius tamen cibi voluptate, ac vitio gulæ irretitus Eſau, primogeniti jura Jacobo vendidit; venditionemque juramento firmavit: quæ tamen ut accepit Jacob, non ſolum lotum, quam Eſau petierat; ſed totum prandium fratri reliquit; ut pro libito convivaretur.

Nec quemquam turbet in ſacris oraculis dici: *Et ſic accepto pane & lentis edulio, comedit, & bibit, & abiit; parvipendens quòd primogenita vendidiſſet:* ut pro lente ſtare hunc locum quis putet. Nam ut C vis ſacrorum oraculorum hic percipiatur; meminiſſe neceſſe eſt; panis vocabulo quoſcumque cibos, integrumque convivium ſignificari: ſicut etiam hebraica dictione לֶחֶם *lechem.* Omnibus ſacræ Scripturæ ſtudioſis manifeſta dicimus; quamobrem probatione opus non eſt. Quando igitur in textu Geneſ. cap. 25. dicitur: *Et ſic accepto pane;* refertur ad cibum quem petierat Eſau à Jacobo; & ille panis nomine ſignificatur; ſenſusque eſt: *& ſic accepta loto.* Quod quidem loti ferculum dictum fuiſſe lecythodes, & valde expetitum, tradit ex auctoritate Theophraſti Rodigin. lib. 27. cap. 17. antiq. lect. Quia verò cum loto, lentem quoque ſibi paraverat Jacob, D ſubditur: *Et lentis edulio, comedit, & bibit, & abiit; parvipendens quòd primogenita vendidiſſet.* Itaque nequaquam pro lente, ſed pro loto, jura primogenituræ Eſau vendidiſſe conjectamus. Viderint alii noſtræ conjecturæ fundamenta, detrahant, vel addant: nos quidem verioribus ſtudiis, doctioribuſque lucubrationibus, noſtra ſtudia libenter ſubjici profitemur.

Ex quibus ſane liquet, quantum exſtimarentur tunc ſacerdotalia jura. Et quamvis Jacobus Boulduc lib. 4. de Eccleſia ante legem cap. 8. à benedictione paterna jura hæc ſacerdotalia pependiſſe doceat; ut E ante illam minimè valorem habere judicet: id non admittendum putavi. Diſtinguendum igitur arbitror; ut benedictione paterna, hæreditarium jus primogenito concederetur, diſtinctum quidem à Sacerdotio. Cum enim Eſau temporalibus potius, quam religionis bonis addictus eſſet; propterea ſprevit jura Sacerdotalia fratri Jacobo vendidiſſe; nequaquam verò hæc ſpreviſſet, ſi illo edulio jura temporalia vendidiſſet; quæ profectò paterna benedictione ſibi reſervata arbitrabatur: propterea quando cognovit Jacobum à patre benedictum, dixit cap. 27. num. 36. *Juſtè vocatum eſt nomen ejus Jacob, ſupplantavit enim me en altera vice: primogenita mea ante tulit; & nunc ſecundo ſurripuit benedictionem meam.* F Itaque diſtinguebantur jura primogenituræ, à juribus benedictionis.

Primogenituræ erant annexa jura Sacerdotalia, quouſque inter fratres verſaretur primogenitus, nec familiam propriam, domumq. ſibi inſtituiſſet: ut ut verò ab aliis ſeceſſiſſet, tamquam paterfamilias in domo propria, Sacerdotalia jura exercebat. Dominium in fratres, & jura hæreditaria, benedictio-

ne

ne concedebantur: quamobrem cum Eſau patrem rogaret, ut ſibi benediceret, ait Iſaac num. 37. *Dominum tuum illum conſtitui, & omnes fratres ejus ſervituti illius ſubjugavi.* Nihil autem de Sacerdotalibus juribus egit; quia hæc jam Jacob ab Eſau emiſſe ſciebat. quod autem benedictione paterna, hæreditaria & dominii jura, vim obtinerent; probat tum hoc, tum illa commutatio manus, quam legimus feciſſe Iſaac cap. 30. Geneſ. ea enim minor frater, prælatus eſt majori, ut conſtat. Itaque de ſolo jure Sacerdotali, locus allatus eſt intelligendus, ut perſpicuum ſit, quantæ eſſent dignitatis illa jura. Quamvis in primogenito reſiderent tamquam in majori Sacerdote; reliquos tamen fratres minorum Sacerdotum locum obtinuiſſe ſuſpicamur. Sacerdotum collegia veteres habuiſſe conſtat; quia non unicum tantum, aut alterum ſacrorum miniſtrum aliquando Gentes admiſerunt, ſed plures in cultum ſacrorum habere voluerunt Sacerdotes; ut non ſolum dignitate, atque miniſterio Numina venerarentur; ſed etiam miniſtrorum pluralitate; ne à recto cultu tantillum diſcederent.

Diabolus autem Divini cultus, ac Religionis inſolentiſſimus æmulator, ex ſacris ritibus atque cæremoniis, nullam aliquando prætermiſit, quam imitari à ſuis miniſtris non curaverit; quamobrem collegio quoque ſacrificulorum ſibi comparato per orbem ſparſit, qui hoſtias, ac victimas indies ſibi offerrent; ejusque honoris, ac adorationis cauſa idolothyta commanducarent. Veræ quoque religionis inſtituta ſectatus, inter ſacrificulos ſuos, Monarchicum ſtatum majorum, atque minorum Sacerdotum, ſuperiorum, & inferiorum, ut in divinis ſtatutis cognovit, conſtituit. Nam licet tempore Sullæ Dictatoris, Patriciorum dignitas, in Sacerdotio ſublimata quammaximè fuerit; tamen etiam ante hæc tempora Sacerdotum collegium erat, atque in eo majorum, minorumque Sacerdotum diſtinctio. Sulla tamen plebejorum, ac plebis depreſſa auctoritate, ex quindecim Pontificibus, octo Patricios fieri voluit, & hos majores dici ſancivit; ſeptem verò plebejos, qui minores appellarentur, Feſto auctore in verbo *minorem Pontificem.* In unoquoque Sacerdotum collegio fuiſſe ſuperiores & inferiores, teſte Apul. lib. 11. Metamorphoſ. videtur apertum, cum agit de conſecratione ſui Lucii; majorum, minorumque meminit, quos antiſtites ſacrorum nominat; omnium verò Præfectum ex Antonomaſia Sacerdotem dicit: aliquando etiam Primarium Sacerdotem vocat, dicens: *Nec minus indies mihi magis, magisque accipiendorum ſacrorum cupido gliſcebat; ſummisque precibus Primarium Sacerdotem ſæpiſſimè conveneram: petens ut me noctis ſacræ tandem arcanis initiaret.* Et eundem quem Sacerdotem, ſacrorum Antiſtitem, primariumque Sacerdotem appellarat; multoties quoque Pontificem nominat. Nam apud veteres Latinos, Sacerdotis, & Pontificis nomen non diſcrepabat; ſed ille idem, qui aliquando Sacerdos, ille idem Pontifex appellabatur. Locus Apuleji, veteres lapides, Nummi, & omnia ferè antiquorum monumenta, hunc ordinem, & monarchicam Sacerdotum diſpoſitionem teſtantnr: qui volet, videat de hac re Jacobum Gutherum in lib. de jure Pontif.

Dicebantur verò ſacrorum Præfecti, Pontifices, ſive à Pontis Sublicii cura, atque factura, ut M. Varroni placuit lib. 4. de ling. Lat. ſive verius à poſſe, & facere, ut videtur velle Gutherus, ubi ſupra lib. 1. cap. 4. ex auctoritate Scevolæ Pontificis Maximi; dicebantur autem Pontifices & Sacerdotes apud Græcos ἱερεῖς. Sic etiam apud Hebræos, commune nomen erat כהן *cohen*, tam majorum, quam minorum Sacerdotum. Sed & Philoſt. lib. 4. de vita Apol. meminit ſacrorum Epidauriorum, apud quos ſacrorum antiſtitem, Jerophantam appellari tradit. Iarcham verò apud eoſdem, Summum ſacrorum Principem dici teſtatur, quaſi ἱερεὺς ἀρχῆς, ideſt, *Sacerdos princeps.* Nunc verò Pontifices apud Latinos diſtinguuntur à Sacerdotibus; ut Pontifex dicatur Sacerdotum Princeps. Antiquitus tamen cum hæc nomina non diſtinguerentur, additione alicujus epitheti, quo Principatus iſte declararetur; dignitates quoque diſtinguebantur una cum perſonis, vocibus illis ſignificatis.

Nam apud Romanos quondam omnium errorum magiſtros; (ut cum ſanctiſſimo Leone loquamur) quamvis collegium Pontificum dignitatis, & honoris plurimum eſſet, ut Numa quoque, apud Romanos ſacrorum inſtitutor, ſe primum rectorem, ac Pontificem conſtitui voluerit; ut auctor eſt Alexan. ab Alex. lib. 2. gen. dier. cap. 8. eoque in collegio plures Pontifices eſſent, ſacrorum ex munere indictores, ac moderatores: tamen inter illos, qui Pontifex Maximus dicebatur, genere ac dignitate præcipuus erat, & aliorum Pontificum longè princeps. Jtaque addendo dictionem *Maximus* declarabatur, quis eſſet ſacrorum Princeps. Pari ratione apud Hebræos dictione גדול *gadol* deſignabatur Sacerdotum princeps, qui dicebatur כהן גדול *cohen gadol*, hoc eſt, *Sacerdos magnus.*

Dignitas Summi Pontificis ac Sacerdotis ſummopere fulgebat in Moſaica lege; imò ab illa una lege Plato, Pythagoras, Jamblicus, Numa, & quotquot fuerunt legum Numinumque cultores, ſacros ritus didicerunt: in ſacris autem Moſaicis à Deo inſtitutis in miniſterium divini Tabernaculi, duplex Sacerdotum ordo erat, majorum videlicet ac minorum. Horum minorum Sacerdotum numerus à prima ſua inſtitutione indeterminatus fuit: quotquot enim de proſapia Aaron per virilem ſexum deſcendiſſent, Sacerdotes conſecrabantur; niſi ratione alicujus corporalis defectus, ex lege hoc munere, miniſterio, & dignitate privarentur; juxta ea quæ in lib. Levit. à Deo decernuntur. Cum tamen in eodem collegio, in familia Aaronis ex lege firmato, unus tantum præſideret, cæterisque major eſſet; qui & Summus Sacerdos, ſive Pontifex dicebatur: reliqui Maximo ſubjiciebantur, & ad nutum illius ſacra faciebant, atque indicebant. Quæ ſumma Sacerdotis dignitas à patre in primogenitum hæredem ex divinis ſtatutis tranſmittebatur, juxta ea quæ tempore legis naturæ fieri conſueverant.

CAP. LXXVII.

Sacerdotum expiatio explicatur.

Ad loca Exodi 19. *Sacerdotes quoque qui accedunt ad Dominum, ſanctificentur.* Ibid. 29. *Tolles quoque arietem alterum, ſuper cujus caput Aaron & filii ejus ponent manus. Quem cum immolaveris, ſumes de ſanguine ejus, ac pones ſuper extremum auriculæ dexteræ Aaron, ac filiorum ejus, & ſuper pollices manus eorum ac pedis dexteri, fundeſque ſanguinem ſuper altare per circuitum.* & ad alia.

QUIBUS ritibus atque cæremoniis in lege naturæ primogeniti Sacerdotes conſecrarentur, omnino in ſacris oraculis ignotum eſt; nec alicubi eorum conſecrationis ritus leguntur, aut ſubodorantur. Moſaica igitur tractabimus, quorum conſecrationis ritus expreſſi habentur. Luſtrationem enim, ſacrumque ſacerdotalem amictum, de quibus jam diximus, ſequebatur expiatio per ſangui-

nem

nem in Levitico Sacerdotio. Quæ ſacra expiatio nota eſt; ſic enim legitur Exodi 29. *Tolles quoque arietem alterum, ſuper cujus caput Aaron, & filii ejus ponent manus. Quem cum immolaveris, ſumes de ſanguine ejus, & pones ſuper extremum auriculæ dexteræ Aaron & filiorum ejus, & ſuper pollices manus eorum, ac pedis dexteri; fundeſque ſanguinem ſuper altare per circuitum.* Itaque ſanguine Sacerdotes tam majores, quam minores expiabantur; & ſanguine quidem hoſtiæ pro peccato mactatæ, ut ipſi quoque à peccatis expurgati Dei fierent Sacerdotes.

Hinc fortaſſe veteres idololatræ ſuum Taurobolium, nec non Criobolium ſumpſerunt: tantam enim in ſanguine expiationis vim, etiam idololatræ agnoverunt; ut quodammodo perpetuo, vel ad viginti annos mundus cenſeretur, qui Taurobolium, aut Criobolium feciſſet. Hac enim purgatione expiatus Summus Sacerdos in annum viceſimum, purus, munduſque permanere exiſtimabatur: poſt quod temporis ſpatium ſacra Taurobolii prophani illi Sacerdotes repetebant, ut ad vigeſimum adhuc annum, purgatio protraheretur. unde Romana inſcriptio: ITERATO. VIGINTI. ANNIS EX. PERCEPTIS. TAVROBOBOLIIS. ARAM CONSTITVIT. Quamobrem & vetus Poëta ait:

Vivere quod ſperas viginti mundus in anno.

Tanti quidem meriti hoc genus expiationis, atque purgationis ab Ethnicis putabatur, ut per eam ſe renaſci idololatræ crederent; nullaque alia indigere expiatione, aut conſecratione, qui illorum animalium ſanguine expiatus, ſeu potius fœdatus fuiſſet. Hinc illa inſcriptio: TAVROBOLIBVSQVE. IN AETERNVM. RENATVS. Ut autem in explicationem hujus expiandi ritus à vocibus exordiamur; Taurobolium erat ſacrificii genus, quod fiebat tauri percuſſione. Dicebaturque Taurobolium à Græcis vocabulis ταῦρος, quod eſt *taurus*, & verbo βάλλω, quod eſt *percutio*. Sicut etiam Criobolium arietum immolatione fiebat: nam κριὸς Græca voce eſt *aries*; itaque arietis percuſſione Criobolium fiebat in Attinis honorem; Taurobolium verò in ſacris matris Deorum habebatur; ut communiter litterati affirmant. Licet non ſolum in cultu illorum Numinum, ſed etiam in quorumcumque Deorum expiatione Tauroboliari licuiſſe putemus. Nec tamen omnibus quibuſcumque Taurobolium recipere concedebatur; ſed tantum Sacerdotibus: nec his omnibus, ſed maximis ſolummodo Præfectiſque tantum, Taurobolium recipere dabatur: ut ex verbis Pontificis, Hierophantæ, Patris ſacrorum manifeſtum eſt. Stat pro nobis Prudentius in Periſtephanon, ubi de Romano Martyre agit, & Taurobolii ritus præclarè deſcribit, num. 3203. dicens:

Summus Sacerdos nempe ſub terram ſcrobe
Acta in profundum conſecrandus, mergitur.

Itaque Summum Sacerdotem hunc vocat, qui Taurobolio conſecrabatur; quem etiam Pontificem appellat, diſtinguens eumdem à minoribus Sacerdotibus, quorum curæ erat, mactatum bovem, à ſuperiori rimato ponte removere, quos Flamines dixit Prudentius infra num. 3233. dicens:

Poſtquam cadaver ſanguiue egeſto rigens
Compage ab illa Flamines retraxerint,
Procedit inde Pontifex viſu horridus.

Sunt inſcriptiones veteres, quæ id probent. Hæc Romæ habetur:

VETTIO. AGORIO. PRAETEXTATO. V.C
PONTIFICI. VESTAE
PONTIFICI. SOLIS
QVINDECIM. VIRO
AVGVRI
TAVROBOLIATO
CVRIALI
NEOCORO
HIEROPHANTAE
PATRI. SACRORVM

In qua inſcriptione VETTIVS iſte AGORIVS, qui Tauroboliatus dicitur; Sacerdos Veſtæ, Sacerdos Solis fuit, de collegio quindecim virorum; erat in collegio Augurum; &, ut in lapide indigitatur, non magis uni Numini, quam alteri Tauroboliatus ſcribitur. In cultu verò Numinum, quibus initiabatur, non minoris Sacerdotis locum tenebat, ſed ſupremi: quæ dignitas cum non videatur ſatis expreſſa *Pontificis* vocabulo, additur in eo lapide dictio *Hierophantæ*, & denique *Pater ſacrorum* appellatur.

Eſt & alia Inſcriptio ſimilis, in qua Taurobolium, & Criobolium habentur; tam in honorem Matris Deorum, quam etiam Attidis percepta; & eſt hujus formæ:

M. D. M. I
ET. ATTIDIS. SANCTO
MENOTYRANNO
Q. CLODIVS. FLAVIANVS
V. CL. PONT. MAIOR
XV. VIR. S. F. SEPTEM
VIR. EPVLONVM
TAVROBOLIO. CRIOBO
LIOQVE. PERCEPTO.

Fateor hoc expiationis genus, non omnibus veterum monumentorum Scriptoribus fuiſſe pervium; cæteris melius id cognovit Salmaſius, qui plura etiam nobis ſubminiſtravit. Sed quamvis vir doctiſſimus Taurobolium tantum matri Deorum, Criobolium Attini ſolummodo ſacrum fuiſſe dicat; quod quidem ex primæva ſui inſtitutione fortaſſe non negarem: verumtamen Inſcriptiones omnes, quæ hujus generis ſacrorum meminere; videntur aperuiſſe, quod hi qui Taurobolium, Crioboliumque perceperunt; non uni tantum Numini, ſed pluribus ſacri erant, ut dicebamus. Nam non ſolum VETTIVS. AGORIVS. PRAETEXTATVS, de quo prima Inſcriptio loquebatur, Veſtæ, Solis, & Quindecim virorum Sacerdos traditur; ſed etiam vetus Inſcriptio Romana, in laudem Fabiæ Agoniæ Paulinæ, quæ Taurobolium receperat Sacerdotem, pluribus Diis, Deabuſque ſacram fuiſſe apertè teſtatur. Inſcriptio hæc eſt.

FABIAE. AGONIAE. PAVLINAE. &c. SACRATAE APVD. FLAEVSINAM. DEO. IACCHO. CERERI ET. CORAE. SACRATAE. APVD. AEGINAM DEABVS. TAVROBOLIATAE. ISIACAE HIEROPHANTRIAE. DEAE. HECATAE, &c. Cujus fortaſſe Fabiæ Agoniæ Paulinæ, Coloſſea imago, in hortis Pontificiis ad Quirinalem conſpicitur; ex quibus hanc, prout ibi habetur, p. 70. delineandam curavimus.

Cujus



Cujus Coloſſeæ imaginis caput tectum , amictus Gabinus , necnon etiam mitra , quæ capillos contegit, ſacerdotium oſtendunt. Tauroboliatæ Sacerdotis imaginem hanc eſſe ; ornamenta illa , ſeu vittæ ſerta , quæ à temporibus hinc inde in ea diſcurrunt , apertè teſtantur ; ſic enim de hoc ritu Prudentius :

Summus Sacerdos , nempe ſub terram ſcrobe
Acta in profundum conſecrandus mergitur ,
Mirè infulatus feſta vittis tempora ;
Nectens coronam , tum repexus aurea ,
Cinctu Gabino , ſericam fultus togam.

Fuiſſe verò ornamenta illa quæ à temporibus dependent , ſacrorum feſta ; qui viſuntur in antiquis lapidibus bracteati boves ad ſacrificium ducti demonſtrant, qui quidem eiſdem ornamentis vittarum cornua condecorata deferunt ; hinc inde enim colligatæ vittæ in feſtis nodulis , à temporibus & cornibus eorum dependent. Alii meliora judicabunt.

Verum ex allatis lapidibus perſpicuum videtur ; non uni , aut alteri Numini ſacrum fuiſſe, qui Taurobolium , aut Criobolium accipiebat ; ſed utique pluribus etiam dicatum Numinibus, ſacra Taurobolii , aut Criobolii percipere potuiſſe. Illud tamen cum maximè in re erat , ejus qui Taurobolium, aut Criobolium percepiſſet ; ut in collegio ſacrorum , primam teneret ſedem, ut dicebamus. Nam VETTIVS. AGORIVS de quo Inſcriptio loquitur, HIEROPHANTA. ET. PATER. SACRORVM appellatur ; & quamvis hoc eſſet nomen Præfecti in ſacris Mithriacis ; illud in ſacris Hecatæ , utrumque tamen nomen Præfecturam ſacrorum indicabat. FABIA etiam AGONIA Hierophantica dicitur ; hoc eſt ſacrarum cæremoniarum Magiſtra. CLODIVS pariter FLAVIANVS , de quo loquitur alia Inſcriptio , Pontifex major appellatur ; ut in hac nimirum expiatione , Maximus Sacerdos ab aliis diſtingueretur , qui infra eum continebatur. Inde vetus Inſcriptio: TAVROBOLIQVE. SIMVL. MAGNI DVX. MISTICE. SACRI.

Ritus qui in hac celeberrima Gentilium expiatione ſervabantur, in gratiam litterarum non erunt contemnendi. Nam is qui Taurobolium accipiebat , eoque ritu expiandus , ſive conſecrandus fuiſſet ; in ſcrobem profundam , terra egeſta , ad hoc ipſum factam , demittebatur , ut vidimus ex Prudentio. Deinde ſcrobs illa , plancis , vel tabulis , quæ multis in locis eſſent foraminatæ , conſternebatur ; de quo Prudentius :

A *Tabulis ſupernè ſtrata texunt pulpita ,*
Rimoſa rari pegmatis compagibus
Scindunt ſubinde , vel terebrant aream ,
Crebroque lignum perforant acumine ,
Pateat minutis ut frequens hiatibus.

Super quod pontile ſtratum , taurus , ſive aries , auratis cornibus mactabatur ; ut ſanguis per foramina in ſcrobem deflueret ; de quo ſic ille :

Huc taurus ingens fronte torva & hiſpida,
Sertis revinctus aut per armos floreis ,
Aut impeditus cornibus deducitur ,
B *Nec non & auro frons coruſcat hoſtiæ ,*
Setaſque fulgor bractealis inficit.

Quam religioſè hæc hoſtia mactaretur; ſanguis qui per rimulas deorſum fluebat, à Pontifice in ſcrobem acto exceptus oſtendit : qui capite , naribus , oculis , auribus , & toto denique corpore excipiebatur à Sacerdote , in ea ſcrobe defoſſo ; & tauri ſanguine in Taurobolio , ſive arietis ſanguine in Criobolio ſe abluebat :

Hic ut ſtatuta eſt immolanda bellua,
Pectus ſacrato dividunt venabulo ,
Eructat amplum vulnus unda ſanguinis
C *Ferventis , inque texta pontis ſubditi*
Fundit vaporum flumen , & latè æſtuat.
Tum per frequentes mille rimarum vias
Illapſus imber , tabidum rorem pluit ,
Defoſſus intus , quem Sacerdos excipit.
Guttas ad omnes turpe ſubjectans caput ,
Et veſte , & omni putrefactus corpore.
Quin os ſupinat , obvias offert genas ,
Supponit aures , labra , nares objicit ,
Oculos & ipſos perluit liquoribus ,
Nec jam palato parcit , & linguam rigat ,
Donec cruorem totus atrum combibat.

D Pergit Poëta oſtendere Pontificem ſanguine taurino madentem , ex illa ſcrobe exeuntem , fœtidus , ac ſordidus quamvis inde exeat ; ab omnibus tamen in ſummo haberi honore , ac religioſè coli , dicens :

Poſtquam cadaver ſanguine egeſto rigens,
Compage ab illa Flamines retraxerint ,
Procedit inde Pontifex viſu horridus ,
Oſtentat udum verticem , barbam gravem ,
Vittas madentes , atque amictus ebrios.
Hunc inquinatum talibus contagiis ,
Tabo recentis ſordidum piaculi
E *Omnes ſalutant , atque adorant eminus ,*
Vilis quod illum ſanguis , & bos mortuus ,
Fœdis latentem ſub cavernis laverint.

Sed nihil fœditati huic ſimile in noſtro Levitico ſacerdotio , in quo non quicumque cuperent Sacerdotes , hoc ſacro initiabantur , & ſanguine expiabantur : ſed illi tantum , qui ex genere Aaron per maſculinam proſapiam deſcendiſſet , in ſacrorum albo ſcribi concedebatur , & in numero Sacerdotum recenſeri : dummodo nihil diſtortum , aut maculoſum inter membra corporis haberet , juxta legem Levit. 21. Sed inter maſculos , licet omnibus inter Sacerdotes nomen dare conceſſum eſſet , ut diximus;
F unus tamen ſolus Sacerdos Maximus , qui Pontifex dicebatur , reliquis præerat.

Quemadmodum igitur Summi Sacerdotis dignitas, minoribus Sacerdotibus præficiebatur ; ita etiam non ſolum veſtes illius , colore , pretio , & dignitate , auguſtiores erant , ſed etiam forma conſecrationis : quamvis in expiatione veſtium , & aliquorum rituum minores majoribus æquarentur ; nam expiatio ſan-

ſanguine oblatæ jam hoſtiæ fiebat : erat tamen in conſecratione diſcrimen.

Nam in conſecratione Sacerdotum tres hoſtiæ Deo offerebantur, nimirum vitulus pro peccato, & arietes duo; quorum alter ad holocauſtum erat; alius ad Sacerdotum conſecrationem mactabatur. Cum his etiam oblationes farinaceæ offerebantur, ſic enim dicitur Exodi 29. *Sed & hoc facies, ut mihi in ſacerdotio conſecrentur. Tolle vitulum de armento, & arietes duos immaculatos, paneſque azymos, & cruſtulam abſque fermento, quæ conſperſa ſit oleo, lagana quoque azyma oleo lita, de ſimila triticea cuncta facies.* Et juxta hæc dicuntur alia ſimilia cap. 8. Levitici; ſed ad rem noſtram non eſt in his ſacrificiis immorari; ſed tantum de expiatione agere.

Erat autem in conſecratione Sacerdotum duplex expiatio; nimirum communis, qua expiabantur omnes quicumque, in ſanguine hoſtiæ oblatæ pro peccato, quo cornua altaris commaculabantur, Sanctuarium conſpergebatur, aliaque juxta ſtatutas cæremonias fiebant; de quibus in libro Levitici per plura capita. Et quia in conſecratione Sacerdotum, vitulus pro peccato oblatus fuerat; hac de cauſa in ſanguine vituli Sacerdotes expiabantur, communi expiationis genere; quæ fiebat tingendo cornua altaris circumcirca, & effundendo reliquum ſanguinem ad baſim & fundamentum altaris: ita tamen ut eo ſanguine, illi ipſi qui expiabantur, nequaquam tingerentur: quamobrem de conſecratione Sacerdotum dicitur Levit. 8. *Obtulit & vitulum pro peccato. Cumque ſuper caput ejus poſuiſſet Aaron, & filii ejus manus ſuas, immolavit eum: hauriens ſanguinem, & tincto digito, tetigit cornua altaris per gyrum: quo expiato & ſanctificato, fudit reliquum ſanguinem ad fundamenta ejus.* Similiter dicit Exodi cap. 29. Et jure quidem id agebatur: nam cum is qui Sacerdos conſecrabatur, mediatoris inter homines, & Deum munus ſuſciperet; antequam facultatem reciperet, aliorum munera Deo offerendi, æquum erat, ut ipſe mundaretur à peccatis; atque propterea, ut ſanguine vituli pro peccato oblati, aut alterius hoſtiæ pro peccato mactatæ expiaretur.

Eo igitur ſanguine, communi expiatione, Deo jam grati filii Aaron Sacerdotes jam conſecrandi fuerant, eiſdem facultate, ac poteſtate data miniſtrandi in Sanctuario, & altari. Quamobrem hoſtia etiam conſecrationis offerebatur; cujus cauſa aries mactabatur; in cujus ſanguine Sacerdotes expiabantur ad conſecrationem. Quia enim ſanguinis effuſio, in ſtatutis Moſaicis ad remiſſionem erat; hac de cauſa hujus ex ariete ſanguinis uſum, ad ſingularem Sacerdotum expiationem fuiſſe diximus, quo tantum Sacerdotes eo ſanguine expiabantur, ut conſecrarentur. Expiatio hæc conſecrationis, contactu hujus ſanguinis fiebat: quo extremum auriculæ dextræ, ac pollices dextræ manus, & pedis dexteri tingebantur. Sic enim dicitur Exodi 29. nu. 19. *Tolles quoque arietem alterum, ſuper cujus caput Aaron, & filii ejus ponent manus. Quem cum immolaveris, ſumes de ſanguine ejus, & pones ſuper extremum auriculæ dextræ Aaron, & filiorum ejus, & ſuper pollices manus eorum, ac pedis dextri, fundeſque ſanguinem ſuper altare per circuitum.* Itaque expiatio iſta Sacerdotalis plurimum differebat à communi expiatione: nam in illa ſanguine hoſtiæ pro peccato tingebantur cornua altaris; ſanguine verò hujus arietis, qui conſecrationis cauſa mactabatur, auricula, manus, & pes dexter Sacerdotis tingebantur. Sanguis reliquus hoſtiæ pro peccato fundebatur ad baſim altaris, in canalem qui erat circumcirca altare. Hujus autem arietis conſecrationis ſanguis, ſuper parietes altaris fundebatur circumcirca, ſanguine eoſdem conſpergendo, dum adipes & reliqua ex inſtituto hoſtiæ pro peccato, tandem in altaris medio cremarentur, ut dicitur Levit. 8. num. 24. *Obtulit & filios Aaron; cumque de ſanguine arietis immolati tetigiſſet extremum auriculæ ſingulorum dextræ, & pollices manus, ac pedis dextri, reliquum fudit ſuper altare per circuitum.* Qui ritus expiationis per dies ſeptem proſequebatur. Ex quo fortaſſe ritu Moſaico ſumpſere idololatræ ſuum Taurobolium, atque Criobolium; de quibus jam diximus. Qui eo magis forſitan verſabantur, atque deturpabantur in ſanguine, ut magis expiarentur: atque propterea non ſolum auriculam unam, pollices manus, ac pedis dextri, ſed oculos, auriculas, frontem, labia, barbam, manus, pedes, veſtimenta, & reliqua corporis membra ſanguine commaculare non verebantur.

CAP. LXXVIII.

Sanguis ſacro oleo commiſcebatur ad conſecrandum Sacerdotes.

Ad loca Exodi 29. *Cumque tuleris de ſanguine, qui eſt ſuper altare, & de oleo unctionis, aſperges Aaron; & veſtes ejus, filios, & veſtimenta eorum, conſecratiſque ipſis, & veſtibus, &c.* Levit. 8. *Aſſumenſque unguentum & ſanguinem qui erat in altari; aſperſit ſuper Aaron & veſtimenta ejus, & ſuper filios illius, ac veſtes eorum.* Ibid. *Et aſperſit Moyſes ſanguinem ſuper altare in circuitu.* Exodi 24. *Miſitque juvenes de filiis Iſraël, & obtulerunt holocauſta, immolaveruntque victimas pacificas Domino, vitulos duodecim.* & ad alia.

UNCTIONIS genus, quod Deus præſcripſerat in conſecratione Sacerdotum, ſanguine arietis oblati pro Sacerdotum conſecratione, & ſacro unguento, quod ad utenſilium ſacrorum ſanctificationem inſtituerat Deus, componebatur.

Qua quidem ſancta olei & ſanguinis commixtione, veſtes tam majoris quam minorum Sacerdotum aſpergebantur, ſicque ſacrabantur: de quo dicitur Exodi 29. *Cumque tuleris de ſanguine, qui eſt ſuper altare, & de oleo unctionis, aſperges Aaron; & veſtes ejus, filios, & veſtimenta eorum; conſecratiſque ipſis, & veſtibus*, &c. Et Levit. cap. 8. ubi ritus conſecrationis Sacerdotum referuntur, de aſperſione ſcribuntur hæc verba: *Aſſumenſque*, ſupple Moyſes, *unguentum & ſanguinem qui erat in altari, aſperſit ſuper Aaron & veſtimenta ejus; & ſuper filios illius, ac veſtes eorum.* Nam tres ut vidimus hoſtiæ in Sacerdotum conſecratione offerebantur; cujus verò hoſtiarum ſanguine expiarentur, ut Dei fierent Sacerdotes, nulla dubitandi ratio apparet: ex contextu enim illorum locorum liquidò conſtat, non ſanguine vituli qui pro peccato offerebatur, ſacerdotalem expiationem fieri, neque ſanguine arietis oblati in holocauſtum, cujus ſanguis nulli erat uſui hominibus; ſed tantum ſanguinem arietis, qui conſecrationis dicebatur, adhiberi ſolitum in ſacerdotali conſecratione perſpicuum eſt. Hac autem admixtione ſacri unguenti & ſanguinis, non ſolum veſtes minorum Sacerdotum, ſed Pontificis etiam aſpergebantur, in prima Sacerdotum inſtitutione: quia hac commixtione, quæ minoris conſecrationis erat propria, minores tantum Sacerdotes inſtituebantur; cum nemini ad Summum ſacerdotium aſcendere liceret; qui prius minoris Sacerdotis conſecrationem non accepiſſet. Propterea in prima Sacerdotum inſtitutione, non tantum minorum Sacerdotum, ſed etiam Aaronis Summi Pontificis veſtes, ea admixtione conſecratæ, ſanctificatæque fuerunt. Cum tamen in poſte-

ſterioribus conſecrationibus & ſeculis, quando jam qui ad Summi Pontificis apicem evehebatur ex minoribus Sacerdotibus, nequaquam hac commixtione unguenti, & ſanguinis conſecrandus eſſet; ſed ſola ſacri unguenti effuſione, ut dicemus, ſummi apicis dignitatem conſequeretur.

Dubium tamen remanet circa hanc commixtionem ſanguinis, & unguenti: undenam ſanguis ſumi deberet: cum ſanguinem ſuper altare poſitum, ſumendum fuiſſe dicatur. An nimirum ſanguis jam ſuper altare fuſus aliquo inſtrumento eligendus eſſet, & oleo commiſcendus; ut horum commixtione, Sacerdotes conſecrarentur: an verò de eodem ſanguine ſumi deberet; quo altare aſperſum fuiſſet; cujus ſanguinis pars aliqua in aliquo vaſe, poſt conſperſionem ſuper altare ſervato remanſiſſet, deque ſanguine iſto intelligendum ſit divinum præceptum, quo in Sacerdotum ſanctificationem, ſanguinem de altari accipi mandatur.

Rabbi Salomon omnium mendaciorum refertiſſimus, quem Judæi velamen ſuper oculos habentes, ſtupore mentis capti tanti faciunt, ut רֹאשׁ הַמְּפָרְשִׁים illum dictitent: hoc eſt omnium ſacræ Scripturæ interpretum caput, & Principium; cui ſubſcribit Nicolaus de Lyra, cum reliquis Rabbinis; eligendum fuiſſe affirmat ſanguinem, quem antea effuſum in altaris cornibus, ſacra tradiderant oracula, & in eo ſanguine intincto digito aſpergendos Sacerdotes: effuſionem enim ſanguinis arietis conſecrationis in cornibus altaris faciendam tradunt. Quemadmodum de priori hoſtia pro peccato oblata, in textu dicitur, per hæc verba: *Sumptumque de ſanguine vituli pones ſuper cornua altaris digito tuo.* Quibus ſi objicias verba illa, *per circuitum*, in præallegato textu; & ab his quæras, qua ratione ſtare poſſit, quod ſanguis per circuitum fuſus dicatur; cum duo tantum altaris cornua contradictoriè oppoſita, eo ſanguine tincta Rabbini conſtanter doceant: nugas ſuo more hi comminiſcuntur; affirmantque dici *per circuitum* fuſum ſanguinem; quod in duobus angulis altaris contradictoriè poſitis effuſus, ad quatuor latera altaris reſpiciat. Quamobrem ex habitudine duorum angulorum, ad quatuor latera altaris, ejuſdem altaris commenſurandum circuitum blaterant.


Celeberrimus ille vir Alphonſ. Toſtat. Epiſcopus, Abulenſ. quæſt. 11. in cap. 29 Exodi; hanc Nicolai de Lyra, & Rabbinorum expoſitionem, optimo jure redarguit: ex diverſarum ſacrarum Scripturarum phraſi ſumpto argumento, in qua aliud eſt, ſanguine aliquid tingere; aliud verò ſanguinem ſuper aliquid effundere. Nam aliquid ſanguine tingere, eſt digito in ſanguine jam intincto, eodem res ſanctificandas linire: at verò ſuper aliquid ſanguinem effundere dicimus, cum ſanguis ſuper illud quod ſacratur, inſtillatur. Cum igitur in ſacrificio vituli pro peccato oblati cornua altaris tingenda dicantur; & cum agitur de ſacrificio conſecrationis, ſanguinem fundendum eſſe ſuper altare circumcirca mandetur: idque plurimum differat ab hoc, quod eſt cornua altaris tingere; perſpicuum eſt, quantum in his Rabbini, & eorum ſequaces delirent.

Redarguit etiam Rabbinorum dicendi modum; quia madefacere cornua altaris contradictoriè oppoſita, nequaquam ſanguinem effundere, per altaris circuitum erit, ut præſcribitur in textu; & denique contra eamdem expoſitionem inſurgit Abulenſis: quia quemadmodum in ſacrificio pro peccato, & in holocauſto oblato in ea Sacerdotum conſecratione, cæremoniæ ac ritus aliorum ſacrificiorum pro peccato oblatorum, & holocauſtorum ad lineam ſervabantur; ita in hoc ſecundo ariete pro ſacrificio conſecrationis oblato, cæremoniæ, ritusque pacificorum ſervari debuerunt. Cum igitur nullibi in ſacrificiis pacificorum A aut holocauſti cornua altaris ſanguine tingenda dicantur; ita neque in hoc ſacrificio conſecrationis talia Rabbinorum commenta, à divinis oraculis aliena, excogitare licitum erit.

His rationibus, ſententia expoſitioneque Nicolai de Lyra, & Rabbinorum rejecta, Abulenſis ſententiam propriam in medium affert; docetque ſanguinem accipiendum deſuper de altari ideò dici; quia hoſtia conſecrationis jugulata, cruor hoſtiarum in pateris recipiebatur; atque de ſanguine arietis, qui conſecrationis appellabatur, pars aliqua ſupra parietes altaris aſpergebatur; pars verò reliqua in ipſis B crateris ſeorſum ſuper altare reponebatur. Cui tandem ſacrum conſecrationis oleum admiſcebatur; ut eo Sacerdotales veſtes, tam majorum, quam minorum Sacerdotum aſperſæ ſacrarentur. ſicque intelligenda putat; quæ habentur Levit. 8. & Exodi 29. cum Dominus Moyſi ait: *Cumque tuleris de ſanguine, qui eſt ſuper altare, & de oleo unctionis, aſperges Aaron, & veſtes ejus, & filios, & veſtimenta eorum.*

Duo ſunt à nobis in præſentiarum advertenda; quibus noſtra ſententia aperiatur, & fulciatur: falſo nimirum dici à Lyrano, & Rabbinis, duo altaris cornua, in arietis immolatione ſanguine tincta, & per habitudinem duorum cornuum, ad quatuor alta- C ris latera, dici fuſum ſanguinem per circuitum altaris, ut rectè Abulenſis reprobat; cui etiam de ſanguine jugulatis hoſtiis in pateris recepto aſſentimur: ſed non videmus, ſacrarum Scripturarum neceſſitate, compelli ad crateras ſuper altare reponendas, ut volebat Abulenſis: commentitium quidem fore, quod de ſanguine arietis conſecrationis, Rabbini cum Lyrano excogitarunt, ſacra hebraica exemplaria eiſdem aperte oſtendunt.

Ut igitur hi expergiſcantur: obſervandum erit, duplicem tantum ſanguinis uſum in ſacris apparere Moſaicis. Alter in ſacrificio pro peccato, quo cornua altaris per gyrum tinguntur. de quo dicitur Le- D vit. 8. in ritibus conſecrationis Sacerdotum: *De ſanguine vituli immolavit, hauriens ſanguinem, & tincto digito tetigit cornua altaris per gyrum.* Qui quidem uſus tingendi cornua per gyrum, erat juxta formam, & figuram cornuum, ut claritatis gratia ex hac figura conſtat.



E Et quia ab utroque latere tingebantur; propterea per gyrum tingenda traduntur. Quo facto ex legis præſcripto, quicquid in cratere remanſiſſet ſanguinis; ad baſim altaris per circuitum in canalem hac de cauſa ibi paratum effundebatur: qui ritus ſemper in ſacrificio pro peccato ſervabantur: in ſacrificio verò pro peccato Sacerdotis, vel populi, ſanguine ob- F latæ victimæ, cornua etiam altaris thymiamatis per gyrum liniebantur, ut ſuis locis dicitur: ita tamen, ut ſemper reſiduum ſanguinis, ad baſim altaris exterioris atrii funderetur.

Alter ab iſto erat ſanguinis uſus, in ſacrificio holocauſti, vel pacificorum: utrobique enim ſanguis jam receptus in cratere, ſupra parietes altaris circumcirca aſpergebatur. Quamobrem tam quando ſer-

ſermo eſt de holocauſto, quam cum agitur de pacificis, hæc verba in hebraico textu habentur, Levitici. 8. וַיִּזְרֹק מֹשֶׁה אֶת־הַדָּם עַל־הַמִּזְבֵּחַ סָבִיב *vaizroqh moſceh heth hadam nghal hamizbeach ſabhibh.* Quæ ad verbum interpretata, ſic reddenda erunt: *Et aſperſit Moyſes ſanguinem ſuper altare circumcirca.* Similiter Exodi 29. per idem verbum וַיִּזְרֹק aſperſio illa ſignificatur; quæ quidem dictio, *aſpergere*, non verò digito linire ſignificat: cum linire dicatur per verbum נָתַן *nathan*, quod interpretatur *dedit.* Quamobrem ex ſacro textu perſpicuum eſt, quod dum agitur de linitura quatuor cornuum, quæ ſanguine hoſtiæ pro peccato oblatæ fiebat; illa per verbum נָתַן dicitur; quoties verò agitur non de aſpergendo, ſed de effundendo ſanguine hoſtiarum, toties hæc aſperſio per verbum יִצֹק *jatzaqh*, quod interpretatur *fundere*, exprimitur. Fiebat autem dimittendo liquorem, ſeu diſtillando ſanguinem ſuper illud, quod ſanguine expiandum fuiſſet.

Cum igitur tam in ſacrificio pacificorum, quam in holocauſto ſacra Scirptura utatur verbo זָרַק *zaraqh*, quod interpretatur *aſpergere*; & in conſecratione Sacerdotum, aſpergendus ſanguis ſuper altare circumcirca dicatur; de ſanguine ſuper altaris parietes aſpergendo intelligenda erit: Quod etiam Gentilium argumento probari poſſet; nam Lucianus in dialogo de Sacrificiis, ubi idololatrarum ritus irridet, ait: *Atque ſacrificus ſanguine fœdatus, neque aliter quam Cyclops ille pecudem incidit, inteſtina educit, cor revellit, cruoreque altare circumfundit.* Non igitur planum altaris, ſed parietes circumcirca, cruore perfundebantur; & ſanguine arietis immolati pro ſacerdotum conſecratione aſpergebantur. Nam cum in plano altaris flamma arderet; ſacer textus non dixit circumcirca flammam, ſed circumcirca, tam in holocauſto, quam in ariete conſecrationis, altare ſanguine conſpergendum fuiſſe. Igitur utrobique idem erit ſanguinis uſus; aſperſione nimirum, & non effuſione, aut linitione; ſicque Rabbinorum commenta, atque excogitata facillimè evaneſcent.

Aderit quoque Joſephus Hebræorum Sacerdos lib. 3. Antiquit. cap. 10. duplicem iſtum ſanguinis uſum, in ſacrificiis Hebræorum admittens; quorum ipſe non ſemel, aut bis, ſed ſæpiſſimè miniſter fuit. Nam agens de holocauſto, ait: σφαγέντων δὲ τούτων, τὸν κύκλον τῷ αἵματι δεύουσι τοῦ βωμοῦ οἱ ἱερεῖς. hoc eſt, *His*, ſupple victimis, *jugulatis, Sacerdotes aram circumquaque ſanguine horum tingunt.* Et infra de pacificis idem ait: *Cum verò pro gratiarum actione ſacrificant, eorumdem generum animalia mactant, ſed quæ vitio careant; & anniculi ſint majora, & maſcula fœminis copulata.* Sed parum ad nos de ſacrificiis; ritum ſanguinis quærimus, de quo ait: θύσαντες δὲ ταῦτα φοινίσσουσι μὲν αἵματι τὸν βωμόν. hoc eſt, *His jugulatis ſanguine aram imbuunt.* Demum cum loquitur de ſacrificio oblato pro peccato, ſubdit: ὁ μὲν γὰρ κατ' ἄγνοιαν εἰς τοῦτο περιπεσών, ἄρνα καὶ ἔριφον θήλειαν τῶν αὐτῶν ἐτῶν προσφέρει, καὶ τῷ μὲν αἵματι δεύει τὸν βωμὸν ὁ ἱερεὺς, οὐχ ὡς τὸ πρῶτον, ἀλλὰ τῶν γωνιῶν τὰς ἐξοχάς. hoc eſt, *Nam qui per ignorantiam peccavit, agnum & hædum fœminam, ejuſdem ætatis offert, Sacerdosque ſanguine irrigat, non ut ante, aram, ſed angulorum faſtigia.* Eſt autem imbuere aram ſanguine, (ut Joſephum intelligamus) liquore vel odore aliquid inficere. Quamobrem apud Virgil. quoque Eclog. 1. qui agebant de ſacrificiis Diis perſolvendis, dicebant:

Namque erit ille mihi ſemper Deus, illius aram
Sæpè tener noſtris ab ovilibus imbuet agnus.

De hac igitur infectione aræ, ſanguinis aſperſione, intelligendus erit Joſephus, cum dixit in holo-

A cauſto, & ſacrificio pacificorum, aram ſanguine imbuendam fore. Nam imbuere, ſignificat etiam facere imbibere; quamobrem Horatius lib. 1. Epiſt dixit:

Quo ſemel eſt imbuta recens, ſervabit odorem
Teſta diu.

Quæ igitur in ſacris oraculis de aſperſione ſanguinis per circuitum altaris traduntur; intelligenda ſunt de aſperſione non in cornibus, ut Rabbini volebant; neque in plano ſuperiori altaris, ſed circumcirca altaris parietes.

B Sanguinem jugulatarum hoſtiarum, in pateris, atque crateris recipi ſolitum, rectè docet Abulenſis. Nam & apud Gentiles eorumque ſacra, id uſitatiſſimum fuit: quamobrem Virgil. Ecloga 1. ait:

. . . . . . paterisque cruorem
Suſcipiunt tepidum.

His ſimilia habes apud eumdem lib. 6. Æneid. ubi inter varia miniſtrantium munera, illorum quoque meminit, qui cruorem in pateris recipiebant. Multa poſſent hic dici à nobis de pateris, crateribus, aliorumque vaſorum generibus: ſed de cratere, crateraque diximus in Myrothecio primo; multò-
C que plura haberemus de hac re, ſi Euſtath. Homer. commenta longa huc afferre liceret. Nobis iſta ſufficiant.

Verum in eo, quod Abulenſis de loco pateræ in altari docet, nec ab eo diſſentimus, nec convenimus. Nulla enim ex ſacris oraculis neceſſitate cogi arbitramur, deſuper altare à Moyſe ſumendam fuiſſe pateram, in qua ſanguis arietis conſecrationis ſervaretur: quia dicitur Exodi 29. nu. 21. *Cumque tuleris de ſanguine qui eſt ſuper altare, & de oleo unctionis, aſperges Aaron, & veſtes ejus, filios & veſtimenta eorum.*

Partem quidem ſanguinis ſupra parietes altaris
D fuiſſe aſperſam fatemur; partem verò remanſiſſe in patera, ſeu cratere dicimus; nullo verò argumento affirmare cogimur, neceſſario craterem illum in altari repoſitum extitiſſe. Quod enim ad expiationem Sacerdotum ſanguinis pars aliqua, in cratere ſervaretur; ex ſacris Scripturis non improbabiliter ſubodorari poteſt: nam Exodi 24. cum populus paciſci cum Deo vellet, ſic legitur de ritibus illius ſacrificii: *Miſitque*, ſupple Moyſes, *juvenes de filiis Iſraël, & obtulerunt holocauſta, immolaveruntque victimas pacificas Domino, vitulos duodecim.* & infra: *Tulit itaque Moyſes dimidiam partem ſanguinis, & miſit in crateres: partem autem reſiduam fudit ſuper altare.* hæc
E ibi: quamobrem in crateris ſimiliter cum altaria, utenſilia, Tabernaculum, Sacerdotesque conſecrarentur, ſanguinem fuiſſe repoſitum, non improbabili argumento affirmare poſſumus. Sed quo in loco ſanguinis crater ſervaretur; utrumne ſuper altare, an ſeorſum ab altari, non video unde nobis id colligendum ſit. Quamobrem ad ſufficientem ſacrorum oraculorum interpretationem, dici poſſe putamus, ſumptum fuiſſe ſanguinem de altari; dum miniſter, ſanguinem ſeorſum ſervatum in cratere accepiſſe dicitur; de quo ſanguine in cratere ſervato, parietes altaris aſperſi jam fuerant. Quæ interpretatio litterali ſenſui optimè accommodatur.

F Sanguis & oleum, quo Sacerdotes conſecrabantur, commixtane, an ſeorſum ſumenda, Sacerdotumque veſtimenta, inſpergenda forent, adhuc inveſtigandum remanebat: ſed nihil certi ſubodorari poteſt. Scripturis ſacris magis conforme arbitratur Abulenſ. quæſt. 11, in cap. 29. Exodi: Sanguine ſeorſum ab oleo, Sacerdotes fuiſſe aſperſos, oleo à ſanguine ſeorſum ſimiliter conſecrata fuiſſe Sacerdotum

tum veſtimenta. Quæ ſi veritatem tangunt; dicendum eſſet, veſtimenta prius ſanguine ad expiationem conſperſa, deinde oleo conſecrata; quia ſanguis erat ad expiationem, oleum ad conſecrationem; & expiatio conſecrationem præcedebat. Doctiora alii viderint; nos quæ licuit, diximus.

Verum de modo, & forma hujus aſperſionis eſt aliqua dubitatio: nec deſunt inter graviſſimos Scriptores, qui animo pendeant, idque decernere nequeant; an videlicet hujuſmodi, Sacerdotum & ſacrarum veſtium, conſecratio, oleo ac ſanguine commixtis, effuſione, vel aſperſione fieret. Illud certè affirmare horrent, ne præſtantiſſimas, ac digniſſimas ſacrorum veſtes, commixtione ſanguinis & olei commaculatas, ac deturpatas fateri cogantur. Nec enim illas ablui licuiſſe, emaculandi cauſa putant; tum ne variam & præſtantiſſimam ex auro, argento, gemmis, margaritis, & aliis digniſſimis rebus texturam, dum à maculis emundare nituntur, fricatione perderent; (præſertim Abulenſis id timet; qui olei maculas ſimplici ablutione non tolli docet) tum denique, quia dum veſtes illas purgare, maculasque tollere niterentur Sacerdotes, ad tollendam conſecrationem ſtudium adhibuiſſe cenſerentur: quamobrem non deſunt, qui affirment Dei miraculo, veſtimenta ſacerdotalia, ea olei effuſione nequaquam maculata remanſiſſe. Abulenſis contra horum commentum merito inſurgit: ut quid enim multiplicare miracula ſine neceſſitate? nam miraculo adſcribere, quæ ſine illo fieri, congruenterque ſacris litteris interpretari poſſunt; à viro docto aliena eſſe debent. Eſt enim Hebræorum ſtultitia, Rabbinorumque ignorantia, oracula omnia, quæ aliquam vix difficultatem involvunt; divinæ adſcribere omnipotentiæ; ut intimius rectam ſacrarum Scripturarum intelligentiam, & ſenſuum magnalia in ſacris litteris requirere non cogantur.

Rectius verò ſenſerunt, qui non effuſione, ſed vera aſperſione olei & ſanguinis, nullo concurrente miraculo, conſecrari veſtes Sacerdotales, ex more dixerunt. Nam maculæ illæ ſacris in veſtibus receptis, non ad horrorem, ſed ad honorem; non ad fœtorem, ſed ad odorem; non ad turpitudinem, ſed ad pulchritudinem; non ad turporem, ſed ad decorem Sacerdotibus ceſſiſſe, non eſt ambigendum. Etenim quis non videat, profanorum unguentorum uſum ac luxum, etiam apud Gentiles id deveniſſe in pretium, ut honoris ac dignitatis eſſet, ex odoratis unguentis, commaculatas deferre veſtes? ſicut præcedenti Myrothecio abundè oſtendimus. Eo enim laſcivia veterum Ethnicorum devenerat; ut columbas in conviviis aromatibus infectas, huc, atque illuc ſuper convivas dimitterent; ut confidentes ſuper convivarum veſtes, unà cum maculis ſuaviſſimum quoque odorem veſtimentis communicarent: quamobrem regium nepotini illi arbitrabantur, unguentis præſtantiſſimis inquinari. Hinc apud Homerum lib. 7. Odyſſ. Ulyſſes ad Regiam Alcinoi accedens, veſtimentis præſtantiſſimis, à mulieribus eidem præſtitis, induitur; quæ a Poëta his verbis deſcribuntur:

Καιροσέων δ'ὀθονέων ἀπολείβεται ὑγρὸν ἔλαιον.

Ubi meminit olei ſtillantis ex illis veſtimentis. De oleo quidem aromatizato proculdubio intelligendus eſt Poëta; tum dictione Καιροσέων, qua præſtantia unguenti aperitur; tum quia de veſtibus agitur, pro uſu regiæ domus, eadem in Regia à mulieribus ſimul cum Regina contextis. ſic autem interpretatur poſitum Homeri carmen:

Teſtamineis autem è veſtibus diſtillabat humidum oleum.

Quod ſi hæc ita ſe habebant in præſtantiſſimis Regum veſtimentis; ut decoris eſſent maculæ contractæ, ex uſu prophanorum unguentorum: illud quoque decus, veſtibus Sacerdotalibus ex ſacro chriſmate non erit denegandum; quarum maculæ conſecrationis cauſa contractæ, characteres dignitatis cenſendæ videbantur. His igitur maculis nequaquam terremur, quo minus ſacras Sacerdotum veſtes, olei, ac ſanguinis commixitione conſperſas fateamur.

Sed aſperſio ex Dei præſcripto, qua ratione ac forma fieret, ambigendum remanet; aſperſorione, an denique digitis prius intinctis in eadem olei, & ſanguinis commixtione, in ſeipſis nimirum primum compreſſis, demumque à conſecrante in veſtibus conſecrandi relaxatis, ut ſanctificarentur. In qua difficultate, cum non habeat Abulenſis quid decernat; minimum referre arbitratur, ſive hoc poſtremum, ſive primum affirmetur, ſuam de hac re ſententiam aperiens, *Dicendum ergo*, inquit, *videtur, quod aſpergebantur veſtes Sacerdotum, & ipſi Sacerdotes oleo unctionis, mixto cum ſanguine; ſive illa aſperſio fieret digito Moyſis, ſive aliquo alio aſperſorio non refert.* Plurimum verò id cognoſcere referre nos arbitramur, qui ritus inveſtigamus; & ex cæremoniarum vera intelligentia, innumerabilia ſacrarum Scripturarum loca reſerari cognovimus.

Pendet verò iſtarum cognitio, ex recta hebraicarum vocum intelligentia, & ex illarum dictionum, quæ in prædictis locis habentur, propria ſignificatione. Eapropter ipſamet ſacrorum textuum verba nobis in medium afferenda erunt. Primus locus habetur cap. 29. Exodi, Deo ad Moyſem dicente: *Cumque tuleris de ſanguine, qui eſt ſuper altare, & de oleo unctionis, aſperges Aaron, & veſtes ejus, filios, & veſtimenta eorum.* Quæ verba habentur in hebraico ſub hac forma: וְלָקַחְתָּ מִן־הַדָּם אֲשֶׁר עַל־הַמִּזְבֵּחַ וּמִשֶּׁמֶן הַמִּשְׁחָה וְהִזֵּיתָ עַל אַהֲרֹן וְעַל בְּגָדָיו וְעַל־בָּנָיו וְעַל־בִּגְדֵי בָנָיו quæ ſic erunt ad verbum interpretanda: *Et accipies de ſanguine qui ſuper altare, & de oleo unctionis, & aſperges Aaron, & veſtimenta illius, filios ejus, & veſtes illorum.* Quod idem repetitur per idem verbum נָזָה *nazah*, tamquam jam factum c. 8. Levitici, dum agitur de ritibus in conſecratione Sacerdotum ſervatis, variata ſolummodo coniugatione prædicti verbi נָזָה: quod quidem legitur vel in conjugatione, quam Hebræi vocant *hiphghil*, ut Exodi 29. in loco allegato illa dictio הִזֵּיתָ vel in conjugatione leni, quam vocant *chal* magiſtri linguæ ſanctæ; ut Levit. 8. ubi habetur dictio וַיִּז *vajaz*, quæ eſt ab eadem radice נָזָה *nazah*, & ſimiliter *aſpergere* ſignificat.

Ut autem rectam intelligentiam prædictorum locorum expiſcari poſſimus; attendatur, quodnam diſcrimen, inter effundere, aſpergere, & alia ſimilia reperiatur ex hebraicis vocibus: quidque diſcriminis appareat inter dictiones שָׁפַךְ *ſchaphach*, יָצַק *Jatſaq*, & נָזָה *nazah.* Quæ omnia verba, actum effundendi liquorem, & quodammodo aſpergendi ſignificant: inter quæ tamen illud eſt diſcrimen, ex hebraicis Dictionariis, quod verbum שָׁפַךְ *ſchaphach*, ſpargendo effundere ſignificat: ſive effundendo ſpargere: quamobrem tam de liquidis, quam de aridis verificatur; adeò ut tam de aqua, quam de vino, de ſanguine, aliiſque liquoribus non ſolum dici poſſit; ſed etiam de pulvere, de lapidibus, atque aliis ſimilibus: qua ratione Pſal. 7. dicitur: *Ultio ſanguinis ſervorum tuorum, qui effuſus eſt:* ubi hebraicè ea effuſio, per illud verbum שָׁפַךְ explicatur. At verbum *jatſaqh*, effuſionem alicujus rei ſignificat; quæ non quidem ſpargendo, ſed diſtillando fit: & de liquidis tantum, non vero de aridis dicitur. Hinc Levit. 8. & alibi ſæpè, cum agitur in ſacrificio pro peccato, de effuſione ſanguinis hoſtiæ, cujus ſanguis in canalem ad baſim altaris excavatum effundebatur; ubique in ſacris litteris, ſanguinis effuſio iſta, per ver-

bum *jatzaqh*, quod effuſionem ſtillando repræſen- A
tat, exprimitur.
Sed verbum זָרַק *zaraqh*, à ſuperioribus differt;
quia ejus vis eſt effuſionem, quæ fit cum aſperſorio,
ſignificare. Jtaque licet liquidis & aridis proprie tri-
buatur, non tamen abſque inſtrumento illæ aſper-
ſiones intelligi debent. Eapropter inſtrumenta,
quibus ſanguis ſuper altaria in ſacrificiis aſpergeba-
tur; per derivationem ab eo verbo, מִזְרָקוֹת *mizra-
qhot*, dicebantur, quæ rectè nos interpretari poſ-
ſumus *aſperſoria.* Quamobrem Exodi cap. 24. ubi nos
in vulgato codice legimus: *Tulit itaque Moyſes dimi-
diam partem ſanguinis; & miſit in crateras, partem
autem reſiduam fudit ſuper altare*, &c. in hebraico B
textu ſic legimus וַחֲצִי הַדָּם זָרַק עַל־הַמִּזְבֵּחַ Quæ ſic in-
terpretanda erunt: *Et dimidium ſanguinis aſperſit ſuper
altare.* Quæ aſperſio, aſperſorio facta intelligi de-
bet, ex vi verbi atque vocabuli: quoties verò ſa-
cra Scriptura de aſperſione ſanguinis ſuper altaris
parietes agit, toties eo verbo utitur.
Significatum tandem verbi נָזָה *nazah*, licet ſit
neutrum; & ſolum imperſonaliter à nobis interpre-
tari poſſit; tamen verbum הִזָּה *hizzah*, quod ab illo
derivatur, non aliter latinè exprimere poſſumus,
quam per verbum *aſpergere;* ſed magis proprie ver-
nacula lingua dicitur *ſpruzzare:* & alia voce dicitur
ſchizzare: Hiſpanicè verò dicitur *ſalpicare.* Quæ C
liquidi humoris aſperſio, inſtrumento non fiebat;
ſed vel caſu ex ipſamet liquida materia (tantum
enim de liquidis verè dici poteſt verbum illud) vel
manu digitis in humore liquido intinctis, & ad eam-
dem manum complicatis, ac demum ſolutis, ejuſ-
dem liquidi humoris fiebat aſperſio. Locum aliquem
afferamus, & ſumatur ex cap. 4. Levit. ubi nos le-
gimus: *Cumque intinxerit*, ſupple Sacerdos *digitum
in ſanguinem, aſperget eum ſepties coram Domino.* He-
braicè ſic legimus וְטָבַל הַכֹּהֵן אֶת־אֶצְבָּעוֹ בַּדָּם וְהִזָּה וגו
Quæ ad verbum ſic interpretari licet: *Et intinget
Sacerdos digitum ſuum in ſanguine, & aſperget*, &c.
quæ verba vernacula lingua perappoſitè ſic verti po- D
terunt: *Et intingera il Sacerdote il dito ſuo nel ſangue,
& ſpruzzerà del ſangue ſette volte*, &c. Quamobrem
ubique in Scripturis ſacris, in hac ſignificatione ha-
bebis uſum prædictæ vocis הִזָּה
Liquido ex his conſtat, parum rectè Abulenſem,
vim illius dictionis contempſiſſe; affirmans nihil re-
ferre, an aſperſio iſta fieret digito Moyſis, an ali-
quo inſtrumento: multum enim referebat, cum ad
ritus Conſecrationis à Deo præſcriptos ritè ſervandos
illa dictio faceret. Digito igitur tantum fieri de-
buiſſe, ac licuiſſe, juxta Dei præſcriptos ritus, aſ-
perſionem hanc ſanguinis & olei, affirmandum erit:
deque tali aſperſione ſacri intelligendi ſunt textus, E
quoties in Sacerdotum conſecratione, Moyſem ſan-
guine & oleo veſtimenta, Sacerdoteſque aſperſiſſe
tradunt tam cap. 29. Exodi, quam cap. 8. Levit.
Semper enim loquitur ſacer textus per verbum נָזָה
nazah, quod digito aſpergere aliquid ſignificat; hæc
enim in prædicto loco ſunt verba hebraici textus.
וַיִּקַּח מֹשֶׁה מִשֶּׁמֶן הַמִּשְׁחָה וּמִן־הַדָּם אֲשֶׁר עַל־הַמִּזְבֵּחַ וַיַּז עַל־אַהֲרֹן
עַל־בְּגָדָיו וְעַל־בָּנָיו וְעַל־בִּגְדֵי וגו & hæc ad verbum ſic erunt
interpretanda: *Et accepit Moyſes de oleo unctionis, &
de ſanguine qui ſuper altare erat, & aſperſit ſuper Aa-
ron, ſuper veſtimenta ipſius, & ſuper filios ejus, & ſu-
per veſtimenta*, &c. Quamobrem lingua vernacula
optimè ſic reddi poſſet: *Et pigliò Moisè dell' oglio*, F
*dell' ungimento, e del ſangue, che ſopra l'altare era,
& ſpruzzò ſopra d' Aarone, ſopra le ſue veſtimenta, e
ſopra li figliuoli di quello, e ſopra le veſti*, &c. id eſt,
ſuper veſtes filiorum ejus cum illo. Et hæc eadem
omnino per eadem verba habentur Exodi 29. Con-
cludendum igitur erit, quod digitis prius in illa olei
& ſanguinis commixtione intinctis, & eiſdem com-
preſſis, ac demum ſolutis, ita ut liquor ille ad Aa-
ronem, & veſtes illius, ac filiorum pertinge-
ret; minorum Sacerdotum conſecratio perſolvere-
tur.

CAP. LXXIX.

Pontificum conſecratio effuſione unguenti monſtratur.

Ad loca Levit. 8. *Labrumque cum baſi ſua ſanctificavit oleo. Quod fundens ſuper caput Aaron, unxit eum, & conſecravit.* Exodi 29. *Et pones tiaram in capite ejus, & laminam ſanctam ſuper tiaram, & oleum unctionis fundes ſuper caput ejus: atque hoc ritu conſecrabitur.* & ad alia.

QUIBUS ritibus, quibuſque cæremoniis, olim jam Summi Sacerdotes in lege Naturæ ſacrarentur, difficile eſt cognoſcere. Mitto nunc, quas poſtmodum Gentilium errores, in ſacris Idolorum induxere cæremonias: nam ipſi quoque ſacris Iſiacis, Eliacis, Perſicis, & Mythricis initiabantur. Quid ultra afferam? nobis cum his ſermo non eſt; ſed cum ſacris ſtare conamur. Etenim in lege Naturæ conſecrari oleo Sacerdotes conſueviſſe, pro certo Bolduch. lib. 3. de Eccleſ. ante leg. cap. 8. affirmat, & ex illo Jobi 29. probari contendit, qui de ſeipſo loquitur, dicens: *Quando lavabam pedes meos butyro, & petra fundabat mihi rivos olei.* Qui auctor juxta hebraicam phraſim legit: *Et petra fuſa mecum rivorum olei*: ubi petræ nomine unguentarium alabaſtrum intelligit; cujus effuſione Prophetam patientiſſimum, initiatum ad ſacra, intelligit. Quem ſanè locum pace doctiſſimi viri, parum ad rem facere exiſtimarem: cum ibi Job loquatur de temporibus feliciſſimis; quando ipſe deliciis fruebatur, quando nimirum inter Orientales opulentiſſimam ipſe occupabat ſedem: potius enim de oleario vaſe Job intelligendus eſſet; & petræ nomine illud ſignificari concedendum: non quidem de vaſe ſacro, quo initiabantur Sacerdotes, ſed de unguentaria lenticula, quam mos erat, ſanctioribus etiam viris, ſecum ferre: ſicuti de Jacobo legimus. Vel petram fudiſſe ſibi rivos olei Job dixit, ad oſtendendum, quod omnia illi copioſiſſime tunc temporis ſuccedebant; atque arida ſibi fertiliſſima fiebant: quæ felicitas & agrorum fertilitas, oleo in Scripturis aliquando ſignificatur: ſic enim dicitur vinea in cornu olei; pro vinea, quæ multum fructificat, apud Iſaiam. Rationabilius igitur in conſecratione veteri ante latam legem, unctio Summi Sacerdotis ab odore veſtimentorum Eſau, me judice, hauritur; quæ dicitur Gen. 27. Jacob ad patrem loco Eſau pergentem induiſſe; ut fratri benedictionem ſurriperet. De quorum veſtimentorum fragrantia dicitur in textu: *Statimque ut ſenſit veſtimentorum illius fragrantiam benedicens illi, ait: Ecce odor filii mei ſicut odor agri pleni cui benedixit Dominus.* Qui ſanè veſtimentorum odor (quod maximè obſervandum eſt) non antea ad Iſaacum pervenit, quam ubi ad oſculum Jacob acceſſit; ut hinc non immeritò ſubodorari liceat, ex veteri & perantiqua unctione ſacerdotali, in veſtibus illis odorem defluxiſſe olim, atque tunc uſque perduraſſe. Sed quicquid ſit de Sacerdotibus in lege Naturæ, de quibus nihil certi habere poſſumus: certum tamen eſt ex divinis inſtitutis, Summum Sacerdotem, capitis unctione, à reliquis ſecerni ſolitum. Triplicem autem ſacri olei uſum ſacra nobis oracula exhibent, linitionem nimirum, effuſionem & aſperſionem, qua minores conſecrabantur Sacerdotes. Summus

mus autem Sacerdos, an ſacri olei linitione, an verò effuſione ejuſdem conſecraretur: ſunt qui dubitent.

Sorditiem veſtimentorum, ut aliqui, in Pontifice Hebræorum declinarent; effuſionem unguenti ab albo conſecrationis removendam duxerunt: quamobrem Nicolaus de Lyra, qui cum Rabbinis quandoque delirat, in præſenti difficultate ex doctrina Rabbi Salomonis, cui ipſe ſubſcribit; Genebr. in Pſ. 133. ex doctrina Rabbi Elias in Thiſbit: & alii etiam auctores à Toſtato quæſt. 2. in cap. 29. Exo. relati, communiter ſentiunt; nequaquam ſacri unguenti effuſione, ſed linitione verticis, Summum Sacerdotem conſecrari conſueviſſe. Et quidem neceſſariò ita ſentire coguntur; quotquot characteres in Summi Sacerdotis vertice effigiari imaginantur. Quamobrem Lyra ex Rabbi Salomonis doctrina, in ſacrando Summo Sacerdote, characterem quemdam, digito formari ſolitum affirmat, quale erat Græcorum *caph*. Sed in horum auctorum doctrina, in primis irridendum duco; quod de græco *caph* tradunt. Ego enim nullum, in toto græco alphabeto videre potui characterem, quod *caph* nominaretur; ſed uti-

A que characterem in eo cognovi, qui *cappa* appellatur; & eſt hujus formæ, atque figuræ, K. Unde verò tantus irrepſerit error in Nicolao de Lyra, ut pro *cappa*, *caph* legeret, ſuſpicari nequeo; niſi ex græcæ linguæ ignorantia. Fortè enim cum prædicta apud Rabbinos legiſſet, qui vocem illam hebraicis litteris exprimere nequibant, niſi hoc pacto פּכ *cappa*; ipſique Rabbini in ſuis libris quaſcumque voces ſine punctis ſcribant; & prædictum græcum *cappa*, his duobus characteribus ſcripſiſſent פכ, Nicolaus de Lyra, ſive alii, ſine *daghes* legendo litteram פ, pro *cappa* quod ſonabat vox illa cum *daghes*, legerunt *caph*.

B Perſiſtendo igitur in germano ſono prædictæ vocis græcæ *cappa*, juxta doctrinam illorum Rabbinorum: character ille, qui ſacro unguento in vertice Summi Sacerdotis figurabatur, veluti græcum *cappa*, tale K erat: ad quod formandum linea una protrahebatur ab auricula ad auriculam; & ex medio vertice duabus protractis lineis ad ſupercilia oculorum, figura characteris formabatur: prout conſpicere licet in hac ſequenti figura.



Alii fuerunt Rabbinorum ſimiliter, qui linitionem affirmantes ex ſacro illo unguento, cum Elia in Thesbith; in Summi Sacerdotis vertice, græcum *gamma* minuſculum inverſum hoc pacto ⅄ figurandum tradiderunt: ut figura hac Sacerdotis nobis ſignare placuit, in qua ab occipite in ſummo vertice, ad oculum & ſupercilium dextrum uſque protracta linea, & à ſumma fronte, ubi linitura frontem ingrediebatur, alia ducta linea ad ſupercilium ſiniſtri oculi, græcum *gamma* conſpicitur.

Quibus etiam acceſſerunt alii quos refert Genebrar. loco jam citato, qui in vertice Summi Sacerdotis *Chi* græcum, in hunc modum X delineandum fuiſſe affirmarunt; ut in figura hic delineata monſtratur: in qua ad linituram ſeſe conſecantibus lineis in ſummo vertice, character ille apparet, ita tamen, ut oculos verſus, lineæ hinc inde penderent, atque dirigerentur.

Et denique alii; quorum meminit Abulenſis, figuram græci *Theta*, hoc pacto ϴ in ſummo vertice

E Sacerdotis, cum conſecraretur, effigiatam docent, ſicut ſequens oſtendit figura. Itaque totum Summum Sacerdotis caput linitione ſacri olei circumdabatur; lineola verò in ſummo vertice conſecrandi, eodem oleo ſignabatur, ut in ſequenti conſpicitur figura.

Hi tamen omnes linitione fieri conſueviſſe ſacram Summi Sacerdotis inaugurationem, fateri coguntur: alias enim figuræ, & characteres illi in ſummo vertice Sacerdotis ruerent, nullaque ratione effigiari potuiſſent. Sed verius erit, ſacriſque oraculis magis conſentaneum dicere, linitionem nullum habuiſſe locum: ſed in conſecratione Sacerdotis Summi, ſacrum illud unguentum ſuper ipſius caput tantum ef-

F fuſum fuiſſe. Quod etiam Abulenſis quæſt. illa 2. in cap. 29. Exodi affirmat, & quidem expreſſe vox ipſa textus noſtri vulgati indicat: qui tam Exodi 29. quam Levitici 8. ſemper eo verbo *fundere* utitur. Eſt autem *fundere*, cum de liquidis dicitur, illud idem quod *ſtillando ſpargere*; unde Claudian. inquit:

Peſ-

Peſſima fudit vina cadis.

Expreſſius verò & apertiùs hoc declarat hebraicus textus ; cum tam Exodi cap. 29. quam Levitici 8. conſtanter retineat, & utatur verbo יָצַק *jazaqh.* Nam Exodi 29. ſic legimus hebraicè וַיִּצֹק מִשֶּׁמֶן הַמִּשְׁחָה עַל־רֹאשׁ אַהֲרֹן *vaitſoqh miſcemen hamiſchah nghal ros aharon:* hoc eſt, *Et fudit de oleo unctionis ſuper caput Aaron.* Quibus liquido conſtat, Spiritum ſanctum ubique retinuiſſe vocem & verbum illud יָצַק *jatſaq*, quod, ut obſervant, & meritò Auctores Dictionariorum, & nos quoque capite præcedenti obſervavimus ; de fuſione liquidorum tantum, & de metallis etiam, quatenus liqueſcunt, ubique in ſacra Scriptura pronunciatur. Cumque iota unum, aut apicem unum inobſervatum dimittere ſit nefas ; & ubique ſacer textus, cum ſermo eſt de majorum Sacerdotum conſecratione, retineat verbum *fundere* ; præter rationem dicetur, ſola linitione majores Sacerdotes conſecrari conſueviſſe.

Nam ſi linitione conſecrari ſolerent Pontifices, ſatis fuiſſet dicere in textu : *Accipies de oleo unctionis, & linies caput illius* : vel, *& unges caput illius.* Nam ungere, quod dictione מָשַׁח *maſciach* explicatur, de ea linitione, quæ unguento fit, perappoſitè dici poteſt. Ut autem oſtenderetur, nequaquam linitione fieri conſueviſſe Pontificis conſecrationem, non incongruè in ſacro textu verbo יָצַק *jatſaq*, quod effuſionem ſignificat, dictio הַמִּשְׁחָה *hamiſchah* adjungitur ; ut pateat Summi Sacerdotis conſecrationem, nequaquam liniendo, ſed ſtillando, ſeu effundendo unguentum ſupra caput illius, qui Sacerdos fuiſſet electus, fieri debuiſſe.

Copiam hujus effuſionis ſancti olei, ſubindicat Propheta in Pſal. 133. dum per barbam fluens, nec non etiam uſque in ora veſtimentorum diſcurrens unguentum affirmat, dicens : *Sicut unguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron, quod deſcendit in oram veſtimenti ejus.* Verum ad propheticam phraſim ſubodorandam, remanet diſcutiendum, quid nomine oræ in pſalmo intelligendum veniat : ex illius namque intelligentia hujus unguenti copioſa effuſio manifeſtatur. Nam Genebrar. in præallegato Pſalmo, nomine oræ, ſupremam partem veſtis accipit, quæ collum cingit. Quia tamen in prædicto loco Pſalmi legimus עַל־פִּי מִדּוֹתָיו *nghalphi middothau*, id eſt ; *Super oram veſtimentorum ejus.* Poſſet etiam ſuſpicari, veſtimentorum oram à Propheta appellari veſtimentorum inferiores limbos : quia inter veſtimenta, quibus Sacerdos amiciebatur, Ephod tantum collo præ aliis adhærebat. Quamobrem ſi de ſuperiori ora Propheta intelligendus eſſet ; potius in ſingulari, quam in plurali ei loquendum videbatur. Cumque in plurali, Propheta veſtimenta nominet ; potius de parte inferiori ſingulorum veſtimentorum Sacerdotalium, quam de ſuperiori, verba præallegata accipienda erunt. In ſuperiori enim Sacerdos amiciebatur Ephod, qui uſque ad femora protendebatur ; infra illum tunica hyacinthina ; infra hanc linea tunica erat, quæ ad pedes uſque & infra, ſub hyacinthina extendebatur : itaque verſus inferiorem Sacerdotis partem, plures veſtimentorum oræ dabantur. Interpretatione igitur Genebrardi ſtare ſi vellemus, prophetæ ſuffeciſſet dicere, unguentum illud deſcendiſſe in oram veſtimenti ejus. At ſanctus propheta Spiritu ſancto ductus, ut copiam effuſionemque maximam unguenti hujus in Summo Sacerdote conſecrando inſinuaret, ad extremas & infimas uſque oras ſacrorum veſtimentorum, illud unguentum pereffluxiſſe aperuit ; ut a capite per barbam diſcurrens ſuper ephod, inde irrigarit tunicam hyacintinam, & denique byſſinam, ad extremam uſque illius partem.

A Verum oræ nomine, ſive ſuperiora veſtimentorum, ſive inferiora accipiantur, certum eſt ex loco Pſalmi effuſionem unguenti, non linitionem colligi. Frivola jam apparent, quæ Rabbini ſomniarunt de illis characteribus, & figuris. Eluduntur quoque, quæ ab eiſdem de linitione capitis dicta fuere : quoniam, ut ſtatim probabimus, Sacerdos Summus, cidari tecto capite, ſacro hoc unguento conſecrabatur. Quamobrem nulla ratione characteres illi, in capite Sacerdotis formari potuiſſent ; neque aliqua profectò, me judice, erit ars, quæ id effingere valeat.

Hæc quidem capitis unctio per olei effuſionem,
B adeò ſolius Summi Sacerdotis erat propria ; ut in hoc potiſſimum à conſecratione, & unctione minorum Sacerdotum, Pontificis conſecratio diſtingueretur. Minores enim Sacerdotes quoties ſacrabantur, utique ſacro oleo ungebantur ; ſed nequaquam in capite ſacram unctionem, ſed ſuper veſtes tantum ſuſcipiebant, quod etiam Nicolaus de Lyra, & Abulenſ. in cap. 29. quæſt. 2. optimè agnoverunt : neque ſimplici oleo, ſed oleo ſanguine mixto aſpergebantur, ut Exodi 29. dicitur. Primo enim ibi de conſecratione Summi Sacerdotis agitur, & fuſio ſacri chriſmatis in caput illius oſtenditur : quamvis verò poſtmodum de conſecratione minorum Sacerdo-
C tum ſermo inſtituatur ; nullibi ſacra oracula meminere uncti capitis filiorum Aaron, qui minorum Sacerdotum munere functuri erant.

Commentitiam autem unctionem manuum minorum Sacerdotum, quam excogitavit Abulen. q. 2. in c. 29. Exo. non admittimus. Hæc quidem illius ſententia nullo argumento fulcitur, niſi quod conſecratio minorum Sacerdotum in Moſaica lege cenſenda videatur ; quemadmodum nunc in Eccleſia conſecratio minorum Sacerdotum à conſecratione Epiſcoporum diſtinguitur. Epiſcopi namque tam in capite quàm in manibus ſacra unctione liniuntur ; at verò minorum Sacerdotum ſolummodo manus conſe-
D crantur. Quia verò in Summo Sacerdote auctoritas & miniſterium etiam tunc aderat ; in minoribus verò Sacerdotibus, ut ipſe ait, ſolum ac ſimplex miniſterium reperiatur : hoc unctione manuum ſignificatum, illud capitis & manuum conſecratione repræſentatur.

Sed quamvis, quæ Abulen. docet de conſecratione Epiſcopi & minorum Sacerdotum in Eccleſia Chriſti, vera ſint ; quod tamen in lege Moſaica id fieret, nullo probatur argumento ; ſed gratis comminiſcitur ab Abulenſi ; gratis igitur etiam à nobis rejicitur, & quouſque appareat aliquis ſacræ Scripturæ locus, quo probetur Abulenſis ſententia ; nos mino-
E rum Sacerdotum manus ſacro oleo conſecratas fuiſſe negamus. Quod etiam Nicolaus de Lyra ibid. negavit : & quidem optimo argumento ; quia nequaquam id fuiſſet prætermiſſum in ſacra Scriptura cap. 29. Exodi, vel cap. 8. Levit. ubi ex inſtituto agitur de conſecratione Sacerdotum. Cum igitur de hac manuum unctione nihil his in locis dicatur, illud ſine fundamento affirmare, ex loco aliquo ſacræ Scripturæ, omnino commentitium eſt & imaginarium. nam quamvis aliquando in ſacra Scriptura oleum unctionis eſſe ſuper Sacerdotes etiam minores dicatur ; de unctione ſanguine commixta, loca illa intelligi debent, qua veſtes illorum perfundebantur, & conſecrabantur.

F

CAP. LXXX.

Effuſionem ſacri unguenti, in conſecratione Pontificis, neceſſario requiri monſtratur.

Ad

Ad loca Exodi 29. *Veſtem autem ſanctam, qua utetur Aaron, habebunt filii ejus poſt eum ut ungantur in ea, & conſecrentur manus eorum ſeptem diebus; utetur illa qui Pontifex pro eo fuerit conſtitutus de filiis ejus.* Num. 20. *Tolle Aaron, & filium ejus cum eo, & duces eos in montem Hor. Cumque nudaveris patrem veſte ſua, indues ea Eleazar filium ejus, & Aaron colligetur, & morietur ibi.* Et ad alia.

HÆC ſacri unguenti profuſio in conſecratione Pontificis, nonnullis nequaquam viſa eſt eſſentialis, atque neceſſaria: quamobrem capite non uncto Summum Sacerdotem aliquando conſecrari poſſe cenſuerunt: ſi verò contra hanc ſententiam argumentum ſumatur à vi præcepti; affirmant de ſolo ſucceſſore Aaronis intelligendum eſſe; atque in reliquis ejus ſucceſſoribus nequaquam habere locum; quia Exodi cap. 29. leguntur hæc verba: *Veſtem autem ſanctam qua utetur Aaron, habebunt filii ejus poſt eum, ut ungantur in ea, & conſecrentur manus eorum.* Cum igitur filii Aaron tantum poſt ipſum, in ſancta Summi Sacerdotis veſte ungendi dicantur; videtur nequaquam ſervandos fuiſſe eoſdem ritus conſecrationis cum reliquis, qui poſt filios Aaronis, ad Summi Sacerdotii apicem aſſumebantur.

Sunt etiam, qui neque cum Eleazaro filio Aaronis, qui proximè patri in Summo Sacerdotio cooptatus eſt, ritus & cæremonias conſecrationis ſervatas fuiſſe dicant; quia in libro Numer. cap. 20. in Eleazari ad Summum Sacerdotium inauguratione, nihil de ritibus conſecrationis legitur. Quamobrem quemadmodum tunc in monte Hor, ſola ſacrorum indumentorum expoliatione, Aaron Summo Sacerdotio ceſſit: ita pariter ſolo ſacrorum veſtimentorum amictu Eleazarum Aaronis filium, Summum Sacerdotem conſtitutum; paternaque dignitate condecoratum affirmant. Quod etiam ſenſit Abul. quæſt. 15. in cap. 29. Exodi: ea ratione; quia ritus præſcripti ex lege, ad conſecrandum Summum Sacerdotem, cum Eleazaro in monte Hor ſervari non potuerint. Nam conſecratio Summi Sacerdotis, juxta præſcripta à Deo Moyſi, in Tabernaculo Domini facienda videbatur; cum ad oſtium Tabernaculi applicari deberet, qui conſecrandus fuiſſet Sacerdos; at Eleazarus extra caſtra in monte Hor, ſacri Pontificatus infulis decoratus legitur cap. 20. Numer. Quod autem in eo monte, Dei Tabernaculum tunc erectum hac de cauſa non fuerit, certum eſt. Cum igitur Eleazarus in monte, Summi Sacerdotis apicem adeptus ſit, ut affirmare cogimur; capitis unctio, atque ſacri unguenti effuſio de eſſentia conſecrationis Sacerdotum majorum nequaquam affirmanda videtur.

Sed licet hucuſque allata, ſpecimen veritatis præ ſe ferant; & auctoritas venerandi ſemper Abulenſis in eam ſententiam nos flectere debuiſſet; cum tamen veritate ſtandum ſit; hæc ab ea ſententia nos revocat: & potius certiſſimè tenendum dicimus, præceptum conſecrationis, & ſacræ unctionis effuſionem extendi non tantum ad Eleazarum primogenitum Aaronis, & reliquos illius filios, ſed etiam ad omnes poſteros primogenitos, quotquot deſcendentes ex ſemine Aaron, Sacerdotes Summi conſecrandi fuerunt. Quia verò noſtrum eſt cuncta ſacrorum oraculorum verba atque apices quam diligentiſſimè elucidare; ea propter ſacri textus verba in medium afferantur: ubi eſt ſermo de morte Aaron. Sunt verò hæc cap. 20. Numer. *Tolle Aaron, & filium ejus cum eo, & duces eos in montem Hor. Cumque nudaveris patrem veſte ſua, indues ea Eleazarum filium ejus, & Aaron colligetur, & morietur ibi. Fecit Moyſes ut*

A *præceperat Dominus, & aſcenderunt in montem Hor coram omni multitudine. Cumque Aaron ſpoliaſſet veſtibus ſuis, induit eis Eleazarum filium ejus. Illo mortuo in ſupercilio montis, deſcendit cum Eleazaro.* Hæc ſunt verba textus.

Intelligentia hujus textus haurietur, ſi attendantur, quænam veſtes hæ fuerint; quibus Aaron expoliato; Eleazarum Moyſes Dei miniſter veſtivit. In his enim decepti ſunt, Abulenſis & quotquot in ejus ſententiam ivere; exiſtimantes has veſtes, de quibus textus in morte Aaron loquitur, eaſdem omnino cum ſanctis & ſacris veſtibus fuiſſe; quibus nimirum Summus Sacerdos in Sanctuario Domini utebatur; B dum ſacris miniſtrabat; quod arbitrari nefas eſt. Nam veſtes, quibus Pontifex in Dei Sanctuario veſtiebatur, auro, margaritis, gemmis textura & opere fulgidis, ſanctæ erant; (ut cum Scripturis loquamur), iiſque ſolummodo Summus Sacerdos induebatur, quando Dei ſanctuarium, & Tabernaculum ingrediebatur; ut coram Domino ſacra myſteria in miniſterio ex munere obiret: in die præſertim expiationis, Deum optimum maximum pro ſe, & pro populo rogaturus, eundem iratum placaturus; & in neceſſitatibus conſulturus, divinaque excepturus oracula. ſic enim legimus capite 28. Exodi: *Facies veſtem ſanctam Aaron fratri tuo in gloriam,* C *& decorem, & loqueris cunctis ſapientibus corde, quos replevi ſpiritu prudentiæ; ut faciant veſtes Aaron, in quibus ſanctificatus miniſtret mihi.* Et infra: *Et veſtietur ea Aaron in officio miniſterii.* Quibus quidem verbis liquido conſtat, Pontificem ea ſacra veſte nequaquam veſtiri conſueviſſe, niſi in officio miniſterii Summi Sacerdotii. Cum igitur ad hoc miniſterium nequaquam tunc Aaron vocaretur, quando unà cum Moyſe Montem Hor aſcendit, ut ibi moreretur; nec eam veſtem ſanctam induiſſe conſtat. Duo igitur genera veſtimentorum, Summo Sacerdoti, reliquiſque Dei miniſtris, neceſſariò deſtinare cogimur: quotidianum nimirum, & feſtivum. Et inter D quotidianas veſtes diſtinguendæ erunt domeſticæ à publicis: ſicut etiam Summo Sacerdoti dandæ erunt veſtes domeſticæ publicæ; & inter publicas à non ſacris different ſacræ, & inter ſacras aliæ erunt minus ſolemnes, quibus Summus Sacerdos utetur in feſtivitatibus & ſolemnitatibus, quando divinis myſteriis aſſiſtet; aliæ erunt ſolemniores; quibus ipſemet oracula conſulebat, excipiebatque; & ſacrificiis oblationibuſque ipſemet operam dabat. Et de his dicitur Exodi 29. num. 29. *Veſtem autem ſanctam, qua utetur Aaron, habebunt filii ejus poſt eum, ut ungantur in ea, & conſecrentur manus eorum.* Quam etiam veſtium differentiam Græci, Perſæ, & alii E Ethnici, & Romani quoque habuerunt: apud quos alia erant veſtimenta ſacra Sacerdotis Summi; alius verò minorum Sacerdotum amictus. Quamobrem Lucan. lib. 1. civil. bel. dum luſtrationem urbis, Pontificis & minorum Sacerdotum juſſu factam deſcribit, ait:

Mox jubet & totam pavidis à civibus urbem
Ambiri, & feſto purgantes mœnia luſtro
Longa per extremos pomeria cingere fines
Pontifices, ſacri quibus eſt permiſſa poteſtas,
Turba minor, ritu ſequitur ſuccincta Gabino.

Minorum igitur Sacerdotum turba amictu utebatur F Gabino; toga nimirum ſic in ſiniſtrum humerum rejecta, ut una lacinia à tergo revocata, hominem cingeret; quo amictu Summus Romanorum Sacerdos nequaquam utebatur; niſi in die propriæ expiationis, quando ſub ſcrobe effoſſus, hoſtiæ ſanguinem, veſtibus, capillo, vultu, genis, oculis, labris, ore, ac lingua excipiebat: tunc enim illum etiam uſum fuiſſe Gabino amictu, Prudentius

in Romano Martyre inſinuaſſe videtur. Erant itaque Summo Sacerdoti Hebræorum veſtes ſacræ, & non ſacræ; quibus etiam à minoribus Sacerdotibus, Levitis, & reliquo populo diſtingueretur, domique inter domeſticos uteretur. Quis enim audeat cogitare, nedum affirmare, Aaronem cubitum iturum, pranſurum, excrementa egeſturum, cum uxore coiturum, & alia plura ex naturalibus neceſſitatibus, atque indigentiis facturum, ſanctis indutum veſtibus? nefas ſit viro prudenti iſta cogitare. Etenim & filiis Aaron, qui minorum Sacerdotum miniſterio ac munere initiati fuerant, ſua à Deo ex officio linea veſtimenta deſignata fuerunt: non quidem quibus domi uterentur; nam de his Deus nihil mandavit; ſed quibus ad altare, & in Dei Tabernaculo ex munere miniſtraturi ornarentur: quæ quidem à veſtibus Summi Sacerdotis plurimum differebant; de quarum forma eruditè ſatis ac doctè Arias Montanus in ſuo Aaron, Torniellus, & alii recentiores viri docti abundè tractant. De quibus ita legimus Exo. 29. *Porrò filiis Aaron tunicas lineas parabis, & balteos, & tiaras in gloriam & decorem.*

Quo etiam amictu lineo Summus Sacerdos, in die expiationis, in Sanctuario Domini amiciebatur, ut legitur cap. 16. Levit. Cum igitur & veſtes iſtæ lineæ Summi Sacerdotis, aliæque auro contextæ, merito in ſacris litteris ſanctæ dicerentur; illorumque uſus in ſancto tantummodo miniſterio concederetur: proculdubio dicendum erit tam majores, quam minores Sacerdotes, alias quoque ad communes, & quotidianos uſus habuiſſe veſtimenta; ea tamen conditione ac lege, ut veſtimenta Sacerdotalia à laicorum veſtibus, & minorum Sacerdotum, pro quotidianis ſimiliter uſibus diverſa eſſent: ut ipſo amictu dignitas atque excellentia Summi Sacerdotii dignoſceretur, venerandaque conſpiceretur; ut nunc etiam in ſolemnioribus veſtibus Presbyterorum, Epiſcoporum, nec non etiam Summi Pontificis, eandem diverſitatem conſpicimus.

Poſſunt etiam hæc comprobari his, quæ Joſephus in Antiquit. de Stola Pontificia ſcribit; quæ tanti decoris, ac venerationis erat, ut ſuo tempore in Turri Antoniana, ſub cuſtodia & ditione Romanorum Militum ſervari conſueviſſe referat. Quod nequaquam de veſtibus domeſticis Sacerdotum fieri ſolitum ſcribit: ut hæc à communi & quotidiana veſte Summi Sacerdotis quam longè differret, perſpicuum ſit. Igitur in præallegato cap. 20. lib. Numeri, in quo legimus, Aaronem extremum clauſurum diem, ſua veſte nudatum fuiſſe, eaque ibidem Eleazarum Aaronis filium indutum, non quidem de veſte ſacra, ſed de communi veſte, qua ad quotidianos uſus veſtiebatur Aaron, ſacer textus intelligendus erit. Quamobrem non licet haurire Abulenſi, ex eo quod veſtibus Aaronis indutus Eleazar fuerit in monte Hor, illicò harum veſtium vigore, Summi Sacerdotii apicem adeptum fuiſſe; Eleazarumque Summum Sacerdotem ſtatim ſine alia cæremonia conſecratum extitiſſe: ſed potius communi tunc Summi Sacerdotis veſte amictus eſt Eleazar, ut poſtmodum ſuis ritibus, & cæremoniis ungeretur, atque conſecraretur, rituſque omnes cum eo ſervarentur, qui ad conſecrationem Summi Sacerdotis ex præſcripto legis pertinebant: ut ad ſancta altaria, & in Sanctuario Eleazarus licitè miniſtrare poſſet.

Quod autem præceptum illud à Deo Moyſi latum, de ritibus, atque cæremoniis conſecrationis Pontificum, non ſolum ad omnes poſteros Aaronis, quod aliqui negabant; ſed etiam ad Eleazarum contra Abulenſem extenderetur; ſacræ Scripturæ loca, me judice, in quibus de his agitur, aperiunt. Nam de veſtibus & infulis Summi Sacerdotis, Deus *Veſtem*,

A inquit, *autem ſanctam, qua utetur Aaron, habebunt filii ejus poſt eum*: In quo textu erit obſervandum illud plurale, *filii ejus poſt eum*; nam ſi de ſolo Eleazaro proximo Aaronis ſucceſſore tantum ſermo eſſet; ut placebat nonnullis: aut Eleazarus ab his excluderetur, ut placebat Abulenſi: ad quid illud plurale *filii*? non enim ignorabat Deus, quem ex filiis Aaron, in Summum Sacerdotem aſſumpturus eſſet poſt patrem; perſpicuèque dicere potuiſſet: *Veſtem autem ſanctam, qua utetur Aaron, filius ejus tantum habebit poſt eum*; quia ſic oratio ferebat, ſi de ſolo ſucceſſore Aaronis ibi ſermo eſſet, ut illi ſentiebant. Cum igitur ſacer textus apertè doceat, filios Aaron
B poſt ipſum, in plurali numero, veſte pontificali amiciendos fore; profectò voluit Deus loqui de tota Aaronis poſteritate, & quotquot Summi Sacerdotii apicem tenere debuiſſent, eiſdem ritibus, ac cæremoniis in eadem veſte conſecrandos eſſe, ac ipſemet Aaron tunc conſecrabatur.

Præterquam quod communis ſacrarum Scripturarum phraſis eſt; ut nomine filiorum, non ſolum filii proximè geniti, vel generandi, ſed tota poſteritas alicujus familiæ intelligatur. Hinc illud Pſalmi 89. *Si dereliquerint filii ejus legem meam, & in judiciis meis non ambulaverint: Si juſtitias meas prophanaverint, & mandata mea non cuſtodierint, &c.* Quo
C in loco, & aliis ſexcentis ſimilibus, in toto ſacrarum Scripturarum campo, nomine filiorum, non tam proximè deſcendentes à patre intelliguntur; quam tota Davidis poſteritas, ibi eo nomine ſignificatur. Lex itaque iſta, ea ratione, ad omnes Aaronis ſucceſſores extendebatur; ut ſine ſacri olei ac unguenti effuſione, nemo in tota Aaronis poſteritate Summi Sacerdotis munus fungi poſſet, cujus caput ſacro oleo non fuiſſet conſecratus. Colligitur hoc ex ipſo ſacro textu, ubi dicitur: *Veſtem autem ſanctam, qua utetur Aaron, habebunt filii ejus poſt eum, ut ungantur in ea, & conſecrentur manus eorum.* Liquido autem conſtat hic ſermonem eſſe de Summo
D Sacerdotio, deque illius conſecratione: quia nemini ex minoribus Sacerdotibus, veſte Aaronis uti licebat. Nam quando filii Aaronis, minoris Sacerdotii munere initiabantur; linea veſte, Ephod lineo, & linea mitra ornabantur; non verò hyacinthina, ſuperhumerali, rationali, aut ornamentis induebantur; quæ ſolius Summi Sacerdotis, Pontificaliſque dignitatis erant.

Sumatur igitur argumentum à loco poſito, & vis argumenti ſit, in illis duabus dictionibus *ungantur, & conſecrentur*: ex quibus effuſionem unguenti ſuper caput de eſſentia conſecrationis fuiſſe oſtendatur. Explicans enim ſacer textus ſanctæ illius veſtis uſus,
E duorum meminit; conſecrationis nimirum & unctionis. Ne quis verò in phraſi hebraica aliquo modo impingeret, quod *impleantur* legendum videatur, ubi nos legimus, *& conſecrentur*; meminerit conſecrationem *impletionem* appellari apud Hebræos, juxta phraſim linguæ ſanctæ, ut cap. 76. declaravimus; in qua, quia dabatur ordinato poteſtas offerendi, propterea initiationem, *impletionem, manuum* appellandam cenſuimus. Prætereundum etiam non erit in præallegata textu, antequam de conſecratione agatur; nimirum de manuum impletione, (ut loquamur ex uſu ſacrarum litterarum) prius unctionis ſacrum textum meminiſſe: non igitur de illa unctione, quæ
F per olei & ſanguinis commixti aſperſionem fiebat, intelligi debet ſacer textus; quia hæc locum tantum habebat, cum minores Sacerdotes conſecrabantur: nomine igitur unctionis, qua ungebatur, qui ſacra veſte veſtitus fuiſſet, capitis unctio accipi debet: quia nemo ad ſummum ſacerdotium perveniebat, & veſte illa ſacra veſtiebatur, qui Sacerdos minor conſecratus jam non extitiſſet, ut jam diximus cap. 78.

In

In loco autem jam allegato ex cap. 29. Exodi, in quo de ſucceſſore Aaronis loquitur textus, deque ſacro veſtitu in ſucceſſore agitur; prius unctionis, deinde conſecrationis textus meminit; quia in conſecratione quoque Summi Sacerdotis, prius caput Pontificis ſacro perfundebatur unguento; deinde hoſtiarum ac victimarum membra in illius manibus ſuperimponebantur; ut eas ad altare offerret: quæ conſecrationis vocabulo in ſacris oraculis ſignificantur. Cum igitur cap. 29. Exo. Deus agens de conſecratione Summi Sacerdotis ad Moyſem dixerit: *Oleum unctionis fundes ſuper caput ejus, atque hoc ritu conſecrabitur:* & in præallegato textu idem Deus affirmet, veſtem illam ſanctam Aaronis aſſumendam ab illo fore, qui Summus Sacerdos Aaronis loco conſtituebatur, ut in ea ungeretur; & non de unctione ſacri olei ſanguine commixti, loca illa interpretari poſſint, ſed de ſola effuſione unguenti ſuper caput illius qui conſecrabatur: utique hæc ſacri unguenti effuſio, adeò de eſſentia Pontificalis ſanctificationis erit; ut ejuſdem Pontificis manuum impletionem omnino præceſſerit.

Eleazarum quoque Aaronis filium nequaquam ſacrarum veſtium ſolo amictu ad ſummi ſacerdotii munus aſſumptum fuiſſe contra Abulenſem affirmamus: ſed omnibus omninò ritibus, cæremoniis, nec non ſacri unguenti effuſionibus, quibus Aaron & reliqui poſteriores Pontifices, ex Dei præſcripto, ad illud ſacerdotale munus advehebantur; ad Pontificatum ſublimatum fuiſſe ſentimus. Probatur ex verbis ipſiuſmet Dei in ſupra jam allegato textu, in quo dicitur, veſtes illas Aaronis ad id deſtinatas fuiſſe, ut filii ipſius in ſummo ſacerdotio ſucceſſores, in ea veſte, ſacro perungerentur oleo: Ut autem ambiguitati locus præcluderetur, ſubdit: *Septem diebus utetur illa qui Pontifex pro eo fuerit conſtitutus de filiis ejus.* Et cap. 8. Levit. dicitur: *Septem diebus finitur conſecratio, ſicut in præſentiarum factum eſt, ut ritus ſacrificii compleretur.* Eſt autem ſermo hic de ritu ſacrificii in conſecratione Summi Sacerdotis; & in poſterum textus loquitur, ut liquido conſtat ex illis verbis: *Septem diebus finitur conſecratio, ſicut in præſentiarum factum eſt.* Quorum verborum ſenſus & intelligentia eſt; quod conſecratio Sacerdotum in poſterum ſeptem dierum ſpatio abſolvenda eſſet; juxta ritus ſacrificiorum, quæ ab ipſo Moyſe in conſecratione Aaronis oblata fuerant: cujus conſecrationis occaſione illam Deus præſcripſit legem; atque propterea in poſterum ſervanda erat. Cum igitur veſte illa, diebus ſeptem Summum Sacerdotem uti juſſiſſet Deus, in ſupra allegato jam textu Exodi 29. profectò de uſu ſacræ veſtis, ſpatio ſeptem dierum conſecrationis & unctionis, locum allatum intelligi oportet; quia dicitur veſte illa ſancta inter filios Aaron, illum uti debuiſſe, qui pro eo Summus Sacerdos fuerit conſtitutus. Eleazarus igitur, qui loco patris fuit Summus Sacerdos conſtitutus, divino cogebatur præcepto, veſte illa ſancta uti ſeptem diebus conſecrationis; & in eadem ſancta veſte, ſacro oleo ungi: Igitur in conſecratione etiam illius, ſeptem dierum ſpatium inſumptum fuit; & cum ipſo quoque ſtatuta de ritibus, ac cæremoniis ſacræ unctionis, ſervata dicemus; ut ipſe quoque Eleazarus ſummo ſacerdotio fungi licite valeret.

Loca ab abſurdo non multiplicia attendentes, confirmemus quæ de Eleazaro tradidimus. Nam ex præſcripto divinæ legis, Summo Sacerdoti vetitum erat, ſuper mortuum immundari; quapropter nec eis licebat ſacrum Tabernaculum egredi, niſi ad neceſſaria naturæ. Immundari verò ſuper mortuum dicebantur ex lege, qui cadaver contrectaſſent; vel aliquibus ad cadaveris uſum deſtinatis uterentur, cujuſcumque generis illa forent; vel contrectata ab his

A qui cadaveris curam geſſiſſent; vel honoris cauſa his adeſſent, qui luctum celebrabant: adeoque ſtrictè Sacerdoti Summo, iſta à Deo prohibebantur; ut neque patre, aut matre mortuis, funus celebrare Pontifici concederetur; ſicuti habetur cap. 21. Levit. Si ergo Eleazarus antequam pater Aaron ſupremam clauderet diem, ſacris amictus jam veſtibus, in monte Hor adfuiſſet; Summi Sacerdotis dignitate jam honeſtatus atque condecoratus; quanam ratione ſine piaculo paterno funeri intereſſe potuiſſet; cum ſolus etiam accidentalis contactus cujuſcumque cadaveris, aut illorum quæ ad illius uſum deſtinata fuiſſent, homines ex legis præcepto eatenus coinquinaret; ut ab illis omnem omnino auferret ſanctificatio- B nem? ſicut in lege de munditia, & ſanctificatione ſtatuitur. Cum igitur Aaron, coram filio ſuo Eleazaro diem clauſerit extremum, ut certiſſimum eſt; neceſſariò quoque funeri illius Eleazarus interfuit; quod ſimiliter ex ſacris litteris certum eſt. Igitur contra Dei præceptum Eleazarus egiſſet, divinæque legis tranſgreſſor exiſteret, paterno funeri interveniendo, quod Summo Sacerdoti prohibebatur. Sic enim dicitur Levit. cap. 21. *Pontifex, id eſt, Sacerdos Maximus inter fratres ſuos, ſuper cujus caput fuſum eſt unctionis oleum, & cujus manus in ſacerdotio conſecratæ ſunt, veſtituſque eſt ſanctis veſtibus, caput ſuum non diſcooperiet, veſtimenta non ſcindet: & ad omnem* C *mortuum non ingredietur omnino: ſuper patre quoque ſuo, & matre non contaminabitur.* Qua in lege tria conſideranda ſunt, fuſio olei unctionis, manus in ſacerdotio conſecratæ, & amictus ſanctarum veſtium: ex quibus conſtat ante unctionem capitis, & manuum conſecrationem ſanctarumque veſtium amictum, vetitum minimè fuiſſe primogenito Sacerdotis, patris celebrare funus; ac proinde Eleazaro ante ſummi apicis adeptionem, & in minori adhuc ſacerdotio conſtituto, paterno funeri in monte Hor intereſſe, nequaquam vetitum fuiſſe; & unà cum Moyſe, & patre Aaron, montem Hor aſcendiſſe, ut habetur cap. 20. lib. Numer. Dicendum itaque D eſt, Eleazarum paterno adfuiſſe funeri; ſuique patris cadaver, avitæ matri terræ, pia diligentia religioſè commendaſſe, dum adhuc minorum tantum Sacerdotum lege teneretur; nondum verò Pontificatus apicem fuiſſet adeptus.

CAP. LXXXI.

Pontificalis conſecrationis, & conſecrandi capita deteguntur.

E Ad loca 3. Reg. 2. *Abiathar quoque Sacerdoti dixit Rex: Vade in Anathoth ad agrum tuum, equidem vir mortis es: ſed hodie te non interficiam, quia portaſti Arcam Domini Dei coram David patre meo, & ſuſtinuiſti laborem in omnibus, in quibus laboravit pater meus. Ejecit ergo Salomon Abiathar, ut non eſſet Sacerdos Domini.* Levit. 10. *Capita veſtra nolite nudare, & veſtimenta nolite ſcindere, ne forte moriamini.* & ad alia.

NEc enim dubitatur de prima Sacerdotum F Tabernaculique conſecratione, cum in titulo de miniſtro quæritur. Moyſen enim hujus ſacri Chriſmatis fuiſſe miniſtrum, ſacræ ipſæ paginæ teſtantur, in libro Exodi in fine; & hoc tum ex divina diſpenſatione, tum quia ſummi ſacerdotii munere fungebatur; difficultas igitur de miniſtro circa futuras conſecrationes poſt tempora Moyſis verſatur: & quæritur quis nimirum Summo Sacerdote vita functo, alium ei ſucceſſorem ſacro inungeret & conſecraret oleo.

Primogenitum Summi Sacerdotis, qui jure hæreditario in locum demortui patris ſubrogabatur, ſi ſacro oleo ab ipſo patre, antequam ſupremum clauderet diem, inungendum dixerimus; ut eo mortuo, nullis aliis adhibitis cæremoniis ac ritibus, jure hæreditario Summi Sacerdotis miniſterium ſuſciperet; jam duo ſimul Summi Sacerdotes in Iſraëlitica Synagoga, nobis eodem tempore concedendi eſſent; quod affirmari in ſacris oraculis abſonum videtur: ne duo ſimul capita in Eccleſia militante, quæ tunc penès populum Hebræum exiſtebat, concedere videamur. Huic etiam doctrinæ ſacer ipſe textus ſe opponit: quamvis enim cap. 20. Numer. Eleazarum Sacerdotem Summum, in montem Hor, patre adhuc vivente, declaratum fuiſſe legatur; non tamen ſacro oleo unctum, neque Sacerdotem Summum à patre Aaron conſtitutum cognovimus.

Poſſet fortaſſe in contrarium ſuſtineri; quod Summo Sacerdote vita functo, ſucceſſor à minoribus Sacerdotibus ſacro inungeretur oleo; ille nimirum cui jure hæreditario dignitas ſacerdotalis debebatur: ſicuti etiam modo in Eccleſia Chriſti, Summus Pontifex, à Cardinali Hoſtienſi conſecratur. Hujus ſententiæ Abulenſis fuiſſe videtur; quamobrem ex hac doctrina, jam non tantum Summus Sacerdos, ſed etiam alii inferiores Sacerdotes, hujus ſacri Chriſmatis & unguenti, miniſtri extitiſſent. Doctrina hæc illud præ ſe fert inconveniens; quod alium conſecrare, munus auctoritatem habentis videatur: nam inter Summi Sacerdotis cæremonias, dum conſecraretur, una erat; manibus conſecrandi, victimas & hoſtias jam mactatas & Deo oblatas ſuperimponere; ut in altari concremandas conſecrans demum offerret; illas accipiens de manibus illius, qui conſecrabatur, ſuper ſtruem lignorum & ignem imponebat: mactatas autem victimas concremandas in manus alterius tradere, ad habentem poteſtatem pertinet. Cumque ex minoribus Sacerdotibus nullus eſſet, qui in Summum Sacerdotem ſuperioritatem haberet: ea propter à minoribus Sacerdotibus Summum Sacerdotem conſecrari, nequaquam rationi, neque Scripturis conſentaneum videtur.

Mihi verò, ut quæ ſentiam breviter aperiam, nullum in lege Moſaica præ ſe tuliſſe inconveniens videtur; quod plures Summi Sacerdotes, ſimul apicis culmen tenerent. & ſanè hoc liquido conſtat ex Evangelica hiſtoria: nam eo tempore, quo Deus ipſe homo factus, cum hominibus converſari, & infantilibus pannis involvi, pro hominibus dignatus eſt: duos ſimul in populo Hebræo Summos Sacerdotes fuiſſe, Annam ſcilicet, & Caypham, ſacræ aperiunt paginæ. quorum utrorumque manus tunc conſecratas extitiſſe, nemini dubium eſſe debet: alias neque dignitatem Sacerdotalem, viciſſim retinere potuiſſent: neque in Summo Sacerdotio miniſtrare; cum tamen ſecus feciſſe illos conſtet. quamobrem Lucas Euangelicam prædicationem Baptiſtæ ſcribens cap. 1. *Factum eſt*, inquit, *verbum Domini ſuper Joannem Zachariæ filium in deſerto.* Tempus quoque prædicationis poſtmodum Chriſti & Baptiſtæ deſignans, ſubdit: *Sub Principibus Sacerdotum Anna, & Caypha.*

Eo etiam tempore, quando Hebræorum Reſpublica maximè floruit in religione, obſervantiaque legis Moſaicæ, ſub optimis Regibus Davide, & Salomone: Salomonem Abiatharum Summum Pontificem depoſuiſſe legimus; & Sadoch illius loco ſubrogaſſe habetur 3. Reg. cap. 2. in hæc verba: *Abiathar quoque Sacerdoti dixit Rex: Vade in Anathoth ad agrum tuum, & quidem vir mortis es, ſed hodie non te interficiam, quia portaſti Arcam Domini coram David patre meo, & ſuſtinuiſti laborem in omnibus, in quibus laboravit pater meus. Ejecit ergo Salo-*
A *mon Abiathar, ut non eſſet Sacerdos Domini.* Apud Joſephum etiam eruditiſſimum rerum Judaicarum ſcriptorem lib. 20. Antiq. cap. 8. ſtatim in initio, licet videre Agrippam exauctoraſſe à Summo Sacerdotio Joſephum, illiusque loco quemdam Annam ſubrogaſſe, filius illius Annæ, qui conſilio congregato adverſus Servatorem noſtrum interfuit; & piam ſententiam, impia mente eructavit. ibidem etiam hæc verba leguntur: *Eodem Rege jubente, Jeſus Gamalielis filius, in Summo Pontificatu ſucceſſit Jeſu Dannei filio, non libenter ſibi cedenti.* Hæc & ſimilia paſſim occurrent in Hebræorum hiſtoriis à Joſepho editis. Eapropter, duos Summos Sacerdotes ſimul
B conſecratos in populo Hebræo habere, nullum, me judice, præ ſe fert inconveniens: ea tamen conditione, ut licet duo conſecrati exiſterent, nihilominus apud unum tantum, ſummi apicis miniſterium reponeretur. Quamobrem quod Summus Sacerdos adhuc vivens, antequam moreretur, filium ſibi ſucceſſorem deſignaret, ipſumque conſecraret; nec incongruum, nec abſonum apparet.

Neceſſarium etiam quodammodo videtur, duos ſimul conſecratos Pontifices in Dei cultum extitiſſe, ut ſacrorum rituum obſervantia apud Iſraëlitas haberetur. Ex eo id probare poſſumus, quod juxta præſcriptum legis Moſaicæ, aliqua erant munera, quæ
C ſoli Summo Sacerdoti concedebantur, reliquis minoribus Sacerdotibus vetabantur; quemadmodum ſemel in anno, Sanctum Sanctorum in expiationis die ingredi. Quid ſi fortè Sacerdotem Summum, eo tempore aliqua infirmitate detineri contigiſſet? utique defuiſſet, qui Sanctum Sanctorum ingrederetur; populum ac Sanctuarium expiaret; Deumque ſibi placatum redderet. Ne igitur ad hujuſmodi abſurda populus ille adduceretur, & hæc incommoda omnino declinentur; neceſſario affirmandum cenſeo, una cum patre, filium quoque ſibi ſucceſſorem, à ſuomet patre conſecratum, Summi Sacerdotis di-
D gnitatem & conſecrationem tenere potuiſſe: ut aliquo accedente caſu ex Summi Sacerdotis impedimento, in ſacris muneribus, alter alterius vices ſupplere poſſet.

Iſta tamen nequaquam nos adeò arctant, quo minus etiam miniſterium ſacri olei, minoribus quoque Sacerdotibus concedere poſſimus. Nam quamvis à principio naſcentis Synagogæ, Moyſe à Deo delegato, ut illam Rempublicam ſuo nomine inſtitueret ac ordinaret; tantum poſt mortem Summi Sacerdotis alium Sacerdotem, priori ſucceſſorem, conſecrari ſtatuatur; cogimur tamen quodammodo ex neceſſitate concedere, ſacri olei miniſterium penes inferiores etiam ac minores Sacerdotes extitiſſe. Hanc
E utramque conſuetudinem tradit Joſephus lib. 20. Antiq. cap. 8. dicens: *Nam à principio Pontificibus non ſuccedebatur, niſi mortuis, deinde viventibus etiam ſubrogari cœperunt alii.* Cum igitur à principio poſt mortem tantum unius Pontificis, alter ſubrogaretur; ille profectò qui in demortui locum ſubrogabatur, à minoribus Sacerdotibus tantum conſecrari, ſacroque unguento conſecrationis inungi poterat: unum verò poſt mortem tantum alterius ſubrogari potuiſſe, ex ipſo ſacro textu probari poteſt, cap. 29. Exodi, in quo dicitur: *Veſtem autem ſanctam, qua utetur Aaron, habebunt filii ejus poſt eum, ut ungantur in ea, & conſecrentur manus eorum. Septem diebus utetur illa, qui Pontifex pro eo fuerit conſtitutus de filiis ejus;*
F *& qui ingredietur Tabernaculum Teſtimonii, ut miniſtret in Sanctuario.* Quia igitur his veſtibus tantum poſt Summi Pontificis mortem, uti ſucceſſori permittebatur; dicendum erit, ſucceſſores Aaron, ab exordio naſcentis Synagogæ, nec conſecrari, nec ſacro oleo ungi potuiſſe, juxta illam Dei legem; niſi altero tantum jam Summo Sacerdote vita functo;

ac

ac propterea neceſſario à minoribus Sacerdotibus, conſecrationem majoris fieri debuiſſe.

Si igitur Summi Sacerdotis ſucceſſor, poſt mortem tantum anteceſſoris conſecrabatur; utique ab alio nemine, quam à minoribus Sacerdotibus conſecrari poterat. Itaque ſacri olei miniſterium non ſolum apud Summum Sacerdotem, ſed etiam penes inferiores Sacerdotes concedere cogimur. Neque hoc aliquem turbet; cum etiam Moyſes, qui eo tempore erat purus Levita, ex divina diſpenſatione hujus ſacri olei miniſter, in conſecratione illorum omnium fuerit, quæ ad Dei cultum pertinebant; nam quamvis Moyſem Sacerdotem fuiſſe dixerimus, non tamen ex lege, ſed jure naturæ Sacerdotium illi conceditur. Nullum igitur præ ſe fert inconveniens, quod uſus hujus ſacri olei, penes inferiores quoque Sacerdotes exiſteret. Etenim intra Sanctuarium miniſtrandi, minores Sacerdotes jus habebant; ſacrum Dei thymiama in aureo altari concremandi, ſacrum Dei Candelabrum accendendi; & alia plura in ipſo ſacro Dei Tabernaculo facere, minoribus Sacerdotibus concedebatur, quæcum eſſent ſancta, & à ſanctificatis tantum contrectari poſſent, juxta illud Spiritus ſancti & ſacræ legis dictum in locis plurimis: *Qui tetigerit illa, ſanctificabitur:* igitur ſacrum hoc unguentum contrectare ac miniſtrare; eiſdem Sacerdotibus vetitum nequaquam fuit. Nam cap. 1. lib. 3. Reg. Sadoch, qui erat tunc ex numero minorum Sacerdotum, de Tabernaculo cornu ſacri olei ſumpſit, & oleum contrectavit; quod juxta probabilem plurimorum graviſſimorum virorum doctrinam, erat ejuſdem generis cum illo, quo Sacerdotes conſecrabantur, & Salomonem unxit. Non igitur à miniſterio hujus ſacri olei minores Sacerdotes arcebantur.

Sed tamen ambigendum adhuc remanet ad calcem hujus Myrothecii; an Summus Sacerdos capite operto, an verò aperto ſanctificaretur. Etenim hujus unctionis meminit ſacer textus, cum de conſecratione Summi Sacerdotis agit Exodi 29. in hæc verba: *Et pones tiaram in capite ejus:* ſcilicet in capite Summi Sacerdotis, de quo loquitur Deus ad Moyſen: *Et laminam ſanctam ſuper thiaram; & oleum unctionis fundes ſuper caput ejus, atque hoc ritu conſecrabitur.* Quod etiam factum fuiſſe, atque executioni mandatum, cap. 8. Levit. legimus. Nunc formam, modumque inveſtigemus; & re vera quotquot linitioni atque characteribus nomen dant, ex his Scriptoribus, quos ſupra retulimus, quaſi ex conſequenti dicere coguntur; Summos Sacerdotes capite aperto, nequaquam verò operto conſecrari ſolitos: linitione enim ſacri unguenti Sacerdotes ſanctificati ab ipſis traduntur; quibus in hac parte etiam Abulenſis ex his, quæ docet quæſt. 2. citata, aſſentiri tenetur. Quod idem Vatabl. in adnot. ad præallegatum cap. 29. Exodi clariſſime tradidit: nam verba illa textus explicando: *Accipies oleum unctionis, & fundes ſuper caput ejus, ſubintellige, ait, depoſita mitra.* Ex quibus conſtat, communem fuiſſe ſententiam Doctorum, Summum Sacerdotem Hebræorum, capite aperto ſacro oleo ſanctificari conſueviſſe.

Secus nobis ſentiendum arbitramur: nimirum nequaquam aperto, ſed operto ac velato capite, ſacro perungi oleo Sacerdotes tam Summos, quam inferiores conſueviſſe. Eo autem ducor argumento, quia antiquitus apud Romanos etiam, impiæ pietatis, & ſuperſtitioſæ religionis primos magiſtros, detectum caput deferre, mœroris atque triſtitiæ fuiſſe indicem perſpicuum eſt; quemadmodum venerationis adorationiſque index, caput cooperire. Quod ſexcentis aliis omiſſis, potiſſimum expiſcari comprobareque poſſumus ex his, quæ Suetonius de Aulo Vitellio ſcribit, deque ejus mira arte in adulando

A Cajum Cæſarem Caligulam: *Qui idem*, ſupple Vitellius, inquit, *miri in adulando ingenii, primus Cajum Cæſarem adorari, ut Deum inſtituit; cum reverſus ex Syria non aliter eum adire auſus eſſet, quam capite velato, circum vertens ſe; & deinde procumbens.* Quem locum Suetonii Beroaldus explicans, quid ſibi velint verba illa, *Capite velato*, declarans; *more*, inquit, *& habitu eorum qui Deos venerantur.* Et Plaut. in Pſeud. reprehendens quemdam, qui Æſculapium ut Deum venerari auſus fuerat; ait: *Quis hic eſt, qui operto capite Aeſculapium ſalutat?* Virgil. quoque lib. 3. Æneid. introducit Helenum ſic Æneam affantem, deque ſacris ritibus eum
B inſtituentem:

Purpureo velare comas adopertus amictu
Ne qua inter ſanctos ignes in honore Deorum
Hoſtilis facies occurrat, & omnia turbet.
Hunc ſocii morem ſacrorum, hunc ipſe teneto,
Hac caſti maneant in religione nepotes.

Hicce locus Virgilii Poëtæ graviſſimi, qui Macrobii teſtimonio, cunctos Religionis ritus optimè norat: non ſolum ex inſtituto Æneæ comas velare homines eos, qui ſacra facturi erant; ſed etiam hunc ritum ſucceſſoribus Æneæ perpetuò ſervandum docet. Nam & lib. 12. cum pro ſin-
C gulari certamine Turni atque Æneæ fœdera firmarentur, & fœderis de cauſa ſacra fierent, ait Poëta:

In medioſque focos, & Dis communibus aras
Gramineas, alii fontemque, ignemqueferebant,
Velati lino, & verbena tempora vincti.

Et Plutarch. in quæſt. Roman. quæ alio vocabulo Problem. inſcribuntur, omnes viros & eos maximè, qui Romanorum legibus utebantur, ſolere velatis capitibus Deos adorare teſtatur. Licet Saturno & Honori, rem divinam aperto capite feciſſe Romanos, Plutarchus fateatur; in reliquis verò ſacris Deos
D ſalutantes caput operire. Cur verò id fieret, rationem aſſignat Plutarchus in hæc verba: *Deos verò idcirco ſic adorabant; ut aut operiendo caput ſeipſos humiliores exhiberent; aut metu ne quid ignominioſum ac triſte, inter precandum aliunde auribus accideret; idcirco veſtem ad aures uſque attollebant.* Et infra: *Aut illud eſt, quod Caſtor dicit, mores Romanos Pythagoricis comparans, Genium, qui unicuique noſtrum ineſt, Deos, qui extra ſunt, rogare, & caput velando ſupplicare: animi ſcilicet velamentum ac revelationem per corpus quoddam ænigmate oſtendentem.* Hæc Plutarchus de inſtitutione & ratione illius velamenti. Sed ex his nobis ſufficiat probaſſe, caput operire conſueviſ-
E ſe veteres; quando cum Diis negotiandum ſibi fuiſſet.

Sacra jam repetamus, & quidem perſpicuum erit Hebræorum quoque veri ac Summi Dei Sacerdotes, tecto capite Deum adoraſſe; Summumque Sacerdotem, velato capite, & non aliter, ſacra oracula excepiſſe. Ita perſpicuè habetur cap. 16. Levit. ubi agitur de annuali Summi Sacerdotis ingreſſu in Sanctum Sanctorum, in ipſo expiationis die. Erat enim locus ipſe Sacrorum omnium ſacratiſſimus; & nihilominus capite operto ac velato illo introire Sacerdos jubebatur. In hæc verba loquitur ſacer textus:
F *Tunica linea veſtietur, fœminalibus lineis verenda celabit; accingetur zona linea, cidarim lineam imponet capiti: hæc enim veſtimenta ſunt ſancta.* Quod autem his omnibus ornamentis tectus ac velatus, Sanctum Sanctorum ingredi debuiſſet Summus Sacerdos; ex toto capituli contextu, ſatis dilucidè apparet: & tandem ſubinfertur: *Indueturque ſtola linea, & veſtibus ſanctis, & expiabit Sanctuarium & Tabernaculum Teſtimonii, &c.* Cum igitur in hac die, ex-

piatio-

piationum omnium ſuprema , Sacerdotem ipſum tecto capite intra Sanctuarium divina accepturum Oracula , Deum adiiſſe ſciamus ; quid eum in reliquis Sacerdotalibus functionibus ac muneribus , facere conſueviſſe , par eſt credere ? utique Sacerdotes illius ſeculi , Deum tecto capite adorare conſueviſſe ambigendum non erit. Cujus tegendi caput conſuetudinis tanta fuit obſervantia apud Iſraëlitas, ut ſecus facere, grave piaculum exiſtimaretur.

Hoc reverentiæ atque honoris cultu , illuſtratur locus ille Iſaiæ cap. 6. in quo duo illi Seraphim, qui habebant alas ſenas , atque ſacrum Dei tribunal conſtituebant; duabus velabant caput , duabus tegebant pedes, & duabus denique volabant. Sic enim Propheta ait : *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & elevatum, & ea quæ ſub ipſo erant replebant Templum. Seraphim ſtabant ſuper illud , ſex alæ uni , & ſex alæ alteri : duabus velabant faciem ejus, & duabus velabant pedes ejus , & duabus volabant.* Tegendo namque caput , cultum reverentiamque Deo debitam profitebantur ; quia velare caput , adorationis cultuſque ritus fuit. Non enim divinum velabant caput, duabus illis alis, Seraphim , ut nonnulli falſo putarunt ; ſed proprium caput duabus alis velabant , adorationis cauſa. Duabus autem velabant pedes , id eſt colligebant alas ad femora. Duabus denique volabant ; non quidem quod re vera volarent , quia volando divinum formare ſolium nequiviſſent ; ſed quia his duas poſtremas alas extendebant, ut figuravimus in ſacra Arca more volantium; propterea dicitur à Propheta duabus alis eos volaſſe. Quia verò tota religio Iſraëlitarum , in cultu legis atque cæremoniarum verſabatur ; & in baſi divini ſolii arca erat , in qua legis tabulæ claudebantur ; propterea dixit Propheta : *Et ea quæ ſub ipſo erant , replebant templum :* quia Templi cultuſque totius religio , & ſacrificia , quæ in altari offerebantur , obſervantiæ legis addicta erant.

Verum in conſecratione Sacerdotum , eos tecta habuiſſe capita jam probetur , ut unde digreſſi ſumus revertamur. Nam Exodi cap. 29. jam allato , cum de conſecratione Sacerdotis agitur ; pro illius Conſecrationis ritibus , hæc habentur verba : *Cumque laveris patrem cum filiis ſuis aqua , indues Aaron veſtimentis ſuis ; id eſt , linea & tunica , & ſuperhumerali , & rationali : quod conſtringes balteo , & pones tiaram in capite ejus , & laminam ſanctam ſuper tiaram.* Et Levit. 8. ubi agitur de actuali Sacerdotum conſecratione , hæc leguntur : *Cumque laviſſet eos , veſtivit Pontificem ſubucula linea , accingens eum balteo , & induens eum tunica hyacinthina , & deſuper humerale impoſuit , quod aſtringens cingulo , aptavit rationali , in quo erat Doctrina & Veritas. Cidari quoque texit caput , & ſuper eam , contra frontem , poſuit laminam auream conſecratam in ſanctificatione , ſicut præceperat ei Dominus. Tulit & unctionis oleum , quo linivit Tabernaculum cum omni ſupellectili ſua.* Et infra : *Quod fundens ſuper caput Aaron , unxit eum & conſecravit.* Sacerdos itaque Summus , capite detecto ungi , conſecrarique non debuit : ſi enim hoc ſervandum fuiſſet , profecto Deus unctionis meminiſſet , antequam cidari Summi Sacerdotis caput texiſſet. Erat enim cidaris capitis ornamentum atque tegumentum , & ſupra cidarim lamina ſancta alligabatur. Cidaris igitur , atque laminæ ſanctæ ſacer textus , antequam de unctione agat , propterea meminit ; quia unctio tecto capite adhibenda fuit : nam aliàs , poſtquam cidari texiſſet caput Sacerdotis , eamdem unà cum lamina ſancta de capite Sacerdotis tollere cogeretur Moyſes in unctione Aaronis ; quod ſacer textus minimè prætermiſiſſet. Cum igitur in ſacris oraculis , ritus conſecrationis ordine quo diximus , tradantur ; affirmandum erit , capite operto A Sacerdotes conſecrari , oleoque perfundi conſueviſſe.

Hoc quoque non obſcurè ſubindicarunt verba Prophetæ in Pſal. 133. qui fratrum unitatem ſacro huic unguento comparans , ait : *Sicut unguentum in capite , quod deſcendit in barbam , barbam Aaron.* Nam ſi aperto capite Sacerdos Summus , inungi ex more ſoleret ; Dei propheta capillorum quoque , in præallegato loco , quemadmodum barbæ meminiſſet : qui quidem barba , cum Sacerdos conſecraretur & ad ſacra miniſteria inauguraretur , eo præſtantiſſimo oleo ex ſuaviſſimis unguentis & aromatibus , (ut à B principio hujus libri vidimus ,) condito , non ſolum ipſe ſacrabatur; ſed etiam ſuaviſſimo odore undequaque tam barba , quam veſtes perfundebantur. Nam ſi capite aperto Pontifex ſacraretur , quis non videt ſacra unctione potius inquinatos capillos capitis , quam barbæ pilos ? & nihilominus Propheta nihil de illis, ſed tantum de barbæ unctione agit.

Ritus iſtos in Sacerdotis Summi conſecratione ſervandos probari poteſt , etiam ab inconvenienti ; nimirum quia detegere caput , mœroris atque luctus antiquitus ſignum erat , non ſolum apud Ethnicos , ut vidimus ; ſed etiam apud Iſraëlitas , cum primis in ſacrorum miniſtris : quod non obſcurè ex ſacris C colligitur litteris. Nam Levit. cap. 10. cum Nadab & Abiu à Deo conflagratione extincti remanſiſſent ; Moyſes ſic affatur patrem ac fratres illorum , qui fuerant interfecti : *Capita veſtra nolite nudare , & veſtimenta veſtra nolite ſcindere , ne forte moriamini.* Quo in loco Vatabl. vir doctiſſimus docet , meritò hoc præcepiſſe Deum , ne diſcooperirent caput more lugentium. Et ibid. cap. 21. Summis Sacerdotibus datur lex ſervanda in funeribus conſanguineorum ; deque Summo Sacerdote talis lex fertur : *Pontifex , id eſt , Sacerdos Maximus , inter fratres ſuos , ſuper cujus caput fuſum eſt unctionis oleum , & cujus manus in Sacerdotio conſecratæ ſunt, veſtituſque eſt ſanctis veſtibus , caput ſuum non diſcooperiet , veſtimenta* D *non ſcindet.* Ubi Vatablus pro hujus loci explicatione ait : *Præcipitur hic Sacerdotibus , ut abſtineant ſe à cæremoniis lugentium , qui nudatione capitis , & veſtimentorum diſciſſione , luctum & mœrorem , pro more illius ætatis oſtentabant.* Cum igitur caput operire ac velare , reverentiæ honoriſque index eſſet , erga illum , coram quo caput tegebatur ; ea propter ſacra facientes non ſolum Iſraëlitæ , ſed etiam Orientales omnes, caput aperire minimè conſueverunt : multoque minus id feciſſe Sacerdotes dicendum eſt dum conſecrarentur. Tectum igitur Sacerdotes caput habuiſſe , dum ſacrarentur dico , & penes Summum Sacerdotem , cum primis uſum & miniſterium hujus E ſacri olei extitiſſe cenſeo : licet non negaverim aliis quoque minoribus Sacerdotibus miniſterium hujus ſacri olei , interdum permiſſum : Principatum tamen habuiſſe Pontificem in uſu illius certum eſt ; ad quem Altarium & ſacrorum vaſorum , nec non etiam Templi primi & ſecundi conſecratio , eorumdemque inſtauratio, luſtratio , expiatio , & denique initiatio ſacræ ſupellectilis & omnium utenſilium pertinebat. Initiatio enim , quæ totius Conſecrationis Sacerdotum erat terminus, membris hoſtiarum complebatur , quas ſuper manus ad altare deferebat Sacerdos , qui conſecrandus erat; eæque à conſecrante F in Altari cremabantur ; juxta ſtatuta legis , quæ ibidem habentur per hæc verba : *Qui poſtquam levaverunt ea coram Domino , rurſum ſuſcepta de manibus eorum adolevit ſuper altari holocauſta , eo quod conſecrationis eſſet oblatio in odorem ſuavitatis ſacrificii Domino.* Atque hoc ritu per ſeptem dies iterato , unà cum aſperſione & unctione , totius Conſecrationis Sacerdotum , Tabernaculi , Arcæ , Candelabri , Menſæ , & Altarium cæremonia abſolvebatur.

Nos

Nos quoque ultimam huic noſtro Myrothecio Conſecrationis manum imponimus, ad laudem ejus Numinis, cui nos decet quotidie canere; rudi noſtra

A minerva: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus, pleni ſunt cœli & terra gloria tua.* Amen.

MYROTHECII SECUNDI FINIS.

SERIES CAPITUM.

CAP. I.

Unguenti Conſecrationis vocabula explicantur. pag. 289

CAP. II.

Numeratæ, appenſæque pecuniæ, antiquiſſimus uſus, in pretio unguenti conſecrationis oſtenditur. 293

CAP. III.

Signatæ monetæ antiquiſſimus uſus probatur. 300

CAP. IV.

Sicli, monetarumque nomina univerſaliora explicantur. 305

CAP. V.

Sicli valor unguenti conſecrationis præſtantiam aperit. 311

CAP. VI.

Sacri thymiamatis præſtanta, monſtratur. 317

CAP. VII.

Dignitas olei conſecrationis, ab excellentia aromatum illud componentium aperitur. 322

CAP. VIII.

Explicatur præſtantia myrrhæ, quæ compoſitionem olei conſecrationis ingrediebatur. 328

CAP. IX.

Præſtantia cinnamomi in oleo Sacerdotali componendo monſtratur. 336

CAP. X.

Calami aromatici pro oleo Sacerdotali dignitas explicatur. 341

CAP. XI.

An Caſſia compoſitionem olei conſecrationis ingrederetur. 345

CAP. XII.

Coſtum, nomine Caſſiæ ſignificari in hac compoſitione oſtenditur. 350.

CAP. XIII.

Olei perfectio ad compoſitionem unguenti conſecrationis monſtratur. 354

CAP. XIV.

Myſtica compoſitio aromatum, quibus ſacrum oleum conſecrationis parabatur. 358

CAP. XV.

Compoſitio ſacri conſecrationis olei docetur. 362

CAP. XVI.

Quanta religione, ſacrum conſecrationis oleum colendum juſſerit Deus. 366

CAP. XVII.

Lex de cultu, Sacerdotali oleo præſtando, tam Levitas, quam Aaronitas ligabat. 370

CAP. XVIII.

Præceptum de reverentia ſacro conſecrationis oleo præſtanda, Gentiles quoque alligaſſe videtur. 374

CAP. XIX.

Rationibus probatur, Gentiles ligari præcepto, de cultu olei conſecrationis. 380

CAP. XX.

Tranſgreſſores præcepti, de reverentia oleo conſecrationis præſtanda, mortaliter peccabant. 384

CAP. XXI.

Animadverſionis, & commonitionis pœna indicitur, in tranſgreſſione cultus ſacri olei. 389

CAP. XXII.

Poſteritate, ac nomine privabatur; qui à cultu ſacri olei defeciſſet. 392

CAP. XXIII.

Magiſtratuum jus, in tranſgreſſores divinæ legis explicatur. 398

CAP. XXIV.

Communis uſus olei in utenſilibus religionis explicatur. 404

CAP. XXV.

Quæ ſacro conſecrarentur oleo monſtratur. 410

CAP. XXVI.

Area pro Divino Tabernaculo ante erectionem deſignabatur. 414

CAP. XXVII.

In quo loco conſtructum fuerit ſacrum Tabernaculum, & utenſilia illius, explicatur. 419

CAP. XXVIII.

Dedicatio ſacri Tabernaculi monſtratur. 424

CAP. XXIX.

Dedicantis conditiones aperiuntur. 428

CAP. XXX.

Aream pro Dei Tabernaculo erigendo, aqua luſtratam fuiſſe ſubodoratur. 432

CAP. XXXI.

Aream pro Tabernaculo erigendo verè luſtratam ſuadetur. 436

CAP. XXXII.

Quo tempore uſus ſacri unguenti, & olei conſecrationis apud Iſraelitas cœperit. 442

CAP. XXXIII.

Tabernaculi, & partium, ac aliquorum utenſilium illius forma, conſecratioque explicatur. 447

CAP. XXXIV.

Expiatio, & conſecratio ſacri Tabernaculi explicatur. 455

CAP. XXXV.

Sacræ Arcæ materia aperitur, & forma, quam aliqui ponunt improbatur. 460

CAP. XXXVI.

Sacræ Arcæ vera forma oſtenditur. 466

CAP.

SERIES CAPITUM.

CAP. XXXVII.

Conſecratio ſacræ Arcæ explicatur. 475

CAP. XXXVIII.

Sacræ Menſæ Panum Propoſitionis forma monſtratur. 478

CAP. XXXIX.

De ſacræ Menſæ conſecratione. 484

CAP. XL.

Sacræ Menſæ vaſa, & utenſilia ex Rabbinis explicantur. 487

CAP. XLI.

Forma acetabulorum, & thuribulorum, quæ ſacræ Menſæ imponebantur, ex auctoris ſententia explicatur. 490

CAP. XLII.

Libaminum, atque libandi ritus in ſacris exprimuntur. 496

CAP. XLIII.

Sacri ſimpuli forma aperitur. 502

CAP. XLIV.

Sacri cyathi ad vina fundenda forma, ex veterum monumentis declaratur. 509

CAP. XLV.

Moſaici Candelabri materia, & forma ex aliorum ſententia explicatur. 515

CAP. XLVI.

Forma ſacri Candelabri, & partium illius de mente Auctoris aperitur. 522

CAP. XLVII.

Aurei Altaris uſus, & forma monſtratur. 529

CAP. XLVIII.

Utenſilia in miniſterium Altaris aurei aperiuntur. 534

CAP. XLIX.

Labri ad ſervandum aquam conſecratio. 541

CAP. L.

Nomen ineffabile, atque divinitatem Principes ſibi arrogare non ſunt veriti. 548

CAP. LI.

Nomen ineffabile, & Deo proprium, ignotum fuit ante Moyſen. 552

CAP. LII.

Helohim Deus dicebatur ut Imperator, fœdere inito cum Iſraëlitico populo. 556

CAP. LIII.

Iſraëliticæ Reipublicæ regimen ſemper fuiſſe Monarchicum monſtratur, 563

CAP. XLIV.

Præceptum Circumciſionis, jure fœderis, tantum ligabat Iſraelitas poſt ingreſſum in regiones promiſſas. 570

CAP. LV.

Aræ, & Altaris diſtinctio explicatur. 577

CAP. LVI.

Deum non reſpuiſſe cultum in aris terreſtribus monſtratur. 581

CAP. LVII.

Altaria fœderis explicantur. 585

CAP. LVIII.

Amicitiæ, communiſque religionis altaria monſtrantur. 590

CAP. LIX.

Ruſticorum altarium ſtructura explicatur. 594

CAP. LX.

Altarium ſtabilium apud Iſraelitas celſitudo monſtratur. 603

CAP. LXI.

Diſtinctio altaris à ſubſtructionibus illius explicatur. 607

CAP. LXII.

Forma ſtabilium altarium Iſraëlitarum explicatur. 611

CAP. LXIII.

Qua ratione gradus, in altare Iſraëlitico, non prohiberentur. 617

CAP. LXIV.

Stabilia altaria, ac tripodes religioſi monſtrantur. 623

CAP. LXV.

Altaris Moſaici forma explicatur. 626

CAP LXVI.

Septem dierum ſpatio altare conſecrabatur. 635

CAP. LXVII.

Offerre aliquid, & implere manus, quid in ſacris Litteris ſignificet. 640

CAP. LXVIII.

Cujus hoſtiæ ſanguine altare expiaretur. 644

CAP. LXIX.

Expiationis Altaris ritus, ac cœremoniæ explicantur. 650

CAP. LXX.

Conſecratio Altaris holocauſti explicatur. 658

CAP. LXXI.

Craticulæ, quæ Altari inſerebatur, forma explicatur. 662

CAP. LXXII.

Uſus craticulæ in altare Moſaico explicatur. 666

CAP. LXXIII.

Inſtrumentorum in cultum altaris, formæ declarantur. 670

CAP. LXXIV.

Quo tempore Tabernaculum, Altare, & Sacerdotes conſecrata fuerint. 677

CAP. LXXV.

Sacerdotum luſtratio, præcedebat eorumdem conſecrationem. 687

CAP. LXXVI.

Sacerdotum dignitas, & ordo oſtenditur, 694

CAP. LXXVII.

Sacerdotum expiatio explicatur. 701

CAP. LXXVIII.

Sanguis ſacro oleo commiſcebatur ad conſecrandum Sacerdotes. 707

CAP. LXXIX.

Pontificum conſecratio effuſione unguenti monſtratur. 715

CAP. LXXX.

Effuſionem ſacri unguenti in conſecratione Pontificis neceſſario requiri monſtratur. 719

CAP. LXXXI.

Pontificalis conſecrationis, & conſecrandi capita deteguntur. 725

SA

SACRORVM

ELAEOCHRISMATΩN

MYROTHECIVM TERTIVM

Quod inſcribitur

DE

ISRAELITICI REGIS INAVGVRATIONE

Explicans Reipublicæ Iſraeliticæ ordines tam Senatorios, quam militares, inaugurationis pompam, adorationes, acclamationes, præcentiones, & quicquid cæremoniarum in Regis conſtitutione ſervabatur.

AUCTORE

FR. FORTVNATO SCACCHO

Ordinis Eremitarum S. Auguſtini,

APOSTOLICI SACRARII PRAEFECTO.

Opus ex latebris Oraculorum tam veteris, quam novi teſtamenti, & ex abditis antiquitatis tam Hebræorum, quam Græcorum, & Latinorum nunc primum erutum.

EMIN.^MO AC REV.^MO D.

D. ANTONIO BARBERINO

S. R. E. CARDINALI

AVENIONENSI LEGATO

S. D. N. VRBANI VIII.

EX FRATRE NEPOTI. S.

RERVM omnium, quæ Cœli terræque ambitu continentur, inconſtans varietas cum ſit; atque in his variæ quoque hominum propenſiones, & diſſimilia ſtudia; inter omnes ingenii & ſtudiorum ſolertia præſtantes, eximia ſemper laude digni præter cæteros ii potiſſimum viri ſunt habiti, qui aut Clariſſimorum Virorum res geſtas, aut excellentium Regnorum, Rerumve publicarum ſtatuta, leges, ſanctiones, ac ſacras præſertim cæremonias monumentis litterarum tradere, eaſque ab oblivione vindicare ſtuduerunt. Quandoquidem eorum opera & induſtria fit; ut adverſus edacis temporis injuriam, res ferè univerſas ſanctè olim ac piè geſtas, memoria retinentes poſteri, quantum licet, imitentur. Hunc in finem & jam pridem, primum ſacrorum Elæochriſmaton Myrothecium, in quo de Oleis odoratis ac unguentis præſtantiſſimis ſacro-prophanis diſſerebam, evulgavi: ſub Auguſtiſſimo S. D. N. VRBANI VIII. nomine, cujus ingenium, & eruditio, Græcæ ac Latinæ linguæ admiranda peritia, ſicut etiam morum integritas, Orbem terrarum totum illuſtrant. Tum alterum de conſecrationis ſacro unguento Franciſco Barberino S. R. E. Cardinali tuo fratri dicatum edidi. Nunc verò tertium hoc Myrothecium ſub Eminentiæ Tuæ patrocinio in publicum exire audet: in quo de Ordinibus Iſraëliticæ Reipublicæ, de Regis inauguratione, & inaugurationis ſolemnitate agitur. Quam ego celeberrimam cæremoniam, unaque ejus Reipublicæ ſenatorios ac militares gradus, quæ cæteri neglexerunt; mihi pro virili pluribus perſequenda ſuſcepi. Hoc meum con-

ſilium cum ego ad nonnullos ſummos viros, judicio & eruditione præſtantes detuliſſem; maximum ſanè cepi laborum meorum fructum, cum ipſum graviſſimo eorum teſtimonio comprobari cognovi. Et peropportunè quidem accidit, Eminentiſſime Domine, ut tunc ſub prelo opus hoc eſſe deſineret, cum & pro anniverſario die aſſumptionis S. D. N. ad Apoſtolatus Summum faſtigium pro anno Quintodecimo, & pro recuperata ab eodem priſtina valetudine, bonis omnibus gratulandum, immo non tam gratulandum, quam præ lætitia geſtiendum merito fuit; Mihique præſertim, qui benignitate tanti Pontificis ad munus Præfecturæ Sacrarii Apoſtolici vocatus, omnia me illi debere ex animo profiteor. Sæpius dixi, iterum dico, atque iterum, nec unquam iterare deſinam, quia gratias agere nunquam ſatis potero.

Accedit igitur in hac communi gratulatione ante conſpectum tuæ purpuræ Myrothecium hoc tertium Sanctæ inaugurationis regiæ oleo refertum. Et quamvis eum, quem debuiſſet, non expiret odorem; ex præſtantiſſima Eminentiæ Tuæ purpura illum profecto hauriet. Jam imis, ut debeo, precibus rogo, & obſecro Eminentiam Tuam, ut meum hunc laborem, meas haſce lucubrationes, ac ſacrorum Oraculorum in regia pompa explicationes, hilari (quemadmodum ſpero) fronte excipiat. Utinam Deus Eminentiæ Tuæ conſilia & acta omnia, ad Eccleſiæ ſuæ ſanctæ incrementum fortunet; & vitam pro voto longiſſimam largiatur. Datum Romæ ex ædibus propriis viij. Kal. Auguſti Anno Domini CIↃ IↃCXXXVII.

Emin.^{mæ} ac Rev.^{mæ} Dominationis Tuæ

Humillimus, & devotus Servus

F. FORTUNATUS SCACCHUS.

Apoſt. Sacr. Præfect.

B E-

BENIGNO LECTORI S.

CUJUSCUMQUE *libri Epigraphem, (quam inſcriptionem, ſeu ſuperſcriptionem Latini vocant,) materiam de qua in libro agitur, reſpicere ac aperire debere, norunt omnes: ut quilibet inſpecta dumtaxat libri fronte, ejus, quæ tractatur, rei, ſtatim ex inſcriptione notitiam hauriat. Quamobrem cum de veterum oleis odoratis & unguentis præſtantiſſimis, illorumque apud eos uſu à nobis actum fuerit in impreſſis jampridem duobus Myrotheciis, deque iiſdem in hoc ipſo tertio Myrothecio agatur: totum opus* Sacrorum Elæochriſmatωn *titulo inſcripſimus. Quod nimirum omnis noſter in eo conatus in elucidandis ac illuſtrandis ſacrarum Scripturarum locis perobſcuris verſaretur; in quibus de oleorum ac unguentorum uſu, quacumque de ratione agitur.*

Nec enim proprio fretus ingenio, opus inſcribere ſum auſus; ſed doctiſſimis viris in conſilium accitis, ex eorum ſententia eam inſcriptionem admiſi: & cum primis quidem Eyricium Puteanum conſului; cui pro ſua eruditione & humanitate, viros doctos plurimum debere, edita ab eo tot literarum monumenta teſtantur. Is igitur pro innata benignitate, datis ad me litteris, operi noſtro inſcriptionem ejuſmodi impoſuit. Quamobrem illi potius, quam mihi eam deberi, quotquot Viri doctiſſimi epiſtolam legerint primo noſtro Myrothecio affixam, planè cognoſcent.

Verum cum nonnulli ejuſmodi inſcriptionem, vel omnino damnaverint, vel ejus obſcuritatem cauſati ſint, vel ineptam cenſuerint ad illuſtrandum ſacrarum Scripturarum reconditiora loca, quæ ferè innumerabilia his noſtris in Myrotheciis elucidantur: ut ipſis quoque non contemnendis viris, quantum fieri poterat, morem gererem, & noſtræ lucubrationes fierent plauſibiliores; prædictæ inſcriptioni luculentiorem aliam adjunximus; nempè Arcanorum ſacræ Scripturæ, ſive ſacrorum Elæochriſmatωn. *Atque hoc poſtremum retinuimus, ut operis materia indigitaretur: illud verò, ut operis totius ſcopus aperiretur; qui in elucidandis ſacrarum Scripturarum locis obſcurioribus verſatur. Etenim iſtum ipſum titulum ab ipſo operis principio in fronte Primi, & Secundi Myrothecii jam ſubindicaveram in votiva tabella inibi appenſa, in qua hæc inciſa verba leguntur:* Æternitati Urbani VIII. ex ſacris Oraculis explicata arcana. DD. *Quam eandem votivam tabellam in fronte quoque hujus tertii Myrothecii appenſam retinuimus. Nunc verò adnotatum id volumus: ne quis hoc novo titulo à priori inſtituto nos receſſiſſe falsò arbitretur; aut aliquod novum opus à reliquis diverſum tandem nos edidiſſe exiſtimet: quin potius operis omnimodam continuationem ex eo titulo intelligat, & quod jam olim in epiſtola ad Lectorem priori Myrothecio adfixa promiſeram; in hoc tertio proſequutum me eſſe ſciat, in quo* De Iſraëlitici Regis inauguratione *agitur.*

Rex enim in ea Republica à Deo inſtituta, & ſanctis communita legibus, Sancto conſecrabatur oleo. Non quidem ab aliquo Propheta, ſed à Summo ejus Reipublicæ Pontifice, qui ex Aaronis proſapia per maſculam lineam deſcendiſſet. Cujus Pontificis in ea Republica tanta erat dignitas, ut regiam omnibus numeris excederet: & Rex ipſe à Pontifice conſecrationem, leges & ſtatuta, ac Regni poſſeſſionem acciperet. Cumque de more omnium Gentium non ſine ſolemniſſima pompa Principis inauguratio fieret: quanta pariter cum ſolemnitate apud Iſraëlitas ageretur, vix ſatis explicari poteſt. Idcirco cuncta, quæ ſacris ex Oraculis hauriri potuerunt, ad regiam electionem, & pompam regiæ inaugurationis ſpectantia, ad Senatum, & Reipublicæ Iſraëliticæ Senatorios, ac militares ordines, ad regii amictus majeſtatem, ad regios ſtipa-

ſtipatores , ad regiam adorationem , ad plauſum , & fauſtam novo Regi acclamationem, ad ſancita fœdera , ad interpoſita inaugurationis juramenta , ad inſtrumenta regiæ præcentionis , & ad alias illius Reipublicæ ſolemniſſimas cæremonias quomodocumquè reſpicientia , perbreviter in hoc tertio Sacrorum Elæochriſmatωn Myrothecio digeſſimus. Quæ dum pro noſtris viribus elucidantur ; ſacrarum Scripturarum loca innumerabilia ; quæ in latebris Hebraicarum vocum , & in tenebris Judaicæ antiquitatis deliteſcebant , non modicam , opinor , lucem accipiunt. Et quæ pleriſque ignota erant ; his noſtris ſtudiis ac vigiliis non parum illuſtrantur. Cæterum doctiores viri doctiora excogitabunt : & ubi ego peſſulum oſtio detraxi, ipſi valvas poſteritati reſerabunt : ut ad Sacrorum Oraculorum arcana ſtudioſis omnibus aditus pateat.

Prodiiſſet jam olim octo abhinc annis Myrothecium hoc tertium , ut ex epiſtolis hic appoſitis conjici poteſt , in quibus de ratione meorum ſtudiorum, & ſigillatim de Myrothecio hoc tertio cum amico agitur. Verum cum impreſſoriæ artis in Urbe ſumptus tenuiſſimæ facultatis meæ vires excedant ; velim nolim , ad hæc uſque tempora opus remorari ſum coactus. Nam ſi adeſſent opes , quartum quoque Myrothecium , nunc eodem preſſum prelo in publicum cum tertio prodiiſſet. Igitur , amice Lector, ſi laborem hunc meum probas , aut pro tua ſaltem humanitate benigno favore proſequeris , mecum una Deum precare , ut quamprimum mihi ſit facultas edendi duo reliqua Myrothecia. Ob hoc enim me tibi plurimas gratias debere fatebor : cum jam ætatem ſexaginta duorum annorum attigerim ; atque ad vitæ meæ veſperas vehar. Quod utinam ex Dei gratia feliciter mihi contingat.

Te admonitum denique volui , amice Lector, in correctione hujus tertii Myrothecii, me oleum & operam , quantum fieri potuit , impendiſſe ; ut cæteris emendatius prodiret : adverteram enim primum , & alterum Myrothecium alienæ fidei omnino commiſſa , (Quod gravi valetudine laborarem,) non paucis ſcatere erroribus : quamobrem ut felicius opus ad finem perduceretur , non ſolum ipſemet correctioni operam dedi, quantum inter occupationes reliquas concedebatur : (Meditor enim opus de Canonizatione Sanctorum octo voluminibus diſtinctum,) ſed inſuper duos adhibui ſatis peritos viros , quibus hujus Myrothecii correctionem injunxi. Nihilominus , & in hoc quoque , ſive librariorum, ſive correctorum oſcitantia, nonnulla, ſed pauca , mendis referta comparuiſſe adverti , quæ hic infra adnotata erunt.

Reliqua , ſi quæ fuerint (& adeſſe non dubitamus,) tui erit muneris admoto calamo ex Chriſtiana charitate emendare. Norunt enim quotquot ex doctiſſimis viris commentationes ſuas typis mandare conſueverunt , utque correctiſſimi prodirent codices ſtuduerunt ; nunquam eos id aſſecutos fuiſſe. Cum præſertim correctioni alicujus operis nemo ſanè ſit ineptior , quam illius auctor , à cujus oculis , dum potius ſententiam quam verba attendit , errata typographorum quam facillimè aliquando excidunt. Benignitati itaque tuæ , Lector Optime, opus committitur. Fruere , & fave. Nam in magnis voluiſſe ſat eſt. Vale Romæ viij. Idus Auguſti MDCXXXVII.

MAR-

MARCO ANTONIO CVCCINO
ROMANO V. S. R.
Anconæ Gubernatori.

FR. FORTVNATVS SCACCHVS
Ord. Eremit. S. Aug. Apoſt. Sacr. Præfect. S. D.

SOLUM mihi natalitium, ſi meis civibus unquam invidi, nunc te Anconæ Præſide, ac Gubernatore quàm maxime invideo. Quamvis enim maris ex ea Urbe proſpectus amœniſſimus longè latèque diffuſus mirè intuentes delectet; nec minoris ſit voluptatis portus ipſe in cubitum flexus (à quo etiam Urbi nomen;) deliciarum prætereà in ea urbe copia, ſeu quæ à terra, ſeu quæ à mari gignuntur, talis tantaque ſit, ut Europa nullam aliam maritimam habeat oram, quæ omnium generum delicias gignat: fiatque ex eo, ut dùm mœnia Anconitanæ urbis criſpatis undis abluuntur, vel potius à mari lambuntur, Minerva, & Neptunus, Ceres, ac Venus de regione ipſa certare videantur: hæc tamen omnia quamvis jucundiſſima, & ſupra quàm credi poteſt gratiſſima ſint; nihil omnino me movent. Unum eſt, quod his diebus patriam deſiderare me compellit, ut D. T. familiaritate, eruditione ac reliquis virtutum dotibus, quas in te natura congeſſit, propiùs fruar: non enim ſolùm in ampliſſimo iſto regimine præſtanti prudentiæ laude ornatus es; ſed inter devia litium rectus arbiter, ad illarum turbines in judicio diſcutiendos, ea dexteritate uteris, qua fortè nemo alius. Et ſicut à recto æquitatis calle nunquam deflectere conſueviſti, ſic nequitias forenſes & obliquas argutiolas, velut portenta, juſtitiæ gladio confodere, conſtans tibi ſemper fuit animus. Id enim unum ſumma commendatione in te dignum videtur; quod in adminiſtratione Reipublicæ tua ſtudia omnia in ejuſdem bonum dirigantur. Enimverò publicos teſtes adhibeam (res in promptu eſt) Fanum, Æſium, Peruſiam, Tifernum, Fulginium, Nurſiam, proximèque Beneventum, cujus Præfecturam laude nunquam interitura geſſiſti. Sed quod adhuc præſtantius eſt, inter aulæ ſtrepitus litigantiumque clamores, ab humanioribus ſtudiis, hiſtoriarum ac rerum antiquarum inveſtigatione minimè abhorres. Beneventum, Maleventum aliquando dictum fuiſſe ſcribit Plinius: cujus nunc ſit eventus, diſputent alii; mihi certè boni optimique, te Præſide, fuiſſe certiſſimè teſtor: quando veteres nummos aliquot, meorum ſtudiorum de cauſa diligentiſſime conquiſitos inde ad me miſiſti. Quid in his agnoverim, quæris? eruditionem, hiſtoriarumque cognitionem non minimam ab his hauſi. Nam cum ad ſacra oracula perluſtranda me, ut noſti, converterim, ad eaque elucidanda mea ſtudia omnia colliment: horum intelligentiam perobſcuram, rerum antiquarum notitia juvari perſpicuum eſt. Quamobrem variarum lectione hiſtoriarum, quæ vel veterum memorias, vel res Hebraicas, Romanas, ſive Græcas celebrarent, me indigere cum deprehendiſſem, ad lapides litteratos veterum, ad inſculptos, & ad antiquos nummos conquirendos me dedi: quia non aliunde certiora rerum geſtarum documenta, atque inductiones ſecundum hiſtorias deprehenduntur, quàm ex his antiquitatum reliquiis. Profectò hiſtoriarum monumentis non tantùm nummi ſunt pleni; ſed etiam rerum geſtarum teſtificationem fideliſſimam continent. Id verò feriendis nummis Romani Græcique perfecerunt, ut quidquid dignum cenſerent, quod ad poſteritatis memoriam tranſmitteretur; id in iis quàm ſcitiſſime deformatum darent. Hac igitur tua in conquirendis pro me veterum nummis diligentia, non tàm mea ſtudia, quàm Eccleſiæ cauſa juvatur: quippe dum his ipſis Romanorum atque Græcorum diſcutiuntur & confirmantur hiſtoriæ; ſacra quoque produntur oracula. (Porrò à ſacris Iſraeliticæ Reipublicæ inſtitutis, multa ſurripuere Græci, Romanique quæ ad idola transferentes profanavere.) Cum igitur eò benignitatis nomine me tibi vehementer obſtrinxeris: aptiſſimum fore exiſtimavi, gratiæ reponendæ loco haſce ad te dare litteras: ac ſimul de abſoluto jam ferè MYROTHECIO tertio meorum Sacrorum ELÆOCHRISMATΩN te certiorem facere: ut ſtudioſi omnes ſacrarum litterarum intelligant, dùm illa pervolvent, quantùm tibi debeant. Illud etiam D. T. R. mæ teſtatum eſſe cupio, nihil me antiquius ducere, quàm fidem meam ſummo ſtudio atque diligentia, quantùm conceditur, aliquando liberare. Vale, & me, ut ſoles, ama. Romæ, IV. Idus Martii CIↃ IↃ CXXIX.

FR. FORTVNATO SCACCHO

Apoſtolici Sacrarii Præfecto

MARCVS ANTONIVS CVCCINVS

Utr. Sign. Refer. Anconæ Gubernator S. P. D.

COELUM hoc, ſolumque natale tuum incredibili cum animi voluptate contemplor, & colo; quòd in eo Dorica Urbs Piceni totius, cui etiam Anconitanum nomen indidit, titulis uſque ad invidiam felicibus, princeps elucet; quæ maris jucundiſſimo proſpectu, curvato illius in cubitum perfruitur ſinu, atque ex eo Græcam Anconæ appellationem ſortita eſt; pacique ac bello apta, portu ornatur celeberrimo; totque precioſarum mercium invectione, tot, tantiſque exterarum nationum commerciis, commeatus copia, ac nullius rei inopia famam ad ultimas penitus orbis terrarum oras propagat: ita ut quicquid ubique ſeorſim in divitiis ac deliciis habetur, natura in eam ſua ſpontè cumulatiſſimè congeſſerit. Quid enim loquar de cœli Anconitani ſalubritate ac clementia, deque ea, qua omnibus ferè anni tempeſtatibus illud afflatur, aura leniſſima. Enimverò de hac urbe ſat eſt dicere, quod Solinus ait de inſula Rhodo: Nunquam dies ita nubilus eſt, ut ſol aliquando non conſpiciatur; & Plinius de civitate Syracuſana; Syracuſis quotidie videtur Sol. Nam quid de ædium magnificentia, de ſacrorum Templorum cultu & nitore, quid de editiſſima Arce, quæ ſupra omnem urbis locum extollitur, totamque ferè maritimam colluſtrat oram, magnanimi Urbani nunquam interituræ gloriæ providentia roborata, atque aucta; quæ uti tutiſſimum Piceni propugnaculum, terra marique, hoſtibus timorem incutit, & civibus reverentiam. Quamobrem jure optimo mari ſuperiore Anconam Romæ cardinem & dicere, & habere nihil vetat. Quid denique de marmoreo Trajani arcu celeberrimo, opere Corinthio, mediis in fluctibus, Romano impendio, ferè ſupra id, quod natura paritur, ad annos omnes conſequentes quàm magnificentiſſimè exædificato? Et ſi priſcorum prophanis operibus ſacra noſtrorum opera conferre conſentaneum eſt, quid in toto Piceno auguſtiſſima æde Divi Cyriaci, tùm ob ſingularem magnificentiam, tùm ob ſacella concamerata, Sanctorum complurium corporum conditoria, ſpectabilius, ſivè auguſtius? Silentio involvo, quod potiſſimum eſt: quia ſacra humano non egent eloquio; nempe tot ſanctorum memoranda Λείψανα: alterum pedem Divæ Annæ Deiparæ Genitricis mirum in modum ad hæc uſque tempora nulla ex parte antiquitatis injuria corroſum; ac ſacroſanctam illam cuſpidem toto Chriſtiano orbe famà celebratam, & frequenti nationum, populorum omnis ætatis, omnis ordinis concurſu cultam, quæ ſacramenta Eccleſiæ de perfoſſo Chriſti latere in cruce pendentis eduxit? Verùm, mi doctiſſime Fortunate, hæc miſſa faciamus, non enim Anconæ hiſtoriam me texere, non annalium monumenta revolvere, aut locus, aut tempus, aut epiſtola patiuntur. Hoc unum ingenuè fatear, ſicut profiteor; me maximopere Anconæ domicilio delectari, quod tùm Patriciorum, tùm reliquorum civium morum ſuavitate, vultus jucunditate, necnon ingenuo ſanguine ita capior, & voluptate perfundor, ut mihi veram philantropiam aſſequi, & præ oculis habere, non niſi Anconæ datum ſit. Propterea ſi eam apprimè diligo, (Quod juxta Philoſophi ſententiam in urbis moderatæ munus eſt præcipuum.) nil prorſus meriti ex hac parte me adipiſci ſentio. Enimverò tibi quid eſt, quod non debeamus? Quippe qui tot annorum curriculis à die noſtræ initæ neceſſitudinis, tot mutui amoris vinculis me aſtrinxiſti; tot, tantiſque laudibus decoraſti; ut lucubrationum tuarum magna cum honorificentia me participem facere in animum induxeris. Ego equidem hiſce, aliiſque nominibus quàm arctiſſimè devinctus, me totum tuum eſſe profiteor; &, quod unum habeo, exiguam nempè, rudique ſtylo laudem hanc tibi dico, & dono.

Verùm

Verùm quid hinc meriti obveniſſe mihi queat, viderint litterarum magiſtri, qui tua luculenta ſcripta, inquè omnes Muſas tua præclara promerita aſpiciunt, & ſuſpiciunt. Ego enim in hoc munere potiùs, & veriùs veritatis ipſius, quàm fucatæ laudis ſtudioſum me haberi volo. Et ſi triumphator Auguſtus Antonii claſſe quà fugata, quà fracta ob amorem erga Arium philoſophum, Alexandriæ excidio abſtinens, illam titulis ac beneficiis decoravit: ego ſummopere exoptarem in tui gratiam & honorem, (ſi vires ſufficerent.) patriam tuam beneficiis aliquot afficere, quæ ſinceræ fidei, obſervantiæque erga te meæ tibi eſſent, licet pertenue, argumentum: ſiquidem tua ſtudia, tuaſque lucubrationes in tuis erùditiſſimis Myrotheciis, (Quæ ſacrarum litterarum utriuſque paginæ, atque antiquæ eruditionis tùm Hebræorum, tùm Romanorum & Græcorum, locupletiſſimum præ ſe ferunt gazophylacium.) frequenti lectione, inſatiabili animo in dies magis magiſque pervolvo, & veneror. Quid te authore diuturno Muſarum commercio Reſpublica litteraria ſe non aſſecutam gloriabitur? Hic ſacra Theologiæ arcana reſerata; hic ſacrorum myſteriorum ignorantiæ tenebris involutorum cæremoniæ è caligine ad meridianum ſplendorem erutæ; hic indiſſolubiliores Gordianis philoſophiæ nodi, tua exquiſita doctrina, & ſingulari ſolertia expediti, hic antiquorum numiſmatum teſtimonio, ipſis hiſtoriis certiore, conditoriorum, thermarum, tricliniorum, triumphorum, rectarum cænarum, ac ſacrificiorum uſum, omnia illorum temporum ſtudia, & ænigmata, non modò adumbraſti, verùm adeo affabrè expreſſiſti, ut tua Myrothecia quicquid Athenæ, quicquid Roma, quicquid Muſea omnia docuerunt, ſanè præ ſe ferre videantur. Quare jure optimo doctiſſimi, providentiſſimique Principis providentia de ſacris bene meritus, Sacrario Pontificio præes, & prodes. Ego autem, (qui huic civitati fidei vocabulo nuncupatæ, meritis licet imparibus, præſum,) cur in fide erga amicos aliqua ex parte profeciſſe non videar? Movet me, & urget veterum tuorum civium fides, qui illato bello à Friderico Occidentis Imperatore, Legatos Emmanuelis Orientis Imperatoris honorificè acceptos expelli flagitante, ſui internecionem fieri, & ob ſummam rei frumentariæ, ciborumque aliarum inopiam, & caritatem, contemptiſſimas eſcas, mollitaque coria comedere, quàm jus gentium violare maluerunt. Nonnè Sergio Summo Pontifice fidei teſtimonium glorioſius dederunt Virgines Deo dicatæ? Quæ, ut ferunt, dùm Saraceni Anconam depopulantur; ferro, flammiſque barbari pluſquàm barbarè bacchantur, in incendio urbis, majore libidinis incendio truces illorum animos conflagrare, ità ut res erat; arbitratæ, alia ſuum ipſius naſum, alia genas, cæteræ faciem totam vulneribus adeò fœdarunt; ut hoſtiles animi vultuum cruentorum deformitate perhorreſcentes; eas potiùs trucidare crudeliter, quàm violare fuerint auſi. O quàm præclarum fidei facinus! Ubi fides nitet ſplendidiùs, ubi auguſtiùs triumphat? Ergo hic fidem meam tuo nomini vinctam atque addictam, uſque ad extremum vitæ ſpiritum erga te me ſervaturum polliceor: & gratias tibi ago immortales, quòd tuas ad me litteras dederis, quibus de abſoluto Myrothecio tertio me certiorem reddere voluiſti. Vale, & vive diù, & Deus Optimus Maximus ad publicum bonum Reipublicæ litterariæ tua ſtudia diuturna adjiciat, & me ama, uti ſoles, ſicut te colo. Anconæ Kal. Aprilis M. DC. XXIX.

Imprimatur, ſi videtur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.
Jo. Bapt. Alt. Epiſc. Cam. Viceſg.

EGO Mag. Fr. Paulus Ciera Venetus Auguſtinianus, & in Almæ Urbis Studiorum Univerſitate Sacrarum Litterarum Interpres. Ex tradita mihi poteſtate à Reverendiſſ. Patre Mag. Sacri Palatii Mag. Nicolao de Riccardis. Vidi, & legi Librum qui inſcribitur Sacrorum Eleochriſmatωn &c. *Auctore &c. In quo cum omnia ſumma eruditione, & doctrina dicta invenerim, nihilque in eo, quod aut divinis legibus, aut humanis repugnet; ipſum approbo, & dignum impreſſione cenſeo. In quorum fidem.*

Ego qui ſupra &c.
Fr. Nicolaus Riccardius Ord. Præd. Sac. Apoſt. Pal. Mag.

CATALOGUS AUCTORUM,

Quorum teſtimonia citantur in hoc tertio Myrothecio.

A.

Abbas Panormit.
Abulenſis.
Ælianus.
Alexander ab Alexandro.
Aldus Manutius.
S. Ambroſius.
Ammianus Marcellinus.
Andricomius.
Agellius.
Antonius Auguſtinus.
Apulejus.
Aquila.
Ariſtophanes.
Ariſtoteles.
Arrianus.
S. Athanaſius.
Avenarius.
Auguſtinus Torniellus.
Aulus Gellius.
Aurelius Victor.

B.

Baldus.
Barnabas Briſſonius.
S. Baſilius.
Benedictus Arias Mont.
Biblia Vulgata.
Biblia Hebræa.
Biblia Septuag. interpr.
Biblia Sanctis Pagnini.

C.

Carolus Stephanus.
Carolus Sigonius.
Carolus Paſchalius.
Caſaubonus.
Cato.
Cœlius Rodigin.
Cicero.
Claudianus.
Clemens Alexandrinus.
Codex Juſtiniani.
Cornelius Tacitus.
Corippus.

D.

R. David Chimchi.
Diodorus Siculus.
Dion.
Dioniſius Halicarnaſſeus.
Dioniſius Gothofredus.
Digeſtum vetus.
Digeſtum novum.
Donatus.

E.

R. Elias Levites.
S. Epiphanius.
Eraſmus.
Eſiodus.
Euripides.
Euſebius.
Eutropius

F.

Felinus.
Feneſtella.
Ferrarius.
Feſtus.
Flavius Vopiſcus.
Forſterus.
Franciſcus Ribera.
Franciſcus Portus.
Frontinus.

G.

Gaſpar Sanctius.
Georgius Pachimerus.
Gilbertus Gualminus.
Gilbertus Genebrardus.
Guilelmus Canterus.
Guilelmus Lindanus.
Guilelmus Stucchius.

H.

Herodotus.
Herodianus.
Homerus.
Horatius.
Hoſtienſis.
Hubertus Goltzius.
Hyginus.

I

Joannes Maldonatus.
Joannes de Pinedo.
Joannes grammaticus in Heſiod.
Joſeph Hebræus.
Iſahac Grammatic.
S. Iſidorus.
Julius Capitolinus.
Julius Firmicus.
Julius Cæſar.
Julius Pollux.
Juſtiniani Inſtitut.
Juſtus Lipſius.
Juſtinus Trogi Epiſt

L.

Laurentius Valla.
Levinus Torrentinus.
Livius.
Lucanus.
Lucianus.
Ludovicus Legionenſis.

M,

R. Maimonius.
Marcellus Empiricus.
Marcus Marinus.
Marcus Varro.
Martialis.
Mercerus.
Michaël Angelus a Sancto Romulo.
Minutius Fœlix.

N.

Nicephorus Calixtus.
Nonius Marcellus.

O.

Oleaſter..
Onuphrius Panvinius.
Orpheus.
Ovidius.

P.

Pauſanias.
Petrus Diaconus.
Philoſtratus.
Philon Hebræus.
Plautus.
Plinius.
Plutarchus.
Polybius.
Pomponius Lætus.
Porphyrius.
Ptolomeus.

R.

Robertus Bellarminus.

S.

Salmaſius.
R. Salomon.
Sanctes Pagnin.
Scaliger.
Seneca.
Silius Italicus.
Solinus.
Sophocles.
Spartianus.
Spondanus.
Statius.
Strabo.
Suetonius Tranquillus.
Suidas.
Symmachus.

T.

Terentius.
Theophilus in Valer. Max.
Theophraſtus.
Theodoſius.
Thucidides.
Turnebus.

V.

Valerius Maxim.
Vatablus.
Ubaldus Urbinas.
Vegetius.
Virgilius.
Vitruvius.
Vuolfangus Lazius.

X.

Xenophon.
Xiphilinus.

Z.

Zonaras.
Zozimus.

ARCANORVM
SACRAE SCRIPTVRAE
MYROTHECII TERTII
Quod eſt
DE ISRAELITICI REGIS INAVGVRATIONE.

CAPUT PRIMUM.

Sacerdotalis, & Laicalis ſtatus diſtinctio in Republica Iſraëlitica monſtratur.

Ad loca Numer. 1: *Tollite ſummam univerſæ congregationis filiorum Iſraël per cognationes & domos ſuas.* &c. Illuſtratur locus Exodi cap. 7. *Dominus Deus Hebræorum miſit me ad te, dicens: Dimitte populum meum, ut ſacrificet mihi in deſerto.* Et cap. 10. *Sic Dominus ſit vobiſcum, quo modo ego dimittam vos, & parvulos veſtros: cui dubium eſt, quod peſſimè cogitetis?* & ad alia plura loca.

D

VERSARI in antiquis oraculis, eorumdemque intelligentiam expiſcari, eſt adeò difficile, ut Pythia opus ſit. Quamobrem Græcorum ac Romanorum hiſtorias, aliorumque Scriptorum monumenta, in ſacris hiſce oraculis explicandis, pervolvere cogimur: ut quæ à nobis hìc pertractantur, cum non tam antiqua, quam ferè antiquata exiſtant, ab his, qui ritus ac mores ab Iſraëlitis ſurripuere, elucidata maneant. Quia igitur de regia, in Iſraëlitica Republica inſtitutione, Regisque electione, declaratione ac inauguratione nunc à nobis agitur: propterea de Republica Iſraëlitica à Deo conſtituta nonnulla breviter prælibanda erunt.

E

Eſt enim adeo connaturalis humano generi convictus, ut non tam qua eſt homo rationalis, quàm qua eſt animal, eidem conveniat. Etenim inter animalia ratione carentia Apes, Grues, aliaque nonnulla animalcula, rerum naturalium ſcriptores, ſub cujuſdam Reipublicæ formam convivere tradunt. Quæ quidem ea ratione à peritioribus accipienda ſunt; ut nequaquam veram Reipublicæ formam hæc tenere credantur; ſed ad cujuſdam Reipublicæ ſpecimen, illorum convictus reducatur. Subditos enim ratione regi neceſſario oportet; cùm ab electione finis, regiminis ratio pendeat; quo rationis uſu bruta cùm careant, veræ quoque Reipublicæ inſtituta, eadem carere neceſſe eſt.

F

Cùm igitur humanæ rationis primum principium, maximumque axioma ſit Deum colere, & proximum ad ſui ipſius menſuram diligere; propterea religione, hominumque charitativo convictu, quaſi duabus in baſibus, cujuſcunque Reipublicæ forma ſtabilienda fuit: ut genus humanum ad Dei imaginem conſtitutum, cœleſtis quoque hierarchiæ formam præ ſe ferens, ſalvum eſſe poſſit. Niſi enim humanum hoc contubernium, in eos qui præſunt, quique ſubjiciuntur; qui imperent, quique faciant imperata, partiti fuerimus; humana omnia ruere neceſſe eſt. Hoc philoſophia docuit; experientia aperuit; ratio dictat. Optimumque Reipublicæ regimen, non ſemel, ſed ſæpiſſime auctores tam veteres, quam recentiores, navi ſapientiſſimè comparant: quam ſi ſalvam eſſe velimus; ut unus in ea imperet, reliqui imperata faciant neceſſe eſt: ſic enim à ventis & fluctibus quamvis agitata fuerit navis, ſecura tandem & incolumis, portum tenebit: cujus tamen regiminis inverſo ordine, certum naufragium patietur.

Cumque ad Regis, Imperatorumque ac Magiſtratuum quorumcumque electionem atque inaugurationem, Procerum Reipublicæ conventum convocari neceſſarium ubique fuiſſe, ratio ipſa demonſtret; propterea ad rem noſtram in Iſraëlitica Republica, Sacerdotum, Procerum atque Magiſtratuum ordo conſiderandus erit. Hanc enim Reipublicæ Iſraëliticæ conſtitutionem, optimam perfectamque fuiſſe, eo ſolum argumento ſatis probatum iri arbitror; quòd à Deo demum decretis, ſtatutis, ac legibus fuiſſe inſtitutam ac roboratam, ex ſacris cognoſcamus litteris.

Quia vero nulla unquam Reſpublica , nullum Regnum aut Imperium extitit , legitimæ adminiſtrationis ſpecimen præ ſe ferens , in quo religionis fundamentum non fuerit ; propterea legiſlatores omnes cum primis de rebus divinis , quibus cætera omnia Reipublicæ negotia firmarentur , leges ſtatutaque condere opus eſſe duxerunt. Nam legum duodecim tabularum , quas à Græcis Romanos mutuatos ſcimus , pars prior ad religionem ſpectabat. Hæc enim una religionis virtus præ cæteris aliis , Reſpublicas , Regna , Imperiaque format , ac ſarta tecta conſervat.

Sed quid divagamur , aut argumenta à Græcis aut à Romanis quærimus ? Ipſarum tabularum , quas Deus Moyſi in monte tradidit , digitoque ſuo conſcripſit , priora capita ad religionem , cultumque Numinis reſpiciunt : poſteriora verò hominum ad invicem contubernium indicunt ac moderantur. Eapropter ab exordio ipſo naſcentis Reipublicæ Iſraëliticæ, Deus benedictus, duplici hominum ſtatu eam conſtituit : eorum nimirum , qui religioni operam darent ; & aliorum , qui convictum contuberniumque civium pacatum reddere curarent. Et in utroque hominum illius Reipublicæ ſtatu , decrevit , quinam præeſſent , quive ſubjicerentur ; qui juxta leges à ſe latas imperarent ; ac etiam , qui ex ejuſdem legibus decretis , imperata facerent. Quamobrem quemadmodum nunc in Chriſtiana Republica , duplex Chriſtianorum ordo habetur , Eccleſiaſticorum nimirum , & Laicorum , quorum alter alteri conjungitur , ac ab eodem in his , quæ ad divinarum legum obſervantiam , & fidei Chriſtianæ bonum diriguntur , omnino pendet : pari ratione in Republica Iſraëlitica duplex is hominum ordo habebatur ; quorum alter ab altero licet ſecerneretur ; uterque tamen ex præſcripto Pontificis , divinarum legum obſervantiam ſtudebat.

Diſtinctio ordinis Eccleſiaſtici à Laicali in Iſraëlitica gente ex ſacris libris , me judice , perſpicua eſt. Nam ubique in his , duodecim tribus tantum numerantur , nimirum tribus Ruben , Simeon , Juda , Iſſachar , Zabulon , Benjamin, Dan , Aſſer, Gad, Ephrahim , Manaſſe , & tribus Nephtalim. Nullibi verò in ea tribuum Iſraëliticarum enumeratione, neque ad militiam , neque ad negotia publica , Levitæ aut Sacerdotes recenſentur. Nam cap. 1. Numerorum filiorum Iſraël numerus ex Dei mandato ſuſcipitur; Domino ad Moyſen & Aaron ſic dicente: *Tollite ſummam univerſæ congregationis filiorum Iſraël per cognationes & domos ſuas :* Et in eorum numero duodecim tantum , quas diximus , tribus veniunt ; excluſa Levitica tribu , de qua à Deo Moyſi ſic dicitur : *Tribum Levi noli numerare , neque pones ſummam eorum cum filiis Iſraël.* Et cap. 2. ejuſdem libri ſingulis tribubus , militiæ cauſa , loca caſtrametationis ex militari peritia à Deo deſignantur ; ſed inter reliquos Levitæ non reponuntur : quin è contrario ſubditur : *Levitæ autem non ſunt numerati inter filios Iſraël.*

Seorſum demum à reliquis Iſraëliticis tribubus Levitæ c. 3. & 4. ejuſdem libri ad miniſterium Tabernaculi recenſentur. Cap. etiam 7. in quo oblationes filiorum Iſraël referuntur ; quæ nimirum à ſingulis tribubus , duodecim dierum ſpatio poſt dedicationem tabernaculi oblatæ fuerunt ; nihil de tribu Levitica. Cap. etiam 13. duodecim præclariſſimorum virorum nomina deſcribuntur , qui ex ſingulis tribubus ad perluſtrandam explorandamque regionem Chananæorum , quam filiis Iſraël Deus dare in poſſeſſionem decernebat ; juſſu Moyſis profecti ſunt : at nihil hic de Levitis. Pari ratione cùm de partienda terra promiſſionis in ſacris oraculis agitur, nulla pars aut hæreditas Levitis ac Sacerdotibus deſtinatur ;

A ſed tantum Civitates ad inhabitandum , & paſcua ad paſcendum greges , eiſdem deſignantur. Et quod magis eſt , quoties de conventu tribuum ſub Rege David , aut de earumdem poſt mortem Salomonis receſſu à Roboamo agitur ; de tribu Levitica nec verbum quidem. Ex quibus ſanè locis , nomine filiorum Iſraël , ubique duodecim tantum tribus , non verò Leviticam ſignificari manifeſtum eſt.

Stat etiam pro ea , quam diximus , ſtatus ac ordinum in gente Iſraëlitica diſtinctione, Propheta duobus in locis : nimirum in Pſal. 113. cùm ait: *Domus Iſraël ſperavit in Domino : adjutor eorum & pro-* B *tector eorum eſt.* Et ſtatim quaſi de aliis quibuſdam ageret , qui ad domum Iſraël non pertinerent ; ſubinfert : *Domus Aaron ſperavit in Domino : adjutor eorum & protector eorum eſt.* Infra quoque quaſi de duabus Rebuſpublicis , ſive hominum ordinibus in eadem gente ab invicem diſtinctis loqueretur ; ſubintulit : *Benedixit domui Iſraël , benedixit domui Aaron* : ac ſi diverſa benedictione , alia & alia tribus Deum laudaret ; domuſque Aaron à domo Iſraëlitica diſtingueretur. Ut revera , ratione diverſitatis ſtatus , ordinis , ac principatus diſtinguebatur. Et in Pſal. 117. ſacer Dei Propheta ſimili phraſi , duplicem hominum ſtatum in Iſraëlitica gente aperuit. Primo enim ad divinas laudes ſtatum laicalem pro- C vocat dicens. *Dicat nunc Iſraël quoniam bonus , quoniam in ſæculum miſericordia ejus.* Et illico quaſi de ſtatu aliquorum in gente Iſraëlitica, ad alium hominum ordinem pertinentium ageret , ſubintulit Propheta : *Dicat nunc Domus Aaron , quoniam in ſeculum miſericordia ejus.*

Hanc ordinem in Hebræorum gente diverſitatem, laicorum nimirum diſtinctionem ab his , qui divino cultui mancipabantur : etiam ante latam legem locum habuiſſe apud eam gentem ; rationibus , ac conjecturis ex ſacris colligo oraculis. Extitiſſe namque Sacerdotes , ordinemque ſacerdotalem penes Hebræos ; dum adhuc in Ægypto ante receptam le- D gem detinerentur : à ratione ſacrificiorum , argumentari poteſt. Enimverò divinum cultum per ſacrificia frequentem apud eam gentem eo tempore fuiſſe , perſpicuis colligitur argumentis ; ſi verba Moyſis attendantur ; quæ oratoris nomine à Deo miſſi ad Pharaonem retulit , dicens cap. 7. Exod. *Dominus Deus Hebræorum miſit me ad te , dicens : dimitte populum meum ut ſacrificet mihi in deſerto.* Hæc autem divini oratoris , ac legati ad Pharaonem inſtantia , præter rem profectò fuiſſet : niſi dixerimus Pharaonem ante Moyſis adventum prohibuiſſe Hebræis, ne ad ſacrificia in deſerto exirent. Fruſtra enim Moyſes , divino ex nomine inſtaret , permitti exitum fi- E liis Iſraël in deſerto ſacrorum de cauſa : niſi eadem de cauſa proficiſci in deſertum , à Pharaone prohibiti fuiſſent. Intelligant igitur hac occaſione Principes , quod quamvis ſupra centum annos , nequitias , inſultuſque Regum , atque Ægyptiorum conatus contra populum Iſraëliticum , patienti animo Deus toleraſſet : hæc ipſa tamen minime tolerare voluit ; cùm ſacra eum prohibuiſſe comperit : juraque regia , commiſcere ſacris , Pharao auſus eſt. Iam enim per aliquot annos , imo ſupra annorum centuriam , Ægyptiorum proceres , ac Reges , perſequi Hebræos cepiſſe inde colligitur ; quòd Moyſes natus eſt tunc ; cum decreta aliqua à regio ſupre- F mo ſenatu , ad Hebræorum deſtructionem emanaverant. Cumque octoginta annorum Moyſes eſſet , quando ad Pharaonem mittitur ; & ante Moyſis ortum , plura alia contra gentem Hebræam emanaſſent decreta : manifeſtum eſt , tunc tantum de illius Regni ruina Deum cogitaſſe ; cùm ſacra Hebræis prohibita fuere. Timuit enim Pharao ; ne dum Sacrificiorum de cauſa Iſraëlitæ ad deſerta contendebant ;

ſumptis

A ſumptis aliquando armis, in rebellionem erumpentes, contra regnum Ægypti conſpirarent. Quamobrem ſecuritati regni quodammodo conſulens; exitum, etiam religionis cauſa, Iſraëlitis vetuerat. Suſpicio hæc ſubodoratur ex verbis ipſis, quæ Pharao ad Proceres Regni habuit Exo. 1. dicens. *Venite ſapienter opprimamus eum*: populum ſupple Hebræum. *ne fortè multiplicentur: & ſi ingruerit contra nos bellum, addatur inimicis, expugnatiſque nobis egrediatur de terra.* Hoc idem ſubodoratur ex his; quæ cap. 10. ejuſdem libri habentur. In quo Pharao nullam aliam ſuæ proterviæ rationem aſſignat; niſi quam diximus rebellionis ſuſpicionem; dicens. B *Sic Dominus ſit vobiſcum: quomodo ego dimittam vos, & parvulos veſtros: cui dubium eſt, quod peſſime cogitetis?*

Conſueviſſe verò Hebræos, dum Ægyptum inhabitarent, ſacrificiorum de cauſa deſerta petere. Tum à ratione munditiæ colligitur, quæ ſacris debebatur; tum etiam quòd Iſraëlitæ caverent, ne ſacris ipſorum, Ægyptii ad indignationem provocarentur. Manifeſtè hoc colligitur ex cap. 8. Exo. In quo ſacrificandi facultatem Pharao Hebræis aliquando fecit; non alibi quidem, quàm in ipſa regione, quam habitabant: cùm enim dixiſſet ad Moyſen, & Aaron Dei legatos: *Ite & ſacrificate Deo* C *veſtro in terra hac.* Reſpondit Moyſes. *Non poteſt ita fieri: abominationes enim Ægyptiorum immolabimus Domino Deo noſtro? quòd ſi mactaverimus ea, quæ colunt Ægyptii, coram eis, lapidibus nos obruent.* Cum igitur in Ægyptum ſacra facere Hebræis minimè liceret; eoſdem conſueviſſe deſerta, ſacrorum occaſione petere, in ſolemnioribus præſertim diebus, ratio dictat. Hebræos autem tunc temporis, quoſdam ſolemniores dies habuiſſe, probat argumentum ſumptum à ratione petitæ profectionis, quod cap. 10. Exo. Moyſes attulit. Cùm enim ab eo quæſiviſſet Pharao, quinam ſacrificiorum de cauſa, ad deſerta profecturi forent: reſpondit Moyſes. D *Cum parvulis noſtris, & ſenioribus pergemus, cum filiis, & filiabus, cum ovibus, & armentis: eſt enim ſolemnitas Domini Dei noſtri.* Cumque ſacrum Paſcha nondum eſſet inſtitutum: (hoc enim in memoriam necis primogenitorum Ægyptiorum, ac egreſſus filiorum Iſraël de regione illa, inſtitutum fuit.) igitur de aliqua alia ſolemnitate verba Moyſis accipi debent: qua ſolemnitatis occaſione, Hebræos conſueviſſe exire, ſacriſque operam dare in deſerto, affirmare neceſſe eſt: niſi media in luce cœcutire quis velit; veramque ſacrarum litterarum intelligentiam minimè agnoſcere. Ab hac igitur ſolemnitatis conſuetæ celebratione, cùm decreto Pharaonis Iſraëlitis E deſerta petere interdictum foret; à Deo miſſus eſt Moyſes; qui de revocando decreto Pharaonem admoneret: permitteretque populo Iſraëlitico, ad ſacrificia conſueta in deſertum proficiſci.

Sacra igitur, feſtoſque dies Iſraëlitas habuiſſe; dum adhuc in Ægyptum detinerentur; & Sacerdotes quoque, qui ſacra facerent, perſpicuum eſſe debet: deque his Deum Exo. 19. loquutum; tanquam de ſtatu hominum, qui à reliquo populo ſecernebatur. Nam cùm populus ad montem Sinai perveniſſet; ageretque Deus de alloquendo Iſraëlitis de medio ignis: (ut loquamur cum Deuter. cap. 4.) præſcripſiſſetque fines, quouſque pervenire Iſraëlitis F concedebatur: dixit ad Moyſen. Exo. 19. *Deſcende, & conteſtare populum ne fortè velit tranſcendere terminos ad videndum Dominum, & pereat ex eis plurima multitudo.* Et ſtatim quaſi de alio hominum ſtatu ſubinfert. *Sacerdotes quoque, qui accedunt ad Dominum, ſanctificentur, ne percutiat eos.* Nondum lex lata fuerat à Deo: nondum Levitæ ſeparati à reliquis tribubus fuerant: ac propterea textus allatus de proſapia Aaronis intelligi nequit: quod nondum ex divina lege Sacerdotium in ea familia decretum fuiſſet. Intelligendus eſt igitur textus de ſacerdotibus, quos in Ægypto Iſraëlitæ habebant: de quibus in prædicto loco, quaſi de ſtatu hominum à reliquis ſegregato, ſacer loquitur textus cap. 47. in illa annonæ caritate, quæ univerſum Ægyptum ſub principatu Joſephi occupavit. Cujus ſtudio prædia omnia, poſſeſſioneſque Ægyptiorum ad jura Regum ceſſerant: à qua tamen juriſdictione, Sacerdotum prædia exempta fuiſſe ſcribuntur. Nec ſolum prædia Sacerdotum exempta dicuntur: ſed etiam de publico ærario, in illa acerbiſſima totius regionis annonæ caritate ſacerdotes nutritos fuiſſe ſcribuntur.

CAP. II.

Eccleſiaſtici, & laicalis ſtatus ordo in Iſraëlitica gente declaratur.

Ad loca Num. 3. *Applica tribum Levi, & fac ſtare in conſpectu Aaron Sacerdotis, ut miniſtrent ei, & excubent.* Exo. 18. *Provide autem de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint avaritiam.* & ad alia.

MULTA dici poſſent de Republica Iſraëlitica, deque reipublicæ ordinibus: & quidem juſtum volumen, hæc ipſa materia expoſceret: ac ea tractatione, loca ſacrorum oraculorum fere innumerabilia illuſtrarentur, ac explicarentur. Sed quia ad regiam electionem properamus; illa tantum prælibanda hìc erunt; quæ ordines Reipublicæ illuſtrant, quantum ſat eſt ad regium conventum, in quo Rex Iſraël à Deo electus ad Reipublicæ regimen à populo promovebatur: ita tamen ut jura ordinis Eccleſiaſtici ſarta tecta conſervarentur. Eccleſiaſtici autem ſtatus completa ratio, ut more noſtro loquamur, in tribu Levitica, atque in omnibus ejus familiis ex divinis decretis firmatur, ac ſtabilitur. In veteri lege ordo quoque hierachicus deſignatur; ac in triplici hominum genere diſtinguitur: nimirum ſummi Pontificatus, minorum ſacerdotum, & reliquorum de tribu Levitica. Nam ſive mares eſſent, ſive fœminæ, ad ordinem Eccleſiaſticum redigebantur, extra laicam juriſdictionem. Summi Pontificatus apicem, unus tantum ex his, qui per maſculinam lineam de proſapia Aaronis deſcenderet, tenebat. Reliqui de eadem proſapia, atque familia, in ordine minorum Sacerdotum cooptabantur. Nec ſub primis reipublicæ temporibus, ad Summum Pontificatum alter admittebatur; niſi prior deceſſiſſet. Qui verò ad cæteras familias ejuſdem tribus pertinebant, Levitæ dicebantur. Et licèt nec ad ſummum Sacerdotium, neque in numero minorum ſacerdotum hi admitterentur; circa ſacra tamen miniſteria verſari, illorum muneris erat.

Principatus ſuper omnem tribum Leviticam, & totius hujus ordinis Eccleſiaſtici ſummum jus, ex divinis decretis, in ſummo Pontifice ſtatuitur. Poſtquam enim Deus Levitas à reliquis tribubus Iſraëliticis ſegregaſſet; omnimodam juriſdictionem minorum ſacerdotum, ac Levitarum, ipſum Pontifici ſummo adſcripſiſſe; ex pluribus locis ſacrarum litterarum habetur. Cap. 3. Numer. ſic dicitur: *Ego tuli Levitas à filiis Iſraël pro omni primogenito, qui aperit vulvam in filiis Iſraël, eruntque Levitæ mei.* & cap. 18. ad longum cæremoniæ hujus adſignationis Levitarum ſub poteſtate, auctoritateque Aaronis, ac filiorum illius ſcribuntur. & cap. 3. Num. dicitur Moyſi à Deo: *Applica tribum Levi, & fac ſtare in con-*

conſpectu Aaron Sacerdotis ; ut miniſtrent ei , & excubent &c. & ſtatim. *Dabiſque dono Levitas Aaron , & filiis ejus , quibus traditi ſunt à filiis Iſraël.* & Cap. 18. ejuſdem libri Aaron præficitur toti tribui Leviticæ. Sic enim dicitur. *Sed & fratres tuos de tribu Levi , & ſceptrum patris tui ſume tecum ; præſtoque ſint, & miniſtrent tibi. tu autem & filii tui miniſtrabitis in tabernaculo teſtimonii , excubabuntque Levitæ ad præcepta tua , & ad cuncta opera tabernaculi.* Attendantur quæſo verba illa ſacri textus. *Fratres tuos de tribu Levi , & ſceptrum patris tui ſume tecum.* In quibus ſanè verbis , Aaron & ſucceſſores illius , Principes à Deo in omnem Leviticam tribum conſtituuntur. Qui principatus etiam, illis verbis *excubabunt ad præcepta tua* ad huc magis roboratur. Quæ autem Urbes fuerint annumeratæ ad jura Levitarum , & Sacerdotum , ſcribitur Joſue cap. 21. Ex his omnibus luculenter conſtat , quanta fuerit poteſtas , jus , & dignitas Pontificis Moſaici in gente Iſraëlitica.

Ordo denique hierarchicus , magiſtratuum nimirum , procerum , atque Senatorum in republica eccleſiaſtica cap. 3. Num. & 4. ſatis apertè , me judice , monſtratur. Nam cap. 3. de ſtationibus Levitarum agitur ; & in eo tres tantum totius Leviticæ tribus Principes familiæ , nimirum Meraritæ , Caathitæ , & Gerſonitæ recenſentur. Gerſonitarum Princeps Eliaſaph filius Lael declaratur. Sub ejus principatu conſtituuntur familiæ Lebnitica , & Semeitica : & hi cap. 4. n. 38. ſub præfectura Itamar Sacerdotis ſtabiliuntur. Caathitarum autem Princeps decernitur Eliſaphan filius Oziel. Sub cujus principatu ſtatuuntur Amramitæ , Jeſaaritæ , Hebronitæ , & Ozielitæ : & cap. 4. n. 16. præfecturæ Eleazari ſacerdotis ſubjiciuntur. Meraritarum denique principatus datur Surieli filio Abihaiel : & illi ſubjiciuntur Moholitæ , & Muſitæ : horum præfectura Itamaro filio Aaronis adſcribitur. Et ubique deinceps in ſacris litteris Principatus ſummi Pontificis Iſraëlitæ in reliquos omnes ſacerdotes , qui erant de proſapia Aaronis , ac filiorum ejus , oſtenditur , ac ſimul in omnibus, qui ad tribum Leviticam pertinebant & hæc deſtatu eccleſiaſtico ſub Aarone dixiſſe ſufficiat.

Secularis ſtatus in gente Iſraëlitica inſtitutio , & ordo ex latis à Deo decretis brevi compendio conſiderandus ſupereſt : ut ejus Reipublicæ plena cognitio ab incunabulis hauriatur. Magiſtratus enim laicus , ex inſtitutis cujuſcunque reipublicæ , duo cum primis proſpicere debet , nimirum ut quietè , ac pacificè vivant hi , qui ad illam Rempublicam pertinent ; habita ratione tam juſtitiæ commutativæ , quam diſtributivæ : nec non etiam curare debent magiſtratus : ne ab exteris cives ſibi commiſſi , injuriam patiantur. Quamobrem is Secularis ſtatus , duobus cum primis ordinibus conſtituitur ; quorum alter ad civium pacem , concordiamque ſervandam dirigitur ; alter militiam , militareſque ordines reſpicit. Senatus ex primis conſtituitur. Exercitum conſtituunt poſteriores.

Ordinem utrumque Iſraëlitas ex inſtitutis à Deo & per Moyſen ad populum latis , habuiſſe ſacra tradiderunt oracula. Moyſen enim ex conſilio Iethro Madianitæ ſoceri ſui ; tam ea quæ ad Civilem gubernationem pertinebant ; quam ea , quæ ad militiam ſpectabant , conſtituiſſe , ex auctoritate Joſephi lib. 3. antiq. c. 3. perſpicuum videtur. Cui pariter accedit Sacrarum Scripturarum teſtimonium : dum enim Moyſes adhuc eſſet in Horeb ; quæ ad militiam ſpectabant ordinaſſe , Deuteron. cap. 1. ſcribitur his verbis. *Tulique de tribubus veſtris viros ſapientes , & nobiles* , ait Moyſes : *& conſtitui eos principes , tribunos , & centuriones , & quinquagenarios , ac decanos , qui docerent vos ſingula.* Civile quoque regimen Iſ-

A raëliticæ Reipublicæ Deum direxiſſe cap. 11. Num. habetur : ubi inſtante Moyſe , Deus conſtituit Senatum ſeptuaginta ſeniorum. Hæc autem ferè omnia, jam olim Soceris conſilio , Moyſen diſpoſuiſſe , ex cap. 10. Exodi ſubodoratur. Cum enim Jethro Madianita à mane uſque ad veſperam Moyſen in dirimendis litibus , quæ inter Iſraëlitas indies oriebantur , fatigari conſpexiſſet ; his verbis eum admonuiſſe ſcribitur. *Provide autem de omni plebe viros potentes , & timentes Deum , in quibus ſit veritas , & qui oderint avaritiam.* Ubi ex Hebraico exemplari attendenda ſunt illa verba אַנְשֵׁי חַיִל *hanſce chxail* ; his enim verbis viri bellicoſi , & viri fortes ſignificantur , qui armis operam dant. Illa quoque alia verba

B in eodem textu ſunt obſervanda אַנְשֵׁי אֱמֶת *hanſce hemeth.* quibus viri fideles indicantur. Inter quas dicendi phraſes , illud eſt diſcrimen : quòd prior ordines militares reſpicit, poſterior verò ad civilem gubernationem refertur. Ad quam præficiendi ſunt , qui avaritiam minimè ſequantur ; quorum peccatum in muneribus recipiendis, cum primis poſitum ex ſacris litteris apertiſſimum eſt.

Sæcularis , ſive laicalis ſenatus forma contemplanda ſupereſt. Ad eum enim duodecim tribus jus habebant ; ex quibus tota Iſraëlitarum conflabatur Reſpublica : quæ quidem vocabulo domus Iſraël in ſa-

C cris litteris, ut vidimus , ſæpiſſimè ſignificatur. Hæ autem tribus hoc ordine numerantur , tribus Juda , tribus Iſſachar , tribus Zabulon , tribus Ruben , tribus Simeon , tribus Gad , tribus Ephraim , tribus Manaſſe , & tribus Benjamin. Ad quarum civile regimen ſeniores , divino nutu , nec non etiam de conſilio Jethro Madianitæ , ac de conſenſu populi præfectos fuiſſe , cap. 1. Deuteronomii ſcribitur. Hos autem propterea Reipublicæ præfectos fuiſſe conſtat ; ut ea regerent , quæ ad civilem gubernationem pertinebant. Nam Exo. 24. ubi ſcribitur Moyſen aſcendiſſe ad colloquendum , cum Deo , ſeptuaginta viri , qui cum eo montem aſcenderunt

D זִקְנֵי יִשְׂרָאֵל *zique Iſraël* : appellantur : hoc eſt *Seniores Iſraël.* Quod idem eſt ac Senatores. Textus ſacer, ſic habet. *Aſcenderuntque Moyſes , & Aaron , Nadab , & Abiu , & ſeptuaginta de ſenioribus Iſraël, & viderunt Deum Iſraël.* Quam Iſraëlitici ſenatus formam , ac ſenatorum numerum , extitiſſe penes Iſraëlitas dum eſſent in Ægypto , antequam ad eos Moyſes à Deo mitteretur , tum ex loco citato ſuſpicari poteſt , tum quia ubi nos legimus ſenes , aut ſeniores Iſraël , ad quos Moyſes mittitur γερουσία græce legitur ; quæ vox ſenatum ſignificat. Et ſenatum Iſraëliticum , atque duces tribuum acceſſiſſe ad Moyſen , petiiſſeque ab eo , ut non loqueretur Domi-

E nus ad populum ; ſed ille Dei ad populum mandata deferret ; eidem objicit Moyſes Deuter. cap. 5. Et hi quidem ſeptuaginta ſenatores , ſemper totius populi nomine ad quodcumque Moyſes propoſuiſſet , aſſenſum præſtiterunt : tam in electione Principis , nimirum cùm Deus , ut Princeps , & Dux populi ab Iſraëlitis acceptandus fuit ; quàm etiam cùm leges à Deo Moyſi latæ admittendæ , cap. 24. Exodi , & cap. 34. approbandæ fuerunt.

Quia verò ex cap. 11. Num. aliquod dubium ſuboriri poſſet, circa id quod diximus de tempore conſtitutionis Senatus ſeptuaginta ſeniorum : quod nimirum illius ſenatus conſtitutio, ac ſenatorum deſcri-

F ptio , ſive deſignatio , de qua in eo capitulo agitur, poſt erectionem tabernaculi facta fuiſſe videatur ; difficultati putavi occurrendum triplici conſtitutione ſenatus ex numero ſeptuagenario. Priorem ſenatum ante egreſſionem populi ex Ægypto extitiſſe , colligo ex loco allato. Poſteriorem ad montem Horeb ex conſilio Jethro Madianitæ , conſtitutum arbitror. Poſtrema demum conſtitutio ex præſcripto Dei poſt ere-

erectum tabernaculum. De hac locus Deuteron. 11. intelligendus eſt. Quòd fortaſſe ſenatores priores, qui conſilio Jethro Madianitæ, in ſenatu cooptati fuerant, è vivis jam deceſſiſſent; aut ſaltem major illorum pars: tunc fortaſſe, cùm ad ulciſcendam idololatriam vituli aurei, Levitæ ad Moyſis mandatum, viginti tria millia virorum interfecerant. Credibile enim eſt non plebis, ſed Senatorum inſtantia, Aaron vitulum excitaſſe, atque propterea hos cum aliis neci fuiſſe traditos. Niſi etiam quis velit admittere duplicem conſtitutionem tabernaculi fœderis, aliud ſimplex, & abſque Solemnitate; cujus uſus eſſet donec fabricaretur illud, quod Deus deſcripſerat: quod collocatum extra caſtra fuiſſe videtur, ut dicitur Exo. 33. aliud auguſtiſſimum ex Dei præſcripto, anno ſecundo, in primo menſe erectum, ut ibidem ſcribitur. De qua bini tabernaculi erectione judicènt alii. Dici quoque poteſt, quòd erecto, conſecratoque tabernaculo, cùm uni tantum Moyſi, non verò reliquis Senatoribus, ſanctum ſanctorum ingredi, Deumque conſulere concederetur; priores ſenatores à munere fortaſſe ſe abdicaſſent. Cumque in tanta jurgiorum, ac litium vaſtitate Moyſes opprimeretur; ac eoſdem ſapientia, divina luce, Deique ſpiritu imbui poſtulaſſet à Deo, ut legitur cap. 11. Numer. Deus de nova electione cogitavit; & ex qualibet tribu in ſchedis ſex deſcriptis, in urnamque conjectis, ſeptuaginta extracti fuere: ut ſorte fieret manifeſtum, quoſnam Deus elegiſſet. Quod ſi hæc minus ſatisfecerint; potiora viderint alii.

Fuiſſe autem Senatorum, ſenatuſque hujus conſtitutionem, à militari ordine diſtinctam; tum ex munere, tum ex numero, tum denique ex nominibus, ſacris ex oraculis apertè colligitur. Militarium enim ordinum munus erat, propulſare hoſtes, ad prœlia procedere, & arma tractare. Senatorum verò munus, controverſias Iſraëlitici populi, jurgia, ac lites reſpiciebat: atque propterea domi manebant. Militarium quoque ordinum Principes, duodecim tantum numerabantur, quorum nomina cap. 10. Numer. recenſentur. At verò cùm de Senatoribus, deque Reipublicæ ordinibus ad civilem adminiſtrationem agitur, ſex ex ſingulis tribubus, à Deo in numero reponuntur. Et quamvis illorum nomina, qui in Senatu cooptati fuerant, non recenſeantur; duo tamen ex illis, qui Eldad, & Meldad appellantur; ac in ſchedis conſcripti fuerant cum reliquis ſeptuaginta ſenatoribus; ex eorum numero Ducum, quibus militiæ cura commiſſa fuerat, minimè extitiſſe manifeſtum eſt.

Hujus verò Reipublicæ Iſraëliticæ ſæculares ordines, ſuis vocabulis ſignificantur cap. 29. Deuteron. Ubi de renovatione fœderis cum Deo agitur, & quæ græcè ſic exprimuntur. *ὑμεῖς ἑστήκατε πάντες σήμερον ἐναντίον κυρίου τοῦ Θεοῦ ὑμῶν, οἱ ἀρχίφυλοι ὑμῶν, καὶ ἡ γερουσία ὑμῶν, καὶ οἱ κριταὶ ὑμῶν, καὶ οἱ γραμματοεισαγωγεῖς ὑμῶν, πᾶς ἀνὴρ Ἰσραήλ.* hoc eſt. *Vos ſtatis hodie omnes in conſpectu Domini Dei veſtri.* Et enumerans ordines Reipublicæ ait. *Principes tribuum veſtrarum, ſenatus veſter, & judices veſtri, & ſcribæ veſtri.* ideſt Doctores. *Omnis vir Iſraël.* Itaque ſub illis nominibus, ac vocabulis omnes Reipublicæ ordines complectuntur, ac ſignificantur, qui quidem hebraicè ſic nominantur רָאשִׁים & שׁוֹפְטִים & זְקֵנִים & שֹׁטְרִים & licet hoc ordine nequaquam recenſeantur loco citato ex cap. 29. Deuter. de eiſdem tamen ſcribitur cap. 23. Joſue his verbis וַיִּקְרָא יְהוֹשֻׁעַ לְכָל־יִשְׂרָאֵל לִזְקֵנָיו וּלְרָאשָׁיו וּלְשֹׁפְטָיו וּלְשֹׁטְרָיו hoc eſt *Et convocavit Joſue totum Iſraël, ſeniores ejus, capita illius.* ideſt capita tribuum, *Judices ejus, & præpoſitos ejus.* Quod etiam habet græcus textus. ubi dicitur. *καὶ συνεκάλεσεν Ἰησοῦς πάντας τοὺς υἱοὺς Ἰσραήλ, καὶ τὴν γερουσίαν αὐτῶν: καὶ*

A *τοὺς δικαστὰς αὐτῶν, καὶ τοὺς γραμματεῖς αὐτῶν.* Ordines itaque Reipublicæ Iſraëliticæ, quibus tota integrabatur, erant hi: nimirum *γερουσία*, ideſt ſenatus, qui ut dicebamus, ſeptuaginta viris conſtituebatur. *ἄρχοντες* ideſt principes, quo nomine capita, & principes tribuum ſignificantur. *δικασταὶ* judices erant, qui ab adminiſtratione juſtitiæ eo vocabulo ſignificabantur: ultimum ab poſtremum in Republica gradum tenebant *γραμματεῖς*, ſcribæ nimirum ac doctores, qui legum dubia explicabant; ſeu ſatellites, qui præponebantur ad ea, quæ ſenatus decreviſſet. Hoc enim totum valet hebraica vox שׁוֹטֵר *ſcioter* à radice שָׁטַר *ſciathàr.* ſub eiſdem quoque vocabulis cap. 24.
B Joſue Reipublicæ Iſraëliticæ ordines ſignificantur: qui civile regimen adminiſtrabant, & ea quæ ad bellum, pacemque Reipublicæ pertinebant, ſolitis decernebant ſuffragiis.

Cùm denique in qualibet ordinata Republica militaris ordo perneceſſarius ſit, tum ad decorem principatus, tum ad hoſtes propulſandos: is maximè Iſraeliticæ Reipublicæ ſuis in exordiis, quam neceſſarius cenſebatur; quod undique hoſtibus circumvallaretur Iſraëlitica gens, atque per provincias, ac regiones alienas caſtrametaretur. Quamobrem ex conſilio Jethro Madianitæ; non ſolum Moyſes Senatum conſtituit; ſed etiam, ut diximus, militares ordines
C diſpoſuit: de quibus cap. 18. Exo. dicitur. *Et electis viris ſtrenuis de cuncto Iſraël, conſtituit eos Principes populi, Tribunos, & Centuriones, & Quinquagenarios, & Decanos.* Agi verò hic de ordinibus militaribus manifeſtant cum primis illa verba, *& electis viris ſtrenuis*, hebraicè ſic אַנְשֵׁי חַיִל ideſt, *& elegit viros bellicoſos.* & ſtatim infra ſubinfert textus. וַיִּתֵּן אֹתָם רָאשִׁים עַל הָעָם שָׂרֵי אֲלָפִים שָׂרֵי מֵאוֹת שָׂרֵי חֲמִשִּׁים וְשָׂרֵי עֲשָׂרֹת hoc eſt: *Et poſuit illos*, ideſt illos bellicoſos viros, quos elegerat, *capita ſuper populum, Duces milliariorum, Duces centenariorum, Duces quinquagenarios, Duces decenarios.* Ex qua loquendi phraſi, ſolum de ordinibus militaribus in eo capitulo, & loco citato agi,
D inde manifeſtum eſt; quòd militares ordines tribus jam poſitis vocabulis conſtituantur. אַנְשֵׁי חַיִל *hanſce chail*, ideſt viri bellicoſi: qua dicendi phraſi viri de militari peritia optimè meriti ſignificantur. רָאשִׁים *raſim*, ideſt capita, eſt aliud vocabulum, quo ſignificantur hi, qui etiam tribuni apud Romanos appellabantur. Et denique hoc alio vocabulo שָׂרִים *ſarim* ſignificari duces alicujus determinati numeri, nimirum inferiores ſingularum acierum principes, perſpicuum eſt.

Integram hanc Reipublicæ Iſraëliticæ conſtitutionem, de conſenſu totius populi Moyſen diſpoſuiſſe dicitur cap. 1. Deuter. in quo hæc verba habentur.
E *Dixique vobis illo tempore, non poſſum ſolus ſuſtinere vos: quia Dominus Deus veſter multiplicavit vos: date ex vobis viros ſapientes, & gnaros, & quorum converſatio ſit probata in tribubus veſtris; ut ponam eos vobis Principes: tunc reſpondiſtis mihi, bona res eſt, quam vis facere: tulique de tribubus veſtris viros ſapientes, & nobiles; & conſtitui eos Principes, Tribunos, & Centuriones, & Quinquagenarios, & Decanos, qui docerent vos ſingula.* Hæc breviter à nobis dicta ſint de Reipublicæ Iſraëliticæ ſtatu: ut ſtatim de regio principatu acturi, electionis jus conſideremus.

F

CAP. III.

Comitia Reipublicæ ad Regis inſtitutionem indicuntur.

Ad loca Judic. 9. *Ierunt ligna, ut ungerent ſuper ſe Regem: dixeruntque olivæ: impera nobis: quæ reſpon-*

ſpondit, numquid poſſum deſerere pinguedinem meam; qua & Dii utuntur, & homines; & venire, ut inter ligna promovear? 3. Reg. 1. *Deſcendit ergo Sadoch Sacerdos, & Nathan propheta, & Banajas filius Jojadæ, & Cerethi, & Phelethi, & impoſuerunt Salomonem ſuper mulam Regis David, & adduxerunt eum in Gihon.* & ad alia.

SERVOS Regis vocari omnino præcepit David lib. 3. Reg. cùm Salomonem ſibi in regno ſucceſſorem declarare vellet. Populum quoque in Maſpha ad Dominum convocaſſe Samuelem; cum de regia inſtitutione ageret cap. 10. lib. 1. Reg. ſacer textus teſtatur. Servorum verò, ac Populi vocabulis, Proceres, atque ordines Regni, ex phraſi ſacrum litterarum accipiendos fore, ſtatim oſtendetur. Hi autem convocabantur: ut inauguratio, declaratio; electio, inſtitutioque Regis, debita cum ſolemnitate, ac pompa celebraretur. Pervetuſtam enim, ac perantiquam omnium Regnorum, Rerumpublicarumque conſuetudinem certum eſt extitiſſe; ut quoties de nova Principis electione, aut novo Magiſtratu negotium habendum eſſet; toties regni ejuſdem, ac reipublicæ ordines convocarentur, ut illud ſummum jus, & inter homines omnimoda poteſtas Reipublicæ, nixa judiciis univerſorum, obſequio prudentio & miniſterio potiorum, fortioris eſſet juris. Ut nimirum in electione Capitis alicujus Reipublicæ, quod etiam inter membra ejuſdem corporis connumerandum fuit; ipſa quoque membra ex naturæ inſtitutis conſentirent. Non enim natura primo caput, deinde reliqua membra diſponit; ſed cum capite reliqua quoque membra format; ac quodammodo in concionem vocat. Pari ratione ad electionem, inſtitutionemque Principis, Reipublicæ Proceres, ac membra conveniant neceſſe eſt.

Et quamvis, quæ hic à nobis tractanda ſunt, receptiſſima indubitataque ſint; nihilominus in gratiam illorum, qui ſacris dant operam litteris, nonnulla ex antiquitate afferentur. Nam prophanæ litteræ pro hac convocandorum Procerum conſuetudine in electione Principis, omnibus ferè in locis, in quibus de magiſtratus inſtitutione agitur, nobiſcum ſtant. Nam Herodotus, qui inter Græcos hiſtoriarum pater appellatur, primuſque inter eos hiſtorias ſcripſiſſe traditur, cum lib. 1. Medici regni exordia ſcribit; Deiocemque primum Regem electum tradit; Medorum concilium electioni præponit dicens: ἐούσης ὦν ἁρπαγῆς καὶ ἀνομίης ἔτι πολλῷ μᾶλλον ἀνὰ τὰς κώμας ἢ πρότερον ἦν, συνελέχθησαν οἱ Μῆδοι ἐς τὠὐτὸ, καὶ ἐδίδοσαν σφίσι λόγον, λέγοντες περὶ τῶν κατηκόντων. hoc eſt. *Cùm igitur rapinæ, ſceleraque paſſim per vicos, multo etiam magis, quam prius patrarentur: Medi habito concilio de communi rerum ſtatu colloqui ceperunt.* Et ſtatim concilium, regis electione ab eo clauditur; ut ibi legitur. Xenophon quoque lib. 8. Cyropæd. apud Perſas Cambyſem hoc idem ſervaſſe ſcribit; cùm Cyrum filium Perſarum Regem renunciare vellet. De quo ita ille: ἐκ δὲ τούτου συνέλεξε Καμβύσης τοὺς γεραιτέρους Περσῶν, καὶ τὰς ἀρχὰς, οἵπερ τῶν μεγίστων κύριοί εἰσι· παρεκάλεσε δὲ καὶ Κῦρον, καὶ ἔλεξε τοιάδε. ἄνδρες Πέρσαι, &c. hoc eſt: *Poſt hæc convocavit Cambyſes Seniores Perſarum, & magiſtratus, qui rerum maximarum jus habent. advocavit etiam Cyrum, & talia loquutus eſt. Viri Perſæ &c.* deinde ſequitur auctor multa alia, quæ Cambyſes alloquutus eſt ad Perſas: & tandem ſucceſſorem Regni Cyrum declaravit. Orpheus quoque in Argonauticis, ubi Colchos, proceres qui honoris, ac gloriæ cupidi, Jaſonem comitari volebant, navigaturi eſſent; prius de Imperatore eligendo, cui omnes parere debeant, egit; ad cujus electionem, illi ipſi Proceres

A tantum congregantur. ita de hoc ille in Argonautica.

> Τοῖσι δ' Αἰσονίδης ἔπεα πτερόεντα προσηύδα·
> Κέκλυτέ μευ βασιλῆες ἀμύμονες· οὐ γὰρ ἔμοιγε
> Ἁνδάνει ἐν πραπίδεσσιν ἀρειοτέροισιν ἀνάσσειν.
> Ὑμεῖς δ', ὅντιν' ἄρα κραδίη, θυμός τε μενοινᾷ,
> Ἡγεμόνα στήσασθε, καὶ ᾧ περὶ πάντα μελήσει.

Quæ carmina Latinè verſa à quodam Poëta anonymo reperiuntur in eam ſententiam; ut in electione Principis non aliorum quàm Procerum conventus omninò advocetur.

B
> *Ad quos tum volucri ſermone effatur Jaſon,*
> *Vos, ait, illuſtres Proceres advertite; namque*
> *Ipſe ego me nolim Regem melioribus eſſe:*
> *Ergo Ducem quemcumque animus perſuaſerit unus*
> *Proferte heroës; illi ſint omnia curæ.*

Quo quidem antiquiſſimi Orphei teſtimonio, non ſolùm quàm neceſſaria ſit regimini, unius cura in Republica gerenda: ſed etiam hanc curam minimè ſumi debere caſu à quocumque, ſed ab eo, cui ex ſuffragiis Procerum ad comitia vocatorum demandata fuerit, ſatis luculenter conſtat.

Romanos pariter Numam, primum poſt Romulum Regem non aliter, quam in comitiis renun-
C ciaſſe, quotquot Romanas hiſtorias ſcripſere tradunt. Satis ſit Plutarchus in Numa, qui cùm, mortuo Romulo; de Interregno, in primo Romanæ Reipublicæ exordio agit: ſtatim ad regiam electionem conventum Patriciorum, ac civitatis deſcribit: data optione, ut vel Sabini Romanorum aliquem; vel Romani Sabinorum unum in Regem eligerent. Et paulò infra Numæ in Rege Romanorum, jam electi ſcribens in Urbem adventum regni capeſſendi gratia, Romanorumque Procerum ex electione plauſum, ἀπήντα δὲ ἡ βουλὴ, inquit, καὶ ὁ δῆμος, ἔρωτι θαυμαστῷ τοῦ ἀνδρός hoc eſt: *Occurrit illi Senatus, & popu-*
D *lus incredibili deſiderio viri.* Ubi Patrum, Senatuſque nomine, Proceres, Magiſtratus, atque ordines Reipublicæ ex Romuli conſtitutione ſignificantur, quorum muneris erat Regem eligere. De cujus iterata electione, poſt illius in Urbem adventum, ſic loquitur parum infra: ἐπεὶ δὲ εἰς τὴν ἀγορὰν κατέστησαν, ὁ μὲν ταῖς ὥραις ἐκείναις συνειληχὼς μεσοβασιλεὺς Σπούριος Οὐέττιος ψῆφον ἐπέδωκε τοῖς πολίταις, καὶ πάντες ἤνεγκαν· προσφερομένων δὲ αὐτῷ τῶν βασιλικῶν παρασήμων. hoc eſt: *Poſtquam autem in forum convenerunt*, ſupple Senatores, *qui in illis horis adminiſtra-*
E *bat interregnum Spurius Vettius, civibus ſuffragia dedit, & omnès obtulerunt*, ſupple ſuffragia; *proferentibus autem illi regia inſignia &c.* hæc ibi Plutarchus, ex quibus apertè conſpicitur, ab eo uſque tempore Romanæ exordientis Reipublicæ, in electione Principis morem fuiſſe, Senatum Populumque congregari.

Poſtmodum quoque, Regibus jam exactis, Conſulum nimirum ætate, hos ipſos eligi ſolitos per Senatorum ſuffragia, teſtes ſunt cum Livio, quotquot Romanas Hiſtorias ſcripſere. Nam licet per aliquot annos Imperium hæreditarium fuerit: nihilominus etiam inter illa hæreditaria jura, vel Prætorianorum ſuffragiis, ſi Romæ de Imperatore ageretur; aut
F Militum Legionariorum conſenſu, ſi in provinciis Imperator nominaretur; vel etiam ſuffragiis Senatus, Imperatorem aliquando, licet raro, electum ſcimus: ex quibus Nerva primus fuit, ut Panvinius ſcribit in libro de comitiis. Nam occiſo Domitiano, ex Senatus conſulto, accedentibus etiam Militum Prætorianorum ſuffragiis, Auguſtus renunciatus eſt: de quo Dio ſic ait. μετὰ δὲ Δομιτιανὸν, Νέρουαν Κοκκήϊον οἱ Ῥωμαῖοι ἀπέδειξαν αὐτοκράτορα. hoc eſt: *Poſt Domitianum, Nervam Coccejum Romani renunciarunt Imperato-*

peratorem. Romanorum autem vocabulo, non quidem milites, ſed Senatum intelligit. Similiter etiam longo poſt tempore, Celius Balbinus, & M. Clodius Maximus Pupienus Imperatores à Senatu renunciati fuerunt, contia Maximum Thracem, ut ſcribit Jul. Capitolinus: de quorum electione ita Herodian. lib. 7. hiſtoriarum ſui temporis. *Συνῆλθον οὖν μὴ εἰς τὸ συνηθὲς συνέδριον, ἀλλ᾽ εἰς τὸν τοῦ Διὸς νεὼν Καπετωλίου, ὃν σέβουσι Ῥωμαῖοι ἐν ἀκροπόλει. Συγκλείσαντες οὖν αὐτοὺς ἐν τῷ σηκῷ μόνους, ὥσπερ ὑπὸ μάρτυρι τῷ Διῒ, καὶ συνέδρῳ, ἐπισκόπῳ τε τῶν πραττομένων, ἐπιλεξάμενοι τῶν ἐν ἡλικίᾳ, καὶ ἀξιώματι προὐχόντων, οὓς ἐδοκίμαζον κατὰ τὴν ψηφοφορίαν, ἐχόντων καὶ ἄλλων ψήφους, διακριθεισῶν τε, καὶ τοῦ πλήθους τῆς γνώμης, Μάξιμόν τε, καὶ Βαλβῖνον ἀνθυπόντες, αὐτοκράτορας ἐποίησαν.* hoc eſt: *Convenerunt igitur*, ſupple Senatores, *non in conſuetam curiam, ſed in templum Jovis Capitolini, quem colunt Romani in arce. Claudentes igitur ſe ipſos in æde ſolos, quaſi teſte Jove, & conſeſſore, inſpectoreque eorum quæ agebantur: ſeligentes illos, qui ætate, & dignitate præirent, quos exiſtimabant ſuffragia habere; & aliis ſuffragia diſcutientibus, & plurimorum cognitione, Maximum, & Balbinum declarantes Imperatores fecerunt.* Flavio etiam Vopiſco auctore, Tacitum Imperatorem ſcimus electum conventu Senatus, Prætorianis id poſcentibus.

Hæc Procerum convocandorum conſuetudo, etiam in caſtris locum habebat, quando Imperator defeciſſet; Romanorumque plures Legiones, vel ad bellum, vel ob alias cauſas coiiſſent, atque ex variis legionibus exercitus unus congregatus, vel de novo conſcriptus fuiſſet. Tunc enim Duces, atque Tribuni exercitus conveniebant: & is in quem plurimorum ſuffragia conveniſſent, Imperator deſignabatur: quod meus Panvinius libro jam citato de comitiis Imperatoriis, pluribus probat.

Apud Athenienſes, & reliquos Græcos aliquando Magiſtratus ſorte eligebantur, atque ſic electi *κληρωτοὶ* dicebantur. Interdum eorumdem electio, electorum ſuffragiis nitebatur; & hi *αἱρετοὶ*, id eſt electi appellabantur. Variam enim apud Græcos Reipublicæ formam extitiſſe, perſpicuum eſt. Nam aliquando Regibus, aliquando Optimatibus, interdum Senatu, aut Arcontibus illorum Reſpublicas moderatas ſcimus. Semper tamen in magiſtratibus novis ſtatuendis, Tribus atque Populos convenire ſolitos certum eſt. Qui ſigillatim hæc cognoſcere cupit, petat Sigonium in libris de Republica Athenienſium, & Joachimum Perionium de Magiſtratibus Græcis, apud quos viros plura ſcitu digniſſima Lector reperiet.

Conventum Procerum, atque Optimatum in ſacris litteris, & in Republica Hebræorum Regiæ electionis de cauſa in dubium revocare non licet: tum ex communi omnium gentium, quam diximus conſuetudine, tum etiam quia Regum, ac Principum electio, ad univerſam Rempublicam Hebræorum ſpectabat, ut manifeſtum eſt ex cap. 17. Deuteron. Quamobrem quoties de aliquo Rege, aut Principe eligendo in Iſraëlitica Republica actum ſcribitur; toties populum pro Rege, ac Principe acclamando, admittendoque convocatum, nobis ſacra oracula tradunt. Ab hac conſuetudine, & pervetuſto Rerumpublicarum more, ſumpſiſſe Joathan fabellam conſtat, ut Sichimitis electionem peſſimi Abimelechi in Principem exprobaret: de qua hæc habentur cap. 9. libri Judic. *Ierunt ligna, ut ungerent ſuper ſe Regem; dixeruntque olivæ, impera nobis: quæ reſpondit, nunquid poſſum deſerere pinguedinem meam, qua & Dii utuntur, & homines, & venire, ut inter ligna promovear?* Ex quibus adeo convocationem ordinum in eligendo Principe, Rebuſpublicis connaturalem fuiſſe ab eo uſque tempore oſtenditur; ut prius conveniſſe arbores inter ſe dicantur; quàm illarum aliqua auſa ſit principatum ſibi vendicare. Quod ſi longius adhuc retrocedere libet; ex cap. 19. Exo. conjectamus electionem Dei; qui tanta benignitate humana curare voluit, ut ab Iſraëlitico populo in Principem, Imperatoremque exercitus, ac inſtitutorem Iſraëliticæ Reipublicæ eligi minimè ſit dedignatus. Hanc tamen electionem convocatione Senatus fieri voluiſſe ex his, quæ ibi ſcribuntur, eſt manifeſtum.

Nam licet, qua pompa, atque ſolemnitate, ſingulæ Regum Iſraëlitarum electiones, atque inaugurationes celebratæ fuerint, ſub antiquitatis velo lateat: nihilominus, quæ de Saule, Davide, Salomone, Joaſo, atque de Adonia in ſacris oraculis referuntur: ea pariter, quæ ad Servatoris noſtri contumeliam, ejuſque Regiæ dignitatis contemptum iniqui milites, & impii Hieroſolymitanæ curiæ miniſtri, excogitarunt; ſenatum convocandi in Principe deſignando neceſſitatem, ac conſuetudinem aperiunt. Scribunt enim ſacri Evangeliſtæ curiæ miniſtros, tunc convocaſſe totam militum cohortem, cùm Servatorem ſpinea corona transfixum, Regem declarare velle ſe ſimularent. Quamobrem his argumentis, non immeritò colligitur, inter ſolemniores regiæ inaugurationis cæremonias, ordinum regni convocationem primam obtinuiſſe ſedem.

De Salomonis inauguratione agitur lib. 3. Reg. cap. 1. Cujus ad regnum Iſraëliticum declaratio ſucceſſionis de Patris mandato, in aliquorum Reipublicæ ordinum conventu, ſaltem quantum temporis anguſtia, & Adoniæ ambitus patiebantur, celebrata fuiſſe ibi ſcribitur, per hæc verba: *Deſcendit ergo Sadoch Sacerdos, & Nathan Propheta, & Banajas filius Joiadæ, & Cerethi, & Phelethi, & impoſuerunt Salomonem ſuper mulam Regis David, & adduxerunt eum in Gihon. Sumpſitque Sadoch Sacerdos cornu olei de tabernaculo, & unxit Salomonem, & cecinerunt buccina, & dixit omnis populus, Vivat Rex Salomon.* Adonias quoque propria auctoritate ſibi regnum firmare cùm tentaſſet, non ſine aliquo Procerum conventu de more omnium gentium, hoc intentaſſe, in eodem capitulo ſcribitur; Nathan Propheta ſic alloquente Davidem, & Adoniæ geſta narrante. *Quia deſcendit hodie, & immolavit boves, & pinguia, & arietes plurimos, & vocavit univerſos filios Regis, & Principes exercitus, Abiathar quoque Sacerdotem: illiſque veſcentibus, & bibentibus coram eo, & dicentibus: Vivat Rex Adonias.*

Verùm pro communi intelligentia ſacrorum oraculorum ubi de Regum electione loquuntur, obſervare oportet maximum diſcrimen reperiri inter Regiam electionem, ſeu inſtitutionem; Regis declarationem, & inaugurationem. Nam electio Regis tunc habenda fuit in aliqua republica; quando nullus extitiſſet, cui regia dignitas de jure deberetur, ac proinde in libertate civium hunc vel illum eligere poſitum eſſet. Declaratio autem in ſacris litteris ad prædeceſſorem tantum pertinebat; nimirum ad Regem, qui adhuc inter vivos eſſet. Itaque Regem hunc, vel illum declarare in poteſtate civium, non erat poſitum; ſed ejus tantum erat, qui imperii habenas moderabatur. Inauguratio denique, neque ad cives, ac Senatores, neque ad Regem pertinebat; ſed Sacerdotalis tantum muneris erat, quòd videlicet Regis inauguratio ſacroſancta unctione fieret. Quamvis in poteſtate Pontificis minimè foret inaugurare, ac ſacrare quem voluiſſet; ſed illum ſacrare cogebatur, quem cives acceptaſſent; aut quem Rex, qui adhuc inter vivos agebat, ſibi ſucceſſorem declaraſſet. In diſcernendis autem, ac diſtinguendis vocum ſignificationibus, plurimum falſi ſunt interpretes ſacrarum litterarum, prædicta tria vocabula

bula minimè diſtinguentes, ſed aliud pro alio accipientes. Nam quamvis ad illa omnia, nimirum ad electionem, declarationem, ac Regis inaugurationem, Procerum, ac Senatorum conventus requireretur; alia tamen, ac alia de ratione; ut infra declarabimus, ſenatores ad hæc convocabantur. Nam ad Regis inſtitutionem ſuffragii de cauſa conveniebant; ad declarationem, ſeù deſignationem, ut Principi obedientiam præſtarent; at verò inaugurationi aderant ſpectatores, ut Regi plauderent.

Quia verò in his ſacræ Scripturæ locis parum ſupra relatis, in quibus concurſus Salomonis, & Adoniæ ad regni ſucceſſionem ſcribitur, nequaquam de Regis electione, aut inauguratione agebatur; ſed potius auſpicia ad populi conſenſum tentandum, pro futuri regni ſucceſſione expetebantur; propterea in hoc Salomonis, & Adoniæ concurſu, Magiſtratum, ac Iſraëliticæ Reipublicæ plenus conventus minimè conſpicitur.

Procerum, ac Senatorum plenus conventus, ex ſacris litteris, in ſolemniori Regum electione, ac inauguratione intuendum ſupereſt. Et primò quidem in Saulis electione, de qua 1. Reg. cap. 10. ſic legitur: *Et convocavit Samuel populum ad Dominum in Maſphà: & ait ad filios Iſraël: hæc dicit Dominus Deus Iſraël:* & ſtatim: *Vos autem hodie projeciſtis Deum veſtrum, qui ſolus ſalvavit vos de univerſis malis, & de tribulationibus veſtris, & dixiſtis: Nequaquam, ſed Regem conſtitue ſuper nos. Nunc autem ſtate coram Domino per tribus veſtras, & per familias.* Non quidem, quòd omnes, ac ſinguli Iſraëlitæ ad eum conventum convenerint: ſtultum enim eſſet credere, quòd regiæ electionis de cauſa deſolatæ Urbes, derelictaque oppida fuerint, quæ ab Iſraëlitis habitabantur: ſed dicitur Samuelem convocaſſe omnem Populum; quia Proceres, & Patriarchæ, capitaque familiarum, nimirum Senatores, ac Magiſtratus uniuſcujuſque Urbis, ac Tribus, ad eum convenerunt, cùm de Rege eligendo agendum eſſet.

Nec tantum ad electionem Saulis, Senatus congregatus eſt; ſed etiam cùm de ejuſdem inauguratione agendum fuit, conveniſſe ſenatum conſtat. Nam de Saulis inauguratione agitur 1. Reg. cap. 11. poſtquam nimirum devictis ab eo Ammonitis, omnis populus, & omnes Tribus Iſraëliticæ in illius regnum conſenſum præſtiterunt: de quo ita ibi ſcribitur: *Et perrexit omnis populus in Galgala, & fecerunt ibi Regem Saul coram Domino, & immolaverunt ibi victimas pacificas coram Domino.* Qualiter autem, & quibus ritibus Iſraëlitæ, Regem hac vice conſtituerint Saulem, ſubindicat Joſephus lib. 6. antiq. cap. 6. dicens Σαμουὴλ δὲ φήσαντος, καὶ δευτέρας δεῖν χειροτονίας Σαούλῳ τὴν βασιλείαν ἐπικυρῶσαι, συνίασι πάντες εἰς Γάλγαλα πόλιν· ἐκέλευσε γὰρ αὐτοὺς ἐκεῖ ἐλθεῖν, καὶ πάλιν ὁρῶντος τοῦ πλήθους, ὁ προφήτης χρίει τὸν Σαύλον τῷ ἁγίῳ ἐλαίῳ, καὶ δεύτερον ἀναγορεύει βασιλέα. hæc ille ibi, ubi vox χειροτονίας, quæ conſecrationem, ſeu inaugurationem ex ſacræ unctionis uſu ſignificat, attendatur. Quæ ex phraſi ſacra per manus impoſitionem explicatur; ſic enim ad verbum locus Joſephi redditur: *Dicente autem Samuel iterum oportere manus imponere Sauli ad confirmandum illi regnum; convenerunt omnes in civitate Galgala. Juſſit enim illos ibi venire, & iterum Propheta, ſpectante multitudine, unxit Saulem ſacro oleo, & ſecundo conſalutari fecit Regem.* Ad inaugurationem igitur, ſeu conſecrationem Saulis, conventus populi indicitur; & in conventu Procerum Rex inauguratur, ac conſecratur.

David quoque bis inauguratum in 2. Reg. legimus. primò ſuper tribum Juda tantum, deinde ſuper omnem Iſraëlem, & reliquas Iſraëliticas tribus: utrobique autem Proceres tribuum, & Senatores

A Iſraëliticæ Reipublicæ ad ejus inaugurationem conveniſſe ex ſacris Scripturis cognovimus. Nam cùm de prima inauguratione ſuper tribum Juda loquitur ſacer textus 2. Reg. cap. 2. hæc habet: *Sed & viros, qui erant cum eo, duxit David ſingulos cum domo ſua, & manſerunt in oppidis Hebron: Veneruntque viri Juda, & unxerunt ibi David, ut regnaret ſuper domum Juda.* Viri verò Juda dicuntur hic conveniſſe; quia Proceres, & Magiſtratus tribus Judæ ea de cauſa ibi convenerunt. Sic etiam cap. 5. lib. 2. Reg. inauguratum legimus David ſuper reliquas Iſraëliticas tribus, convenientibus etiam Proceribus; ac Magiſtratibus earumdem tribuum; de cujus in-

B augurationis ſolemnitate, hæc ibi ſcribuntur: *Venerunt quoque Seniores Iſraël ad Regem in Hebron, & percuſſit cum eis Rex fœdus in Hebron coram Domino, unxeruntque David in Regem ſuper Iſraël.* & cap. 11. lib. 1. Paral. legitur: *Congregatus eſt igitur omnis Iſraël ad David in Hebron dicens: Os tuum ſumus, & caro tua. Heri quoque & nudiuſtertius, cùm adhuc regnaret Saul, tu eras qui educebas; & introducebas Iſraël: Tibi enim dixit Dominus Deus tuus: Tu paſces populum meum Iſraël, & tu eris princeps ſuper eum. Venerunt ergo omnes majores natu Iſraël ad Regem in Hebron, & iniit David cum eis fœdus coram Domino: unxeruntque eum Regem ſuper Iſraël, juxta ſermonem*

C *Domini, quem loquutus eſt in manu Samuel.*

Qui verò majores natu hic appellantur, in 2. Reg. Seniores dicuntur: quia ſenatores nomine Seniorum (ut jam diximus) in ſcripturis ſignificantur. Nam etiam Senatus à Senatorum vocabulo, hi à ſenectute, & ſenectus à ſenio derivantur: quapropter eundem Seniorum, atque Senatorum conventum ſignificari patet. Quemadmodum etiam tribuum vocabulo in ſacris litteris, nequaquam omnes, qui ſunt de hac, vel illa Tribu ſignificantur, ſed Patriarchæ tantum, capita nimirum illarum tribuum: propterea enim שְׁבָטִים *ſcebhatim*, in ſacris oraculis tribus dicuntur, ob vir-

D gam quæ in ſignum auctoritatis à Patriarchis illarum deferebatur: quæ virga שֵׁבֶט *ſcebheth* lingua Hebræa appellatur.

In libro quoque Paralip. 1. cap. 29. apertiùs Procerum, Magiſtratuumque conventus ſcribitur; cùm de ſolemniori Salomonis inauguratione pertractatur his verbis. *Locutuſque eſt David Rex ad omnem Eccleſiam: Salomonem filium meum unum elegit Deus.* Et tandem infra cum de ejus inauguratione loquitur textus, hæc habet: *Et unxerunt ſecundo Salomonem filium David. Unxerunt autem eum Domino in Principem, & Sadoch in Pontificem. Seditque Salomon ſuper ſolium Domini in Regem pro David patre ſuo, &*

E *cunctis placuit, & paruit illi omnis Iſraël. Sed & univerſi Principes, & Potentes, & cuncti filii Regis David dederunt manum, & ſubjecti fuerunt.* Meminit verò ſacer textus Principum, Potentatuum, atque filiorum Regis, ut hos omnes ad ejus ſolemnem inaugurationem conveniſſe, aperiret. Ex quibus certiſſimè jam conſtat nullum unquam Principem in Iſraëlitica Republica aliquando Regni auſpicia ſuſcepiſſe, ſine conventu Procerum, atque Magiſtratuum Reipublicæ.

F

CAP. IV.

Pontifici, ac Sacerdotibus Moſaicis, jus ſuffragii in comitiis Regiis non erat.

Ad loca Deuter. 17. *Poſtquam ſederit in ſolio Regni ſui, deſcribet ſibi Deuteronomium legis hujus in volumine; accipiens exemplar à Sacerdotibus Leviticæ Tribus, & habebit ſecum, legetque illud omnibus die-*

diebus vitæ ſuæ 3. Reg. 22. *Non eſt hic propheta Domini quiſpiam ; ut interrogemus per eum ?* & ad alia.

ORDINES Reipublicæ convocari ſolitos, quoties de Principe agendum fuiſſet, jam diximus. Verum quinam in Iſraëlitica gente in his ordinibus conſcriberentur ; & ad Regis electionem, declarationem, atque inaugurationem convocarentur, videndum ſupereſt. Rationes autem ex ſacris oraculis deſumptæ ſuadere videntur, eoſdem omnino Reipublicæ ordines ad electionem, & Regis præconizationem convocari ſolitos, qui ad regiam conſecrationem concurrebant. Licet enim pro diverſitate Nationum, diverſi quoque ordines convocati, hac de cauſa legantur ; quemadmodum veterum auctorum monumenta teſtantur : nobis tamen à ſacris oraculis recedendum non erit ; ſed ab his quoque ordines Reipublicæ ſumentur, qui ad regia comitia in gente Hebræa convocabantur.

Pro intelligentia tamen, tam dicendorum à nobis in toto hoc tractatu, quam etiam plurimorum in ſacris litteris locorum, obſervare neceſſe eſt ex earundem phraſi, quid inter prædictionem regni alicui factam, electionem, ſive inſtitutionem ad regnum, declarationem in Regem, & denique inaugurationem interſit. Hæc enim omnia, quamvis ad principatum pertineant, diverſa tamen ſunt ; & diverſos quoque ritus indigitant, quorum omnium diverſitate, ac diſtinctione ignorata, ſacrorum quoque oraculorum intelligentiam pluribus in locis ignorari neceſſe eſt. Quam ob cauſam ſæpe auctores, qui ſacras Scripturas interpretantur, dum electionem, prædictionem, aut declarationem Regis, ab inauguratione, aut hæc ab illis non diſtinguunt ; de Regia inauguratione loca explicant, quæ de Regis inſtitutione, aut declaratione loquuntur : ſeu è contra alterum pro altero confundunt. Et licet de his nonnulla prælibaverimus capite præcedenti ; hic tamen latius explicabuntur, quæ ad prædictionem regni, ad Regis electionem, ac inaugurationem pertinent.

Ut autem à prædictione, tanquam à remotiori exordiamur ; certum eſſe debet ; prophetarum eam fuiſſe muneris : cùm nimirum Deus benedictus, alicui Prophetarum aperiebat ; quemnam hujus, vel alterius regni Regem futurum fore deſtinabat. Quemadmodum 1. Reg. cap. 9. Deum feciſſe cum Samuele ſcribitur : qui cùm ſummis precibus ſibi Regem futurum demonſtrari à Deo petiiſſet, id illi conceſſit Deus. Quod his verbis ſcribitur : *Dominus autem revelaverat auriculam Samuelis ante unam diem, quam veniret Saul dicens : hac ipſa horâ, quæ nunc eſt, cras mittam virum ad te de terra Benjamin ; & unges eum Ducem ſuper populum meum Iſraël.* Non enim verba textus tradunt, prophetici fuiſſe muneris Regem inaugurare : ſed Deus jubet Samueli, Regem eum ungere ; hoc eſt effuſione olei prædicere illi regnum ; quem Deus Regem futurum in Iſraël decernebat : quod Samuelem poſtridie, accedente Saule, feciſſe ſacris ex litteris ſcimus. de quo ſic textus : *Ecce unxit te Dominus ſuper hæreditatem ſuam in principem, & liberabis populum ſuum de manu inimicorum ejus.* Signaque adhibuit ; ut certò à Saule crederentur, quæ ſibi de regno à Samuele prædicta fuerant.

Reprobato etiam Saule à Deo, Dominus Samueli, David Regem futurum demonſtravit, ut habetur ibidem cap. 16. ſub his verbis : *Uſquequo tu luges Saul ; cum ego projecerim eum ne regnet ſuper Iſrael? Imple cornu tuum oleo, & veni, ut mittam te ad Iſai Bethlehemitem : providi enim in filiis ejus mihi in Regem.* Quò cùm iviſſet Samuel, unxit quidem David ; ſed

A nihil illi de regno prædixiſſe ſcribitur. Agnovit tamen ille, Deo revelante, quem in Regem futurum deſtinaret. Pariter lib. 4. Reg. 8. Hazaeli ab Eliſeo regnum Damaſci prædicitur : 3. Reg. 19. Eliæ à Deo Regem Syriæ Jehù, & Hazaelem Regem Damaſci, futuros demonſtrantur. Qua tamen futuri regni prædictione, nullum jus regni perſonæ à Propheta deſignatæ concedebatur ; ſed tantum ex dicto, ſanctitateque Prophetæ, Regem ſe futurum, certò expectare ille poterat ; quem Propheta unxiſſet. Quamobrem nihil cum comitiis huic prædictioni commune erat.

Ad electionem, ſeu Regis inſtitutionem, declarationem, atque inaugurationem, Procerum comitia, ut diximus capite præcedenti, requirebantur : B quapropter ab electione tantum, ſeu inſtitutione Regis, jus regni in eo, qui fuiſſet electus, exordiebatur. Regis electio, ſeu inſtitutio 1. Reg. cap. 10. ſcribitur, ubi Samuel comitiis indictis populum ſic alloquitur. *Nunc ergo ſtate coram Domino per tribus veſtras, & per familias &c.* Et quamvis in poſterum de electione Regum nihil legatur ; præterquam David 2. Reg. 1. & lib. 1. Paral. cap. 11. nihilominus electione opus fuiſſe dicendum erit ; quoties vel familia regia defeciſſet ; vel alterum pro altero ex Regiis ſucceſſoribus, vel tirannicè regnum C occupaſſet, vel quòd minus aptus regimini cenſeretur ; & à paterno Regno ſecluderetur : ut 4. Reg. cap. 23. contigiſſe legitur mortuo Joſia. Nam cùm quatuor ex ipſo remanſiſſent filii ; ut habetur lib. 1. Paralip. cap. 3. & tertio genitus eſſet Joachaz, qui alio nomine Sellum appellatur, ut doctè probat, & oſtendit Sanctius in libris Regum : & ſecundo genitus Joachim diceretur : qui viginti quinque annorum erat, ille verò trium ſupra viginti : nihilominus Joachim exploſo, Joachazum præter fas populum elegiſſe legimus. Quod etiam ſcribitur lib. 3. Eſdræ cap. 1. qui liber, licet ſit extra canonem ; non tamen exiguam habet in Eccleſia auctoritatem. In hoc D igitur libro eadem habentur, licet ſit error in annorum numero : ſic enim legimus. *Et aſſumentes, qui erant de gente, Jechoniam filium Joſiæ, conſtituerunt Regem pro Joſia patre ſuo ; cum eſſet annorum triginta trium : & regnavit ſuper Iſrael menſibus tribus : & amovit eum Rex Ægypti, ne regnaret in Hieroſolymam : & conſtituit Rex Ægypti Joacim fratrem ejus Regem Judæ.* Ex qua hujus loci hiſtoria, & tempore regni, apertè convincimur eundem hic dici Jechoniam, qui Sellum cap. 22. Jeremiæ, & Joachaz in loco à nobis ex 4. Reg. allato appellatur.

In eodem quoque lib. 4 Reg. cap. 21. Joſias filius ejus Amonis, qui à propriis fortaſſe ſtipatoribus, E atque militibus interfectus fuerat, Senatorum comitiis ad regnum vocatus ſcribitur : occiſis atque interfectis his, qui Regem Amon impiè obtruncaverant. *Percuſſit autem populus terræ omnes, qui conjuraverant contra Regem Amon : & conſtituerunt ſibi Regem Joſiam filium ejus pro eo.* Quibus ex locis ſatis apertè colligitur ; comitia Iſraëliticæ Reipublicæ convocari conſueviſſe in ſucceſſione ad regnum, Regiſque electione, tunc præſertim cùm de legitima perſona, vel legitimo jure Regis, ſubdubitandum occurriſſet : tunc enim ad Senatum Regis conſtitutionem, ac declarationem pertinuiſſe conſtat.

Hæc autem Regis electio, ſive conſtitutio, ab F inauguratione diſtinguebatur ; quòd ad eam nulla ſacri olei adhiberetur unctio, quæ tamen inaugurationi debebatur. Summi quoque Sacerdotis inſuper miniſterium, quaſi neceſſario ex ſacris ritibus ad inaugurationem requirebatur : at verò ad Regis conſtitutionem, miniſterio Sacerdotis nequaquam opus erat ; ſed ad Principes tribuum, capita familiarum, & Senatores Reipublicæ tantum electio Regis pertinebat.

 De-

Declaratio quoque ſucceſſoris in regnum, à conſtitutione pariter diſtinguebatur; quòd hæc præcederet, illa ſubſequeretur: conſtitutio Regis penderet à ſuffragiis, & Senatu; declarare verò Regem electum, & futurum, munus erat illius, qui in Magiſtratu eſſet conſtitutus. Quamobrem quoties de Rege ab ordinibus Reipublicæ providendum fuiſſet; perſona primum eligebatur; deinde electus declarabatur, vel ab Rege, vel ab eo, qui in Magiſtratu ſupremam dignitatem teneret: ut 1. Reg. cap. 10. poſt ſuffragiorum ſcrutationem, Saul à Samuele Regem declaratum legimus, his verbis. *Certè videtis quem elegit Dominus, quod non ſit ei ſimilis in univerſo populo.* Quando verò Regis inſtitutio ad ordines Reipublicæ minimè pertineret, ſed jure naturæ, vel regio, alicui ex filiis Regis deberetur; tunc ſucceſſoris declaratio ad Regem ipſum, adhuc inter vivos agentem, pertinebat. Fuit enim in more Orientalium ferè omnium poſitum, ut patri in regno ex filiis, ille ſuccederet, quem pater declaraſſet. Hoc expreſſè admonent verba illa Bethſabee ad David in ſacro textu 3. Reg. 1. dicentis. *Veruntamen Domine mi Rex, in te oculi reſpiciunt totius Iſrael; ut indices eis quis ſedere debeat in ſolio tuo, Domine mi Rex, poſt te.* Videatur quid de hac re Abulenſis dicat in loco citato quæſt. 32. & doctiſſimè Sanctius in ſuis Commentariis ad prædictum locum. Quia verò nonnunquam ſucceſſoris declaratio, quadam ſolemnitate publica ad ſpeciem inaugurationis, præſtandæ obedientiæ de cauſa celebratam legimus; propterea ſacrarum litterarum ſtudioſis cavenda erit deceptio; ne quæ 3. Reg. cap. 1. ad ſucceſſoris declarationem, in competentia Adoniæ, & Salomonis habentur, de inauguratione accipiantur. Quamvis ex ritibus illius ſolemnis declarationis, inaugurationis quoque ritus aliquos expiſcari poſſint. Erat tamen hæc declaratio ab inauguratione omninò diverſa; quòd hæc in loco ſacro tantum fieri concederetur; illa verò minimè hac lege arctaretur.

Inauguratio tandem, ſive Regis conſecratio, ſolemniſſimè celebrabatur; Procerum nimirum conventu, atque totius Iſraëliticæ gentis comitiis indictis: in quibus præſtita à populo debita obedientia Principi, firmatiſque fœderibus, is, qui à populo in comitiis Princeps fuiſſet conſtitutus, vel à patre ſucceſſor declaratus, à Pontifice ſacro oleo initiabatur; ac tandem ad palatium à Proceribus deducebatur: ut in ſolio regio ſedens; regni poſſeſſionem acciperet, ſicque tota inaugurationis ſolemnitas compleretur.

Subdubitandum verò occurrit, dum de comitiis Iſraëliticæ Reipublicæ agitur; num habuerint ſacerdotes, Pontificeſque Hebræorum, qui ex Aaronis proſapia deſcendebant, in negotiis publicis Iſraëliticæ gentis, ut erat Regis electio, jus aliquod ſuffragii. Et quidem ſuffragium tuliſſe Chriſti Domini ſæculo ſummum Pontificem, ac reliquos Principes Sacerdotum, ſacra Evangeliorum hiſtoria tradit. Non enim ſolum cùm de Chriſti captura ageretur Joan. cap. 11. de mandato Pontificum concio Senatorum convocata ſcribitur; in quo conventu Cayphas ſummus Pontifex occidendum, capiendumque Servatorem conſuluit; & prima tulit ſuffragia, tanto verborum apparatu, atque rationibus, ut illius ſententiam communi ferè Senatorum conſenſu probata fuerit: ſed etiam poſtquam Servator captus fuiſſet, illiuſque cauſa examinanda eſſet; omnes Principes Sacerdotum, & Seniores Populi adverſus Jeſum conſilium inierunt: ut ſcribitur Matt. 27. Luc. 23. & Joan. 18. Marc. 15. ut eum morti traderent. Ex quibus apertius videtur, quam deſiderari poſſit, ſuffragii ferendi jus, in his quæ ad Rempublicam pertinebant, ſacerdotes habuiſſe.

A Verùm hæc ſatis ſpecioſa, minimè nos convincunt, ut hoc idem jus, Sacerdotes in Republica Iſraëlitica, tunc habuiſſe admittamus; cùm olim à Judicibus ſub Dei regimine illa Reſpublica, vel poſtmodum à Regibus, gubernaretur. Nam poſtquam Judæi in Babiloniam captivi deducti fuerunt, regium Reipublicæ Iſraëliticæ regimen finem accepit: & in reditu de Babilone, à Sacerdotibus ſummis Reſpublica Hebræorum uſque ad ultimum Hieroſolymitanum excidium ſub Tito, & Veſpaſiano gubernabatur. Colligitur id pluribus ex locis, & ſcribitur cap. 2. lib. 1. Eſdræ his verbis. *Congregatus eſt ergo populus quaſi vir unus in Hieruſalem; & ſurrexit Joſue filius Joſedech, & fratres ejus Sacerdotes, &* B *Zorobabel filius Salatiel &c.* Et quamvis iſte Zorobabel eſſet Dux exercitus; ſumma tamen regiminis auctoritas penes Sacerdotem ſummum remanſerat; ut perſpicuum eſt ex libris Judith, Machabæorum, & Eccleſiaſtici. Itaque Chriſti Domini ſæculo à temporibus uſque ſolutæ Babilonicæ captivitatis, Sacerdotes in publicis negotiis jus ſuffragii habuerunt, cum plena adminiſtratione Reipublicæ.

Vel etiam dici poteſt Pontificis auctoritate convocatum concilium ad Chriſti necem: quòd in his, quæ ad legem Moſaicam, & obſervantiam ſacrarum cæremoniarum pertinerent, jus cognoſcendi cauſas à Romanis Judæis conceſſum cùm fuiſſet; quia con- C tra jura templi, illorumque Eccleſiaſticam doctrinam, ac obſervantias, ſacra Servatoris noſtri dogmata fore putabant; ut ex Evangeliis habetur: propterea congregatum fuiſſe à Pontifice concilium legitur. Chriſto enim objiciebant; quòd Sabbatum non cuſtodiret; quòd diceret ſe Deum, Deique filium eſſe, quòd in deſtructionem ſacri templi prædicaſſet; quòd homines à ſacrificiis retraheret, licitas negotiationes prohibendo, ne fierent in atriis templi, & ſimilia; propterea primo coram ſummo Sacerdote, ac Pontifice Servatoris cauſam dicere voluerunt. Hac enim de ratione Pilatum ad illos dixiſſe conſtat: *Accipite eum vos, & ſecundum legem veſtram judicate eum.* D Ne quid verò fieri videretur cauſa non indicta, Summus Pontifex, Sacerdotum digniorum, atque Seniorum concionem indixit: & in his habuiſſe Sacerdotes jus ſuffragii, non ſolum Servatoris tempore, ſed etiam ab exordio inſtitutionis Iſraëliticæ reipublicæ, negari non poteſt.

Adhuc verò ſub dubio remanet; an Sacerdotes, ad quos in negotiis Reipublicæ Iſraëliticæ jus non erat; tunc ſaltem jus ſuffragii haberent; cùm de Rege eligendo, ſive inſtituendo ageretur. Enimvero pro Sacerdotibus ſummis nonnulla ſacrarum Scripturarum loca ſtare videntur. Nam 3. Reg. cap. 1. in competentia ſucceſſionis ad regnum inter Ado- E niam, & Salomonem; pro Adonia ſtabat Abiathar ſummus Sacerdos: *Et ſermo ei, legitur cum Joab filio Sarviæ, & cum Abiathar ſacerdote, qui adiuvabant partes Adoniæ.* Pro Salomone David juſſit ſtare Sadochum; qui licet non eſſet ſummus Sacerdos; erat tamen ſecundus poſt Abiatharum. & de hoc dicitur: *Sumpſitque Sadoch Sacerdos cornu olei de tabernaculo, & unxit Salomonem.* Fruſtra autem viderentur, tanto ſtudio in ea regni, ac ſucceſſionis competentia, Sacerdotes ab Adonia pro ſe, & à Davide pro Salomone præſentiam procuratam fuiſſe, ſi nihil juris F Sacerdotes in regiis comitiis haberent. Hæc ipſa corroborari poſſunt his, quæ cap. 11. lib. 4. Reg. in electione Joaſi ſcribuntur. Cujus electionem in ſola auctoritate Joiadæ ſummi Sacerdotis firmatam fuiſſe certum eſt. Sic enim ibi legitur: *Anno autem ſeptimo miſit Joiada, & aſſumens Centuriones & milites, introduxit ad ſe in templum Domini: pepigitque cum eis fœdus, & adjurans eos in domo Domini oſtendit eis filium Regis.* Suffragium igitur Pontificibus ad regiam

giam electionem in Republica Iſraëlitica minimè negandum videtur.

Sed neque iſta me movent, quominus à priori ſententia recedam; juſque ſuffragii, Sacerdotibus in Republica Iſraëlitica concedam; ſive de Regis electione ſive de aliis reipublicæ Iſraëliticæ muneribus agatur: Sacerdoteſque ad excipiendum ſolum divina oracula, & legis ritus ſervandos, quacumque in occaſione convocatos dixerim. Ut verò obiectis locis ſatisfaciam; dico quòd cùm de ſucceſſione Adoniæ ageretur, Abiathar ad partes illius declinaverat, non quaſi ad illum ſpectaret ſuffragium ferre; ſed quaſi perſona, cujus affectus ad Adoniam, tanquam ad Regis primogenitum, inclinabat. Non enim tunc de electione Adoniæ, aut de inauguratione, ſed de declaratione, vivente adhuc patre agebatur, ſpe ſucceſſionis, ac futuræ inaugurationis: quæ quidem omnia à Davidis voluntate pendebant. Sic enim Bethſabea ad David 3. Reg. 1. dixit: *Veruntamen Domine mi Rex, in te oculi reſpiciunt totius Iſrael; ut indices eis, quis ſedere debeat in ſolio tuo, Domine mi Rex, poſt te.* Et quando David, Sadochum juſſit unà cum Banaja ſtare pro Salomone; de ſuffragiis non agebatur: ſed de notificando populis Salomonem ſucceſſurum Davidi in regnum, & hoc de mandato Patris.

Unctio adhibita hac occaſione, Sacerdotem requirebat: ut enim ſolemniſſima hæc declaratio ſucceſſoris, omnibus manifeſta fieret; David ſacram unctionem adhiberi juſſit. Quamvis enim de Salomonis inauguratione, ſive conſecratione, tunc minimè ageretur; (in quo decepti ſunt plurimi ſcriptores, atque ſacrarum litterarum profeſſores;) nihilominus more prophetarum, qui ut infra magis apertè explicabitur; cùm alicui regnum prædicebant, ritus inaugurationis imitantes, oleo regnum alicui prænunciabant: ſanctiſſimus vir Dei, & Propheta David, teſtatum voluit apud omnes nequaquam ex capite, ſed Dei monitu Salomonem filium ſuum ſibi ſucceſſorem, ac Regem declaraſſe: quod jam aliquando in conventu Procerum aperuerat; ut habetur lib. 1. Paral. cap. 28. ubi cùm de ædificando templo cogitaret David, hæc dixiſſe legitur. *Sed & de filiis meis (filios enim mihi multos dedit Dominus) elegit Salomonem filium meum; ut ſederet in throno regni Domini ſuper Iſrael: dixitque mihi, Salomon filius tuus ædificabit domum meam, & atria mea: ipſum enim elegi mihi in filium, & ego ero ei in patrem.* Ut igitur Salomonis ſucceſſionem, Divina auctoritate fultam David declararet, oleum adhiberi voluit: ac ideo Sacerdotis miniſterio tunc uſus eſt; cum de Salomonis declaratione ageretur. Joiadæ quoque ſummi Sacerdotis opera propterea recenſentur 4. Reg. 11. & lib. 2. Paral. cap. 23. Quia Joiada non ſolum populo auctor fuit, coronam regni Iſraëlitici in ſucceſſoribus David conſervari; ſed etiam quia de inauguratione agebatur; ad quam ſacra unctio, quæ ad Sacerdotem ſpectabat, neceſſario requirebatur.

Mihi igitur certum cùm ſit, in Iſraëlitica gente, ex Moſaicis decretis, Sacerdotes, ac Levitas diverſum conſtituiſſe à Laicali republica ſtatum, ut cap. 1. diximus; propterea Sacerdotibus Iſraëliticis, ex lege nullum fuiſſe jus ſuffragii in Regum electionibus certiſſimum arbitror. Niſi inaugurationis de cauſa; ut ſtatim videbimus. Nam ferre ſuffragium in electionibus Principum ad illos ſpectat, qui illius poteſtati ſubjiciuntur; atque propterea hi ipſi ad Principem adorandum, poſtquam electus fuerit, accedere conſueverunt: cùm igitur Sacerdotes Regi Iſraëlitico minimè ſubderentur; neque in electione ad illum conſalutandum aliquo jure cogerentur: propterea jure quoque ſuffragii eos caruiſſe, cum omnibus his, qui ad Tribum Leviticam pertinebant; dicendum exiſtimo. Niſi fortè ex aliquo ſpeciali affectu, & religionis zelo: quòd nimirum legi Moſaicæ, Rex quoque ſubderetur.

Contrarium ſacris ex oraculis minimè ſuſpicari poſſe arbitror. Nam lib. 1. Paral. cap. 28. comitia convocaſſe Davidem legimus: tunc nimirum quando declarato jam Salomone ſibi ſucceſſore, de illius ſolemni ad regimen inauguratione agere volebat. In his verò comitiis, alii à Sacerdotibus recenſentur his verbis. *Convocavit igitur David omnes Principes Iſrael, Duces tribuum, & præpoſitos turmarum, qui miniſtrabant Regi: tribunos quoque, & Centuriones, & qui præerant ſubſtantiæ, & poſſeſſionibus Regis, filios quoque ſuos cum Eunuchis, & potentes, & robuſtiſſimos quoſque in exercitu Jeruſalem.* Licet verò nullum tunc fuerit ſuffragiorum opus; quia tamen illi tantum in ſacro textu in ordine Procerum recenſentur; eoſdem etiam in Regis electione, ſeu inſtitutione conſueviſſe ſuffragium ferre, probabile videtur. Qui enim in comitiis ſuffragium ferunt, hi etiam Principi electo juramentum fidelitatis præſtare conſueverunt. Cùm igitur, qui tunc vocati fuerunt à Davide, ad præſtandum juramentum fidelitatis, jure convocati credantur; atque inter eos neque Sacerdotes, neque Levitæ in numero habeantur: nec etiam ſuffragiorum de cauſa, in comitiis regiis Sacerdotes locum habuiſſe certiſſimum erit.

Hoc tandem argumento, quo Sacerdotes, ac Levitæ à regio foro omnino eximuntur, etiam à comitiis expellantur neceſſe eſt. Nam tribus Levitica inter duodecim tribus Iſraël, nequaquam, ut vidimus, computabatur; ſed tertia decima erat. Quamobrem quamvis ad gentem Iſraëliticam tribus Levitica, quatenus hæc à Jacob originem ducebat, pertineret; non tamen cum regno Iſraëlitico partem, aut hereditaria jura poſſeſſionum, ſive agrorum habebat; ut ex libro Joſue, & aliis locis perſpicuum eſt: ea propter quoties de domo Iſraël aliquid dicitur in ſacris oraculis poſt inſtitutum Sacerdotium, nunquam ſub eo nomine tribus Levitica, aut familia Aaron, ut vidimus, comprehenditur. Igitur nec etiam in comitiis Reipublicæ, Sacerdotes numerandi erunt, aut inter Proceres, Duces, Centuriones & milites, aut Senatum recenſendi; cùm hos tantum ad regia comitia vocatos ex textu citato, & aliis locis Sacrorum oraculorum cognoverimus.

CAP V.

Quinam haberent jus ſuffragii in regia electione, explicatur.

Ad loca 1. Reg. 8 *Congregati ergo univerſi majores natu Iſraël venerunt ad Samuelem in Ramatha.* ibid. 10. *Nunc ergo ſtate coram Domino per tribus veſtras, & per familias.* & ad alia.

OMNIA, quæ hucuſque de Reipublicæ Iſraëliticæ ordinibus, deque illorum ſigillatim convocatione diximus, ex diverſitate vocum, quibus Iſraëliticæ Reipublicæ cætus ſignificantur, clariora fient. Illarum enim notitia plurimum ad ſacrorum oraculorum intelligentiam facit. Ex his quoque Senatus in Republica Iſraëlitica, juxta diſtinctionem tribuum, & Urbium aperientur; ac etiam quatenus omnes tribus unum totius Reipublicæ corpus conſtituebant, fiet palam. Non enim unum, aut alterum tantum ſenatorum ordinem, ſed plures, ac plures in Iſraël ab eo uſque tempore extitiſſe;

ſe, quo à Deo eſt inſtituta, ex ſacris oraculis accepimus.

Exordiamur à primo ordine ſeniorum, quos majores natu noſter vulgatus interpres dixit, quique זְקֵנִים *zequanim* vocabulo Hebraico dicuntur. Qua voce Senatores cujuſcumque tribus, ac Civitatis intelligendi erunt: qui etiam patres patriæ appellari poterant; & natura ipſa ad publicam patriæ curam, communemque cuſtodiam eos elegiſſe videbatur, cùm ab his reliqui de eadem tribu; & Urbe regerentur. Nam vocibus πολιτεία, & πολίτευμα reſpublica, reipublicæque adminiſtratio ſignificatur: has autem Græcas voces à verbo πολιόω, quod eſt canum facio, derivatas conſtat: quaſi ad ſeniores tantum, regimen cujuſcumque Reipublicæ pertineret.

Nam ut rectè adnotavit Sigon. lib. 6. de Republica Hebr. cap. 4. triplex Senatus in Hebræorum gente habebatur. Unus nimirum, in quem Seniores omnium Iſraëliticarum tribuum conveniebant: videlicet ex qualibet tribu aliqui principaliores. Quo ſanè in numero Sigonius illos ſeptuaginta viros comprehendi putat; qui Num 11. de mandato Dei à Moyſe ad regimen illius gentis conſtituti fuerunt.

Alter Senatus, ſive conventus majorum, ex ſenioribus uniuſcujuſque tribus, ad illius tantum tribus regimen conſtituebatur: de quibus dicitur 4. Reg. cap. 20. *Congregati ſunt ad Regem Joſiam omnes ſeniores Judæ, & Hieruſalem.* & lib. 1. Reg. 30. *David miſit dona de præda, Senioribus Judæ, & proximis ejus.* & Jeremiæ 19. dixit Deus: *Occidam conſilium Judæ.* Quibus ex locis tribum Juda, proprios Seniores, ac Senatores habuiſſe perſpicuum eſt. Quod etiam reliquis tribubus minimè negandum videtur.

Unamquamque quoque Urbem, Senatum, ſive conventum proprium habuiſſe, cujus conſiliarii Seniores dicerentur, ſacræ tradiderunt litteræ. Nam cap. 11. Judicum: *Perrexerunt Seniores de Galaad, ut tollerent in auxilium ſuum Jephte, dixeruntque ad eum: Veni, & eſto princeps noſter.* & cap. 8. legimus: *Apprehendit puerum de viris Sochot, interrogavitque nomina Principum, & Seniorum Sochot.* Cap. quoque 4. libri Ruth, Booz tulit decem viros *de ſenioribus civitatis Bethlehem.* Quibus ex locis Seniores, ſive Senatores Galaad, Sochot, & Bethlehem habentur: ac idem licet colligere, reliquas quoque Urbes Iſraëliticæ gentis, ſeniores, ac Senatum habuiſſe, à quo juxta ſingularia jura regerentur. Quoties igitur de ſenioribus ſacræ litteræ loquuntur; illarum phraſis conſideranda erit: an nimirum de ſenioribus totius Reipublicæ, an verò de ſenioribus ſingularis alicujus tribus, aut urbis loquantur.

Alter ordo ex his conſtituebatur, qui in ſacris litteris nomine עֵדָה *nghedah* ſignificabantur: cùm enim in unaquaque tribu plures familiæ haberentur, & unaquæque familia inter ſubſellia ſuæ tribus locum haberet; aliqua tamen inter illas ipſas familias primam ſedem tenebat: illa nimirum familia, quæ per lineam maſculinam à primogenito Patriarchæ deſcendebat. Quorum nomina recenſentur cap. 1. lib. Num. & ibi in Hebraico exemplari ראש לְבֵית אֲבוֹתָיו *roſc leveth havothau:* hoc eſt, primus in familia patrum ſuorum. Propterea congregatio hæc, in qua capita duodecim familiarum conveniebant; עֵדָה *nghadah* in ſacris oraculis appellari conjectamur ex pluribus ſacræ Scripturæ locis. Sufficiat nunc cap. 31. Numer. n. 26. in quo Deus jubet Moyſen, & Eleazarum Sacerdotem dividere prædam, quam filii Iſraël de Madianitis reportarant: Eleazaro autem, & Moyſi, quibus demandata fuerat cura prædam partiendi, adjunguntur alii qui רָאשֵׁי אֲבוֹת הָעֵדָה *raſce havoth hanghe-*

A *dath* nominantur. ideſt capita congregationis. Et juxta noſtrum interpretem *Principes populi.* Qui etiam parum ſupra dum ſermo eſſet de his, qui perrexerant in occurſum militum; qui victores de prælio revertebantur נְשִׂיאֵי הָעֵדָה *neſibe haghedah.* ideſt principes congregationis appellantur.

Hoc igitur vocabulo auguſtior Senatus totius Reipublicæ Iſraëliticæ ſignificatur, conflatus ex Patriarchis tribuum, qui in unaquaque illarum principatum tenebant. Diſtingui vero hos à ſenioribus, pluribus poſſet argumentis probari; ſed illud ſufficiat, quod habetur Deuter. 5. ubi Moyſes, quid loquente Deo cum populo, ſibi acciderit,
B refert, dicens: *Et acceſſiſtis ad me omnes principes tribuum, & ſeniores*, inquit Hebraicè וַתִּקְרְבוּן אֵלַי כָּל־רָאשֵׁי שִׁבְטֵיכֶם וְזִקְנֵיכֶם hoc eſt: *Et appropinquaſtis ad me omnia capita tribuum veſtrarum, & ſeniores veſtri.* Ex quibus verbis, ſeniorum ſenatum diſtingui à conventu duodecim Patriacharum, qui erant capita in tribubus Iſraëliticis, manifeſtum eſt. Quia verò verbum Hebraicum עֵדָה *nghadah* conventum non quocumque modo, ſed in ſtatuto aliquo tempore ſignificat; rationabiliter hos eo vocabulo ſignificari putamus, qui ſenatum totius Iſraëliticæ Reipublicæ auguſtiſſimum, & reliquis digniorem conſtituebant: qui nimirum
C determinato tempore ad comitia Reipublicæ convenire conſueverant.

Plenior adhuc conventus in ſacris oraculis voce קָהָל *qhahal* explicatur. Qua non ſolum Patriarchæ tribuum, capita familiarum, ac ſenatores cujuſcumque tribus; ſed etiam alii de populo comprehenduntur. Sacra oracula pluribus in locis hanc hujus vocis proprietatem manifeſtant. Nam Deuter. cap. 5. in quo ſermo eſt de conventu totius populi ad montem Oreb; ubi Deus toti Iſraëliticæ multitudini loquutus eſt; & legem atque præcepta tradidit. De quo ſic textus. *Hæc verba loquutus eſt Dominus ad omnem multitudinem veſtram in monte de medio ig-*
D *nis.* In Hebraico exemplari pro voce multitudo eſt vox קָהָל *qhahal.* Certum eſt enim quemcumque de populo, illi Dei alloquutioni adfuiſſe, ac ea voce, generalem totius populi conventum ſignificari. Sic etiam Exodi 31. in quo eſt ſermo de populo in ſeditionem verſo contra Aaronem, ut Idolum poneret; & Numer. 17. ubi populus in ſeditionem verſus contra Moyſen inſurrexit, & aliàs ſæpè vox eadem *qhahal* legitur. Quamobrem hac voce, ut plurimum ſacra oracula utuntur; quoties vel de promiſcua, & inordinata populorum congregatione eſt ſermo; vel de rebus ſacris agendum fuerit; ad quæ numeroſior conventus non ſolum Senato-
E rum, ac Seniorum, Patriarcharum, tribuum, & capita familiarum congregantur; ſed etiam reliquorum omnium, qui nullum in comitiis jus ſuffragii habebant: ut propterea rectè videatur Latinum interpretem, vocabulum illud per vocem *Eccleſia* reddidiſſe.

Cùm igitur duplici ordine laicam Rempublicam Iſraëliticam conſtitutam ſciamus; ut docui capite ſecundo, Senatorio nimirum, atque militari: & in hoc quoque ordine duces à tribunis, & decanis, & hi ab illis diſtinguerentur; de ſingulis erit agendum, ut ſingulorum munus declaretur. Decani enim dicebantur, quibus decem tan-
F tum milites regendi tradebantur. Quinquagenarii, qui ſub ſe quinquaginta habebant milites. Centuriones, quorum poteſtas ad centum milites extendebatur: erant etiam illi, qui ſupra millenos habebant poteſtatem: quibus omnibus in Iſraëlitica Republica Rex præficiebatur. Quapropter ad Regiam electionem, certiſſimum fore debet, non quoſcumque de plebe, aut gregarios milites convocari ſolitos; ſed una cum ducibus, ac tribunis ſenatores quoque

Reipu-

Reipublicæ Iſraëliticæ conveniſſe. Et ideò nullibi A ea occaſione Eccleſiam, ſive עֵדָה ex Hebraica phraſi conveniſſe dicitur; ſed optimatibus, ac Proceribus tantum, jus ſuffragii in electione Principis conceditur. Nam etiam penes exteros hunc morem ſervatum fuiſſe ex veterum monumentis manifeſtum eſt : ut ſoli nimirum Proceres electionis jus haberent. Ut enim videre eſt apud Orpheum, cùm de electione Imperatoris in expeditione Argonautica agendum fuit; non omnes quotquot in navi erant, à Jaſone in concionem vocantur; ſed tantum Proceres, qui ferendi ſuffragii jus habuiſſent.

Subodoratur Senatorum, ac Procerum conventus B in fabella illa arborum ad Regem eligendum convenientium cap. 9. Judicum : quorum arborum ac plantarum comitia in eligendo Rege, Sichimitis objecit Joathan dicens. *Ierunt ligna, ut ungerent ſuper ſe Regem; dixeruntque olivæ, impera nobis: quæ reſpondit; numquid poſſum deſerere pinguedinem meam, qua & Dii utuntur, & homines, & venire, ut inter ligna promovear? Loquutaque ſunt ligna ad vitem: veni, & impera nobis: quæ reſpondit eis, nunquid poſſum deſerere vinum meum, quod lætificat Deum, & homines, & inter ligna cætera promoveri? Dixeruntque ligna ad arborem ficum: Veni & ſuper nos regnum accipe: quæ reſpondit eis, nunquid poſſum deſerere dulcedinem* C *meam, fructuſque ſuaviſſimos, & ire ut inter cætera ligna promovear?* Quarum plantarum nominibus Senatorum, ac Procerum conventum, qui rectè de Republica conſulant, contuendum fore exiſtimo: & in rhamno tandem, qui regnum admiſit; inter omnia ligna campi minimum, ac peſſimum genus hominum ſignificatur. Utrum ſub metaphora rhamni, gregariorum militum fortaſſe ordo intelligi debeat, necne; viderint alii me doctiores.

Sed quid moramur in his fabellis, atque conjecturis pro Reipublicæ ordinibus, qui ad regias ſolemnitates convocabantur? clariora in ſacris habentur, quàm deſiderentur. D Lib. enim Reg. 1. cap. 8. cùm de prima Regis electione agendum eſſet; Iſraëliticuſque populus miſſis oratoribus ad Samuelem, de transferendo Reipublicæ ſtatu ad Regium, ac Monarchicum inſtaret; ita legimus in textu ſacro. *Congregati ergo univerſi majores natu Iſraël, venerunt ad Samuelem in Ramatha.* Hebraicè legitur כָּל זִקְנֵי *col zigne*, ideſt *omnes ſeniores*; ubi noſter interpres dixit *majores natu:* Qua verborum forma ſenatus conveniſſe oſtenditur. Sed quia, ut dicebamus, erat ſenatus major, ad quem totius Reipublicæ negotia referebantur; ac etiam ſenatus, qui alicui tribui tantum præficiebatur, & denique ſenatus E particularis alicujus Urbis; ſeniorum Iſraël nomine, qui adiviſſe Samuelem, atque de mutatione regiminis inſtaſſe dicuntur; ſolos ſeptuaginta ſeniores, qui à Deo toti Reipublicæ præfecti fuerant, intelligendos arbitror : non autem ſenatores, Judices, ac Principes particularium Tribuum, ac Civitatum, & Scribas, ac Magiſtratus, ut dixit Rangolius lib. 1. Reg. verſ. 4. §. 2. in fine. Nam hi tunc de electione Regis minimè egerunt; ſed monitum Samuelem voluerunt; ut de mutando reipublicæ ſtatu cogitaret. Nam de ferendo ſuffragio in pleniori conventu cap. 10. actum fuit in Maſpha, ut ſtatim dicemus.

At cap. 10. in quo de Regis electione actum fuit, F univerſum populum in Maſpha Samuelem convocaſſe ſcribitur : & ad omnes filios Iſraël verba feciſſe. Sic etiam cap. 11. lib. 2. Paral. ad electionem Davidis ſcribitur omnem Iſraëlem conveniſſe; & poſtmodum ſubditur: ϗ ἦλθον πάντες οἱ πρεσβύτεροι Ἰσραήλ. ideſt: *Et venerunt omnes ſeniores Iſraël.* Ut planum ſit, ex ſingulis tribubus Senatores, ac Magiſtratus convenire conſueviſſe ad regiam electionem. Quamobrem Samuel poſtquam ad eos verba feciſſet; ſic ait. *Nunc ergo ſtate coram Domino per tribus veſtras, & per familias.* Ex quibus locis planum eſt; Principis conſtituendi de cauſa, ad regia non tantum comitia veniſſe illos ſeptuaginta, qui prima ſubſellia in tota Republica tenebant; ſed ſeniores etiam quarumcumque tribuum, ac Civitatum, cum Patriarchis, & Capitibus familiarum uniuſcujuſque Tribus; ut in ea electione regia, ſuffragium ferrent.

Nec ſolum hos, ſed etiam reliquos omnes, qui ad militiam ſpectabant, militarique ordini nomen dederant; ad Regis electionem conveniſſe probandum eſt : ex his enim Rex erat ſeligendus: dixerunt enim ad Samuelem oratores, qui illum cap. 8. adierunt. *Et erimus nos quoque ſicut omnes gentes, & judicabit nos Rex noſter, & egredietur ante nos, & pugnabit bella noſtra pro nobis.* Quamobrem cum inter milites Saul quoque locum haberet, ea occaſione ipſum quoque in Maſpha ad regia comitia veniſſe ſacra prodiderunt oracula. Sicut enim olim apud Romanos comitia fuere centuriata, & tributa, id eſt per tribus, atque centurias diſtributa; ſic etiam nunc Samuel tribus, familiaſque diſtinxit : quo commodius explorari poſſet; ex qua familia; ac tribu ſumendus eſſet ille, cui ſumma in reliquos eſſet permittenda poteſtas. Quæ clariora fiunt ex Hebraico exemplari, in quo ſic legimus לְשִׁבְטֵיכֶם וְאַלְפֵיכֶם *leſcibhtechem vealpechem.* Hoc eſt per tribus veſtras, & per legiones veſtras. Eo enim vocabulo militari אֲלָפִים *alaphim* turmæ militum ad numerum millenarium ſignificantur : ac propterea nos *legionis* vocabulo uſi ſumus in reddendo illum locum ſacri textus. Ex quibus ſanè verbis, Senatum, & milites, quibus duobus ordinibus Iſraëlitica Reſpublica, ut diximus cap. 1. conſtituebatur; conveniſſe ad regia comitia, Regiæ electionis de cauſa perſpicuum eſt.

Loca alia ſacrorum oraculorum, in quibus de regiis comitiis eſt ſermo, cœtus hujus formam magis adhuc exprimunt: nam cap. 12. lib. 1. Paral. de electione Davidis in Regem agitur, & conventus ducum, ac militum ibi ſcribitur, his verbis. *Et hæc ſunt nomina principum exercitus, qui venerunt ad David in Hebron: ut à Saule ad David regnum transferrent, juxta verbum Domini.* Et totus ibi per ſuos duces numeratur exercitus. Abſalon quoque propria auctoritate ſibi regnum uſurpare cùm cogitaret; nihil magis cordi habuiſſe videtur; quam quod Senatoribus Urbium, ac tribuum, necnon etiam Ducibus, tribunis atque militibus, illius conatus probarentur. Quamobrem, ut dicitur 2. Reg. cap. 15. *Miſit Abſalom exploratores in univerſas tribus Iſraël, dicens: Statim ut audieritis clangorem buccinæ, dicite, Regnavit Abſolon in Hebron.* Nuncios miſiſſe dixit Hebraicus textus. Quos quidem non caſu, ſed de induſtria ad eos, cum quibus jam de regno conſpiraverat; miſit : hos ex militari, ac ſenatorio ordine extitiſſe, ſacris ex textibus ſubodoratur. Ducentos enim milites ex valentioribus Jeroſolymitanis ſecutos fuiſſe partes Abſalomi, ibidem in textu ſcribitur. Inter conſiliarios quoque, ac ſenatores Achitophel Geloneus, primarius in regno Davidis, Abſaloni partes ſequebatur. Tantoque concurſu populi omnes Abſalonem ſequebantur, ut dicat textus ſacer : *Venit igitur nuncius ad David dicens: toto corde univerſus Iſraël ſequitur Abſalon.* Univerſi verò Iſraëlis vocabulo, ex phraſi ſacra, tam illi qui ſenatui adſcribuntur; quam qui in militaribus ſtudiis obverſantur, comprehenduntur.

Cùm

Cùm Joàs inauguratum legimus, Regemque electum in depoſitione Athaliæ 4. Reg. cap. 11. Tribuum, Patriarcharum, ac Procerum conventum habemus: cujus ad regnum aſſumptio, & inauguratio, ſummi Sacerdotis Jojadæ ſtudio ſolemniter habita ſcribitur: convenientibus quoque ad illam aſſumptionem militibus, cum ſuis Centurionibus, ac Ducibus, Legionibus quoque Cerethæorum, & Phelethæorum, tubicinibus, atque cantoribus, & omni denique populo, ut 2. Paral. cap. 23. his verbis ſcribitur. *Anno autem ſeptimo confortatus Jojada; aſſumpſit centuriones: Azariam videlicet filium Jeroboam, & Iſmaël filium Joanam, Azariam quoque filium Obed, & Maaſiam filium Adajæ, & Eliſaphat filium Zechri, & init cum eis fœdus. Qui circumeuntes Judam congregaverunt Levitas de cunctis urbibus Juda, & Principes familiarum Iſraël, veneruntque in Jeruſalem. Iniit ergo omnis multitudo pactum in domo Dei, cum Rege: dixitque ad eos Jojada: ecce filius Regis regnabit, ſicut loquutus eſt Dominus ſuper filios David.*

In eodem lib. 2. Paralip. cap. 12. Roboam Salomonis filius ad regnum aſſumptus ſcribitur; ad ejus autem inaugurationem ſeniores Iſraël conveniſſe dicuntur. quod idem cap. 10. ſcribitur his omnino verbis: *Venit autem Roboam in Sichem, illuc enim congregatus erat omnis Iſraël ad conſtituendum eum Regem.* Verùm minimè prætereundum hic duxi: omnis Iſraëlis nomine debere accipi, quotquot ad regia comitia de more conveniebant, nimirum non ſolum ſenatores, ſed etiam militares ordines. Argumentum ex ſacris deſumptum oraculis id manifeſtat: nam alias minimè auſi fuiſſent ſeniores decem tribuum, rebellare in Regem Roboam; & ad alias partes tranſire, ſibique in Regem eligere Jeroboam, niſi militaribus copiis fulti fuiſſent hi, qui ad regia comitia in Sichem convenerant.

Hac ipſa de ratione, contendentibus de regno, regnique ſucceſſione Adonia, & Salomone 3. Reg. cap. 1. de dignioribus etiam quoque convocandis Reipublicæ ordinibus, tam ex ſenatu, quam ex militaribus copiis, invicem diſceptabant. Quamobrem cùm Adonia ad fontem Rogel Rex acclamaretur; Abiathar ſummus Sacerdos, Joab imperator regii exercitus, necnon etiam univerſi Principes regii, regiſque filii, excepto Salomone, ejus partes tuebantur: reliquos quoque ordines militares, ſaltem majori ex parte cum Adonia ſtetiſſe, præſentia Imperatoris Joab, & currus, necnon equites, & quinquagenarii, quos ſibi Adonias apparaverat, ad regiam majeſtatem oſtentandam, apertiſſimè id demonſtrant. Sed apertiùs, me Judice, Senatum, ac milites Adoniæ conſenſiſſe, expiſcatur ex illis verbis ſacri textus: *Et omnes viros Juda ſervos Regis.* ideſt Proceres, ac Seniores Judæ de curia Regis, necnon etiam milites: denique cum Adonia favor illorum aderat, qui illius ſucceſſionem ad Regnum, fauſtis acclamationibus proſequebantur: de quibus ita ſacer textus 3. Reg. cap. 1. *Adonias autem filius Haggith elevabatur dicens: ego regnabo. Fecitque ſibi currus & equites, & quinquaginta viros, qui currerent ante eum. Et ſermo ei cum Joab filio Sarviæ, & cum Abiathar ſacerdote, qui adjuvabant partes Adoniæ. Immolatis ergo Adonias arietibus, vitulis, & univerſis pinguibus, juxta lapidem Zoeleth, qui erat vicinus fonti Rogel; vocavit univerſos fratres ſuos filios Regis, & omnes viros Juda ſervos Regis.*

Salomonis partes contra Adoniam tuebantur Sadoch Sacerdos, ſecundus in ordine Sacerdotum poſt Abiathar, Nathan Propheta, & Banajas quoque filius Jojadæ, qui erant Davidi à ſecretis. Is enim Banajas inter illuſtriores milites locum habebat: nam cum Regi ſitienti aquam de ciſterna Bethlehemitica, quæ erat in hoſtium poteſtate, hauſiſſet; atque per
A medios hoſtium cuneos penetrans Regi ſitienti porrexiſſet; Davidi cariſſimus factus, præfecturam Ceretheorum, & Pheletheorum in regia aula adminiſtrabat: ut ſcribitur lib. 2. Reg. cap. 8. Fuiſſe etiam cum Salomone Magiſtratus aliquos, & Judices curiæ, necnon Conſiliarios regios, ſervorum Regis ex vocabulo ſuſpicari poſſet. Militares quoque ordines, Salomonis declarationem proſequutos fuiſſe, Ceretheorum, Pheletheorumque vocabula probant: de quibus ita ſacer textus. *Deſcendit ergo Sadoch Sacerdos, & Nathan Propheta, & Banajas filius Jojadæ, & Cerethi, & Phelethi: & impoſuerunt Salomonem ſuper mulam Regis David &c.* verba etiam illa, n. 8.
B *& robur exercitus David non erat cum Adonia*, idipſum confirmant. Fauſtæ pariter acclamationes, quibus Salomonis ſucceſſio in Regnum ab omni populo proſequebatur, vulgi quoque conſenſum demonſtrant: de quo ſic ſacer loquitur textus. *Aſcendit univerſa multitudo poſt eum; & populus canentium tibiis, & lætantium gaudio magno.*

Reipublicæ quoque ordines, tam civiles, quam militares ad regiam inaugurationem convenire conſueviſſe, ex cap. ult. lib. 1. Paral. colligitur; cùm de ſolemni inauguratione Regis Salomonis, vivente adhuc patre agitur, his verbis: *Et unxerunt ſecundò Salomonem filium David. Unxerunt autem eum Do-*
C *mino in Principem, & Sadoch in Pontificem. Seditque Salomon ſuper ſolium Domini in Regem pro David patre ſuo: & cunctis placuit, & paruit illi omnis Iſraël. Sed & univerſi Principes, & potentes, & cuncti filii Regis David dederunt manum, & ſubjecti fuerunt Salomoni Regi.* Ex quibus verbis ſatis luculenter, ut reor, ordines regni habentur. Illa enim phraſis: *Et paruit illi omnis Iſraël*, Senatus, & capita familiarum ſubindicat: militares verò ordines in illis aliis: *Principes, & potentes*, ſignificantur. Hebraice שָׂרִים וְהַגִּבֹּרִים *ſarim vehaghiborim.* quibus vocabulis Duces legionum, & fortiſſimos, ac ſtrenuiſſimos viros, ſignificari conſtat. Ex quibus tandem ſacrarum
D litterarum locis, explicatum remanet, quinam Reipublicæ ordines ad regia comitia convocarentur.

CAP. VI.

Præfecti militiæ in Principe eligendo, & declarando auctoritas monſtratur.

Ad loca 2. Reg. cap. 2. *Abner autem filius Ner princeps exercitus Saul, tulit Isboſeth filium Saul; & circumduxit eum per caſtra; Regemque conſtituit*
E *ſuper Galaad, & ſuper Geſſuri, & ſuper Jezraël, & ſuper Ephraim, & ſuper Beniamin, & ſuper Iſraël univerſum.* ibid. cap. 20. *Fuit ergo Joab ſuper omnem exercitum Iſraël; Banajas autem filius Jojadæ ſuper Ceretheos, & Pheletheos.* & ad alia.

QUANTI ponderis eſſet in Republica militaris ordo, & quam auctoritatem in comitiis regiis, ubi de Principe agendum eſſet, haberet; ſatis luculenter, ut puto, capite præcedenti ſubindicabatur: regiæ enim electioni, declarationi, atque inaugurationi, milites cum ſuo Imperatore, vel Præfecto Prætorii, in ordinibus regni non ſo-
F lum apud Iſraëlitas, ſed etiam apud exteras nationes, Romanorum; Perſarum, & aliorum, prima quaſi ſubſellia occupaſſe certiſſimum eſſe debet. Quamobrem in ordine militari ad ſummum ducem, qui præclariorem militiam, & in militia præfecturam adminiſtrabat; quaſi ex munere ſpectare videbatur, de Principis electione agere, quoties imperium Reipublicæ vacaſſet.

Quia

Quia enim, ut infra videbimus, in Rege militaris virtus cum primis à Republica expetebatur; propterea Principis electio ad milites pertinuiſſe viſa eſt. Nam apud Romanos, quamvis Imperium aliquando quodammodo hæreditarium foret, iſque in imperium ſuccederet, qui à prædeceſſore, jam adoptatus teſtamento ſucceſſor fuiſſet declaratus, ut Tiberius ab Auguſto, Caligula à Tiberio, Nero à Claudio, Piſo à Galba, & Trajanus à Nerva: nihilominus ut plurimum Romanæ Reipublicæ principatus electivus extitit. Et cæſo Cajo, imperium electivum omnino remanſiſſe, electioniſque jus penes milites tantum, aliquando extitiſſe ex Romanorum monumentis perſpicuum eſt. Nam licet ad imperatoris adhuc viventis voluntatem ſucceſſores electi aliquando fuerint; hos tamen ipſos in castris à prætorianis poſtmodum vel acclamatos, vel ſaltem approbatos, admiſſoſque comperimus. Quamobrem plus etiam roboris, ac juris milites, quam Senatores in Romana Republica in electione Imperatoris habuiſſe, veterum monumenta teſtantur.

Tanta etiam Præfecti prætorii, prætorianorumque militum apud Romanos auctoritas extitit; ut Imperatoris eligendi jus, atque etiam electum deturbandi, ad ipſos fere ſtaret: iſque Imperator eſſet pro quo Prætoriani ſtetiſſent. Id perſpicuum eſt apud omnes, qui Romanas pertractant hiſtorias. Zozimus lib. 1. tradit poſt mortem Commodi, tunc primum prætorianos jus eligendi Imperatorem à ſenatu, ad ſe avocaſſe. τὸ περὶ τὴν φυλακὴν τῶν βασιλέων τεταγμένον στρατιωτικὸν, τὴν τοῦ καταστῆσαι μόναρχον ὑφήρπασε ἐξουσίαν, παρελόμενος βίᾳ τὴν γερουσίαν ταύτης τῆς κρίσεως. hoc eſt: *Prætoriæ cohortes, quæ ad regiam cuſtodiam excubabant, poteſtatem creandi Monarcham,* (hoc nomine Imperatorem vocat) *ſibi vendicarunt, per vim ſenatui ereptam.* Videatur Suet. in Galba cap. 16. Spartian. in Didio Julia. hoc ipſum Joſeph lib. 19. antiquit. cap. 2. agnovit: cum Claudium prætorianorum ſuffragio Imperatorem renunciatum ſcribit, ac poſtmodum lib. 20. cap. 5. Neronem Agrippinæ artibus, ad Imperii faſtigium ſublimatum refert dicens. δεδοικυῖα δὲ ἡ Ἀγριππῖνα μὴ ὁ Βρεττανικὸς ἀνδρωθεὶς αὐτὸς παρὰ τοῦ πατρὸς τὴν ἀρχὴν παραλάβοι· τῷ δὲ αὐτῆς παιδὶ προαρπάσαι βουλομένη τὴν ἡγεμονίαν· τά τε περὶ τὸν θάνατον τοῦ Κλαυδίου, καθάπερ ἦν λόγος, διεπράξατο, καὶ παραχρῆμα πέμπει τὸν τῶν στρατευμάτων ἔπαρχον Βοῦῤῥον, καὶ σὺν αὐτῷ τοὺς χιλιάρχους, τῶν τε ἀπελευθέρων τοὺς πλεῖστα δυναμένους, ἀπάξοντας εἰς τὴν παρεμβολὴν τὸν Νέρωνα, καὶ προσηγόρευσαν αὐτὸν αὐτοκράτορα. Quæ ſic interpretantur. *Timens autem Agrippina, ne Britannicus adultus, ipſe à patre imperium acciperet; filio autem ſuo volens præripere imperium, procurata morte Claudii, quemadmodum fuit ſermo, confeſtim miſit prætorianorum Præfectum Burrhum, & cum eo Tribunos, & multos libertorum potentiores, deducentes in caſtra Neronem, & illum Imperatorem conſalutarunt.* Tacitus in fine lib. 12. *Mortuo Claudio,* inquit, *medio diei iii. ante idus Octobris, foribus palatii repente deductis, comitante Burrho, Nero egreditur ad cohortem, quæ more militiæ excubiis adeſt; ibi monente Præfecto feſtis vocibus exceptus, inditur lecticæ.* Ex quibus Taciti verbis ſatis aperte conſtat, Neronem auſpicatum fuiſſe Imperium à prætoria cohorte, Præfecti prætorii auctoritate.

Et quidem tanta fuit auctoritas Prætorianorum in Romana Republica, ut Balbinum, & Pupienum à Senatu adverſus Maximum Thracem electos imperatores, non alia de cauſa rejecerint, ac interfecerint, ut ſcribit Herodian. lib. 8. niſi quia à Senatu, non ab ipſis Imperatores dicti fuerant. Et interfecto Aureliano cùm res Romana periclitaretur, Senatus Imperatorem eligere minimè tentavit, niſi ad Præ-

A torianorum inſtantiam, ad quorum tandem petitionem, ut ſcribit Flav. Vopiſc. Tacitus à Senatu electus, à prætorianis monente Præfecto conſalutatus eſt: de quo ſic Vopiſcus: *Inde ad exercitum profectus,* ſupple Imperator: *ibi quoque cum primum tribunal aſcendit, Mæcius Gallicanus Præfectus prætorii in hæc verba diſſeruit: Dedit ſanctiſſimi commilitones &c.* Itaque futurus Imperator non admittebatur à Prætorianis, niſi prius illorum Præfectus de eo admittendo eoſdem commonuiſſet. Nam etiam de Imperio Pertinacis verba faciens Julius Capitolinus in ejus vita ait: *Commodo interempto, Lætus præfectus prætorii, & Electus cubicularius ad eum venerunt; ut eum*
B *confirmarent, atque in caſtra deducerent.* Et de ejuſdem Læti auctoritate diſſerens, rationemque aſſignans Herodianus lib. 2. hæc habet: καὶ πρῶτον ἀρέσκει προελθεῖν ἐπὶ τὸ στρατόπεδον, καὶ πεῖραν τῆς γνώμης τῶν στρατιωτῶν λαβεῖν· πείσειν δὲ αὐτοὺς ὁ Λαῖτος ὑπισχνεῖτο, ἐπείπερ αὐτῷ ἐπάρχῳ ὄντι, μετρίαν ἀπένεμον αἰδῶ· hoc eſt: *Etenim primum placuit adire exercitum, & tentando, ſententiam militum accipere: ſuà autem opera eos iri perpulſum Lætus pollicebatur; quoniam cum eſſet Præfectus, auctoritatem aliquam habebat.* Itum eſt igitur ad caſtra cum Pertinace, convocatiſque mili-
C tibus, nemo alius, niſi Lætus, qui auctoritate præfecti prætorii fultus erat, alloquitur milites, & ejus auctoritate Pertinax Imperator conſalutatur: quod idem Herod. his verbis, parum infra à loco citato aperuit dicens: ἐπεὶ δὲ ἐγένοντο ἐν τῷ στρατοπέδῳ, ὁ Λαῖτός τε καὶ Ἔκλεκτος εἰσῆλθον ἄγοντες τὸν Περτίνακα, συγκαλέσας δὲ τοὺς στρατιώτας ὁ Λαῖτος, ἔλεξε τοιάδε. hoc eſt: *Ubi autem pervenerunt ad caſtra, Lætus, & Electus intrarunt, ducentes Pertinacem; convocanſque milites Lætus talia loquutus eſt.* Alia multo plura in hiſtoriis Romanorum Præfecti prætorii auctoritatem teſtantur; quorum omnium ſingula enarrare, noſtri nequaquam eſt inſtituti.

Ad ſacra oracula nobis properandum eſt. Enim verò ſummos ſtipatorum, ac militum Imperatores,
D in Republica Iſraëlitica eamdem cum Præfecti prætorii Romanorum, vel quaſi eamdem auctoritatem habuiſſe, à primis uſque Iſraëliticæ Reipublicæ exordiis, ſacri libri ubique tradiderunt. Moyſen enim à primis temporibus, Præfecti prætorii munus in Republica Iſraëlitica exercuiſſe certum eſt. Ad hanc enim dignitatem Moyſis, verba illa Dei reſpiciunt. *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis.* Exo. 3. Quaſi diceret Deus: Ecce conſtitui, & declaravi te ſummum ductorem Iſraëliticæ gentis, ut Pharaonem congredi minimè perhorreſcas. Huc pariter illud aliud in eodem capitulo dirigitur, quod Moyſi dicitur: *Veni, mittam te ad filios Iſraël, ut educas eos de Ægypto,*
E *& ducas &c.*

Moyſes igitur à Deo Dux ſummus Iſraelitici exercitus declaratus, ab eodem mittitur ad exercitum, & ad populum; ut agat cum eo de Principis electione: an nimirum Deum ipſum in Principem, Imperatoremque totius Iſraëlitici exercitus admittere; ab ipſoque in coloniam, ad loca Chananeorum, Pherezeorum, Jebuſeorum, Amorrheorum, & reliquarum gentium deduci velint: is ipſe Moyſes Dei nomine populum alloquitur; is rationes populo proponit; quibus eidem ſuadere conatur, Deum in Principem, atque Imperatorem eligi ab illis deberi: quòd bona innumerabilia electoribus ſuis ſpondeat
F Deus; ſi eum Principem Imperatorem, inſtitutoremque Reipublicæ admiſerint.

Moyſis ad populum, quam habuit, oratio in cap. 19. Exo. ſubindicatur his verbis: *Venit Moyſes, & convocatis majoribus natu populi, expoſuit omnes ſermones, quos mandaverat Dominus.* Ea verò, quæ mandavit Dominus referenda, atque notificanda filiis Iſraël, ea ipſa ſunt, quæ in eodem capitulo parum

 ſupra

ſupra leguntur: quibus quantum Deus valeat in militari peritia illis explicat; & quanta facilitate proſtraverit Ægyptios; & contra Pharaonis conatus, ad deſerta populum adduxerit; ipſis omninò inoffenſis, ut ne unus quidem illorum deſideratus fuerit. Quæ his verbis ibi referuntur: *Vos ipſi vidiſtis, quæ fecerim Ægyptiis, quomodo portaverim vos ſuper alas aquilarum, & aſſumpſerim mihi.* De legibus poſtmodum conſcribendis ſanctiſſimis, quibus illorum Reſpublica floreat, & omni bono abundet, agit: tantaque pace, ac tranquillitate Iſraëliticam Rempublicam fruituram ſpondet; ut nulla ſit futura alia, quæ illi comparari poſſit, hæc dicens: *Si ergo audieritis vocem meam, & cuſtodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis: mea eſt enim omnis terra. Et vos eritis mihi in regnum Sacerdotale, & gens ſancta.* Itaque Moyſes totius exercitus Iſraëlitici Præfectus prætorii, populo ad concionem vocato, ut Lætum feciſſe vidimus ex Herodiano in aſſumptione Pertinacis ad Imperium; optimis rationibus ſuadet, ut Deum in Principem Iſraëliticæ Reipublicæ, Moderatorem, ac totius exercitus Imperatorem, Proceres ipſi, ac Senatores eligant.

Militares animos in Samuele, ſacris ex oraculis agnoſcimus: præſertim ex cap. 7. lib. 1. Reg. Quamobrem quod Præfecti Prætorii apud Romanos munus erat, hoc Samuel in Republica Iſraëlitica adminiſtraſſe, abſque dubio affirmare poſſumus. Nam quamvis uſque ad illam ætatem Deus ipſe Principis munus in Republica Iſraëlitica ſuſtinuiſſet; nihilominus ad militaria munera, & in hoſtium expeditionibus, Samuel ab eo præficiebatur, qui cuncta Dei conſilio, ac monitu proſequebatur: & ideo cùm de Principe eligendo agendum ſibi eſſet, ipſum tanquam Præfectum Prætorii adierunt filii Iſraël, ut ſcribitur 1. Reg. 8. ipſe alloquitur Iſraëliticæ gentis Senatum; jura regia eis proponit; novi Imperatoris electionem diſſuadet; quantumque erat in ſua poteſtate, ejuſdem electionem deturbat: & tandem Populo aſſentiri Dei monitu coactus, electionem proſequitur, electum Saulem, quammaximè commendat dicens: *Certè videtis quem eligit Dominus, quoniam non ſit ſimilis illi in omni populo.* 1 Reg. 10. & cùm de illius inauguratione agendum adhuc remaneret: revertentibus Iſraëlitis à bello Ammonitico, eodem Samuele monente, ut in Galgala comitia haberentur; Saul Rex inauguratur.

Sed ad electionem, inaugurationemque Isboſeth filii Saulis tranſeamus, atque in ejus ſublimatione ſummi Ducis, ſive Præfecti prætorii Abneris auctoritatem contemplemur. Fuiſſe verò Abner Imperatorem exercitus Saulis, probatione non indiget. Saule igitur jam mortuo, cum toto exercitu Iſraëlitico (undecim nimirum tribuum) partes Isboſeth filii Saulis adverſus David tuebatur. Ex ſacris oraculis lib. 2. Reg. cap. 2. n. 8. id conſtat, ubi dicitur: *Abner autem filius Ner princeps exercitus Saul, tulit Isboſet filium Saul, & circumduxit eum per caſtra, regemque conſtituit ſuper Galaad, & ſuper Geſſuri, & ſuper Jezrael, & ſuper Ephraim, & ſuper Benjamin, & ſuper Iſraël univerſum.* Cujus loci, tam expreſſè auctoritas Præfecti prætorii in eligendo Rege monſtratur, ut nihil deſiderandum remaneat.

Verum ad Davidis inaugurationem accedamus; qui cum aliquando in Hebron Rex renunciaretur ſuper Iſraëlem univerſum; conſenſu, auctoritate, & ſtudio ejuſdem Abneri totus Iſraël in eo conſenſit. De cujus inauguratione, ita Joſeph lib. 6. antiquit. cap. 1. *Συγκαλέσας δὲ καὶ τοὺς γεγηρακότας τοῦ πλήθους, καὶ ταξιάρχους, λόγους ἐποιήσατο πρὸς αὐτοὺς, ὡς ἔχοντας ἑτοίμως, ἀποστῆναι μὲν Ἰεβόσθου, Δαβίδῃ δὲ προσθέσθαι ταύτης ἀποτρέψαι τῆς ὁρμῆς.* hoc eſt: *Convocans autem*, ſupple, *Abner ſeniores multitudinis, & militiæ*

A *præfectos, loquutus eſt ad eos, veluti ad hos, qui parati erant recedere à Jeboſoto;* ſic appellatur Isboſeth filius Saul, *& ad David deſciſcere, hanc adhæſionem rememorando: nunc autem &c.* Itaque tota ratio declinandi tribus Iſraëliticas ad David & deſciſcendi ab Isboſeth, à Joſepho in Abnero Præfecto prætorii; ſummoque Iſraëlitici exercitus pro Saule Imperatore refunditur.

Cùm igitur Præfecti prætorii in Republica quoque Iſraëlitica auctoritas tanta fuerit, cum primis apud ſelectiores milites, cujus militaris virtutis de cauſa, Rex potiſſimùm inaugurabatur: propterea meritò cùm de declaratione Salomonis futuri Regis
B in competentia Adoniæ agendum eſſet, prætermiſſo Joabo, qui ad Adoniæ partes declinaverat; David Banaiam vocare juſſit: huicque uni, qui militum prætorianorum Præfectus erat, ſucceſſoris declarationem commiſit. Nam quemadmodum Sacerdotis munus erat, ſacrificiis, regiæ inunctioni inaugurationique operam dare, ut infra probabitur: & ad Prophetas divina excipere oracula pertinebat; ut fauſto omine feliciterque Rex inauguraretur: ſic etiam Præfecti prætorii, ſummique Ducis munus videbatur, Regem electum in regno firmare: nec ſolum in comitiis de perſona eligenda agere, præclara illius geſta recenſendo, ejus erat; ſed etiam re-
C giis ornamentis Principem electum inſignire, ac tandem in regni ſolio collocare; ut poſſeſſio regni omnibus numeris abſoluta Regi concederetur ab eo, qui prætorianis, regiiſque ſtipatoribus præerat. De his ita Joſeph lib. 7. antiq. cap. 11. Græcæ editionis, cùm loquitur de Salomonis ad ſucceſſionem regni declarationem: *Σάδωκον μεταπέμπεται τὸν ἀρχιερέα, καὶ Βαναίαν τὸν ἐπὶ τῶν σωματοφυλάκων, καὶ παραγενομένων κελεύει παραλαβεῖν νάθαν τε τὸν προφήτην, καὶ τοὺς περὶ τὴν αὐλὴν ὁπλίτας ἅπαντας, καὶ ἀναβάσαντας τὸν υἱὸν αὐτοῦ Σολομῶνα ἐπὶ τὴν πηγὴν ται λεγομένην τὸν γιὸν, καὶ περιχρίσαντας τὸ ἅγιον ἔλαιον, ἀποδεῖξαι βασιλέα· τοῦτο δὲ ποιῆσαι προσέταξε σάδωκον τὸν ἀρχιερέα, καὶ νάθαν τὸν*
D *προφήτην, ἀκολουθοῦντας τε προσέταξε διὰ μέσης τῆς πόλεως, τοῖς κέρασιν ἐπισαλπίζοντας βοᾶν εἰς αἰῶνα τὸν Σολομῶνα τὸν βασιλέα καθίσαι ἐπὶ τοῦ βασιλικοῦ θρόνου.* Quæ verba ſic interpretantur: *Sadocum accerſit Pontificem*, ſupple David, *& Banaiam, qui erat præfectus ſtipatorum; & accedentes juſſit aſſumere Nathan, & omnes, qui ſunt de cohorte palatina, & collocantes filium ejus Salomonem ſuper regiam mulam, ducere extra Civitatem, ad fontem, qui dicitur Gihon: & ungentes ſacro oleo declarare regem. Hoc autem facere Sadocho Pontifici, & Nathani Prophetæ mandavit; ut ingredientes per mediam Urbem cornibus inſonantibus, & tubicinibus clamarent, in æternum Salomonem Regem*
E *ſedere ſuper regium thronum.* Itaque tota regiæ declarationis pompa, ut dicebamus, Banaiæ præfecto prætorii à Davide committitur.

Quòd autem ejuſdem eſſet muneris regiam pompam diſponere, & ordinare, regique ſuper mulam equitanti lateri adhærere, atque poſtmodum in regio ſolio eundem collocare, eodem auctore Joſepho ſubodoratur, ex his, quæ parum infra à loco citato ſcripſit verbis: *Βαναία δὲ εὐξαμένου τὸν Θεὸν Σολομῶνι εὐμενῆ γενέσθαι· μηδὲ μικρὸν διαλιπόντες, ἀναβιβάζουσιν ἐπὶ τὴν ὀμίονον τὸν Σολομῶνα, καὶ προάγοντες ἔξω τῆς πόλεως ἐπὶ τὴν πηγὴν, καὶ τῷ ἐλαίῳ χρίσαντες εἰσῆγον εἰς τὴν πόλιν ἐπευφημοῦντες, καὶ τὴν βασιλείαν αὐτῷ γενέσθαι πολυ-*
F *χρόνιον εὐχόμενοι, καὶ παραγαγόντες εἰς τὸν οἶκον βασιλικὸν, καθίζουσιν αὐτὸν ἐπὶ τοῦ θρόνου.* hoc eſt: *Banaias autem precatus Deum Salomoni propitium fieri, nec ad modicum morantes ſuperponunt ſuper mulam Salomonem, & deducentes extra Urbem ad fontem, & oleo ungentes reduxerunt in civitatem fauſta dicentes, & regnum illius longævum fieri precantes, ac deducentes in domum regiam, ſedere illum fecerunt in throno.*

Ex

Ex quibus ſatis, me Judice, apertum cenſeo regiæ pompæ curam apud Præfectum prætorii ex munere extitiſſe. Quin etiam Regem electum in regiam poſſeſſionem immittere, ad eundem in Urbe pertinuiſſe; & ſimile quid de Præfecto prætorii in exordio Imperii Taciti habetur apud Flavium Vopiſcum in Romanis hiſtoriis. Poſtquam enim qua ratione Tacitus de conſenſu Prætorianorum fuerit electus Imperator narraſſet Vopiſcus, *Inde ad exercitus profectus*, inquit; *ibi quoque cum primum tribunal aſcendit*; ſupple Tacitus Imperator electus *Mœcius Gallicanus Præfectus prætorii in hæc verba diſſeruit: Dedit, ſanctiſſimi commilitones, ſenatus Principem quem petiiſtis.* Et ut ſacra Romanorum hiſtoriis miſceantur, 2. Paral. 23. de inauguratione Joaſi, hæc habentur. *Aſſumpſitque Centuriones, & fortiſſimos viros, ac Principes populi, & omne vulgus terræ, & fecerunt deſcendere Regem de domo Domini, & introire per medium portæ ſuperioris in domum Regis, & collocaverunt eum in ſolio regali.* Ex quibus quidem omnibus teſtimoniis tam ſacris, quam prophanis, Præfecti prætorii in Urbibus, & ſummi ducis in exercitibus, non ſolum poteſtas, ſed etiam auctoritas, ac munera omnia in Principis electione manifeſtantur; vel ſaltem ſubodorantur ex ritibus Reipublicæ Iſraëliticæ.

CAP. VII.

Regiorum comitiorum loca apud Iſraëlitas deſignantur.

Ad loca 3. Reg. 12. *Venit autem Roboam in Sichem: illuc enim congregatus erat omnis Iſraël ad conſtituendum eum Regem.* Illuſtratur locus Matth. cap. 16. *Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* & ad alia.

EXTRA Urbium ſepta Reges Iſraëlitas inaugurari ſolitos, infra probabitur. De electione nunc nobis agendum eſt; quæ regni ordinibus, ut vidimus, convocatis, comitiiſque indictis fiebat. Hanc quoque regum electionem, ſive conſtitutionem, aut declarationem, in extremis Urbium partibus, & quandoque extra Urbes ipſas, nimirum ubi curia haberetur, fieri ſolitas arbitramur. Etenim à Græcis concionem, comitiaque Reipublicæ convocari ſolita ſub dio Plutarc. in Lycurgo probat, id factum apud Lacedæmonas, Delphici oraculi monitu, inter flumen, quod dicebatur Gnecio, & pontem, qui fortaſſe extra Lacedæmonem habebatur: cujus rei rationem Plutarchus reddit dicens: *In medio autem iſtorum*, nimirum in agro interjecto inter flumen & pontem, *deducebant conciones, ubi neque porticus erant, neque alia ſtructura: nihil enim conducere hæc arbitrabantur ad optimam conſultationem, quin potius officere: quòd futiles etiam, & fluxas inani ſenſu congredientium mentes efficiant; dum in ſigna & tabulas, vel proſcenia theatrorum, vel lacunaria fabrefacta, illi qui ad concionem vocantur, defigunt oculos.*

Verùm comitia ad Regis inſtitutionem nequaquam obiter quocumque in loco conſueviſſe fieri; ſed in locis ſacris etiam apud Laconas, Romanos, Athenienſes & alias gentes, veterum monumenta paſſim teſtantur. Idipſum verò cum primis apud Iſraëlitas fieri conſueviſſe, certum eſſe debet; quòd apud hos, ſacris primò peractis, quæ neceſſario extra urbes in aperto habebantur; ibidem ſeniores gentis, capita tribuum Proceresque Reipublicæ, ad regia

A comitia celebranda convenirent. Quamobrem cùm de Saulis electione populum conveniſſe in Maſpha ſcribitur in ſacro textu, ad loci declarationem addirur. *Quia locus orationis erat in Maſpha.* Quæ ad notam ſacri loci in ſacro textu dicuntur. Ad locum curiæ Tribuni, Centuriones, Proceres, Optimates, Senatores, & alii ad quos jus ſuffragii pertinebat, ubi conveniſſent; Rex eligebatur. Nequaquam verò ſemper ſub dio, ut innuebat Abulenſis, Reges Iſraël electos, aut inauguratos crediderim; ſed in curia ubi Judicum, Senatorumque reſidentia erat; ut in plurimum reges Iſraël electos, deinde ad aras

B inaugurari conſueviſſe dixerim.

Senatores enim ad Regum conſtitutionem convenire conſueviſſe in aliquibus determinatis locis, ſacra paſſim teſtatur hiſtoria. Nam de Saule dicitur 1 Reg. cap. 10. Populum conveniſſe in Maſpha. Roboamum Salomonis filium ſacer textus 3. Reg. cap. 12. veniſſe in Sichem ſcribit; quo convenerant Seniores cum populo ad conſtituendum illum Regem. Quod idem habetur 2. Paral. cap. 10. his omnino verbis. *Venit autem Roboam in Sichem: illuc enim congregatus erat omnis Iſraël ad conſtituendum eum Regem.* Qua verò de ratione Roboam illò magis, quàm aliò profectus fuerit, regiorum comitiorum de cauſa, divinare quis poterit? niſi fortaſſe dicere

C vellemus; illò veniſſe Roboam, ut illo in loco Rex ipſe renunciaretur; in quo jam olim Abimelech Rex fuerat conſtitutus. Quod ſi affirmabimus, tam Abimelechi, quam Roboami renunciationem extra ſepta Urbis celebratam habebimus; licet non extra curiam, ſed in curia, ubi Senatores ad publica regni negotia conveniebant.

Etenim jure optimo fieri conſueviſſe putandum eſt, ut ad has ſolemniſſimas Regum electiones, inſtitutiones, & declarationes, ex præſcripto quarumcumque rerumpublicarum, in curias ubi judicia habebantur, comitia convocarentur: ut Reges, qui populorum Judices conſtituendi erant; in loco

D ubi judicia populi ex conſuetudine reddebantur; ibi Reges renunciarentur, regnique gubernandi munus, ac opus ſuſciperent.

Propterea enim dicitur 1. Reg. cap. 8. conveniſſe ſenatores Reipublicæ Iſraëliticæ ad Samuelem in Ramatha, cum de Rege ſibi conſtituendo vellent agere; quia ibi curia ad reddendum judicia habebatur. Sic enim legitur ibi. *Congregati ergo univerſi majores natu Iſraël, venerunt ad Samuelem in Ramatha: Dixeruntque ei: ecce tu ſenuiſti, & filii tui non ambulant in viis tuis: conſtitue nobis Regem, ut judicet nos, ſicut & univerſæ habent nationes.* & cap. 11. In quo de Regis electione agendum erat, dici-

E tur Samuelem convocaſſe populum, id eſt Senatores, ac Reipublicæ Proceres in Maſpha: & denique cùm eſſet Saul inaugurandus, eoſdem convocavit in Galgala: nominantur verò hac occaſione loca iſta; quia in his urbibus curiæ, ac prætoria habebantur: in quibus lites, populorumque jurgia definiebantur: ut ſcribitur in eodem lib. cap. 7. his verbis. *Judicabat quoque Samuel Iſraëlem cunctis diebus vitæ ſuæ; & ibat per ſingulos annos circuiens Bethel, & Galgala, & Maſphat: & judicabat Iſraëlem in ſupradictis locis, revertebaturque in Ramatha: ibi enim erat domus ejus, & judicabat Iſraëlem.* Quod etiam accommodatiſſimis verbis Joſeph. lib. 6. antiquit.

F cap. 3. ſcribit dicens. ὁ δὲ προφήτης Σαμουῆλος διακοσμήσας τὸν λαὸν, καὶ πόλιν αὐτοῖς ἀποδοὺς εἰς ταύτην ἐκέλευσεν συνερχομένους περὶ τῶν πρὸς ἀλλήλους κρίνεσθαι διαφορῶν. αὐτὸς δὲ δὶς τοῦ ἔτους ἐπερχόμενος τὰς πόλεις ἐδίκαζεν αὐτοῖς. hoc eſt: *Propheta autem Samuel compoſitis rebus populi, & juridicis conventibus per certas Urbes inſtitutis, juſſit eos ad illas accedere ad decernendum lites ipſorum; ipſe autem bis per annos ſingulos adveniens jura*

illis reddebat. Ex quibus manifeſtè conſtat ubi curiæ eſſent: & quòd in his convenire populus conſueverat; ut in comitiis de Rege ageretur.

Senaculum, locus nimirum certus, in quo de more comitia celebrabantur; quem Græci *βȣλευτήριον* dicebant; extra urbium ſepta, vel in extremis urbium partibus, apud Iſraëlitas poſitum fuiſſe, Regeſque in his electos oſtenditur. Nam quamvis Joaſus 4. Reg. cap. 11. in ſacro Jeroſolymitano templo, non ſolum ſacra unctione delibutus, & Rex inauguratus, ſed etiam ibidem acclamatus, ac Rex declaratus legatur; idque propter periculum, quod ex Atalia infenſiſſima regiæ ſoboli imminebat; & præter conſuetudinem factum fuiſſe tradat Abulenſis; hæc tamen minimè me movent. Nam templum extra Urbem Jeroſolymitanam conſtructum erat; & in templo Senaculus, id eſt, locus ubi Senatores conveniebant. Nam etiam in regno Latinorum, Virgil. lib. 7. ſcribit, Curiam in templo locum habuiſſe; idemque templum fuiſſe, ac curiam, & in arce ſumma locatum, ubi Reges Latini regnum auſpicari conſueverant, ſic dicens.

Vrbe fuit ſumma, Laurentis regia Pici,
Horrendum ſilvis, & religione parentum,
Hinc ſceptra accipere, & primos attollere faſces
Regibus omen erat; hoc illis curia templum.

Quod etiam de Hebræis ſacra teſtantur oracula; quorum Senaculum, judicumque curiam, ad portam templi auſtralem, ſedem habuiſſe perſpicuum cum ſit; & ipſum quoque templum extra Urbem, ac Civium ædes conſtructum conſtat: ut chartæ ſcenographicæ declarant. Ex conſequenti licet Joaſus in templo renunciatus fuerit, extra tamen mœnia urbis Regem declaratum, ex his intelligimus.

Quòd curia extra ſepta Urbium, vel in extremis urbium partibus apud Iſraëlitas haberetur; certum inde videtur, quòd Debora Prophetiſſa cap. 4. lib. Judic. ſedens ſub palma in monte Ephraim judicaſſe populum, id eſt judicia reddidiſſe in ſacro textu ſcribatur. Eſt autem judicare ex phraſi ſacrarum litterarum, lites decernere, & curare tam ea, quæ ad pacem Reipublicæ, quam quæ ad bella pertinent. Erat igitur curia ſub Debora in monte Ephraim: non quidem, quòd ſub Dio Debora judicia redderet; ſed in loco, qui Milloh appellabatur. Quo in loco cap. 9. ejuſdem libri Abimelech electum in Principem populi ad quercum, quæ erat in Sichem legimus. Ut autem curiam ibi extitiſſe intelligatur, minimè prætereundum duxi; quòd ubi noſter interpres dixit, eò conveniſſe ad inaugurandum Abimelech univerſas familias Urbis Melloh, ex Hebræo habemus וְכָל־בֵּית מִלֹּא id eſt, *& univerſa domus Milloh.* in cujus loci interpretatione Vatabl. obſervavit, & optimè quidem, nomine domus Milloh intelligi Senatores, ad quos negotia publica referebantur. Ex qua veriſſima doctrina Abimelech Rex conſtitutus in curia ipſa, ſive ſenatu intelligitur; quod extra urbium ſepta habebatur. Ut autem omnis omnino tollatur de medio ſcrupulus circa loca, in quibus ex conſuetudine Iſraëlitarum, curiæ, & loca comitiorum habebantur; quæ portæ vocabulo ſignificabantur; obſervare oportet ex phraſi ſacrarum litterarum, vocabulo portæ tria ſignificari, nimirum prætorium ſive aulam Principis, ac Magiſtratus, ubi lites populorum decernebantur: forum ſive plateam, in qua negotia agebantur, & eſculenta, ac poculenta vendebantur: nec non etiam oſtium, per quod in Urbes populi ingrediebantur, atque egrediebantur. Nam quamvis ex phraſi latinæ, ac græcæ linguæ loca hæc ſuis diſtinguantur vocabulis, cùm Græco idiomate *ἀγορᾶ* platea dicatur. *θύρα*; ſeu *πύλη* porta ipſa; *ἀυλὴ*, ſeù, *ςρατήγειον* prætorium, & *βȣλευτήριον* ſenatus; tamen ex

A phraſi linguæ ſanctæ dictio שַׁעַר *ſcianghar* pro his tribus locis accipitur: propiereaque in interpretatione ſacrorum Codicum, tam Vulgatus interpres, quam Septuaginta, & alii Græci, ſequuti vim dictionis Hebraicæ, portæ nomine tam plateam, quam prætorium, ac oſtium ſignificarunt.

Deſiderabit fortaſſe jam aliquis, à nobis monſtrari, prope portas urbium, curiam, atque prætoria judiciorum de cauſa extitiſſe: nec non etiam circa eaſdem, forum, quò Cives, negotiatoreſque convenire ſolerent, quique curiam, forum, Regemque negotiorum de cauſa frequentabant. Id apertè

B infinita pene ſacræ Scripturæ loca oſtendunt. Nam cap. 22. Deuter. Deus legem conſtituit ei, qui uxorem ex odio vellet dimittere; defenſionemque mulieri præſcribit, coram Judicibus ad portam civitatis dicens: *Tollent eam pater, & mater ejus, & ferent ſecum ſigna virginitatis ejus ad Seniores Vrbis, qui in porta ſunt.* Sic etiam cap. 25. In quo de ſuſcitando ſemine fratris, id eſt de conſervanda familia illius in Iſraël lex præſcribitur; juſque mulieri conveniendi propinquum coram Judicibus conceditur: ea occaſione, curiæ locus in porta deſignatur his verbis. *Sin autem noluerit accipere uxorem fratris ſui, quæ ei lege debetur, perget mulier ad portam Civitatis, &*

C *interpellabit majores natu.* Qua quidem dicendi phraſi infinita penè ſacrarum Scripturarum, & veterum monumentorum loca illuſtrantur. Nam etiam apud Homerum lib. 3 Iliad. Trojanorum Senaculus ad Scæas portas delineatur his verbis:

Αἶψα δ' ἔπειθ' ἵκανον ὅθι σκαιαὶ πύλαι ἦσαν.
Οἱ δ' ἀμφὶ Πρίαμον, καὶ Πάνθοον ἠδὲ Θυμοίτην,
Λάμπον τε Κλυτίον θ' Ἱκετάονά τ' ὄζον Ἄρηος
Οὐκαλέγων τε, καὶ Ἀντήνωρ πεπνυμένω ἄμφω,
Εἵατο δημογέροντες ἐπὶ Σκαιῇσι πύλῃσι.

Nec enim porta Civitatis *πύλη* nomine hìc ſignificatur. Homerus enim locum deſcribit, in quo Pria-

D mus cum regni Proceribus convenerat; ut inde Græcorum acies contemplaretur. Quamobrem parum infra is ipſe locus, turris ab eodem appellatur. Quapropter portæ nomine locum ſignificari conſtat; in quo Senatores Trojani, ac Regni Proceres convenire ad regni negotia conſueverant. Sic enim ea carmina interpretantur.

Statim autem poſtea quam pervenerunt ubi Scææ portæ erant,
Priamus, & Panthous, & Thymœtes
Lampuſque Clytiuſque Hicetaonque ramus Martis
Vcalegonque & Antenor prudentes ambo
Sedebant populi ſeniores in Scæis portis.

E Etymon atque origo latini vocabuli *forum* pro curia, hinc hauritur. Forum enim propriè ab efferendis in eo res venales denominatur. Curiarum autem, ſive ſenaculorum vicinitas, ad forum, fecit, me judice, ut nomine fori apud Latinos ipſa juriſdictio accipiatur. Quin etiam ipſa curia, ſeu aula juriſdicundi, in qua populorum jurgia, & controverſiæ tam civiles, quam criminales agitantur, atque decernuntur; forum appellari conſuevit. Locus etiam comitiorum, fori nomine ſignificatur; quòd videlicet in foro, ſive prope forum loca pro reſidentia Judicum, ac Magiſtratuum haberentur.

F Atque in forum Senatores venire dicerentur; quoties ad publica negotia pertractanda, in ſenaculo convenirent.

Reaſſumatur res noſtra; atque in extremis Urbium, curias fuiſſe conſtructas demonſtretur, ſacrarumque Scripturarum loca plurima in medium afferantur; quibus non ſolum curias, atque palatia juriſdicundi de cauſa conſtructa, in extrema parte ad mœ-

mœnia urbium extitiſſe conſtet : ſed etiam forum ad A
res venales inferendas , ac efferendas , in eiſdem locis extitiſſe perſpicuum fiat. Utque à ſacra Geneſi exordiamur : de principatu terræ Chanaam agebat Deus , quando Abrahamo cap. 21. dixit : *Poſſidebit ſemen tuum portas inimicorum tuorum.* & alibi ſæpe : quibus verbis , & phraſi , cum juriſdicundi auctoritate , ſimul dominum totius terræ Chanaam , ac reliquorum populorum eam regionem inhabitantium , Deus poſteritati Abrahami promittebat. In eodem quoque ſenſu Pſaltes in Pſalmo 68. ſe ludibrio fore Senatoribus Iſraëliticis lamentatur, dicens: *Adverſum me loquebantur, qui ſedebant in porta.* Hoc eſt , ut optimè Genebrar. B *Qui præſidebant in foris , prætoriis , & judiciis.*

Clariora adhuc teſtimonia afferantur; quibus vicinitas fori ad curiam , & prætorii locus oſtendatur. Hoc autem ex cap. 7. lib. 4. Reg. apertè colligitur : ibi enim ab Eliſæo Dei Propheta Samariæ circumvallatæ ab hoſtibus , annonaque laboranti , victus in diem craſtinum copia maxima in foro conſueto Dei nomine promittitur , in hæc verba : *Hæc dicit Dominus : in tempore hoc cras , modius ſimilæ uno ſtatere , & duo modii hordei ſtatere uno in porta Samariæ.* Quibus ſacræ Scripturæ verbis , niſi quis cæcutire velit , agnoſcitur profectò portæ nomine ſignificari forum eſculentorum : illudvè forum propterea in C porta Samariæ poſitum dici ; non quòd in ipſo aditu Urbis , aut in oſtio , quod Civibus patebat , hoſtibuſque claudebatur , eſculenta venderentur , (in ea enim porta ad negotiationes convenire cives nequibant:) ſed ex communi phraſi ſacræ Scripturæ porta dicitur forum ipſum , ſive platea poculentorum , ac eſculentorum , quæ extra mœnia urbis non longè à portis exiſtebat. Oſtendit hoc Joſeph. lib. 9. antiq. cap. 2. Qui locum , quod porta dicitur in ſacro textu *ἀγορᾷ* dixit ; qua voce platea eſculentorum ſignificatur. Joſephus ſic habet. Ἐλισσαῖος δὲ εἰς τὴν ἐπιοῦσαν ἐπηγγέλετο κατ' ἐκείνην τὴν ὥραν ἧ ὁ βασιλεὺς ἀφίκετο πρὸς αὐτὸν , ἔσεσθαι πολλὴν εὐπορίαν D τροφῆς, καὶ πραθήσεσθαι μὲν ἐν τῇ ἀγορᾷ ϛίκλου δύο κριθῆς ϛάτα, ὠνεῖσθαι δὲ ϛεμιδάλεως ϛάτον ϛίκλου. Hoc eſt. *Eliſæus autem in craſtinum promittit eadem hora , qua tunc Rex ad ſe venerat , futuram magnam rerum ad victum neceſſariarum abundantiam ; ita ut publicè in foro uno ſiclo venirent duo ſata hordei , & uno item ſiclo ſatum ſimilæ.*

Forum autem eſculentorum extra mœnia extitiſſe urbis , ex eodem ſacro textu oſtenditur. Principem enim illum,qui vaticinium Eliſæi reſpuerat ; à multitudine proruentis populi eſculentorum de cauſa exeuntium , conculcatum in porta Urbis Samariæ ſacræ litteræ teſtantur ; in qua ad reprimendam multitudinem à Rege præfectus fuerat : ne Samaritæ ſe E invicem in exitu obtererent , ac conculcarent ; dum ad diripienda Syrorum caſtra nimis avide properarent.

Et quidem jure optimo , potius extra , quam intra mœnia Urbis forum apud Iſraëlitas habebatur , Leproſorum gratia. Nam his ex lege intra ſepta urbium habitare , interdicebatur : ut ex lege , & ex eodem cap. 7. lib. 4. Reg. colligitur ; dum de leproſis eſt ſermo , qui adierunt Aſſyriorum caſtra, ut ea diriperent. colligitur etiam ex cap. 15. ejuſdem libri , nec non etiam ex cap. 26. lib. Paral. in auſu temerario Regis Oziæ ; qui cùm à Deo percuſſus F fuiſſet lepra , dicitur : *Fuit igitur Ozias Rex leproſus uſque ad diem mortis ſuæ : & habitavit in domo ſeparata plenus lepra , ob quam ejectus fuerat de domo Domini.* Separata hic dicitur domus habitationis regiæ , quæ extra Urbem erat : ut expreſſè ſcripſit Joſephus lib. 9. antiq. cap. 11. Leproſis verò cum reliquis intra urbium mœnia habitare vetitum erat ; ne illorum contactu , aut rerum quas leproſi contrectaſſent , quæ ex lege immunda cenſebantur ; reliqui quoque de populo immundarentur ; ac propterea à ſacrificiis , uſuque ſacrorum etiam arcerentur. Ex lege enim ad ſacra accedere polluti , ac immundi vetabantur.

Illuſtratur ex his locus perdifficilis Gen. cap. 3. ubi de peccato Caini agitur , & in foribus peccatum illius futurum in ſacro textu dicitur : de quo Pererius lib. 7. cap. 3. verſ. 6 & 7. me judice , parum ad rem , hæc habet : *Ex hac autem lectione latina liquidò intelligitur ; Deum æquiſſimum eſſe hominum Judicem ; tam remunerandis eorum benefactis , quam maleficiis puniendis : ſi , inquit , benefeceris recipies , ſcilicet præmium , & mercedem tuorum benefactorum : ſin autem male egeris , ſtatim in foribus peccatum tuum aderit : id eſt peccati tui pœna , & vindicta præſto tibi erit ; nec te ſinet tranquillo , & quieto animo vivere &c.* Æquat igitur hic auctor omninò divinum Judicium cum ejuſdem miſericordia ; portarumque vocabulo oſtium accipit , quod tam ad ingreſſum , quam ad egreſſum æqualiter pateat : propterea enim dixit : *Peccati tui pœna , & vindicta præſtò tibi erit.* Id eſt , te conſequetur. Multi etiam multa ſcriptores reliqui in hujus loci expoſitione dixerunt , quæ ſuis cum auctoribus maneant.

Nos ad curiarum reſidentiam Moyſen reſpexiſſe , divinamque miſericordiam extollere , amplificareque voluiſſe arbitramur ; qui in reddendo meritorum præmio , eorumdemque valore excedat : at verò in puniendo tam benignus exiſtat , ut longè citra condignum puniat : atque in hoc ſenſu ea divino nomine Moyſen ſcripſiſſe putamus ; Deumque benedictum Cainum his verbis alloquentem ſcribit Gen. 3. *Nonne ſi bene egeris recipies , ſin autem malè , ſtatim in foribus peccatum tuum erit ?* Vel mavis legere ex Hebræo textu : *in portis accubabit.* Duplicem enim in uno eodemque actu Dei miſericordiam erga peccatores Moyſes commendavit : alteram in præmiando merita ultra condignum ; ita ut nulla prævia diſcuſſione bonorum operum , aut aliqua temporis mora interpoſita , ſtatim reddat præmia , dicendo : *ſi bene egeris recipies;* alterum Divinæ miſericordiæ actum in differendo , ac procraſtinando impiorum hominum ultionem Moyſes aperire voluit. Quod nimirum ad flagella nequaquam illicò manum admoveat Deus ; ut pro qualitate culparum , ſit etiam plagarum modus : ſed portarum metaphora , Judicum diſcuſſionem circa merita uniuſcujuſque ſignificare , ac ſubindicare voluit : quòd nimirum Deus quaſi invitus ad flagella manum porrigat : idque non niſi prævia (noſtro modo intelligendi) culparum diſcuſſione. Propterea ſubintulit : *ſin autem male , ſtatim in portis* , hoc eſt in loco judicii , *peccatum tuum accubabit.* Id eſt, ſuſtinebit tantiſper peccatorem expectando , an à peccato reſipiſcat : ſubindicans quoque ea metaphora , quòd peccator à Deo non condemnabitur ; niſi diligenter ejus culpa diſquiratur. Hæc obiter in diſcuſſione illius loci occaſione portarum , & locorum , in quibus curiæ habebantur , à nobis dicta ſint.

Illuſtratur eadem portarum occaſione , alter quoque locus ex Evangelio Matth. cap. 16. In quo ſermo eſt de ſtabilitate Eccleſiæ , de qua ſtabilitate Petro dicitur à Chriſto , *Tu es Petrus , & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam , & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Equidem per portas inferi , omnem diaboli poteſtatem ſignificari non eſt dubium : dubitatur ſolummodo quare per portas , metaphoricè potentiam Diaboli Chriſtus ſignificaverit ; & nequaquam proprio vocabulo potentiæ uſus ſit. Omiſſis itaque his , quæ à pluribus in hujus loci expoſitione dicuntur : afferam , quæ à doctiſſimo viro Joanne

Maldonato traduntur his verbis. *Loquebatur de Eccleſia tanquam de Civitate aliqua Chriſtus. Solet autem munitiſſima pars Vrbium eſſe portæ : ut, quoniam confortavit ſeras portarum tuarum, benedixit filios tuos in te. Et quia Vrbes plerunque per portas expugnari conſueverunt ; propterea Diaboli potentiam, non potentiam, ſed portas inferi appellavit. & cur inferi potius dixit, & non potius Diaboli, qui Eccleſiæ hoſtis eſt ; id etiam facile ; quia ſicut de Eccleſia, ita etiam de inferno, ubi Diabolus dominatur, tanquam de Vrbe aliqua loquitur.* Hæc doctiſſimus Maldonatus : vera quidem quantum ad ſenſum ; ſed non bene, me judice, congruunt ad explicationem metaphoræ, & intelligentiam verborum Chriſti.

Breviter igitur mei animi ſenſum in illius metaphoræ explicatione ut aperiam, adverto, Chriſtum non ſolum loquutum fuiſſe de inferis, deque Eccleſia, quaſi de duabus Civitatibus, ut Maldonatus dicebat ; ſed reſpexiſſe quoque ad certamina, quæ in expugnandis, aggrediendiſque Urbibus ex militari peritia haberi ſolent. Licet enim munitiſſima quæque Urbium, ad portarum defenſionem conſtruantur ; & ut plurimum bellica tormenta, atque omnia bellorum machinamenta ad ſubvertendas, expugnandaſque portas Urbium ab hoſtibus dirigantur : tamen non eſt Chriſti ſenſus, quòd Eccleſia bellum diabolo indicens agreſſura ſit inferorum portas ; id ex verbis ſacri textus manifeſtum eſt : non enim dixit, quòd Eccleſia adverſus portas inferorum prævalebit ; quæ neceſſario dicenda fuiſſent, ſi in metaphora illa portarum, ad munitiſſima inferorum loca Chriſtus reſpexiſſet ; ſed è contra dixit : *Et portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*, id eſt Eccleſiam.

Dicendum igitur cenſeo Chriſti metaphoram ſumi à loco reſidentiæ curiæ de more Iſraëlitarum : quæ curiæ, ut ſupra oſtendimus, portarum vocabulo ſignificabantur. Senſus igitur verborum Chriſti eſt, quòd omnia conſilia, ſenatuſconſulta, decreta, ſtatuta, & quicquid ex bellica arte, atque militari peritia a Diabolo, ejuſque ſequacibus, nimirum hæreticis, ſchiſmaticis, & infidelibus, in odium Eccleſiæ comminiſcetur, ac decernetur, adverſus Eccleſiam in Petri Epiſcopatu fundatam minimè prævalebunt. Uſus eſt autem Chriſtus portarum metaphora ; quia ut oſtendimus reſidentia curiæ, & ſenatorum loca, eo tempore in portis habebantur : ac ibi, tam quæ ad bella, quam quæ ad pacem pertinebant, decernebantur. Quamobrem in portis quoque Reges Iſraël electos, acclamatos, atque declaratos fuiſſe diximus. Nec me latet, futuros aliquando quibus hæc à nobis dicta minimè probentur : at qui probent etiam non deerunt ; licet ſic dicta fore velimus ; ut herbam porrigere in certamine parati ſimus ; quotieſcumque alter meliora in ſacris excogitaverit : palinodiam enim recantare, quoties opus fuerit ; veritatem ſectantes non verebimur.

CAP. VIII.

Religio in Rege eligendo ab Iſraëlitis deſiderabatur.

Ad loca Deuteron. 17. *Vt diſcat timere Dominum, ac Deum ſuum, & cuſtodire verba, & cæremonias ejus, quæ in lege præcepta ſunt.* 3. Reg. 2. *Obſerva cuſtodias Domini Dei tui, ut ambules in viis ejus, & cuſtodias cæremonias ejus, & præcepta ejus, & judicia, & teſtimonia ; ſicut ſcriptum eſt in lege Moyſi, ut intelligas univerſa, quæ facis & quocumque te verteris.* & ad alia plura loca &c.

A PIETATEM cum primis, ſummique numinis cultum, & in proximos charitatem, veteres omnes nationes, in Regibus, Principibuſque Reipublicæ expetiviſſe, ſacra oracula, prophanæque hiſtoriæ ubique tradidere : ex veteribus monumentis multa hic afferri poſſent, quæ rem hanc illuſtrarent : illis tamen prætermiſſis pauca ſubinferam.

Teſtis enim adeſt unus, inter antiquiora antiquiſſimus Decreti cujuſdam ex ruderibus Orientis erutus noſtris his temporibus, opera Comitis Arundeliæ : ibi namque Decretum Smyrnæorum habetur : (quod antiquis, & majuſculis characteribus in lapi- B de, nunc uſque conſpicitur.) à Smyrnæis in fœdere inito cum Seleuco Rege conſtabilitum : in quo hæc ad rem noſtram leguntur : ὁ δὲ καὶ βασιλεὺς εὐσεβῶς τὰ πρὸς τοὺς Θεοὺς διακείμενος, καὶ φιλόστοργος τὰ πρὸς τοὺς γονεῖς, μεγαλόψυχος ὢν, καὶ ἐπιστάμενος χάριτας ἀποδιδόναι τοῖς ἑαυτὸν εὐεργετοῦσιν. &c. Multa alia de Seleuci virtutibus ibi leguntur : quæ ſanè omnia cum his, quæ retulimus majuſculis, & antiquis characteribus conſcripta cum ſint ; tamen communibus litteris reddidimus, ut lectio, illorumque verborum intelligentia facilior aſſequeretur, quæ talis eſt : *Vnde & Rex ipſe Seleucus religioſe in his, quæ ad Deorum cultum pertinent deditus, & porro ſtudioſus in his ;* C *quæ ad parentes ſpectant, & magnanimus, & inſiſtens in reddendo gratias beneficis erga ipſum &c.* Quo in Seleuci encomio, inter enumeratas virtutes regias, cultus Numinum primo in loco recenſetur. Ut propterea non tam populum ſuaviter ac benignè regere, noxios punire, bonos promovere, lites diſſolvere, ſubditoſque pacatos reddere, regii muneris fuiſſe inde conſtet : quàm etiam (idque potiori loco) pro ſibi commiſſis populis, orare, ſacra facere, oblationes offerre, ſacriſque ritibus numinis iram a ſibi ſubditis avertere, & eiſdem ſummum numen placatum reddere, ad Reges pertinuiſſe ſit manifeſtum.

Hac de cauſa ; ut puto, regiam dignitatem ſacer- D dotali muneri junctam, tam apud Romanos, quam exteros ac etiam reliquos probatos viros comperimus. Ut autem à Perſarum Regibus exordiamur ; in hac ſententia loquitur aliquando Cambyſes Perſarum Rex, cùm Cyrum filium ſibi ſucceſſorem in regno apud Xenophontem lib. 8. de inſtit. Cyri declararet. Sic enim ille, in ea quam ad Proceres regni orationem habuit, loquitur. Καὶ ἕως μὲν ἂν ἐγὼ ζῶ, inquit, ἐμὴ γίγνεται ἡ ἐν Πέρσαις, βασιλεία· ὅταν δ' ἐγὼ τελευτήσω, δῆλον ὅτι κύρου ἐὰν ζῇ. καὶ ὅταν μὲν οὗτος ἀφίκηται εἰς Πέρσας, ὁσίως ἂν ὑμῖν ἔχοι, τοῦτον θύειν τὰ ἱερὰ ὑπὲρ ὑμῶν ἅπερ νῦν ἐγὼ θύω· ὅταν δὲ οὗτος ἔκδημος ᾖ, καλῶς ἂν οἶμαι ὑμῖν ἔχειν, εἰ ἐκ τοῦ γένους ὃς ἂν δοκῇ ὑμῖν ἄριστος εἶναι, οὗτος E τὰ τῶν Θεῶν ἀποτελοίη. Ubi quamvis de regimine Cyri ſibi ſucceſſoris, cum primis Cambyſes, cum Proceribus in ea agat epiſtola : adeo tamen Deorum cultum ejus muneris fore exiſtimat ; ut ſacrificiis populos expiare, Cyro ut Regi curandum fore Cambyſes tradat ; ut ſive præſens, ſive abſens, id Cyro cordi fore cum primis velit. ſic enim illa verba Xenophontis interpretantur : *Et quouſque quidem ego vixero, meum erit in Perſis regnum : quando autem ego mortuus fuero ; certum eſt, quia Cyri,* ſupple erit, *ſi vixerit : & quum ipſe in Perſas venerit, rectè quidem vobiſcum aget, ſi ſacra pro vobis fecerit, quæ nunc pro vobis ego ſacrifico. Quando autem ipſe peregre profectus* F *fuerit ; ſi ex familia,* ſupple ipſius, *qui à vobis optimus reputabitur, quæ ad Deos pertinent perficiet.* Quæ quidem à Cambyſe ſic dicta ; ſacrificiorum munus regiæ dignitati conjunctum apud Perſas fore planè demonſtrant : ex quibus etiam quanto ſtudio religio, numiniſque cultus Regi Perſarum cordi futurus eſſet ; ſatis evidenter colligitur. Homerus quoque Græcarum cæremoniarum antiquiſſimus cuſtos, in ea

ea quam ſcripſit Iliade, ubique in publicis ac ſolemnioribus ſacris, Agamemnonem ipſum, Regem omnium, totiuſque exercitus Græcorum imperatorem ſacrificantem, victimaſque ſecantem ſcribit. Duo enim veterum ſacrorum, tam apud Romanos, quam Græcos præcipui erant ritus; à quibus ſacrificium exordiebatur: ſetarum nimirum ab hoſtiarum capitibus præciſio, earundemque hoſtiarum mactatio. Utrumque autem in ſolemnioribus ſacris feciſſe Agamemnonem Homerus ſcribit. nam lib. 3. cum de fœdere ſtabiliendo inter Græcos, Trojanoſque agit, ad ſingularis certaminis tutelam, quod futurum erat inter Menelaum, & Alexandrum hæc ſcribit Poëta.

Ἀτρείδης δ᾽ ἐρυσσάμενος χείρεσσι μάχαιραν
Ἥ οἱ πὰρ ξίφεος μέγα κουλεὸν αἰὲν ἄωρτο
Ἀρνῶν ἐκ κεφαλέων τάμνε τρίχας.

Et parum infra ab eodem Agamemnone, eaſdem mactatas hoſtias ſcribit, à quarum capitibus ſetæ præciſæ fuerant: de quo ſic ait.

Ἦ, καὶ ἀπὸ στομάχους ἀρνῶν τάμε νηλέϊ χαλκῷ·
Καὶ τοὺς μὲν κατέθηκεν ἐπὶ χθονὸς ἀσπαίροντας
Θυμοῦ δευομένους . . . .

Ipſe itaque Rex populorum, totius Græcorum exercitus Imperator, Rexque ſacrorum; ſacrificium inchoavit, atque perfecit; ſetas abſcidit, hoſtiaſque mactavit, ſic enim priora jam allata carmina interpretantur.

Atrides autem extrahens manibus cultrum,
Qui ei apud enſis magnam vaginam ſemper pendebat,
Agnorum ex capitibus abſcidit pilos.

Poſteriora etiam carmina, quæ ex Homero retulimus, ſic interpretantur.

Dixit, & jugulos agnorum abſcidit crudeli enſe,
Et hos quidem deponit in terra palpitantes
Anima carentes . . . .

Libro quoque 19. Iliad. in quo Agamemnon interpoſitis ſacris, coram proceribus totius exercitus, ſe à contactu carnali Briſeidis abſtinuiſſe jurat; (eam enim Agamemnon Ulyſſi tunc reſtituebat) eadem ratione ſacrorum, quæ juramenti cauſa, interponebantur, ſetas ipſe præcidit. de quo ita Homerus ſcribit.

Ἀτρείδης δ᾽ ἐρυσσάμενος χείρεσσι μάχαιραν
Ἥ οἱ πὰρ ξίφεος μέγα κουλεὸν αἰὲν ἄωρτο,
Κάπρου ἀπὸ τρίχας ἀρξάμενος . . . .

hoc eſt.


Atrides autem extrahens manibus cultrum,
Qui ei juxta enſis magnam vaginam pendebat:
Apri ſetas delibans . . . . . .

Romanæ quoque Reipublicæ inſtituta exquirere videntur; ut Princeps Religionem cum primis præ oculis haberet: quamobrem adeo Sacerdotium Regio muneri junctum tunc cenſebatur; ut ſine ſacrificulo, qui nomine ſaltem Rex appellaretur, Rempublicam ſtare poſſe minimè à Romanis crederetur. Quod Dionyſ. Halicarn. in principio ſtatim lib. 5. innuit dicens. ἐπειδὴ δὲ πολλῶν, καὶ μεγάλων, ἀγαθῶν αἴτιοι γενόμενοι τοῖς κοινοῖς πράγμασιν ἔδοξαν οἱ βασιλεῖς, φυλάττειν τοὔνομα τῆς ἀρχῆς, ὅσον ἂν ἡ πόλις διαμένῃ χρόνον, βουλόμενοι τοὺς ἱεροφάντας τε, καὶ οἰωνομάντεις ἐκέλευσαν ἀποδεῖξαι τὸν ἐπιτηδειότατον τῶν πρεσβυτέρων, ὃς οὐδενός ἤμελλεν ἕξειν ἑτέρου, πλὴν τῶν περὶ τὰ θεῖα σεβασμάτων τὴν προστασίαν, ἁπάσης λειτουργίας πολεμικῆς ἀφειμένος, ἱερῶν καλούμενος βασιλεύς. Qui Halicarnaſſæi locus ſic ad verbum redditur. *Quoniam autem multorum, & magnorum bonorum auctores reges fuiſſe communibus negotiis videbantur; cuſtodire nomen principatus, quanto tempore urbs ſtaret volentes; Sacerdotes & augures juſſerunt deſignari, idoneiſſimum Seniorum; cui nil aliud curæ eſſet, quam res divina, cui præeſſet omnibus miniſteriis bellicis exemptus, Rex Sacrorum vocatus.* Idem omnino Livius in principio lib. 2. decad. 1. Feneſtella etiam in lib. de Sacerdotiis Romanorum cap. 11. loquens de Rege Sacrorum ait. *Ejus creandi occaſionem dedit, quòd cum nuper exactis Regibus, pleraque Sacra à ſolis Regibus obiri conſueta, regum exactione vacare viderentur; idque moleſtè admodum populus ferret; utpotè quod cultui divino regum exactione videretur derogatum; Sacerdotem creari placuit, quem quo minus eidem auctoritatis ineſſet, regio nomine decorarunt, Sacrorum Regem appellantes.* Quibus auctoribus, Sacrorum cura Regibus demandata, ex antiquis inſtitutis exordientis Romanæ Reipublicæ, ſatis convincitur.

Quamvis verò poſtmodum in Romana Republica corrupta, minimè adeo rigoroſe ea lex ſervaretur; ut Sacerdos à bellicis vacaret ſtudiis; cum ipſimet Imperatores Pontificis nomen admittere minimè verentur: illud tamen Pontificis nomen, uſurpare Imperatores minimè ſunt auſi; niſi cùm nullis bellis Rempublicam vexari ſperarent; aut imperatorem bello turbari minime dubitaretur: tunc enim pace Orbi undique parta, primus omnium Auguſtus Imperator, Summum Pontificatum ſibi aſſumpſit: ut ſcribit Sueton. in Auguſ. cap. 31. licèt nec illud, vivo adhuc Lepido Pontifice maximo, ſed illo fato functo, admittere præſumpſerit. Quod quidem ea ratione Auguſtum admiſiſſe arbitror: non ſolum quòd ſummo jure Pontificis maximi dignitas affici cenſeretur: ſed etiam, ut Reipublicæ jam ſublata libertate, in uno Imperatore, totius regiæ dignitatis integritas, juxta veterem exordientis Reipublicæ conſuetudinem, reſtituta videretur; in qua, ut dicebamus, tam quæ ad Numinum cultum, quàm quæ ad hominum regimen pertinebant, in uno Rege, reponebantur.

Pontificis maximi, ac Sacerdotis munus, Auguſtorum quemquam vix aliquando exercuiſſe legimus. Subſecutos Imperatores poſt Auguſtum, eumdem titulum, idemque nomen ſibi aſſumpſiſſe, lapides, nummique plurimi teſtantur. Et quamvis Adrianum Pontificis maximi munus peregiſſe ex Spartiano in Adriano conſtet: reliquos tamen Imperatores ſolo honore, ac Sacerdotali ſive Pontificatus Maximi nomine contentos: hoſtias ex Sacerdotali, aut Pontificali munere aliquando ad altare attuliſſe, ac obtuliſſe, ſanguine altaria conſperſiſſe, ac idola aſperſiſſe, ſacra, de more, Diis faciendo, nec legi, nec haberi arbitror: etenim cum Ethnici ab Hebræis cæremonias ſacrorum, ac ritus furari non ſint veriti, propterea non eſt dubium plures ac plures in ſacris faciendis eos habuiſſe ritus: nihilominus ex antiquis lapidibus ac monumentis Imperatores aliquid tantum ſanguinis ex mactata à popa victima, cum thure, ac libaminibus in tripode, aut domeſtico titulo repoſuiſſe, comperimus. Quod nummi, ac lapides plurimi teſtantur, ut mox in Auguſti nummo conſpicitur.

Nam quamvis in aliquibus Imperatorum nummis inſtrumenta plurima, non ſolum auguratus, ſed etiam ſacrificiorum, libaminum, luſtrationum, victimariorumque inſignia, atque inſcriptiones conſpiciantur: ut in hoc infra poſito nummo conſpicitur: hæc tamen omnia minimè in his nummis inſculpta fuiſſe credantur; quod hæc ſacerdotalia munia, Imperatores aliquando exercuerint; ſed ut ad eorumdem Imperatorum falſam religionem, & ſuperſtitioſam pietatem oſtentandam, & falſorum quoque numinum cultum diligentiſſimè ab ipſiſmet procuratum



tum, ad poſterorum memoriam remanerent; ea inſculpſerunt ſacrorum inſtrumenta, pietatique dedicarunt. Qui plures alios exoptat videre nummos cum his inſtrumentis, Dialogos Antonii Auguſtini de nummis adeat ſub titulo, Pietas.

In hoc enim, Aſperſorium luſtrationum de cauſa conſpicitur: Simpulus ad vini libationem, Patera ad ſanguinis miniſterium, Præfericulus ad oblationem libaminum, Seceſpita ad mactationem, ac diſmembrationem hoſtiarum, Lituus ad auguria: quibus tamen omnibus, aliquando munia potius eorumdem Imperatorum ante adeptum imperium conſequuta ſignificantur; quàm aliquid ſacerdotalis muneris, quod poſt adeptum Imperium ipſimet exercuerint, aut geſſerint. Quamobrem ea ſolum de cauſa in his nummis Sacerdotiorum inſignia inſculpta cenſeri poſſunt; ut Magiſtratus Imperatorum, & adepti in Republica honores monſtrarentur. Sed ab Ethnicis, & prophanis ſacris recedentes in præſentiarum, veriora exquiramus.

Sacra jam repetamus oracula; in quibus naturæ ſeculo, nimirum ante latam legem, regium honorem Sacerdotio conjunctum fuiſſe ſcimus, ex illo Geneſ. 14. in quo de Melchiſedecho ſermo eſt: quem Sacerdotem, ac Regem extitiſſe, ſacriſque oblationibus Abrahamo revertenti à cæde Codorlahomor occurriſſe ſcribitur, his verbis: *At verò Melchiſedech Rex Salem*, inquit ſacer textus, *proferens panem, & vinum, erat enim Sacerdos Dei altiſſimi; benedixit Abrahæ, & ait &c.* Rex quidem adeò juſtus Spiritu Sancto teſte; ut nomen ipſius ab ipſo Apoſtolo, Rex juſtitiæ interpretaretur. Sacerdos quoque adeo ſanctus, ut typum expreſſerit Salvatoris noſtri: quod David in Pſal. 109. tradidit dicens ad Chriſtum: *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* Et Paulus ad Hebræos ſcribens, idipſum ex eiſdem verbis confirmat. Sacerdos denique tantæ virtutis, ut Abraham decimaverit: ac in eo pariter Sacerdotium Aaronis decimas eidem obtulerit; ut Apoſtolus obſervavit: nobis tamen ſufficiat in Melchiſedecho Sacerdotium, Regiumque principatum, legis naturæ ſeculo junctum agnoviſſe; atque numinis cultum ac religionem, Regibus cum primis commendatam ſemper extitiſſe.

Quamvis verò poſtmodum, Deo principatum Iſraëliticæ Reipublicæ adminiſtrante, neceſſariò Sa-
C cerdotium à principatu diviſum fuerit; ne ille ipſe Princeps, qui offerret, & cui offerebatur, inviſibilis foret; cum hoc ad rempublicam, quam Deus inſtituebat, minus congruum videretur. Viſibilibus etenim peccatoribus, ac peccatis, viſibilia quoque in ſacrificiis medicamenta præſtanda cum forent; neceſſario quoque viſibiles miniſtri, ac Sacerdotes inſtituendi erant: qui ſacris à Deo inſtitutis, populo eumdem placarent, ac propitium redderent: nihilominus ne princeps à religione alienus, aut immunis cenſeretur, pietatem, cultumque Numinis cum primis Regem Iſraëliticum colere ſuis legibus
D cavit Deus, Deuteron 17. verba faciens de Regis inſtitutione, ſi quando regiam adminiſtrationem populus expetiviſſet. *Poſtquam autem*, inquit, *ſederit in ſolio regni ſui, deſcribet ſibi Deuteronomium legis hujus in volumine; accipiens exemplar à Sacerdotibus Leviticæ tribus: & habebit ſecum, legetque illud omnibus diebus vitæ ſuæ; ut diſcat timere Dominum Deum ſuum, & cuſtodire verba, & cæremonias ejus, quæ in lege præcepta ſunt.* Quibus verbis, tam quæ Religionem, Numiniſque cultum, quàm quæ proximorum ſalutem reſpiciunt, brevi oratione comprehenduntur, Regique à Deo commendantur.

Ut verò praxis doctrinæ à Deo traditæ, Regiæ
E inſtitutioni reſponderet, antequam Saulis electionem ſcribat ſacer textus; de moribus ejus hæc ait. *Erat ei*, ſupple Ciſo, *Filius vocabulo Saul, electus, & bonus, & non erat vir de filiis Iſraël melior illo.* Hic enim, ut ſanctus Gregorius exiſtimat, & Abulenſis advertit, animi bona, ornamentaque virtutum Saulis intelliguntur. Ejuſdem quoque Saulis religio, ac pietas 1. Reg. cap. 10. inſinuatur. Statim enim ac Saul à Deo Rex electus ſcribitur; Dei ſpiritum in eum inſiluiſſe traditur his verbis: *Itaque cùm avertiſſet humerum ſuum, ut abiret à Samuele, immutavit ei Deus cor aliud. Veneruntque ad prædictum collem, & ecce cuneus prophetarum obvius*
F *ei; & inſiluit ſuper eum Spiritus Domini; & prophetavit in medio eorum:* id eſt una cum ipſis. Cap. etiam 16. in quo de unctione David in eadem ſententia agitur: divino ſimiliter ſpiritu David afflatus dicitur his verbis: *Tulit ergo Samuel lenticulam olei, & unxit eum in medio fratrum ejus: & directus eſt ſpiritus Domini à die illa in David; & deinceps.* Et cap.

cap. 2. lib. 3. Reg. in quo David morti jam vicinus & Salomone filio ſuo Rege jam declarato, atque in conventu procerum inaugurato, poſtrema præcepta tradidit: inter priora capita, cultum Dei illi commendat dicens: *Obſerva cuſtodias Domini Dei tui, ut ambules in viis ejus, ut cuſtodias cæremonias ejus, & præcepta ejus, & judicia, & teſtimonia, ſicut ſcriptum eſt in Lege Moyſi: ut intelligas univerſa quæ facis, & quocumque te verteris.* Cap. quoque 11. ejuſdem libri, Jeroboam Dei nomine ab Ahia Silonita futurus Rex Iſraël prænunciatur: cum primis verò eidem Dei cultus injungitur his verbis: *Si igitur audieris omnia, quæ præcepero tibi, & ambulaveris in viis meis, & feceris quod rectum coram me &c.* Ex quibus ſanè locis hucuſque allatis, manifeſtè conſtat religionem, atque divinum cultum cum primis in Rege quocunque ex ipſis divinis oraculis exquiri; non quidem, quòd Rex in Republica Iſraëlitica munere Sacerdotali inſignitus in altari hoſtias oblaturus eſſet; cum hæc ad Pontificem minoreſque ſacerdotes, ſpectarent: ſed quòd Rex ratione generis, ac gentis, juxta cæremonias à Deo illi populo traditas, Dei cultum cum primis ſibi curandum certò ſciret. Quamobrem juramento, ut infra videbimus, ad obſervantiam Moſaicæ legis in his, quæ ad cæremonias pertinebant, Rex adſtringebatur.

Illuſtrant hæc, quæ diximus, metaphoram Prophetæ in Pſal. 45. in quo licet epithalamium Chriſti, & Eccleſiæ canatur; Chriſtique Regis encomia in eo pſalmo prædicentur: ſub metaphora tamen Regis, regiæ quoque virtutes ad illorum temporum conſuetudinem deſcribuntur. Nam verſ. 7. electionis regiæ rationem aſſignat Propheta pietati Divinoque cultui, tamquam ad potiora capita, cæteris quodammodo prætermiſſis, dicens: *Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem: propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ.* Nomine autem juſtitiæ cum primis in Scripturis ſacris, obſervantiam ſacrorum rituum in ſacrificiis à Deo inſtitutis, & in legalibus munditiis ſignificari conſtat. Quod his nimirum cæremoniis, juſtificarentur veteres legis Moſaicæ ſectatores: illius quoque legis obſervantiæ, à Propheta annectitur æquitas per reſpectum ad ſubditos; quam cum primis Princeps curare debet; ut juſtus ipſe efficiatur: propterea ſubditur in textu Pſalmi, *& odiſti iniquitatem.* His enim duabus virtutibus, Princeps Dei cultorem religioſiſſimum ſe demonſtrat: Quamobrem ſupra in eodem Pſalmo Propheta cuncta futura proſpera Regi auguratur, ſi virtutibus ornatus in his continue ſe exercuerit, ac proinde ſubintulit: *Propter veritatem, & manſuetudinem & juſtitiam, deducet te mirabiliter dextera tua.* Et quamvis ex vi hebraici textus nonnulli de rigoroſa vocum in hoc loco Pſalmi ſignificatione digladientur; nihilominus eodem ſenſu loquutum noſtrum vulgatum interpretem, cum hebraico exemplari, viris doctis ſatis perſpectum eſt: religionemque cum primis, Regi à Deo commendari, ubique in locis ſacrorum oraculorum omnibus liquet.

CAP. IX.

Faciei majeſtas, militariſque peritia, Principatus erant notæ.

Ad loca 1. Reg. cap. 10. *Stetitque in medio populi, & altior fuit univerſo populo ab humero, & ſurſum.* Ibid. cap. 16. *Erat autem rufus, & pulcher aſpectu, decoraque facie.* Pſ. 44. *Specie tua, & pulchritu-*

A *dine tua, intende, proſpere procede, & regna.* Ibid. *Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime.* & ad alia.

ORIS Majeſtas, ac decor in Principe à populis cum primis expetitur. Probat hoc, vel illud commune dictum Porphyrii: *Species Priami digna eſt imperio:* ſive ut alii legunt, ϖρῶτον μὲν εἶδος ἄξιον τυραννίδος. hoc eſt, *prima quidem ſpecies digna eſt imperio*; ubi ſpecies pro forma, decoroque alicujus aſpectu accipitur. Cæterum apud Cathenam urbem Indicam, Stephano, & Strabone au-

B ctoribus, uſque eo conſurgunt in admirationem pulchritudinis, ut regem eum eligant, qui ſit pulcherrimus. Corporis enim alicujus pulchritudo, ex debita partium commenſuratione, ac diſpoſitione, ſecundum quantitatem, colorem, figuram, atque formam cum emergat; forma quoque ipſa, atque pulchritudo ex ea diſpoſitione reſultans, majoris perfectionis individualis eſt nota: cumque omnis noſtra cognitio incipiat à ſenſu, propterea ad eam partium, ac membrorum perfectionem, ingenii quoque acumen, atque in rebus agendis dexteritas, prudentiæ, virtuti conjuncta refertur: quamobrem à ſpeciei forma, decoroque aſpectu, dignitatem Imperii, ac

C Principatus notas agnoviſſe veteres, minimè mirum fore debet. Teſtis eſt Ariſt. in 4. polit. cap. 4. apud Æthiopes magiſtratus pulchrioribus tradi conſueviſſe. Seneca quoque lib. 1. de Clement. cap. 19. & Baſilius hom. 8. in exameron, inter apiculas pulchriorem, ac formoſiorem regnum tenere referunt: quaſi naturali quodam jure formoſiori regnum debeatur. Ab aſpectu enim Agamemnon cæterorum Rex adjudicatur à Priamo apud Homer. lib. 3. Iliad. verſ. 166. ubi ſic Priamus ad Helenam:

Ὅς τις ὅδ' ἐςὶν ἀχαιὸς ἀνὴρ ἠΰς τε μέγας τε.
D Ἤτοι μὲν κεφαλῇ καὶ μείζονες ἄλλοι ἔασι·
Καλὸν δ' οὕτω ἐγὼ οὔπω ἴδον ὀφθαλμοῖσιν,
Οὐδ' οὕτω γεραρόν. Βασιλῆι γὰρ ἀνδρὶ ἔοικε.

A ſtatura enim, à pulchritudine, & optima membrorum diſpoſitione, Priamus argumentatur, illum quem ita conſpicuum eſſe animadvertebat, totius exercitus Imperatorem, Regemque fore. Sic enim interpretantur ea carmina.

Quis nam iſte eſt Achivus vir, latuſque, magnuſque?
Certè quidem capite & altiores alii ſunt;
Pulchrum autem adeo ego nondum vidi oculis,
E *Nec adeo honorabiliorem. Regi enim viro ſimilis eſt.*

Ne verò à ſacris recedamus oraculis; ab hac etiam ſpeciei forma, & ſtatura cæteris ſuperiori, minimè putandum eſt caſu laudari Saul in ſacris oraculis, quibus nihil fruſtra ſcribitur; ſed propterea aſpectum illius, ac formam in ſacris oraculis celebrari dicemus lib. 1. Reg. cap 10. ut decore faciei ejuſque aſpectu, merito in eo collocatum Reipublicæ principatum intelligatur. Statim enim ac Rex electus Saul ſcribitur, illico de ſpecie, decoroque illius aſpectu, in ſacro textu agitur, his verbis: *Stetitque in medio populi, & altior fuit univerſo populo ab humero, & ſurſum.* Cujus equidem ſtaturæ

F ratio, ac exceſſus, per reſpectum ad reliquorum ſtaturam, regiæ dignitati propria, ubique à Virgilio conſtituitur; nam lib. 1. Æneid. Didonis majeſtatem ſcribens ait:

Exercet Diana choros, quam mille ſecutæ
Hinc atque hinc glomerantur Oreades: illa pharetram

Fert

Fert humero, gradienſque Deas ſupereminet omnes,
Latonæ tacitum pertentant gaudia pectus.
Talis erat Dido, talem ſe læta ferebat.

In illa namque ſupereminentia ad reliquas Dianæ atque Didonis regiam majeſtatem Poëta conſtituit. In eodem quoque libro, à phraſi Sacri hujus noſtri textus, ferè nihil ſeſe elongans Poëta, de majeſtate regia Æneæ, ut primum conſpectus eſt à Didone, ſic loquitur.

Reſtitit Æneas, claraque in luce refulſit,
Os humeroſque Deo ſimilis: namque ipſa decoram
Cæſariem nato genitrix, lumenque juventæ
Purpureum, & lætos oculis afflarat honores.

Lib. quoque 7. in quo Turni regiam majeſtatem deſcribit Virgilius, adamuſſim Saulis formam cum ſacris litteris deſcripſiſſe videtur: quia verò aſpectus valoris, ac militaris peritiæ quoque nota erat, utrumque Poëta in Turno reſpiciens dicebat.

Ipſe inter primos præſtanti corpore Turnus,
Vertitur arma tenens, & toto vertice ſupra eſt.

Quam verò imperiali majeſtati, regiæque dignitati forma Saulis correſponderet; Joſephus lib. 6. antiq. cap. 5. teſtatur, hanc eandem hiſtoriam his verbis referens. *καὶ παραγενόμενον ἵστησι μέσον τοῦ πλήθους· ἐξεῖχε δὲ ἁπάντων, καὶ τὸ ὕψος ἦν βασιλικώτατος·* hoc eſt: *Etiam adveniente*, ſupple Saule, *Samuel ſtatuit eum in medio multitudinis; excedebat autem omnes, & ſtaturæ erat regiæ.* Equidem adeo ſtatura aſpectuque ſuo, regiam dignitatem Saul præ ſe ferebat; ut in illius admiratione Samuelem ad Iſraëliticos populos, ac Senatores hæc acclamaſſe, atque dixiſſe referat ſacer textus: *Certè videtis quem elegit Dominus, quoniam non ſit illi ſimilis in omni populo.* Et cap. 16. ejuſdem lib. 1. Reg. ubi de unctione Davidis agitur, deque illius divina electione ad regnum; ſtatim de aſpectu quoque imperii quidem digno agitur his verbis n. 12. *Erat autem rufus & pulcher aſpectu, decoraque facie.* Capite etiam 17. in quo Davidis adverſus Philiſtæum pugna deſcribitur, forma illius in ſacro textu celebratur: ut regium Davidis aſpectum cum valore, militarique virtute conjunctum contemplentur omnes & in Davide ab eo uſque tempore, regni præſagia à populo conſpicerentur. Lib. quoque 2. Reg. cap. 14. in quo de Abſalone agitur; antequam ſacer textus illius ad regnum tentamenta referat, aſpectus illius vim decoremque ſcribit dicens: *Porrò ſicut Abſalon vir non erat pulcher in omni Iſraël, & decorus nimis; à veſtigio pedis uſque ad verticem non erat in eo ulla macula.* De affectato regno ab Adonia ſcribitur lib. 3. Reg. cap. 1. nec ea occaſione oris illius majeſtas tacetur; ſed dicitur: *Erat autem & ipſe pulcher valde.*

Regio aſpectu, & valore, loca Pſalmi 44. illuſtrantur, in quibus de forma, valoreque regio agitur. Et quidem à forma ac valore perſonæ ſumptis argumentis, regnum Meſſiæ ſub Salomonis figura eidem conceſſum merito ſcribitur in illis verbis: *Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime.* Eſt enim hæc dictio *Potentiſſime,* epithetum Meſſiæ Regis ſub figura Salomonis; quod quidem epithetum ſive adjunctum, Græcè per vocem *δυνατέ*, Hebraicè verò per vocem גִּבּוֹר *ghibor* exprimitur. Quæ vocabula, lingua vernacula italica, interpretarentur propriè per hanc *il valoroſo*; ad ſubindicandum his vocabulis regis valorem, militaremque peritiam. Quam ob cauſam Rex ad ſumendum arma adverſus hoſtes propterea excitatur: & ab aſpectu, regiaque forma virtus militaris in eo à Propheta com-

A mendatur. Hoc enim argumento à forma ſumpto utitur Virgil. lib. 7. Æneidos, cùm Turnum contra Teucros, qui cum Ænea in Latium advenerant, expeditionem parare ſic ſcribit:

Hunc decus egregium formæ movet, atque juventæ,
Hunc atavi Reges, hunc claris dextera factis.

Tres enim Poëta cum primis cauſas affert, ex quibus Turnus ad bellum regni cauſa compellebatur; formam nimirum, nobilitatem antiquam, & res ſumma cum laude ab eo geſtas. Sed redeamus ad noſtri Prophetæ verba, ex quibus ad formam illa pertinere conſtat: *Speciosus forma præ filiis hominum: diffuſa eſt gratia in labiis tuis*; & quæ ibidem parum
B infra ſubinferuntur in eadem ſententia: *Specie tua, & pulchritudine tua.* Quibus quidem duobus capitibus, meritò illi regnum deberi Propheta colligit; & Deus quoque commendatur quod tali viro regnum tradiderit: quamobrem ſubintulit Propheta, *Propterea benedixit te Deus in æternum.* Qua ſanè dicendi phraſi, regnum æternum Regi, iis addictum notis prænunciatur.

Parum quoque infra, ab eodem Propheta peritia militaris ejuſdem Regis commendatur, quæ nimirum regio aſpectui ac formæ conjungebatur: quamobrem victorem quoque in prœlio Regem eundem futurum Propheta auguratur his verbis, *intende proſ-*
C *pere, procede & regna.* Quæ varia vocabula, ad explicationem hebraici vocabuli רְכַב *rechabh* ibi poſiti potius faciunt, quam rem ipſam explicent. Nam per verbum *equita* ad ſignificandum equorum uſum, illud vocabulum רְכַב *rechabh* interpretandum videretur; ſi latine ſic loqui liceret. In eo enim vocabulo pugnandi rationem reſpexit Propheta, illoque virtus militaris in Rege quæſita explicatur. Etenim armorum ſcientiam, rerumque bellicarum peritiam in Principe neceſſariò requiri norunt omnes: propterea namque ſupremam ſedem in republica, militarem gradum tenuiſſe; Regibuſque Reſpublicas hanc dediſſe perſpicuum eſt.

D Certè Diodorus Siculus lib. 4. antiq. auctor eſt, apud Æthiopes ad optimum quemque regnum deferri ſolitum; adde pulcherrimum, & pugnaciſſimum. Regum enim inſtitutionem, ab exercitus, & militum in expeditionibus regimine, ductam fuiſſe, ſacris ex oraculis ſubodoratur. *Erimus enim & nos*, dixerunt Iſraëlitæ lib. 1. Reg. cap. 9. ad Samuelem, *ſicut & reliquæ gentes*; & petierunt Regem, ut Dux eis in prœlio eſſet, dicentes: *Et pugnabit bella noſtra.* Quia igitur ab exercitio armorum, rerumque ad bellum ſpectantium, exercitus nominatur, propterea Regem, cujus muneris cum primis eſt Ducem ſe in exercitu præbere, exercitatiſſimum
E quoque eumdem eſſe neceſſe eſt, in his quæ ad bellum pertinent; in laboribus enim omnibus, quibus humana corpora indurantur, Reges verſari, commendatione dignum ab omnibus cenſetur. Quamobrem plures hinc Imperatores, Reges, Principes, atque exercituum Duces laudantur; quòd in ipſo armorum exercitio gregariorum militum labores non abhorruerint. Vegetius lib. 1. de re milit. cap 8. illis verbis, *Tyronibus per quotidiana exercitia demonſtretur doctrina armorum in jactu miſſilium, in tractando ſcuto, in vitandis ictibus*, Impe-
F ratorum, ac Ducum munera id eſſe oſtendit. Niſi enim in his Duces quam diligentiſſimè ſtuduerint, de victoria actum fore ſciant. Scribit namque Valerius Maximus, quòd cum Scipio in Africam expeditionem aliquando pararet; quæreretque aliquis ab eo, qua re fretus claſſem educere in Africam contenderet; nullo reſponſo dato, viros ſeſe exercentes, corporaque laboribus indurantes interroganti monſtravit. Sic enim indurata corpora ad

res

res bellicas aptiora , promptioraque fore nota res eſt.

Sed ſacris ex oraculis hæc ipſa deducantur, ac demonſtrentur : nec prætereamus, quòd Deus cùm Ducem aliquem, ac conſulem Iſraëlitico exercitui per deſerta præficere vellet ; contemptis his, qui cum Pharaone in Ægypto armorum ſcientia, peritiaque belli illuſtres erant ; unum Moyſen è deſertis, ac montium, ſcopulorumque anfractibus erutum elegit; ut etiam Clemens Alexand. lib. 1. ſtrom. ad fin. & Philo lib. 1. de vita Moyſ. adnotarunt. Quodque magis mirandum videtur : dum is in curia Pharaonis verſabatur, atque veluti regni ſucceſſor ab ipſis regni proceribus veneraretur, nullius fuit apud Deum loci; verùm ſtatim ac poſtmodum per quadraginta circiter annos inter ſaxa, & ſolitudines, inter feras animaliaque ſilveſtria, in paſcendis gregibus Jethro ſacerdotis Madianitidis, vitam duxiſſet; membraque induraſſet ; tunc a paſcendis gregibus à Deo Iſraëlitico exercitui Dux, ac Imperator præficitur. Saulem etiam à cura aſinarum, ab agreſti vitæ genere ad regnum Deus evehere ſtuduit. Simili modo David à paſcuis ad regnum aſſumpſit. Solius omnipotentiæ oſtentandæ gratia ; non autem aliqua ratione politica, hæc à Deo fieri aliqui minus peritè exiſtimabunt : at mihi, non tam ad rationem omnipotentiæ, quàm etiam ad veræ politicæ rationem Deum reſpexiſſe omnino dicendum videtur, in aſſumptione Moyſis ad ductum Iſraëlitici exercitus, Saulis, & Davidis ad Reipublicæ Iſraëliticæ regimen. Etenim Plin. lib. 18. hiſtor. cap. 5. & Cato quoque de re ruſt. in principio, (quibus conſentiunt quotquot militaria tractant) *ex agricolis*, inquiunt, *& viri fortiſſimi, & milites ſtrenuiſſimi gignuntur.* Quia igitur membrorum corporeorum durities, cum primis in milite, ac Duce deſideratur, & animus quoque ad difficillima aggredienda, nec non etiam aciei diſponendæ recta ratio in Rege requiritur ; quæ omnia paſtores in paſcendis gregibus experiuntur ; propterea Deum, ex regulis militaris peritiæ, ex hoc genere hominum ad Iſraëliticæ Reipublicæ regimen Reges, Duceſque aſſumpſiſſe putandum eſt ; ut etiam in mirabilibus operandis, à ſuavi rerum natura non recederet.

Nam præterquam quod in paſcendis gregibus, paſtores nociva declinare, propriiſque gregibus proficua curare diſcunt ; modum etiam aggrediendi propulſandique feras, lupos, ac leones in ſolitudinibus intelligunt. Sacra oracula hæc ipſa nobis tradidere lib. 1. Reg. cap. 17. Cum enim David puerulus, Philiſthæum illum aggredi non dubitaret, qui toti exercitui Iſraëlitico timori erat ; interrogareturque à Saule, qua fretus arte Philiſthæum, in tractandis armis peritiſſimum, ſtaturæ giganteæ, proceritatiſque eximiæ, aggredi auderet ; nullum aliud argumentum in medium attuliſſe conſtat, niſi paſtoralis vitæ exercitia. *Paſcebat*, inquit David, *ſervus tuus patris ſui gregem ; & veniebat leo, vel urſus, & tollebat arietem de medio gregis, & perſequebar eos, & percutiebam, apprehendebamque mentum eorum, & ſuffocabam, interficiebamque eos ; nam & leonem, & urſum interfeci ego ſervus tuus. Erit igitur & Philiſthæus hic incircumciſus quaſi unus ex eis.* Qua ſanè arte David fretus, Philiſthæum aggreditur, proſtrat ac interficit. Meritò igitur cum hoſtium congreſſus, eorundemque propulſatio, Regum, ac Ducum potiora ſint munia ; propterea nemo aptius exercitibus, rebuſque publicis præfici poſſe videtur, ex doctrina ſacrarum litterarum, quàm ovium paſtores, quique in paſcendis gregibus, longa experientia, principatus munia ſint edocti.

Cujus enim fuerit virtutis Moyſes in re bellica, A plurima ſacrarum litterarum monumenta teſtantur : cum primis verò, quòd ſolus cum hominibus Leviticæ tribus, qui ad illius partes ſponte declinaverant, totum Iſraëliticum exercitum ſexcentorum millium armatorum, ad necem aggredi non eſt veritus, propter vituli adorationem, Idololatriæque crimen : quo in conflictu ſupra triginta millia hominum interfecit. Cujus etiam fuerit virtutis Saul, teſtis eſt David. Qui cùm aliquando 2. Reg. cap. 1. mortem illius deploraret, ac inter lacrymas ejuſdem militaris virtutis laudes celebraret : *Gladius Saul non eſt reverſus inanis*, inquit. Et ibidem à tractando ſcuto, eumdem laudans, *clypeus fortium*, inquit, B *clypeus Saul.* Quaſi dicere vellet, quod eo ducente milites, tuti, ac ſecuri incedebant omnes, quodque ſcutum Saulis in genere gregariorum militum non erat reponendum ; neque Saulem ſcutum tractaſſe, eo modo quo milites plebeji illud tractant; ſed inter illuſtres heroas primam eum obtinuiſſe ſedem. Cujus etiam virtutis David fuerit, ſacra oracula teſtantur ſexcentis in locis : ſufficiant ea, quæ Iſraëliticæ puellæ illi revertenti à cæde Goliæ occurrentes præcinerunt : dicebant enim, *Saul percuſſit mille, & David decem millia.* Et præter innumera ſacrarum litterarum monumenta, quibus bellicæ artis peritia Davidis in expugnandis oppidis ac urbibus, in C aggrediendis, ac propulſandis hoſtibus demonſtratur : quæ de expugnatione Urbis Jeroſolymitanæ, (quæ Jebuſæorum Regum ſedes erat,) in Sacris referuntur libris ; planè Davidis in re militari virtutem demonſtrant præclariſſimam ; ita ut 2. Reg. cap. 23. de illo dicatur : *Octingentos interfecit impetu uno.*

Regis itaque peritia militari, ab hoſtium incurſibus ſubditi liberantur : ut in pace quieti degant ; dominiorum fines ac jura tueantur ; atque etiam dilatentur; ſi quando juſta belli ratio id popoſcerit. Nam præterquam quod ex his, quæ jam ſupra docuimus, ſatis hæc probata remanent ; hanc etiam D unam rationem Deum ad populum Iſraëliticum in Synai attuliſſe conſtat, cum de propria electione ad Principatum Reipublicæ Iſraëliticæ Deus ageret, dicens : *Vos ipſi vidiſtis*, Exo. 19. *quæ fecerim Ægyptiis, & quomodo portaverim vos ſuper alas aquilarum, & aſſumpſerim mihi.* Quorum verborum intelligentia paraphraſticè explicata hæc eſt. Vos ipſi vidiſtis quanta ſit mea bellica virtus, qua ratione auſus temerarios & obſtinatos Ægyptiorum retuderim : tanta quidem ipſorum ſtrage, ut ne unus ex illis omnibus ſuperfuerit vivus ; at ex vobis verè nec unus in toto veſtro exercitu fuerit deſideratus ; aut paſſus ſit aliquod diſpendium ; nec etiam hoſtili gladio vel E telo leviter ſaltem offenſus doluerit : immo quemadmodum pulli aquilarum inoffenſi, huc illucve ſuper alas à matre circumferuntur ; ita vos omnes inoffenſos hùc ad Synai, invito etiam Pharaone deduxerim : & ne ab his quæ pacis ſunt me abhorrere putaretis, hæc ipſa cum Pharaone tractare minimè prætermiſi : nam miſſis legationibus Pharaonem meo nomine orari juſſi ; ut vos ad deſerta Synai exire permitteret : cùmque id ille concedere renuiſſet, arma tractare coactus ; voluerit aut noluerit, hùc vos ad montem Sanctum adduxi. Is eſt ſenſus illorum verborum, quæ jam recitavimus ex cap. 19. Exo. in quibus præmiſſis, quæ de virtute F bellica, peritiaque tractandi arma in Principe requiruntur ; principatum gentis Iſraëliticæ ſe admiſſurum Deus ſpondet ; atque ſi conſenſum dederint, in æternum illorum Rempublicam ſtabiliturum, & ſacris optimiſque legibus eamdem communiturum promittit. Quamobrem ſubintulit : *Si ergo audieritis vocem meam, & cuſtodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis : mea eſt enim omnis terra :*

ra : & vos eritis mihi in regnum Sacerdotale , & gens ſancta. Hæc ſunt verba quæ loqueris ad filios Iſraël. Hæc Deus ad Moiſen ait ; quibus conſenſum filiorum Iſraël , ſuique ipſius electionem in Principem Iſraëliticæ Reipublicæ , ſe expetere , atque expectare in bonum ipſorum aperuit , hac conditione, ut pacta cum eo tanquam cum Principe firmarentur ; & à fœderibus Iſraëlitæ minimè declinarent.

Præmiſit autem Deus in hac ad populum allocutione , quas uſque tunc ediderat actiones militares ; quia hæc ſunt , quibus populus aliquis ad electionem alicujus in Regem, ac Principem facile movetur. Eodem quippe omnino titulo cap. 8. Judic. Iſraëlitæ de eligendo Gedeone in Principem agunt ; virtuteque bellica , quam in eo noverant, ſe motos affirmant. Quæ ſic in ſacro textu n. 22. referuntur : *Dixeruntque omnes viri Iſraël ad Gedeon : Dominare tu noſtri , & filius tuus , & filius filii tui : quia liberaſti nos de manu Madian.* Quinimo cum primum Deum in Principem populi , ab Iſraëlitis cap. 19. Exo. electum fuiſſe legimus : tam æquo animo Iſraëlitici exercitus curam aſſumpſit ; deque re bellica adeò gloriabatur , ut nullo alio titulo magis celebrari cuperet ; quam de militari virtute : qua quidem veluti cæteris honorificentior, etiam in cœleſtibus ab Angelis , & Seraphicis ſpiritibus laudatur , Deus exercituum appellari voluit : & hoc eſt Iſraëlitici exercitus Imperator , ut Romanè loquamur , & ſapiens militarium acierum diſpoſitor , ac ordinator.

Communi etiam argumento à militari virtute ſumpto , populi excitabantur , ut aliquem in principem eligerent. Quamobrem ex veteri loquendi phraſi , militaris virtus , fortiterque ab aliquo in bello geſta , electoribus , atque proceribus alicujus Reipublicæ conſideranda proponi ſolebant , cum de alicujus electione ageretur : hinc filii Iſraël cùm Regem à Samuele poſtularent ; cui contrarium ſuadenti noluerunt acquieſcere , ſed omnino 1. Reg. 8. n. 19. dicebant : *Nequaquam , Rex enim erit ſuper nos , & erimus nos quoque ſicut omnes gentes : & judicabit nos Rex noſter ; & egredietur ante nos , & pugnabit bella noſtra pro nobis.* Ex quibus ſanè ſacri textus verbis , & aliis jam allatis locis, manifeſtum eſt, militarem virtutem , ex phraſi ſacrorum oraculorum, rationem fore , ut principatus à populo alicui deferatur.

Advertantur adhuc intimius obſecro , ſacris ex oraculis , motiva procerum Iſraëlitarum , cum Regem à Samuele poſtulare decreverunt : ex his enim apertiora adhuc erunt , quæ de militari virtute in Principe quæſita diximus : timor enim tunc Iſraëlitis incuſſus ex bello , quod adverſus illos Rex Ammonitarum parabat ; eoſdem ad Regem petendum compulit. namque Proceres Iſraëlitæ Samuelem ſenuiſſe adverterant ; & filios Samuelis à recta ratione principatus declinaſſe. Samuelem igitur adierunt , deque Rege ſibi conſtituendo cogitarunt. Plana ſunt hæc ex cap. 12. lib. 1. Reg. in quo cùm Samuel vellet coram populo & Rege , ſeipſum juſtificare in depoſitione regiminis, objicit eis rationem, propter quam Regem petierint dicens : *Videntes autem , quod Nahas Rex filiorum Ammon veniſſet adverſus vos , dixiſtis mihi : nequaquam , ſed Rex imperabit nobis ; cum Dominus Deus veſter regnaret in vobis.* Nec præterire licet dictionem illam *nequaquam*, qua, me judice, ſubindicatur, Samuelem propoſuiſſe Senatoribus Deum Ducem futurum eis in eo bello Ammonitarum , vel aliquem alium ſe declaraturum, qui adverſus Ammonitas , populum ac delectum militem tuto deduceret ; forſitan etiam aliquem ex propriis filiis ducem eis propoſuit : quem cum acceptare noluiſſet ; propterea in textu proceres reſ-

A pondiſſe ſcribuntur : *Nequaquam , ſed Rex imperabit nobis.*

Cumque Regi à Deo deſignato , Samuel , & alii applauderent ; ſalutem , ac victoriam de Ammonitis ab aſpectu Saulis , eiſdem ille auſpicatur dicens: *Certè videtis , quem elegerit Dominus , quoniam non ſit illi ſimilis in omni populo.* Contrario argumento , hi qui tunc reſpuebant Saulem utebantur : quod nimirum nulla militari virtute præditus cenſeretur, ac dicebant 1. Reg. cap. 9. n. 27. *Num ſalvare nos poterit iſte ? & deſpexerunt eum* , inquit ſacer textus. Exiſtimabant enim illum minimè ad regnum aptum,
B quod militaris peritiæ , atque virtutis expers videretur. Cum autem demum deducto à Saule in hoſtes milite , Ammonitas viciſſet ; ut ſcribitur ibid. cap. 11. reliqui de populo ad necem petebant eos, qui Saulem Regem habere reſpuerant ; deque illius militari virtute dubitarant. Quod ſic refertur : *Et ait populus ad Samuelem , quis eſt iſte , qui dixit , Saul num regnabit ſuper nos ? date viros , & interficiemus eos.*

Regum quoque lib. 2. cap. 5. ubi electio David in Regem Iſraël ſcribitur , cunctas Tribus Iſraël in electione illius , propterea conſenſiſſe dicitur ; quod hominem militari virtute inſignem agnoviſſent : iiſdem tribubus id declarantibus , atque dicentibus:
C *Ecce nos os tuum ; & caro tua ſumus : ſed & heri , & nudius tertius ; cum eſſet Saul Rex ſuper nos , tu eras educens Iſraël.* Hoc eſt , ipſe munus Imperatoris gerebas : quod quidem David geſſiſſe , ex multis capitibus lib. 1. Reg. apertum eſt : nam cap. 18. ſic legitur : *Egrediebatur quoque David ad omnia quocumque miſiſſet eum Saul, & prudenter ſe gerebat : poſuitque eum Saul ſuper viros belli , & acceptus erat in oculis univerſi populi , maximeque in conſpectu famulorum Saul.* Jam enim inde ab eo tempore , quo ſublato Gigante , David ab Hebræorum populo dedecus abſtulit ; omnium gratiam , benevolentiam-
D que ſibi demeruerat. Quam tamen magis , magiſque demeruit , cum dato ſibi munere ſummi Ducis, ita ſuo muneri ſatisfecit ; ut nihil tentaverit, in quo quis illius ſtudium , atque prudentiam deſiderarit : nihil ſuſceperit agendum in hoſtibus populi ; quod non fuerit ſecundus eventus conſequutus ; aut ſub tanto Imperatore minus feliciter ſucceſſiſſet. Et licet in eodem capitulo paulo infra , tribunatu tantum auctum David dici videatur ; pleniſſimam tamen in populo poteſtatem habuiſſe ; attenta ſacrarum litterarum phraſi , ſcribitur his verbis n. 13. *Et fecit eum tribunum ſuper mille viros , & egrediebatur , & intrabat in conſpectu populi.* Eſt enim , *Egredi , & ingredi* , ex ſacrarum litterarum phraſi , ple-
E nam in re aliqua habere poteſtatem : per quam quis quicquid velit impunè faciat ; & ſuo res adminiſtrentur ex imperio. Sic ſanè Moyſis ſumma poteſtas explicata eſt Deuteron. 31. ubi ſic ille de ſe ipſo : *Centum viginti annorum ſum ; non poſſum ultra egredi , & ingredi* ; Id eſt , populum iſtum moderari. Nam qui ingreditur egrediturque , quandocumque libet ; ille non ex alterius præſcripto , ac voluntate pendet. Similiter Num. 17. cauſatus populi graviſſimum onus : *Provideat Dominus* , inquit Moyſes , *hominem qui ſit ſuper multitudinem hanc , & poſſit exire , & intrare ante eos.* Hoc eſt , qui ſummam in hoc populo adminiſtrationem habeat. Cum
F igitur de Davide loco jam citato dicatur , *quòd egrediebatur , & intrabat in conſpectu populi* ; ſummam planè poteſtatem eum in re militari habuiſſe dixerim ; etiam dum adhuc ſub Saule tribunatum adminiſtraret. Hac igitur militari peritia Davidis permotæ Iſraëliticæ tribus , eumdem in Regem ſacris in litteris poſtularunt. His ſanè ſacrarum litterarum teſtimoniis , & veterum monumentorum locis ple-

plenè probatum arbitror, quantum oris majeſtas, cum militari peritia, ad Regis inſtitutionem conducat.

A

CAP X.

Jura Iſraëlitici ſenatus, in Rege inſtituendo explicantur.

Ad locum Deuter. 14. *Cum ingreſſus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, & poſſederis eam, habitaveriſque in illa: & dixeris, conſtituam ſuper me Regem ſicut habent omnes per circuitum nationes: eum conſtitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius gentis hominem Regem facere, qui non ſit frater tuus.* & ad alia.

B

ASSUMPTIO ad Regnum, ſive Regis inſtitutio, ſacris in litteris ſub varia diverſaque verborum forma ſignificatur: nimirum electione, poſtulatione, ſeu inquiſitione perſonæ à Deo electæ, declaratione, & inauguratione. Prior nimirum aſſumptio Divinæ erat auctoritatis, alteram ad Senatum pertinuiſſe, vigore ſtatuti divini ad favorem Iſraëlitici populi in Synalati, perſpicuum eſt ex cap. 17. Deuter. n. 14. in quo hæc habentur: *Cum ingreſſus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, & poſſederis eam, habitaveriſque in illa: & dixeris, conſtituam ſuper me Regem ſicut habent omnes per circuitum nationes: eum conſtitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius gentis hominem Regem facere, qui non ſit frater tuus.* Pro cujus loci expoſitione, & ritu regiæ in gente Hebræa inſtitutionis, explicanda occurrunt loca inſtitutionis regiæ; tempus, in quo Iſraëlitis eo jure uti licebat; forma, quæ penes Iſraëlitas in Regis inſtitutione tenebatur; & denique de perſona agendum erit; quam in Regem, Iſraëlitis inaugurare licebat: non ſolum quantum ad genus, & familiam, ſed etiam quantum ad ipſam perſonam in ſingulari: quæ omnia inveſtigatione, explicationeque indigent.

C

D

Et quidem quantum ad tempus & locum, quæ ex vi divinæ legis jam allatæ mutuo connexa ſunt; nequaquam ſemper Iſraëlitis Regem eligere licuiſſe conſtat. Nam per totos illos quadraginta annos, quibus per deſertum Iſraëlitæ peregrinabantur, principem aliquem ſibi deſignare eiſdem vetitum fuiſſe, verba textus jam allati probant: nec non etiam, quæ Num. 16. de Core, Dathan, Abiran, & Hor habentur. Core enim erat de tribu Levi, reliqui Rubenitæ. Hi principatum in filios Iſraël cum ambirent; commoventes populum, contra Moyſen, & Aaron inſurrexerunt. de quorum ambitione fuſe Joſeph lib. 4 antiq. cap. 2. & 3. ſcribit: hiatu enim terræ hi abſorpti ſunt, cum omnibus quotquot ad partes illorum declinaverant: quod nimirum Deo in Principe jam electo, de alterius principatu agere minimè vererentur: tunc præſertim quando de novo inſtituendo Principe facultas illis non erat. Quæ ſimiliter facultas tranſmiſſo Jordane; ut terram promiſſionis Iſraëlitæ ceperunt ingredi, minimè illis conceſſa fuit: ſed tunc tantum quando pacificè unaquæque tribus poſſediſſet regionem illam, quæ ſorte in hæreditate ſibi contigiſſet: tunc enim ſolum, non verò antea, de inſtituendo Principe Iſraëlitis agere licuiſſe, ex vi horum verborum legis conſtat: *Cum ingreſſus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, & poſſederis eam, habitaveriſque in illa.*

E

F

Difficultas igitur major conſurgit ex verbis quæ ſequuntur, *Et dixeris, conſtituam ſuper me Regem ſicut habent per circuitum omnes nationes.* Ex quibus ſanè verbis videtur concedi populo Iſraëlitico omnimodam facultatem ſibi ipſi Regem, ac Principem eligendi; nequaquam verò ab alio, Regem expectare debuiſſe. Quæ etiam facultas, ejuſdem ſacri textus poſtremis verbis firmata, corroborataque cenſeri poſſet: illis nimirum, *non poteris alterius gentis hominem Regem facere.* Faciendi igitur, id eſt eligendi Regis poteſtas, in auctoritate populi, divinis ex ſtatutis poſita videtur: cum tamen verba ejuſdem ſacri textus, huic privilegio detraxiſſe cenſeantur in ſubſequentibus; cum dicitur: *eum conſtitues, quem Dominus Deus tuus elegerit.* Electionis igitur jus ad populum minimè pertinebat; ſed ſibi Deus reſervaverat.

Ut igitur brevi manu difficultati occurramus: negamus populum Iſraëliticum, plenam habuiſſe poteſtatem concedendi alicui Imperium Reipublicæ: quinimo variis ex rationibus eamdem poteſtatem regem eligendi arctatam dixerim. Enimverò Iſraëliticam Rempublicam, in principatus inſtitutione, quantum ad electionem, nullum jus habuiſſe, ſed electionis jus Deum ſibi certò reſervaſſe, perſpicuum eſt ex illis verbis: *Eum conſtitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum.* Quamobrem quoties de Rege in Republica Iſraëlitica ageretur; deque perſona ſubdubitandum eſſet; Iſraëlitæ Deum adire cogebantur; ut perſonam à Deo in Regem electam cognoſcerent. Manifeſtum eſt id ab exordio regiæ inſtitutionis, ac regii principatus: Deum enim conſuluerunt, ut eis declararet, quem elegiſſet. Habetur hoc 1. Reg. 10. dixit enim ad eos Samuel cum de perſona Regis ageretur: *Nunc ergo ſtate coram Domino per tribus veſtras, & per familias veſtras.* Quamobrem vigore juris, quod Deus ſibi in regia electione reſervaverat; regia quoque jura ad favorem regis conſtituit, antequam Regem Iſraëlitis indicaret. Lib. etiam 2. Reg. cum in concertatione Davidis, & Isboſeth ab Iſraëlitis dubitaretur, cui ex illis duobus regnum deberetur, & pro Davide tribus Juda ſtaret, reliquæ vero Isboſetho adhærerent: omnes tandem David regnum adjudicarunt ea ratione, quod illum à Deo Regem electum intelligerent. Sic enim dicitur cap. 5. lib. 2. Reg. *Et venerunt univerſæ tribus Iſraël ad David in Hebron, dicentes: ecce nos os tuum, & caro tua ſumus: ſed & heri & nudius tertius cum eſſet Saul Rex ſuper nos; tu eras educens & reducens Iſraël. Dixit autem Dominus ad te; tu paſces populum meum Iſraël, & tu eris Dux ſuper Iſraël.* Similiter 3. Reg. cap. 1. cùm de regno, Salomon, & Adonia decertarent, Davidque Salomonem Adoniæ natu majori prætuliſſet: ne hoc feciſſe abſque Numine videretur, indicto procerum regni, ac ſenatorum conventu; coram illis faſſus eſt, ſe id mandato Numinis feciſſe: ut legitur cap. 28. lib. 1. Paral. per hæc verba: *Sed & de filiis meis: filios enim mihi multos dedit Dominus: elegit Salomonem filium meum; ut ſederet in throno regni Domini ſuper Iſrael.* Lib. etiam 2. Paral. cap. 23. in depoſitione Athaliæ matris Ochoziæ, volens Joiada ſuadere proceribus regni, ut Joaſum Regem admitterent; Divini placiti argumento utitur; quod nimirum Deus domum David tantum ad Principatum Iſraëliticum deſtinaſſet; & ex ea familia Joas tantum ſupereſſet; de quibus ita ſcribitur: *Iniit ergo omnis multitudo pactum in domo Dei cum Rege, dixitque ad eos Joiada, ecce filius Regis regnabit, ſicut loquutus eſt Dominus ſuper filios David.* Cogebantur igitur Iſraëlitæ adire oraculum, Numenque conſulere; & ab eo inquirere, quem illis Regem præficere deſignaſſet: propria ve-

verò auctoritate non licebat illis regem ex quacumque tribu eligere, quemcumque voluiſſent.

Ut autem quæ diximus lucidiora fiant; Regiſque deſignationem nequaquam ad populum, ſed ad Deum pertinuiſſe conſtet: non erit contemnendus locus ille Proverb. *Per me Reges regnant, & potentes juſta decernunt.* Sed magis adhuc ad litteram Oſee cap. 8. ubi ait: *Projecit Iſraël bonum, inimicus perſequetur eum: ipſi regnaverunt, & non ex me: Principes extiterunt, & non cognovi.* Ad Iſraëlitas decemque tribus ſermonem Prophetæ dirigi Cyrillus Theoph. Theodoret. Lyranus, Ruffinus; Ribera, & alii recentiores tradunt: dubitari tantum ſolet, an Prophetæ ſermo ad Reges tantum, an ad populos tantum, an verò ad utroſque ſimul dirigatur. Prophetam populum reſpicere communior ſententia, tam interpretum, quam etiam expoſitorum tradit; pro qua ſtant veteres omnes: ut Cyprian. lib. 1. epiſt. 3. & 4. Origen. homil. 4. in Judic. Theoph. Theodor. Hieron. Ruffinus, & alii: qui omnes in eo conveniunt, quod Prophetæ ſermo ad decem tribus dirigatur: objiciendo illis, quod Regem ſibi Jeroboam conſtituiſſent, Deo minimè conſulto. Quæ quidem expoſitio fundamentum habet in Hebraico textu, qui ſic legit הֵם הִמְלִיכוּ וְלֹא מִמֶּנִּי הֵשִׂירוּ וְלֹא יָדָעְתִּי hoc eſt: *Ipſi fecerunt regnare, & non ex me: Principes fecerunt, & non novi.* Quam quidem loquendi phraſim dirigi ad Senatores decem tribuum, qui deſciverant à Regibus ex tribu Juda, manifeſtum eſt; tenebantur enim ex lege Deuter. 27. divinam voluntatem exquirere; ut ab eo edocerentur, quem Regem illis deſignaſſet: nihilominus recedentes à Roboam filio Salomonis, Jeroboam in Regem elegerunt, Deo minimè conſulto. Stant etiam pro hac expoſitione græca exemplaria ferè omnia in illo Oſee, quæ ſic habent: ἑαυτοῖς ἐβασίλευσαν, καὶ οὐ δὶ ἐμοῦ, ἦρξαν, καὶ οὐκ ἐγνώρισάν μοι. hoc eſt: *Sibi ipſis Regem fecerunt, & neque mei*, ſupple, habuerunt rationem; *Principes conſtituerunt, & non manifeſtarunt mihi.* Eſt autem notandum, quod verbum βασιλεύω ſi cum accuſativo conſtruatur, regnare ſignificat; at ſi conſtruatur cum Dativo (ut hic ponitur) regem conſtituere valet.

Itaque juxta hos textus, dicemus Iſraëlitas à Deo in Oſee de electione Jeroboami reprehendi, quod divinam voluntatem in ejus electione minimè conſuluerint; non verò quod perſona electa Deo diſplicuerit: cum ipſe per Ajam Silonitem Prophetam, Jeroboam Regem futurum ſuper decem tribus jam prænunciaſſet: ut ſcribitur 3. Reg. cap. 11. & lib. 2. Paralip. 10. immo electum quoque ab his Iſraëlitis, qui à Roboamo diſceſſerant, quodammodò Deus ipſe per Semejam Prophetam confirmaverat: ut habetur 2. Paralip. cap. 11. & 3. Reg. cap. 12. n. 22. ubi cum Roboam filius Salomonis militem adverſus Jeroboam, & Iſraëlitas, qui pro parte illius ſtabant, ad bellum eduxiſſet; ut Jeroboamo expugnato, ac fugato, Iſraëlitas ad ſe revocaret; propheta exercitum ſic alloquutus eſt: *Hæc dicit Dominus, non aſcendetis, neque bellabitis contra fratres veſtros filios Iſraël: revertatur vir in domum ſuam, à me enim factum eſt verbum hoc.* Cum igitur de perſona ab ipſis electa in illo loco Oſee Iſraëlitæ minimè reprehendantur; ſupereſt ut ſolum redarguantur; quod cum ex lege Dei oraculum exquirere tenerentur, ut quem ille deſignaſſet, hunc juxta decretum Deuteronomii jam citati, Regem acceptarent; ipſi tamen Iſraëlitæ, adeò in Rege eligendo luxuriarunt, ut inconſulto oraculo, nullo interrogato Propheta, aut Sacerdote, nullo adhibito ſacro, ad exquirendam ex Ephod Dei voluntatem, neque ab Aia Dei placitum cognoſcentes, ex ſeipſis Regem elegerint, atque Jeroboam acclamarint. Quæ doctrina, quam-

A vis breviſſimè hic à nobis tradatur, diligenter tamen conſideranda erit: multa enim interdum à Prophetis prænunciantur futura; non quia à Deo immediatè ſint facienda; ſed quia Deo permittente, facienda ſunt ab hominibus; quæ à Deo cum ſint præviſa, Prophetis aperiuntur, & ab eiſdem prædicuntur.

Quamvis igitur, ut vidimus, perſonam Regis futuri deſignare divini eſſet muneris; nihilominus præpotentis Dei placitum exquirendi, atque perſonam ab eo deſignatam inquirendi, penes populum, & ſeniores Reipublicæ jus erat; atque per ſacerdotes, aut Prophetas Dei placitum exquirere tenebantur: quamob- B rem lib. 1. Reg. cap. 18. Seniores populi Iſraëlitici ad Samuelem dixerunt; cum de Rege agerent: *Conſtitue nobis Regem.* Non quidem, quod deſignandi Regem jus eſſet penes Samuelem, ut vidimus; ſed ab eo tamquam Propheta Deum conſulendum Iſraëlitæ petebant, ut Rex ab eo deſignaretur: propterea Samuelem Deum ſtatim conſuluiſſe ſcimus. *Et oravit Samuel ad Dominum*, dicitur ibidem. Deus verò proprio jure uſus ad Samuelem dixit: *Audi vocem populi in omnibus, quæ loquuntur tibi.* Hac de cauſa Saule jam declarato, Samuel ad populum ait: *Certe videtis, quem elegit Dominus; quoniam non ſit ſimilis illi in omni populo.* Non enim ſe, ſed Do- C minum elegiſſe Saulem dixit: ut neque populi, neque Sacerdotis, aut prophetæ jus fuiſſe Regem deſignandi ſubindicaret; ſed ad Dei jura id pertinuſſe foret apertum.

Quantum etiam ad divini placiti conſultationem pertinet; quæ ſortibus vel interrogationibus ex divinis decretis fiebat: ſciendum eſt privilegium illud Iſraëlitis conceſſum, plurimum arctari in ſacris Scripturis: vetitum enim erat Iſraëlitis in regia inſtitutione ſortes jacere, aut Dominum interrogare, pro aliquo, qui non eſſet Iſraëlita: ex propria enim tantum gente Regem admittere Iſraëlitis permiſſum fuit: propterea ex aliqua familia, Iſraëlitico popu- D lo annumerata, quæ ex ſemine Jacob oriunda non eſſet, Regem admittere nulla ratione eis licebat: ut optimè adnotavit Abulenſis quæſt. 7. in cap. 14. Deuteron. Cogebantur igitur proceres Reipublicæ Iſraëliticæ conſulere oraculum, non pro quacumque perſona, ſed pro ea tantum, quæ per lineam maſculinam ex aliqua Iſraëlitica tribu deſcenderet. Statuti vis in illis verbis Deuteronomii poſita eſt: *De numero fratrum tuorum.* Proſelytus enim, quique Iſraëliticis tribubus adſcriptus fuiſſet, frater non dicebatur, ſed advena vel peregrinus, cum non eſſet ex ſemine Jacob, ut ex cap. 25. Levit. Abulenſis probat.

Præcepti hujus robur tyrannidem, ſeu injuſtam aliquorum regni Iſraëlitici uſurpationem aperit; nimirum Athaliæ, qui poſt mortem Ochoziæ filii ſui E regnum Judææ tenuit: obſtabat enim illi, tam genus quam ſexus, cum nec mulierem, nec alienigenam, qualis ipſa erat, ad regnum Judææ admittere Iſraëlitis lege concederetur. Sed nec Herodes, Archelaüs, Philippus, Lyſias, aut ſimiles jure ad Regnum Judææ, aut ad aliquam illius partem admittendi fuerunt: quamvis Judæorum religionem profiterentur, & inter Proſelytos nomen dediſſent. His enim omnibus ſtatutum illud divinum ex Deuteronomio, jam à nobis relatum obſtat; quominus Regnum adipiſci poſſent. Nam Herodes filius fuit F Antipatris, qui quidem, ut ſcribit Joſephus lib. 14. antiq. cap. 2. & lib. 1. bello Jud. cap. 5. erat Idumæus; rejicitque ſententiam Damaſceni cujuſdam affirmantis hunc Antipatrem fuiſſe Judæum, de numero illorum qui à captivitate redierant. Herodis autem Regis gratia Antipatris filii Damaſcenum illum id ſcripſiſſe Joſephus aſſerit, ne Herodes alienigena,

gena, aut Proſelytus videretur. Qua etiam arte Antipater principatum obtinuerit à Julio Cæſare, perveneritque ad Herodem filium illius, ibidem ſcribitur. Cum igitur Herodem Idumæum ex aliqua tribu Iſraëlitica fuiſſe conſtet, & non propterea à regni jure fuiſſe ſecluſum ex Dei ſtatuto perſpicuum eſt.

Divino verò huic ſtatuto ac legi, ad favorem Iſraëliticæ gentis jam olim in Synai latæ, Judæos cum de Chriſti morte ageretur, renunciaſſe coram Pilato, Evangeliſtæ teſtantur: nam interrogante Pilato, num de Chriſto crucifigendo agendum eſſet; dixiſſetque Pilatus, *Regem veſtrum crucifigam?* exclamaverunt illi atque dixerunt: *Non habemus Regem niſi Cæſarem.* Non ſolum igitur alienigenæ, ſed homini à veri Dei cultu alieno, regium jus Judæi concedendo, non tam Regem Chriſtum repudiarunt; quàm juri quærendi ſibi Regis, quod illis à Deo in Syna conceſſum fuerat, renunciarunt. Cùm enim jus Imperatoris Romani in Judæos, non ex vi alicujus electionis, ſed tantum jure belli acquiſitum ab eo fuiſſet; huic juri, huicque Imperatori Judæos conſentientes, privilegio à Deo ipſis conceſſo de regimine concedendo alicui de propria gente, omnino eos renunciaſſe conſtat. Contigit enim illis quod Judic. 9. ſub fabella arborum prædicebatur: quæ ad Regem eligendum cùm conveniſſent, rhamnumque elegiſſent; in ruinam reliquarum arborum regiam direxit auctoritatem dicens: *Egrediatur ignis de rhamno, & devoret cedros Libani.* Sic etiam egreſſus ignis à ſpinoſo rhamno Romani Imperii, Judaicam gentem devoravit; Judæique in captivitatem deducti, regno, ac ſacerdotio privati remanſerunt.

Regni poſſeſſionem ei tradere, quem Deus elegiſſet; ad proceres Iſraëliticæ Reipublicæ de jure ſpectabat: ſic enim privilegium illud Iſraëlitis conceſſum Deuter. 17. loquitur: *Eum conſtitues,* ſupple Regem, *quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum.* Cujus ſacri textus hebraica lectio eſt hujuſmodi: שׂוֹם תָּשִׂים עָלֶיךָ מֶלֶךְ אֲשֶׁר יִבְחַר יְהוָה אֱלֹהֶיךָ בּוֹ מִקֶּרֶב אַחֶיךָ תָּשִׂים עָלֶיךָ מֶלֶךְ Quæ ſic interpretantur: *Ponendo pones ſuper te Regem quem eliget Dominus Deus tuus, illum de medio fratrum tuorum pones ſuper te Regem.* Dixere Septuaginta Hebraicam phraſim conſervantes, καθιςῶν καθαςήσεις: qua quidem verbi reduplicatione ſuperlativi gradus emphaſis, ex phraſi linguæ ſanctæ exprimitur, ut alias diximus. Eſt igitur loci jam allati ſenſus, non licere Iſraëlitis aliqua ratione de perſona in Rege eligenda agere: ſed electio ad Deum cùm pertineret, Regni poſſeſſionem eidem illi tradere, quem Deus elegiſſet, cogebantur; adeo ut ſecus agere proceribus Reipublicæ omnino vetitum, in præallegato loco, intelligatur. Propterea enim duplicatur illud verbum שָׂם *ſam*, immò triplicatur ſic שׂוֹם תָּשִׂים & infra ſtatim iterum eſt dictio תָּשִׂים; ut hac triplicatione ejuſdem verbi, Iſraëlitæ monerentur ad regni poſſeſſionem verè, & indubitatè, illum admittere debere, quem Deus deſignaſſet; quoties de Rege acturi, oraculum adiiſſent. Hanc ob rationem ſacer textus lib. 1. Reg. eos reprehendit, qui obedientiam Saulo Regi jam electo, præſtare recuſabant: de quo ſic ibi: *Filii verò Belial dixerunt; num ſalvare nos poterit iſte? & deſpexerunt eum, & non attulerunt ei munera.* Non enim ex plebejis, aut gregariis militibus hi fuerunt; ſed ex proceribus ipſis ac Ducibus, qui ad comitia acceſſerant. Hi enim cum Saulem ruſticum hominem eſſe cognoviſſent; atque ex minima tribu Iſraëlitica, à qua nihil aut magnum, aut bonum expectabant; ſacri à Deo de rege eligendo ſtatuti Deuter. 17. immemores; iniquis illum, ac obliquis oculis intuebantur.

A

Poſſeſſionem regni ad duo capita revocabimus: nimirum ad fidelitatis homagium ſive tributum, quo homagio fidelitatis proceres Reipublicæ ſe acceptare in Principem, quem Deus deſignaſſet, profitebantur: & ad venerationem, quæ Regi deſignato per modum adorationis à proceribus præſtabatur. Ad utrumque ex vi divini ſtatuti Iſraëlitæ tenebantur. Licet enim procerum Reipublicæ juris eſſet, præſtare hoc juramentum fidelitatis; tamen Rege jam à Deo deſignato, hanc fidelitatem jurare, vel non jurare, in eorum non erat poſitum poteſtate. Nam cum in loco ex Deuteron. citato præcipiatur Iſraëlitis, ut regni poſſeſſionem ei concedant, quem Deus elegiſſet:

B

propterea affirmatè diximus, quod hi qui ad comitia convenerant, ex vi ejuſdem præcepti, ad illud juramentum, ſeu homagium fidelitatis præſtandum tenebantur. Quod cum facere, Saule jam deſignato, renuerent aliqui, tranſgreſſionis nota inuruntur: aſſerendo quod eum *deſpexerunt, & non attulerunt ei munera*, quibus ſuum in Regem teſtarentur ſtudium. Primis enim illis temporibus, munera regibus offerri conſueverant, ut ſcribit Herodot. lib. 3. & hoc ad profitendum conſenſum in principis electione. Quem non ſolum profiteri renuerunt illi, qui Sauli munera non attulerunt; quin potius oratione planè petulanti, ac libera affirmabant,

C

à tali viro nullam deberi aut poſſe patriæ ſalutem expectari. Quamobrem ut legis divinæ tranſgreſſores à populo notati, poſtmodum quærebantur ad necem.

Poſſeſſionis Regiæ altera nota erat, in throno electum regem ſedere: quamobrem quoties de regni poſſeſſione in Scripturis agitur; toties id per ſedere in throno explicatur. Sic 3. Reg. cap. 1 cum Salomon Rex à patre in competentia Adoniæ declaratus fuiſſet; jubet eum Pater in throno conſtitui dicens: *Tollite vobiſcum ſervos Domini veſtri, & imponite Salomonem filium meum ſuper mulam meam, & ducite eum in Gihon, & ungat eum ibi Sadoch Sacerdos, & Na-*

D

than Propheta in Regem ſuper Iſraël: & canetis buccina, atque dicetis, Vivat Rex Salomon: & aſcendetis poſt eum, & veniet, & ſedebit ſuper ſolium meum, & ipſe regnabit pro me: illique præcipiam, ut ſit Dux ſuper Iſraël, & ſuper Judam. Quamobrem cum audiſſet Adonia, *Sed & Salomon ſedet ſuper ſolium regni*; ſtatim animo conſternatus regno ceſſit. Sic etiam 4. Reg. cap. 9. illi, qui Jehu Regem acclamarunt, regni jura in illum tranſtuliſſe regio ſolio probarunt. Quod his verbis ſcribitur: *Feſtinaverunt itaque, & unuſquiſque tollens pallium ſuum poſuerunt ſub pedibus ejus in ſimilitudinem tribunalis: & cecinerunt buccina, atque dixerunt, regnabit Jehu.* Sic etiam ibidem cap.

E

11. regnum Joaſi ex regio ſolio, in quo eum proceres collocarunt, firmum remanet. Ad quod tam arctè ex vi legis Iſraëlitæ compellebantur, ut duplicatis vocibus, id in ſacro Deuteronomii textu שׂוֹם תָּשִׂים *ſom taſim*, ideſt, *Conſtituendo conſtitues*, ſeù, *ponendo pones*; Græcè καθιςῶν καταςήσεις, id eſt, *collocando collocabis*, exprimatur. Et per verbum medium καθίςαμαι, rectè eo vocabulo actus ſedendi ſignificatur, interpretarique per *ſedendo facies ſedere*, ſeu *præficiendo præficies*, poteſt. Quibus ſanè ſignificationibus poſſeſſionis actus demonſtrantur, ad quam regni poſſeſſionem Regem à Deo deſignatum immittere, Iſraëliticæ Reipublicæ jus

F

erat.

CAP. XI.

Prophetis ac Vatibus, quo jure in Rege deſignando locus eſſet.

Ad

Ad locum 3. Reg. 1. *Deſcendit ergo Sadoch ſacerdos, & Nathan Propheta, & Banajas filius Jojadæ, & Cerethi, & Phelethi, & impoſuerunt Salomonem ſuper mulam Regis David*, & ad alia &c.

IN eo procerum, atque Reipublicæ ordinum conventu, in quo de Regis inſtitutione, deſignatione, declaratione, ac inauguratione agebatur; quamvis ſuffragiorum de cauſa, aut ratione comitiorum Reipublicæ, Prophetæ minimè adeſſe cogerentur; cæremoniarum tamen, ſacrorumque rituum de cauſa, qui regiæ electioni, atque inaugurationi debebantur, Sacerdos ac Propheta non infimas obtinebant ſedes. Sacerdotum, ac Pontificis munera poſtmodum declarabimus; Prophetarum ſedes, ac munia inquirenda, ac aperienda nunc occurrunt.

Numinis enim conſultatio in Reipublicæ negotiis, præſertim in auſpicando Imperio, adeò naturali jure hominibus inſita cenſetur; ut nullæ unquam fuerint gentes, quæ in his negotiis Numina non adirent. Numam primum poſt Romulum Romanorum Regem, adſtante vate, inauguratum tradidit nobis Plutarchus in Numa. Etenim ubi ille amicorum affiniumque ſuaſu ſibi cedendum fore intellexiſſet; & regnum quod diu obſtinatiſſimè recuſaverat, tandem acceptare deſtinaſſet; ſtatim de placandis, conſulendiſque Numinibus egit, ut ſcribit Plut. dicens: *Ubi conſenſit*, ſupple Numa, *Diis immortalibus ſacra faciens ſe Romam contulit.* Et quidem tanta in his ſuperſtitione veteres tenebantur; ut nec etiam Romam verſus iter arripere tuto ſe poſſe cenſuerit Numa, ad inſignia imperii capeſſenda, oraculo inconſulto, aut non placatis Numinibus. Quin etiam ubi Romam Numa veniſſet, lætiſſimèque exceptus fuiſſet; nihilominus neque Imperii inſignia acceptare, aut admittere imperium auſus eſt, ſine vate: quod parum infra his verbis ſcribit Plut. *προσφερομένων δ' αὐτῷ τῶν βασιλικῶν παρασήμων, ἐπισχεῖν κελεύσας ἔφη, δεῖσθαι καὶ Θεοῦ τὴν βασιλείαν ἐνδιδοῦντος αὐτῷ· παραλαβὼν δὲ μάντεις καὶ ἱερεῖς, ἀνέβαινεν εἰς τὸ καπιτώλιον.* Nec enim prætereundum duco in loco allato Religioſiſſimum Numam, non à Diis, in plurali, ſed à Deo in ſingulari, ſe regnum accepturum dixiſſe. Sic enim interpretantur verba poſita: *Proferentibus autem illi imperii inſignia, ſuſtinere jubens*, ſupple Numa, *dixit, oportere Deum conſulere ſibi regnum tradentem; aſſumens autem Vates & Sacerdotes, aſcendit in Capitolium.* Ex quibus planè liquet, nequaquam ſine vate, etiam apud antiquiores Romanos, Deum adiri conſueviſſe in regni exordio.

Præcedebat hæc Numinis conſultatio, quodcumque regni initium: & merito quidem quod à Numine totius alicujus Reipublicæ bonum pendeat. Cum igitur inconſulto oraculo magiſtratui nihil facere liceret; propterea auſpicandi, inaugurandique vocabulis uſi ſunt veteres Latini ad exordium cujuſcumque negotii ſignificandum: ſumpta nimirum metaphora ab uſu attentionis garritus, aut avium volatus. Inauguratio verò, ideſt ex augurum decretis religioſa Numinum obſervatio, adeò propria videbatur exordio regiminis, de more veteri Romanorum, ut etiam Regibus jam exactis, ac Rege ſacrorum ad ſacra facienda inſtituto, in quo ſolius nominis regii retenta dignitate nulla regia facultas, aut majeſtas erat; nihilominus eidem abſque augurio, & de conſilio vatum ad ſui muneris, ac nominis initia accedere non concedebatur: quinimo in ejus conſecratione, augures quaſi auſpiciorum præſides adfuiſſe, Dionyſ. lib. 5. hiſtor. ſcribit: *Expulſis Regibus*, inquit, *Papyrium Regem ſacrorum Pontifices, Augureſque inaugurarunt.* Livius etiam lib. 4. id aper-

A tè teſtatur: *De Rege ſacrificulo ſufficiendo in locum C. Cornelii Dolabellæ contentio inter C. Servilium Pontificem maximum fuit, & L. Cornelium Dolabellam Duum virum navalem*, inquit, *quem ut inaugurarct Pontifex, magiſtratu ſeſe abdicare jubebat. Recuſanti id facere mulcta ob eam rem dicta à Pontifice deque ea cum provocaſſet, certatum ad populum: cum plures jam tribus intro vocatæ, dicto eſſe audientem Pontifici Duum virum juberent; mulctaque remitti, ſi magiſtratu ſe abdicaſſet; ultimum de Cœlo, quod comitia turbaret intervenit. Religio inde Pontificibus fuit inaugurandi Dolabellæ.* Ex quibus non ſolum antiquiſſima Regum inauguratio ex religione Romana conſtat;
B ſed etiam exquirendi divinum beneplacitum per vates, conſuetudo probata remanet.

Sacra repetantur oracula, ex quibus vatum etiam atque Prophetarum apud Reges auctoritas, manifeſta fiet: horum enim miniſterio Reges Iſraëlitas conſuluiſſe oraculum, in quocumque publicorum negotiorum exordio, ſacris ex ſcriptis certò habetur: nec minori loco apud religioſiſſimos Reges Jeroſolymitas Dei Prophetas extitiſſe, quam Prophetas atque incantatores apud Samaritas, certum erit. Nam tertio Reg. 22. cum Joſaphat Rex Judæ, & Rex Iſraël de oppugnanda Ramoth Galaad agerent; id nequaquam faciendum Deo inconſulto cenſuit Joſa-
C phat: propterea ad Regem Iſraël converſus ſic dixit: *Quære, oro te, hodie ſermonem Domini.* Cumque ab Idolorum Vatibus Rex Iſraël belli exitum quæſiviſſet; iique pro voto Regis victoriam præcinerent; quibus ſuperſtitioſorum hominum vaticiniis, nequaquam Joſaphat acquieſcebat; ad Regem Iſraël ſubintulit: *Non eſt hic Propheta Domini quiſpiam, ut interrogemus per eum?* Rege itaque Jeroſolymitano inſtante, Micheas vocatus adfuit; ut per eum de belli exitu interrogaretur, ac conſuleretur Dominus.

Sed ad comitia redeamus in Rege conſtituendo;
D & à ſuperſtitionibus Romanorum, atque Græcorum ad ſacra radeuntes, religioſius cum Saule, Salomone, atque Iſraëliticis Regibus in exordio Regni actum, quam cum Numa, Rege ſacrificulo, aut hujus farinæ homine, certò videbimus: ad hos enim Iſraëlitas Reges conſtituendos, Dei conſilium nequaquam ſonitu, aut inani garritu, ſeu volatu volucrum exquirebatur; ſed per Sacerdotem portantem ſacrum Ephod, & per Samuelem, atque Nathan Dei Prophetas religioſiſſimos, ipſo ſtatim in limine regni Saulis, ac Salomonis Dei placitum exploratum ſcimus.

Apertiora adhuc hæc fierent ex illorum Rabbino-
E rum imaginata doctrina, qui in declaratione Salomonis ad Regni ſucceſſionem illis duabus dictionibus הַכְּרֵתִים וְהַפְּלֵיתִים *Cerethi, & Phelethi*, quæ in textu habentur: τὸ Urim, & Thummim ſignificari contendunt; quòd in Ephod Sacerdotali occultabatur: ex quo Dei voluntas manifeſta fiebat; quoties ſtatutis cæremoniis illam Iſraëlitæ exquiſiviſſent. Falſitas Rabbinici hujus commenti apertè convincitur: quòd lib. 2. Reg. cap. 8. Bananias ſuper Cerethi, & Pheleti fuiſſe dicitur; cum tamen is neque Sacerdos, neque ad Sacerdotum proſapiam attineret: propterea que ad ipſius curam Urim, & Thumim, nulla ratione pertinere poſſent. Rabbini enim cum Deum
F conſultum in Salomone inaugurando agnoſcant, & in explicanda forma conſultationis deficiant; ſtultiſſima commenta excogitarunt.

Dimiſſis itaque ſtultiſſimorum hominum figmentis, ſacra oracula attendantur: ut ab ipſis hauriatur locus Prophetarum ac Dei interpretum in Regibus conſtituendis. Samuelis quidem ac Nathani dignitates, Vatum Iſraëlitarum, ac Prophetarum, ut reor, ſedem aperiunt, in regni alicujus exordio:

de

de quibus in Salomonis declaratione ad Regni ſucceſſionem ſic legimus 3. Reg. cap. 1. n. 31. *Dixit quoque Rex David : vocate mihi Sadoch Sacerdotem , & Nathan Prophetam , & Banaiam filium Jojadæ. Qui cum ingreſſi fuiſſent coram Rege , dixit ad eos : Tollite vobiſcum ſervos Domini veſtri , & imponite Salomonem filium meum ſuper mulam meam , & ducite eum in Gihon. Et ungat eum ibi Sadoch Sacerdos , & Nathan Propheta , in Regem ſuper Iſraël.* Ex quo planè conſtat Nathanem , alterum poſt Sacerdotem , ab exordio Regni Salomonis , tenuiſſe locum in Rege auſpicando, apud Iſraëlitas.

Prophanorum quoque ſcriptorum auctoritate , ſedem vatum in ordinibus Reipublicæ expiſcari ſi velimus ; eam non infimum locum tenuiſſe comperiemus. Cum enim aliquando peſtilentia Græcorum exercitus , qui Trojam obſidebat apud Homer. lib. 1. Iliad. vexaretur : convocata militum concione ab Agamemnone , primus omnium poſt Achillem , qui Deos conſulendos ſuadet , Calchas Vates ſententiam dixit ; de quo ita Homer.

. . . . τοῖσι δ᾽ ἀνέστη
Κάλχας Θεστορίδης οἰωνοπόλων ὄχ᾽ ἄριστος,
Ὃς ᾔδη τά τ᾽ ἐόντα, τά τ᾽ ἐσσόμενα, πρό τ᾽ ἐόντα.

Et licet vaticinium propriè futura reſpiciat : quia tamen Poëta hic uſus fuerat verbo ᾔδη , quo verbo quædam perfecta , abſolutaque rerum cognitio ſignificatur : propterea dixit Calchantem ejus in arte divinandi fore peritiæ , ut tam præſentia , quam futura cognoſceret ; ſic enim interpretantur allata jam carmina :

. . . . his autem ſurrexit
Calchas Theſtorides augurum longe optimus ,
Qui ſciebat , & præſentia , & futura , & præterita.

Adraſtus etiam apud Statium lib. 3. Theb. in concertatione Etheoclis , ac Polinicis pro Thebarum regia : dum animo pendet , bellone danda foret manus , an pacatius agendum , paxque ſectanda ; ad vates , ſacerdoteſque confugiſſe ſcribitur , qui à Numine reſponſa quærerent : de quo ita Statius loco citato :

. . . . dubio ſententia tandem
Sera placet, Vatum mentes , ac provida veri,
Sacra movere Deum , ſolers tibi cura futuri
Amphiarae datur , juxtaque Amithaone cretus
Jam ſenior , ſed mente virens, Phœboque Melampus
Aſſociat paſſus . . . .

Minimè verò mirum eſſe debet ; Vates ac Prophetas inter prima ſubſellia locum habuiſſe in ordinibus Reipublicæ , etiam apud exteros , cum de ſalute Reipublicæ agendum eſſet : nam ab horum conſeſſu , totius Reipublicæ ſalus dependet , ſi à numine dirigatur : ac propterea lateribus regiis ſemper adfuiſſe Vates , ac Principi à conſiliis & à ſecretis extitiſſe, ea perſpicuè aperiunt , quæ paſſim lib. 2. Reg. de Nathane leguntur : is enim perpetuo Davidi aderat.

Nec ad rem de qua agimus , locus Exo. 3. contemnendus videtur : ubi cum Deus Moyſen ſummum Ducem Hebræorum conſtituiſſet ; ſuumque oratorem ad Pharaonem deſtinaſſet : ut Moyſes dignitatis decorem , ac majeſtatem retineret ; quæ Principi ex temporum illorum fortaſſe uſu debebatur ; Propheta minimè carere illum voluit ; ſed eidem Aaronem adjunxit , qui prophetæ locum apud Ducem Moyſen teneret ; dixitque ad illum Deus : *Et Aaron frater tuus erit Propheta tuus.* Ex quibus ſanè locis perſpicuum fore videtur , quaſi ex munere
A principatus fuiſſe , Prophetam ad latera habere , illoque uti ad ſecreta conſilia : hacque de ratione in Principis inſtitutione ac declaratione , Prophetæ non infima ſubſellia occupabant.

Prophetæ alicujus præſentia in exordio Iſraëlitici regni , neceſſario quodammodo ſacris ex litteris cenſeri poſſet. Etenim ut admonuimus cap. 10. in principio , ſacris in intelligendis oraculis diſtinguere oportet inter poſtulationem , electionem , deſignationem , atque Regum inaugurationem : quia poſtulatio ad jus populi pertinebat ; electio Regis à Deo pendebat ; deſignatio à Deo vel à prædeceſſore ; inauguratio denique Pontificis munus erat, quæ
B à cæteris ſolemnitate diſtinguebatur. Nam poſtulationi ſolemni Regis , ſeu inſtitutioni , deſignationi atque declarationi Prophetas adfuiſſe, manifeſtum eſt ex his , quæ de Saule & Salomone ſacris in libris leguntur : immò quaſi neceſſariò Propheta requireretur ; ſcimus David , cum vellet Salomonem ſibi ſucceſſorem declarare , qua declaratione deſtrui volebat , quæ ab Adonia moliebantur ; ſtatim ad Prophetam ſeſe convertiſſe legimus ; dixiſſeque 3. Reg. 1. *Vocate mihi Sadoch ſacerdotem & Nathan Prophetam , & Banajam filium Jojadæ. Qui cum ingreſſi fuiſſent coram Rege , dixit ad eos : tollite vobiſcum ſervos Domini veſtri , & imponite Salomonem filium meum*
C *ſuper mulam meam , & ducite eum in Gihon , & ungat eum ibi Sadoch Sacerdos , & Nathan Propheta in Regem ſuper Iſraël.*

Quamvis verò nullum Prophetam Adoniæ adfuiſſe ſacri libri tradant : quod quidem fortaſſe alicui ſcrupulum hac in re faceret ; Adoniam tamen minimè de Propheta, in illa ipſius ad regnum acclamatione curaſſe puto : quòd fortaſſe de ſolemni inauguratione ad regnum , aut de publica ſucceſſionis declaratione minimè ab eo tunc ageretur : Non enim patre adhuc vivente id pertentare auſus fuiſſet : ſed quia patri ſe fore ſucceſſorem certò ſperabat, ad futuram regni ſucceſſionem , & inaugurationem quodammo-
D do ſe accingebat : ac proinde quaſi futuro Regi ferè Jeroſolymitæ omnes adhærebant , qui propitium illum habere deſiderabant. Quapropter eum de futuro tantum regno loquentem , dixiſſe legimus , *ego regnabo :* non autem de præſenti ſe Regem acclamare juſſiſſe : neque qui ejus partes ſequebantur tanquam Regi acclamarunt , *Vivat Rex* , ſed potius ad futuram regni ſucceſſionem reſpicientes , eos acclamaſſe ſcribitur ; *regnabit Adonias.* Cum igitur de regia inauguratione , aut declaratione ad Regnum ab eo minimè tunc ageretur ; propterea neque de oraculis excipiendis , atque ideò nulla de Vatibus , aut Prophetis ibi mentio. At quoties de ſpecie qua-
E dam inaugurationis ad regnum , aut de declaratione ſucceſſionis agendum fuit , Nathan Salomoni , Samuelem Sauli adfuiſſe ad Numen conſulendum , & divina oracula excipienda , quaſi ex neceſſitate ſacrorum rituum fuiſſe videtur.

Variæ ſolemnitates in Regum Iſraëlitarum inſtitutionibus , cum conglobarentur , quæri poſſet ; ad quam illarum Vates neceſſario advocarentur. Dubitationi autem breviter ut ſatisfaciam , pro certo dicendum arbitror ; Iſraëlitas nequaquam neceſſario conſueviſſe conſulere oracula , quando Rex inaugurabatur : ſed tunc tantum , quando eligebatur , deſignabatur , aut Princeps qui Rex erat futurus à Pa-
F tre , ſive à prædeceſſore , ſucceſſor declarabatur. Nam neque 2 Paralip. cap. ultimo , in quo de ſolemni Salomonis inauguratione agitur , Prophetam aliquem , aut Nathan adfuiſſe ſcimus. Lib. etiam 2. Reg. cap. 2. & 3. ſive de inauguratione Davidis ſuper tribum Juda ; ſive ſuper omnem Iſraël , ſive 4. Reg. cap. 11. de inauguratione Joaſi agatur ; numquam Prophetæ alicujus ſacer textus meminit.

A Samuelem enim adfuiſſe licet ſciamus, cum inauguratus fuit Saul, non ad conſulendum Dominum adfuiſſe conſtat, de quo nihil ibi ſcribitur, ſed ad immittendum Saulem in poſſeſſionem Principatus, ac Regni: quem Samuel uſque ad ea tempora, tanquam à Deo delegatus, non proprio, ſed Dei nomine adminiſtraverat. Quamobrem à regni adminiſtratione tunc ſemotus cum fuiſſet Samuel, ſyndicatui ſe expoſuit; ſibique crimina à populo ut objicerentur, in regiminis abdicatione rogavit, ubi in his quæ ad regimen pertinebant defeciſſe comprehenderetur: ut dicitur ibi cap. 12. his verbis: *Loquimini de me coram Domino, & coram Chriſto ejus,* B *utrum bovem cujuſquam tulerim, aut aſinum: ſi quempiam calumniatus ſum, ſi oppreſſi aliquem, ſi de manu cujuſquam munus accepi: & contemnam illud hodie, reſtituamque vobis, &c.* Itaque ad reſignandam Iſraëliticæ Reipublicæ adminiſtrationem, tantum tunc adfuit Samuel, cum Saul Rex fuit inauguratus.

Iſraëlitas verò Deum conſulere conſueviſſe, quoties aliquis Rex deſignandus, aut declarandus fuiſſet; ſatis valido argumento ſumpto ex ſacris libris, conjectari poteſt. Nam conſultum fuiſſe oraculum, quando Saul Rex fuit deſignatus, apertius quam deſiderari poſſet, habetur cap. 10. lib. 1. Reg. Similiter C etiam quando David fuit Rex declaratus, conſultum oraculum ex ſacris manifeſtum eſt litteris. David enim Regem à Deo deſignatum ſcimus: tum quia id Samueli 1. Reg. 16. revelatum fuit; tum etiam quia ſæpiſſimè de hoc in ſacris litteris ſcribitur; ut 2. Reg. cap. 12. ubi Nathan Propheta ex Dei mandato ad David ſic ait: *Hæc dicit Dominus Deus Iſraël: ego unxi te in Regem ſuper Iſraël, & ego erui te de manu Saul, & dedi tibi domum Domini tui, & uxores Domini tui in ſinu tuo, dedique tibi domum Iſraël & Juda. &c.* Si verò de tempore quæratur, quando conſultum fuerit oraculum ad David Regem deſignandum: lib. 2. Reg. cap. 12. haberi dicerem D in illis verbis: *Igitur poſt hæc conſuluit David Dominum dicens: num aſcendam in unam de Civitatibus Juda? & ait Dominus ad eum, aſcende, dixitque David, quò aſcendam? & reſpondit ei in Hebron.* Certum enim eſt hic David conſuluiſſe Dominum de Regno: nimirum quo in loco, aut qua in Urbe Regni auſpicia ex Dei præſcripto ſibi ſuſcipienda forent. Salomonem declaratum Regem, patris juſſu ex cap. 1. lib. 3. Reg. cognovimus: adfuiſſe Prophetam Nathan tunc quando deſignatus fuit Rex, ſimiliter certum eſt. Quamvis verò ibi à Propheta Deum conſultum, divinavè oracula minimè excepta ſcribatur: ſuſpicari tamen id poteſt; quia Salomon Rex à Deo deſignatus dicitur lib. 1. E Paral. cap. 28. Quando nimirum congregato conventu procerum Reipublicæ, ſic David loquitur ad illos: *Elegit Dominus Deus Iſraël me de univerſa domo patris mei, ut eſſem Rex ſuper Iſraël in ſempiternum. De Juda enim elegit Principes, porrò de domo Juda domum patris mei, & de filiis patris mei, placuit ei ut me eligeret Regem ſuper cunctum Iſraël. Sed & de filiis meis (filios enim mihi multos dedit Dominus) elegit Salomonem filium meum, ut ſederet in throno regni Domini ſuper Iſraël: & dixit mihi, Salomon filius tuus ædificabit domum meam, & atria mea, ipſum enim elegi mihi in filium, & ego ero ei in patrem.* Cap. etiam 29. dixit David ad proceres Reipublicæ: *Salomonem* F *filium meum elegit Deus, adhuc puerum & tenellum.* Ex quibus, aliiſque pluribus his ſimilibus locis ſacrarum litterarum apertè colligitur, Deum revelaſſe Davidi, ſe Salomonem elegiſſe, ut illi ſuccederet: cumque legimus 3. Reg. 1. Nathanem in deſignando ſucceſſore ſacerdoti, Davidis juſſu adfuiſſe, conſulendi oraculum de cauſa, non verò alia de ratione Sacerdoti tunc adfuiſſe, meritò cenſeri debet.

CAP. XII.

Oraculorum excipiendorum à Propheta ratio explicatur.

Ad loca 1. Reg. cap. 10. *& conſuluerunt poſt hæc Dominum: utrum nam venturus eſſet illuc. Reſponditque Dominus, ecce abſconditus eſt domi.* Ibid. cap. 24. *Et ait David. Domine Deus Iſraël, audivit famam ſervus tuus, quia diſponat Saul venire in Ceilam, ut evertat urbem propter me: ſi tradent me viri Ceilæ in manus ejus: & ſi deſcendet Saul, ſicut audivit ſervus tuus, Domine Deus Iſraël indica ſervo tuo.* & ad alia.

DIVINATIONUM varia genera, eaque ridicula, Dæmones utique adinveniſſe, hominibuſque veneranda propoſuiſſe, prophanis ex litteris conſtat. Aruſpicinam nimirum, Auſpicium, Augurium, & alia de quibus ex antiquis monumentis plures plura dixere. Haruſpex, ſive Aruſpex Hebraicè קֹסֵם *qhoſem* dicebatur. Latinorum verò vocabulum ab Harugis, id eſt hoſtiarum extis ſumitur, quibus inſpectis Haruſpices futura prædicebant. Qui quidem ἱεροσκόποι, id eſt ſacri inſpectores, & etiam θυοσκόποι, id eſt hoſtiarum inſpectores græcè dicebantur. Hujus veteris excogitati monſtri, deque illius divinandi genere, paſſim veteres ſcriptores, atque Poëtæ. Hinc illud Plaut. in Penul.

. . . . vetui exta proſicarier,
Neque ea aſpiccere volui, quoniam illa non bona Aruſpex dixit.

Et illud Adraſti apud Stat lib. 3. Thebaid. in conſultatione Divum pro bello Thebano de regno decertantibus Etheocle ac Polinice fratribus: de qua conſultatione, victimarumque inſpectione ſic Poëta loquitur:

Principio fibris, pecudumque in ſanguine divos
Explorant. jam tum pavidis maculoſa bidentum
Corda negant, diraque nefas minitantia vena.

Itaque Aruſpicum munus erat; hoſtiarum quæ ſacrificabantur viſcera inſpicere, à quibus hoſtiis Aruſpicis nomen derivatur. Nam Harugæ vocabulum, hoſtiam ſignificat: ut ait Donatus in illud Terentii in Phorm.

Haruſpex vetuit ante brumam aliquid facere.

Ab Haruga, inquit, *derivatur Haruſpex. Haruga autem eſt hoſtia, ſic dicta ab hara, in qua concluditur, & ſervatur.* Ita ille. *Hara* verò, ſtabulum anſerum dici conſtat ex Varrone de re Ruſt. lib. 3. cap. 10. ex Donato verò ſtabulum pecorum, *hara*, appellabatur. ex Colummela lib. 7. Stabulum porcorum hara nominatur. Quia enim Suillæ hoſtiæ apud Romanos, reliquis ſolemniores cenſebantur: quarum etiam exta in ſacris cum primis à vate inſpiciebantur: hinc profectò nomen Aruſpicis; ad ſignificandum illos, qui huic divinandi generi operam dabant, derivatum fuiſſe manifeſtum eſt.

Tanti fecere hanc inanem peritiam Romani, ut Cic. 3. de Divin. Reipublicæ neceſſariam aruſpicinam cenſuerit. Sic enim ait: *Ut ordiar ab aruſpicina, quam ego Reipublicæ cauſa, communiſque religionis, colendam cenſeo.* Tres aruſpices inſtitutos fuiſſe à Romulo ex Dionyſ. lib. 1. & 2., & Varr. lib. 4. de ling. lat. colligitur: licet poſtmodum nullius pretii fuiſſe,

Jaco-

Jacobus Guther. lib. 1. de vet. jur. Pontif. cap. 2. affirmet: & quaſi poſtliminio redeuntes, aruſpices reſtitutos Claudii Imperatoris temporibus ex auctoritate Taciti lib. 7. Annal. ſcribat: nihilominus ego ex loco Ciceronis nuper relato, hanc artem apud Romanos ſemper alicujus pretii extitiſſe crederem. Certum eſt enim adeò creviſſe hoc divinationis genus, ut aruſpices ad ordinem aliquando redacti fuerint: ut probat Gul. Guth. lib. 1. cap. 3. & reliqui qui illam profitebantur.

Satis nobis de aruſpicina, Augurio tantum nunc indigemus: ut inaugurationis regiæ vocabulum, illiuſque vim cognoſcamus. Augures enim bene gerendarum rerum ſtudio tenebantur: numinis verò conſilium ab aëre cum primis captabant; avium per aërem volantium vias, geſtus, atque garritus obſervantes: de quo ſic Tireſias celeberrimus antiquorum Vates apud Sophocl. in Antig. verſ. 1011.

Γνώσῃ, τέχνης σημεῖα τῆς ἐμῆς κλύων.
Εἰς γὰρ παλαιὸν θῶκον ὀρνιθοσκόπον
Ἵζων, ἵν' ἦν μοι παντὸς οἰωνοῦ λιμήν,
Ἀγνῶτ' ἀκούω φθόγγον ὀρνίθων κακῷ
Κλάζοντας οἴστρῳ, καὶ βεβαρβαρωμένῳ,
Καὶ σπῶντας ἐν χηλαῖσιν ἀλλήλους φοναῖς.
Ἔγνων· πτερῶν γὰρ ῥοῖβδος οὐκ ἄσημος ἦν.

Loquebatur Tireſias ad Creontem Regem Thebanum; eratque ei ad conſilia, omnibus in publicis negotiis: cumque Creon Polynicem inhumatum dimitti, avibus volucribuſque diſcerpendum juſſiſſet: peſſima ominatur ei Tireſias in præallegatis carminibus, quæ ſic interpretantur.

Scies, artis meæ ſigna audiens.
Nam in veterem ſedem augurii
Sedens, ubi erat mihi augurii portus,
Ignotam audio avium vocem
Malo impetu clangentium,
Et lacerantes ſe mutuo unguibus
Agnovi; nam ſtrepitus alarum non erat ſine ſigno.

Præmiſſis tamen ab augure nonnullis precationibus, Vates ad hæc obſervanda ſedebant; quas precationes ſic Statius lib. 3. Thebaid. retulit:

Ac prior Æclides ſolita prece numen amicat:
Jupiter omnipotens, nam te pernicibus alis
Addere conſilium, volucreſque implere futuri,
Ominaque, & cauſas cœlo deferre latentes
Accipimus . . . .

Qua pariter ratione ducti, augurandi artem veteres repererint, Statius ibidem inſinuat dicens:

. . . . *mirum unde ſed olim*
Hic honor alitibus. Superæ ſeu conditor aulæ
Sic dedit effuſum chaos in nova ſemina texens,
Seu quia mutatæ, noſtraque ab origine verſis
Corporibus ſubiere Notos, ſeu purior axis
Amotumque nefas, & rarum inſiſtere terris
Vera docent. Tibi ſumme ſator, terræque Deumque
Scire licet . . . .

Quamobrem hoc genus obſervationis ab avium geſtu, hoc eſt ab avium volatu, augurium dictum conſtat; quaſi avigerium; vel avigarium, ab avium garritu. hebraice autem hæc ſuperſtitio נחש *niches* dicebatur.

Cum igitur novi Principis electio, ad res bene gerendas in Republica cum primis pertineat; hac de cauſa abſque augure Princeps, nec inſtituebatur, nec eligebatur. Quin adeo augurum obſervatio electioni novi Principis jungebatur, ut non ſolum quodcumque dignitatis exordium, inauguratio lati-

A nè dicta fuerit; ſed etiam augurii nomine, quodcumque divinationis genus, aliquando apud veteres Romanæ linguæ ſcriptores ſignificetur: propterea tam Aruſpex, quam Auſpex ſub poteſtate Auguris erant.

Superſtitionis hujus adeo ſtudioſi veteres Romani fuerunt: ut nequaquam quacumque via Capitolium augurii cauſa capeſſendi aſcenderent; ſed certam aliquam tenerent, per quam ad capiendum augurium procederent: quæ hac de cauſa, ut puto, ſacra via dicebatur. Certus quoque illis locus erat, in quo auguria obſervarent, auguraculus apellatus.
B Nam de via, quæ ſacra erat; Varro lib. 4. de ling. lat. ubi de regionibus Romanis, illarumque loquitur vocabulis: *Cerlienſis*, inquit, *a carinarum juncta, dictus Carinæ, poſtea Ceronia; quod hinc oritur caput ſacræ viæ, ab Stireniæ ſacello, quæ pertinet in arcem, qua ſacra quotquot menſibus feruntur in arcem, & per quam augures ex arce profecti, ſolent inaugurare.* Qui locus ſatis difficilis ſatiſque corruptus quamvis videatur, corrigant illum Turnebus, Scaliger, & alii harum literarum homines: non enim nunc nobis eſt ad rem de illius loci emendatione agere.


Sed quid ſibi velit Varro in illis verbis. *Per quam augures ex arce profecti ſolent inaugurare*, ad rem noſtram cum faciat, ab aliis loci obſcuritatem illu-
C ſtratam non video, cum tamen prætereunda non ſit: ſuſpicionem namque affert, quomodo augures extra arcem inaugurarent. Ad loci declarationem obſervandum duxi, in arce quidem inauguraculum extitiſſe: de quo Feſtus, *Inauguraculum*, inquit, *appellabant antiqui, quam nos arcem dicimus: quod ibi augures publicè auſpicarentur.* Ex qua lectione auguraculum, Scaliger in notis ad Varron. & Turnebus lib. 20. adverſ. cap. 35 locum Varronis lib. 4. de ling. lat. corrigunt, cum de colle latiari loquuntur. Victor etiam locum augurii capiendi, quem auguratorium appellat, in Capitolio collocat. Higinus etiam in lib. de caſtris metandis, in Ro-
D manorum caſtris auguraculum extitiſſe ſcribit; quod à Tacito augurale vocatur. Cum igitur auguraculum in arce apud Romanos eſſet, & in eo augures augurari ſolerent, Varronis locus à nobis allatus, pluribus adhuc tenebris tegitur. Quod enim is velit, augures ex arce profectos inaugurare conſueviſſe, alii me doctiores ad longum examinabunt.

Nobis breviter ab auguraculo ſumpto argumento, dicendum videtur: in arcem augures primum aſcendere conſueviſſe, ibique auguriis obſervatis, inaugurare quicumque inaugurandus eſſet: ſive Rex ad
E Regnum, ſive Princeps ad Principatum. Enimverò in arce inaugurari Principes conſueviſſe Plut. in Numa ſcribit, & ab aliis veteris hiſtoriæ Scriptoribus traditur. Hanc autem augurii ab eis, qui foris expectabant prædictionem, à Varrone lib. 4. ling. lat. appellari inaugurationem arbitror: ideoque in præallegato loco dixiſſe, *Quod augures ex arce profecti ſolent inaugurare*; hoc eſt, publicare augurium. Ego locum perobſcurum ſic interpretor ex Statio lib. 3. Thebaid. apud quem augures, qui augurii locum aſcenderant, reſponſa minime reddunt; niſi poſtquam de monte, locoque in quo auguria obſervarant, deſcendiſſent; ſacraque augurii inſi-
F gnia depoſuiſſent. De quo ita ille:

Ergo manu vittas, damnataque vertice ſerta
Diripit, abjectàque inhonorus fronde Sacerdos,
Inviſo de monte redit.

Quia vero augures varias avium operationes attendebant; à diverſitate illarum, ipſi quoque munia, ac nomina diverſa ſortiebantur. Præpetes enim qui

avium volatu aliquid prædicebant, appellabantur. Oſcines, qui cantu, paſtuque bonum omen futurum alicui prænunciabant. Nam à cibo avidè ab avibus ſumpto, fœlicitatem; ſiniſtrum auſpicium, ſi à cibo aves abſtinuiſſent, vates prædicebant: quo ſanè nihil futilius excogitari poterat. Quis enim non videt, avidè quidem cibum ſumpturas aves, ſi jejunis paſtus admoveatur? minus verò avidè, ubi jam ſaturæ, aut minus gratus cibus, illis ipſis porrigeretur? Dicebatur verò hæc ſuperſtitio, aviſpecium ab avibus ſpectandis. In quibus quidem obſervationibus, adeò ſtudioſi veteres erant: ut ſub tripodibus ſacrificialibus, ad religionis ſtudium oſtentandum in nummis, gallos gallinaceos cuderint, paſtum avide ſumentes, ut hic.



Verum à prophanis ad ſacra redeuntes, quæ noſtri ſunt inſtituti; ſacrorum oraculorum repetamus libros, in quibus cum multa ſint difficillima, ſcituque digniſſima: ſupereſt inquirendum qua ratione fieret ea oraculi conſultatio, per quam magiſtratus à Regibus Iſraëlitis exordiebatur. Ut autem omnia pro viribus breviter explicentur; obſervandum duximus; dupliciter conſueviſſe ſacram conſultationem ab Hebræis fieri; nimirum vel interrogando Numen, ſcilicet, utrum rem, quam quis facere intendebat, Deus probaret, necne: vel de aliqua re jam facta exquirendo, an rite id factum eſſet. Quoties enim aliquid fieret, quod vel de jure, aut ex conſuetudine, aut aliqua alia ratione faciendum fuiſſet; approbatioque ex divino beneplacito penderet, oraculum conſulebatur.

Interrogationibus igitur his, aut vocibus, ſive per ſomnium, aut viſione, aut etiam ſignis in Ephod Deus ſuum placitum aperiebat. Hæc quatuor reſpondendi genera cum Deus conſuleretur, ſacris hauriuntur ex literis. Nam cum cap. 19. Numer. Maria & Aaron de Moyſe ſubmurmuraſſent, diſcrimenque inter Moyſen, ac reliquos Prophetas, ex modo manifeſtandi ſupernaturalia arcana Deus adferret: formam Prophetis reſpondendi aperuit dicens: *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad illum.* Et cap. 2. lib. 1. Reg. cum Saul à Philiſthæis ex adverſo contra illum pugnantibus arctaretur; bellique eventum à Deo cognoſcere deſideraret: qua ratione Deum ille conſuluerit, ſacer textus expreſſit dicens: *Conſuluitque Dominum, & non reſpondit ei, neque per ſomnia, neque per ſacerdotes, neque per prophetas.* Ex quibus duobus ſacrarum litterarum locis, quatuor excipiendi divina oracula rationes ſubodorantur: nimirum per Sacerdotem, per Prophetam, per Viſionem, & per Somnium: quibus ſi addatur altera quæ erat per Ephod, de quo cap. 23. lib. 1. Reg. & alibi ſcribitur: quinque excipiendi divina oracula habebuntur modi: niſi unum, ac idem genus reſpondendi per Ephod, atque per Sacerdotem fuiſſe velimus. Quamobrem hoc reſponſionis genus per verbum δῆλος ſignificatur in ſacris litteris 1. Reg. 28. cum Saul pugnæ exitum à Deo quæſiviſſet: καὶ οὐκ ἐπακήκοέ μου ἔτι, καὶ ἐν χερσὶ τῶν προφητῶν, καὶ ἐν τοῖς ἐνυπνίοις, καὶ ἐν τοῖς δήλοις. hoc eſt. *Et non exaudivit me jam amplius, neque in manu prophetarum, neque in ſomniis, neque in manifeſtis.* hoc eſt, *apertè*, ubi dictio δήλοις reſpondet dictioni ſacerdotis, quæ in noſtro legitur textu ejuſdem loci. Itaque aut expreſſis vocibus, ac ſignis, vel imaginibus in ſomno, vel ſymbolis, Dominus ſua oracula, ſuaſque reſponſiones edidiſſe ex ſacris litteris manifeſtum eſt.

Excipiendorum oraculorum has methodos, Græcis quoque atque Romanis cognitas fuiſſe, veteribus ex ſcriptoribus ſubodorari poteſt. Huc enim reſpicit illud Statii lib. 2. Thebaid. apud quem Polynices diſſuadetur à bello cum fratre Etheocle; ſumpto argumento ab infauſtis prædictionibus, atque ominibus, quibus Dei prænunciabantur irati; de quo ſic ille cecinit:

Me quoque nunc Vates, nunc extà minantia divos,
Aut avium lapſus, aut turbida noctis imago
Territat, hanc memini, nunquam mihi falſa per umbras
Juno venit . . . .

In quibus Poëta elegantiſſimus; ad oraculorum excipiendorum genera ex ritu Romano reſpicit: eaque ad vatem, ad aruſpicem (in quo etiam genere augurium reponitur); & tandem ad ſomnium illa omnia revocavit. Hæc etiam ipſa ex ritibus, ac cæremoniis Græcorum manifeſta ſunt: nam ex Homero Iliad. lib. 1. cùm Græcorum exercitus peſte vexaretur, & Agamemnon totius exercitus Imperator, Duces, ac Proceres in concionem, conſilii capiendi de cauſa advocaſſet: ſic Achillem ad reliquos Proceres loquutum fuiſſe Poëta ſcribit:

Ἀλλ' ἄγε δή τινα μάντιν ἐρείομεν, ἢ ἱερῆα,
Ἢ καὶ ὀνειρόπολον, καὶ γάρ τ' ὄναρ ἐκ διός ἐστιν·
Ὅς καὶ εἴποι, ὅ, τι τόσον ἐχώσατο Φοῖβος Ἀπόλλων.

Ex quibus tria apud Græcos frequentiora, ſanctioraque genera excipiendorum oraculorum habentur: per vatem nimirum ſive prophetam, per ſacerdotem, & denique per ſomniorum interpretem. Sic enim allata jam carmina interpretantur; & Achillis ad Agamemnonem ſententia ſonat:

Sed age jam aliquem vatem interrogemus, vel Sacerdotem,
Vel ſomniorum interpretem, (nam etiam ſomnium ab Jove eſt)
Qui dicat, cur tantum iratus ſit Phœbus Apollo.

Vocibus apertis Deum aliquid aliquando manifeſtaſſe, niſi raro puto, præſertim poſtquam Moyſes è vivis exceſſiſſet. Hæc autem reſponſa non alibi, quam in ſacro tabernaculo audiebantur, in quo ſacra habebatur arca: ut verè eſſet illud, quod Dominus ad Moyſen aliquando dixit de arca: *Inde præcipiam tibi, & loquar ad te, quæcumqae mandavero per te filiis Iſraël.* Qui quidem Dei loquendi modus, licet frequentior cum Moiſe fuerit, non tamen ita cum reliquis; nam ſemel tantum hac ratione Deum loquutum ſcimus Samueli 1. Reg. 1. dum dormiret propè tabernaculum: niſi velimus ſub eadem loquutionis fortaſſe forma intelligere; quod ſæpiſſimè apud Prophetas legimus: *Dixit Dominus ad me.* Si vero juxta hanc phraſim, loca alia ſacrarum Scripturarum interpretari velimus; vocibus quoque Deum ad interrogata reſpondiſſe ſuſpicari poſſet, ex his quæ

quæ 1. Reg. cap. 10. leguntur, in quo Saulis abſentia ſcribitur, cum Rex ab Iſraëlitis eligeretur, & Deus de reperiundo Saule conſultus ſcribitur his verbis : *Et conſultaverunt poſt hæc Dominum*, dicit textus, *utrumnam venturus eſſet illuc ; reſponditque Dominus : Ecce abſconditus eſt domi.* Quæ idem divina reſponſio, vocibus expreſſa, à populo excipi potuit non immediatè, ſed mediante Samuele Propheta, qui Domini voces excipiebat, & ad populum Dei placita referebat.

Viſionibus Deus frequentiſſimè reſpondebat Prophetis : hac enim de cauſa Prophetæ Videntes appellabantur. Probantur hæc ex innumerabilibus, quæ in eorum libris leguntur locis. At reſponſio per ſomnium etiam ad non prophetas extendebatur. Erat enim hoc genus reſponſionis ænigmaticum, ac ſymbolicum : quale fuit illud ſomnium, quod habuit Joſeph in ſacra Geneſi de Sole, & Luna cum duodecim Stellis, quæ ipſum adorabant. Pari ratione ſomnium quod vidit, de manipulis procidentibus in meſſe coram manipulo illius, quibus principatus eidem denunciabatur. Ejuſdem generis fuit ſomnium quoque Pharaonis, quod ſeptennalem famem denunciabat: propterea Saul, quamvis Propheta non eſſet; conqueritur tamen cap. 28. lib. 1. Reg. quod Deus minimè ſibi per ſomnium reſpondiſſet. Ad hæc autem ſomnia interpretanda Propheta opus erat; qui Symbola, & ſomniorum ænigmata aperiret. In quibus interpretandis, Scripturis ex ſacris, Joſeph, & Daniel plurimum commendantur.

Reſponſio denique, quæ per Ephod alicui concedebatur; neque ænigmatica; neque Symbolica appellari poteſt: quia nullis imaginibus apparentibus, ſed ſignis præſtabatur : micantibus nimirum, vel deficientibus gemmarum ſplendoribus, quæ in Rationali ad pectus ſummi ſacerdotis intextæ habebantur. In his enim affirmationis, vel negationis ſigna à Deo dabantur circa ea, de quibus oraculum conſulebatur : eiſdem namque ſignis, facta, vel facienda ab eis, qui Deum adibant approbabantur, vel reprobabantur : quamobrem ad hæc etiam ſigna interpretanda Propheta opus erat ; non enim illorum ſignorum interpretatio à Sacerdote haberi poterat; qui Ephod in pectore geſtabat : cum ille ipſe obſervare, aut conſpicere hujuſmodi ſigna minimè poſſet ; neque alicui ex minoribus Sacerdotibus Ephod impoſito, gemmarum ſigna obſervare Pontifici, aut Sacerdoti licebat : quamobrem ad ea ſigna interpretanda, & divini beneplaciti expreſſionem, Prophetam adhibendum fuiſſe certiſſimum arbitror, quoties Deus per Ephod conſuleretur.

Comprobantur, quæ diximus ex illo Davidis, *Applica mihi Ephod.* Nam David dono prophetico nobilitatum fuiſſe negari non poteſt : cum igitur cap. 23. lib. 1. Reg. David dubitaret; deſcenſurusne foret Saul in ruinam urbis Ceilæ; atque etiam fides Ceiletarum ſibi ſuſpecta haberetur ; per Ephod conſuluit Dominum ; Ephod adminiſtrante Sacerdote Abiatharo, quo præſente David oraſſe, atque interrogaſſe Dominum legimus. Hæc ita in ſacro textu ſcribuntur : *Quod cum David reſciſſet, quia præpararet ei Saul malum, dixit ad Abiathar Sacerdotem : Applica Ephod : & ait David ; Domine Deus Iſraël, audivit famam ſervus tuus ; quod diſponat Saul venire in Ceilam, ut evertat Vrbem propter me. Si tradent me viri Ceilæ in manus ejus ; & ſi deſcendet Saul ſicut audivit ſervus tuus? Domine Deus Iſraël, indica ſervo tuo : & ait Dominus : Deſcendet. Dixitque David, ſi tradent me viri Ceilæ, & viros qui ſunt mecum in manibus Saul? & dixit Dominus : Tradent. Surrexit ergo &c.* Non itaque Sacerdotem Dominum interrogaſſe, aut Dominum oraſſe, aut Dei nomine reſponſa ad David retuliſſe in ſacro textu ſcri-

A bitur ; ſed tantum Ephod Sacerdotem miniſtraſſe, atque ad conſpectum Davidis Prophetæ attuliſſe; David verò coram Ephod Dominum oraſſe, ac interrogaſſe.

Quamvis verò ritus, atque cæremoniæ conſulendi Dominum per Ephod minimè hodie cognoſcantur ; ſi tamen ex Scripturis ſacris ſubodorari aliqua poſſent; affirmare, ut puto, liceret ; quod præmiſſis ſacrificiis, adhibita quoque oratione pro reſponſione extorquenda, demum propoſitis quæſtionibus, conſueverant Iſraëlitæ, quæſitorum à Deo reſponſa expectare. Præmiſſionem ſacrificiorum in divorum conſultatione, etiam prophanæ religionis ſectatores fir-
B miter retinuere : ea propter Helenus apud Virgil. lib. 3. Æneid. conſulturus numina pro Ænea, ſacra prius operatur. De his Virgilius ita ſcripſit :

Hic Helenus cæſis primum de more juventis,
Exorat pacem Divum, vittaſque reſolvit
Sacrati capitis, meque ad tua limina Phœbe
Ipſe manu multo ſuſpenſum numine ducit :
Atque hæc deinde canit divino ex ore ſacerdos.

Hæc autem ſacrificia de more præmiſſa dicit Poëta ex ritu conſultationis : quemadmodum etiam lib.
C 6. Æneid. Sybilla numen pro Ænea conſultura, ſacrificia præmittere jubet, dicens.

Nunc grege de intacto ſeptem mactare juvencos
Præſtiterit, totidem lectas de more bidentes.
Talibus affata Æneam, nec ſacra morantur
Juſſa viri . . . . ,

Hos etiam ritus ſervaſſe Iſraëlitas ex ritu conſultationis, ſuadet aperte illud Davidis ad Abiatharum de Ephod : non enim Sacerdoti Ephod pontificali uti licebat ; niſi ſolemnioris ſacrificii, ut puto, adfuiſſent hoſtiæ. Sed eſto hic non adfuerint; Samuel conſulturus Dominum de ſucceſſore Saulis, præmiſiſſe ſacrificia in Bethlehem cap. 16. lib. 1. Reg.
D ſcribitur. Etenim inter ipſa ſacrificia Samuel ad Deum converſus dicebat : *Num coram Domino eſt Chriſtus ejus?* David pariter 1. Reg. cap. 23. Dominum inter ipſa ſacra conſuluiſſe, atque oraſſe arbitror. Cauſam enim ſuæ neceſſitatis primo aperuit dicens : *Domine Deus Iſraël, audivit famam ſervus tuus, quod diſponat Saul venire in Ceilam, ut evertat Vrbem propter me.* Qua expoſita neceſſitate, & ratione deprecationis allata, ponit interrogationes dicens : *Si tradent me viri Ceilæ in manu ejus? & ſi deſcendet Saul, ſicut audivit ſervus tuus?* His explicatis orat Dominum ſibi manifeſtari, quæ deſiderabat dicens : *Domine Deus Iſraël indica ſervo tuo &c.* He-
E braicè הגד *haghed*, ideſt, *manifeſta ſervo tuo.* Non enim David deprecatur Deum; ut verbis ſibi reſpondeat : ſed ut manifeſtet, & indicet, (ut puto per ſigna) quid ſibi agendum ſit. Attendatur quæſo reſponſio ad interrogata, per unicum verbum : imò per idem, per quod fuerat interrogatus Dominus. Interrogaverat David, *Si deſcendet.* Huic interrogationi fit ſatis per vocem, deſcendet: *Et ait Dominus, Deſcendet.* Illa enim verba, *& ait Dominus*, ſunt ſcriptoris : at verò τὸ *Deſcendet*, eſt Domini ſatisfacientis ad interrogationem. Non quidem, quod verbis dixerit Dominus, *Deſcendet*, ſed quod ſignis in Ephod annuerit ad verbum, *Deſcendet.* Deinde
F ſecundò interrogat David : *Si tradent me viri Ceilæ, & viros, qui ſunt mecum, in manus Saul.* Ad quam interrogationem non reſpondit Dominus verbis dicens, *tradent*, utique te viri Ceilæ, & viros qui tecum ſunt : ſed tantum, *tradent*, per ſigna conſueta in Ephod, partem affirmantem exprimendo. Ex quibus, tantiſper conſulendi Deum in ſcripturis, forma & excipiendi oracula à Prophetis, Dei quo-

quoque reſpondendi per Ephod modus, expiſcatur.

Eſt etiam alter in ſacris literis locus inſignis, cujus auctoritate, quammaximè forma hæc conſulendi oracula, hauſta ex ſacris textibus comprobari poſſet. Locus eſt cap. 30. lib. 1. Reg. ubi Amalecitæ Siceleg prædati erant: & non ſolum habitatores Urbis, ſed etiam uxores illorum, qui erant cum David, in captivitatem abduxerant, ita ut nec uxoribus ejuſdem Davidis pepercerint. Quamobrem omnes milites in David inſurgentes, parum defuit, quin illum lapidibus obruerent. Cogitavit igitur David, Amalecitas illos inſequi, prædamqe ab illis repetere: verùm id inconſulto Numine aggredi non eſt auſus: propterea *ait*: *ad Abiathar Sacerdotem filium Abimelech*, inquit ſacer textus, *Applica ad me Ephod. & conſuluit David Dominum dicens, Perſequar latrunculos hos, & comprehendam eos, an non?* Ex quo ſanè ſacræ Scripturæ loco adhuc apertius, forma conſulendi Dominum, quam diximus per Ephod, illumque interrogandi de aliqua re, expiſcatur: nimirum per disjunctivam ſic, erit hoc, vel non? faciam hoc, vel non? fiet hoc, vel non: rectène hoc factum fuit, vel non? & ſimilia: *Dixitque ei Dominus*, ſubdit textus, *Perſequere, abſque dubio enim comprehendes eos, & excuties prædam.* Non quidem, ut dicebamus, quod vocibus, ita reſponderit Deus, ſed ſignis datis, per Ephod approbavit; quod David illos perſequeretur: & hac ratione dixit, *Perſequere.* Ad ſecundam verò interrogationem reſpondit, præſtando ſigna affirmationis, *comprehendes.* Nam reliqua verba antecedentia poſita ſunt à ſcriptore ad explicationem illorum quæ quærebantur, & certitudinem oraculi firmandam. Hebraicè enim eadem omninò verba in interrogationibus his, atque in reſponſionibus habentur. Ex quibus liquido, me judice, modus ac forma conſulendi divina oracula per Ephod, ex ſacris ſubodoratur oraculis, ac tantiſper, quæ antiquitatis velo velata ſunt, deteguntur.

CAP. XIII.

Inaugurationis Oracula, qua forma ab Iſraëlitis ſortibus quærerentur.

Ad locum 1. Reg. 10. *Nunc ergo ſtate coram Domino per tribus veſtras, & per familias: & applicuit Samuel omnes tribus Iſraël, & cecidit ſors ſuper tribum Benjamin: & applicuit tribum Benjamin, & cognationes ejus, & cecidit cognatio Metri, & pervenit uſque ad Saul filium Cis.* & ad alia &c.

DIVINORUM in Romana Republica munera expiſcari, non eſt adeo difficile. Etenim obiter Romanarum hiſtoriarum ſcriptores, dum Regum, atque Imperatorum inaugurationes literis commendarunt; aliqua etiam de oraculis Numinumque conſultatione in Regia inauguratione ex avium volatu tradiderunt. Loquitur de his Plutarchus in Numa ſic: *Aſſumens autem*, ſupple Numa, *divinos & ſacerdotes, aſcendit in Capitolium; Tarpejum illum collem tunc Romani appellabant. Ibi Princeps divinorum, velatus quidem, & ad meridiem converſus, ipſe autem adſtans, à tergo, & dextera capiti ejus impoſita precabatur; & circumſpiciebat, quæ prædicerent auguria, & Symbola à Diis data, ubique oculos circumferens. Incredibile autem ſilentium multitudinis talis in platea habebatur, expectantibus, & de futuro eventu ſuſpenſis; quouſque prædixerunt, aves bonas & dexteras fuiſſe conſpectas.* Ex quibus

A Plutarchi verbis plura habentur, quæ ad inaugurationem Principum, illiuſque cæremonias in excipiendis oraculis ex ritu Romano ſpectant.

Locus itaque capiendorum auguriorum ab eo primò deſcribitur: quem fuiſſe Capitolium apud Romanos tradit; & delicatius locum exprimens Ταρπήϊον, ait, *αὐτὸ λόφον οἱ τότε Ῥωμαῖοι προσηγόρουν·* Qui locus auguriorum, pars illa Capitolii erat, quæ alio nomine Tarpejum dicebatur, ſummum videlicet Capitolii cacumen, ut diximus capite præcedenti: Nam eminentem aliquem augures conſcendiſſe locum, capiendorum auguriorum de cauſa, etiam ex ritu Argivorum ſcribit Statius lib. 3. Thebaid. dum in limine belli Thebani Numina conſulere
B juſſit, & de loco Poëta ait:

Mons erat audaci ſeductus in æthera dorſo,
Nomine Lernæi memorant Apheſanta coloni,
Gentibus Argolicis olim ſacer.

Et ſtatim infra Vatum conſcenſum ad montem, in quo auguria erant captanda, explicat dicens:

Huc gemini vates ſanctam canentis olivæ
Fronde comam: & niveis ornati tempora vittis
Evadunt pariter . . . . , . . .

Quemadmodum etiam cum Numa, *μάντεις καὶ ἱερεῖς*,
C id eſt Sacerdotes & augures Capitolium conſcendiſſe Plutarchus ſcripſit. Quamvis eò ſacerdotes nequaquam aſcenderent, ut ſacra aliqua operarentur; ſed tantum, ut auguri adſtarent. Aſcendebant Capitolium augures etiam reliqui; ut unà cum augurum Summo, vel cum eo ad quem tunc illud munus incumbebat, avium volatus, atque garritus obſervarent. De quo Poëta, ubi ſupra, ſic ait:

Poſtquam ritè diù partiti Sidera cuncta
Perlegere animis, oculiſque ſequacibus auras;
Tunc Amythaonius longo poſt tempore vates;
Nonne ſub excelſo ſpirantis limine cœli
D *Amphiarae vides verſus, ut nulla ſerenos*
Ales agat? liquidoque polum complexa meatu
Pendeat? aut fugiens placabile plauſerit omen?

Et ſtatim infra.

. . . . . . diræ ſtrident in nube volucres,
Nocturnæque gemunt ſtriges, & feralia bubo
Damna canens . . . .

Inaugurandus meridiem verſus reſpiciebat; quò etiam convertebat ſe augur ad tergum inaugurandi conſiſtens, ſeu ſedens ſuper lapidem; ut tradit Feneſtella: cui videtur conſentire Statius lib. jam cita-
E to 3. parum ſupra ab eo loco, quem retulimus dicens:

. . . . . . ſic fatus & alto
Membra locat ſcopulo, tunc plura, ignotaque jungit
Numina, & immenſi fruitur caligine mundi.

Caput auguris alba vitta, de more reliquorum ſacerdotum velatum, oleaque coronatum viſebatur: lituo regiones, nimirum anteriorem, poſteriorem, dexteram, atque ſiniſtram deſignabat: deinde dextera inaugurandi caput protegebat; Deorumque opem his verbis implorabat; ut ſcribit Livius:
F *Jupiter Pater, ſi fas hunc Numam Pompilium, cujus ego caput teneo, Regem Romæ eſſe: uti nobis ſigna certa ac clara ſint inter hos fines, quos feci; tum peragit verbis auſpicia, quæ mitti vellet.* His peractis à Diis, augur volatu dextero avium ad votum regnorum, ut videmus ex Plutarcho, attendebat.

Verùm qua ratione in Regum Iſraëlitarum inaugurationibus, divinum beneplacitum ab Iſraëlitis ex-

exquireretur, divinaque oracula exciperentur; ſatis perobſcurum eſt. Hoc autem nobis planè conſtitutum ſit; Iſraëlitas nequaquam conſueviſſe tunc conſulere oraculum, cum Rex ſacra unctione publicè inaugurabatur; ſed tunc quando deſignabatur, aut declarabatur; ut cap. 11. dicebamus: quam Regis futuri deſignationem, atque declarationem ſortibus primo factam fuiſſe ſacra tradunt oracula. Sic enim cap. 10. lib. 1. Reg. ſcribitur: *Nunc ergo ſtate coram Domino*, inquit Samuel ad conventum Reipublicæ, *per tribus veſtras, & per familias: & applicuit Samuel omnes tribus Iſraël, & cecidit ſors ſuper tribum Benjamin: & applicuit tribum Benjamin, & cognationes ejus, & cecidit cognatio Metri, & pervenit uſque ad Saul filium Cis.*

Sacrificia & orationes præceſſiſſe ſortitionem, locus allatus & phraſis dicendi ſacri textus id indicant. Nam quantum ad locum, is erat Maſphat, in quo conventus populi agi conſueverant; ut dicitur etiam Judic. 20. Motivum verò conveniendi Iſraëlitis in Maſpha potius, quam alibi, à ſanctitate loci deſumebatur, me judice: quia nimirum, *locus orationis erat in Maſpha.* Multa enim Oratoria fuiſſe apud Iſraëlitas in terra promiſſionis; quæ προσευκτήρια Græca dictione vocabantur, Joſephus in vita ſua longè poſt medium ſcribit. Illud idem Philo de vita Moyſis affirmat dicens: *Apud Judæos deſtinata oppidatim ſacris precationibus loca, quæ proſeuchas vulgus nominat.* ſupple, habebantur.

Nunc à verbis, *ſtate coram Domino*, & à phraſi illa dicendi, *Et applicuit Samuël omnes tribus Iſraël*, & à ſortiendi forma, ſacra mactata fuiſſe in regia inſtitutione monſtretur, ſacraque orationibus communita fuiſſe, nobis probandum eſt. Vox enim, *ſtare*, ex phraſi ſacrarum literarum orantis eſt, ut notum eſt omnibus, juxta illud Pſalmi, *Stantes erant pedes noſtri in atriis tuis, Jeruſalem.* Et alibi ſæpè ſacris in literis, hæc ipſa phraſis idipſum ſignificat. Etenim Saulem etiam oraſſe legimus 1. Reg. cap. 14. cùm ſortibus inveſtigare vellet, oraculo conſulto, quis peccaſſet in exercitu, propter cujus peccatum reſponſa ſibi à Deo denegari ille arbitrabatur: quamobrem antequam Saul tunc ſortiretur; ſic Dominum oravit: *Domine Deus Iſraël, da indicium: quid eſt, quod non reſponderis ſervo tuo hodie.* Sic etiam in novo teſtamento Act. 1. cum locum Judæ proditoris Apoſtoli ex alio digniori ſupplere vellent; remque ſortibus committendam fore ſtatuiſſent; orationem ſortitioni præmiſerunt: de quo ita Act. 1. *Et orantes dixerunt: tu Domine, qui corda noſti omnium, oſtende, quem elegeris ex his duobus unum.*

Verbum, *applicuit*, quod habetur loco citato, ex ſacrarum literarum phraſi, eſt alicujus Dominum inter ipſa ſacrificia conſulentis: cui conſultationi oratio ab Iſraëlitis præmitti conſueverat. Hebraicè namque ibi eſt vox וַיַּקְרֵב *vajaqhrebh* in conjugatione hiphil: cui verbo in illa conjugatione, eſt adeo proprium ſignificare ſacrificii alicujus, oblationiſque in eodem ſacrificio munus; ut quoties de ſacris operandis, aut de aliqua re Deo conſecranda ſit ſermo; idque ſacris præmiſſis fieri debeat; ubique in toto Leviticorum libro per hoc verbum קָרֵב ſacer ille actus exprimatur: & ab eodem verbo, ipſa oblatio hoſtiaque ad ſacrificium deſtinata קָרְבָּן *qhorban* ex Hebraica phraſi appellatur.

Aperiuntur adhuc magis quæ de orationibus ac ſacrificiis diximus, conſultationi Numinis præmitti ſolitis ex cap. 7. lib. 1. Reg. ubi cum Samuel populum ad pœnitentiam excitare, atque ab Idololatria, cui uſque ad illud tempus operam dederat, revocare, & ad contemptum Idolorum excitare vellet; comitia Reipublicæ Iſraëliticæ in Maſphat indixiſſe, ibique oraſſe, & ſacrificia obtuliſſe, in ſacra hiſtoria

A ſcribitur his verbis: *Dixit autem Samuel: Congregate univerſum Iſraël in Maſpha, ut orem pro vobis Dominum.* Et infra verſ. 9. ſubinſertur: *Tulit autem Samuel agnum lactentem unum, & obtulit illum in holocauſtum integrum Domino. Et clamavit Samuel ad Dominum pro Iſraël, & exaudivit eum Dominus.* Conſtat igitur Maſphat locum extitiſſe orationibus ſacrificiiſque deſtinatum. Dicebamus autem Myrothecio ſecundo, minimè vetitum fuiſſe Iſraëlitis, quominus ſacrificia offerrent, altariaque erigerent, quocumque in loco alicujus divini beneficii memoria haberetur: quin etiam hac occaſione ad luſtrationem areæ, aquam ibidem Iſraëlitas hauſiſſe explicavimus

B in eodem Myroth. cap. 31. Ut nimirum in ea area altare holocauſti erigeretur. Et licet aliquando apud nos ibidem inconſideratè, ſacri tabernaculi mentio pro area obrepſerit; Benevolum Lectorem precamur, ne velit noſtram ſententiam interpretari, quòd ibi ſacrum tabernaculum erectum crediderimus; ſed tabernaculi vocabulo aream aulæis circundatam, quæ ad inſtar tabernaculi pro ſacrificio ibidem faciendo parabatur atque luſtrabatur, vocem accipiat. Maneant igitur explicata illa ſacri textus verba, *State coram Domino*, ex phraſi orationis. Et illud quoque, *& applicuit*, ex ritu ſacrificiorum: ſicut etiam in unctione Davidis puerili à Samuele a-

C ctum fuiſſe cognovimus. Quibus ſacrificiis, atque orationibus, perpetuò inaugurationes conſociabantur.

Conſultatio numinis per ſortes, in ſacris oraculis, tam veteris, quam novi Teſtamenti, à viris piis non videtur aliena fuiſſe: nam S. P. Auguſtinus in Pſalm. 30. ait: *Sortes nihil eſſe mali, ſed rem eſſe, quæ in dubitatione humana, indicat Dei voluntatem.* Quam quidem doctrinam idem S. Doctor in epiſtola ad Honoratum, in qua de fuga in perſecutione ſermo eſt; & in libro de doctrina Chriſtiana, cum de eleemoſyna agit, confirmat. Ex ſacris enim oraculis docemur ſortes à Deo, non autem ab hominibus mo-

D derari: juxta illud Proverb. 16. v. 36. *Sortes mittuntur in ſinum, ſed à Domino temperantur.* Quamobrem ſortibus res dubias in ſacris oraculis veteris Inſtrumenti committi interdum ſolitas, perſpicuum eſt. Nam Joſue 7. ver. 14. cum exercitum Iſraëliticum anathemate pollutum Imperator intelligeret; peccatoremque adreperire cuperet, poſt exercitus luſtrationem, ſortibus rem committendam putavit. Quamobrem ſic decreviſſe legimus: *Accedetiſque mane ſinguli per tribus veſtras; & quamcumque tribum ſors invenerit; accedet per cognationes ſuas, & cognatio per*

E *domos, domuſque per viros.* Similiter etiam cap. 14. lib. 1. Reg. cum ut dicebamus, oraculum Saul conſuleret; & nullo ab oraculo dignaretur reſponſo; idque peccato alicujus ille tribueret: veritatem inquirere ſortibus decrevit. De quo ita Joſeph. lib. 7. antiq. cap. 7. παραχρῆμα πάντας ἵστησιν εἰς ἕνα τόπον, ἵσταται δὲ καὶ αὐτὸς σὺν τῷ παιδὶ κατ' ἄλλο μέρος, καὶ κλήρῳ τὸν ἡμαρτηκότα μαθεῖν ἐπεζήτει, καὶ λαγχάνει δοκεῖν αὐτὸς εἶναι Ἰωνάθης. Hoc eſt: *Statim*, ſupple, cum de ſortitione Saul ſtatuiſſet, *omnes in locum unum conſtituit, ſeipſumque ac filium ſeorſum in alia parte ſtatuit, ut ſorte quæreret quiſnam peccaſſet, & ſorte jacta, Jonathas deprehenſus eſt.* Hæc autem conſentiunt cum his, quæ lib. 1. Reg. habentur. Quamvis ſacer tex-

F tus nequaquam tam apertè ſortitionem aperiat. Sic etiam Jonas cum in mari periclitaretur navis; ſortitione comprehenſus eſt; & propter peccatum illius reliquos in diſcrimen naufragii adductos fuiſſe patuit.

Conſultationem per ſortes in rebus dubiis, maximique ponderis, nec ſancti Apoſtoli abhorruere. Cùm enim de ſubrogando alium in locum Judæ res in dubium vocaretur; ſortibus rem committendam cen-

cenſuerunt Chriſtianæ Eccleſiæ proceres, ut ex cap. 1. Act. Apoſtolorum perſpicuum eſt: conſentientibus in hoc, tam Græcis, quam etiam Syriacis codicibus; qui legunt ſemper dictionem פֶּסָא *peſah*. Eſt autem פֶּסָא *peſah*, idem, quod גּוֹרָל *ghoral* Hebræis, ut ibi etiam in margine codicis Syriaci adnotatum eſt: & Græca exemplaria, idem per dictionem κλῆρον dixerunt: quibus duobus vocabulis ſortes quæ extrahuntur fortuitò ſignificari, probare opus non eſt. Quin etiam mihi non omnino improbabile videretur, Chriſtum Servatorem noſtrum ſortibus deſignaſſe aliquando Diſcipulos, quos ad Apoſtolicam dignitatem promovere volebat. Humanis enim conſuetudinibus ſeſe accommodaſſe Servatorem noſtrum in omnibus, in quibus nulla peccati labes apparebat, certum cum ſit, probatione non indiget. Nam cum Apoſtolos nominare vellet, *erat pernoctans in oratione Dei:* dixit Lucas cap. 6. hoc autem de Chriſto, ut homine intelligi debet. Nam cum plures, ac plures, ex Judæis, ex Phariſæis, ex Sadducæis, & ex reliquis etiam Judæis, in ejus ſchola nomen dediſſent; ac propterea omnes diſcipuli appellarentur; ex quibus duodecim tantum volebat eligere, Apoſtolicoque nomine inſignire; ne diſcipulis adhuc imperfectis, qui ex variis ſectis ad eum ſeſe aggregarant, conquerendi de magiſtro occaſionem porrigeret; electionem ſortibus, juxta Iſraëlitarum inſtituta commiſiſſe, quas tamen ipſemet, ut Deus temperaret, non affirmare abſonum videretur; ſi liceret nova interdum in medium afferre.

Conjecturæ hujus occaſionem mihi porrigunt illa verba Petri Apoſtoli cap. 1. in Act. Apoſt. Is enim dum de Juda, deque dignitate Apoſtolatus, quam ille amiſerat, loqueretur, ait: *De Juda, qui fuit Dux eorum, qui comprehenderunt Jeſum, qui connumeratus erat in nobis, & ſortitus eſt ſortem miniſterii hujus.* Ubi Græci codices legunt: ὅτι κατηριθμημένος ἦν σὺν ἡμῖν, καὶ ἔλαχε τὸν κλῆρον τῆς διακονίας ταύτης. Hoc eſt: *quoniam annumeratus erat nobiſcum, & accepit ſortem miniſtrationis hujus.* Et Syriaci codices pro ſorte habent ubique dictionem פֶּסָא *peſah*, quæ per dictionem Hebraicam גּוֹרָל *ghoral* exprimitur ad ſortem ſignificandam. Quæ quidem loquendi phraſis ab ea non diſcrepat, quam habet Evangeliſta; qui cum dicat Chriſtum elegiſſe duodecim Apoſtolos, formam electionis non aperuit. At verba hæc Sancti Lucæ in Actibus, *ſortitus eſt ſortem*, ex phraſi ſacrorum oraculorum, Apoſtolorum electionem ſortibus factam fuiſſe, me judice, ſubindicare videntur. Quæ ſi admiſſa fuerint à nobis, qua ratione Judas inter duodecim locum habuerit, facile ſolvitur, hæreticiſque occurritur. Nam licet Chriſtus optime ſciret malitiam Judæ, ut planum eſt ex aliis ſacrorum Evangeliſtarum locis; tamen ex humanis inſtitutis formam electionis ſervando, eos inter duodecim annumerari placuit: quos ſors in eo numero repoſuiſſet, ex patris beneplacito. In his tamen minime inſiſtendum omninò putavimus. Lucas enim cap. 10. in contrarium ſtare videtur; dum diſcipulorum electionem ſub nomine deſignationis ſcribit dicens: *Deſignavit Dominus, & alios ſeptuaginta duos:* Quibus ex verbis electionem quoque Apoſtolorum non fortuitam, ſed per deſignationem factam videtur colligi. Viderint alii ex Catholicæ Eccleſiæ dogmatibus ſaniora: nec enim latum unguem ab eis diſcedere nobis eſt animus: his probaſſe ſufficiat, Deum conſulere ſortibus interdum Iſraëlitas conſueviſſe; præſertim cum de regia inſtitutione ageretur.

Obſcurior eſt ſortiendi forma: ut autem à vocabulis aliquid eruatur, ea ipſa quantum fieri poteſt diſcutiantur. Equidem Latinæ vocis etymologiam non video: nam a ſerie derivari ſortem, quod aliqui

A tradunt, non probo. De Græca voce κλῆρος, me judice, nihil ad rem apud Græcos auctores: arbitror enim per Metatheſin litterarum, ab Hebraica voce גּוֹרָל *goral* derivatam fuiſſe Græcam κλῆρος: de qua voce hæc in magno Etymologico habentur: κλῆρος ἐκ τοῦ καλῶ γίνεται κλῶ, κλήσω. ῥηματικὸν ὄνομα κλῆρος, ὁ καλῶν ἐφ' ἑαυτὸν τὸν λαχόντα. ὁ δὲ ἡρωδιανὸς παρὰ τὸ κάλον ὃ σημαίνει τὸ ξύλον. ἐπειδὴ ἐν τοῖς ξύλοις ἐχαράσσοντο οἱ κλῆροι. ἢ ἐπεὶ ἐν ξύλοις ἐνεγράφοντο τὰ ὀνόματα αὐτῶν. Multa enim alia ibi habentur ex Poëtis, & aliis, quæ de ſortibus nonnulla explicant. Illa verò poſita verba ſic paraphraſticè interpretantur: *Dictio* κλῆρος *fit à verbo* καλῶ, *ex quo fit futurum* κλήσω, *à quo*
B *futuro fit nomen verbale* κλῆρος, *quod ſignificat ſorte capere. Herodianus autem vult fieri à dictione* κάλον, *quod ſignificat lignum: quoniam ſuper lignis inſculpebantur ſortes; aut quoniam in lignis inſcribebantur nomina illorum.* Ex quo textu duplex habemus ſortiendi genus: vel inſcribendo in ligniculis rem, ſeu dignitatem, quæ in ſorte vocabatur: ita ut ei concederetur, ad cujus nomen illud lignum obveniſſet; vel poſita quæſtione de perſona, cui dandum eſſet aliquod præmium, inſcriptis nominibus in aliquibus lignis, ei daretur; cujus nomen primum in ligniculis inſcriptum in extractione apparuiſſet.

C Hebraica verò phraſis ſortem in libro Eſter per vocem פור *pur* dixit: ſed quia vox iſta, etymologiæ Hebraicæ in ſua radice, rationem non ſervat; potius barbaram, quàm Hebraicam exiſtimari debere duximus, ſuis relinquendam. Aliud eſt vocabulum, quo ſors ex Hebraica phraſi in ſacris litteris ſignificatur, nimirum גּוֹרָל *ghoral:* quæ vox ubique, vel verbo שָׁלַח *ſcialach.* quod valet projicere, aut verbo נָפַל *naphal*, quod eſt cadere, aut alicui ſimili jungitur: per quæ verba jactus alicujus rei ſignificatur. At verò Joſue 7. & Reg. 10. ac etiam cap. 14. quod latinè dicitur per verbum *ſortior, ſortiris;* ubique in Hebraico exemplari per verbum לָכַד *lachad* expri-
D mitur; quod eſt apprehendere, ſeù manu aliquid capere. Ex vi igitur & ſignificatione iſtorum vocabulorum, duplicem ſortiendi formam extitiſſe apud Iſraëlitas ſuſpicari poſſumus: alia videlicet, quæ jactis teſſeris, aut talis, ſive aliquid aliud hujuſmodi fieret; illique deſtinaretur beneficium in ſorte poſitum, cujus jactus abſolutior exiſſet: alia in qua nequaquam plures, aut diverſæ res perſonis deſtinandæ forent; ſed potius rei ipſi de perſona quærendum eſſet, quæ ſub ſortibus conſtituebatur; idque ſortium jactu nequaquam fieret; ſed extractione alicujus teſſeræ aliquo charactere ſignatæ: quo indicaretur, cui res deſtinanda foret. Hæc ex ſacris ora-
E culis, quantum valui, haurienda duxi.

Divinandum igitur in forma veterum ſortium cum ſit; illud tamen hic non erit prætereundum; in hac prima Regis Iſraëlitici inſtitutione, ſeù electione, non ſemel, ſed quater, aut fortaſſe pluries, rem ſorti fuiſſe commiſſam. Primo enim de tribu conſultum eſt: in cujus jactu ſors pro tribu Benjamitica ſtetit: at ubi de tribu conſtabat; de cognatione inter ejuſdem tribus familias quæſitum eſt: cui nimirum Deus Regnum deſtinaſſet, & ſors pro cognatione Metri exiit: tunc tertio ſors eſt conſtituta inter familias ejuſdem cognationis, & in hac tertia ſortitione pro Domo Cyſei patris Saul ſors ſtetit: tandem inter ipſa hujus familiæ capita ſortitum fuit; ſorſque
F demum Deo ipſo ſortes moderante, pro Saule filio Cis Regnum firmavit. Hanc quadruplicem ſortitionem, verba Sacri textus cap. 10. lib. 1. Reg. exprimunt; ubi ſic legimus: *Et applicuit Samuel omnes tribus Iſraël, & cecidit ſors tribus Benjamin: & applicuit tribum Benjamin, & cognationes ejus, & cecidit cognatio Metri; & pervenit uſque ad Saul filium Cis.*

Cis. Quæ poſtrema verba, ſortitionem per familias intra cognationem Metri, & per viros ejuſdem familiæ indicant. Ex forma quoque ſortiendi, quæ cap. 7. Joſue habetur per hæc verba: *Accedetiſque mane ſinguli per tribus veſtras; & quamcumque tribum ſors invenerit, accedet per cognationes ſuas, & cognatio per domos, domuſque per viros*, in comitiis regiæ inſtitutionis ſortiendi forma quantum fieri poteſt ſubodoratur. Eſt enim tam occulta, ut nemo è latebris eam eruere auſus fuerit; ſed ipſius rei difficultas omnes ſuccumbere coegerit. Suavioribus ingeniis, ac perſpicacioribus rem ipſam eruendam omninò reliquiſſem; niſi ipſe quoque aliquod minutum in Dei gazophylacio reponere debuiſſem.

B

Si audiendus eſſet Joſephus, priorem ſortiendi formam retinendam cenſeri poſſet: quæ nimirum projectione alicujus rei fiebat. Is enim lib. 6. antiquit. cap. 5. Saulis electionem ſcribens, his verbis loquitur: τάχθητε πάντες, ſupple, dixit Samuel, κατὰ φυλάς τε, καὶ σκῆπτρα, καὶ κλήρους βάλλετε. ποιησάντων δὲ τοῦτο τῶν ἑβραίων, ὁ τῆς βενιαμίτιδος κλῆρος ἐξέπεσε· ταύτης δὲ κληρωθείσης ἔλαχεν μάτρις καλουμένη πατρία, ἧς κατ' ἄνδρα κληρωθείσης λαγχάνει ὁ κισσαίου βασιλεύειν Σαῦλος. Hoc eſt: *Diſponite vos ipſos omnes per tribus, & ſceptra, & projicite ſortes. Facientibus autem hoc Hebræis, cecidit ſors tribus Benjamiticæ, in hac autem ſortiendo obtigit familia, quæ dicebatur Matris; cujus ſingulis ſortitis, ſorte obtigit regnare Saulem filium Ciſsei.* In quibus Joſephi verbis, verbum βάλλετε, quod projicere ſignificat; & illud ἐξέπεσε, idem quòd *cecidit* valet: illud quoque ἔλαχεν & poſtremum λαγχάνει, quæ verba ſorte contingere, caſu, & fortuito aliquid obvenire ſignificant: projectione teſſerarum, aut alterius rei, regnum Sauli obveniſſe planè indicare videntur.

C

Verum, quia in Regis Iſraëlitici prima inſtitutione, non erat quæſtio de re aliqua, quæ pluribus perſonis dari poſſet; ſed potius regno Iſraëlitico perſona ad regimen apta quærebatur: propterea cum Joſepho, & priori ſortium genere ſtare non valui; ſed ad alterum confugiendum cenſui: ea tamen ſervata ratione, ut aliter ſorte quæſitum fuerit inter tribus, aliterque inter cognationes & familias, ac ejuſdem familiæ viros: ita ſcilicet, ut inter tribus quidem ea ſortiendi forma ſervata fuerit; ut poſitis in aliquo loco Deo dicato, ad altare nimirum, vel alibi ſceptris, & virgis cujuſcumque tribus, nomina tribuum in ipſis inſculperentur; nominibuſque ipſis occultatis; ut nec Sacerdotibus, nec Prophetæ manifeſta fore poſſent, precationibus ad Deum factis, ac propitiato Numine, tandem una ex illis extracta per Sacerdotem, aut Prophetam, illi Tribui regnum deſtinatum cenſeretur à Deo, cujus virga primo extracta obveniſſet.

D

Conjectamus id ex dictione Hebraica לָכַד *lachad*, quæ ut dicebamus, manu aliquid comprehendere ſignificat. Nam quamvis lib. 1. Reg. cap. 10. in Regis legatur inſtitutione, *& cecidit ſors tribus Benjamin*, & in Græco exemplari habeatur, καὶ κατακληροῦται τὸ σκῆπτρον βενιαμείν. ideſt, *& ſortitum eſt ſceptrum Benjamiticum.* Hebraicus codex ſic habet וַיִּלָּכֵד שֵׁבֶט בִּנְיָמִין hoc eſt, *& capta eſt tribus Benjamin.* vel ſi magis rigorem verborum tenere velimus, dicendum erit; *& capta eſt virga Benjamin.* Cum enim Patriarcha, ſive caput cujuſque tribus, apud Hebræos, ad decorem principatus quadam virga decoraretur; ut notum eſt; quam ad notam principatus ſuæ tribus, in manibus geſtabat: propterea ex phraſi ſacrorum oraculorum, præſertim ex phraſi linguæ Hebraicæ dictio שֵׁבֶט *ſceveth*, quæ virgam ſignificat, pro tribu accipitur. Nunc ad verbum לָכַד *lachad*, quo ſacer textus in ſortitione Regis deſcribenda utitur, nos convertamur. Quo etiam

E

F

A verbo ſacer textus utitur; cum Joſue 7. de perſona Achani quæritur: qui cum Dei Imperatoris decretum prævaricatus fuiſſet, & anathemate infectus, ad necem quæreretur; ſortibus comprehenſus eſt. Sub eadem phraſi etiam lib. 1. Reg. cap. 14. cum de Jonathæ tranſgreſſione agitur, & tranſgreſſoris perſona inquiritur; verbo Hebraico *lachad* לָכַד ſortitio explicatur. In tota pariter hac hiſtoria inſtitutionis Saulis ad Regnum, cum tribus ſortirentur, & poſt tribus familiæ, & in familia domus, & in domo perſona, ubique hæc ſortitio per verbum לָכַד *lachad*, quod eſt capere, exprimitur. Nequaquam igitur jactu alicujus teſſeræ, aut projectione ſignorum perſona quæſita fuit, cui Imperium Iſraëliticæ Reipublicæ committendum eſſet; ſed potius apprehendo, vel extrahendo aliquid ab aliquo vaſe, quo id quod quærebatur indicaretur; in regia inſtitutione ſortitum fuiſſe dixerim.

Quid denique extractum fuerit, aut manu Sacerdotis, ſive Prophetæ captum, ad ſortiendum regnum in his comitiis Iſraëliticis, ex dictione Hebraica שֵׁבֶט *ſceveth* ſubodorari poſſet. Virgam enim ſignificat: nec quæcumque virga in eo cap. 10. lib. 1. Reg. ſignificatur, ſed virga principatus, quam manu comprehenſam verbum לָכַד *lachad* indicat; & hac ratione ſortitum de tribu dicitur. Quibus favent non ſolum dictio σκῆπτρον, quam habent ſeptuaginta interpretes; ſed etiam, quæ diximus de etymologia nominis κλῆρος, quod ſignificat ſorte aliqud capere. Quod autem in ipſis virgis nomina tribuum inſcriberentur: poteſt conjectari; tam ab eo, quod diximus ex Herodiano in magno etymologico de ſortibus in ligno inſcriptis; tum etiam quod ſic Deus fieri Num. cap. 7. juſſerit, cum de ſacerdotio filii Iſraël aliquando diſceptarent; deque perſona eligenda tumultus in caſtris exortus eſſet: ambientibus nimirum aliquibus Summum Sacerdotium, nec id ratum Aaroni permittentibus. Ad ſedandum autem tumultum, Dei monitu, ſortibus res eſt commiſſa: de quibus ſic dixit Deus ad Moyſen: *Loquere ad filios Iſraël, & accipe ab eis virgas ſingulas per cognationes ſuas à cunctis principibus tribuum virgas duodecim, & uniuſcujuſque nomen ſuperſcribes virgæ ſuæ.* Eodem igitur pacto in inſtitutione Regis ſortitum fuiſſe dixerim, in quærenda tribu, cui Regnum deſtinandum eſſet.

Cognita tribu, quam Deus elegiſſet; ſupererat inquirenda ejuſdem tribus cognatio, & in cognatione familia, ac in familia domus, inque domo perſona, cui Deus regnum deſignaſſet. Conſurgebat enim unaquæque tribus ex cognationibus, quæ Hebraicè תּוֹלְדוֹת *toledhoth* dicuntur, & ex familiis, quæ Hebraicè dicuntur מִשְׁפָּחוֹת *miſhpachoth.* Quia in unaquaque tribu plures cognationes habebantur, quæ cognomen, ac denominationem à patribus accipiebant, qui primo ex filiis Jacob nati fuiſſent. Similiter in unaquaque cognatione plures familiæ recenſebantur; quæ nomen ab his filiis ſortiebantur, qui poſtmodum nati fuiſſent ex filiis prioris Patriarchæ, ut videri poteſt cap. 26. Numer. Erant etiam in familia adnumeratæ plures domus; quæ licet ad eamdem familiam pertinerent; tamen vocabulo paterno diſtinguebantur; ac propterea Hebraicæ hæ domus per בֵּית אָבוֹת *beth havoth*, ideſt domus patrum ſignificantur. Denique in unaquaque domo, ſub uno patre plura dabantur capita; quæ ſuis nominibus diſtinguebantur, & Hebraicè ſignificantur per שְׁמוֹת לְגֻלְגְּלֹת *ſcemoth legulgheloth.* Hac igitur diſpoſitione diſtinctioneque ſervata, Iſraëlitæ recenſebantur; ut ſæpe videre eſt in libro Numerorum, præſertim cap. 1 ibi: *Et congregaverunt primo die menſis ſecundi*, ſupple populum Moyſes, & Aaron, *recenſentes eos per cognationes, & domos, ac familias, ac capita, & nomina ſingulorum,*

rum. Hunc ipſum ordinem ſervatum fuiſſe in regiis comitiis, jam oſtendimus.

Hac igitur ratione quæſitum de perſona, cui à Deo Regnum deſtinabatur, affirmamus. Ut nimirum in aliquibus ligniculis primò familiæ, deinde in aliis domus, & demum nomina virorum in ſingulis ſortitionibus deſcriberentur: propitiatoque iterum, atque iterum Numine, & precationibus de more præmiſſis, extrahendo ligniculum aliquod; illi, cujus nomen in ligniculo inſcriptum primus exiſſet, à Deo deſtinatum Regnum fuiſſe cenſeretur.

Erat etiam vas ad ſortiendum quod κληρωτήριον dicebatur à Græcis, cujus uſus in comitiis erat; ut Pollux Onomaſt. lib. 10. cap. 15. tradidit: qui quidem illud enumerat inter ea vaſa, quæ dicaſtica dicebantur, quòd illorum uſus eſſet in ferendis ſuffragiis, apud tribunalia judicum: adnotat porrò eodem vocabulo κληρωτήριον, quod ſortilegium latine dici poteſt, apud Ariſtophanem in tragœdia Gera ſignificari non ſolum vas, ſed etiam locum, in quo ſortes extrahi conſueverant. Cumque manu ſortes extraherentur apud Hebræos; ut vidimus ex vi verbi *Lachad*; etiam ſortes in aliquod vas Iſraëlitas injicere conſueviſſe dicendum videtur; ut ab eodem vaſe manu alicujus, fortè ſacerdotis, vel innocentis pueruli extraherentur. Huncque ritum ſortiendi ſervatum in comitiis primis regiæ inſtitutionis apud Iſraëlitas, & ſub hac ſortium forma Saulem à Deo Regem Iſraël deſignatum extitiſſe arbitror. Alii doctiores meliora excogitent, quibus ego veritatis amator ſubſcribam.

CAP. XIV.

Sacerdotibus ſacrorum de cauſa locus erat apud Iſraëlitas in Regiis Comitiis.

Ad loca 3. Reg. cap. 1. *Deſcendit ergo Sadoch Sacerdos, & Nathan Propheta, & Banaias filius Joiadæ, & Cerethi, & Phelethi, & impoſuerunt Salomonem ſuper mulam Regis David, & adduxerunt eum in Gihon.* 4. Reg. 11. *Produxitque filium Regis: & poſuit ſuper eum diadema, & teſtimonium: feceruntque eum Regem, & unxerunt.* & ad alia &c.

CUM Sacerdotes ad regia comitia aliquando conveniſſe certum ſit, nec comitiorum de cauſa eos eò acceſſiſſe, jam demonſtratum fuerit: reliquum eſt, ab illorum munere ſumpto argumento, ut ſacrorum de cauſa Sacerdotes regiis comitiis adfuiſſe dicantur. Nam licet, quæ ad Regum Iſraëlitarum inaugurationes pertinent, perobſcura ſatis ſint; cum ſcriptori ſacro minimè curæ fuerit ſingulas inſtitutionis, deſignationis, declarationis, atque regiæ inaugurationis cæremonias literis conſignare: ut poſteritas eoſdem ritus, velo antiquitatis aliquando detecto, faciliùs explicatiùſque cognoſceret: his nihilominus, quæ ſacris oraculis de inſtitutione, poſtulatione, deſignatione, declaratione, inaugurationeque Saulis, Davidis, Joaſi, & Salomonis habentur; quoad fieri poterit, non ſolum formam regiæ inſtitutionis, poſtulationis, inaugurationis, atque ejuſdem etiam inunctionis expiſcari conabimur; ſed etiam ex prædictis quorumcumque ordinum Reipublicæ Iſraëliticæ jura eruenda curabimus.

Et quidem, primum locum in Iſraëlitica Republica Sacerdotes tenuiſſe, rationibus atque ſcripturis conſtat. Nec enim Pontificem tantum, id eſt,

A Summum Sacerdotem, inſtitutioni Principis adfuiſſe, ratio ipſa à ritu ſacrificiorum, & a ſacra inauguratione deſumpta id manifeſtat; ſed etiam collegium Sacerdotum majorum unà cum Pontifice ſummo ſacrorum præfecto, regiam inſtitutionem adornaſſe ſua præſentia certum fore debet.

Ratio à conſultatione Numinis, & à ſacrorum miniſterio ſumpta, Sacerdotum ſedem in regia inſtitutione demonſtrat. Non enim apud Iſraëlitas hoſtiarum ſanguinolentis extis, aut viſceribus, aut avium inani volatu, ſive irrationabili cantu, Oraculum conſulebatur: ſed ſacrificiis prius placato Numine, reſponſa per Ephod, vel Prophetæ alicujus

B opera, ut diximus, excipiebantur. In regia itaque inauguratione ſacerdos ſacra operaturus, non ſolum proceres Reipublicæ, ſed Prophetam ipſum, ut reor, dignitate, ac munere præcedebat. Quamobrem Adonia paternum regnum affectante, & ſe ad ſpecimen quoddam inaugurationis, quodammodo accingente, Abiatharum advocaſſe ſcimus: nec tam Abiatharum ei adfuiſſe, quam etiam dignitate, ac munere Joabum ſummum Ducem Davidici exercitus præceſſiſſe conſtat. Joiada quoque, cum Joas 4. Reg. 11. inauguraretur primas, obtinuit. David pariter 3. Reg. 1. Salomonem declarare Regem cum vellet; nihil magis ſibi curæ fuit, quam (non quidem

C Pontificem, qui partes Adoniæ ſequebatur,) ſed ſacerdotem Sadochum adeſſe: illumque prætulit Nathano Prophetæ, dicens: *Vocate mihi Sadoch Sacerdotem, & Nathan Prophetam, & Banajam filium Joiadæ.* Meritò quidem ſacerdos, tam prophetis, quam reliquis præferebatur; quia ſacerdotale munus in Rege inaugurando ſupremum ac ſummum tenebat locum. Non enim in ſolius ſacri olei ſacerdos effuſione verſabatur; ſed in ſacro potiſſimum faciendo, placandoque Numine: quod ſanè ſacrificium, reliquos omnes ritus, atque inaugurationis regiæ cæremonias præcedebat.

Apertiora fient, quæ diximus de Sacerdotum di-

D gnitate, ex ſacro epulo: ſi ex ſacris literis obſervaverimus, in conſtituendis Regibus, aliqua ex ſacris oraculis Regiam inſtitutionem præceſſiſſe; aliqua cum ipſa regia ſolemnitate adfuiſſe, & alia denique regiam inaugurationem ſubſequuta fuiſſe. Prophetica prænunciatio futuri Regis inſtitutionem, deſignationem, ſive declarationem præcedebat. Comitabatur regiam conſtitutionem ſolemnis inauguratio. Subſequebantur tandem acclamationes, plauſus, fœdera; & alia, de quibus poſtmodum agetur. Tria igitur in Rege aliquo conſtituendo fieri ſolita conſideranda veniunt: prædictio nimirum ſecreta Regni, quæ alicui à Propheta fiebat, Deo quidem revelan-

E te alicui Prophetæ hunc, vel illum futurum Regem hujus, vel illius gentis: ſecundo loco publica ejuſdem perſonæ declaratio, ſive per ſuffragia id fieret, ſive Regis adhuc viventis auctoritate tueretur: & tandem perſonæ jam declaratæ, ſive electæ ſolemnis inauguratio, cum aliis plurimis cæremoniis. Quæ omnia ſacrificiis perficiebantur: ſacrificia verò fieri abſque ſacerdote nefas erat.

Ad prænunciationem ſecretam futuri Regis, Deo revelante Samueli, pertinent quæ leguntur cap. 10. lib. 1. Reg. in principio per hæc verba: *Tulit autem Samuel lenticulam olei, & effudit ſuper caput ejus, & deoſculatus eſt eum, & ait: Ecce unxit te Domi-*

F *nus ſuper hæreditatem ſuam in Principem, & liberabis populum ſuum de manibus &c.* Non enim hæc ad Saulis inaugurationem reſpiciunt: ut plures auctores decepti falſo exiſtimarunt; ſed tantum ad Propheticam futuri regni prædictionem. Samuel enim ſecretò Sauli regnum futurum prædixit: prout illi Deus ſecreto revelaverat. Revelare enim alicui *ad auriculam*; ut dicitur ibi, ex ſacræ Scripturæ phra-

ſi,

ſi, eſt aliquid ſecretò alicui manifeſtare, ad quam futuri regni prædictionem, oleum illud dirigebatur, quo Samuel Saulem unxit: non autem ad regis inaugurationem pertinuit; ut falsò plures exſtimarunt.

Quamvis verò non ſatis apertè demonſtrari poſſit; ſacrificia jure, aut conſuetudine prædictionem regis preceſſiſſe; non obſcure tamen id conjectare ex eo licet; quod Samuel ad convivium Saulem invitaſſe ſcribitur: ut ederet ex victimis, quas in excelſo obtulerat; dediſſeque illi locum in capite omnium qui invitati fuerant; ac juſſiſſe coquum Sauli apponere armum ſervatum die antecedenti. Quod 1. Reg. 9. ſic ſcribitur: *Dixitque Samuel: ecce quod remanſit, pone ante te, & comede: quia de induſtria ſervatum eſt tibi, quando populum vocavi.* Itaque portio, quæ Sauli fuit appoſita, non erat ex his ferculis, quæ parata fuerant ad illud, quod tunc agebatur convivium, ſed ex convivio præcedentis diei Sauli reſervata. Et licet qualenam fuerit illud convivium, ſacrumne, an prophanum, certo minimè conſtet: Sacrum tamen fuiſſe ſuſpicari poteſt; tum ex loco, nimirum ex excelſo, in quo ſacrificia de more tunc habebantur; tum quia in ſacro textu armum Sauli tunc ſervatum de induſtria ſcribitur; cùm Samuel convocaſſet populum. Quæ de nullo alio populi conventu intelligenda reor; niſi de eo, quod ſacrorum de cauſa Samuel habuit; cum populi vota ad Deum retulit; ut ſibi Deus aperiret; quiſnam Iſraëliticæ Reipublicæ futurus Rex foret. De quibus ita Joſephus lib. 6. antiq. cap. 5. Δεομένῳ γὰρ κατὰ πᾶσαν ἡμέραν αὐτῷ τοῦ Θεοῦ προειπεῖν τὸν βασιλέα, τῇ παρελθούσῃ τοῦτον ἐμήνυσεν· πέμψειν γὰρ αὐτός τινα νεανίσκον ἐκ τῆς Βενιαμίτιδος φυλῆς κατὰ τήνδε τὴν ὥραν. Hoc eſt: *Deprecante autem*, ſupple Samuel, *per totam diem Deum, ut prædiceret, quis futurus eſſet Rex: in craſtinum ſe id facturum promiſit*, ſupple Deus: *promiſit enim, quemdam juvenem ex tribu Benjamitide ea ipſa hora mittere.* Cùm igitur Samuel, ut ex Joſepho vidimus, divinam voluntatem exquiſierit; rogaveritque Deum, ut ſibi futurum Regem manifeſtaret; eademque die Samuelem convocaſſe populum ſcribatur; & ſervaſſe armum Sauli venturo in diem craſtinum: certè pridie ſacra feciſſe, Deumque rogaſſe credere oportet; ac de ſacrificiis armum Sauli ad cibum appoſuiſſe manifeſtum videtur.

Conjectura noſtra his innitatur, quæ in ſacris textibus de regno Davidi adhuc adoleſcenti à Samuele prædicta 1. Reg. cap. 16. leguntur. Nam ſine ſacrificio regnum Davidi à Propheta prædictum minimè legitur: quinimo Samueli futurum Regem cognoſcere, reprobato Saule, concupienti; dixit illi Deus: *Vitulum de armento tolles in manu tua; & dices: ad immolandum Domino veni: & vocabis Iſai ad victimam, & ego oſtendam tibi, quid facias, & unges quemcumque monſtravero tibi.* Præmiſſo igitur ſacrificio regnum Davidi prædictum fuiſſe, ex ſacris oraculis manifeſtum eſt. Cumque ſacra ſine ſacerdote nequaquam offerrentur; profecto ſacrorum de cauſa locum habuiſſe Sacerdotes in his prædictionibus propheticis affirmare neceſſe eſt.

In electione verò ſeù deſignatione futuri Regis, quæ fiebat à prædeceſſore, quam partem, & quem locum Sacerdotes habuerint, nobis non conſtat. Nihil enim de ſacris, aut ſacerdotibus cap. 10. lib. 1. Reg. manifeſtè dicitur. Quando nimirum ſortibus datis, Deus toti populo aperuit, quem facere Regem decernebat: poſſet tamen Sacerdotibus, conſultationis de cauſa in electione Regis locus præſcribi: quia nimirum inconſulto oraculo, Reges minimè apud Iſraëlitas eligebantur; nec oraculum ſine ſacrificio, ut diximus, conſulebatur.

A Nec tamen deſunt conjecturæ in contrariam partem: quas viris doctoribus expendendas ad trutinam rationis, & ſacrorum oraculorum regulam relinquo. nam ibi cap. 10. n. 24. dicitur: *Et ait Samuel ad omnem populum: Certè videtis, quem elegit Dominus; quoniam non ſit ſimilis illi in omni populo: & clamavit omnis populus, & ait, Vivat Rex.* Quamobrem cùm nulla ſacerdotis mentio hic habeatur, aut ſacræ unctionis, tabernaculi, aut ſacræ arcæ, ad quam ex divinis ſtatutis ſacrificia offerebantur; nullum apparere fundamentum videtur, ob quod Sacerdotes in hanc electionem inferantur. Hæc enim acta fuerunt in Maſpha; ſacrum verò tabernaculum cum arca, ut aliqui tradunt, in Galgala erectum viſebatur. B Populi partem aliquam tantum huic electioni aſſenſiſſe, ex eodem capitulo manifeſtum eſt: immo aliqui ab hac electione adeo alieni fuerunt; ut a ſe proteſtarentur nulla ratione admittendum Saulem ad regnum: quòd in eo nulla militaris virtutis veſtigia, ad liberandum ab hoſtibus Iſraëlem apparerent. De hac vero aliquorum à Saule averſione, & proteſtationibus ſic dicitur in textu: *Filii verò Belial dixerunt: num ſalvare nos poterit iſte? & deſpexerunt eum, & non attulerunt ei munera.* Id eſt, noluerunt illum Regem admittere. De quo Joſeph. lib. 6. antiquit. cap. 5. editionis Græcæ hæc habet. Πονηροὶ δὲ C πλείους οἱ καταφρονοῦντες αὐτοῦ, καὶ τοὺς ἄλλους ἐχλεύαζον, καὶ οὔτε δῶρα προσέφερον, οὔτ' ἐν σπουδῇ καὶ λόγῳ τὸ ἀρέσκεσθαι τὸν Σαῦλον ἐτίθεντο. Hoc eſt: *Et mali*, ſupple homines, *plures contemnentes illum, & doloſè factum ab ipſis Regem*, ſupple ſuſpicantes, *neque munera obtulerunt, neque diligentia aut verbis Saulem complacare ſtuduerunt.* Itaque nihil hic de ſacris, aut ſacerdotibus agitur. Pro utraque parte conjecturas dedimus; viderint alii meliora: nobis pro ſacerdotum præſentia potius ſtandum duximus, quàm in contrariam partem abeundum.

Agatur nunc de loco ſacerdotum in deſignatione, aut declaratione futuri Regis, quæ fiebat à præde- D ceſſore. Nam in deſignatione Salomonis, Sacerdotem Sadocum adfuiſſe certum eſt: huic etenim David mandavit, ut ungeret Salomonem: cap. 1. lib. 3. Reg. id dicitur: *Deſcendit ergo Sadoch Sacerdos, Nathan Propheta, Banajas filius Jojadæ, & Cerethi, & Phelethi, & impoſuerunt Salomonem ſuper mulam Regis David, & adduxerunt eum in Gihon. Sumpſitque Sadoch Sacerdos cornu olei de Tabernaculo, & unxit Salomonem, & cecinerunt buccina, & dixit omnis populus: Vivat Rex Salomon.* In qua Salomonis ad regnum ſucceſſione ex Davidis declaratione, quamvis nihil de ſacrificio dicatur; ſacræ tamen unctionis de cauſa ſacerdotem adfuiſſe conſtat. Sacris E enim illam declarationem ſucceſſoris caruiſſe, ſaltem ex loco certum eſt. Non enim ad fontem Gihon, tunc Deo ſacra facere licuiſſet, cum in Hieruſalem ſub tabernaculo ſacra aſſervaretur arca; quamobrem ſacræ potius unctionis de cauſa, qua tunc primò perfuſus eſt Salomon, quam ratione ſacrificiorum Sacerdotem adfuiſſe dicerem: præſertim cum ad regni ſecuritatem, & ne Reſpublica Iſraëlitica in factiones tunc ſcinderetur, affectati regni de cauſa ab Adonia, in hac olei effuſione ſuper Salomonem, potius quoddam ſpecimen regiæ inaugurationis, quam puræ declarationis ſucceſſoris, aut deſignationis Regis futuri conſpiceretur. Licet igitur non F ſatis evidenter probatum videatur in Regia declaratione, aut in ejus inſtitutione, ſacrificia interpoſita fuiſſe; Sacerdotes tamen tam in electione, quam in declaratione futuri ſucceſſoris, locum non infimum, ſed primum habuiſſe conſtat.

Manifeſtiora argumenta petamus: & ad inaugurationem ſolemnem deſcendamus, per quam jus regni Regi electo tradebatur; atque in regni poſſeſſio-

nem, qui à Deo deſignatus fuiſſet, aut ſucceſſor à Rege declaratus, immittebatur. In his enim Sacerdotalis muneris dignitas illuſtrior apparebit. Inaugurationis enim pompa à ſacris auſpicari debuit: non ſolum ex conſuetudine Iſraëlitarum, ut ſtatim videbimus, ſed etiam Romanorum omnium, ac gentium hoc de more ſervatum, ferè ſemper legimus. Nam ſtatim ac electos Imperatores Maximum & Balbinum, Julius Capitolinus ſcribit; illicò ſubdit: *Egreſſi igitur à ſenatu primùm Capitolium aſcenderunt; ac rem divinam fecerunt.* Et adeo quidem neceſſarium à re divina imperium auſpicandum Romani ducebant; ut in electione Maximi, atque Balbini in æde Concordiæ Senatum conveniſſe Capitolinus ſcribat: licet Herodianus lib. 7. non in æde Concordiæ, ſed in Jovis Capitolini templo Senatum ea de cauſa conveniſſe tradat: ut Jove conſeſſore, & teſte, ut ipſe dixit; imperium melioribus traderetur. Sic enim de hoc ille ſcribit: Συνῆλθον οὖν οὐκ εἰς τὸ σύνηθες συνέδριον, ἀλλ' εἰς τὸν τοῦ Διὸς νεὼν Καπετωλίου ὃ σέβουσι Ῥωμαῖοι ἐν ἀκροπόλει. Συγκλείσαντες οὖν αὐτοὺς ἐν τῷ σηκῷ μόνους, ὥσπερ ὑπὸ μάρτυρι τῷ Διῒ καὶ συνέδρῳ, ἐπισκόπῳ τε τῶν πραττομένων. Hoc eſt: *Convenerunt igitur non in ſolitam Curiam.* Nam συνέδριον, ſignificat locum ubi conſedent ſenatores. *Sed in templo Jovis, quem colunt Romani in arce. Concludentes igitur ſe ipſos ſolos in adyto* (id eſt ſanctiori templi loco) *quaſi Deo teſte, conſeſſore, & inſpectore illorum, quæ agebantur.* Et adeo conſuetudo hæc apud Romanos invaluit; auſpicandi nimirum Imperium à re divina, divorumque præſentia, ut id eſſet primum in electione cujuſcumque Imperatoris. Quamobrem idem Herodianus de Pertinace agens lib. 2. ubi illum dixiſſet Imperatorem; & in caſtra ad Prætorianos deductum tradidiſſet, ſubdit: εἴς τε τὸ ἐκείνου ὄνομα τοὺς συνήθεις ὅρκους ὀμόσαντες, καὶ θύσαντες δαφνηφοροῦντες πᾶς ὁ δῆμος, καὶ στρατιωτικόν. Hoc eſt, *& in illius nomen ſolita juramenta jurantes & ſacrificantes, omnis populus & etiam milites.* Et infra poſtquam Pertinacis verba ad ſenatum retulit, ſubintulit idem auctor: Τοιαῦτα ὁ Περτίναξ εἰπὼν ὑπήρεισέ τε τὴν σύγκλητον βουλήν, καὶ πρὸς πάντων εὐφημισθεὶς, πάσης τε τιμῆς, καὶ αἰδοῦς παρ' αὐτῶν τυχὼν, εἴς τε τὸν τοῦ Διὸς νεὼν, καὶ τὰ λοιπὰ ἱερὰ πεμφθεὶς, τάς τε ὑπὲρ τῆς βασιλείας θυσίας τελέσας, εἰς τὸ βασίλειον ἐπανῆλθεν αὐλήν. Hoc eſt: *Talia Pertinax dicens ſubminiſtravit ſenatui animum, & ab omnibus acclamatus lætiſſimè, omnique honore, & laudibus ab eiſdem habitus, inque templo Jovis, & reliquis ſacris conſalutatus, & quæ remanent ſacrificia imperialia perficiens, in aulam imperialem aſcendit.* Quibus in locis notanda, ac non prætereunda videntur illa ſingularia verba ſcriptoris τάς τε ὑπὲρ τῆς βασιλείας θυσίας τελέσας. id eſt, *& quæ remanebant ſacrificia imperialia perficiens.* Ex quibus planè conſtat, ſacrificia imperialia ab Herodiano appellari; quæ in imperio auſpicando, de more inaugurationis Diis offerebantur: ex inſtituto fieri ſolita, ut non ſemel Herodianus dixit. Manifeſtum eſt igitur etiam apud falſæ religionis ſectatores, à ſacris inchoandum fuiſſe magiſtratum: tum præſertim cum de Imperatore, ac Principe ſupremo Reipublicæ agendum eſſet. Quod quidem non ſolum ex his, ſed etiam ex omnibus perſpicuum eſt, qui veterum conſuetudines literis conſignarunt: atque propterea Sacerdotem primum locum habuiſſe, ſaltem in inauguratione, manifeſtum videtur.

Sacra oracula, quæ noſtri ſunt inſtituti, à nobis jam repetantur; Sacerdotumque dignitas, ac locus in regia inauguratione quæratur. Saulis enim inauguratio, ut ab eo exordiamur, ſcribitur cap. 11. lib. 1. Reg. tunc nimirum, cum Deus Saulis militarem peritiam in pugna Ammonitarum manifeſtaſſet: con-

A

tra ſenſum illorum, qui de virtute Saulis humiliter ſentientes, non ſolum in illius electione minimè conſenſerant; verum etiam eumdem deſpexerant: Sed cum de Ammonitis parta victoria, omnes in electione illius conſenſiſſent; de Saule inaugurando in Galgala, ubi erat ſacra Dei arca & tabernaculum, ſtatim cogitarunt: eam tamen ſine ſacris minimè celebratam fuiſſe, ex verbis ſacri textus patet; quæ ſic habent num. 14. *Dixit Samuel ad populum. Venite, & eamus in Galgala, & innovemus ibi regnum: & perrexit omnis populus in Galgala, & fecerunt ibi Regem Saul coram Domino in Galgala: & immolaverunt ibi victimas pacificas coram Domino, & lætatus eſt ibi Saul, & cuncti viri Iſraël nimis.* Hanc enim ſo-

B

lemnem inaugurationem prædixerat Samuel Sauli; quando eidem adjudicavit regnum, ſignisque prædictionem confirmavit dicens cap. 10. num. 8. *Deſcendes ante me in Galgala, (ego quippe deſcendam ad te) ut offeras oblationem, & immoles victimas pacificas.*

Verum ſacris his ex hiſtoriis ſcrupuli nonnulli erumpunt. Iſraëlitæ enim Saul Regem in Maſphat cum conſtituerint; ut quid poſtmodum Samuel convocari populum in Galgala juſſit, dixitque ſe velle innovare ibi regnum? quod in textu his verbis dicitur: *Et fecerunt ibi Regem Saul coram Domino.* Sed ſcrupuli omnes ruunt; ubi Saulem in Maſphat

C

fortium extractione à Deo Regem declaratum diximus; inauguratum verò poſtmodum ſolemni inauguratione in Galgala: innovare enim ibi regnum nil aliud fuit, niſi confirmare Regem Saulem jam electum, atque de more aliarum gentium ſacris peractis, eundem ſacro oleo conſecrare.

Quando enim Saul cap. 10. in Maſphat Iſraëlitæ elegerunt; eundem ibi Regem feciſſe, aut conſtituiſſe minimè dicitur; ſed quòd jactis ſortibus ſors ceciderit ſuper eum: at vero hic cap. 11. dicitur. וימליכו *vaiamlichu*, quòd verè interpretatur; *& fecerunt regnare*: quæ dicendi phraſis de Saule ſortibus deſignato in Maſphat, & à Deo in Regem de-

D

clarato nequaquam dici poteſt. In Galgala igitur, & non in Maſphat propterea inauguratus Saul ſcribitur; quia hæc ſolemnis inauguratio ſacrificis de more, ac ſacerdotum miniſterio firmata tum demùm fuit. Ex quibus ſacrarum Scripturarum locis, quem locum in Regibus inaugurandis Sacerdotes habuerint planè conſtat.

Nam etiam quando Rex Salomon, vivente adhuc patre, ſuper univerſum Iſraël inauguratus ſcribitur; de qua inauguratione in Divinis, & ſacris litteris lib. 1, Paral. cap. ult. eſt ſermo. Sacerdotes adfuiſſe planum eſt, per hæc verba: *Et comederunt, & biberunt coram Domino in die illo cum grandi lætitia, &*

E

unxerunt ſecundo Salomonem filium David: unxerunt autem eum Domino in Principem; & Sadoch in Pontificem. Comedere verò coram Domino, ex phraſi ſacrarum Scripturarum, de victimis Numini oblatis, & ſacrificatis comedere ſignificat: ut notum eſt omnibus, qui vel modicum ſacras literas tetigere. Quod etiam Joſeph. lib. 7. antiq. cap. 11. Græcæ editionis, ſive 15. juxta editionem latinam communem, apertius idipſum teſtatus eſt dicens: τῇ δ' ἐπιούσῃ θυσίας τῷ θεῷ παρέστησαν, μόσχους χιλίους, καὶ κριοὺς τοσούτους, καὶ χιλίους ἀμνοὺς οὓς ὡλοκαύτωσαν. ἔθυσαν

F

δὲ καὶ τὰς εἰρηνικὰς θυσίας πολλὰς μυριάδας ἱερῶν κατασφάξαντες, καὶ δι' ὅλης ἡμέρας ἑώρταζεν ὁ βασιλεὺς σὺν παντὶ τῷ λαῷ, καὶ Σολομῶνα δεύτερον ἔχρισαν τῷ ἐλαίῳ, καὶ ἀπέδειξαν αὐτὸν βασιλέα, καὶ Σάδωκον ἀρχιερέα τοῦ πλήθους ἁπάσης. Ubi notare oportet illud παρέστησαν θυσίας, id eſt, fecerunt hoſtias, vel fecere ſacrificia, eſt enim facere ſacrum, idem quod ſacrificare: ſic enim interpretatur locus allatus: *Et poſtridie ſacrificia Deo obtulerunt vitulos mille, & arie-*

tes

tes totidem , & mille agnos , quos holocauſtum fecerunt. Immolaverunt autem etiam pacifica ſacrificia multas myriades ſacrorum cauſa mactantes , & per totum diem feſtum egit Rex cum omni populo , & Salomonem ſecundo unxerunt oleo , & declararunt illum Regem , & Sadocum Pontificem totius multitudinis. Regum igitur Iſraëlitarum inaugurationem , ſolemnemque pompam , ſacrificiis minimè caruiſſe conſtat ; & ex conſequenti in ea ſolemnitate Sacerdotes plurimos adfuiſſe , qui ſacra Deo facerent , prout ex munere tenebantur.

Davidis quoque ſolemnis inauguratio ſacrificiis , ſacerdotibuſque minimè caruit. Nam quando ad Davidem in Hebron univerſæ tribus convenerunt ; Regemque ſuper totum Iſraël eum conſalutarunt ; ſacrum adfuiſſe epulum ſcribit Joſeph. lib. 7. antiquit. cap. 2. In quo poſtquam deſcripſiſſet conventum totius Iſraëlitici exercitus in Hebron, ſubdit: *καὶ μιᾷ γνώμῃ τὸν δαβίδην βασιλεύειν ἐκύρωσαν. ἐπὶ δὲ τρεῖς ἡμέρας ἑορτάσαντος τοῦ λαοῦ , καὶ κατευωχηθέντος ἐν τῇ χεβρῶνι.* Hoc eſt: *Et una ſententia Davidem regnare ſtatuerunt : tribus autem diebus feſtum agente populo , & epulante in Hebron &c.* Ex quibus colligitur uti certum , ſacrorum de cauſa , Sacerdotes neceſſario ſemper adfuiſſe cuicunque Regiæ inaugurationi.

Unico argumento , Sacerdotis miniſterium in regia inauguratione firmetur, à ratione hoſtiarum pacificarum deſumpto , quæ in ſolemnitate inaugurationis offerebantur. Has enim oblatas quando inauguratus fuit Saul , dicitur 1. Reg. cap. 11. his verbis : *Et fecerunt Regem Saul coram Domino in Galgala ; & immolaverunt ibi victimas pacificas coram Domino.* Davidem quoque percuſſiſſe fœdus in Hebron cum filiis Iſraël, dicitur lib. 2. Reg. ibique immolatas victimas pacificas , ex epulo populorum conſtat ; tantum enim ex oblatis victimis pacificis , ſacrificium offerentibus comedere concedebatur. Præterea comediſſe , ac bibiſſe populum cum grandi lætitia in Salomonis inauguratione , dicitur lib. 1. Paral. cap. ult. Quæ omnia de ſacro epulo in oblatione pacificorum intelligenda fore, ſacræ paginæ ubique teſtantur. In his autem Sacerdotum miniſterium loca plurima , ex Levitici libro apertè concludunt : ut omninò affirmare liceat ; nullius Regis Iſraëlitici inaugurationem, ſine ſacrificiis, ac ſacerdotibus celebratam fuiſſe.

CAP. XV.

Ceretheos , & Pheletheos non conſiliarios, ſed regios milites in Iſraël fuiſſe. monſtratur.

Ad locum 3. Reg. 1. *Deſcendit ergo Sadoch ſacerdos , & Nathan Propheta , & Banajas filius Jojadæ , & Cerethi, & Phelethi, & impoſuerunt Salomonem ſuper mulam Regis David &c.* & ad alia.

REVERTI ad militiam Iſraëliticam cogimur : ut in regia inſtitutione ac inauguratione, ſtipatores Regios agnoſcamus. Robur enim cujuſcunque Reipublicæ in militia poſitum jam diximus; in Iſraëlitica verò Republica ſedem aliquam tenuiſſe hos, qui Cerethi , ac Phelethei dicebantur, ſacris ex oraculis manifeſtum eſt. Hos enim regiæ inſtitutioni , deſignationi , declarationi , inaugurationi , omnibuſque ſolemnioribus Regiis comitiis interfuiſſe, in dubium revocari minime poſſe videtur. Verum quinam his vocabulis in ſacris ſignificentur oraculis, militeſne, an alterius profeſſionis

A homines , apud ſacrarum literarum interpretes in aliqua videtur poſitum controverſia : eapropter , quæ à doctiſſimis viris in hac difficultate affirmentur, atque tradantur , in medium afferre nobis neceſſe eſt ; ut, quantum fieri poteſt, ſolemniores de hac re ſententiæ diſcutiantur.

Ut autem ab omnium anteſignano Hieronymo viro ſanctiſſimo, ac linguarum peritia doctiſſimo exordiamur ; is in tradit. Hebraicis ad lib. 1. Paral. cap. 18. ſic ſcribit : *Cerethi exterminatores, & Phelethi admirabiles*, ſupple interpretantur, *dicuntur enim fuiſſe ſeptuaginta Judices , quos Moyſes in eremo Domino præcipiente delegerat.* Hieronymus igitur , ſaltem non re-
B probat illorum ſententiam , qui cum aliquibus Rabinis Ceretheorum, Pheletheorumque vocabulo collegium Sanhedrin , ſeptuaginta nimirum Judicum ſignificari intelligebant : quod etiam plures alii, præſertim dictionariſtæ omnes , & lexici tradiderunt , ſicut etiam ſentit auctor interpretationis propriorum nominum , quæ eſt ad calcem quarti tomi concordantiarum fratris Thomæ de Calaſio , in dictione Cerethi , & in dictione Phelethi , ubi hæc habentur : *Alii putant hos fuiſſe Sanhedrios judices ordinarios , alii Prophetas interpretantur ab operando mira dictos.* Huic ſententiæ interpretatio Burgenſis favere videtur , qui illa vocabula Cerethim, & Phe-
C lethim per interficientes , & vivificantes interpretatur. Ab eadem pariter non diſcedit Vatab. in adnotationibus ad lib. 2. Reg. cap. 20. dicens : *Ceretheos, & Pheletheos ex quorundam ſententia fuiſſe homines doctos , ac legiſperitos , Ceretheos dictos , quod de omnibus decernerent , Pheletheos verò , quod de rebus arduis cognoſcerent.* Denique ad hanc quoque ſententiam trahunt aliqui lectionem ſeptuag. codicis Vatican. lib. 2. Reg. cap. 8. qui cum de Banaia agunt : *καὶ βαναῖας υἱὸς ἰωδάε σύμβουλος , καὶ ὁ χελεθοὶ, καὶ ὁ φελετί* , inquiunt , hoc eſt : *Et Banaias filius Jojadæ conſiliarius , & ipſe Cerethi , & ipſe Phelethi.* Ac ſi Septuaginta dicerent juxta prædictam ſententiam ,
D Bananias ipſe præſes , & præfectus conſiliariorum , qui Cerethi , & Pheleti dicebantur : videlicet eorum , qui ſontes damnabant , ac juſtos , innocenteſque ab illatis criminibus abſolvebant. Quantum verò ſpectat ad etymologiam nominum prædictorum per reſpectum ad Sanhedrios , & horum ſucceſſores contemplatam : Cerethim , id eſt exterminatores, appellatos judices illos putarunt à verbo כָּרָה *carah* , vel à dictione כָּרַת *carath* , quod eſt eradicare , ſcindere, & interficere : quod nimirum ſontes , & ultimò ſupplicio damnandos , hi punirent : reliquos verò Phelethim , hoc eſt mirabiles , dictos exiſtimarunt : quod inſontes , ac innocentes defendere ex munere tenerentur.

Interpretationibus his ego quoque ſubſcripſiſſem ;
E niſi ſacra oracula , ratioque ipſa alio me avocarent. Nam conſiliarios regios inaugurationi Salomonis pariter adfuiſſe, probabiliſſimum ex Reipublicæ inſtitutis cenſeri debet : fieri quoque potuit , ut ſeptuaginta illi Judices à Moyſe inſtituti , aliquando Ceretheorum , Pheletheorumque vocabulo nominati fuerint : quod diſputare cum nolim, aliis decernendum relinquo. Nihilominus 3. Reg. cap. 1. ubi de inauguratione Salomonis agitur , Ceretheorum , atque Pheletheorum vocabulis , judices ſignificari , nullatenus ſuſtinendum puto. Quamobrem ab ea ſententia recedere me non ſolum doctiſſimi viri, ſed
F etiam noſtri vulgati interpretis veneranda ſemper auctoritas coëgit : qui quidem ad explicanda munera illorum , qui Cerethim , ac Phelethim appellabantur, militare nomen *legionis* illis adjunxit. Abulenſis etiam quæſt. 40. in cap. 1. lib. 3. Reg. ſuper illa verba, *Et Cerethi , & Phelethi* , ſic habet : *Iſti erant viri bellatores ordinati per legiones , & erant ſub*

manu Banajæ: & quia iſti erant ſub Banaja, ſecuti ſunt partem Salomonis. In eadem ſententia ſtat firmiſſimè Gaſpar Sanctius, 2. Reg. cap. 8. & 20. lib. 3. Reg. 1. & 4. Reg. cap. 11. Et in Prophetas minores ad cap. 2. Sophon. Ibidem etiam Ribera, & Vatab. mutato ſenſu apertè lib. 4. Reg. cap. 11. Nam ubi noſter habet Cerethim, & Phelethim, cum Hebraicè legatur הַכָּרִי וְאֶת־הָרָצִים *hachcari vehet harazim;* ea ipſa vocabula per hæc alia, *Duces, & Satellites* interpretatur. Quæ vocabula cum ſint militaria, hos quoque *hacharim*, & *harazim* militiæ operam dediſſe, ex Vatabli doctrina non erit ambigendum. Avenarius in dictione כָּרִי *chari* cohortem militum geſtantium lanceas, ſemper paratam ad Regem comitandum ſignificari docuit: quæ cohors, vel ab excidendo à verbo כָּרָה *charah*, eo vocabulo appellaretur; vel ab uſu lanceæ, quæ, *Curis*, antiquitus, Sabinorum lingua diceretur. Chaldæus quoque Paraphr. Cerethim, & Phelethim ſagittarios, & funditularios interpretatur, prout etiam Nicolaus de Lyra, & alii cum ipſo; qui in ſequentibus referentur. Communi igitur aliorum ſententia allatis vocabulis, non judices, aut conſiliarios, ſed milites ſignificari conſtat. Nam ſive ſagittarii, ſive funditularii vocabulis illis, ſive milites, qui lanceas deferant, accipiantur; ad militiam hæc omnia pertinere perſpicuum eſt. Nicolaus quoque Serrarius in lib. 2. Reg. cap. 8. de Ceretheis, & Pheletheis loquens, hæc habet: *Dico primo eſſe milites bellatores; unde & interpres noſter, aliquando legiones vocat; non quod eorum tantus eſſet numerus, vel ii minimam legionem, quæ trium millium erat, olim explerent.* Frater Michaël Angelus à Sancto Romulo in interpretatione nominum Hebraicorum, quæ eſt ad calcem 4. tomi concordantiarum F. Marii, in dictione Phelethi, ita habet: *Nomen populi, ſive legionum quarundam David, de quibus idem judicium eſt cum de Cerethi.* Quod etiam Pineda lib. 2. de reb. Salom. cap. 4. num. 3. præclarè docuit.

Ruit igitur, quod de Synedrio magno ab aliquibus Rabbinis ſomniabatur, duobus potiſſimum argumentis. Quod nimirum huic hominum generi, qui illis vocabulis in Sacris oraculis ſignificantur, nomen legionis adjungatur apud noſtrum vulgatum: quod ſanè militare vocabulum judicibus, Regiiſque conſiliariis impropriiſſimè tribui poſſe apparet. Alterum argumentum cap. 15. lib. 2. Reg. innititur, in quo David Ceretheis, ac Pheletheis comitatus fugiebat à facie Abſalon, hoſque cum aliis Getheis pugnatoribus validis Regi fugienti ad tutamentum adfuiſſe conſtat: quamobrem etiam ipſos Ceretheos, atque Pheletheos ad numerum validorum pugnatorum pertinuiſſe, evidentiſſimum à viris doctiſſimis cenſetur.

Verum licet Cerethi, & Phelethi milites fuiſſe, argumentis poſitis pateat: aliquibus tamen Rabinorum ſententia non omnino debilitata, aut argumentis jam poſitis, ſententia noſtra, non omnino ſtabilita videri poſſet. Priori namque rationi, quæ in vi vocabuli τὸ *legio* innititur, obſtare videtur Hebraicum exemplar; quod penes Rabinos talis, ac tantæ eſt auctoritatis, ut præter illud, nullum aliud exemplar recipiant: quamobrem cum in eo exemplari τὸ *legio* non habeatur; neque per aliquam aliam vocem Hebraicam, quæ ad militiam ſpectet, vox *legio* ſuppleatur; ſed ubique in codicibus Hebraicis τὸ *Cerethi*, *& Phelethi*, abſolute ſine adjuncto aliquo militari legatur; & quod magis eſt, neque exemplaria Græca vocem illam legionis, aut aliam illi correſpondentem retinuerint: profectò ratio, quæ illi vocabulo innitebatur, corruiſſe videtur. Ratio quoque poſterior minus urget: quod enim nomine Cerethim, & Phelethim, Regii conſiliarii intelli-

A gantur; & hi Regem fugientem comitarentur, ac in fuga ſequerentur; Majeſtati Regiæ convenientiſſimum cenſeri debet: ut ibi ſit curia, ubi Rex ipſe reſidet. Quamobrem licet Cerethei, ac Phelethei unà cum Getheis validis pugnatoribus adnumerentur; nullibi tamen Ceretheos, & Pheletheos pugnatores fuiſſe traduntur.

His tamen non obſtantibus, ſententia à nobis ex communi doctrina poſita, firma, atque irrefragabilis maneat: certumque ſit cum Pineda, & aliis jam relatis auctoribus nobis ſtandum eſſe; atque Ceretheorum, Pheletheorumque vocabulis eos intelligi in ſacris oraculis, qui militiæ nomen dediſſent, B militarique peritia adeò excelluiſſent, ut in Regno Iſraëlitico inter illuſtriores milites recenſerentur. Sed ubi cuncta deeſſent argumenta, ſatis probatum iri arbitror noſtram, communemque ſententiam, vulgati interpretis auctoritate, cum primis, in ſacris Scripturis audiendi, ac plurimum obſervandi: quoties enim Ceretheorum, Pheletheorumque is meminit, toties eiſdem vocabulis nomen legionis, quod militare eſt, præfigit: quod quidem nulli alteri muneri publico præterquam militari, rectè accommodari poteſt. Hoc apertè 2. Reg. cap. 15. intueri licet; ubi ſermo eſt de David à facie Abſalomi fugiente, & comitatus regius per hæc verba ſcribitur: C *Et univerſi ſervi ejus ambulabant juxta eum, & legiones Cerethi, & Phelethi.* Libro quoque 4. Reg. cap. 11. cum de inauguratione Regis Joaſi loquitur, qui ſororis induſtria ac cura, adhuc puerulus internecioni, quæ ab Athalia exercebatur, ſubtractus, & demum poſtquam diù in templo incolumis clanculum vixiſſet, Joiadæ ſummi Sacerdotis prudentia, atque in rebus publicis dexteritate, ad regni faſtigium evectus fuiſſet; hæc verba habentur. *Tulitque*, ſupple Joiada, *Centuriones, & Cerethi, & Phelethi legiones.*

Nomen legionum in numero plurali, attenta paucitate illorum, qui David fugientem ſequebantur, D aliquem fortaſſe offendet. Nam legiones à Romulo penes Romanos ab incunabulis Urbis introductæ, ex tribus peditum millibus compactæ primum fuere, ut Varro, Dionyſius, & Plutarchus tradidere: poſtmodum ſub P. Valerio Publicola ad quaterna millia, teſte Dionyſio, pervenere: ad quinque millia in bello cum Annibale adauctas fuiſſe Livius lib. 22. ſcribit: demum Scipioni in Africam trajecturo, ex ſex millibus militum legiones eidem traditæ fuere. Cum igitur legio altera Ceretheorum, Pheletheorumque altera ad cuſtodiam Regis Iſraël, ex ſententia vulgati interpretis ſint adſcribendæ; ſex E quoque millia peditum, vel tria ad minus millia ex vi vocabuli legionis in hac militum manu, Regi Iſraël decernere oportuiſſet; à quibus tam domi, quam foris Rex Iſraël cuſtodiretur. Quæ tamen militum manus, gratis omnino, & proprio marte excogitata ab aliquo cenſeri poſſet: cum ſexcenti tantum milites, à ſacro textu, cohorti regiæ Davidis fugientis à facie Abſalomi lib. 2. Reg. cap. 15. & apud Joſeph. lib. 7. antiquit. cap. 9. (juxta veterem editionem) adſcribantur.

Sed nequaquam allatus militum numerus gratis excogitatus cenſebitur ab his, qui animadvertent 3. Reg. 4. Salomonem habuiſſe quadraginta millia F præſepia equorum currilium, & decem millia equeſtrium; ac propterea Iſraëliticis etiam Regibus, legionem aliquam militum adfuiſſe, præter rem minimè videtur. Sed eſto, hæc militum manus Regis Iſraël, ad ſex millia militum minimè perveniſſet; quis prohibet affirmare ſingulam legionem ex his, quæ ad Regis Iſraël cuſtodiam deſtinatæ fuerant; millenis tantum compactam extitiſſe? ita quidem quod unaquæque legio denis cohortibus coaleſceret,

&

& nnaquæque cohors centuriata foret : Hac enim A ratione ſatellitium regium bina tantum militum millia haberet : Cyrum enim habuiſſe decem millia ſtipatorum teſtatur Xenophon libro 7. de pædia Cyri dicens : *λαμβάνει οὖν τούτων μυρίους δορυφόρους οἳ κύκλῳ μὲν νυκτὸς, καὶ ἡμέρας ἐφύλαττον ἐπὶ τὸν βασιλέα, ὁπότε εἴσω ῥαΐστεν ὁπότε δ' ἐξίοι, πῆ ἔνθεν, καὶ ἔνθεν τεταγμένοι ἐπορεύοντο.* Hoc eſt : *Aſſumpſit igitur*, ſupple Cyrus, *horum*, ſupple militum, *mille doryphoros.* (Sic enim dicebantur, qui ferebant haſtam, haſtatique latinè rectè interpretarentur) *qui in circuitu nocte, & die cuſtodirent Regem : quando intus quieſceret, ſive alicubi exiret : hinc, & hinc inſtructi* B *prodirent.*

Sed concedamus ejuſdem muneris apud Reges Iſraël legiones Cerethi, & Phelethi extitiſſe; cujus apud Romanos Cohortes prætoriæ erant : ut docte ubique Gaſpar Sanctius tradidit : ſingula quæque legio Ceretheorum, atque Pheletheorum hac ratione quingentos habebit pedites : quemadmodum de Prætorianis cohortibus tradidit Lipſ. lib. 2. de milit. Rom. dial. 4. Quamobrem quingentos milites, decem pariter quinquagenarios ſingulam cohortem Ceretheorum, & Pheletheorum habuiſſe neceſſario diceretur : plures autem quinquagenarios Reges Iſraël recenſuiſſe in ſuo ſatellitio, ex cap. 1. lib. 4. C Reg. fateri cogimur. Regiæ igitur cohortes Ceretheorum, & Pheletheorum, legionis nomine apud vulgatum jure inſigniri potuere.

Sed cum nihil certi de numero, in hac militum manu Regis Iſraëlitici affirmari queat ; non eſt cur fruſtra ulterius tempus à nobis inſumatur : non enim in Hebraicis codicibus, aut Græcis exemplaribus, illud vocabulum legionis, ut dicebamus, habetur; ſed ab interprete noſtro appoſitum fuiſſe pro certo affirmo, ad declarandum munia Ceretheorum, & Pheletheorum : parum curante interprete, an ad legionem, an verò ad cohortem numerus illorum pertineret : aut quoti eſſent in numero milites, qui in- D ter Ceretheos, aut Pheletheos recenſebantur. Quin etiam ſcite admodum vulgatum interpretem Ceretheis, ac Pheletheis vocabulum legionis adjunxiſſe credere par eſt ; non ſolum, me Judice, ut quid ipſe ſentiret de Ceretheis & Pheletheis, poſteris aperiret : verum etiam, ut virtutem ac militare robur Ceretheorum Pheletheorumque, unico verbo inſinuaret. Nam legio ex denis cohortibus conſtituebatur, auctore Lipſ. lib. 2. de milit. Rom. dial. 5. Etenim ab etymologia ſi ſumendum ſit argumentum, ex Varrone legio dicebatur, quia robuſtiores, valentioreſque ad militiam legebantur. Quia verò ad regni Regiſque Iſraëlitici cuſtodiam valentiores, de- E que re militari optime meriti ſeligebantur ; (in quorum numero Cerethei, & Phelethei 2. Reg. cap. 15. reponuntur cum dicitur : *Legiones Cerethi, & Phelethi, & omnes Getheos pugnatores validos.*) & fugientem David aſſociarunt, propterea vulgatus interpres, cum de Ceretheis, ac Pheletheis meminit, nomen legionis appoſuit : ut de numero ſelectorum militum eos fuiſſe, qui Regem fugientem comitabantur, ſubindicaret.

Ut denique omnibus ordinibus Reipublicæ convocatis ad ſolemnitatem regiæ acclamationis, cum Salomon ſucceſſor eſt declaratus, nihil omninò deeſſet : tantoque hæc Salomonis declaratio, & accla- F matio 3. Reg. 1. alteram Adoniæ excelleret ; quanto hæc juſtior erat, quam illa ; cum de mandato Patris hæc fieret ; ſanctior etiam, quod ſacro oleo perficeretur ; dignior denique quod divini præſentia Vatis decoraretur : tandem ut majeſtate imperii etiam abſolutior videretur, cohorte regia Salomonem ſtipatum legimus. Non quidem pro capite ſelectis militibus, ut Adoniæ contigerat ; ſed his circumdatus, ac ſtipatus armis, atque militibus, qui ex ordine Reipublicæ ad majeſtatem regiam pertinebant. Quamobrem regius Adoniæ apparatus illicò evanuit; is verò regius Salomonis conſeſſus, præſentia Numinis probatus, firmus, inconcuſſus, & ſtabilis permanſit.

CAP. XVI.

Ceretheos, & Pheletheos regios ſtipatores extitiſſe.

Ad loca 3. Reg. cap. 1. *Adonias autem filius Agit elevabatur dicens, ego regnabo : fecitque ſibi currus & equites, & quinquaginta viros, qui currerent ante eum.* verſ. 33. *Tollite vobiſcum ſervos Domini veſtri, & imponite Salomonem filium meum ſuper mulam meam, & ducite eum in Gihon.* & infra. *Deſcendit ergo Sadoch Sacerdos, & Nathan Propheta & Banajas filius Jojadæ, & Cerethi, & Phelethi.* & ad alia plura.

CERETHEOS, ac Pheletheos ad regios ſatellites in Republica Iſraëlitica pertinuiſſe, uſque huc in ſuperiori capitulo ex communiori, & verà plurimorum auctorum ſententia oſtendimus : noſtri nunc eſt muneris probare, Ceretheos, Pheletheoſque, non aliquo alio ex munere Iſraëlitica ſtipendia meruiſſe, quam ut regiam perſonam tuerentur : eumque, ſtipato agmine, ab incommodis quibuſcumque ſervarent. Nam quantæ majeſtatis, ſatellitio ſtipari fuerit ; tum ex Sacris, tum ex prophanis literis perſpectum eſt. Juris enim gentium quodammodo id fuiſſe videtur; quamobrem omnium nationum, Regum, ac Principum conſuetudo fuit ; ſelectos quoſque milites ad cuſtodiam illius deſtinare, qui magiſtratum gereret; quibus quidem tam domi, quam foris comitaretur, ſtiparetur, atque ſi quando neceſſitas id exigeret, & defenderetur.

Et quidem quaſi Regio juri ſtipatores deberentur : apud Herodotum lib. 1. ſtatim ac Dejoces à Medis Rex declaratus fuit, de ſtipatoribus cogitavit : de quo ita ille : *ὁ δ' ἐκέλευσε αὐτοὺς οἰκία τε ἑαυτῷ ἄξια τῆς βασιληΐης οἰκοδομῆσαι, καὶ κραθῆναι αὐτὸν δορυφόροισι.* Dicuntur enim ſtipatores *δορυφόροι* à ferendo lanceam, quam geſtabant, quoties hinc inde Regis latera cingebant, ſive domi, ſive foris Rex graderetur. ſic enim illa interpretantur : *At ille*, ſupple Dejoces, *juſſit ædificia erigi imperio digna, ſtipatoreſque ad cuſtodiam illius adjungi.* Et Aſtyages propterea ſomnii cujuſdam, in quo Cyrum regem futurum præmonſtrabatur, malum omen ſe declinaſſe credidit; quod Cyrus ahuc puer regia munia jam obiiſſet; inter quæ ſtipatorum electio primam obtinuit ſedem. Etenim apud eundem Herodotum ſic loquitur Aſtyages : *καὶ γὰρ δορυφόρους, καὶ θυρόρους, καὶ ἀγγελιηφόρους, καὶ τὰ λοιπὰ πάντα διατάξας ἦρχε.* Hoc eſt : *Etenim ſatellites, & janitores & internuncios ac reliqua omnia, ordinando imperium exercuit.* Hinc Oedipus apud Sophoclem in tragœdia, quæ inſcribitur Oedip. Tyr. verſ. 770. Jocaſtam circa comitatum Laji interrogat ; ac numeroſum ſatellitium deberi magiſtratui ſubindicat dicens :

Πότερον ἐχώρει βαιὸς, ἢ πολλοὺς ἔχων
Ἄνδρας λοχίτας, οἷ' ἀνὴρ ἀρχηγέτης;

Ex quibus Sophoclis verbis planè conſtat, diverſam extitiſſe incedendi formam privati alicujus hominis ab eo uſque tempore, atque Principis, ac magiſtratus : ille enim amicorum, ſervorumque conten-

contentus; magiſtratui numeroſior debetur comitatus. Sic enim Sophoclis interpretantur carmina. Oed.

Vtrum ibat cum parvo comitatu, an multos habebat
Satellites, ut vir in magiſtratu poſitus?

Hæc non ſolum Romulum apud Romanos; ſed etiam poſt illum Tarquinium, & poſt Tarquinium Conſules præſidia ſatellitum, ac ſtipatorum habuiſſe, veterum monumenta teſtantur: immò ad regiam majeſtatem, ſummique magiſtratus dignitatem ſatellitio ſtipari adeo pertinere putabantur; ut nec Poëtæ ipſi, regiam majeſtatem ſine ſatellitio delineaverint. Id videre licet ex Virgil. lib. 1. Æneid. ubi Didonis ad templum acceſſus ſcribit iis verbis:

Regina ad templum forma pulcherrima Dido
Inceſſit; magna juvenum ſtipante caterva.

Et Statius lib. 11. Thebaid. fortunam Oedipi ejecti ex Thebis à Creonte deplorans, ejuſdem Oedipi regium ſtatum delineando ait:

. . . . *Et hic quondam ſolio ſublimis, & armis*
Septus, opem miſeris, & jura petentibus æquus
Supplicibuſque dabat . . . .

Quamobrem etiam libro 2. Thebanum regnum deſcribens, quod Etheocles in fratris injuriam adminiſtrabat, ac tenebat: Tideum Thebis adventaſſe ſcribit Polinicis regia jura repetiturum. Regiam vero Etheoclis majeſtatem delineando ait:

. . . . *ibi durum Etheoclea cernit*
Sublimem ſolio, ſeptumque horrentibus armis;
Jura ferens populo, trans legem, ac tempora regni.

Cum igitur juris, ac majeſtatis regiæ foret ſatellitio ſtipari; propterea de more populi Romani fuit, (Alexand. ab Alex. lib. 6. genial. dier. cap. 22. id adnotavit) ut ſi quos Principes, ſociali fide, fœdereque junctos, populus Romanus Reges appellaviſſet; eiſdem turmam equitum Romanorum, honoris cauſa, militaremque cuſtodiam, velut præſidium, ex decreto Senatus impertiretnr.

Stipatores, ſive ſatellites Cyrum habuiſse legimus apud Xenophon. lib. 7. de Pædia Cyri: quinimò ubi primum regnum apud Babylonem firmare ſtatuiſſet; illicò ad ſui cuſtodiam ſatellitio ſtipari cogitavit. Quod Xenoph. per hæc verba deſcripſit: ἐννοῶν δὲ τὸ αὐτοῦ πρᾶγμα, ὅτι ἐπιχειροίη μὲν ἄρχειν πολλῶν ἀνθρώπων, παρασκευάζοιτο δὲ οἰκεῖν ἐν πόλει τῇ μεγίσῃ τῶν φανερῶν, αὕτη δὲ οὕτως ἔχοι αὐτῷ, ὡς αν πολεμιωτάτη γένοιτο ἀνδρὶ πόλις. ταῦτα δὴ λογιζόμενος, φυλακῆς περὶ τὸ ζῶμα ἡγήσατο δεῖσθαι. Hoc eſt: *Cogitans autem negotium ſuum, quod aggrederetur quidem multis hominibus imperare, pararet habitare in ea Vrbe inter illuſtres maxima*, Babylonem intelligit, *ipſa autem ſic efficeretur illi, quaſi maximè hoſtilis viro Vrbs eſſet: hæc igitur animo volutans cenſuit ſibi eſſe opus cuſtodia circa corpus.* Ut hinc colligatur aperte ſtipatores Regiæ Majeſtati omnino deberi ab antiquiſſimis uſque temporibus.

Verùm quod juxta conſuetudinem omnium Principum, ac quorumcumque, qui in magiſtratu conſtituti eſſent, Romulus pariter ſatellitio ſtipari curraverit, Halicar. lib. 2. ſcribit; in quo de prima juſtitutione Verbis agit dicens: ὡς δὲ κατεσκευάζατο, καὶ τὸ βουλευτικὸν τῶν γερόντων, συνέδριον ἐκ τῶν ἑκατὸν ἀνδρῶν, ὁρῶν ὅπερ εἰκὸς, ὅτι καὶ νεότητος αὐτῷ δεήσει τινὸς συντεταγμένης, ἧ χρήσεται, φυλακῆς ἕνεκα τοῦ ζώματος, καὶ πρὸς τὰ κατεπείγοντα τῶν ἔργων ὑπηρεσίας· τριακοσίους ἄνδρας ἐκ τῶν ἐπιφανεστάτων οἴκων τοὺς ἐῤῥωμενεστάτους τοῖς σώμασιν ἐπιλεξάμενος, οὓς ἀπέδειξαν αἱ φρατρίαι τὸν αὐτὸν τρόπον, ὅνπερ βουλευτὰς, ἑκάσῃ φρατρία δέκα νέους, τούτους τοὺς ἄνδρας ἀεὶ περὶ αὐτὸν εἶχεν. Hoc eſt: *Vt autem ordinavit Senatum ex ſenioribus, conſeſſum ex centum viris: conſiderans ſibi etiam juvenum aliqua manu opus futurum, cujus miniſterio, & ad corporis tutelam, & ad neceſſaria munera peragenda uteretur, tercentum viros robuſtiſſimos ex nobilioribus familiis delectos, circa ſe habuit commendatos curiarum ſuffragiis; quemadmodum Senatores antea, denos juvenes per ſingulas curias: hos viros ſemper circa ſe habuit.* Meminit etiam Livius lib. 1. Decad. 1. & Plutar. quoque in Romul. horum tercentorum militum, quos ſibi Romulum conſtituiſſe tradunt: ut temporibus belli & pacis his conſtiparetur. Celeres à Romulo milites ſtipatores dicti B fuerunt. Nominis rationem ſatis luculenter Halicarnaſſeus loco citato his verbis oſtendit: ὄνομα δὲ κοινὸν ἅπαντες, ὃ καὶ νῦν κατέσχηκαν ἔχον κελέριοι· ὡς μὲν οἱ πλείους γράφουσιν, ἐπὶ τῆς ὀξύτητος τῶν ὑπουργιῶν· τοὺς γὰρ ἑτοίμους, καὶ ταχεῖς ἐπὶ τὰ ἔργα, κέλερες οἱ Ρωμαῖοι καλοῦσιν· ὡς δὲ οὐαλέριος φησιν ἐπὶ τοῦ ἡγεμόνος τοῦτ' ἔχοντες τὄνομα. Hoc eſt: *Nomen autem commune fuit omnibus, ſicut & nunc conſtitutum habent, Celeres: & quidem, ut plerique ſcripſerunt à celeritate miniſterii*, ſupple ſic dicti fuerunt. *promptos enim, & paratos in operibus, Celeres vocant Romani: ut autem Valerius dicit, habent hoc nomen à Præfecto.* Sed quicquid ſit de voce, quod parum noſtra intereſt: in hac militum manu, C Imperii majeſtatem agnoſcimus. Quamobrem rectè dixiſſe putamus Juſtinianum in ſuis ad leges inſtitutionibus in prœmio: *Imperatoriam majeſtatem non ſolum armis decoratam; ſed etiam legibus oportet eſſe armatam: ut utrumque tempus, & bellorum & pacis rectè poſſit gubernari.* Verbo enim *majeſtatis*, decorem Imperatoris, imperatoriamque majeſtatem in militia ſervari Juſtin. oſtendit: maximè verò in his militibus, qui imperium, Imperatoremque tutum ſervare ex munere tenebantur.

Hujus muneris hi erant; qui in Romana republica Prætoriani dicebantur: de quibus Plin. lib. 6. cap. 29. Tacit. lib. 7. Sueton. in Tiber. cap. & 37. D in Galba, & omnes alii qui Romanas hiſtorias ſcripſerunt. Quia enim verſamur in manifeſtis, longiore ſermone minimè opus eſt. Horum enim muneris erat, Principis latera cingere, juxta Principis Prætorium excubare, atque propterea Prætoriani appellabantur: quamobrem protectores Principis aliquando dicti fuere, ut habetur in textu l. 1. cod. de domeſticis, & protectoribus. Excubitores etiam Suet. Tranquil. cap. 7. in Neron. eoſdem dixit. Ejuſdem etiam generis militiæ erat illa tercentorum juvenum cuſtodia pro Regibus Lacedæmoniorum inſtituta, de quibus Halicar. lib. 2. ubi de tercentis illis, quos Romulus ſelegit, ut ſupra vidimus, cum ageret; E quærens à quibus id acceperit Romulus, ait. τοῦτό μοι δοκεῖ παρὰ Λακεδαιμονίων μετενέγκασαι τὸ ἔθος, μαθὼν, ὅτι καὶ παρ' ἐκείνοις οἱ γενναιότατοι τῶν νέων φύλακες ἦσαν τῶν βασιλέων, οἷς ἐχρῶντο κατὰ τοὺς πολέμους παρασπισαῖς, ἱππεῦσί τε οὖσι, καὶ πεζοῖς. Hoc eſt: *Hunc morem mihi videtur accepiſſe*, ſupple Romulus, *à Lacedæmoniis, comperiens quod apud illos generoſiſſimi juvenes cuſtodes erant Regum, quibus utebantur in prælio protectoribus, tam equitibus, quam peditibus exiſtentibus.* Et Herodot. lib. 6. licet is non tercentum, ſed centum tantum videatur voluiſſe hos fuiſſe; ſic hanc ipſam hiſtoriam refert: στρατευομένων δὲ δεῖ πρώτους εἶναι τοὺς βασιλῆας, ὑστάτους δὲ ἀπιέναι. F ἑκατὸν δὲ ἄνδρας λογάδας ἐπὶ στρατιῆς φυλάσσειν αὐτούς. Hoc eſt: *In militando autem primos oportet eſſe Reges, poſtremo autem in abeundo: centum autem viri delecti eis in militia cuſtodes adſunt.*

Erat etiam apud Athenienſes ad tuendum, ſtipandumque magiſtratum, ſacra illa cohors, ſic à munere dicta. Macedonibus quoque Regibus ſacræ alæ aderant, ut loquamur cum Livio ibi. 2. decad. 5. quibus

quibus Macedonum Rex medius ſtipabatur. Mille apud Perſas milites Regis latera cingebant; qui cum ex decem millibus valentioribus ſeligerentur, & pro ſigno mala in ſpiculis deferrent, melophori, & immortales dicebantur: de quibus agit Ælian. ubi de Alexan. lib. 9. cap. 2. & Herodot. & Arianus lib. 7. ad finem de geſtis Alexandri. Et hi ipſi homothymi, ideſt unanimes, appellantur apud Xenoph. lib. 1. de pædia Cyri; ut arbitror: quorum ducentos ſibi aſſumpſit Cyrus, cùm rebus bellicis operam dare cœpit. Horum ſingulos ex eodem numero quatuor ex aliis ſelegiſſe ſcribit; ut millenarius compleretur: ſinguli verò ex millenis, denos ſcutatos, denos ſagittarios, & denos funditores ſelegerunt, ut ſupra triginta millia Perſarum exercitus tunc conflaretur; cum Cyrus primam expeditionem paravit. Erat etiam apud Thebanos ſacrum præſidium, de quo ſcribit Plut. in Alex. & Pelopida, & Ælian. lib. 14. de varia hiſtor. ſacri vero præſidii nomine hi decorabantur; quia Reipublicæ Thebanæ cura his commendata cenſebatur.

Reges Iſraël ſimili cohorte uſos fuiſſe ratio dignitatis, regiæque majeſtatis celſitudo, & ſacra oracula ubique, me judice, produnt; & Joſephus lib. 7. antiq. cap. 11. tradit; cùm Salomonem, ut Rex renunciaretur, cohorte regia ſtipatum ſcribit. Quamobrem ab Iſraëlitis reliquas nationes ac gentes ſtipatorum munus accepiſſe puto; quia ſi res ipſa altius repetatur; & ad initia regiæ inſtitutionis revocetur; ex ſacra Scriptura ſtipatorum manum Regi ab exordio regiæ inſtitutionis adfuiſſe colligetur: nam lib. 1. Reg. cap. 10. hæc verba leguntur: *Sed & Saul abiit in domum ſuam in Gabaa, & abiit cum eo pars exercitus, quorum Deus tetigit corda.* Si ergo in Gabaa pars exercitus Saulem eſt comitata; mihi affirmandum videtur ſtipandi gratia illos milites Sauli adfuiſſe: ut eum nimirum tuerentur; præſertim ab his, qui in electionem Saulis minimè conſenſerant. Et quidem non obſcure id ſubindicavit Joſeph. lib. 6. antiquit. cap. 5. dicens: *Saulum verò in natale oppidum Gabatha redeuntem, multi boni viri comitabantur, ut novo Regi debitum officium præſtarent.* Eſt autem ex militari ratione, debitum officium novo Regi præſtare, cuſtodiæ cauſa eidem adeſſe.

Davidem quoque legimus cap. 2. lib. 2. Reg. quando Rex inauguratus fuit in Hebron, ſecum habuiſſe quotquot illum fugientem à facie Saulis aſſectabantur: qui etiam cum Davide in Geth abierunt; & inde in Hebron deſcenderunt: quamobrem quamvis Iſraëlitæ eſſent, qui Davidi aderant; Gethei tamen ſecundum aliquos appellati fuere à loco, ex quo cum Davide venerant. Quod vocabulum, ſtrenuiſſimi quique milites, qui fuerunt cum Davide, poſtmodum retinuere: quorum ſacer textus meminit lib. 2. Reg. cap. 15. Davidis à facie Abſalomi fugam referens per hæc verba: *Et univerſi ſervi ejus ambulabant juxta eum:* explicans verò ſacer textus quinam eſſent hi ſervi Regis, qui ipſum comitabantur, ſubintulit: *Legiones Cerethi, & Phelethi, & omnes Gethei pugnatores validi, ſexcenti viri, qui ſecuti eum fuerant de Geth, pedites præcedebant Regem.* Itaque Regis latera cingebant Cerethi quidem, & Phelethi: ſexcenti vero illi Gethei Regem præcedebant. Quin etiam nomine ſervorum Regis, ſtipatores ibi accipere oportet, quia dicitur, quod *ambulabant juxta eum.*

Salomonem etiam ſtipatores habuiſſe manifeſtum eſt: tunc præſertim cum de mandato Principis Rex inauguratus fuit. Legitur enim Davidem 3. Reg. cap. 1. ad Sadochum, & Banajam dixiſſe: *Tollite vobiſcum ſervos Domini veſtri: & imponite Salomonem filium meum &c.* Et infra ſtatim: *Deſcendit ergo Sadoch Sacerdos, & Nathan Propheta, & Banajas filius*

A *Jojadæ, Cerethi, & Phelethi.* Igitur ſtipatores aderant ſucceſſori in regno declarando: ut expreſſè ex loco Joſephi lib. 7. antiquit. cap. 11. infra citando fiet apertum; adfuiſſe enim tunc Salomoni, quos Joſephus appellat σωματοφύλακας, ideſt, *corporis cuſtodes,* expreſſe tradidit.

Cuſtodibus, ac ſatellitio ſtipatos Reges Hebræorum adeo certum eſt, ut etiam Adonias regnum affectans, regnique ſucceſſionem ſibi certo promittens, ſicuti legitur lib. 3. Reg. cap. 1. illis verbis: *ego regnabo,* ſtipatores ſibi aſſumpſiſſe ibidem ſcribatur: *Fecit enim ſibi currus, & equites, & quinquaginta viros, qui currerent ante eum.* Prætereundum B tamen minimè duxi, quod licet hos ſtipatores Joſeph. lib. 7. antiquit. cap. 11. appellet, juxta Interpretem latinum; tamen in Græco Joſephi exemplari non legitur: ſtipatores enim σωματοφύλακες, ideſt corporis cuſtodes dicuntur; quos autem ad ſui cuſtodiam aſſumpſit Adonias, à Joſepho πρόδρομοι, id eſt *præcurſores* appellantur. Sed ſive de ſatellitio cogitaverit Adonias, ſive non, cum ad ſucceſſionem regni ſe pararet; milites ſibi adhærentes apparaſſe certum eſt. Immò quia ſtipari ſatellitio ad jus regni pertinere cenſebatur; propterea inter jura Regia C primo loco a Samuele id reponitur, cum Iſraëlitica Reſpublica Regem à Deo peteret: ut ſcribitur lib. 1. Reg. cap. 8. per hæc verba: *Hoc erit jus Regis, qui imperaturus eſt vobis: filios veſtros tollet, & ponet in curribus ſuis, facietque ſibi equites & præcurſores quadrigarum ſuarum, & conſtituet ſibi tribunos, & Centuriones, &c.* Nec prætereundum duxi; hoc loco non ſolum de militia, ac militaribus muneribus ad uſum Reipublicæ, & ad propulſandum communes injurias fore ſermonem; ſed etiam de militaribus muneribus ad Regis cuſtodiam. Hoc non tam ex illis pronominibus *ſui*, & *ſibi* liquidò conſtat; ſed ex illis quoque, *Faciet ſibi equites, & præcurſores.* His enim dicendi formulis milites ſignificantur; qui ſtipato agmine, tam tempore belli, quam pacis Re- D gis latera cingunt: quibus etiam ſtipabatur Rex ſtatim ac renunciaretur: ut de Joaſo ſcribitur 4. Reg. cap. 11. his verbis: *Et ſteterunt ſinguli habentes arma in manu ſua à parte dextra, uſque ad partem templi ſiniſtram, coram altari, & templo per circuitum Regis.*

Milites iſtos, qui Regem Iſraëliticum ſtipabant, eos fuiſſe, qui Ceretheorum, ac Pheletheorum nomine appellantur in ſacris codicibus, ſit certum, atque indubitatum. Cui ſententiæ ſubſcribunt etiam illi Rabbini, quos Vatabl. lib. 2. Reg. cap. 15. refert, docuiſſe Ceretheos, & Pheletheos duas cognationes nobiliſſimas in Iſraël extitiſſe, illiſque vo- E cabulis propterea appellatas, quòd illarum familiarum homines jugiter in aula verſarentur; & eiſdem regiæ perſonæ cuſtodia commiſſa foret. Joſeph. lib. 7. antiq. cap. 11. referens verba Davidis præcipientis Salomonem filium Regem pronunciari, huic ſententiæ ſubſcribere videtur. Ubi enim noſter habet Salomonem comitatum à legionibus Ceretheorum, & Pheletheorum, à cohorte regia comitatum ſcribit, his verbis: *Sadochum accerſit Pontificem, & Banajam præfectum ſtipatorum: quos venientes jubet, aſſumpto Nathane Propheta, & militibus omnibus, qui ſunt de cohorte aulica &c.* Quibus Joſephi verbis eoſdem ſignificari nomine cohortis aulicæ con- F ſtat, quos noſter interpres Cerethim, & Phelethim appellarat: quamobrem cum ex dictis Banajam fuiſſe præfectum Ceretheorum, & Pheletheorum perſpectum ſit: planum quoque erit, milites ſtipatores, allatis vocabulis ſignificari: dicitur enim Banajas a Joſepho, præfectus σωματοφυλάκων, ideſt illorum, quibus Regis corporis cuſtodia commiſſa erat.

Ut verò de his vocabulis aliquid ſatellitii de cauſa breviter dicatur: ſuſpicandum reor, ſtipatorum infirmiores, Cerethim generali vocabulo appellari, cum tamen ſelectiores Phelethim nominarentur: quod illos Principem, ac Regem, regiamque domum uſque ad ultimum ſpiritum, & ſanguinis effuſionem defendere deceret: Hebraico verbo פָּלָה *palah* quaſi mirabilia operantes appellati: vel quod nullis ex militibus reliquis inter eos locus præſtaretur; qui robore, ac fortitudine, nec non peritia bellicæ artis plurimum non valerent: vel qui pluribus demum præliis experimento non didiciſſent, hoſtibus terga nequaquàm vertere; ſed in extremis periculis ingenio ac viribus reliquos anteirent. Quemadmodum etiam de cohorte prætoria à P. Scipione primo excogitata ſcribit Feſtus dicens: *Prætoria cohors, quod à Prætore non diſcederet*, ſupple, dicitur. *Scipio enim Africanus primus fortiſſimos quoſque delegit, qui ab eo in bello non diſcederent, & cætero militiæ munere vacarent, & ſexquiplex ſtipendium acciperent.* Cui cohorti in omnibus ſimilis apparebat cohors iſta Ceretheorum, ac Pheletheorum; qui non ſolum fortiſſimi erant, ſed ex munere ſatellitii cogebantur à Rege, regiaque aula, ſive prætorio non diſcedere.

Efficacioribus, apertioribuſque Scripturis adhuc monſtrandum remanet; Ceretheis, & Pheletheis cuſtodiendi tuendique Regis curam eatenus fuiſſe commiſſam; ùt etiam noctis tempore in Palatio regio excubarent. Manifeſta hæc fient, cum oſtenderimus hos milites ſtipatores, qui Cerethim, & Phelethim appellabantur; ſervorum Regis nomine in libris Regum venire. Et quidem aperte, manifeſtè, me judice, ex loco præallegato 3. Reg. cap. 1. id convincitur. Nam David Sadocho, Nathano, & Banajæ ait: *Tollite vobiſcum ſervos Domini veſtri, & imponite Salomonem filium meum ſuper mulam meam.* Ceretheos autem, & Pheletheos ibi ſervorum nomine intelligi debere, ex his quæ ſequuntur, eſt manifeſtum: *Deſcendit ergo Sadoch Sacerdos*, habet textus, *& Nathan Propheta, & Banajas filius Jojadæ, & Cerethi, & Phelethi, & impoſuerunt Salomonem ſuper mulam Regis David &c.* Ceretheorum igitur Pheletheorumque vocabulo hi ipſi intelliguntur; qui ſervorum nomine in regio mandato dicti fuerant: neque enim rationi conſonat, ubi reſpublica in diſcrimen vocabatur, ut à regio mandato Banajas ſecederet: aut alii ad Salomonem inaugurandum advocarentur, quam quos Rex vocare juſſiſſet. Servos aſſumendos Rex imperarat: Cerethi & Pelethi unà cum Banaja ſatellitum præfecto vocatos fuiſſe ſacer textus ſcribit; illi igitur ipſi ſervorum Regis vocabulo, accipi debent.

Excubitores regios Ceretheos, & Pheletheos fuiſſe ex lib. 2. Reg. cap. 11. apertè probatur: in quo militum optimus Urias, ab exercitu domum à Rege accerſitus, ut uxoriis voluptatibus operam daret, Regiſque adulterium hac induſtria tegeretur: cumque Urias nullatenus Regi aſſentiretur; nec adduci potuiſſet, ut domum peteret; cariſſimaque ſibi cum uxore, ſimulque pulcherrima cubaret: in regia cum reliquis, qui ibidem Regi excubabant, jacuiſſe ſcribitur in ſacro textu ſic: *Dormivit autem Urias ante portam domus regiæ, cum aliis ſervis Domini ſui.* Cumque, ut vidimus, ex ore Regis, ſervorum nomine Cerethi, & Phelethi ſignificentur; & ſervi Regi excubaſſe, regiamque cuſtodiſſe dicantur; utique Ceretheorum, Pheletheorumque vocabulo, illi ipſi accipiendi ſunt in ſacris oraculis, qui Regem regiamque familiam cuſtodiebant.

Eapropter ſanctiſſimus Rex David Salomonem filium ſuum Regem inauguratum volens, omni, qua decebat majeſtate, atque decore; ad fontem
A Gihon ubi Salomon ſacro erat inungendus oleo, regia cohorte, & ſatellitio illum comitari juſſit, quo Rex ipſemet ſtipabatur, & quo illius palatium cuſtodiebatur: ut apertè dicit Joſeph. lib. 7. antiq. cap. 11. Ζάδωκον μεταπέμπεται, καὶ Βαναίαν τὸν ἐπὶ τῶν σωματοφυλάκων, καὶ παραγενομένων, κελεύει παραλαβεῖν Ναθάν τε τὸν προφήτην, καὶ τοὺς περὶ τὴν αὐλὴν ὁπλίτας ἅπαντας. Hoc eſt: *Sadochum accerſit Pontificem, & Banajam præfectum cuſtodum corporis; & ab advenientibus juſſit aſſumi Nathan Prophetam, & milites omnes de curia.* Ut nimirum eo genere militiæ ſtipatus, ac protectus Salomon, ſi quid incommodi Joabus, & reliqui, qui Adoniæ partes ſequebantur, pertentaſſent;
B Salomonem Banajas cum ſtipatoribus tueretur: ac etiam, ut eo quoque agmine ſtipato Salomone, eundem à Patre Regem declaratum omnes Iſraëlitæ, certo ſcirent, ac intelligerent.

Quemadmodum enim apud Romanos ille Imperator renunciabatur, pro quo Prætoriani ſtetiſſent: ſic Adonias Salomoni fratri, licet natu minori, regnum concedere cogebatur; quamvis ſatellitibus à ſe delectis ſtiparetur; quia non regio ſatellitio de more cingebatur, penes quem regiæ majeſtatis dignitas præfulgebat: & ideo 3. Reg. cap. 1. dicitur: *Et Cerethi, & Phelethi, & omne robur exercitus David non erat cum Adonia*; ſive, ut clarius habet Hebraica
C lectio וְהַגִּבֹּרִים אֲשֶׁר לְדָוִד לֹא הָיוּ עִם אֲדוֹנִיָּהוּ hoc eſt, *& fortes qui erant David, non fuerunt cum Adonia.* quaſi dicat textus cum Salomone fuiſſe. Idcircò ſubditur: *Deſcendit ergo Sadoch Sacerdos, & Nathan Propheta, & Banajas filius Jojadæ, & Cerethi, & Phelethi, & adduxerunt eum in Gihon.* Ut regnum Iſraëliticum non pro Adonia, ſed pro Salomone conſtabiliretur.

CAP. XVII.

D
Ceretheos, & Pheletheos non Iſraëlitas, ſed alienigenas fuiſſe docent aliqui.

Ad loca Sophon. 2. *Veh qui habitatis funiculum maris, gens perditorum.* 3. Reg. 1. *Deſcendit ergo Sadoch ſacerdos, & Nathan Propheta, & Banajas filius Jojadæ, & Cerethi, & Phelethi, & impoſuerunt Salomonem &c.* 2. Reg. 11. *Dormivit autem Urias ante portam domus regiæ cum aliis ſervis Domini ſui, & non deſcendit ad domum ſuam.* & ad alia.

E GORDIANUS nodus enodandus occurrit; diſcutiendumque remanet: an nimirum Cerethei, Phelethei que, quibus Reges Iſraël ſtipabantur, in numero alienigenarum, an vero inter Iſraëlitas ſint recenſendi: quamobrem dum in ſermone de ſtipatoribus, difficultatum omnium metam hac in re jam attigiſſe arbitrabamur; profundiùs nobis jaciendum eſt rete; atque in profundiſſimo Sacrarum litterarum Oceano, Ceretheorum, ac Pheletheorum expiſcanda eſt origo.

Quia verò rebus conveniunt nomina ſæpe ſuis, à nominum ratione ſumpto argumento, primò conſiderare oportet; an prædicta vocabula *Cerethim, & Phelethim* ſint gentiliaca, gentis nimirum, & ali-
F cujus familiæ propria; an verò Iſraëliticis militibus, officii muneriſque de cauſa, attributa fuerint. Sunt enim plures, qui Ceretheos alienigenas fuiſſe tradant: & à ratione linguæ ſanctæ deſumpto argumento, prædicta nomina gentiliaca fore doceant, ab aliquo Oppido, vel Urbe derivata. Et quidem ita ſuſpicandum videtur; ex illa communi regula, quam Grammatici linguæ ſanctæ in littera *Jod* tradunt:

dunt : quod hæc nimirum littera in fine Hebraicarum vocum poſita , frequenter nomen illud cui apponitur gentiliacum eſſe indicet. Ita docuerunt Iſahac lib. 1. gram. capite de litteris heemanticis , Elias etiam in ſuo libro electo orat. 3. fundam. 13. num. 6. in fine , M. Marin. in ſua arca Noë in littera Jod , & communiter grammatici omnes. Cum igitur vocabula Cerethi , & Phelethi , prout in Hebræo jacent , littera Jod in fine afficiantur, ſic הַכְּרֵתִי הַפְּלֵתִי *hacherethi hapelethi* , pro gentiliacis etiam vocabulis , alicujus nimirum gentis , ea ipſa habenda , omnino ex grammaticalibus regulis inducitur.

Decernere verò cujus generis , aut gentis hi Cerethei , ac Phelethei fuerint ; & quam regionem inhabitarent ; in ſententia illorum , qui nomen Ceretheorum gentiliacum , Ceretheoſque alienigenas extitiſſe affirmant , eſt admodum difficile. Prædictos quidem milites regios ſtipatores , alienigenas fuiſſe ſentire videntur Abul. 1. Reg. cap. 30. Forſter. & Mercer. in radice כָּרַת apud Sanctem Pagninum , R. David in libro radicum , & Vatab. 1. Reg. cap. 30. appellatos Ceretheos , ac Pheleteos dicunt à regione quadam , quam incolebant : & ex illius regionis gente , recenſitos fuiſſe milites ſtipatores , qui Cerethim in ſacris oraculis nominantur.

Phœnices Cretenſium colonos , eo nomine ſignificari alii arbitrantur ; cujus ſententiæ eſt Avenar. in eadem radice כָּרַת *carath*. Is enim Cretenſes ſignificari eo vocabulo exiſtimavit : & à nobiliſſimo totius Græciæ emporio , videlicet ab inſula Creta , Ceretheos , ac reliquos eo vocabulo dictos putavit. Pro hac ſententia videtur quoque ſtare Græcus Scholiaſtes ; docens quod illi , qui maritima ora regionis Iſraëliticæ , ſive Paleſtinæ , & Chananææ inhabitabant , ab inſula Cretæ originem trahebant : ac propterea Ceretheos Pheletheoſque , regios ſtipatores , ejus gentis fuiſſe tradidit ; quorum regio , vocabulo proprio Phœnicia dicebatur.

Et quidem Phœnices locum habuiſſe in terra Chananæorum , pluribus ex locis ſacræ Scripturæ planum videtur : nam ſæpe ſacrorum Bibliorum Græci codices illorum meminere : quinetiam quos Sidonios noſter textus appellat , Phœnices in Græcis codicibus dicuntur. Ut Deuter. cap. 3. ubi nos legimus : *Tulimuſque illo in tempore terram de manu duorum Regum Amorrhæorum , qui erant trans Jordanem , à torrente Arnon , uſque ad montem Hermon , quem Sidonii Sariot vocant , & Amorrhæi Sanir.* In Græcis exemplaribus ſic legimus : ϰ̀ ἐλάβομεν ἐν τῷ καιρῷ ἐκείνῳ τ̀ γῆν ἐκ χειρῶν τῶν δύο βασιλέων τῶν ἀμορραίων , οἳ ἦσαν πέραν τȣ̃ Ἰορδάνȣ , ἀπὸ τȣ̃ χειμάῤῥȣ ἀρνῶν , ϰ̀ ἕως ὄρȣς ἀερμῶν· οἱ φοίνικες ἐπονομάζȣσι τὸ ἀερμῶν σανιὼρ , ϰ̀ ἀμορραῖος ἐπωνόμασεν αὐτὸ ζανήρ. Quæ autem regio Phœnicia diceretur , videre poterit apud eos , qui Lexica Geographica edidere. Phœniciam enim in quarta tabula Aſiæ , nimirum in Syriæ tabula poſuit Ptolemæus ; de qua re Carolus Stephanus in ſuo dictionario hiſtorico Geographico , & Poëtico , nec non etiam Ferrarius omnium noviſſimus ſcripſere.

Phœnices ab Creta originem traxiſſe , Cretenſiumvè coloniam Phœniciam extitiſſe , dicunt aliqui ſubodorari poſſe , ex Phœnico porto , quem inſulæ Cretæ adſcripſiſſe ferunt Ptolemæum in ora auſtrali. Ferunt etiam ejus nominis Urbem in Creta dari ab eodem Ptolemæo , quod habet Carolus Stephanus : ſed timeo ne ſomnient : nullibi enim Phœnicum portum poni à Ptolemæo reperi , niſi in tertia tabula Africæ ad mare Mediterraneum , ſub gradus altitudinis triginta duos cum dimidio , & latitudinis quinquaginta octo , & aliquanto amplius ; è regione Inſulæ , quæ ab eo dicta Pedonia , ubi etiam Strabo lib. 17. cum agit de Ægypto.

A Sed quicquid ſit de Phœnico portu , & Phœnicum origine , certum eſt Phœniciam fuiſſe conterminam terræ Iſraëlitis à Deo promiſſæ : id enim non obſcurè colligitur ex Septuaginta interpretibus ; qui etiam aperiunt , quem locum in regione Palæſtinæ Phœnices tenerent. Nam Joſue cap. 5. in quo nos legimus : *Poſtquam ergo audierunt omnes reges Amorrhæorum , qui habitabant trans Jordanem ad occidentalem plagam , & cuncti reges Chanaan , qui propinqua poſſidebant magni maris loca &c* , Græca exemplaria ſic habent : ϰ̀ ἐγένετο ὡς ἤκȣσαν οἱ βασιλεῖς τῶν ἀμορραίων οἳ ἦσαν πέραν τȣ̃ Ἰορδάνȣ , ϰ̀ οἱ βασιλεῖς τῆς φοινίκης , οἳ ἦσαν παρὰ τ̀ ϑάλασσαν. B Ex quibus liquidò conſtat Phœnices eos dici in textu Græco , qui Chananæi dicuntur apud vulgatum : & hos habitaſſe regiones maritimas. Facit etiam ad hoc probandum illud Sophon. 2. *Veh , qui habitas funiculum maris gens perditorum.* Nam in Hebraico exemplari pro τὸ *gens perditorum* , noſtræ editionis , legitur גּוֹי כְּרֵתִים *Ghoi Cerethim* , id eſt *gens Cerethim.* Et Septuag. legunt : Οὐαὶ κατοικοῦντες τὸ σχοίνισμα τῆς ϑαλάσσης πάροικοι κρητῶν , λόγος κυρίȣ ἐφ᾽ ὑμᾶς χαναὰν γῆ ἀλλοφύλων , ϰ̀ ἀπολῶ ὑμᾶς ἐκ κατοικίας· ϰ̀ ἔσαι κρήτη νόμη ποιμνίων , ϰ̀ μάνδρα προβάτων. Ex quo textu , & Septuaginta interpretum phraſi , comprobatur quammaximè , ac ſtabilitur illorum ſententia , qui Phœnices ab inſu-C la Creta traxiſſe originem dicebant ; ſic enim textus allatus interpretatur : *Veh habitantibus funiculum maris advenæ Cretenſium. Verbum Domini ſuper vos , Chanaam terra alienigenarum : & ejiciam vos ex habitaculo , & erit Creta paſcuum gregum , & mandra pecorum.* Sic etiam in codice ſeptuag. Vaticano , illi ipſi , advenæ Cretenſium appellantur ; qui Cerethim loco citato Hebraicè dicuntur. Stat etiam pro hoc ipſo alter locus Ezech. cap. 25. ubi ſic ait Dominus : *Ecce ego extendam manum meam ſuper Palæſtinos , & interficiam interfectores , & perdam reliquias maritimæ regionis.* Ubi Hebraicè ſic legimus , הִנְנִי נוֹטֶה יָדִי עַל־פְּלִשְׁתִּים וְהִכְרַתִּי אֶת־כְּרֵתִים Hoc eſt : *Ecce ego* D *extendam manum meam ſuper Philiſthijm , & ſuccidere faciam Ceretheos.* Ubi autem in Hebraico legitur *Cerethim* , idem vocabulum κέρεϑειμ Aquila , Theodotio , & Symmachus retinuerunt. Græca verò exemplaria habent , ἰδȣ̀ ἐγὼ ἐκτείνω τ̀ χεῖρα μȣ ἐπὶ τȣ̀ς ἀλλοφύλȣς , ϰ̀ ἐξολοϑρεύσω κρῆτας. Hoc eſt : *Ecce ego extendam manum meam ſuper alienigenas , & diſperdam Cretenſes.* Itaque qui Cerethim Hebraicè appellantur , ubique Cretenſes ex lectione Græcorum codicum dicuntur : ut propterea ex horum textuum auctoritate indubitatum videatur , Ceretheos regios ſtipatores à Cretenſibus deſcendiſſe.

Subſcribit his quoque Theodoretus in illo cap. 2. E Sophon. his verbis : *Verum primum eſt quoſdam à Creta veniſſe , & in Urbibus maritimis conſediſſe.* Hos autem ſignificatos fuiſſe in illis verbis Hebraicis גּוֹי כְּרֵתִים *Ghoi Cerethim* arbitratur. Quem ſenſum non aliunde accepiſſe Theodoretum exiſtimo , quam ex vi tranſlationis Septuaginta interpretum in loco Sophoniæ jam allato. Subſcribunt his illi quoque , qui Cerethim dictos hos milites arbitrantur quaſi Curetes , populos quoſdam inſulæ Cretæ , qui etiam Corybantes & Dactyli Idæi appellati ſunt ; ex Ida Phrygiæ monte , ut quidam volunt oriundi : à cujus etiam gentis nomine montem , quem primum inſe-F dere in inſula Creta , Idam illos appellaſſe aliqui dicunt. Hinc Virgilius lib. 3. Æneid. ad hæc omnia ex perſona Æneæ reſpiciens dixit :

Creta Jovis magni , medio jacet inſula ponto ,
Mons Idæus ubi , & gentis cunabula noſtræ.

De qua etiam regione , celeberrimaque Ægëi maris inſula Ovid. lib. 8. Metam. ait :

Sol-

Solvit, & egreſſus ratibus Curetida terram
Contigit.

Et Virgilius lib. 3. Æneid. ſuam in Cretam navigationem ex perſona Æneæ referens, oras Curetum primo ſibi occurriſſe ſcribit dicens:

Et tandem antiquis Curetum allabimur oris.

Ex qua gentium ac populorum antiquitate, nec non etiam nominum ſimilitudine, Curetes, Ceretheorum vocabulo ſignificari, illi ipſi Græci, ſacrarum litterarum interpretes arbitrantur.

Subſcriberet quoque lubenti animo his omnibus auctoribus, ut reor, Tacitus, qui lib. 5. hiſtor. cum varia, eaque falſa de origine Judæorum attuliſſet; tandem ex ſententia Lyſimachi, ut adnotavit Lipſius, in hæc verba ſcribit: *Judæos Creta Inſula profugos, noviſſima Libyæ inſediſſe memorant; qua tempeſtate Saturnus vi Jovis pulſus ceſſerit regnis: argumentum è nomine petitur, inclytum in Creta Idam montem, accolas Idæos, aucto in Barbarum cognomento Judæos vocitari, quaſi Idæos.* Hæc Tacitus. Apud quem licet verè, quos ipſe memorat populos, eo quo tradit in loco inſederint; falſo tamen tam Tacitus, quam reliqui, qui ei conſentiunt, (nec enim deſunt inter Chriſtianos, qui interdum prophanis plus quam ſacris deferant ſcriptoribus) ab eo loco, aut ab Ida monte Judæos originem traxiſſe ſuſpicantur. Nam quamvis prædicti Idæi eò veniſſent; longe tamen alios à Judæis fuiſſe, nobis ex ſacris manifeſtum eſt litteris.

Hæc etiam Ceretheorum, ſive Phœnicum à Creta origo, ex illa naturali animorum propenſione, quæ inter populos communis originis conſpici ſolet, ſuaderi poſſet. Quod autem Phœnices fœdere jungerentur Græcis; immò etiam Græci appellati fuerint; qui plenius cognoſcere deſiderat, Thucydidis hiſtoriam evolvat; apud quem Cretenſes populi Palæſtinis contermini dicuntur; quamvis mari interpoſito longe diſtarent. Quod etiam Phœnices Cretenſium advenæ à ſeptuaginta appellantur; argumenta non minima ſunt, quibus Cretenſium Coloniam Phœnices extitiſſe adſtruatur; & ab his regionibus nominatos hos milites הַכְּרֵתִים *hacherethim*, quaſi indubitatum, ac certum cenſeatur. Phœnices vero valore, atque militari peritia celebres fuiſſe, Thucydides in ſua hiſtoria paſſim teſtatur.

Si verò eo vocabulo non Cretenſes, ſed Curetes accipi cum aliis ſcriptoribus voluerimus, apparebit profectò ex veterum monumentis, hos populos bello quidem ac militari peritia, ab Homero lib. 9. Iliad. maximopere commendari. Etenim cum Achilles Agamemnoni indignatus à bellicis negotiis unà cum ſuis ſe ſubtraxiſſet, ac in expugnatione Trojana non ſolum Græci adlaborarent plurimum; ſed etiam Trojanorum virtute Græcorum res peſſimè ſe haberent; quod plurima damna Græci à Trojanis paterentur: ab Agamemnone, & reliquo Græcorum exercitu ad Achillem oratores mittuntur; qui eum, ne Græcis ſua opera deeſſe velit, precarentur; utque Græcorum res jam penè proſtratas, ſua virtute ſublevare minimè dedignaretur. Inter hos oratores quidam ex Phœnicia aderant; qui dum iram, turbatumque animum Achilli deponere, injuriarumque oblivici, in commodum propriæ gentis, ac ubi res publicæ in diſcrimen vocantur, ſuadere conarentur; à Meleagri virtute argumentum oratores ſumpſere. Qui cum aliquando Chelidoniæ Urbi iratus eſſet; nihilominus omnem tunc depoſuit iram; cum à Curetibus in bello fortiſſimis (ita eos collaudat Homerus) propriam regionem, nataleque ſolum circumcirca depopulatum intellexit: quamobrem quòd à concivibus pro publica cauſa cum deprecaretur,

A juſtis petitionibus annuerit, ſibi laudem acquiſiviſſe, patriæque auxilium præſtitiſſe teſtabatur orator. Quo ſanè Meleagri exemplo, Homerique teſtimonio, Curetes, ſive Ceretheos fortiſſimos bellatores fuiſſe perſpicuum eſt: de quibus ſic Poëta cecinit:

Κουρῆτές τ᾽ ἐμάχοντο, καὶ Αἰτωλοὶ μενεχάρμαι
Ἀμφὶ πόλιν Καλυδῶνα, καὶ ἀλλήλους ἐνάριζον
Αἰτωλοὶ μὲν ἀμυνόμενοι Καλυδῶνος ἐραννῆς
Κουρῆτες δὲ διαπραθέειν μεμαῶτες ἄρηϊ.

Quibus indicat planè Homerus, Curetes bellica virtute adeò perilluſtres fuiſſe; ut inde nomen non
B undequaque minimum ſint aſſecuti: quod nimirum bellum Calydoniis non tantum indixerint; ſed etiam regionem Urbemqne circumquaque aggreſſi penè vaſtaverint: ut ex interpretatione illorum carminum id conſtat, quæ eſt hujuſmodi:

Curereſque pugnabant, & Ætoli bellicoſi
Circa urbem Calydoniam, & ſe muto interficiebant.
Ætoli quidem defendentes Calydonam amœnam,
Curetes autem devaſtare cupientes bello.

Et parum infra eorundem virtutem aperuit Poëta dicens:

C Πρίν γ᾽ ὅτε δὴ θάλαμος πύκα βάλλετο, τοὶ δ᾽ ἐπὶ πύργων
Βαῖνον Κουρῆτες, καὶ ἐνέπρηθον μέγα ἄστυ.

His enim verſibus Poëta Curetum audaciam, valorem, peritiamque rei militaris in aggredienda, expugnandaque urbe Calydonia plurimum commendat: jam eos conſcendiſſe turres referens, quibus mœnia totaque Urbs ipſa ſervabatur. Sic enim allata carmina interpretantur:

Priusquam jam thalamus crebro percuteretur, ipſique turres
D *Conſcenderent Curetes, & incenderent magnam Urbem.*

Eorundem virtutis non minimam fidem affert; quod Strabo lib. 10. illos populos Curetes appellatos exiſtimat ἀπὸ τῆς κουρᾶς, id eſt à tonſura: quod nimirum capitis anteriorem partem detonſam geſtarent, ne hoſtem aggredientes per cæſariem comprehenderentur.

Cùm itaque Cerethei, de quibus ſacra oracula agunt, & nos hic diſputamus; ex ſententia illorum quos retulimus, dicti fuerint Cerethim quaſi Cure-
E tes; Ceretheorum profectò virtus, eorumdemque bellicæ artis peritia ſatis ex his comprobata remanet; ut non perperam tam domi, quam foris, tempore belli ac pacis, Reges Iſraëlitæ his cingerentur, eiſdemque regiæ Regumque cuſtodiam commendaſſent. Et denique prudentiſſimè David, in controverſia Adoniæ ac Salomonis de ſucceſſione ad regnum Iſraëliticum decertantium, filium ſucceſſorem Regem declaraturus, his ipſis militibus negotium commendatum cavit, cum regnum ipſum quodammodo in ſummo diſcrimine poſitum periclitaretur. Dum enim pro Adonia Joab regii exercitus Imperator, cum his regni proceribus, & militibus, qui Joabo ſummo Imperatori obediebant, exadverſo ſtarent; ut dicitur cap. 1. lib. 3. Reg. Cerethei
F Joabo, & reliquis opponendi erant; qui, ſi opus eſſet, cum illis manus conſererent. Sic enim Salomon Ceretheis, & Pheletheis ſtipatus, Joabo & toto reliquo exercitui regio, timori fuit; ac partibus Adoniæ debilitatis, regnum pro Salomone ſtabilierunt.

Hieronymus Prado in cap. 25. ad Ezech. Ceretheos alienigenas fuiſſe minimè negat: hos tamen populos, qui Cerethei appellati fuere, ab inſula Cre-

Creta in Palæſtinam deſcendiſſe non probat: ſed A potius è contra Cretenſes horum Ceretheorum, qui maritima ora Chananeæ habitabant, colonos dicendos exiſtimat: ut nimirum Ceretheorum aliqui inſulam Cretam primo petierint; inſulæque ac populis Cretenſibus nomen tradiderint. Sic enim habet pag. 321. explicans locum ex 2. Reg. 15. *Ex quibus locis animadvertere licet, nomina Cerethim & Phelethim, non ſecus atque Getheorum eſſe Gentilia, & propria familiarum ex certis Urbibus Philiſtæorum; quæ, quod eſſent bellicoſiſſimæ, ad cuſtodiam corporis ſui electæ ſunt à Rege David: ſicut à Principibus multis hodie adhiberi videmus Helvetios.* Et infra in fine capituli explicans cujus gentis hi eſſent, ſubintulit: *Ergo ſic exiſtimamus, Cerethim & Crethim nomen eſſe gentis, vel provinciæ Philiſtææ, & Pheniciæ conterminæ; ex qua deducta colonia ad inſulam Cretam, ſuum illi nomen impoſuit; dictaque ſit Creta à Cerethim.* B

Plura quidem eaque diverſa, ac etiam oppoſita hucuſque in explicatione illius Hebraicæ vocis הַכְּרֵתִים *hacherethim* ſunt a nobis allata, quantum ad gentis nomen, & originem juxta varias interpretum ſententias: quam verò regionem, terræque plagam Cerethei incolerent, ſupereſt videndum. Maritimam namque oram Palæſtinæ inhabitaſſe Ceretheos, tam ex prophanis ſcriptoribus, quam ex ſacris oraculis manifeſtum videtur. Conſtat enim apertè ex omnibus Geographicis libris Phœniciam fuiſſe conterminam Palæſtinæ, ad oram maritimam conſtitutam; quin etiam ex ſacris oraculis idipſum probari reor: nam Sophon. 2. ſub nomine funiculi maris, illi ipſi populi ab interpretibus intelliguntur; qui Cerethim Hebraice ibidem appellantur. Quia enim per extractionem funiculorum, hæreditariæ regiones Iſraëlitis ex Dei decreto partitæ fuere, idcirco funiculus maris, regio, quam Cerethei incolebant, ex phraſi linguæ ſanctæ appellatur. Sic etiam apud Ezech. cap. 25. ubi Deus, ut vidimus, comminatur ſe deſtructurum reliquias maritimæ regionis, Hebraice legitur וְהִכְרַתִּי אֶת-כְּרֵתִים *vehicrathi het cherethim*, ut etiam legunt Aquila, & Symmachus. Facit etiam pro regione Ceretheorum ſervus ille Amalechita lib. 1. Reg. cap. 30. qui cum à militibus, qui pro Davide ſtabant, comprehenſus fuiſſet; deque regione à qua venerat aperienda interrogaretur; ſe cum ſuo hero, & reliquo exercitu Amalechitarum, ad comburendum Siceleg ab Auſtrali plaga Cerethim irrupiſſe dixit. Quo quidem ex loco manifeſtè conſtat, hos populos agrum conterminum tribui Judæ incoluiſſe: nam Siceleg aliquando ad juriſdictionem tribus Judæ pertinuiſſe, Andricomius in theatro terræ ſanctæ teſtatur.

De Pheletheis, de quibus auctores nihil, ac uſque huc nec nos quidem verbum diximus; pauca in medium afferre neceſſariò oportet. Ceretheis enim in ſacris oraculis ad ſatellitium regium cum adjungantur; eodem ordine, quo de illis actum eſt, in expiſcanda dictionis illius vi הַפְּלֵתִים *hapelethim* adlaborabimus: de qua ex interpretibus ſacrorum oraculorum pauca habentur. Utrorumque certè nominum eadem debet eſſe ſignificationis ratio; cum Phelethei in aula regia, in re bellica, & in tractandis armis Ceretheis adjungerentur: quamobrem dum Ceretheorum vocabulum gentiliacum affirmatur; Pheletheorum quoque vocabulum eiſdem rationibus, ac Ceretheorum, gentiliacum fore affirmare cogimur. Ceretheis regionem oppidumque aſſignavimus; Pheletheis quoque adſcribenda hæc erunt; ne alteri defuiſſe videamur: quamvis nihil de his, quantum ad regionem, quam incolebant, auctores qui pro Ceretheis loquebantur, tradant: nos tamen ad prædicta corroboranda, aliqua in medium afferamus.

Pheletheis quidem ad rationem nominis הַפְּלֵתִים *hapelethim* regionem, oppidumque adſcribi poſſe videtur; quod Pelte à Ptolemæo dicitur; & in Phrygia majori ponitur in prima tabula Aſiæ minoris, quam propriè Aſiam dici conſtat. Collocatur autem Pelte à Ptolemæo ad montes Celenos, propè fontes Mæandri fluminis, quod in his montibus ſcaturit; ſub altitudinis gradibus triginta novem, latitudinis verò ſexaginta duobus. Fuiſſe verò celebre fortaſſe emporium, inde ſuſpicari poteſt; quòd ab hoc loco Peltini populi dicti fuerunt; quorum meminit Ptolemæus loco citato; nec diſtat à Philomelio Apollonia, & Antiochia. Hujus Oppidi meminit etiam Xenophon. lib. 1. de Cyr. min. exped. cum ejuſdem Cyri ad Marſos, & ab eiſdem diſceſſus, his verbis ſcribit: ἐντεῦθεν ἐξελαύνει σταθμοὺς δύο παρασάγγας δέκα εἰς Πέλτας πόλιν οἰκουμένην· ἐνταῦθα ἔμεινεν ἡμέρας τρεῖς. Hoc eſt: *Inde caſtris alteris paraſangas decem proceſſit ad Peltas, Civitatem incolis frequentem, ubi dies tres manſit.* De hac etiam urbe, Ferrarius in Lexico Geographico, & Carolus Stephanus in dictionario Geograph. & hiſtorico, in eadem dictione tractant, qui ambo Peltam Urbem Phrygiæ majoris eſſe tradunt.

Ab hac igitur celeberrima Urbe, quæ Peltæ dicebatur, eos ſatellites ac milites Davidis, & Salo- C monis ſtipatores, Phelethim appellatos cenſeri poſſe, rationi nequaquam diſſonum eſt. Quod etiam auctoritate Strabonis lib. 2. & 15. firmari poſſet; qui pariter ejuſdem Urbis meminit, & inter Oppida Phrygiæ recenſet. Verum quod regioni Palæſtinæ, Chananææque contermina foret, ut dicunt aliqui, non video quo fundamento Geographico innitatur: ſed quicquid ſit de finitimis ac conterminis regionibus; quod Cerethei, atque Phelethei, quibus Rex ſtipabatur, ab hiſce regionibus originem traherent; & ex Urbibus illis ad Regum cuſtodiam milites, quamvis alienigenæ, aſſumerentur; ſatis quidem probabile; tam ex ſacris, quam ex prophanis litteris cenſeri D poſſe arbitror: ubi vera cenſerentur, quæ de Ceretheis allata ſunt.

Verùm quod ad noſtrum negotium pertinet, ſi Ceretheos, Pheletheoſque alienigenas fuiſſe, ex finitimis fortaſſe regionibus dixerimus; Regum Hebræorum excubiæ Idololatris committendæ erunt: quarum tamen gentium amicitiam confederationemque Deus Hebræis omnino interdixerat. Nunquid Idololatras, & gentes, quæ Deum ignorabant, Regi Iſraëlitico inaugurando adfuiſſe dicemus? Immò quod magis eſt, ad ordines Iſraëliticæ Reipublicæ pertinuiſſe affirmabimus? Nequaquam certè hæc aſſerenda videntur. Reipublicæ enim à Deo E inſtitutæ omninò id repugnat. Et quamvis ſub Regibus, Reipublicæ Iſraëliticæ politia mutata fuerit, ut dicebamus Myrothecio præcedenti; non tamen quantum ad cæremonialia, & quæ ad munditiam legalem ſpectabant. Quamobrem ſi ad Rempublicam Iſraëliticam Cerethei, & Phelethei attinerent; & his gentibus Reges Iſraëlitas ſtipatos Sacra tradant oracula; profectò à divinis ſtatutis, ac legibus David, Salomon, ac reliquos Reges Iſraëlitas receſſiſſe dicendum, vel ſaltem aliqua ex parte ſuſpicandum erit; præſertim cum aliqui ex his regibus in catalogo ſanctorum à Spiritu ſancto ſacris in oraculis recenſeantur, & de legalibus juſtificationibus plu- F rimum collaudentur. Non video igitur, qua ratione nota peccati mortalis, aut transgreſſionis legis à Deo latæ, etiam ad politiam pertinentis inuri poſſint.

CAP. XVIII.

Ceretheos, & Pheletheos non alienigenas; ſed Iſraëlitas fuiſſe monſtratur.

Ad loca 1. Reg. 10. *Et abiit cum eo pars exercitus, quorum tetigerat Deus corda.* ibid. cap. 8. *Filios veſtros tollet, & ponet in curribus ſuis; facietque ſibi equites, & præcurſores quadrigarum ſuarum.* & ad alia plura loca.

FATEOR eam ſententiam, quæ ſtipatores Regios, alienigenas fuiſſe docet, ut vidimus capite præcedenti, non omnino fore improbabilem: nec locis jam pro ea allatis, ſatis omnino fieri poſſe puto. Nam Myrothecio præcedenti probatum, atque oſtenſum à nobis fuit, mutata Iſraëliticæ Reipublicæ forma, eaque ex Dei placito ad regium ſtatum redacta, Regibus quoque Iſraëlitis leges aliquas condendi, & alias pariter immutandi facultatem fuiſſe circa ea, quæ ad regimen politicum pertinebant: quamvis Deus, ut Imperator Iſraëlitici exercitus, & ut novæ Reipublicæ inſtitutor, in Syna aliter tunc ſtatuiſſet: ea propter abſque nota tranſgreſſionis divinæ legis, ex alienigenis ſtipatores aſſumere Iſraëliticis Regibus licitum fuiſſe non dubitarem. Cum enim ſtipatorum in Republica Hebræorum munus non eſſet ante Reges; ſed tantum ſub Regibus introducti fuerint: quod hi vel illi, ex hac aut illa natione à Regibus Iſraëlitis ad ſtipatorum munus aſſumerentur, cautum non fuit in Syna; nec etiam ex qua regione ſumendi eſſent, lege à Deo lata decernebatur: quamobrem plures ex gentibus inter Hebræos dum verſarentur; quod etiam in aula Regis, ſatellitii regiæque cuſtodiæ de cauſa, alienigenis Reges uterentur, non omnino ſacris oraculis contradicit.

Probabilius adhuc hæc ipſa fierent, ſi milites iſtos, nequaquam Idololatras, ſed proſelytos fuiſſe dixerimus: à ſimulacris nimirum ad verum Dei cultum converſos; atque propterea in albo Reipublicæ Iſraëliticæ adſcriptos: quemadmodum etiam plures alios ex Gentibus, in ea Republica annumeratos, ex ſacris oraculis cognovimus. Quod his igitur militibus, reliquis nationibus fortaſſe fidelioribus, atque valentioribus, regiæ, Regiſque cuſtodia in Iſraël demandaretur, à divinis ſtatutis alienum non videtur: etiam quòd à propria regione, Ceretheorum, Pheletheorumque nomen retinuiſſent: quamadmodum etiam alii plures, in ſacris litteris, & in actibus Apoſtolorum recenſentur: ut Parthi, Medi, Elamitæ, Cyrenenſes, Alexandrini, & alii, de quibus ibi; quamvis regionum quas incolebant, vel unde oriundi erant, vocabula retinerent; religionem tamen Judæorum, & verum Dei cultum, non Idololatrarum ſuperſtitionem profitebantur.

Efficacioribus nihilominus rationibus permoti, à Dei Optimi Maximi religione deſumptis; nec non etiam pietati Davidis, reliquorumque Regum plurimum conſonis, à ſententia præcedenti recedere quodammodo compellor, & Ceretheos, ac Pheletheos Iſraëlitas fuiſſe profiteor, quamvis me diù hæſitaſſe in hac re, fateri minimè pudeat. Eamdem ſententiam conſtanter Ribera in cap. 2. Sophon. retinuit, & ibidem etiam Gaſpar Sanctius: qui Palæſtinos ipſos Ceretheos appellatos propterea putat: *Quia illi crudeles fuerunt, & armis tractandis aſſueti; quique vocari poſſent, quaſi jure ſuo Cerethei, id eſt occiſores: ſicut nationes aliæ ex ingenio, aut armis acres, ac ſtrenui, vocati ſunt Cerethi, ſeu Cerethei, qui ex tota multitudine ad regii corporis tutelam eligebantur,* A *quos oportebat præſtare viribus, & ad omnes eventus animo eſſe impuvido.* Ita ille. Quibus etiam conſonant, quæ Abulenſis auctoritate, & Joſephi teſtimonio à nobis infra referentur. His etiam addatur auctoritas fratris Michaëlis Angeli à S. Romulo Minoritæ, in indice interpretativo nominum Hebraicorum, qui habetur ad calcem 4. tomi Concordantiarum fratris Marii, in dictione Cerethi, & Phelethi: is enim cum aliquibus Rabbinis putat hæc vocabula, non quidem gentiliaca, ſed patronymica fuiſſe: quòd etiam affirment neceſſe eſt omnes illi Rabbini, qui, ut jam ſupra vidimus, Ceretheos, & Pheletheos duas in Iſraël familias extitiſſe dice- B bant.

Rationibus hæc ſententia comprobetur; debilitando primò, quæ in contrarium allata fuerunt. Nam rationes illæ gentiliaci nominis ſumptæ à grammatica linguæ Sanctæ, & à conſonantia vocabulorum locorum, ac regionum, ſatis me movebant, atque in præcedentem ſententiam, tanquam probabilem, me quoque propendere coëgerant: nihilominus ne Sanctum Regem David, quem divinæ legis ſummum cultorem ex ſacris oraculis agnovimus; contemptorem, vel tantiſper in legis obſervantia, ac zelo remiſſum ſuſpicemur; alibi nobis divertendum fuit. Hebræis enim affinitates, ne- C gotia, atque commercia cujuſcumque generis cum gentilibus, lege divina interdicta cum eſſent; ſacris oraculis minus conſonum, me judice, cenſeretur, eundem Sanctum Regem, ſui, regiæque cuſtodiam, nec non etiam filii ſui Salomonis ſalutem, alienigenis, & à vero Dei cultu extorribus commendaſſe. Quamvis, ut dicebamus, lex illa qua commercia cum Ethnicis à Deo prohibebantur, ad politiam pertineret; ac poſtmodum regia auctoritate revocari potuerit.

Nam David contra Sinaiticæ legis præſcriptum, plures habuiſſe uxores, concubinaſque legitur: duas enim uxores, quando primum Rex fuit inunctus ſuper D Juda, habuiſſe, 2. Reg. 2. ſcribitur: deinde in uxorem Mahaiam filiam Tulmai Regis Geſſur, & Hagith, & Abital, & Eglam 2. Reg. 3. & Michol filiam Saul, & Bethſabeam quæ fuit Uriæ, habuiſſe uxores conſtat. Inſuper dicitur 2. Reg. 4. *Accepit ergo David adhuc concubinas, & uxores de Jeruſalem, poſtquam venerat in Hebron.* Cum tamen Deuter. cap. 17. lege caveretur, ne Rex ſibi uxores multiplicaret. Ne igitur in his accipiendis uxoribus, David tranſgreſſor legis appareat, Abulenſis petatur. 3. Reg. 12. q. 5. & cap. 11. q. 3. & lib. 2. Paralip. cap. 11. quæſt. 24. Bellar. etiam lib. de matr. cap. 11. Pineda de reb. Salom. lib. 7. cap. 5. & alii, qui E ſatis luculenter, & doctè pro Davide pugnant. Ex noſtra verò doctrina David minimè peccaſſe oſtenditur; quia variata regiminis atque Principatus politia, præcepta quoque data à Deo in monte Sinai mutari regia auctoritate, non fuit diſſonum: illa nimirum præcepta, quæ ad ſtatum Reipublicæ, & dignitatem imperii pertinerent. Ad regimen autem politicum Reipublicæ, legem de pluralitate uxorum pertinuiſſe ex cap. 21. Deuteron. perſpicuum eſt.

Sanctiſſimo tamen Regi licuiſſe, alienigenis, idolorumque cultoribus regiam cuſtodiam committere, à lege illa uxorum argumentari non poſſe puto. Nam idolorum quoque cultum eiſdem ſtipatoribus conce- F dere Rex compelleretur; ne à patriis inſtitutis & ab avita religione ſtipatores inviti recedere, aut à Rege deſciſcere cogerentur. Alienæ autem religionis uſum alicui aliquando in terra Iſraël conceſſum, nullibi in ſacris oraculis, abſque nota tranſgreſſionis ſubodoratur: nec David cum fugeret à facie Saul, gentium, aut idololatrarum auxilio aliquando uti vo-

voluiſſe, ipſis ex ſacris oraculis certum eſt: quamobrem nec ab his ipſis cuſtodiri, aut ſtipari voluiſſe nobis non eſt ſuſpicandum. Nec enim hujus cuſtodiæ veſtigium aliquod, in ſacris habetur litteris; ne tunc quidem quando Saul hoſtiliter David perſequebatur; aut ambitu Abſolonis toto regno in ſeditionem converſo, ſummo in diſcrimine res ipſius Davidis reperiebantur: tunc enim alienigenarum fretus auxilio, David fortaſſe culpa vacaſſet; quod tamen cum non habeatur; minus credibile videtur alienigenarum militia David uſum fuiſſe regnum jam adeptum, & dum pacificè illo potiretur.

Pro hac ſententia, qua Ceretheos, ac Pheletheos Iſraëlitas fuiſſe decernitur, argumentum ſumatur à vocabulis militaribus ex phraſi ſacrarum litterarum; juxta quam milites ſervorum vocabulo, ut diximus, ſignificari perſpicuum eſt. Nam cap. 18. lib. 2. Reg. in quo congreſſus militum Davidis cum Abſalone ſcribitur, ipſius Davidis milites ſervi appellantur his verbis: *Accidit autem, ut occurreret Abſalon ſervis David ſedens mulo.* Sic etiam cap. 20. cùm David mandat Abiſai conſcribere milites, parareque exercitum quàm primum, ad inſequendum quendam Siba, qui à Rege defecerat, ibi milites ſervorum nomine appellantur: *Ait autem David ad Abiſai: nunc magis afflicturus eſt nos Seba filius Bochri, quam Abſalon: tolle igitur ſervos Domini tui, & perſequere eum: ne fortè inveniat civitates munitas, & effugiat nos.* Cap. 6. Judith. milites Regis Aſſyriorum, qui cum Holoferne ad expugnationem Bethuliæ advenerant, ſervi Holofernis dicuntur. n. 7. Quin etiam, ſi rectè attendantur verba ſacri textus, quæ ſubinferuntur 2. Reg. 10. ipſi Cerethi, & Phelethi ſervorum nomine ſignificantur. Hæc enim ibi leguntur: *Egreſſi ſunt ergo cum eo viri Joab, Cerethi quoque, & Phelethi, & omnes robuſti exierunt de Jeruſalem ad perſequendum Seba filium Bochri.* Igitur Ceretheos, ac Pheletheos ſervorum Regis vocabulo in ſacra Scriptura ſignificari conſtat; cum in eiſdem ſacris oraculis ſervi Regis dicantur, qui ad oſtium regiæ domus, noctis tempore excubare tenebantur. Ita cap. 3. Eſth. legitur in hiſtoria Amani, ad cujus conſpectum excubitores omnes genua flectebant, *Cunctique ſervi Regis, qui in foribus Palatii verſabantur, flectebant genua, & adorabant Aman,* inquit ſacer textus, dum excubitorum meminiſſet: cum quibus etiam optimus miles Urias, ne uxoriis voluptatibus operam daret, dum reliqui commilitones in caſtris cum Imperatore verſabantur; non ſolum cœnavit; ſed etiam, ut legitur lib. 2. Reg. cap. 11. dormivit. Hebræis enim lege, non quidem politica; quæ regio jure mutabilis eſſet, ſed cæremoniali & divina, dormire, cœnare, aut aliquo modo commiſceri cum Gentilibus vetitum erat. Capite enim 11. lib. jam citati, dum de Uria eſt ſermo, dicitur: *Dormivit autem Urias ante portam domus regiæ cum aliis ſervis Domini ſui, & non deſcendit ad domum ſuam.* Hos ſervos Regis milites fuiſſe, ejuſdemque gentis cum Uria, Abulenſis inſinuavit quæſt. 13. in cap. 11. lib. 2. Reg. dicens: *Quamquam enim miſiſſet Rex de cibo ſuo ad Uriam; noluit deſcendere in domum ad comedendum de eo cum uxore ſua; ſed cum aliis ſociis ſuis comedit in domo Regis: in nocte quoque dormivit ante portas domus Regis cum aliis ſervis David; quia ſolitum erat per noctem manere cuſtodes apud portam Regis.* Ex quibus, & ex ſententia Abulenſis, ſervorum nomine excubitores ſignificari manifeſtum eſt, hoſque Uriæ ſocios appellatos ab Abulenſi, atque ex conſequenti illum ſenſiſſe reor, excubitores regios nequaquam alienigenas; ſed Iſraëlitas fuiſſe. Clarius adhuc hæc omnia comprobari poſſunt ex his, quæ habet Joſephus lib. 7. antiq. cap. 7. Sic enim dicit Joſeph: ὁ δ' οὐρί-

[A] ας τοῦτο μὲν οὐκ ἐποίησε, παρεκοιμήθη δὲ τῷ βασιλεῖ σὺν τοῖς ἄλλοις ὁπλοφόροις. Hoc eſt juxta interpretem: *At ille non ita fecit,* ſupple Urias, *Sed inibi in regia, & inter ſatellites Regis noctem eam exegit.* Satellites igitur erant hi, cum quibus pernoctavit Urias. Ceretheos itaque, ac Pheletheos alienigenas fuiſſe probandum minime exiſtimarem: quamvis ſacer textus meminerit illarum regionum, quæ Cerethim tum 1. Reg. cap. 30. tum cap. 2. Sophon. dicebantur. Quibus quidem rationibus ab aliis allatis, præclarè ſatisfactum iri puto à Ribera loco jam citato. Docet enim hic auctor, totam illam regionem Palæſtinorum, eo nomine ſignificari, non verò aliquam [B] ſpecialem regionem, Civitatem, aut Oppidum ex nomine Cerethim appellatam fuiſſe. Quod etiam docuit Gaſpar Sanctius; & ex illa regione ſumpta in ea generalitate, oriundum fuiſſe putat exanimem illum ſervum Amalechitam, qui cum Davide locò citato loquutus ſcribitur.

Eò tandem deducta res eſt, ut decernendum, atque nobis probandum incumbat; regium ſatellitium, quod Ceretheorum, Pheletheorumque vocabulo in ſacris litteris dicitur; ad Regis, regiæque cuſtodiam, ac defenſionem inſtitutum, non aliunde, quam ex propria Iſraëlitica gente conſcriptum fuiſſe: & ex ea robuſtiores, bellandique peritia illuſtriores, [C] ad illud munus obeundum ab Iſraëlitico Rege electos fuiſſe. Et quidem de militari peritia Iſraëlitas laudari arbitror apud Homerum lib. 6. Iliad. ver. 184. dum Bellerophontis valorem, ac virtutem celebrat, qui Regis Lyciæ nomine cum Jeroſolymitis pugnaſſe ſcribit, quos σολύμους κυδαλίμους, hoc eſt, *Jeroſolymitas inclitos* appellat: de quorum bellandi peritia ibidem parum infra agit; illorumque valorem plurimum extollit.

Sed ne aliquid expectandum lectori remaneat: Regii ſatellitii exordium in Republica Hebræorum ab ovo quæratur, & ab eo exordio pro ſtipatoribus Iſraëliticis ſumatur primum argumentum. Regiam [D] enim cuſtodiam, ſive ſatellitium, Saulis tempore, cum primum Rex inauguratus fuit, cepiſſe, ſacra videntur tradidiſſe oracula: hoc autem ſatellitium non ex alienigenis Idololatris, Cretenſibus, Chananæis, aut quibuſvis aliis gentibus; ſed ex ipſiſmet Iſraëlitis 1. Reg. cap. 10. conſcriptum legimus. Ut enim ſacra hiſtoria Saulis electionem, acclamationemque ipſius in Regem retulit; de ſatellitio illicò ſubintulit, *& abiit cum eo*, nimirum cum Saule, *pars exercitus, quorum Deus tetigit corda.* Nec obiter præterire licet, Divino afflatu, Spirituſque ſancti impulſu, ſacrum textum adnotaſſe, milites illos Regem comitatos, ſatellitioque ſtipatum do- [E] mum reduxiſſe: ut enim pietatis, ac religionis ergo Regem ſuum illos ſtipaſſe, & domum uſque reduxiſſe ſacer textus ſignificaret, ea dicendi phraſi uſus eſt. Quod autem illa pars exercitus, quæ comitata Saulem ſcribitur; ex militibus alienigenis conſcripta fuiſſet; hiſque Deum tetigiſſe corda in ſacro textu dicatur; omnino commentitium eſt, & à phraſi ſacrorum oraculorum alienum: Præſertim cum alienigenas ad ordines Iſraëliticæ Reipublicæ pertinuiſſe nulla ratione ſuſtineri poſſit: ad quos tamen ordines pertinebant, qui tunc Saulem domum reduxiſſe ſcribuntur.

Argumentum etiam non infimum poteſt ſumi, [F] pro Iſraëliticis ſtipatoribus, à ſummo illorum duce, nimirum ab ipſo Davide. Satellitium enim, quod Saul ab exordio regni diſpoſuit, ſecum retinuiſſe poſtmodum, certò & indubitanter ex ſacris oraculis ſubodoratur. Saul autem ſatellitio regio Davidem fortaſſe præfeciſſe ſubindicatum videtur 1. Reg. cap. 18. ubi ſic ſcribitur: *Egrediebatur quoque David ad omnia quæcumque miſiſſet eum Saul; & prudenter ſe agebat:*

bat : poſuitque eum Saul ſuper viros belli. Nomine autem virorum belli, ſatellites ipſos ibi venire, Davidque ſatellitum Imperatorem conſtitutum à Saule ſubindicavit fortè Joſeph. lib. 6. antiq. cap. 11. dicens: τὸ μὲν πρώτης τάξεως, ἐπεὶ τῷ δέει πλησίον αὐτοῦ, καὶ λίαν ἐγγὺς ἐδόκει, ἐποίησε γὰρ αὐτὸν ὁπλοφόρον, μεταστήσας, ἀποδείκνυσι χιλίαρχον, δοὺς αὐτῷ χώραν ἀμείνονα μὲν, ἀσφαλεστέραν δὲ ὡς ἐνόμιζεν αὐτῷ. Hoc eſt: *Et à priori quidem diſpoſitione quia præ metu illi proximus, & valde imminere videbatur, (fecerat enim illum armigerum,) amovens conſtituit eum millenarium, dans ei provinciam præſtantiorem, &, ut putabat, ſibimet cautiorem.* Eſt autem locus iſte Joſephi valde obſcurus, & fortè corruptus : licet ſatis ex eo ſubodoretur, Davidem ſtipatoris regii munus primum in Regia Saulis exercuiſſe ; & ex armigeri munere, quod primò geſſiſſe in Palatio Joſephus dixit, demum exauctoratus, tribunatu donatus ſuper mille viros à Rege fuerit, non tam honori Davidis, quam propriæ ſecuritati Davidiſque neci conſulente : ut nimirum hoſtibus ſæpiſſimè David objecto, aliquis caſus illum è medio tolleret.

Adhuc etiam magis apertè, regium Saulis ſatellitium ex militibus Iſraëliticis, non verò ex alienigenis fuiſſe conſcriptum ex cap. 22. ejuſdem libri colligitur. Nam cum Saul ad perſequendum David aliquando copias duxiſſet, ſe incaſſum laborare animadvertens, Davidemque inexpectatò è manibus illius evaſiſſe, atque in tutum ſeſe recepiſſe cum cognoviſſet; à proprio ſatellitio ſe prodi Saul ſuſpicatus eſt : quod nimirum aliqui, vel aliquis ex eis, Davidi aperiret, quæ ab eo adverſus illum meditabantur : quamobrem de ſuiſmet ſtipatoribus plurimum conquerebatur : ut ſcribitur à Joſepho lib. antiq. cap. 14. his verbis: καὶ συγκαλέσας τοὺς φίλους, καὶ τοὺς ἡγεμόνας, καὶ τὴν φυλὴν ἐξ ἧς αὐτὸς, πρὸς αὐτὸν, ἐπὶ τὸν βουνὸν οὗ τὸ βασιλήϊον εἶχε, καὶ καθίσας ἐπ᾽ ἀρούρης, τόπος δὲ ἦν τις οὕτω προσαγορευόμενος, τιμῆς πολιτικῆς περὶ αὐτὸν οὔσης τάξεως, καὶ τῶν σωματοφυλάκων λέγει πρὸς αὐτούς. Hoc eſt : *Convocans*, ſupple Saul, *amicos, & Duces, & tribum, ex qua ipſe erat, ad ſe, in collem ubi regiam habebat, & ſedens in Arvo (locus enim erat ſic vocatus.) Cumque eſſet circa illum ordo civilium magiſtratuum, ac etiam ſtipatores, dixit ad eos &c.* Referens idipſum ſacer textus ſic habet: *Saul autem cum maneret in Gabaa, & eſſet in nemore, quod eſt in Rama, haſtam manu tenens, cunctique ſervi ejus circumſtarent eum, ait ad ſervos ſuos, qui adſiſtebant ei : Audite nunc filii Jemini. Numquid omnibus vobis dabit filius Iſai agros, & vineas, & univerſos vos faciet tribunos, & Centuriones?* Quæ certè Saulis oratio cum tribunis, contribulibus, & proprio ſtipatorum ſatellitio habita, ſervorum quoque nomen, ad quos loquitur, apertè convincunt ſatellitium Regium Saulis Iſraëliticum extitiſſe. Nam verbum σωματοφυλάκων, quo utitur Joſephus, & Regii corporis cuſtodes ſignificat; tam manifeſtè ſtipatores regios ex Iſraëlitis fuiſſe oſtendit, ut nil ultra deſiderari poſſit. De quibus ita Abulenſ. quæſt. 12. in eo cap. 22. lib. 1 Reg. *Alii autem dicunt, quod Jemini non erat Benjamin, ſed erat vir nobilis de ſtirpe Benjamin : quod colligitur ſupra* cap. 29. *Scilicet erat vir de Benjamin nomine Cis, filius Abial, filii Seor, filii Bethor, filii Sareth, filii Abia, filii viri Jemini : & hoc veroſimilius eſt ; ut declaratum fuit in eo capite. Qualiter autem accipiatur ſtat littera ; quia omnes iſti, qui adſiſtebant Regi, erant de genere ſuo miniſtri, & familiares, ut magis eis ſe credere poſſet.* Hæc Abulenſis. Cum igitur regii ſtipatores à Saule Jeminei dicantur ; utique Regis ſatellitium ex viris Iſraëlitis fuiſſe conſcriptum, fruſtra, me judice, ab aliquo dubitabitur.

Davidis ſatellitium certius inveſtigare cogimur :

A & quidem ex Iſraëlitis ſelectum, eo argumento ſentiendum videtur ; quod nullibi in ſacro textu, Saulis ſatellitium, David immutaſſe ſubindicetur. Si enim David, ut Rex inauguratus fuit, ab hoc genere militiæ Iſraëlitas exauctoraſſet ; alienigenaſque adſciviſſet ; non ſolum Rempublicam Iſraëliticam, quam maximè à ſe alienaſſet ; verum etiam notam tranſgreſſoris divinæ legis, reprehenſionemque dignam, nequaquam declinaſſet. Quinimò ipſi Deo pro hac culpa, graviſſimas perſolviſſet pœnas. Enimvero Deus, qui pietate ſumma Davidem adeò proſequebatur ; ut minimum enumerationis totius populi defectum inultum præterire noluerit ; pecca-
B tum adulterii, Uriæque interfectionem ſine debitâ animadverſione tranſire minimè fuerit paſſus; qui fieri poſſet, ut gentium, idololatrarumque familiaritatem, quid dicam familiaritatem? contubernium, quin etiam cohabitationem, atque in regio palatio convictum inulta pertranſiſſet? non equidem ita reor. Quin etiam ſacræ litteræ, quæ ad Dei miſericordiam in Davidem oſtendendam, reliqua Davidis peccata recenſuerunt ; hoc reliquis fortaſſe multò gravius, ſilentio nullatenus, ut puto, texiſſent. Cum igitur nullibi in ſacra hiſtoria acceperimus ; alienigenarum ſatellitio David aliquando ſtipatum fuiſſe : nec nobis hoc tam indignum facinus de ſanctiſſimo Rege per-
C ſuaſum velimus.

Si verò ab electione Joaſi deſumendum ſit argumentum : Iſraëlitis militibus illum ſtipatum habebimus 4. Reg. cap. 11. ubi ſic legimus : *Et ſteterunt ſinguli habentes arma in manu ſua à parte templi dextera, uſque ad partem ſiniſtram altaris & ædis, circum Regem.* Et quamvis hic ſermo ſit de electione Regis facta de induſtria Jojadæ per conjurationem in odium impiæ Athaliæ matris Ochoziæ; quæ regnum Iſraëliticum tyrannicè occupaverat : & quòd in ſacro textu allato, de regiis ſtipatoribus ſcribitur, accipi poſſet de regni militia, quæ advocata fuit ad Joaſum Regem acclamandum; nihilominus poſtmo-
D dum Joaſum ſatellitium immutaſſe nullibi legimus. Ea autem occaſione ſatellitium hoc ex Levitis compactum dicitur lib. 2. Paral. cap. 23. Sic enim Jojadam de illa electione ordinaſſe legimus : *Levitæ autem circundent Regem, habentes ſinguli arma ſua; ſintque cum Rege, & intrante, & egrediente.* Itaque in illa prima Joaſi electione, & ad regnum aſſumptione, Levitas ſtipatorum munere functos legimus. Quamobrem licet minimè in eo munere Levitas perſtitiſſe certum ſit; cum ex lege Dei ad templum, arcamque tantum excubare tenerentur ; nihilominus hoc exemplo, quaſi certum cenſeri poteſt, excubitorum munus in aula Iſraëlitica non ad alienige-
E nas, ſed ad Iſraëlitas pertinuiſſe ; & ex his fuiſſe, qui poſtmodum Joaſum deduxerunt ad regium palatium, qui Cerethi, & Phelethi ibidem dicuntur: De quibus, ita ſacer textus : *Tulitque Centuriones*, ſupple Jojada, *& Cerethi, & Phelethi legiones, & omnem populum terræ, deduxeruntque Regem de domo Domini.*

Veritati igitur inſiſtamus ; certiſſimè affirmantes Ceretheorum, Pheletheorumque nomine, qui ex munere Regem ſtipare conſueverant, regiamque cuſtodire tenebantur ; non quidem alienigenas, ſed Iſraëlitas fuiſſe. Locus 1. Reg. 8. id etiam præter allata argumenta ſuadeat : ubi Samuël jura Regis
F recenſendo ; *Filios*, inquit, *veſtros tollet*, ſupple Rex, *& ponet in curribus ſuis, facietque ſibi equites, & præcurſores quadrigarum ſuarum.* Non enim dixit Samuel, futurum, ut alienigenæ, ac gentiles ſtipendia ſatellitii, & ſtipatorum in regno Iſraëlitico merituri eſſent ; ſed *filios veſtros*, inquit, *tollet, & faciet ſibi præcurſores.* In præcurſoribus autem proculdubio ſatellitii Regii manus aliqua intelligitur ;
quod

quod nemo litteratorum, ut reor, negabit. Præcurſores enim dicuntur illi, qui Regem euntem præveniebant. manifeſtum eſt hoc ex cap. 1. Reg. 3. ubi de affectato regno ab Adonia dicitur: *Adonias autem filius Haggith elevabatur dicens: Ego regnabo; fecitque ſibi currus, & equites, & quinquaginta viros qui currerent ante eum.* Præcurſorum verò nomine, ſtipatores intelligi ſenſit etiam interpres Joſephi in lib. 7. antiq. cap. 11. vel. 15. qui ubi de Adonia agitur, illa auctoris verba κατεσκεύασε δὲ ἅρματα πολλὰ, καὶ ἵππους, καὶ πεντήκοντα ἄνδρας τοὺς προδρόμους, ſic interpretatur: *Paravitque ſibi currus multos, & equos, & quinquaginta viros ſtipatores.* Licet revera verba Joſephi de præcurſoribus potius, quam de ſtipatoribus interpretanda ſint, cum voce πρόδρομος, non verò voce ζωματοφύλαξ utatur. Quamobrem meridiana luce clarius patet ſacris ex litteris, ſcriptorumque teſtimoniis, Iſraëlitas, non verò alienigenas, ab Iſraëliticis Regibus ad ſatellitii militam conſcriptos fuiſſe.

Auctoritate ſua hanc veriſſimam doctrinam, firmaſſe videtur doctiſſimus Sigon. lib. 7. de Republ. Hebræorum cap. 14. in fine dicens: *Bellis verò alienis Judæi non affuerunt, nec gentium ſtipendia meruerunt; aut ſuis eas ſtipendiis aſciverunt; quia quocumque modo commercium cum gentibus habere prohibiti lege ſunt.* Ex quo doctiſſimi Sigonii teſtimonio conſtat; Judæis ad militiam gentiles, ac Idololatras aſſumere vetitum ex lege fuiſſe; atque propterea ex ipſius etiam doctrina nullatenus concedendum erit, penes Reges Iſraëlitas, militem, vel mavis dicere, ſatellitium alienigenarum fuiſſe admiſſum; ea præſertim, qua aliàs uſi ſumus, ratione, ne videlicet Reges David, Salomon & Joas, tranſgreſſores divinæ legis ſacris in oraculis haberentur, cum præ cæteris obſervantiores eſſe cogerentur.

CAP. XIX.

Ceretheos, & Peleteos regios ſatellites, à Cetra, & Pelta nomen accepiſſe monſtratur.

Ad loca 2. Reg. 15. *Egreſſuſque Rex, & omnis Iſraël pedibus ſuis ſtetit procul à domo; & univerſi ſervi ejus ambulabant, juxta eum; & legiones Cerethi, & Phelethi, & omnes Gethei pugnatores validi ſexcenti viri; qui ſecuti eum fuerant de Geth, pedites præcedebant Regem.* 3. Reg. *Fecit quoque Rex Salomon ducenta ſcuta de auro puriſſimo, & trecentas Peltas.* &c. & ad alia.

DIFFICULTAS à nomine ſumpta ſuperanda remanet: nam regios ſtipatores cum Iſraëlitas fuiſſe oſtenſum ſit, dubitandum ſupereſt, undenam milites iſti Iſraëlitæ, illud Ceretheorum, Pheletheorumque vocabulum, ſive patronymicum, ſive gentiliacum fuerit, acceperint. Vocabula enim hæc ab Iſraëlitis ſatis aliena videntur: atque propterea Iſraëlitæ cum eſſent, à qua tribu, à qua Urbe, à quo loco, à qua regione, vel à qua familia, ſeu qua de ratione Cerethim, & Phelethim dicti fuerint, perobſcurum eſt.

Fortaſſe præter rem minime videretur; ſi diceremus ſtipatores regios iſtos, Iſraëlitas quidem fuiſſe, originem verò ab illa gente Ceretheorum duxiſſe, quos Cerethim appellatos ex ſacra Scriptura cognovimus: quique ut cap. 17. ſcripſimus, maritimam Chananeæ oram incolebant: Phelethim verò ab eis, qui celebrè oppidum Peltas incolebant: & quod hi cum Ceretheis, ut propriè ſaluti conſulerent, relictis patriis, avitiſque Idololatriis, ad Judæos defeciſſent.

Franciſcus Ribera in cap. 2. Sophon. hos milites eo nomine fuiſſe appellatos, officii, ac muneris de cauſa docet: ita ut Cerethim ſic nominati fuerint, à verbo כָּרָה *charah*, vel à vocabulo כָּרַת *carath*, quæ interpretantur *excidere*, *eradicare*, ſive *perfodere*. Quamobrem ut ait Sanctus Hieronymus relatus à Patre Ribera, ab interficiendo, & à præſtantia virium, ſeù à robore Cerethim dicti fuerunt: quod nimirum ex munere pravos homines, Regi, regnoque infeſtos ſecare, & occidere tenerentur: eapropter Palæſtinos quoque omnes ſic nominatos putat Ribera, & Sanctius, ut vidimus capite præcedenti, quod omnium hominum crudeliſſimi eſſent.

Phelethim verò reliquos milites dictos M. Marinus, ex aliorum ſententia, arbitratur à miraculis, mirabilibuſque operibus: atque idcircò illo vocabulo Prophetas appellatos nonnulli, ut ſupra jam vidimus, exiſtimarunt; quod miracula eaque maxima patrarent. At Ribera Phelethim dictos hos milites cenſet; quod admirabilis eſſent fortitudinis, viribuſque plurimum valerent. Et ideò à verbo פָּלָה *palah*, quod interpretatur mirabilem eſſe, horum militum vocabulum deductum affirmat: quòd nimirum Regem in diſcrimine poſitum eruere, & à periculis liberare tenerentur. Quinimò ſi à ſimilitudine ſoni, atque commixtione litterarum, & earum permutatione, ex conditione linguæ ſanctæ, argumentum ſumere velimus: verbo פָּלָא *palah* adjungatur verbum פָּלַט *palat*, quod interpretatur *eruere*, & a periculis *liberare*; mutata ט in littera ח ex conſuetudine, & regulis grammaticalibus linguæ ſanctæ; quia illæ litteræ permutabiles ſunt, quæ inter ſe figura, aut ſono, vel inſtrumentis conveniunt. Complutenſes in ſuo Lexico affirmant, ea militum vocabula à verbo פָּלָא *palah* ea ratione derivata, quòd iſti milites homines in bello interficerent: velut apparitores apud Romanos, qui faſces cum Conſule, ac Imperatore ferebant. Illud enim verbum פָּלָא *palah* dividere ſignificat. Ita igitur fiet, ut diverſarum vocum, à quibus Pheletheorum vocabulum derivatur, ſignificatione conſiderata; etymon illius, atque ſignificationis energia habeatur: atque dum in voce Cerethim hominum ſciſſores; ac in voce Phelethim Regis mirabiles liberatores agnoſcimus; munera quoque illorum militum conſpiciantur, ex illorum ſententia, qui hæc ſunt contemplati.

Quiſnam tot commentis indigere exiſtimaſſet mandatum Davidis ad Sadochum ſacerdotem datum de inaugurando Rege Salomone, vocabulaque illa militum Cerethim, & Phelethim, qui Salomonem ſucceſſorem declarandum aſſociarunt, tot ambagibus, atque involucris tegi, ac obvolvi quis credidiſſet? Nam licet nominum ſatis probabiles rationes auctores jam allati attulerint; ſumptas nimirum ab Hebraicis vocabulis: nos tamen eadem Ceretheorum, ac Pheletheorum vocabula, potius ab armis, nimirum à clypeo, & ſcuto, quo ſtipatores Regis Iſraël utebantur, quam ab operibus, ſive muniis ad quæ deſtinabantur; vel à Regione, Oppido, Urbe, aut à loco aliquo, ſive à familia derivata exiſtimamus.

Ut autem res ipſa altius repetatur; non erunt prætereunda vocabulorum ſignificata, quæ ad hanc rem illuſtrandam faciunt, & ab arte militari deſumpta ſunt. Nihil nobis modò cum equitatu, ſed tantum cum peditatu negotium noſtrum, quia inter ſatellites regios obverſamur, erit. Nam Cetra, & Pelta pedeſtris militia armabatur; licet aliquando eiſdem quoque armis equites uſos fuiſſe ſciamus, præſertim apud Polybium, qui Peltam equitibus e-

 tiam

tiam dedit. Nam lib. 3. πελτοφόρων ἱππέων, hoc eſt, *Equitum ferentium peltam* meminit.

Quia tamen in militia pedeſtri ſumus; non omnibus peditibus ratione militaris diſciplinæ, antiquitus ſcutum concedi ſolitum obſervandum erit; ſed tantum aliquibus. Quamobrem duplex militum genus, in pedeſtri militia diſtinguere oportet; ut quæ inveſtigamus lucidiora fiant: alterum nimirum, quod gravis armaturæ dicebatur; alterum, quod levis armaturæ appellabatur: qua quidem ſub acie pedeſtris militiæ, fundibularii, ſagittarii, ac reliqui pedites complectebantur; qui ſcuto non utebantur. Stat pro hoc genere peditatus Virgil. lib. 7. Æneid. dum Hernicos armat; illorumque ad bellum prodeundi conſuetudinem delineat dicens:

. . . . *non illis omnibus arma*
Nec clypei, curruſvè ſonant: pars maxima glandes
Liventis plumbi ſpargit: pars ſpicula geſtat
Bina manu; fulvoſque lupi de pelle galeros
Tegmen habet capiti; veſtigia nuda ſiniſtri
Inſtituere pedis; crudus tegit altera pero.

Hi namque pedites paucis, vel nullis ad defenſionem armis utebantur. Ut etiam Homerus de Locrenſibus lib. 13. Iliad. verſ. 712. tradidit; ſed in hoſtes offendendo, ſeque recipiendo toti verſabantur. Hanc peditum diſtinctionem ex Livio lib. 35. habemus: ibi enim ſcribens Livius, quid egerit Philopomenes contra Macedones, ait: *Navigia parva in ſtationem occultam agri Argivi contraxit, in ea expeditos milites cetratos*, (hic virgula ponenda eſt ad reſtituendum hunc locum) *pleroſque cum fundis, & jaculis, & alio levi genere armaturæ impoſuit.* Ex quo ſcutatos, à militibus leviſſimæ (ut ita dicam) armaturæ diſtinctos fuiſſe perſpicuum eſt.

Valeant iſti qui nullo utebantur ſcuto: ad pedites armatos nobis progrediendum eſt; hique diſtinguendi inter pedites graviſſimæ armaturæ, & pedites armaturæ minus gravis: Quæ ſanè pedeſtris militiæ diſtinctio ex Suida, & Vegetio poteſt expiſcari. Nam Veget. de re milit. lib. 1. cap. 20. de pedeſtri militia gravis armaturæ, illiuſque armis loquitur his verbis: *Ab Urbe enim condita ad tempus D. Gratiani, Cataphractis, & galeis muniebatur pedeſtris exercitus.* Eſt autem cataphracta idem quod lorica: nomen quidem natum à Græco φράττω, quod eſt *munio.* Quamobrem Livio etiam lib. 37. cataphracti pedites, pro loricatis poſiti ſunt: quod etiam ex textu Vegetii aperte conſtat. Dicit enim ibidem: *Itaque ab Imperatore poſtulant primo cataphractas, deinde caſſides deponere, ſic detectis pectoribus, & capitibus, congreſſi contra Getheos milites, noſtri multitudine ſagittariorum ſæpe deleti ſunt.* Ex quo, cataphracta militis pectus tegi, ac propterea idem fuiſſe cum lorica manifeſtum videtur: quapropter antiquitus aciem hanc ſic armatam, & loricatam, murum ferreum dictam Vegetius affirmat.

Illuſtratur his militum loricis, atque cataphractis illud vetus adagium, *murus aheneus eſto*, ſumptum ab Horatio, ut reor, pro ſalutari auxilio ſupervenіente his; qui ſummo in diſcrimine verſarentur. Illud habet nobiliſſimus in Lyricis Poëta in 1. epiſt. lib. 1. cum ait,

. . . . . *Hic murus aheneus eſto,*
Nil conſcire ſibi, nullâ palleſcere culpa.

Pro certo, & immutabili animi decreto illud uſurpari dixit Manutius in adagiis: tamen ad Poëtæ ſenſum verius accipi dixiſſet, pro mente, & animo viri boni inexpugnabili, à rectitudine propriæ conſcientiæ roborato, atque munito; quaſi diceret in hoc

A uno totius humanæ vitæ præſidium poſitum, ut nullius flagitii aliquis ſibi conſcius ſit, & ab omni culpa vacet: nec validiorem concedi poſſe defenſionem, aut ſecuritatem quam propriæ conſcientiæ integritatem: quæ conſcientiæ puritas, in quocumque periculo unicuique eſt *murus aheneus*, id eſt, propugnaculum inſuperabile.

Conſueverant enim Romani, velitibus, ac manipulis præfractis, aciem armatorum militum in longum extenſam hoſti opponere: quæ acies ita extenſa, murus aheneus dicebatur. Sed ad rem noſtram præter loricas, ocreas quoque ferreas pedites gravis
B armaturæ habebant. Scribit hoc Veget. lib. 1. de re milit. cap. 20. cujus hæc ſunt verba: *Pedites autem ſcutati præter cataphractas, & galeas, etiam ferreas ocreas in dextris cruribus cogebantur accipere. Sic erant muniti illi, qui in prima acie pugnantes Principes, in ſecunda Haſtati, in tertia Triarii vocabantur.* Itaque lorica ferrea, caſſide, ocreis ferreis, & ſcuto cum hi milites armarentur; pedites gravis armaturæ appellabantur.

Ut verò in peditatu diſtinctio militum gravioris armaturæ ab his, qui minus gravi armatura utebantur, perſpicua fiat: operæ pretium eſt ſcire, quod illi ὁπλῖται apud Græcos auctores dicebantur: hi verò
C qui minus gravi tegebantur armatura πελτάσαι, ſive peltati appellari conſueverant. Eſt autem ὅπλον armatura in univerſum, præſertim ea, qua miles protegitur. Quamobrem licet Eraſmus in Chryſoſtomum, ὁπλίτην cataphractum ſit interpretatus; tamen magis de ſcuto, quam de alio quocumque genere armorum dictionem illam verificari puto. Probari hoc poteſt auctoritate Septuaginta interpretum; qui in Pſal. 90. ubi nos legimus: *Scuto circumdabit te veritas ejus*, legunt ὅπλῳ κυκλώσει σε ἡ ἀλήθεια αὐτοῦ, ubi pro ſcuto eſt dictio Græca ὅπλῳ. Accedit Suidas, qui in dictione ὁπλῖται diſcrimen aſſignans inter ὁπλίτας, & πελτάσας, de ipſis ὁπλίταις ita ait. ὁπλῖται μὲν γὰρ λέ-
D γονται οἱ βαρυτάτῃ ὁπλίσει κεχρημένοι κατὰ τὸν Μακεδονικὸν τρόπον, ἀσπίσι γὰρ περιφερέσι, καὶ δόρασι περιμηκεστέροις. hoc eſt: *Nam oplitæ quidem vocantur illi, qui graviſſima armatura utuntur, more Macedonico, ſcutis rotundis & haſtis longioribus.* Quo autore apertè conſtat, nomine ὁπλίτου milites gravis armaturæ, & nequaquam levioris accipi debere. Nec cujuſvis gravis armaturæ milites, eo vocabulo ſignificabantur; ſed ejus quæ graviſſima eſſet: in quo genere recenſebantur, qui cataphractis, caſſidibus, ocreis ferreis, & aliis utebantur, ut vidimus ex Vegetio. Plura ad id probandum ſcriptorum loca poſſent afferri; ſed hæc attuliſſe ſufficiat.

Diſtinctio noſtri peditatus in ſcutatos, ſive oplitas
E gravis armaturæ, & peltaſtas minus gravis armaturæ diſcutiatur: illeque Xenophontis locus lib. 1. de Cyr. min. exped. 246. expendatur, in quo de acceſſu Clearchi Lacedæmonis ad Cyrum, qui erat apud Marſos, agit, his verbis: ἐνταῦθα ἔμεινε ἡμέρας τριάκοντα, καὶ ἧκε Κλέαρχος ὁ Λακεδαιμόνιος φυγὰς, ἔχων ὁπλίτας χιλίους, καὶ πελτάσας Θρᾷκας ὀκτακοσίους, καὶ τοξότας Κρῆτας διακοσίους. In quo textu Xenophontis notanda ſunt illa duo vocabula: ὁπλίτας nimirum quod armatos ſignificat: & illud aliud πελτάσας, quo milites qui utuntur Pelta, ſubinnuuntur. Cujuſnam gentis eſſent hi armati, de quibus priori loco Xeno-
F phon meminit, non explicat. Lacedæmonios, vel ſaltem Græcos fuiſſe, certò ſuſpicari poteſt. Peltas enim Xenophon dat Thracibus, ſic dicens: *Illic Cyrus triginta dies commoratus eſt: intra quos Clearchus Lacedæmonius exul, cum peditibus gravis armaturæ mille, Thracibus peltaſtis octingentis, Cretenſibus ſagittariis ducentis eſt eum aſſequutus.* Itaque juxta hunc interpretem dictio ὁπλίτης militem pedeſtrem, gravi armatura munitum ſignificat.

Equi-

Equidem diſtingui ὁπλίτας à πελτάςαις in Xenophonte; qui parumper in ejus lectione verſatus fuerit, intelliget: utrumque etiam ab equitatu diſtingui manifeſtum eſt. Quamobrem tam ὁπλίτας, quam πελτάςας ad pedeſtrem militiam pertinere conſtat. Clarioris tamen notitiæ gratia, unus vel alter ex Xenophonte locus afferatur. Nam lib. 7. exped. Cyri, ubi Xenophon Seuthem alloquitur, deque deducendo milite noctis tempore, ex Græcorum conſuetudine, normam præſcribit, ſic ait: ὁποῖον ἀεὶ πρὸς τὴν χώραν συμφέρει, ἐάν τε ὁπλιτικὸν, ἐάν τε ἱππικόν. Hoc eſt: *Semper habetur ratio ad id quod magis expedit pro ratione regionis, vel armaturæ gravis vel equitatus*, ſupple, utrum præmittere oporteat. Quo in loco oplitæ diſtinguuntur ab equitatu. Parum infra ab eodem loco ad eum advenifſe Seuthem ſub mediam noctem ſcribitur, de cujus adventu ita ille: ἤδη δὲ ἦν ἀμφὶ μέσας νύκτας παρῆν Σεύθης ἔχων τοὺς ἱππέας τε θωρακισμένους, καὶ τοὺς πελτάςας σὺν τοῖς ὅπλοις. Hoc eſt: *Erat autem ferè circa mediam noctem, cum adfuit Seuthes habens equites loricatos & armatos.* Gravis ſcilicet armaturæ. In quo ſimiliter loco ὁπλῖται, ac πελτάςαι inter ſe, & ab equitatu diſtinguuntur. Paululum quoque ſupra à loco citato lib. 1. cum hortorum meminiſſet, in quibus Marſiam ab Apolline victum, excoriatumque veteres fabulati ſunt; & in eodem loco cenſum Græcorum Cyrum accepiſſe ſcribit, eoſdem numerat dicens: καὶ ἐγένοντο οἱ σύμπαντες ὁπλῖται μὲν μύριοι, καὶ χίλιοι, πελτάςαι δὲ ἀμφὶ τοὺς διχιλίους. ubi diſtinguit, ὁπλίτας à πελτάςαις, hiſque vocabulis milites pedeſtris militiæ intelligit, ſic enim ille locus interpretatur: *Cenſa ſunt gravis armaturæ, peditum undecim millia, peltaſtarum autem duo millia.*

Quod verò armatorum nomine, qui ὁπλῖται Græcè appellantur, acies gravis armaturæ intelligatur; ex eo manifeſtum eſt, quod parum ſuprà in loco à nobis allato, Xenophon de Græcorum inſtituto in deducendo milite noctis tempore cum Seuthe diſſerit, atque ex Græcorum conſuetudine milites gravis armaturæ præmitti, deinde ut reliqui ſubſequerentur tradit, huncque militem gravis armaturæ βραδύτατον appellat. Statimque ſub mediam noctem Seuthe adveniente, cum progrediendum eſſet: gravis armaturæ milites illum præmiſiſſe ſcribit dicens: καὶ ἐπεὶ παρέδωκε τοὺς ἡγεμόνας, οἱ μὲν ὁπλῖται ἡγοῦντο. οἱ δὲ πελτάςαι εἵποντο, οἱ δὲ ἱππεῖς ὀπισθοφυλάκουν. Hoc eſt: *Cumque dediſſet*, ſupple Seuthes, *Duces*, ſuppleitineris, *præceſſerunt oplitæ, deinde peltaſtæ, equites cuſtodiebant tergum.* Ex quo ſanè Xenophontis loco manifeſtum eſt ὁπλίτας dici eoſdem, quos ſupra gravis armaturæ milites, & τὸ βραδύτατον appellaverat: atque propterea τῷ ὁπλιτῶν vocabulo, milites gravis armaturæ fore intelligendos. Cum igitur peltaſtas ab oplitis, & utrumque ab equitatu perpetuò diſtinguat Xenophon: tam oplitas, quam peltaſtas ad pedeſtrem militiam pertinere conſtat.

Diſtinctionem inter oplitas & peltaſtas contemplati ſimus. Dicendum remanet, atque diſcutiendum diligentius, quo ſcuto oplitæ, quovè peltaſtæ uterentur. Equidem pelta fuiſſe uſos peltaſtas nomen ipſum declarat; cetra verò armandos oplitas arbitror: nam ſupra in principio hujus capituli diſtinximus ex Xenophonte & aliis, peditatum in ſcutatos, & in hos, qui nullo utuntur ſcuto, ſcutatoſque ipſos, in milites gravioris armaturæ, ac minus gravis. Illos igitur ſub vocabulo ὁπλιτῶν ſignificari, hos autem levioris armaturæ πελτάςας dici volumus. Hæc militum diſtinctio Xenophontis auctoritate firmatur; qui, ut vidimus, oplitas βραδυτάτους appellat: non ita peltaſtas, quos potius levis armaturæ milites vocat per reſpectum ad oplitas. Hoc ipſum auctoritate etiam Suidæ loco jam citato fulcitur: ſic enim ait: οἱ δὲ πελτάςαι μέσῃ πως κέχρηνται σκευῇ, ἥτε γὰρ πέλτη,

A μικρά τις ἐςὶν ἀσπιδίσκη, καὶ κούφη. Hoc eſt: *Peltaſtæ autem media fere armatura utuntur, quæ eſt pelta, minimum quidem inter ſcuta, & leve.* Et quia ipſemet Suidas ὅπλον diverſum à pelta fecerat, & ad gravem armaturam illud pertinere tradiderat; peltà ad levem pertineat neceſſe eſt. Hi igitur peltati, brevi cum uterentur ſcuto, majori oplitas uti conſueviſſe certò tenere oportet.

Suſpicari fortaſſe poſſet; eoſdem fuiſſe oplitas Xenophontis, atque Latinorum cetratos; milites nimirum ſic dictos, quod cetra uterentur: illudque idem genus ſcuti Cetra à Latinis dictum fuiſſe, quod γέῤῥον à Græcis dicebatur: de quo ita in lexico
B Græco Coloniæ Allobrogum impreſſum 1592. γέῤῥον *gladii genus, ſcutum perſicum, generaliter ſcutum barbaricum ſignificat. Gerrones inde dicti, ut ſcribit Feſtus, id eſt leves, & inepti: τὰ γέῤῥα pro quavis protectione, ſive ex cratibus, ſive ex corio, aut alia quavis materia accipitur. item σκέπασμα defenſaculum exponitur a Philelpho, Crates lib. 1. pediæ Cyri; ubi tamen cetram ſignificat; quæ ſecunda eſt ſignificatio*: Feſtus quoque Pauli in dictione Gerræ ſic dicit. *Gerræ crates vimineæ. Athenienſes cum Syracuſas obſiderent, & crebro gerras poſcerent, irridentes Siculi gerras clamitabant.* Suidas quoque in dictione γέῤῥα ſic ait. περσικὰ μὲν ἐςὶ κυρίως
C ὅπλα τὰ γέῤῥα· καταχρηςικῶς δὲ σκέπασμα, εἴτε δερμάτινον, εἴτε ἄλλης τινὸς ὕλης γέῤῥον ἐλέγετο. Hoc eſt: *Gerra propriè ſunt arma perſica; per abuſionem verò, quodvis tegumentum, ſive pelliceum, ſive ex aliqua alia quavis materia, gerron dicebatur.*

Sumpto igitur argumento à barbarie illius ſcuti, quod à materia ex qua fiebat gerron dicebatur; & denique à genere pedeſtris militiæ, quæ quidem illo ſcuto utebatur: idem fuiſſe Græcorum Gerrum, cum Latinorum Cetra non incongrue credi poſſet. Lorei enim atque viminei ſcuti, ut ſtatim videbimus, meminit Pollux lib. 1. cap. 10. §. 6. & Iſid in origin. lib. 18. dicens: *Scetra corrupte pro cetra, ſcutum lo-*
D *reum, ſive ex ligno quo utuntur Afri, & Mauri, de quo Poëta lævam ſcetra tegit.* A protectione Iſidorus argumentum ſumit; ut de ſcuto, locum intelligendum fore cenſeat: atque conſentit cum eo id, quod ſupra ex Suida diximus, qui Gerron per abuſionem σκέπασμα, id eſt tegumentum, ſive defenſaculum appellari tradiderat.

Cetræ verò deſcriptio, quam ex Iſidoro tradidimus, conſentit omninò cum his, quæ de τοῖς γέῤῥοις Græcorum habetur ex Xenophon. lib. 5. Cyr. min. expeditione; cum ait: ἕςησαν ὥσπερ ἀνὰ ἑκατὸν μάλιςα οἱ χοροὶ ἀντιςοιχοῦντες ἀλλήλοις, ἔχοντες γέῤῥα πάντες λευκῶν βοῶν δασέα. ubi Xenophon gerrones corio bu-
E bulo intectos deſcribit: quorum artem exprimens Iſidorus, idem ſcutum dixerat loreum. Sic enim locus Xenophontis interpretatur: *Stabant centuriatim*, ſupple milites, *tanquam chori ſibi invicem oppoſiti, omnes cetram habentes boum alborum pelle intectam.* Ex quibus conſtat, cetram fuiſſe ſcutum ex viminibus, loriſque bubulis contectum; quo miles ad aggrediendum, atque congrediendum cum hoſte, promptior eſſet. Cujus fortaſſe ſcuti inventum Perſis debebatur; quamvis illius uſum Afris, Hiſpanis ulterioribus, & Græcis etiam, atque Romanis tradiderint aliquando ſcriptores. Hiſpanis fuiſſe frequentem uſum cetræ teſtantur plures ſcriptores: & in hoc
F ſenſu Silius lib. 10. loquitur de cetra tanquam de ſcuto Hiſpanis proprio dicens:

. . . . ac ritu moris Iberi
Carmina pulſata fundentem barbara Cetra
Invadit . . . .

In qua Silii barbara cetra, barbariem hujus ſcuti cognoſcere neceſſe eſt. Quam barbariem non alia de cauſa cetræ tributam conjectamus; niſi ea quam

 Lexicæ,

Lexica , ac Suidas gerræ adſcripſerunt. Lucanus quoque lib. 7. civil. belli ſuos Hiſpanos cetra armat dicens:

Illic pugnantes commovit Iberia cetras.

Nequaquam verò , ut reor , toti Hiſpaniæ cetra communis erat ; ſed potius ulteriori tantum Hiſpaniæ, quæ Africæ contermina, magis veluti propria cetra ſibi utebatur , auctore Cæſare lib. 1. Civil. bell. cap. 39. ubi ait : *Erant, ut ſupra demonſtratum eſt, legiones Afranii III. Petri II. præterea ſcutati citerioris provinciæ, & cetratæ ulterioris Hiſpaniæ cohortes circiter LXXX.* Quibus in verbis duo nobis obſervanda occurrunt ; alterum reſpicit uſum cetræ, quæ ſcutatorum erat clypeus: alterum quòd Hiſpani ulteriores, nimirum Luſitani, uſu cetræ erant periti. Confirmat id Livius lib. 3. Decad. 2. Hiſpanorum virtutem in Africa ſcribens his verbis: *Nec Numida*, inquit, *Hiſpano eques par fuit, nec jaculator Maurus cetrato.* Et lib. 31. dat cetram Macedonibus in bello Philippi Regis contra ipſos Romanos dicens : *Uno deinde intermiſſo die , cum omnibus copiis equitum, leviſque armaturæ pugnaturus Rex eſſet, nocte cetratos, quos peltaſtas vocant, loco opportuno inter bina caſtra, cum inſidiis abdiderat.* Et in lib. 35. Philopomenis in Macedones prælium referens, ait: *Navigia parva in ſtationem occultam agri Argivi contraxit, in ea expeditos milites cetratos.*

Uſum quoque vimineorum ſcutorum ad Tyronum exercitia ex Romanorum inſtitutis , in medium profert Veget. lib. 1. de re milit. cap. 11. dicens: *Scuta de vimine in modum cratium corrotundata tenebant ; ita ut duplum pondus cratis haberet , quàm ſcutum publicum habere conſuevit.* Et quamvis de ſcuto vimineo , & corrotundato Vegetius loquatur : non tamen inde argumentum ſumendum erit ; quod ex ſolo vimine gerræ , ſive cetræ texerentur : ſed ut dicebamus, ex vimine ea ſcuta cum connecterentur, his ſcutis ferrei , ſive ærei , aut aurei circuli cratibus interſerebantur : ita tamen ut bubulo corio deſuper tam crates , quam ferreos , ſive aureos , aut æreos circulos contegendo, ſcutum ſive cetra conſurgeret. His adſtipulatur Statius Thebaid. lib. 3. dum cratibus armat Argivos dicens:

Omnibus æratæ propugnant pectora crates.

Virgil. noſter lib. 7. Æneid. quanam ex arbore crates ſumerentur ad componendum hos clypeos , aperit , Latinorum contra Trojanos apparatum ſcribens, dum ait:

Tegmina tuta cavant capitum , flectuntque ſalignas
Umbonum crates . . . .

Turni quoque in Pallantem inſultum referens , clypei fabricam expreſſit lib. 10. Æneid. dicens:

Dixerat ; ac clypeum , tot ferri terga, tot æris
Cum pellis toties obeat circundata tauri.

Et Statius multoties dum clypei fabricam nobis expreſſit , ferri , æris , loreique meminit. Lib. 7. Thebaid. dicit.

. . . . . . *clypei ſeptemplice tauro*
Læva, ter inſuto ſervant ingentia ferro
Pectora . . . .

Quam etiam fabricam ſcuti , Homerus lib. 7. verſ. 219. expreſſit , ſicut etiam Virg. & alibi pluries aurei circuli meminit , quo ſcuta circundabantur.

Scuta igitur iſta , hac ratione compacta , ferro circumdata, cratibus intenta , loreo contecta ; cetras aliquando fuiſſe appellatas non dubito. Nam
A etiam apud Romanos cetrarum uſus manifeſtus eſt ex Livio lib. 1. Decad. & lib. 4. Decad. 5. Suetonius quoque Cajum inducit cap. 19. cum equo phalerato , corona quercica , ſecuri , cetra , gladio, & aurea chlamyde ornatum. Quibus armis ſupra pontem quo Baias, & Puteolos trium millium , & tercentorum paſſuum diſtantes conjunxerat , inceſſiſſe ſcribit. Quamobrem parmati (quo ſcuti genere potiſſimum Romani utebantur) peltaſtæ , ſive peltati dicti fuere.

Quantum igitur ad nomina Ceretheorum , atque Pheletheorum , quæ ad rem ſacram faciunt , quorum explicatio ad nos pertinet ; verius cenſeo ſuſpi-
B cari poſſe , hos Iſraëlitas , qui ſatellitii regii ſtipendia meruere , non quidem ab occidendo , eruendo, liberando , ab excidendo , à mirabilibus , aut aliquo alio titulo Ceretheos , ac Peletheos dictos fuiſſe ; ſed potius Ceretheorum , ac Pheletheorum vocabula , à cetra , & pelta clypeorum generibus, deducta fuiſſe arbitramur : quibus duobus ſcutorum generibus , tempore pacis , & belli , tam foris, quam domi , ſtipatores hi regii utebantur. Fulcitur hæc noſtra conjectura , argumento ſumpto à vocabulis , à genere pedeſtris militiæ , & à munere ſtipandi , præcurrendi , atque tuendi Principem : etenim nominibus , atque vocabulis illis ſacris in oraculis ſti-
C patores ſignificari probavimus : atque propterea præcurſoriam , ac lateralem militiam , quæ Regi Iſraëlitico ad cuſtodiam erat , Ceretheos ac Pheletheos exercuiſſe : quinetiam cetræ , ac peltæ inventum , Iſraëlitarum fuiſſe , à re alienum non videtur. Quibus tamen hæc non arrident ; ut cetra , & pelta Hebræorum inventum ſit : cetram ab illis Ceretheis inventam fuiſſe , qui maritima ora Chananeorum inhabitabant ; Peltam vero unde Pheleteorum , ſive Peltaſtarum nomina , ex oppido illo celebri Peltis , de quo ſupra ſcripſimus , originem accepiſſe ſi dicatur : atque ab his uſum horum ſcutorum Iſraëlitas habuiſſe ſi affirmabitur ; id nos non rejiciemus ; nec
D in contrarium decertabimus.

Militandi artem , militaremque peritiam à Gentibus Hebræos didiciſſe , ſubodoratur cap. 8. lib. 2. Reg. ex illis verbis : *Et præcepit David , ut docerent filios Juda arcum : ſicut ſcriptum eſt in libro juſtorum.* Quem locum ſic declarat Vatabl. in notis. *Hortatus eſt viros tribus Judæ , ut docerent filios ſuos artem bellicam ; & ne deſperarent propter mortem Saulis , & Jonathæ , quod adhuc futuri eſſent clari arte bellica.* Cum igitur bellandi peritiam à Gentibus , præſertimque à Philiſteis Iſraëlitæ acceperint ; cum quibus perpetuum erat certamen : quod etiam Cetræ , Peltæque uſum ab eiſdem acceperint ; ut inde
E Cetrati , ac Peltati , ſive Cerethei , & Phelethei appellati fuerint, probabiliſſimum cenſeri poteſt.

Quod autem apud Hebræos uſus peltarum fuerit; certò cognovit noſter interpres , qui cap. 10. lib. 3. Reg. recenſendo opera illuſtriora Salomonis ; quæ ad regiam majeſtatem in Iſraël oſtentandam excogitarat : *Fecit quoque* , inquit , *Rex Salomon ducenta ſcuta de auro puriſſimo , & trecentas peltas.* Quam etiam interpretationem S. Hieron. complexus eſt. Latinæ autem dictioni *Pelta* in textu Hebraico reſpondet dictio מגן *maghen* : ſcuti quidem in lingua ſancta generale vocabulum. Cujus ſcuti uſum pe-
F nes milites pedites extitiſſe , qui fugientem David in periculis , diſcriminibuſque comitabantur ; lib. 1. Paral. cap. 12. in hæc verba ſcribitur : *Sed & de Gaddi transfugerunt ad David , cum lateret in deſerto , robuſtiſſimi, & pugnatores optimi tenentes clypeum, & haſtam : facies eorum quaſi facies Leonis , quaſi capreæ in montibus.* Quo in loco lectio Hebraica dictionem מגן *maghen* habet : cui dictioni latinus *cly-*

peus

peus reſpondet ; & juxta Hieronymum optimè per dictionem pelta redditur. Accomodatiſſimam quippe ad fugam fuiſſe peltam pendentem loris ab humero , atque ad tergum alligatam , cum hoſtis eſſet declinandus , ex jam dictis à nobis de brevitate cetræ manifeſtum eſt. Idemque auctor teſtatur ; meritò David militibus , & ſociis fugitivis Peltam , Cetramque pedeſtris armaturæ ſcuta , aſcripſiſſe.

Cetratis militibus cohortes prætorias fuiſſe compactas ad Principem, atque Imperatorem conſtipandum , Cæſar lib. 1. de bell. civil. innuit : ubi ſe contra Afranium & Petrejum , exercitum duxiſſe , deſperataſque res Afranii , atque Petreji tradit. *Petrejus verò non deſerit ſe , ſed* , inquit , *armat familiam : cum hac & prætoriam cohortem cetratorum , barbaroſque , equitibus paucis , & beneficiariis ſuis , quos ſuæ cuſtodiæ cauſa habere conſueverat.* Quod nequaquam de Romana Cetratorum cohorte prætoria intelligendum duco : ſed Petrejum de Romanorum militum fide dubitantem , aſſumpſiſſe arbitror cohortem prætoriam ex barbaris, quorum erat uſus cetræ , hiſque ſui corporis cuſtodiam commiſiſſe. Similiter etiam peltatis , ſive peltaſtis ſtipatoribus Cyrum , & alios plures , non ſemel , ſed ſæpiſſimè uſos fuiſſe ad ſui cuſtodiam , apud Xenophontem legimus.

Probabiliori adhuc argumento , Ceretheorum ac Pheletheorum vocabula , à cetra , & pelta derivanda fore , à ratione militiæ , & munere ſtipatorum ſuadetur. Nam Ceretheos , & Pheletheos pedeſtris militiæ milites extitiſſe , & regem conſtipaſſe, conſtat ex locis omnibus , in quibus illorum meminit ſacer textus : cum primis verò cap. 15. lib. 2. Reg. ubi de fuga David à facie Abſaloni, deque illius comitatu hæc dicuntur : *Egreſſuſque Rex , & omnis Iſraël pedibus ſuis ſtetit procul à domo ; & univerſi ſervi ejus ambulabant juxta eum : & legiones Cerethi , & Phelethi , & omnes Gethei pugnatores validi ſexcenti viri , qui ſecuti eum fuerant de Geth* ; *pedites præcedebant Regem.* Quo nihil clarius dici poteſt , ad firmandum ea , quæ de pedeſtri militia Ceretheorum , atque Pheletheorum diximus.

Accedit ad hæc , quod ipſimet regii ſatellites , non ſemel in ſacra Scriptura præcurſores nominantur. Ad præcurrendum verò Regi quadriga delato , ut ex jure Regio , 1. Reg. cap. 8. ſcribitur ; quàm accommodatiſſima eſſet pelta , Diod. lib 15. aperuit in hæc verba : *τῶν ἑλλήνων μεγάλαις ἀσπίσι χρωμένων , καὶ διὰ τοῦτο δυσκινήτων ὄντων , συνεῖλε τὰς ἀσπίδας , καὶ κατεσκεύασε πέλτας συμμέτρους.* Hoc eſt : *Græcis antea magnis clypeis utentibus , & ob id ad motum parum aptis , ipſe ,* id eſt Iphicrates , *contraxit clypeos , & effecit modicas peltas.* Peltaſticam militiam præcurſoriam dicit Plutar. in Philopœmene , qui grandiores clypeos iterum induxit ; peltaſticam ab Iphicrate , jam olim inductam ſemovens , de quo Plutarchus ait , *μόνιμον , καὶ βεβηκυῖαν μάχην ἀντὶ δρομικῆς , καὶ πελταστικῆς* : id eſt : *Stabilem , & gradu progredientem , pro curſoria illa , & peltaſtica* , ſupple , ſemota. Ex quibus locis perſpicuum eſt, ad præcurrendum Regi , Cetratam , Peltatamque militiam accommodatiſſimam extitiſſe : ac propterea non ſolum à cetra, & pelta , ſed etiam à munere ipſo ſtipatorio , Ceretheorum , Pheletheorumque vocabula , Iſraëlitas Regis præcurſores accipere potuiſſe : & qui Regem inter Iſraëlitas ſtipabant , regiamque cuſtodiebant , illud idem retinuiſſe vocabulum , quod ſtipatores in aliis curiis fortaſſe retinebant , quibus Banajas filius Jojadæ , ut ſcribitur 2. Reg. præficiebatur.

CAP. XX.

Cetræ , ac Peltæ forma inveſtigatur.

A Ad loca 3. Reg. 10. *Fecit quoque Rex Salomon ducenta ſcuta de auro puriſſimo , ſexcenti auri ſiclos dedit in laminas ſcuti unius : & trecentas peltas ex auro probato ; trecentæ minæ auri unam peltam veſtiebant.* Pſal. 90. *Scuto circumdabit te veritas ejus.* Illuſtratur locus num. 23. *Sin autem nolueris interficere habitatores terræ ; erunt vobis , quaſi clavi in oculis , lanceæ in lateribus.* &c. & ad alia plura.

AD intelligentiam ſacrorum oraculorum, formam cetræ ac peltæ inquirere minimè neceſſarium cenſeri poſſet : ſed ad regium ſatellitium,
B quo Rex ad inaugurationem deducebatur , Cetræ formam aperire ſatis commodum arbitramur. Quamvis igitur multi , multa de Ceretheis, ac Pheletheis dixerint ; & pelta , peltæque forma ex lapidibus & parietinis , pluribuſque veterum ſcriptorum monumentis notiſſima videatur ; Cetræ tamen formam omnibus ignotam video : quam tamen aperire, Deo bene juvante , conabimur ; ut quos Iſraëlitico Regi ſtipatores ac præcurſores adſcripſimus , non quidem inermes , ſed armatos ac clypeo munitos fuiſſe demonſtremus.

Ut autem res ipſa altius repetatur; non erunt prætereunda vocabula, quibus utuntur auctores cum de
C ſcuto loquuntur : interdum enim ſcutorum vocabula à materia ſumunt ; nonnunquam etiam à perſonis, quibus ſcuta ſunt in uſu, nec non etiam à forma interdum nomen accipiunt. A materia quidem ea ſcutorum vocabula ſumuntur, de quibus Pollux Onom. lib. 1. cap. 10. §. 6. ſed quia hæc nihil ad rem noſtram faciunt ; propterea ad formam inquirendam nobis properandum erit , quæ majorem habet difficultatem. Ab hac breviter ut ſe expediat Cerda in lib. 7. Æneid. in verſ. 732. *ad formam ,* inquit, *pertinent colores quibus celatæ* , ſupple erant : nobis tamen de celaturis atque coloribus modica, vel nul-
D la eſt difficultas: figuram inquirimus, quam formam hic appellamus.

Verum quid de ſchemate peltæ ſit dicendum , ſtatim videbimus : nunc quantum attinet ad formam Cetræ, Wolfang. Laz. lib 4. comment. Reip. Rom. cetram perfectè rotundam ſuſpicatur : immo hac rotunditate cetram à pelta ſecernit; quod hæc ad formam dimidiatæ Lunæ eſſet ; cetra vero integræ peripheriæ formam retineret. Sed nulla ratione ſuſtinendum cenſeo, Cetram perfecta peripheria circumambiri : quin potius dicendum exiſtimo; cetram cordis humani habuiſſe formam , vel aliquid aliud hujuſmodi imitatam fuiſſe. Antiquitatum , bonarumque litterarum helluo Lipſius hoc inſinuavit in Analect. ad milit. Rom. loquitur ille de ſcuto Maurorum , *ἐλεφαντίνην* appellato , quod ex elephantis
E corio compactum fuiſſet.: hujus formam ac figuram his verbis tantiſper aperiens , *quod ,* inquit , *hodie Mauri ? nonne uſum ſervant ; & habent lorea iſta ſcuta , ſed majuſcula, & formata ferè in cor humanum ?* Loqui verò ipſum de cetra manifeſtum eſt ex his, quæ ex Silio affert ; ut probet Mauros olim ſcuta ſua varis conſueviſſe pingere coloribus : cujus hi ſunt verſus :

> *Verſicolor contra cetra , & falcatus ab arte*
> *Enſis Andromachidæ.*

De cetra cecinit Silius, de eadem Lipſium quo-
F que intelligendum fore , dubium non eſt : jam igitur auctore Lipſio cordis humani formam in cetra tenemus.

Si verò conjectare aliquid ex ſacris decet litteris : locum ex cap. 10. lib. 3. Reg. præ oculis habendum duxi; ubi de ornamentis aulæ regiæ agitur his verbis : *Fecit quoque Rex Salomon ducenta ſcuta de auro*

auro puriſſimo, ſexcentos auri ſiclos dedit in laminas ſcuti unius: & trecentas peltas ex auro probato, trecentæ minæ auri unam peltam veſtiebant. In armamentario Regis Salomonis ſumus: & licèt ſcutumne, an lancea Hebraica dictione צִנָּה *zinnah* ſignificetur, ſubdubitandum apud auctores videatur; quòd 2. Paral. cap. 9. in hac eadem ſententia ſcribatur: *Fecit ducentas haſtas aureas, de ſumma ſexcentorum aureorum, qui in ſingulis haſtis expendebantur: trecenta quoque ſcuta aurea trecentorum aureorum, quibus tegebantur ſingula ſcuta:* Nihilominus dubitatio tantum remanet penes interpretem latinum; & illum qui voces illius ſuperficie tenus attenderit; non autem ex Hebraico, quem vulgatus reddidit, & ſignificatum illius interpretari voluit. Conſtantiſſimè enim Hebraicum exemplar, utrobique in locis citatis dictionem צִנָּה *zinnah* retinuit: ut doctiſſimè adnotavit Pineda lib. 5. de reb. Salom. cap. 6. & id ex ipſo textu conſtat.

De prædictæ vocis ſignificatione, quamvis. §. 7. Pineda dubitet: mihi tamen ea voce ſcutum ſignificari, indubitatum eſt. Sunt enim loca innumerabilia in ſacris oraculis; quæ de ſcuto tantum rectè interpretari poſſunt; quotieſcumque in Hebræo textu dictio צִנָּה *zinnah* occurit. Afferatur in medium illud Pſal. 90. *Scuto circundabit te veritas ejus*; in quo de protectione divina agitur: & in Hebræo ſic legimus. צִנָּה וְסֹחֵרָה אֲמִתּוֹ *zinnah veſocherah hamitho.* id eſt, ſecundum Hieronymum, *ſcutum, & protectio veritas ejus.* Ut enim divinam protectionem erga perfectum virum explicaret Propheta, Deumque non tam à fronte, quam etiam à tergo pium virum protecturum oſtenderet: *Scapulis ſuis obumbrabit tibi*, inquit, *& ſub pennis ejus ſperabis.* Quibus verbis ad tergum ſecura protectio viro juſto à Propheta promittitur: ut autem quoque pectus, anteriorque pars ſecura oſtenderetur, ſubdit: *Scuto proteget te veritas ejus.* Ex quo quidem loco, nulla ratione poteſt declinari, quo minus dictio illa צִנָּה *zinnah* clypeum ſignificet; quo pectus militis protegitur: quemadmodum ſcuta grandiora dictione מָגֵן *maghen* ſignificari nonnulli hebraizantes tradunt: niſi velimus, & forte verius, dictionem מָגֵן *maghen* generale fore vocabulum, ſicut ἀσπὶς apud Græcos, & ſcutum, ſive clypeus apud Latinos: illa verò dictione צִנָּה ſpeciale ſcuti genus apud Hebræos ſignificari diximus.

In interpretatione illius vocis צִנָּה difficultas eſt, ex loco Num. 33. in quo Deus deſtructionem Chananæorum Iſraëlitis præcipit, & ſubdit: *Sin autem nolueritis interficere habitatores terræ; erunt vobis, quaſi clavi in oculis, & lanceæ in lateribus.* In Hebræo verò pro *lanceis* habetur צְנִינִים *zeninim*: qua dictione ſpina, lancea, vel aliquid acutum ſignificatur; ſicque locum interpretantur omnes. Quamobrem cum hoc plurale צְנִינִים *zeninim* ab illo ſingulari צִנָּה *zinnah* deductum conſtet; atque hoc loco nulla ratione aliquid ſignificetur, quod protegat; ſed potius aliquid quod transfigat; lanceam ea dictione ſignificari perſpicuum videtur.

Lanceam quidem ſignificari poſſe aliquando, dictione צִנָּה *zinnah* hujus loci auctoritate oppreſſi Forſterus & alii tradunt. Umbonem acuminatum in ſcuti medio alii excogitarunt: cum quibus ſtat Vilalpandus in Ezechiele; à quibus etiam non diſſentit M. Marin. in dictione צִנָּה *zinnah* dicens: *Sæpius verò eſt clypeus & ſcutum:* ſupple dictio illa, *ut omnes aſſerunt. ſic fortaſſe dictum, quod hujuſmodi clypei, cuſpidem haberent in medio, ad inſtar ſpinæ præacutam.*

Sed quicquid alii aſſerant, mihi dicendum videtur dictionem צִנָּה *zinnah* non aliud, quam clypeum ſive ſcutum in ſacris oraculis ſignificare: dictionem

A verò צְנִינִים *zeninim*, quæ ſpinas in plurali, in loco jam allegato ex cap. 33. Numerorum interpretatur; non derivari à radice צִנָּה *zinnah*; cujus plurale non poteſt eſſe צְנִינִים *zeninim*, maſculini generis, ſed צִנּוֹת *zinoth* fœminini, quæ vox habetur cap. 4. Amos. & 2. Paral. cap. 11. quibus in locis de clypeis ſermo eſt. Nam in 2. lib. Paralip. cap. 11. de ædificiis Roboam agitur; quæ in tribu Juda fecit, & v. 12. dicitur: *Sed & in ſingulis urbibus fecit armamentarium ſcutorum, & haſtarum:* & ubi noſter habet *ſcuta*, Hebraicus textus habet dictionem צִנּוֹת Amos verò cap. 4. de proſtratis in bello agitur: & Propheta ad rem caſtrenſem, ac militarem reſpiciens, ex cujus inſtitutis qui in acie
B fortiter pugnando occubuiſſent, in clypeis veluti in feretro ad ſuos referebantur. *Juravit Dominus*, ait, *Deus in ſancto ſuo: quia ecce dies venient ſuper vos, & levabunt vos in contis.* Ut innueret Propheta, quod proſtrandi erant in congreſſu hoſtium. Et ubi noſter textus habet *in contis* בְּצִנּוֹת eſt in Hebraico textu: & Græci dixere in ὅπλοις, ideſt in clypeis gravioris armaturæ.

Hinc illa Lacenæ cujuſdam, virilis, & egregia vox, ad filium quem armaret ad bellum, cum clypeum illi traderet; & ad mortem potius nobilem hortaretur oppetendam, quam clypei jacturam, abeunti filio dixit ἢ τὰν, ἢ ἐπὶ τᾶς, id eſt; *vel*
C *hunc redde, vel ſuper hunc revertere:* ad eum morem caſtrenſem, de quo diximus, reſpiciens. Plura ex variis ſcriptoribus de hac conſuetudine afferri poſſent: hinc enim illud Virgil. lib. 10. Æneid. in Pallanta à Turno interfecto ac veteri militiæ more.

. . . . & ſocii multo gemitu, lachrymiſque
Impoſitum ſcuto referunt Pallanta frequentes.

Sic etiam ibidem de Lauſo interfecto ſcribitur à Poëta:

At Lauſum ſocii exanimem ſuper arma ferebant
D *Flentes ingentem; ac ingenti vulnere victum.*

Statius etiam lib. 8. Thebaid. Atyn in bello interfectum ad ſuos clypeo delatum ſcribit: referens, quæ ſponſa in ſomnis viſa referat matri:

Talia jactabant, ſubito cum pigra tumultu
Expavit domus; & multo ſudore receptus
Fertur Atys, ſervans animam jam ſanguine nullo,
Cui manus in plaga, dependet languida cervix
Exterior clypeo, crineſque à fronte ſupini.

Prædicebat igitur Propheta Amos, loco jam citato ex cap. 4. Samaritis, vicinam ex ſuperventuro bello mortem, ac ſtragem in congreſſu hoſtium; ac proin-
E de futurum, ut illorum cadavera more belli ſuper clypeos ad ſepeliendum deferrentur. Et hæc eſt ſignificatio illius vocis צִנּוֹת At vero illud vocabulum צְנִינִים *zeninim*, quod Num. cap. 33. habetur, & quo ſpinæ ſignantur, à ſingulari צָנָן *zanan* derivatur: quamobrem conſtantiſſime affirmandum puto, dictione illa צִנָּה *zinnah*, quæ cap. 10. lib. 3. Reg. habetur, clypeum, non ſpinam, neque lanceam ſignificari.

Verum ſacer ſcriptor, ad formam fortaſſe clypei, quodammodo in acumen inferius deſinentis demonſtrandam, loco citato uſus eſt dictione צִנָּה *zin-*
F *nah.* Fortaſſe enim illud genus ſcuti, de quo ſermo eſt 3. Reg. 10. & lib. 2. Paral. ferro aliquo muniebatur inferius; ut in ſolo defixus non ſolum miles expeditior eſſet ad tractandum arma; ſed etiam totum illius corpus ſcuto protegeretur: ut de Thireo aliqui tradidere, cum Franciſco Patritio, ubi agit de milit. Rom. hac enim ratione ſcutum illud facilius circumgirabatur, militemque protegebat.

In

In hoc igitur genere ſcuti, quod צנה *zinnah* hebraice dicebatur, cetræ formam videor videre: & quam nobis Lipſius ferè in cor humanum expreſſit; ſacra oracula acuminatam fortaſſe in ea dictione צנה *zinnah* inſinuare voluerunt.

Et Cetram, quam Lipſius in cordis humani formam, & ſub nomine צנה *zinnah* ſacra oracula expreſſerunt; apertius ſub figura hederacei folii nobis Xenoph. lib. 5. de Cyr. min exped. aperuit. Fœdus enim inter Moſenicos, Græcorumque exercitum, fœderumque feſta his verbis ille ſcribebat: ἔστησαν ὥσπερ ἀνὰ ἑκατὸν μάλιστα οἱ χοροὶ ἀντιστοιχοῦντες ἀλλήλοις, ἔχοντες γέῤῥα πάντες λευκῶν βοῶν δασέα, εἰκασμένα κιττοῦ πετάλῳ. hoc eſt: *Stabant quaſi centuriatim, tanquam chori ſibi invicem oppoſiti; omnes habentes cetram boum alborum intectam ſimilem hederæ folio.* Attendatur cum noſtra interpretatione; veteris etiam interpretis magis paraphraſtica expoſitio, ſic: *At qui remanſerant, in centurias, quaſi totidem in choros deſcripti; quadratum agmen, quaſi in quincuncem direxerant, læva manu cetram alborum boum hirſutis coriis intectam, hederacei folii forma.* Quo quidem ex loco Xenophontis, nihil apertius inter veterum monumenta ad formam cetræ exprimendam, nec haberi, nec, me Judice, excogitari poterat. Cumque pro diverſitate Regionum diverſa quoque reddantur folia hederacea; quam plantam pariter in maſculam, & fæminam diſtinguunt naturales; eligat lector quamcumque voluerit formam cetræ, dummodo ab hederæ folio non ſe avertat.

Cetram quidem minime diſſimilem à parma extitiſſe ſuſpicari poteſt: ac proinde Romanorum, atque Carthaginenſium parmam, aliqua ex parte ejuſdem figuræ, ac formæ cum Perſarum cetra exiſtimare, rationi congruit. Nam licet ab aliquibus promiſcuo vocabulorum uſu, cetra pro parma, parmaque pro A cetra aliquando ſumatur; nihilominus hæc ipſa ſcuta, figura inter ſe diſtincta extitiſſe conſtat. Si enim à materia argumentum ſumatur; hæc de Carthaginenſium parma Suidas habet: πάρμαι δερμάτιναι θυρεοὶ παρὰ Καρχηδονίοις. Hoc eſt: *Parmæ coriacea ſcuta apud Carthaginenſes*, ſupple, ſunt. Itaque coriaceam cetram ex Xenophonte, & coriaceam parmam ex Suida habemus. Nec mirum: jam enim ſupra oſtendimus, ex militari diſciplina in fabricandis clypeis atque quocumque alio ſcuti genere, ſtudendum fuiſſe levitati, ut quo leviora forent, hoſtium quoque congreſſibus, & manui conferendæ cenſerentur aptiora, propterea ex cratibus intextas parmas ac B cetras corio animalis contegebant veteres, præſertim tergoribus bubulis, ut demum exſiccata duriſſima evaderent. Verum quia parma ſcutum erat non admodum latum; propterea auctoritate Xenophontis ampliores fuiſſe cetras exiſtimo; ſumpto argumento à dictione πέταλον qua ille utitur loco allato. Illud enim diſcriminis eſt inter hæc vocabula φύλλον, & πέταλον, quod primum folium herbarum, ſive latum, ſive anguſtum indicat: dictio verò πέταλον, tantum de folio amplo verificatur. Quamobrem ex loco citato, & verbis Xenophontis de cetra dicentis εἰκασμένα κιττοῦ πετάλῳ: quibus ſignificat cetram extitiſſe ſimilem hederæ folio non cuicumque, ſed C amplo; in hac forma cetram delineari poſſe ſuſpicarer. Quemadmodum etiam ſcuta ipſa ex veterum picturis delineantur; in quibus inſignia cujuſcunque familiæ inſcribuntur: quæ adhuc etiam noſtra hac ætate durant, & lingua vernacula *arme*, *& lo ſcudo dell'arme* appellantur. Quarum delineamenta hæc fortaſſe fuiſſe excogitari poterit.



Nemo igitur jam tam inſulſus aderit; qui hanc hederacei folii formam, quam Cetræ tribuit Xenophon; humano Cordi Maurorum, atque etiam צנה *zinnah* Iſraëlitico peracuto inferius aſſimilari non intueatur. Ad cujus cordis formam Maurorum cetram Lipſius ſcripſit. Hanc verò cetram non minimi aut parvi, ſed mediocris ſcuti habuiſſe rationem credere oportet: quod pedeſtrium, graviusque armatorum clypeus eſſet: ut ex pluribus Xenophontis locis apertiſſimè monſtravimus.

Aliquid apertius de forma cetræ, non ſolum quod ad planam ſuperficiem exteriorem; ſed etiam quod ad F magnitudinem ex Xenophon. lib. 4. de Cyr. min. exped. hauriri poſſe videtur; dum Græcorum agmen, ipſo Xenophonte Imperatore, Armeniam eſſet aggreſſurus. Scribit enim ſpeculatores aciei, quæ ab ipſo ducebatur, pedites aliquos Chaldæos exadverſo conſpicatos fuiſſe, de quibus hæc habet: ἐλέγοντο δὲ οἱ Χαλδαῖοι ἐλεύθεροι, καὶ ἄλκιμοι εἶναι. ὅπλα δ' εἶχον γέῤῥα μακρὰ, καὶ λόγχας. Notanda ſunt autem illa verba γέῤῥα μακρὰ; quæ planam ſuperficiem, exterioremque formam cetræ reſpiciunt, de qua loqui-

quimur. Sic enim interpretantur verba allata : *Dicebant autem Chaldæos liberos , ac bellicoſos eſſe ; arma autem habebant cetras longas , & haſtas.* Ex quibus adumbratam cetræ magnitudinem jam habemus. Nam ubi nos diximus cetras longas, Græcè legitur γέῤῥα μακρά. Eſt autem μακρὸς propriè , ut inquit Nonius , idem quod per planum porrectum , ac etiam in longum , & profundum : in quo quidem, ut reor , cetra à pelta diſtinguebatur : quod hæc, ut videbimus , ad peripheriam contenderet ; cetra verò in longum , latum , ac profundum extenderetur, ac erigeretur. Et quamvis Tacitus de Britannis dixerit eos pugnare ingentibus gladiis , & brevibus cetris ; & Curtius lib. 3. Hiſpanos ſaltu , cantuque ex ſonitu cetræ rhithmico hoſtem aggredi conſueviſſe affirmet : quibus ex locis brevitatem cetræ fortaſſe colligere poſſet ; nos tamen cetræ magnitudinem majorem , vel minorem extitiſſe , ac etiam mediocrem putamus : habita ratione Regionum, Populorum, militandique conſuetudinis.

Illud obiter non prætereatur , quod in interpretandis Xenophonte , Polybio , Thucydide , & aliis Græcis hiſtoricis, ſæpiſſimè in horum ſcutorum forma , magnitudine , ac nominibus decepti ſunt interpretes ; qui cetram tranſtulerunt , ubi peltam dicere debuiſſent ; & cratem , aut crates , ubi cetram , aut cetras vertere tenebantur. Quamobrem ſæpiſſimè Turnebus, Caſaubonus, & interpretes tam Polybii quam Xenophontis, pro πελτάςας , ſive πελτοφόρȣς, id eſt peltaſtas , ſive peltam ferentes, Cetratos ſunt interpretati. Inde illud Livii lib. 31. loquentis de Philippo Macedonum Rege , de quo ait : *Cetratos , quos peltaſtas vocant , in inſidiis abdiderat.* Qua loquendi phraſi , videtur confundi Cetratos , & Peltatos apud Livium. Nec mirum apud ſcriptores latinos hoc videri debet , cum hæc ſcuta ad Romanam militiam non pertinerent ; ſed potius Perſarum , Macedonum , Græcorum , Maurorum, Afrorum , atque Hiſpanorum ſcutum eſſet.

Inquiratur peltæ forma ; quam lunatam extitiſſe optime Wolfang. & Lipſ. ubi ſupra ex Virgilio , Statio, & aliis affirmant. Sic enim ille in hac ſententia ait lib. 1. verſ. 494.

Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis . . .

Et tragicus Seneca , peltam illiuſque formam ſubindicans, eam lunatam deſcripſit dicens:

Lunata latus protecta pelta.

Apertius Cointus lib. 1. de relict. ab Homero, ad Lunæ formam ſic peltæ figuram retulit ver. 146. dicens :

Α'νγ' ἔθετ' ἀσπίδα δῖαν ἀλίγκιον , ἄντυγι μήνης
Ἤ θ' ὑπὲρ ὠκεανοῖο βαθυῤῥόȣ ἀντέλλησιν ,
Ἥμισυ πεπληθῦια περὶ γναμπτῇσι κεραίης.

Formam peltæ ad lunæ cornutæ, ſeù ad dimidiatam refert lunam in allatis carminibus , quæ ſic interpretantur.

Divinum etiam clypeum ſuſtulit lunæ orbi ſimilem,
Quæ ſuper altifluo Oceano exoritur
Cornibus incurvis ad dimidium ſui plenam.

Suidas etiam dixit πέλτον ἀσπὶς ἴτυν μὴ ἔχȣσα , id eſt : *Pelta eſt clypeus , rotunditatem non habens.* Iſidorus quoque illius definitionem quodammodo à figura , formaque ſumens ait : *Pelta ſcutum breviſſimum in modum lunæ mediæ.* Suidas iterum in dictione ὁπλῖ) de pelta ait : ἤτε γὰρ πέλτη μικρά τίς ἐςιν ἀσπιδίσκη , ἢ κȣ́φη. Id eſt : *Eſt enim pelta quoddam parvum ſcutulum , & leve.* Itaque adeo brevis erat pelta ; ut Suidas non ſolum eam μικρὰν dixerit , id eſt, parvam ; ſed peltam ἀσπιδίσκην appellarit , hoc
A eſt , *ſcutulum* diminutivo vocabulo ; id eſt, minimum atque breviſſimum ſcutum. Quamobrem Creon cum Theſeo congreſſurus , ſive dicamus cum Agide ; qui pro Argivis expeditionem contra Thebanos indixerat ; inſultat Agidem, peltamque femineum ſcutum apud Statium lib. 12. Thebaid. vocat dicens :

Jam letale furens, atque audax morte futura
Non cum peltiferis, ait, hæc tibi pugna puellis,
Virgineas nec crede manus . . . . .

Et ad parvitatem peltæ reſpiciens idem auctor lib. 7. hoc clypei genus minus aptum ad protegendum
B militis pectus dixerat. Quamobrem à vulneribus , militis pectus pelta defendi poſſe negat , dicens :

Fraxineas vibrant Macetum de more ſariſſas,
Sævaque difficiles excludere vulnera peltas.

Et ſi quidem uſus illius attendatur , neceſſario pelta breviſſimum ſcutum cenſendum erit ; quia auctore Xenophonte lib. 5. de Cyr. min. exped. peltæ , quibus utebantur Cretenſes in ea expeditione , metallicæ erant. Sic enim ait : *Illorum verò peltæ è diverſis partibus cum æreæ eſſent, coruſcabant.* Et Virgil. lib. 7. Æneid. peltarum metallicam materiam ſubindicat , dum auxiliarios Turni armat ,
C dicens :

Scuta ſonant , pulſuque pedum tremit excita tellus.

Et cum meminiſſet cetræ , de pelta ſubintulit:

Æratæque micant peltæ , micat æreus enſis.

Quo fulgore , ac tinnitu , peltæ materiam indicat ; quam rithmicè milites perſonabant ; Pæanamque congreſſuri canebant.

Peltæ formam auctoritate ſcriptorum , quos retulimus , in p. 877 figuram habere poſſumus : in qua anterior & interior ſpectatur peltæ figura : an-
D terior , quæ in congreſſu hoſti objicitur : interior , quæ brachio alligata pectus reſpicit, ut illud muniat atque defendat.

Aliam quoque peltæ formam nobis præſtitit eruditiſſimus Lipſius : quam ex antiquiſſimis monumentis , ac quibuſdam lapidibus , in quibus Amazonum bellum viſebatur ; ſe illam accepiſſe ſcripſit : & nos ſæpè Romæ vidimus , in lapidibus inter rudera , & veteres parietinas repertis. Pelta integræ ferè peripheriæ , ac circumferentiæ , cum bilunii inciſura fuit : Quam quidem formam perſimilem ferè agnoſco cum ea, quam in ancilibus nobis tradidit
E Plutar. in Numa , agens de ſacerdotio Saliorum , qui parvis pugionibus ancilia percutiendo choream ducebant ; atque per plateas , vicoſque Urbis diſcurrendo , ancilia perſonabant. Erant autem ancilia , quædam genera ſcutorum , quorum formam ſic deſcripſit Plutar. ἀυτὰς δὲ τὰς πέλτας ἀγκύλια καλȣ͂σι διὰ τὸ σχῆμα, κύκλος γὰρ ȣ̓κ ἐςιν , ȣ̓δὲ ἀποδίδωσιν ὡς πέλτη τὴν περιφέρειαν , ἀλλ' ἐκτομὴν ἔχει γραμμῆς ἑλικοειδȣ͂ς. Hoc eſt : *Illas autem peltas ancilia vocant, ob figuram : non enim in circuli forma ſunt , neque definitur peltæ circumferentia , ſed inciſionem habet Lunæ flexuoſæ.* Quæ tamen inciſio lunaris duplex cum eſſet ; latera ancilium hinc inde ſecabat : non autem dimidiam peltæ partem occupabat ; ut ea peltæ icon , quam
F ex Lipſio dedimus , atque ex lapidibus hauſimus. Quam ſi perfectiori peripheria delineare voluerimus ; icone B p. 877. ſatis quidem huic poſteriori peltæ formæ accommodata, repræſentari poſſet.

In qua icone concavum , atque convexum , ſive anterior , interiorque peltæ figura oſtenditur : quæ hoſti nimirum objicitur , & quæ brachio alligatur ſiniſtro , ut ea militis pectus in læva protegatur.

CAP.

CAP. XXI.

Non gregariis ; ſed illuſtrioribus militibus Reges Iſraël ſtipabantur.

Ad loca 1. Reg. 11. *Sed & Saul abiit in domum ſuam in Gabaa ; & abiit cum eo pars exercitus , quorum Deus tetigit corda.* Cantic. 3. *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt , ex fortiſſimis Iſraël: omnes tenentes gladios , & ad bella doctiſſimi: uniuſcujuſque enſis ſuper femur ſuum propter timores nocturnos.* & ad alia plura loca.

MILITAREM virtutem primas obtinuiſſe ſedes apud veteres , certior eſt quàm probatione indigeat. Hac enim una virtute , ut jam oſtendimus , ad regium faſtigium milites ſublevabantur : quamobrem in quacumque Republica , ii cum primis nobiliſſimi cenſebantur ; qui ob res in bello fortiter geſtas ſuſpicerentur. Hac de cauſa quoties milites ad Regem Iſraëliticum ſtipandum eligendi , atque in numero Ceretheorum , Pheletheorumque reponendi fuiſſent : non quidem ex gregariis quibuſque militibus aſſumebantur ; ſed qui tam nobilitate generis , quam militari virtute inſignes in Republica haberentur. Duo igitur præ oculis cum primis Reges Iſraëlitas in ſeligendis ſtipatoribus habuiſſe arbitror : ſanguinis nimirum celſitudinem ; nec non etiam rei militaris peritiam. Nam etiam Herodotus lib. 1. meminit cujuſdam Gygis Daſcili filii ſtipatoris Candaulis ; ad cujus nobilitatem deſignandam ſcribit Candaulem in negotiis gravioribus eo uſum. Et quamvis Cyrus apud Xenophontem lib. 7. de pædia Cyri , Eunuchos cuſtodes ſui corporis ſelegerit ; in his tamen fidelitatem erga Principem , animi robur , & ad pericula promptitudinem quæſiviſſe conſtat. Quas quidem virtutes rationibus ſatis probabilibus , & optimis , in regio ſatellitio requiri , & in Eunuchis reperiri , ſat fuſe Cyrus ibidem monſtrat dicens : ὃ δ' ἂν μάλιστά τις οἰηθείη ἀνάλκιδας τοὺς εὐνούχους γίγνεσθαι, οὐδὲ τοῦτο ἐφαίνετο αὐτῷ. ἐτεκμαίρετο δὲ καὶ ἐκ τῶν ἄλλων ζώων, ὅτι οἵτε ὑβρισταὶ ἵπποι ἐκτεμνόμενοι , τοῦ μὲν δάκνειν καὶ ὑβρίζειν ἀποπαύονται , πολεμικοὶ δὲ οὐδὲν ἧττον γίγνονται. οἵ τε ταῦροι ἐκτεμνόμενοι , τοῦ μὲν μέγα φρονεῖν καὶ ἀπειθεῖν ὑφίενται , τοῦ δὲ ἰσχύειν καὶ ἐργάζεσθαι , οὐ στερίσκονται. καὶ οἱ κύνες δὲ ὡσαύτως, τοῦ μὲν ἀπολείπειν τοὺς δεσπότας ἀποπαύονται ἐκτεμνόμενοι , φυλάττειν δὲ καὶ εἰς θήραν οὐδὲν κακίους γίγνονται. καὶ οἵ γε ἄνθρωποι ὡσαύτως ἠρεμέστεροι γίγνονται , στερισκόμενοι ταύτης τῆς ἐπιθυμίας, οὐ μέντοι ἀμελέστεροί γε τῶν προσταττομένων , οὐδ' ἧττόν τι ἱππικοὶ , οὐδὲ ἧσσόν τι ἀκοντιστικοὶ , οὐδὲ ἧσσον φιλότιμοι· καταδῆλοι δὲ γίγνονται καὶ ἐν τοῖς πολεμίοις , καὶ ἐν ταῖς θήραις , ὅτι ἔσωζον τὸ φιλόνεικον ἐν ταῖς ψυχαῖς. Argumentatur enim Cyrus ab animalibus ratione carentibus , ut ab equis , à tauris, & à canibus: quòd animalia hæc , etiam præciſis genitalibus , nihil remittant de ferocitate , animi generoſitate, aut de benevolentia erga Dominum. Sic enim locus ex Xenophonte allatus iuterpretatur : *Quod autem maximè quis putet imbelles eunuchos fieri ; neque hoc illi* , ſupple Cyro , *videbatur. Argumentabatur autem ex aliis animalibus ; quoniam feroces equi caſtrati mordere quidem & ferocire deſinunt , belligeri autem neque deſinunt fieri. Tauri etiam caſtrati , nonnihil de ferocia, & contumacia remittunt ; de robore autem , & vi ad operandum non remittunt. Et canes quidem ſimiliter caſtrati non amplius dominos deſerunt ; ſed ad cuſtodiendum , & ad venationem nihilo remiſſiores fiunt. Similiter & homines magis ſedati fiunt privati hac cupiditate ; nihil tamen negligentiores in exequendis mandatis , neque minus idonei ad equitandum , neque ad jaculandum idonei , neque minus honoris amatores ; conſpicui autem fiunt , & in pugnis , & in venationibus , quoniam contentionis ſtudium ſupereſt in animis.*

De ſtipatoribus etiam , quos ſibi Romulus elegit, loquens Dionyſius Halicarnaſſeus lib. 2. eorundem nobilitatem , ac animi generoſitatem illum reſpexiſſe demonſtrat , dicens : ὁρῶν ὅπερ εἰκὸς , ἔτι καὶ νεότητος αὐτῷ δεήσει τινὸς συντεταγμένης, ᾗ χρήσεται φυλακῆς ἕνεκα τοῦ σώματος , καὶ πρὸς τὰ κατεπείγοντα τῶν ἔργων ὑπηρεσίας, τριακοσίους ἄνδρας ἐκ τῶν ἐπιφανεστάτων οἴκων τοὺς ἐρρωμενεστάτους τοῖς σώμασιν ἐπιλεξάμενος , οὓς ἀπέδειξαν αἱ φρατρίαι τὸν αὐτὸν τρόπον ὅνπερ τοὺς βουλευτὰς , ἑκάστη φρατρία δέκα νέους , τούτους τοὺς ἄνδρας ἀεὶ περὶ αὑτὸν εἶχεν. Hæc dicta à Dionyſio ſic interpretantur : *Conſiderans* , ſupple Romulus , *& ſibi juvenum opus eſſe aliqua manu , qua uteretur ad cuſtodiam corporis , & ad neceſſaria munia peragenda , trecentos viros ex nobilioribus familiis robuſtiores corporis ſeligens ; quos Curiæ delegerant eodem modo , atque ſenatores , ex unaquaque curia decem juvenes ; hos viros ſemper circa ſe habuit.* Triginta autem fuiſſe Romanorum curias indicat Plutarchus in Romulo , ex opinione illorum , qui à numero raptarum Sabinarum curias metiuntur ; id etiam ex loco relato Dionyſii apertè colligitur ; cum ex ſingulis curiis decem juvenes fuiſſe ſelectos dixerit ; cumque ſingulæ tribus ex decem curiis , ut ſcribit ibidem Plutarchus, conflarentur ; unamquamque tribum centum ſtipatores Romulo adſcripſiſſe conſtat. Similiter etiam Halicarnaſſeus ibidem oſtendens , vel potius ſuſpicatus id accepiſſe Romulum à Lacedæmoniis : hos quoque generoſiſſimos juvenes ad Regum cuſtodiam ſeligere conſueviſſe , loco citato ſcripſit.

Succeſſerunt ſtipatoribus his à Romulo ſelectis , milites qui Prætoriani ſub Imperatoribus poſtmodum dicti fuere ; de quibus ita Alexan. ab Alex. cap. 22. loquitur : *Rurſus inter militum ordines alii deſcripti ſunt , quibus prætorianis nomen , qui juxta Ducis prætorium excubantes , honore , atque ordine præſtabant. hi enim præcipuo robore , & virtute illuſtres equites , magna & firma præſidia fuere , quippe qui circa Principis tabernaculum , & Imperatoris latera militabant ; cùm nobilitate , & honoribus anteirent.* Nam auctore Feſto , Scipio Africanus primus fortiſſimum quemque delegit ; qui ab eo in bello non diſcederet , & reliquo munere militiæ vacaret , & ſextuplex ſtipendium acciperet. Ex robuſtioribus igitur , atque nobilioribus militibus etiam ſub Imperatoribus , atque Conſulibus apud Romanos ſatellitium apparari ad Principis , regiæque tutamen , perſpicuum eſt : nam Galba Cohortem Germanorum olim à Cæſaribus ad cuſtodiam corporis inſtitutam , atque multis experimentis fideliſſimam diſſolvit ; delegit autem equeſtris ordinis juvenes , qui manente annulorum aureorum uſu , evocati appellarentur , excubiaſque circa cubiculum vice militum agerent , teſte Suetonio, & litteratis lapidibus.

Sacra jam repetamus oracula , à quibus reliqui Principatus , principandi majeſtatem , ac dignitatem veluti à vetuſtioribus , ut puto , acceperunt. Ad nobilitatem egregiamque animi indolem etiam Hebræos in ſeligendis ſtipatoribus reſpexiſſe , ſacra docent oracula ; ut hi ad cuſtodiam Principis aſſumerentur , qui in bello præclariora , illuſtrioraque opera feciſſent. Exordium igitur ab inſtitutione Saulis in Regem ſumendo , virtus illorum contempletur ; qui ad cuſtodiendum Saul, ut primùm Rex renunciatus fuit , nomen dederunt. De his ita loquitur ſacer textus 1. Reg. cap. 10. *Sed & Saul abiit in domum ſuam in Gabaa ; & abiit cum eo pars exercitus, quorum Deus tetigit corda.* Duplici phraſi virtus horum militum , ut reor , explicatur. Primò cum *pars exercitus* in ſacro textu dicuntur , qua phraſi meliori , ſive fortiori militum manu ex his , qui

tunc in tribubus Iſraël habebantur , Regem conſtipatum fuiſſe oſtenditur ; quemadmodum etiam Statius lib. 2. Thebaïd. robuſtioribus militibus Regem Thebanum Eteoclem conſtipatum tradidit:

Septumque horrentibus armis.

His nimirum , qui ſolo aſpectu horrorem , ac timorem incutiant reliquis. Quod autem in eo ſenſu intelligendus ſit textus ſacer allatus ex 1. Regum , ex Hebraica phraſi colligitur; ſic enim habet וַיֵּלְכוּ עִמּוֹ הַחַיִל. id eſt , *& abiit cum eo ſtrenuitas*; hi nimirum , qui inter milites exercitus ſtrenuiſſimi , robuſtiſſimique cenſebantur. Eſt enim adeò proprium dictionis חַיִל *chail* , ſignificare aliquid , quod ad virtutem militarem ſpectet ; ut חֵיל *chel* propugnaculum Urbis , at alicujus arcis , aliudque ſimile ſignificet. Quia igitur vis illius Hebraicæ dictionis eſt, aliquid militari virtute fœliciter actum ſignificare , propterea ex vi illorum verborum , illos milites ſignificari cenſeo , per quos fœliciter omnia Reipublicæ Iſraëliticæ ſuccedebant : hoſtiumque vires omnino proſtrabantur. Tales igitur fuerunt hi , qui Sauli jam Regi electo primò adhæſerunt : quod elegantiſſime etiam Græcum exemplar aperuit dicens : *καὶ ἐπορεύθησαν υἱοὶ δυνάμεων* : Hoc eſt : *Et abierunt filii virtutum* , id eſt , illi qui plurimum in arte militari valebant. Et revera in eodem numero reponendos fuiſſe illos ; qui Sauli adhæſerunt, ex eo manifeſtum eſt , quod propterea illum ſecuti ſunt; ut contra reliquos milites , qui Regem Saul ægro animo admiſerant , pro Saule pugnarent.

Alteram quoque rationem ſacri textus in loco jam ſupra allato pro militari virtute illorum , qui Sauli adhæſerunt, contemnendam minimè cenſeo , videlicet illa verba , *quorum Deus tetigerat corda.* In phraſi enim ſacrarum Scripturarum , Deum tangere cor alicui , per reſpectum ad exercitia militaria , idem valet , quod alicui robur , virtutemque ad præliandum præſtare ; ut ſtrenuè , ac feliciter aggrediatur hoſtes , quaſi de victoria certus. Ex quibus duobus capitibus valor illorum qui Sauli adhæſerunt , ſatis apertè , me judice , explicatur.

Davidem quoque ſelectiſſimis militibus ſtipatum fuiſſe ex cap. 15. lib. 2. Reg. apertiſſimum eſt; ſic enim cum ille proprium filium Abſalonem fugeret , in ſacro textu legitur de iis qui eum comitabantur , *& univerſi ſervi ejus ambulabant juxta eum.* Explicans verò ſacer textus , quinam eſſent hi ſervi , qui Regis latera cingebant , atque conſtipabant ; cujuſque virtutis , ac roboris eſſent ; ſubintulit : *Legiones Cerethi , & Phelethi , & omnes Gethei pugnatores validi : ſexcenti viri , qui ſecuti eum fuerant de Geth , pedites præcedebant Regem.* Itaque Regis cuſtodes ac ſtipatores in ſacro textu *pugnatores validi*, dicuntur ; ut Regis cuſtodiam non gregariis militibus , ſed valentioribus , atque robuſtioribus committi , etiam apud Iſraëlitas conſueviſſe manifeſtum appareat.

Ut autem ſacra oracula etiam aliorum ſcriptorum fulciantur teſtimoniis , accedat Joſeph. lib. 7. cap. 10. ſecundum Græcam editionem , ſive 12. ſecundum alios , qui de ſatellitio Davidis dum fugeret à filio Abſalone ait : *τῷ δὲ βασιλεῖ πάντες ἦσαν οἱ περὶ αὐτὸν ἀνδρεῖοι. τούτων δ' οἱ διασημότατοι , καὶ λαμπροὶ τὰς πράξεις , ὀκτὼ καὶ τριάκοντα. ὧν πέντε μόνον διηγήσομαι τὰ ἔργα· φανερὰς γὰρ καὶ τὰς τῶν ἄλλων ἀρετὰς ἀρκέσουσιν οὗτοι ποιῆσαι· δυνατοὶ γὰρ ἦσαν οὗτοι, καὶ χώραν ὑπάγεσθαι, καὶ μεγάλων ἐθνῶν κρατῆσαι.* Ubi Joſephus , non ſolum ſatellitii Davidici valorem , ſed nobilitatem etiam oſtendit ex præclarioribus illorum geſtis ; ſic enim verba Joſephi interpretantur : *Regi autem aderant circa illum omnes robuſtiſſimi ; horum autem inſi-*

A *gniores , & illuſtriores operibus triginta octo :* ſupple erant , *quinque tantum iſtorum commemorabo facta ; manifeſtè enim , & reliquorum virtutes conjectari ex his poſſunt. Hi enim poterant , & regionem ſubjicere , & maximas gentes debellare.* Ex quibus Joſephi verbis , pluribuſque aliis quæ ab eo narrantur , nonnulla inſigniora eorundem facta referentis , qui in anguſtiis ac diſcrimine Regem conſtitutum ſequebantur , perſpectum eſt quales quantæque virtutis hi eſſent , à quibus Rex David eo in itinere conſtipabatur.

Sed ubi reliqua omnia deeſſent, Reges Iſraël non
B ſolum ſatellitium habuiſſe; ſed etiam ad hoc munus robuſtiores quoſque ſelegiſſe , convincitur ex illo loco Cant. 3. in quo ſponſa Regem à ſatellitio laudat dicens : *En lectulum Salomonis , ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſraël ; omnes tenentes gladios , & ad bella doctiſſimi : uniuſcujuſque enſis ſuper femur ſuum propter timores nocturnos.* Qui quidem ſacrorum canticorum locus , omnibus interpretibus perdifficilis illuſtratur ex iis , quæ de virtute ac valore illorum , qui Regem conſtipabant , dicta fuere. Sed antequam in medium germanam afferamus hujus loci expoſitionem ; certum ſit de ſatellitio regio eo in loco agi ; ac primum à fortitudine valoreque ſa-
C tellitium laudari ; deinde quibus armis ſtipatores uterentur , monſtrari : de peritia quoque bellica ſatellitium illud celebrari : ac tandem qua de cauſa Regi Iſraëlitico milites illi adjungerentur , explicari. Singula expendantur ; ut regii ſatellitii virtus aperiatur ; & canticorum locus , alias tantiſper obſcurus elucidetur , ac illuſtretur.

Robur , fortitudo , ac valor in eo ſatellitio *fortium* in ſacro textu vocabulo laudatur ſic : *Et ſexaginta fortes ex fortiſſimis Iſraël*, qui גִּבֹּרִים *ghiborim* hebraicè dicuntur ibidem : hoc eſt , valentes , atque *li valoroſi* italice , *δυνατοὶ* græcè appellantur : id eſt qui robore , ſeù valore plurimum valent. Ad au-
D gendam eorundem laudem in ſacro textu ſubditur , *ex fortiſſimis Iſraël* , ut tot laudibus atque encomiis ſtipatores Regis Salomonis in ſacro textu celebrando , robuſtiores, ac valentiores totius Iſraël eoſdem fuiſſe ſit manifeſtum : ſelectos quidem ex his , qui fortitudinis laude in Iſraël commendabantur. Hebraice מִגִּבֹּרֵי יִשְׂרָאֵל גִּבֹּרִים Hoc eſt : *fortiores præ fortioribus Iſraël.* Diceremus Italicè *quelli che ſono valoroſi più di tutti gli altri Iſraëliti.* Idem valet Græcè *δυνατοὶ τῶν δυνάμεων* : id eſt , *potentes potentium.* Inter eos videlicet , qui virtute præſtantiores ſunt ; præſtantiſſimi hi milites cenſebantur.

De peritia belli , ad explicandum magis ac ma-
E gis eorundem ſtipatorum valorem , in illis ipſis canticorum verbis iidem celebrantur ; cum ſubditur , *omnes ad bella doctiſſimi.* Qua quidem ſacrarum litterarum phraſi , non ſolum ſingularis valor , ſed etiam artis bellicæ cognitio exprimitur. Cujus quidem artis peritia monſtratur in diſpoſitione exercitus in fronte , ad latera , & à tergo ; ſtat in eodem ordinando , per acies & turmas : poſita eſt in aggrediendo hoſtes , & ingrediendo ; ſtat in conferenda manu , & declinando conflictu ; in deducendo milite, & reducendo verſatur ; in providendo de commeatu ; ac in reliquis omnibus quæ ad perfectam rationem Imperatoris pertinent. Hæc omnia compen-
F dioſe ſatis Joſeph. jam relatus de ſtipatoribus Davidis expreſſit dicens : *δυνατοὶ γὰρ ἦσαν οὗτοι , καὶ χώραν ὑπάγεσθαι , καὶ μεγάλων ἐθνῶν κρατῆσαι.* Hoc eſt: *Tanti enim erant hi valoris ; ut poſſent regionem aliquam ſubigere , & maximas gentes debellare.* Quorum etiam artis bellicæ peritia Hebraicè exprimitur his verbis , מְלֻמְּדֵי מִלְחָמָה *melumede milchamah :* id eſt , *doctiſſimi in arte bellica* : dicamus aliter , *Magiſtri in arte militari.* Qua ſanè dicendi ex ſacris oraculis , & Hebraici tex-

tus

tus phraſi, peritia militaris artis, juxta munia ſelectiſſimi Imperatoris exprimitur; ut propulſatis hoſtibus victoriam tutò adipiſcatur. Græce magis ſuperlativè ſic: δεδιδαγμένοι πόλεμον: id eſt, *doctiſſimè ſcientes bellum.*

Genus, ac forma pugnandi Regiorum ſtipatorum, & arma, in his pariter ſacrorum canticorum verbis, à Spiritu ſancto præclarè exprimuntur. Pugnandi peritia, & forma ex uſu duplicis gladii ſubindicatur: alterius nimirum, quem manu geſtabant, & alterius, quem ſupra femur accinctum deferebant. De priori *omnes tenentes gladium* dicitur: explicatur alter cum ſubditur: *uniuſcujuſque enſis ſuper femur ſuum.* Pro hujus phraſis intelligentia, advertendum eſt, inter milites Regios, ac Principis ſtipatores, aliquos extitiſſe, qui Principi propiores adſtarent; ac gladios evaginatos ſuper humeros deferre conſueverint. Gladium enim in humeris prope Principem geſtare, non quorumcumque ſtipatorum erat, ſed tantum illuſtriorum, ac nobiliorum. Ne quis igitur fortaſſe ſuſpicari poſſet in loco ex Canticorum allato, Spiritum ſanctum de apparitoribus loqui, deque gregariis ſtipatoribus agere; dignitatem atque nobilitatem illorum ex munere aperuit dicens: quod hi ſtipatores, de quibus loquebatur, ex his erant, qui evaginatis gladiis Principi adſtabant. Id voluit dicens: *Omnes tenentes gladios.*

Valor denique horum ſtipatorum in uſu utriuſque manus ac utriuſque gladii explicatur, cum dicitur: *Uniuſcujuſque enſis ſuper femur ſuum.* Cum enim ſuperfluè hæc ibi non ponantur, inquirendum ſupereſt; quam ob cauſam ſacer textus ſtipatores regios habuiſſe gladium ſuper femur, eoſdemque gladium in manibus deferre conſueviſſe tradiderit. Non enim conſentaneum videtur; ut gladium in manibus ac ſuper femur fruſtra hi geſtarent: quapropter ad explicationem ſacri textus, ut puto, dicere cogimur, hos milites ab uſu duplicis gladii propterea laudari, quod ejus eſſent valoris, ut utraque manu pugnarent; duplicique enſe in pugna uterentur: dextera nimirum, atque ſiniſtra contra hoſtes inſurgendo. Quemadmodum Homerus lib. 21. Iliad. Aſteropeum ab uſu utriuſque manus laudavit, congreſſum ejuſdem cum Achille ſcribens his verbis:

> . . . . ὁ δ' ὁμαρτῇ δούρασιν ἀμφὶς
> Ἥρως Ἀστεροπαῖος, ἐπεὶ περιδέξιος ἦε.

Fuit enim ſingularis dexteritatis apud veteres, ex ſtudio rei militaris uti duplici gladio, & parem uſum habere dextræ, atque ſiniſtræ manus, ut in quocunque caſu miles ad invadendum, & ſe defendendum eſſet promptus. ſic enim interpretantur allata carmina:

> . . . *hic autem ſimul geminis haſtis*
> *Heros Aſteropeus jecit, quia ambidexter erat.*

Sic etiam in allato Canticorum loco, à gladio quem manu, & ab altero, quem in præparatione pugnæ ſtipatores ſuper femur geſtabant, laudantur: atque in eorum militum numero reponuntur, qui dum Regem ſtiparent ac comitarentur, alterum ex gladiis manibus evaginatum geſtabant; alterum in vagina ſuper femur deferebant: ut ſi quando ad Principis tutelam pugnandum eſſet, hunc quoque evaginarent.

Eſt enim phraſis ſacræ Scripturæ; fortes viros à duplici uſu manus in armis tractandis laudare: ut cap. 3. Judic. legitur, ubi de Aod viro fortiſſimo eſt ſermo, qui filios Iſraël à ſervitute Moabitarum liberavit. De quo ita ſacer textus: *Suſcitavit eis Salvatorem vocabulo Aod filium filii Jemini: qui utraque*
A *manu pro dextera utebatur.* De hoc Joſeph. lib. 5. antiquit. cap. 5. *Juvenis*, inquit, *ad quodvis egregium facinus, & animo, & ex utraque manu promptus.* Et lib. Paral. cap. 12. eadem de ratione ſtipatores David his verbis laudantur: *Hi quoque venerunt ad David in Siceleg; cum adhuc fugeret Saul filium Cis; qui erant fortiſſimi, & egregii pugnatores, tendentes arcum, & ex utraque manu fundis ſaxa jacientes, & dirigentes ſagittas.* Vel ut habent aliqui Græci codices: ἐκτείνοντες τόξον, δεξιάζοντες, καὶ ἀριστερεύοντες, καὶ σφενδονεῖς ἐν λίθοις, καὶ βέλεσιν ἐν τόξῳ. hoc eſt: *Extendentes arcum; utentes ſiniſtra, & dextra, & funditularii erant in lapidibus, ſagittiſque*
B *arcu.* Itaque laudantur, quod tam in ſagittando, quam in uſu fundæ, dexteritate tanta pollerent; quod utraque manu æqualiter uterentur, & tam arcu quam funda non magis dextra quam ſiniſtra valerent. Ab hac militaris diſciplinæ excellentia cap. 2. lib. Jud. laudantur Benjamitæ, dicunturque ambidextri; hi maximè, qui in Gabaa habitabant: οἱ ἐπεσκέπησαν ἑπτακόσιοι ἄνδρες ἐκλεκτοὶ ἐκ παντὸς τοῦ λαοῦ ἀμφοτεροδέξιοι. Dicuntur autem viri electi, quòd peritia militari fuiſſent inſigniores. Erant hi Gabaonitæ numero ſeptingenti, *viri fortiſſimi, ita ſiniſtra, ut dextra prælantes*, ut loquamur cum noſtro vulgato.

C Ab hac utriuſque manus dexteritate, minoris gladii, qui pugio dicitur, uſum veniſſe ſuſpicor: cujus pugionis uſus uſque in hodiernum diem, apud eos qui militarem doctrinam tractant, frequentiſſimus eſt. Nec enim negari poteſt majoris virtutis fore in certamine utraque manu æqualibus, ac longioribus gladiis uti; quam dextra longiori tantum gladio, ſiniſtra verò minori gladio hoſti occurrere: ac propterea valorem commendari ſtipatorum Salomonis, Sacris in Canticis, quòd ex his eſſent, qui longioribus gladiis utraque manu pugnarent. David quoque in hoc genere pugnæ excelluiſſe ex Pſal.
D 143. ſubodorari poteſt. Exurgens enim Propheta in Dei laudes, gratiaſque de donis ſibi collatis agens: *Benedictus Dominus Deus meus*, inquit, *qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.* Manus quidem in plurali ſibi à Deo edoctas ad prælium fortaſſe Propheta dixit; quia utraque manu ſe promptum, expeditumque ad pugnam cognoſcebat: & in Deum, à quo omnia bona ad ſe veniſſe profitebatur; eam pugnandi dexteritatem referebat.

Ratio denique in allato Canticorum loco redditur; cur nimirum ſtipatores noctis tempore Regi excuba-
E rent; atque etiam quo in loco palatii regii excubias agerent. Hæc in illis verbis aperiuntur. *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt:* quod ex conſuetudine Regum Orientalium fuiſſe conſtat. Nam etiam ille, qui in certamine de potentia Regis, vini, ac mulieris diſceptabat, potentiam Regis coram Dario Rege Perſarum in 3. lib. Eſdræ amplificabat; hæc dicens: *Et omnis plebs, & virtutes eum obaudiunt: & ſuper hoc ipſe recumbit, & bibit, & dormit. Hi autem cuſtodiunt in circuitu eum.* Ratio quoque muneris ſtipatorum, in ſubſequentibus verbis ad eum locum Canticorum ſignificatur, cum dicitur, *propter timores nocturnos.* Cujus rationis vis & energia ex Xenophonte lib. 7. Cyri pæd. petenda
F eſt. Qui ea potiſſimum de ratione ſatellitio ſtipatos fuiſſe Principes Perſarum tradit; ut inſidias malevolorum declinarent; propriæque ſaluti, quantum fieri poterat, conſulerent: ſed cum primis, ut noctis tempore ſecuri dormirent: in quo facillime Principes inſidiis ab inimicis peti poſſunt. Quamobrem cum Cyrus de ſatellitio ſibi procurando agit apud Xenophontem, ſic ait: γνοὺς δ' ὅτι οὐδαμοῦ ἄνθρωποι εὐχειρωτότεροί εἰσιν, ἢ ἐν σίτοις, καὶ ποτοῖς, καὶ λουτρῷ, καὶ κοίτῃ, καὶ ὕπνῳ, ἐσκόπει τίνας ἂν ἐν τούτοις περὶ ἑαυ-

τὸν πιστοτάτους ἔχοι: Hoc eſt: *Cognoſcens autem*, ſupple Cyrus, *homines nuſquam facilius capi, quam in eſculentis, & poculentis, & balneo, & lecto, & ſomno; conſiderabat, quos in his fideliſſimos haberet.* Itaque ſtipatores milites Cyrus ad lecti cuſtodiam potiſſimum ſelegit, *propter timores nocturnos*, ut diciturin Sacris Canticis: quod nimis tunc facilè capi, ac trucidari Principes poſſint.

Ex hoc igitur jam allato ſacrorum oraculorum loco ſic illuſtrato, non ſolum Salomonem ſatellitibus more Regum ſtipatum ſcimus; ut domeſtica pericula caveret, & propriæ ſaluti conſuleret: ſed etiam nullum aliud genus militum ad ſatellitium apud Iſraëlitas admitti à Regibus conſueviſſe; quam omnium Iſraëlitarum robuſtiores, honoratiores, atque illuſtriores: quique non ſolum pugnandi arte plurimum valerent, ſed etiam, qui militari peritia celebriores eſſent.

CAP. XXII.

Illuſtriores milites clypeo aureo utebantur.

Ad locum lib. 3. Reg. cap. 10. *Fecit quoque Rex Salomon ducenta ſcuta de auro puriſſimo: ſexcentos auri ſiclos dedit in laminas ſcuti unius: & trecentas peltas ex auro probato, trecentæ minæ auri unam peltam veſtiebant; poſuitque eas Rex in domo ſaltus Libani.* Et ad alia plura.

FORTIORES, nobilioreſque milites, quique præclariora in præliis perfeciſſent opera; ad Regem cuſtodiendum, atque conſtipandum in Iſraëlitica Republica conſueviſſe aſſumi, capite præcedenti oſtendimus. Quærendum nobis ſupereſt; ut eadem magis ac magis colluſtrentur: quibusnam ornamentis ad notam præclariſſimorum operum hi milites decorarentur. Conſueviſſe enim omnes nationes, civium militumque animos nonnullis ornamentis ad virtutem excitare, quibus etiam fortiter in bello res geſtæ toti Reipublicæ notæ fierent; veterum monumenta teſtantur. Hanc enim ob cauſam Romani coronas obſidionales, civicas, caſtrenſes, murales, navales, torques, armillas, & alia excogitarunt, de quibus alibi. Scuta autem, ſive aſpidas militibus donari ſolitas penes Græcos, à primis uſque temporibus, memini me legiſſe. Uſum argenteorum, atque aureorum clypeorum viris inſignioribus conceſſum, tota aperit antiquitas: hinc enim habemus veterum Græcorum χρυσάσπιδας, *aurea nimirum ſcuta*: quæ fuiſſe frequentiſſima apud Macedones tradunt auctores; & ἀργυράσπιδας de quibus ita Pollux lib. 1. cap. 10. §. 23. ἐρεῖς δὲ, καὶ οἱ πεζέτεροι, καὶ οἱ ἀργυράσπιδες, καὶ οἱ χρυσάσπιδες τὰ Μακεδόνικα. Hoc eſt: *Dices autem*, ſupple in arte militari, *& pedeſtres, & argiraſpidas*, id eſt, qui portant ſcutum argenteum, *& chryſaſpidas*, id eſt, qui utuntur ſcuto aureo, *qui ſunt Macedonici.* Hæc ibi Pollux, quo auctore ſcuta aurea, & argentea ex veterum uſu manifeſtantur. Herodotus enim lib. 1. referens Creſi donaria, quæ miſit Delphos, meminit quoque ſcuti aurei miſſi ab eodem ad Amphiaraum dicens: τῷ δὲ Ἀμφιαράῳ, πυθόμενος αὐτοῦ τήν τε ἀρετὴν, καὶ τὴν πάθην, ἀνέθηκε σάκος τε χρύσεον πᾶν ὁμοίως, καὶ αἰχμὴν στερεὴν πᾶσαν χρυσέην, καὶ τὸ ξυστὸν τῇσι λόγχῃσι ἐὸν ὁμοίως χρύσεον: Hoc eſt: *Amphiarao inſuper, cujus & virtutem audierat, & cladem, donavit clypeum ex auro totum, totamque ex auro ſolido haſtam, & Xyſtum cum ſuis jaculis aureum.* Quæ omnia uſque ad ejus ætatem in Iſmenii Apollinis templo Thebis repoſita fuiſſe, Herodotus teſtatur.

Romani etiam aliquando, ut infra dicemus, clypeo præclariores viros donaverunt; clypeo inquam aureo: qui quidem his tantum concedebatur militibus, qui valore, rebuſque fortiter in bello geſtis, illum commeruiſſent. Quamobrem Neſtoris ſcutum totum aureum deſcribitur ab Homero lib. 8. Iliad. verſ. 191. ubi Hector hortatur Trojanos ad illum inſequendum, ſcuti aurei prædandi ſpe, ſic dicens:

Ἀλλ’ ἐφομαρτεῖτον, καὶ σπεύδετον, ὄφρα λάβωμεν
Ἀσπίδα Νεστορέην, τῆς νῦν κλέος οὐρανὸν ἵκει,
Πᾶσαν χρυσείην ἔμμεναι, κανόνας τε καὶ αὐτήν.

Famam Neſtorei ſcuti dixit Poëta perveniſſe ad cœlum, non tam fortaſſe ratione materiæ, quam etiam ratione formæ & celaturæ: erat enim ſummi dedecoris cuicumque militi in bello ſcutum amiſiſſe: ea propter Hector ſuos excitat Trojanos, ut Neſtorem inſequantur; ſic enim allata carmina interpretantur:

Sed inſequimini, & feſtinate ut capiamus
Scutum Neſtoreum, cujus nunc fama ad cœlum pervenit
Totum aureum eſſe, manubriaque, & ipſum.

Nec ſemel tantum, ſed multoties in prophanis ſcriptoribus, & apud Poëtas horum ſcutorum fit mentio, in quibus illuſtriorum virorum argento, & auro, quæ ad decorem militis facerent, celabantur; ut avorum, proavorumque virtute, milites ipſi ad exemplum excitarentur; ſic enim comparatum eſt, ut exempla paterna, & domeſtica plus moveant non ſolum ad religionem & pietatem, ſed etiam ad virtutem bellicam, & civilem: quamobrem in aliquibus ſcutis avitæ memoriæ, in aliis ipſorum propria, in aliquibus regionis propriæ inſigniora loca, ad animum excitandum, ad tropæa opere interraſili celebrantur; unde Ovidius de clypeo Nileo verba faciens dixit:

. . . . clypeo quoque flumina ſeptem
Argento partim, partim cœlaverat auro.

Alia penè innumerabilia, tam apud Homerum, quam apud alios antiquorum monumentorum ſcriptores, de hac re habentur, ut apud Virg. lib. 7. Æneid Turni clypeus auro inciſus ſic ſcribitur:

At levem clypeum ſublatis cornibus Jo
Auro inſignibat, jam ſetis obſita, jam bos.

Et lib. 12. congreſſum Æneæ cum Mezentio, qui Turni partes ſequebatur, ſcribens, in eo deſcribendo certamine Æneæ aureum dat clypeum dicens:

. . . . . dixit, telumque intorſit in hoſtem;
Inde aliud ſuper, atque aliud, figitque, volatque
Ingenti gyro, ſed ſuſtinet aureus umbo.

Statius etiam lib. 4. Thebaid. Capanei clypeum deſcribit, in quo Herculis cum hydra certamen auro argentoque inciſum videbatur, de quo ita ille:

. . . . . . pars anguibus aſpera vivis
Argento celata micat, pars arte reperta
Conditur, & fulvo moriens igneſcit in auro.

Quamobrem, quamvis penes illos, qui veterum ſcripta revolvunt, aureorum argenteorumque ſcutorum uſus nulla probatione indigeat, tamen ſtudioſis ſacrorum oraculorum, ut morem geramus, ex Pierio lib. 42. Hieroglyph. adnotabimus. Propterea ſcu-

ſcutum, Honoris ſymbolum fuiſſe, quia ob res in bello præclarè geſtas, ſcuta aurea, vel argentea ſignata etiam nominibus propriis, & nativis inciſa ex regionibus concedebantur. Meminit enim Pierius clypei aurei in Romana curia in D. Claudii honorem affixi; & ex lib. 12. Livii de bello Macedonico clypeos auratos ab Ædd. cur P. Claudio, P. Sulpitio Galbæ poſitos fuiſſe habetur. Euripid. verò in Phœn. n. 13. & 81. aureo clypeo Palladis Simulacrum ornatum, ea, ut puto, de ratione ſcripſit: quia Pallas militibus illuſtrioribus præficiebatur, & his qui ſtrenuè provinciam geſſiſſent, adeſſe putabatur, de quo ita Euripid.

Ἐτεοκλέης δ' παλλάδος χρυσάσπιδος
βλέψας πρὸς οἶκον ηὔχετο . . . .

Cum enim Eteocles victoriam ſibi à Pallade concedi flagitaret; ac ſub illius auſpiciis bellum aggredi auderet; Poëta eundem pro victoria deprecantem Divam ſcribit; ac propterea ad Palladis Simulacrum converſus, inter ornamenta Deæ ſcutum aureum Eteoclem reſpexiſſe tradit. Pallas enim ab antiquis habitu militari gravis armaturæ, cum clypeo aureo affingebatur; quod ſcutum, ut dicebamus, præclariſſimorum virorum nota eſſet. Hoc Poëta in allatis carminibus ſignificavit; quæ ſic interpretantur:

Eteocles autem Palladis aureum clypeum
Videns verſus templum oravit.

Statium etiam lib. 11. Thebaïdos aureum ſcutum Eteocli, atque Polynici dediſſe ſcimus, dum eos ad ſingulare certamen deſcendiſſe ſcribit:

Inſtratuſque oſtro ſonipes, quod fulva metallo
Parma micet.

Dixit autem Poëta parmam pro ſcuto, quod parma clypei ſeù ſcuti brevioris genus eſſet, ad milites levis armaturæ accommodatiſſimum: illorum cum primis, qui ad ſingularia certamina in arenam deſcendebant. Et paulo infra fratrum invicem concertantium conatus, atque Eteoclis adverſus fratrem congreſſum referens, aurei ſcuti meminit dicens:

. . . . . . *Rex impius aptat*
Tela, & funeſtæ caſum prior occupat haſtæ:
Illa viam medium clypei conata per orbem
Non perfert ictus, atque alto vincitur auro.

Alto enim auro Poëta denſitatem, atque craſſitudinem clypei aurei ſignificare voluit.

Ab aureis clypeis ſacra oracula aliena minimè fuerunt, dum Iſraëlitarum prælia, & in præliis honoratiora munera militaria referunt: quinimo non ſemel, ſed multoties horum aureorum clypeorum meminerunt. Hæc enim ipſa ſcuta aliquando Salomon conflari juſſiſſe, repoſuiſſeque in armamentario regio ſcribitur 3. Reg. 10. quamvis hæc ſcuta non quidem militiæ cauſa armamentario regio illata fuiſſe putem, ſed potius ad regiam majeſtatem oſtendendam cenſeat etiam Gaſpar Sanctius hoc eodem in loco: nam aurei clypei uſus ad bellicos congreſſus tum ratione ponderis, tum ineptitudinis, minus accommodatus ad ſuſtinendum hoſtium miſſiliumque ictus, cenſeri poſſet; licet enim multum auri in militaribus inſtrumentis viri potentes, & plus ſatis elegantiæ ſtudioſi conſumerent; qui armis deberi quicquid eſt in natura pretii, atque ſplendoris arbitrabantur: tamen non tam ex auro arma ſibi, quam ex chalybe firmiori utique materia conflare ſolent; neque enim inuſitatum eſt, ut quæ inaurata ſunt, aurea nominentur. Sic ſane Maro cùm ex ære, atque auro con-

A flatum eſſe diceret Æneæ clypeum, illum tamen ſimpliciter appellat:

. . . . . *fluit æs rivis, aurique metallum;*
Vulnificuſque chalybs; vaſta fornace liqueſcit:
Ingentem clypeum informant . . . . .

Et lib. 10. quem appellarat Virgilius aureum clypeum, ſtatim æreum, ſeù æratum appellat; quia revera circulis ex chalybe, vel ex ære clypei ad belli uſum firmabantur, hinc dixit.

Immanem ærato circumfert tegmine ſylvam.

B Propterea dicendum videtur, vel quod illorum aureorum ſcutorum nullus in pugna foret uſus, vel quod obductis tantum laminis aureis aurea hæc ſcuta fierent, ut leviora eſſent: ut Gaſpar Sanctius etiam nobiſcum tradidit loco citato, ut nimirum in præmium darentur militibus ad notam eorum, quæ fortiter in bello feciſſent. licet verius exiſtimem, ad regii ſplendoris majeſtatem tantum oſtentandam, clypeos & peltas Salomonem feciſſe, de quorum arte numeroque 3. Reg. cap. 10. ſcribitur his verbis: *Fecit quoque Rex Salomon ducenta ſcuta de auro puriſſimo: ſexcentos auri ſiclos dedit in laminas ſcuti unius, & tercentas peltas ex auro probato, trecentæ minæ auri unam peltam veſtiebant: poſuitque eas Rex in domo ſaltus Libani.* C Et quidem pondus ſcutorum, quod erat viginti quinque librarum auri, & peltarum, quarum pondus erat multo majus, & ita grave, ut unius aſini juſtum eſſet onus, & ab uno milite portari nequiret; aperit profecto, non tam ad militarem uſum peltas & ſcuta fabricata fuiſſe, quam ad Regiæ domus ornamentum: ac Salomonem in illo auri pondere non tam ſpectaſſe, quid militi ad pugnam, quam quid domui ad ſplendorem conferre poſſet. Quia verò Salomon tam Iſraëlitis, quam exteris ſuas volebat oſtentare opes & potentiam, propterea tam clypeos, quam peltas à ſe fabricatas in domo ſaltus Libani conſpiciendas propoſuit; in loco videlicet maxi- D me conſpicuo, ac celebri, ad quem frequens erat omnium ordinum ac populorum concurſus. Hæc eadem Regem Ægypti abſtuliſſe aliquando devicta Jeroſolyma lib. 2. Paral. cap. 12. ſcribitur his verbis: *Receſſit itaque Seſac Rex Ægypti ab Jeruſalem, ſublatis theſauris domus Domini, & domus Regis, omniaque ſecum tulit, & clypeos aureos quos fecerat Salomon.*

Machabæorum etiam lib. 1. cap. 6. de iiſdem clypeis, quos valentiores viri, ac Duces deferebant in pugna, mentio eſt his verbis: *Et refulſit Sol in clypeos aureos, & æreos, & reſplenduerunt montes ab eis, & reſplenduerunt ſicut lampades ignis.* Qui quidem fulgor E ad indicandam clypeorum præſtantiam poſitus, ſimilis eſt omnino his, quæ de clypeo Eteoclis Statius lib. 11. Thebaïd. tradit, indignationem, ac iram Polynicis adverſus fratrem ſcribens. Nam ad certamen armat, & ex ſplendore, ac ornamentis regiis, quibus ornatus in pugnam ille deſcendebat; & ex clypei fulgore, argumentum regiæ majeſtatis ſumit dicens:

Inſtratuſque oſtro ſonipes, quod fulva metallo
Parma micet . . . . .

Virgilius quoque lib. 9. Æneid. ex Turni acceſſu, terrorem militaribus copiis incuſſum ſcribens; fulgori armorum, quibus indutus erat, illum tribuit, F dicens:

Continuo nova lux oculis effulſit; & arma
Horrendum ſonuere: tremunt in vertice criſtæ
Sanguineæ, clypeoque micantia fulgura mittit.

Sed nil apud Poëtas Latinos, tam præclare reſpondet loco ex Machabæis allato, de fulgore clypei ex radiorum ſolis repercuſſione, quam ea, quæ in Sta-

tio habentur lib. 3. Theb. in deſcriptione clypei Martialis, conſuetæ coruſcationi ex tonitru factæ, & ſolaribus radiis: de quibus ita ille:

. . . tonat axe polus, clypeique cruenta
Lux rubet, & ſolem longè ferit æmulus orbis.

Prætereundum verò nequaquam duxi locum ex 1. Machab. cap. 14. in quo Judæi fœdus cum Romanis, ac Spartiatis ferire cum vellent; Eupolemum, ut ſcribitur lib. 1. Machab. cap. 8. Romam miſerunt; ac etiam poſtmodum Numenium, ut ſcribitur ibidem cap. 14. Qui poſtquam Romam veniſſent; & ad Spartiatas quoque diverterent, ut renovatis fœderibus, Judæorum res firmiores ſtarent: in his tamen conciliandis, aliter cum Romanis, quam cum Spartiatis oratores ſe geſſiſſe conſtat. Sic enim id ſcribitur: *Poſt hæc autem, miſit Simon Numenium Romam, habentem clypeum aureum magnum, pondo mnarum mille, ad ſtatuendam cum eis ſocietatem.* Ad Spartiatas verò nihil oratores muneris detuliſſe legitur. Quod equidem in conciliandis animis Romanorum, ac Spartanorum muneris diſcrimen, propterea à Judæis excogitatum arbitror; ut in clypeo, Romanorum virtutem probarent: reſque ab eis fortiter geſtas eo ſymbolo commendarent. Quia enim aureo clypeo illuſtriores tantum milites, quique aliquid fortiter in bello geſſiſſent, donabantur; (ut ſtatim clarius probabimus,) & virtus Romanorum clariſſima orbi toti tunc erat; ut cap. 8. ejuſdem libri dicitur; non autem ita de Spartanis fama ferebat: propterea, ut puto, Romanos, non autem Spartanos, aureo clypeo Judæi honorarunt: tantique Romani hoc aurei clypei ſymbolum fecerunt, ut numquam in eo capite ſatis iis dixiſſe videantur, in laudem virtutis Simonis ſacerdotis, qui Judæorum principatum tenebat.

CAP. XXIII.

Davidis valor, ac militaris peritia, à ſcutis aureis in turri appenſis commendatur.

Ad loca. 4. Reg. 11. *Qui dedit eis haſtas, & arma regis David, quæ erant in domo Domini.* Illuſtratur locus Cantic. 4. *Collum tuum ſicut turris David, quæ ædificata eſt cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea.* & ad alia.

AVREIS his clypeis, quibus illuſtriores tantum milites decorabantur in prælio; & in congreſſu hoſtium his ipſis tantum militibus hæc ipſa ſcuta geſtare permittebatur: valor, virtuſque bellica David ſacris ex oraculis prædicatur; de qua ſanè numquam ſatis dici poſſet. Multa enim de illius valore Spiritus ſanctus in Eccleſiaſt. cap. 47. ita tamen ut ſibi minime ſatisfeciſſe videatur: *Cum leonibus luſit*, inquit, *quaſi cum agnis: & in urſis ſimiliter fecit ſicut in agnis ovium, in juventute ſua. Numquid non occidit gigantem, & abſtulit opprobrium de gente?* Et infra: *Contrivit enim inimicos undique, & extirpavit Philiſtijm contrarios uſque in hodiernum diem contrivit cornu ipſorum uſque in æternum.* Et plena quidem ſunt ſacra oracula præclariſſimis factis Davidis. Verùm nihil ita valorem illius commendat, quemadmodum pulcherrima comparatio, quam habet ſponſus Cantic. 4. dum ſponſæ collum ſummis laudibus celebrat, ac extollit his verbis: *Collum tuum ſicut turris David, quæ ædificata eſt cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Staturam ſponſæ ſpectari à Spiritu ſancto in his verbis exi-

A ſtimavit meus doctiſſimus Legionenſis: *Corporis enim pulchritudo*, inquit, *non ſolum membrorum, cum ſingulorum per ſe apta figura, tum inter ſe omnium convenientia, & proportione conſtat; ſed juſta quadam magnitudine, ac proceritate totius corporis, qua de proceritate nunc agitur: itaque dicitur, Sicut turris David collum tuum. Collum nominat, figurate & apte corpus totum, aut certe corporis totius elegantis, atque erecti habitum, colli nomine & appellatione ſignificat.* Hæc ille. Collum verò ſponſæ ac proceritatem cum turri Davidica conferri putat; quod illius ædificium ob egregium ejus opus ea tempeſtate ſpectabile admodum, & celebre eſſet. Stat in eadem ſententia, at-
B que interpretatione Ludov. Sotomajor in notis poſteriorib. ad Cantic. Cantic. ac etiam Vincentius Riccard. in notis ad expoſitionem Catacunxeni. Nec ſolum à rectitudine, ſed etiam à rotunditate collum ſponſæ laudari putat.

Sed quicquid alii dicant de proceritate ſponſæ, deque tereti collo: nos nequaquaquam ad figuræ ſynecdochæ uſum Spiritum ſanctum reſpexiſſe putamus; ſed ad monilia, quæ ornamenti gratia ſunt in uſum adoleſcentiorum mulierum, reſpexiſſe dicimus. Sacra enim Dei arca, jam olim per David de domo Obededom in arcem, quæ Civitas David dicebatur, fuerat deducta, ut 2. Reg. 6. legitur; ubi turris
C ſpeculatoria hoſtium ſpoliis onuſta cùm ſpectaretur à clypeis aureis; quæ fortioribus donari conſueverant; & à loco arcæ fœderis, quæ ibi ſub tabernaculo religioſe aſſervabatur, loci allati ex Canticis, & delicatiſſimæ comparationis elucidatio pendet: in qua ab excellentia ornamentorum, pulchritudo colli ſponſæ delicatiſſimè celebratur.

Præterire igitur minimè licet, ad eam illuſtrandam comparationem in conſuetudine veterum, præſertim Iſraëlitarum, fuiſſe poſitum; quoties in præliis victores evaſiſſent; hoſtium quos proſtraverant, ſpolia, & arma Deo ſacrare, trophæaque ad hono-
D rem ſummi numinis erigere: quod nec Idololatræ horruere: nam victori Jovi, aliiſque Diis tropæa erecta fuiſſe à veteribus ſcimus. Hinc illud Virg. lib. 3. Æneid. deſcribentis Æneam devicto Abante, de tanta victoria tropæum erexiſſe:

Ære cavo clypeum, magni geſtamen Abantis,
Poſtibus adverſis figo; & rem carmine ſigno.
Æneas hæc de Danais victoribus arma.

Et apud Statium lib. 2. Thebaid. Tydeus, qui inſidiis petitus ab illis quinquaginta viris, quos ad eum interficiendum impius Thebanorum Rex Eteocles direxerat: poſtquam eos omnes interfeciſſet; Palladi tropæum ſacravit dicens:

E *Diva ferox, magni decus, ingeniumque parentis;*
Bellipotens, cui torva genis horrore decoro
Caſſis, & aſperſo crudeſcit ſanguine Gorgon,
Nec magis ardentes Mavors, haſtataque pugnæ
Impulerit Bellona tubas, huic annue ſacro.

& infra:

Nunc tibi fracta virùm ſpolia, informeſque dicamus
Exuvias . . . .

Hac etiam de ratione propè flumina, à veteribus tropæa ſcimus erecta; quod aliquam divinitatem in his agnoſcerent. Quamobrem cum ex antiqua ſuperſtitione flumina quoque religiosè veteres venera-
F rentur: propterea ſi quando victores in præliis evaſiſſent, his ipſis fluminibus qui regionem irrigabant in qua pugna commiſſa fuiſſet, tropæa conſecrarunt. Ab hac conſuetudine ſumpto argumento Jocaſta apud Euripidem; Polynicem filium, qui arma in fratrem, patriamque ſuſcitaverat, à prælio deterret; pedemque à certaminis opinione revocare hortatur. Quod nimirum ſibi, quantumvis victo-

riam

riam de prælio reportaſſet, tropæa erigere dedecori futurum foret: ſic enim mater ad illum:

Et quomodo inſcribes ſpolia ad flumen Inachi?
Nempe de Thebis incenſis, Polynices Diis hos
Clypeos poſuit.

Gentium omnium conſuetudo hæc, ſacris quoque comprobatur oraculis. Nam Machab. lib. 1. cap. 6. ſacer textus ſpoliorum meminit; quibus Macedo, hoſtibus devictis, templum in Perſide auguſtiſſimum ornaverat, quæ poſtmodum Anthiochus auferre moliebatur. Hoc ſic refertur: *Et Rex Antiochus perambulabat ſuperiores regiones: & audivit eſſe Elimaidem civitatem in Perſide nobiliſſimam; & copioſam in argento, & auro, templumque in ea locuples valde, & illic velamina aurea, & loricæ, & ſcuta, quæ reliquit Alexander Philippi Rex Macedo.* Hoc templum Dianæ conſecratum extitiſſe Joſephus lib. 12. antiquit. cap. 13. ſcribit: at nihil de velaminibus aureis; ſed pro his uſus eſt vocabulo, ἀναθήματα, quæ vox donaria numini conſecrata ſignificat. Sic enim ibi: καὶ πολυτελὲς ἱερὸν ἀρτέμιδος ἐν αὐτῇ, καὶ παντοδαπῶν ἀναθημάτων πλῆρες εἶναι (ſupple ἀκούει) ἔτι γε μὴν ὅπλα, καὶ θώρακας ἃ καταλιπεῖν ἐπυνθάνετο &c Ἀλέξανδρον &c. Hoc eſt: *Et locuples templum Dianæ in ea*, ſupple civitate, & audiit, *plenum eſſe multitudine donariorum: inſuper etiam arma, & thoraces, quæ reliquiſſe accepit &. Alexandrum.* Ex quibus textibus multitudinem armorum, & ſpoliorum pendentium in eo templo adfuiſſe conſtat: atque propterea tropæa non pauca ibidem ab Alexandro totius orientis domitore, repoſita extitiſſe.

Iſraëlitis quoque id in more fuiſſe poſitum, ut Deo hoſtium ſpolia conſecrarent, certum eſt. Quin etiam ab Iſraëlitis, gentes reliquas, religioſam eam conſuetudinem accepiſſe ſuſpicari non erit diſſonum. Equidem hanc apud Iſraëlitas conſuetudinem adeo inveteratam extitiſſe conſtat; ut ad eam reſpexerit ſacer ſcriptor Geneſ. 14. Cum Abrahamo à cæde Codorlahomor revertenti, occurriſſe Melchiſedech Regem Salem ſummi Dei Sacerdotem, ſcribit: cui Abraham decimam omnium ſpoliorum tradidit, Numini nimirum, ut puto, à Sacerdote conſecrandam: ut ex hoſtium ſpoliis religioſa tropæa ſupremo Numini erigerentur. Itaque ab eo uſque tempore, religioſam hanc conſuetudinem apud homines præſertim Abrahamitas invaluiſſe manifeſtum videtur. Clariora verò ſunt, quæ habentur 1. Reg. cap. 21. de gladio Goliath repoſito in Dei tabernaculo, poſtquam David in ſingulari certamine illum neci dedit. Quæ quidem victoria adeò celebris in toto Iſraël, inſignisque fuit; ut virgines, quæ victoribus occurrere conſueverant, atque victoriæ carmen in victorum laude præcinere, hanc unam Davidis victoriam, omnibus quæ Saul aliquando reportarat, prætulerint: atque in hoc uno certamine, totius Iſraëliticæ gentis ſalutem repoſuerint, dicentes 1. Reg. cap. 18. *Percuſſit Saul mille, & David decem millia.* Hujus tamen victoriæ honor ut Numini tribueretur; gladium illum nequaquam David apud ſe manere paſſus eſt; ſed in tabernaculo Dei appenſum fuiſſe ſcimus ex cap. 21. & 22. lib. 1. Reg. ac etiam ex cap. 11. lib. 4. Reg. ubi de Joaſo ad regnum Iſraëliticum Joiadæ ſtudio aſſumpto agitur: & milites his armis, quæ à Davide repoſita in domo Domini fuerant, armatos ſcribitur ſic: *Qui dedit eis haſtas; & arma Regis David, quæ erant in domo Domini.* Hæc autem arma nequaquam Regis David appellantur; quod illis uteretur David; cum ad armandos hos milites minimè ſolius David arma ſatis fuiſſent; ſed arma Regis David appellantur; quod eſſent ex ſpoliis hoſtium, quos David in bello proſtraverat: ut pluribus ex locis lib. 2. Reg. conſ-

A tat. Arma enim ad milites armandos ex indigentia Reipublicæ, non quidem in templo, ſed in regio armamentario ſervabantur. Quamobrem cum ea tunc ad manus, quando à Joiada Joaſus fuit Rex inaugurandus, minimè haberi poſſent; propterea milites, qui pro parte Joaſi conſtituebantur, his armis armati fuere, quæ in templo à David ex hoſtium ſpoliis Numini olim conſecrata fuerant.

Accedamus jam ad illuſtrandum ex ſacris Canticis locum allatum, in quo collum ſponſæ commendatur a Spiritu ſancto his verbis: *Collum tuum ſicut turris David, quæ ædificata eſt cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea; omnis armatura fortium.* Ad
B religionem, Deique cultum minimè ſpectare putat Ludovicus Sotomajor in poſterioribus notis ad eum locum, ſed potius ad ſponſæ ſtaturam, ac proceritatem reſpexiſſe Salomonem credidit: & in armatura fortium, paternæ, ſeù avitæ fortitudinis, & gloriæ memoriam coli à Salomone exiſtimat. Et rectè quidem, quantum ad hanc poſteriorem partem judicat. Nam ante ædificatum templum in ea arce, quæ à David jam olim oppugnata, expugnataque fuerat; ut dicitur lib. 1. Paral. cap. 11. ipſemet Rex habitaſſe ſcribitur lib. 2. Reg. cap. 5. Cumque in eadem arce etiam ſacram Dei arcam Sanctus Rex adduxiſſet, ut cap. 6. lib. 2. Reg. le-
C gitur; atque propterea de more aliarum arcium ſpeculatoria turris in ejus medio erecta haberetur: tropæa etiam, ac ſpolia ex devictis Philiſtæis, atque Jebuſæis coagmentata, ſummo Numini appenſa in ea viſebantur: quibus non ſolum ſacræ arcæ locus prope turrim poſitus his, qui longe locum ſpectabant, indicabatur; ſed etiam Iſraëlitæ ad religionem, militaremque virtutem excitabantur.

Cum igitur inter ea ſpolia, quæ ex devictis hoſtibus referebantur, aurei clypei cum primis, tam ad notam virorum illuſtrium, quos Rex David proſtraverat, quam etiam ad illius in re militari peritiam commendandam, conſpicerentur: ad hæc
D ſpolia in tropæum diſpoſita Spiritus ſanctus in loco allato ex Canticis reſpiciens, habita quoque ratione illorum orbiculorum, margaritis gemmiſque ornatorum, quos in monilibus concatenatos, adoleſcentulæ, mulieresque nuptæ, ſeù nubiles circa collum in ornamentum geſtare ſolent; præſertim hæc, quæ in alliciendis intuentium cordibus ſtudere conſueverunt: Spiritus ſanctus delicatiſſimè collum ſponſæ ad eam turrim comparat, dicens: *Collum tuum ſicut turris David, quæ ædificata eſt cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea.*

Fuiſſe verò aureos clypeos, de quibus ibi Spiritus ſanctus agit, ex ipſiſmet muliebribus ornamen-
E tis perſpicuum eſt. Nam aliàs laus colli ſponſæ ab ornamentis ſumpta, frigida omnino remaneret; niſi clypeos illos aureos dixerimus: quique longè, lateque ſplendore corruſcarent. Sic enim ſponſæ collum, à forma, à pulchritudine, & cum primis ab ornamentis, à gemmis, à ſplendore, ab ornamentorum ſtructura, à forma, & ab aliis ſexcentis; ſi quæ ſunt alia, quæ intuentium oculos animoſque alliciant: ex tropæis in illa turri Davidicæ arcis appenſa, ſumpta metaphora, præclarè commendatur, longè, lateque coruſcat.

Sed quid ſibi velint verba illa, *Omnis armatura fortium*, non eſt prætereundum: de qua particula
F noſter Legionenſis ſentit, per poëticam digreſſionem debere intelligi, non autem neceſſe fore ut aliquid ei reſpondeat. Dicant alii quicquid velint: nobis hæc verba in commendationem valoris David, nec non etiam ornatus ſponſæ, à Salomone poſita cenſentur. Davidis valor à proſtratis ducibus laudem accipit: quorum ſcuta aurea, & arma, quæ ad tropæum congeſta fuiſſent, victorias Davidicas con-

conteſtabantur. Nec enim tropæa ex armis minoris æſtimationis, aut ex illorum ſcutorum numero componebantur; quæ à gregariis militibus in bello deferebantur: ex cratibus nimirum æratis; vel ferreis lanceis: ſed potius ex his ſcutis auratis, quæ illuſtrioribus, valentioribuſque militibus jure belli concedebantur: his videlicet, qui inſigniora tantum facinora patraviſſent. Hanc diſtinctionem gregariorum militum ab illuſtrioribus, in ornamentis, Virgilium lib. 12. Æneid. retinuiſſe conſtat, in ſingulari certamine Æneæ ac Turni: nam in aciebus conſtituendis gregarios milites ferro armat, auro duces:

Procedit legio Auſonidum, pilataque plenis
Agmina ſe fundunt portis. hic Trojus omnis,
Tyrrenuſque ruit variis exercitus armis.
Haud ſecus inſtructi ferro, quam ſi aſpera Martis
Pugna vocet: nec non mediis in millibus ipſi
Ductores auro volitant, oſtroque decori.

Ut igitur præclariſſimæ, illuſtreſque victoriæ, quas David Rex de hoſtibus reportarat, poſteritati commendarentur: poſtquam Spiritus ſanctus ſponſæ collum à pulchritudine, à rotunditate, ab orbiculis aureis & gemmatis laudaſſet, dicens: *Collum tuum ſicut turris David, quæ ædificata eſt cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea*: ad Davidis virtutem reſpiciens, ejuſdemque artis bellicæ peritiam commendatam volens, ſubintulit, *omnis armatura fortium.* Hebraicè ſic כָּל־שִׁלְטֵי הַגִּבּוֹרִים id eſt, *omnis armatura potentium militum*, italicè diceremus, *delli valoroſi.*

Artificium vero, opuſque orbiculorum illorum, qui circa collum ſponſæ pendent, in eiſdem verbis, ut arbitror, deſcribitur atque ſubindicatur. Solent enim gemmis, atque variis inciſuris, ex diverſis colorum generibus infectis, ac gemmis nonnullis, mulieres adoleſcentiores, ut diximus, eos orbiculos inficere, hiſque elaboratis, exornatiſque ſcutulis collum ornare. Idipſum etiam ex militaribus inſtitutis fiebat in clypeis; qui illuſtrioribus militibus, atque veteris militiæ Heroibus concedebantur: quod inventum Herodotus lib. 1. Caricæ genti tribuit. Hæc enim ſcuta, non ſolum, ut diximus, auri lamina tegebantur, ſive inaurabantur, ſed illa ipſa auri lamina, ſive ſcutum inauratum, variis inciſuris, & operibus ſculpebatur: in quibus opera, factaque præclariora illius, cui clypeus concedebatur, ſpectarentur, vel proavorum, ſive avorum ejuſdem repræſentarentur. Ita Crenæum armat Statius lib. 9. Thebaïd.

Arma decent humeros, clypeuſque inſignis, & auro
Lucidus, Aoniæ celatur origine gentis.

Lib. quoque 12. Theſeum Athenarum Regem clypeo armat, in quo propria facinora, & illuſtriſſima ab ipſo facta videbantur inciſa, de quo ita Poëta:

At procul ingenti Neptunius agmina Theſeus
Anguſtat clypeo, propriaque exordia laudis,
Centum Urbes umbone gerit, centenaque Cretæ
Mœnia, ſeque ipſum monſtroſi ambagibus antri
Hiſpida torquentem luctantis colla juvenci:
Alternaſque manus circum, & nodoſa ligantem
Brachia, & abducto vitantem cornua vultu.

Hos ſic inciſos clypeos præſtantioribus militibus concedi ſolitum apud eumdem Statium Achileid. lib. 4. ſcribitur: nec non etiam apud Homerum, & Heſiodum multis in locis eſt adeo manifeſtum; ut minimè nobis ſint hac de cauſa coacervanda loca. Nec enim id tantum Poëta doctiſſimus in ſcuto A-

A chillis, Agamemnonis & Ajacis ſubindicavit, ſed etiam in ſcutis aliorum Heroum, in quibus inciſuras, artificiumque interraſile illorum ſcutorum præclariſſimè demonſtravit: præſertim lib. 18. Iliados: ubi cum Achilles in defenſionem Græcorum, ut de Patroclo ulciſceretur, ad prælium ſuſcipiendum animum contra Trojanos induxiſſet ſuum; & ad Hectoris necem inflammaretur: Thetidem matrem Achillis, ad Vulcanum Poëta ipſe mittit; quem arma filio parare dum precatur, principem locum clypeo præſtat, & eum ex ære, ferro, auro, argento; ſtannoque conflatum ſcribit, dicens:

B Ποίει δὲ πρώτιστα σάκος μέγα τε στιβαρόν τε
Πάντοσε δαιδάλλων, περὶ δ' ἄντυγα βάλλε φαεινὴν,
Τρίπλακα, μαρμαρέην, ἐκ δ' ἀργύρεον ταλαμῶνα.
Πέντε δ' ἄρ αὐτοῦ ἔσαν σάκεος πτύχες· αὐτὰρ ἐν αὐτῷ
Ποίει δαίδαλα πολλὰ ἰδυίῃσι πραπίδεσσιν.

In cujus quidem ſcuti Achillæi deſcriptione tam feliciter laboravit ſapientiſſimus Homerus, ut meritò omnium litteratorum hominum cohortes appel-
C landæ veniant ſpectatrices, tam elegantis artificii, ut non humanam, ſed divinam, & Vulcano ipſo planè dignam manum in eo omnes intueantur: ſi enim unquam Homeri ingenium, ac doctrina apparuit; in eo ſcuto deſcribendo luculentiſſimè inclareſcit: cujus artificii proemium in allatis carminibus innuitur; ſic enim interpretantur:

Fecit autem primò clypeum, magnumque, firmumque,
Undique variegatum; circumque jecit circulum lucidum,
Triplicem, ſplendentem: extra autem argenteum lorum.
Quinque autem ipſius erant clypei plicæ, ſed in ipſo
D *Fecit varia multa ſapienti mente . . . .*

Brevi verò compendio indigitans, quæ Vulcanus in eo ſcuto inſculpſerit, poſtmodum longiori verborum circuitu delineanda dixit:

Ἐν μὲν γαῖαν ἔτευξ', ἐν δ' οὐρανὸν, ἐν δὲ θάλασσαν,
Ἠέλιον τ' ἀκάμαντα, σελήνην τε πλήθουσαν.

Videtur quidem in his carminibus Poëta ſacrum imitatus fuiſſe ſcriptorem, qui rerum omnium creationem deſcripturus ait. *In principio creavit Deus Cœlum, & terram: terra autem erat inanis, & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi, & Spiritus*
E *Dei ferebatur ſuper aquas.* Sic enim Homeri allata carmina interpretantur:

In eo quidem terram effinxit, inque cœlum, inque mare,
Solemque infatigabilem, lunamque plenam.

Quæ omnia tandem in eo clypeo delineata longa oratione per plura, ac plura carmina Poëta poſtmodum proſequitur: ut in omnibus peritum, doctumque ſe exhiberet. Univerſum namque orbem tam ſpacioſum, & penè immenſum, unico clypei orbiculo Poëta complectitur, ac repræſentat. Ibi Cœlum volvebatur; ibi ſidera quodammodo rutilabant;
F terra complanabatur; & mare intumeſcebat: ibi duæ Urbes habebantur, quarum altera pace amabilis, altera bello aperto, & inſidiis formidabilis ſpectatur: in ea agricolarum, meſſorum, & reliquorum labor ſic ingenioſe efformatus deſcribitur; ut nihil ingenioſius excogitari poſſe exiſtimem. Hoc etenim Homeri ſcutum Heſiodum compulit, ad favorem Herculis Amphitryonei, aliud delineare ſimi-

mile, à quo proprium denominavit opus, ἀσπίς. Sic illе :

Χερσί γε μὲν σάκος εἷλε πανάιολον, οὐδέ τις αὐτὸ
Οὔτ' ἔρρηξε βαλὼν, οὔτ' ἔθλασε, θαῦμα ἰδέσθαι.
Πᾶν μὲν γὰρ κύκλῳ τιτάνῳ, λευκῷ τ' ἐλέφαντι
Ἠλέκτρῳ δ' ὑπολαμπὲς ἔην, χρυσῷ τε φαεινῷ
Λαμπόμενον. κυάνου δὲ διὰ πτύχες ἠλήλαντο.
Ἐν μέσσῳ δὲ δράκοντος ἔην φόβος, οὔτι φατειὸς
Ἔμπαλιν ὄσσοισιν πυρὶ λαμπομένοισι δεδορκώς.

In qua deſcriptione draconis, & reliquorum quæ in illo delineata habebantur, videtur Poëtam Heſiodum eis ſpiritum dediſſe ac motum : unde ut puto alii in Homerum dixerunt, (auctore Spondano) cœleſtes circulos in ſcuto Achillis ad motum cœleſtium orbium gyrari conſueviſſe : licet amplificationis gratia id ſomniaverint : nam etiam Heſiodus per plura, ac plura carmina in hoc Herculis ſcuto hominum, belluarumque prælia deſcripſit, electro, auroque ac gypſo delineata. Sic enim allata carmina interpretantur :

Manibus autem ſcutum cepit undique varium, neque aliquis ipſum
Neque rupiſſet vulnerans, neque fregiſſet, miraculum ad videndum!
Totum quidem in circulo gypſo, albo & ebore
Et electro ſubſplendidum erat, & auro lucenti
Splendens; nigri autem circuli diſcurrebant.
In medio autem, draconis erat terror non narrabilis,
Retro oculis igne ſplendoribus aſpiciens.

Quibus ita poſitis, poſtmodum ad Homeri imitationem, Heſiodus multa in eo ſcuto deſcribit, ac delineat, quæ ad bellum, pacemque reſpiciunt. Quamvis igitur à Poëtis falsò excogitata hæc fuerint; ex his tamen non obſcure colligitur veterum militum conſuetudo, ac artificium in exornando ſcuto opere interraſili, quo auro, argento, ferro, ære, electro, ebore, aliiſque pretioſis tùm rebus, ac gemmis, varia deſcriberentur facta. Ut enim Achillis genus, & Herculis origo ab Jove, Homerus, ac Heſiodus oſtenderent : in his ſcutis cœlum, terramque, & belli, ac pacis ſtemmata, quæ à Jove reguntur, delineare conati ſunt : ut divinis, illuſtrioribuſque Heroibus, ſcuta ea deberi, non verò gregariis militibus, ſubindicarent.

Nunc his ità ex veterum conſuetudine conſideratis; ad noſtrum ex ſacro Canticorum libro locum redeuntes, apparet profectò Salomonem non quidem ad crates militum gregariorum reſpexiſſe, de quibus Statius lib. 4. Thebaid. ait.

Omnibus propugnant pectora crates.


Sed collum ſponſæ ab ornamentis; nimirum à monili, quo collum cingebatur, ab inciſuris, & interraſilibus operibus, quibus orbiculi ornabantur, & à gemmis ac lapillis in ipſorum inciſuris cum auro fulgentibus laudaſſe : ſicuti erant ſcuta, quæ militibus ob rem feliciter geſtam concedebantur. Quamobrem cum dixiſſet, *mille clypei pendent ex ea*, ſcilicet turri : addidit *omnis armatura fortium.* Ut in his orbiculis & monilibus inciſuræ ornamenta colorum, margaritæ, lapilli, & alia ſplendidè fulgurantia in collo ſponſæ admirarentur, ac ſpectarentur.

Nec tantum ſcuta (ut comparatio pulchrior eluceat;) ſed etiam miſſilia, lanceæ, & alia armorum genera, quorum uſus eſt in bello, de more tropæorum conglobata, in Davidica turri viſebantur : qualia ſcripſit Herodot. lib. 1. fuiſſe, quæ in Iſmenii Apollinis templo apud Thebas ex donariis Crœſi ſua ætate viſebantur : de quibus ita hic au-

A ctor : *τῷ δὲ Ἀμφιαρέῳ, πυθόμενος αὐτοῦ τήν τε ἀρετὴν καὶ τὴν πάθην, ἀνέθηκε σάκος τε χρύσεον πᾶν ὁμοίως, καὶ αἰχμὴν στερεὴν πᾶσαν χρυσέην, καὶ τὸ ξυστὸν τῆσι λόγχῃσι ἐὸν ὁμοίως χρύσεον. τὰ ἔτι ἀμφότερα ἐς ἐμὲ ἦν κείμενα ἐν Θήβῃσι, καὶ Θηβαίων ἐν τῷ νηῷ τοῦ Ἰσμηνίου Ἀπόλλωνος:* Hoc eſt : *Amphiarao autem, cujus & virtutem audierat & cladem; donavit*, ſupple Crœſus, *clypeum ex auro totum, totamque ex auro ſolido haſtam, & haſtile cum ſuis jaculis aureum : quæ ambo ad meam uſque memoriam apud Thebas repoſita fuerunt in Iſmenii Apollinis templo.* Ad inſtar cujus, fuiſſe etiam quæ prope Dei tabernaculum in ea turri Davidis habebantur; colligitur ex Græcis textibus; quæ in illo Can-

B ticorum loco ſic habent : *ὡς πύργος Δαβὶδ τράχηλός σου, ὁ ᾠκοδομημένος εἰς θαλπίον, χίλιοι θυρεοὶ κρέμανται ἐπ' αὐτὸν, πᾶσαι βολίδες τῶν δυνατῶν.* Hoc eſt : *Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata eſt in ſublime; mille clypei ſuſpenſi ſunt ſuper illam, omnia miſſilia fortium.* Cujus loci ſenſus eſt; circum circa illam turrim appenſa extitiſſe tropæa ex armis non quorumcumque gregariorum militum, qui ſcutis inornati teguntur; ſed omnem armaturam fortium; miſſilia nimirum, & haſtas ac lanceas extitiſſe. Quinimò ſi attendere voluerimus, in Hebraico exemplari, illa duo vocabula מָגֵן *maghen*, & poſterius שְׁלָטֵי *ſcilthe*; ac etiam in Græco exemplari duo alia illis

C reſpondentia, θυρεοὶ videlicet & βολίδες, quibus clypei, nec non etiam haſtæ, & miſſilia ſignificantur; horum miſſilium, lancearum, ſcutorumque ſuſpenſionis figura non ineptè expiſcabitur : ut nimirum miſſilibus, lanceis, ac gladiis invicem interfectis, eiſdem etiam ſcuta ſuperpoſita conſpicerentur; tropæaque ſub hac, ut puto, forma conſpicerentur.



Ex hac enim haſtarum, miſſilium, & clypeorum conglobatione, comparatio colli ſponſæ perornati orbiculis gemmatis, robur & vitam accipit. Tropæa verò miſſilibus, lanceis, gladiis, haſtis, ac clypeis compacta, etiam apud Hebræos fuiſſe, poteſt monſtrari ex cap. 42. Paralip. 23. In quo haſtæ tantum, ac ſcuta conſecrata à Davide, appenſaque in domo Domini ſcribuntur his verbis : *Deditque Jojadas ſacerdos centurionibus lanceas, clypeoſque, & peltas, Regis David, quas conſecraverat in domo Domini.* Quibus accedit teſtimonium ex cap. 14. lib. 3. Reg. ubi de acceſſu Seſachi Regis Ægy-

F pti in Jeruſalem agitur ſub Roboamo; diciturque abſtuliſſe inde ſacros templi theſauros, præſertim ſcuta aurea, quæ fecerat Salomon. Verum in Græco codice Francofurti cuſo ibidem arma quoque aurea Davidis extitiſſe ſcribuntur his verbis : *καὶ ἔλαβε πάντας τοὺς θησαυροὺς οἴκου κυρίου, καὶ τοὺς θυσαυροὺς οἴκου τοῦ βασιλέως, καὶ δόρατα τὰ χρυσᾶ, ἃ ἔλαβε Δαβὶδ ἐκ χειρὸς τῶν παίδων Ἀδραζὰρ βασιλέως Σοβᾶ, καὶ εἰσένεγκεν*

L l l

αὐ-

ἀυτὰ εἰς Ἰερȣσαλὴμ. τὰ πάντα ἃ ἔλαβεν ὅπλα τὰ χρυσᾶ ὅσα ἐποίησε Σολομὼν &c. Hoc eſt : *Et accepit omnes theſauros domus Domini , & theſauros domus Regis , & ſcuta aurea* (hæc enim ibi vocabulo δόρατα ſignificantur.) *Quæ accepit David ex manibus militum Adrazar Regis Soba ; & intulit ea in Jeruſalem : omnia etiam arma aurea ſuſtulit , quæ fecit* Salomon.

C A P. X X I V.

Stipatores Regii apud Iſraëlitas aureo clypeo decorabantur.

Illuſtrantur difficilia loca. Pſal. 67. *Si dormiatis inter medios cleros , pennæ columbæ deargentatæ & poſteriora dorſi ejus in pallore auri.* Ezech. 40. *Labia eorum palmi unius reflexa intrinſecus per circuitum.* & ad alia.

QUANTÆ majeſtatis, ac dignitatis eſſet ſatellitio ſtipari , jam dicebamus : verum quod hi qui Regis latera tuebantur , atque cingebant , ex illorum numero eſſent , qui præclariora facinora in præliis feciſſent ; non ſolum ad tutamen Regis ſpectabat , ſed etiam dignitatem , majeſtatemque Reipublicæ declarabat : cui Rex , qui omnibus fortiſſimis fortior cenſebatur , præficiebatur. In hoc majeſtatis genere reponendam fuiſſe Rempublicam Iſraëliticam , ſacra ſubindicarunt oracula. Non enim alia militum manu Rex Iſraëliticus ſtipabatur ; quam ea cohorte , in qua hi tantum conſcribebantur ; qui cum fortiter in bello cum hoſte dimicaſſent ; præclariſſimaque facinora peregiſſent ; aureo clypeo à Principe donati fuiſſent.

Perſpicua hæc in ſacris ſunt litteris , ut reor : ſic enim 2. Paral. cap. 12. legitur : *Receſſit itaque Seſac Rex Ægypti ab Jeruſalem , ſublatis theſauris domus Domini , & domus Regis : omniaque ſecum tulit ; & clypeos aureos , quos fecerat Salomon ; pro quibus fecit Rex æneos , & tradidit illos Principibus ſcutariorum , qui cuſtodiebant veſtibulum palatii.* Clypei igitur aurei , atque peltæ aureæ , quas repoſuerat Salomon in armamentario regio ; fabricatæ fuerant ad uſum illorum , qui regii palatii cuſtodiebant veſtibulum. Omnia hæc ab Ægypti Rege Seſach ſublata dicuntur ; ſed quia illorum clypeorum uſus , ad regiam majeſtatem ſaltem de more aulæ neceſſarius cenſebatur ; propterea Seſach , qui regem adhuc in Jeruſalem reliquerat ; nec Judæos regia dignitate privaverat , ſcuta ænea pro aureis conſtituit : niſi velimus ſcuta ærea juſſu Iſraëlitici Regis , poſt Seſaci diſceſſum conſtructa fuiſſe. Uſum verò aureorum clypeorum , qui poſtmodum in æneos commutati ſunt ; penes ſatellites , qui Regem ſtipabant extitiſſe , locus allatus manifeſtè probat , verbis quæ ſubſequuntur : *Et tradidit illos principibus ſcutariorum , qui cuſtodiebant veſtibulum palatii.* Quin etiam qua ratione his uterentur ſcutarii , ibidem oſtenditur his verbis : *Cumque introiret Rex domum Domini , veniebant ſcutarii , & tollebant eos , iterumque referebant eos ad armamentarium.*

His de ſatellitio regio Iſraëlitico , deque præſtantia illorum , qui ad hoc munus ſeligebantur explicatis : nec non etiam de aureo ſcuto , quo iidem utebantur ; de quibus præcedentibus capitulis pluribus egimus ; illuſtratur locus difficillimus , nunquam ab interpretibus ſatis explicatus , numquamque ab aliquo plene intellectus. Locus eſt Pſal. 67. ille nimirum : *Si dormiatis inter medios cleros , pennæ columbæ deargentatæ , & poſteriora dorſi ejus in pallore auri.* Qui quidem locus interpretum adeo torſit
A mentes ; ut in varias interpretationes divagentur ; & numquam ſcopum attingant. Is eſt locus , de quo tanquam de cruce , ingenia , quantumvis ſubtiliſſima , ſemper pependerunt. Reliquos omittam : Genebrardi nunc tantum ſenſum , Hebraicæ quidem , ac Græcæ linguæ peritiſſimi , in medium afferam. Is in loco allato multa habet , & de præſentiſſimo Dei favore in liberandis his , qui ad eum pertinent , à quibuſcumque anguſtiis , licet arctiſſimis , interpretatur : quamobrem hæc habet : *Si verſemini in præſentiſſimis , & certiſſimis periculis , ut quando de captivorum vita , libertate , fortuniſque victores ſortem mittunt : illa in rerum deſperatione eritis tutiſſimi , ſe-*
B *reniſſimi , lætiſſimi , vultu , & colore tam pulchro , ſereno ac vegeto , quam columba , cujus pennæ ſunt veluti deargentatæ , inſtar argenti pellucentis ; & dorſum vel cauda dorſi ſplendet , ac rutilat , inſtar fulvi , ac pallentis auri. Tam præſens erit vobis numen , ut illic ſitis in tuto , & animi ſecuritate : neque quicquam perdatis de vultus ſpecie , & habitu.* Alia plura in eandem ſententiam habet , quæ ibi videri poterunt.

Genebrardo Antonium Agellium Epiſcopum Acernenſem adjungam : virum ſanè ſimiliter peritia linguarum , ſacrorumque oraculorum cognitione doctiſſimum. Is in commentariis Pſalmorum , ubi accedit ad prædictum verſiculum , confutatis non-
C nullorum ſomniis , longiſſimo commentario verſiculum de ſecuritate filiorum Iſraël in colendis agris , tempore belli interpretatur , dicens : *Si dormiatis* , hoc eſt , *ſi cubetis , jaceatiſque inter medios cleros , id eſt in medio duorum agrorum , & inter duarum poſſeſſionum terminos , (ad eos enim loquitur ; quos ſpeciem domus paulo ante vocaverat ; ad homines à bellis remotos , & colendis potius agris , quam armis gerendis aſſuetos , quorum totum ſtudium in agricultura erat.) eritis ſicut pennæ columbæ deargentatæ , cujus dorſum auri colore vireſcat. Hoc eſt : etiam ſi quieſcatis , & ab armis remoti ſitis , & domi remaneatis , agriſque colendis operam detis ; tamen ex hoſtium clade præda auri , & ar-*
D *genti abundabitis. Non enim militibus modo , & exercitui , ſed imbellibus etiam , & ab armis feriatis hominibus prædæ magnitudo abunde ſufficiet.* Ita ille. Genebrardo vero hunc adjunxi ; quia hi duo præ cæteris aliis interpretibus , me judice , litteralem Pſalmorum ſenſum inveſtigare pro viribus contendunt ; & in eo plurimum laborant.

Quæ in hujus expoſitione verſiculi , myſticè ab aliis afferuntur , non ſunt ad rem noſtram ; qui litteralem interpretationem quærimus. Hæc enim eſt , quæ intelligentiam rei præſtat ; argumentumque in ſacris oraculis , pro rebus fidei firmat. Noſter igitur ſenſus aperiatur , quòd plures , ac plures in illis verbis difficultates conſurgant , ſi ad litteram con-
E ſiderentur ; & nobis elucidandæ ſint. Prior ibi difficultas , *Si dormiatis inter medios cleros.* Altera in columbæ comparatione in illis verbis , *pennæ columbæ deargentatæ.* Quæ difficultas non ſolum verſatur in inveſtigando ; quid in illo verſiculo comparetur ; ſed etiam in quo vis comparationis ſit poſita. Denique in tergo pallor auri , in eadem columbæ comparatione interpretes omnes torquet ; cum dicitur ; & *poſteriora dorſi ejus in pallore auri* &c. Singula expendantur per partes ; ut quoad fieri poteſt , difficultatibus enodatis , obſcura Pſalmi hujus fiant aperta :

F *Si dormiatis inter medios cleros* , legitur in noſtro vulgato. Legunt alii , *ſi cubetis inter medios* , vel *chitropodas* , vel *lebetes* , vel *tripodes* : *ollas* aliqui interpretantur. Alii de mendo locum ſuſpectum habent. Septuaginta hallucinatos nonnulli exiſtimant. Sunt etiam qui clerum , clericorumvè ſtatum in illo Pſalmi loco agnoſcant. Sunt qui de ſortibus Iſraëlitis diſtributis in diviſione regionis , locum intelligant,

gant. Alii de utraque ſorte, præſentis nimirum, & futuræ vitæ locum interpretantur. Alii duo teſtamenta, alii aliud ſignificatum in allato loco dixerunt: ſicque dies, noctesque interpretes in hujus loci explicatione perpetuo verſantur, atque vexantur: ita tamen ut ſemper de illius loci intelligentia interpretes jejuni remaneant.

Reliquorum igitur commentis prætermiſſis, dicimus breviter, Prophetam in præſenti verſiculo Iſraëliticum celebrare exercitum, tam à diſpoſitione caſtrorum, quam ab ordine in progrediendo, & à valore etiam militum in aggrediendo hoſte: à pulchritudine quoque clypeorum, ac reliquorum armorum, & præſertim ab haſtis, ac miſſilibus. Quamobrem cum Propheta deſtructionem ac ruinam hoſtibus divini exercitus imprecatus fuiſſet in illis verbis, *Exurgat Deus, & diſſipentur inimici ejus*, & in reliquis aliquibus ejuſdem Pſalmi verbis: denique cum in contemplatione ordinis atque diſpoſitionis Iſraëliticorum caſtrorum, & in peritia conſerendæ manus cum hoſte Propheta excitaretur: in ejuſdem Iſraëlitici exercitus laudes erumpens, *Si dormiatis*, inquit, *inter medios cleros*, *pennæ columbæ deargentatæ*, *& poſteriora dorſi ejus in pallore auri.* Hujus autem loci ſenſum quem nemo alius agnovit, breviter, quantum fieri poſſet, explicare vellem; ſed longiori ſermone opus eſt.

Mendum in codice Græco, aut Hebræo ridiculum eſt ſuſpicari: ſi quod autem mendum ſuſpicari liceret; in ignorantia rerum bellicarum penes illos, qui abſque illarum rerum notitia hunc locum interpretari conantur, fuiſſe dicemus. Ut autem ea, in quibus interpretes omnes conveniunt præmittantur; non erit prætereundum carmen hujus Pſalmi triumphale fore: quod interpretes omnes agnoſcunt. Invehitur igitur Propheta adverſus hoſtes divini exercitus, illis ipſis verbis, quibus Moyſes Deum ad favorem Iſraëlitarum provocabat: quando ad motum columnæ nubis, & ſacræ Arcæ fœderis, caſtra quoque movebantur jam olim; dum per deſertum filii Iſraël circumferrentur. Hæc ipſa verba cap. 10. Num. habentur; quando cum elevaretur Arca, Moyſes dicebat: *Surge Domine, & diſſipentur inimici tui, & fugiant, qui oderunt te, à facie tua.* In Hebraico verò exemplari eadem ad amuſſim verba, quæ in exordio Pſalmi quem præ manibus habemus, leguntur. Cum igitur in hoc Pſalmo Propheta mirabilium meminiſſet, quæ à Deo ad gloriam ſui exercitus in deſerto facta fuerant; & quomodo ibi Iſraëlitas paviſſet: demum ex conſuetudine illorum, qui victoribus, triumphantibuſque occurrere conſueverant; in admirationem valoris ducum, diſpoſitionis caſtrorum, ordinis acierum, fortitudinis militum, pulchritudinis armorum, ſtipatorum Regiorum, & reliquorum, quæ exercitum formidabilem reddunt, illis in verbis erumpit: *Si dormiatis inter medios cleros*, *pennæ columbæ deargentatæ*, *& poſteriora dorſi ejus in pallore auri.*

At ubi nos legimus, *Si dormiatis*: ex Græco exemplari habetur ἐὰν κοιμηθῆτε; quod quidem verbum, licet aliquando dormire ſignificet: ut plurimum tamen per vocem *Jacere* in univerſum ſumptam interpretatur: quomodocumque videlicet quis jaceat, quacumque de cauſa, ſive dormiendi, ſive aliquid aliud faciendi: idque ex phraſi ſacra Septuaginta interpretum; ut docet etiam Agellius loco citato. Sed quicquid ſit de Græcis exemplaribus, Hebraicè ſic legimus, אִם תִּשְׁכְּבוּן *him tiſchebhun.* Pro cujus intelligentia obſervandum eſt, hanc vocem תִּשְׁכְּבוּן *tiſchebhun* futuri temporis eſſe, à verbo שָׁכַב *ſchachabh*, in conjugatione, quam dicunt grammatici lenem. Hoc autem verbum in lingua ſancta diverſas quidem habere ſignificationes, ubi ſtrictè interpretandum fue-

A rit, norunt omnes hebraizantes. Aliquando enim cubare cum muliere ſignificat; interdum habitare alicubi interpretatur; jacere in loco dormiendi cauſa, ſedere in aliquo loco, & alias ſimiles ſignificationes habet, in Hebraicis codicibus. Itaque me Judice, eamdem vim omnino habet hoc verbum Hebraicum in lingua ſancta; quam apud Italos verbum *ſtare* habere ſolet.

Exemplis res fiet manifeſta. Quæratur ab aliquo ubi unum, vel alterum ſit. Vita functum, ac ſepulturæ mandatum eundem ſignificare ſi voluerimus, vernacule dicetur, *ſta in ſepoltura.* Eſt locus apertus ſimilis phraſis 2. Reg. cap. 7. ubi à vulgato dicitur: *Et tu ergo in medio incircunciſorum contereris, & dor-*
B *mies cum interfectis gladio.* Hebraice וְתִשְׁכַּב אֶת־חַלְלֵי חָרֶב Hoc eſt: *Et jacebis cum interfectis gladio.* Italice diceremus, *E ſtarai con gli morti di ſpada.* Hoc eſt: *Sepultus jacebis.* Si autem aliquem cum uxore, vel muliere rem habere velimus indigitare; quod latine cubare dicimus, & Italice diceremus, *ſtà con la moglie*; illud idem per idem verbum שָׁכַב in lingua ſancta exprimetur: quæ ſignificatio præ cæteris propria verbi שָׁכַב *ſachabh* in Hebraica phraſi cenſetur. Sexcenta ſunt in ſacris litteris exempla hujus verbi in hac ſignificatione ſumpti. Quamobrem ab exemplis, & ſacrarum litterarum locis ſuperſedendum duxi, ne lectori moleſtiam afferant. Qui plura deſi-
C derant, lexica petant, & theſaurum linguæ ſanctæ. Habitare hoc verbum Iſaiæ 57. n. 7. ſignificat. Ubi Deus de Judæis conqueritur; quòd montes Idololatriæ de cauſa aſcenderint, & ibi habitaverint; ſic dicens: *Super montem excelſum & ſublimem poſuiſti cubile tuum, & illuc aſcendiſti, ut immolares hoſtias.* Hebraicè ſic habetur עַל הַר גָּבֹהַּ וְנִשָּׂא שַׂמְתְּ מִשְׁכָּבֵךְ Hoc eſt: *Super montem altum, & ſublevatum, poſuiſti habitationem tuam.* Itaque ne longius pertraham lectorem, exemplis Hebraicis relictis, latina tantum in medium afferam. Nam quod Italicè dicimus, *ſtà in letto*, pro *ægrotat*; in eadem ſignificatione Pſal. 40. n. 9. illud verbum habetur; *Stà sù la porta*, pro
D *manet in porta. Stà su'l banchetto*, pro *ſedet. Stà in letto*, pro *dormit. Stà in terra*, pro *jacet.* Quæ omnes dicendi phraſes paſſim in Sacris litteris occurrunt; & per verbum שָׁכַב *ſchachabh* in Hebraicis exprimuntur. Quorum locorum, & exemplorum lexica omnia Hebraica conferta ſunt.

Accedamus jam ad explicationem interpretationemque noſtri obſcuriſſimi loci: cujus illuſtratio ex elucidatione Hebraicorum vocabulorum, cum primis pendet. In eo igitur verſiculo, in quo ex vulgato codice legimus, *Si dormiatis*, cum ex Hebraico legatur, אִם תִּשְׁכְּבוּן *him tiſchebhun* valet, idem quod Italicè, *ſe ſtarete*, aut *ſe vi trovarete*, Hiſpani-
E ce *ſi os hallaredes.* Itaque propriè nequaquam ſermo hic eſt de dormitione: nam ut plurimum quoties de dormitione ſermo eſt in ſacris oraculis, & hæc per hoc verbum שָׁכַב *ſchachabh* exprimitur; eidem adjungitur verbum יָשַׁן *jaſchan*, vel dictio מִטָּה *mittah*, quæ lectum ſignificat: quibus dictionibus verbum שָׁכַב *ſchachabh* dormitionem tunc ſignificare conſtat. Cum igitur in noſtro Pſalmi loco, verbo שָׁכַב nihil adjungatur; ex quo de dormitione ſermonem ibi eſſe colligi poſſit: non videtur adeo clarè expreſſus Prophetæ ſenſus per verbum *dormire*: licet tam Græca vox,
F quam Hebraica etiam, dormitionem aliquando, ut diximus, ſignificare valeant.

Verum quo in ſenſu Propheta loqueretur, & in qua ſignificatione verbum Hebraicum שָׁכַב *ſchachabh* loco citato accipiendum eſſet; his verbis expreſſit, *inter medios cleros.* Interpres Latinus ſequutus Græcorum exemplar, quod dixit ἀνὰ μέσον τῶν κλήρων, vocem Græcam *cleros* retinuit: cum tamen tam Latini, quam Græci exemplaris ſenſus ab Hebraico co-


 dice

A dice petendus ſit, quod habet בֵּין שְׁפַתַּיִם *ben ſcephathajim* in qua voce tota hujus loci ſtat difficultas. Alii enim dixerunt *lebetes*, alii *ollas*, quidam *tripodes*, *chytropodes* aliqui, uno verbo dicam, plures ſunt interpretationes, quam interpretes. Verum ſi vim vocis שָׁפַת *ſchaphat*, quæ ſignificat *ponere in pulverem*, attendere velimus; perſpicuum erit, voce שְׁפַתַּיִם *ſcephathaim vectes*, ſive paxillos aduncos ſignificari, qui in ſolo ad erigendum tabernacula militaria in caſtris metandis infiguntur. Malo enim aliquo in ſublimi erecto, ubi tabernaculum erigendum fuerit; eidem haſtæ, ſive malo circumcirca in ſolo, ferrei vectes defiguntur, & funes à ſummitate mali ad illos aduncos vectes pertrahuntur: ſicque funibus
B extenſis, ſuper eoſdem tentoria expanduntur; & tabernacula in caſtris conſtabiliuntur; in quibus milites cum ſuo Imperatore ac Ducibus verſari conſueverunt.

In hac eadem ſignificatione ferreorum paxillorum, ut monſtrabimus, vox illa שְׁפַתַּיִם *ſcephathaim* apud Ezechielem cap. 40. legitur; nec unquam alibi in ſacris libris habetur. Per *labium* à noſtro vulgato interpretatur, ſic: *Et labia eorum palmi unius reflexa intrinſecus per circuitum.* Quam vocem licet de cymatio menſarum, ſuper quas collocabantur carnes victi-
C marum, Vilalpandus tom. 2. explan. in Ezech. part. 2. & lib. 3. cap. 39. interpretetur; neſcio tamen an verè. Viderint alii. Cum enim vox *ſcephathaim* שְׁפַתַּיִם ex regulis grammaticalibus numeri ſit dualis, hinc Vilalpandus, vel duo cymatia unicuique menſæ contra regulas artis aſcribere cogeretur; vel cymatio cuilibet duas aſcribere partes; quod Vilalpandus minimè poterit. Ea igitur auctori proprio relicta expoſitione, & Rabbinis nonnullis, quibus ipſe quoque Vilalpandus ſubſcribit; nobis alia via procedendum erit.

Ut autem ab Ezechiele locus noſtri Pſalmi lucem accipiat, obſervandum erit, non ſolum Chaldæum Paraphraſtem, ſed etiam reliquos omnes à prædi-
D ctis, locum Ezechielis Prophetæ de uncis interpretari, ex quibus hoſtiæ & animalia ad ſacrificiorum miniſterium poſt jugulum decorticanda, ſeu etiam jugulanda ſuſpendebantur, ut in laniena laniones quotidie facere videmus. Conſentiunt his omnes Thalmudiſtæ, in tractatu menſurarum: ut refert idem Vilalpan. loco citato pag. 235. deinde pag. 237. col. 1. litt. D. dicens: *Sed quamvis, quæ de labiis menſarum diximus firmiora ſunt, quam ut Rabbinorum teſtimoniis oppugnentur; non eſt opinor, cur eorum quoque omnino ſint rejiciendæ ſententiæ: nam quod ad uncinos ſpectat à Chaldæo relatos; præterquam quod ſine illis vix, ac ne vix quidem tot victimæ excoriari poſſent; fuiſſe illos jam olim in Moſaico tabernaculo, probant plures loci in Exodo &c.* Multo etiam plura ibi habet hic
E auctor, in quibus veritate coactus probabilem, immò probabiliorem etiam quam propriam Rabbinorum interpretationem concedit; qui vocem *ſchephathaim* שְׁפַתַּיִם per uncinos interpretantur. Auritis igitur ſive aduncis his paxillis, quorum uſus erat in metandis caſtris ad figendum tentoria, præclarè reſtes à mali ſummitate ad figendum tentoria aptantur. Non enim propterea in numero duali exprimuntur jam dicti paxilli adunci; quod bini, & bini ad decorticandum victimas figerentur, ut dicebant Rabbini: ſed quia duo unci, ſive duæ veluti auriculæ hinc inde inflexæ, eidem vecti ineſſent
F forma, quam pag. 903. vides.

Ad hos uncos animalia decorticanda & jugulanda in templo ſuſpendebantur: at in caſtris reſtes in erectione tabernaculorum eiſdem uncis alligabantur. Hac vectium ſive paxillorum auritorum vel aduncorum figura, in qua duo illa extrema in ſe reflexa conſpiciuntur; labiorum oris iconem expreſſam a-



gnoſcimus, & noſtri interpretis in allato Ezechielis loco tranſlatio illuſtratur.

His quoque vectibus aduncis, ſeu paxillis auritis, quorum uſus ad figendum tentoria in caſtris erat, illuſtratur illa noſtri Pſalmi vox בֵּין שְׁפַתַּיִם *ben ſcephathaim*, & per figuram ſynecdochem, in qua pars pro toto ponitur, caſtra ipſa Prophetam ſignificare voluiſſe dicimus, ſenſumque illorum verborum, *Si dormiatis inter medios cleros*, fore ac ſi diceretur, *ſi fueritis in caſtris.* Si verò ſtare voluerimus cum aliis, qui vocem שְׁפַתַּיִם *ſcephathaim*, *Oras*, *terminos*, & *fines* interpretantur; ſenſus erit, (licet tantiſper extortus) *ſi fueritis in caſtris*, & caſtra ipſa veſtra in finibus alicujus regionis, in conſpectu hoſtilis exercitus. Diceremus italice, *ſe vi trovarete nell'eſſercito per combattere.* Et is eſt ſenſus illorum verborum.

Satisfaciendum eſt dictioni *cleros* latini interpretis; ut quæ diximus fiant clariora. Eam enim vocem, ut dicebamus, ex Græco exemplari noſter interpres retinuit; hæreditatemque ex ſua vi ſignificare, manifeſtum erit, ſi in memoriam revocabimus, tribus Iſraëliticas ex phraſi ſacrorum oraculorum appellari Dei hereditatem: juxta illud Pſalmi 32. *Beata gens cujus eſt Dominus Deus ejus; populus, quem elegit in hæreditatem ſibi.* Et Pſal. 77. n. 62. in quo de Deo Iſraëli irato Propheta dicit: *Et concluſit in gladio, & hæreditatem ſuam ſprevit.* Et parum infra n. 71. de electione Davidis in Regem Iſraëliticum cum ageretur, Regique Propheta gratularetur: *Et elegit David*, inquit, *ſervum ſuum: ſuſtulit eum de gregibus ovium, de poſt fœtantes accepit eum, paſcere Jacob ſervum ſuum, & Iſraël hæreditatem ſuam.* Et Pſal. 46. omnes gentes ad Dei laudem à Propheta excitantur hac ratione: *Elegit nos hæreditatem ſuam, ſpeciem Jacob quem dilexit.* Ex quibus ſexcentiſque aliis ex locis, Iſraëliticum populum Dei hæreditatem appellari perſpicuum eſt. Adeoque frequens eſt hæc loquendi phraſis in Scripturis ſacris; ut nulla indigeat probatione. Immò eatenus nomen hereditatis Reipublicæ Iſraëliticæ tribuitur, ut ſingulis etiam tribubus accommodetur.

Quia verò is titulus Dei hæreditatis, populo Iſraëlitico militari ad palæſtram in caſtris cum primis ordinato, & in exercitu per ſuas turmas diſpoſito, nec non ad pugnam exituro tribuitur; cujus Iſraëlitici exercitus Deus ſe Imperatorem conſtituerat, ut propterea Deus exercituum appellari voluerit: hereditates quoque ſortibus ex veteri inſtituto dividerentur; ideo cum κλῆρος ſors diceretur, & κληρονομία hereditas; hinc Septuaginta in præſenti loco, ratione habita Iſraëlitici exercitus, in cujus laudes Propheta tunc erumpebat, illud idem quòd Hebraicum exemplar per בֵּין שְׁפַתַּיִם *ben ſcephathaim*, nimirum in tentoriis, ſeu in caſtris expreſſit: illi per hæc græca verba, ἀνάμεσον τῶν κλήρων, nimirum *in mediis ſortibus* ſunt interpretati. Quod idem valet ac *inter tribus*, id eſt,

id eſt, *in caſtris* Iſraëlitici exercitus *ſi verſemini.* Et is eſt integer ſenſus illorum verborum : *ſi dormiatis inter medios cleros* , id eſt, ſi exiſtatis inter tentoria, ſive in tentoriis, ſive in caſtris.

Nunc, me judice, comparatio Iſraëlitici exercitus ad columbam, noſtri Lyrici Poëtæ, in illis verbis expreſſa, *Pennæ columbæ deargentatæ* , *poſteriora dorſi ejus in pallore auri* ; fit pervia ac facilis: ſi ad mentem, veterum monumenta in exercitus diſpoſitione revocentur, atque in his ipſis veterum monumentis attendatur, quanto ſemper in pretio fuerit militaris virtus; militaria exercitia; peritia aggrediendi, egrediendi, congrediendique in pugna; notitia ordinandi, diſponendique militum acies. Hæc, & alia quæ ad militarem peritiam faciunt, ſi diligenter conſiderentur: tanti veteres militarem artem feciſſe conſtabit; ut inter pulchriora, delectabilioraque aſpectu caſtra militaria, caſtrorumque tentoria, nec non etiam militum acies ad arma procedentium, & ad conferendam manum hoſti occurrentium, repoſuerint. Hinc illud Statii lib. 8. Thebaïd. contemplantis acies armatorum militum ſeſe ad certamen cohortantium, atque diſponentium:

Pulcher adhuc belli vultus, ſtant vertice coni,
Plena armenta viris, nulli ſine præſide currus,
Arma loco, ſplendent clypei, pharetræque decore,
Cingulaque, & nondum deforme cruoribus aurum.

Sed quia in explicatione ſacrorum oraculorum verſamur, ad hæc ipſa revertamur, & in his pulcherrimam caſtrorum diſpoſitionem commendatam agnoſcamus. Nota enim eſt illa Balahami de caſtris Iſraëliticis laus, cum primum diſpoſitionem Iſraëliticorum caſtrorum intuitus Num. 24. dicebat: *Quam pulchra tabernacula tua Jacob , & tentoria tua Iſrael! ut valles nemoroſæ , ut horti juxta fluvios irrigui , ut tabernacula , quæ fixit Dominus quaſi cedri prope aquas &c.* Tanta namque admiratione captus eſt Balaham; cum Iſraëlitici exercitus diſpoſitionem in deſerto, de ſupercilio montis contemplaretur; ut ſibi ſimilitudines defeciſſe potius, quam ſuffeciſſe videantur: quibus comparare caſtra Iſraëlitica valeret.

Verum, ut in caſtris ipſis formoſæ columbæ ſimilitudo intueatur; ſacer Canticorum liber percurratur: in quo cap. 1. Spiritu ſancto auctore, ſponſæ decor, pulchritudo, ac ornamenta laudantur; & hæc ipſa militaribus caſtris comparantur his verbis: *Nigra ſum , ſed formoſa filiæ Jeruſalem , ſicut tabernacula Cedar.* Et cap. 6. in dialogo ſponſi, & ſponſæ invicem concertantium, atque amicis, & amatoriis verbis colludentium, ſponſus pulchritudinem ſponſæ per reſpectum ad caſtra militaria concelebrat dicens: *Pulchra es amica mea , ſuavis & decora ſicut Jeruſalem: terribilis ut caſtrorum acies ordinata.* In eodem capitulo parum infra n. 9. Jeroſolymitanæ puellæ in decore ac pulchritudine celebranda juvenculæ, quam Salomon deperibat, erumpentes per comparationem ad caſtra recte diſpoſita, quæcumque in illius laude haberi poterant, conglomerant dicentes: *Quæ eſt iſta , quæ progreditur, quaſi aurora conſurgens , pulchra ut Luna , electa ut Sol , terribilis ut caſtrorum acies ordinata ?* Cum tamen ſæpiſſime in eodem libro Canticorum, hæc ipſa puella, cujus decor caſtris militaribus aſſimilabatur, columbæ fuerit comparata: & illa ipſa etiam adoleſcentula, quam Salomon deperibat, columba vocata fuerit: ut in his ſane comparationibus ſimilitudo caſtrorum ad columbam, columbæque pulchritudo in caſtris agnoſceretur. His ex locis caſtrorum recte diſpoſitorum laudes, per comparationem ad columbam perſpicuæ fiunt; Prophetæque noſtri comparatio in Pſalmo 67. decorem, atque ordinem

A Iſraëliticorum caſtrorum celebrantis, ex ejuſdem comparationis energia, pulcherrima apparet: præſertim ex phraſi, & uſu illorum temporum, dum poſtquam dixiſſet, *Si dormiatis inter medios cleros* : id eſt, ſi exſtiteritis in prælio, *pennæ columbæ deargentatæ* , ſupple, acierum diſpoſitio, apparebit, & *poſteriora dorſi ejus in pallore auri.*

Clarior fiet adhuc comparatio Prophetæ, ſi verba Pſalmi intus & in cute magis contemplentur. Illa enim verba noſtri textus, quæ habent, *pennæ columbæ deargentatæ* , ſic leguntur ex hebraico exemplari כַּנְפֵי יוֹנָה נֶחְפָּה בַכֶּסֶף , hoc eſt, *alæ columbæ tectæ argento:* ex qua alarum in columba conſideratione, &
B pervetuſta, ac veteribus uſitata exercitus diſpoſitione, noſtri Pſalmi ſimilitudo magis ac magis illuſtratur. Cujuſque enim exercitus ad conferendam manum progredientis partitio ad quinque capita revocari ſolet: nimirum ad anteriorem paucorum militum manum, quæ totum exercitum cum præcedat, agmen primum dicitur, Italiceque appellatur *Vanguardia* : ad alteram numeroſiorem, quæ pluribus legionibus, atque cohortibus conſtipatur; & in qua Imperator ipſe ex veteri militiæ diſciplina, cum robuſtiori militum atque Ducum manu procedere ſolet: quæ totius exercitus corpus, & acies apud Veget. lib. 16. appellatur. De cujus exercitus &
C copiarum diſpoſitione ex arte militari ſic Stat. lib. 7. Thebaïd. dum Eteoclis ſtudium in diſponendo milite ſcribit:

. . . . *ſic fatus , & omnia rite*
Diſponit , qui bella gerant , qui mœnia ſervent ,
Quas in fronte manus , medio quas robore ſiſtat.

Pars vero quæ ad dexteram hujus aciei diſponitur, ala dextera, ſive etiam cornu dexterum appellari conſuevit. At copiæ quæ ad ſiniſtram totius exercitus procedunt, ala ſiniſtra, ſive ſiniſtrum cornu dicitur, ut ex Æliano, Vegetio, Polybio, Frontino, ac veteribus aliis, qui de re militari ſcripſe-
D runt, fit manifeſtum. Illa denique paucorum militum manus, quæ à tergo exercitum ſequitur, ne per hoſtium inſidias copiæ alarum, aut acies offendantur, aut ab hoſtibus concludantur, poſtremum agmen appellatur, ad ſuccurrendum huic vel illi turmæ, ubi opus fuerit, paratum, Italice *retroguardia* dici ſolet. Hanc formam exercitus, ac copiarum diſpoſitionem, ab omnibus, qui de re militari ſcripſerunt, ab antiquiſſimis uſque temporibus retentam fuiſſe cognovimus. De hoc ita Veget. lib. 3. de re milit. cap. 17. *Sed optima ratio eſt, & ad victoriam plurimum confert ; ut lectiſſimos de peditibus , &*
E *equitibus, cum vicariis, comitibus, tribuſque vacantibus , habeat Dux poſt aciem in ſubſidiis præparatos, alios circa medium : ut ſicubi hoſtis vehementius inſiſtit , ne rumpatur acies , provolent ſubito , & ſuppleant loca, additaque virtute , inimicorum audaciam frangant: hoc primum Lacones invenerunt ; imitati ſunt Carthaginenſes; Romani poſtea ubique ſervaverunt. Hac diſpoſitione nulla melior invenitur.* Hæc ibi Vegetius, qui certe rectius dixiſſet, ubi non Lacones primum, ſed Iſraëlitas hanc exercitus formam repetiſſe ſcripſiſſet: & ab his Lacones reliquoſque accepiſſe affirmaſſet. Cujus rei teſtis eſt noſter Lyricus Propheta in his verbis: *Pennæ columbæ deargentatæ, & poſte-*
F *riora dorſi ejus in pallore auri* : quæ in laudem diſpoſitionis Iſraëlitici exercitus dicta ab eo fuere.

Illuſtratur adhuc magis ac magis noſtri Prophetæ comparatio; ſi reliqua quæ in allato verſiculo Pſalmi 66. de pennis deargentatis diligentius ſpectentur, à Propheta ad exercitus Iſraëlitici valorem ac decorem aperiendum allata. Hæc enim ſimilitudo ad genus armorum ſpectat. Si enim pedites, tam aciei mediæ, quam alæ ſiniſtræ, dextræque, pilis, haſtis,

contis, verubus, galeis, gladiiſque, croſſis, ſagittis, ſariſſis, & aliis miſſilibus armentur, ex more veteris militiæ, tam levis, quam gravis armaturæ: de quibus ſacra oracula, & non ſemel Polybius, Xenophon, Livius, Vegetius, Ælianus, & alii ſcripſerunt: inargentatarum utique alarum noſtræ columbæ ſimilitudo coruſcabit. De velitibus enim Livius lib. 8. decad. 4. ait: *Hic miles tripedalem parmam, & in dextera haſtas, quibus eminus utitur, & gladio Hiſpanienſi eſt cinctus. Quod ſi pede collato pugnandum eſt, tranſlatis in lævam haſtis ſtringit gladium.* Et de groſſis loquens Polybius, deque ferro groſſorum; illud habere duos cubitos longitudinis, ferrum vero unius palmi longitudinem tenere communi conſuetudine docet. De armandis quoque militibus, ita Vegetius lib. 2. cap. 15. ubi de gravi armatura eſt ſermo: *Hæc erat gravis armatura, qui habebant caſſides, cataphractas, ocreas, ſcuta, gladios majores, quos ſpathas vocant, & alios minores quos ſemiſpathas nominant; plumbatas quinas poſitas in ſcutis, quas primo impetu jaciunt; item bina miſſilia, unum majus ferro triangulo unciarum novem, haſtili pedum quinque & ſemis, quod pilum vocabant; nunc ſpiculum dicitur: ad cujus jactum exercebantur præcipuè milites; quod arte, & virtute directum, & ſcutatos pedites, & loricatos equites ſæpè tranſverberabat: aliud minus ferro triangulo unciarum quinque, haſtili trium pedum & ſemis, quod tunc vericulum, nunc verutum dicitur.*

Ex quibus auctorum locis, varioque armorum genere ferro præfulgido, illuſtratur locus Pſalmi, & pennæ columbæ deargentatæ in ala dextra, & ſiniſtra exercitus, ad hoſtium terrorem, & copiarum Iſraëliticarum decorem conſpiciuntur. Nam militibus procedentibus ad pugnam, ferro præfulgido, haſtis, verutis, contis, ac miſſilibus armatis, ad conferendam manum cum hoſte, ex ipſo galearum & armorum motu, Sole illuceſcente, fulgor erumpat, & fulgoris radios hinc inde jaciat neceſſe eſt. In quo ſenſu Homerus lib. 2. Iliad. Græcorum acies verſus Trojam progredientes dum ſcribit; eaſdem armorum ſplendore præfulgidas aperit, ſic dicens:

> Ἠΰτε πῦρ ἀΐδηλον ἐπιφλέγει ἄσπετον ὕλην
> Οὔρεος ἐν κορυφῆς, ἕκαθεν δέ τε φαίνεται αὐγή.
> Ὣς τῶν ἐρχομένων ἀπὸ χαλκοῦ θεσπεσίοιο
> Αἴγλη παμφανόωσα δι' αἰθέρος οὐρανὸν ἷκε.

Loquitur in his Homerus de fulgore, ac radiis armorum, qui undique ſpargebantur, & circumcirca per regionem coruſcabant, Græcis ſuas in acies ac cohortes diſpoſitis, ac ordinatis; huncque fulgorem igni comparat dicens:

> *Velut ignis edax comburens immenſam ſilvam*
> *Montis in verticibus; procul autem apparet ſplendor:*
> *Sic horum abeuntium, æris divini*
> *Splendor valde apparens, per aërem in cœlum ibat.*

Sic etiam lib. 13. ver. 339. hæc ipſa conſiderans, ſplendorem armorum congredientium ad pugnam expreſſit. Virgilius quoque Homerum imitatus lib. 7. Æneidos, certamen Trojanorum cum Latinis ſcribens, in eadem ſententia ſic ait:

> *Horreſcit ſtrictis ſeges enſibus, æraque fulgent*
> *Sole laceſſita, & lucem ſub nubila jactant.*

Quin etiam armorum fulgor à militibus, ex ipſa militaris artis doctrina procurandus cenſetur: plurimum enim ad victoriam facere, ſcribit Polybius in Gnomologia dicens: *Plurimum ad terrorem hoſtium ſplendor armorum confert; ac competens armorum apparatus plurimum facit ad neceſſitatem.* Nam & hæc ipſa arma ſic perpolita ac ſplendida, horrorem attuliſſe hoſtibus, ſacra quoque teſtantur oracula in Machab. 1. cap. 6. his verbis: *Refulſit ſol in clypeos aureos & reſplenduerunt montes ab eis, & fortitudo gentium diſſipata eſt.* Juxta quam ſententiam eſt locus Statii lib. 6. Thebaid. dicentis:

> *Qualis Biſtoniis clypeus Mavortis in arvis*
> *Luce mala Pangea ferit, ſolemque refulgens*
> *Territat . . . .*

Erat enim Pangeus mons Thraciæ, quem luce mala ictum ſcribit Poëta, ad horribilitatem ſplendoris inſinuandam. B Cum igitur ex repercuſſione armorum ad ſolis jubar, illa ipſa arma præfulgida neceſſario ſcintillare cogerentur: ex eadem armorum ſcintillatione non ſolum verba ſponſi in ſacris canticis appellantis ſponſam terribilem ut caſtrorum aciem ordinatam; ſed etiam ſuaviſſima alarum columbæ argento perpolitæ comparatio, qua Propheta eſt uſus in illo Pſal. 67. cum ait, *pennæ columbæ deargentatæ*, illuſtrata remanent. Et una cum his, horror ad hoſtes terrendos, valor Iſraëlitici exercitus, & denique pulchritudo, & decor Iſraëliticarum acierum ad pugnam procedentium, non communi, ſed divina quadam comparatione concelebrantur in illis verbis, C *pennæ columbæ deargentatæ, & poſteriora dorſi ejus in pallore auri.*

Supereſt adhuc comparationis propheticæ, quæ remanent partes, diligentius explicare: hæc nimirum verba, *Poſteriora dorſi ejus in pallore auri.* Quæ quidem adeo impervia atque ab hac noſtra expoſitione aliena fortaſſe cenſerentur, ut nullatenus ad ordinem diſpoſitionemque exercitus aptari poſſe crederentur; niſi ex his quæ de regiis ſtipatoribus, & ſcuto aureo eiſdem conceſſo diximus, lucem acciperent: tantamque lucem quidem accipiunt, ut certe in tota hac comparatione nil jucundius, aut pulchrius afferri poſſit.

Septuaginta dixere: καὶ τὰ μετάφρενα αὐτῆς ἐν χλωρότητι χρυσίου: D Hoc eſt: *Et terga illius in fulvedine aurea.* Eſt enim μετάφρενον, quod à tergo præcordiis objectum eſt. Nam in averſa corporis parte ſitæ ſunt αἱ φρένες, quæ quidem hepati juxta Homerum adhærent. Adhuc magis proprie Marcellus Empyricus loquutus videtur, qui μετάφρενον interſcapilium vocat. Videantur lexica Græca de hac dictione μετάφρενον. Columbæ igitur pars, quam *poſteriora* noſter interpres dixit, ea eſt ex Septuaginta, & ex vi dictionis, quæ inter utramque alam ſuperius in tergo locum habet. Ex his clarè colligitur vis & energia nobiliſſimæ comparationis, quæ Hebraico adhuc exemplari juvatur, quod habet: וְאֶבְרוֹתֶיהָ בִּירַקְרַק E חָרוּץ Hoc eſt: *Et pennæ ejus in virore auri.* Significat autem אֶבְרָה *ebhra* pennam robuſtiorem ſeù principaliorem in volucribus. Quamobrem in plurali אֶבְרוֹת *ebhroth* illas pennas proprie ſignificat, quæ in dorſo columbæ, inter ipſas alas, ſeu ſcapulas exiſtunt: & ex repercuſſione ſolis aurum, viridem, ſeu auratam iridem ſcintillantem in columbæ dorſo, quodammodo repræſentant.

Comparatio Prophetæ noſtri explicetur, & ad ordines militares aciei que diſpoſitionem redigatur; cujus quidem exercitus partem potiorem, aciem nimirum mediam, quam totius exercitus corpus, in militari diſciplina appellari diximus; poſteriorum, F ſive dorſi nomine in columbæ comparatione ſignificari perſpectum eſt. Cum igitur alas dextram, ſiniſtramque in exercitu, per ſimilitudinem ad columbam noſtri Prophetæ jam explicaverimus; auri pallor in acie media, totiuſque corpus exercitus contemplari debet ex valore ſatellitii, quod Regem vallabat, cuſtodiebat, atque in ipſa acie eundem comitabatur. Stipatorum fortitudinem, ac in re bel-

bellica virtutem jam monſtravimus : his verò militibus, qui facinora illuſtriora certando in hoſtium congreſſu peregiſſent ; ob egregia facinora , ut ſupra dicebamus, ſcutis aureis , vel auratis , armatis una cum Rege in prœlium exire concedebatur : quamobrem tum ratione uſus ſcutorum aureorum, quæ ab illis in acie portabantur ; nec non etiam ratione muneris tuendi Principem, media in acie gradiendi locum habebant. Cumque Princeps illuſtrioribus, ut dicebamus , militibus ſtiparetur ; hiſque ſtipatus media in acie graderetur , & ex repercuſſione ſolis in aureis clypeis, in galeis , atque loricis æreis , juxta morem armaturæ illius ſeculi, necnon etiam in gladiis , miſſilibuſque ferreis , ſcintillatio quædam circumcirca coloribus mixta coruſcaret , ei quodammodo ſimilis , quæ in dorſo columbæ conſpicitur ; aurum potiſſimum viride, ſeu virorem aureum repræſentans ; Propheta in allata comparatione Iſraelitici exercitus ad columbam, decorem, pulchritudinem , & diſpoſitionem acierum , per ſimilitudinem columbæ explicans , fortitudinem quoque , ac valorem in aureis illis clypeis conſiderans dixit : *Poſteriora dorſi ejus in pallore auri.*

Quinimò ſi energiam Hebraici exemplaris intimius contemplari velimus, potiſſimum ex illa dictione אֶבְרוֹתֶיהָ *ebhrotheha* , qua, ut dicebamus , pennæ robuſtiores in alis ſignificantur , manifeſtum erit , non alia de cauſa Prophetam noſtrum in concinendis laudibus Iſraelitici exercitus ; quem columbæ comparaverat , pulchritudinem ejuſdem atque valorem , à multitudine illuſtriorum militum ſumpſiſſe conſtat , qui clypeos aureos deferebant , atque cum Principe media in acie gradiebantur. Quem nobilium militum numerum Propheta expreſſit dicens , validiores pennas columbæ in virore aureo cotruſcaſſe. Ex quo Iſraelitici exercitus ordine , ac diſpoſitione , ex armorum genere , & ſplendore , è tenebris ſenſus difficillimus illius verſiculi ex Pſalmo 67. in lucem prodit , qui hucuſque hominum , expoſitorumque ingenia torſit. Et exercitus denique Iſraelitici, ac ſtipatorum valore ad columbam relato , quæ adeo aliena à reliquo Pſalmi ſenſu videbantur , explicata manent. Si vero in tanta allati verſiculi obſcuritate album non attigimus ; doctioribus ad veritatem collineantibus gratulabimur , ſi quando ad eam pervenerint.

CAP. XXV.

Mularum ex ſacris litteris vocabula, ad regiam pompam declarandam explicantur.

Illuſtratur locus Geneſ. 30. *Iſte eſt Anna , qui invenit aquas calidas in deſerto , dum paſceret Aſinos Sebeon Patris ſui.* Et ad alia.

MULA vectum Salomonem ad locum inaugurationis , Sacra ſcribit Hiſtoria 3. Reg. cap. 1. Verum difficultas remanet penes ſacrorum oraculorum interpretes , quo genere mulæ Salomon vectus fuerit ; cum horum animalium procreationem Iſraelitis in ſacris oraculis interdictam conſtet. Id poſtea examinabitur. Nunc ſacrorum oraculorum ſenſus inveſtigetur , & vocabula , per quæ muli in ſacris litteris ſignificantur, diſcutiantur , antequam regiæ pompæ equus ſive mula examinetur.

Communis Hebraizantium & Rabbinorum doctrina duo tradit vocabula , quibus muli ſignificantur in Scripturis ſacris. Hoc nimirum יֵמִם *Jemim* , quod habetur in Geneſi cap. 36. ubi Anna

A inter Eſau poſteros recenſetur , & de eo legitur : *Iſte eſt Anna , qui invenit aquas calidas in deſerto dum paſceret Aſinos Sebeon Patris ſui.* Et illud aliud פֶּרֶד *pered* , quod ſæpè ſæpius in ſcripturis legitur. Quia igitur de hac poſteriori voce nulla eſt difficultas ; prioris tantum ſignificatio propria , & germana inquirenda erit : præſertim quod de illa maxima inter expoſitores controverſia ſit. Loci hæc ſunt verba Hebraici codicis הוּא עֲנָה אֲשֶׁר מָצָא אֶת־הַיֵּמִם בַּמִּדְבָּר. Quæ verba interpretantur à noſtro vulgato interprete ; non ſolum in recognitis Bibliis , ſed etiam in antiquiſſimis ante D. Hieronymi tempora : *Iſte eſt Anna , qui invenit aquas calidas in ſolitudine.* Sequitur
B deinde ſtatim & aperitur , qua occaſione id Anna invenerit , dicens : *Cum paſceret Aſinos Sebeon patris ſui.*

Accedamus nunc ad locum examinandum , in quo quod vulgati codices dixere *aquas calidas* יֵמִם *Jemim* ; dixere Hebraica exemplaria. Reliqui vero à vulgato , in hujus loci interpretatione , tot videntur habere interpretationes , quot habent capita. Nam tranſlatio Septuaginta codicis Vaticani habet : καὶ οὗτοι υἱοὶ Σεβεγὼν Αἰὲ , καὶ Ὠνάν· οὗτός ἐστιν Ὠνὰν ὃς εὗρε τὸν ἰαμεὶν ἐν τῇ ἐρήμῳ , ὅτε ἔνεμε τὰ ὑποζύγια Σεβεγὼν τοῦ πατρὸς αὐτοῦ. (Subjugales dicuntur Aſini; quia in eis tam eo tempore , quam etiam ſub Samuel ara-
C batur) Hujus textus interpretatio hæc eſt : *Hi ſunt filii Sebeon : Aïe , & Anna : hic eſt Anna qui invenit Jamin in deſerto ; cum paſceret ſubjugales Sebeon patris ſui.* Septuaginta itaque Interpretes nullam illius Hebraicæ vocis interpretationem afferentes Hebraicam dictionem *Jamim* retinuerunt ; ſive in ſingulari dicentes τὸν ἰαμεὶν , ſive aliquando in plurali τοὺς ἰαμεὶν legentes , ut fecerant Aquila , & Symmachus. Iſtorum enim numerorum, ac caſuum ratio , ex Græcis articulis potius, quàm ex alio capite in illis vocibus dignoſcitur.

Rabbini communi conſenſu , cum omnibus Hebraizantibus etiam Catholicis , ut ſunt Sanctes Pa-
D gnin. Arias Mont. & reliqui quotquot vidi , ſic locum interpretantur : *Iſte eſt Anna , qui invenit mulos in deſerto.* Itaque quod Hebraica , Græcaque exemplaria *Jemim* , & vulgati codices , *aquas calidas* , dixerunt ; Rabbini & allati Catholici *mulos* interpretati ſunt. Nec recens eſt hoc commentum , ſed multis abhinc centuriis annorum , quin etiam ab ipſo ferè tranſlationum Biblicarum exordio. Plerique dictionem illam הַיֵּמִם *hajemim* , quaſi traditione quadam ejus ſignificationem à patribus accepiſſent , mulos tranſtulerunt ; ut Hieronymus teſtatur in explicatione loci jam allati dicens : *Sunt qui arbitrentur Onagros ab hoc admiſſos eſſe ad aſinas , & ip-*
E *ſum* , ſupple Anna , *iſtiuſmodi reperiſſe concubitum : ut velociſſimi ex his aſini naſcerentur ; qui vocantur Jemim : plerique putant quod equarum greges ab Aſinis in deſerto ipſe fecerit primus aſcendi ; ut muli inde , nova contra naturam animalia naſcerentur.* Ex quibus Hieronymi verbis , eam quam retulimus de mulis interpretationem , ab eo uſque tempore , & multò ante, hominum mentes occupaſſe conſtat : atque propterea ſaltem religioſa quadam antiquitatis ratione , etiam à neotericis eam interpretationem minimè reſpuendam fore.

Mirâ ſanè unius ſacræ Scripturæ loci interpretationum diverſitas. Nec minor quoque ejuſdem loci
F inter interpretes diſcrepantia. Quid enim commune eſt mulis cum calidis aquis? aut hæ cum illis in quo conveniant , ſomniare quis poterit ? Quid etiam dictio ἰαμεὶν , ſive ἰαμεὶμ à Græcis interpretibus poſita in Græco idiomate valeat , ſuſpicari vix licet. Nam quamvis illam vocem , nominis proprii ſpecimen præ ſe ferre dixerimus; quid illa familiare cum mulis habeat , ſubodorari difficile eſt. Una verò eadem-

demque dictione utrunque ſignificari , veroſimile non apparet. Interpretationem Septuaginta omnes ferè Græci auctores retinuerunt , parum , vel nihil ab eis diſcrepantes , ut infra monſtrabimus. Ex Latinis verò ſunt aliqui , qui magis ingenio fidendum rati , quam Vulgato interpreti concedendum , ac propterea hebraizantes , Rabbinorum interpretationem ac figmenta ſunt ſequuti. At purioris veritatis amici aquarum inventum cum Vulgato collaudarunt: quamvis nihil de illarum calore , cujus meminit noſter vulgatus interpres , expreſſerint.

Quod autem minimè ferendum mihi videtur, Viri Catholici , ſimulque eruditiſſimi non deſunt, qui ſacrum Vulgatum noſtrum interpretem , (tantæ in Eccleſia auctoritatis ; ut illius tranſlatio ſacri oecumenici Concilii decreto probata fuerit :) carpere non vereantur : quod dictionem illam הַיֵּמִם *hajemim*, quæ in Hebraicis exemplaribus legitur , aquas calidas fuerit interpretatus. Hac noxa commaculatus eſt Eugubinus in recognit. vet. teſt. in cap. 36. Geneſ. Vir quidem aliàs de Eccleſia Dei , & ſacris litteris optimè meritus. Nec minori nota inurendi veniunt illi , qui noſtri vulgati Interpretis tranſlatione relicta , (quæ ut infra monſtrabimus , rei ſignificatæ veritatem verius , quam reliqui omnes tenuit :) ſine fundamento aliquo ad Rabbinorum commenta ſeſe convertunt , atque eorum figmenta pro viribus complectentes, dictionem הַיֵּמִם *hajemim;* non *aquas calidas* , ſed *mulos* interpretantur. Hi ſunt Pag. Lyran. Eugubinus , Pineda lib. 2. de reb. Salom. & alii.

At ſciolus ille , qui adnotationes cum ſacro textu Pentateuchi Latino & Hebraico edidit , in officina Juſtinianea Venetiis impreſſas anno 1551. non ſolum locum prædictum interpretari mulos non eſt veritus , ſed in adnotationibus impudenter addidit : *Erravit interpres* , ſupple Vulgatus , *qui vertit aquas calidas , legens ſcilicet* מַיִם *pro* יֵמִם *Vocantur vero* יֵמִם *alio nomine* פְּרָדִים , *id eſt muli : & eſt compoſitum quoddam , ut verbis Kimchi utar, ex duabus ſpeciebus, qui ſcilicet naſcuntur ex equo & Aſina.* Cum iſto ſciolo ſtant alii plures , qui adeo aliquando Rabbinicis nugis adhærent ; ut ab illis , eorumvè figmentis ne latum quidem unguem diſcedere audeant : eo ducti , quamvis nugatorio argumento , quod illi de propriis myſteriis , deque propria vocum ſignificatione , ſecuriorem doctrinam tradere queant : & hi potius , quam exteri , qui ab ipſis ſacra oracula acceperunt, Linguæ ſanctæ ſignificationem , vocabulorumque illius peritiorem vim ac energiam habeant.

Validò revera argumento , cui ipſe quoque manus porrexiſſem , niſi auctore Paulo , ac etiam experientia ipſa comperiſſem ; ſuper cor Rabbinorum velamen poſitum eſſe ; *ut videntes non videant , & intelligentes non intelligant* , quemadmodum de illis Iſaias prophetaverat. Et quidem adeo denſum eſt hoc velamen ; ut lingua ſancta ipſiſmet Rabbinis nunc non minus extera , quam noſtris exiſtat : immò nobis Latinis quam ipſis notiorem eſſe linguam ſanctam ex grammaticis , atque dictionariorum ſtylo , facilitate , copia vocum , radicalique earumdem ſignificatione conſtat : hi enim Rabbinorum *ſchoraſchim* longe excedunt. Utinam iſti Catholici hebraizantes , dum rationem alicujus dubiæ interpretationis eruere non valent , Hieronymum virum ſanctiſſimum , peritiaque linguarum eruditiſſimum imitarentur. Qui hic cap. 36. Geneſ. recitans aliorum ſententias , nihil ex proprio capite decernere tentavit. Audiamus ipſum in quæſt. Hebr. *Ipſe eſt Anna* , inquit , *qui invenit Jamin in deſerto ; cum paſceret Aſinos Sebeon patris ſui. Multa & varia apud Hebræos de hoc capitulo diſputantur. Apud Græcos quippe , & noſtros ſuper hoc ſilentium. Alii putant Jamin*

A *maria appellata , iiſdem enim litteris ſcribuntur maria , quibus & nunc hic ſermo deſcriptus eſt : & volunt illum , dum paſcit aſinos patris ſui in deſerto, aquarum congregationem reperiſſe , quæ juxta idioma linguæ Hebraicæ maria nuncupantur. Quod ſcilicet ſtagnum repererit , cujus rei inventio in eremo eſt difficilis &c.* Quæ prolixius ibi Hieronymus habet , brevitatis gratia à nobis prætermittuntur ; ut ſuo in loco nunc ſtatim reponantur, atque excogitata mulorum inventio, Rabbinorumque interpretatio rejiciatur , & noſtri vulgati interpretis germana lectio firma teneatur.

Moventur Catholici plures Rabbinorum auctoritate , qui cum conjecturis potius , quam ratione ,
B aut linguæ ſanctæ peritia , ut Oleaſter adnotavit , ducantur ; pro capite inſulſiſſima comminiſcuntur. Rab. Salomon ſummæ apud Hebræos auctoritatis in prædicto loco Gen. 36. conſtanter tenet, dictionem הַיֵּמִים per hanc aliam פְּרָדִים quæ mulos ſignificat, interpretandam fore. Deinde hæc addidit: *Fecit commiſceri aſinum cum equa , & peperit mulum , & ille,* ſupple Anna , *erat nothus , & induxit falſos , id eſt mulos in orbem.* Nam Annam fuiſſe nothum paulo ſupra docuit ; affirmans Sebeon concubuiſſe cum matre , eoque concubitu generaſſe Annam. Hæc autem nullo nituntur fundamento ſacro , ſed tantum ſomnio Rabbinico. Rationem poſtmodum nominis
C הַיֵּמִים afferens ait nomen ipſorum appellari יֵמִים *jemim quia timor ipſorum cadit ſuper creatura. Dixit enim Rabbi Haninah , per tempus vitæ meæ (erat enim medicus) conſuluit me homo ſuper percuſſione alicujus mulæ , qui vixerit.* Hæc ſunt ſomnia Rabbinorum , qui derivant vim illius nominis , à dictione אים *hajom* , quæ valet crudelis : quod hæc animalia crudelia , & formidabilia ſint omnibus creaturis ; & quod ictu crudeli atque letali percutiant. In eodem ſenſu loquitur Chaldæus Paraphaſtes , qui dictionem illam הַיֵּמִים per hanc aliam הַגִּבּוֹרִים *haghiborim* interpretatur , hoc eſt , *fortes*. Eadem de ratione ſimiliter Aben Ezra idem ſentit : docetque Annam primum
D reperiſſe hanc ſapientiam , (ut ejus verbis loquar) quod ex una ſpecie commixta alteri , generatio alicujus fieri poſſet.

Sed ex Catholicis etiam plurimi ſunt, qui tam obſtinato animo Rabbinorum nugis interdum adhærent ; ut ſexcenta alia excogitent figmenta , ne ab illorum dictis tantillum recedant. Et commentum illud de excogitata ab Anna mulorum ſpecie , adeò ratum habent aliqui , ut ſacræ noſtræ Vulgatæ editionis auctoritate ab antiquiſſimis temporibus ſecus legentis , nulla ratione reſipiſcant. Sibi enim perſuadent , Annam re vera in illo Geneſis loco mulos reperiſſe , non autem maria , ſive aquas calidas :
E quod ſtagna aquarum in ſolitudine , aut calidas aquas reperire , memoria , aut commendatione dignum minimè arbitrentur ; utique verò magni faciunt, novum animalium genus Annam excogitaſſe ex commixtione equorum & aſinarum , ſive aſinorum & equarum.

Sumpto etiam à textura orationis prædicti loci argumento , illi ipſi auctores magni faciunt ; quod in prædicto capitulo totam Eſau generationem ſacer textus cum recenſuiſſet , ſingulorumque nomina ſimplicibus verbis poſteris commendaſſet ; ad Annam ut pervenit , antequam ultra ad reliquos progrederetur ; orationem detinuit : nec ſimplicibus verbis
F Annam poſteritati commendavit , ſed quaſi aliquid laude dignum narraturus de eo eſſet , ait : *Iſte eſt Anna , qui invenit hajemim in deſerto ; cum paſceret aſinos Sebeon Patris ſui.* Quo enarrato , reliquam Eſau poſteritatem ſacer textus recenſere proſequitur : igitur niſi inventum illud laude admirationeque dignum , & ipſi quoque Orbi perquam commodum extitiſſe , à ſacro ſcriptore cenſeretur ; non erat ei quam-

quamobrem potius in iſto, quam in reliquis de poſteritate Eſau orationem detinuiſſet. Eapropter plures ſunt expoſitores ex Latinis, quibus non ab re Rabbini conjectaſſe videntur, Annam mulos adinveniſſe, *cum paſceret Aſinos Sebeon patris ſui*; quod nimirum illud inventum toto Orbi commodum fuerit; & revera numquam ſatis laudatum cenſeatur, nova animalium ſpecie naturam auxiſſe, ſpecie, inquam, ipſi naturæ quodammodo ignota.

Veteres enim, eos qui Reipublicæ commodo conſuluiſſent; non tam rem aliquam novam excogitando, quam alicujus rei uſum monſtrando, tanti ſemper fecere; ut divinos honores Diabolo ſuggerente, eiſdem deſignare minimè vererentur: præſertim ubi aliquid naturæ humanæ commodum; vel vitæ alendæ neceſſarium, vel ad ejuſdem uſum jucundum excogitaſſent. Hinc ex uſu tritici Cererem divinitate dignam Siculi, omneſque alii cenſuerunt. Jano, & Baccho ex inventis vineis, vinique uſu divinitatem tribuerunt, templa ſacrarunt, ſacerdoteſque dedere. Æſculapio, & Apollini medicamentorum de cauſa divinos deſtinavere honores. Qua ſimiliter de cauſa Joſephum filium Jacobi, ſub Serapidis nomine cultum, & veneratum ab Ægyptiis ſcribit Julius Firmicus Maternus, in libro de errore profanar. religion. dicens: *Cum ingrueret areſcentibus frugibus malitioſa fames; Jacobi religioſi Patriarchæ ſemine procreatus juvenis Joſeph, interpretatuſque ſomnium Regis, totum quicquid innuebat oſtendit. Joſeph (eſt Jacobi filius) qui ob pudicitiam in carcerem miſſus, erectus poſt interpretationem ſomnii, fuit particeps regni. Nam ſeptem annorum collectis, & ſervatis frugibus, alterius ſepteni egeſtatem, divinæ manus providentia mitigavit. Huic poſt mortem Ægyptii patrio gentis ſuæ inſtituto, templa fecerunt; & ut juſtam diſpenſationis gratiam poſteritas diſceret, quo medio eſurientibus, & ementibus frumenta diviſerat, capiti is ſuperpoſitus eſt. Nomen etiam, ut ſanctius coleretur, ex primo auctore generis accepit: nam quia Saræ pronepos fuerat, ex qua nonagenaria Abraham indulgentia Dei ſuſceperat filium, Serapis dictus eſt Græco ſermone, hoc eſt* Σαρᾶς ἀπ', *ſed hoc invito Joſeph accidit, imò mortuo.* Hæc ille cap. 14. poſteritati tradidit.

Hac pariter de ratione Jovem, Solem, Lunam, Stellas, ac reliqua ſidera, quæ ætherem exornant, terramque bonis omnibus fœcundant, dum conſpectui humano objiciuntur, adoravere veteres; religioſoque cultu venerati ſunt: quod inexplicabile commodum, atque utilitatem ab his cœleſtibus luminibus, hæc inferiora recipere, hi ipſi intelligerent. Eadem igitur, vel quaſi ſimili de cauſa, auctores jam retro citati cum Rabbinis arbitrati ſunt, ſacrum textum in enumeranda poſteritate Eſau, ad Annam cum perveniſſet, ſermonem detinuiſſe: quod nequaquam ſilentio mulorum inventum, ſacer ſcriptor prætereundum cenſeret; ſed potius ibi de illo ſingularem ſermonem habendum fore; ut nova animalium ſpecie ab ipſo aucta natura, ex concubitu aſini & equæ, in hominum memoria remaneret.

Ego tamen communem ab Hebræis receptam interpretationem dictionis הימם *hajemim* explodendam arbitror: ut tandem aliquando, non tam inveteratus error de medio tollatur, quem ex Rabbinorum inſcitia traxiſſe originem certum eſt; quàm etiam ut noſtri vulgati veriſſima interpretatio ſuſtineatur. Firmiſſime enim teſtor Annam non mulos, ſed congregationem aquarum in deſerto reperiſſe. Rabbini enim cum ſignificatum illius dictionis הימם *hajemim* penetrare non valerent; erroremque in punctuatione dictionum, (qui ſtatim probabitur), ex librariorum incuria, aut exſcriptorum vitio, in ſacros libros admittere cum non auderent; legerentque Annam reperiſſe הימם *hajemim*, *cum paſceret Aſinos*

A *Sebeon patris ſui*; conjectarunt equi & aſinæ, vel contra, aſini & equæ concubitu, mulos Annam reperiſſe; hocque animalium genus dictione הימם *hajemim* ſignificari excogitarunt.

Rabbinorum; & Hebraizantium Latinorum commentum, Oleaſter, & Torniel. in Annalib. anno mundi 2319. & Perer. in cap. 36. Geneſ. diſp. 1. meritò rejiciunt. Ducitur Oleaſter ratione vocabuli dicens: *Interpretari mulos, ut plerique, quidem non audeo: nuſquam enim in ſcripturis eo vocabulo ſignificari mulos reperi; & propter paucos Hebræos, qui, ut ſæpe teſtatus ſum, conjecturis potius, quam linguæ peritia ducuntur, non puto nomen iſtud à propria ſuæ radicis ſignificatione alienari debere.* Et quidem cum alia habeantur vocabula, quibus muli in ſacris litteris ſignificantur: nec ratio reddi poſſit, ob quam *Jamim* in illo loco ſignificare mulos demonſtretur; non eſt cur mulorum generationem in eo loco ſignificatam velimus. Pererius loco citato n. 8. & Torniellus negant inventionem mulorum ad Annam referendam eſſe: nec enim contra naturam, mulorum ac mularum generationem dicendam putant: de qua re multa ibi Pererius, qui nequaquam tot ſeculis mundum caruiſſe eo animalium genere, humano uſui per quam commodo, admittendum arbitratur.

Eadem nos ſumus in navi: ut nulla ratione mulorum interpretationem in ea voce ſuſtinendam cenſeamus; quamobrem in Rabbinos, atque Hebraizantes ex energia ſacri textus inſurgimus. Qui enim cum Rabbinis ſtant, minimè attenderunt illo vocabulo *Jamim*, Hieronymo teſte, ut vidimus, etiam ſi muli ex aliquorum ſententia ſignificarentur; non tamen mulos ſimpliciter, ſed velociſſimos mulos, qui nimirum ex onagris & aſinis gignerentur. Sic enim ille habet: *Sunt qui arbitrentur onagros ab hoc admiſſos eſſe ad aſinas; ipſumque iſtiuſmodi reperiſſe concubitum, ut ferociſſimi ex his Aſini naſcerentur, qui vocentur Jamim.* Pulli verò, qui ex aſino, ſive ſilveſtri, ſive domeſtico, & aſina gignuntur, muli verè nequaquam ſunt dicendi. Quod ſi eo vocabulo mulos ſignificari velimus; regii potius, qui erant velociſſimi, quam alii communis generis muli ſignificabuntur: cum hi tardiſſimi ſint motus: & tamen linguæ ſanctæ phraſi velociſſimos mulos, regios nimirum *Peradim*, non verò *Jemim* dici ſacra oracula demonſtrant. Quæ quidem ſi doctiſſimus Pineda lib. 2. de reb. Salom. cap. 5. attendiſſet; nunquam ex capite proprio, & contra doctrinam à D. Hieronymo relatam, & ſexcenta ſacrarum Scripturarum loca, mulos communis uſus, quique tardiſſimi ſunt motus, dici *Jamim*; velociſſimos verò, & quorum uſus erat apud Reges, *Peradim* nominari in ſacris litteris docuiſſet.

Commentum Rabbinorum, atque illorum, qui hos ſequuntur & admirantur, ut eluceſcat magis, rogatos velim ſacrarum litterarum interpretes; nullum aliquando eos debere præterire apicem, ne dicam verbum, quem in ſacris codicibus diligentiſſime non expendant, tam in Hebraicis exemplaribus, quam in Græcis, cum primis verò in Latino noſtro Vulgato interprete; & in loco jam allato ex Geneſ. 36. quem elucidandum ſuſcepimus, dictionem illam *matſah* מצא conſiderare velint. Non enim obiter, nec per tranſennam legenda erit; ſed vis, energiaque ſignificationis illius verbi *bubulo*, ut dicitur, *calcanda erit pede.* Quod quidem ſtudioſum ſacrarum litterarum, ſingulis in dictionibus facere oportet; ut abditos illarum ſenſus, reconditaque arcana ſupremis ſaltem deguſtare labiis valeat. Quiſquis igitur hac ſervata regula ad illum locum interpretandum acceſſerit, utique dictione illa מצא *matſah*, nequaquam aliquid de novo excogitatum ſignificari, ut

ut falſo exiſtimavit David Chimki ; ſed inventio-
nem rei jam præexiſtentis inſinuari intelliget, deque
hac re Annam in ſacro textu celebrari cognoſcet ;
nequaquam verò , quod ipſe induſtria ſua mulos gi-
gni poſſe , ex aſinis & equis excogitaverit. Voca-
bulum enim illud *matſah* מָצָא eamdem vim habet ,
quam verbum latinum *Reperit*. Quod quidem non
aliquid mente excogitatum , ſed tantum minus no-
tum ac recens manifeſtatum reſpicit. Loca ſacrarum
Scripturarum amicus lector conferat. Quamvis enim
invenio & *reperio* apud Latinos , ſimilem videantur
habere ſignificationem ; per has tamen voces res de
novo excogitatæ minimè ſignificantur. Major ta-
men eſt energia , ac vis Hebraici verbi מָצָא *matſah*:
quam Latinorum vocabulorum *invenit* , & *reperit* ;
ac proinde falſum puto Annam à ſacro ſcriptore pro-
pterea laudari , quod novum mulorum genus inter
animalia excogitaverit.

Sumatur aliud argumentum , ad excludendam
Hebraizantium interpretationem , ab oratione &
phraſi ſacri Scriptoris , & ab his , quæ neceſſario ab
eo referenda fuiſſent , ſi de mulis in loco , quem
diſcutimus , ageretur. Etenim equarum quoque ,
vel equorum ſacer textus meminiſſet , ſi mulos di-
ctione illa *Jemim* ſignificari voluiſſet. Nam equas
quoque , vel equos Annam , vel aliquem alium cum
eo ad eadem paſcua duxiſſe , rationi conſonat ; ut
mulorum ſpecies ex utrorumque concubitu gigne-
retur. Quinimò rationabilius certè videretur equa-
rum , vel equorum , quaſi de ſpecie nobiliori , ac
digniori , ſacrum Scriptorem meminiſſe, quam aſi-
norum vel aſinarum , ſi ab inventione alicujus ter-
tii , novique animalium generis ab Anna excogitato
eumdem commendare in eo loco ſacer ſcriptor vo-
luiſſet : cum tamen de aſinis tantum , non autem
de equis , ſacrum textum meminiſſe conſtet.

Perſpicuum igitur remanet; dictionem illam הַיֵּמִם,
quæ legitur in Hebraicis exemplaribus, nulla ratio-
ne de mulis interpretari poſſe ; ſed ad hæc anima-
lia in ſacris litteris ſignificanda , unicam tantum re-
manere vocem , nimirum פֶּרֶד *pered :* cujus vocabu-
li ac dictionis uſus , non ſemel aut iterum , ſed ſæ-
piſſimè in ſacris legitur libris. Nimirum 2. Reg.
18. item cap. 5. & 13. lib. 1. Paralip. 12. apud Iſai-
am 66 in Ezechiel 27. Et paſſim in ſacris litteris ,
quoties mulorum ſacra oracula meminere , toties eo
vocabulo *pered* פֶּרֶד utuntur ; nec aliquando eo alte-
ro vocabulo יֵמִם *Jemim* , de quo huc uſque diſputa-
vimus , ſacer textus utitur. Quamobrem ex unius
tantum dictionis יֵמִם *Jemim* uſu , ſignificationem
mulorum inſcitia Rabbinorum craſſo ex capite com-
mentam , (vere tamen ignotam , & obſcuram ,) mi-
nime licet haurire , diverſam ab ea quam tenuit no-
ſter ſacer interpres , antiquitate, & ex Eccleſiæ au-
ctoritate cæteris omnibus longe doctior , ac verior.
Nam *mulos* loco allato interpretari , eſt nova vo-
cabula confingere , quæ neque ratione etymologiæ,
neque ſimilitudinis aliquid commune cum commenta
ſignificatione habeant.

C A P. XXVI.

Hebraica Biblia Vulgati interpretis auctoritate ſunt corrigenda.

Illuſtrantur loca. *Iſte eſt Anna , qui invenit aquas calidas in deſerto ; dum paſceret aſinos Sebeon patris ſui.* Gen. 36. Et Pſ. 4. *Filii hominum uſquequo gravi corde , ut quid diligitis vanitatem &c.* Et ad alia.

A QVANTÆ dignitatis , atque præſtantiæ, tum
apud Trojanos , tum etiam Iſraëlitas fuerit
mula vehi , ſtatim aperiemus. Verum ut a-
pertiora & certiora fiant, quæ capite præcedenti do-
cuimus; firmare neceſſe eſt, à quo exemplari ſacro-
rum oraculorum veritas petenda ſit. Cum enim ſacra
oracula Hebraicè primum à Deo tradita , Græcè dein-
de interpretata ſint per Septuaginta viros , & demum
ad Latinos tranſierint : & tam Latinorum , quam
Græcorum Hebraicorumque codicum, varia exem-
plaria circumferantur ; & in his ipſis quoque codici-
bus , variæ atque diverſæ habeantur lectiones :
B hos ipſos codices gravi ac diuturna indigere diſcuſ-
ſione experientia comprobatum eſt ; non tam ut
verus ac proprius ſacrorum oraculorum ſenſus erua-
tur ; quam ut ea quæ in expoſitione loci difficillimi
ex ſacræ Geneſis cap. 36. diſcutienda ſuſcepimus,
apertiora fiant.

Prius igitur germanam lectionem ejus loci inqui-
ramus, cujus hæc ſunt verba ex Hebraicis exempla-
ribus : הוא עֲנָה אֲשֶׁר מָצָא אֶת הַיֵּמִם בַּמִּדְבָּר hoc eſt: *Ille*,
ſupple *Ana* , de quo loquebatur , *eſt qui invenit
hajemim in deſerto*. Difficultas autem tota in dictione
hajemim verſatur; cujus dictionis Hebraicæ germana
lectio ut ſtatuatur ; nonnulla ab ovo eruere
cogimur. Et primo obſervandum eſt in dictione illa
C הַיֵּמִם *hajemim* litteram ה, in principio dictionis poſi-
tam heemanticam eſſe juxta linguæ ſanctæ regulas
grammaticales : poſita cum ſit in illa voce ad for-
mationem caſuum. Ac propterea de illa nihil nunc
dicendum ; ſed tantum reliquum dictionis יֵמִם *Jemim*
conſiderandum , cum *zere* ſcriptum : duobus nimi-
rum illis apicibus ſub prima radicali ſubſcriptis, ut
habent omnia exemplaria Hebraica, quæ nunc cir-
cumferuntur : quam tamen dictionem nullibi in tota
ſacra Scriptura, præter cap. 36. Geneſ. reperiri li-
quidò conſtat.

Quia igitur tota difficultas ad punctulum *zere* revo-
catur; non erit præter rem obſervare, duas in ea di-
D ctione haberi ſyllabas , nimirum יֵ *Jod* cum *zere*,
quod ſonat E. & מִם *Mem* cum *chirec* quod ſonat I ;
& his duabus vocalibus fieri dictionem יֵמִם *Jemim* ,
cum punctulis infra characteres conſcriptis , ad ex-
primendum vocales de more linguæ Hebraicæ. Vt
verò cuncta exactius expendantur, ad memoriam revo-
cetur, quod antiquitus punctuli , infra , aut ſupra
characteres poſiti, ſacris in libris minime habeban-
tur: ut Elias Levit. præfat. 3. in Sepher Maſoreth
teſtatur. Quod etiam nunc quoque, religioſa qua-
dam traditione, Hebræi in Synagogis retinent; ubi
ad orandum fruſtra conveniunt. Quamobrem cer-
tum eſt, noſtram dictionem יֵמִם *Jemim*, cujus ſigni-
E ficationem impræſentiarum quærimus , non ſolum
antiquitus, ſed & nunc quoque in voluminibus Sy-
nagogæ, non quidem ſic הַיֵּמִם ſed ſine punctulis ſic
הימם ſcribi.

Hujus dictionis ſignificationem expiſcari ſi veli-
mus ejuſdem, radicem inquirere noſtri eſt muneris:
nullamque aliam ex grammaticalibus linguæ ſanctæ
regulis, eam vocem radicem poſſe habere conſtat;
quam iſtam inuſitatam יָמַם *jamam*. Quod ſanè radica-
le fundamentum etiam , qui puncta adinvenere , con-
cedere neceſſario coguntur. Nam illud daghes in
ventre prioris מּ *mem* ſic clauſum , defectum alterius
מ *mem* radicalis in prædicta dictione הַיֵּמִם *hajemim*
F apertiſſime ſubindicat. Poſtremum etiam *mem* ם nec-
non littera *Jod* , quæ ibi deficit, & ſuppletur per
punctum *chirek*, ſub מ antecedenti , ſervilia ſunt ut
poſita ad notam pluralis numeri , à ſingulari di-
ctione יָם *Jam* deducti , quæ in plurali facit יַמִּם
Jamim.

His igitur obſervatis de radice prædictæ dictionis
ac vocis , de nota numeri pluralis , ac etiam de de-
fectu

ſectu litteræ Jod, & de ſubſcriptis punctulis, perſpicuum eſt dictionem illam, quæ nunc cum puncto zere ſub littera Jod in principio ſcribitur, hac ratione יֵמִים *Jemim*; (ut conſtat ex omnibus exemplaribus Hebraicis, quæ circumferuntur) & non cum patach ſic יַמִים *Jamim*. Et illa ſcribendi forma grammaticalibus regulis cùm nequaquam reſpondeat, Hebraicam illius dictionis lectionem nulla ratione ſuſtinendam, ſed corrigendam, & יַמִים *Jamim* legendum pro יֵמִים *Jemim* in prædicto loco affirmamus, apponendumque fore *patach* pro *zere* ſub prima littera *Jod*.

Lectio iſta à nobis ſic emendata, ut ſana oſtendatur, exordia punctorum in Hebraicis codicibus indagari poſtulat: hæc enim fuere litteris appoſita, vel ab Eſdra, ut aliqui volunt, apud Eliam Levitem præfat. 3. in Sepher Maſoreth, vel poſt templi poſtremi everſionem, & Hieroſolymitanæ Urbis excidium, ut Elias Levites Germanus ſeculo parum à noſtro ſuperiori, inter Judæos grammaticos doctiſſimus affirmat: & cum eo Guillel Lindan. Dordracenſis ſacrarum litterarum ac Theologiæ doctiſſimus lib. 1. de optimo genere interpr. Scrip. cap. 2. quibus alii etiam doctiſſimi viri ſubſcribunt. Puncta autem Rabbini Tiberitæ ſacris, inquiunt, codicibus adſcribi curarunt, ne lectio ſacrorum codicum aliquo modo graſſante ignorantia corrumperetur; ſed illibata ſervaretur. Hæc enim Elias Levites præfat. 3. in Maſoreth de hac re ſcripſit, his verbis: *Abſque dubio ſi ipſi non veniſſent*, ſupple Tiberitæ, *lacerata & depravata fuiſſet lex; nec invenirentur duo biblica exemplaria ſibi conſentientia.*

Inquirendum nobis remanet, (ut appareat an illud Jod cum *zere* ſic ‥ an cum *patach* ſic ־ ſcribendum ſit.) potuerintne in aſcribendis punctis in ſacris Bibliis, Rabbini, aut exſcriptores peccare necne; ut videlicet incuria, oſcitantia, ignorantia, aut aliquo alio vitio, uno punctulo pro alio dictionem aliquam aliquando affecerint; ſeù litteram aliquam pro alia in aliqua ſacræ Scripturæ dictione repoſuerint. Niſi enim Hebraici exſcriptores in hoc errare potuiſſent; nequaquam Maſorethæ tanto ſtudio librum edere excogitaſſent, quod Maſoreth Hamaſoreth inſcripſerunt; in quo capita, verſus, & litteras omnes ſingulorum librorum ſacrarum Scripturarum numeratas repoſuerunt; ut ſacra Biblia incorrupta illibataque ſervarent. Nec etiam emendatum ſervare ſacrum codicem tantopere Maſorethæ Tiberitæ ſtuduiſſent; niſi errata plurima vel in Hebraicis Bibliis occurriſſent, vel occurrere poſſe ſuſpicarentur. Morbis enim jam cognitis medicina excogitatur, & apponitur; nequaquam verò nondum cognitis: neque leges aliquando à Magiſtratu eduntur, niſi ad occurrendum vitiis ſubditorum, quibus aliquando aliquem commaculari poſſe dubitatur. Stultum enim cenſeretur legem condere de iis, quæ nemo committere poſſet: pari ratione, niſi menda plurima irrepſiſſe ſacra in exemplaria Rabbini Tiberitæ, ab eo uſque tempore adnotaſſent: (ut etiam de codicibus ſui temporis fatetur Elias:) nequaquam his incorruptis ſervandis tantopere conſuluiſſent: ut verſus & litterarum ſpecies cujuſque libri ſacri numeraſſent.

Sed eſto, Rabbini priores in punctatione ſacrorum codicum minimè erraverint: quæram an incuria librariorum, exſcriptorumque vitio, oſcitantia, vel inſcitia, contingere potuerit; ut aliquando *zere* pro *pathach* illi *Jod* in noſtra dictione adſcriptum fuerit. Contingere hoc potuiſſe, negare non licet; cum manifeſtè id fateantur Hebræi in aliis dictionibus ſacrorum exemplarium; & de hoc Elias Levites in Sepher Hamaſoret præfat. 3. egerit. Sunt etiam apud Ariam Mont. & alias viros doctos, variæ lectiones ex diverſis Hebraicis exemplaribus deſumptæ, quæ id probant. Id etiam confirmant loca plurima, quæ in Scripturis ſacris leviter fuiſſe corrupta conſtat; & aliter atque aliter, pro diverſitate codicum, hodie ſcripta leguntur: ut tradunt Elias præfat. 2. in Sepher Maſoreth, & Lindan. lib. 1. de optim. gen. interpr. Script. cujus opuſculum nobis dum iſta meditaremur, caſu ad manus occurrit: atque propterea ſupramodum lætati ſumus, cum alios quoque viros doctos advertiſſe cognovimus, quæ nos etiam aliquando in noſtro pſalterio adnotaveramus: Vetera Hebraica exemplaria ſacrorum Bibliorum contemplentur; manuſcripta cum impreſſis conferantur; impreſſa quoque unius editionis cum aliis recenſeantur; Veneta recentiora cum antiquioribus conſpiciantur; Veneta cum Germanis; ac Gallicis exemplaribus intueantur; ut in his pius lector errata, vel commiſſa, vel emendata animadvertat: nam ſi hæc enumerari placuerit; utique ultra ſexcenta ad manus inemendata, immò depravata loca occurrent.

Quamvis itaque plurimum in hoc peccaſſe ſacrorum Codicum, & aliorum Hebraicorum exemplarium Scribas, hæc ipſa, quæ huсuſque diximus, probent; nihilominus ad clariorem rei evidentiam, ratione, exemplíſque non vulgaribus, à ſacris exemplaribus petitis, hoc ipſum probetur. Ratio ſumatur à ſimilitudine characterum Hebraicorum, quam inter ſe retinent; & à punctis quæ ſtant loco vocalium. Hæc enim facile contaminari, delerivè poſſe conſtat; & ex characteribus aliis in alios tranſire, diverſæque vocalis ſonum exprimere valent. Si enim à *ſegol*, quod ſic ֶ ſcribitur, antiquitate temporum, corroſione papyri, aut aliquo alio ex accidenti inferius punctulum corrodatur; remaneatque ſub hac figura ‥ non amplius erit *ſegol*, ſed in *zere* tranſit. Sic etiam ſi à *camets*, quod figuratur per rectam lineam, cui infra ad medium adjungitur apiculus ſic ָ caſu aliquo apiculus corrodatur, & ſic ־ remaneat: jam nequaquam *camets*, ſed *patach* in ea ſyllaba legendum erit. Similiter ſi à *zegol* lateralis apiculus corrodatur, in *ſceva* hujus figuræ: facile tranſibit: at ſi ex toto *ſegol* aut *zere* unus tantum apex ſub aliqua littera remanſerit ſic אִ, vertetur in *chirec*, & per *I* pronunciandum erit. Conferantur reliqua Hebraica puncta omnia, ex quibus vocalium ſonus cognoſcitur; & in illis omnibus æquale periculum apparebit.

Animadverſione iſta de corroſione punctuli in manuſcriptis codicibus, quæ vel temporum vetuſtate, vel oſcitantia exſcriptorum contingere poteſt, quam facillimè explicatur difficultas illa nunquam ſatis ſoluta, quæ inter nos, Rabbinoſque verſatur, de numero annorum Cyri Regis Perſarum: quo quidem numero ad hebdomadas Danielis numerandas, tam ipſi Hebræi, quam nos Chriſtiani utimur. Nos enim triginta annos Cyro Regi adſcribimus: occurrunt Judæi, treſque tantum annos Cyrum regnaſſe contendunt. Pro ſe citant ſuos auctores, quibus tantam fidem habent; ut apud eos Chriſtiani, Græci, aut alterius gentis ſcriptores nullius ſint auctoritatis: cum tamen tam ex Græcis ſcriptoribus, quam ex his, quæ in ſacris litteris Eſdræ à Cyro geſta referuntur, nulla ratione fieri potuerit, ut tres tantum annos Cyrus regnaverit. Mendum verò in ſcriptoribus Hebræis facile probabitur ex dictione שלש *ſcelos*; quæ *tres* in lingua Hebræa valet: ſi autem in poſtrema illius dictionis parte, nimirum ſupra ש *ſcin* adſcribantur duæ lineolæ ſic שלשים jam hæc dictio ſonat *ſceloſcim*, valetque triginta. Cumque duo illi apiculi facile ab exemplaribus Hebraicorum auctorum antiquorum, quorum ſcripta in membranis extabant, corrodi, ab illaque dictione excidere potue-

rint; fieri etiam potuit, ut poſteriores exſcriptores Hebræi, ac lectores pro שְׁלוֹשִׁ״ *ſceloſcim* exſcripſerit שְׁלוֹשׁ *ſcelos*, quod *tres* valet: atque propterea tres tantum annos Cyrum regnaſſe hodie dicant Hebræi, cum Chriſtiani ex veterum monumentis triginta regni annos dent Cyro. Perſpicuum eſt igitur quanto in diſcrimine Hebraicæ dictiones, ex appoſitione illorum apiculorum, verſentur.

Nec minori in periculo Hebraici codices verſantur ob characterum nonnullorum Hebraicorum inter ſe quam maximam ſimilitudinem: nonnulli enim illorum tantopere figura conveniunt; ut vix ab invicem diſtinguantur. Exempli gratia *beth* & *caph* quæ ſic delineantur ב כ. Reſch & Daleth quorum hæc eſt forma ד ר; *He* & *cheth* ſic figurati ה ח & alii plures, qui in alphabeto Hebraico à benevolo lectore contemplari poterunt. Eapropter facillimè alterum pro altero, tam exſcriptores, quam impreſſores, vel incuria, vel ignorantia aliquando adpoſuerunt. Quinimò ſi antiquitate temporis aliquid in his characteribus corrodatur, alterum in alterius naturam tranſire neceſſe eſt.

His noſtris obſervationibus, Elias Levit. in tab. ad Maſoreth, in opere quod inſcribitur *ſciure luchoth* & doctiſſimus Lindan. lib. 1. de opt. gen. interpr. ſcript. cap. 4. conſentiunt. Verum ut res exemplo probetur, ſi in littera *cheth* ח corrodantur extrema lævæ lineæ, quæ jungitur ſupremæ, ſic ה; jam non *cheth*, ſed *He* erit: corrodantur anguli litteræ ב *beth*, tranſibit in כ *caph*: ſic etiam *Daleth* in *Res*. Quod ſi litteræ Vau ו corrodatur tantiſper, quæ deorſum vergit linea, in Jod י mutabitur: quamobrem Grammatici Hebræi *Jod* fore *Vau* decurtatum, & *Vau* protractum *Jod* affirmant. Ex hac autem Characterum ſimilitudine, quot menda exurgant in exemplaribus Hebraicis ſacrorum Bibliorum, unuſquiſque obſervare poterit, pervolvendo codices impreſſos tam Venetiis, quam alibi; in quibus certè innumerabilia hujus generis errata reperiuntur.

Eſt etiam pro majori elucidatione attendendum, quod antiquitùs ſacri codices Hebraici per capitula minimè diſtinguebantur; ſicut nec etiam modo diſtinguuntur; licet appoſitis in margine quibuſdam notis numerabilibus, capitula ex more Latinorum codicum nunc ſignentur. Quamvis enim ad uſum Synagogæ atque conventus, Rabbini ipſi lectiones totius legis diſtinxerint per partes, quas *Paraſchoth* vocant, ad circulum totius anni accommodatas; non tamen Pentateuchum per libros dividunt, neque in totum, neque per partes, niſi per illas *Paraſchoth*, quas à primis dictionibus inſcribunt. Verſus quoque, quos *peſuchim* appellant, antiquitus nec ipſi diſtinguebantur; licet nunc per punctulum duplicatum, quod Soph Paſuch vocant, in fine periodi poſitum, finem verſus notent. Etiam ab accentibus antiquitus ſacri libri abſtinuerunt: ut in præfat. 3. Sepher Hamaſoreth doctè tradit Elias: ſed nec unam dictionem ab altera ſepararunt, immò integrum librum per modum unius verſus, ac integræ dictionis ſcribebant. Hoc atteſtatur Elias jam citatus præfat. 3. dicens: *Unde & Magiſtri Cabaliſtici ajunt totam legem eſſe quaſi Paſuch unum; atque periodum, aut ſecundum alios dictionem unam, exceptis nominibus divinis; ut dixit R. Moyſes filius Nahamani.* Eliæ ſubſcribit Lindanus lib. 1. de opt. gen. interpr. ſcript. cap. 3. cognitioni enim, ac ſtudio lectoris, dictionum, ac verſuum diviſio apud Hebræos reſervabatur.

Incuria igitur librariorum, vel ignorantia exſcriptorum, dictionem incongruè diſtingui potuiſſe, nemo ſanus dubitabit: ac proinde cum littera, quæ apponenda in fine alicujus dictionis fuerat, facilè ad principium ſubſequentis tranſire poſſet; vel etiam

A quæ primum locum unius dictionis occupare debuiſſet, dictionem antecedentem terminare, ac finire; etiam ſenſus ſacrorum codicum variari potuit, qui illibatus permanere debuit. Manifeſtum eſt igitur ignorantia poſteriorum Rabbinorum, Hæreticorumque vitio, indebitè culpari noſtrum vulgatum, atque etiam Septuaginta interpretes; qui quidem verioris, ac purioris exemplaris lectionem ſequuti, aliter aliquando loca aliqua ſunt interpretati; quam nunc in exemplaribus ſtultiſſimis ſuſpicatur, aliquem locum non rectè interpretatos fuiſſe Septuaginta, aut Vulgatum, quòd in exemplaribus Hebraicis, quæ modo circumferuntur, aliter quam in noſtris
B vulgatis Bibliis legatur.

Conſiderationibus his, innumerabilia ſacrarum litterarum loca emendantur, atque illuſtrantur: præſertim locus perquam difficilis ex Pſal. 4. in quo Vulgatus legit: *Filii hominum uſquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem &c.* Græci codices υἱοὶ ἀνθρώπων ἕως πότε βαρυκάρδιοι; ἵνα τι ἀγαπᾶτε ματαιότητα; Quæ verba omnino conſentiunt cum his, quæ Vulgatus habet: quam lectionem etiam habet Pater Auguſtinus, licet alii Græci codices legant ἔνδοξοί μου ab Hebraico כְּבוֹדַי *chebhodai*, id eſt, *inclyti mei.* Ita legit Hieronymus. Hebraica exemplaria quæ nunc habentur, ſic legunt: בְּנֵי־אִישׁ עַד מֶה כְבוֹדִי לִכְלִמָּה
C תֶּאֱהָבוּן רִיק׃ Quorum verborum hæc eſt communis interpretatio Hebraizantium: *Filii hominum uſquequo gloria mea? ad ignominiam diligitis vanum &c.* Qui ſenſus, quam ſit diverſus à Vulgato perſpicuum eſt; cum tamen ſi parum, vel nihil permutentur puncta illius dictionis ſic כְּבוֹדֵי *chebhode;* dictionum quoque diviſio alteretur, ita ut in dictione ſubſequenti כ *caph* in ב *beth* tranſeat litteram ſibi ſimilem; & ex una dictione fiant duæ, locuſque ſic legatur בְּנֵי־אִישׁ עַד מֶה כְּבוֹדֵי לֵב ׃ לָמָּה תֶּאֱהָבוּן רִיק veriſſimus noſtri vulgati ſenſus apparebit. Sic enim hæc noſtra lectio interpretatur: *Filii hominum uſquequo graves*
D *corde? ut quid diligitis vanitatem?* Quod etiam in hunc locum advertiſſe comperi Guilelmum Lindanum lib. 1. de opt. gen. interpr. ſcript. cap. 4. & cap. 8. Cujus etiam doctiſſimi viri, qui plura in hoc argumento ſacrarum literarum mendoſa loca ad antiquam, & veram lectionem revocata videre deſiderat, totum illius opuſculum evolvat.

Locum autem ex Pſalmo 4. à nobis allatum corruptè nunc legi, varia exemplaria in quibus ab antiquis temporibus aliter legebatur, probant. Nam D. Hieron. ſic legiſſe conſtat: בְּנֵי־אִישׁ עַד מֶה כְּבוֹדַי
E לִכְלִמָּה תֶּאֱהָבוּן רִיק Hoc eſt: *Filii hominum uſquequo incliti mei ad ignominiam diligitis vanitatem &c.* Qui ſenſus multò rationabilius ſuſtineri poſſet, quam quod exemplaria Hebraica nunc retinent. Sunt itaque loca allata argumentum, noſtrum Vulgatum interpretem ab antiquo, & puro exemplari Hebraico minimè diſceſſiſſe; quin potius purioris exemplaris, quo tunc uſus eſt, lectionem ſequutum, Latinæ Eccleſiæ puram ſacrarum literarum tranſlationem tradidiſſe. Nequaquam igitur ſacra Scriptura pura, ex Hebraicis exemplaribus, quæ nunc circumferuntur, haurienda erit: ſed potius ex Græcis, Latiniſque vetuſtioribus, præſertim Vulgati interpretis, cujus auctoritate pluribus in locis Hebræa Biblia corri-
F genda fore dixerim.

Conſiderationibus his, ut reor, probatum remanet; mendum potuiſſe pariter contingere in loco noſtro ex cap. 36. in dictione יַמִּם *Jemim.* Sed extet nullo librariorum, aut exſcriptorum vitio, punctum illud *zere* .. quod nunc ſubſcribitur priori litteræ ſic יֵמִם *Jemim:* potuit jam olim ſub eadem littera exiſtere *patach*, quod ſic _ figuratur. Corroſo autem in membranis, atque vetuſtate corraſo in manuſcriptis Hebraicis codicibus, medio illius punctuli;

li; *patach* - integris remanentibus extremis illius lineæ, in hunc modum .. atque hac ratione *patach* in *zere* tranſire valuit: & hac de cauſa, qui ſacra Biblia poſtmodum tranſcripſerunt, *zere* .. pro *patach* - ſub *Jod* fortaſſe collocarunt; ac pro dictione יַמִּם *jamim* vocem יֵמִם *Jemim* exſcripſerunt: cum tamen priorem lectionem, qua *maria* ſignificabantur, juxta veritatem retinere debuiſſent. Hæc non videntur adeo incredibilia, ut à ratione omnino aliena cenſeri debeant.

Verùm noſtram lectionem loci allati retinuiſſe totam antiquitatem, apertè jam demonſtretur: ut probatum maneat non *jemim* יֵמִם ſed יַמִּם *jamim* legendum eſſe. Sunt enim in ea dictione duæ ſyllabæ יַ *ja*, & מִם *mim*: de priori in qua tota eſt difficultas nunc agatur; quam nequaquam per E, ut Hebraica habent nunc exemplaria; ſed per A efferendam dicimus. Ita Hieron. in tradit. Hebr. teſtatur. In exemplaribus quoque Græcis Aquila, & Symmachus, qui non ſunt interpretati dictionem Hebraicam, ſed eamdem vocem יַמִּם *jamim* retinuerunt. Theodotion ſimiliter, & Septuaginta interpretes ab eodem Hieronymo relati, ſic legerunt: ἔτος ἐςὶν ὠνὰν ὃς εὗρε τ̀ ἰαμεὶν ἐν τῇ ἐρήμῳ, ὅτε ἔνεμε τὰ ὑποζύγια Σεβεγὼν τ̃ πατρὸς αὐτῦ: hoc eſt: *Is eſt Anna, qui invenit Jamim in deſerto, dum paſceret ſubjugales Sebeon patris ſui.* Ita Græca exemplaria, quorum aliqua licet variaverint primam litteram, vel finalem; non tamen variarunt vocalem; ſed tantum Græcos characteres, legentes aliquando ἰαμεὶν, vel εἰαμεὶν priorem per diphthongum efferendo: conſtanter tamen priorem illius dictionis ſyllabam per vocalem A, quæ eſt *patach* apud Hebræos, protulerunt. Quæ nobis inconcuſſi vim præbet argumenti; prædictam dictionem Hebraicam, antiquitus per *patach* יַמִּם *jamim*, & non per *zere* יֵמִם *jemim* ubique lectam fuiſſe. Quemadmodum etiam ex interpretatione noſtri Vulgati, ipſum quoque hoc modo legiſſe, non tam ſubodorari poteſt, quam aperte convinci.

De poſtrema ſyllaba hujus dictionis modica vel nulla eſt controverſia: illius enim ſoni ratio ex codicibus Græcis petenda erit, qui eamdem omninò vocem Græcis characteribus expreſſam retinuerunt: & licèt aliqui in μ, alii in ν eam protulerint: decepti fortaſſe in littera My, quæ Græcè ſic ſcribitur μ; à qua figura parum diſcrepat Ny Græcum, quod aliquando ſic ν figuratur, omnes tamen in ειμ conſtantiſſimè illam terminarunt. Sed quia ab Hebraicæ dictionis finali ſono, ſyllabæ quoque Græcæ exitus in illa dictione petendus eſt; propterea in *mim*, & non in *min* fore efferendam indubitatum erit. Græcam enim vocem ἰαμεὶμ pro Hebraica poſitam fuiſſe conſtat, quæ nequaquam in *In*, ſed per *Im* ad notam pluralis numeri efferri debuit. Quamvis enim Hieron. illam dictionem auctoritate Septuaginta interpretum in *In* legerit; hujus tamen lectio parum curanda erit; tum quia poteſt eſſe mendum in exemplaribus Hieronymianis; tum quia Hebraica exemplaria, ex quibus illa vox petenda fuit, grammaticali regulæ reſpondeant neceſſe eſt: ac etiam Græca exemplaria nonnulla in ειμ *Im* eandem terminant: Nec mirandum eſt quod aliqua exemplaria Græca habeant *Jamin*, cum Hieron. in præfat. ad lib. Paral. ſcribat; quod Septuaginta interpretum exemplaria, nequaquam ſuo ſeculo pura habebantur.

Nos itaque lectionem eamdem, ex auctoritate Vulgati interpretis in Hebraicis exemplaribus conſervantes, non quidem יֵמִם *Jemim*, ſed יַמִּם *Jamim* legendum duximus: hac ratione הוּא עֲנָה אֲשֶׁר מָצָא הַיַּמִּם בַּמִּדְבָּר Hoc eſt: *Ipſe eſt Anna, qui invenit maria*, vel ſtagna *in deſerto*, vel etiam magis propriè, cum noſtro Vulgato locus ille ſic interpretetur: *Ipſe eſt Anna, qui invenit aquas calidas in ſolitudine.* Ex quibus & communi veterum conſenſu, Annam aquas reperiſſe in deſerto affirmamus; nequaquam verò mulos, ut Rabbini, & Hebraizantes dicebant. De his duabus interpretationibus Hieron. in tradition. ſic loquitur: *Alii putant Jamim maria appellata. Iiſdem enim litteris ſcribunt maria, quibus & nunc hic ſermo deſcriptus eſt: & volunt illum*, ſupple Anna, *dum paſcit aſinos patris ſui in deſerto, aquarum congregationem reperiſſe, quæ juxta idioma linguæ Hebraicæ maria nuncupantur: quod ſcilicet ſtagnum repererit: cujus rei inventio in eremo difficilis eſt: nonnulli putant aquas calidas juxta Punicæ linguæ viciniam, quæ Hebrææ contermina eſt, hoc vocabulo ſignificari.*

Teſtimonio Hieronymi Diodorus à Theodoreto in Bibliis Vaticanis Septuag. relatus ſubſcribit; cujus hæc ſunt verba: ὁ Σύρ@ , ϗ ὁ ἑβραῖ@ τ̀ νεαμεὶν ὕδωρ βούλον) λέγειν, ἀντὶ τ̃ εὑρεῖν πηγὴν ἐν τῇ ἐρήμῳ, οἱ δὲ ἑρμηνεύσαντες αὐτὴν πως τ̀ λέξιν ἑβραϊκὴν τεθείκασι. Hoc eſt: *Syri & Hebræi per* neamin *aquam volunt ſignificare: ergo pro inventione fontis in deſerto, interpretes ipſam fere dictionem Hebraicam poſuerunt.* Eſt autem Diodorus intelligendus de Hebraica vulgari illius temporis: errorem in dictione νεαμεὶν, ſive ἰαμεὶν in Græcis codicibus, incuria librariorum accidiſſe perſpicuum ſit. Nam cum in Bibliis hexaplis Origenis, Hebraicæ voces Græcis litteris expreſſæ haberentur; & harum litterarum ſoni nulla ratione Græcis characteribus rectè exprimi poſſint: propterea facile fieri potuit, ut ν pro μ poſitum fuerit in principio dictionis; & νεαμεὶμ pro ἰαμεὶμ aliqui legerint. Quia vero auctore Hieron. & Diodoro *Jamim* vel *Neamim* lingua vulgari & Punica, aquæ calidæ dicebantur; & in codicibus Septuaginta juxta varietatem exemplarium, variè etiam vox illa legebatur; propterea Vulgatus interpres, Græcorum exemplarium priorem ſequendo lectionem, non ſolum dixit Annam inveniſſe aquas, *ſed aquas calidas in deſerto; dum paſceret aſinos Sebeon patris ſui.*

Abſit igitur à piis viris, vel minimum cogitare, Vulgatum interpretem fore reprehendendum de interpretatione loci jam allati; quin potius pro viribus tam hic, quam in quocunque alio ſacrarum Scripturarum loco defendenda omnino à nobis erit illius ſacrorum librorum tranſlatio; ac certiſſimè tenendum in hoc loco ex cap. 36. Geneſ. in quo de aquis calidis locum eſt interpretatus, id feciſſe ſapientiſſimè: tam ex vi vocis Hebraicæ, quam etiam quod in eo ſenſu locum intellexiſſent Septuaginta interpretes. Cum enim illi ἰαμεὶν dixerint; ea voce retenta, qua balnea ſignificabantur, juxta vim vocis Punicæ, & vulgaris illius ætatis: aquas calidas Hebraicam vocem יַמִּם *jamim* eſt interpretatus Vulgatus; quod hæc interpretatio firmiori fundamento inniteretur, quam altera illorum, qui mulos eamdem interpretabantur.

CAP. XXVII.

Aquas calidas, non ſalſas, nec mulos Annam in deſerto reperiſſe probatur.

Ad loca Geneſ. 36. *Iſte eſt Anna, qui invenit aquas calidas in deſerto; dum paſceret Aſinos Sebeon patris ſui.* Geneſ. 21. *Et increpavit Abimelech propter puteum aquæ, quem vi abſtulerant ſervi ejus.* Pſal. 62. *In terra deſerta, invia, & inaquoſa, ſic in ſancto apparui tibi.* Et ad alia plura. Illuſtratur etiam Tacitus.

SATIS hucuſque elucidata remanebat dictio Hebraica הַיֵּמִם *hajemim* : & probatum nequaquam illa dictione mulos ſignificari, nec Annam reperiſſe mulos, ſed aquas. Verum adhuc calidarum aquarum inventum diſcutiendum erit; ut noſtri vulgati interpretis auctoritas roborata maneat, & locus ex ſacra Geneſi allatus elucidetur. Doctiſſimus enim Oleaſter auctoritate illorum, ut puto, territus, qui inventionem aquarum in deſerto nihil habere commendatione dignum affirmabant; quique vulgatæ editionis interpretationem contemnentes, negabant aquarum de cauſa ſacrum Scriptorem tanto ſtudio orationem ad Annæ commendationem detinuiſſe; ex alio capite teſtimonio, & auctoritate vulgati interpretis commotus, aquarumque inventum in Annam rejicere cum non auderet; ad ſalſas confugiens, aquas has Annam in deſerto reperiſſe cenſuit, atque ob ſalſarum aquarum inventum à ſacro Scriptore Annam commendari putavit; ſumpto argumento à dictione Hebraica יֵמִם *jemim*, quam licet invariatis punctis ipſe retinuerit; maria tamen interpretatur dicens: *Vt autem ego etiam quod de hac re ſentio dicam, arbitror hic ʒemim non mulos, ut moderni dicunt, ſed maria ſignificari. Moveor ad hoc, quod radix vocis ʒemim ſit ʒam, quod in confeſſo eſt ſignificare mare. Neque obſtat id quod noſtri objiciunt, cum ſignificat maria, ſcribi ʒamim, non ʒemim: nam varia punctatura in nominibus ejuſdem radicis, non ſemper variat ſignificationem.* Et infra ſtatim oſtendit aquas Annam reperiſſe, dicens: *Exiſtimo igitur iſtum Annam inveniſſe venam aquæ ſalſæ.* Stagna igitur in ſolitudine reperire, nec mirum, nec rarum eſſe putat Oleaſter; rarum tamen, laudeque dignum & mirabile adeo exiſtimat ſalſas reperiſſe aquas; ut nullo pacto ſilentio tegendum id ſit, ſed poſteris commendandum arbitretur. Quod longè nimirum à marinis oris poſitus Anna, ſalſas aquas in deſerto repererit.

At, me judice, longe ab albo vir iſte eruditiſſimus ſagittam miſit. Etenim non ſolum aquas, ſed calidas aquas, ac in deſerto has reperiſſe, dignum laude cenſeri debet. Sumatur argumentum à loco, nimirum à deſerto, in quo eas reperiſſe ſacer textus tradidit: quo quidem argumento aquarum inventum commendatione dignum, res ipſa demonſtrat. Quænam quæſo convenientia ſicci ſoli cum humido? Aut quæ pars ſterili humo cum fœcundo? Tantam enim in admirationem homines rapuit, in locis deſertis, & aridis aquas alicui interdum porrexiſſe; ut Artaxeres teſte Plutarcho Caunium, qui ei ſitienti utriculum aquarum in locis arentibus, & hunc quidem ſordidum porrexerat, ex obſcuro & inope, celebrem, nobilem ac divitem brevi effecerit, auctore Plutarcho, benignitatem manſuetudinemque Artaxeris referente his verbis: τὸν δὲ Καύνιον ἐκεῖνον ἐξ ἀνδρῶν, ὃς ἐπέδωκε τὸ ἀσκίον, ἐξ ἀδόξου, καὶ πένητος, ἔντιμον, καὶ πλούσιον ἐποίησεν.

Quin etiam tanta laude dignum in deſerto aquarum fontes aperire antiquitas cenſuit; ut Cornel. Tacit. lib. 5. hiſtor. aquarum repertarum occaſione Moyſi creditum ab Hebræis ſcribat: ipſumque propterea, veluti ducem cœleſtem Iſraëlitas ſequutos fuiſſe; licet id falſo affirmet. Hæc ſunt Taciti verba: *Plurimi auctores conſentiunt, orta per Ægyptum tabe, quæ corpora fœdaret, Regem Occhorim adito Hammonis oraculo, remedium petentem, purgare regnum, & id genus hominum, ut inviſum Diis, alias in terras accedere juſſum. Sic conquiſitum, collectumque vulgus poſtquam vaſtis in locis relictum fuit; cæteris per lacrymas torpentibus, Moyſem unum exulum monuiſſe, ne quam Deorum, hominumve opem expectarent, ab utriſque deſerti: ſed ſibimet, ut duci cœleſti crederent primo, cujus auxilio credentes, præſentes miſerias pepuliſſent. Aſſenſere, atque omnium ignari fortuitò iter incipiunt; ſed nihil æque, quam inopia aquæ eos fatigabat; jamque haud procul exitio totis campis procubuerant; cum grex aſinorum agreſtium è paſtu in rupem nemore opacam conceſſit. Sequutus Moyſes conjecturam herbidi ſoli, largas aquarum venas aperit.* Hæc fabuloſa commenta Tacitus ſcribit, falſa quidem, ut par eſt credere, traditione à vetuſtioribus, & reliquis ſuæ gentis accepta, qui ſacrarum Scripturarum ignorantia potius, quam alicujus auctoris teſtimonio ducti, ex capite falſa veris commiſcentes, eas nugas commenti ſunt. Sed quicquid ſit de fabuloſis his Taciti commentis, de quibus aliquid ſtatim dicemus: illius quidem teſtimonio hoc ſaltem probatum remanet; veterum etiam Gentilium conſenſu, aquarum, ac fontium in deſerto inventum minimè parvi pendendum fuiſſe; quinimò plurimùm commendandum fore, & ut cœleſtem virum recipiendum, qui eas in deſerto aperuiſſet.

Verum ut aliquid ad locum Taciti illuſtrandum afferatur, nec jejuni ab illo recedamus; immò quæ ad veritatem elucidandam faciunt, in medium producantur; ſacra adeamus oracula, & ab his Taciti locus illuſtrabitur. Conſtat enim illius teſtimonio manifeſtè, veritatis hoſtes acerbiſſimos, Idololatras nimirum, veritatem nugis involvere contendiſſe; ut ſi quando quis ſacras in hiſtorias impegiſſet, (cum tamen non tam ſeculum quam plura ac plura ſecula Moyſen ſacrum Scriptorem Tacitum præceſſiſſe conſtet,) minus eis crederet. Ea igitur quæ cap. 15. Exo. ſcribuntur de aquis amaris in deſerto Marah, qua de cauſa populus conquerebatur de Moyſe, Gentilium monumentorum ſcriptores commiſcentes ac confundentes cum his, quæ de aqua educta de petra, ad occurrendum extremo exitio ſitientis populi in Raphidim cap. 17. Exodi leguntur; illaque ipſa omnia cum aquis permiſcentes, quas in ſolitudine Anna adinveniſſe legimus Gen. 36. *cum paſceret aſinos Sebeon patris ſui;* veritatemque fabella ex Tacito relata contegentes, turpiſſimum ac ſtultiſſimum commentum ſomniarunt, & adeò à veritate alienum; ut nec temporum, nec locorum, nec perſonarum ratione connectatur. Mendaciorum enim inventores turpiter hallucinati, in unum vera conglomerarunt, & mendacio conſpurcarunt.

Nec improbabili in hac conjectura argumento ducor. Romanorum enim aliqui cum in codicibus Græcis Gen. 36. fortaſſe legiſſent locum jam à nobis diſcuſſum ſic. οὗτος ἐστὶν Ὤναν, ὃς εὗρε τὸν εἰαμεὶν; vel ut alii habent ἰαμεὶμ, dictionemque εἰαμενὴ, ſive ἰαμινή locum humidum, uliginoſum & herbidum ſignificare apud Græcos intelligerent: herbidum ſolum Annam inveniſſe, cum paſceret Aſinos: inde Idololatræ hanc hiſtoriam cum rebus geſtis à Moyſe confundentes, Moyſem aquas reperiſſe tradiderunt; cum gregem aſinorum agreſtium è paſtu in rupem nemorum opacam conceſſiſſe adverteret, ſequutus naturalem conjecturam herbidi ſoli; quibus aquis ſitienti populo ſubveniret, ſicque ſibi divini Ducis nomen acquiſiverit.

Sed ne veritas iſta, & argumentum, quo aquarum in deſerto inventum commendatione dignum probare contendimus, Gentilium auctoritate roborata, contemnatur: teſtimoniis ex ſacris deſumptis litteris, aquarum in deſerto inventum commendetur. Nobis enim qui ſacra profitemur oracula, fortioris argumenti ſacer ipſe textus aderit, in quo omnipotens Deus portenta ac miracula maxima prænuncians, quæ ex abundantia gratiæ cœleſtis in Evangelii confirmatione ſub Meſſiæ ſeculo hominibus daturus erat; ſub aquarum metaphora hæc promittit, & aquas in ſolitudine Iſa. 43. cumprimis ſe daturum ſpopondit. Tantique Deus fecit aperire fon-

fontes in deſertis locis, ut præterita omnino, quæ fecit, cum educeret populum Iſraëliticum de Ægypto, & alia ejus mirabilia, parvi pendenda, per reſpectum ad aquarum eductionem in ſolitudine duxerit. Sic enim ait: *Ne memineritis priorum, & antiqua ne intueamini: ecce ego facio nova, & nunc orientur, utique cognoſcetis ea. Ponam in deſerto viam, & in invio flumina.* Quid autem aliud eſt flumina in invio excitare, quam in deſerto inhabitabili, in quo ſe viam complanaturum promiſerat, largas aquarum venas aperire? Quod ſanè miraculorum genus, inter potiora divinæ omnipotentiæ mirabilia recenſeri David quoque voluit Pſal. 62. Ubi de deſerto Idumææ verba cum faceret, in quo ipſe profugus tunc morabatur, (non enim putabat ſe ſatis ſolitudinem deſerti deſcripſiſſe in carentia habitatorum,) defectum etiam aquarum in eo oſtendit dicens: *In terra deſerta, invia, & inaquoſa, ſic & in ſancto apparui tibi; ut viderem virtutem tuam & gloriam tuam.* Et ne plura ex ſacris oraculis congeram teſtimonia; phraſis eſt ſacrarum litterarum communiſſima, inter mirabilia divinæ omnipotentiæ ex miraculo aquarum in ſolitudine eruptionem recenſere.

Itaque ſi nec laude dignum, nec portentoſum eſſet, in ſolitudinibus aquarum fontes aperire, ut Oleaſter ſentire videbatur; certè nec Deus ipſe adeo commendatum vellet in deſerto fontes aquarum excitare, ut Meſſiæ ſeculo miraculo id haberetur. Qui igitur Annam poſthabendum exiſtimant, quod aquas in ſolitudine repererit, nec hac de cauſa laude dignum hunc cenſent; timeo ne divina quoque miracula, ex apertione fontium in deſerto poſthabere cogantur. Quæ incommoda ut optimo conſilio evitentur, & quæ portenti loco habenda ſunt, non condemnentur, de fluminibus ac fontibus excitandis à Deo in ſolitudine; ſumma quidem laude celebrandum fateamur, quod Anna aquas in ſolitudine repererit; atque propterea ſacrum textum, cum illius meminiſſet, orationem ad ejus commendationem detinuiſſe.

Pugnant etiam pro Annæ commendatione & inventione aquarum in locis deſertis, & ſtant pro noſtra ſententia, jurgia ac contentiones paſtorum Abraham cum paſtoribus Abimelechi. Cum enim Abraham puteum aquæ ſibi in deſerto ad oves adaquandas effodiſſet, illumque puteum paſtores Abimelechi vi à paſtoribus Abrahami extorſiſſent, & proprium in commodum occupaſſent; de hoc Abraham cum Abimelecho conqueſtus eſt, ut legitur Gen. 21. per hæc verba: *Et increpavit Abimelech*, ſupple ipſe Abraham, *propter puteum aquæ, quem vi abſtulerant ſervi ejus.* Quam injuriam in hoſpite ac peregrino homine illatam à propriis ſubditis; tanti fecit Abimelech; ut quamvis Rex illius regionis eſſet, nihilominus in conſpectu Procerum ſui regni ſe purgare de illa minimè erubuerit, dicens: *Neſcivi quis fecerit rem hanc: ſed & tu non indicaſti mihi, & ego non audivi præter hodie.* Tanti denique fecere aquam in deſerto repertam Abraham, & Abimelech, ut ſacrificiis fœdus inierint; ne deinceps argumento ſumpto à regionis dominio, quod ad Abimelechum pertinebat, paſtores illius ac ſubditi, Abrahamo injuriam inferre auderent. De quo pacto ſic ibi Abraham dixiſſe ſcribitur ad Abimelech: *Septem agnas accipies de manu mea, ut ſint mihi in teſtimonium: quoniam ego fodi puteum iſtum.* Quarum quidem aquarum de cauſa, juramentique in fœdere ineundo interpoſiti, locus, ubi hæc acta fuere, appellatus eſt *Berſabeah*, hoc eſt, *puteus juramenti.*

Capite quoque 26. ejuſdem libri Geneſis, ſemel & iterum paſtores Iſaac & Abimelechi, aquarum de cauſa in ſolitudine jurgati ſunt. De quo jurgio

A multa in eo capitulo referuntur, & tandem hæc habentur: *Foderuntque in torrente, & repererunt aquam vivam. Sed & ibi jurgium fuit paſtorum Geraræ adverſum paſtores Iſaac dicentium; noſtra eſt aqua: quamobrem nomen putei, ex eo quod acciderat, vocavit Calumniam. Foderunt autem & alium, & pro illo quoque rixati ſunt; appellavitque eum Inimicitias. Profectus inde fodit alium puteum, pro quo non contenderunt: itaque vocavit nomen loci illius Latitudo, dicens: Nunc dilatavit nos Dominus, & fecit creſcere ſuper terram.* Ab his igitur jurgiis, principumque contentionibus ſumpto argumento, nec non etiam à divinis miraculis, à phraſi ſacrarum litterarum, à teſtimoniis etiam veterum Gentilium, & ab aliis pluribus jam allatis, nequaquam parvi pendendum apparet aquarum inventum: quinimò quam merito laudandus fuerit Anna, ab aquarum in ſolitudine inventione, perſpicuum eſt. B

Salſas fuiſſe aquas, quas in ſolitudine noſter Anna reperit, Oleaſter, ut vidimus, exiſtimavit; & quem minimè commendatione dignum ex aquarum invento putabat, in earumdem ſalſedine admiratur. Salſedinem aquarum à nomine Hebraico ימם. *ſemim*, admiſit Oleaſter, ſumpto, ut dicebamus, argumento; quod nimirum illa vox ſignificet *maria*, & cum primis marinæ aquæ ſalſedine ſint affectæ: quamvis à C punctuatione vocis, ut jacet in Hebraico, hæc ſignificatio ſit aliena: ea propter non aquas, ſed ſalſas aquas inveniſſe, portentoſum & miraculoſum, ſummaque laude dignum in Anna, Oleaſter ratus eſt. Verum equum, me judice, contemnit culicem admiratus. Salſedo enim aquarum, quæ in locis aridis æque deſertis erumpunt, aut quoquo modo reperiuntur, eſt propria illarum, atque ſolitarii ſoli connaturalis; ut ex cap. 15. Exo. perſpicuum eſt. Etenim cum triduum exercitus Iſraëliticus ſolitudinem perambulaſſet, duceque Moyſe in locis deſertis iter faceret; aquas tantum ſalſas populum reperiſſe, ſacra oracula teſtantur, quæ quidem à ſal- D ſedine ibi amaræ dicuntur. Sic enim legimus: *Et venerunt in Marah, nec poterant bibere aquas de Marah, eo quod eſſent amaræ.* Nativa enim proprietate, ſalſa aqua ſterilitatem ſoli atque ariditatem profert, ut auctor eſt, & docte quidem Valeſ. cap. 34. ſacræ philoſ. Sicut etiam argumento retrogrado in regione ſterili atque arida, qualis eſt ſolitudo locuſque deſertus, ſi qua reperitur aqua; ſalſedine affectam fore neceſſe eſt. Ut mirari jam deſinat Oleaſter ſalſas Annam aquas in deſerto reperiſſe, ſi quas reperit.

Verùm à veritatis ſcopo longe ſe aberrare Oleaſter E velim intelligat, quod ſalſarum, non vero calidarum aquarum inventum in Anna admiretur. Nondum enim ſatis rimari aut penetrare valui, unde hæc doctiſſimo viro atque in Hebraicis ſtudiis verſatiſſimo in mentem venerint. Fateor quidem ימם *Iamim maria* ſignificare, ſuſpicarique poſſe non immerito, illud idem ימם *ſemim*, quod nunc in Hebraicis exemplaribus legitur, *maria* ſignificare; quia juxta phraſim linguæ Sanctæ, quæcumque aquarum congregatio, maris nomine nuncupari ſolet. Quamobrem illud etiam vas æneum, quod Salomon erigi in Dei templo, pro conſervandis aquis in ablutione Sacerdotum ac victimarum juſſit, mare F æneum fuiſſe nuncupatum ſacra oracula tradiderunt. Plura etiam ſtagna Palæſtinæ maria ſimiliter appellata fuiſſe, ex eiſdem ſacris litteris liquido conſtat: ut mare Geneſareth, mare Galilææ, mare Mortuum, & alia ſimilia. Quinimo defectus litteræ *Iod*, inter duo poſtrema ם in dictione illa ימם *ſemim*, juxta obſervantiam Maſoretharum, defectum quoque ſignificationis indicat, atque propterea vox illa nequaquam plenum mare, ſed in plurali nu-

numero procul dubio parva maria, id eſt, nonnulla aquarum ſtagna, Annam in deſerto reperiſſe ſubindicat: & forte etiam thermales aquæ, atque ad balnea quam maxime accommodatæ, ut habet vulgatus, ea voce ſignificantur.

Quinimo ſi à raritate inventi, ac ex eo quod Anna laudetur, ſumendum ſit pro veritate argumentum; nulla ratione ab inventione ſalſarum aquarum Anna commendandus erit. Novimus enim filios Iſraël in deſerto Marah in ſeditionem verſos contra Moyſen, ſalſarum aquarum de cauſa, quæ copioſiſſimè in illa ſolitudine erumpebant. Sic enim legimus Exo. 15. *Ambulaveruntque tribus diebus per ſolitudinem, & non invenerunt aquam: & venerunt in Marah, nec poterant bibere aquas de Marah, eo quod erant amaræ.* Commendatur igitur hic Moyſes, quod aquas dulces effecerit; non quod ſalſas repererit. Quapropter à commendatione Annæ in ſacris oraculis ſumpto argumento, in commodum hominum eum aquas reperiſſe dicemus: non quidem ſalſas, ut dicebat Oleaſter, ſed potius ad hominum uſum utiles, nimirum calidas & ad balnea ratione munditiei, ex uſu illius temporis quam accommodatiſſimas.

Diſtinctio enim animalium immundorum à mundis, quam à Noë ſervari Deus voluit in ingreſſu exituque eorundem ex arca tempore cataclyſmi; nec non etiam Labani fuga à tabernaculo Rachelis, cum quæreret Idola ſua aurea, apertè indicant; ab eo uſque tempore legalis munditiei rationem ab hominibus ſervatam fuiſſe, per reſpectum ad ſacrificia. Cumque hæc corporum munditia, aquis naturaliter erumpentibus ex illius ætatis inſtitutis procuranda foret, & ad hanc munditiem aquæ calidæ aptiſſimæ cenſerentur; propterea ſacer textus Annam commendandum putavit, quod in deſerto hæc balnea repererit. Quæ ſanè calidarum aquarum inventio cum vulgato conſentit. Referam hic quæ de his habet Torniell. ſub mundi anno 2319. n. 10. Is enim poſtquam ſententiam Oleaſtri retuliſſet, ſic dicit: *Quod ſi verum eſt, conſequitur, ſive interpretemur cum prædicto auctore aquas ſalſas, ſive cum vulgata editione aquas calidas, prædictum Annam in ſacro textu celebrari, non quia ipſe fuerit primus auctor mulorum: non enim probabile eſt mundum tanto tempore ſine mulis, (quæ non eſt infima perfectorum animalium ſpecies,) extitiſſe; ſed quod primus caſualiter adinvenit in quadam ſolitudine aquas medicinales, ſive ſalſas, ſive aluminoſas ferreaſvè, aut alterius qualitatis: quæ tales evadunt, tranſeuntes per ſubterraneas venas ſalis, aluminis, ferri &c. ſive (quod magis reor) calidas, atque ex ſeipſis ebullientes; quod mirabilius ei viſum ſit; quæ ex locis ſulphureis ſcaturire ſolent, & frequenter à medicis ad frigidas quaſdam corporum ægritudines curandas adhiberi.* Hæc dicta ſufficiant in laudem Annæ, qui invenit aquas calidas in deſerto, ad defenſionem noſtri vulgati interpretis, & ad confutationem illorum, qui Annam mulos adinveniſſe excogitarunt, ac Vulgatum interpretem reprehendere non ſunt veriti.

CAP. XXVIII.

Iſraëliticus Princeps inaugurandus mula vehebatur.

Ad loca 3. Reg. *Imponite Salomonem filium meum ſuper mulam meam, & ducite eum in Gihon: & ungat eum ibi Sadoch Sacerdos, & Nathan Propheta, in Regem ſuper Iſraël: & canetis buccina, atque dicetis: Vivat Rex Salomon.* Eſth. 6. *Homo* A *quem Rex honorare cupit, debet indui veſtibus regiis; & imponi ſuper equum, qui de ſella Regis eſt.* Et ad alia.

MULORUM atque mularum elucidatis vocabulis, quæ in ſacris Hebraicis exemplaribus leguntur, regia inaugurationis pompa contemplanda nobis occurrit: de qua multa ſparſim in ſacris litteris habentur, dum Saulis, Davidis, Joaſi, & aliorum ad regnum aſſumptiones referuntur: ſed nulla ſolemnior, ſuiſque cæremoniis, ritibus ac numeris abſolutior Regis Iſraëlitici prætenta inauguratio, ſive potius ſucceſſionis ad regnum B declaratio, quam ea, quæ de Salomone Davidici regni ſucceſſore, ſacra prodiderunt oracula. Quamvis enim ſolemniſſima illa pompa, quæ ſcribitur 3. Reg. cap. 1. potius ad ſucceſſionis declarationem, quam propriè ad inaugurationem pertineat; nihilominus inaugurationis ſolemnitates, quantum temporis anguſtiæ patiebantur, in ea fuiſſe ſervatas, ſacri ipſi codices teſtantur. Nam cum David à fide dignis auctoribus accepiſſet; Adoniam ſe inſcio, regiæ ſucceſſionis epulum inſtituiſſe, diemque feſtum in Salomonis contemptum ad fontem Rogel agere, Salomonem filium ſuum natu minimum Regem declarari, atque pro temporis anguſtia; inaugurari C juſſit. Ritus quoque, ac inaugurationis, ſive declarationis regiæ ſucceſſionis cæremonias præſcripſit dicens: *Vocate mihi Sadoch Sacerdotem, & Nathan Prophetam, & Banajam filium Jojadæ: qui cum ingreſſi fuiſſent coram Rege*, ait textus, *dixit ad eos; tollite vobiſcum ſervos Domini veſtri, & imponite Salomonem filium meum ſuper mulam meam, & ducite eum in Gihon: & ungat eum ibi Sadoch Sacerdos, & Nathan Propheta in Regem ſuper Iſraël: & canetis buccina, atque dicetis: Vivat Rex Salomon.* Quæ omnia juxta regiæ majeſtatis mandatum geſta fuere: nec aliquis de curia Regis fuit, qui decreto Regio D ſe opponere, aut ad unguis latitudinem tantillum à mandatis ejus diſcedere præſumpſerit, ut paulo infra à loco citato in eodem capitulo ſacræ litteræ teſtantur.

De Salomonis ad fontem Gihon deductione, in ſequentibus noſtra erit oratio; ut prolixitatem lectionis caveamus. Nunc tantum de ritu vehendi Principem in mulam regiam, ad regni, atque ſucceſſionis exordia, nobis eſt pertractandum. Quod autem ſacro oleo perunctus fuerit Salomon ad fontem Gihon, idque ex patris mandato, textus plenè aperit; & quamvis de Salomonis declaratione ad futuram regni ſucceſſionem potius ageretur, quam de inauguratione; nihilominus declaratio hæc cum inaugurationis ritus in pluribus retinuerit, Principem mula regia ad locum inaugurationis deductum fuiſſe E conſtat.

Quantum verò majeſtatis præ ſe ferret, equo, mula, lectica, aut regio curru, de mandato Principis circumduci, facillimè ſacræ prophanæque litteræ monſtrant. Ambitionis enim humanæ veſtigium quis metiatur? Nam licet à dignitate ac majeſtate Principis, equo, curru, lectica, mula, elephantoe, geſtatoria ſella, aut aliquo ſimili modo vehi, non ſit diſſonum; humanarum mentium, atque naturæ corruptione admiſſa, hæc omnia non alia de ratione excogitata fuiſſe ſcimus; niſi ut Princeps ſuperiori loco vectus, non tam conſpiciendus, quam venerandus F ſubditis commonſtraretur, ac quodammodo ſupra homines ab eiſdem cenſeretur ille, qui ſic vehebatur.

Qua ratione Romanorum Reges ab exordio Reipublicæ, atque Conſules ad majeſtatis notam vectarentur, haud me legiſſe memini: Imperatorum verò ſeculo, curru, equo, aut mula deferri, ſatis ad hominum

minum ambitionem non exiſtimabatur ; niſi ſuper ſervorum humeris geſtari excogitaſſent. Quamobrem ſuccollari, atque lectica vehi, Imperatoriæ majeſtatis ac nobilitatis notam extitiſſe in Romana Republica, poſt quaſi exactos Conſules, ex pluribus veterum monumentis conſtat. Nam repreſſiſſe Julium Cæſarem lecticarum communem uſum, Tranquil. in Cæſar. cap. 43. teſtatur dicens: *Lecticarum uſum, item conchyliatæ veſtis, & margaritarum, niſi certis perſonis, & ætatibus, perque certos dies, ademit.* Quam quidem prohibitionem lecticarum, ad mulierum comprimendum luxum, à Cæſare latam fuiſſe conſtat, ex Euſebii Chronico, anno proximo poſt devictam Ægyptum. Hominibus etiam uſum lecticarum ab eo prohibitum, inde ſuſpicari poſſumus; quod auctore Plinio lib. 17. cap. 43. Metellus beneficium hoc habuit primus, ut lectica in ſenatum portaretur; quod in æde Veſtæ ignem graſſantem aliquando reprimere cum oculorum diſpendio auſus fuerit. Cum igitur ex ſpeciali gratia Metello, & aliquot aliis, ut Liboni, teſte Valer. lib. 1. cap. 7. & Dio. lib. 57. & Tacit. lib. 2. ann. id concederetur: hinc lectica vehi in Romana Republica hominibus aliquando vetitum, manifeſto colligitur argumento.

Lecticæ Imperatoriæ, ſive Romanæ, formam ſubodorari placet: non enim mulis, aut equis lecticæ iſtæ ferebantur, aut trahebantur: ſed ſervorum humeris ea lectica domini vehebatur, ut loca infra referenda oſtendunt. Lecticarum porrò forma à geſtatorum numero accipi poteſt; aliquando enim à duobus tantum geſtabatur, unde Juven. ſat. 9.

. . . . Et duo fortes
De grege Mœſorum, qui me cervice locata
Securum jubeant clamoſo inſiſtere circo.

Aliquando à ſex portabantur lecticæ, & inde hujuſmodi lectica *hexaphorum* dicebatur, Græco vocabulo compoſito ab ἕξ, quod eſt *ſex*, & φέρω, quod eſt *porto*: quia nimirum lectica hæc ejus erat formæ, ut à ſex portaretur. Quamobrem de lectica ſatis ampla dixit Mart. lib. 1. epigr. n. 81. ludens à lectica ad ſandapilam.

Laxior hexaphoris tua ſit lectica licebit,
Dum tamen hæc tua ſit, Zoile, ſandapila.

Et lib. 6. epigram. 77. ait:

Quid te Cappadocum ſex onus eſſe juvat?

Qui quidem ludus male ceſſit bubulco Venuſino, de quo Gellius lib. 10. cap. 3. cui verba in geſtatorios per jocum jacta, fatalia fuere. Aliud genus lecticæ etiam priori monſtruoſius, octophorum dicebatur, quia ab octo portabatur: ut de lectica Regum Bithyniæ veteres tradunt, & Martial. in eam ſententiam dixit.

Octo Syris ſuffulta datur lectica puellis.

In quam ſententiam, & numerum illorum, qui portabant lecticam dixit, Juven. ſat. 6.

Longa vehitur cervice Syrorum.

Longa cervice dixit ab effectu: vecte enim geſtatorum calcato humero, extendi ipſorum collum, longiuſque fieri videtur: propterea Juvenalem de lecticæ portatoribus longam eos habere cervicem dixiſſe puto. Habuiſſe autem tantum Imperatoriæ majeſtatis apud Romanos lectica vehi, ut ipſis tantum Imperatoribus aliquando lectica vehi concederetur, ſubodorari puto ex Plinio in gratulatione ad Trajanum, dicentis de illius humanitate: *Ante Principes faſtidio noſtri, & quodam æqualitatis metu, uſum pedum amiſerunt; illos ergo humeri, cervicesque* A *ſervorum ſuper ora noſtra ferebant; te fama, te gloria, te civium pietas, te libertas ſuper ipſos Principes vehit.*

Auguſti quoque agnomen id ipſum oſtendit. Plena enim in Republica poteſtas alicui dum traderetur, cum Auguſti nomine, lecticæ quoque uſus concedebatur. Nam licet Cæſaris nomen alicui concederetur, eſſetque illud nomen futuri imperii apertum præludium; qui tamen Cæſar appellatus fuiſſet, lectica vectum, jure nominis non legi, quemadmodum qui Auguſtus dicebatur. Quapropter ſtatim ac quis ad Imperium ſublimabatur, ſcuto in ſublime elatum, aut lectica delatum legimus. Nam ſcuto elevari, ac B in ſublime tolli, qui Imperator dictus eſſet, adeo proprium Imperatorii faſtigii fuiſſe putat Bullingerus, ut in hoc ſenſu accipiat, quod in Suetonio legitur de Othone ſuccollato: & in ſcuto pedeſtri Didium Julianum elatum tradit ex auctoritate Ammiani Marcellini. Et Georg. Pachim in excerptis l. 2. *Imperatorio Clypeo inſidet is, qui Imperio deſtinatur.* Quod etiam uſu veniſſe apud Chriſtianos Imperatores Conſtantinopoli, paſſim auctores teſtantur. Nam Zonaras de Hypatio contra Juſtinianum Imperatorem per ſeditionem creato, καὶ ἐπὶ ἀσπίδος, inquit, αὐτὸν μετάρσιον ἅπαντες ἀναγορεύουσι βασιλέα. Hoc eſt: C *Et ſuper clypeum illum ſuſtulerunt, & Imperatorem omnes renunciarunt.* Nicephorus quoque lib 3. de Theodoro: καθεσθεὶς ἐπ' ἀσπίδος, inquit, Hoc eſt, *inſidens ſuper clypeum.* Quo ſenſu intelligendus eſt Claudianus cum inquit:

Sed mox cum ſolita miles te voce levaſſet.

Levaſſet ſolita voce dixit; quia in ipſa elevatione Imperatoris cum ſcuto clamor plaudentium attollebatur. Corippus etiam lib. 2. Juſtini poſterioris, ritum in Imperatore creando ſolemnem egregie deſcribens, de ſolemni, & uſitata elevatione loquitur his verbis:

D *Quatuor ingentem clypeis ſublimibus orbem,*
Attollunt lecti juvenes, manibuſque levatus
Ipſe miniſtrorum ſupra ſtetit . . . .

Sed à clypeo ad lecticam revertamur, ad uſum Neronis electi in Imperatore: de quo Tacit. lib. 12. in fine hæc ſcribit: *Mortuo Claudio, tunc medio diei tertio ante idus Octobris foribus palatii repente deductis, comitante Burro Nero egreditur ad cohortem, quæ more militiæ excubiis adeſt; ibi monente præfecto feſtis vocibus exceptus inditur lecticæ, illatuſque caſtris Nero &c.* Et Tranquill. in Nerone cap. 8. ait. *Undecimo Nero ætatis anno, à Claudio adoptatus eſt.* Et paulo poſt: E *Septemdecim annos natus, ut de Claudio palam factum eſt, inter horam ſextam ſeptimamque, proceſſit ad excubitores. Quum ob totius diei diritatem, non aliunde auſpicandi tempus accomodatius videretur; proque palatii gradibus Imperator conſalutatus, lectica in caſtra, & inde raptim appellatis in curiam delatus eſt.* Innumera afferri poſſent teſtimonia ex Herodiano, Vopiſco, & aliis, qui Imperatorum acta, vitaſque ſcripſerunt: ſed allata ſufficiant.

Verum non eſt prætereundum in gratiam ſtudioſorum, lecticam hanc, in qua tunc proxime electus Imperator deferebatur, à ſella eburnea, & à tenſa diverſam extitiſſe: nam in lectica ſolus, ut dicebamus, F Imperator deferebatur, ſervorumque aut militum humeris portabatur: at tenſa, & ſella curulis ad currum pertinebant, & à jumentis protrahebantur. Illud erat ſacrum; hoc erat prophanum; ut colligitur ex Tranquil. in Octav. cap. 43. ubi ſic legimus: *Accidit votivis circenſibus, ut correptus valetudine lectica cubans, tenſas deduceret.* Hoc eſt, religionis cauſa tenſis deducendis intenderet, quibus Deorum ſimulacra deferebantur. Lecticarum uſum

A extitiſſe quoque apud Reges Bithyniæ innuit Cicero in 7. in Verrem, in qua de geſtatione in lectica ſic ait: *Nam ut mos fuit Bithyniæ Regibus, lectica octophoro ferebatur; in qua pulvinus erat pellucidus Melitenſi roſa fartus.*

Quia verò Principum majeſtatem contemplamur, à lecticis ad equos tranſeamus. Neque enim obſcura eſt equorum nobilitas atque dignitas ad regiæ majeſtatis notam. Omne Regium ab equis ſumptum, illud Philippi Macedonum Regis commendat; quod dixit Alexandro filio deſilienti ex Bucephalo equo, à quo ſupra quam credi poteſt ferocienti, tam ipſe Philippus, quam cæteri Macedonum proceres
B rejecti fuiſſent; nam Alexander ſolus equum hunc domare, ſubigere, manſueſacere, curſuque agitare cum valuiſſet; regium omen inde Pater pro filio ſumſit: poſtquam Alexander ex equo deſiliiſſet; caput filii exoſculatus Pater, *ò Puer*, inquit, *par tibi regnum quære, Macedonia enim te non capit;* equi nobilitate regiam filio majeſtatem indubitanter portendens.

Meritò igitur Principes ſemper, & ubique gentium, ſingulares tum bonitate, tum excellentia atque ornatu equos habere ſtuduerunt, phaleris aureis, fucatis ephippiis, purpureis tapetibus, frenis
C argenteis, pictilibus balteis, & tintinnabulis perargutis circum ornatos, quibus majeſtatis oſtentandæ cauſa Principes veherentur. Equi conſularis meminit Tacit. lib. 15. hiſt. Plutarch. in Craſſo. Dionyſ. Halycarn. lib. 10. Et quidem plurima ſunt auctorum veterum monumenta, quæ hoc teſtantur; ut propterea infinita Scriptorum loca omittenda duxerimus: de his enim multa Plinius, & plura etiam Alexander ab Alexandro. Nam ſingulare ſtudium Perſarum in regiis alendis equis Strabo lib. 11. cap. 611. teſtatur; ubi de Media, locisque ad portas Caſpias exiſtentibus ſcripſit, dicens: *Equis alendis autem ipſa quoque regio excellit, ſicut & Armenia. Appellatur autem quoddam pratum Hippobatum, quod tranſeunt, qui à Perſide, & Babylonia ad Caſpias portas proficiſcun-*
D *tur: in quo quinque millia equarum nutriri dicunt ex Perſicis, fore autem ea armenta regia. Niſeos equos, quibus Reges utuntur, qui ſunt perfectiſſimi, & maximi, quidam hinc peti ajunt, alii ex Armenia. Forma ſunt peculiari, ſicut qui Parthici nunc appellantur apud Græcos, aliiſque noſtratibus diverſi.* Ex quo loco Strabonis, non ſolum regios equos, ſed etiam quanta cura regis Perſarum equi alerentur, cognoſcimus: quòdque forma, generoſitate, ac regia majeſtate præ reliquis digniores eſſent.

Tiberii equum in conflictu, hoſtiumque congreſſu, flammas interdum exhalantem fuiſſe viſum, auctores habet Alex. lib. 1. gen. dier. cap. 20. & Rho-
E digin. lib. 15. cap. 5. Quantæ vero excellentiæ foret equus ille, de grege Philonici Theſſali Bucephalus appellatus, nemo non novit. Ejus verò excellentiæ argumenta præſtantur à ſeſſore, domitoreque: quod nimirum magni Alexandri equus fuerit: à pretio quod tredecim talentis, ut habet Plutar. vel ſexdecim, ut Plinius lib. 8. cap. 42. æſtimaretur: ab inclinatione quoque naturali, affectuque in proprium Dominum, illius nobilitas expiſcatur; cum nullum alium præter Alexandrum admitteret ſeſſorem. Teſtantur hoc plurimi, hique graviſſimi auctores, ut Solin. cap. 57. & Plin. loco proxime ci-
F tato. Quinimò quod relatu mirabilius eſt: necnon etiam creditu quodammodo difficile: cum aliquando eo vulnere percuſſo, alium equum Alexander vellet conſcendere, Bucephalus id non eſt paſſus.

Generoſitatem etiam equi Cyri ſcribit Plutar. in Artax. dum Cyri cum hoſte congreſſum, ejuſdemque obitum ſcribit. Similiter etiam de Cæſaris equo tradunt auctores, neminem alium admiſiſſe ſeſſorem præter ipſum: cujus rei teſtem habemus Suetonium in Cæſare. *Utebatur autem*, inquit, *equo inſigni, pedibus prope humanis, & in modum digitorum ungulis ſciſſis: quem natum apud ſe, cum Aruſpices Imperium Orbis terræ ſignificari Domino prænunciaſſent, magna cura aluit: neque patientem ſeſſoris alterius primus aſcendit. Cujus etiam inſtar pro æde Veneris genitricis poſtea dedicavit.* Idem Solin. & Plutar. in Cæſare affirmant. Portentoſa mehercle hæc ſunt. At minus prodigioſa minimè cenſentur, quæ de equo Regis Scytharum ferunt Plinius, & Solinus; qui Dominum ſuum Regem tanto amore proſequutum tradunt, ut cum in conflictu aliquando Regis ſui hoſtem victorem cerneret, calcibus, morſibuſque eumdem laniaverit. Plurima alia his ſimilia leguntur exempla; ex quibus merito Principes in nobiliſſimis, ſimulque excellentiſſimis equis vehi ſtuduiſſe videantur.

Quantæ vero dignitatis apud nonnullas nationes equo vehi foret, auctor erit Juſtinus lib. 41. qui apud Parthos equo vehi, vel pedibus ambulare nobilitatem à ſervitute conſueviſſe diſtingui docet. *Parthi equis omni tempore vectantur*, inquit, *hoc diſcrimen inter ſervos & liberos eſt, quod ſervi pedibus, liberi non niſi equis incedant.* De Perſis hoc idem ſcripſit Strabo lib. 15. At regio equo vehi privatum aliquem hominem, abſque regis conſenſu capitale fuit. Quòd etiam tradidit Gilbertus Gaulmyn. ex auctoritate R. Maymon. in notis ad librum de vita & morte Moyſis lib. 1. cap. 4. ubi Hebraicis verbis relictis ſic habet: *Equum Regis nulli conſcendere, nec in throno ſedere, nec ſceptro, aut corona ejus uti, nec ullo illius ſuppellectili licet.* At ex Regis privilegio, aut conſenſu, regio uti equo, ſummi honoris ac dignitatis extitiſſe ſemper omnes intellexerunt. Si quis verò in dubium hoc revocare vellet: teſtimonio ſacrarum cap. 6. lib. Eſther convincetur, in funeſta illa litterarum hiſtoria crudelis Amani, qui à Rege conſultus, qua ratione aliquis ſummo honore ex regio decreto affici poſſet, Aman, qui ſibi ab Aſſuero talia meditari putabat, ipſe unus illi cariſſimus cum eſſet, de ſummis honoribus regiis, deque majeſtate, qua nullo major inter Perſas eſſet cogitans, reſpondit: *Homo quem Rex honorare cupit, debet indui veſtibus regiis, & imponi ſuper equum, qui de ſella Regis eſt.* Aſſuero verò equum cum primis generoſiſſimum ac nobiliſſimum extitiſſe, ſcribunt Herod. lib. 1. & Philoſtr. lib. 1. à Pineda lib. 2. de reb. Salom. cap. 5. relati. Rationem hujus honoris aliqui non tam ab excellentia equi, aut à perſona Regis, quam à diademate ſumi conſueviſſe tradunt; quod nimirum apud Perſas in equo regio diadema deferretur. Stat pro his Vatablus in prædicto loco ex auctoritate cujuſdam Rabbini; à quo non diſſonant, quæ Nicolaus de Lyra docet in eumdem locum, quòd nimirum Aman Regi Aſſuero hoc conſilium propterea præſtiterit, quod ipſe Aman Regni coronam ex ambitu, principatuſque diadema exoptaſſet. Sed parum noſtra intereſt, quid Aman ambitioſè meditaretur; ſatis ſit nobis, ex citato loco non obſcurè haberi, juris regii regiæque majeſtatis tunc extitiſſe, regio equo vehi.

Trojanis curru vectari majeſtati regiæ extitiſſe, veterum teſtimonia innumerabilia, præſertim auctore Homero, convincunt. Reges quoque Iſraëlitas currus habuiſſe ſacra paſſim aperiunt oracula: verum curru aliquando Saulem, Davidem, Salomonem, quamvis haberent, uſos fuiſſe licet non legamus, id tamen ſuſpicari poſſumus tùm à ratione regiæ majeſtatis, tùm ab his quæ ſucceſſores feciſſe legimus. Nam poſtquam Salomone defuncto, diviſum eſt Regnum, Reges Iſraël, atque Reges Juda curru vectos ſcimus; cum de Roboam filio Salomonis in conflictu,

conflictu, & in ipſa populi rebellione dicatur 3. Reg. 12. n. 8. *Porrò Rex Roboam feſtinus aſcendit currum, & fugit in Jeruſalem.* Sic etiam ibidem cap. 18. Elias cum precatus fuiſſet Deum, ut daret pluviam, & cum Achabum monere vellet, ut quam feſtinè à pluvia ſe ſubtraheret; dixit illi: *Aſcende & dic Achab, junge currum tuum, & deſcende ne occupet te pluvia.* Quamobrem clarò ſane argumento, uſum curruum fuiſſe regiæ majeſtatis, atque dignitatis etiam apud Iſraëlitas, apertè convincimur. Quem uſum Davidis etiam ſeculo extitiſſe apud aliquos ſuſpicari licet: tùm quod Adonias in affectato regno fecit ſibi currus, & equites, ut dicitur 3. Reg. 1. tùm etiam ex viſione Ezechielis Prophetæ; qui divinæ majeſtatis radium explicaturus, per modum inſidentis ſupra quadrigam, ſive currum à quatuor animalibus protractum, id expreſſit. Quam rationem majeſtatis ſæpiſſimè Propheta in Pſalmis eſt imitatus, Deum vectum curru decantans. Quibus vero animalibus Iſraëlitici currus pertraherentur, ſacra mimimè tradidere, quod ſciam, oracula.

Trojanorum regios currus à mulis protractos ſubindicavit Homerus, auctoritate totius Parnaſſi ſcriptor eruditiſſimus. Nam. lib. 24. Iliad Priamus Trojanorum Rex Achillem ſtrenuiſſimum Græcorum Ducem aditurus; ut Hectoris gratiſſimi ſibi pignoris ab eodem interfecti cadaver impetraret; currum mulinum, quo veheretur, regia majeſtate dignum ſibi parari mandat, dicens:

Αὐτὰρ ὅγ᾽ ἧας ἅμαξαν ἐΰτροχον ἡμιονείην
Ὁπλίσαι ἠνώγει . . . .

Ubi Muli Græco vocabulo ἡμίονοι dicuntur à dictione ὄνος, quæ aſinum ſignificat, & ἥμισυ, quæ medium valet: quaſi medii aſini muli dicerentur: quia coitu aſini & equæ, vel equi & aſinæ gignuntur. Allata carmina ſic interpretantur:

At hic filios currum bene rotatum mulinum
Ordinare jubet.

Regiæ dignitatis plurimum habuiſſe mulos, ac mulas apud veteres tam exteros, quam Romanos, non ſolum Homeri loca plurima, quæ brevitatis cauſa omiſimus; ſed etiam numiſmata aurea Philippi, & Alexandri, in quibus muli currus regii cuſi viſuntur, quorum etiam meminit Alex. lib. 4. cap. 15. Sunt etiam Romana numiſmata, in quibus mulini currus ad uſum Auguſtarum conſpiciuntur.

Quicquid vero ſit de mulorum mularumque uſu apud Reges exteros, ſacra repetamus oracula, ex quibus regiæ dignitatis fuiſſe mula vehi, apertiſſimè conſtat ex 2. Reg. cap. 18. in quo Abſalonem jam Regem acclamatum, in conflictu cum patre, mulo vectum ſacra Scriptura teſtatur. Et cap. 15. ejuſdem libri, in quo funeſtum illud convivium Abſalon fratribus ſuis inſtruxit, temulentumque Amon, ob violatam Thamarem neci dedit, reliquos fratres regis filios fugam arripuiſſe mulabus inſidentes, his ſcribitur verbis: *Surgenteſque omnes filii Regis aſcenderunt ſinguli mulas ſuas, & fugerunt.*

Diverſas tamen, inferioriſque ordinis à regia mula eas extitiſſe, quibus filii Regis utebantur, credere oportet: ratioque ex ſacris litteris petita hoc ſuadet. Nam Salomonem, ut cæteros Regis filios, propriam habuiſſe mulam, antequam regni ſucceſſor declararetur à patre, certum eſſe debet; argumento ſumpto à regia filiatione: nihilominus non alia mula, quam regia, regiæ majeſtatis de cauſa illum juſſit vehi David, cum ad fontem Gihon eum ſucceſſorem declarari mandavit. Affectati enim regni argumentum, aut prognoſticon erat illud obtinendi, ſi quiſpiam his uteretur, quæ regiam perſonam, aut comitarentur aut ornarent: videlicet ſi regia uteretur quis ſto-

A la, aut regio inſideret equo, aut regium ſecum ſervum deduceret; qui tale ipſi exhiberet miniſterium, quale antea Regi ſolitus erat impendere. Hæc eadem Salomoni filio exhiberi jubet David: nam ſervos ſuos, viros inter domeſticos præcipuos, adeſſe jubet Salomoni: illos nimirum, qui regio tantum obſequio, de more atque ex inſtituto vacabant, dicens: *Tollite vobiſcum ſervos Domini veſtri.* Suæ deinde mulæ Salomonem inſidere præcepit dicens: *Et imponite Salomonem filium meum ſuper mulam meam, & ducite eum in Gihon: & ungat eum ibi Sadoch Sacerdos &c.* Jus enim, poteſtatemque regiam ſuper Iſraëli- B ticam Rempublicam in filium Salomonem ſucceſſorem tranſlatam, David cum populo monſtrare vellet; regia mula eo deduci illum imperat, quo ſacro erat inungendus oleo; ut Adonias, qui ad fontem Rogel Rex acclamabatur, (ſed nec equo, nec mula regia, aut non regia, cum vectum legimus;) fratri ſuo Salomoni natu minori jura regni cedenda intelligeret. Quamobrem ille, qui 3. Reg. 1. Adoniæ de Salomonis inauguratione nuncium tulit; mula regia Salomonem vectum minimè tacuit, ſed ſic Adoniam alloquitur: *Dominus enim noſter Rex David Regem conſtituit Salomonem. Miſitque cum eo Sadoch Sacerdotem, & Nathan Prophetam, & Banajam fi- C lium Jojadæ, & Cerethi, & Phelethi, & impoſuerunt eum ſuper mulam Regis: unxeruntque eum Sadoch Sacerdos, & Nathan Propheta Regem in Gihon.* Quod enim mula regia Salomon de mandato patris veheretur; atque ſacra unctione ejuſdem juſſu fuiſſet perfuſus; actum eſſe de regno Adoniæ nuncius ille ſignificare voluit: atque Salomonis ſolemnem declarationem ad regni ſucceſſionem, omnibus numeris omnino abſolutam expreſſit: ut nullo jam argumento, illius in ſucceſſorem declaratio in dubium revocari poſſet. Quamobrem non minoris pretii, æſtimationis, ac dignitatis mulo vehi, Davidis ſeculo fuiſſe in Republica Iſraëlitica cenſeri debet; quam D equi, currus atque lecticæ apud reliquas nationes cenſeantur.

Cap. XXIX.

Communi genere mulæ, Salomon ad declarationem regiæ ſucceſſionis, vectus oſtenditur.

Ad locum 3. Reg. 1. *Tollite vobiſcum ſervos Domini veſtri, & imponite Salomonem filium meum ſuper mulam meam: & ducite eum in Gihon: & ungat* E *eum ibi Sadoch Sacerdos, & Nathan Propheta.* Et ad alia.

TURBANTUR ſimulque horrent plurimi, Moſaicæ legis, ſacrarumque Scripturarum ſtudioſi, dum virum ſanctiſſimum David, Sadocho Sacerdoti, & Nathano Prophetæ 3. Reg. 1. mandaſſe audiunt; ut filium Salomonem mulæ regiæ impoſitum, ad fontem Gihon deducerent; atque regni ipſius ibi ſucceſſorem eum ſuo nomine declararent, & non ſolum ſubditis, ſed etiam toti regiæ familiæ præficeretur. De quo in ſacro textu hæc F David dixiſſe ſcribitur: *Tollite vobiſcum ſervos Domini veſtri, & imponite Salomonem filium meum ſuper mulam meam: & ducite eum in Gihon: & ungat eum mihi Sadoch Sacerdos, & Nathan Propheta in Regem ſuper Iſraël; & canetis buccina, atque dicetis: Vivat Rex Salomon.* Perſpicuum eſt enim, hujuſque Sacræ Scripturæ teſtimonio planum, Iſraëlitas Reges mulis conſueviſſe vehi, ut capite præcedenti pluribus demonſtravimus.

Cri-

Criminoſius adhuc, quibuſdam viris doctis videtur, honoris, ac dignitatis prærogativam, uſum mulæ in Iſraëlitica Republica habuiſſe, cui ab ipſo Deo horum animalium procreatio omnino vetita fuerat. Quamobrem non contemnenda nobis ſeſe offert difficultas, non ſolum quantum ad obſervantiam præcepti à Deo lati, ejuſque germanam intelligentiam; ſed etiam circa genus mulorum, & mulæ, de quibus in præallegato ſacræ Scripturæ loco eſt ſermo. Salomonem enim mula vectum in ſua inauguratione, regioſque filios, tam recreationis, quam certaminis de cauſa, mulis uſos certum eſt. David quoque mula fuiſſe vectum, ex ſacris oraculis apertè conſtat.

Leges à Deo traditæ Regibus Iſraëlitis, atque cum primis ſanctiſſimo, piiſſimoque viro David, mulæ, mulorumque uſum potius criminoſum, quàm licitum, aut religioſum extitiſſe eo argumento probatum videtur, quod Hebræis hoc animal vetitum eſſet: ut habetur Levit. 19. Deo populo Iſraëlitico prohibente coitum animalium diverſarum ſpecierum, qui tamen coitus ad mulos gignendos ac procreandos neceſſario requiritur. Audiatur præceptum: *Animal tuum non facies coire cum alterius generis animantibus.* Hæc eſt lex, quæ quidem in noſtro caſu maximi roboris cenſeri poſſet. Eapropter Abulen. in cap. 22. Deuter. peracute obſervavit, quod cum à Deo lex de non arando, in bove, & aſino tradita fuiſſet; nihilominus de non arando in bove, & mulo nihil egit: quod hoc animal in populo Iſraëlitico, finibuſque illius nequaquam reperiundum ſupponatur. Quamobrem ſi ab illius doctrina argumenta haurire liceret; nullius pretii extitiſſe mulos apud Iſraëlitas affirmandum videbatur, quòd ea, quæ nullius ſunt uſus, nullius quoque ſint exiſtimationis.

Cumque procreatio mulorum Iſraëlitis à Deo vetita fuiſſet; Regibus quoque mulorum, ſive mularum uſus interdictus cenſeri debet. Enimvero legis, præſertim à Deo latæ, obſervantia à Principibus inchoanda fuit; ut etiam à Juriſconſultis dicitur *digna vox:* Regum, ac Principum geſta, cæterorum norma eſſe debent: cum illorum muneris ſit Imperium pro viribus conſervare. Imperium autem, ut ait Plut. ubi Theſei, ac Romuli acta confert; οὐκ ἧττον ἀπεχομένη τοῦ μὴ πρέποντος, ἢ περιεχομένη τοῦ πρέποντος. Hoc eſt: *Non minus abſtinendo ab indecoro*, ſupple conſervatur, *quam complectendo decorum.* Opere nimirum adimplendo, non ſolum quæ juſta & optima apparent, ſed etiam, quæ decoris ſpeciem habent. Quid autem juſtius, aut quid magis decorum in Republica Hebræorum apparere poterat, quam Regem divinæ legis obſervantiſſimum ſe præbere, ita ut ab ea ne latum quidem unguem deficeret?

Hæc igitur publica ſacræ legis tranſgreſſio ex uſu mulæ, in Iſraëliticis Regibus admittenda cum non videatur; minus quoque rationi conſonum videtur, Regem David, divinæ legis alias obſervantiſſimum, (ut ex ſacris oraculis perſpicuum eſt;) mula fuiſſe uſum. A recta namque ratione ejus, qui ſanctitatem Davidis commendatam in ſacris litteris agnoverit, affatim id alienum cenſeri poſſet. Eis namque encomiis Davidis ſanctitas in ſacris oraculis commendatur, ut legis ejuſdem obſervantiæ ſimulacrum, non ſemel, ſed iterum, atque iterum, Regum hiſtoria, reliquis imitandum proponat. Quo igitur fundamento ipſe primus tranſgreſſor eorum, quæ à Deo conſtituta fuerant, extiterit, ſatis alienum ab ejus pietate ſuſpicari poſſet. Nam quamvis homicidam, atque adulterum aliquando ſanctiſſimum Regem David agnoverimus; de his etiam criminibus à Deo punitum, ac reprehenſum doluiſſe ſcimus:
A nullibi vero eidem objici mulæ uſum in ſacris habetur litteris; aut doluiſſe, quod mula aliquando veheretur, aut de hoc pœnitentiam egiſſe cognovimus.

Commune igitur genus mulæ in Salomone inaugurando, Pineda lib. 2. de reb. Salom. cap. 5. & cum illo Gaſpar Sanctius in cap. 18. lib. 2. Reg. n. 10. & alii plures, à ſanctiſſimo Rege David, & reliquis Regibus deturbant: argumentis, atque rationibus quidem jam allatis convicti; quibus etiam Reges à legis tranſgreſſione redimunt. Quamobrem à diverſitate, (ut Pineda putat) vocabulorum, à præſtantia, & nobilitate mulorum, ac mularum, qui-
B bus Reges Iſraël utebantur; à velocitate curſus iſtorum animalium, quæ ſacra oracula Regibus concedunt; atque etiam à ratione coëundi, pariendique, ut Regem Davidem, Salomonem, ac totam regiam proſapiam à tranſgreſſione legis ſervent, mulas regias alterius ſpeciei à communi fuiſſe comminiſcuntur.

Diverſitatem vocabulorum, rerum quoque ſignificatarum diverſitatem, ac diſtinctionem inſinuare cum perſpicuum ſit: hanc regiam mulam à communi diſtingui, ex Hebraicis vocabulis, certiſſimum Pineda exiſtimat. Illud enim commune genus mulinum, quod ex coitu equi, & aſinæ, viciſſim equæ,
C & aſini gignitur; Hebraicè in ſacris litteris יֵמִם *Jemim* dici Pineda tradidit. Hoc autem animal, quo David, & filii illius vectabantur, quod mula in ſacris appellatur litteris, in qua pariter regiæ ſucceſſionis de cauſa Salomon vectus fuit, appellari פֶּרֶד *Pered* affirmat; & quidem ita dici exemplaria Hebraica demonſtrant.

Mulorum commune genus vocabulo יֵמִם *Jemim* ſignificari probat Pineda ex cap. 36. Gen. ubi de Anna ſermo eſt: & locus ab omnibus ferè ſcriptoribus de mulis interpretatur; nec aliud adfert in tota ſacra Scriptura teſtimonium, quo ſuum intentum confirmet, nec adferri poteſt. Cumque nos ſupra cap.
D 26. non יֵמִם *Jemim*, ſed יַמִם *Jamim* legendum locum relatum, multis rationibus monſtraverimus: & nequaquam mulos, ſed aquas, ſive ſtagna ea voce ſignificari docuerimus, non eſt quod ultra, rejiciendo Pinedæ, ac aliorum auctorum fundamento immoremur.

Si verò à coitu, & partu pro Pineda ſumendum eſſet argumentum; ſatis quidem firmum illud videretur. Communi enim mulorum ſpeciei coire, aut parere, adeo interdictum à natura fuit; ut mulam aliquando peperiſſe, Romanis & reliquis omnibus, etiam Græcis, portentoſum viſum fuerit. Hujus prodigioſi partus teſtes ſunt Plin. lib. 8. cap. 44.
E & Alexan. ab Alexan. lib. 2. Gen. dier. cap. 31. qui etiam tradit, mula cum inceſtæ naturæ partum edidiſſet, Xerxe expeditionem in Græciam parante; eo partu cruenta bella, ſtrageſque & memorandum Perſarum excidium præmonſtratum fuiſſe: & lib. 5. cap 13. mulam gemellos parturientem, dira oſtenta, peſtemque denunciaſſe ſcribit.

Dari verò aliud mularum genus, quod pariat, & ex conſequenti coëat; auctoritate Ariſt. lib. 7. de hiſtoria animalium cap. 24. probatum Pineda exiſtimat. Ariſtotelis verba hæc ſunt: *In terra ſupra Phœnicem mulæ coëunt, & parturiunt omnes: ſed id genus diverſum eſt, quamquam ſimile.* Harum etiam mu-
F larum coëuntium, & parturientium genus Plinius ubi ſupra, auctoritate Theophraſti, in Cappadocia reperiri tradidit. Hæc igitur animadvertens Pineda lib. 2. de reb. Salom. cap. 15. ad hoc genus revocat regias mulas: quas nequaquam lege à Deo prohiberi exiſtimat: quod ibi genita tantum ex coitu animalium diverſarum ſpecierum interdicerentur: cumque mulæ, quibus utebantur Reges Iſraël, nequa-

quaquam ex commixtione aſini, & equæ, vel contra, ſed ex mulo, & mula ejuſdem ſpeciei gignerentur; ea lege minimè comprehendi perſpicuum cenſet.

Dignitas etiam ac præſtantia; quæ de his animalibus in ſcripturis tum ſacris, tum prophanis nobis commendatur; has ipſas ſeparare à communi genere mulorum videtur. Quid enim ſingularis, pretioſi, aut æſtimatione digni in communi genere mulorum eluceat, non apparet. Forſitan obſtinata motus tarditas? Vel indomita in pluribus illorum ferocia? Fortaſſe calces in annos plurimos Domino reſervati? Forſitan raritas iſtorum animalium? nihil ſanè. Nam quacumque in regione, in qua aſini, & equi habentur; ex coitu utrorumque mulos quoque gigni conſtat. Cum igitur nihil in communi genere mulorum expetendum appareat; neque cum regio cultu, dignitate ac majeſtate Reipublicæ Iſraëliticæ, aliquid commune habere mulæ, aut muli videntur: præſertim cum ea regia majeſtate, cui ex lege horum animalium procreatio omnino interdicebatur. His potiſſimum argumentis Pineda ducebatur; ut eo in loco 3. Reg. 1. ubi Salomon mula vectus ad inaugurationem ſcribitur: mula quidem non communis generis, ſed alterius jam ſatis commendati, vectum crediderit: & eodem Abſalonem quoque in fuga uſum exiſtimet.

Plauſibilis certè jam poſita doctrina apparet; quam nos, non tam auctoritate Pinedæ, quam aliorum, & rationibus quoque pluribus, fuſius quam ille comprobavimus: atque etiam complecteremur; ubi ex ſacris litteris coiiſſe, ac peperiſſe has regias mulas aliqua ratione ſubodoraretur; aut Pinedæ fundamenta minimè ruerent. Illud enim genus mulorum, quod tradidere Theophraſtus, Plinius, atque Ariſt. lib. 6. de hiſt. anim. c. 24. nequaquam ad eam mulinam ſpeciem revocari debet; quæ ex duabus ſpeciebus, nimirum equina, & aſinina gignitur; licet ſimile mulis ſit quantum ad formam, atque figuram, ſpectatis corporum lineamentis; qua de cauſa illud genus à noſtris mulus dictus eſt latinè; quamvis revera, nec talis ſit, nec ab Ariſtotele hoc nomine appellatus. Nam mulus Græcè ἡμίονος dicitur; hoc eſt medius aſinus: at vero hoc animal, de quo ibi loquitur Ariſtoteles, ὀρεὺς vocatur: ſic enim in eo capite de hoc animali Ariſtoteles loquitur. ὁ δὲ ὀρεὺς ἀναβαίνει μὲν, καὶ ὀχεύει μετὰ τὸν πρῶτον βόλον. Hoc eſt: *Oreus autem conſcendit, atque coit poſt priores dentes.* Supple; amiſſos.

Et licet aliqui dictionem illam *Oreus* per latinam *mulum* ſint interpretati, auctoritate tamen Ariſtotelis, Oreum alterius generis extitiſſe à mulo conſtat: quia ipſemet Ariſt. in libris de generat. contra Empedoclis & Democriti ſententiam totum mulorum genus ſterile fore docet; deque illorum ſterilitate multa diſputat. Et quamvis ſtatim de mulis Syriacis loquatur, quas parere, atque coire tradidit; tamen apertè teſtatur, quod licet communi generi mulorum ſimilia videantur hæc animalia, tamen alterius ſpeciei ſunt. Sic enim dicit: αἱ δὲ ἐν τῇ Συρίᾳ τῇ ὑπὲρ Φοινίκης ἡμίονοι, καὶ ὀχεύονται, καὶ τίκτουσιν, ἀλλ᾽ ἔστι τὸ γένος ὅμοιον μὲν, ἕτερον δὲ &c. Hoc eſt: *Muli autem in Syria, quæ eſt ſupra Phœnicem, coëunt, & pariunt; ſed eſt ſimile quidem, aliud autem genus.* Quo certè nihil apertius tradi poterat ab Ariſtotele, ut certo ſciremus, quod illa animalia, quæ ibi dicuntur muli, & coire, ac parere affirmantur, non ſunt propriè muli; ſed animalia alterius ſpeciei, & ſimplicis non commixtæ: illud nimirum quod ὀρεὺς appellaverat, quaſi dixeris *Montanus*, & *ſylveſter*; ſic enim illud vocabulum ὀρεὺς interpretatur.

At illud animal, quo vectum Salomonem legimus 3. Reg. 1. propriè fuiſſe mulam, dictio פרד *pe*-

A *red* Hebræa, quæ habetur in exemplari Hebraico, & dictio ἡμίονος, quæ apud Joſephum, & in Græcis exemplaribus legitur; quæ ſic habent, καὶ ἐπιβιβάσατε τὸν υἱόν μου Σολομῶντα ἐπὶ τὴν ἡμίονον τὴν ἐμήν, intentum noſtrum planè probant. Sic enim locus allatus interpretatur. *Et imponite Salomonem filium meum ſuper mulam meam.* Dictio enim ἡμίονος de nullo alio genere mulæ verificatur, quam de eo, quod ex coitu aſininæ, equinæque ſpeciei gignitur. Communi igitur genere mulæ, non autem ab hoc diverſo Salomon ad declarationem Regiæ ſucceſſionis vectus eſt: eo nimirum; quo David, & reliqui regiæ proſapiæ Principes utebantur.

B Nec quemquam perturbet Dei præceptum, quod habetur Levit. cap. 19. in quo coitus animalium diverſarum ſpecierum interdicitur: ad quod longa oratione, & rectè ſatisfaciunt Perer. in cap. 36. Gen. & Torniel. anno mundi 2319. Etenim plurima alia Dei præcepta in veteri & Moſaica lege haberi perſpicuum eſt: quæ tamen poſthabita fuiſſe etiam ex contemptu ab aliquibus nihilominus perſpicuum apparet; potiſſimum à Regibus, & Principibus Reipublicæ: ut meritò aliquando conqueratur Jeremias, hos magis divinam legem contempſiſſe, quam plebeios homunciones. Jeremias enim cum concionem aliquando cum plebeiis, infimæque ſortis hominibus C haberet, intenta illis lite ſuper tranſgreſſione divinæ legis, & neque hi dicto audientes eſſent, cogitaſſe ſe apud ſemetipſum affirmat, atque dixiſſe: *Forſitan pauperes ſunt ignorantes viam Domini, & judicium Dei ſui: Ibo igitur*, inquit, *ad optimates, hi enim cognoverunt viam Domini, & judicium Dei ſui.* Sed quid tandem concludit ſanctus Dei Propheta? *Ecce hi magis confregerunt jugum &c.* Etenim ditiores fenum habent in cornu, ex veteri adagio; ac proinde ab eis longè fugiendum, ibidem conſulitur: quæ locum minimè haberent, ſi divinæ legis obſervantia, aliquem apud illos reperiſſet gradum.

Sed quicquid ſit de tranſgreſſione impia ſacræ le- D gis, apud impios frequentiſſima, nequit tamen hæc tranſgreſſio admitti in ſanctiſſimo viro David, aliiſque piis regibus: quamobrem in uſu mularum minimè legis tranſgreſſores eos extitiſſe concedimus: non enim quod coitus animalium diverſarum ſpecierum in lege prohibeatur, propterea uſus mulorum Iſraëlitis interdictus putari debet. Qua quidem reſponſione ſatisfactum iri puto ſufficientiſſimè à Rabbinis, & ab Abulenſi cap. 13. lib. 2. Reg. quæſt. 18. ad argumentum illorum, qui vigore illius legis, uſum etiam mularum, aut mulorum Iſraëlitis prohiberi credebant. Enimverò ex vi illius legis peccaſſet quidem, qui lege contempta, equum & aſinam, E vel è contra equam aſinumque ad coitum copulaſſet; nullius tamen peccati labe inquinaretur ille, qui mulos ſeu mulas ad uſum proprium comparaſſet; vel alio quovis juſto titulo ea animalia poſſediſſet. Nam inter ſacras gazas ad uſum ſacri templi mulos recenſeri ſacra oracula tradunt. Hoc non obſcure cap. 66. ab Iſaia inſinuatum videtur, ibi enim Propheta de communi lætitiæ apparatu in Urbis, ac Templi reſtauratione agens: *Adducent*, inquit, *omnes fratres veſtros donum Domino in equis, & in quadrigis, & in lecticis, & in mulis, & in carrucis ad montem ſanctum meum.* Davidem, filios Regis, & Salomonem, mula uſos legimus; generationem ve- F rò mulorum illos procuraſſe, aut ſervis ſuis imperaſſe non legimus: eapropter quamvis 3. Reg. cap. 1. de communi genere mulæ locus accipiatur; non tamen ad genus mularum parturientium confugere cogimur: neque lex illa officeret, quo minus Salomon ad fontem Gihon mula juſſu patris veheretur.

Veriùs fortaſſe pro mularum uſu, à regia facultate argumentum ſumetur, ſi dixerimus, quod mu-

tato Reipublicæ ſtatu , Regibus ipſis , qui totius Reipublicæ principatum habebant , in præceptis judicialibus multa licebat permutare , & leges aliquas condere , etiam diverſas ab his , quas inter judiciales ac politicas , Deus , ut inſtitutor , & Princeps , ac Imperator Iſraëlitici exercitus , in conſtituenda republica Iſraëlitica præſcripſerat. De quo plura Myroth. præced. cap. 53. diximus.

Verùm ne iſta omnino ex capite excogitaſſe videamur ; unum vel alterum ex ſacris libris afferamus exemplum , a Deuteronomii libro exordium ſumentes , in quo cap. 17. pro futuro in populo Rege lex à Deo traditur per hæc verba : *Non habebit uxores plurimas , quæ alliciant animum ejus.* Contra quam legem , Davidem virum ſanctiſſimum , cum regnaret in Hebron cap. 3. lib. 1. Paral. ſex habuiſſe uxores legimus ; & poſtmodum cum regnum totius Iſraëlitici populi fuiſſet adeptus lib. 2. Reg plures alias uxores duxiſſe fertur ; de quo ita ſacri textus loquuntur : *Accepit ergo David concubinas & uxores de Jeruſalem poſtquam venerat de Hebron.* Salomonem quoque exceſſiſſe numerum uxorum ac concubinarum liquido conſtat. Eodem quoque loco Deuter. de Rege , moderataque ejus curia lex in hæc verba fertur : *Cumque fuerit Rex conſtitutus, non multiplicabit ſibi equos.* Cum tamen 3. Reg. cap. 4 ſub Salomone dicat ſacer textus : *Et habebat Salomon quadraginta millia præſepia equorum curulium , & duodecim millia equeſtrium.* Et ſub Davide legitur cap. 18. lib. 1. Paral. *Cepit ergo David mille quadrigas ejus , & ſeptem millia equitum , & viginti millia virorum peditum , ſubenervavitque omnes equos curruum exceptis centum quadrigis , quas reſervavit ſibi.* Mitto nunc quæ Myrothecio præcedenti ad majorem hujus rei explicationem dicta à nobis fuere. Cum igitur non ſolum mula vel mulo , atque aliis animalibus uti , ſed etiam procreationem ipſorum curare , inter judiciales ac politicas leges à Deo latas recenſeri debeat ; potuiſſe Reges his mulis uti , atque etiam procreationem illorum curare , abſque nota tranſgreſſionis , certiſſimum arbitror ; atque propterea mula non alterius, quam communis generis vectum Salomonem ad Gihon affirmandum cenſeo.

Pinedæ igitur jam poſita ſententia , & doctrina minimè nobis probatur : nec enim aliud genus mulorum à communi diverſum , in Scripturis ſacris nos comminiſci , aut excogitare oportet ; cum doctiſſimi quique viri , aliud genus mulorum quàm commune , in Scripturis non agnoverint : quod etiam Arias Mont. obſervavit in naturalibus obſerv. num. 321. & 322. quem profectò abſque fundamento Pineda reprehendit. Fuit enim vir ille eruditiſſimus peritia linguarum Græcæ , Chaldaicæ , Hebraicæ , & Latinæ notiſſimus , ut ſine injuria alicujus , noſtro hoc ſeculo primas in his ſacris ſtudiis obtinuerit: quamobrem ea in re plurimum illi credere decet ; præſertim cum ea , quæ ille tradidit , quam maximè ſacris oraculis conſona ſint , ut vidimus. Cum igitur aliud mulorum genus à communi diverſum non agnoverit ille ; communi quoque genere mulæ vectum Salomonem , nobiſcum ſi viveret (ut puto) affirmaret.

Communi genere mulorum Reges Iſraëlitas uſos probatum ſatis videbatur , argumentis everſis , quibus innitebantur , quæ in contrarium afferri poterant : verùm , ut ſolidiora appareant pro communi genere mulorum quæ hucuſque dicta ſunt ; fundamenta alia ſumantur à vocabulis tam Græcis , quam Hebraicis , ac Latinis. Nam apud Latinos duo habentur vocabula , quibus ſpecies hæ animalium , ex commixtione aſini , & equæ , vel equi , & aſinæ genita ſignificantur, quæ ſunt *Mula*, & *Burdo.* Hoc aliquando uſi ſunt Latini , ut Juriſconſultus de legat. 3. *l. legato.* Communiter mula poni videtur ad ſignificandum hoc animal generis feminini : Burdonem verò dicunt Latini , quoties ejuſdem animalis genus maſculinum ſignificare volunt. In hoc ſenſu apud vulgatum interpretem habetur 4. Reg. cap. 5. ubi Nahamanem Syrum Eliſæum rogaſſe ſcribitur : *Obſecro , concede mihi ſervo tuo onus duorum Burdonum de terra : non enim faciet ultra ſervus tuus holocauſtum , aut victimam Diis alienis , niſi Domino.* Vocabula verò mularum in plurali habentur lib. 2. Reg. cap. 13. ubi interfecto Amone juſſu Abſalonis, de fuga filiorum David agitur his verbis : *Surgenteſque omnes filii Regis , aſcenderunt ſinguli mulas ſuas , & fugerunt.* Mulus in ſingulari ponitur 2. Reg. cap. 18. cum agitur de fuga Abſalonis ; quando nimirum rebellis patri , ex affectata tyrannide regnum illius occupare ſtuduiſſet ; & manus adverſus paternas copias conſerere non erubuiſſet, ac victus tandem fuga propriæ ſaluti conſuluit. De quibus ſacer textus hæc habet : *Accidit autem , ut occurreret Abſalon ſervis Davidis ſedens mulo : cumque ingreſſus fuiſſet mulus ſubter condenſam quercum , & magnam , adhæſit caput ejus quercui ; & illo ſuſpenſo inter cœlum & terram , mulus , cui inſederat , pertranſivit.* Mula in ſingulari ponitur 3. Reg. cap. 1. in quo de regia pompa Salomonis agitur ; & eumdem mula vectum juſſu patris ibi ſcribitur , his verbis : *Imponite Salomonem filium meum ſuper mulam meam: & ducite eum in Gihon , & ungat eum ibi Sadoch Sacerdos , & Nathan Propheta in Regem ſuper Iſraël.*

Exemplaria Græca in relatis locis ubique & ſemper vocabulum Græcum ἡμίονος retinent ; quod eſt promiſcui generis, ſignificans tam mulam feminam, quam mulum maſculum : declinatur enim grammaticaliter per utrumque articulum , nimirum ὁ καὶ ἡ ἡμίονος : quibus articulis dum voces in ſacro textu afficiuntur ; utrum per mulum in maſculino, an verò per mulam feminini generis locus ſit interpretandus colligitur. Promiſcui quoque generis in lingua ſancta eſt vox פֶּרֶד *pered* , qua ſemper utuntur ſacri codices , in locis jam à nobis citatis ; in quibus mula , vel mulus à vulgato ponitur. Licet fortaſſe à maſculino femininum פִּרְדָּה *pirda* , formari poſſet ; ſed hujus vocis nullus eſt uſus in ſacris codicibus. Quin etiam ſi latinæ vocis *Burdo* velimus conjectare etymologiam , ab hoc vocabulo Hebraico פֶּרֶד *pered* burdonem derivari non immeritò ſuſpicabimur. Etenim פ *Peh* Hebraica aſperiore Littera , in B. Latinum durum converſa (ut ſæpè accidit , in linguarum exterarum diverſitate) à voce Hebraica פֶּרֶד *pered* , *Burdo* latinum fiet ſatis vocalibus conſonum : ac propterea non aliud genus mulorum in ſacris litteris comminiſci neceſſe erit , quam quod ex commixtione aſini & equæ , vel è contra gignitur : ac proinde eodem quoque mulorum genere , & non alio, Iſraëlitas Reges uſos, vectumque Salomonem, certiſſimum ac conſtitutum ſit.

CAP. XXX

Præſtantia mularum regiarum , & pernicitas aperitur.

Ad loca. 2. Reg. 13. *Surgenteſque omnes filii Regis aſcenderunt ſinguli mulas ſuas , & fugerunt.* Ibid. 18. *Accidit autem ut occurreret Abſalon ſervis Davidis ſedens mulo : cumque ingreſſus fuiſſet mulus ſubter condenſam quercum , & magnam , adhæſit caput ejus quercui , & illo ſuſpenſo inter cœlum & terram , mulus , cui inſederat , pertranſivit.* Et ad alia.

RE-

REMANET adhuc diſquirenda velocitas mulorum ac mularum, quibus Reges Iſraël, ac Principes, ac Regum filii vehebantur. Cum enim commune genus mulorum tarditate afficiatur; nec aliqua pernicitate commendetur; & mulos, quibus Reges Iſraël vehebantur, velociſſimos extitiſſe ſacris ex litteris conſtet; Pineda, & alii à pernicitate ſumpto argumento, has regias mulas, alterius generis à communi fuiſſe ſatis probabili argumento, ut vidimus cap. præcedenti, ſuſpicati ſunt. Velocitas autem horum mulorum ex fuga Abſalonis cap. 18. lib. 2 Reg. eſt manifeſta, in quo dicitur: *Accidit autem, ut occurreret Abſalon ſervis Davidis ſedens mulo: cumque ingreſſus fuiſſet mulus ſubter condenſam quercum, & magnam; adhæſit caput ejus quercui, & illo ſuſpenſo inter cœlum & terram, mulus cui inſederat, pertranſivit.* Niſi enim nimia velocitate agitatus mulus ultra impelleretur, nunquam cincinni capitis Abſalon tam complexè quercui adhæſiſſent; ut à quercu Abſalon ſtipatus etiam fortaſſe ſervis, minus ſe explicare, poſt plurimas etiam horas poſſet, ut ſacris ex oraculis colligitur. Muli pernicitatem teſtatur Joſephus lib. 7. antiq. his verbis. δείσας δὲ μὴ καταλάβωσιν αὐτὸν οἱ πολέμιοι, ἐπιβὰς τῆς ἡμιόνου τῆς βασιλικῆς ἔφευγε· φερόμενος δὲ μετὰ ῥύμης, καὶ ὑπὸ τοῦ σάλου, καὶ τῆς κινήσεως κοῦφος ὤν, ἐμπλακείσης αὐτῷ τῆς κόμης τραχεῖ δένδρῳ μεγάλοις ἐπιπολὺ κλάδοις ἐκτεταμένῳ, παραδόξως ἀνακρέμαται. καὶ τὸ μὲν κτῆνος ὑπὸ ὀξύτητος ὡς ἐπικείμενον τὸν δεσπότην ἔτι φέρον ἐχώρει προσωτέρω. Hic dictio ῥύμη velocitatem denotat, & maximam velocitatem ſignificat, quæ nimirum ſit cum impetu vehementi; illorum itaque verborum φερόμενος δὲ μετὰ ῥύμης, ſenſus eſt, quod Abſalon ferebatur, ſupple à mulo, cum velocitate maxima, & cum maximo impetu: ſic enim interpretatur locus allatus ex Joſepho: *Timens autem*, ſupple Abſalon, *ne hoſtes ipſum prehenderent, conſcenſa mula regia fugit. Curſu vero incitatiſſimo latus, & agitatione ac motu præceps cum opacæ arbori comam implicuiſſet, cujus ſe rami longe lateque diffundebant, fuit ex inopinato penſilis. ac jumentum quidem celeritate abreptum quaſi impoſitum adhuc dominum vehens, ultra proceſſit.* Sic etiam cap. 13. lib. 2. Reg. in quo de interfecto ab Ammone Abſalone eſt ſermo, & de fuga reliquorum fratrum dicitur: *Surgenteſque omnes filii Regis aſcenderunt ſinguli mulas ſuas, & fugerunt.* Cujus etiam fugæ velocitatem teſtatur Joſeph. loco citato cap. 8. quamvis ubi noſter habet mulas, ille pro mulis, equos falsò poſuerit: reſpiciens potius, ut puto, ad rationem equitarionis, quam ad genus animalium; niſi mendum in codicibus Joſephi extet: mulis fœminis, non in maſculis fugiſſe filios Regis, cum vulgatis exemplaribus, Hebraica quoque, ac Græca conſentiunt.

Pernicitatem atque velocitatem regiorum mulorum, atque mularum, quam ſacræ litteræ teſtantur, ut explicare valeamus; prætereundum minimè duxi, duplex dari aſinorum genus apud rerum naturalium ſcriptores, nimirum domeſticum unum, ſilveſtre alterum, quod poſtremum à Latinis onager appellatur. Pari ratione mulorum, mularumque genus ex duplici concubitu equi, & aſinæ excogitare poſſumus: nimirum ex coitu equæ, & aſini domeſtici, ut communiter habentur; nec non etiam ex concubitu equæ, & aſini ſilveſtris. Minimè igitur priori, ſed poſteriori genere mulorum, atque mularum uſos fuiſſe Reges Iſraël certiſſime diximus affirmandum, ex his nimirum, quæ coitu ſilveſtris aſini, & domeſticæ equæ, vel è contrario gignebantur: atque de hoc genere mulorum ſacrarum Scripturarum loca intelligenda reor; quoties mularum, aut mulorum apud Iſraëlitas Reges meminere. Nam ratio loci, nimirum, quod alter gi-

A gnatur intra domeſticos parietes, alter ſecus, in montibus, locíſque ſilveſtribus, alter cicur, alter agreſtis ſit, ſpeciem in animalibus minime variat: ac propterea ſive mulus, aut mula ex equa, & aſina domeſtica gignatur, ſive ex equa, & aſino ſilveſtri; vera tamen natura mulina in illis remanebit; & Græcè ἡμίονος, id eſt, *ſemiaſinus* veriſſimè dicetur.

Nec aliquem offendat, quod genus mulorum, quibus utebantur Reges, eorumque filii, velociſſimum ex hiſtoria Abſalonis in divinis oraculis oſtendatur. Nam duo aſinorum genera cum habeantur, ut dicebamus, *alterum ferum, quod vocant onagrum*,
B inquit Varro lib. 2. de re ruſt. cap. 6. *alterum manſuefactum, ut ſunt in Italia, Gallia & Hiſpania*, reliqui omnes: duo etiam mulorum genera nobis excogitanda erunt; aliud ex equa, & aſino domeſtico; aliud ex equa, & aſino ſilveſtri, quem onagrum appellant: à Græco ὄνος, quod eſt aſinus, & ἄγριος, quod eſt ſilveſtris. Quemadmodum igitur muli geniti ex equa & aſino domeſtico ac manſueto, ab aſino tarditatem accipiunt; ita mulos qui ex equa & onagro gignuntur, pernicitatem habere maximam neceſſe eſt. Quia, ut habemus ex Varrone loco citato cap. 18. pulli ſequuntur naturam patris. De onagris enim hæc Scaliger in notis ad
C lib. 2. hiſt. animal Ariſt. *Onagri vulgares velociſſimi ſunt, auribus prælongis, colore candido, nigra vitta dorſum diſpeſcit.* Et infra: *In Phrygia, & Lycaonia commendantur: in Africæ Mauruſia terra ſunt aſini feroces, tanta celeritate, ut volare videantur.* Quod igitur muli, ac mulæ ab his genitæ, ad uſum regium velocitatem haberent, ipſa rei natura id poſtulabat. Hæc autem animalia ſic genita, eadem fuiſſe cum his, quæ ὀρεῦς à Græcis dicebantur, ex Ariſtot. lib. 3. Rhetor. cap. 2 circa finem perſpicuum fore arbitror. Eſt ibi ſermo de epithetis, deque ratione utendi eis in arte dicendi: & quemadmodum metaphoram in aliquo laudando docuerat ſu-
D mendam eſſe à digniori ratione; idem etiam in iis, quæ adponuntur, ſervari debere oſtendit. Nam etiam à mula turpique re aliqua honeſtiori ratione ſumi poſſe, elegantiſſimis explicat exemplis; ab Euripide ſumpto alio, & alio à Simonide, qui cum aliquando Anaxilæ Meſſani, qui Rheginis imperavit, victoriam carmine celebrare accepto pretio cogeretur, quam ille in Olympicis ludis curſu mularum reportarat: filias equorum illas appellavit. De hoc ita Ariſtoteles: καὶ ὁ Σιμωνίδης, ὅτε μὲν ἐδίδου μισθὸν ὀλίγον αὐτῷ ὁ νικήσας τοῖς ὀρεῦσιν, οὐκ ἤθελε ποιεῖν, ὡς δυσχεραίνων εἰς ἡμιόνους ποιεῖν. ἐπεὶ δ' ἱκανὸν ἔδωκεν, ἐποίησε.

E Χαίρετ' ἀελλοπόδων θύγατρες ἵππων.
Καίτοι, καὶ τῶν ὄνων θύγατρες ἦσαν.

Ubi Poëtæ ingenium Ariſtoteles admiratur, qui cum mulas eſſet laudaturus, nec minus vere illas vocare poſſet filias aſinorum, ad ſervandum tamen decorem laudis, ad nobilius genus reſpiciens, eas dixit filias equorum. Sic enim locus interpretatur: *Et Simonides quidem, dum modicam mercedem illi porrigeret is, qui orëis vicerat, noluit verſificare, hanc in hinnulos verſificandi provinciam quaſi indecoram fugiens, quam cepit tamen ubi, quod appetebat, pretium tulit*, in hæc verba erumpens:

F *Salvete volucrum filiæ equorum*
Cum tamen aſinorum quoque filiæ forent.

Ex quo Ariſtotelis loco manifeſtum eſt, quod illud animal, ὀρεῦς, id eſt, *Montanus* à Græcis dictum, verè quidem mulus eſt; ſed in montibus genitum, duarum ex commiſtione ſpecierum, aſininæ videlicet, & equinæ.

Ve-

Verum ex equa & onagro generari mulas velociſſimas probetur auctoritate Plinii lib. 8. cap. 44. dicentis : *Generantur ex equa & ex onagris manſuefactis, mulæ veloces in curſu , duritia eximia pedum , verum ſtrigoſo corpore , indomito animo , ſed generoſo* , & addit : *Onagro & aſina genitus omnes excellit.* Poſtremum vero hujus animalis genus nihil ad nos , cum ad aſinorum genera , non ad mulorum illa ſint referenda. Plinii itaque auctoritate , ex hujus animalis præſtantia & ejus generoſitate , ex ejuſdem quoque velocitate , illud idem animal ad regalia ſervitia extitiſſe accommodatiſſimum , & ad regiam pompam oſtentandam nobiliſſimum , nemo non agnoſcit : ut propterea non tam velocitatis , quam fortitudinis de cauſa , non ſolum in nundinis , pretio non omnino contemnendo , hæc mulorum genera venderentur ; ſed etiam inter præſtantiſſimas gazas à ſummis Regibus atque Principibus , aliiſque nobiliſſimis viris meritò annumerarentnr.

Reges ac Principes , hoc genere mularum , quarum naturam ex Plinio deſcripſimus , in bello uſos fuiſſe , ex Homero lib. 24. Iliad. & alibi perſpicuum eſt. Cum enim Priamus Achillem aditurus currum ſibi parari juſſiſſet , non tantum mulis regium currum protractum narrat ; ſed etiam illarum mularum, ſeù mulorum præſtantiam nobis ob oculos contuendam poſuit dicens :

> Ζεῦξαν δ' ἡμιόνους κρατερώνυχας ἐντεσιέργους
> Τοὺς ῥά ποτε Πριάμῳ Μυσοὶ δόσαν ἀγλαὰ δῶρα.

Quæ quidem carmina non ſolum uſum mularum penes Reges , ac Principes nos docent , ſed etiam earumdem mularum , quibus Reges in bello utebantur , lineamenta oſtendunt : quamobrem ea de re vocabula ἐντεσιέργους , & illa alia κρατερώνυχας , & δῶρα , nobis hoc loco conſideranda erunt. Allatorum carminum interpretatio hæc eſt :

> *Junxerunt autem mulos valentes ungulis ſubjugales ,*
> *Quos quondam Priamo Myſi dederunt ſplendida dona.*

Ex quibus regiorum mulorum hic ab Homero deſcriptarum lineamentis , hæc ipſa convenire cum his , quas ex onagro , & domeſticis equabus progenitas tradidit Plinius , manifeſtè conſtat. Et quidem adeò mulæ delineatæ à Plinio concordant cum his , quas Homerus Priamo Trojanorum Regi adſcribit , ut nihil ultra deſiderari poſſit. Singula quæſo in his mulis , quas Homerus deſcripſit , advertantur ; nimirum natalis regio , quam Myſiam fuiſſe conſtat ; Reges quibus ad uſum erant , conſiderentur ; pernicitas tandem , ac robur ad quæcumquæ opera in his non contemnatur ; ut in Plinianis mulis , mulæ Homeri , atque in ambobus regiæ quoque ſacrorum oraculorum mulæ conſpiciantur.

Homericæ hæ mulæ Priamo à Myſis dono datæ ſcribuntur : & licet Myſi à Moeſis diſtinguantur , ac etiam interdum confundantur ; Myſia tamen , de qua ibi Poëta , minoris Aſiæ regio eſt , Trojano ſolo contermina. Plinius quoque loco jam citato , & M. Varr. lib. 2. cap. 6. de re ruſt. in Phrygia , quæ ad minorem Aſiam ſpectat, ad juga Tauri montis , haberi præſtantiſſimos onagros affirmant , quibus mulæ gignantur. Itaque à ſolo natali illarum gentium , à quibus mulæ ad Priamum Trojanorum Regem dono miſſæ ſcribuntur , Plinium ab Homero , ac Homerum à Plinio minimè diſcrepare conſtat.

Horum mulorum , ſive verius mularum , quæ Priami currum trahebant , Homerus ut robur aperiret , κρατερώνυχας dixit , ad ungularum naturam in

A eis explicandam. Et Plinius , ut vidimus , duritiam eximiam pedum in mulis , quæ ex equa , & onagro gignuntur , quam maximè commendat. Robur earumdem mularum Priami per vocem ἐντεσιέργους Homerus explicavit. *Indomito animo , ſed generoſo* , ex equa & onagro genitas mulas Plinius dixit. Harum etiam velocitatem ſatis apertè Homerus ibidem aperuit ; paulo enim infra ab eo loco Mercurium adiiſſe Priamum , atque ab eo percunctatum eſſe ſcribit , quo tanta cum velocitate contenderet. Perſpicuum igitur jam ſit , hoc genus mulorum , quo Trojanorum Rex Priamus utebatur , non alterius fuiſſe generis , quam ejus quod Plinius robuſtiſ-
B ſimum , ac velociſſimum ſcripſerat. Mularum dictarum velocitas tanta erat ; ut Simonides relatus , ut vidimus , apud Ariſtotelem in Rhetoricis , earumdem meminerit ; & à pernicitate eaſdem aves, ſive volucres ex auctoritate Simonidis ἀελλοπόδων ἵππων θύγατρας appellare non dubitaverit. Ex equis enim , & aſinis ſilveſtribus ac montanis hæc animalia fortaſſe gignebantur , quorum utrorumque velocitas eximia & admirabilis eſt : proptereaque unico vocabulo ὀρεῖς , id eſt , *montani* , ſeù *montanæ* dicebantur ; & hac voce ab ἡμιόνοις , id eſt , mulis domeſticis, diſtinguebantur ; atque à paterno genere laudem ſuſcipientes , θύγατρες ἀελλοπόδων ἵππων ,
C id eſt, filiæ volucrum equorum dicebantur , ex eo videlicet genere , quod Simonides laudavit.

Sed ne ab oraculis ſacris recedamus , ſed mulorum atque mularum præſtantiam apud Reges Iſraëlitas comprobemus ; argumentum ſumatur à gazis , quæ Salomoni ad illius conciliandam gratiam afferebantur. Inter pretioſiſſimas enim illius Regis gazas, muli ſeù mulæ recenſentur lib. 3. Reg. cap. 10. ubi de tributis ei allatis ita legimus : *Et ſinguli deferebant ei munera , vaſa argentea , & aurea , veſtes , & arma bellica , aromata quoque , & equos , & mulos per annos ſingulos.* Mulorum autem vocabulo in Hebræo habetur dictio פְּרָדִים *peradim* , quæ de mulis etiam
D in genere fœminino , ut diximus , interpretari poteſt ; ſicut etiam quæ habent Septuaginta in hanc ſententiam ſic : Καὶ αὐτοὶ ἔφερον ἕκαστος τὰ δῶρα αὐτοῦ , ἕκαστος σκεύη χρυσᾶ , καὶ ἀργυρᾶ , καὶ ἱματισμὸν , στακτὴν , καὶ ἡδύσματα , καὶ ἵππους , καὶ ἡμιόνους τὸ κατ' ἐνιαυτὸν εἰς ἐνιαυτόν, Hoc eſt : *Et ipſi* , ſupple tributarii, *ferebant unuſquiſque munera ſua, unuſquiſque vaſa aurea , & argentea , & veſtimentum , & ſtactem , & unguenta , & equos , & mulos , ſinguli in ſingulos annos.* De quibus etiam ita Joſeph. lib. 8. antiquit. cap. 7. ἔπεμπον δὲ αὐτῷ σκεύη χρυσᾶ , καὶ ἀργυρᾶ , καὶ ἁλουργεῖς ἐσθῆτας , καὶ ἀρωμάτων γένη πολλὰ , καὶ ἵππους , καὶ ἅρματα , καὶ τῶν ἀχθοφόρων ἡμιόνων ὅσους καὶ ῥώμῃ , καὶ κάλ-
E λει τὴν τοῦ βασιλέως ὄψιν ἂν διαθήσειν ἐπελέγετο. Hoc eſt : *Mittebant autem illi* , ſupple Salomoni , *vaſa aurea, & argentea , & purpureas veſtes , & genera aromatum , complura & equos , & arma , & ſarcinariorum mulorum quotquot tum robore , tum ſpecie Regi placituri videbantur.* Quamvis vero Joſephus hic ſarcinariorum mulorum meminerit ; in eo tamen quod hi muli ἀχθοφόροι ab eo dicuntur ; ad curſum etiam aliquos eorum fuiſſe aptiſſimos , ſaltem ſubindicatur : qualis nimirum ille erat, quo uſum fuiſſe Abſalonem ſacra oracula tradiderunt.

Manifeſtum igitur , ac perſpicuum eſt, evidenti admodum à pernicitate conjectura ſumpta , mulos
F mulaſque, quarum meminit ſacra Scriptura, ad uſum Regum Iſraëlitarum , non alterius extitiſſe generis, quam ejus , quod jam ex equa domeſtica , & onagro manſuefacto vel ſilveſtri , gigni diximus. Suſpicari id ſatis probabiliter poſſumus à dignitate illorum , quibus harum mularum uſus præſcribitur, nimirum à Regibus ; his enim ſolis hoc animal uſui fuiſſe , non ſolum ex ſacris litteris , ſed etiam Homeri

meri auctoritate cognovimus : quorum etiam velocitatem, pedumque in curſu pernicitatem ex lib. 2. Reg. cap. 18. in fuga Abſalonis, cum cognoverimus; propterea eadem animalia ex onagro genita ſuſpicari poſſumus. Nam licet optimo conſilio uſus, mulo Abſalon vehi in bello ſtuduerit, ut in adverſo marte fuga ſibi conſuleret; nihilominus eamdem muli velocitatem, qua ſibi ad ſalutem conſuluerat, in perniciem eidem ceſſiſſe conſtat: quæ tamen ſaluti reliquis fuiſſe fratribus cap. 13. ejuſdem libri in cæde Ammonis dicitur. Igitur non immerito mulum Abſalonis, & mulas filiorum Davidis à pernicitate ſumpto argumento, eaſdem cum iis, quas Homerus ac Plinius delinearunt, fuiſſe ſuſpicamur: & ex conſequenti mulam ipſam, qua David utebatur, & qua filius illius Salomon vectus fuit ad fontem Gihon, ubi regni ſucceſſor declarandus erat, hujuſce pariter generis extitiſſe, argumentis non improbabilibus crediderim; quod viris me doctioribus ultimo decernendum relinquo.

CAP. XXXI.

Regiæ inaugurationis loca in Iſraël monſtrantur.

Ad loca 3. Reg. cap. 1. *Tollite vobiſcum ſervos Domini veſtri, & imponite Salomonem filium meum ſuper mulam meam, & ducite eum in Gihon, & ungat eum ibi Sadoch Sacerdos, & Nathan Propheta in Regem ſuper Iſraël.* Judic. 9. *Congregati ſunt omnes viri Sichem, & univerſæ familiæ Urbis Mello abierunt, & conſtituerunt Regem Abimelech juxta quercum, quæ ſtabat in Sichem.* Et ad alia plura.

QUA pompa Princeps inaugurandus, quove comitatu ad regiæ declarationis, inſtitutionis, atque inaugurationis loca duceretur; huc uſque, quantum fieri potuit, aperuimus. Rationabiliter enim & rectè factum putamus; ut de more atque ex præſcripto quarumcumque Rerumpublicarum, ubi de eligendo ſummo Principe ageretur, cui totius Reipublicæ clavus committendus erat, aliquo inſigniori in loco Proceres totius regni, ut jam alibi diximus, Senatores, Magiſtratus, Nobiliores, Patriarchæ tribuum, & quotquot ad aliqua munia publica deſtinati fuiſſent, ad inſtitutionem, declarationem, inaugurationem, acclamationem, & ad præſtandam Principi obedientiam convenirent: nec de Principe, aut Rege ageretur, quin omnes convocarentur. Declarationis ad ſucceſſionem, & obiter etiam inaugurationis, nunc loca præſenti in capitulo quærenda veniunt; ad quæ nimirum regiæ inſtitutionis pompa terminabatur. Hæc cum obſcura ſint, bubulo calcanda erunt pede; ut ſingula à ſingulis diſtinguantur; & vera ſacrorum oraculorum intelligentia, quoad fieri poteſt, hauriatur.

Rationem loci in declarando, inaugurandoque Principe veteres habuiſſe, plura, me judice, eorumdem monumenta teſtantur. Diximus enim aliàs nullam ſolemniorem, ſuiſque numeris magis abſolutam Regis alicujus inaugurationem, aut declarationem in ſacris legi litteris, ea quam in Salomone ſacra nobis Scriptura delineavit. Ad fontem Gihon, ut ibi inauguraretur, ſive ut Rex futurus ex paterno decreto declararetur, aut veriùs utriuſque de cauſa, ductum fuiſſe Salomonem cap. 1. lib. 3. Reg. ſcribitur. Ipſo autem ſtatim in limine hujus inaugurationis dubitandum occurrit; num ex præſcripto

A alicujus cæremoniæ, aut Iſraëlitici regni inſtituto aliquo, is qui ad regni gubernacula initiandus accedebat, extra mœnia Urbis ad locum aliquem ad hoc deſtinatum, vel ad aliquem fontem deduceretur; an verò non magis hic, quam alibi, nec magis ad montem, quam ad fontem, aut extra, quam intra Urbem, apud Iſraëlitas Regem inaugurare liceret.

Pineda lib. 2. de reb. Salom. cap. 5. n. 3. & Perer. lib. 3. in Gen cap. 2. quæſt. 3. ubi agit de ſecundo Paradiſi flumine; quod Gihon dictum fuiſſe conſtat, inaugurandorum Regum determinatum aliquem locum apud Iſraëlitas extitiſſe, alia quidem &
B alia ratione ducti negant. Abulenſis ille doctiſſimus æternæ memoriæ vir lib. 4. Reg cap. 9. quæſt. 14. ex ſolemni Hebræorum ritu fuiſſe exiſtimat, extra Urbium mœnia deducere, quem Regem inaugurare vellent. Cui certe ſubſcribere coguntur Rabbini illi, qui Salomonem ad flumen Gihon inaugurationis de cauſa ductum ſomniarunt, ut ibi pro auſpicando regno ſacro conſecraretur oleo: quorum ſtultiſſimum commentum ex Aben-Ezra fert Eugubinus. Et licet multò longius à vero hi aberraverint, quam Salomonem inaugurationis cauſa deduxerint; ad ritum tamen inaugurationis locum determinatum pertinuiſſe, cum noſtro Abulenſi aſſerere
C videntur. Abulenſis ea ducitur ratione, quod univerſi populi Dux, atque Princeps & Rex conſtituendus cum eſſet; non in occulto, ſed publicè in aliquo inſigniori loco, quo totus poſſet convenire populus, Regem fuiſſe inaugurandum jure optimo factum exiſtimat. Confirmat quia Abimelech extra Urbem, Principem tribus Iſraëliticæ fuiſſe conſtitutum cap. 9. lib. Judic. ſacer textus in hæc verba teſtatur: *Congregati ſunt omnes viri Sichem, & univerſæ familiæ Urbis Melloh, abieruntque, & conſtituerunt Regem Abimelech juxta quercum, quæ ſtabat in Sichem.* Et ne in probatione defeciſſe videatur;
D hoc idem ex cap. 1. lib. 3. Reg. confirmat; quod Adonias extra urbem Jeruſalem poſitus ad fontem Rogel, Salomonque ad Gihon deducti ſcribuntur, cum de illorum ſucceſſione, ſeù inauguratione ageretur.

Dubiam quidem rem eſſe fateor; nec ſatis firmis fundamentis alteram, vel alteram ſententiam inniti poſſe: quodcumque enim affirmetur, rationibus non infirmis impugnari poterit: nihilominus doctiſſimi Abulenſis ſententiæ, mihi quoque potius aliquatenus ſubſcribendum cenſui, quam in contrarium de-
E clinare. Sentiendum igitur puto, Reges Iſraël ex præſcripto, ſive illius ſeculi, ſive Iſraëlitici populi, in loco aliquo vel ſacro, vel præſtantiori, extra Urbium ſepta, quo Proceres conveniſſent, initiari ſolitos, ni caſus aliquis repentinus, ac totius Reipublicæ imminens aliquod periculum, aliter faciendum ſuaderet.

Ut autem ſacra prophanis conjungantur, & alia ab aliis lucem accipiant; quæ prophanorum monumenta tradant, audiantur. Plutarch. in Artaxer. dilucidis apertiſſimiſque verbis, Perſas in Rege inaugurando locorum rationem habuiſſe oſtendit; cum non alibi, quam Paſargiadis, & quidem in templo inaugurari Regem aliquem licuiſſe, tradat. Quam
F quidem inaugurationem, ſacram Plutarchus appellat; quod in templo Minervæ à Sacerdotibus illius Deæ perageretur. Ὀλίγῳ δ' ὕστερον ἢ τελευτῆσαι Δαρεῖον, inquit, ἐξήλασεν εἰς Πασαργάδας ὁ βασιλεύς, ὅπως τελεσθείη τὴν βασιλικὴν τελετὴν ὑπὸ τῶν ἐν Πέρσαις ἱερέων. Hoc eſt: *Paulo poſt Darium extinctum, Rex Paſargadas perrexit, ut ſacris inauguraretur a Sacerdotibus Perſicis.* Templum igitur Minervæ, ut exiſtimat Plutarchus, locus erat, in quo ex ritu Perſico, regalibus inſignibus decorabatur ille, qui ſummum

apud illas gentes imperium adminiſtraturus erat. Reliqui ritus, qui recenſentur à Plutarcho, dimittantur, quòd parum ad rem noſtram faciant. Non enim de ritibus inaugurationis, ſed tantum inaugurationis locum inquirimus.

Romanorum quoque vetus inſtitutum fuiſſe, à temporibus uſque Latini, ut Princeps regni inſignia acciperet in templo Jovis, ex Virgilio lib. 7. Æneid. colligitur. Ubi enim ſcripſiſſet Trojanos ad Latini audientiam deveniſſe; ſic regiam, templum, locumque regiæ inaugurationis deſignat.

Tectum auguſtum, ingens, centum ſublime columnis,
Vrbe fuit ſumma, Laurentis regia Pici:
Horrendum ſylvis, & relligione parentum.
Hinc ſceptra accipere, & primos attollere faſces
Regibus omen erat, hoc illis curia, templum, &c.

Et quamvis Virgilius, cui dedicatum eſſet illud templum, minime aperiat, liquet tamen eum reſpexiſſe ad Romanorum ritus, qui ſeculo ipſius in uſu erant, & in templo Jovis Capitolini agebantur. Nam ſolemnes ritus inaugurationis in Capitolio, conſueviſſe apud Romanos celebrari, Plutarchus eſt auctor in Numa. Is enim cum Rex Romanorum primus poſt Romulum eſſet inaugurandus, Tarpejum montem, Capitolium nimirùm primus aſcendiſſe ſcribitur: & arcem quæ ibi habebatur, conſcendens, ab Augurum Principe fuit inauguratus. Eo quidem ductus tanquam ad locum, in quo ſummi Imperii apex ei deſtinabatur. Niſi forte veriùs arbitremur, in arcem quidem ad auguria capienda Numam aſcendiſſe; non tamen ibi regia inſignia accepiſſe; ſed conſultis primum Diis, poſtmodum ſummi Imperii faſtigium non in arce, ſed poſtquam deſcendiſſet in templum Jovis, accepiſſe. Sed ſive in arce, ſive in templo, Imperii inſignibus Numa ſit potitus; Capitolium cum templo locum inaugurationis extitiſſe perſpicuum eſt: & quod erat Capitolium Romanis, hoc Minervæ templum apud Paſargadas Perſis extitiſſe. Hinc non immerito argumentum ſumitur, quod loca inaugurationis ſacra, venerandaque etiam Idololatris fuere, & quod in Principis inauguratione, ratio loci haberetur.

Supereſt nobis ex noſtri argumenti inſtituto probandum, longe rationabilius ad Regum inſtitutionem, deſignationem ac declarationem, qualitatem locorum Iſraëlitas reſpexiſſe, qui ad Regum inaugurationes ex divinis inſtitutis potius, quam ex propriis decretis procedebant; ac propterea in his ſeligendis eam rationem ſervabant, ut hæc non intra, ſed extra Urbium ſepta poſita, ad regem inaugurandum eligerent. Præclarè hæc doctrina auctoritate atque rationibus à doctiſſimo Abulenſi allatis roborata cenſeri potuiſſet. Etenim fontes fruſtra quæſiſſe, tam Salomon jubente David, quam Adonias cenſerentur, niſi ex præſcripto aliquo apud Hebræos conſuetudo viguiſſet, ad ritus inaugurationis, ſive ad regiæ ſucceſſionis declarationem, extra Urbem, ad fontes, vel ad inſigniora aliqua loca, illum deducere, qui Rex inaugurandus eſſet. Quamobrem cum Salomonis negotium in diſcrimine verſaretur, declaratioque ſucceſſionis acceleranda foret, ac periculum in mora poſitum videretur, quod jam Adonias, primus natu poſt Abſalon, Rex ad fontem Rogel à Joabo totius regii exercitus Duce, & à ſummo Pontifice Abiathar acclamaretur: adeo tamen ad conſuetudinem populi Iſraëlitici, & ad præſcriptum inaugurationis pertinuiſſe videbatur, extra Urbes ad aliquem inſigniorem locum illum duci, qui in regno ſucceſſurus eſſet; ut David de hoc cogitaverit, & ad Gihon

A Salomonem duci juſſerit; fortaſſe ne ob inobſervantiam hujus cæremoniæ, Salomonis inauguratio aliquando in dubium ab aliquibus revocari poſſet. Quamobrem in tanta temporum anguſtia, quando jam Adonias ad fontem Rogel Rex acclamabatur; David Salomonem filium ſuum ad Gihon deduci juſſit; ut ibi ſacro Chriſmate liniretur; regnique ipſius ſucceſſor declararetur.

Cæremonia hæc ſeligendi loca aliqua inſigniora, cum de inaugurando Rege agendum eſſet, antiquiſſimis ex temporibus ad memoriam revocetur; præſtantiſſimusque locus inaugurationis Abimelechi contempletur. De quo ita legimus cap. 9. Judic.
B *Congregati ſunt omnes viri Sichem, & univerſa familia Vrbis Melloh, abieruntque, & conſtituerunt Regem Abimelech juxta quercum, quæ ſtabat in Sichem* Non quidem intra Urbem Sichem, ſed juxta Urbem. Id enim valet præpoſitio *in*, quæ per ב Beth in exemplari Hebraico ſignatur. Ex prophanis autem ſacriſque litteris religioſo cultu aliqua inſigniora loca veteribus veneranda extitiſſe manifeſtum eſt: & quercubus hæc notata fuiſſe veterum monumenta teſtantur. De hoc Statius lib. 9. Thebaïd. in ſomnio matris Tegeatis, qui à cultu Dianæ ad pugnam adhuc ephebus iverat, ita loquitur.

C *Nota per Arcadias felici robore ſilvas*
Quercus erat Triviæ, quam deſacraverat ipſa
Ejectam turba nemorum, numenque colendum
Fecerat . . . .

Ex quibus, & ſacræ itidem Scripturæ locis, quercum ſacrorum locorum indicem extitiſſe conſtat. Erat enim quercus in Ephra: de qua Judic. 8. & 1. Reg. cap. 10. Erat etiam quercus Thabor; & plures aliæ, ad præſtantiora loca deſignanda, quæ religioſa eſſent, ſaltem ex ſepultura aliquorum, qui ſanctitate conſpicui extitiſſent. Cum igitur in citato loco ſacri textus Abimelech Regem conſtitutum juxta quer-
D cum, quæ ſtabat in Sichem, ſcribatur; planè conſtat, hanc quercum ibi poſitam fuiſſe, ad præſtantiam ſanctitatemque loci religionis cauſa indicandam. Quod autem locus ille, in quo Abimelech Rex fuit declaratus, religione Deique cultu ſacer eſſet, ex cap. 24. Joſue perſpicuum eſt. Erat enim hæc eadem quercus, ad quam erecto jam olim altari, populus fœdus cum Deo innovaverat, antequam Joſue moreretur: De quibus ita ſcribitur ibi: *Percuſſit ergo Joſue in die illo fœdus, & propoſuit populo præcepta, atque judicia in Sichem. Scripſit quoque omnia verba hæc in volumine legis Domini: & tulit lapidem prægrandem, poſuitque eum ſubter quercum, quæ*
E *erat in Sanctuario Domini.*

Agi vero de ſolemni inauguratione Regis, quæ ab eo uſque tempore ſacro fiebat oleo, ex fabella Joathami patet; qui ut exprobraret Sichemitis Regi electionem, atque inaugurationem; metaphoram ab arboribus ſibi Regem peſſimum conſtituentibus aſſumpſit dicens: *Iverunt ligna, ut ungerent ſuper ſe Regem*: Non enim ait arbores de conſtituendo Principe, aut de eligendo ſibi Rege conveniſſe; ſed uſus eſt unctionis verbo; ut Abimelech inauguratum, & ſacra unctione delibutum, ut puto, oſtenderet; idque Sichemitis Joathan objiceret. Cumque hæc geſta ſint juxta quercum, quæ erat in Sichem, ubi
F fuerat tabernaculum Domini, ut vidimus ex cap. 24. Joſue, conſtat profectò extra Urbem Sichem, in loco ſacro, ob præſtantiam quercu ſignato, Abimelech fuiſſe inauguratum.

Satis in aperto, locum inaugurationis extra mœnia urbis extitiſſe, ex dictis de Abimelech, de Adonia, & Salomone certum eſt: ſed ne aliquis remaneat non motus lapis, locorumque conſtet habi-

tam

tam ſemper fuiſſe rationem, quoties de inauguratione Principis agebatur; Saulem pariter extra Urbem, ſub aperto cœlo, Iſraëlitici Regni gubernacula ſuſcepiſſe, utique peſpicuum fiet, non obiter, ſed attentè ſacram Scripturam contemplanti. Etenim Samuelis Prophetæ ſeculo, qui totius Iſraëliticæ Reipublicæ imperium, tanquam Dei delegatus adminiſtrabat; quatuor principaliora habebantur loca, in quibus ipſe Iſraëlem judicabat; (ut loquamur cum ſacris oraculis) in quibus nimirum lites, ac exortas in populo contentiones, matura diſcuſſione decernebat: quamobrem regni Curiæ, hæc loca jure appellari poſſunt. Nomina horum locorum erant Bethel, Galgala, Maſphat, & Ramatha; ut ex primo Regum conſtat. In portis harum Urbium, & non intra Urbem, pro more Iſraëliticæ Reipublicæ, loca comitiorum, & tribunalia ad judicia, ut ſupra vidimus, habebantur: illuc Samuel ſingulo quoque anno tam judiciorum de cauſa, quam ad ſtatuta legeſque conſtituendas in bonum Iſraëliticæ Reipublicæ accedebat; juxta exigentiam hujus, vel illius tribus, ſtatuendo, quæ oportuiſſent, ne populus ab obſervantia divinæ legis declinaret. Quamobrem dicitur cap. 7. lib. 1. Reg. *Judicabat quoque Samuel Iſraëlem cunctis diebus vitæ ſuæ: & ibat per ſingulos annos circumiens Bethel, & Galgala, & Maſphat, & judicabat Iſraëlem in ſupradictis locis; revertebaturque in Ramatha: ibi enim erat domus ejus, & ibi judicabat Iſraëlem.*

Locorum iſtorum obſervata diſtinctione, ad Regis inſtitutionem inaugurationemque accedamus. Etenim cum Samuel Saulem Regem declarare vellet, populum in Maſphat ut ſcribitur 1. Reg. 10. convocavit. Populi autem nomine Seniores, atque Gubernatores Reipublicæ ſignificari, jam retro declaravimus, ad quos etiam de Rege inſtituendo concionem eum habuiſſe certa res eſt. Quæ etiam ſolemniſſima primi Regis in Iſraël inſtitutio, non ſub tecto, ſed in aperto, & ſub dio facta fuit; ubi nimirum erat altare, & agnum lactentem olim Samuel præliaturus cum Philiſtæis, ut legitur cap. 7. obtulerat; quam ob cauſam in memoriam adeptæ victoriæ lapidem adjutorii tunc erexerat; &ad hunc lapidem adjutorii, ubi devictis Philiſtæis feliciter provincia geſta fuit à Samuele, ut à loco omen bonum ſumeretur, Saul inauguratus fuit. Itaque etiamſi velimus, bis Saulem fuiſſe inauguratum, & ſacro oleo conſecratum, primo nimirum in Maſphath ad lapidem adjutorii, deinde in Galgala; primam illius inaugurationem extra Urbem in loco aperto, præſtantiſſimo, ac etiam religione divinoque cultu inſigni, fuiſſe celebratam certum erit. Nam extra Urbem Maſphat lapidem extitiſſe adjutorii ex 1. Reg. cap. 7. conſtat; ubi dicitur: *Tulit autem Samuel lapidem unum; & poſuit eum inter Maſphat, & inter Sen, & vocavit nomen loci illius lapis adjutorii.*

Ratio etiam à ſacrificiis ſumpta, loci habitam fuiſſe rationem, extraque urbium ſepta, Saulem fuiſſe Regem inſtitutum demonſtrat. Conſulturus enim Dominum ſanctiſſimus vir Dei de Rege declarando, & ſortes miſſurus ſuper populum, ut Regem à Deo electum, & per ſortes ſacras populo manifeſtandum, Reipublicæ præficeret; neceſſariò tum ex more, tum ex lege, ſacrificia interponere cogebatur. Nullibi autem legimus ſine ſacrificio, aut victima, aliquem aliquando oraculum, conſulturum Deum adiiſſe, ut liquidò ex aliis ſacræ Scripturæ locis conſtat. Ibi igitur ſacrificia offerenda à Samuele fuerunt, ubi altare jam erectum, locuſque Deo ſacer habebatur in memoriam adeptæ olim contra Philiſtæos victoriæ. Illud vero altare extra mœnia Urbis Maſphat extitiſſe, neceſſario dicere o-

A portet, ni velimus dicere, intra mœnia, & Urbis alicujus ſepta, Iſraëlitas cum Philiſtæis manus conſeruiſſe; quod turpiter affirmare cogeremur, ſi lapis adjutorii, illudque altare intra ſepta Urbis Maſphat clauderetur.

Poſtmodum Samuelem quoque ſanctitatem loci reſpexiſſe conſtat, ex ipſo Galgala, quo Patriarchæ convenerant ad inaugurandum Saulem; ut ibidem legitur cap. 11. ſic: *Et perrexit omnis populus in Galgala, & fecerunt ibi Regem Saul coram Domino.* Erat autem tunc in Galgala ſacra Dei arca, & altare, in quo ſacrificia offerebantur; quamobrem inaugurationis cauſa, Saulem aliquando ven-
B turum in Galgala Samuel cap. 10. eidem prædixerat, his verbis: *Et deſcendes ante me in Galgala (ego quippe deſcendam ad te) ut offeras oblationem, & immoles victimas pacificas.* Sacrorum verò loca, ac altaria, in quibus Deo ſacrificia offerebantur coram arca, & in tabernaculo, extra Urbium ſepta extitiſſe planum eſt. Dicendum eſt igitur extra Urbium ſepta, Saulem quoque, ſicut Abimelech, non ſolum Regem inſtitutum, ſed etiam ſecundo inauguratum fuiſſe.

Davidis quoque ſanctiſſimi Regis inauguratio, attentè ſi expendatur, loci ſacri eum habuiſſe rationem conſtabit: quòd extra Urbem Hebron ſolemniſſimè
C inauguratum non incongruè ſuſpicari poſſimus. Religioſum vero, ac ſanctum Hebron extitiſſe cap. 23. & 24. ſacræ Geneſis traditur. Sepultura enim Sarah, Abrahæ, Iſahac & Jacob venerandus, ac religioſus habebatur; nec non etiam ex ſacro altari, quod Jacob erexiſſe cap. 30. Geneſis ſcribitur, dum ibi habitavit. Præterea quod prætereundum non eſt cap. 2. lib. 2. Reg. David ſacro chriſmate inauguratum in oppidis Hebron dicitur: quo viri Juda, nimirum Seniores, qui tribum Judam, illiuſque familias gubernabant, ea de cauſa convenerant. Ex qua dicendi phraſi, ſub dio extra urbium ſepta David inauguratum dicendum eſt. Etenim ubi nos legi-
D mus *in Oppidis Hebron*, Hebraicè habetur בְּעָרֵי חֶבְרוֹן *begnare chebron*: hoc eſt in atriis, ſeu villulis Hebron: illa enim dictio עָרֵי *gnare ſuburbia* propriè ſignificat, locaque civitatibus vicina, quæ tamen extra ſepta Urbium poſita ſint. Cum igitur Seniores Juda unxiſſe David Regem in Hebron, & in eodem loco Hebron cap. 5. David inauguratus dicatur ſuper totum Iſraël; & ad loci ſolemniorem explicationem, *coram Domino*, fuiſſe inauguratum, id eſt, in loco ſacro & religioſo, decernatur: ex his ſequitur David quoque loci ſacri rationem habuiſſe; & extra urbem Hebron in ſuburbiis, ſacro in loco, ſacro oleo ſolemniter unctum fuiſſe, ibique Regem
E inauguratum affirmare nos poſſe credimus; quæ ab aliis ſeveriori indagine diſcutienda erunt. Nam Abſalon quoque in affectata regni Iſraëlitici tyrannide, à loco ſacro bonum omen captare ſtuduit; cum in Hebrone regni auſpicia ſibi acclamari, atque decerni juſſiſſet; ut ubi ſanctiſſimus Pater David divino cum omine Iſraëlitici regni gubernacula ſuſceperat, & feliciſſime regnaverat; non inferiori cum omine ipſe quoque regnum ſuſciperet.

CAP. XXXII.

F
Salomon in Gihon ductus regni ſucceſſor juſſu Patris declaratur.

Ad loca 3. Reg. 1. *Tollite vobiſcum ſervos Domini veſtri, & imponite Salomonem filium meum ſuper mulam meam, & ducite eum in Gihon: & ungat eum ibi Sadoch Sacerdos &c.* 2. Paralip. cap. 32.

 Ipſe

Ipſe eſt Ezechias, qui obturavit ſuperiorem fontem aquarum Gihon; & avertit eas ſubter ad Occidentem Vrbis David. Et ad alia.

NON ſolum extra urbium ſepta inſtitutos, declaratos, atque inauguratos Reges Iſraëlitas ſcimus, quo omnes totius Reipublicæ Proceres ac Magiſtratus conveniebant: verum etiam quorundam locorum ſpecialem rationem Iſraëlitas habuiſſe conſtat: quæ tum ſanctitate, religioniſque cauſa veneranda forent; tum ob res publicas feliciſſime geſtas toti regno boni ominis cenſerentur. Quin etiam ſub dio propterea Reges conſalutatos comperimus; ut in Dei conſpectu, omniumque cœleſtium, ac terreſtrium creaturarum, Regni coronam, ſceptrumque aſſumentes cœleſtium Siderum influxus, Numiniſque hos ipſos attrahendo; eoſdem cœleſtes influxus tranſmittere ſe debere Rex intelligeret ad eos, quos regendos ſuſcipiebat; à loco enim cum primis optimos influxus, in bonum Reipublicæ ex rebus optimè in eo loco peractis, Regem attrahere populi arbitrabantur. Apud Romanos in caſtra primum Imperator deducebatur; ibi eligebatur, acclamabatur, & à militibus conſalutabatur, ut à caſtris, ubi arma in ſalutem Reipublicæ tractabantur ab his, qui vitam ſanguinemque in bonum Reipublicæ deſponderant, Imperator tam pro ſe, quam pro ſalute Reipublicæ bonum omen acciperet.

Hanc etiam conſuetudinem in Republica Iſraëlitica extitiſſe patet, ex lapide adjutorii, ubi Saulem in Maſphat ſolemniter primo Regem electum fuiſſe ex ſacris Scripturis hauſimus. In Hebron David Regem admiſſum, non ſolum à tribu Juda, ſed etiam à toto Iſraël 2. Reg. ſcribitur. Ibidem, feliciſſime ut auſpicaretur regnum, Abſalon in Regem conſalutari voluit. Ad lapidem Zohelet, qui erat propè fontem Rogel, Adoniam futurum Regem acclamatum legimus 3. Reg. cap. 1. Salomonem vero in Gihon ſucceſſorem regni declaratum à patre, Regemque acclamatum à populo, & ſacro oleo à Sadocho inunctum cognovimus, mandato ſanctiſſimi Regis David dicentis ad Nathan, Sadochum, & Banajam: *Tollite vobiſcum ſervos Domini veſtri, & imponite Salomonem filium meum ſuper mulam meam, & ducite eum in Gihon: & ungat eum ibi Sadoch Sacerdos.*

In his ſacri textus verbis, quæ ad regiæ unctionis intelligentiam facere poſſunt, ut nullus ambigendi de aliqua re locus remaneat, ſupereſt explicandum; quiſnam locus eſſet Gihon; cum de illo non minima inter expoſitores difficultas ſuboriatur. Erat enim Gihon mons ſatis altus, oblongus, ad Occidentem poſitus civitatis Sion, quæ etiam civitas David appellabatur: in quo monte Pompejus caſtra ad obſidionem Urbis aliquando locavit. Ita Chriſtianus Andricomius in ſua ſcenographica, ſimulque eruditiſſima Jeroſolymitanæ Urbis deſcriptione n. 236. oſtendit. Ita tamen in altum mons iſte exurgebat, ut verſus portam fontis ſenſim decreſceret, profundaque valle ab Urbe tunc ipſa divideretur, atque eidem Civitati duobus prææltis pontibus conjungeretur, in commodum illorum, qui ab ea parte vel ad Urbem acceſſiſſent, aut ab eadem receſſiſſent. Per hos vero binos pontes tranſitus duabus viis dabatur, quæ in egreſſu portæ fontis dividebantur; quarum altera recta ad montem Gihon tendebat, altera verò per alium pontem, ejuſdem montis meridionale latus cingebat: ut in charta ſcenographica doctiſſimi Villalpandi conſpicitur, quæ inter lib. 1. & 2. poſita eſt, in qua de Urbe agitur. Andricomius Joſephi, & Neotericorum ſententiam citat, nimirum Salmeronis tom. 6. in Euang. cap. 5. Brocard. Itiner. cap. 6. & aliorum.

A Animadvertendum etiam duximus, ex eodem monte duos tunc erupiſſe fontes; quorum alter à latere orientali ejuſdem montis egrediebatur, diceba-turque fons Gihon ſuperior, alter à meridie ejuſdem montis Subſolanum verſus excurrens Gihon inferior appellabatur. Hujus aquæ erumpentes per clivum, & planitiem agri fullonis, quoſdam hortos regio apparatu conſitos irrigabant, atque in his piſcinam, ſeu natatoriam quandam complebant. Gihon ſuperior per vicinam vallem fluebat, quæ media inter prærupta montis Gihon, & montis Sion aperiebatur: in quo monte Civitas David, & Jeroſolymitanæ Urbis arx viſebatur. Ejuſdem etiam nominis Gihon
B fontem quemdam, quaſi ad mœnia Urbis decurriſſe, nulli eſt incognitum, qui in ſacris obverſatur oraculis, ex frequentiſſima tam Hebræorum, quam Latinorum ſententia. Ita R. Salomon & Joſeph. loco ubi ſupra 7. & antiq. cap. 11. Hieron. de locis Hebr. Theodor. Procop Abulen. Cajet. Perer. diſput. 3. in cap. 2. Gen. Pined. lib. 2. de reb. Salom. cap. 5. n. 5. cum quibus etiam ipſe Andricomius ſtat. ibid. in ſuo eruditiſſimo theatro terræ ſanctæ n. 241. Villalpandus, Sanctius in cap. 1. lib. 3. Reg. & alii. Sunt etiam qui putent intra mœnia Urbis, fontem Gihon aliquem habuiſſe locum.

His ita prælibatis, quærendum ſupereſt, an Salo-
C mon, quem pater ad fontem Gihon duci juſſerat, ut ibi ſucceſſor Regni declararetur, ad montem Gihon, an vero ad fontem Gihon fuerit deductus. Andricomius ad montem Salomonem deductum putat, atque in eo de mandato patris ſucceſſorem in Regno declaratum affirmat. Secus reliqui omnes ſacrarum litterarum expoſitores tradunt, dicuntque Salomonem non ad montem Gihon, ſed ad ejus nominis fontem Regem declaratum; in qua ſententia tam Latini ferè omnes, quam Hebræi conveniunt, & cum ipſis Nicolaus de Lyra ſequutus Chaldaicam Paraphraſim, in qua locus, qui in ſacro textu Gihon dicitur, alio vocabulo Siloës vocatur.

D Sumatur argumentum ex ſacræ Scripturæ verbis, contra Andricomium, pro fonte Gihon; idem enim locus hic voce Gihon intelligendus videtur, quem ſacra Scriptura eodem vocabulo alibi deſignavit. Cùm igitur apertiſſimis verbis Salomonem ex mandato Davidis ductum in Gihon ſacer textus tradiderit, & ex eodem ſacro textu non Gihon mons, ſed Gihon fons habeatur; igitur non ad montem Gihon, ſed ad ejus nominis fontem, Salomonem Regem renunciatum dicetur. Gihonis fontis ſacra Scriptura meminit lib. 2. Paral. cap. 32. ubi de Ezechia Rege dicitur: *Ipſe eſt Ezechias, qui obturavit ſuperiorem fontem aquarum Gihon, & avertit eas ſubter ad occi-*
E *dentem Vrbis David.* Quo autem conſilio aquas illas obturaverit, & averterit Ezechias, habetur ex cap. 4. Eccleſ. in illis verbis: *Ezechias munivit Civitatem ſuam, & induxit in medium ipſius aquam, & fodit ferro rupem, & ædificavit puteum.* Cumque ſacra Scriptura ſolius fontis Gihon meminerit, nequaquam verò montis, turpe erit, me judice, Salomonem ad montem Gihon Regem renunciatum affirmare, ibique ſacro oleo perfuſum acclamare; verbis enim ſacræ Scripturæ, ubi de locis agitur, omnino inhærendum eſt. Itaque quemadmodum ubi de operibus Ezechiæ meminit ſacer textus, Gihonis vocabulo fontem, non verò montem intelli-
F git: ſimiliter etiam eodem vocabulo, cum renunciatio Salomonis ſcribitur, fons, non mons ſignificabitur.

Stat nobiſcum pro Gihone fonte Joſeph. lib. 7. antiq. cap. 11. cujus quidem auctoritas in hac re maximi eſt ponderis; tum propter ſummam viri eruditionem, tum etiam quod Jeroſolymitanus fuerit, & ſacerdos in ea Civitate nobiliſſimus. Quamobrem

obrem nec loca Jeroſolymitana ignorare potuit, nec fontium nomina, neque ſacras hiſtorias, quarum notitia, quammaxime aperta tunc erat, præſertim in his, quæ ad Regum conſecrationes pertinebant. Is igitur non intra Urbis mœnia, ſed extra, non ad Gihon montem, ſed ad Gihon fontem, Salomonem Regem Iſraëliticum renunciatum, atque inunctum affirmat. Dum enim Bethſabeam adeuntem David, & à Rege ſublevatam è terra, ſpe regni in filio ſuo Salomone Joſephus retuliſſet, ſtatim hæc ſubdit: προσκυνησάσης δ' αὐτὸν τῆς γυναικὸς, καὶ μακρὸν εὐξαμένης αὐτῷ βίον, Σάδωκον μεταπέμπεται τὸν ἀρχιερέα, καὶ Βαναίαν τὸν ἐπὶ τῶν σωματοφυλάκων, καὶ παραγενομένων κελεύει παραλαβεῖν Νάθαν τε τὸν προφήτην, καὶ τοὺς ὁπλίτας, καὶ ἀναβάσαντας τὸν υἱὸν αὐτοῦ Σολομῶνα ἐπὶ τὴν βασιλικὴν ἡμίονον, ἔξω τῆς πόλεως ἀγαγεῖν ἐπὶ τὴν πηγὴν τὴν λεγομένην Γιὸν, καὶ περιχρίσαντας τὸ ἅγιον ἔλαιον, ἀποδεῖξαι βασιλέα. Quæ verba Joſephi ſat multa retulimus, ut totius cæremoniæ deſcriptione, Joſephi ſententia de loco Gihon, qui erat extra civitatem, apertior fiat. Tantum enim per pontes, exeuntibus Urbem, montem Gihon, adire licebat. Sic enim interpretantur prædicta Joſephi verba: *Cum mulier adorato Rege longam ei vitam precata eſſet, Sadochum arceſſit Pontificem, & Banajam præfectum ſtipatorum: qua cum veniſſent, jubet ut aſſumpto Nathane Propheta, & cohorte regia, impoſitoque filio ipſius Salomone in mulam regiam, extra Urbem illum deducerent, ad fontem, qui vocatur Gihon, unctumque ſacro oleo Regem declararent.* Hæc Joſephus. Ubi non montis, ſed fontis Gihon meminit: niſi forte, vel ipſe alibi montis meminiſſet, vel incuria librariorum latinus codex, quo uſus eſt Andricomius M. pro littera F. habuerit, & pro dictione illa *fontem*, legerit *montem.*

Clariora adhuc hæc ipſa fient ex his, quæ Joſephus ibidem ſubintulit, referens juſſa Davidis executioni mandata ſic: Βαναίας δὲ εὐξαμένου τὸν Θεὸν, Σολομῶνι εὐμενῆ γενέσθαι, μηδὲ μικρὸν διαλείποντες, ἀναβιβάζουσιν ἐπὶ τὴν ἡμίονον τὸν Σολομῶνα, καὶ προάγοντες ἔξω τῆς πόλεως ἐπὶ τὴν πηγὴν, &c. Hoc eſt: *Banajas autem cum precatus eſſet Deum propitium Salomoni fieri; ſine mora aliqua impoſuerunt Salomonem ſuper mulam, & deducentes extra Civitatem ad fontem &c.* Dictio enim Græca πηγὴ nihil aliud ſignificat, niſi fontem. Et quamvis in interpretatione latina, latinoque ſermone, facile tranſitus à voce *fontem* ad vocem *montem* mutationis litteræ F. in M. contingere poſſet; id tamen contingere nequit in Græco idiomate, in quo vocis πηγὴ, quæ *fontem* ſignificat, ad vocabulum ὄρος, quod *mons* interpretatur, nequaquam facilis eſt tranſitus. Joſephi igitur teſtimonio manifeſtè conſtat, non quidem ad montem, ſed ad fontem Gihon; non intra Urbis mœnia, ſed extra Salomonem Regem fuiſſe renunciatum.

Sunt adeo hæc Joſephi verba aperta, ut hujus renunciationis locus indigitari poſſit tam in ipſa charta ſcenographica Hieroſolymitanæ Urbis deſcripta ab Andricomio, n. 232. quàm à Benedicto Aria Mont. in ſuo apparatu ad opus Biblicum; quibus auctoribus ad occidentalem partem Urbis Sion, verſus illud latus, quod vento Libyco afflatur, in valle ipſa quæ eſt ad portam Davidis, meridiem verſus renunciationis locus foret ſignandus. Nam è regione ſextæ aut ſeptimæ turris ab ipſa porta in agro fullonis, quædam aquarum lacuna exiſtit: quam aquis fontis Gihon inferioris coaleſcere voluit Villalpandus: ex ea autem natatoria, verſus plagam auſtralem ejuſdem Urbis fontem erumpere conſtat.

Arias Montanus fontem hunc Gihon dici exiſtimavit; quod ad radices montis ejuſdem appellationis, per vallem Ennon decurreret. Qui quidem fons, ut è regione portæ perveniſſet, quæ dicebatur fontis Siloës; & de vicino ferè muro Urbis in valle

A ſubter ejuſdem mœnia, fons Siloës erumperet, duo hi fontes ſimul juncti torrentem conflabant, qui complebat aquis lacunam, quæ natoria Siloës appellabatur: & à loco in quo duo prædicti rivuli conjungebantur, ad modicum ſpatium diſtabat: ut videre eſt deſcriptione Urbis ex Aria Montano in eodem latere. Verum à parte meridiana ejuſdem natatoriæ Siloës, fons Rogel habebatur; in quo geniale regni convivium ab Adonia celebrabatur: cujus aquæ ab Auſtrali plaga Urbis loco vicino lapidis, ac rupis Zoëleth erumpebant, & natatoriam Siloës ingrediebantur. Hi omnes rivuli à natatoria Siloë poſtmodum una erum-
B pentes per planitiem mediam ſuburbanam, ac per vallem defluentes, torrentem Cedron efficiebant. Hæc omnia ad oculum, quam optimè intelliguntur ex deſcriptionibus Urbis Jeroſolymitanæ ſupradictorum virorum, qui quidem cuncta ea loca diligentiſſimè delinearunt.

Cur verò Chaldæus Paraphraſtes in loco illo ex 3. Reg. cap. 1. legerit, *ducite eum in Siloë*, pro eo quod in noſtro textu, ac etiam in Hebræo legitur, *ducite eum in Gihon*; cognoſcere jam non eſt difficile: cum etiam Rabbini, & cum ipſis Abulenſis, & Nicolaus de Lyra pro Gihon, Siloë dixerint. Nec enim illorum placita his, quæ in ſacro vulgato e-
C xemplari, & à nobis afferuntur, contradicunt: immo quam maxime textui, ac veritati conſonant. Non enim Paraphraſtes Chaldæus vocem Hebraicam גחון interpretatus eſt Siloës, quod aquæ Gihon cum ſilentio currerent; vel quod ab iſto ſuperiori fonte Gihon aquæ Siloës per occultos canales ducerentur; ut jam non duo, ſed iidem omnino fontes eſſent: ut Pineda loco jam citato ſenſit: (qua in re apertiſſime hallucinati ſunt prædicti auctores, cum locum inaugurationis Salomonis his de rationibus Siloës appellarunt) ſed quia una ſimul, duobus fontibus coëuntibus, non alibi, quam in ipſamet rivulorum conjunctione, Salomon Rex renunciatus fue-
D rit: duorum enim illorum rivulorum coitus in alveum unum, utrumque aliquando ſortiebatur nomen; & modo fons Gihon, & modò Siloës ab auctoribus idem alveus appellatur.

Facile jam, ut reor, intelligemus ad oculum, quonam in loco Salomon ſacro oleò delibutus, ſucceſſorque in regno renunciatus fuerit, cum filium ſuum David deduci in Gihon juſſiſſet: quo ſanè vocabulo rivulus non in ipſa eruptione, ac ſcaturigine deſignatur; ſed ejus rivuli pars, ubi vel proximo aquæ fontis Siloës in unum cum Gihon coibant: vel ſi mavis, Davidis mandatum de ipſamet aquarum, rivulorumque conjunctione accipiatur. Hæc autem
E fontium conjunctio, cum non longe ab hortis regiis, & rupe Zoheleth, ac fonte Rogel fieret; ubi Adonias, Abiatharum, Joabum & alios de Curia Regis, futuræ in regnum ſucceſſionis ſpe, convivio exceperat; profectò tam ipſe, qnam qui ab eo invitati fuerant, ſtrepitum clamantium, ac Salomonis inaugurationem fauſtis acclamationibus proſequentium facile audire potuerunt, ut 3. Reg. 1. contigiſſe per hæc verba legimus: *Audivit autem Adonias & omnes, qui invitati fuerant ab eo: jamque convivium finitum erat. Sed & Joab audita voce tubæ ait; Quid ſibi vult clamor Civitatis tumultuantis?* Strepitus autem iſte Salomoni fauſtus, infauſtus Adoniæ, non tam ſubito
F ad aures illius perveniſſet; ſi in monte Gihon ex adverſo Urbis poſito, (ut Adricomius velle videbatur) Salomon Rex renunciatus fuiſſet.

Reges extra Urbem ad fontes cur inaugurarentur, non eſt facile divinare, aut ſubodorari, nec pro eo aliquid certò determinari poteſt, quod litteræ litteralique ſenſui ſacrorum oraculorum ſatisfaciat. Verum ſi ex capite aliqua excogitanda ſint; aderit Abulenſis qui Reg. 3. cap. 1. quæſt. 23. ex auſpicio

cio perennis, atque indeficientis fontis, ſeù annoſæ, A
ac diù virentis arboris in Abimelecho, inaugurationes ſolitas fieri tradit. Ut nimirum novo Regi perennitatem, felicitatemque indeficientem, annoſam, accreſcentem, diùque virentem Regi incolumitatem, populi, ſumpto à loco omine, precarentur. Liceat etiam nobis dicere, quod cum Davidi nunciata fuiſſent, quæ ab Adonia in regni perniciem, & in contemptum patris moliebantur; quod is nimirum Rex ad fontem Rogel renunciaretur: Salomonem ad fontem Gihon deduci mandavit; ubi aquæ abundantius coibant, atque fluebant: quoad rationibus fortaſſe jam allatis de cauſa fieri mandavit: ut B
nimirum Salomoni potius, majorem felicitatem, abundantioremque bonorum omnium copiam auſpicari à ſanctiſſimo patre David, quam Adoniæ, Iſraëlitæ omnes intelligerent.

Quod ſi à locorum vocabulis futurorum auſpicia, ac omina ſumere velimus: cum Rogel, pes, ſive pedeſtris, interpretetur; Gihon verò, pectus, ſive vallem gratiæ ſignificet: Adoniam divino quaſi nutu ad fontem Rogel Regem renunciatum dicemus; ut hujus regnum, quod fauſtis acclamationibus proſequebatur ab his, qui ejus partes ſequebantur, nullius roboris, ac firmitatis futurum denunciaretur: Salomonis verò regnum ut ſtabile, firmum, omniumque gratiarum, ac bonorum refertiſſimum ex C
ſpiritu prophetico futurum indicaretur; ad fontem Gihon eum deduci imperavit. Quæ ne putentur omnino fictitia, ex ſacris textibus ſubodorentur. Nam cum David Banajæ regiam pompam declarationis ſucceſſoris, pro Salomone deſignaſſet, reſpondit Banajas 1. cap. lib. 3. Reg. *Amen, ſic loquatur Dominus meus Domini mei Regis: quomodo fuit Dominus cum Domino meo Rege, ſic ſit cum Salomone; & ſublimius faciat ſolium ejus a ſolio Domini mei.* Eſt enim vox illa *Amen* adverbium apud Hebræos, quo, quæ aliis in voto ſunt, aut confirmamus, aut optamus, precamurque ut eo contingat eventu, quem alii expectant, aut optant. Id igitur ſuo nunc, & D
aliorum nomine Banajas fecit; ut cum dixiſſet David ſe Regem ſucceſſorem declaraturum Salomonem, *Amen*, inquit, Banajas. *Sic loquatur Dominus Deus Domini mei Regis.* Hoc eſt, ſicut ego dico id me optare; ita Dominus Deus, quem Dominus meus Rex colit, & obſervat; dicat ſuo nomine *Amen:* ratumque faciat Regis mei votum, atque decretum; immò *Sublimius faciat ſolium ejus a ſolio Domini mei Regis David.* Quæ dicta fuere à Banaja ex communi, & quaſi legitima bene precandi forma, quæ quidem ſervari conſuevit, quoties agitur cum his, quibus gratiſſimum fore exiſtimamus, ſecundam filiorum fortunam optare. Quamobrem etiam reli- E
qui ſervi Regis quotquot aderant, gratulantes David de ſucceſſoris declaratione, ſimili verborum forma utebantur, dicentes: *Amplificet Deus nomen Salomonis ſuper nomen tuum, & magnificet thronum ejus ſuper thronum tuum.* Quibus verbis, minimè milites qui erant cum Banaja, Davidi gratularentur; niſi gratulationem hujuſmodi ipſi gratam, & id quodammodo tùm ratione loci, tùm fontis Gihon ab eodem ſubindicatum cognoviſſent.

CAP. XXXIII. F

Rex electus à Reipublicæ Proceribus, & militibus adorabatur.

Ad loca 2. Reg. 1. *In die autem tertia apparuit homo veniens de caſtris Saul veſte conſciſſa, & pulvere conſperſus caput; & ut venit ad David, cecidit ſuper faciem ſuam, & adoravit.* Lib. 1. Paralip. cap. 29. *Et benedixit omnis Eccleſia Domino Deo patrum ſuorum: & inclinaverunt ſe, & adoraverunt Deum, & deinde Regem.* Pſal. 71. *Et adorabunt eum omnes Reges terræ, & omnes gentes ſervient ei.* Et ad alia plura loca.

REGEM Iſraëliticum Deo favente ſolemni ac regia pompa ad loca declarationis, atque inaugurationis deduximus: ritus modo, atque cæremoniæ ſunt inveſtigandæ, quibus Rex ac Princeps à Proceribus, à militibus, à ſubditis omnibus proſequebatur; ne quid tantæ ſolemnitati, regiæque dignitati deeſſet pro majeſtate, ac dignitate Iſraëliticæ Reipublicæ à Deo inſtitutæ, ac ordinatæ. Verùm ſacrarum abdita reconditaque arcana inter aſperitates linguæ Sanctæ, antiquataſque veterum conſuetudines expiſcari, adeò eſt difficile atque arduum; ut in earum expoſitione imbecillitati humanæ, præſertim meæ, interdum deſperandum foret; niſi humanæ mentes ſuperiori lumine afflatæ, illuſtratæque ad divinorum cognitionem excitarentur. Nobis igitur de Regum Iſraëlitarum inauguratione nunc agendum cum ſit; quænam ſacram Regum inunctionem præcederent, quæ eamdem comitarentur; quique ritus ſubſequerentur, minime prætermittenda erunt; ſed cuncta quantum fieri poterit, pro viribus elucidare tentabimus; quod ſi cuncta non aſſequemur, doctiores aſſequi optamus.

Regiam dignitatem ſummi fuiſſe faſtigii apud Iſraëlitas, ſicut βασιλείαν apud Græcos, imperatoriamque apud Romanos à Cæſare, & deinceps in his, qui Cæſarem ſunt conſecuti, res eſt adeo certa, ut nulla probatione indigeat. Hanc autem ſummi faſtigii dignitatem, ſalutatione, conſalutationeque apud Romanos, προσαγορεύσει atque προσκυνήσει apud Græcos auſpicari ſolitam, ſicut etiam השתחויה *hiſtachavaja*, id eſt, adoratione, apud Hebræos, ſacræ atque prophanæ litteræ teſtantur. Bis autem Regem ac Principem adorari conſueviſſe à Proceribus, præſertim apud Iſraëlitas, nimirum cum primum Rex declarabatur; ac iterum etiam cum ſacro diademate redimitus, à Pontifice ſacro inungebatur oleo, inbubitatum reor. Salomonem enim à militibus non ſolum antequam inauguraretur, ſed etiam poſtmodum in comitiis cum fuit inauguratus, à Proceribus adoratum legimus. Nos in hoc capite de adoratione in univerſum agemus; nam de adoratione, quæ inaugurationem ſubſequebatur, poſtea tractabimus.

Ut autem à prophanis exordiamur ſcriptoribus, Neronis ad Imperium aſſumptionem ſcribens Sueton. cap. 8. in Nerone ſalutationis meminit dicens: *Cum ob totius diei diritatem, non aliud auſpicandi tempus accommodatius videretur: proque palatii gradibus Imperator conſalutatus, lectica in Caſtra &c.* Aſſumptionem pariter Othonis ſcribens idem auctor cap. 6. ait: *Tunc abditus propere muliebri ſella in Caſtra contendit: ac deficientibus lecticariis cum deſcendiſſet, curſumque cepiſſet, laxato calceo reſtitit; donec omiſſa mora ſuccollatus, & à præſente comitatu Imperator conſalutatus &c.* Electionem quoque Vitellii idem auctor ſcribens ait: *Quare vix dum menſe tranſacto, neque diei, neque temporis habita ratione, ac jam veſpere, ſubito à militibus è cubiculo raptus, ita ut erat in veſte domeſtica, Imperator eſt conſalutatus.*

Herodianus quoque lib. 2. de Pertinace ad Imperium aſſumpto ſalutationis meminit, ſive verius adorationis, verbo Græco προσαγορεύω eam exprimens, ſic dicens: ἐπεὶ δὲ αὐτὸν τῷ ἐπιφανῆσαι πάντες ὁμοθυμαδὸν σεβαστόν τε, καὶ βασιλέα προσηγόρευσαν. Hoc eſt: *Statim autem ac illum viderunt, omnes unanimiter appel-*

pellarunt Auguſtum , *& Imperatorem conſalutarunt.* Utitur autem Herodianus in his hiſtoriis vocabulo βασιλεὺς , quod propriè interpretatur *Rex* pro αὐτοκράτωρ , quo aliò vocabulo Imperator Græcè dicebatur ; ſumma enim poteſtas ea voce ſignificabatur. Nam quamvis Imperatoris prænomen à regno diverſum atque diſtinctum foret : re tamen , auctoritateque ac poteſtate , idem omnino à Cæſare , & deinceps fuit. Aſſumptionem pariter Nigrini ad Imperium , idem auctor ibidem ſcribens , qui apud Antiochiam à militibus Imperator appellatus fuerat; ſalutationis meminit dicens : τοιαῦτα τινὰ εἰπόντος αὐτοῦ εὐθέως τὸ στρατιωτικὸν πᾶν, καὶ τὸ συνειλεγμένον πλῆθος, αὐτοκράτορά τε ἀνεῖπε , καὶ Σέβαστον προσηγόρευσε. Hoc eſt : *Talia eo dicente* (verba enim ad milites , qui erant in caſtris , Nigrinus habebat) *illicò omnis exercitus* , *& multitudo quæ convenerat* , *Imperatorem dixit* , ſupple illum , *& Auguſtum conſalutavit.*

Hæc autem ſalutatio , atque adoratio cum aſſumptione ad Imperium , & regnum , ea ratione jungebatur ; ut nec irriſione , & inter jocos , alicujus aſſumptio ad Imperium , aut ad regnum excogitari poſſet , ſine hac adoratione. Quamobrem milites , qui in palatio Pilati ad irridendum Chriſti regnum , eumdem , non laurea , non gemmata corona , non diademate , ſed ſpinis coronaverant , & regnum irridendum , loco ſatis aſpero , eidem auſpicabantur , coronationi ſalutationem adhibuerunt. Hæc Marcus Evangeliſta referens cap. 15. ait : *Milites autem duxerunt eum in atrium prætorii* , *& induunt eum purpura* , *& imponunt ei plectentes ſpineam coronam* , *& ceperunt ſalutare eum.* Ut ſalutatio ad irriſionem excogitata , regni quoque irriſionem argueret : neque enim Chriſti regno , aut inaugurationi ſatis ſe illuſiſſe milites putarunt ; niſi contemptibili Servatoris inaugurationi , contemptibilem quoque ſalutationem adjungerent.

Salutationi adoratio jungebatur , quæ veneratio interdum apud prophanæ litteraturæ ſcriptores appellatur ; quamobrem ſæpiſſimè verbum *adorare* pro *ſalutare* ponitur : ut in L. primicerium. C. de Fabricenſ. lib. 11. & L. ſancimus. C. de conſu. lib. 12. Verum quia ſacrarum litterarum liber ad nos pertinet , ad eum nos convertamus , in quo ſæpiſſimè verbum *adorare* , pro ſalutatione Principum , appoſitum reperimus : non ſolum ex phraſi vulgati interpretis , ſed etiam ex phraſi linguæ Sanctæ : hinc lib. 2. Reg. cap. 15. ubi de Abſalone affectante tyrannidem ſermo eſt ; atque in noſtro textu habentur hæc verba : *Et cum accederet ad eum homo* , *ut ſalutaret illum* : in Hebraico legitur לְהִשְׁתַּחֲוֹת *lehiſtachavoth* , quod *adorare* ſignificat. Græce etiam eſt verbum προσκυνεῖν , quod *adorare* ſimiliter valet , atque pro ſalutatione , veneratione & adoratione , qua à ſubditis Principes coluntur , ab auctoribus ſumi ſolitum , perſpicuum eſt. Nam illa vox Hebraica à verbo שָׁחָה *ſchachah* formatur , quæ venerationem creaturis etiam debitam ſignificat. Adoratio enim , quæ ſuperioris poteſtatis videtur eſſe , divinitatemque quodammodo reſpicit , verbo עָבַד *gnabhad* ſervitutem ſignificante , Hebraicè ſolet ſignificari : quam adorationem ac cultum , Regibus ac Principibus exhibitum , in ſacris litteris nunquam legimus. Hac animadverſione locus illuſtratur in Pſal. 71. in quo ſermo eſt de regno, Regeque Meſſia ſub metaphora Salomonis , & de illo ſic dicitur : *Et adorabunt eum omnes Reges terræ* , *& omnes gentes ſervient ei.* Quo adorationis vocabulo exprimitur veneratio , ſeù veriùs cultus, qui Deo debetur : quamobrem cum ſic Hebraicè legatur וְיִשְׁתַּחֲווּ־לוֹ כָל־מְלָכִים כָּל־גּוֹיִם יַעַבְדוּהוּ inde liquet apertè ; nequaquam in eo Pſalmo ſermonem eſſe de Rege Salomone , ſed de Meſſia , qui cum filius Dei futurus eſſet , adoratio-

A ne Deo propria , illum quoque venerandum prædicitur.

Hac adoratione ſeu veneratione Principem honoratum , tam Romæ , quam alibi , veteres ſcriptores teſtantur. Nam venerationis vocabulo utitur Tacit. lib. 2. annal. de Zenone à Germanico Armeniorum Rege declarato dicens : *Igitur Germanicus in Urbe Artaxata adprobantibus nobilibus* , *inſigne regium capiti ejus* , id eſt Zenonis , *impoſuit* : *cæteri venerantes Regem Artaxiam conſalutavere* : *quod illi vocabulum indiderant ex nomine Urbis.* Eſt autem apud Tacitum illud vocabulum *Venerantes* pro *Adorantes*; quo uſus eſt Vopiſcus Sirac. in Saturnino dicens :

B *Depoſita purpura ex ſimulacro Veneris* , *cum chlamyde uxoria à militibus circumſtantibus amictus* , *& adoratus eſt.* Sic etiam idem auctor in Proculo , hunc adoratum ſcribit à ſcurra quodam : & verbum *adoratum* poſuit pro imperatoria ſalutatione ; qua eum ſcurra ille adulabatur.

Huic Regiæ adorationi , venerationem , quæ Diis debebatur , adjunctam fuiſſe apud Romanos , Divi nomen , templa , & altaria Imperatoribus adhuc vivis erecta, apotheoſis eiſdem poſt mortem celebrata, Flamines conſtituti , & ſexcenta alia , quæ religionis erant , ab Imperatoribus Romanis uſurpata , apertè demonſtrant , quo pervenerit ſubdito-

C rum in ſuos Principes adulatio , quove Imperatorum ambitio , qui Regia veneratione non contenti , adorationem quoque Numini debitam ſibi uſurpare tentarunt.

His prophanorum ritibus , pluribus etiam in locis ſacra oracula , ſaltem ex phraſi non adverſantur ; cum Principes , ac Reges adoratos à ſubditis ſæpiſſimè ſcribant, & adorationis vocabulo utantur. Nam Geneſ. 43. filii Jacobi fratrem Joſephum totius Ægypti ſummum Principem adoraſſe ſcribuntur. Et lib. 1. Reg. 25. Abigail veniens ad David , *deſcendit de aſino* , inquit textus , *& procidit coram David ſuper faciem ſuam* , *& adoravit ſuper terram.* Sic etiam

D 2. Reg. 14. Joab adoravit Regem. Et lib. 1. Paral. cap. 21. Ornam Jebuſæus conſpecto David , cum illi de arca obviam proceſſiſſet , eumdem adoraſſe pronus in terram ſcribitur. Quibus ex locis ſexcentiſque aliis apertè liquet ; adorationis vocabulum pro veneratione Principibus à ſubditis exhibita, tam apud prophanos , quam apud ſacros ſcriptores , accipi conſueviſſe ; adoratoſque Principes altiori quodam genere venerationis , cùm Imperii , ac regiminis habenas ſuſciperent.

Et quidem adeo hæc adoratio principatui regnoque debebatur ; ut ab ea fratres Joſeph in ſomnii illius interpretatione Principatum inter fratres , ac

E regnum , illum ambire ſuſpicarentur , quòd nimirum ſe adoratum à fratribus in ſomniis diceret. Affirmabat enim ſe ſomniaſſe manipulum ſuum ſtare in meſſe, dum fratrum manipuli ipſius manipulum adorarent, Gen. 37. *Putabam nos* , inquit, *ligare manipulos in agro* , *& quaſi conſurgere manipulum meum*, *& ſtare* ; *veſtroſque manipulos circumſtantes adorare manipulum meum.* Quamobrem reſponderunt ei atque dixerunt : *Numquid Rex noſter eris*, *aut ſubjiciemur ditioni tuæ ?* Quod etiam vir ſanctus Jacob ejus pater præſagivit ; cum aliquando Joſeph coram fratribus patri retuliſſet , in ſomniis ſe adoratum vidiſſe à ſole , luna & ſtellis undecim. Qui ſtellarum

F numerus fratrum ſuorum numero cum reſponderet; pater ejus increpuit eum , *& dixit* , *Quid ſibi vult hoc ſomnium* , *quod vidiſti ? num ego* , *& mater tua* , *& fratres tui adorabimus te ſuper terram ?* Quæ paterna increpatio , fraternumque in illum odium , nullum habuiſſet fundamentum , niſi ab adoratione , principatum inter fratres , ac dominium illum ambire fratres ſuſpicati fuiſſent ; ſuſpicio vero

ro futilis omnino ac vana meritò cenſeretur, niſi adoratio ab eo uſque tempore principatui jungeretur.

Ab iſta adorationis cum principatu connexione fiebat, ut adoratione ipſa, vel adorationis averſione, aliquem in principatum alterius aſſenſiſſe, vel non aſſenſiſſe cenſeretur. Eapropter Abigail uxor Nabalis Carmelis, poſtmodum in uxorem Davidis jam Regis aſſumitur, quia 1. Reg. cap. 25. eidem Principatum ac regnum Iſraëliticum adoratione portendiſſe cenſeretur & Lib. 2. Reg. cap. 1. Amalecites quoque, qui Saulis regia inſignia, eo interfecto, ad David attulit, eumdem adoraſſe ſcribitur; corpore nimirum provolutus ſuper terram, ut Regem Davidem, quantum in ſe erat, declararet. Sic enim de hoc legimus: *In die autem tertia apparuit homo veniens de caſtris Saul veſte conſciſſa, & pulvere conſperſus caput: & ut venit ad David, cecidit ſuper faciem ſuam, & adoravit.* Quod Græcè dicitur καὶ προσεκύνησεν αὐτῷ, hoc eſt, *& adoravit eum.* Sic etiam Adonias ſtatim atque cognovit Salomonem Regem à patre jam declaratum fuiſſe, propriæ ſaluti conſulens, ad altare, quod aſylum extitiſſe, nos Myrothecio præcedenti dicebamus, confugit: ſed rebus poſtmodum cum Salomone compoſitis, ad eum ſupplicabundus acceſſit. Ut autem ſuo iſto adventu ſe Regem Salomonem admittere Adonias profiteretur, eundem lib. 3. Reg. cap. 1. adoraſſe ſcribitur his verbis: *Miſit ergo Rex Salomon, & eduxit eum ab altari, & ingreſſus adoravit regem Salomonem, dixitque ei Salomon: Vade in domum tuam.* Ab omnibus quoque Senioribus, & Proceribus Iſraëlitis Salomonem adoratum, quando ad regnum aſſumptus fuit, lib. 1. Paral. cap. 29. legimus. Nam poſtquam de mandato Davidis, Salomon regni ſucceſſor declaratus fuiſſet 3. Reg. 1. & in illa quoque declaratione Rex jam fuiſſet unctus; ne quid deeſſet ſolemniſſimæ ſucceſſoris declarationi, opportuniori poſtmodum conſilio David Regni Proceres convocari juſſit: quibus ad religionem & ſacram Dei legem ſervandam admonitis, de ſolemni, publicaque Regis in conſeſſu regni inauguratione agere cœpit, atque propterea ſecundo Salomonem ſacro oleo, adhuc ſe vivente, inaugurari juſſit. Adoratio vero Procerum omnium, ac Senatorum, quæ priori inunctioni, ac Salomonis declarationi defuerat, ab hac ſolemni inauguratione nequaquam defuit: ſed de illa ſic cap. 29. lib. 1. Paral. ſcribitur: *Et benedixit omnis Eccleſia Domino patrum ſuorum, & inclinaverunt ſe, & adoraverunt Deum, & deinde Regem.* Non quidem David, ſed Salomonem, cujus ſolemnis inauguratio tunc agebatur.

Regia hac adoratione, duo evangelica loca in Chriſti paſſione aperiuntur, quæ de contemptu & illuſione Servatoris noſtri ſimillimis quodammodo verbis loquuntur. Bis enim ſatellites Chriſtum Servatorem noſtrum in evangelicis hiſtoriis illuſiſſe ſcimus: primo in domo ſummi Sacerdotis nocte intempeſta, cum jam illum comprehendiſſent, atque coram Anna ſocero Cajaphæ conſtituiſſent. Ibi enim tunc vinctum eum ſervaverunt; quouſque ſeniorum, Principumque Senatus mane congregaretur ad decernendum, quid in ea cauſa agendum judicarent. Ea igitur nocte ſatellites illi diverſis injuriis humilem Chriſtum affligere non deſtiterunt; de quo ita Lucas cap. 22. *Et viri qui tenebant Jeſum, illudebant ei ſedentes: & velaverunt eum, & percutiebant faciem ejus, & interrogabant eum dicentes: Prophetiſa quis eſt qui te percuſſit: & alia multa blaſphemantes dicebant in eum.* Sed nihil hic de illudendo Chriſto per reſpectum ad regni contemptum, ex ritibus ac cæremoniis inaugurationis, (quod minimè præter-

A eundum duxi;) de hac in palatio Pilati, ubi ſecundo Servatorem illuſum cognovimus à militibus cohortis proconſularis, apud Joannem agitur cap. 15. *Milites autem duxerunt eum in atrium prætorii, & convocant totam cohortem, & induunt eum purpura, & imponunt ei plectentes ſpineam coronam: & cœperunt ſalutare eum, Ave Rex Judæorum: & percutiebant ſuper caput ejus, & conſpuebant eum, & ponentes genua adorabant eum.* Cum Joanne Matthæus cap. 27. & Marcus cap. 15. ſtant.

His Euangeliſtarum locis, diſcrimen ſatellitum in contemnendo Chriſto ſatis apertè conſtat. Nam in domo ſummi Sacerdotis Servatoris noſtri facies B velatur; in atrio Prætorii, atque Pilati palatio à militibus non velatur. Illic utique faciem ejus colaphis, alapiſque cædebant Pontificum, Judæorumque ſatellites, Chriſto illudebant ſedentes, minimè genua flectebant. At vero in palatio Pilati milites eum cædebant; & expuebant in Salvatorem noſtrum, eidemque illudebant genua flectendo. In domo Principis Sacerdotum, Chriſtum adoratum non legimus, in Palatio Pilati adoratum ſcimus.

Diſcrimen verò iſtud, quod in Chriſto contemnendo duabus his in Curiis agnoſcimus, duobus ex capitibus proceſſiſſe conſtat: quod nimirum Reſpublica ab eo lædi putaretur. Quod Propheta à po- C pulo cenſeretur, & ſe Regem Meſſiam diceret, Pontificum, Sacerdotum, Seniorumque Hebræorum jura conculcari ipſi arbitrabantur. Romanorum jura læſa poſteriores cenſebant. Eapropter in curia Pontificum ac Sacerdotum, dè prophetia, deque divina filiatione cum magiſtratus Judæorum interrogarunt. Qua nimirum auctoritate prædicaret, miracula faceret, & alia de quibus in Euangeliis; nihil apud hos de Regno; propterea miniſtri Pontificum cum eſſent Judæi, eum, ut Prophetam, cœperunt illudere. Et quia Prophetarum eſt futura prædicere ac prævidere; hac de cauſa ſanctiſſima Salvatoris facie velata, percutiebant eum, nunc ala- D pis, nunc pugno; interdum lignis diverberabant, & illudebant ei dicentes: *Prophetiza nobis, quis eſt qui te percuſſit.*

At verò in Curia Proconſulis, in qua Pilatus pro Romanis jura reddebat, cum cognoviſſent Judæi Pilatum parum curare, quod Chriſtus prædicaſſet; populumque ſuis prædicationibus in Galilæa, Judæaque commoviſſet: ut Præſidem ad inquirendum contra Chriſtum permoverent: de affectato regno Chriſtum poſtularunt. Sic enim auctore Luca inſtabant coram Pilato: *Hunc invenimus ſubvertentem gentem noſtram, & prohibentem tributa dari Cæſari, & dicentem ſe Chriſtum Regem.* Præſes his E auditis, illum de regno interrogavit dicens: *Tu es Rex Judæorum?* ut in omnibus quatuor Euangeliſtis legitur. Cumque iſta contemnerentur à Pilato, deque Chriſto liberando ageret; denique ſeditionis Chriſtum damnare Præſes compulſus eſt, eo cum primis titulo, quod ſe Regem faceret, & quiſquis ſe Regem facit, contradiceret Cæſari, ut illi dicebant; propterea milites Prætorii cum hac de cauſa Servatorem noſtrum damnatum cognoviſſent, cæremoniis inaugurationis eum illudere cœperunt. Nec enim ſpinis tantum illum coronarunt; ſed etiam inaugurationis ſolemnia irriſoriè proſequentes, totam convocant cohortem. Regem eum ſa- F lutant, purpureaque chlamyde contegunt. Quia verò inaugurationi adorationem deberi cognoſcebant; propterea genua flectentes, eumdem ſe Regem adorare ſimulabant. Quibus equidem omnibus ſacræ Scripturæ locis, adorationem inaugurationi deberi, ſatis, me Judice, manifeſtum eſt.

CAP.

CAP. XXXIV.

Principis jam inaugurati, adorandi forma explicatur.

Ad loca 3 Reg. 19. *Et derelinquam mihi in Iſraël ſeptem millia virorum, quorum genua non ſunt incurvata ante Bahal, & omne os, quod non adoravit eum oſculans manus.* 2. Reg. 15. *Et cum accederet ad eum homo, ut ſalutaret illum, extendebat manum ſuam, & apprehendens oſculabatur eum.* Et ad alia.

REGE, ac Principe ad locum inaugurationis deducto, antequam ſacro liniretur oleo; à Reipublicæ Proceribus fidelitatis homagium adoratione, eidem præſtabatur. Cum igitur Proceribus, Ceretheis, ac Pheletheis comitantibus; cum Principe in regia pompa ſimus; adorationis in veneratione Principis formam elucidare oportet. Et quidem genuflexionem, quamcumque aliam adorationis cæremoniam præceſſiſſe conſtat; cumque in re nota verſemur, ex quorumcumque Scriptorum monumentis, non eſt cur in ea immoremur. Conſiderandum tantum ſupereſt, num apud Iſraëlitas genuflexione Princeps veneraretur. In qua re partem affirmativam ſuſtinendam cenſui: tum ex hiſtoria illius Amalecitæ 2. Reg. 1. qui cum perveniſſet ad David, & regni inſignia eidem traderet, in terram ſe proſtravit. *Et ut venit ad David, cecidit ſuper faciem ſuam, & adoravit,* ut habet ſacer textus: tum etiam ex his, quæ cap. 29. lib. 2. Paralip. leguntur de ſolemni Salomonis inauguratione, ad quam cum Proceres Reipublicæ conveniſſent, legitur: *Et benedixit omnis eccleſia Domino Deo patrum ſuorum: & inclinaverunt ſe, & adoraverunt Deum, & deinde Regem.* Quam inclinationem genu flexione factam arbitror ex ritu inaugurationis. Eſt enim adorare, inclinare ſe, & prono vultu, aliquam in altero majorem dignitatem agnoſcere; quæ ad huc tunc fortius exprimitur; cum quis genuflectit. Quamobrem de David dicitur 1. Reg. 20. dum eſſet cum Jonatha: *Et cadens pronus in terram adoravit tertio.* Non quidem, quod toto corpore terram ille metiretur, more ſupplicantium; ſed quod genuflectens, Jonatham ob accepta beneficia veneraretur, genuflexioneque adorationem perficeret: quod nimirum adorationi genu flexio deberetur. Sic enim intelligenda eſt vox adoratio, quoties ei ex phraſi ſacrarum litterarum jungitur verbum inclinare, vel in terram cadere, & ſimilia.

Adorationis vocabulum explicetur; de cujus etymologia Laurent. Valla lib. 5. eleg. cap. 11. ſic loquitur: *Adorare ab oro, quod eſt, ore precor, componitur: ſupplicare à plico; quod genu, poplitemque, aut cervicem plicamus, cum à potentiore aliquo magnum quid precamur: & tamen adorare ſine ore, hoc eſt, ſine voce fit, non ſine plicatione genuum, ac geſtu corporis: ſupplicatio ſine plicatione genuum, ac geſtu corporis, non ſine ore, & voce.* Hæc ille, quamvis decipiatur ſaltem in etymologia verbi *adoratio.* Etenim adorare non quidem ab *ore*; ſed ab *oro*, derivari, vox ipſa oſtendit. Ritus quoque veteris adorationis id ſubindicare videntur. Quod enim ori applicabatur, & os contingebat, aut aliqua ratione in cultum alicujus ad os referebatur, adorari dicebatur. Quamobrem etiam Hebræi deoſculatonem venerationis loco ponunt, teſte Hieron. Apolog. 1. adver. Ruffin. ubi exponens illud pſalmi ſecundi נַשְּׁקוּ בַר *naſceqhu bar*, ſic ait; *& ut verbum de verbo interpretetur,* καταφιλήσατε; id eſt, *Deoſculamini dicitur: quod ego nolens tranſferre putidè, ſenſum magis ſecutus ſum, ut*

A *dicerem, adorate.* Apud Græcos etiam vox προσκυνεῖν *oſculari*, ac venerari ſignificat: ut Euſt. lib. 4. Odyſ. docet, & Magn. etymol. explicavit dicens: προσκυνῶ ζυζυγίας πρώτης ἐκ τοῦ Πρὸς προθέσεως, καὶ τοῦ κυνῶ. τοῦτο παρὰ τὸ κύω, τὸ φιλῶ. Hoc eſt: *verbum* προσκυνῶ *primæ conjugationis, componitur ex præpoſitione* πρὸς, *& verbum* κυνῶ, *quod eſt veneror, & oſculor.* Ex his ſatis, me judice, adorationem oſculo fieri conſueviſſe apud veteres, probatum remanet.

Oſculo iſto adorationis illuſtratur locus 3. Reg. cap. 19. in quo de Idololatria Iſraëlitarum Deus cum Elia agens, ſic eum alloquitur: *Et derelinquam*
B *mihi in Iſraël ſeptem millia virorum, quorum genua non ſunt incurvata ante Bahal, & omne os, quod non adoravit eum oſculans manus.* Qui locus ſupra quam deſiderari poſſet, oſculatione adorationem fieri apud veteres conſueviſſe demonſtrat. Qui enim adorabant Idolum, ſe ipſos proſternebant, manuque tacto Idolo, aut verſus illud ſaltem admota manu, ad os eam referebant, ac religioſè eamdem oſculabantur. Extat Apulejus pro hac cæremonia Apolog. 1. pro ſe ipſo: *Multi admiratione ſtupidi, & admoventes oribus ſuis dexteram, priori digito in erectum pollicem reſidente, ipſam prorſus Deam Venerem religioſis vene-*
C *rationibus adorabant.* Eamdem conſuetudinem Minutius Felix in Octavio comprobavit. *Cæcilius*, inquit, *ſimulacro Serapidis denotato, manum ori admovens, oſculum labiis preſſit.* Lib. 28. cap. 2. eumdem morem expreſſit his verbis: *Adorando dexteram ad oſculum referimus.* Hieron. quoque Apolog. 1. adver. Ruffin. *Quia enim*, inquit, *qui adorant, ſolent deoſculari manum; & capita ſubmittere.* Et infra: *Et Hebræi juxta linguæ ſuæ proprietatem, deoſculationem, pro veneratione ponunt.* Ex hoc adorationis ritu planè intelligimus illa poſtrema verba loci citati ex 3. Reg. quæ in Hebræo non habentur, ſed in vulgato interprete, *oſculans manum*, ex more cultus ſuperſtitioſi, à vulgato interprete addita fuiſſe ad
D explicationem antecedentium, in quibus de adoratione ſermo erat. Quamobrem deſunt ab Hebræo, in quo ſic legitur וְכָל־הַפֶּה אֲשֶׁר לֹא נָשַׁק לוֹ Hoc eſt, *Et omne os quod non oſculatum eſt illum.* Quod autem manus vel alterius membri relatione ad os, fieret illa oſculatio, neque in Hebraico, neque in Græco exemplari exprimitur. Cujus hæc ſunt verba: καὶ πᾶν στόμα ὃ οὐ προσεκύνησεν αὐτῷ, id eſt, *& omne os quod non adoravit illum.* Quo ſanè loco apertè conſtat, adorationem duplici ritu fieri conſueviſſe; nimirum genuum complicatione, & manus, quæ tetigiſſet Idolum, vel ſeſe extendiſſet ad numen, oſculatione.

E Hæc verbi adorandi vis ab oſculo derivata, non minimam quoque lucem accipit à cultu illo adorandi Principis purpuram, oſculo nimirum eamdem excipiendi. Quem favorem tanti fecere veteres, ut ex privilegio id concederetur. Sic legitur in L. Sancimus C. de conſulib. lib. 12. ubi dignitati alicujus aſcribitur, purpuram Imperatoris adorare poſſe; idque inter honores maximos Conſulibus, atque ſummis tantum viris conceſſum Dionyſius Gothofredus in adnot. ad L. primicerium infra citandam adnotavit. De quo favore Imperator ita dicit: *Quod ſemel eis detulerat conſularis proceſſio, iteraſſe be-*
F *neficio videatur, & in adoranda noſtra purpura, vel in conſequendis cunctis Conſulum honoribus, & privilegiis.* Quam purpuræ adorationem, æternitatis adorationem appellatam cenſet, qui ſupra Dionyſius Gothofredus in adnotationibus ad legem Primicerium, C. de fabricenſ. lib. 11. dicentibus Theodoſio, & Arcadio: *Primicerium fabricæ, poſt biennium non ſolum vacatione, verum etiam honore donari præcipimus; ita ut inter protectores ejuſdem fabricæ per bien-*

 nium,

nium, adoraturus æternitatem noſtram, ſuo quis tempore dirigatur. Hoc autem jus adorandi, hoc eſt, exoſculandi purpuram Imperatoriam, ideo inter maximos honores referebatur; quia, ut puto, eo nomine Principis adoratio expreſſa cenſebatur, atque cultus venerationis, qui à ſubditis Imperatori exhibebatur. Cum igitur, ut dicebamus, adorare ſit oſculo aliquid venerari; propterea adorare purpuram, idem erit, ac eamdem oſculari: qui honoris cultus noſtris his temporibus Epiſcopis, atque Cardinalibus tantum præſtatur.

Adorationis cultum oſculo alicui exhibitum, ſalutationis quoque vocabulo ſignificatum penes veteres, aliquando conſtat. Poteſt in hanc ſententiam Lucianus in dialogo Alex. ſive pſeudomantis adduci, ubi peſſima quæque crimina, hujus pſeudomantis referens, de oſculo ait: καὶ νόμον δὲ ἐπεποίητο ὑπὲρ τὰ ὀκτὼ καὶ δέκα ἔτη, μηδένα τῷ αὐτοῦ στόματι δεξιοῦσθαι, μηδὲ φιλήματι ἀσπάζεσθαι, ἀλλὰ τοῖς ἄλλοις προτείνων τὴν χεῖρα κῦσαι, μόνους ὡραίους κατεφίλει. Hoc eſt: *Et legem fecerat, ne quis major octodecim annis, admoto ore, illum complecteretur, neque oſculo ſalutaret; ſed reliquis extendebat manum oſculandam; ſolis formoſis oſculum dabat.* In quibus verba illa μηδὲ φιλήματι ἀσπάζεσθαι, ſalutationem oſculo fieri ſolitam aperiunt: oſculumque infigere alicui, idem omnino valere, ac ſalutare: atque ex ritu illius ſeculi, ſalutationem cum adoratione converti ſubindicatur.

Quia enim, ut dicebamus, adoratio oſculo fiebat, præcedente tamen genuflexione; propterea adorationis vocabulo apud veteres auctores, tota illa cæremonia genu flectendi, nimirum primo ante Principem, deinde ſurgendi, vel ad oſculum capitis, oris, ac pectoris, vel genibus adhuc flexis, manibus tantum, purpuræ, aut genibus Principis oſcula infigere, vel procumbendo, ac ſe in terram proſternendo, pulverem pedum ejuſdem lambere, ſignificatur: qui poſtremus ritus ad ſupplices potius, quam ad ſalutantes, ſive adorantes pertinebat. Romanorum enim Principum atque Perſarum pedes, genuaque aliquando exoſculata licet legantur, nihil tamen nunc nobis de his. Hæc enim ſervanda erant ab eo, qui Principem ſupplicaturus accedebat: is enim coram illo ſeſe proſternebat, atque in humum procumbebat. Propheta in Pſal. 71. præclarè utrumque ritum ſupplicantium, & adorantium explicavit in auſpiciis regni Salomonis; cum ad tempora Meſſiæ venturi reſpiciens, & gloriam illius ſub metaphora adorationis regiæ explicans ait: *Coram illo procident Æthiopes, & inimici ejus terram lingent.* Hoc poſtremum ſupplicantium erat: propterea eumdem ut victorem reſpiciens ait, devictos hoſtes illi ſupplicaturos. Subditorum verò cum eſſet Principem adorare flexis genibus, inde ſubintulit, Æthiopum in conſpectu illius genu flectendum eſſe. Hebraice לְפָנָיו יִכְרְעוּ צִיִּים. Hoc eſt,

Ante faciem illius genua flectent Æthiopes.

Adorationis, quam diximus, forma in flectendo genua, ex Chriſti Servatoris adoratione perſpicua fit. In ea enim regiæ adorationis forma, ad Chriſti ludibrium excogitata, milites Pilati, qui Chriſtum ſpinis coronatum, & ſpinea corona illius regnum irridebant, ad formam conſuetam adorandi Principem retinendam, genua quoque flexiſſe, omnes Evangeliſtæ teſtantur, ut Matthæus, qui cap. 27. ita loquitur: *Et exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei, & plectentes coronam de ſpinis, poſuerunt ſuper caput ejus, & arundinem in dextera ejus, & genu flexo ante eum illudebant eum dicentes: Ave Rex Judæorum.*

Aperuimus quæ ſubditi erga Principem facere ſolerent, cum eidem obedientiam præſtabant, atque

A in illius aſſumptione ad principatum, ſe conſentire profitebantur: quæ tunc à Principe erga ſubditos agerentur, explicemus. Is enim ſalutantem reſalutabat: & hæc quidem ad invicem ſalutatio, ac reſalutatio apud Romanæ hiſtoriæ ſcriptores conſalutatio dici ſolet: cujus vocabuli vis ac energia expreſſè ſubindicat, Principes Romanos in inaugurationibus aſſumptionibuſque ad principatum oſcula reddere conſueviſſe. Quod autem ſalutationi oſculum deberetur, ac Princeps in ea nobiliorum reoſculatione, amoris ac æqualitatis ſignum quodammodo profiteretur cum his, quos oſculo reſalutabat, ex Perſarum ritu tradidit Herodotus lib. 1. his verbis:
B ἐντυγχάνοντες δ' ἀλλήλοισι ἐν τῇσι ὁδοῖσι, τῷ δὲ ἄν τις διαγνοίη εἰ ὅμοιοι εἰσὶ οἱ ἐντυγχάνοντες. ἀντὶ γὰρ τοῦ προσαγορεύειν ἀλλήλους, φιλέουσι τοῖσι στόμασι. ἢν δὲ ᾖ οὕτερος ὑποδεέστερος ὀλίγῳ, τὰς παρειὰς φιλέονται· ἢν δὲ πολλῷ ᾖ οὕτερος ἀγενέστερος προσπίπτων προσκυνέει τὸν ἕτερον. Hoc eſt: *Cum in via invicem ſibi occurrunt, ex hoc quis cognoſcit an pares ſint: nam ſalutationis loco ſe oſculantur mutuò in ore; quod ſi alter fuerit multò ignobilior, proſtratus adorat honoratiorem.* Huncque oſculorum reddendorum ritum, conſalutationem fuiſſe dictam penes Romanos, manifeſtum eſt ex Sueton. in Nerone cap. 17. ubi de illius ſævitia agens, deque
C Senatus Romani, atque Senatorum apud ipſum contemptu: *Certè neque adveniens*, inquit, *neque proficiſcens, quemquam oſculo impertivit: ac ne reſalutatione quidem.* Quo in loco ad ejus explicationem, reſalutationis verbum à Suetonio poſitum extat ad majorem explicationem ejus, quod ante dixerat; Neronem nimirum neminem oſculo impertiviſſe: vel, ſi mavis, diſtinguendum dicemus inter conſalutationem, & reſalutationem, ut hæc verbis, illa vero oſculo reddito fieret. Noſtra conjectura ejuſdem Suetonii in Tiberium cap. 10. auctoritate juvatur, illum dum abiiſſe Rhodum ſcribit, dicens: *Facta tandem abeundi poteſtate*, ſupple Tiberio, *re-*
D *lictis Romæ uxore, & filio, confeſtim Oſtiam deſcendit; ne verbo quidem cuiquam proſequentium reddito, paucoſque admodum in digreſſu oſculatus.* Videtur igitur poſſe diſtingui reſalutationem, à conſalutatione oſculo reddita: cum Suetonius dicat Tiberium nequaquam verbis reddidiſſe ſalutationem his, qui eum proſequebantur, ſed aliquos tantum in diſceſſu oſculatum fuiſſe. Itaque ſicut ſalutatio verbis, ita reſalutatio iiſdem ſimiliter reddebatur: at conſalutatio, quæ eſt ſimul, & conjunctim ſalutatio, mutua oſculatione fieri conſueviſſe videtur. De Othone enim à Galba in ſalutando exoſculato, idem auctor ſcribit cap. 6. in Otho. dicens: *Ergo deſtinata die præmonitis conſciis, ut ſe in foro ſub æde Saturni ad milliarium aureum operirentur, manè Galbam ſalutavit; utque conſueverat oſculo exceptus, etiam ſacri-*
E *ficanti interfuit.* Quo Suetonii loco, ex vi verbi, *conſueverat*, mos reddendi oſculum à Principe his, qui ad eum ſalutandum acceſſiſſent, perſpicuus apparet.

Ne verò à ſacris recedamus oraculis, ad quæ omnia noſtra ſcripta collineant: pro inaugurationis oſculo locus habetur lib. 1. Reg. cap. 10. in quo Samuel Sauli regnum divino monitu prædicens, ad regni prædictionem unctionem adhibuit; ne quid verò deſideraretur, quo minus Saul certò ſe Regem futurum juxta Prophetæ vaticinium intelligeret, unctioni oſculum adjunxit. De quo ſic in ſa-
F cro ſcribitur textu: *Tulit autem Samuel lenticulam olei, & effudit ſuper caput ejus, & oſculatus eſt eum.* Quod oſculum licet à nulla lege habuerit ortum, ut adnotavit Gaſpar Sanctius loco jam dicto; minimè tamen placet, benevolentiæ tantum de cauſa Sauli inflictum à Samuele, ut ille tradit: ſed putamus à conſuetudine, cæremoniiſque inaugurationis originem

A nem traxiſſe, quod ipſe negat. *Quare*, inquit, *non dubito etiam ſi oleum in Saulis caput non foret effuſum, non eſſet illius oſculi omittendum officium: quod maxime eo tempore videbatur neceſſarium, cum Rex tunc imperitus & novus, à Samuëlis conſilio datam ſibi deberet gubernare Rempublicam.* At noſtra in diverſum vertitur ſententia; illud enim oſculum principi debebatur, principatuique erat annexum, ut infra cap. ſequenti demonſtrabitur: atque adeo tum ratione propheticæ prædictionis, tum ratione inaugurationis atque adorationis, oſculum à Samuele Sauli inflictum putamus: ut ſeriò, non jocosè regnum ex cæremoniis inaugurationis ſibi indictum Saul intelligeret. B

Sacra jam repetamus oracula, cum ſupra debitum inter prophanos verſati ſimus; conſalutationiſque ritus contemplemur. Nam Abſalonis ſtudium in affectata tyrannide in reddenda conſalutatione oſculo longe adeò micat, ut parum, vel nihil explicatione indigere videatur. Sic enim lib. 2. Reg. cap. 15. legitur: *Sed & cum accederet ad eum homo, ut ſalutaret illum; extendebat manum ſuam, & apprehendens oſculabatur eum.* Manus Abſalonis extenſa hic dicitur more Principum, qui de induſtria ſubditis ad illum ſalutandum accedentibus frontem hilarem oſtendunt. Abſalon igitur ad oſculum propriam manum C ſalutanti extendebat, & hac exoſculata ab eo, qui venerabundus ad eum accedebat, ille eumdem conſalutandi cauſa apprehendebat, complectebatur atque deoſculabatur. Si enim de extenſione brachiorum, aut manus ad amplexus, ſacra Scriptura ibi loqueretur, nequaquam, me judice, manum extenſam in ſingulari ſacer textus dixiſſet, ſed vel manus in plurali, vel brachia extenſa ab Abſalone dicerentur: eſt enim hic ſermo de regiæ inaugurationis cæremoniis, & ſic Hebraicè legimus: וְהָיָה בִּקְרָב־אִישׁ לְהִשְׁתַּחֲוֹת לוֹ וְשָׁלַח אֶת־יָדוֹ וְהֶחֱזִיק לוֹ וְנָשַׁק לוֹ Hoc eſt: *Et erat cum appropinquaret aliquis ad adorandum illum, & extendebat manum ſuam, & apprehendebat eum,* D *& oſculabatur illum.* Sic etiam in exemplaribns Græcis ſermo eſt de adoratione, quæ exhibetur Principi per verbum προσκυνέω, & aliud καταφιλέω, quibus oſculatio, & adoratio de more ſalutationis in auſpiciis Principum exprimitur. Quamobrem legimus: καὶ ἐγένετο ἐν τῷ ἐγγίζειν ἄνδρα τοῦ προσκυνῆσαι αὐτὸν, καὶ ἐξέτεινε τὴν χεῖρα αὐτοῦ, καὶ κατεπιλαμβάνετο αὐτοῦ, καὶ κατεφίλησεν αὐτόν. Hoc eſt: *Et fuit in accedendo homine ad adorandum illum, & extendebat manum ſuam, & apprehendebat eum, & deoſculabatur illum.* Eſt igitur hujus loci ſenſus: quod cum aliquis verbis Abſalonis captus, ad illum adorandum, tanquam ad ſucceſſorem in regno Iſraëlitico accederet, E Abſalon more regio extendebat manum ſuam dexteram, quam ille oſculabatur; ipſe verò gratiam populorum captare affectans, oſculo conſalutabat eum, qui manum illius oſculatus fuiſſet.

Verba hæc ſacrarum litterarum minimè quidem caſu, ſed de induſtria à ſacro Scriptore, ut puto, poſita fuerunt. Cum enim Principes conſalutati, quibuſcumque oſcula reddere nequaquam conſueverint, ſed tantum hoc amoris, benevolentiæque pignus Proceribus Reipublicæ à Principe exhiberetur; Abſalon tamen ad populorum gratiam captandam, illud humanitatis pignus omnibus porrigebat, ut ſtatim in textu exprimitur illis verbis: *Et ſollicitabat* F *corda filiorum Iſraël.* Id eſt, his blanditiis ſe omnibus gratum reddere ſtudebat: ut in affectata tyrannide, quam meditabatur, æquo animo ad ejus partes populi omnes tranſirent, Davidiſque partes facilius, & ſecurius debilitarentur. Ex quibus tam ſacrarum, quam prophanarum litterarum locis, cæremoniæ ac ritus ſalutandi Principem, ſupra quam deſiderari poſſet, me judice, ſubodorantur.

CAP. XXXV.

Explicatur quo ordine ad oſculum Principis Subditi admitterentur.

Ad locum 1. Reg. 9. *Tulit autem Samuël lenticulam olei, & effudit ſuper caput ejus, & deoſculatus eſt eum.* Illuſtrantur loca euangelica Marc. 15. *Et cœperunt ſalutare eum, Ave Rex Judæorum: & percutiebant caput ejus arundine, & conſpuebant eum, & ponentes genua, adorabant eum.* Pſal. 2. *Apprehendite diſciplinam ne quando iraſcatur Dominus.* Et ad alia plura loca.

CAPUT Principis oſculari ſolitum, cum regni exordia alicui auſpicarentur, argumento non improbabili, ut puto, haurietur; ſi quotidianæ illius ætatis ſalutationes conferantur cum his, quæ Principi exhibebantur cum ad Imperium aſſumebatur. Eò enim hominum ambitio, adulatioque proceſſit: ut quæ ex debito ſubditorum, & religioſo quodam cultu ſervabantur tunc tantum, cum ad Principatum aliquis ſublimaretur, poſtmodum quotidianis ſalutationibus, non ſolùm Principem, ac nobiliores ſalvere adulatores juſſerint; verum etiam ſalutationem eiſdem ritibus ac cæremoniis inaugurationis, frequentare conſueverint.

Veterum auctorum teſtimonia plura id probant. Plutarchus in vita M. Bruti, ubi loquitur de nece Cæſaris, qui cum in Senatum adveniſſet, & communi plauſu Senatorum exceptus, ac de more ſalutatus, ab ipſiſmet etiam interfectoribus exoſculatus fuit, cum ingrederetur Curiam, atque in conſeſſu Senatorum ſediſſet: *Cæſari autem ingredienti quidem aſſurgit Senatus*, inquit, *ſedentem autem ſtatim illi*, ſupple conjurati, *cingunt conſtipati; Tullium Cymbrum ex ipſis*, ſupple unum, *coadjuvantes pro fratre, exule deprecantem, contingenteſque manus, & pectus, & caput exoſculantes.* Verum non tantum capiti, ſed etiam ori Principis oſculum inflictum à ſubditis, illud Plinii lib. 26. cap. 1. aperit; in quo de mentagra novo morbi genere agit: qui morbus, vel potius cancer faciem corpuſque inficiebat: quod quidem morbi genus oſculo contrahebatur. Quamobrem Princeps ipſe, ad quem ſalutandum, oſculandumque Proceres Reipublicæ, nobilioreſque viri quotidie accedebant, primus inter reliquos eo morbo laborare cœpit: *Nec ſenſere id malum fœminæ*, inquit Plinius, *aut ſervitia, plebſque humilis, aut media, ſed Proceres veloci tranſitu, oſculi maxime, fœdiore multorum, qui perpeti medicinam toleraverant, cicatrice quam morbo.* In hoc autem ſentiendo morbo Imperator primus extitit; quod primus nimirum Proceres, ac nobiliores ad oſculum oris, ac faciei admittere ſoleret. Teſtatur hoc idem Plinius ibidem dicens: *Tiberii Cæſaris principatum irrepſit id malum, nec quiſquam prior Imperatore ipſo ſenſit: magna Civitatis ambage, cum edicto ejus excuſantis valetudinem legeret nomen incognitum.* Quoniam enim à mento ferè oriebatur, joculari primum laſcivia, mox uſurpato vocabulo, *Mentagra* hic morbus appellatus fuit. Inde Martial. lib. 1. epigr. 79. de Feſto, qui hujus morbi tædio mortem ſibi conſciverat, quæ corporis partes eo morbi genere conficerentur aperiens, ait:

Indignas premeret peſtis cum tabida fauces,
Inque ipſos vultus ſerperet atra lues.

Fauces dixit Poëta, ut puto, pro labiis, & ore, quæ contagioſo hoc morbi genere primum premebantur. Ad quæ confirmanda facit, quod idem auctor ſcribit ad Baſſum lib. 1. epigr. 99. quem admonens

monens adulatorum ſibi omnibus viribus baſia fore vitanda ait:

Non ulcus acre, puſtulæve lucentes,
Nec triſte mentum, ſordidique lichenes,
Nec labra pingui delibuta ceroto,
Nec congelati gutta proderit naſi.

Ad oris igitur oſculum Tiberius Imperator ſubditos nobiliores, & adulatores niſi admiſiſſet, profectò à Mentagra immunis fuiſſet. Hùc etiam ſpectat, quod tradit Sueton. in Tiber. cap. 34. dum ait, *Quotidiana oſcula prohibuit edicto.* In quo quidem edicto incognitum illud Mentagræ vocabulum habebatur, de quo Plinius loco jam citato.

Quamvis vero in locis allatis ex Plutarcho, Plinio, & aliis de quotidianis ſalutationibus atque oſculis ſermo ſit: eadem quoque oſcula inflicta ori Principis in aſſumptione ad principatum ad notam aſſenſus, illud idem vocabulum ſalutationis oſtendit, frequentiſſimum apud Suetonium, reliquoſque Scriptores Romanæ hiſtoriæ, qui cum de Principis inauguratione agunt, oſculorum formam aperiunt: nec ſolum id oſtendunt, ſed, me judice, evidenter intentum noſtrum probant. Verum ne abſque teſtimonio aliquo ab hac re diſcedamus, quo ad lineam res iſta probetur: pro nobis ſtabit Sueton. in Galba cap. 4. in quo omnia quæ Imperium Galbæ portenderunt, referens, Auguſtum ipſum eidem Galbæ aliquando adhuc puero inter oſcula Imperium portendiſſe, ac prædixiſſe tradit, dicens: *Conſtat Auguſtum puero adhuc ſalutanti ſe inter æquales apprehenſa bucula dixiſſe*, καὶ σὺ τέκνον ἀρχῆς ἡμῶν παραγεύσῃ. Hoc eſt: *Et tu fili principatum noſtrum deguſtabis.* Et licet Caſaubonus παρατρώξῃ pro παραγεύσῃ legendum velit; ex ſatis corruptis manuſcriptorum codicibus, ut ipſemet teſtatur; nobis tamen cum Levinio Torrentio ſtandum putavimus, qui hanc lectionem teſtimoniis ſatis apertis confirmat. Sed quicquid ſit de hujus loci varia lectione, ad prædictionem Auguſti redeundum erit, ut inaugurationis à nobis oſcula contemplentur. Cum enim Galba anno ætatis ſeptuageſimo tertio ad Imperium aſſumptus fuerit, totidem annis ab Imperii illius exordiis retrocedendo facile ad initia Imperii Auguſti accedemus; indeque propterea, quæ de oſculo Galbæ diximus, inter multitudinem ſalutatorum ad Imperatorem accedentis, & eum ſalutantis admoto ore ad os Imperatoris, ad inaugurationem Auguſti referri poterunt; quando nimirum Cæſaris interfectoribus jam ab Auguſto proſtratis, Imperii Romani moderandi liberæ habenæ à Senatu eidem decretæ fuerunt; ac propterea à populo conſalutabatur.

Oſculum inaugurationis ori Principis illatum, adeò principatui connexum erat, ac, ut reor, inter Ægyptios perantiquum, ut Geneſ. 41. non alia metaphora principatum Ægypti traditum Joſepho à Pharaone in ſacris oraculis legatur, quam oris oſculo. Nam cum de illius aſſumptione ad principatum in eo capite agitur, ubi nos legimus Pharaonem Joſepho dixiſſe: *Et ad oris tui imperium cunctus populus obediet*, Hebraicum exemplar habet וְעַל־פִּיךָ יִשַּׁק כָּל־עַמִּי *vegnal picha iſchaq col gammi:* quod proprie ſic reddidit Arias Montanus juxta energiam & vim Hebraicorum vocabulorum: *Et ſuper os tuum oſculabitur omnis populus meus.* Quia enim Pharao Joſephum regimini totius Ægypti præfixerat, à deoſculationis cæremonia ſumpta metaphora, generale illud dominium in ea dicendi phraſi ſignificavit; ſtatimque Pharao ſubdidit: *Vno tantum regni ſolio te præcedam.* Alia etiam multa de principatus jure, quod in Joſephum Pharao tranſtulit, ibi narrantur, quæ à nobis prætermittuntur, quod oſculum tantum in notam tranſlati principatus ad rem noſtram faciat.

A Cæremonia hæc accedendi ad oſculum Principis ad aſſenſus, præſtitæque obedientiæ notam, cum quis Rex inauguraretur, lucem affert loco obſcuriſſimo ex Pſal. 2. in quo Propheta populos adhortatur ad bonum faciendum, his verbis: *Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via juſta.* Qui locus in Hebraico textu ſic habet נַשְּׁקוּ בַר, id eſt, *oſculamini filium.* Et quamvis minimè me lateat בַּר *bar* multoties pro בָּרָה *barah* ſumi, & hanc vocem בָּרָה ſæpiſſimè in Scripturis ſacris interpretari à Rabbinis pro eodem, quod תּוֹרָה *torah*, id eſt, pro lege; ut propterea Septuaginta in hoc loco, quos de more ſequitur Vulgatus interpres, B dixerit δράξασθε παιδείας, id eſt, *apprehendite diſciplinam*, ſeu *complectimini inſtructionem:* nihilominus quia Propheta in hoc pſalmo propriè loquebatur de futuro Meſſia crucifigendo, & ab Hebræis cæteriſque Principibus terræ, unà cum ejus evangelica doctrina reſpuendo, ea propter Septuaginta Interpretes, potius ad ſenſum, quam ad Hebraica verba reſpicientes, occultandi myſterii de cauſa, ſatis ſibi exiſtimarunt admonuiſſe populos, ut ſcrutarentur ſcripturas, atque ad diſciplinam ſanamque doctrinam ſectandam excitarentur, juxta illud, quod alias Chriſtus dicebat: *Scrutamini ſcripturas, quia illa teſtimonium perhibent de me.* Ideoque illa Hebraica C verba, per hæc, *apprehendite diſciplinam*, Septuaginta ſunt interpretati.

Cæteri tamen, inter quos fuit Sanctus Hieronymus, verborum rigorem attendentes, de Chriſto Servatore locum interpretando dixerunt: *Oſculamini filium.* Aquila dixit καταφιλήσατε ἐκλεκτῶς, id eſt, *Oſculamini electè.* Symmach. dixit προσκυνήσατε καθαρῶς, id eſt, *adorate purè.* Sed ſive de adoratione, ſive de oſculo, ſive de utroque ſimul Prophetæ locus interpretetur, intelligentiam loci reconditi à cæremonia oſculandi Principem pendere perſpicuum eſt: quando nimirum ſubditi eidem, ad notam aſſenſus, oſculo obedientiam præſtare conſueverunt. Itaque nihil D aliud Propheta in loco pſalmi contendit; niſi Judæos, atque Principes commonere ut Chriſtum Regem admittant, atque in albo ſuæ Eccleſiæ aſſenſum præbeant, niſi à via recta, quæ ad Deum ducit, aberrare velint.

Propheta namque in ſuperioribus hujus Pſalmi verſiculis Regum ac Principum adverſus Chriſti regnum, vana conſilia atque conatus, tanquam ſtultiſſimè initos irriſerat. Deinde ex perſona Chriſti, regnum non temere ab ſe acceptum, rapinaque uſurpatum, ſed divino decreto ſibi demandatum cum affirmaſſet, diviniſque comminationibus mundanos Principes ab inceptis deterruiſſet; poſtremò benigniE tate conſulentis, ut abjecta perfidia, libenter jugo, & regno Chriſti colla ſubmittant, eoſdem hortatur dicens: *Et nunc Reges intelligite, erudimini qui judicatis terram, Servite Domino in timore, & exultate cum tremore.* Sumpta verò metaphora ab inaugurationis oſculo, quod Principi ab his præſtabatur, qui in illius principatum aſſentiebantur; eadem, qua ſupra, benignitate, Principes, ut aſſentiantur Regi Servatori, admonet dicens: *Oſculamini filium, ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via juſta.*

Sed pro inaugurationis oſculo, ubi reliqua deeſſent teſtimonia, quæ ad ludibrium Chriſti Servatoris F noſtri ab impiis militibus excogitata fuere in Pilati palatio, rem aperiunt. Spinea namque corona ab ipſis coronatum, ad contemptum regiæ ipſius inaugurationis legimus; & quia Judæorum Regem Romani milites Chriſtum coronabant, oſculumque apud Romanos atque Iſraëlitas in aſſumptione Principis ad Imperium dari ſolitum ſciebant, nec hoc ab inauguratione Chriſti, ad ejus contemptum excogitata,

tata, deeſſe voluerunt. Non enim milites illi, tunc primum ex capite hos ritus, ac cæremonias Regiæ inaugurationis excogitarunt: ſed quæ Principibus in auſpicando Imperio erant ad gloriam; ad contemtum Servatoris noſtri converterunt. Inter hos ritus, ſputa quibus impii milites Chriſti faciem conſpurcarunt, oſculum inaugurationis aperiunt; de quibus ſic ſcribitur Matth. 27. *Tunc milites Præſidis ſuſcipientes Jeſum in prætorio, congregaverunt ad eum univerſam cohortem: & exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei, & plectentes coronam de ſpinis, poſuerunt ſuper caput ejus, & arundinem in dextera ejus, & genu flexo ante eum illudebant ei, dicentes: Ave Rex Judæorum, & expuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput ejus.* Nec ſilentio hoc idem prætermiſit Marcus cap. 15. Sed ad ritus regiæ inaugurationis irriſionem hanc referens ait: *Et cœperunt ſalutare eum, Ave Rex Judæorum, & percutiebant ſuper caput ejus arundine, & conſpuebant eum, & ponentes genua adorabant eum.*

Tota enim hæc dira tragœdia à cæremoniis regiæ inaugurationis ſuam hauſit formam. Cum enim atrociſſimi milites Regem Chriſtum, regnumque illius irridere vellent; novum iſtud commentum excogitarunt, ac veluti cum irridendo Rege, inaugurationis ritus ad irriſionem convertentes, poſtquam ſpinis illum coronaſſent, adorabant, & ad oſculum accedebant. Sed oſculum irridendum eidem infligendo non eum oſculabantur; Sed in eum expuebant, & faciem illam ſanctiſſimam omnibus creaturis venerandam, prophanis, immundiſſimiſque excreationibus ac ſputis conſpurcare non verebantur.

Oſculo oris Principem ſalutatum vidimus: verum quoſcumque de populo, nullo habito perſonarum diſcrimine, aut dignitatis reſpectu, ad os Principis acceſſiſſe, neque Reipublicæ ordo, neque Procerum dignitas, neque Principis auctoritas patitur. Quamobrem nobilioribus tantum, in Principis inauguratione, id conceſſum conjectari poteſt; ſaltem ex illo Plinii in Panegyrico Trajano dicto: *Gratum erat cunctis, quod Senatum oſculo exciperes, ut dimiſſus oſculo fueras.* Conjectari etiam hoc idem poteſt non immerito ex complexu Bruti, quo à Pompeio exceptus ſcribitur, cum ad illius partes in pugna Pharſalica tranſivit, quando nimirum inter Cæſarem & Pompejum de Reipublicæ imperio decertaretur; quod ſic à Plutarcho refertur: οἴτε καὶ φασὶ Πομπήϊον ἡσθέντα, καὶ θαυμασθέντα προσιόντος αὐτοῦ καθεζόμενον ἐξαναστῆναι, καὶ περιβαλεῖν ὡς κρείττονα, πάντων ὁρώντων: Ubi dictio κρείττονα conſideranda venit, qua nobiliores, validiores & illuſtriores Reipublicæ ſignificantur. Sic enim locus interpretatur: *Et quidem dicunt Pompejum lætum & obſtupeſcentem, de illius adventu, cum ſederet, aſſurrexiſſe, & complexum fuiſſe, ut meliorem, omnibus id conſpicientibus.* Ex quo ſanè loco ad complexum Principis venire ſolitos non omnes, ſed nobiliores tantum atque illuſtriores viros, manifeſtum eſt.

Suaderi etiam poteſt ordo hic recipiendi ad oſculum, per reſpectum ad dignitates illorum, qui accedebant; argumento à contrario ſumpto, nimirum ex moribus Caji quem veteres ſcriptores graviſſimè reprehendunt. Is enim planè præpoſterus, cum palam quotidie hiſtrionibus atque nonnullis de populo oſcula daret; pleriſque ex Senatoribus, ac viris illuſtrioribus, manum tantum aut pedem porrigere minimè verebatur. Nec enim auctores præpoſterè id feciſſe eum dicerent; niſi Senatoribus tantum, non verò plebejis oſculum à Principe, ex inſtitutis illius ævi, deberetur. Capitolinus quoque de M. Antonino ait: *Junium ruſticum præcipue reveritus eſt; cui etiam ante Præfectos prætorii oſculum dedit.* Ex quo ſcriptoris teſtimonio colligitur Præfectos prætorio ali-

A quando à Principibus primo ad oſculum recipi ſolere, deinde alios illuſtriores viros, fortaſſè cum Princeps ad Imperium aſſumebatur, nimirum in die inaugurationis.

Si verò aliquid ex Scripturis ſacris pro nobiliorum acceſſu ad oſculum Principis ſubodorari liceret; diſtinguendum putarem inter adorationem, quæ in ſignum obedientiæ: & vaſſallagii, ut ita loquamur, Principi à ſubditis præſtabatur; & acclamationem eorumdem, quæ unà cum plauſu ferebatur. Plauſus enim & exclamatio totius populi, plebis ac vulgi, nulla habita perſonarum diſtinctione fiebat; at vero ad adorationem ſoli Proceres, ac familiarum Patriarchæ apud Iſraëlitas accedebant. Electio Je-
B hu 4. Reg. 9. nobis rem manifeſtat. Erant enim cum Jehu in tabernaculo, cum obſideretur Ramoth Galahad, Principes exercitus: hos ſolos, non reliquum vulgus Jehu Regem adoraſſe, ex forma verborum adorationis, quæ in ſacro textu legitur, colligitur. Sic enim ibi dicitur: *Feſtinaverunt itaque*, ſupple, Principes illi qui erant cum Jehu, *& tollens unuſquiſque pallium ſuum poſuerunt ſub pedibus ejus in ſimilitudinem tribunalis, & cecinerunt tuba, atque dixerunt, Regnavit Jehu.* Capite quoque 1. lib. 3. Reg. notanda ſunt illa verba ſacri textus, ubi de inauguratione Salomonis agitur: *Et cecinerunt buccina, & dixit omnis populus, vivat Rex Salomon: & aſcen-*
C *dit univerſa multitudo poſt eum, & populus canentium tibiis, & lætantium &c.* Ubi diſtinguere oportet inter populum, & multitudinem; priori enim vocabulo ex phraſi ſacrarum litterarum Seniores, ac Proceres intelliguntur; propterea in loco hic allato Banajas, Nathan Propheta, Cerethi & Phelethi, & Proceres regii palatii ſignificantur: hos ſacer textus tradit acclamaſſe, *vivat Rex*; quæ verborum forma, ut ſtatim oſtendemus, ad adorationem pertinebat; reliqua vero multitudo lætata fuiſſe, & plauſiſſe *poſt eum* dicitur. Sic etiam 2. Paralip. cap. 23. in quo de inauguratione Joaſi agitur, non quoſcumque, ſed Jojadam Pontificem Regem unxiſſe ſcribitur; reli-
D quos vero adorationis tantum verba protuliſſe. Quæ his verbis ibi ſcripta leguntur: *Vnxit quoque illum Jojada Pontifex, & filii ejus, imprecatique ſunt ei, atque dixerunt, Vivat Rex.* Itaque non quibuſcumque de populo ad adorationem Principis accedere concedebatur, ſed Procerum tantum id erat, atque eorum qui principem locum in Republica tenebant.

Hac diſtinctione perſonarum in accedendo ad oſculum, adorationemque Principis, locus ex Pſal. 2. retro jam allatus, magis ac magis illuſtratur. Propterea enim, ut puto, Propheta in eo Pſalmo poſtquam de aſſentiendo Regno Chriſti mundum com-
E monuiſſet, ſermonem ad Reges, ac Principes totius orbis direxit dicens: *Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui judicatis terram. Servite Domino in timore, & exultate cum tremore.* Statimque ſubintulit: *Oſculamini filium &c.* Ut tradidimus juxta lectionem D. Hieronymi ex Hebraico exemplari. Quia nimirum licet omnium eſſet plaudere Principi electo; non tamen omnibus, ſed tantum Proceribus Reipublicæ ad Principis oſculum acceſſus concedebatur.

F Ab hac fortaſſe veteri cæremonia, iniquiſſimi ſatellites, qui Chriſtum flagellandum ſuſceperant, hauſerunt; ut eo ſpinis coronato, ad irriſionem præpoſteræ inaugurationis, non ſingulares aliquot milites, non ſatellitii partem aliquam, non ſtipatores omnes, ſed totam convocaverint cohortem, ut dicunt Euangeliſtæ Matthæus 27. Marcus 15. & Joannes, qui id ſcripſerunt; quaſi alii ad oſculum manus, alii ad plauſum inaugurationis accederent. Etenim non ſolum Duces, Centuriones, atque Tri-

buni; ſed etiam gregarii quique advocati fuere, ut totius cohortis advocata concione, Regis inauguratio ſolemniſſimè irrideretur: dum illuſtriores quique ex ipſis, excreationibus fœdioribus faciem Chriſti conſpurcando ad oſculum accedere ſe velle ſimularent. Nec enim Euangeliſtæ, omnes milites cohortis in Chriſtum expuiſſe dixerunt; ſed *expuentes in eum.* Quæ excreatio tantum attribuenda erit his, qui in ea militum cohorte, de more ad Principis oſculum accedere conſueverant, ſi quando ad Imperatoris electionem conveniſſent.

Dignitatis igitur, ac ordinis in Republica, à Principe ratione habita, in admittendo nimirum illuſtriores ad oſculum oris ac capitis: minoris ordinis homines, qui extitiſſent in Republica, genu flexo ad manus tantum Principis conſueviſſe accedere, atque oſculo eaſdem venerari, ex veterum rerum Scriptoribus haberi poteſt. De hoc Tacit. lib. 1. hiſtor. ubi de Othone loquitur: *Ruere cuncti in caſtra,* inquit, *anteire proximos, certare cum præcurrentibus, increpare Galbam, laudare militum judicium, exoſculari Othonis manum, quantoque magis falſa erant, quæ fiebant, tanto plura facere.* Ex quo Taciti teſtimonio in Principis inauguratione exoſculatam ejus manum paſſim à vulgo, gregariiſque militibus, apertè conſtat. Hinc Ammian. Marcell. lib. 28. quorundam hominum nobiliorum arrogantiam reprehendit, qui cum debuiſſent ad oſculum oris ac pectoris ſalutantes admittere, pedes tantum, vel genua exoſculanda his porrigebant. De his hæc ille: *Ex his quidam cum ſalutari pectoribus oppoſitis cœperunt, oſculanda capita in modum taurorum minacium obliquantes, adulatoribus offerunt genua ſuavianda, vel manus.* Pari ratione.

Nec etiam vitio daretur Cajo, ut vidimus; quod palam quotidie hiſtrionibus ab eo oſcula darentur, Senatoribus vero pleriſque manum tantum, aut pedem porrigeret: niſi mos extitiſſet, ut Princeps præpoſtera ratione oſcula exciperet: Senatores nimirum ad os, ut dicebamus, admitteret, inferioris vero ordinis hominibus, manus ac pedes tantum oſculanda porrigeret. Oſculatas manus honoris gratia redeunte Imperatore de bello, re bene geſta, probat illud Plut. ubi honorem Catoni Uticenſi à militibus, & comprovincialibus exhibitum ſcribit: προεπέμφθη, inquit in Catone, οὐκ εὐχαῖς, ὃ κοινόν ἐστιν, οὐδὲ ἐπαίνοις, ἀλλὰ δάκρυσι, καὶ περιβολαῖς ἀπλήστοις, ὑποτιθέντων τὰ ἱμάτια τοῖς ποσὶν ᾗ βαδίζοι, καὶ καταφιλούντων τὰς χεῖρας. hoc eſt: *Deductus eſt, non votis, quod commune eſt, neque laudibus, ſed lacrymis, & complexibus, quibus ſaturari nequibant, ſupple milites, dum veſtimentis ſternerent vias quas calcaturus eſſet, & ejus manus oſcularentur.* Ut Imperatori nimirum, cujus manus exoſculari à militibus inferioris ordinis, & reliquis mos erat. Ad hos ritus reſpiciens Phædrus fabula 82. dicit:

Feliciter ſubclamant ipſi Principi:
Illam oſculantur, qua ſunt oppreſſi, manum.

Manus Regis, ac Principis exoſculatas etiam apud Iſraëlitas ſubodoramur ex lib. 1. Paral. cap. 29. ubi agitur de ſolemniori Salomonis inauguratione, vivente adhuc Davide: quando nimirum ad inaugurationem illius, regni Ordines de mandato Davidis adhuc viventis convenere. De quibus ſic ibi legitur n. 23. *Seditque Salomon ſuper ſolium Domini in Regem pro David patre ſuo: & cunctis placuit, & paruit illi omnis Iſraël: ſed & univerſi Principes, & potentes, & cuncti filii Regis David dederunt manum, & ſubjecti fuerunt Salomoni Regi.* Eſt autem dare manum, ea oſculata cedere alterius poteſtati, illique ſe ſubjicere, ſumpta metaphora, ut puto, ab oſculatione manus; quam cæremoniam Davidis ſeculo fuiſſe frequentem, ex ſecundo Pſalmo ſubindi-

A cavimus. Ea enim cæremonia, qua quis genu flexo Principis manum exoſculatur, propria prius manu extenſa, atque manui Principis ſubmiſſa, ejuſdem manum ori applicat, atque oſculatur: qua cæremonia omnia ſua, ſeque ipſum poteſtati Principis ſubjicere ſe proteſtatur. Principis namque poteſtatem manu ejuſdem ſignificari conſtat.

His cognitis recteque penſatis, conjectare jam licet, ut reor, atque cognoſcere, undenam impiiſſimi milites Prætorii Pilati hauſerint, non ſolum chlamyde purpurea Servatorem noſtrum induere, ac ſpinea corona ſacrum illius caput perforare, & fœdiſſimis ſputis divinam illius faciem conſpurcare, ſed B his omnibus alapas quoque adjungere: *Et dabant ei alapas*, inquit Joannes. Ibidem Græcè dicitur: καὶ ἐδίδουν αὐτῷ ῥαπίσματα. Sunt autem ῥαπίσματα percuſſiones in faciem alicujus explicata manu illatæ; ut docet Suidas: & percuſſiſſe quidem hac ratione iniquiſſimos milites Servatoris noſtri ſanctiſſimam faciem, ex Evangelicis hiſtoriis perſpicuum eſt: cum non tantum Servatoris noſtris maxillam percuſſerint, ſed quod magis eſt, atque crudelius, ſacrum ejuſdem os pluribus manuum ictibus diverberaverint. Hoc eos feciſſe apertè liquet ex ſacra Sal- C vatoris Icone in linteo ſanctæ Veronicæ miraculoſè tunc impreſſa, cum paulo poſtquam Chriſtus percuſſiones illas ſuſtinuiſſet, ac verbera; Cruce onuſtus, flagellis, ac innumerabilibus plagis vulneratus, ad Calvariæ montem Cruci configendus duceretur. Quæ ſacra Icon in Baſilica ſancti Petri Romæ pie aſſervatur, ac religioſe colitur. In hac autem ſacra Icone labia Salvatoris noſtri, adeo turgida conſpiciuntur; ut vix oris effigies in ea ſacra facie appareat: quin potius hinc inde ſacri Sanguinis turgidæ maculæ viſuntur; ut tantillum illinc diſtans pius contemplator, ſacroſanctæ faciei Imaginem aliquam in eo linteo conſpicere valeat. Quam ſacroſanctæ faciei notitiam nunc demum à Sanctiſſimo D. N. Urbano VIII. accepi, qui anno 1629. D poſt meridiem feriæ 3. hebdomadis ſanctæ, cum duobus tantum ex intimis cubiculariis devotionis cauſa me præſente eò conſcendit ubi ſacrum linteum religioſiſſime, præſertim ejus cura aſſervatur. Quos certè oris, ac divinæ faciei tumores, innumerabilibus ex ictibus atque percuſſionibus, ſacra illius labia, ac facies contraxiſſe conſtat.

Sacrum verò Servatoris os, propterea milites impiiſſimos percuſſiſſe reor, ut præpoſtera ratione inaugurationis ritus ſervarent, illuderentque oſculis manuum, quibus à populo, gregariiſque militibus Principes, cum inaugurarentur, venerabantur. Quamobrem hi crudeliſſimi milites, non quidem E Servatoris noſtri manus oſculabantur, ut de more fieri ſolebat; nec ſacram faciem tantum percutiebant, aut conſpuebant; ſed præpoſtera ratione proprias, & fœdiſſimas manus à tergo ad ſacrum Chriſti os admoventes in extenſum, quaſi illi eaſdem irriſoriè exoſculandas porrigerent, ſacrum illud os, & ſacroſanctam Chriſti faciem impie & crudeliter diverberabant: & hac ratione, ritu inaugurationis præpoſtero, dando ei alapas, Chriſti regnum deridebant. His ex ritibus ſatis probatum cenſeo, conſueviſſe Proceres, milites & populum in Principis inauguratione ad oſculum oris ac manus illius accedere, ut ſe aſſentiri ejus principatui, gratulari F eidem, & poteſtate illius ſe velle ſubjici omnino profiterentur. Quod etiam hodie ſervari ſcimus, cum Summus Pontifex in ſedem Petri ſublimatur: aliqui enim ad oſculum faciei admittuntur, alii ad oſculum manus, alii ad genu, alii denique Summi Pontificis exoſculantur pedes.

CAP.

CAP. XXXVI.

Regiæ adorationis verba monſtrantur.

Ad loca Math. 27. *Tunc milites præſidis ſuſcipientes Jeſum in prætorio, congregaverunt ad eum univerſam cohortem, & exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei; & plectentes coronam de ſpinis poſuerunt ſuper caput ejus, & genu flexo ante eum illudebant ei dicentes, Ave Rex Judæorum.* 1. Reg. cap. 10. *Et clamavit omnis populus: Vivat Rex.*

QUIBUS genuflexionibus; quibuſque aſſurrectionibus à terra, oris ac manuum oſculationibus, quibuſque amplexibus Principis adoratio ac ſalutatio proſequeretur, hucuſque explicavimus. Verba nunc nobis conſideranda ſuperſunt, quibus Principi congratulabantur hi qui adorandi atque conſalutandi de cauſa ad eum accedebant. Singularem enim quamdam verborum conceptam formam, in adoratione Principis veteres habuiſſe conſtat: qua in electum jam Principem ſe aſſentire profiterentur: id quoque ratio ipſa atque communis etiam veterum Scriptorum auctoritas ſuadet.

In hac autem verborum concepta adorationis formula, tria ab eo, qui Principem adoraturus accedebat, adſignificari conſueviſſe obſervavi. Aliquid nimirum primo efferebat, quod fauſti ominis adprecationem Principi ſubindicaret: aliud, quod ſummi faſtigii dignitatem, ad quam vehebatur is, cui bene adprecabatur, explicaret: & nomen denique perſonæ, quæ ad ſummum illud faſtigium vehebatur, vel gentis etiam, cui is præficiebatur, exprimeret. His autem verborum formulis, genuflexiones, adorationeſque ſubditi adjungebant; ut verbis, corporeiſque genuflexionibus ac proſtrationibus, Principis adoratio perficeretur, adorationiſque ſolemnitas omnino abſolveretur.

Verborum igitur forma in Principe ſalutando ac adorando nobis primo contemplanda & explicanda cum ſit; non aliam exitiſſe, quam hanc: AVE IMPERATOR AVGVSTE, vel aliam huic ſimilem, veterum teſtimonia multa oſtendunt. Quæ à conſuetudine ſalutandi tam Imperatores, quam nobiliores ſumitur. Illorum verborum ſingulas partes contemplabimur: etenim non aliunde quotidianæ ſalutationis, apud Romanos formulæ petitæ videntur; quam ab ea, qua ſubditi, Reipublicæque Proceres Principem adoraturi, in eo ſalutando utebantur; illique in initio principatus felicitatem precabantur. Priori enim voce nimirum AVE, à Diis bene ſe velle illi, quem eo verbo ſalutabant, ſubditi, ac Proceres profitebantur. Alia verò voce, videlicet IMPERATOR, ſe aſſentire in eam dignitatem, ad quam aſſumptus fuerat ille, quem adorabant, conteſtabantur. Poſtremo denique verbo, videlicet AVGVSTE, vel perſonam aperiebant, vel ratio dignitatis his exprimebatur.

Boni ominis igitur nota cum eſſet vox illa AVE, reliquis ſalutationum verbis præmittebatur, ut ſe bene velle, & bene precari conteſtaretur, non ſolum Principi, cujus nomini vox illa præmittebatur, ſed etiam Reipublicæ, cui ſic ſalutatus præficiebatur. In qua ſanè voce, ne aliquid intactum relinquatur, ſcriptionem etiam duximus contemplandam: quod nimirum teſte Manutio, apud veteres lapides, & libros cum adſpiratione aliquando ſic HAVE ſcriberetur. De qua forma ſcribendi eſt lapis Romanus apud illum in hac verborum forma.

A D. M.
VIRIAE
PRIMITIVÆ
VIX. ANN. XVIII.
MENS. I. DIE. XXIV.
L. VIRIVS HELIVS
CONIVGI DVLCIS
HAVE. DOMINA. VALE. DOMINA.

Sunt etiam alii plures lapides apud Aldum in Orthographia; in quibus, licet rarò, ut ille teſtatur, B ſine adſpiratione eadem vox legitur. Quod autem Latinis erat AVE, hoc Græcis erat χαῖρε, ut ex Martiali lib. 5. epigrammat. 12. demonſtrare poſſumus. Ruffi enim ruſticitatem is auctor reprehendens, à quo nec ſalutationis verba haberi poterant; ab aſperitate Græcæ vocis χαῖρε, & facilitate latinæ AVE ad ſalutationes illum invitat, & utrarumque vocum diſcrimen, à fidiculis oſtendit dicens:

Exprimere, Ruſe, fidiculæ licet cogant
Ave latinum, χαῖρε non potes Græcum.

Noſtræ Latinæ vocis AVE, qua utimur in ſalutando, etymologiam, ſi à primitiva littera A hau- C rire velimus, & ab adverbio VEH, quo alicui malum aliquod ominatur; idem certe erit AVE, quod ſine VEH, id eſt, ſine malo aliquo: quamobrem ſi rigoroſè interpretanda ſit illa dictio, idem AVE quod ſine malo omine valebit. Imperator igitur cum voce AVE ab alio ſalutabatur; eidem Dies, Annus, vel Imperium ſine aliquo occurſu malo precabatur.

Cum inaugurabatur Princeps, AVE ſolitum præfigi ſalutationi, illud corvinum χαῖρε *Auguſte* probat, id eſt, *Ave Auguſte.* Erat enim Romæ corvus ſalutator, de quo Plinius lib. 10. cap. 43. hæc ſcribit: *Omnibus matutinis evolans in roſtra forum ver-* D *ſus, Tiberium, deinde Germanicum, & Druſum Cæſares nominatim, mox tranſeuntem populum Romanum ſalutabat.* Fuit etiam alter corvus, de quo Macrob. lib. 2. Saturn. cap. 4. de Auguſto loquens ait: *Sublimis Actiaca victoria revertebatur: occurrit ei inter gratulantes corvum tenens, quem inſtituerat hoc dicere, Ave Cæſar victor: miratus Cæſar tam officioſam avem, viginti millibus nummum emit. Socius opificis, ad quem nihil ex illa liberalitate pervenerat, affirmavit Cæſari habere illum & alium corvum, quem ut afferre cogeretur rogavit; allatus, verba, quæ didicerat expreſſit, Ave Imperator Victor Antonii.*

At quamvis in locis allatis ſuſpicari poſſet nequa- E quam agi de ſalutationibus inaugurationis; ſed de domeſticis adulatoriiſque, quibus ſervi, ac ſubditi dominos, potentioreſque venerabantur: ſumpto tamen argumento à domeſticis ſalutationibus ad ſolemniores, ex earumdem ſalutationum conformitate, eadem dictione AVE, Imperatorem quoque conſalutatum in aſſumptione affirmare poſſumus auctoritate veterum ſcriptorum. Et quidem cum inauguraretur Imperator, ea forma ſalutatum fuiſſe, perſpicuum cenſeri poteſt ex Capitolino in Antonino Pio, dum Imperii faſtigium eidem aliquando præſagitum ſcribit dicens: *In proconſulatu*, ſupple Aſiæ, *etiam ſic Imperii omen accepit*, ſupple Antoninus: *Nam* F *cum ſacerdos fœmina Trallis ex more Proconſules ſemper hac ratione ſalutaret: non dixit, Ave Proconſul, ſed Ave Imperator.*

Hoc autem Trallianæ Sacerdotis præſagium ſatis debile fuiſſet omen, minuſque validum, niſi in ſalutando Imperatore cum inauguraretur, eam fuiſſe ſalutationis formam conceſſerimus. Hanc ſalutationis formam, & vim dictionis *AVE* in ſalutando Prin-

Principe, ex illo Vopiſci in Proculo Tyranno etiam habere poſſumus; cum à quodam ſcurra dictione AVE aliquando ſalutaretur. De quo ita Vopiſcus: *Cum in quodam convivio ad latrunculos luderet, atque ipſe decies Imperator exiſſet: quidam non ignobilis ſcurra, Ave inquit, Auguſte, illataque lana purpurea, humeris ejus junxit, eumque adoravit.*

Qua verò forma Princeps apud Iſraëlitas ſalutaretur; & quo vocabulo fauſta illi precarentur, ſubobſcurum videtur: niſi velimus à Chriſti paſſione eam formam ſalutationis haurire, dixerimuſque milites Romanæ cohortis apud Pilatum, ab Hebræis accepiſſe formam ſalutationis, qua Servatorem noſtrum ſpinis coronatum, purpuraque indutum illudebant. De quo ita Matthæus cap. 27. *Tunc milites Præſidis ſuſcipientes Jeſum in prætorio, congregaverunt ad eum univerſam cohortem; & exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei; & plectentes coronam de ſpinis poſuerunt ſuper caput ejus; & arundinem in dextera ejus, & genu flexo ante eum illudebant ei, dicentes: Ave Rex Judæorum.*

Verum militum Romanorum appoſita ſalutatio, noſtrum potius infringere argumentum videtur, quam roborare: nam à patriis inſtitutis, Romanorumque in ſalutando Principe formulâ, bene precandi verbum *Ave*, milites Pilati accepiſſe videntur; non ab Hebræis, quorum ſalutationis forma cum Rex inauguraretur, ignota cum ſit, ſi aliquid ſubodorari ex ſacris oraculis poſſumus, lubet potius dicere pro AVE Latinorum, Græcorumque χαῖρε Hebræis fuiſſe יְחִי *iechi*, id eſt, *vivat*. Sic enim legimus 1. Reg. cap. 10. Saulem ſalutatum in electione illius יְחִי הַמֶּלֶךְ *iechi hamelech*, & his perſonantibus verbis Senatores tribuum, populique Proceres, qui in Maſpha ad ſortitionem Regis convenerant, acceſſiſſe. De quo ſic vulgatus: *Et clamavit omnis populus, & ait: Vivat Rex.* Et lib. 3. Reg. cap. 1. hos qui cum Adonia ad auſpicandum regnum convenerant; eadem verborum forma Adoniæ acclamaſſe ſcribitur: *Vivat Rex.* Sic etiam ibidem cum de Salomonis inauguratione agitur, eadem formula verborum Rex ſalutatur. Simili etiam forma 4. Reg. cap. 11. & lib. 2. Paral. cap. 23. ubi de inauguratione Joaſi agitur, eadem verborum formula Regem ſalutatum cognovimus. Quod ibidem ita ſcribitur. *Produxitque filium Regis, & poſuit ſuper eum diadema, & teſtimonium, feceruntque eum Regem, & unxerunt, & plaudentes manu dixerunt, vivat Rex.*

Hanc autem regiæ ſalutationis in inauguratione formulam, quam ex ſacris oraculis accepimus, à communi atque quotidiana ſalutationis regia forma, hauſtam credere licet; cujus quidem quotidianæ ſalutationis formam ſæpiſſimè agnovimus in ſacris oraculis ex illis verbis: *Rex in æternum vive.* Ex quibus, me judice, ſatis apertè conſtat, dictionem יְחִי *Jechi* deductam à verbo חָיָה *chajah*, & ſalutationi regiæ, boni ominis precandi cauſa, præponi ab Iſraëlitis conſueviſſe.

Dignitas, ut dicebamus, in regiæ adorationis formula exprimebatur: cujus dignitatis vocabulum, ut plurimum alterum obtinuiſſe locum, poſt AVE, manifeſtum eſt. Dignitatem autem appello, ut Imperatoris apud Romanos, Regiſque apud alios. Nam licet proprium nomen aliquando appoſitum ſciamus; ut in illo Corvino, χαῖρε Καῖσαρ αὐτοκράτορ, nihilominus ut plurimum, fauſtæ precationi AVE, dignitatis prænomen apponebatur. Quamobrem milites quoque, qui Chriſto Servatori illudebant, in ſalutando illum dicebant: *Ave Rex Judæorum*; Regis nomen præponentes, ratione gentis cui irriſoriè præficiebatur. Regis autem, Dominique vocabulum inſolentiſſimum cum cenſeretur apud Romanos poſt exactos Reges; propterea qui Reipublicæ præ-

A ficiebantur, Imperatoris vocabulum poſtmodum aſſumpſerunt. Quod vocabulum cum militare eſſet, tam grato animo Romani omnes exceperunt; ut cum quidam Cæſarem ſalutando dixiſſet *Ave Rex*, reſponderit ille, *Cæſar ſum, non Rex.* Auguſtus quoque, ut Sueton. in Auguſto cap. 53. ſcribit, *Domini appellationem, ut maledictum, atque ſummum opprobrium ſemper exhorruit: Dominumque ſe appellari, ne à liberis quidem aut nepotibus ſuis, vel ſerio, vel joco paſſus eſt.* Xiphilinus in vita Heliogabali refert, quod cum aliquando ſalutaretur his verbis κύριε αὐτοκράτορ χαῖρε, hoc eſt, *Domine Imperator Ave:* ſalutanti reſpondit μή με λέγε κύριον, ἐγὼ γὰρ κυρία εἰμί. Hoc eſt:
B *Noli me dicere Dominum, ſum enim illa in quo dominatio*; licet poſtmodum hanc Domini appellationem aliquando admiſerit. Nihilominus reliqui omnes ad evitandum odium Senatus, Imperatores à militari virtute appellari maluerunt.

Quamvis verò Imperatoris vocabulum ex inſtituto Romanæ Reipublicæ ad militiam pertineret; nec ſemper apud veteres Scriptores, ac in Republica, ſummum abſolutumque Reipublicæ dominium ſignificaret: nobis tamen in præſenti capitulo non eſt ad rem, niſi in hac pleni dominii conſideratione: quo quidem vocabulo Princeps totius Orbis, Senatus, ac Reipublicæ, & omnium exercituum Dominus
C demonſtratur. Hoc ipſum ſupremi, ac ſummi juris dominium Græcè dicitur αὐτοκράτωρ. Et quamvis Julius Cæſar perpetuus Imperator à Senatu dictus fuerit, ſibique cæterorum magiſtratuum jus, & auctoritatem adrogaverit; hoc tamen ſummum jus Imperatoris agnomini, tunc nequaquam fuit annexum, ſed poſtmodum Imperatoris prænomen ſub Auguſto, in hac ſummi juris acceptione ſumi cœpit, ut ex Dionyſii loco obſcuriſſimo, ac vitiato proferam. Is enim lib. 52. ſic ait: ταῦτά τε ὁ καῖσαρ, καὶ ὅσα μοι ἄνω τοῦ λόγου εἴρηται, ἔπραξεν ἐν τῷ ἔτει ἐκείνῳ ἐν ᾧ τὸ πέμπτον ὑπάτευσε, καὶ τὴν τοῦ αὐτοκράτορος ἐπίκλησιν ἐπέθετο. λέγω δὲ οὐ τὴν ἐπὶ ταῖς νίκαις, κατὰ τὸ ἀρχαῖον διδομένην
D τισὶν, ἐκείνην γὰρ πολλάκις μὲν, καὶ πρότερον, πολλάκις δὲ καὶ ὕστερον ἀπ' αὐτῶν ἔργων ἔλαβεν, ὥστε καὶ ἐν εἴκοσιν ὄνομα αὐτοκράτορος ἔχειν, ἀλλὰ τὴν ἑτέραν τὴν τὸ κράτος διασημαίνουσαν, ὥσπερ τῷ πατρὶ αὐτοῦ τῷ καίσαρι καὶ τοῖς παισί τοῖς ἐκγονοῖς ἐψήφιστο. Locum attuli ex textu Græco, ut ex ipſo contextu & auctoris verba clariora fiant, quæ dicimus: ſic enim locus allatus interpretatur. *Hæc & quæ ſuperius dicta ſunt, Cæſar operatus eſt eo anno, quo conſul quintum fuit, & appellationem Imperatoris accepit: dico autem non qualis propter victorias à principio, aliquibus dabatur: illam enim multoties quidem antea, multoties etiam poſtmodum, ob res geſtas accepit; ita ut etiam vicies nomen*
E *Imperatoris habuerit; ſed aliam quâ potentia demonſtrabatur: quemadmodum Cæſari patri, & filiis ex ipſo genitis decretum fuerat.* Vult enim Dionyſius, ex illo vocabulo ſummam imperii poteſtatem demonſtrari; eam nimirum, qualem Julio Cæſari, & filii ejus, à Senatu jampridem, Suetonio teſte, & aliis decretam fuiſſe conſtat.

Quemadmodum igitur cum quis ob victoriam partam, remque publicam optimè geſtam, à militibus honoris cauſa Imperatoris prænomine decorabatur; ut etiam Ciceroni Proconſuli in Aſia cæſis aliquot prædonibus Imperatoris agnomen datum fuit, Plutarcho, & aliis teſtibus; ſic poſtmodum Republica jam depreſſa, ad dignitatem Principis, ſummumque
F faſtigium illius indicandum, fauſtæ precationi prænomen Imperatoris adjungebatur, ſub hac forma verborum, *AVE Imperator.* Sueton. locus in Claud. cap. 10. ad hanc rem afferri poteſt, qui ſic habet: *Latentem diſcurrens forte gregarius miles animadverſis pedibus è ſtudio ſciſcitandi, quiſnam eſſet, agnovit, extractumque & præ metu ad genua ſibi accidentem Imperatorem*

ratorem ſalutavit. Idem in Oth. cap. 6. ait: *Donec omiſſa mora ſuccollatus eſt, & à præſente comitatu Imperator eſt ſalutatus.* Cumque ſalutationi, ut vidimus, fauſtæ precationis, & boni ominis nota A V E præfigi ſoleret; non aliis verbis hos ſalutatos fuiſſe, quam illis AVE IMPERATOR, ex jam dictis perſpicuum eſt.

Parem ſalutandi Principis formam Iſraëlitas ſervaſſe in ſui Principis ad Regnum aſſumptione oſtendatur: ut nimirum dignitatis nomen ad boni ominis vocabulum adjungerent illi dicentes יְחִי הַמֶּלֶךְ *jechi hamelech*, id eſt, *Vivat Rex:* quod ex ſacris oraculis manifeſtum eſt. Vocabulum autem Hebraicum מֶלֶךְ *melech* à verbo הָלַךְ *halach* derivatum conſtat, quod B ſignificat *ambulare*, & per additionem ה heemanticæ litteræ fit הַמֶּלֶךְ quaſi *præiens*, hoc eſt, reliquos antecedens, quod nimirum Rex quemadmodum Duces, ac Prætores apud Romanos, reliquos in exercitu, ac virtutibus præcedere atque anteire debeat. Qnamobrem juxta hanc etymologiam cap. 12. lib. 1. Reg. dixit Samuel ad Populum: *Et nunc Rex graditur ante vos* Summam quoque & ſupremam poteſtatem in populo, ac Republica penes Reges Iſraëlitas extitiſſe, hancque Regis vocabulo ſignificatam in ſacris oraculis perſpicuum eſt. Itaque quemadmodum apud Romanos Imperatoris vocabulo, Republica depreſſa, plenariam poteſtatem eum habere, qui ſic appellabatur, ſignificabatur, ita Regis apud Iſraëlitas ex Dei inſtituto. Quod manifeſtum eſt ex cap. 8. ejuſdem libri, in quo ſic legimus: *Hoc erit jus Regis, qui imperaturus eſt vobis; filios veſtros tollet, & ponet in curribus ſuis, facietque ſibi equites, & præcurſores quadrigarum ſuarum: & conſtituet ſibi Tribunos, & Centuriones, & aratores agrorum ſuorum, & meſſores ſegetum, & fabros armorum, & curruum ſuorum: filias quoque veſtras faciet ſibi unguentarias, & focarias, & panificas: agros quoque veſtros, & vineas, & oliveta optima tollet; & dabit ſervis ſuis. Sed & ſegetes veſtras, & vinearum reditus addecimabit; ut det eunuchis, & famulis ſuis. Servos etiam veſtros, & ancillas, & juvenes optimos, & aſinos auferet, & ponet in opere ſuo. Greges quoque veſtros addecimabit, voſque eritis ei ſervi.* Quamobrem cum Princeps in Iſraël eligeretur, fauſtæ precationi dignitatis quoque vocabulum adjungebatur, hac verborum forma: *Vivat Rex.*

Bono feliciſſimoque omini AVE, ac dignitatis prænomini Imperatoris, aut Regis, proprium quoque Cæſaris nimirum, ſive Auguſti, aliaque ſimilia propria nomina apud Romanos adjungebantur. Verum ut in his cognominibus diſtinctio attendatur; obſervare oportet, quod Republica jam oppreſſa ſub Octaviano Auguſto, Imperii nomen ad ſummum faſtigium ſignificandum evectum, ut dicebamus, cum fuiſſet; Romanorum Principum nomina multiplicari cœperunt; ut eorundem multiplicatione nobilitas, vetus deſcendentia, ſummum faſtigium, dignitas, & proſapia in his declararetur. Innumerabiles poſſent pro hac re lapides veteres afferri, qui in Gruttero habentur ſub titulo Cæſarum, Imperatorum, & Honorum; afferam unius lapidis fragmentum pro his, qui ſacris potius, quam prophanis dant operam litteris, qui apud Grutterum pag. 271. habetur.

. . . .

IMP. II. COS. III. PROCOS
IMP. CÆS. L. SEPTIMI. SEVERI. PII.
PERTINACIS. AUG. ARAB. ADIAB.
PARTH. MAX. BRIT. MAX. FORTISSIMI
FELICISSIMI. PONT. MAX. P. P. FILIO
DIVI. M. ANTONINI. PII . PRON.
A DIVI. HADRIANI. ABN. DIVI. TRAIANI
PARTH. ET. DIVI. NERVÆ. ADNEPOS
OB. INSIGNES. VIRTVTES. EIVS
DECVR. COLON. ALSIENSIS. D. D.

Nobilitas enim tunc indigitabatur, cum quis filius, vel nepos, abnepos, ſive adnepos hujus, vel illius Principis declarabatur. Quia verò à Julio Cæſare Imperii faſtigium exordium ſumpſerat: propterea ad imperium nemo admittebatur, niſi in familia Cæſaris fuiſſet adoptatus. Quoties igitur apud Scriptores aliquem ab Imperatore Cæſarem appellatum legimus; eundem in familiam Cæſarum adſcriptum B fuiſſe cognoſcimus. Et licet huic appellationi imperium nequaquam jungeretur; ea tamen Cæſareæ familiæ adoptatione, jus ad principatum is, qui adoptabatur, adipiſcebatur, imperiique capax fiebat. Eapropter ubi cum exercitu bellorum de cauſa aliquo quis mitteretur, qui jam Cæſar appellatus fuiſſet, etiam Imperatorio prænomine donabatur. Quamvis his prænominibus ſummi faſtigii regimen nondum adipiſceretur: quod in ſolo prænomine Auguſti repoſitum poſt Octavianum extitit, qui *Anno Vrbis ſeptingenteſimo vigeſimo quinto, cum triumphum Auguſtus ex Ægypto reportaſſet, hoc primum die*, ut ſcribit Diaconus, *Auguſtus, quod Romam auxerit, con-* C *ſalutatus eſt. Quod nomen cunctis antea inviolatum, & hucuſque cæteris inauſum, dominis tantum orbis licite uſurpatum, apicem declarat imperii: atque ex eadem die ſumma rerum, ac poteſtatum penes unum eſſe cœpit, & manſit, quod Græci μοναρχίαν vocant.*

Auguſti nomen imperatorio adjungi conſueviſſe, cum quis ad ſummum faſtigium ſublimaretur, ex lapidibus, veterumque monumentis probatum remanet: ut ex Julio Capitolino in Antonino Pio, & aliis ſatis apertè colligitur. Is enim dum præſagia Imperii Antonino è cœlo allata refert, ait: *Huic cum Italiam regeret, Imperii omen factum eſt. Nam cum tribunal aſcendiſſet, inter alias acclamationes di-* D *ctum eſt, Auguſte, Dii te ſervent.* Idem in duobus Maximinis, deque Gordiano in Africa à militibus Imperatore conſalutato ait: *Et primo quidem invitus Gordianus purpuram ſumpſerat: poſtea verò cum vidit neque familiæ ſuæ tutum id eſſe, volens ſuſcepit imperium, & appellatus ab omnibus Afris Auguſtus cum filio apud oppidum Tiſdrum, inde Carthaginem venit cum pompa regali.* Herodianus pariter lib. 2. in aſſumptione Pertinacis ad Imperium ait: Τοιαῦτα δὲ λέγοντος τοῦ Λαίτου μὴ κατασχὼν ἑαυτὸν ὁ δῆμος, μελλόντων καὶ ὀκνούντων ἔτι τῶν στρατιωτῶν Σεβαστόν τε ἀναγορεύει. Non enim dicit Herodianus illum milites Imperatorem ſalutaſſe, ſed Σεβαστὸν, id eſt, Auguſtum. Cum E enim in exercitu Imperatoris, hoc eſt ſummi ducis, gradum teneret, ad orbis faſtigium illi concedendum Auguſtus ſalutandus erat. Locus Herodiani ſic interpretatur: *Talia autem dicente Læto, non ſe cohibuit populus, ceſſantibus adhuc, & dubitantibus militibus Auguſtum illum ſalutarunt.* Et quidem ex vi dictionis ἀναγορεύει in Herodiano poſita, quæ ſalutationem ſignificat; perſpicuum eſt Imperatore ſalutando, ſive adorando, Auguſti nomen apponi conſueviſſe. In aſſumptioe pariter Nigrini ad Imperium, qui Antiochiæ à militibus Imperator eſt ſalutatus, Auguſti nomen imperatoriæ ſalutationi annexum conſpicitur. Sic enim de hoc idem Herodian. loco F citato ſcribit: τοιαῦτα τινὰ εἰπόντος αὐτοῦ εὐθέως τὸ στρατιωτικὸν πᾶν, καὶ τὸ συνειλεγμένον πλῆθος αὐτοκράτορά τε ἀνεῖπε, καὶ Σεβαστὸν προσηγόρευσε. Notanda ſunt illa duo vocabula αὐτοκράτωρ, quod Imperatorem ſummum ſignificat, & alterum Σεβαστὸς, quod Auguſtum valet, & ſimul veniunt, ut ex ejus interpretatione conſtat, quæ eſt talis: *Talia hujuſmodi illo dicente, illico omnis exercitus, & quæ convenerat mul-*

multitudo, Imperatorem dixit & Auguſtum conſalutavit.

Auguſti quoque prænomini nomen ſingulare, & proprium adjunctum ſcimus; reliquis nimirum Principibus, qui poſt Octavianum Cæſaris ſucceſſorem, ad Imperium cum aſſumerentur, Auguſti dicebantur; ut proprio nomine, Aurelii videlicet, Antonini, Neronis, Domitiani, Veſpaſiani, vel aliis ſimilibus ab invicem diſtinguerentur.

Hæc de Romanis dicta cum ſint, nunc ad ſacra oracula, & Rempublicam Iſraëliticam tranſeundo, in ea nomen tantum proprium nomini regio adjungi ſolitum perſpicuum ſit. Sic enim in affectata Abſalonis tyrannide lib. 2. Reg. cap. 5. legimus acclamatum: *Regnavit Abſalon in Hebron.* Et licet hic non de ſalutatione Regia, ſed de acclamatione ſit ſermo; nihilominus cum acclamationes ſalutationibus reſpondere conſueverint, ſaltem in forma verborum ab acclamationibus, & earum phraſi, non infimum ſumitur argumentum pro ſalutatione inaugurationis. De qua ſalutatione Iſraëlitici Regis cap. 1. lib. 3. Reg. agitur, in quo Adonias affectans regnum, Rex ſalutabatur ab his, qui ejus partes ſequebantur, hac verborum forma: *Vivat Rex Adonias.* Quam etiam formam verborum retinuit David, cum Salomonem filium ſuum Regem prænunciari, inaugurari, & hac verborum forma ſalutari juſſit: *Vivat Rex Salomon.* Quod etiam factum ibidem legimus. Et cap. 9. lib. 4. Reg. ad regnum Iſraëliticum Jehu aſſumptum, ac ſalutatum ab omnibus Principibus Regni, qui ſecum erant in concilio, hac verborum forma cognovimus: *Regnavit Jehu.* Itaque apud Iſraëlitas, & hanc à Deo inſtitutiam Rempublicam, non fuit uſus prænominum, & agnominum, ſeù titulorum, & familiarum ad notam nobilitatis, ſed dignitatis tantum proprio nomini adjunctæ. Ex quibus ſacrorum oraculorum locis, ſalutationis adorationiſque Regiæ formam, & verba ſalutatoris expiſcari tentavimus. Alii profundiora perveſtigent.

CAP. XXXVII.

Munera explicantur, quæ Regi cum inaugureretur, offerebantur.

Ad loca 3. Reg. 5. *Dedit ergo Regi centum viginti talenta auri, & aromata multa nimis, & gemmas pretioſas.* 1. Reg. cap. 10. *Filii verò Belial dixerunt, num ſalvare nos poterit iſte? & deſpexerunt eum, & non attulerunt ei munera.* Pſal. 71. *Reges Tharſis, & Inſulæ munera offerent: Reges Arabum, & Saba dona adducent.* Et ad alia plura.

QUAMVIS muneris vocabulum multipliciter à grammaticis, viriſque prudentibus ſumatur: & in L. *munus* de verb. ſignific. munus dividatur, in donum, onus, atque officium; nobis tamen de oneribus, ac officiis minimè agendum erit, ſed tantum de munere tractabimus, quod à dono veluti ſpecies à ſuo genere comprehenditur; vel ab eodem diſtinguitur, veluti diverſa reſpiciens. De quibus duobus ita Iſid. lib. 6. etym. cap. 19. *Dona propriè Dei dicuntur, munera hominum: nam munera dicuntur obſequia, quæ pauperes divitibus loco munerum ſolvunt: ita munus homini datur, donum Deo: unde etiam in templis donaria dicimus: munera autem vocantur, quia manibus accipiuntur vel dantur.* Itaque à diverſitate reſpectuum juxta hanc doctrinam, donum à munere diſtinguitur: nam donum Deum reſpicit, & tam quæ Deo offeruntur, quam quæ à

A Deo ad nos proveniunt, dona dicuntur: at verò munus ea ratione homines reſpicit; ut tam ea, quæ ab hominibus accipiuntur, quam quæ hominibus offeruntur, verius munera, quam dona ſint dicenda. M. enim Varro (is enim Romanorum doctiſſimus fuit, ut cum Patre Auguſtino loquar.) munus ea ratione dictum putat, quaſi mutui animi, officiique cauſa datum. In qua ſignificatione munus ſumitur in L. plebiſcito ff. de Offic. Præſid. Et hoc quidem muneris genus, honorarium munus propriè appellari ſolet, hoc eſt, gratuito datum. Vetuſtiſſimus enim mos fuit, præcipue verò Orientalium, ut paſ-
B ſim ſacra teſtantur oracula, munerum oblatione animi benevolentiam erga Principem teſtari. Quamobrem quoties oratores ſalutationis cauſa, aut negotii alicujus tractandi occaſione Principem aliquem adirent, eum adiiſſe ſine munere nequaquam memini me legiſſe. Nam etiam apud Virg. lib. 7. Æneid. hanc ſervat conſuetudinem Æneas, cum ad Picum Latinorum Regem animi conciliandi de cauſa Teucros mittit. De quo ſic Poëta.

Tum ſatus Anchiſa, delectos ordine ab omni
Centum oratores, auguſta ad mœnia Regis
Ire jubet, ramis velatos Palladis omnes,
Donaque ferre viro, pacemque expoſcere Teucris.

C Itaque munus ſalutationi, ut loquamur ad rem noſtram, ſeù venerationi debitum, ex ritu veteri cenſeri debet. Nam apud eumdem Poëtam lib. 11. cum vires Latinorum infractæ forent, Latinuſque Rex de conſilio Procerum oratores ad Trojanos deſtinare vellet; ſine munere hos mittere nefas videbatur. De quo ſic ille ſententiam ſuam dixit:

Præterea qui dicta ferant, & fœdera firment,
Centum oratores prima de gente Latinos
Ire placet, paciſque manu prætendere ramos,
Munera portantes, eboriſque, aurique talenta,
Et ſellam regni, trabeamque, inſignia noſtri.

D Cum igitur munera ſalutationi de jure debita viderentur: propterea quando Princeps inaugurabatur, atque à Proceribus ac populo ſalutabatur, tam apud Romanos, quam etiam penes alias nationes, eidem munera nomine publico à militibus, à Municipiis, à Civitatibus ſociorum, aliiſque plurimis offerebantur; quod quidem publicum munus Aurum coronarium à Romanis appellabatur.

Hæc autem conſuetudo ab imperatoria denominatione, quæ in caſtris honoris cauſa à militibus Summo Duci exhibebatur, fortaſſe originem traxit. Quoties enim Summus Dux aliquis, ſive Conſul inter Romanos adepta de hoſtibus victoria, eum hoſtium
E numerum proſtraſſet, quem lex ſtatuiſſet; toties Imperatoris vocabulo honorabatur; reque feliciter geſta Imperator ſalutabatur. Eſt locus Taciti lib. 3. annal. dicentis: *Tiberius id quoque Blæſo tribuit, ut Imperator à legionibus ſalutaretur: priſco erga Duces honore, qui bene geſta republica gaudio, & impetu victoris exercitus conclamabatur.* Eſt etiam Cicer. locus lib. 5. epiſt. ad Attic. epiſt. 20. his verbis: *Magnum hoſtium numerum cæcidimus, caſtella munitiſſima nocturno Pontini adventu incendimus, Imperatores appellati ſumus.* Hinc in lapidibus ac nummis illæ inſcriptiones Imperator III. Imperator IIII. & ſimiles, quibus victoriæ ducis indicantur. Cum igitur aliquis
F Imperator dictus fuiſſet; omnes ſociæ Civitates, Provinciæ, ac Reges amici eidem coronas aureas, vel auri tot pondo afferebant, quot Imperatoris appellationes eidem pro re feliciter geſta deberentur; quod etiam munus à Municipiis Coloniiſque Italiæ, nec non etiam ab ipſa Urbe Roma Imperatori offerebatur. Quamobrem hoc aurum coronarium aliquando non accepiſſe, in maximam Auguſti laudem ceſſit;

ſit, quando nimirum tot victoriis onuſtus, honoratuſque Romam intravit, ut tribus continuis diebus triumphaverat. Quod in ejus quinto conſulatu, Circenſibus ludis editis contigit. De quo ita Dio. lib. 51. hiſtor. παρὰ τῶν πόλεων ἐν τῇ ἰταλίᾳ τὸ χρυσίον τὸ τοῖς στεφάνοις προσῆκον οὐκ ἐδέξατο. Ubi notanda ſunt illa τὸ χρυσίον τὸ τοῖς στεφάνοις προσῆκον, quibus dictionibus aurum ad coronas ſignificatur, ut ex hac loci interpretatione conſtat: *A Civitatibus, quæ ſunt in Italia, quod in coronis offerebatur auri, non accepit.* Hanc autem benignitatem, atque Auguſti munificentiam erga Italiæ Civitates, ſingulari quodam monumento Ancyrano celebratam conſtat; quod habetur inter notas Caſauboni ad Suetonium; ex quo monumento, quæ faciunt ad eam liberalitatem comprobandam, & animadverſione digna cenſuimus, hic deſcripſimus. Non enim integrum illud huc transferri libuit, ne nimia verborum prolixitate, quæ ad rem noſtram minimè ſpectant, lector tædio afficeretur. Qui verò illud integrum videre deſiderat, Caſaubonum loco citato petat: etenim monumentum illud in rem noſtram hæc habet.

QVE. MIHI. CONSTITERVNT. CIRCITER MILLENIS. AVRI. CORONARI. PONDO TRIGINTA. QVINQVE. MILLIVM. MVNICIPIIS ET. COLONIIS. ITALIÆ. CONFERENTIBVS AC. TRIVMPHOS. MEOS. QVINTVM. CONSVL REMISI. ET. POSTEA. QVOTIESCVNQVE IMPERATOR. · M........ AVRI. CORONARIVM NON. ACCEPI. DECERNENTIBVS. MVNICIPIIS ...... QVÆ. ANTE. DECREVERAM

De ſupplendis lacunis in hoc marmore plurima dixit Caſaubonus. Nos quantum poſſumus, Romana cum ſacris commiſcentes, breviter priorem lacunam, quæ in linea ſeptima habetur, ſic ſupplendam cenſuimus.

IMPERATOR. MVNVS. AVRI. CORONARIVM. Poſterior verò lacuna conſtipatis dictionibus ſic compleri poterit, ut nihil deſit. DECERNENTIBVS MVNICIPIIS. QVÆ. ANTE. DECREVERAM. Niſi velimus munerum vocabulum in poſteriori quoque lacuna deeſſe; legendumque ſit: DECERNENTIBVS. MVNICIPIIS. MVNERA. QVÆ. ANTE. DECREVERAM. Qui plura in hanc rem, & monumenti hujus declarationem videre cupit, Caſaubonum loco citato petere poterit pag. mihi 135. De hac auri coronarii remiſſione facta ex Auguſti liberalitate, ſcribit etiam Hubertus Goltzius in vita ipſius his verbis: *Cæſar quo omnibus ordinibus liberalitatem ſuam, tantæque victoriæ fructum communicaret, quicquid tributorum civilium bellorum neceſſitas imperaverat, remiſit: facto etiam fine conferendi æs alienum, & circumforaneum, quod graviſſimum propter bellorum aſſiduitatem conflatum fuerat, diſſolvit: uſum pecuniæ gratuitum, & ſine fœnore iis, qui cavere in duplum poſſent, ad certum tempus indulſit; aurum coronarium, quod cumulate ab Italiæ civitatibus poſt victoriam oblatum erat, pergratam ſibi eorum voluntatem profeſſus, honore contentus non accepit.* Qua quidem Huberti auctoritate monumentum, ut puto, Ancyranum illuſtratur. Bis enim aurum coronarium ab Auguſto remiſſum eo auctore accepimus: & primam quidem auri coronarii remiſſionem intelligimus, quæ Principi ex impoſitione tributorum debebatur; deinde etiam illius muneris, quod poſt partam victoriam, & Rempublicam optimè geſtam, eidem Auguſto, ex quadam militum conſuetudine, occaſione Imperatoriæ acclamationis dabatur. De que utraque remiſſione monumentum illud ex noſtra ſententia loquitur.

A His jam licet colligere atque cognoſcere, ex antiqua conſuetudine, munera debita fuiſſe Principibus, cum inaugurarentur. Et quamvis exordia hujus conſuetudinis in Romana Republica nos lateant; utrum nimirum conſueverit hoc ipſum in Republica Romana fieri ſub Regibus, num ſub Conſulibus tantum, ei qui in expeditionem proficiſcebatur, id fieret, poſtquam manus cum hoſte conſeruiſſet, & victoriam peperiſſet, Imperatorque Conſul diceretur: nihilominus in honoraria hac Imperatoris appellatione, & auri coronarii munere, nobis indigitatur, quod Princeps electus cum inauguraretur, & una cum Imperatoris, ac Auguſti vocabulis ad toti- B us Reipublicæ ſummum regimen aſſumeretur; auro coronario propterea donabatur, quod Summo Principi in inauguratione munera deberentur. De Adriano hoc Spartianum indicaſſe videtur, cum de illius ad Imperii faſtigium loquens ait: *Cum ad Senatum ſcriberet, veniam petiit, quod de Imperio ſuo indicium Senatui non dediſſet: ſalutatus ſcilicet præpropere à militibus Imperator, quod eſſe Reſpublica ſine Imperatore non poſſet.* Et paulo infra ſtatim: *Aurum coronarium Italiæ remiſit, in Provinciis minuit, & quidem difficultatibus ærariis ambitioſè, ac diligenter expoſitis.* Ex quo loco conſtat, aurum coronarium etiam illud dictum fuiſſe, quod ærario inferebatur, quando C Imperatori in exordio Imperii offerebatur. His fortaſſe conſentiunt, quæ de Alexandro Severo ſcribit Lampridius dicens: *Aurum negotiatorum, & coronarium* Romæ remiſit.

Conſuetudo vero munerum offerendorum in Principe ſalutando, fuit adeo frequens, & vetus apud Orientales, ut fere nunquam apud Xenophontem, alioſque veteris Orientalis hiſtoriæ ſcriptores, ſalutatum aliquem Principem legere contingat, quin etiam munera eidem oblata legantur. Et ne à ſacris recedamus oraculis, huc ſpectat, quod lib. 3. Reg. cap. 5. de Regina Sabæa ſcribitur: *Dedit ergo Regi centum viginti talenta auri, & aromata multa nimis,* D *& gemmas pretioſas.* Ibidem quoque paulo infra n. 25. ſermo eſt de aliis muneribus, quæ ab exteris Regibus Salomoni offerebantur, his verbis: *Et ſinguli deferebant ei munera, vaſa argentea, & aurea, vectes, & arma bellica, aromata quoque, & equos, & mulos per annos ſingulos.*

Frequentiſſimum verò fuiſſe apud Iſraëlitas, munera Principi offerre cum inauguraretur, & adoraretur; etiam ab inſtitutione ipſa Reipublicæ, ſacris ex oraculis haurire poſſumus. Nam cap. 7. Numer. ſtatim ac Deo, ut Imperatori exercitus, tabernaculum, ſive prætorium in caſtris erectum fuit, quod ipſe ad reſidendum in exercitu inter milites ſibi fie- E ri præceperat, de muneribus eidem offerendis actum ſcimus. Illud etiam quod habetur lib. 1. Reg. cap. 10. in quo de aſſumptione Saulis ad regnum agitur, noſtrum intentum confirmat: & de muneribus eidem oblatis argumento à contrario ſumpto agitur; dum fuiſſe aliquos facer textus ſcribit, qui munera Sauli minimè obtulerunt; neque in illius aſſumptione aſſenſum præſtiterunt. De quibus ſic loquitur textus: *Filii verò Belial dixerunt: num ſalvare nos poterit iſte? & deſpexerunt eum, & non attulerunt ei munera.* De eiſdem ita Joſeph. lib. 6. antiquit. cap. 5. πονηροὶ δὲ πλείους, οἱ καταφρονοῦντες αὐτοῦ, καὶ τοὺς ἄλλους ἐχλεύαζον, καὶ οὔτε δῶρα προσέφερον, οὔτε ἐν σπου- F δῇ, καὶ λόγῳ τὸ ἀρέσκεσθαι τὸν Σαύλον ἐτίθεντο. Hoc eſt: *Plures autem viri mali qui illum,* ſupple Regem, *contemnebant, & alios irridebant, neque munera adferebant, nec obſequio, & verbo gratiam Saulis demereri curarunt.* Argumento igitur ſumpto à contrario, tam ex Joſepho, quam ex ſacro textu nobis conſtat, quod illi qui tam Regis inaugurationi, quam illius electioni conſentiebant, munera eidem offerebant.

Cumque hæc munera in Regis adoratione à Proceribus offerrentur, propterea in hoc ſenſu Propheta Pſal. 44. ubi Regis, Reginæque gloriam epithalamico carmine cecinit, *Et filiæ Tyri in muneribus*, inquit, *vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis.* Hebraice pro divitibus plebis legitur עשירי עם *gnaſchire gnam*, hoc eſt, ditiores, ſeù nobiliores, qui ſunt in populo, quaſi dicat, Senatores offerent tibi munera. Quemadmodum etiam apud Virgil. lib. 11. Æneæ munera deferunt Latino Regi non plebeji, ſed nobiliores, qui inter Latinos erant, dum dicit:

Centum oratores prima de gente Latinos, &c.

Sic etiam Æneas non Gregarios milites, ſed ſelectiores ex illis ad regiam Latinorum miſit, ut ſcribitur lib. 7. Æneid. à Virgilio ſic:

Tum ſatus Anchiſa delectos ordine ab omni
Centum oratores, &c.

Quia verò ea munerum offerendorum cæremonia cùm Princeps inaugurabatur, aſſenſus electo Principi ſignificabatur: propterea eo argumento uſus Propheta, filias Tyri, id eſt, civitates, & urbes, quæ ad Regnum Tyri pertinebant, & nobiliores illius regni muneribus Regem adituros, & adoraturos ſcripſit in Pſalmo jam allato: ut communem populi, & gentium omnium conſenſum in admittendo Rege Meſſia, atque Regina Eccleſia ſubindicet, ac probet. Pſal. quoque 71. in quo gloria Meſſiæ ſub metaphora Iſraëlitici Regis decantabatur, ejus monarchia, atque Imperium ad terminos fineſque univerſi Orbis perventura his verbis prædicitur: *Et dominabitur à mari uſque ad mare.* Nimirum à mari Indico, & Oceano, uſque ad mare Mediterraneum, *& à flumine*, id eſt ab Euphrate, *uſque ad terminos orbis terrarum.* Hanc totius Orbis monarchiam munerum deferendorum argumento confirmat; quæ una cum adoratione Regi afferebantur, dicens: *Coram illo procident Æthiopes*, (hoc ad adorationem pertinet:) *& inimici ejus terram lingent*, hoc ad ſupplicantes. *Reges Tharſis, & Inſulæ munera offerent: Reges Arabum, & Saba dona adducent: & adorabunt eum omnes Reges terræ, & omnes gentes ſervient ei.* His enim muneribus ac ritibus totius Evangelici Imperii amplitudo prædicitur, quam Propheta in ſpiritu, Deo revelante, prævidebat; & omnium populorum conſenſus in Rege Meſſia, nimirum in Chriſto Salvatore, apertiſſimè monſtratur. Quæ de rege Salomone comprobari cum minimè poſſint, de illo hunc locum interpretari Rabbini omnino deſinant.

Hinc, me judice, ſubodorari poſſumus, cur milites Pilati ſpinea corona illudentes Regi Servatori noſtro; ejuſdem caput in ipſa ſalutatione; & non ante, neque poſt, arundine (quam pro ſceptro illi tenendam dederant) impie percuterent: Non enim alibi, quam in ſacris evangelicis hiſtoriis, tam dirus caſus, quovis in criminoſo legitur: aut aliquem à Judicibus damnatum, ſive in ſeditione, aut ex contumelia, & injuria occiſum ab impio aliquo judice, ex hiſtoriis veterum cognovimus; in quo tam multæ injurioſè congeſtæ crudelitatis notæ fuerint; quemadmodum in Chriſto patiente ab impiis miniſtris congeſta fuiſſe cognovimus. Nec enim ſacrum tantum illius caput impii milites ſpinis coronarunt, ſed etiam arundine percutiebant, ut ad ſingulas ſacri capitis percuſſiones vulnera omnia renovarentur, atque unica percuſſione multipliciter Chriſtus feriretur. De hoc Matth. cap. 27. ait: *Et cœperunt ſalutare eum: Ave Rex Judæorum: & percutiebant caput ejus arundine, & conſpuebant eum, & ponentes genua adorabant eum.* Percuſſiones igitur has, ut breviter

A dicam quod ſentio, munerum de cauſa ab impiis militibus excogitatas arbitror. Cum enim in ſalutando, adorandoque Rege, munera offerri novo Regi, ut dicebamus, mos eſſet: crudeliſſimi milites Regis Chriſti inaugurationem irridentes, eidemque illudentes, munerum loco, ſacrum Chriſti caput percutiebant, vulnerabant, atque conſpuebant: ut nullum opprobriorum injuriarumque genus remaneret; quod in Chriſto impii milites non conglomerarent; atque ad Salvatoris ignominiam non congererent: nos autem ex his contumeliis, præpoſtera ratione ſalutationis in Rege inaugurando ritus, conſuetudines, ac formam intelligeremus: & tam

B ex ſacris, quam ex prophanis litteris haberemus, unde nos quoque Regi Iſraëlitico, nimirum Summo Deo applauderemus, & laborum noſtrorum munera licet nullius pretii offerremus.

CAP. XXXVIII.

Diadematis uſus, & forma monſtratur.

REGVM Iſraëlitarum ornamenta, regiæque majeſtatis inſignia conſiderare aggredimur.

C Non enim apud Iſraëlitas ſtatim ac aliquis Rex inſtitutus ac declaratus fuiſſet, regalibus veſtibus induebatur; ſed tantum cum inaugurandus foret, regiis inſignibus decorabatur. Utque à capite regio exordiamur, in quo cum primis regiæ majeſtatis ſpecimen fulget; de diademate & corona Regum tam Hebræorum, quam exterorum, noſter in præſentiarum erit ſermo: exterarum enim gentium regia ornamenta, Iſraëlitici Regis majeſtatem magis aperiunt. Omni igitur qua decebat majeſtate atque ſolemnitate, ut vidimus, Princeps Iſraëliticus ad locum deductus, in quo de more, ſacro inaugurandus eſſet oleo, regiis veſtibus induebatur; diadema-

D te ſeù regio geſtamine redimiebatur; ſicuti infra probabitur: ut tam diadema, quam Rex ſacro condecorarentur & conſecrarentur oleo; ipſeque Rex una cum diademate ſanctificaretur. Et Princeps etiam eo ſacro oleo inunctus intelligeret, quanta morum ſanctitate pollere teneretur; qui duplici conſecratione quodammodo ſanctificatus eſſet, olei ſacri nimirum effuſione, ſacrique diadematis contactu; hiſque ſanctificatus Reipublicæ à Deo inſtitutæ præficeretur.

Regium hoc capitis ornamentum à diverſitate formæ diverſum ſortiebatur nomen: aliud Corona ap-

E pellabatur, aliud Tiara, aliud Cidaris dicebatur; ſed diadema commune omnibus fuiſſe videtur. In ornamento autem capitis, adeo ambitioſi fuerunt Romani Imperatores; ut non ſolum lauream, ſed auream etiam, ac radiatam coronam excogitaverint. Quin etiam quaſi cum ſole vellent æquari, non tam radiis ac gemmis quibuſdam, circulum illum aureum condecorare curarunt; quam ad curſum ſolis, ad numerum menſium, ad circulum anni, & ad ſigna Zodiaci reſpexerunt. In ipſa corona, radiorum quoque numerum minimè contemſerunt; ſed intra duodenarium illum continuerunt, ut omnia quæ diximus, uno circulo ſignificarentur. Virgil. lib. 12. Æneid

F cum de fœdere Teucrorum ac Latinorum agit, coronam radiatam Latini Regis his verbis deſcribit:

. . . . ingenti mole Latinus
Quadrijugo vehitur curru, cui tempora circum
Aurati bis ſex radii fulgentia cingunt
Solis avi ſpecim . . . . . .

Verum inter reliqua regii capitis ornamenta, diadema primum ac ſupremum tenuiſſe locum, certa res

res eſt: atque propterea diadematis nomen, tam apud Græcos, quam apud Latinos, ad majeſtatem, decoremque regii geſtaminis ſignificandum, frequentiſſimum extitiſſe perſpicuum eſt. Et ideo in capituli hujus inſcriptione eodem uſi ſumus vocabulo, quia ad regiæ Iſraëliticæ majeſtatis inſignia rectè perſcrutanda, non ſolum Latinorum Regum, Imperatorum, atque aliorum exterorum Principum ornamenta conducunt; ſed etiam diadema ipſum ad rem noſtram quam maxime cum faciat, ſingula pro captu noſtro diſcutienda erunt. Regium namque capitis ornamentum, cujus apud Iſraëlitas fuit uſus, tam Perſica tiara, quam etiam diademate, ac galero Græcorum, Romanorumque coronis illuſtratur: quamobrem de his quoque aliquid dicendum erit; dummodo diadematis materia, forma, uſuſque diſquirantur.

Diadematis uſum perantiquum extitiſſe, ubique ſane gentium, ab omnibus videtur admitti: ejus enim uſus meminere ſcriptores, qui res geſtas à ſeculo uſque ipſo, quod Moyſem præceſſit, ſcripſerunt: niſi vocabulo diadematis uſos fuiſſe auctores velimus, ex phraſi temporis illius, in quo ſcribebant, aut idiomatis, in quo loquebantur; ſive quod eo vocabulo etiam penes Ægyptios regium geſtamen appellari putaverint. Nam apud Joſeph. lib. 2. antiquit. cap. 5. de Moyſe legimus; quod cum infantulus in curia Pharaonis aliquando educaretur; & ei quaſi Regis filiæ filio cuncti adblandirentur, atque in parentis manus aliquando filia Pharaonis illum veluti Imperii Regnique ſucceſſorem repoſuiſſet; regnum infantulum recuſaſſe Joſephus ſcribit, dicente filia ad Patrem Pharaonem: ἀναθρεψαμένη παῖδα μορφῇ τε θεῖον, καὶ φρονήματι γενναῖον, θαυμασίως δὲ αὐτὸν καὶ παρ' αὐτῆς τοῦ ποταμοῦ λαβοῦσα χάριτος, ἐμαυτῆς μὲν ἡγησάμην παῖδα ποιήσασθαι, τῆς δὲ σῆς βασιλείας διάδοχον. Ταῦτα λέγουσα ταῖς τοῦ πατρὸς χερσὶν ἐντίθησι τὸ βρέφος. ὁ δὲ καὶ λαβὼν, καὶ προσστερνισάμενος κατὰ φιλοφρόνησιν, χάριν τῆς θυγατρὸς ἐπιτίθησιν αὐτῷ τὸ διάδημα. καταφέρει δ' ὁ Μωϋσῆς εἰς τὴν γῆν, περιελόμενος αὐτὸ κατὰ νηπιότητα δῆθεν, ἐπέβαινέ τε αὐτῷ τοῖς ποσί. Ubi verba illa ἐπιτίθησιν αὐτῷ τὸ διάδημα, diadematis antiquitatem ſubindicant. Sic enim locus allatus interpretatur: *Educatum puerum in quo tum formæ divinitas, tum animi generoſitas, elucebat, & miraculo, ac ipſo beneficio fluminis acceptum, mihi quidem putavi adoptare in filium, tuique regni ſucceſſorem. Hæc dicens puerum patri in manus impoſuit: quem ille accipiens, & amanter ad pectus conſtringens, filiæ gratia diadema ejus capiti impoſuit. Quod Moyſes pueriliter comprehenſum, & humi delatum, pedibus etiam calcavit.* Quamvis autem diadematis antiquitate, aut eo ſeculo illius uſu hinc argumentari minime liceat; quod eo vocabulo uti Joſephus ad regium geſtamen ſignificandum potuerit, prout ex communi phraſi ſui ſeculi tunc nominabatur; nihilominus Joſephi locus in antiquitatem diadematis ſaltem ex ſuſpicione nos ducit.

Uſos fuiſſe diademate Perſarum Reges erudite Barnabas Briſſonius lib. 1. de regio Perſarum Principatu oſtendit. Xerxem etiam diadema geſtaſſe, tiaramquæ rectam pro more Perſarum Plutarc. lib. de fraterno amor. & Xenophon in Cyri pœdia ſæpè teſtantur. Numidæ quoque Reges diademati ex Livio lib. 4. decad. 3. habentur. Similiter etiam apud Macedonas diadematis uſum teſtatur Herod. lib. 4. Valer. quoque lib. 5. cap. 1. ubi de Cneo Pompejo ſermo eſt, Tigrani Armeniæ Regi uſum diadematis aſcribit. Nec non etiam apud alias plurimas gentes ac nationes, diadematis uſus Regibus communis quodammodo extitiſſe videtur. Quod autem Romani etiam Imperatores diademate, aliquando corona laurea, aut quercina, & interdum corona radiata uſi ſint, comprobandum, ut reor, non eſt: cæcutirent enim, qui hoc negarent: tum quia ubique gentium Imperii majeſtas capitis ornamento cum primis conquiſita fuit; tum etiam quod nummis, ſtatuiſque perantiquis id undique demonſtrantibus ſit manifeſtum.

Diſquirantur igitur, quæ formam & colorem diadematis illuſtrare poſſunt. Nam de diademate Græcorum verba faciens Gel. lib. 24. cap. 6. (ut à nomine ipſo rei adeo difficilis initia auſpicemur) *Dicitur autem*, inquit, *diadema* βασιλικὸν ἔνδυμα, id eſt, *regium geſtamen*, *quod exponitur pro faſcia candida, quæ Regum capitibus obligabatur.* Et hinc obiter colligimus, vittam illam, qua à Sicyonibus donatus fuit Braſidas, non aliud fuiſſe ornamenti genus, quam diadema. Obſervanda eſt autem in regio geſtamine diſtinctio diadematis à corona: nam licet utroque caput cingeretur; nihilominus βασιλικὸν ἔνδυμα Diadema, hoc eſt, regius amictus dicebatur: at vero corona Latinorum, ſive Græcorum, quæ ſimiliter ad regium decorem pertinebat, στέφανος appellabatur. Ex quo duarum vocum diſcrimine diadema laneum, vel lineum extitiſſe, non ita coronam, manifeſtum eſt. Sed hæc ipſa clariora fient ex his, quæ ex antiquis monumentis, lapidibus ac nummis habentur. Quamvis enim Suidas dixerit διάδημα ἔνδυμα, τάχα δὲ καὶ ἔνδυμα τὸ στέμμα, id eſt, *diadema eſt indumentum, & vitta fortaſſe idem eſt.* Fortaſſe tamen tam ἔνδυμα, quam στέμμα non pro indumento Suidas accepit; ſed pro regiæ majeſtatis ornamento: potiuſque impropriè quam propriè Suidam loquutum dixerim. Nam, propriè διάδημα erat faſcia, qua caput Regis circumligabatur. Quamobrem Creon apud Stat. lib. 12. Thebaïd. inferias Mœneci celebrans, cum ſceptrum diademaque illius in rogum injeciſſet, dolens ac mœrens, ſic ait:

Accipe, nate, tui nova libamenta triumphi.
Accipe, & hoc regimen dextræ, frontiſque ſuperbæ
Vincula, quæ patri nimium portanda dediſti.

Lib. quoque 9. agit de morte Regis Adraſti ab hoſtibus in conferenda manu interfecti, ac poſtmodum ab eiſdem raptati.

. . . . . . *heu qualem verſare in ſanguine vidi*
Exutum canos, lacero diademate, crines.

Fuiſſe diadema faſciam ad circumligandum caput, nomen ipſum declarat; derivatur enim à verbo διαδέω, quod eſt *cingo*, & *circumligo.* Itaque ſi cum voce ipſa ſtandum eſt, diadema erit geſtamen, quo circumvinciebatur caput: quamobrem hoc ipſum nomine vinculi ſignarunt; unde Seneca in Troad. ait.

Ego eſſe quæcumque ſceptra, niſi vano putem
Fulgore tectum nomen? & falsò comam
Vinclo decentem? . . . . . .

Falſum vinclum vocat; non quod falſò dicatur, quaſi nullo vinclo coërceri, aut cohiberi poſſit omnimoda illa regia majeſtas; ſed ſenſus eſt, quod diadema non ſit vinculum, ſed imitamentum vinculi. Nobis ſufficit in diademate formam vinculi cognoſcere. Non tamen adeò brevis erat longitudinis, ut vix aliquod corporis membrum eo conſtringeretur; ſed tantæ tamque prolixæ, ut circumligato capite, quæ ſupererant ad formam amplarum inſtitarum, fluitarent in auras.

Laneus igitur pannus, albus, vel lineus, tantiſper peramplus, quo caput alicujus cingebatur, proprie, me judice, diadema appellabatur, imperiique ac regii muneris ornamentum erat. Probetur hæc diadematis deſcriptio, argumento ſumpto à pileo Macedonico, qui Cauſia dicebatur. De quo ita Suidas

das καυσία εἶδος πίλου βαρβαρικοῦ. hoc eſt: *Cauſia eſt ſpecies pilei barbarici.* Hujus pilei formam ſcripſit Theophilus in notis ad cap. 1. lib. 5. Valer. Max. §. de Antigone his verbis: *Cauſia quæ Macedonica proprie fuit, umbellæque ad depellendos æſtus uſum præſtabat; unde nomen*, ut inquit, *Homer.* ἀπὸ τοῦ ἐλαύνειν τὸ καῦμα, hoc eſt, *à depellendo calore*, ſupple ſic appellatur. *Sed non tantum à calore, verum etiam à pluvia, niveque caput, & corpus defendebat; ut Antipatris Theſſalonici indicat epigramma, quo teſtatur in agmine nivium de cœlo ruentium tegminis, in prœlio vicem galeæ præſtare.* Ex quibus verbis Cauſiam Macedonicam, idem quod Galerum apud Europæos extitiſſe certiſſimum puto.

Cinctus autem albus tantiſper amplus, quo galerus, ſive Cauſia apud Macedones cingebatur, in ea fortaſſe forma, qua noſtri hodie galeri loris, vel torulis, ſive faſciis quibuſdam cinguntur; apud eos diadema dicebatur: quamobrem veteres grammatici loquentes de Cauſia dixerunt: καυσία πῖλος ἦν πλατὺς, ὃν οἱ Μακεδόνικοι βασιλεῖς ἐφοροῦν, λευκὸν αὐτῷ διάδημα περιειλοῦντες, hoc eſt, *Cauſia erat pileus Macedonicus latus, quem Macedonici Reges ferebant, circumcingentes illud albo diademate.* Suſpicarer ego hunc galerum Macedonicum ejus extitiſſe formæ, quam hodie Epiſcopales galeri retinent; qui viridi circumligantur & ornantur loro, ac torulo: niſi velimus ampliori fortaſſe faſcia illum cingi conſueviſſe. Et ſi quid pro Eccleſiaſticis ornamentis conjectandum ſit, ab hoc pileo Macedonico galeros Epiſcopales, Cardinalitiosque fortaſſe originem traxiſſe ſuſpicari licet. Nam apud Græcos Eccleſiam Catholicam primum quam maximè floruiſſe, ex Græcorum Latinorumque hiſtoriis Eccleſiaſticis liquet: Eccleſiaſticas quoque dignitates, ordinem, atque ornamenta à Græcis accepiſſe, non immeritò conjectari poteſt.

Diadematis latitudinem ad ſeptem, vel octo digitos, ſeù amplius, & longitudinis quoque non mediocris extitiſſe, ita ut non ſemel tantum, ſed iterum atque iterum illo circumcingeretur caput, non obſcurè ex Plutar. in Lucul. colligitur: cum de Monima Mileſia uxore Mithridatis agit, cui mortis genus eligendum in ejus libera voluntate Mithridates repoſuit, quod de regno, ſuiſque rebus jam actum eſſe intelligeret. *Cum adveniſſet Bacchides*, inquit, *& ipſis*, id eſt, *Regiis mulieribus imperaſſet, ut quod cuique facillimum & gratum eſſet genus mortis eligerent, avulſum à capite diadema*, ſupple Monima, *collo circumligavit, & ſe ipſam ſuſpendit: quo cito confracto, ô execrabilis, inquit, faſcia, neque ad hoc mihi utilis fuiſti.* Quo ex loco plane colligitur, diadema fuiſſe faſciam, ſeù vittam ſatis oblongam, quæ laquei miniſterium ad ſuſpendium fungi poſſe à Monima cenſeretur: eo enim circumligari collum, tignoque aliquo non mediocri convolvi neceſſe erat, ut corpus medio in aëre pendens ſuſtentaretur: ad quæ idoneum dum à Monima in illa rerum deſperatione adjudicatur; nobis ſufficiens argumentum præſtitit; ut latum, longumque fuiſſe diadema intelligeremus.

Sunt etiam pro diadematis longitudine, ac latitudine argumenta non pauca, quæ ex veterum ſcriptis non minima conjectura colliguntur. Pompejo enim crimini datum fuit, quod ulceris cauſa faſciolam cruri alligatam detuliſſet. Ita Ammian. Marcel. lib. 17. hiſtoriarum. Affirmabat enim Favonius apud Valer. Max. lib. 6. cap. 2. nihil referre, qua in parte corporis diadema geſtaretur. Quod etiam L. Metellus ulceris cauſa frontem faſcia circumdediſſet, Diademati nomen tuliſſe auctor eſt Alex. ab Alex. lib. 1. gen. dier. cap. 28. & Rhodigio lib. 24. cap. 6. & alii plures. Alexandrum quoque Magnum ſibi diademate detracto vulnus alligaſſe, quod eo

A deſiliente ex equo Lyſimachus in fronte acceperat, referunt alii: quo etiam regnum eidem portendiſſe tradunt; eventuque omen comprobatum ſcimus. Quibus argumentis, diadematis nomine faſciam aliquam, ſeù inſtitam, ſeù vittam intelligi ſatis longam, mediocriterque amplam, quæ ad ſuſpendium, & alligandorum vulnerum uſui eſſe poſſet, manifeſtum eſt.

Color in diademate non eſt contemnendus: quem purpureum apud aliquos extitiſſe Alexander lib. 1. gen. dier. cap. 18. ſcribit: album tamen apud exteros ut plurimum fuiſſe, conſenſu ſcriptorum omnium comprobatur. Etenim faſciam candidam, qua
B tempora præcingerentur, antiquorum Regum coronam fuiſſe, ex Magorum picturis, qui Chriſtum Servatorem noſtrum Bethlehem adoraturi venère, colligit quidem, (neſcio an rectè) Wolfang. Laz. lib. 3. comment. Reip. Rom. cap. 18. Verùm diadematis color ex Plinio rectius expiſcatur, qui de apum rege lib. 11. cap. 16. verba faciens, *Omnibus forma*, inquit, *ſemper egregia, duploque cæteris major; pennæ breviores, crura recta, ingreſſus celſior, in fronte macula quædam diademate candicans.* Locus igitur, ac ſitus diadematis ad corporis uſum erat caput; cujus frons, ac tempora, diademate conſtringebantur; color autem albus fuit.

C Veterum quoque Romanorum monumenta, diadematis colorem album oſtendunt: etenim diadema, quo imperium alicui portenderetur, faſcia alba cenſebatur. Propterea auctore Sueton. cap. 79. in Cæſare, cùm quidam lauream coronam faſcia candida colligatam Cæſaris ſtatuæ impoſuiſſet, Tribuni plebis coronæ detrahi faſciam, & hominem in vincula duci juſſerunt. Hoc in Cæſare adulationis ſpecimen, M. Antonio, qui poſtea fuit Triumvir, inter Lupercalia Feneſtella lib. de ſacerd. Rom. cap. 1. tribuit. Bis autem coronam hanc cum diademate Cæſari impoſitam fuiſſe ex Scriptoribus colligitur: nimirum in ſacrificio Latinarum primo, deinde in
D Lupercalibus: tunc primum à quodam anonymo è turba, non Cæſari, ſed ejus ſtatuæ, demum ipſimet à Conſule M. Antonio. Sic enim de hac re Suetonius: *Nam cum ſacrificio Latinarum revertente eo inter immodicas ac novas acclamationes, quidam è turba ſtatuæ ejus coronam lauream candida faſcia præligatam impoſuiſſet; & Tribuni plebis Opidius Marullus, Cæſetiuſque Flavus coronæ faſciam detrahi, hominemque duci in vincula juſſiſſent &c.* Et infra: *Et Lupercalibus pro roſtris à Conſule Antonio admotum ſæpius capiti ſuo diadema repulerit, atque in Capitolium Jovi Opt. Max. miſerit &c.* Hæc Suetonius de diademate à Cæſare bis rejecto.

E Tribunorum fremitus nobis in re erit; ut in eo diadematis, atque coronæ dignitas advertatur: & inter diadematis, coronæque dignitatem diſtinctio contempletur. Fremebant enim populus atque Tribuni; non quidem quod corona Cæſari, aut ſtatuæ illius imponeretur: hanc enim Cæſari deberi non negabant; ſed quod faſcia candida corona alligaretur; atque una cum corona, diadema quoque eidem imponeretur. Hoc non lætis oculis ſpectabant. Quamobrem non coronam, ſed faſciam à corona detrahi juſſerunt, hominemque in vincula duci mandarunt: quod Principatum in Republica Romana eidem Cæſari, non corona, ſed diademate homo ille auſpicari videretur.

F Aperit nobis rumor iſte Tribunorum, quod adhuc de forma diadematis inquirendum ſupererat: num videlicet ea ratione diadema caput alicujus cingeret, ut nihil ſupereſſet: an verò cingendo caput, aliquid illius in occipitio fluitaret: quod ſanè poſtremum certiſſimum puto. Nam tria erant coronarum genera, tam apud Græcos, quam apud Latinos.

Flo-

Floreis enim coronis in conviviis deliciarum de cauſa coronabantur, quæ potius ſerta, quam coronæ dicebantur: lemniſci autem appellabantur vittæ illæ, quæ in occipitio coronarum pendebant. Perſpicua ſunt hæc ex illo Plutarchi in Sylla dicentis: θύσαντι μὲν εὐθέως ἡ διέβη περὶ τάραντα, δάφνης στεφάνου τύπον ἔχων ὁ λοβὸς ὤφθη, καὶ λημνίσκων δύο καθηρτημένων. Hoc eſt: *Nam illicò ſacrificanti, quo decurrerat apud Tarentum, extremum jecur coronæ laureæ ſpecie viſum eſt, & lemniſcorum binorum ex illa dependentium.* Ubi loquitur de fibris in viſceribus victimæ, in quibus laurea corona apparuit; cujus ramuſculi conſtringebantur vinculis, quorum extrema in occipitio colligata conſpiciebantur: Hi autem lemniſci addebantur etiam laureis; ut in nummis videre licet, quos quidem auguſtiſſimos extitiſſe arbitror.

Aliud coronarum genus erat, quod lauro, oleaſtro, aut aliqua alia planta compingebatur, ad ornandum victores in ludis ſeù triumphis; quorum filamina, quæ ad conſtringendum ramuſculos coronarum adponebantur, licet fortaſſe lemniſci aliquando appellarentur: propriè tamen philyræ, ſeù ſcirpi, aut filamina vocabantur: de quibus illud Horat. lib. 1. Carm. Od. 38.

Perſicos odi puer apparatus,
Diſplicent nexæ philyra coronæ.

Et hæc ipſa fortaſſe ſtrophiola dicebantur. Ita Solinus, καὶ ἐν τῇ τῶν στεφάνων ἀναδέσει. Id eſt: *Et in colligandis coronis*, ſupple ſtrophiis &c. De Strophio enim loquebatur Solinus. Eſtque etiam apud Herodotum, καὶ στρόφιον περὶ τὴν κεφαλὴν, id eſt, *Et Strophium circa caput.* Eſt enim Strophion, inquit Suidas, στρογγύλον ζωνάριον, id eſt, *teres zonula.* Silum latinè, *cordoncino* diceremus Italice. Verum de ſtrophio videant doctiores: ipſe enim his motus rationibus, ac teſtimoniis, lemniſcorum nomine accipienda putavi filamina, quibus plantarum ramuſculi ad coronarum uſus adſtringebantur.

Tertium genus coronarum metallicum fuit, ex auro nimirum, ſeu argento; ad quod nec ſtrophiorum, nec lemniſcorum, neque vittarum opus erat: Quamobrem vittas illas ampliores coloris albi, quæ in occipitio Imperatorum fluitabant, & lemniſci proprie dicebantur, & neque colligandis ſertis, neque conſtringendis ramuſculis uſui erant, ad diadema pertinuiſſe proculdubio arbitror. Satis perſpicuum, me judice, id fit auctoritate Feſti, qui de lemniſcis ait: *Lemniſci, id eſt, faſciolæ coloriæ dependentes ex coronis, propterea dicuntur, quòd antiquiſſimarum genus coronarum lanearum.* Cujus loci obſcuritas ex dictis illuſtratur: colorias nimirum dici eas faſciolas quia unius tantum coloris albi erant. Id ipſum fermè tradit Iſidorus lib. 19. 130. his verbis: *Hujus* (de corona loquitur) *principium à Libero quodam Gentiles exiſtimant, quod is in potando, mota vino capita vincire faſciolis inſtituerit; idcirco olim linei ac lanei generis coronas fuiſſe.* Dixit ergo Feſtus, lemniſcos fuiſſe faſciolas colorias, nempe laneas, ac proinde albas; quia nullo colore infectæ erant; ſed ejuſdem materiæ cum coronis è quibus dependebant. Cum enim coronæ, ſeù verius diademata, eſſent lanea vel linea: ne rei additamentum eſſent; graviores lemniſci quoque, id eſt, vittæ in occipitio fluitantes, & ad humeros uſque pendentes, laneæ ac lineæ erant. Et has quidem vittas à laurea corona Cæſaris diſtrahendas, juſſiſſe Tribunos puto: cum in ludis, ut vidimus, aliquando ab adulante coronaretur.

Sed ut hæc clariora fiant, ſingula in ſingulis Gentibus regalia capitis ornamenta, quantum fieri poteſt, proſequamur, à Perſica tiara ſumpto exordio. Cum enim apud Perſas, tiara à Rege recta, at à regiis filiis inclinata deferretur; ut hæc ipſa ca-
A piti fortius adhæreret, eidemque conſtringeretur, faſciam ſeù vittam ad limbum ejuſdem adhibere neceſſe fuit, per quam eidem capiti tiara non ſolum conſtringeretur, ſed etiam ſuſtentaretur; vittaque ipſa non tam ad uſum, quam etiam ad capitis ornamentum faceret. Quapropter Regis Perſarum geſtamen præter elevatam tiaram, diademate quoque redimitum extitiſſe ratio ſuadet. Auctoritati quoque Xenophon. lib. 8. de pædia Cyri noſtra conjectura innititur, qui de Cyro loquens ait: ἐπὶ δὲ τούτοις ἤδη αὐτὸς ἐν τῶν πυλῶν προυφαίνετο ὁ κῦρος ἐφ' ἅρματος, ὀρθὴν ἔχων τὴν τιάραν, καὶ χιτῶνα πορφυροῦν μεσόλευκον. (ἄλλῳ δ' οὐκ ἔξεστι μεσόλευκον ἔχειν,) καὶ
B περὶ τοῖς σκέλεσιν ἀναξυρίδας κυσσινοβαφεῖς, καὶ κάνδυν ὁλοπόρφυρον. εἶχε δὲ καὶ διάδημα περὶ τῇ τιάρᾳ. Hoc eſt: *Poſt hæc autem jam ipſe Cyrus apparebat ex portis ſuper currum; rectam tiaram habens, & tunicam purpuream ſemialbam (alteri verò ſemialbam geſtare non licet) & circum crura ſubligacula colore hederaceo tincta, & totum purpureum candim. habebat etiam diadema circum tiaram.* Quibus Xenophontis verbis perſpicuum eſt; apud Perſas tiaram caput Regis tegere, & diadema tiaram circumcingere ſolitum, ejuſdem, ut puto, vel ſimilis formæ quam P. 456. videre eſt.

Græcos etiam uſos fuiſſe diademate, ex duplici geſtamine, quo athletas aliquando ornare conſueve-
C rant, ſuſpicari poſſet, veterum ſcriptorum auctoritate: nam quos virtute bellica, Regio ſive Imperatorio ornatu dignos Græci agnoviſſent, vitta quadam, ac etiam aurea ornabant corona: vitta quidem, qua quotidie tam publicè, quam privatim uterentur; corona verò, quam in ſolemnioribus tantum diebus geſtarent. Id ita colligi videtur ex Thucydid. lib. 4. hiſtor. cum narrat, quod Sicyones, qui ab Athenienſibus defecerant, & Lacedæmonibus ſe dederant, ut Braſidam publice, ac privatim honoribus proſequerentur, vitta & corona aurea donarunt: indulſeruntque ut tam privatim quam pu-
D blicè vitta uteretur; corona autem aurea tunc tantum, cum regia majeſtas in ſolemnioribus diebus oſtentanda foret. Hoc ita Thucydides. καὶ τὸν βρασίδαν τά τ' ἄλλα καλῶς ἐδέξαντο, καὶ δημοσίᾳ μὲν χρυσῷ στεφάνῳ ἀνέδησαν, ὡς ἐλευθεροῦντα τὴν ἑλλάδα, ἰδίᾳ δὲ ἐταινίουν τε, καὶ προσήρχοντο ὥσπερ ἀθλητῇ. Hoc eſt: *Et Braſidam cum aliis rebus honorificè acceperunt, tum etiam publicè quidem aurea corona redimiverunt, ut Græciæ liberatorem; privatim verò tæniis coronabant, & ad ipſum ut ad athletam accedebant.* Ex quo Thucydidis loco illud duplex geſtamen Græco-
E rum perſpicuum eſt. Sed ſitne accipiendus Thucydides de diademate, viderint alii; loquitur enim de tæniis, quæ quidem à diademate aliud erant, de quibus ita Franciſcus Portus in commentario hujus loci: *Solent enim in ludis ſpectatores acclamare certatoribus victoriam adeptis; & ſerta, & corollas in eos jacere.* Has itaque corollas tæniarum nomine in Thucydide videtur intellexiſſe Franciſcus: ſed quia tæniarum nomine nihil aliud intelligi poteſt, quam faſciæ, quæ per tempora, & frontem caput circumligabant, atque in occipitio fluitabant; propterea de his Thucydidem accipi poſſe dixi. Sed quicquid ſit de Thucydidis loco; quæ à nobis jam ſupra dicta fuere, pro diademate Græcorum ſuffi-
F cientiſſima præſtant argumenta.

Diadematis uſum à primis uſque temporibus Romanæ Reipublicæ penes Reges extitiſſe ſcribit Dionyſius Halicarnaſ. lib. 3. & de regio diademate Servii Tullii ſunt verſus Juven. Sat. 8.

Ancilla natus trabeam, & diadema Quirini,
Et faſces meruit Regum ultimus ille bonorum.

Sunt etiam numiſmata aliqua, in quibus hi Reges diademate redimiti conſpiciuntur: ut videre eſt

apud

apud Anton. Auguſt. pag. mihi 129. & 130. ubi Romuli, Numæ Pompilii, & Anci Martii capita cum diademate viſuntur. Sed Republica poſtmodum ad ordinem redacta ſub unius regimine, Imperatores diademate uſos negant aliqui. *Sequutos poſtea Cæſares* inquit Alex. ab Alex. auctoritate, ut puto, Aurelii Victoris & Eutropii: *Diademate minimè uſos comperimus; imò omne decus regium, & invidioſum devitaſſe: quippe nomen regium alibi magnum, Romæ verò intolerabile fuit. Frequens enim apud eos laurea capitis decorum, & diſtincta radiis corona, ac purpurea chlamys, inſignia imperii fuere. Tametſi poſt temporum intervalla, ex Cæſaribus Aurelianum Cæſa-*
A *rem præter mores inſtitutaque majorum diadema uſurpaſſe, eoque inſigni primum uſum fuiſſe legamus.* Hæc ille. Verum mihi valde ſuſpecta hæc ſunt: Nam diadema dictam fuiſſe faſciam capiti alligatam, cujus extrema in occipitio penderent ac fluitarent, jam vidimus, extremaque ipſa lemniſcos dicta oſtendimus. Capita autem Romanorum Imperatorum, ſive quercina, ſive laurea, ſive myrtea, ſive radiata corona ornata in nummis conſpiciantur; in occipitio fluitantes vittas habent, & vix aut numquam conceditur ea capita in nummis ſine his vittis fluitantibus conſpici. Afferam hic nonnulla numiſmata, ut certiora & apertiora hæc fiant.



I: Goeree del: et fec.

Quæ quidem vittarum extrema in occipitio fluitantia ad diadema pertinuiſſe indubitatum arbitror. Nam quamvis P. Claudius Pulcher auctore Plinio lib. 21. cap 3. primus celare lemniſcos inſtituerit: puri tamen hi diù fuerunt; ut Plinius ibidem tradit, nimirum lanei, vel ex lino, ſicut dicebamus. Nec enim ad conſtringendam coronam adhibitas fuiſſe vittas illas, me judice, affirmari licet, cum plura numiſmata habeantur, in quibus caput coronatum laurea, vel ilignea corona ſine illis ſubligaculis, aut vittis apparet. Sunt lapides plures, in quibus ſacrificia inſculpta cernuntur, & coronati ſacrificant, cum tamen in occipitio nihil fluitet. Nummus eſt Cæſaris ilignea corona coronati ſine fluitantibus vittis apud Ant. Aug. pag. 59. Capionis etiam eſt alter nummus cum laurea pag. 4. alter eſt pag. 6. cum corona quercea & lemniſcis ad colligandam coronam; ſed minimè fluitant. Alia multa numiſmata pariter viſuntur ſine illis vittis, quæ in occipitio Imperatorum fluitent. Aureus quoque nummus Cæſaris pag. 56. viſitur corona laurea coronati: ſimiliter quercea, nec non etiam ſpicea coronatus Cæſar apparet ſine ligaculis: cum tamen hæ coronæ aliqua colligatione potiſſimum indigerent. Quòd etiam faſciæ in occipitio coronarum fluitantes in capitibus Imperatorum ad diadema pertinerent; à forma diadematis poteſt hauriri, quod coronis adeo debitum cenſebatur, ut apud Græcos in ludis ſub corona ex oleaſtro, aut apio, caput victoris prius mitra ſeu diademate cingeretur, quod εὔμαλλον dicebatur. Auctorem habemus faſciæ, ſeù diadematis coronis ſuppoſiti Pindarum in Iſthmiis Idyl. 5. quod eſt in lau-
D dem Phylacidis Æginetæ: per converſionem ad Muſam, quam jubet afferre Phylacidæ coronam, vittam, ſeu diadema, & carmen ait:

Λάμβανέ οἱ ϛέφανον·
Φέρε δ' εὔμαλλον μίτραν·
Καὶ πτερόεντα νέον
Σύμπεμψον ὕμνον.

Hic Scholiaſtes illa verba εὔμαλλον μίτραν exponit ταινίαν περιπλεκομένην τοῖς ϛεφάνοις, & ſic locum emendat & bene Schmidius, qui Pindari locum ſic interpretatur:

E *Accipe ei coronam,*
Ferque laneam ac villoſam mitram,
Et alatum novum
Una mitte hymnum.

Argumentum etiam pro diademate Romanorum ſumere poſſumus à numiſmatibus, in quibus capita Imperatorum conſpiciuntur cum corona radiata: in his enim vittæ fluitantes in occipitio conſpiciuntur; quas tamen certum eſt ad conſtringendam capiti coronam minimè deſervire, ſed potius ad diadema pertinuiſſe. Radiatæ enim coronæ aureæ, vittæ nulli uſui erant. Non video igitur, quid de illis
F vittis in occipitio Imperatorum fluitantibus affirmari poſſit, quoties capita coronata in nummis habentur; niſi ad majeſtatem Imperii oſtendendam conſueviſſe Imperatores uti diademate, eoque ad caput colligato, antequam eidem corona imponeretur. Afferam hic numiſmata Veſpaſiani, quæ ſunt apud me.

Cum

Cum tamen apud Anton. Auguſ. pag. 59. in nummo argenteo M. Antonii caput cum corona radiali ſine vittis fluitantibus ſpectetur: quemadmodum etiam in aliis nummis capita Conſulum, ad quos Imperium Reipublicæ non erat tranſlatum, coronata, ſed ſine infulis conſpiciuntur. Et quamvis poſtmodum ſub unius poteſtatem tranſlatum fuerit Imperium, ut in Cæſare; tamen ad populi invidiam vitandam illi omnes à diademate abſtinuerunt. Aurelianum autem diademate primum fuiſſe uſum, non ſolum ut anteceſſores in publicis ludis, & pompis, ſed etiam in privatis ædibus admitterem: hocque tanquam novum ab Aurelio Victore, & ab Eutropio reprobari in Aureliano puto, in quo Alexandrum ab Alexandro deceptum arbitror. Quæ probabiliora mihi videntur deprompſi: doctiores doctiora excogitabunt, quibus ſubſcribam, & acquieſcam.

Perſpicuum igitur eſt, quod quamvis varia, atque diverſa fuerint Regum inſignia, ac Principum capitis ornamenta, quibus principatus majeſtas oſtendebatur, corona nimirum, pileum Macedonicum, tiara Perſarum, & Armeniorum, Cidaris aliorum, aliaque hujus generis ornamenta: nihilominus inter reliqua vitta, qua reliqua conſtringebantur, ut capiti firmius hærerent, atque in occipitio Principis fluitaret; & diadema communi voce appellabatur, primam ſedem occupavit. Quamobrem quotieſcunque in nummis Romanorum caput alicujus Principis à temporibus Auguſti, & infra coronatum conſpicitur, ſive corona radiata, ſive quercea, ſive laurea, ſive hederacea, ſive oleaginea, aut alia ex quocumque genere, fluitans diadema coronæ illi annexum atque alligatum conſpicitur.

CAP. XXXIX.

Reges Iſraëlitas diademate uſos fuiſſe monſtratur.

Ad loca 3. Reg. cap. 1. *Stanſque ſuper eum, occidi illum, ſciebam enim quod vivere non poſſet poſt ruinam: & tuli diadema, quod erat in capite ejus, & armillam de brachio illius, & attuli ad te Dominum meum huc.* Pſal. 21. *Poſuiſti in capite ejus coronam de lapide pretioſo.* Et ad alia.

RELIQVVM eſt videre, fueritne coronæ, aut diadematis uſus apud Iſraëlitas. At hoc explicari nequit, niſi ſigillatim regii capitis ornamenta apud Iſraëlitas explicentur: illa nimirum, quorum ſacræ litteræ meminere; nam ex illorum vocabulis, & penitiori ſignificatione formam quoque expiſcari oportet. Vocabula verò ſunt hæc: מִצְנֶפֶת *miznepheth* צָנִיף *tſaniph* צְפִירָה *tſephirah* עֲטָרָה *gnatarah* כֶּתֶר *chether*, נֵזֶר *nezer*. Nec alia vocabula, me judice, in ſacris oraculis habentur; quibus ornamenta capitis Sacerdotum, ac Principum ſignificentur, ad decorem, majeſtatemque tam regiam, quam ſacerdotalem demonſtrandam. Nam illa vox פְּאֵר *peher*, potius ornamentum in genere, quam aliquod ſpeciale ornamenti genus ſignificat.

Diſcutiantur igitur ſingula, ſecludendo prius ea vocabula, quæ parum, vel nihil ad rem noſtram faciunt; à pileo minorum Sacerdotum ſumpto exordio, qui ſemper כֶּתֶר *chether*, vel generaliori vocabulo פְּאֵר appellatur כֶּתֶר *chether* à verbo כָּתַר *chatar* derivatur, quod *cingere* & *circumdare* ſignificat. Verum in ſacris litteris, quod hoc vocabulo ſignificatur, ad regias perſonas minimè pertinuiſſe videtur; A niſi ubi de muliebri capitis ornamento fuerit ſermo. Quamobrem cap. 1. 2. & 6. lib. Eſther, in quo tragica illa hiſtoria Vaſthi Reginæ refertur, quæ regno, dignitateque regia expoliata Eſtheris fortunam adminiſtravit: quoties enim in eo de corona Regni ad ornatum Vaſthi aut Eſtheris agitur; toties corona illa femineo vocabulo כֶּתֶר *chether* appellatur. Similitudine vero, ut puto, ſumpta à corona, qua Reginæ coronabantur. Columnarum quoque capitella, quæ ad inſtar coronæ in vertice columnarum ſuperimponuntur, columnamque cingunt, כֹּתֶרֶת *cotheretb* appellantur; ab eadem voce כָּתַר *cathar* derivato vocabulo. Quamobrem lib. 3. Reg. præſertim cap. 7. in quo de fabrica ſacri templi Hieroſolymitani eſt B ſermo; ſacer textus ea utitur voce, quoties de capitellis columnarum agendum eſt; cum tamen in totis ſacris Bibliis, hujus vocabuli uſus ad ſignificandum Regis coronam nullibi reperiatur. Nobis igitur, qui Regis, non autem Reginæ declarandum ſuſcepimus diadema, in ea voce nequaquam immorandum erit.

Revertamur ergo ad ea ornamenta, quæ Reges reſpiciunt; ex quibus vocabula ad hæc explicanda ſatis perobſcura habentur, ac primirum צְפִירָה *tſephirah*. Cujus ſanè vocabulum licet aliquod capitis ornamentum ſubindicet, propria tamen ejus ſignificatio etiam à Rabbinis ignoratur. Ornamentum autem C capitis præſtantiſſimum ea voce ſignificari, ex Iſaja cap. 18. colligitur; ubi Deus de reſtauratione Judaici populi loquitur dicens: *In die illa erit Dominus exercituum corona gloriæ, & ſertum exultationis reſiduo populi ſui.* Ubi in Hebraico textu eſt וְלִצְפִירַת *velitſpirah* pro ſerto, græca quoque exemplaria πλεκεὶς habent in eadem ſignificatione, id eſt, conſertum gloriæ: ex qua phraſi loquendi de capitis ornamento agi, & ſertum ſeù coronam ea voce ſignificari, manifeſtum eſt. Et quia à voce צָפַר *zipar* derivari illud vocabulum plurimi tradunt; propterea foliculum, ſeù folia, quæ citò matureſcunt ſignificari autumant: ſertum fortaſſe ex floribus contextum, quale eſt, D quod *Ghirlanda* Italicè dicitur.

Verum, ut dicam breviter quod ſentio, cum ad tiaræ Pontificiæ limbum corona à tempore ad tempus per occipitium diſcurreret, (ut apud Joſephum legitur;) in qua corona tres calyculorum ordines viſebantur; qui calyculi quorumdam florum ſimilitudinem habebant; propterea ad hoc præcipuum ornamentum Pontificiæ tiaræ, in his poſtremis verbis, non autem ad regiam coronam, de qua in prioribus jam meminerat, Deum reſpexiſſe puto, cum dixit Iſajas 28. ſe futurum populo ſuo לַעֲטֶרֶת צְבִי וְלִצְפִירַת תִּפְאָרָה hoc eſt, *ad coronam decoris, & ſertum honoris.* Quaſi voluerit Deus ſignificare E ſe reſtauraturum in eo populo, majeſtatem Sacerdotalem, ac Regiam. Illi enim calyculi ad limbum ſacerdotalis pilei, gemmis ubique referti aderant: ut gemmæ lapideſque pretioſi, qui intra inciſuras calyculorum claudebantur, ſplendorem ac fulgorem longe, lateque diffundendo, majeſtatem oſtentarent. Niſi potius velimus, hæc à Deo fuiſſe dicta ad plenum, atque perfectum gaudium ſubindicandum, & tranquillitatem ac pacem, quibus in illa Iſraeliticæ gentis reſtauratione reliquæ duæ tribus frui debebant, Deo populum, ac Regem pro- F tegente. Quamobrem per reſpectum ad Regem dictum puto in textu, *Erit Dominus exercituum corona gloriæ;* & per reſpectum ad pacem, cujus occaſione populi nuptiis ac conviviis operam dare conſueverunt, & juxta antiquum morem ſertis inter pocula coronari, ſubdidiſſe arbitror, *& ſertum exultationis reſiduo populi ſui.*

Aliud ornamentorum genus, quod ſolius Regis erat apud Iſraëlitas עֲטָרָה *gnatarah*, vel עֲטֶרֶת *gnatereth* in

in ſacris dicebatur litteris (utriuſque enim vocabuli uſus habetur) derivatur autem vox illa à radice, & verbo עָטַר *gnatar* quòd *circumdedit*, & *cinxit*, ſeù *coronavit* interpretatur, & corona à coronando, ſeù cingendo capite ea voce ſignificatur. In ſacris autem litteris promiſcuè ſumitur pro quocunque genere coronarum, tam ad ſacros, quam ad prophanos uſus. Hinc Cantic. 3. ſponſa invitans filias Jeruſalem ad contuendum Sponſum nuptiali corona præfulgidum dicebat: *Filiæ Jeruſalem venite, & videte Regem Salo-nem in diademate, quo coronavit eum mater ſua in die deſponſationis &c.* ubi pro diademate in Hebræo eſt dictio illa עֲטָרָה *gnatarah*.


Significatum vocis מִצְנֶפֶת *mitsnepheth* quod erat præ cæteris dignius, inquirere oportet. Ornamentum capitis Summi Sacerdotis, ea voce ſignificari conſtat: quod ex vitta byſſina capiti eidem circumvoluta fiebat. Liquet hoc ex illo Iſa. 22. צָנוֹף יִצְנָפְךָ צְנֵפָה כַּדּוּר Hoc eſt: *Circumvolvendo circumvolvet te ſicut pila.* Vel, ut Tigurina habet, *circumligando circumligabit te.* Cujus loci variæ cum ſint expoſitiones, omnes tamen circulum in eo agnoſcunt ad geſtamen, & ornamentum capitis, quod Reges, & Sacerdotes orientales geſtabant, ex faſcia ſæpius circumvoluta, complicata, & in ſphæræ ſimilitudinem conglobata: quod etiam agnovit Gaſpar Sanctius in Iſajæ loco citato.

Tota hujus geſtaminis ſtructura auctoritate perobſcuri Joſephi, & ex ſacris comprobatur oraculis. Quod enim illud geſtamen per conglomerationem alicujus vittæ byſſinæ fieret, manifeſtum eſt, tum ex vi vocabuli מִצְנֶפֶת *mitsnepheth*, tum etiam ex cap. 16. Levit. in quo de veſtibus Summi Sacerdotis agitur; quibus veſtiebatur quoties abditum Sanctuarium ingrederetur, diciturque: *Cidarim lineam imponet capiti* Hebraicè ſic וּבְמִצְנֶפֶת בַּד id eſt, *& in mitsnepheth lineo.* Mitsnepheth lineum ornamentum erat, quod capiti Sacerdotis circumvolvendo aptabatur. Græca autem exemplaria materiam ac formam *mitsnepheth* magis aperiunt, juxta ea, quæ in Hebraico habentur ſic legendo: καὶ κίδαριν λινῆν περιθήσεται. Id eſt: *Et cidari linea circumvolvetur*, ſupple caput: de cujus forma circumvoluta, ita Joſeph. lib. 3. cap. 8. τῇ δὲ κατασκευῇ τοιοῦτος ἐστὶν ὡς στεφάνη δοκεῖν ἐξ ὑφάσματος λιναίου ταινία πεποιημένη παχεῖα, καὶ γὰρ ἐπιπτυσσόμενον ῥάπτεται πολλάκις. Et quia dictio ταινία ſignificat idem quod diadema fluitans, nimirum vitta, & vox παχεῖα aliquid craſſum; propterea texturam hujus operimenti per modum ejus, quod dicitur Italicè *turbante*, extitiſſe putamus. Joſephi verba ſic interpretantur. *Paratur, autem ſic, ut corona videatur; & vitta linea ſæpe in orbem replicata, & conſuta.* Altera tranſlatio ex impreſſione Gryphii Lugdunenſis cap. 11. ſic habet. *Et tale eſt, ut videatur ex lini textura confectum; habens vittas, quæ involutæ ſæpius connectuntur; ne facile dilabatur.* Hujus tegumenti formam hac icone expreſſimus.

Huic autem vittæ hac ratione circumvolutæ ſuperimponebantur duo pileoli, vel velum, & pileolum, ut docet Joſephus, alter ex byſſo, ne futurarum deformitas appareret, de quo ita Joſephus loco citato cap. 11. in codicibus latinis ex impreſſione Gryphii 1539. dum loquitur de pileo minorum Sacerdotum: *Deinde aliud unum velamen deſuper circundatur*, ſupple pileus prior; *deſcendens uſque ad inferiora barbæ, celans pilei illius ligaturas, & totam capitis ſuperficiem; aptaturque perfectè, ne laborante Sacerdote circa ſacrificia corruat.* Quo videtur ſignificare auctor, hoc alterum tegumentum non fuiſſe pileolum, ſed velum quoddam deſcendens fere uſque ad Sacerdotis humeros. Græcus autem textus ſic habet: ἔπειτα σινδὼν ἄνωθεν αὐτὸν ἐκπεριέχεται διήκουσα μέχρι με-

A τώπου, τῆς τε ῥαφῆς τῆς ταινίας, καὶ τὸ ἀπ' αὐτῆς ἀπρεπὲς καλύπτουσα, καὶ ὅλῳ δὲ τῷ κρανίῳ γιγνομένη ἐπίπεδον. Quem locum alii ſic transferunt: *Deſuper autem alia tela integitur*, nimirum pileus, *uſque ad frontem deſcendens, & per ſuperficiem verticis ſuturarum deformitatem occultans.* Et quidem ex verbis Græcis textus, non video velum jam dictum; ſed pileolum aliud ex tela confectum, & tegens impoſitum jam tegumentum uſque ad frontis partem, & ſuturam tæniarum tegens, atque illius indecentiam, & totum cranium faciens firmum. Sic ad verbum ſonat locus Joſephi, cujus pileoli, hanc ſecundam iconem dedimus.

B



C

D Alter pileolus cæteris dignior & ſolius Pontificis, hyacinthinus erat, opere phrygionico ſplendidus; ut cœleſtis globus in eo configuraretur. Jta lib. 3. antiq. cap. 8. in Græcis exemplaribus apprimè docuit Joſeph. his verbis: πῖλος δὲ, inquit ἦν μὲν ὁ καὶ πρότερον αὐτῷ παραπλησίως εἰργασμένος τοῖς πᾶσιν ἱερεῦσιν. ὑπὲρ αὐτὸν δὲ συνεῤῥαμμένος ἕτερος ἐξ ὑακίνθου πεποικιλμένος. Quem locum ſic interpretatur editio Gryphiana Lugdunenſis anni 1539. *Pileum autem priori ſimilitudine operatum habet Pontifex, ſicut reliqui Sacerdotes, & alium conſutum ex hyacintho variatum.* Sed interpres novus, qui editus eſt una cum Græco textu, ſic habet: *Porrò pileo*, inquit, ſupple utebatur Summus Sacerdos, *quali cæteri Sacerdotes utebantur: ſuper quem extabat alius conſutilis ex hyacintho variatus.* Et in fine ejuſdem capitis, talis pileoli rationem aſſignans ſubintulit: *Pileus item cœli ſignificationem videtur habere, cum ſit ex hyacintho confectus, alioquin non ſuſtineret Dei nomen.* Cujus pileoli acu pictam hanc damus iconem, & tertium veluti digniori, ac ſanctiori locum illi conſignavimus.

E

Hic ipſe pileus, qui *mitsnepheth* Hebraice, & communi vocabulo vulgati interpretis *cidaris* dicitur, & צָנִיף *tſaniph* Hebraicè interdum, à verbo צָנַף *tſanaph* appellatur; quod, ut vidimus, circumgyrare involvendo aliquid ſignificat; & ab eadem etiam voce

F Summi Sacerdotis pileum, nomen *mitſnepheth* accepiſſe tradidimus. Vocabulo verò צָנִיף *zaniph* idem tegumentum in ſacris ſignificatur oraculis cap. 3. Zachariæ: in quo ſermo eſt de Jeſu ſummo Sacerdote, quem Deus ornari tiara Sacerdotali jubet, dicens: *Ponite cidarim mundam ſuper caput ejus; & poſuerunt cidarim mundam ſuper caput ejus.* Hebraicè pro cidari eſt vox illa *tſaniph* צָנִיף Quamobrem *tſaniph*

niph ad ornamentum capitis Sacerdotis Summi pertinuiſſe ad ſummam majeſtatem oſtendendam, unumque cum eo, quod *mitſnepheth* appellari docuimus, perſpicuum eſt.

At ſi diſcrimen aliquod ſubodorari conceditur inter מִצְנֶפֶת *mitſnepheth*, atque צָנִיף *tſaniph*, quæ duo vocabula, ut vidimus, ab eodem verbo צָנַף *tſanaph* derivantur; illud, me judice, ſubodorari poſſet: quod nimirum מִצְנֶפֶת *mitſnepheth* pileum magnum, & ampliori, longiorique vitta conglomeratum ſignificaret, per cidarim paſſim à Septuaginta interpretibus explicatum, quod nos Italicè turbante dicimus. At vero צָנִיף *tſaniph* alia minor vitta hyacinthina, qua capiti atque coronæ ſacrum Nezer adſtringebatur, repræſentaretur; (de qua ſtatim dicemus) quæ proprie tam à Græcis, quam Latinis diadema dicebatur: quia nimirum ea vitta caput circumligabatur, & ſacrum *Nezer* coronæ firmabatur, ne delabi poſſet.

Ducor etiam in hanc ſententiam auctoritate Græcorum exemplarium, quæ cap. 62. Iſaiæ in illis verbis: *Et eris corona gloriæ in manu Dei tui*, in quo pro diademate Latini Interpretis Hebraice habetur צָנִיף *tſaniph*, ϗ ἔσῃ ϛέφανος καλὸς ἐν χειρὶ κυρίȣ, ϗ διάδημα βασιλείας ἐν χειρὶ Θεȣ̃ σȣ, dixerunt. Hoc eſt: *Et eris corona bona in manu Domini & diadema regni in manu Dei tui.* Itaque quod Hebraicè צָנִיף *tſaniph* appellatur; tam Græcè, quam Latinè verè & propriè pro minori faſcia ex his, quæ in capite Summi Sacerdotis erant, illam vocem interpretantur: nimirum pro diademate quod unà cum corona Regium caput convolvebat; & eo tam corona quam pileum capiti, ut dicebam, adſtringebatur: in qua ſanè hyacinthina vitta & divino diademate in occipitio fluitante, tantum erat dignitatis, majeſtatis ac ſanctitatis, quod Sanctum Dei nomen ineffabile ejus vittæ miniſterio conſpiceretur; ut etiam cœleſtibus poteſtatibus aureæ laminæ de cauſa venerabilis eſſet.

Sed quia de diademate Romanorum, Græcorum, Perſarum, Parthorum, Magorum, & aliarum gentium propterea egimus, ut ab Hebræis ac Iſraëlitis reliquas omnes nationes, tanquam ab antiquioribus, illud capitis ornamentum mutuatas fuiſſe oſtenderemus: idcirco ex ſacris oraculis ſaltem ex noſtri Vulgati ſententia teſtimonia petendo, antiquior, & frequens diadematis atque coronæ uſus apud eos oſtendatur. Nam. 4. Reg. cap. 11. diadematis meminit ſacer textus, ubi de Joaſo ejuſque inauguratione ſcribitur his verbis: *Præduxit* ſupple Jojada, *filium Regis, & poſuit ſuper eum diadema, & teſtimonium, feceruntque eum Regem, & unxerunt.* Et Amalecites ille, qui interfecto Saule Davidem adiit 2. Reg. 1. ſic eum alloquitur: *Stanſque ſuper eum occidi illum: ſciebam enim, quod vivere non poterat poſt ruinam. Et tuli diadema, quod erat in capite ejus, & armillam de brachio illius, & attuli ad te Dominum meum huc.* Ita ibi. Diademate igitur Reges Hebræorum utebantur, ſaltem ex noſtri vulgati veriſſima, puriſſima, & antiquiſſima interpretatione, qua nulla verior.

Poſſet quis tamen ſuſpicari Davidem, ac Saulem regiæ coronæ, aut diadematis uſum neglexiſſe; tunc ſaltem, cum primo regni clavum acceperunt, Regeſque inaugurati fuere: ſumpto argumento ab eo, quod lib. 2. Reg. cap. 12. & lib. 1. Paralip. cap. 20. David expugnata urbe Rabath, coronam Regis illius, quæ talentum pendebat, abſtuliſſe, ſibique impoſuiſſe referatur. Quamobrem corona hac inauguratum Salomonem cenſet Pineda lib. 6. de reb. Salom. cap. 2. in fine. Sed quicquid ſit de Salomone, ſecùs omninò à Pineda cenſeo, tam de Regibus, qui Salomonem præceſſerunt, quam de his qui eum ſubſecuti ſunt. Quamobrem Saulem primum,

A & Davidem poſtmodum diademate redimitos, coronaque ornatos, cum primum Reges renunciati fuere, certiſſimum arbitror. Omnibus enim Regibus Syriæ corona uti commune extitiſſe rectè affirmat Wolfang. lib. 8. comment. Reipub. Rom. cap. 14. Nomine autem Regum Syriæ Iſraëlitas quoque apud prophanos auctores accipi legentibus, quæ de Alexandro, Antiocho, Seleuco, Ptolemæo, & aliis Regibus illarum Regionum habentur, in Græcorum hiſtoriis perſpicuum eſt. Quod autem Saul, & David corona, ſeù diademate à regni exordio tegerentur, perſuaſum habeo ſacrarum litterarum auctoritate. Nam Amalecites ille, qui Saulem in-
B terfecit, ſe ab ejus capite diadema abſtuliſſe dixit, tuliſſeque illud ad David. Nec enim regium diadema à Rege auferre potuiſſet Amalecites, niſi Saul diademate uteretur: neque ad David illud tuliſſet, niſi Reges Iſraël diademate pro majeſtate regia uti conſueviſſent. Cum igitur David ſucceſſerit Sauli; illum quoque corona regia, ſeù diademate uſum fuiſſe, ratio ipſa ſumpta à regiæ majeſtatis, ac dignitatis decore, demonſtrat.

Præterea vocabula ipſa Hebraica, quæ in ſacris litteris ad regii capitis ornamentum ſignificandum
C habentur, adverſus Pinedam pugnant; atque Iſraëliticis Regibus, diadematis, coronæque uſum ab exordio regii principatus concedunt. Ea enim corona, qua utebantur Reges Iſraël, Saul nimirum, David, & Joaſus, ut liquet ex cap. 1. lib. 2. Regum & ex lib. 2. Paralip. cap. 23. ubi de Joaſi inauguratione agitur; Hebraicè נֵזֶר *nezer* appellatur: quo vocabulo diadema ſignificari infra oſtendetur. Cum igitur in ſacris litteris nullibi *nezer* נֵזֶר appellari eam coronam reperiatur, quam à Rege Ammonitarum Davidem abſtuliſſe ſcribitur, ſed *gnatarah* עֲטָרָה ut 2. Reg. habetur; propterea etiam ante devictum Ammonitam, Reges Iſraël corona uſos fuiſſe liquidò patet.

Nec moleſtiam aliquam alicui afferat, quod coro-
D nam Regis Ammonitarum ſibi David impoſuiſſe ſacra tradant oracula: poſſumus enim exiſtimare impoſuiſſe ſibi David illam coronam more triumphantium, qui nimirum, expugnata jam aliqua urbe, & parta de Rege, regnoque Ammonitarum victoria more triumphantium urbem eſt ingreſſus. Eam enim expugnare Urbem tanti eo tempore penes Hebræos, viroſque de militari peritia bene meritos, æſtimabatur, ut Joab ſummus militiæ Imperator, quamvis obſidionem Urbis eo deduxiſſet, ut in illam pro libito jam ingredi, diuturnoque bello ultimam imponere manum poſſet; ejus tamen expugnationis gloria ut David reſervaretur; qui de ſtatu belli eun-
E dem certiorem faceret miſit; ac ad exercitum, caſtraque eum venire rogat, ut cum urbe potitus eſſet, expugnationis, ac totius belli victoria non ſibi, ſed ei tribueretur. Hac igitur de cauſa more triumphantis, ut puto, in ſignum adeptæ victoriæ, David regis Ammonitarum coronam ſibi impoſuiſſe ſcribitur.

Poſſumus etiam non immeritò affirmare Davidem coronam illam Regis Ammonitarum apud ſe retinuiſſe, communi ſuæ gentis diademate minime excluſo; ſed potius communi tiaræ, ſeù diademati Regum Hebræorum aliquando adjunxiſſe; atque propterea in ſacris oraculis coronam illius Regis ſibi Da-
F vid impoſuiſſe ſcribi. Quæ ſi probentur, Joſeph. lib. 7. antiq. cap. 7. conteſtis erat; qui Davidem ex præda nactum eſſe Ammonitarum Regis auream coronam talenti pondus habentem, & pretioſo Sardonyche inſignem, poſtmodumque eamdem capite geſtare conſueviſſe tradit. Hæc tamen non prohibent quin etiam verè dici poſſit, duo apud ſe David deinceps regia geſtamina retinuiſſe: ſacrum nimirum *nezer*

zer נֵזֶר, ſeù diadema, cum quo Rex renunciatus fuit, quo etiam in ſolemnioribus quibuſque diebus uteretur; ac ſimul etiam coronam Regis Ammonitarum, quam ad oſtentandam victoriam de Ammonitis, deque illorum tunc Rege, quando de his triumphavit, ſibi impoſuit: ita tamen, ut, quoad vixit, tantum hæc corona Davidi ad uſum aliquando fuerit, cum Salomon tamen ſacro tantum diademate, quod נֵזֶר *nezer* dicebatur, uteretur.

Hæc & alia plura, quæ de his duabus coronis dici poſſent, aliis ſubtiliori indagine diſcutienda relinquantur. Nobis ſufficiat tam coronæ quam diadematis uſum apud Reges Iſraël ex ſacris litteris comprobaſſe. Etenim pro corona eſt locus nimis apertus in Ezech. cap. 21. in quo Propheta ex Dei mandato contra Regem Jeroſolymitanum, qui regnabat in tribu Juda, inclamat dicens: *Tu autem, prophane, Dux Iſraël, cujus venit dies in tempore iniquitatis præfinita: hæc dicit Dominus Deus. Aufer cidarim, tolle coronam.* Hebraicè ſic הָסִיר הַמִּצְנֶפֶת וְהָרִים הָעֲטָרָה *haſir hamitſnephet veharim hagnatarah.* Quorum ornamentorum nomina ſuis in locis fuſius explicabuntur. Fruſtra autem privationem regni prævidiſſet, ac prædixiſſet Propheta Regique comminatus fuiſſet ſub metaphora diadematis, atque coronæ, niſi diadematis, atque coronæ uſus apud Jeroſolymitanos, Hebræorumque Reges extitiſſet. Pſalmo etiam 21. ubi ſermo eſt de Rege, dicitur: *Coronam de lapide pretioſo poſuiſti in capite ejus.* Ex quibus omnibus jam dictis contra Pinedam, coronam Reges Iſraëlitas geſtaſſe indubitatum erit: viderint alii doctiora, & judicent, ut ipſorum decreto ipſe quoque ſubſcribam.


CAP. XL.

Diadematis Iſraëlitici forma expiſcatur.

Ad loca Ezech. 21. *Tu autem prophane &c.* Iſaiæ A 62. *Et eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui.* Pſal. 20. *Poſuiſti in capite ejus coronam de lapide pretioſo*, & 2. Reg. cap. 1. *Et tuli diadema quod erat in capite ejus.* Et ad alia.

PILEI, ac tiaræ ſacerdotalis formam, quantum fieri poteſt, ſcrutari oportet; ut regii geſtaminis, quod ſacerdotalis tegumenti ſimilitudinem habebat, tota ratio in tanta temporum vetuſtate intelligatur: & à vocabulis quibus ſacra oracula in his explicandis utuntur, illius forma expiſcanda erit. B Animadvertendum igitur duxi ad hæc elucidanda, quod rebus aliquando nomina imponuntur à partibus principalioribus, aliquando à tota rei ſtructura, & interdum ab effectu: quamobrem una, & eadem res diverſa interdum vocabula ſortitur, pro diverſitate illorum, qui de illa loquuntur. Cum igitur in mitra Sacerdotali Hebræorum diverſæ ſint conſiderandæ partes, diverſa etiam ſortietur nomina: nam à vitta, quæ capiti circumligabatur, & ſæpe in orbem circumfuſa obvolvendo caput, illud contegebat, fiebat tegumentum, quod ab Italis *turbante* dicitur & מִצְנֶפֶת *mitſnepheth* in ſacrorum oraculorum Hebraicis exemplaribus appellatur: de cujus forma C quamvis capite præcedenti nonnihil me indigitaſſe putem; tamen reliquæ partes ejuſdem geſtaminis aperiendæ ſuperſunt, ut Regii capitis ornamentum pro viribus delineetur.

Pileus igitur, ſive hoc capitis tegumentum ex vitta byſſina circumvoluta, & eo modo, quo diximus, conglobata conſtituebatur, ac deſuper duobus aliis pileolis, ut diximus capite præcedenti, contegebatur, altero ex byſſo, & tertio ex hyacintho, opere phrygiano elaborato. In limbo autem totius dicti tegumenti aurea corona viſebatur, quæ caput circumambiebat per occipitium; floſculiſque aureis atque D gemmis undique perornabatur tam corona, quam pileus, ut in hac icone.



Et ab hac nobiliſſima totius geſtaminis parte ſumta denominatione, tegumentum pontificium aliquando corona, nimirum עֲטָרָה *gnatarah*, ſeù עֲטֶרֶת *gnatereth* Hebraicè dicebatur. Hanc verò coronam in ornamento pilei ſummi Sacerdotis extitiſſe, Zachariæ cap. 6. ſcribitur; in quo Deus Prophetam his verbis

verbis alloquitur: *Et ſumes aurum & argentum, & facies coronas, & pones in capite Joſedech ſacerdotis magni.* In Hebraico pro dictione *corona* habetur dictio עֲטֶרֶת *gnatereth*, vel עֲטָרוֹת *gnataroth* in plurali, diverſitate exemplarium, juxta quæ dixit noſter Interpres coronas in plurali, non verò in ſingulari: ſola enim punctorum mutatione diſtinguitur ſingularis à plurali in ea dictione. Et quidem in plurali loquendum fuit; quia de ornando ſacerdote agebat Deus, & ad illius pileolum reſpexit, qui triplici ordine floſculorum, in eadem lamina aurea, vel triplici quaſi corona circumdabatur.

B Hujus triplicis coronæ ſeù coronæ unius ex quibuſdam quaſi floribus in triplici ordine diſpoſitis auctor eſt Joſephus lib. 3. antiq. cap. 8. in codice Græco, cui plurima in his negotiis habenda eſt fides, quandocumque in ſacris oraculis aliter non habeatur; Hieroſolymitanus enim ſacerdos, & doctrina celebris fuit. Poſtquam igitur is in deſcriptione pilei Summi Sacerdotis, vittam inferiorem obvolutam tegendam hyacinthino pileolo ſuperiori docuiſſet, ſubintulit: περιέρχεται δὲ στέφανος χρύσεος ἐπὶ τρισοιχίαν κεχαλκευμένος· θάλλει δ' ἐπ' αὐτῷ κάλυξ χρύσεος, τῇ σακχάρῳ βοτάνῃ παρ' ἡμῖν λεγομένῃ ἀπομεμιμημένος. ὑὸς δὲ κύαμον ἑλλήνων οἱ περὶ τομὰς ῥιζῶν ἐμπείρως ἔχοντες προσαγορεύουσιν. C Itaque corona aurea circuncingebatur undique caput Pontificis ad limbum pileoli hyacinthini. Sic enim locus interpretatur: *Circumcingitur*, ſupple pileus, *aurea corona triplici ordine diſpoſita: conſpicitur autem ſuper illa calyculus aureus, qualis in herba, quæ apud nos vocatur daccharus, apud Græcos autem herbarios hyoſcyamon, qui verſantur circa radices.* Sed magis adhuc explicans quales nam eſſent hi calyculi, ait: ὁ δὲ κάλυξ μεγέθους ἐστὶ σκυταλίδος τοῦ μικροῦ δακτύλου, κρατῆρι δ' ἐμφερὴς τὴν περιγραφήν· σημανῶ δὲ καὶ τοῦτο τοῖς οὐ μεμαθηκόσι· σφαίρης εἰς δύο μέρη τετμημένης περὶ τῷ πυθμένι τὴν ἑτέραν τομὴν ἔχει φυόμενος ἀπὸ ῥίζης περιφερῆ. εἶτα συνιὼν κατ' ὀλίγον ὑποκοιλαινούσης εὐπρεπῶς τῆς ὑποχωρήσεως, ἀνευρύνεται πάλιν ἠρέμα κατὰ χεῖλος ὁμοίως ὀμφαλῷ ῥοιᾶς τετμημένος· D ἐπίθεμα δ' αὐτῷ ἡμισφαίριον προσπέφυκε· καὶ ἀκριβῶς ἂν εἴποι τις τετορνευμένον, ὑπερανεστώσας ἔχον τὰς ἐντομὰς ἃς εἶπον τῇ ῥοιᾷ παραπλησίως βλαστάνειν, ἀκανθώδεις, καὶ εἰς ὀξὺ παντελῶς ἀποληγούσας τὸ ἄκρον· φυλάττει δ' ἐπὶ τῷ ἐπιθέματι τὸν καρπὸν διὰ παντὸς τοῦ κάλυκος, ὄντα βοτάνης σπέρματι τῆς σιδηρίτιδος ὅμοιον. ἀφίησιν δ' ἄνθος τῷ τῆς μήκωνος πλατυγῶνι δυνάμενον δοκεῖν ἐμφερὲς εἶναι. Hoc eſt: *Calyculus autem magnitudinis eſt quantus articulus minimi digiti, circumferentiam habens crateri ſimilem. Explicabo autem & hoc propter eos, qui non intelligunt. Ima ſui parte circa fundum dimidiato globo, & rotunditate ſimilis; deinde in proceſſu paulatim coarctatur,* E *donec in extremitate rurſum dilatatus, in labrum exeat mali punici umbilico inciſuris ſimile; cui operculum orbiculare inhæret, quaſi de induſtria tornatum, eminentes habens inciſuras, quas dixi, ut in malo punico, aculeatas in acutum mucronem deſinentes: continet autem ſub operculo fructum per totum calyculum herbæ ſideritidis ſemini ſimilem; florem verò affert, qui papaveris videri poſſit.* Sed ne fortaſſe triplicem coronam pileum ſacerdotale habuiſſe quis ſuſpicetur; obſervandum erit Joſephum unicam affirmare coronam ad umbilicum pilei, circumcirca tamen triplici ordine calyculorum ornatam: quæ quidem corona, etſi à tempore per occipitium ad tempus, calyculis illis referta F foret; anterius tamen floſculis his carebat, quia eidem coronæ per illud ſpatium, lamina ſancta ineffabili nomine inciſa, vitta hyacinthina adſtringebatur. Hæc ex Joſepho.

Sacrorum oraculorum diligenter penſanda ſunt verba ex exemplari Hebraico, præſertim quoties agitur de ritibus Hebræorum. Quamobrem ut hanc ipſam coronam in his intueamur, nec Joſephum A aliquid ab his alienum tradidiſſe ſuſpicemur, Hebraicum exemplar attendatur, quod ſic habet: וַיַּעֲשׂוּ אֶת־צִיץ נֵזֶר הַקֹּדֶשׁ זָהָב טָהוֹר *vaiagnaſu heth-ziz nezer haquodes zahau tahor.* Quæ ſic interpretantur: *Et fecerunt floſculum nezer ſanctitatis ex auro puro*: hoc eſt; ſi paraphraſticè ea interpretentur, *Fecerunt floſculum, ut eſſet unà cum lamina ſanctitatis.* In limbo enim pileum cingebatur ea corona; & hæc ipſa tribus floſculorum ordinibus compacta erat, ut ex Joſepho loco citato conſtat: qui ad ea, quæ ſunt allata ſubintulit: ἐκ τούτου μὲν στέφανος ἐκκεχάλκευται ὅσον ἀπὸ τοῦ ἰνίου πρὸς ἑκάτερον τῶν κροτάφων. τὸ δὲ μέτωπον ἡ μὲν ἰφιελὶς οὐκ ἔπεισι, λεγέσθω γὰρ οὕτως ὁ κάλυξ. B Ubi poſtrema verba ponuntur ab eo, ut explicet formam circuli abſque lamina. Sic enim locus interpretatur. *Hac quidem corona circumcingebatur totum occipitium ad utrumque tempus; frontem autem non ambiebat: hoc autem dicebatur calyx.*

Cur autem floſculi undique pileum non circumambirent Joſephus explicat dicens: τελαμὼν δὲ ἐστὶ χρύσεος, ὃς ἱεροῖς γράμμασι τοῦ Θεοῦ τὴν προσηγορίαν ἐπιτετμημένος ἐστί. Hoc eſt: *Lorum autem eſt aureum, qui ſacris characteribus Dei alloquium ſuperpoſitus habet.* Floſculi itaque, qui erant in corona aurea circumcirca ad limbum pilei, ſeù *mitſnepheth*, (ut Hebraicè C loquamur) propter lorum, in quo erat Dei nomen inciſum, & coronæ adjungebatur, ſeù ſuperimponebatur fronti ſummi Pontificis, non apparebant; ſed ibi lamina ſancta, quæ נֵזֶר *nezer* dicebatur, frontem operiebat. Quamvis igitur ſacer textus non tam explicatè, ut Joſephus, coronam Pontificis delineaverit; nihilominus talibus id ſubindicavit verbis; ut Joſephi teſtimonio illa ipſa ſacri codicis verba intelligi poſſint: & quod Joſephus dixit κάλυξ, Hebraicus codex appellavit צִיץ *tsits*, hoc eſt, *floſculum.* Floſculuſque pro floſculis ponitur, & ſingulare pro plurali in exemplari Hebraico legitur, de D more linguæ ſanctæ. Horum floſculorum ex hyoſcyamo forma, & hujus coronæ exemplar ſit B. p 999.

Reliquas hujus pilei partes, lamina ſancta fronti ſuperimpoſita, veluti ſanctior, ſuperabat. Hæc enim erat aurea, totiuſque ſancti pilei ſanctior pars, quòd in ea Dei ſanctum nomen inciſum viſeretur. Hæc autem nequaquam pileo, aut corona, opere ipſo, conjungebatur; ſed poſtquam reliqua omnia capitis ornamenta Pontifex accepiſſet; eiſdem hæc ſancta lamina ſuperimponebatur: pileoque ſeù tiaræ, atque coronæ vitta hyacinthina alligabatur. De quibus ita ſacer textus cap. 28. Exodi: *Facies, & laminam de auro puriſſimo, in qua ſculpes opere celatoris ſanctum Domino; ligabiſque eam vitta hyacinthina, & erit ſuper tiaram imminens fronti Pontificis.* Et cap. 39. E Exodi ſic de ea dicitur: *Fecerunt & laminam ſacræ venerationis de auro puriſſimo, ſcripſeruntque in ea opere gemmario ſanctum Domini, & ſtrinxerunt eam cum mitra vitta hyacinthina; ſicut præceperat Dominus.* Hujus ſacræ laminæ figura ſit C.p. 999.

Quia verò ſanctior hæc pars ſacerdotalis pilei, quæ נֵזֶר *nezer* dicebatur, majori eget declaratione; propterea in ejus vocabuli explicatione omne noſtrum ſtudium in præſentiarum potiſſimum ſtare debet; eo enim cum primis nunc indigemus. Derivatur autem נֵזֶר *nezer* à radice נָזַר *nazar*, quæ proprie aliquid religionis cauſa à reliquis ſegregatum repræſen-F tat. Eapropter, qui voto facto ſeipſos Deo conſecrabant, ac devovebant: & ad tempus religionis cauſa ab aliis ſegregabantur, Nazaræi apud Iſraëlitas dicebantur. Cumque Pontificis Maximi, ſummique ſacerdotis caput pluribus ornamentis contegeretur, *mitſnephet* nimirum, lineo etiam, ac hyacinthino birretis, quibus illud operiebatur; corona aurea ad limbum pilei, atque etiam vitta hyacinthina, qua lamina ſancta pileo adſtringebatur; vox tamen *nezer*

נֵזֶר tegumento ſacerdotali minime propter aliquod ex enumeratis aptabatur; ſed tantum ex cauſa aureæ laminæ, in qua ſanctum Dei nomen tetragrammaton inciſum videbatur: cujus de cauſa Summus Sacerdos ab aliis tùm ſacerdotibus minoribus, tùm nonſacerdotibus ſecernebatur, ac etiam ſpeciali unctione conſecrabatur.

Sancta hæc lamina aurea נֵזֶר הַקֹּדֶשׁ *nezer haqhodes* appellabatur, hoc eſt, *nezer ſanctificationis*. Hujus ſacræ laminæ pluribus in locis ſacra Scriptura meminit, præſertim in libro Exodi cap. 28. & 29. Satis nobis unus ſit locus, in quo ſic legitur: *Et pones tiaram in capite ejus & laminam ſanctam ſuper tiaram.* Hebraicè וְשַׂמְתָּ הַמִּצְנֶפֶת עַל רֹאשׁוֹ וְנָתַתָּ אֶת־נֵזֶר הַקֹּדֶשׁ עַל־הַמִּצְנָפֶת Hoc eſt: *Et pones mitſnepheth ſuper caput ejus, & collocabis nezer ſanctitatis ſuper mitſnepheth.* Placet enim proprio vocabulo nominare pileum illum, qui per agglomerationem byſſinæ vittæ caput Pontificis contegebat.

Cum igitur Sanctum Nezer tiaræ, ſeù pileo adſutum non eſſet, ſed eidem vitta hyacinthina adſtringeretur, quæ in occipitio alligabatur; neceſſario quod ex vitta illa hyacinthina in occipitio facto nodo ſupererat, in auram fluitaſſe conſtat: ut de lemniſcis Græcos, ac Latinos aſſeruiſſe diximus. Ab hac igitur nobiliſſima vitta gentes poſtmodum præſertim Orientales, ſuum, ut puto, ſumpſere diadema, ſacram Hebræorum majeſtatem in omnibus pro viribus imitantes: diadematis autem nomine faſcia alligata circa caput ſignificatur, cujus extrema in occipitio fluitare ſæpe diximus.

Iſraëlitici Regis formam pilei inquiramus; atque ejuſdem fuiſſe cum tiara pontificali à conformitate vocabulorum hauriamus. Nam pileum regium appellatum *mitsnepheth* מִצְנֶפֶת quemadmodum etiam ſacerdotale, ſacra oracula pluribus in locis tradiderunt. Teſtis erit Ezech. cap. 21. cum Regis Sedechiæ ruinam, tam ipſi, quam regno prænunciat, his verbis: *Tu autem prophane impie Dux Iſraël, cujus venit dies in tempore iniquitatis præfinita. Hæc dicit Dominus Deus, aufer cidarim, tolle coronam &c.* Quæ verba Hebraice ſic ſonant הָסִיר הַמִּצְנֶפֶת וְהָרֵים הָעֲטָרָה hoc eſt, *remove hamitsnepheth, & tolle coronam.* Jam ergo Reges Hebræorum hamitsnepheth, nimirum involucro illo byſſino, quo capita Summi Sacerdotis contegi Deus mandaverat; ipſi quoque utebantur: non quidem vulgari pileo minorum ſacerdotum qui מִגְבָּעָה *mighbagna* dicebantur; ſed Summi Sacerdotis pileo, qui præter pileolum byſſinum altero hyacinthino opere phrygionico contegebatur, atque *mitsnepheth* dicebatur.

Uſum alterius ornamenti capitis, quod *tſaniph* appellabatur, ſive pileolum, ſive lemniſci ea voce accipiantur, fuiſſe penes Reges ex cap. 62. Iſaiæ perſpicuum eſt. Niſi enim illud ad ornamentum Iſraëlitarum Regum pertinuiſſet, fruſtra à Propheta futura bona, ſub metaphora regni populo Iſraëlitico eo vocabulo prædicerentur, cum ait: *Et eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni.* Hoc autem quod dicitur hic diadema regni per צְנִיף הַמְּלוּכָה Hebraicè explicatur. Quæ quidem inſulſè proculdubio poſita viderentur, niſi *tſaniph* quoque, id eſt, *diadema*, Regibus Iſraëliticis concederetur.

Coronam quoque Regibus Iſraëliticis dare cogimur: nec alterius, quam ejuſdem Ezechielis auctoritas nobis ſuffragari debet; qui in eodem loco, & in eodem ſenſu *projice coronam*, dixit. Ad limbum igitur *mitsnepheth* cidaris nimirum Regiæ aderat corona, quæ circumambiret *mitsnepheth*; quemadmodum de tegumento Sacerdotali diximus. Quam coronam regiam loco calyculorum aureorum habuiſſe gemmas, uniones, ac lapides pretioſos non immeritò ſuſpicabimur, ex illo Pſal 20. *Poſuiſti in ca-*

A *pite ejus coronam de lapide pretioſo*; quæ de geſtamine regio dicta fuiſſe conſtat. Niſi fortaſſe ad lapidem pretioſum in corona Davidis poſitum, ſeù ad ipſam coronam Prophetam reſpexiſſe dixerimus, quam David à Rege Ammonitarum abſtulit. Hæc enim pretioſo Sardonyche ornata erat, ut dicit Joſephus; licet Hebraicè non magis unus quam alter lapis pretioſus ex loco Pſalmi, ſubodorari poſſit: cujus hæc eſt lectio, *Poſuiſti ad caput ejus coronam topazii.* Quia enim topazius præ ſe fert auri colorem; propterea nonnulli arbitrantur, coronam ex topazio pro corona auri optimi, hoc eſt, puriſſimi, fuiſſe in Pſalmo poſitum. Septuaginta verò dixere στέφανον ἐκ λίθου

B τιμίου, hoc eſt, *coronam de lapide pretioſo.* Sed ſive hoc, ſive illud ſit dicendum, noſtra parum intereſt; dummodo pileo regio, qui *mitſnepheth* dicebatur, etiam corona ad limbum adjiciatur: nec alia ſit forma geſtaminis Iſraëlitarum Regum; quam quæ ex ſacerdotali Hebræorum *miznepheth*, & pileo deſcripſimus.

Difficultas maxima ſuſcitari poteſt circa ſanctiorem laminam; quæ in fronte apparatus ſacerdotalis eminebat, divinis characteribus, divinoque nomine inſignita: num nimirum hæc quoque lamina in regia cidari viſeretur; hæc enim, ut vidimus, נֵזֶר *nezer* appellabatur. Negant id multi ex Rabbinis,

C quos de hac re conſului At hanc quoque ſanctam laminam divinis characteribus inſignitam in regia cidari extitiſſe, multa nobis ex ſacris oraculis argumenta ſuadere poſſunt. Primo quod in ſacris libris Exodi, & Levitici, in quibus de hujuſmodi veſtibus, & apparatu ſacerdotali agitur, nullibi uſus earumdem veſtium Regi, aut Principi prohibebatur; quemadmodum uſum thymiamatis, atque ſacri olei prohiberi conſtat. Licet enim decretis atque conſtitutionibus Judicum, ſtatutum credatur, ut nemini ornamentis ſacerdotalibus uti liceret; quod tamen Reges, apud quos ex divinis decretis ſuprema auctoritas in Iſraëlitica Republica erat, eadem or-

D namenta, præſertim capitis, aliquando acceperint; qua ratione negari poſſit, non video. Cum tam pileum præſertim Summi Sacerdotis, qui dicebatur *Mitſnepheth*, quam coronam, quæ *Gnatereth* appellabatur, & diadema, quod *Tſaniph* vocabatur, Reges Iſraëlitas admiſiſſe, ex pluribus ſacræ Scripturæ locis probaverimus; quamobrem idem quoque de ſancta lamina dici poſſe arbitror.

Nec deſunt ſacræ Scripturæ loca, quæ id ſuadeant etiam ex cap. 1. lib. 2. Reg. & ex cap. 11. lib. 4. Reg. coronam regiam *Nezer* habuiſſe, ſacrorum oraculorum auctoritate fateri cogimur, niſi cœcutire velimus. Ille namque Amalecita, qui inter-

E fecto Saule Davidem adiit, ſe *Nezer* abſtuliſſe à Saule, & Davidi attuliſſe affirmat. Et Jojada Pontifex *Nezer* impoſuiſſe capiti Joaſi, quando illum Regem renunciavit, Græcorum codicum auctoritate in eodem ſacro textu legitur. καὶ ἐξαπέστειλε, ſupple Jojada, τὸν υἱὸν τοῦ βασιλέως, καὶ ἔδωκεν ἐπ' αὐτὸν καὶ τὸ νέζερ, καὶ τὸ μαρτύριον, καὶ ἐβασίλευσεν αὐτὸν, καὶ ἔχρισεν αὐτὸν, καὶ ἐκρότησαν τῇ χειρί· Hoc eſt, *Et eduxit filium Regis, & poſuit ſuper illum & nezer, & teſtimonium, & fecit regnare illum, & unxit illum, & plauſerunt manu.* Qua propter ubi Interpres dixit diadema, Septuaginta, vel ἁγίασμα dixere, ut habetur in Regiis Bibliis; vel eamdem vocem *Nezer* tenuere:

F quod etiam fecerunt Pagnin. Vatab. & alii. Hi omnes dum eamdem cum Hebraico textu retinuerunt vocem; Reges quoque lamina ſancta fuiſſe ornatos plane indicarunt; in qua ſanctum, & ineffabile Dei nomen inſculptum viſebatur. Solius enim ſacroſancti nominis de cauſa, lamina illa, ſeù lorum נֵזֶר *nezer* vocabatur. Quamobrem diadema Regis Iſraëlitis fuiſſe perſimile pontificali pileo arbitramur.

Cum-

Cumque ad eam ſacram laminam colligandam, hyacinthinam quoque faſciam ſicut Pontifici, ita Regi adſcribere cogemur, qua lamina illa ſancta conſtringeretur: propterea & in occipitio, quæ ex ligatura ſupererant inſtitæ, fluitare in auram neceſſe fuit, quæ diadema dicuntur.

Vittæ ſeù inſtitæ fluitantes in occipitio Regis Iſraëlitici, adhuc teſtimonio Iſaiæ Prophetæ cap. 3. comprobantur, in quo Prophetæ ſermo ad mulieres Jeroſolymitanas dirigitur, & eiſdem Deus privationem ornamentorum muliebrium comminatur, his præſertim, quibus caput ornare ſtudebant: interea verò ornamenta, diademata capiti circumvoluta à Propheta recenſentur, hiſque fluitantes vittæ adjunguntur. Sic enim legitur: *Auferet Dominus:* & infra, *vittas, & theriſtra* Hebraicè וְהַצְּנִפוֹת וְהָרְדִידִים id eſt, *hatſeniphoth, & palliola:* Quibus vocibus ſubtiliſſima quædam velamina ſignificantur, quæ à Septuaginta θέριστρα, ἢ καλάκλιστα appellantur. Cum autem in ornamento capitis ad tiaram, regiumque geſtamen צָנִיף *tſaniph* ex cap. 62. Iſaiæ, ut vidimus, concedatur; hocque vocabulo vittæ illæ in occipitio fluitantes ſignificentur; conſequens eſt, ut quemadmodum cidari pontificiæ, vittæ in occipitio fluitantes adjunguntur; illud idem genus cidaris ad capitis ornamentum Regi aſcribatur.

Ex his fortaſſe faſciolis in occipitio Regum Iſraëlitarum, atque Pontificum fluitantibus, ſancta Chriſti Eccleſia accepit faſciolas, quæ in occipitio Epiſcoporum in eorum mitris hinc inde pendent, dum pontificalia celebrant. Tantam enim præ ſe ferebat majeſtatem candida illa faſcia capiti alligata apud Romanos, ut etiam morbi cauſa delata tyrannidis ſuſpicionem daret. Hinc bracteatum illud apud Senecam, *Solve faſciam; ſub illa malum latet*, cujus meminit Rhodig. lib. 24. cap. 6. Nos ab hac hyacinthina faſcia Regis Iſraëlitici majeſtatem veneramur, ſanctumque Dei nomen reveremur; cui pro tanta ſacrarum rerum luce gratias plurimas nos habere fatemur.

CAP. XLI.

Regiæ armillæ forma inveſtigatur.

Ad loca 4. Reg. cap. 11. *Produxitque filium Regis, & poſuit ſuper eum diadema, & teſtimonium, feceruntque eum in Regem, & unxerunt.* 2 Paral. cap. 23. *Et impoſuerunt ei diadema, & teſtimonium, dederuntque in manu ejus tenendam legem, & conſtituerunt eum Regem: unxit quoque illum Jojada Pontifex.* Et ad alia.

REGIO diademate jam Princeps inaugurandus redimitus, illicò nequaquam ſacro Chriſmate inungebatur, ſed adhuc *teſtimonium*, ut loquamur cum ſacro textu, eidem imponebatur, divinaque lex juxta noſtri Vulgati interpretationem ſuſtinenda in manibus eidem tradebatur. An verò teſtimonium, ſive lex præcederet diadematis impoſitionem, vel eamdem ſubſequeretur, non diſputamus; ſed aliis diſcutiendum relinquimus, qui Iſraëliticas cæremonias peritius penetrant, nos veritati ſubſcribimus. Cæremoniarum enim ordo ex ſacris eſt nobis hauriendus litteris, in quibus hæc habentur cap. 23. lib. 2. Paral. *Et impoſuerunt ei*, ſupple Joaſo, *diadema & teſtimonium, dederuntque in manu ejus tenendam legem, & conſtituerunt eum Regem: unxitque illum Jojada Pontifex.* Similia cap. 11. lib. 4. Reg. habentur. *Produxitque filium Regis*, ſupple Jojada, *& poſuit ſuper eum dadema & teſtimonium, feceruntque eum Regem, & unxerunt.* Cum igitur in præcedentibus capitulis ſatis ſuperque, quid, & cujus formæ Iſraëlitarum Regum diadema, & ornamentum capitis eſſet, declaraverimus: nunc inſudare oportet in eruendo, quid nomine teſtimonii intelligatur: num videlicet regius amictus, an verò ſceptrum, an brachialis armilla, aut regium aliquod aliud ornamentum, aut denique ſacræ legis tabulæ, ea voce ſignificentur. Nam quamvis ſacer textus nullibi, præterquam in Joaſi inauguratione, teſtimonii meminerit, ipſa tamen ſuadet ratio omnes Hebræorum Reges eiſdem ritibus, atque cæremoniis renunciatos, eiſdemque ornamentis inſignitos extitiſſe: quemadmodum etiam ſacro eodem oleo initiatos ex Samuelis forſitan inſtituto, ſacræ litteræ manifeſtant.

Ut autem à vocabulis rerum intelligentiam auſpicemur, pro Latina voce teſtimonium, & Græca μαρτύριον, Hebraici codices dictionem עֵדוּת *gneduth* habent, & verba ipſa Hebraici textus hæc ſunt: וַיִּתְּנוּ עָלָיו אֶת־הַנֵּזֶר וְאֶת־הָעֵדוּת. Qui locus ad verbum ſic interpretandus eſſet: *Et dederunt ſuper illum hanezer* (qua voce laminam ſanctam in diademate ſignificari jam docuimus) *& ipſum hagneduth:* cujus poſtremi vocabuli ſignificatum ſatis in arcano reconditum, in præſenti quærimus.

Sunt igitur, qui teſtimonium vocem illam עֵדוּת *gneduth* renuerint interpretari: cum etiam hæc vox à duplici radice derivari poſſit in lingua ſancta; nimirum ab hac עָדָה *gnadah* quæ induit, vel ornavit aliquem veſte pretioſa ſignificat; nec non etiam à radice עוּד *gnud*, quæ ſignificat teſtificari: propterea priorem radicem, ac ſignificationem ſequuti Pagninus 4. Reg. 11. & Joan. Avenar. in radice עָדָה *gnadah*, Forſter. in radice עוּד *gnud*; Arias Mont. in 2. Paral. & Mercer. in addit. ad theſaurum Pagn. Marc. Marin. & alii in prædicta radice עָדָה *gnadah* prædicto vocabulo quoddam genus ornamenti ſignificari tradiderunt, quo Reges ad majeſtatem regiæ dignitatis ornabantur.

Interpretatio hæc à ſacris oraculis, me judice, non videtur aliena; præſertim quod eamdem vocem conſtanter ſacra tenuiſſe oracula certum ſit: non ſolum Hebraica dictione הָעֵדוּת *hagneduth*; ſed etiam Septuaginta dictione μαρτύριον & Chaldæus Paraphraſtes voce סָהֲדוּתָא *ſahadutah*. Omnibus namque his vocibus, tam Græcis, quam Chaldaicis, Hebraicis, ac Latinis, teſtimonium ſignificari conſtat. Quamobrem ſi divinare liceret, & dictionem הָעֵדוּת *hagneduth* à radice עָדָה *gnadah* & radice עוּד *gnud* derivare velimus; ut re vera ſecundum rationes grammaticales derivari poteſt; non abſque ratione cùm prædictis auctoribus exiſtimare licebit; cum dicitur 4. Reg. cap. 11. & 2. Paral. 23. in Joaſi inauguratione, Proceres Reipublicæ, & Jojadam poſuiſſe teſtimonium ſuper Regem; ſignificari ea voce ornamentum aliquod, quod regiæ majeſtatis, ac dignitatis nota eſſet.

Contemplantibus igitur varia regiæ majeſtatis ornamenta, & ad ſingulare, ac præcipuum aliquod regiæ majeſtatis ornamentum intentis, (& certum ſit diadema non poſſe hac voce ſignificari; cum ſacer textus diadematis jam meminerit) propterea teſtimonii voce armilla regia videtur ſignificari; de qua ex ſacris oraculis aliquid ſubodorari licet. Nam duo præcipua ornamentorum genera regiæ majeſtatis ex cap. 1. lib. 2. Reg. agnovimus: nimirum armillam, & diadema. Quæ duo ab interfecto Saule abſtuliſſe, & ad Regem David ſe attuliſſe Amalecites ille dixit, qui Davidem adiit dicens: *Et tuli diadema, quod erat in capite ejus, & armillam de brachio illius, & attuli ad te Dominum meum huc.* Diadema igitur, & Armilla præſtantiſſima, ac ſingularia regum

Regum Iſraël ornamenta fuere, quæ domi foriſque Reges ſequebantur, quæque regiæ dignitati, ac juri adeo intrinſeca atque conjuncta fore ille Amalecites exiſtimavit; ut dum regnum, regnique jura Davidi offerre vellet; non thoracem, non clypeum, non gladium, non galeam, ſed diadema tantum, & armillam fore exportanda, Davidique exhibenda cenſuerit. Et quia ſacra oracula in Joaſi inauguratione, diadematis pariter meminerunt, & *teſtimonii*, cujus ſignificatus quæritur; armilla, quam Amalecites cum diademate aſportavit, regiæ majeſtatis, ac dignitatis ornamentum præcipuum, teſtimonii voce ſignificari fortaſſe poſſet.

Armillam recenſeri inter militaria ornamenta, omnia veterum ſcripta teſtantur: quamobrem in recenſendis militum ornamentis atque munere, diſtribuebantur his, qui ſtrenuè in bello certaſſent. Sexcentis in locis, & pluribus, armillæ in numero habentur. Erat enim armilla ornamenti cujuſdam genus, quod non quibuſvis, ſed his tantum concedebatur, qui egregium aliquod facinus in bello pro ſalute Reipublicæ geſſiſſent. Ita Vopiſcus in Probo, quem publice donatum variis muneribus ab Imperatore ſic ſcribit: *Publice in concione donatus eſt haſtis puris quatuor, coronis vallaribus duabus, corona civica una, vexillis puris quatuor, armillis aureis duabus &c.* Livius lib. 10. cap. 44. ſic ſcribit: *In conſpectu duorum exercituum, & Carvilius ſuos pro cujuſque merito laudavit, donavitque: & Papirius, apud quem multiplex in acie circa caſtra, circa Urbem fuerat certamen, Sp. Nautium, & Sp. Papirium fratris filium, & quatuor Centuriones manipulumque haſtatorum, armillis aureiſque coronis donavit Nautium propter expeditionem, qua magni agminis modò terruerat hoſtes: Juvenem Papirium propter navatam cum equitatu, & in prælio operam, & nocte, qua fugam infeſtam Samnitibus ab Aquilonia clam egreſſis fecit; Centuriones, militeſque, quia primi portam, murumque Aquiloniæ ceperant: equites omnes ob inſignem multis locis operam, corniculis, armilliſque argenteis donat.* Julius Capitolinus in Maximum, dona militibus per ludos etiam data referens, inter illa armillas quoque militares dono datas eiſdem fuiſſe recenſuit, de quibus hæc habet: πρὸς δὲ τούτοις ὀγδοήκοντα μὲν, καὶ τρεῖς χρυσοῦς στρεπτοὺς περιαυχενίους, ἑξήκοντα δὲ περιβραχιόνια χρύσεα, δόρατα δὲ ὀκτὼ καὶ δέκα. hoc eſt: *Ultra hæc autem, octoginta tres aureos torques collares, ſexaginta autem aureas armillas, haſtas etiam octodecim.* Plus ſexcenta adhuc alia ſuperſunt loca, quibus armillæ, inter militaria dona recenſentur, quæ ad notam virtutis donabantur. An etiam apud Iſraëlitas armillæ, quibuſcunque valentioribus militibus concederentur, dubium cum ſit; dixerim Regibus ſaltem armillam conceſſam fuiſſe. Nam alias Amalecites ille, Saulem ab ſe interfectum armillæ oſtenſione, minimè probaſſet, niſi ad ſolum Regem armilla pertinuiſſet: ni forte armilla regia peculiari nota inſigniretur; quod alii doctiores videbunt.

Donaria hæc penes Romanos, equitibus atque peditibus communia erant. Id ex antiquis lapidibus, atque ſcriptoribus perſpicuum eſt. Nam Livius lib. 10. ſupra citato pro peditibus ait: *Haſtatos armillis aureis, coronis, corniculis donat argenteis.* Haſtatos autem inter pedites ſtatariæ pugnæ recenſendos eſſe, militiæ ratio ex Vitruvio, & aliis teſtatur. Pro equitibus etiam ſtat idem Livius ibidem dicens: *Equites corniculis, armilliſque argenteis donat.* Has verò armillas tanti faciebant veteres milites; ut non modo in pompa, triumphoque, ſed in acie etiam, & agmine his muneribus ornarentur: ut etiam in aggrediendo hoſte, propria cujuſque virtus ſplenderet. Teſtis eſt Tacitus lib. 18. dicens: *Et militum phaleræ, torqueſque ſplendebant, decora facies, & non Vitellio Principe dignus exercitus.* Quamquam autem nulla in his Taciti verbis armillarum mentio fiat; ſit tamen ibidem non longe à loco à nobis jam citato; cujus verba brevitatis gratia, cum aliis pluribus omittuntur.

A

Sacrarum litterarum cap. 1. lib. 2. Reg. quanti fieret armilla apud Iſraëlitas indigitat. Saul enim cum hoſte manus conſerturus, non pluris diadema videtur feciſſe, quam armillam; ſed utrumque in pugnam deferre ſtuduit; ut in occumbendo, quod monitu Samuelis in ſpectro ſibi apparentis certò ſciebat; regia majeſtas in diademate, virtus militaris in armilla, etiam hoſtibus nota foret. De quibus

B

Amalecites ille ad David ait: *Stanſque ſuper eum occidi illum, ſciebam enim quod vivere non poterat poſt ruinam: & tuli diadema quod erat in capite ejus, & armillam de brachio illius, & attuli ad te Dominum meum huc.* Amalecites enim de armilla, tanquam de primario ornamento, quo Reges in ſignum virtutis, regiæque majeſtatis decorabantur, loquitur.

Armillæ forma indaganda ſupereſt. Ut autem illius uſus apertior fiat, ab illius vocabuli ratione res petenda, inveſtigandaque erit, de qua voce apud Latinos, ita Feſtus: *Armillas ex auro, quas viri militares ab Imperatoribus donati gerunt; dictas eſſe exiſtimant, quod antiqui, humeros cum brachiis armos vocabant: unde arma ab his dependentia*

C

ſunt vocata. Sed quicquid ſit de armis, de quibus nunc minimè quærimus, de armillis cum Feſto nobis ſtandum eſſe puto. Humerum enim ipſum, ſeù verius commiſſuram illam humeri cum brachio, armum appellatam conſtat; licet frequentius vox iſta de quadrupedibus, quam de hominibus in uſu Latinorum habeatur. Galbeum etiam dici Armillam voluit Bulinger. lib. de triumph. pag. 19. lit. E. quod juxta Catonem genus erat muliebris ornamenti. Sic enim ille lib. 7. Originum. *Mulieres opertæ auro, purpuraque arſinea, rete, diadema, coronas aureas, ruſſeas faſcias, galbeas, lineas, pelles,*

D

redimicula. Et licet voce *Galbea* Armillæ necne ſignificentur incertum ſit; delicatiorum tamen ornamenta eo vocabulo ſignificari conſtat: quas etiam vocabulo brachialis aliquando dictas certum eſt.

Græci etiam ſua habuere vocabula, quibus idem ornamenti genus, vel ſimile aliquid ſignificaretur, nimirum περιβραχιόνια hoc eſt, *circumbrachialia*: quia nimirum circa brachium collocabantur armillæ. βραχιονιστῆρες, id eſt, poſita *circa brachium*, περιχείρια, id eſt *circum manus* ab aliis armillas vocatas ſcimus; ſed potius muliebria quædam ornamenta, quam virilia. Sic autem appellabantur, quia commiſſuram brachii ad manum, ubi nimirum eſt arte-

E

riæ pulſatio, illis mulieres ornare ſoleant. Nonnumquam etiam hæc ornamenta ψέλια appellantur, qua voce freni equini partem inferiorem, in qua lorum religatur, ſignificari dicunt aliqui. Aliis eſt catenula illa ferrea, qua equorum mentum ſubſtringitur; ut apud Pollucem lib. 1. cap. 10. §. 11. Aliis ψέλια inter ornamenta muliebria recenſentur; ſive circa collum ponantur, ut apud Pauſan. in Arcad. pag. 193. qui hæc appellat περιτραχήλια: ſive ad manuum conjuncturas, ut Polluci lib. 5. cap. 16. adaptentur. κλιδώματα etiam, ſeù χλιδῶναι, ſeù χλίδη dicuntur. Hac enim triplici diverſitate hæc vox in Bibliis Græcis ſcribitur: licet apud Pollucem

F

χλιδῶνα tantum lib. 7. cap. 22. in fine, & χλιδόνας lib. 5. cap. 16. dicta manuum monilia conſtet. μανιάκας etiam armillas dictas fuiſſe conſtat ex Polyb. dicente: μανιάκαι, τοῦτο δ' ἐστὶ χρυσοῦν ψέλιον ὃ φοροῦσι περὶ τὰς χεῖρας, καὶ τὸν τράχηλον οἱ Γαλάται. Hoc eſt: *Maniacæ eſt aureum monile, quod ferunt Galatæ circa manus, & circa collum.* Interpres Theocr. Idyl. 11. in

in eodem genere ornamenti ait : μάννος ἢ ἐςὶ ὁ περιτραχήλιος κόσμος τὸ λεγόμενον μανιάκης. Hoc eſt : *Mannus eſt ornamentum circa collum , quod dicunt Maniaces.* Hæc de Græcis vocabulis armillarum.

Ad linguam ſanctam tranſeamus , quia Iſraëlitarum Regum ornamenta quærimus , ac propterea vocabulum armillarum ex ſacris oraculis inveſtigemus neceſſe eſt : de quibus ſic legimus cap. 1. lib 2 Reg. ubi primum armillam nominatam ſcimus וָאֶקַּח הַנֵּזֶר אֲשֶׁר עַל־רֹאשׁוֹ וְאֶצְעָדָה עַל זְרֹעוֹ Hoc eſt : *Et accepi diadema , quod erat ſuper caput ejus , & armillam quæ erat ſuper brachium illius.* Quod autem ornamenti genus vocabulo אֶצְעָדָה *etſgnadah* ſignificetur ; quod noſter armillam eſt interpretatus , latet : nam muliebre ornamentum extitiſſe ex Iſaia cap. 3. ſuſpicatur, dum inter illius ſexus ornamenta צְעָדוֹת *tſegnadoth* enumerat : quæ vox per periſcelides , quæ erant circuli ad ornatum inceſſus , à noſtro interprete exponitur , & revera ſi habenda ratio ſit ad verbum Hebraicum צָעַד *tſagnad,* quod incedere , progredique ſignificat , à quo illud aliud derivatur ; illa vox per vocabulum tibiale , ſeù periſcelidem interpretabitur ; ut loquitur Tertul. lib. de cultu fœminar. circa finem. Reprehendit namque ibi Chriſtianas , quæ nimis ornamentis ſtudebant ; eaſque ad fidei confeſſionem , tormentorumque tolerantiam parum aptas cenſet , quæ his ſtudebant. De quibus ait : *Cæterum neſcio an manus ſpathalio circumdari ſolita , in duritiem catenæ ſtupeſcere ſuſtineat. Neſcio an crus de periſcelide in nervum ſe patiatur arctari. Timeo cervici , ne margaritarum , & ſmaragdorum laqueis occupata , locum ſpathæ non det.* Ex quibus Tertulliani verbis liquet periſcelidem , ſive muliebrem armillam ad crura pertinuiſſe.

Verum quicquid velit vox illa apud Iſaiam ; inter militaria ornamenta *etſgnadah* אֶצְעָדָה recenſeri Numer. cap. 31. perſpicuum eſt. Nam inter donaria aurea , quæ milites ob victoriam , quam de Madianitis reportaverant, Deo obtulerunt אֶצְעָדָה *etſgnadah* recenſetur. Iſraëlitæ enim Moyſi ſic ibi loquuntur : *Nos ſervi tui recenſuimus numerum pugnatorum , quos habuimus ſub manu noſtra ; & ne unus quidem defuit : ob hanc cauſam offerimus in donariis Domini ſingnli , quod in præda auri potuimus invenire ; periſcelides , & armillas , annulos , & dextralia , & murenulas ; ut depreceris pro nobis Dominum.* Ubi pro armillis noſtri interpretis , in Hebræo eſt dictio אֶצְעָדָה Et quidem armillam ornamenti militaris genus apud Iſraëlitas extitiſſe, ex ornamentis Saulis in bello occumbentis perſpicuum eſt. De quo Amalecites ille loquebatur dicens : *Et tuli diadema quod erat in capite ejus , & armillam de brachio illius , & attuli ad te Dominum meum huc.*

Ex hoc eodem loco , brachium , nequaquam verò aliud corporis membrum , militaribus armillis ornari conſueviſſe, mihi conſtitutum eſt. Nam vox ipſa armilla ab *armo* , quod eſt brachium junctum humero deducta , id manifeſtat : brachium inquam , & non cubitum , neque manus , aut quæ circa manus ſunt ; ita ut ſolius partis , quæ eſt à cubito ad humerum , quod brachium proprie appellatur , armilla ornaretur. Sacris etiam in litteris libri Levitici , in quo ritus ad ſacrificia traduntur , armus qui Deo in ſacris offerebatur , ſola pars pectoris anterior intelligitur , in qua humerus cum brachio à junctura deorſum proſcinditur ; quæ tibia & pes animalis appellatur : pars enim quæ à cubito ad manus tendit , lacertus à Latinis dicitur. Quod autem armilla ſolius brachii ornamentum eſſet , vox etiam ipſa brachiale oſtendit. Idipſum probant vocabula Græca βραχιόνια , & βραχιονιςῆρες , & περιβραχιόνια , quæ nihil aliud ſignificant , quam brachiale , brachiorumque ornamenta.

A Militis verò brachium propterea armillis ob militaria facta ornabatur ; quia ubique in ſacra Scriptura præclarè geſta in bello , brachio tribuuntur. *Fecit potentiam in brachio ſuo* , dicebat Virgo. Omnipotentia Dei in brachio extento ſæpiſſimè in Scripturis ſacris celebratur. Quam etiam ob rationem ſtrenuè pugnantibus militibus, ab Imperatore brachium aurea armilla decorabatur : non quidem dextrum , ne in tractanda haſta, aut enſe, armilla impedimento foret ; ſed potius ſiniſtrum. Locus Livii de Sabinis hoc manifeſtum facit. Reliqua verò vocabula Græca , ut περιχείρια , ψέλια , χλιδῶνες , & ſimilia , quibus ornamenta lacertorum ſignificantur , & B circa manus verſantur , ſi quando ad ſignificandum armillas , & alia transferuntur , cum potius muliebria , quam virilia ſint , impropriè potius , quam propriè per vocem armillæ interpretantur. Vel de armillis muliebribus loca auctorum excipienda erunt; quibus laſcivientes mulieres , ac viri molliores antiqui ſeculi , brachium ornabant : ut in antiquis , exſculptiſque marmoribus hic Romæ , & alibi in parietinis repertis ſæpè vidimus. In hoc ſenſu Petron. in ſuo Satyric. mollitiem Trimalcionis ſcribens pag. 78. ait : *Et ne has tam oſtenderet divitias , dextrum nudavit lacertum armilla aurea cultum , & eboreo circulo lamina ſplendente connexum.* Eadem mollitie C Caligula quoque à Suetonio notatur : *Sæpe depictas* , inquit de illo , *gemmataſque indutus penulas , manuleatus , & armillatus in publicum proceſſit.*

Forma armillarum obſcurior latet. Et quidem rotundam fuiſſe expiſcari poſſumus , tam à rotunditate lacerti , quam brachii , quod armillis ornabatur ; nec non etiam à vocabulis. Nam ſi Hebraicæ vocis habenda ſit ratio , quæ ab incedendo derivatur , ut diximus , & tibiale ab aliquibus interpretatur ; à forma circulari tibiæ , armillæ quoque forma manifeſta erit. Itaque ex vi ſacrorum oraculorum , ſive cum Iſaia inter muliebria ornamenta ad ornatum inceſſus , ac tibiarum אֶצְעָדוֹת *etſgnadoth* reponantur ; ſive ad D ornatum brachiorum in re militari ex cap. 1. Reg. 2. & ex cap. 31. num. recenſeantur ; ubique in armillis circularem formam agnoſcemus. Hanc eamdem formam armillæ ſubindicant vocabula Græca περιχείρια , μανιάκαι , χλιδῶνες , & alia , quibus manuum monilia ſignificantur : horum namque formam circularem eſſe experientia , & ratio membri , quod adornant , oſtendit.

Armillarum circularis forma illuſtratur ex cap. 31. Numer. jam citato , attenta illius loci intelligentia , ſumpta ab occaſione rerum , de quibus ſacer textus loquitur. Fuerat bellum Iſraëlitis adverſus Madianitas : cumque victoria ad Iſraëlitas inclinaſſet ; & E hi ad grates reddendas ex præda munera Deo offerrent ; inter donaria , quæ Domino obtulerunt Iſraëlitæ , armillæ quoque recenſentur , his verbis : *Ob hanc cauſam offerimus in donariis Domini ſinguli , quod in præda auri potuimus invenire , periſcelides , & armillas , & annulos & dextralia ac murenulas.* Ita noſter vulgatus. Hebraice autem ſic וַנַּקְרֵב אֶת־קָרְבַּן יְהוָה אִישׁ אֲשֶׁר מָצָא כְלִי זָהָב אֶצְעָדָה וְצָמִיד טַבַּעַת עָגִיל וג Hoc eſt , *Et obtulimus oblationem Domino , unuſquiſque quod invenit vas auri , armillam , & monile , annulum rotundum &c.* Pro cujus loci intelligentia non eſt prætereunda illa ſacrorum oraculorum phraſis , *unuſquiſque quod invenit* : qua ſacra Scriptura uti ſolet ad ſi- F gnificandum unumquemque Deo obtuliſſe , quod potuit. Niſi velimus pauſam facere poſt dictionem *auri* : & ſenſus ſit, unuſquiſque obtulit , *quod invenit vas auri* , hoc eſt , quod in eo bello aureum invenit. Quicquid dicatur parum refert : quæ ſequuntur ſunt nobis conſideranda. Explicans enim ſacer textus , quidnam aurei inventum fuerit in illo bello , quidve quiſque obtulerit Domino ſubinfert:

 Ar-

Armillam, & monile, annulum rotundum &c. id eſt, *obtulit unuſquiſque armillam.* Quæ verò ſequuntur ibi, arbitror ad formam armillæ explicandam pertinere; quaſi velit ſacer textus, quod unuſquiſque obtulit armillam, quæ non eſt aliud quam monile, & annulus rotundus: ita ut dictio *monile*, quod eſt ad ornandas manus, ſubindicet, vel membrum, in quo armilla more mulierum locabatur à militibus Madianitis, vel pertineat ad formam armillarum, quæ in rotundum more annuli expreſſiſſimè deſcribitur.

Supereſt adhuc in forma armillarum inveſtigare, perfectæne fuerit peripheriæ, an vero aliqua ex parte, nimirum ab ea, quæ ſub axilla brachium ambiebat aperta. Equidem hujus formæ extitiſſe indubitatum cenſeo. Nam ſi armilla perfectæ fuiſſet peripheriæ, cum ſupra brachiale ferreum, vel veſtes à militibus collocarentur; facillimè ad cubitum deſcendendo, ad tractandum arma militi impedimento fuiſſent. Res ipſa adeò perſpicua eſt, ut nulla indigeat probatione. Ne igitur armillæ in re militari impedimento eſſent, ab illa parte, quæ axil- A lam reſpiciebant, apertas extitiſſe neceſſe fuit; ut ita fibula aliqua ad brachium conſtringerentur, & ad cubitum deſcendere non poſſent.

Græca quoque armillarum vocabula, formam imperfectæ peripheriæ in eis ſubindicant. Nam περιβραχιώνιον, & περιβραχιωνιςὴρ, id ſignificant; quod eſt circumcirca brachiale: nimirum circumcirca id quod brachium tegit. Cum igitur brachium a militibus ea ratione ferro veſtiatur; ut ſub axilla brachiale apertum remaneat, fibuliſque nonnullis, atque anſulis coriaceis brachio adſtringatur; utique ipſa quoque armilla, quæ brachiali imponebatur, nequaquam perfectæ peripheriæ, ſed conciſæ fuit; B ut fibulis brachiali annecti poſſet. Huic armillarum alligationi, fibularumque in armillis neceſſitati Caſaubonus ſubſcribit, in notis ad Capitolini Maximinum, in verbo, Dextrocherium. Perſpicuum eſt etiam id ex nummo hic poſito, qui habetur apud Ant. Aug. pag. 4. ubi differit de nummis veterum. Illæ enim duæ armillæ peripheria perfecta nequaquam clauduntur, ſed fibulis, ut diximus, locum præſtant.



Eſt etiam marmor vetus apud Janum Gruterum pag. CCCLVIII. cum inſcriptione, & armillarum quibuſdam figuris, ut nonnulli putant in forma A.

Niſi potius torquium formæ ſint, ut placet Pierio Valer. lib. 41. hieroglyph, in capit. de torquibus & phaleris, ubi idem omnino marmori deſcribit quatuor torquibus inſignitum quos vides litera B in ea forma quam deſcribit atque delineat. Vocabulum etiam ψέλιον, quo, ut dicebamus, catenula, quæ mentum equi adſtringit, & aliquando etiam ad armillam ſignificandam uſurpatur, dimidiati circuli figuram oſtendit.

Hanc eamdem imperfectæ peripheriæ in armillis F formam, ex ſacra Scriptura colligi poſſe ſuſpicor 2. Reg. cap. 1. Amalecites enim ille, qui armillam ad David attulit, prius ſe Saulem Regem occidiſſe, quam ab eo armillam auferret, teſtatus eſt. Si autem perfectæ peripheriæ armilla extitiſſet, auferri à Saule jam mortuo vix potuiſſet, niſi ablato ab eo ferreo brachiali; illudque Amalecites ille una cum armilla Davidi fortaſſe obtuliſſet. Arma enim regia cariſſima David futura ratio ſuadet: at de brachiali nihil; ſed *tuli*, inquit, *diadema quod erat in capite ejus, & armillam de brachio illius.* Exfibulata videlicet & ſoluta abſtuli à Saule; & ad notam regiæ dignitatis ad te Dominum meum attuli.

Vocabulo igitur *Teſtimonii*, quod de Joaſo ſacer protulit textus, intelligi poſſe armillam brachialem, ex eo ſubodoratur, ut diximus, quod ſingulare aliquod ornamentum regiæ dignitatis, ea voce ſignificaretur. Ad hanc autem interpretationem conjecturis tantum ducimur; nec aliquid certi affirmare poſſumus: quamobrem ſufficiat aliquem probabilem ſenſum aperuiſſe, ut reliqui potiora, certioraque excogitando, nobis locum relinquant. Quamobrem grates bonorum omnium largitori reddantur; qui illuſtrat hominum mentes, & in dies ſuorum oraculorum ſecreta pandit.

CAP. XLII.

Majeſtas amictus Iſraëlitarum Regum demonſtratur.

Ad loca 4. Reg. cap. 11. *Produxitque filium Regis, & poſuit ſuper eum diadema, & teſtimonium; fecerunt que eum Regem, & unxerunt.* Pſal. 44. *Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato circumdata varietate.* Illuſtratur locus Cantic. *Venter tuus ſicut acervus tritici vallatus liliis.* Et ad alia.

DIximus armillam probabili conjectura, dictione Hebraica *hagneduth* ſignificari poſſe; quantique decoris eſſet armilla ad notam militaris virtutis explicavimus. Sed quia in hac vocis ſignificatione nihil certi habebatur, conjecturiſque tantum moveri poteramus; ac præclarum aliquod ornamentum ad regiæ majeſtatis decus, eo vocabulo ſignificari conſtat; nonnulli propterea à dictione *gnadah* עָדָה aliquid magis notum, quàm armilla, & Regibus omnibus commune ſubindicari cenſuerunt. Quia igitur regiæ majeſtatis ornamentum maximum, & quodammodo auctoritatis oſtentum, ſceptrum ubique, & apud omnes gentes, ac nationes extitit; propterea regium ſceptrum per illam vocem ſignificari aliqui fortaſſe ſuſpicabuntur.

Reges enim Hebræorum ſceptrum, virgamque regiam ad notam auctoritatis geſtaſſe, in Scripturis ſacris ſatis perſpicuum eſt. Sed ad rerum antiquarum intelligentiam prætereundum non eſt, haſtas fuiſſe pro ſceptro apud antiquos: quinimo hæ ipſæ haſtæ σκῆπτρα dicebantur: ut ſcribit Juſtin. lib. 43. cum enim ageret de primis Romanorum temporibus, quæ ad tempora Saulis referuntur, ait: *Per ea adhuc tempora Reges haſtas pro diademate habebant, quas Græci σκῆπτρα dixere.* Sic Argivi Reges, teſte in Bœoticis Pauſania, ſceptra ſua haſtas appellabant. Quamobrem cum cap. 22. lib. 1. Reg. legimus: *Saul autem cum maneret in Gabaa, & eſſet in nemore, quod eſt in Rama, haſtam manu tenens, cunctique ſervi ejus circumſtarent eum;* haſtæ nomine ſceptrum juxta phraſim illius ætatis accipi debet. Et cum cap. 26. David clam noctis tempore haſtam à capite Saulis legitur abſtuliſſe; haſtæ nomine, quæ ad caput Regis dormientis in proprio tentorio ſervabatur, ſceptrum intelligitur; propterea enim Saul, Davidi ex tunc regnum auguratus eſt dicens: *Benedictus tu fili mi David, & quidem faciens facies, & potens poteris.* Hanc ſceptri metaphoram Propheta retinens, & de Deo per ſimilitudinem ad Regem verba faciens, dixit Pſal. 47. *Virga directionis virga regni tui*, & Pſal. 2. loquens de Rege Meſſia, qui commotas contra ſe gentes proſtraturus erat, *Reges eos*, inquit, *in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos.* Et alibi ſæpiſſime, Regnum ſceptri vocabulo intelligitur; quæ metaphora futilis eſſet; niſi ſceptro etiam Reges Iſraël uſi fuiſſent.

Sceptrum, Imperii hieroglyphicum, nec non etiam juſtitiæ atque eloquentiæ Symbolum extitiſſe, auctores ſunt Pier. lib; 41. hierogl. & Rhodigin. etiam lib. 7. cap. 29. Propterea enim Agamemnoni late imperitanti & concionanti datum ſceptrum arbitratur Telemachus ob eloquentiam, & Achilli ratione juſtitiæ, ut idem auctor obſervavit. Hæc autem tria in ſceptro ſignificata putarem ego; quod perfectum conſtituant Principem. Hinc Xenophon lib. 1. de pædia Cyri Cambyſem ad filium Cyrum dicentem ſcribit; in exhortatione poſitum eſſe, ut milites Imperatoris mandato obedientes ſint; ideo Græci ſapientes eloquentiam ſummopere neceſſariam Im-

A peratori unà cum juſtitia tradiderunt; ut juſtitia, & eloquentia inſtructus Princeps re ipſa, ſceptro hæc omnia ſignificanti moribus reſponderet. Tanti etiam fecere Romani Imperatores eloquentiam, ut nummis, lapidibuſque litteratis id ſignificari voluerint.

Cum igitur inter regia ornamenta, quæ ad regiæ dignitatis decorem, majeſtatem, auctoritatemque faciebant, ſceptrum non infimum, quin primum teneat locum, & in eo omnia jam dicta ſignificarentur: quaſi ſceptrum teſtis eſſet illarum omnium virtutum; propterea teſtimonii in ſacris oraculis vocabulo hebraico הָעֵדוּת *hagneduth* ſignificari potuiſſe,
B non videtur à ratione alienum: præſertim quia cum de Joaſi inauguratione agitur in locis citatis, Joaſo teſtimonium impoſitum fuiſſe ſcribatur.

Rejiciatur tamen omninò ſceptri ſignificatus in dictione הָעֵדוּת à radice עָדָה *ghnadah*: radix enim hæc veſtire ſignificat, atque in hac ſignificatione vocabulum הָעֵדוּת *hagneduth* interpretantur, ac derivant ab ea voce plurimi viri docti, ut vidimus cap. præcedenti: proptereaque eo vocabulo nullum aliud genus ornamenti regii ſignificari iidem arbitrantur, quàm pretioſum aliquem amictum, quo regiam majeſtatem portenderent Iſraëlitæ. In eo amictu regia chlamys, vel Romanorum latus clavus, vel palu-
C damentum, vel aliud tale veſtimentorum genus agnoſci poſſet; quod Regum tantum apud Iſraëlitas eſſet proprium: cujus à nobis forma infra monſtrabitur.

Communi enim omnium gentium conſenſu, conſuetudineque firmatum extat; Reges, ac Principes lautioribus, ſimulque pretioſioribus veſtibus indui ſolitos; ut veſtimentorum pompa, cæteris dignitate, atque ordine cum præcederent, elegantiores quoque amictu ipſo apparerent: ac totius regni majeſtas, & auctoritas, quæ in Rege reſidet, in veſtitu quoque ab omnibus agnoſceretur. De Cyro namque Xenoph. ſcripſit lib. 8. ſuæ pædiæ, adeò delecta-
D tum eleganti veſte, ad regiam majeſtatem oſtentandam, ut etiam ſtolam Medicam elegerit, eademque uti ſuos Principes aliquando juſſerit. Quamvis verò minime neceſſarium cenſeatur, longa oratione, ambitionem hanc veſtimentorum comprobare, quod re ipſa notior ſit, quam probatione aliqua indigeat; nihilominus in gratiam ſtudioſorum ſacrarum litterarum, ex variis gentium monumentis aliqua afferantur, ad inaugurationis pompam, regiumquè veſtimentum in Republica Iſraëlitica illuſtrandum.

Princeps enim in quacumque potiſſimum pompa, ornatu, amictu cum apparere ſoleret; certe cum primum inaugurabatur, hoc ſpecimen majeſtatis dare
E curabat: qua de cauſa ſingulares quaſdam ac præclariſſimas Principes habuiſſe veſtes, veterum monumenta teſtantur. Reges enim Perſarum circa cultum veſtium ſtuduiſſe, teſtis eſt Plutarchus, ubi regiæ veſtis Artaxerxis meminit, quam inter venandum cuidam Tyribazo dono dedit, & Candym appellat. *In venatione quadam*, inquit, *monſtrante ſibi Tyribazo Candym ſuum lacerum, quid agendum, eſſet rogavit. Cum ſubjeciſſet ille, alium ipſe indue, hunc mihi dona. Ita fiet, addens, hunc tibi, Tyribaze, dono, ſed gerere interdico.* Interdixit autem uſum illius veſtis Artaxerxes Tyribazo, regiæ majeſtatis de cauſa, quam veſtis illa præ ſe ferebat. Ejus verò
F veſtis qualis eſſet majeſtas, idem auctor ibidem aperuit, cum de Artaxerxis in militaribus laboribus frequenti ſtudio ſubintulit: *Neque enim aurum, vel candys, vel duodecim millium talentorum corpori circumjectus ornatus, retinebat eum à laboribus, & ærumnis, inſtar militum gregariorum ſubeundis.* Adeò igitur præfulgida erat veſtis Artaxerxis quotidiana, qua etiam utebatur inter militares labores; ut tota auro, gemmiſque, ut reor, contexta viſeretur. Advertatur

tatur valor *μυρίων, καὶ δισχιλίων ταλάντων* duodecim millium talentorum; & dementiam illius in regia majeſtate, & ambitioſam vanitatem in veſte, & laborem in pondere veſtis agnoſcemus. Quantumvis enim minimum talentum illius ſeculi velimus extitiſſe, fidem tamen ſuperant, quæ hic Plutarchus de Artaxerxe memoriæ prodidit.

Cyri quoque ſtudium in majeſtate regia portendenda, ex veſtibus ſatis magnificis Xenoph. lib. 8. pædiæ ſcripſit; referens eum colores inuſitatos excogitaſſe, præter ornamenta gemmata in brachiis, & circa crura ex periſcelidibus, quibus tibias etiam ornari volebat, ne quid ambitioſæ majeſtati deeſſet ad ornatum. *Jam ipſe Cyrus*, inquit, *apparebat ex portis ſuper currum, rectam tiaram habens, tunicamque purpuream ſemialbam, aliis vero ſemialbam habere non licet, & circa crura periſcelides hederaceo colore infectas, & candym purpureum totum.* Satis hæc quidem ampla ad regiam majeſtatem oſtentandam, ſed vilia, modeſta, aut nullius fere conſiderationis videntur, ſi cum his conferantur, quæ de Demetrii Antigoni filii vanitate Plutarchus ſcribit. Is enim eo dementiæ ac ſtultitiæ devenit, ut in cœlum dominari, & Deum ipſum æmulari ſe velle videretur. Etenim chlamydem ad ſimulacrum mundi, cœleſtes orbes & orbium aſtra repræſentantem ſibi intexi, atque parari juſſit. Audiatur Plutar. in Demetr. ſtultiſſimi hominis inſanam mentem irridens, & verbis ſane graviſſimis ſubſannans. *Et erat*, inquit, *re vera ingens circa Demetrium tragœdia, qui non ſolum amiciebat ſe, & caput diademabat, nullo exemplo dimitris cauſiis, atque auro intertextis purpureis, verum etiam pedibus adhibebat auratas ex purpura compacta ſoleas. Chlamys ei longo tempore texebatur; ſuperbum opus ad ſimulacrum mundi & ſiderum; quam rudem in rerum converſione reliquit. Nec iſta ſuſtinuit quiſquam uti, quamvis ſucceſſerint ei non pauci in Macedonia faſtuoſi Reges.* Quod facit ad argumentum faſtuoſæ chlamydis excogitatæ à Demetrio rerum viciſſitudinum immemore. O mira præpotentis Dei ars, qua ſuperborum hominum artes deludit; ut ſuam omnipotentiam quoquo modo etiam in minimis aperiat, niſi homines cœcutire vellent, ut revera cœcutiunt. Cœlum ipſum, mundique imaginem humeris geſtare Demetrius cogitabat; ut mundi rector ſaltem ficte crederetur, ſed rudem illam imaginem reliquit, & neque fictam mundi imaginem eidem geſtare permiſit Deus.

Satis de exteris; de Romanis nobis plura ſuperſunt dicenda, qui pariter pro decore Reipublicæ; & principatus dignitate uſi ſunt nobiliori amictu. De Romulo enim Plutarchus. *Tunica*, inquit, *veſtiebatur purpurea, & toga prætexta.* De Numa, qui Romulo ſucceſſit, *οὗτος δὲ τὴν βασιλικὴν ἀναλαβὼν ἐσθῆτα κατέβαινε*, Id eſt: *Hic autem*, nempe Numa, *regio veſtitu amictus deſcendit*, ſupple è Capitolio. Loquitur de Numæ inauguratione; ut ab eo uſque tempore magnifica, præclaraque veſtimentorum genera apud Romanos, ad ornatum illorum, qui magiſtratum iniiſſent, excogitata conſtet. Hac enim de cauſa latum clavum, & chlamydem repererunt. Chlamydem autem idem eſſe cum paludamento, ſenſit Nonius Marcel. & probat Wolfang lib. 8. Comment. Rom. Reipub. cap. 10. Lipſius quoque docte idem confirmat lib. 2. de milit. Rom. dial. 12. Inter præclariora verò veſtimenta Romanorum, primum locum tenebat, quæ Imperatoria chlamys dicebatur, à dignitate perſonæ, penes quam illius uſus erat. Hujus Imperatoriæ veſtis Herodian. lib. 15. hiſtor. Aug. meminit cum de Macrino loquitur dicens: *ἅπερ ὁρῶν ὁ Μακρῖνος, φοβηθείς τε μὴ παντάπασι γυμνωθεὶς τῆς δυνάμεως, αἰχμάλωτός τε ληφθεὶς, αἰσχίστως ὑβρισθείη, ἔτι τῆς μάχης συνεστώσης, ἑσπέρας*

A *ἤδη προσιούσης, ἀποῤῥίψας τὸ χλαμύδιον, καὶ εἴ τι σχῆμα βασιλικὸν περιέκειτο.* Hoc eſt: *Quæ conſiderans Macrinus, metuens ne plene omnibus exutus copiis captivus ageretur, nihil non paſſurus contumeliæ, ſtante adhuc acie, chlamydem ſibi, cæterumque Imperatorium detrahit ornatum.* De chlamyde quoque aurata Tacitus meminit, & Plinius, qui Agrippinam Claudii in emiſſione lacus Fucini præſidentem, paludamento auro textili induit: quam eamdem chlamyde aurata veſtitam dixerat Tacitus. Ejus quoque meminit Ælius Spartianus in Adriano referens dona eidem à Pharaſmane allata.

Quod autem paludamentum veſtis ſummi Princi- B pis, ac Magiſtratus verè eſſet, doctiſſimè Wolfang. loco citato docet, aureumque fuiſſe probat. Purpureum quoque paludamentum tradit nobis cap. 11. cujus etiam meminit Herodian. fictas ſimulationes Antonini referens lib. 4. hiſtor. Aug. dicens: *ὡς δὲ εἰσήλασεν εἰς τὴν πόλιν σὺν παντὶ τῷ στρατῷ, πρῶτον εἰς τὸν νεὼν ἀνελθὼν, πολλὰς ἑκατόμβας κατέθυσε, λιβάνῳ τε τοὺς βωμοὺς ἐσώρευσεν.* (Attendatur principis in Idolis religio, & pietas, ac veneratio in Alexandri Magni ſepulcro ob militarem virtutem.) *ἐκεῖθεν δ' ἐλθὼν εἰς τὸ Ἀλεξάνδρου μνῆμα, τὴν δὲ χλαμύδα, ἣν ἔφερεν ἁλουργῆ, δακτυλίους τε οὓς εἶχε λίθων τιμίων, ζωστῆρας τε, καὶ εἴ τι πολυτελὲς ἔφερε, περιελὼν ἑαυτῷ, ἐπέ-* C *θηκε τῇ ἐκείνου σορῷ.* Hoc eſt: *Ut autem intravit in Urbem cum omni exercitu, primum quidem templum ingreſſus, multas hecatombas immolavit, ac thure cumulavit altaria: inde ad Alexandri monumentum ſe contulit, & chlamydem quam ferebat purpuream, & claris, ſpecioſiſque gemmis annulos conſpicuos, balteumque, & ſi qua alia geſtabat elegantiora, dempta ſibi ipſi, illius poſuit in tumulo.* Itaque quod alii dixerunt paludamentum, Chlamydem Herodianus dixit. De paludamento Iſidorus ait: *Paludamentum pallium fuit Imperatorium, cocco, purpura & auro diſtinctum.* Ejus quidem, ut puto, formæ, qua Virgil. lib. 4. Æneid. deſcribit fuiſſe ami- D ctum Æneæ, cum eum Mercurius adiit. Sic enim ait:

. . . . *Tyrioque ardebat murice læna*
Demiſſa ex humeris, dives quæ munera Dido
Fecerat, & tenui telas diſcreverat auro.

Habentur hæc, multoque plura apud doctiſſimos viros Wolfang. Laz. loco citato, & Juſt. Lipſ. ubi ſupra. Hæc tamen nobis ſufficiant, ut omnibus Magiſtratibus ac Principibus, ad magiſtratus dignitatem demonſtrandam, apud quaſcumque nationes, ſingularia, eaque elegantiſſima veſtimentorum genera extitiſſe, perſuaſum maneat.

E Exterorum omnium allata exempla, præclariſſima quoque Hebræorum Regum veſtimenta extitiſſe nobis perſuadent, ab his enim regiæ dignitatis majeſtatem, reliquæ ſuſcepere nationes. Nam cum Hebræi cæteris gentibus ambitioſiores eſſent, veſtitu quoque lautiores extitiſſe, ex illo Sophon. 1. ſubodoratur: *Viſitabo*, *inquit*, *ſuper eos qui induti ſunt veſte peregrina*; nec non etiam ex illis verbis Chriſti Domini Matth. 6. *Dico enim vobis, quod neque Salomon in omni gloria ſua veſtitus eſt ſicut unum ex iſtis.* Quæ etiam veſtimentorum laſcivia in Hebræis auctoritate Clementis Alexandrini lib. 2. pædag. cap 10. circa finem roboratur. Is namque ſcribit Græ- F corum molliores, molliora quoque ac pretioſiora indumenta ex Judæa afferre conſueviſſe. Cum igitur ex Judæa pretioſiora quæque indumenta ab exteris afferrentur; pretioſa quoque, imò etiam præſtantiſſima apud eos veſtimenta extitiſſe, certiſſimo argumento colligi debet; & inde etiam Hebræorum quoque Regum veſtimenta pretioſiſſima extitiſſe, argumento à minori ad majus colligitur.

Si

Si autem de regalium veſtimentorum materia apud Iſraëlitas aliquid ſubodorari libet; hanc una cum eorundem textura non obſcure poſſumus expiſcari, ex illo Pſal. 44. *Aſtitit Regina a dextris tuis in veſtitu deaurato, circundata varietate.* Pſalmus iſte, ut lib. 1. probavimus, canticum eſt amatorium adoleſcentularum, ad concelebrandum hymenæum Chriſti, & Eccleſiæ, inſtitutum ſub metaphora Salomonis, & Reginæ uxoris: in hoc autem hymenæo concelebrando ornamenta ac pretioſa veſtimenta, quibus Regina utebatur, in allatis proximè verbis à Propheta laudantur. Regis verò, & Reginæ indumenta, ſimillima ſaltem quantum ad materiam, & texturam attinet, credendum eſt. Salomonis igitur cæterorumque Hebræorum Regum veſtimenta, ex eo pſalmi loco, aurea atque ſpectabilia extitiſſe, varietatis de cauſa certo affirmarem.

Hanc regalium veſtimentorum varietatem in liliorum imitatione poſitam Pineda autumat, & probat lib. 6. de reb Salom. cap. 5. num. 5. debili ſanè, me judice, argumento: ex illa nimirum Chriſti Domini ſimilitudine, qui dum ſui ſeculi veſtimentorum luxum damnaret, eo argumento utitur; quod neque Salomon in omni gloria ſua veſtitus fuerit tam egregie, quemadmodum Hebræi illius ætatis; quam cum Dominus protuliſſet ſimilitudinem, ſtatim ſubjecit *videte lilia agri.* Ex quibus ſubillatis verbis Salomonem varietatem florum, liliorumque candorem in veſtitu imitatum Pineda cenſet. Confirmatque ex eo quod Spiritus ſanctus alibi dicat: *Omni tempore veſtimenta tua ſint candida.* Sed quo ſenſu hæc poſtrema dicta ſint verba, Myrothecio primo explicavimus.

Verum quam longe à ſcopo aberraverit Pineda, omnes, ut puto, vident. Nam ſi Chriſti ſermo, aliquam veſtimentorum varietatem in liliis imitandis ſubindicaſſet: potius id referendum eſſet ad eos, cum quibus tunc ille loquebatur; nimirum ad Judæos ſui ſeculi, quos reprehendebat, quod in hoc Salomonem excederent; quam ad Salomonem, cujus veſtimenta viliora extitiſſe, quam ea, quibus tunc utebantur Judæi, Chriſtus ipſe teſtatur.

Veſtitimentis his præſtantiſſimis perobſcurus locus illuſtratur Cantic. cap. 7. in quo venter ſponſæ commendatur à ſponſo his verbis: *Venter tuus ſicut acervus tritici vallatus liliis.* Ubinam aliquando tritici acervum, liliis vallari conſueviſſe legimus? Nullibi certe, nec legitur, nec rationabiliter ſuſpicari id poſſe reor; verum à pretioſis veſtibus liliaceis figuris contextis, vel opere phrygiano ſuperpictis, vel acu pictis, vel opere plumario, lux accipitur. Nam à ſuavitate rotunditatis tantiſper elevatæ in modum colliculi, qui in acervo tritici conſpicitur; in rotundum ad formam dimidiatæ ſphæræ ſuccreſcens, atque leniter in planum decreſcens, venter mulieris pulcherrimam accipit formam; & Spiritus ſancti ſingularis, artificioſaque comparatio in ea ſimilitudine muliebris uteri ad acervum tritici contuetur. In veſte verò ſacræ ſponſæ contexta liliis, aut quoquo modo picta qua venter tegitur, tritici acervum liliis vallatum, id eſt, ventrem ſponſæ eximia veſte contectum cognoſcimus. Ex hoc etiam loco ſacrorum Canticorum, Reginarum illius ſeculi in veſtibus ornatus, & ſplendor, qui conſpergebant eadem veſtimenta liliis acu pictis, hauritur.

Reges Iſraëlitas eorumque veſtimenta repetamus; de quibus ita cap. 22. lib. 3. Reg. ſacer ſcriptor: *Rex autem Iſraël, & Joſaphat Rex Juda ſedebant unuſquiſque in ſolio ſuo, veſtiti cultu regio in area juxta oſtium portæ Samariæ.* Ex qua cultus regii phraſi ſignificantur veſtes ſplendidæ, ac regiæ, & lautæ. Herodem Agrippam tradit Joſeph. lib. 19. Antiq. cap. 7. ali-

A quando ad populum concionatum fuiſſe; veſte tota ex argento, mirabili opere contexta, quæ radios exorientis ſolis excipiendo, & divinum quemdam fulgorem emittendo, venerationem cum horrore ſpectantibus incuteret. *Proceſſit Herodes in theatrum,* inquit ille, *amictus veſte tota ex argento mirabili operè contexta, quæ radiis exorientis ſolis percuſſa, & divinum quemdam ſplendorem emittens, venerationem cum horrore incutiebat ſpectantibus.* Quo ſanè ex loco, quam prodigi ambitioſique Reges Hebræorum in amictu fuerint, ad Chriſti Servatoris noſtri uſque tempora, colligitur. Eſt autem vero ſimile Herodem ambitioſſimum priſcos Hebræorum Reges imi- B tatum, ut nemini illorum ſecundus videretur.

Si de colore veſtimentorum regalium apud Iſraëlitas ſermo ſit, Pineda lib. 4. de reb. Salom. cap. 5. num. 4. & 5. Salomonem candida veſte ſemper uſum affirmabit. Sed doctiſſimum virum redarguendum arbitror ex ſacris: ſic enim Cantic. 7. capilli ſponſi regiis veſtimentis comparantur his verbis: *Comæ tuæ ſicut purpura Regum juncta canalibus.* Quæ comparatio ab Iſraëlitica puella minimè ſumpta fuit à purpura exterorum Regum, quin potius à veſte Regis Iſraël. Stat etiam contra Pinedam Joſeph. lib. 8. antiquit. cap. 2. à quo reliquos orbis Reges fama Salomonis commotos, vaſa tam aurea, quam C argentea, veſtes quoque purpureas, & ex omni genere aromatum munera ad eum miſiſſe accepimus. Hoc autem, quod de veſtibus purpureis Joſephus ſcribit, de veſtimentis Regiis ipſi ad uſum, & ad induendum idoneis accipiatur neceſſe eſt: juxta omnium Principum conſuetudinem, qui cum, ad aliquem alium Principem veſtimenta, chlamydes, paludamenta, pallia, vel aliud ſimile munus tranſmittunt; ut ipſemet quoque Pineda fatetur lib. eodem cap. ult. non alterius materiæ, coloris, ac formæ ea tranſmitti ſolent, quam quæ Regibus cui mittuntur, uſui eſſe valeant. Quamobrem purpurea veſte Salomonem amictum aliquando dicemus, D niſi pro Pineda albam purpuram comminiſci velimus.

Confirmari, & magis illuſtrari hæc poſſunt ex purpureo veſtimento, quo milites Prætorii Chriſtum ad illudendum induerunt, ut eundem ex joco Regem ſalutarent, & ad illius regni contemptum adorarent. Non enim in ſalutando Chriſtum, ad ritus inaugurationis Imperii, ut puto, reſpexerunt, dicentes, *Ave Chriſte Imperator*, aut aliquid aliud ejuſmodi; ſed ad ritus regios Hebræorum in contemptum tam Chriſti, quam ipſorum Jeroſolymitarum dicebant, *Ave Rex Judæorum.* Quapropter deriſoriis etiam indumentis Reges Iſraël dum militibus imitarentur, ſimilibus veſtimentis Servatorem noſtrum ab eis cir- E cumamictum conſtat: quamobrem ſub chlamyde etiam veſte purpurea indutum cenſeo. Superinjeciſſe enim poſtmodum milites Salvatori coccineam chlamydem, auctoribus Hebræis ſuſpicari poteſt ex illis verbis, quo illum in contemptum ſalutabant dicentes, *Ave Rex Judæorum.* Regia igitur Regum Iſraëlitarum veſtimentorum majeſtas, ex loco Pſalmi jam relato, ex ſacris Canticis, ex dicto Chriſti Domini, & multo magis ex impietate Prætorianorum militum in Salvatoris noſtri injuria, ſatis ſubodorari poteſt; quicquid enim luxus, ac Majeſtatis reliquæ gentes retinuerunt, ab Hebræis profectò hauſerunt.

F

CAP. XLIII.

Forma amictus Regum Iſraëlitarum expiſcatur.

Ad loca 1. Reg. cap. 24. *Surrexit ergo David, & præcidit oram chlamydis Saul ſilenter: poſt hæc percuſ-*

ſit David cor ſuum eo quod abſcidiſſet oram chlamydis Saul. Ibid cap. 22. *Et trucidavit in die illo octoginta quinque viros veſtitos Ephod lineo.* 1. Paralip. cap. 15. *Porrò David erat indutus ſtola byſſina.* Et ad alia.

QUÆ ſuperiori capitulo de præſtantia, & majeſtate regii amictus dicta fuere, ſatis revera tecta ſunt veterum Iſraëlitarum deſuetudine, & tenebris velata, ac à me frigidè admodum comprobata, lectorem, ut puto, benevolum excitarunt, ut ejuſdem amictus Iſraëlitici Regii propriam germanamque formam cognoſcere concuperet. Equidem niſi ſacrorum Arcanorum reconditorium iſtud regalium veſtimentorum à nobis aperiretur, muneri noſtro plurimum defuiſſemus, dum illius vocabuli perobſcuri הָעֵדוּת ex veſtibus ſignificationem non aperuiſſemus. Nec enim ſufficit oſtendiſſe eo vocabulo veſtem regiam ſignificari; niſi forma quoque regalium veſtimentorum monſtretur. Hic opus, hic labor eſt. Hæc eſt arena, in quam nullus, adhuc, quod ſciverim, deſcendere auſus eſt: propterea ad eam formam indagandam, ſacrum ſacerdotale Ephod adire cogimur, ſortes mittere, divinaque conſulendo oracula, reſponſa ab his excipere, quæ rem iſtam explicent. Sacræ enim Litteræ formam Regii Iſraëlitici amictus vix inſinuarunt; aperuere minimè. Quamobrem divinare in his cum ſit perdifficile, ex Scripturis ſacris, quæ probabiliora nobis videbuntur, leviter inſinuaſſe ſufficiat. Benevoli lectoris erit, ſubtiliori indagine veriora excogitare, quibus ego quoque ſubſcribam. In hac enim ſtructura regii amictus, parum me feciſſe haud intelligo, fundamenta ſi excavavero, primoſque jecerim lapides: aliorum erit poſtmodum in ſuprema conſurgere, parietes elevare, altum pulcherrimumque ædificium conſtruere.

Chlamydis Imperatoriæ ex Romanorum conſuetudine contemplemur formam; tum ut de more ab exteris ad ſacra progrediamur, tum ut ſacra magis, magiſque elucidentur, præſertim cum noſter Vulgatus ſæpiſſimè chlamydis vocabulo regium Iſraëlitarum amictum expreſſerit. Doctiſſimus Lipſius lib. 2. de milit. Rom. dial. 12. ingenioſè nobis chlamydem effigiavit ex auctoritate Strabonis terram habitatam ſic effigiantis: ἡ δ' οἰκουμένη χλαμυδοειδὴς, ἐν τούτῳ νῆσος ἐλάττων ἢ ἥμισυ τοῦ τετραπλεύρου μέρους οὖσα. Hoc eſt: *Terra autem habitata eſt ut inſula, formam chlamydis gerens in illo*, id eſt, in Atlantico Oceano, *minor ſemiſſe, ut pars quadrilateris exiſtens.* Hinc ſumpto argumento Lipſius chlamydem ſic deſcribit: *Extremis longitudinis utrumque anguſtis latioribus imis, qualia ſunt, me Judice, pallia quorum hodie eſt uſus; niſi quod, & capitio, ut cum vulgo loquamur, ſive collari carebant; fibula aurea, argenteavè, gemma, aut alio quopiam pretioſo, pro dignitate perſonæ, in anteriori parte ad collum conſtringebatur.*

Chlamydis uſum apud Iſraëlitas Reges extitiſſe, aliqui fortaſſe credent, quod lib. 1. Reg. cap. 24. ejus meminerit ſacer textus dicens: *Surrexit ergo David, & præcidit oram chlamydis Saul latenter: poſt hæc percuſſit cor ſuum David eo quod abſcidiſſet oram chlamydis Saul.* Regnabat tunc Saul in Iſraël, & quæ ibi chlamys appellatur, regia erat veſtis. Reges igitur Iſraël chlamyde, vel ſi cum Lipſio loqui velimus, paludamento veſtiebantur. Chlamydem enim, ac paludamentum idem fuiſſe Lipſius, & alii cum eo, ut dicebamus, cenſuerunt: quamvis paludamentum Romanorum Imperatorum ac nobiliorum, chlamydem verò Macedonum fuiſſe videatur: quamobrem paludamento amictos Saulem, ac reliquos Reges Iſraël, ſive chlamydatos, agnoſcere ex illorum ſententia cogeremur; niſi aliò nos ſacræ litteræ deflectere coëgiſſent.

A Sacra igitur oracula à nobis conſulantur; & ex vi vocabulorum, regiorum veſtimentorum forma exquiratur. Hebraice מְעִיל *megnil* genus illud regii amictus appellatur; quod noſtri chlamydem dixerunt: ut igitur regium Iſraëlitarum amictum cognoſcamus; quid ſibi dictio illa velit, primò diſcutiendum erit. Non enim aliud veſtimenti genus, chlamydis vocabulo noſter Vulgatus voluit, & aliud codex Hebraicus; ſed idem omnino noſter interpres chlamyde ſignificavit; quod *megnil* Hebraicè dictum fuit. Hoc idem genus veſtimenti diploïdem dixerunt Græca exemplaria in prædicto loco lib. 1. Reg. καὶ ἀνέστη Δαβὶδ, καὶ ἀφεῖλε τὸ πτερύγιον τοῦ διπλοΐδος τοῦ Σαοὺλ λαθραίως,
B καὶ ἐγενήθη μετὰ ταῦτα, καὶ ἐπάταξε καρδία Δαβὶδ αὐτὸν, ὅτι ἀφεῖλε τὸ πτερύγιον τοῦ διπλοΐδος αὐτοῦ. Hoc eſt: *Et ſurrexit David, & præcidit oram diploidis Saul occultè: & factum eſt poſt hæc; & percuſſit cor David illum, quoniam præcidit oram diploïdis ejus.* Joſeph verò lib. 6. Antiquit. nec formam hujus veſtimenti expreſſit, nec nomen aliquod particulare illius adhibuit: ſed generali uſus vocabulo veſtem appellavit regiam: ea propter circa formam illius paulo amplius ex his auctoribus, quam ex ſacris textibus ſubodorari potuit.

Paucis itaque ut quæ ſentiam, in præſentiarum abſolvam, affirmatè dico illud ornamentum regium,
C quod lib. 4. Reg. cap. 11. & lib. 2. Paral. cap. 23. הָעֵדוּת *hagneduth* nominatur Hebraicè, regiumque veſtimentum ſignificari nonnulli viri docti affirmant, & nos probabiliſſimam hanc ſignificationem cenſuimus, forma fuiſſe non abſimili à pontificali amictu. Quemadmodum verò Pontifex præter lineam veſtem duobus inſignioribus veſtimentorum generibus amiciebatur, ſuperiore nimirum Ephod, & inferiori tunica hyacinthina; ita quoque utraque Regem Iſraëliticum amictum arbitramur, ſuperhumerali videlicet, quod Ephod ſacris in litteris nuncupatur, & tunica hyacinthina, qua Pontifices Iſraëlitici rem ſacram facturi utebantur. Superior enim auro & pretioſiſſimis
D gemmis contexta, acuque picta, coloribus variis ornata, & opere phrygiano elaborata conſpiciebatur; inferior autem veſtis ex ſimplici hyacintho contexta erat. Hæc eadem veſtimenta pro majeſtate dignitateque regia Reges Iſraëlitas geſtaſſe arbitror: eo tamen cum diſcrimine, quod Summi Sacerdotis Ephod, gemmas in humeris, ac in pectore, cum Urim, & Thumim in rationali, ut Deum conſuleret & divina exciperet oracula, geſtabat; Regis verò Ephod his omnibus carebat; quod Deum conſulere, divina excipere oracula, aut ſacra contrectare, ejus non eſſet muneris. Sacerdotis Summi limbus hyacinthinæ tunicæ aureis tintinnabulis, aureiſque ma-
E lis punicis circundabatur: Regis vero hyacinthina tunica ſecus. Nam cum Summi Sacerdotis eſſet, ea amictum tunica hyacinthina in Sancta Sanctorum ingredi, quo nemini, ne viſu quidam pervenire licebat; propterea limbum veſtis tintinnabulis circumcirca refertum gerebat, ut eo in Sancta Sanctorum progrediente, à tintinnabulorum tinnitu, greſſus illius ab his, qui foris erant, metirentur; & una cum eo minores Sacerdotes, ac reliqui de populo, precibus in Sancta Sanctorum pervenirent. Cum verò nullibi Rex Deum adiret, quò reliquis quoque de populo adire non liceret; propterea nec ad limbum ejus hyacinthinæ tunicæ tintinnabulis opus erat. Diadema
F quoque ejuſdem omnino formæ in Pontifice, ac in Rege, me judice, conſpiciebatur; ut ex infra delineanda regii amictus figura (cujus nemo adhuc ſchema, vel ſcripſit, vel dedit) intueri poteſt.

Ut verò quæ de habitu regio à nobis huc uſque dicta ſunt, commentitia minimè videantur, ſed ea ipſa pro modulo noſtro ſacris Scripturis firmentur: prænotandum duxi, quod Ephod Pontificis hyacintho,

tho, auro, coccoque bis tinɗo opere polymito intextum, ut dicebamus, acuque piɗum erat. De quo Exo. 24. *Facient autem ſuperhumerale de auro, hyacintho, & purpura, coccoque bis tinɗo, & byſſo retorta, opere polymito: duas oras junɗas habebit in utroque latere ſummitatum, ut in unum redeant.* Ex quibus verbis figura Ephod delineatur, quam Joſeph lib. 3. antiq. cap. 8. Græcorum epomidi ſimilem extitiſſe tradidit. Epomidem autem, ex doɗrina Athen. lib. 13. dipnoſoph. muliebrem veſtem fuiſſe conſtat, quæ unà cum humeris, terga, ac peɗus tegeret. Vis quoque ipſa Græci vocabuli epomidis, hanc ipſam formam præcipuè declarat. Quamvis verò Deus Opt. Max. inter veſtimenta minorum Sacerdotum, nihil tale in materia, aut in textura parari juſſerit; nihilominus quantum attinet ad formam, minores quoque Sacerdotes Ephod geſtaſſe lib. 1. Reg. cap. 22. ſcribitur. Ubi Achimelechus Summus Sacerdos, aliique minores Sacerdotes, qui Pontificem comitati fuerant, juſſu Regis Saul interfeɗi dicuntur, quod David à ſe fugientem benignè Achimelech excepiſſet, eidemque cibaria ſubminiſtraſſet. *Et trucidavit*, ſupple Saul, *in die illo octoginta quinque viros, veſtitos Ephod lineo*, habet textus. Nec prætereundum eſt, non tantum Sacerdotes Ephod uſos fuiſſe, ſed etiam Levitas non Sacerdotes; ut habetur lib. 1. Reg. cap. 2. cum de amiɗu Samuelis his verbis agitur: *Samuel autem miniſtrabat ante faciem Domini, puer accinɗus Ephod lineo, & tunicam parvam faciebat ei mater ſua, quam afferebat ſtatutis diebus.* Samuel autem non ad proſapiam ſacerdotalem, ſed ad Leviticam ex Merari pertinebat: quamobrem certò ex his cognoſcimus, minimè vetitum extitiſſe non Sacerdotibus Ephod uti, atque propterea Regibus quoque eo amiɗu uti licuiſſe certò conſtare debet, tum ratione jam allata, tum etiam ex ſacris oraculis. Nam 2. Reg. cap. 6. in quo ſermo eſt de ſolemniori pompa cum Arca fœderis ad Civitatem David deduceretur, & de ſolemniori Regis amiɗu, Davidem Ephod geſtaſſe ſcribitur: *Porrò David erat accinɗus Ephod lineo.*

Hoc plenæ majeſtatis amiɗu Rex Iſraël adeo conſpiciendus, ac venerandus apparebat, ut fortaſſe ab hoc ornamenti genere ſuum latum clavum Romanos mutuatos cenſeri poſſit. Erat enim latus clavus veſtimentum Senatorium, ac Præſidum proprium: ad latera, & ſub axillis apertum, ut ferunt, quale fuiſſe Ephod in regia icone infra delineanda monſtrabitur. Latum clavum Tullium Hoſtilium primum omnium geſtaſſe ex Romanorum Regibus, & ab Hetruſcis ab eo deviɗis illum ſumpſiſſe, ſcribit Plin. lib. 9. cap. 29. Hetruſcos autem totius Italiæ antiquiſſimos, ab Hebræis illud amiɗus genus ſumpſiſſe credere par eſt. Nam proprii etiam idiomatis antiquiora vocabula, Hetruſcos ab Hebræis accepiſſe tabulæ æneæ, quæ adhuc Eugubii ſervantur, veteri Hetruſcorum lingua conſcriptæ, eorundem cum Hebræis vocibus connexionem ſubindicant; ut ex earundem interpretatione conjici poteſt, quam Reverendus Dominus Abbas Ubaldus Urbinas, mira ingenii felicitate publicavit. Quod cum nemo antea tentare fuiſſet auſus, ipſe unus tentavit, ac publicavit. Sacerdos Herculeos illo etiam veſtimentorum genere uſos auɗor eſt Silius Ital. lib. 3. Pun. in hæc carmina:

Diſcinɗis mos thura dare, atque è lege parentum
Sacrificam lato veſtem diſtinguere clavo.

Latum clavum veſtibus his, quibus ſacrorum miniſtri in Chriſti Eccleſia utuntur, nimirum Dalmaticis diaconorum, atque hypodiaconorum ſimillimum extitiſſe ſcripſit Wolfang. Laz. lib. 8. comment. Reipub. Rom. cap. 4. ad finem; quod proba-

A bile puto, ſi demſeris manicas. Huic quoque perſimile fuiſſe Hebræorum Ephod, infra poſitum ſchema monſtrabit; ſi cingulum ab eo detrahatur: nam brevitatem, prolixitatemque veſtimentorum, temporum mutatio, miniſteriorumque diverſas introducere valuit.

Verum à Romanorum lato clavo ad ſacra revertamur oracula, in quibus de Joaſi inauguratione cum agitur, dicitur: *Et poſuerunt ſuper illud teſtimonium.* Ubi præſtantiſſimum hujus indumenti genus lato clavo perſimile cum talari tunica, vocabulo הָעֵדוּת *hagneduth* ſignificatum ſuſpicari licet; quod in eo regiæ

B majeſtatis ac dignitatis decor venerandus ſuſpiceretur. Ut autem in Saulis amiɗu, regiam tunicam talarem ſub Ephod agnoſcamus; quid vocabulo tunicæ accipiendum ſit, perquiratur. Vatablus pro tunica interpretatus eſt *interula*, hoc vocabulo inferiorem tunicam intelligens, cui Ephod ſuperimponebatur. Appellatur autem illud genus tunicæ Hebraicè מעיל *megnil*, quaſi dicas *ſub altera ſuperiori*: quamobrem ex vi vocis, vocabulo tunicæ inferior veſtis ſignificatur, quæ aliam ſuperiorem habet. Quapropter Levit. cap. 8. in quo de conſecrandis Sacerdotibus agitur, & de veſtibus quas Moyſes Aaronem ex Dei præſcripto induit, hæc verba habentur: *Veſtivit Pontificem ſubucula linea accingens eum balteo, &*

C *induens eum tunica hyacinthina, & deſuper humerale impoſuit.* Ubi autem noſtra tranſlatio tunicam hyacinthinam habet, in Hebræo eſt diɗio *megnil* מְעִיל Et quoties illius tunicæ hyacinthinæ ſacer textus meminit, toties eo vocabulo מְעִיל *megnil* utitur: ut propterea lato vocabulo accipi debeat illorum interpretatio, (ſi rigoroſè conſiderandæ ſint voces) qui illam diɗionem *pallium* ſunt interpretati: quod pallium nimirum genus veſtimenti ſuperioris ſit; at verò מְעִיל veſtis inferior, quæ alia ſuperiori tegebatur. Quapropter optimè noſter interpres מְעִיל *megnil* tunicam dixit.

Talem veſtem ſignificatam fuiſſe voce hebraica

D מְעִיל adhuc evidentius ex ſecundo Reg. cap. 13. probatur; in quo ſermo eſt de veſte Thamar ſororis Abſalon per hæc verba: *Quæ induta erat talari tunica; hujuſcemodi enim filiæ Regis virgines veſtibus utebantur.* Hebraicè verò ſic כִּי כֵן תִּלְבַּשְׁנָה בְנוֹת הַמֶּלֶךְ הַבְּתוּלֹת מְעִילִים Id eſt: *Quoniam ſic veſtiebantur filiæ Regis virgines megnilim.* Tunica igitur illa, quam talarem dixit noſter interpres, & quam induebat Thamar, ex more filiarum Regis; מְעִיל *megnil* Hebraicè dicebatur. Revertamur nunc ad locum ex lib. 1. Reg. cap. 2. in quo de Samuele agitur, diciturque; *Puer accinɗus erat Ephod lineo: & tunicam parvam faciebat ei mater ſua.* Cujus loci ea eſt interpretatio, quod

E Samuel Ephod lineo amiciebatur, ſupra veſtem inferiorem, talarem nimirum, quam ei mater parabat. Et licet Abulenſis velit, parvam appellari à ſacro textu eandem, quam Ephod dixerat; nihilominus à diverſitate diɗionis Hebraicæ optime Gaſpar Sanɗius nobiſcum colligit, hanc tunicam talarem diverſam extitiſſe ab Ephod: eo etiam argumento, quod Samuel Ephod de tabernaculo acciperet; tunica verò talaris in materna foret cura. Sed quia hæc parum noſtra interſunt, propterea aliis diſcutienda ſunto. Ex his non improbabiliter jam intelligimus, non Sacerdotibus etiam non ſolum Ephod, ſed tunicam quoque talarem conceſſam, quæ Sacerdotibus de-

F ſignata fuerat.

Reges autem tunica talari amiɗos fuiſſe, videndum ſupereſt. Nam veſtem, qua Saul 1. Reg. 24. indutus contra David cum exercitu profeɗus eſt, cujus veſtis particulam David præcidiſſe ibi ſcribitur, ex vi vocabuli מְעִיל *megnil*, tunicam talarem extitiſſe, certò cognoſcimus. Eadem enim voce hæc veſtis nominatur, qua in ſacris hyacinthina ſigni-

gnificatur, quam Summus Sacerdos tintinnabulis, malíſque punicis aureis ad limbum refertam induebat. Cum igitur ea voce, ut dicebamus, inferior veſtis ſignificaretur; propterea Reges quoque eadem veſte talari, quæ ſub alia eſſet, nimirum ſub Ephod, fuiſſe veſtitos, certò intelligimus. Hanc etiam talarem David geſtaſſe, quando ſacra arca deferretur ad arcem, ſcribitur lib. 1. Paralip. cap. 15. his verbis. *Porrò David erat indutus ſtola byſſina* Hebraice וְדָוִיד מְכֻרְבָּל בִּמְעִיל בּוּץ Hoc eſt: *Et David amictus erat interula byſſina.* Reges igitur Iſraëlitas talari, atque interula tunica indutos certiſſimè jam conſtet.

Hujus inferioris tunicæ, qua מְעִיל Hebraice di-

A cebatur, formam referens Joſeph. hæc habet. *Pontifex ſuperinduit hyacinthinam tunicam talarem, aſtringitque eam zona coloribus ſupra dictæ ſimili, niſi quod auro intexta eſt.* Verum ab oris ſuperioribus ad limbum uſque, hanc veſtem undequaque clauſam extitiſſe colligi inde ſuſpicor, quod Thamar tunicam talarem ſibi ſcidiſſe ſcribatur. Idem feciſſe Eſdram lib. 1. Eſdr. cap. 19. in ſuo Megnil legimus, præ dolore tranſgreſſionis divinæ legis. Sciſſio verò hæc minimè locum haberet; niſi anterius ad pectus ab oris ad limbum, in totum, vel ex parte, illud genus veſtis clauſum extitiſſet.



Ephod regium ſuper tunicam inferiorem byſſinam, quæ interula appellatur, à Regibus geſtare ſolitum, non ſolum rationibus jam allatis, ex ſacris Litteris petitis convincitur; ſed etiam expreſſè lib. 1. Paral. cap. 15. his verbis juxta Hebraicam phraſim ſcribitur: *Et ſuper David Ephod lineum* וְעַל דָּוִיד אֵפוֹד בָּד Quo in loco dictionem *ſuper* abſque aliqua ponderatione præterire non licet; ab ea enim evidens ac certum à nobis argumentum colligitur, Reges Iſraël una

F cum Ephod ſuperiori, inferiorem quoque geſtaſſe tunicam: aliquando lineam, interdum etiam, me judice, hyacinthinam. Ex quibus quidem duobus veſtibus, talari videlicet tunica, & Ephod, Reges Iſraël omninò induti, ac tecti, veſtitu Sacerdotum ſummorum perſimili apertè conſpiciuntur; ſemota linea inferior ſtricta, ſemotis quoque tintinabulis, & malis punicis à limbo talaris veſtis, & denique ſemoto Rationali ab Ephod, in quo duodecim lapides

des aderant inſerti; in quibus nomina duodecim tribuum filiorum Iſraël cælata habebantur: ut quæ ex pectore Summi Sacerdotis, ac Pontificis erumpebant ſuſpiria, & orationes, dum ſacra faceret, & Thymiama in altari holocauſti, & aureo offerebat, complecterentur, quotquot ad tribus, & ad proſapias filiorum Iſraël pertinebant. Hoc eſt illud Rationale, ſub quo, & in quo latebat illud URIM, & THUMIM tam Sacrum, & Sanctum inter arcana veteris Moſaicæ religionis, ut quid illud eſſet, omnibus, etiam Rabbinis ipſis, ignotum remaneat. Hæc veſtimenta ſolius Sacerdotis Summi erant, illiuſque miniſterio ex divina inſtitutione tantum debebantur: at Regum veſtitus, & amictus, ut dicebamus, Pontificali perſimilis tantum erat, quantum ad ſacrum Diadema, ſanctum Nezer, tunicam talarem, & ſuperhumerale, quo tergum, & pectus Regis tegebatur, & zona auro ac gemmis præfulgida conſtringebatur. Hujus regii amictus dignitatem ac majeſtatem, & in majeſtate decorem, paginæ 1023 icone pro captu noſtro repræſentanda cenſuimus; ut doctiores doctiora adinveniant.

Regii hujus amictus ſingulæ partes, magis magiſque explicentur per characteres, quos hac de cauſa ipſa in icone appoſuimus. Nam littera A pileum acu pictum, & opere phrygionico elaboratum indigitat. B auream coronam triplici calyculorum, ſive gemmarum ordine circundatam demonſtrat. C laminam divinis characteribus inſignitam oſtendit, quæ ſacrum Nezer dicebatur. D hyacinthinam vittam, quæ ſacrum Nezer coronæ alligabat, & tiaræ adſtringebat, indicat. E fluitantes in occipitio vittas oſtendit, quarum de cauſa totum capitis ornamentum diadema appellabatur. F Ephod acu pictum, auro, purpuraque contextum demonſtrat, quod balteo adſtringebatur. G Armillam regii geſtaminis præcipuum ornamentum in brachio ſiniſtro poſitam indigitat. H pluries repetita, inferiorem veſtem hyacinthinam, quæ etiam aliquando byſſina erat, oſtendit. I tandem tabulas ſacræ Legis indicat, quæ Regi tradebantur in ejus inauguratione, ut ex dictione הָעֵדוּת (inferius adhuc magis explicanda) ſuſpicari probabiliter poſſe videtur.

Mirabitur forſitan aliquis, ac quæret: cur David vir ſanctus, non purpureis, ſed lineis atque byſſinis veſtimentis amictus legatur, in ſolemniſſima ſacræ arcæ tranſlatione. Quod equidem propterea memoriæ proditum ſuſpicor, ut nobis ſanctum Regem de more Ephod tunicaque præſtantiſſimis, auro, & gemmis pro dignitate regia intextis amiciri conſueviſſe ſubindicaretur: eo tamen die lineis, atque byſſinis præter conſuetudinem indutum, tum ratione munditiei legalis, ad quam ex lege, eo præſertim die tenebatur; tum ut lætitia gaudioque affectus ſaltare poſſet, choreas ducere, ac lætari coram arca Domini, veſtibus non gravatus. Fieri etiam potuit, ut de more Regum Orientalium, lineo Ephod uteretur, quod byſſinæ, atque lineæ veſtes familiariſſimæ Hebræis eſſent, legalis munditiei de cauſa; propter quam frequentiſſimè quoque balnea cogebantur adire. Nec enim Iſraëlitis tantum, ſed etiam aliis Orientalibus lineæ veſtes familiares fuerunt. Nam de Abradata Suſorum Rege ſcribit Xenoph. lib. 6. de pædia Cyri: *Atque Abradatæ currus quatuor temonum, & equorum octo, pulcherrimè erat ornatus; cumque induturus eſſet lineum thoraca, qui iis patrius eſt.* Thoraca verò veſtem ſignificari lineo Ephod perquam ſimilem, probatione non indiget. Scipionem quoque in Africa albo paludamento uſum ſcribit nobis Lipſ. lib. 2. de milit. Rom. dial. 12. Quamobrem color albus, & lineis uti, regiæ dignitati, illo tempore nequaquam contradicebat.

A Quod autem ejus ſolemniſſimi diei amictus ſancti Regis David, regiæ dignitati correſponderet, Septuaginta interpretes ſubindicarunt, ut reor, 2. Reg. dicentes: καὶ Δαβὶδ ἐνδεδυκὼς στολὴν ἐξηλλαγμένην. Id eſt: *& David indutus erat ſtolam eximiam*, ſeù *ſtolam præſtantem, & præfulgidam.* Quòd nimirum excellentiſſimè candicaret.

Salomoni, auctore Joſepho, ab exteris veſtes quoque purpureæ mittebantur: quo teſte illarum pariter uſum Regibus Iſraëliticis diſſonum nequaquam fuiſſe conſtat. Quemadmodum etiam ſuperhumerale auro, gemmiſque contextum, acu pictum, & undequaque præſtantiſſimum, Sacerdotali perſimile, B Reges Iſraël habuiſſe par eſt credere; tum ratione regiæ dignitatis ac majeſtatis, qua nulla major in Iſraël habebatur; tum etiam quod nulla lege id Regibus interdiceretur.

CAP. XLIV.

Sacras legis tabulas, Regi inaugurando traditas ſuſpicatur.

Ad loca 2. Paral. cap. 23. *Et impoſuerunt ei diadema, C & teſtimonium, dederuntque ei in manu tenendam legem.* Deuter. 17. *Poſtquam autem ſederit in ſolio regni ſui; deſcribet ſibi Deuteronomium legis hujus in volumine, accipiens exemplar à Sacerdotibus Leviticæ tribus: & habebit ſecum, legetque illud omnibus diebus vitæ ſuæ: ut diſcat timere Dominum Deum ſuum, & cuſtodire verba, & cæremonias ejus, quæ in lege præcepta ſunt.* Et ad alia plura.

QVAMVIS communi axiomate, bracteatoque proverbio paſſim circumferatur, Regem ac Principem legibus ſolutum eſſe, de veteri D jure; legibus tamen parere debere affirmant omnes, negat nemo. Ut enim populo præſunt magiſtratus, ita magiſtratibus leges: *vereque dici poteſt*, inquit Rhodig. lib. 8. antiquar. lect. cap. 1. *Magiſtratum eſſe legem loquentem, legem vero mutum eſſe magiſtratum.* Quamobrem Antonin. & Severus ſcripſerunt, ut tradit Juſtinianus inſt. quib. mo. teſt. infir. §. fin. *Licet enim legibus ſoluti ſimus, attamen legibus vivimus.* Et in l. *digna vox.* C. de leg. & conſt. princ. hoc idem traditur his verbis: *Digna vox eſt majeſtate regnantis, legibus ſe alligatum Principem fateri: adeo de auctoritate juris noſtra pendet auctoritas; & revera* E *majus imperio eſt ſubmittere legibus principatum.* Eapropter ab hac debita legum obſervantia, exordium ſumpſiſſe arbitror; ut cum Princeps inauguraretur, jura quoque Regni ſervanda, jurandaque eidem proponerentur; quibus à Rege non ſervatis, populus quoque, ac ſubditi à jurata eidem obedientia, ſoluti cenſerentur.

Jurandarum legum conſuetudinem, exordium ſumpſiſſe apud Hebræos ſuſpicor; quorum Reges à divina lege cæremoniali per Moyſen à Deo lata, & ex parte à politica quoque ſoluti omnino non erant: quin potius inter inaugurationis ſolemnia legem accipiebant, manibus tenendam: ut etiam de Saule ſcribit Sanctius in lib. 1. Reg. cap. 10. n. 6. quam- F obrem eodem quo reliqui jure ad eam obſervandam tenebantur. Id ipſum colligitur ex Dei ſtatuto, quod habetur de Rege Deuter. 17. *Poſtquam autem ſederit in ſolio regni ſui, deſcribet ſibi Deuteronomium legis hujus in volumine, accipiens exemplar à Sacerdotibus Leviticæ tribus: & habebit ſecum, legetque illud omnibus diebus vitæ ſuæ: ut diſcat timere Dominum Deum ſuum, & cuſtodire verba, & cæremonias ejus, quæ in lege ſcripta ſunt.*

 Sunt

Sunt igitur propterea, qui dictionem הָעֵרוּת quod 4. Reg. 11. & 2. Paral. 23. poſitum ſuper Joaſum in ſacris oraculis dicitur, nequaquam ornatum, armillam, ſceptrum, aut veſtem, ſed legem interpretentur. Ita Nicolaus de Lyra 4. Reg. cap. 11. Abulenſ. ibid. quæſt. 16. & 17. Pineda lib. 2. de reb. Salom. cap. 8. num. 3. Et Sanctius lib. 1. Reg. cap. 10. his ſubſcribere videtur. Quibus favet plurimum noſter Vulgatus interpres: qui quaſi declarans vim illius vocis הָעֵרוּת *hagneduth*, quam lib. 4. Reg. cap. 1. *teſtimonium* fuerat interpretatus, in 2. Paral. cap. 23. per legem explicavit dicens: *Et impoſuerunt ei diadema, & teſtimonium, dederuntque in manu tenendam legem.*

Cumque legis vocabulo in ſacris oraculis, quinque libri Moyſis ſignificari conſueverint; diſceptandum remanet, & ſub judice lis eſt, in explicatione loci allati: num omnes videlicet quinque Moyſis libri, vocabulo teſtimonii comprehendantur, Regique inaugurando traderentur; an verò unus vel alter tantum illorum librorum eo vocabulo intelligatur, iique ſoli in manus Regis inaugurandi traderentur; conceſſo, quod illa voce הָעֵרוּת *hagneduth* lex ſignificaretur. Ambigunt plurimi, affirmant alii, negant reliqui. Legis vocabulo Deuteronomium tantum ſignificari arbitratur Abul. 4. Reg. cap. 1. quæſt. 16. & quæſt. 17. quem alii plures ſequuntur. Eo argumento ducti, quod Geneſis ſit liber omnino hiſtorialis, non verò legalis. Qua etiam de ratione reliquis libris id negandum putat tribus. Exodus enim, & liber Numerorum, partim hiſtorias, partim leges continent. Liber Levitici illas tantum leges complectitur, quæ ad ritus ſacrificiorum pertinent. Quamobrem hunc librum nequaquam ad Regem, ſed potius ad Sacerdotes pertinuiſſe exiſtimat. Tantum ergo librum Deuteronomii ſignificari illa voce הָעֵרוּת exiſtimat, ubi de inauguratione Regis agitur. Abulenſem ſequitur Sanctius lib. 4. Reg. loco citato dicens: *Eſt autem teſtimonium idem quod lex, ſeu Deuteronomium.* Eaque ducitur ratione, quod in hoc tantum libro Deuteronomii, leges ſpectantes ad ſtatum laïcalem traderentur, quarum præcipua cura Regi ac Principi demandata erat: tum etiam quia is liber reliquos Pentateuchi dignitate anteire putaretur.

Argumento adhuc alio ad id poſſumus duci, nimirum quia liber Deuteronomii veluti cæteris ſanctior cap. 31. Deuter. in latere arcæ reponendus præcipitur. In anno quoque ſeptimo, qui erat quietis, atque redemptionis, liber Deuteronomii, quaſi totius legis compendium, vel expoſitio eſſet, coram omni populo legeretur: ut loco citato videre licet. Nam introëuntibus filiis Iſraël in terram promiſſionis, denuo fœdus inter Deum populumque firmatum fuit, & novis fœderalibus hoſtiis ad legis obſervantiam Iſraëlitæ ſe aſtrinxere. Quapropter totum Deuteronomium, quaſi reliquis libris dignius, ſuper lapides ejuſdem altaris jam calce levigatos ſcribi, Deus juſſiſſe videtur. Quibus tandem rationibus accedit, quod Deus librum hunc in manus Regis Rege jam inaugurato tradendum apertè dixiſſe putatur Deuter. 17. loco citato. Sumpto igitur argumento à dignitate hujus libri, & ex eo quod Rex eundem ſibi deſcribere tenebatur: id circo in manibus Regis hunc librum poſitum inaugurationis in ſolemnitate Abulenſis exiſtimat, ſignificatumque vocabulo הָעֵרוּת, & teſtimonii volunt.

Sententia Abulenſis, licet maximum auctoritatis, probabilitatiſque ſpecimen præ ſe ferat, ſummas quoque, me judice, patitur difficultates; quod plurimi in ea lateant angues ſub herba. Nam quamvis tam vocabulo Hebraico הָעֵרוּת *hagneduth*, quam Latino *Teſtimonium*, & Græco μαρτύριον divina lex

A rectè accipiatur; atque in hoc ſenſu ſæpè in ſacris litteris vox *teſtimonium* ponatur; nunquam tamen in eiſdem ſacris litteris pro tota Dei lege, neque pro omnibus præceptis Leviticis ſeu cæremonialibus, aut politicis & moralibus ſumitur. Pluribus ſacrarum litterarum teſtimoniis hæc veritas corroborari poſſet; ſufficiat tamen unum pro mille ex cap. 4. Deuter. in quo ſub anno quadrageſimo ab exitu filiorum Iſraël de Ægypto, cum jam filii Iſraël terram promiſſionis ingreſſuri eſſent, Moyſes iterum Dei præcepta, cæremonias atque judicia, populo ad mentem revocavit, cui legis repetitioni hanc præfationem præmiſiſſe conſtat; ut rectè conſideravit Va-
B tablus: *Et hæc teſtimonia, & cæremoniæ, atque judicia, quæ locutus eſt ad filios Iſraël.* Hebraicè ſic legitur: אֵלֶּה הָעֵרוֹת וְהַחֻקִּים וְהַמִּשְׁפָּטִים *elleh hagnedoth vehachuqhim vehamiſcpatim.* Quæ ad verbum interpretata ſic ſonant: *Hæc præcepta, cæremoniæ, & judicia.*

Diligentiori indagine vocabula hæc diſcutiantur. Nam intelligentia ſacrarum Litterarum ex Hebraicorum vocabulorum vi cum primis haurienda eſt; quorum quidem vis ac energia maxima ex parte corroſa, ex hominumque mente eraſa cum ſit; ſignificationem quoque eorumdem exoleviſſe perſpicuum eſt. Nam dictio מִשְׁפָּטִים *miſpatim* Latinè *Judicia*,
C ubique in ſacris textibus interpretata, de illis tantum præceptis accipi debet, quæ Judices Reipublicæ reſpiciunt, eiſque normam ſententiæ ferendæ in controverſiis tam civilibus, quam criminalibus Iſraëlitarum præſtant. Etenim à Deo lata fuerunt, ut jurgia tam civilia, quam criminalia de populo ſuo tollerentur. Quamobrem quoties in Pſalmis præſertim Pſal. 118. judicia Dei laudantur, quod ſint bona, quod ſint dulcia, quod ſint appetenda, & alia hujuſce generis de eiſdem affirmantur, quæ paſſim in eo Pſalmo occurrunt; ubique loca illa, de eo genere præceptorum interpretanda ſunt, quæ ad lites decernendas, & ad jus dicendum ſpectant; quo-
D rum obſervantia non omnes de populo ligabat, ſed tantum Principem ac magiſtratus vinciebat, qui quidem decernere lites ac jurgia populorum, juxta præſcriptas à Deo leges tenebantur.

Quoties vero dictio הַחֻקִּים *hachuqhim*, in eo Pſal. aut alibi in ſacris legitur litteris, quæ dictio Latinè *Statuta* interpretatur, & quandoque in genere feminino הַחֻקּוֹת *hachuqhot* reperitur; ea voce leges ſignificantur, ac ſtatuta, quæ alio vocabulo צְדָקָה *zedaqhah*, in ſingulari, & צְדָקוֹת *zedaqhoth* in plurali dicuntur, proprieque per *Juſtitiam*, ſive *Juſtificationes* à noſtro latino Interprete vertuntur. Et recte qui-
E dem. Nam ſemper his vocibus ſubindicantur præcepta cæremonialia, in quibus ritus ac cæremoniæ ad religionem Deique cultum in altari, aut tabernaculo ſpectantes præſcribuntur. Hæc ſtatuta, ritus, & cæremonias obſervandas in ſacrificiis reſpiciebant: nec non etiam circa munditiam, ac qualitatem illorum verſabantur, qui ſacrificia offerebant, & aliis quoque, quibus de carnibus ſacrificatis comedere non erat vetitum, in his leges præſcribebantur. Quamobrem quod ad hanc poſteriorem rationem, hæc ſtatuta omnes, etiam non Sacerdotes, ligabant: quod ad utrumque verò Sacerdotes tantum obligabant. Quia eorum erat muneris, ea quæ altaria, & ritus offerendorum ſacrificiorum reſpi-
F ciebant, diligenti ſtudio curare, advertendo ne immundorum oblationes ac victimæ reciperentur, nevè ad comedendum aut offerendum ſacra inhabiles admitterentur. Dicebantur autem hæc præcepta Juſtificationes, quia per ea homines à peccatis juſtificabantur, & ab immunditiis purgabantur: juſtificabantur, inquam, in fide Chriſti venturi, qui quidem victimis, & hoſtiis veteris legis re-

repræſentabatur, & ab illis patribus fide venturus intuebatur.

Præcepta denique moralia in duabus tabulis lapideis exarata, pluribus vocibus ac vocabulis indigitabantur. Et primo quidem generali hoc vocabulo דֶּרֶךְ *derech*, quæ via interpretatur, ſignificabantur. Hac vero voce propterea moralia præcepta dicebantur; quod totius moralis philoſophiæ fundamenta exiſterent, horumque præceptorum obſervantia ſemita cenſeretur, qua homo ad Deum ducebatur. Quamobrem Propheta quoque in Pſal. 11. ad hæc præcepta reſpiciens dicebat: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum.* Frequentius vero eadem præcepta hac voce מִצְוָה *mitsvah* ſignificantur: quæ dictio à verbo צָוָה *tſavah* derivatur; quod *præcipere*, *mandare*, ſeu *jubere* valet. Itaque per antonomaſiam, & per reſpectum ad reliquas leges, tam cæremoniales, quam politicas, hæc ſtatuta in tabulis à Deo inciſa *Præcepta*, ſive *Mandata* appellantur, & per excellentiorem quandam ſanctitatem dicta fuere הָעֵדוֹת *hagnedoth*, id eſt, *teſtimonia.* Quod nimirum præcepta hæc ipſemet Deus ſuo digito, hoc eſt ſua omnipotentia, in tabulis lapideis inſculpſiſſet; ad conteſtationem colloquii cum Moyſe in monte habiti, necnon etiam ad notam Imperii, quod in exercitum Iſraëliticum, Iſraëliticamque Rempublicam aſſumpſerat, quam inſtituendam regendamque ſuſceperat. Ea propter hæ tabulæ lapideæ, in ſacro textu, tabulæ teſtimonii nominantur, ſive mavis dicere tabulæ *hagneduth.* Sic legitur cap. 32. Exod. *Et reverſus eſt Moyſes de monte portans duas tabulas teſtimonii in manu ſua.* Hebraicè ſic habetur: וּשְׁנֵי לֻחֹת הָעֵדֻת בְּיָדוֹ *Et duæ tabulæ hagneduth in manu illius.*

Quia verò hæ tabulæ lapideæ, tabulæ הָעֵדוּת *hagneduth*, ut diximus, appellabantur, hinc factum arbitror, ut in ſacris Scripturis ex frequenti uſu, & excellentia illarum ſacrarum tabularum ſola voce *hagneduth* הָעֵדוּת eædem tabulæ ſignificarentur. Quapropter tabernaculum, in quo hæ tabulæ teſtimonii religioſe aſſervabantur; tabernaculum, ſive tentorium *hagneduth* Hebraice אֹהֶל הָעֵדוּת *hohel hagneduth* dictum fuit. Sacra ſimiliter arca, quæ Dei juſſu parata fuit, ut in ea ſacræ hæ tabulæ lapideæ pio cultu, ut par erat, cuſtodirentur, arca teſtimonii, ſive אֲרוֹן הָעֵדוּת *aron hagneduth* appellata fuit. Sacratior quoque locus totius prætorii, ſive tentorii, ſacrum nimirum tabernaculum, in quo candelabrum, menſa panum, altare thymiamatis, & reliqua ſacratiora vaſa divini cultus velaminibus tegebantur, habitaculum teſtimonii, ſeù *miſcan hagneduth* מִשְׁכַּן הָעֵדוּת in ſacra Scriptura nominatur. Et denique præcepta ipſa moralia ſola voce הָעֵדוּת *hagneduth* ſignificata fuere. Quamobrem, quoties latina dictio teſtimonium, apud Vulgatum Interpretem, vel Hebraica *hagneduth* הָעֵדוּת in codicibus Hebraicis ſolitariè poſita legitur, & de lege aut præceptis divinis agitur; toties illam vocem de moralibus tantum præceptis in tabulis inciſis accipi certum eſt: cum illud הָעֵדוּת *hagneduth* ſit epitheton proprium divinæ legis, non univerſim acceptæ, ſed reſtrictæ ad præcepta moralia, legis nomen coarctando. Quod etiam docuit Ribera in cap. 9. epiſt. ad Hebr. de voce *teſtimonium*, quæ dictioni Hebraice הָעֵדוּת correſpondet.

His prælibatis de ſignificatione vocabulorum, atque cum primis de illa voce Hebraica הָעֵדוּת liquido jam, ut puto, conſtat; quando legimus de Joaſo lib. 4. Reg. cap. 11. & 2. Paral. 23. וַיִּתֵּן עָלָיו אֶת הַנֵּזֶר וְאֶת־הָעֵדוּת Quæ ad verbum ſic ſonant: *Et poſuit ſuper illum nezer & hagneduth;* non quidem de omnibus libris legis, neque de ſolo libro Deuteronomii, ut dicebant Abulenſis, Pineda, & Sanctius, ſed tan-

A tum de tabulis lapideis, quas Moyſes de monte ad populum attulerat, locum intelligi debere. Quod nunquam dictione הָעֵדוּת in Scripturis ſacris integra lex, quæ continetur in Exodo, Levitico, Numerorum libris, & Deuteronomio ſignificetur; ſed ſolum ſacræ tabulæ, in quibus moralia præcepta Dei digito exarata, viſebantur.

Quia igitur in ſacro textu Reg. 4. & Paralip. 2. הָעֵדוּת poſitum ſuper Regem, quando inaugurabatur ſcribitur; mihi minimè incredibile videretur, aut à ratione alienum; ſacras divinæ legis tabulas tunc de Arca extractas, Regique ſuſtinendas traditas, ut Moyſis aut Dei perſonam, Regem in populo ſuſtiB nere monſtraretur. Quemadmodum Summus Sacerdos, Dei & Aaronis in eodem populo perſonam ſuſtinebat. Hac enim cæremonia collocandi ſacras legis divinæ tabulas in manibus Principis, eundem à Deo miſſum, veluti alterum Moyſem ſignificabatur, feliciſſimaque ſub illo Rege omina, qualia ſub Moyſe, Deo auſpice, tam populo, quam Regi augurabantur. Quamobrem ſi hac ratione de inauguratione conjectare licet; de lege in tabulis ſcripta verba illa 2. Paral. 23. quæ habentur in noſtra tranſlatione, interpretari poſſent: *Et dederunt ei tenendam legem.* Addita quidem ab interprete, ut reor, ad C declarandam ſignificationem illius vocabuli *teſtimonium:* quod quidem vocabulum potius legem, quam amictum regium à nonnullis ſignificari, non male creditur. Lectoris etiam judicio hæc lis decernenda relinquitur; ut eam amplectatur ſententiam, quam probabiliorem cenſuerit.

Sed neque iſta ſuis carent obſcuritatibus. Cum enim nullibi Scripturam ſacram hujus tabularum legis ab arca extractionis expreſsè meminiſſe legatur, remque tanti momenti ſilentio tegendam minus credibile videatur; ut ſaltem aliquando à Joſepho, vel ab aliquo alio Hebraïcarum rerum ſcriptore, non referretur; ſacras tabulas de ſacra extrahere arca, alienum ab illarum cultu cenſetur. Cum aliD quando adeo temerarium in ſacris oraculis appareat ſolo intuitu illas conſpexiſſe, ut ultimi ſupplicii pœna, cæde multorum Azotiorum, & Bethſamitarum crimen hoc punitum fuerit; propterea ſacras illas tabulas conſpicere, atque contrectare in ſacris oraculis interdictum videtur. Quamobrem aliò declinando, ex alioque capite petendam fore interpretationem illius vocabuli הָעֵדוּת *hagneduth*, ſatius putant alii, niſi velimus, ſacrarum tabularum conſpectum Idololatris quidem vetitum, non verò Iſraëlitis fuiſſe.

Fatemur valida hæc eſſe, nobiſque omninò ignotum, quid eo vocabulo ſignificaretur, quod neque E de tabulis, neque de libris legis ſtrictè illud interpretari poſſit, nec de veſtibus, armillis, ſceptro, aut reliquis, de quibus in ſuperioribus capitulis egimus, accipi valeat. Noſtrum igitur de hac re ſuſpendentes judicium, hærere cogimur: nec noſtram de hac re ignorantiam fateri veremur. At ſi fortaſſe in eo offendatur lector, quod apud noſtrum Interpretem legem datam in manibus Joaſi habeatur; curioſo lectori ſatis fieri poteſt, legis nomine, jura Regis intelligendo, quæ ſcripſiſſe in libro, & repoſuiſſe in tabernaculo Samuelem ex primo Regum cap. 10. ſcimus: vel id poſitum ab interprete, pro eo quod poſtmodum fieri conſueveF rat de libro Deuteronomii, qui juxta Dei præceptum, cum jam in ſolio Rex ſediſſet, eidem tranſcribendus tradebatur. Et his interpretationibus Vulgato Interpreti ſummæ apud nos veritatis, ſatisfactum iri poſſe arbitror.

CAP. XLV.

Olei neceſſitas in conſtituendo Rege Iſraëlitico oſtenditur.

Ad loca 1. Reg. 16. *Imple cornu tuum oleo.* Pſal. 104. *Nolite tangere Chriſtos meos.* Levit. 4. *Si Sacerdos, qui unctus eſt, peccaverit.* Et ad alia.

DISCVTIENDVM occurrit, utrumne olei alicujus effuſio in Regum inaugurationibus, ſeu deſignationibus eſſet neceſſaria, an verò ſine oleo Reges in Republica Iſraëlitica conſtabiliri poſſent. Rei difficultate rationibuſque plurimis doctiſſimus Abulenſis agitatus, nec non etiam rem ipſam ſatis implicitam intelligens, non ſatis firmè loquitur; ſed diverſis in locis ſacræ Scripturæ diverſa videtur docuiſſe. Nam lib. 1. Reg. cap. 16. quæſt. 1. extrema declinare, mediumque tenere cogitavit. (Extrema namque in arduis, difficillimiſque negotiis vitio minimè carere liquido conſtat) Quare affirmavit in Republica Hebræorum, nulla habita ratione olei, interdum quidem oleo ſacro, ejuſdem generis cum illo, quo Sacerdotes initiabantur, prout auctores poſterioris ſententiæ infra recitandæ opinabantur, interdum prophano communique Reges oleo inunctos dicit: aliquando aromatibus condito, more Sacerdotum, nonnunquam ſimplici oleo, ut prioris ſententiæ auctores infra recitandi affirmabant. Et hac ratione, variis ſacrarum Scripturarum locis, in quibus aliquando Reges ſacro oleo initiati ſcribuntur, quandoque verò oleo communi inauguratos fuiſſe inſinuatur, ſatis poſſe fieri putavit.

Cum igitur nihil oleum, aut unctionem ad jus Regis conferre arbitraretur, nullius negotii fore exiſtimavit, iſto, vel illo, vel nullo oleo Reges inaugurari. Nec loquitur Abulenſis de privata in prænunciandis Regibus unctione, ſed de ſolemniori inauguratione, qua ad regni gubernacula Principes aſſumebantur. Illud autem Abulenſis, inter Regum, Sacerdotumque unctionem, diſcrimen excogitavit: quod hi ea lege ligarentur, ut tantum oleo ſancto conſecrati ſacerdotale munus exercere poſſent; Reges verò nequaquam aliqua ad id lege tenerentur: ſed pro arbitrio tam oleo communi, quam prophano, ad regni gubernacula inaugurarentur. Quin etiam nullo jure oleum neceſſarium extitiſſe, ex Rabbinis non pauci exiſtimant.

Reges aliquando non ſacro, ſed communi oleo inauguratos fuiſſe, rationibus petitis ex inunctione Saulis, & Davidis facta per Samuelem, probat Abulenſis. Quod interdum non oleo communi, ſeu prophano, ſed ſancto, ac ſacro Reges inaugurarentur; ex cap. 1. lib. 3. Reg. confirmat: in quo Salomon oleo de tabernaculo ſumpto inauguratus ſcribitur. Illud verò oleum, quo Salomon inauguratus fuit, alterius generis ab eo fuiſſe, quo Sacerdotes ſacrabantur, nulla ratione concedendum exiſtimat, quia hoc tantum genus Sacri conſecrationis olei, divina oracula in ſacro Dei tabernaculo aſſervari ſolitum teſtantur; quæ doctrina vera ſit, necne, ſtatim diſcutiemus. De hac re ita Sanctius in cap. 10. lib. 1. Reg. n. 6. loquitur. *Non diſplicet mihi Abulenſis cogitatio; ſed puto illam cum aliquo diſcrimine eſſe intelligendam, quam ego hoc modo ſine aliquo incommodo reor temperari poſſe: vt ſi quando Rex eſſet ungendus Iſraëlitis, cum nondum erant decem tribus ex magno illo corpore diſtractæ, aut poſt diviſionem illam Reges Juda; tunc ſacrum adhiberi oleum, & unctionem fieri à Sacerdotali manu, aut ab eo qui Sacerdotalem habuit poteſtatem, qualis fuit Samuel, aut alius fortaſſe Pro-*

A *pheta, quomodo unctus Saul, David, & Salomon, qui Reges fuerunt Iſraël, & Reges poſtea Juda, quos unctos fuiſſe arbitror; licet nihil de illorum unctione Scriptura doceat.*

Abulenſi, & reliquis, qui oleum ad Regum inaugurationes nequaquam neceſſarium arbitrantur, occurri poteſt teſtimoniis Sacrorum oraculorum; & monſtrari quoſcunque Reges oleo, quaſi ex lege prænunciatos & conſtitutos fuiſſe. Nam Samuel Saulem in Ramatha, David in Bethlehem Reges quidem prænunciavit: non tamen ſine oleo. Hoc fuiſſe ſacrum, à vaſe monſtrari poſſe ab aliquibus cenſetur, & nos infra diſcutiemus. Ut quid enim
B Deus ad Samuelem dixiſſet, *Imple cornu tuum oleo?* Oleum pariter, quo inunctus fuit Salomon, ſacrum extitiſſe negari non poteſt. Illud etiam, quo Jehu fuit inunctus, ſacrum extiterit, necne, viderint alii: auctoritate enim Joſephi ſacrum fuiſſe, certum aliquibus videtur. Ut quid enim, dicunt aliqui, Eliſæus juſſiſſet illum Prophetarum diſcipulum, quem ad ungendum Jehu in Regem ſuper Iſraël mittebat, accipere lenticulam olei, quod erat vas unguentarium, ut primo libro oſtendimus, niſi ſacrum oleum accipere cogeretur? ſane pro ſanctitate hujus olei præclarum extat Joſephi teſtimonium lib. 9. antiq. cap. 4. ſecundum editionem Græcam,
C vel cap. 6. juxta aliam. Ait enim: Ἐλιζαῖος δὲ ὁ προφήτης ἕνα τῶν μαθητῶν αὐτοῦ, δοὺς αὐτῷ τὸ ἅγιον ἔλαιον, ἔπεμψεν εἰς Ἀρραμαθὰν χρίσοντα τὸν Ἰηοῦν, καὶ φράσοντα ὅτι τὸ θεῖον αὐτὸν ᾕρηται βασιλέα. Ubi pro ſanctitate olei quo Jehù unctus eſt Regem, faciunt illa verba τὸ ἅγιον ἔλαιον; ſic enim locus allatus latine redditur: *Eliſæus autem Propheta dato uni ex Diſcipulis oleo ſancto, miſit in Ramatha ad ungendum Jehu, & dicendum divinitus illum Regem electum.* Hoc igitur oleum ſanctum eidem diſcipulo dediſſe Eliſæum, quaſi ex neceſſitate Regiæ deſignationis, dicendum videtur. Nec enim erat Eliſæo, unde oleum ſanctum procurare cogeretur, ſi vel quocumque oleo, vel nul-
D lo, Reges inaugurari poſſent: quod pariter dici poteſt de unctione Saulis, Davidis & Salomonis. Quibus ſacris ex oraculis, locis, auctoritatibus atque rationibus Abulenſis ſententiam infirmatam conſtat, & olei neceſſitas, ut reor, oſtenditur.

Concedit Abulenſis eos Reges, quos recenſuimus, ſacro fuiſſe oleo inauguratos; negat tamen hac de cauſa olei neceſſitatem, ſed aliquos tantum aliquando ſacro oleo inunctos: traditque ſanctos Prophetas ſemper ſacrum oleum ad hoc munus ſecum deferre conſueviſſe; non ex vi alicujus legis, ſed ut præſto divinis obtemperare mandatis valerent: cum nimirum
E Regem inaugurando, quem Deus oſtendiſſet. Nam aliàs, ni illud ſecum detuliſſent oleum, ab eiſdem quos inaugurandos adibant, oleum ſanctum petere cogerentur, atque propterea antequam ſuo munere fungerentur, divinum conſilium, his ad quos mittebantur, contra fas, detexiſſent: & ab exequendo divinum mandatum, vel defectu olei, vel ejus, qui Rex proclamandus fuiſſet, retardari forſitan potuiſſent: dum vel illi in electionem minimè conſenſiſſent, ac Regni gubernacula admittere recuſaſſent, vel denique ab aliis, qui prædictæ electioni, & inaugurationi ſeſe pro viribus oppoſuiſſent.

His commentis Abulenſis ſatisfactum exiſtimat ra-
F tionibus atque teſtimoniis, quæ in contrarium allata fuere. Celeberrimus quidem vir Abulenſis, & in ſacris Scripturis multiplicibus laboribus de Eccleſia Dei, ſtudiiſque ſacris optime meritus, mole tantæ difficultatis jam nunc oppreſſus jacuit: ſed quid mirum? nam & bonus aliquando dormitat Homerus. Non enim ſapientis eſt animi tantum in ſcientiis ſibi arrogare, ut nunquam falli ſe poſſe credat: nam &

Pater

Pater Auguſtinus aliquando ſe retractavit; Divus quoque Thomas multa, quæ in Sententiis dixerat, poſtmodum in Summa retractavit; virique alii doctiſſimi idem fecerunt: & aliqua me quoque publicaſſe ſcio præcedentibus Myrotheciis, in quibus deceptum aliquando me fateor; & ſi Deus lucem, ac vitam præſtiterit, emendatiora illa ipſa dare curabo. Satis igitur doctioribus viris fore putamus, ſi minus hi quam alii decipiantur (quod utinam mihi contingat.) Deceptus eſt igitur hac in re eruditiſſimus Abulenſis, cujus etiam doctrinæ atque opinioni Pineda lib. 2. de reb. Salom. cap. 6. num. 4. merito contradicit.

Quod autem Abulenſis ne difficultatibus opprimeretur, effugium excogitavit: unumquemque videlicet Prophetarum, vas olei ſecum deferre conſueviſſe, ut divinis mandatis præſto eſſet, & poſſet ſtatim Reges eos inaugurare quoſcunque Deus juſſiſſet; non ſine cachinnis audiri poteſt. Etenim dum hæc de oleo ſacro à ſingulo quoque Prophetarum deferendo Abulenſis excogitavit, oleum ſimul & operam perdidit. Sapit namque Rabbiniſmum, illorumque commentis perſimile videtur; illi enim cum veritatem non capiunt, ad nugas, & commenta ſeſe convertunt. Etenim ſi res ita ſe haberet, eaque de ratione Prophetæ oleum deferre cogerentur; etiam aliquem famulum in itinere ſecum Prophetæ habere compellerentur, cujus humeris geſtari potuiſſent, ſi quando Deus illis hoc præcepiſſet: quemadmodum Jeremiæ Deum aliquando præcepiſſe ſcimus; ut humeris famuli delatus Civitatem per foramen egrederetur. Famulus itaque cuicumque Prophetarum neceſſarius videbatur; ut ſtatim ab eo divina juſſa exequerentur; quibus illico obtemperare Prophetæ tenebantur. Armatum quoque militem omnes Prophetæ ſecum ducere, & ad manus habere debuiſſent, à quo gladio percuterentur, quoties Deus id juſſiſſet: ſicuti Prophetam illum feciſſe ſcimus, qui Achabo à bello Syriaco revertenti occurrit, ut ſuo nomine pœnas ſe daturum eidem prædiceret; quod Syriæ Regem liberum dimiſiſſet. Funes etiam Prophetæ ſecum deferre cogerentur, quibus interdum alligarentur, ſi quando Deus id mandaſſet: quemadmodum Prophetæ Iſaiæ aliquando hoc Deum præcepiſſe legimus. Hæc niſi admittantur, reddenda erit ab Abulenſi ratio; cur potius oleum ſacrum, quàm cætera ſecum deferre Prophetæ tenerentur; cum non magis unius quam alterius veſtigium in ſacra Scriptura appareat. Hæc aliaque plurima abſurda ex doctrina Abulenſis ſequuntur: paſſim enim Scriptura ſacra meminit eorum, quæ à Deo ſanctis Prophetis juſſa fuere, his ſimilium, quæ hucuſque attulimus: quæ licet plena ſint myſteriis, & ad uſum illius ſeculi accommodata: ridicula tamen ſuperficie tenus conſiderata non poſſunt non cenſeri; & conſequenter ridiculam pariter doctrinam Abulenſis relatam monſtrant; ſi, quam ipſe adfert, ratio locum haberet. Ne igitur in prædictas abſurditates incidere nos quoque cogamur; nullo pacto ejus doctrinæ ſubſcribimus, quæ unumquemque Prophetarum ſecum oleum deferre conſueviſſe docet.

Conſuetudinem etenim perantiquam extitiſſe conſtat non tantum apud Hebræos, ſed etiam apud alias quaſcunque nationes, in Regibus initiandis, præſtantiſſimo aliquo unguento electo Regni gubernacula conſignare. Sunt qui Plutarcho, Apulejoque auctoribus, & aliis, id contendant probatum, ſed falsò. Nam Plutarchum Artaxerxem in templo Bellatricis Deæ inauguratum ſcripſiſſe, ac etiam aliquas inaugurationis regiæ cæremonias recenſuiſſe comperi; nihil tamen apud illum de uſu Olei. Apuleji quoque lib. 11. totum perlegi, nec aliquid de uſu

A olei in Regum inaugurationibus videre mihi occurrit. Sed ubi defuere Plutarchus & Apulejus, pro veteri uſu olei in Regum inaugurationibus, ſatis profecto nobis hoc ſacer textus 3. Reg. cap. 19. ſubindicavit, Deo Eliæ Prophetæ præcipiente, ut Azaëlem oleo, ac unctione Syriæ Regem futurum prænunciaret, dicente illi: *Revertere in viam tuam per Damaſcum: cumque perveneris illuc, unges Azaëlem Regem ſuper Syriam.* Niſi enim unctione Reges Aſſyriorum inaugurari conſueviſſent; ea unctione, ac oleo Azaëli regnum Syriæ prædictum non extitiſſet: ſed potius alterius nationis regnum, apud quam Reges oleo inaugurari conſuetudo fuiſſet: cum ta-
B men Syriæ non alterius regionis eum Regem declarari Deus Eliæ præceperit. Quod autem apud Romanos quoque aliqui Magiſtratus olim ſolemni quadam, ac ſacra initiarentur unctione, docuit Varro lib. 5. de ling. lat. is enim poſtquam alios adduxit ſolemnes ritus inaugurationis, advocari dixit viros quoſque præcipuos in templum. Poſt hæc addit: *Ubi licet Cenſor, ſcriba, magiſtratus, myrrha unguentiſque ungantur* &c.

At ubi pro exterorum unctione, & olei neceſſitate reliqua deeſſent teſtimonia, ſacrorum oraculorum
C auctoritate in lib. Judic. cap. 9. probari luculenter hanc veritatem perſpicuum eſt: ex quo etiam loco Serrar. quæſt. 10. in 1. Reg. & Gaſpar Sanctius ibidem cap. 10. n. 2. illud idem hauriunt. Dum enim ſacer textus fabellam illam Joathani filii Gedeonis ad Sichemitas retulit, de arboribus ſibi Regem eligentibus, non erat illi cur unctionis meminiſſet, niſi regiæ inaugurationis ritus id poſtulaſſent. Sic enim legimus: *Ierunt ligna, ut ungerent ſuper ſe Regem.* Nec enim Gedeonis filius, ex conſuetudine Iſraëlitarum hanc metaphoram haurire poterat; cum Iſraëlitæ nondum regia gubernarentur auctoritate. Quamobrem non aliunde quam à communi ritu gentium in inaugurationibus, eam ungendi Reges metaphoram haurire Scriptori ſacro licuit. Apologi e-
D nim, allegoricæque loquutiones à communibus tantum notiſque conſuetudinibus deſumi queunt.

Verum non video, qua ratione aliquorum externorum Regum unctio negari poſſit. Ut autem hoc probetur, præter locum ex libro Judicum Serrarii auctoritate roboratum, advertatur Prophetam Iſaiam cap. 45. non agere de Rege aliquo Iſraëlitarum, ad quem inaugurandum unctio neceſſariò requirebatur; ſed de Cyro Perſarum Rege, ad quem ex Dei mandato loquitur Iſaias in hæc verba: *Hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro.* Hebraicè autem ſic legitur: כֹּה אָמַר יְהוָה לִמְשִׁיחוֹ לְכוֹרֶשׁ Id eſt: *Sic dicit Dominus uncto ſuo Cyro.* Eſt enim vis Hebraicæ dictionis מָשִׁיחַ
E *maſchiach* ſignificare Unctum. Quamobrem niſi dixerimus Cyrum Perſarum Regem de more illius nationis, & aliorum Regum oleo inauguratum fuiſſe, Cyrus à Propheta impropriè omnino unctus diceretur. Et eo magis, quod is, qui unctus ibi dicitur, proprio etiam nomine exprimitur. Ex quo nomine abſque illo adjuncto מָשִׁיחַ *maſchiach* intelligi poterat, ad quem Prophetæ ſermo dirigebatur ſub his verbis: *Dicit Dominus Cyro.* Additur igitur ibi in ſacro textu uncti vocabulum, ſive, ut loquamur cum Hebræis, nomen Meſſiæ, unctionis de cauſa in inauguratione, propter quam Regibus quoque Iſraëlitis apponebatur.

F Priori Abulenſis fundamento occurratur, & in eo confutando, olei neceſſitas monſtretur. Niſi enim unctio, oleumque neceſſarium de more veterum, ac ex ritu inaugurationis ad regium jus extitiſſet, ridicula omninò metaphora Joatham jam allata apparuiſſet; ſumpta ab arboribus, quæ ſibi Regem inungere optimum cenſuerunt. Et cap. 6. lib. 1. Reg. cum Saulem futurum Regem Samuel prænunciaret;

 non

non erat cur oleo uteretur: illius enim ſanctitas, atque prophetici muneris fama loca omnia in Iſraël penetrarat. De illo enim 2. Reg. cap. 3. dicitur: *Et non cecidit ex omnibus verbis ejus in terram: & cognovit univerſus Iſraël à Dan uſque Berſabee, quod fidelis Samuel Propheta eſſet Domini.* Et cap. 9. famulus Saulis, qui eum ad quærendum deperditas aſinas comitabatur, de Samuele dixit: *Ecce vir Dei eſt in civitate hac, vir nobilis: omne quod loquitur, ſine ambiguitate venit.* Quamobrem ſufficere videbatur in re, de qua agebatur, Samuelem Dei nomine Regem Saulem prænunciaſſe, abſque aliqua olei effuſione. Et cap. 16. iturus Samuel ad ungendum David, non erat cur ei diceretur à Domino, *Imple cornu tuum oleo:* cum ſine oleo regni ſucceſſorem prænunciare poſſet. Neque quando ad ſacrum venit in Bethlehem, regnique ſucceſſorem prænunciare volebat, quem Deus deſignaſſet, nequaquam oleo David linire cogebatur: ſatis ſibi fuiſſet futurum Regem agnoſcere, quod ipſe tam obnixe à Deo expetierat, Davidique ſine oleo aperire, quid Deus de illo futurum decreverat. Ita pariter in acclamatione Saulis, Jehù, & aliorum, olei, aut unctionis uſus neceſſarius ad regni ſtabilitatem exiſtimari minimè debuit. Quibus ex omnibus allatis locis olei uſus neceſſarius omnino ad Regum conſtitutionem ex ſacris ſubodoratur oraculis; niſi loca ſacrorum oraculorum ſubverſa velimus.

Omnia hæc argumenta, quæ in inaugurationibus Regum olei neceſſitatem aperiunt, ſubindicant etiam quod regni poſſeſſio, cuicumque jam deſignato Regi ſacræ unctionis tantum vigore concederetur. Quæ ut notiora fiant, minimè prætereundum duxi, jus à poſſeſſione, naturali quadam ratione, juriſque prudentium doctrinis, in omnibus ſuis Codicibus, ac Digeſtis diſtingui. Poteſt enim contingere, ut quis in aliquam rem jus habeat, cujus tamen poſſeſſio penes alterum exiſtat. Res eſt magis nota, quàm aliqua probatione indigeat: eo namque ordine jus, atque poſſeſſio invicem connectuntur, juxta doctrinam juris prudentium; ut poſſeſſio jus ſequatur, quaſi effectus illius: jus præcedat poſſeſſionem, veluti radix, ac fundamentum, à quo poſſeſſio pullulat, & ſuum robur habet. Quamobrem nemo ad alicujus rei legitimam poſſeſſionem admittitur, niſi legitimi juris robore prius ſtabiliatur. Regni autem Iſraëlitici poſſeſſio ſacri olei inaugurationis auctoritate, cuicumque dabatur: quod quidem ejuſdem olei dignitatem, atque præſtantiam aperit, & explicat: eoque magis, ſi diſtinguatur jus regni Iſraëlitici ab ejuſdem regni poſſeſſione, cum utrumque ab oleo robur, ac firmitatem ſortiretur. Deſignatâ enim futuri Regis perſonâ, ſive à Deo per ſortes, ut in Saule contigit; ſive per Prophetam divino nutu, ut in Jehù factum cognovimus; ſive à vivente adhuc Rege, ut accidit in Salomone: eamdem perſonam ſic deſignatam, jus regni habuiſſe manifeſtum eſt; cum tamen Regni poſſeſſionem nemo adipiſceretur, nec alicui Principi etiam jam Regi deſignato concederetur, (ſi ſacris adhærendum eſt Scripturis) niſi per ſolemnem olei effuſionem, quamvis ex publica deſignatione perſonæ jam ille jus regni habuiſſet.

Duplicem enim regiæ perſonæ deſignationem ex ſacris oraculis nos haurire conſtat, publicam nimirum, & ſecretam. Hæc poſtrema in pectore ſanctorum Prophetarum repoſita erat; Deo revelante alicui, quiſnam Rex eſſet futurus; cum videlicet eiſdem hunc, vel illum Regem prænunciare, & in Regem futurum deſignare, Deus aliquando mandaſſet. Ut Samuele, Saulem primò, & Davidem poſtmodum Reges deſignare, Ahi mandavit Jeroboam, Eliæ Azaëlem, & Eliſæo Jehù: quæ omnes Regum deſignationes in pectore Prophetarum repoſitæ fue- A runt. Publica Regis deſignatio fiebat in conventu Procerum Reipublicæ, ut de Saule, Salomone & Jehu, ſacra teſtantur oracula.

Tanta igitur, ac talis præſtantia unctionis extitit in ſacris oraculis, jurique regio adeo connexa olei effuſio fuit; ut non tantum ſolemnis inauguratio, ſed etiam privata, & clancularia deſignatio perſonæ in Regem aſſumendæ ab unctione penderet: quin potius unctione illa omnia omnino perſolverentur. Hæc aperta ſunt ex cap. 10. lib. 1. Reg. Samuel enim cum Saulem in Regem prænunciaret, fuſo oleo in caput illius ait: *Ecce unxit te Dominus ſuper hæreditatem ſuam in Principem.* Et quamvis illud oleum B ſacrum non eſſet, ut videbimus, tamen eo ipſo quod in caput alicujus divina auctoritate fuſum fuiſſet oleum; is ipſe, in cujus caput oleum à Propheta fundebatur, ad Regni jura deſtinatus à Deo cenſebatur.

Totius jam poſiti argumenti robur, à communi etiam Regum Hebræorum vocabulo, qui Meſſiæ dicebantur, olei ac unctionis neceſſitatem in conſtitutione Regum demonſtrat. Meſſiæ etenim vocabulum in ſacris litteris ſemper ſacrum habitum, omnique dignitate ac majeſtate venerandum fuit. Derivatur enim à verbo Hebraico מָשַׁח *maſchah*, quod interpretatur *unxit*; & quia tam Reges quam Sacer- C dotes aliquo genere unguenti ſeu olei ungebantur, ideo tam Reges, quam Summi Sacerdotes in Scripturis ſacris Meſſiæ nomine appellati reperiuntur. Ut Pſal. 104. populo Iſraëlitico cavendum juſſit Deus, ab inferenda injuria his, qui fuiſſent uncti. *Nolite*, inquit, *tangere Chriſtos meos.* Quo in loco nomine Chriſtorum in plurali, ut docet Genebrardus, aliique expoſitores, Reges, ac Principes ſignificantur. Hoc argumento uſus eſt David 2. Reg. cap. 1. in Amalecitam illum, qui Saulem interfecerat, dicens: *Quare non timuiſti mittere manum in Chriſtum Domini?* Eſt enim credibile aliquam legem extitiſſe apud Hebræos, quemadmodum apud reliquas nationes, quæ D cum aliis plurimis ex antiquis libris fortaſſe perierit, qua Principis corpus ſacroſanctum, intemeratumque haberetur. Quæ lex divini juris cum cenſeretur, propterea nemini vigore prædictæ legis, manum extendere ad injuriam Principi inferendam licebat. Ad quam legem Prophetam reſpexiſſe puto in illo Pſalmi loco, dum ait Deum dixiſſe: *Nolite tangere Chriſtos meos.* Eſt enim idem χριστὸς Græcè, quod מָשִׁיחַ *maſchiach* Hebraicè. Quæ duæ dictiones, Græca nimirum, & Hebraica, propriè *unctus* Latinè ſonant.

Sacerdotem Summum, id eſt, Pontificem, in E Scripturis ſacris illo nomine ſignificari teſtatur nobis illud Levit. 4. ubi noſtra tranſlatio legit: *Si Sacerdos, qui unctus eſt, peccaverit.* Hebraicè vero ſic אִם הַכֹּהֵן הַמָּשִׁיחַ יֶחֱטָא *Im hacohen hamaſchiac iechtah.* Quæ ſic interpretanda ſunt: *Si Sacerdos maſchiach peccabit.* Quo in loco Summus Sacerdos *Meſſias*, ut liquido conſtat, nominatur. Nam quamvis reliqui quoque Sacerdotes minores ungerentur, ut libro præcedenti monſtravimus; hoc tamen vocabulo Meſſiæ, Summus tantum Sacerdos propter excellentiam unctionis ſignificabatur: quia is ſolus ſacra, ſimplicique unctione ſanguine non commixta, in capite ſacrabatur.

F Quod autem Regibus quoque illud nomen *Meſſiæ*, & *Chriſti* in ſacris eſſet commune litteris, clarius eſt quam probatione indigeat. Nobis tamen duo tantum loca nunc adduxiſſe ſufficiat: alterum ex cap. 1. lib. 2. Reg. David redarguente Amalecitam illum, qui Saulem Regem in montibus Gelboë interfecerat; ad quem ait: *Quare non timuiſti mittere manum tuam, ut occideres Chriſtum Domini?* Sic Iſaiæ etiam cap. 45. ubi Cyrus Rex Babyloniæ futurus prædicitur,

tur, Propheta ait: *Hæc dicit Dominus Chriſto meo, Cyro.* Ubi vero latinè in noſtro textu habetur dictio *Chriſtus*, Hebraicè ubique legitur illa dictio מָשִׁיחַ *maſchiach*, quæ *Unctum* ſignificat.

Sacerdotes autem, & Reges eo vocabulo in ſacris Litteris nominantur ab excellentia ſacræ unctionis, cujus effuſione ambo ſacrabantur, ac initiabantur; cum ad munus ſacerdotale, vel regium promovebantur, & alter ſacris, alter prophanis præficeretur muneribus; alter Paſtophororum, alter Optimatum, & reliquorum laïcorum curam ſuſciperet; alter moderandam Rempublicam in his, quæ ad Religionem pertinent acceptaret; alter in his quæ ad temporale regimen pertinebant, eamdem regendam ſuſciperet. Nam quamvis oleis & unguentis reliqui uterentur; digniori tamen, ſacratiorique unguento Reges, Sacerdoteſque, ne dixerim ungebantur, ſed initiabantur, inaugurabantur, ac ſacrabantur, & ideo ab excellentia unctionis per antonomaſiam vocabulo Meſſiæ ambo decorabantur.

Cum igitur vocabulum iſtud omnibus quibuſque Regibus commune eſſet, ad regni jura oleum neceſſarium extitiſſe planè conſtat. Immò quia iſtud Meſſiæ vocabulum ex quadam ſacræ Scripturæ phraſi, Regibus magis proprium fortè quam Sacerdotibus erat; hinc colligitur magis neceſſarium quaſi extitiſſe oleum in Regum conſtitutione, quam in conſecratione Sacerdotum. Hi enim alio vocabulo ſacerdotalis dignitatis proprio appellabantur כֹּהֲנִים *cohanim*, quod interpretatur *Sacerdotes*, quòd vocabulum quidem eſt quovis alio excellentius præſtantiuſque, etiam ipſius Meſſiæ, ac Regis. Illud enim vocabulum in ſua ſignificatione munus ſacerdotale includebat, eaque unctione, qui ſacrabantur, mediatores inter Deum, homineſque conſtituebantur: at Reges à ſola excellentia unctionis Meſſiæ dicebantur, per quam unctionem laïcis tantum in Republica præficiebantur. Quamobrem illud pro certo contra Abulenſem, & reliquos affirmemus neceſſe eſt; videlicet apud Iſraëlitas conſuetudinem extitiſſe, aliquo oleo ſacro, non vero vulgari, Reges omnes inaugurare, ut ſtatim probabimus: aliàs ab excellentia unctionis minimè Meſſiæ Reges dicendi fuiſſent.

CAP. XLVI.

Oleo communi Reges Iſraëlitas inauguratos fuiſſe dicunt aliqui.

Ad loca 1. Reg. 10. *Ecce unxit te Deus ſuper hæreditatem tuam in Principem.* Judic. 9. *Ierunt ligna, ut ungerent ſuper ſe Regem.* Pſal. 88.

EST adeo certum, atque apertum ex ſacris litteris, regio juri unctionem fuiſſe annexam, ut nulla ſacris in oraculis dubitatio de hac re appareat; ſola enim hac unctionis cæremonia, jus regni Iſraëlitici, cuicunque prænunciari ſolitum à Prophetis, ſacræ ubique teſtantur Litteræ. Id nos capite præcedenti monſtravimus, & divina undique oracula id ipſum prædicant. Nam Samuel 1. Reg. 10. ubi Saulem unxiſſet, de jure regio ſtatim cum illo egit, dicens: *Ecce unxit te Deus ſuper hæreditatem ſuam in Principem.* Sed cujus generis eſſet hoc oleum; quibus aromatibus conditum hoc unguentum, quo Reges Iſraëlitæ inaugurabantur; ubi, & à quo primò inſtitutum; qualiter denique ſanctificatum; obſcurum ſatis, & perdifficile fore, nemo eſt, qui non intelligat.

Hac una difficultate ſacræ paginæ interpretes ve- A xati, in varias, ne opprimerentur, diviſi ſunt ſententias; in quibus tamen dum fretum præternatare conantur, & portum exadverſo tenere contendunt, mediis in fluctibus demerſi, rei ipſius pondere opprimuntur. Varia enim ſunt auctorum placita, hinc inde diſperſa; ac propterea inter graviſſimorum Doctorum placita, eaque eruditiſſima, vel ineruditas edere voces, vel cunctabundo, ac dubio animo eaſdem interficere dum conor; à cæde mihi quoque timendum ſit.

Sunt enim ex illis qui affirmate dicant; non quidem oleo ſacro, ſed oleo communi Reges Iſraëlitas inauguratos fuiſſe. Abulenſis horum refert placita. Hi B namque hac dicendi ratione, quæ in hac Regum inauguratione ex oleo difficultates inſurgunt, declinare conantur. Horum rationes ex Abulenſi breviter hic allatæ, fortioribus quoque ex noſtro ingenio excogitatis mediis corroborabuntur; ut cuncta magis magiſque ad trutinam ſacrarum Scripturarum diſcutiantur, & veritas eluceſcat.

Enimverò ſi ſacro, & non communi ac prophano oleo inunctos Reges Hebræorum, ſeù conſecratos fuiſſe dixerimus in ſolemni illorum inauguratione; plurima inde incommoda non tam facile declinanda ſequerentur. Et primum quidem argumentum in C Saulis unctione, ſeù inauguratione, ſumatur à loco, in quo tabernaculum, ſacra fœderis arca, oleumque etiam ſacrum ad Sacerdotum conſecrationem aſſervabatur. Eo enim tempore tabernaculum cum ſacra Arca Cariathiarim extitiſſe 1. Reg. 7. dicitur; at Samuel quando Saulem primo inunxit, in Ramatha ex 1. Reg. cap. 9. morabatur. Et quamvis Samuel Dei Propheta, & eo tempore Judex ſummus in Iſraël, per annos ſingulos Tribus circumiret, Urbes omnes ac Civitates Iſraëliticas perluſtraret, Iſraëliticæ Reipublicæ ſtatum cognoſcere ſtuderet, populorum controverſias placidè audiret, & quid in unoquoque negotio agendum foret, decerneret; curiam tamen ac reſidentiam in Ramatha habebat, ubi Iſ- D raëliticus populus Regem poſtulaturus eundem adiit, ut 1. Reg. cap. 8. ſcribitur. Huc quoque Saul appulit cum famulo, quando patris ſui aſinas perditas quærebat. Cum igitur Deus pridie tantum quam Saul eò veniſſet, Samueli adventum illius aperuiſſet, ut 1. Reg. 9. habetur, & Samuel eadem in urbe, non vero alibi Saulem unxerit; ſi ſacro oleo Saulem tunc unctum à Propheta fuiſſe dixerimus, ſpatium concedere cogeremur, intra quod Samuel prius Cariathiarim abiiſſet, ut oleum ſacrum ad Saulem ungendum in Ramatha aſportaret. Quæ ratio itineris, & ſpatium temporis à divina revelatione ad Saulis acceſſum in Ramatha ſacris textibus nequaquam conſentit. Quapropter non ſacro, ſed communi oleo Saulem fuiſſe tunc inunctum, affirmandum vi- E detur.

Satis quidem primo aſpectu, terrori fortaſſe erit viris doctis hæc ſententia, vel, ut verius loquamur, ea à communiori ſententia ſeceſſio. Quæ quamvis allatis rationibus plurimum roborata fuerit, adhuc tamen fortius aliis argumentis ſtabiliatur, ſumptis ab eodem oleo, quo Samuel lib. 1. Reg. cap. 10. Saulem unxit. Samuelem enim Dei Prophetam Sacerdotem minimè fuiſſe, neque ad Aaronis proſapiam pertinuiſſe certum eſt; fuit enim Ephrateus de monte Ephraim, Elcanæ filius, ab illo Choreh deſcendens, qui ſeditionem aliquando contra Moyſem, & F Aaron concitaverat, & per Cahat à Levi originem trahebat: ut perſpicuum ſit ex cap. 6. lib. 1. Paralip. Quamobrem cum de Aaronis proſapia non eſſet, ex lege à ſacro Dei tabernaculo interiori arcebatur. Eapropter nec ſacrum conſecrationis oleum à tabernaculo ſumere, nec illud contrectare ex divinis ſtatutis, eidem permittebatur: niſi velimus pro

pro libito divinas leges, ſacraque oracula pervertere. Sacro igitur conſecrationis oleo Saulem nequaquam Samuel initiare potuit.

Hoc ipſum de Davide dicendum videtur: videlicet non ſacro, ſed communi oleo Regem fuiſſe inunctum à Samuele; aliàs plurima ſequerentur inde abſurda. Deus enim ad Samuelem de hoc negotio cum 1. Reg. cap. 16. ageret, ait: *Imple cornu tuum oleo, & veni, mittam te ad Iſai Betlehemitem; providi enim in filiis ejus mihi Regem.* Quæratur nunc, ac diligenter inveſtigetur, qua ratione Samuel ſacrum conſecrationis oleum ad David inungendum habere potuerit: aut enim Samuelem domi ſecum ſacrum illud oleum habuiſſe, aut non habuiſſe dicendum erit. Prius affirmari nequit, quod ſacris ex oraculis cap. 1. lib. 3. in tabernaculo ſacrum inaugurationis oleum ſacris in vaſis ad uſum ſacrorum aſſervatum ſciamus; ac proinde ſi David Rex prænunciandus ſacro conſecrationis oleo à Samuele in Bethlehem unctus fuiſſet, Dei tabernaculum Samuel prius adiiſſe cogebatur, indeque ſanctum oleum aſportare, ut eo Regem in Bethlehem, quem Deus illi demonſtraſſet, inungeret. Si ergo ſacrum illud oleum habere Samuel non potuit, communi oleo Davidem inunxiſſe affirmandum erit.

Cariathiarim tunc ſacrum tabernaculum fixum erat, quò neque ivit, neque iviſſe, rationi conſentaneum eſt, neque ſacra oracula hoc innuunt: Saulem enim Regem timuiſſe Samuelem ex 1. Reg. 16. perſpicuum eſt. Quamobrem cum Samuel quam diligentiſſimè caveret, ne aliquid de inunctione futuri Regis Saul ſubodoraret, profectò ab acceſſu ad tabernaculum, & ab aſportando inde ſacro conſecrationis oleo ſibi abſtinendum fuit. Etenim ſi Samuel ad tabernaculum Cariathiarim perrexiſſet, oleumque ad David ungendum inde Bethlehem aſportaſſet, non ſolum Saul hoc ſubodoraſſet, verum etiam certo cognoviſſet. Jam enim cum à cæde Amalecitarum reverteretur Saul, divinorumque mandatorum tranſgreſſor publicè à Samuele fuiſſet declaratus, regno quoque eumdem privatum à Deo indicavit, dicens: *Pro eo quod abjeciſti ſermonem Domini, abjecit te Deus, ne ſis Rex.* 1. Reg. cap. 15. Quin etiam ibidem Samuel Dei nomine certiorem fecerat Saulem de alterius electione Regis dicens: *Scidit Dominus regnum Iſraël à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te.* Quamobrem quod Samuel clam David uncturus, Regemque eum prænunciaturus, ad ſacrum Dei tabernaculum perrexerit; à vero quam longe abeſt. Etenim Samuel, Regis potentia, atque animi nequitia adeo territus fuerat; ut neque in Bethlehem ex Dei mandato progredi auderet; ni Deus ei modum aperuiſſet, quod id tutò facere poſſet: ſimulans nimirum ſacrificii de cauſa in Bethlehem iturum; ſacrificioque iſto Davidis unctionem, tam Bethlehemitis, quam Regi occultari poſſe. Hæc omnia expreſſa habentur cap. 16. lib. 1. Reg. Deo ſic ad Samuelem dicente: *Imple cornu tuum oleo, & veni, & mittam te ad Iſai Bethlehemitem: providi enim in filiis ejus mihi Regem. Et ait Samuel: Quomodo vadam? audiet enim Saul, & interficiet me. Et ait Dominus: Vitulum de armento tolles in manu tua, & dices: Ad immolandum Domino veni: Et vocabis Iſai ad victimam, & ego oſtendam tibi quid facias, & unges quemcumque monſtravero tibi.* Clancularia igitur Davidis unctio Samuelem à ſacro tabernaculo, & à ſacro conſecrationis oleo arcet: illique in Davidis unctione oleum commune tantum concedit.

Retorto fortaſſe argumento, aliquis exiſtimabit eodem modo ex Dei conſilio, Samuelem potuiſſe ſuum ad tabernaculum occultare acceſſum, ſacrum inde ſumpturus conſecrationis oleum, quo cauſam A ſui progreſſus in Bethlehem occultavit; alia nimirum excogitata cauſa, per quam Samuelis profectus ad tabernaculum Saulem lateret, quemadmodum Davidis unctionem, pretextu Religionis & ſacrificii Regi velaverat.

Reſpondent hi, qui ſententiam de communi oleo defendunt; quod excogitato effugio locus concederetur, ubi quemadmodum ſacrificii Bethlehemitici, hujus pariter effugii veſtigium aliquod in ſacris conſpiceretur litteris; cumque hoc nullibi appareat, nec in caſu noſtro aliquo pacto apparere poſſit, gratis hæc comminiſcuntur. Nam quando Samuel Bethlehem perrexit; vitulum pro ſacrificio ſecum B adduxit de more illorum, qui ſacrorum de cauſa ex ritu Moſaico alio proficiſcebantur. Licet enim tabernaculum erectum in Bethlehem non haberetur; populo tamen variis adhuc in locis altaria erecta habere licebat, ac in his ſacra Deo facere minimè erat vetitum, ut Myrothecio præcedenti cap. 56. probavimus. Idque ex vi divini præcepti, quo populo ſacra facere concedebatur, quocumque in loco memoria divini nominis extitiſſet, quam in Bethlehem extitiſſe celeberrimam, plurimis argumentis ex ſacris litteris petitis, poteſt probari. Præclariſſima namque beneficia Deus Jacobo, ejuſque ſucceſſoribus in Bethlehem contulerat; idcirco tam in Bethlehem, C quam in aliis ſacris locis ab Hebræis ſacra Deo offerebantur.

Samuel itaque ex voto ſibi Bethlehem eundi neceſſitatem confingere potuit, hacque ratione Regem eludere. At rationem ſui itineris Cariathiarim ad Sanctuarium, in quo ſacrum aſſervabatur oleum, illudque inde aſportandi, nullo colore afferre poterat. Quamobrem minimè Saulem latuiſſet, ubi illo Samuel profectus fuiſſet, ſacrumque inde conſecrationis oleum aſportaſſet. Tum quia, ut infra monſtrabimus, pro dignitate muneris, & perſonæ, Samueli illò ire pluribus non comitato, minimè concedebatur; tum etiam, quia ſacrum illud oleum D penes Sacerdotes aſſervabatur, nec illud Samuel habere poterat, niſi à Sacerdotibus accepiſſet, quibus ſolummodo Dei tabernaculum ingredi, divinis ex ſtatutis permittebatur. Sacerdotes verò abſque Regis conſenſu ac placito oleum conſecrationis vel Samueli non tradidiſſent, vel ſi tradidiſſent, illorum ſaltem aliquis hoc Regi ſignificaſſet, quemadmodum, quando Achimelech Pontifex Davidi panes dedit. Rectæ igitur rationi conſonat Samuelem minimè ad ſacrum tabernaculum perrexiſſe, nec conſecrationis oleum ſacrum inde aſportaſſe, ut eo ungeret David: ac proinde dicendum putant prædicti auctores, communi illum unxiſſe oleo, & non E ſacro.

Confirmant quoque hanc eorum ſententiam prædicti auctores, argumento ſumpto ab inauguratione, & ſolemni unctione Davidis: quando nimirum ſuper tribum Juda primo inunctus fuit Rex; de quo lib. 2. Reg. cap. 2. ſcribitur. Quod enim David ſacro tunc fuerit unctus oleo, dici non poſſe putant; quia populus Iſraëliticus tunc in duas factiones diviſus cum eſſet, ſola tribus Juda pro Davide ſtabat: hæc ſola Davidi obedientiam juraverat, ac in Regem Davidem conſenſerat: reliquæ undecim tribus Isboſeth filium Saulis in Regem ſibi acclamaverant, ejuſque partes defendebant. At ſacrum Dei tabernaculum, in quo ſacrum tunc oleum aſſervabatur, in F Gabaon erectum habebatur: quæ quidem Civitas ad tribum Benjamiticam pertinebat, cujus tribus Isboſeth Saulis filius erat. Quamobrem tribum Juda, quæ Davidis partes ſequebatur, ſacrum oleum habere non potuiſſe certum videtur eo tempore, quo David ſolemniter ſuper tribum Juda Rex inaugurabatur; & nihilominus ſacra hiſtoria refert, tribum

Juda

Juda ſibi David unxiſſe in Regem, ut 2. Reg. cap. 2. per hæc verba dicitur: *Veneruntque viri Juda, & unxerunt ibi David, ut regnaret ſuper domum Juda.* Davidem igitur nequaquam oleo ſancto, ſed communi fuiſſe inauguratum, ac unctum affirmare cogimur.

Tanta autem probabilitate, tum doctorum virorum auctoritate, tum ſacris etiam ex Scripturis hæc ſententia fulcitur; ut ad eam magis magiſque confirmandam unctio quoque Azaëlis afferri poſſit. Nam quando Deus Eliæ prophetæ Azaëlem Regem ſuper Syriam, & Jehù Regem ſuper Iſraël ungi juſſit, ut legitur 3. Reg. cap. 19. ſacro oleo illos Reges fuiſſe inunctos, nequaquam dici poteſt. Id enim Scripturis ſacris non conſonat; Reges nimirum illos, qui Idololatriæ cultu commaculabantur, aliquo genere olei ſancti à Prophetis unctos, aut inauguratos fuiſſe. Hæc enim argumento ſumpto à perſona Eliæ manifeſtè roborantur. Nam quamvis prophetico decoraretur munere, non tamen ſacerdotii dignitate fulgebat, atque propterea jus miniſtrandi ſacrum conſecrationis oleum eidem nulla ratione competebat. Argumento quoque ſumpto à loco, fit quodammodo evidens, Reges prædictos oleo communi fuiſſe inunctos, non autem ſacro: quia nimirum, neque in Damaſco, neque in Samaria, ubi hi Principes inaugurandi, ungendique Dei juſſu fuerant, ſacrum oleum conſecrationis haberi potuit, quòd hoc Jeroſolymis unà cum reliquis vaſis, & inſtrumentis ſacris, quæ ad Dei cultum pertinebant, ſervaretur. Cogimur ego quaſi neceſſario affirmare, non oleo ſacro, ſed communi Eliam per Eliſæum illos Reges unxiſſe.

Sacri quoque textus in præallegato loco intelligentia, his ſubſcribere videtur, argumento ſumpto à perſona Eliſæi, & à loco, in quo ipſe tunc manebat: quando nimirum juxta Eliæ prophetiam Jehù Rex Iſraël ab eo inungendus fuit. Nam quando Eliſæus quemdam de filiis Prophetarum Samariam miſit, ut Jehù Regem ſuper Iſraël in Ramoth Galahad ungeret, oleum ſanctum conſecrationis, ſacris conditum aromatibus, undenam habuit, aut habere potuit? aut à quo accepit? cum quam maximè longe à Solymorum Urbe Eliſæus abeſſet. Igitur hi quoque externorum Reges, ſicut etiam reliqui Hebræorum Principes, ex ſententia prædictorum auctorum, oleo non ſancto, ſed communi; non aromatibus condito, ſed ſimplici; non ſacerdotali, ſed laico; non ſacro, ſed prophano ungebantur, atque inaugurabantur.

Poſſet etiam aliquis firmare hanc ſententiam de oleo communi, quòd ſacro ſacerdotalis conſecrationis oleo, Reges inaugurare non liceret, ex Dei præcepto, quod habetur Exo. 30. in quo uſus hujus ſacri unguenti omnibus quibuſcunque hominibus in hæc verba prohibetur: *Caro hominis non ungetur ex eo*, (ſcilicet unguento) *& juxta compoſitionem illius non facietis aliud: quia ſanctificatum eſt, & ſanctum erit vobis. Homo quicunque tale compoſuerit, & dederit ex eo alieno, exterminabitur de populo ſuo.* Cujus legis atque præcepti vigore omnibus quibuſcunque, etiam Regibus, hujus ſancti unguenti uſus, cujuſcunque etiam dignitatis ac ordinis extitiſſet, interdictus videbatur. Jam enim ſupra Myrothecio præcedenti cap. 16. vim hujus præcepti aperuimus; omneſque homines eo præcepto ligatos monſtravimus cap. 17. 18. 19. in quibus etiam adnotavimus, quid ſibi in eo præcepto. n. 31. vellent illa verba: *Hoc oleum unctionis ſanctum erit mihi.* Et n. 32. *Quia ſanctificatum eſt, & ſanctum erit vobis.* Cujus ſententiæ vis, & energia mirum in modum illuſtratur ex Hebraica phraſi, qua legimus שֶׁמֶן מִשְׁחַת־קֹדֶשׁ יִהְיֶה זֶה לִי׃ id eſt, *oleum unctionis ſanctæ erit hoc mihi.* Et ſequi-

A tur in textu, *per generationes veſtras.* Quo in loco nobis inconſiderate prætereunda non erit dictio illa קֹדֶשׁ *qhodes*, quæ *ſanctum*, vel *ſanctitas* interpretatur, & in Hebraica phraſi per virgulam *maccaph*, dictioni מִשְׁחַת *miſchath* antecedenti, quæ unctionem ſignificat, jungitur, nequaquam vero dictioni שֶׁמֶן *ſcemen*, quæ oleum ſignificat. Quemadmodum legiſſe noſtrum interpretem conſtat, ſequutum fortaſſe Græca exemplaria, quorum aliqua ita legunt: ἔλαιον χρίσεως ἅγιον τοῦτο ὑμῖν εἰς τὰς γενεὰς ὑμῶν. Id eſt: *oleum unctionis ſanctum erit hoc vobis in generationes veſtras.* Itaque τὸ *ſanctum* ad oleum Græcus codex retulit, & ab unctione ſejunxit. Cum tamen ex vi Hebraicæ phraſis ſic locus ille interpretandus B fuiſſet: *Oleum unctionis ſanctæ erit hoc mihi*, id eſt, mei juris erit hoc oleum. Quamobrem majoris claritatis gratia, in ſequentibus cum legimus; *quia ſanctificatum eſt*, Hebraicè hæc verba referuntur ad oleum, & legitur קֹדֶשׁ הוּא nempe *ſanctum illud.* Pronomen igitur *illud* ex vi Hebraicæ phraſis ad oleum refertur, non autem ad unctionem, quæ cum ſit generis feminini in Hebraico textu, dicendum fuiſſet קֹדֶשׁ הִיא Pariter ubi nos, *ſanctum erit vobis* legimus, in hebraico textu ſine illa copula &, locus ſcribitur in hunc modum קֹדֶשׁ יִהְיֶה לָכֶם id eſt, *ſanctum erit vobis.* Quamobrem tota illa ſententia ſic reddi poteſt: *Oleum unctionis ſanctæ erit hoc mihi per gene-* C *rationes veſtras: ſanctum illud, ſupple eſt, ſanctum erit vobis.* Quæ interpretatio licet in ſono diverſa à noſtro Vulgato videatur, in re tamen nihil ab ea diſcrepat.

Si vero per abſtractum vocabulum (ut dialecticè loquamur) illam dictionem קֹדֶשׁ *qhodes* interpretari velimus, ſicuti rigoroſè interpretandam fore lib. præcedenti monſtravimus; ex ea interpretatione hujuſmodi ſenſus redderetur. *Oleum unctionis ſanctitatis erit hoc mihi: ſanctitas illud, ſanctitas erit vobis.* Hoc eſt: Oleum iſtud, eſt oleum unctionis impertientis ſanctitatem rebus omnibus, quæ eo inunguntur: & tantæ ſanctitatis eſt, ut per ſe ipſum D ſanctitas ſit, quaſi forma ſanctificans (nam loquimur ſcholaſticè,) Et ſanctitas erit vobis; tum quia erit venerandum, quaſi forma ſanctificans; tum quia eſt oleum, quo vobis ſanctitas impertitur. Illa vero trina repetitio ejuſdem dictionis קֹדֶשׁ apertè demonſtrat, quam in gradu ſuperlativo hujus olei ſanctitas à Spiritu ſancto declaretur. Cumque in Scripturis ſacris quoties aliquid ſanctum dicitur, ea dicendi phraſi (ut docuimus Myrothecio præcedenti) aliquid ad Dei juriſdictionem pertinere apertè ſignificetur; hinc colligitur, (nec præter rationem) hoc oleum ſacerdotale, de quo præceptum loquitur, E omnino divini extitiſſe juris, atque ad illius omnino juriſdictionem pertinuiſſe: ut propterea omnibus omnino hominibus ſacri olei ſacerdotalis uſum prohibitum cenſeretur; ac proinde eo oleo, nulla ratione Reges inaugurari licuiſſe, ſed oleo communi, & non ſacro apud Iſraëlitas, Reges inauguratos fuiſſe.

Reſpondent, qui pro contraria ſtant ſententia, ac docent Reges ſacro conſecrationis oleo fuiſſe inauguratos, de quo in ſequenti capite agetur; Deum hoc præcepto nequaquam omnino uſum hujus unguenti prohibuiſſe, ſed tantum vetuiſſe eo unguento F ungi homines ad delectationem, non vero prohibuiſſe, quin eo uterentur ad ſanctificationem. Inſuper etiam addunt, quod cum ſacrum hoc oleum ſuper caput Regis ad illum inaugurandum funderetur, non caro, ſed regii tantum capilli maderent; nec illa unctio ad delectationem, ſed ad ſanctificationem dirigebatur; propterea iſto præcepto effuſionem hanc minimè vetitam cenſeri debere. Quamobrem Regibus eo unguento, inaugurationis de cauſa;

ſa, uti licuiſſe conſtanter defendunt. Ita Pineda lib. 2. de reb. Salom. cap. 6. §. 1. n. 2. explicans præceptum illud Exodi cap. 30. à nobis nunc proximè relatum. *Intellige*, ait, *hominem ad uſus humanos, vel prophanos, vel ad corporis delicias, & voluptatem: ſecus in uſu ſancto, caput Sacerdotis, immo neque Regis, non cenſetur hominis caro: quare ex eadem quoque unctione reddi Reges ſanctos, eſſeque debere, atque totos ſe divinæ voluntati, & obſequio conſecrare, certa conſecutione colligitur.* Hæc ibi.

Sed quamvis jam ſupra lib. præcedenti à cap. 16. uſque ad cap. 33. vim, validitatemque hujus ſtatuti latè ſimus proſequuti, in quo unguenti ſacerdotalis conſecrationis uſus prohibebatur omnibus; adhuc tamen occaſione regiæ inaugurationis aliqua nobis ſuperſunt expendenda, præſertim illa verba: *Caro hominis non ungetur ex eo.* Reges enim Iſraël homines fuiſſe, humanaque carne corpora eorumdem compacta extitiſſe, nemo, ut arbitror, adeo ſtultus erit, ut id neget: propatereaque ſub iſto præcepto illorum quoque corpora comprehendi, ſaltem ex rigore litteræ affirment neceſſe eſt. Nam qui contrariam tuentur ſententiam, ut prædicti præcepti vim declinent, ridicula ſomniant: affirmant enim Rabbini, quibus ſubſcribit Pineda, & Abulenſis, Regum carnem, quando inaugurabantur, eo oleo non ungi, ſed capillos atque Regum crines.

Miror equidem illorum ingenium, qui talia excogitarunt: nam ſi conſuetudinem illius Regionis Abulenſis, & Pineda obſervaſſent, ac ex lectione rerum antiquarum ſacras quoque Scripturas, & veterum inſtituta pervolviſſent; procul dubio comam nutrire Hebræis interdictum, extra tempus Nazaræatus, advertiſſent: imò apud Orientales omnes caput radendi conſuetudinem ab antiquis ſeculis extitiſſe intellexiſſent. Cumque comam, capilloſque Reges Iſraëlitæ ex conſuetudine regionis minimè nutrirent: hoc ſacerdotalis conſecrationis oleo profectò perfundi Reges nequibant, quin etiam caro illorum eo unguento inungeretur atque madeſceret.

Refellitur adhuc efficacius crinium unctio, quam ſomniarunt auctores citati, characteribus his quos fieri ſolitos in capitibus Regum comminiſcuntur Rabbini. Dicunt enim quidam, quod in Rege initiando figura quædam ſuper caput illius delineabatur, ad modum Græci X. Alii circulum ad Coronæ formam circum caput Regis ſacro oleo delineari ſolitum tradunt, quemadmodum nos Myrothec. præcedenti oſtendimus. Supereſt nunc inquirendum à prædictis auctoribus, qua ratione Rex ſub his characteribus aut circulis inaugurari potuerit, quin cutis ſacro oleo madeſceret. Id certè ego (fateor meam ignorantiam) quo pacto fieri potuerit abſque regiæ carnis contactu, minimè capio.

Quidam alii, rejectis, quæ de characteribus & figuris Rabbini affirmabant, ut ab objectis ſe liberent, præceptum, in quo humanam carnem eo ſacro unguento ungi prohibetur, ex tranſverſo interpretantur: Deum nimirum inunctionem prohibuiſſe, non verò ſacri unguenti effuſionem. Bone Deus! quam difficile in viam redit is, qui ſemel ab ea deflexerit. Enimvero fretum Meſſanum ubi quis ingreſſus, frementem Charybdim devitare voluerit, in Scyllam incidat neceſſe eſt. Ita hi declinare hominum falſa commenta dum cupiunt; mulierum deliramenta complectuntur. Mulierum enim deliramenta mihi viſa ſunt commenta illorum, qui in præcepto de reverentia præſtanda ſacro unguento, prohiberi unctionem, non tamen effuſionem dixerunt. Pro effuſione enim ſtat ſacer textus Hebraici exemplaris, cujus hæc ſunt verba עַל בְּשַׂר אָדָם לֹא יִיסָךְ id eſt, *ſuper carnem hominis non effundetur.* Sup-

A ple, oleum. Non ſolum igitur eo præcepto carnes humanæ, conſecrationis oleo inungi prohibentur; ſed propriè ex vi Hebraici textus, ejuſdem ſacri unguenti effuſio ſuper humanum corpus interdicta apparet.

Sed ut verba, & vocabula hujus præcepti, in quo uſus conſecrationis olei prohibetur, enucleentur, & Reges ab uſu ſacri olei conſecrationis arceri ſit manifeſtum; contemplari oportet, quinam alienorum vocabulo in eo præcepto intelligantur. Hebraicè hi per vocem זָר *zar* indigitantur: quo vocabulo eos ſignificari conſtat, qui ad gentem Iſraëliticam minimè pertinebant. Id nemo inficias ibit. Nam aliàs concedendum eſſet, B omnibus de populo Iſraëlitico hoc ſacro unguento uti licuiſſe: quod falſum eſt, tum ex communi doctrina, tum ex verbis ipſius ſacri textus jam à principio hujus Capitis à nobis allati: Nam cum dicitur, *Sanctum erit vobis*, illud, τὸ *vobis*, ad filios Iſraël refertur. Cum igitur his nequaquam componere, aut uti hoc unguento concederetur; etiam hos alienorum vocabulo in eo textu ſignificari certum erit: ne cogamur affirmare licuiſſe Sacerdotibus, qui hoc unguentum parabant, de illo reliquis de populo Iſraëlitico dare, quod tamen falſum eſt.

Sed preſſius, & magis ſtrictè adhuc vox illa זָר ſumatur: C nimirum pro his, qui non erant de proſapia Aaronis. Probatur hoc ex ſacræ Scripturæ phraſi pluribus aliis in locis. Nam cap. 29. Exod. cum Deus ſacerdotibus, qui de ſemine, ac de proſapia Aaron erant, cibum decernit, præcipitque ut ipſi tantum panes in caniſtro oblationis comedant, alieno vero cuicunque de eiſdem comedere interdicit, in Hebraico textu pro alieno eſt dictio זָר *zar*. Utraque igitur dictione, nimirum Latina, & Hebraica, non ſolum Idololatræ, ſed etiam Iſraëlitæ omnes, qui ad proſapiam Aaronis non pertinebant, ab eſu, & comeſtione illorum panum ſecludebantur, & alienorum vocabulo ſignificabantur. Similiter D cap. 16. Num. in quo de vindicta agitur, quam ſumpſit Deus de his, qui in ambitu Sacerdotii cum Coreh fuerunt, eadem dictio Hebraica זָר *zar* habetur. Ea verò dictione, in eo loco ſignificari, quiſquis alterius proſapiæ ab Aaronitica foret, apertiſſimum eſt, quamvis Leviticæ, aut cujuſvis alterius tribus, ac familiæ exiſteret. Cum igitur in noſtro ſtatuto de cultu olei conſecrationis, eadem dictio habeatur, ac ſub eadem loquendi phraſi ſacer textus loquatur; hos quoque, qui non fuerint de proſapia Aaronis, in præcepto prohibitivo olei conſecrationis, de quo agimus, excludi ab uſu ejus olei, manifeſtum eſt.

E Roboratur etiam hoc: quia ibidem non longe à loco citato, Deus illo ſacro oleo ungi Aaronem filioſque ejus juſſerat, & illico ſubjungit alienum non fore illo oleo ungendum. Cumque iis tantum, qui de proſapia Aaron erant, ſacrari illo oleo à Deo concedatur; igitur reliqui omnes, qui de proſapia Aaronis non erant, ab uſu ſacri conſecrationis olei arcentur, & vocabulo alienorum ſignificantur. In quo ſenſu Vatab. intellexit illa verba ſic interpretando, *Qui dederit ex eo alieno*, dicens: *Qui ex eo unxerit eum; qui non fuerit Sacerdos, aut ex genere ſacerdotali.* His etiam favent exemplaria Græca, in quibus ubi de iis, quæ ſacro oleo conſecranda forent, actum F eſſet; & de Sacerdotibus conſecrandis dixiſſent, καὶ Ἀαρὼν, καὶ τοὺς υἱοὺς αὐτοῦ χρίσεις, καὶ ἁγιάσεις αὐτοὺς ἱερατεύειν μοι. Id eſt: *Et Aaron, & filios ejus unges, & ſanctificabis eos ad Sacerdotiandum mihi*; ſubinferunt ὃς ἂν ποιήσῃ, inquiunt, ὡς αὐτὸ, καὶ ὃς ἂν δῷ ἀπ' αὐτοῦ ἀλλογενεῖ. Id eſt: *qui igitur faciet ut illud, & dederit ex eo alicui alterius generis.* Ab hac ergo ſacra unctione, juxta divina ſtatuta, etiam Reges arceban-

bantur; quod nimirum hi de genere ſacerdotali, atque proſapia Aaronis non eſſent.

Ut autem hæc ipſa lucidiora appareant, & perſpicuum ſit uſum olei conſecrationis fuiſſe vetitum etiam Regibus; comparativè perpendantur: habita nimirum ratione aliorum ſtatutorum Moſaicæ legis, inter quæ nullum reperitur, in quo Deus explicitè atque expreſsè Regibus, aut cuicunque alteri, qui de ſemine & proſapia Aaronis non eſſet, ſacrum Dei incenſum thymiamatis offerri prohibuerit. Implicitè tantum Deum id prohibuiſſe colligi poteſt ex cap. 30. Exo. ubi cum thymiamatis compoſitionem docuiſſet, conſtruendumque Altare incenſi juſſiſſet, *Et adolebit incenſum*, inquit, *ſuper eo Aaron ſuave fragrans mane: quando componet lucernas, incendet illud, & quando collocabit eas ad veſperum, uret thymiama ſempiternum coram Domino in generationes veſtras.* Quibus planè verbis Deum indigitaſse conſtat, muneris ſacerdotalis tantum, & non alterius cujuſcunque perſonæ fore, Deo incenſum offerre, cum tamen nullum in allatis verbis ab eo miniſterio excluſerit, qui de proſapia Aaronis non eſset. Niſi fortè dicendum ſit prohibitionem hanc ſubodorari ex cap. 16. Numer. quando Coreh ſacerdotium ambiens cum pluribus aliis, qui ei adhærebant, populum contra Moyſem, & Aaron in ſeditionem concitavit; diſruptaque terra in eadem terræ voragine Datan, Coreh, & Abyron abſorpti fuere. Quam ob cauſam Moyſes thuribula ænea, quæ ad Coreh, & reliquos pertinebant, quique cum illo in ambitu ſacerdotii ſteterant, produci in laminas, & Altari affigi imperavit; ut poſteris divinæ ultionis monumentum perpetuum foret, & alieni à proſapia Aaronis commonerentur, ne Deo incenſum offerre præſumerent. Hoc tamen nec ibi, neque alibi ſub mortis interminatione, neque ſub præcepto prohibitivo ſtatuitur. Qua fortaſse de cauſa Ozias Rex Iſraël arbitratus eſt, ſibi quoque licere thymiama ſanctum Deo offerre, didicit tamen magno ſuo malo, ſibi ac Regibus id vetitum, ut cap. 2. Paralip. ſcribitur. Quo in loco impudentiæ redarguitur à Deo, terræmotu immiſso, quo Rex territus, & lepra etiam à Deo percuſsus fuit; quod nimirum thymiamatis incenſum Deo ad Altare offerre tentaverit. Quod munus Sacerdotibus tantum ex proſapia Aaronis fuerat conceſſum.

Cum igitur in has cæremonias, de quibus nulla prohibitio in divinis decretis habebatur, neque offerentibus thymiama aliqua pœna præſcripta legebatur; tamen nec Regibus ipſis, quantumvis pietatis ac Religionis zelo ſtudioſis, ut erat Ozias, nec in ea quæ muneris ſacerdotalis erant, ſe immittere minimè licuerit, non alia de ratione, niſi quia de proſapia Aaronis non erant; qua fronte, precor, Regibus licuiſſe ſacro conſecrationis oleo inaugurari, quo ſacrabantur ſacerdotes, affirmabitur? Cum ex Dei ſpeciali præcepto ſub exterminationis pœna vetitum eſſet, ne quis alterius proſapiæ ab Aaronitica, ſacro illo oleo ungi præſumeret. Immo, quod magis eſt, nec Sacerdotibus ipſis eo ſacro uti conſecrationis oleo pro arbitrio concedebatur; ſed tunc tantum quando aliquis illorum Sacerdos conſecrandus eſſet, ſacro oleo inungi permittebatur; nec omnibus filiis Aaron, ſed his tantum, qui ſacerdotio initiandi fuiſſent, Domino ad Moyſem dicente, cap. 38. Exod. *Aaron, & filios ejus unges, ſanctificabiſque eos, ut ſacerdotio fungantur mihi.* Quaſi his verbis inſinuare velit Deus hanc ſacram unctionem etiam filiis Aaron vetitam, qui ob aliquem corporis defectum à ſacerdotio arcerentur. Si ergo Reges ſacro conſecrationis oleo non ungebantur, nec inaugurari eo poterant: remanet ut oleo communi inaugurarentur. Et hæc dicta ſufficiant pro hac ſententia.

A

CAP. XLVII.

Sacro conſecrationis oleo Reges inauguratos dicunt alii.

Ad loca 3. Reg. cap. 1. *Sumpſitque Sadoch Sacerdos cornu olei de tabernaculo, & unxit Salomonem.* Pſal. 88. *Inveni David ſervum meum, oleo ſancto meo unxi eum.* Et ad alia.

B

PRÆCLARAM certè, ac ſpecioſam ſententiam jam poſitam, apparuit multiplici ratione reliquis præſtare: at ſi mentis aciem accuratè intenderimus in omnia, quæ ex contrario afferuntur, longè ſplendidior fiet ſententia huic oppoſita. Quæ dum negat oleo communi Reges Hebræorum inauguratos fuiſſe, ſacro conſecrationis oleo eoſdem inaugurari conſueviſſe affirmat; idque probat ex iiſdem ſane fontibus, ex quibus rationes pro priori ſententia hauriebantur, nimirum ſacris ex oraculis. Nam quis Regem Salomonem ſacro fuiſſe inauguratum oleo inficias eat? Cum lib. 3. Reg. cap. 1. expreſſis verbis id ſacer textus affirmet, dicens: *Sumpſit Sadoch Sacerdos cornu olei de tabernaculo, & unxit Salomonem.* Hoc igitur oleum, quo unctus fuit Salomon, duplici ex capite non ſolum fuiſſe ſacrum, ſed etiam idem cum oleo conſecrationis conſtat: nimirum ratione vaſis, in quo ſervabatur; ac ratione loci, in quo vas repoſitum extitiſſe in ſacris oraculis ſcribitur. Locus erat ſacrum Dei Tabernaculum, Dei Sanctuarium, Prætorium Iſraëliticæ militiæ, Thronus regius divinæ Majeſtatis, in quo non niſi ſacra, Deoque ſanctificata reponebantur: ibi arca, & menſa, ibi candelabrum, ibi Altare aureum, ibi ſacra omnia, prophanum nihil; ibi vas illud unguenti, ſive corneum, ſive aureum fuerit, repoſitum extitiſſe dicitur; ibi quoque ſacrum illud erat oleum, quo Reges conſecrabantur, quod ad Salomonem inungendum inde ſumptum ſacra oracula teſtantur.

C

D

Et quidem teſtimonia ſacrarum Scripturarum adeo aperta videntur; ut nulla ratione negari poſſit, eodem oleo Sacerdotes conſecratos fuiſſe, & Reges inauguratos. Cui opinioni Rabbini communiter ſubſcribunt, ut Genebr. infra citandus teſtatur; licet id ex diſpenſatione potius, quam jure factum illi affirment, Samuelis nimirum, Prophetarumque illius ſeculi conſilio, Deo diſpenſante, non quidem cum omnibus, ſed tantum cum Regibus familiæ Davidicæ in Meſſiæ venturi gratiam. Sunt etiam plurimi Catholicorum, qui Rabbinis aſſentiantur; cum ex conſuetudine habeant nonnulli, in locis ſacræ Scripturæ explicandis, Rabbinorum placita, vel etiam figmenta plurimum venerari.

E

Mirum eſt quanto applauſu hæc ſententia fuerit à graviſſimis viris admiſſa. In quibuſcunque enim literariis arcanis cùm aliquis vir doctus ſententiam plauſibilem protulerit, arrident omnes, vix reperias qui eidem non ſubſcribat. Nec minori admiratione dignum exiſtimo attendere, quam facilè decipiantur aliqui, ubi doctiorum virorum ingenia interdum dormitaverint. Quapropter ſumma cum attentione ac ſagacitate ſacrarum Scripturarum Oceanum enavigandum fore certiſſimum arbitror: ne humanum ingenium placidum mare interdum enavigans, ſcopulis perfractum, aut ſyrtibus detentum à portu removeatur; atque in placido, tranquilloque mari naufragium, quod tumentibus fortaſſe undis minimè paſſus fuiſſet, tunc patiatur. Id quamplurimis viris doctis, qui ſententiæ in præcedenti capitulo allatæ ſubſcripſere, contigiſſe, ſacrorum oraculo-

F

 rum

rum locis ac rationibus à nobis proferendis palam fiet.

Pro ea ſententia Joſeph. lib. 7. antiq. cap. 11. Salomonis inaugurationem referens citari ſolet. De inauguratione etiam Saulis & Davidis, ſuis in locis Rabbini hoc affirmate tradunt. At, me judice, non adeo apertè loquitur Joſephus, ut etiamſi Salomonem ſacro fuiſſe inunctum oleo affirmet, inde hauriatur quòd oleum, quo Salomon Regni Iſraëlitici auſpicia prima ſuſcepit, idem fuerit cum oleo quo Sacerdotes conſecrabantur. In hæc enim verba Joſephus Latinè loquitur, Græco omiſſo textu: *Sadochum accerſit Pontificem*, ſupple David, *& Banajam Præfectum ſtipatorum: quibus venientibus jubet aſſumere Nathanem Prophetam, & omnes milites Palatii: impoſitoque filio ipſius Salomone in mulam regiam, extra urbem deducere ad fontem appellatum Gion, & circumungentes ſancto oleo declarare Regem.* Hæc ſunt verba Joſephi, in quibus profecto Salomonem ſacro oleo Regem deſignatum affirmat; eiſdem ferè verbis, quibus apud eumdem Davidis & Saulis unctio ſcribitur; non tamen propterea ejuſdem generis cum ſacra ſacerdotali unctione illud oleum extitiſſe ſcribit, neque quod omnes quicunque Reges Judæorum in Iſraëlitarum Republica ex tribu Juda deſcendentes, & familia Davidica, eodem ſacro ſacerdotali oleo inaugurarentur, tradit. Hic enim auctor, ſacrum quoque illud oleum aliquando appellaſſe videtur, quo occulte à Propheta Samuele, David atque Saul uncti fuerunt, & ab eodem propheticè regni auſpicia primo ſuſcepere; cum tamen illud oleum, quo tunc à Propheta uncti fuere prædicti Reges, nequaquam ſacrum, ſed prophanum extitiſſe, rationibus probetur evidentiſſimis à nobis.

Huic quoque ſententiæ, quam Abulenſis lib. 1. Reg. cap. 10. q. 1. communem dicit, ſubſcribit Nicolaus de Lyra; qui doctiſſimus aliquando inter Hebræos habitus, non minoris ſemper fuit apud Catholicos auctoritatis, poſtquam Moſaycæ legi nuncio remiſſo, Chriſtianæ militiæ nomen dedit. Nicolaus de Lyra eam habet, tum cap. 30. Exo. interpretaturus illa verba, *Caro hominis non ungetur ex eo.* In quibus de unguento ſacerdotali agitur, & his qui Sacerdotes non fuiſſent, illius uſus interdictus videbatur, *exceptis Regibus, & Sacerdotibus*, inquit: tum lib. 1. Reg. 10. declarans lenticulam olei, qua Saul à Samuele unctus fuit, & cujuſnam generis, ac formæ vas eſſet explicans: *Lenticula eſt vaſculum factum de auro, vel de argento*, inquit, *ad reponendum oleum unctionis, unde ungebantur Reges, & ſacerdotes.* His etiam noviſſime doctiſſimus, nec non etiam eruditiſſimus vir Pineda ſubſcribit lib. 2. de reb. Salom. cap. 6. n. 4. & pro ſe refert Iſid. lib. 2. de Eccleſiaſt. offic. cap. de Chriſmate & Dionyſ. Carth. lib. 1. Reg. cap. 10. Pro qua ſententia tuenda Abulenſis loco citato nonnullas affert non contemnendas rationes, quibus hæc ſententia prædictis fulta rationibus, probabilitate minimè carere videatur: ſed nos etiam rationes in medium afferre pro ea non dedignabimur: ut tormentorum, atque rationum globulis paries veritatis petitus, ſi quæ habet, aut non firma fundamenta, aut non bene compactos lateres, tandem vel omnino corruat; vel diſcuſſis, quæ parum firma erant, veritas ipſa firmior permaneat.

Poteſt igitur allata ſententia his ſuaderi rationibus: deductis primo à vocabulo Meſſiæ, quod, ut cap. 45. dicebamus, Sacerdotibus ſacris in oraculis, & Regibus commune erat. Efficaciſſimum enim inde ſumitur argumentum: quod nimirum ſicut Meſſiæ nomen ab unctione deductum eis commune fuit, ſic pariter unctionis genus, quo Reges, & Sacerdotes conſecrabantur, commune eſſet. Quemadmodum enim Deus ſummum Sacerdotem deſtinabat, ut Pa-

A ſtophorum collegii, ac miniſtrorum Dei, qui ad religionem cultumque ipſius Summi Opificis ſummus, ac ſupremus rector eſſet; ita etiam ab eodem Deo Rex eligebatur; ut maximus Principum, & ſolus Princeps in Republica eſſet Iſraëlitica. Hanc autem unctionem Principis, à Deo, non ab hominibus emanaſſe, in ſacris dicitur litteris. Sic enim inquit Samuel ad Saulem: *Ecce unxit te Deus ſuper hæreditatem ſuam in Principem.* 1. Reg. cap. 10. Cumque tam Sacerdotum unctio, & conſecratio, quam Regum initiatio à Deo fuerit inſtituta, & pro conſecrandis ſacerdotibus ſacrum oleum Exo. 30. Deus

B conſtituerit; eodem quoque oleo, quo Sacerdotes conſecrabantur, Reges inauguratos fuiſſe certum videtur: cum de alio oleo ad Reges inaugurandos à Deo inſtituto, nihil in ſacris litteris habeatur.

Favet mirum in modum huic ſententiæ conformitas epitheton, adjunctorumque, quibus tam hoc oleum regale, quam ſacerdotale ſacris in litteris celebratur. Utrumque enim *Sanctum* dicitur; ut Num. 35. cum de oleo conſecrationis ſummi Sacerdotis agitur: ad cujus vitæ terminum ſalvus & incolumis homicida caſualis in urbibus refugii, tanquam ad aſylum vivere poterat. Hæc ſunt illius loci verba: *Liberabitur*, inquit textus, *innocens de ultoris manu.* Hoc eſt, de manu illius, qui de interfecto

C vindictam eſſet ſumpturus, *& reducetur per ſententiam in urbem, ad quam confugerat: manebitque ibi donec Sacerdos magnus, qui oleo ſancto unctus eſt, moriatur.* Hoc itidem Sanctitatis epitheton à Deo tribuitur etiam oleo quo Reges inaugurabantur; nam Pſal. 88. dicitur: *Inveni David ſervum meum, oleo ſancto meo unxi eum.* Cumque idem ſit utriuſque olei adjunctum, & nomina, ac vocabula rerum quoque ſignificatarum notæ ſint; utique ex identitate vocabuli atque epithetorum, identitatem quoque rei ſignificatæ intelligendam fore neceſſariò videtur; ac propterea uno, eodemque oleo Reges, ac Sacerdotes fuiſſe inauguratos apud Hebræos, non immerito

D ſentiendum ab aliquibus cenſeatur.

Sacri hujus olei conſecrationis dignitatem ac præſtantiam quiſnam ſatis commendet? Quam tamen ſi quoquo modo poſſumus, celebrare voluerimus, & probare hoc eodem reges inauguratos fuiſſe: ſumpto argumento, à nominibus ſanctitatis, quod etiam divinæ juriſdictionis eſſet; & à perſonis denique, nimirum à Sacerdotibus, ad quorum dignitatem ſacri olei miniſterium pertinebat: nec non etiam à loco, nimirum à ſacro tabernaculo, in quo aſſervabatur; & ab aliis ſexcentis locis ſacrarum ſcripturarum, non minima ſumi poterunt argumenta, quibus præſtantia, dignitas, ac cultus ſacri

E hujus conſecrationis olei commendata manebit: nec ſolum commendata, ſed etiam probatum, hoc eodem oleo Reges inauguratos. Quo enim aliquid à communi vulgi notitia magis latet; nec non etiam ſacris benedictionibus impinguatur; eò religioſiori obſervantia ab hominibus reveretur ac veneratur.

Singula breviter percurrantur. Licet enim oleum hoc regium, aromatum præſtantia conditum, digniſſimum fore monſtraverimus; explicatiùs adhuc illius excellentia ſacris benedictionibus manifeſtatur: etenim dignitati illius major dignitas, & excellentiæ excellentia, benedictionum auctoritate aucta, effi-

F ciunt, ut merito ſanctum dicatur: eo nimirum ſanctitatis genere, quod Regibus etiam eo oleo inauguratis, ſanctificationem impertiret, illiuſque ſolo contactu Reges ſanctificarentur: atque propterea jure merito ſanctum dictum fuit à Deo in Pſal. 88. illis verbis: *Inveni David ſervum meum, oleo ſancto meo unxi eum.*

Sacro verò huic oleo inaugurationis, qualem Sanctitatis

ctitatis notam Deus indiderit, & ſacra oracula nobis ſubindicent, non facilè eſt explicatu. Non enim minimum ſumi poteſt illius Sanctitatis argumentum à pronomine *meo*, quo hoc oleum inſignivit Deus in Pſalmo. Nec enim fruſtra Deum hoc oleum ſuum appellaſſe, putandum eſt, cum ait: *Oleo ſancto meo unxi eum*; ſed utique illud pronomen *meum* ad illius dignitatem indigitandam poſitum fuiſſe dicimus, ac ea loquendi phraſi uſum fuiſſe Deum, ut ſui juris oleum hoc inaugurationis fore declararet. Quemadmodum Exo. 30. dixerat, cum hoc idem oleum ad conſecrationem Sacerdotum inſtituiſſet, atque ita à quocumque laïco, aut prophano uſu illud ſegregavit. Quamobrem quamvis nullo præcepto (quod in ſacris litteris habeatur) uſus olei inaugurationis, reliquis de populo interdiceretur: quemadmodum ſupra Myrothecio præcedenti, de oleo conſecrationis oſtendimus, nihilominus à loco in quo aſſervabatur; à Pontificibus, quibus ſolis miniſterium illius decernebatur; & à Regibus, quibus uſus hujus olei inaugurationis de cauſa concedebatur; & à ſolemnitate publica, ritibuſque ſacris, quibus ſacri hujus olei uſus conſociabatur; reliquis omnino de populo ejuſdem uſus prohibitus cenſeri debet. Ex his, me judice, non minimum poteſt ſumi argumentum, quod oleum inaugurationis idem omnino fuerit cum oleo conſecrationis; & Reges eodem oleo inaugurati fuerint, quo Sacerdotes conſecrabantur.

Abulenſis ſacrum extitiſſe oleum, quo inauguratus fuit David in Hebron ſuper tribum Juda, ſcripſit; & nos infra apertè oſtendemus: ſicuti etiam cum poſtmodum ſuper totum Iſraël Rex fuit inauguratus, ſancto oleo inunctum extitiſſe palam fiet. Sine fundamento igitur ab aliis dictum videtur in præcedenti capitulo, quòd oleum, quo Reges in Iſraël & apud Hebræos inaugurabantur, non ſacrum, ſed commune fuerit: quæ omnia planiora adhuc fient ex his, quæ ſtatim infra dicentur.

Ad ſacrum inaugurationis oleum revertamur, cujus ſanctitatem omnia jam allata argumenta commendant, & identitatem cum oleo conſecrationis ſubindicant; quandamque excellentiam divinitus quodammodo in eo oleo collocatam oſtendunt, quæ oleo conſecrationis à Deo inſtituto tantum adaptari merito poſſunt. Hujus verò ſacri olei excellentia, vel, ut ita dicam, religioſa, ac penè cœleſtis quædam virtus, ex eo cum primis oſtenditur; quod ſolius ſacri hujus olei effuſione, intra ſacros inaugurationis ritus, ac cæremonias, Regni Iſraëlitici poſſeſſio Principi conſignabatur. Sacra oracula hoc variis in locis aperiunt, & manifeſtant. Percurrantur ſingula, quæ de Regum inaugurationibus in his ſcribuntur. Davidis ad regnum aſſumptio in odium Saulis, & in competentia Isboſeth filii Saulis cum eodem contempletur. Salomonis, & Adoniæ in ſucceſſione paterni Regni conflictus conſideretur. Similiter Joaſi inauguratio in depoſitione impiæ Athaliæ præ oculis habeatur, & ſexcenta alia ſacrorum oraculorum loca. Illa ſanè omnia ſacræ unctionis, oleique inaugurationis vim, atque præſtantiam aperiunt; & ſoli oleo conſecrationis loca illa adaptari poſſunt.

Quamvis enim David Iſraëliticæ Reipublicæ Rex jam deſignatus à Deo fuiſſet, atque jam à Samuele Propheta ſecreto in Bethlehem Rex prænunciatus, oleoque unctus extitiſſet; ejuſque in Regem futurum deſignatio, tam manifeſta toti Reipublicæ Iſraëliticæ foret, ut Saul quoque Davidis infeſtiſſimus hoſtis eidem aliquando dixerit: *Et nunc ſcio quod certiſſime regnaturus ſis, & habiturus in manu tua regnum Iſraël*, uti legitur cap. 24. lib. 1. Regum; nihilominus à Regni Iſraëlitici poſſeſſione, non ſolum Saule vivente, ſed etiam Saule è vivis jam ſublato, per ſeptennium excludebatur; nec ad regni Iſraëlitici
A integram poſſeſſionem admiſſus legitur in ſacris oraculis, quouſque ſolitis ſacris peractis, ex conſenſu populi, & Senatorum, Deo conſulto, ſacro oleo Iſraëliticæ Reipublicæ Rex inauguraretur. Habetur hoc 2. Reg. cap. 2. ubi Seniores tribus Judæ convenientes, Regni poſſeſſionem ſuper propriam tribum, in oppidis, & urbibus ad ipſam ſpectantibus, poſt unctionem tantum Davidi tradiderunt. De quibus loco citato hæc leguntur: *Veneruntque viri Juda, & unxerunt ibi*, id eſt in Hebron, *David ut regnaret ſuper Juda.* A Regni tamen poſſeſſione ſuper reliquas tribus arcebatur, quouſque hæ quoque pariter in Hebron conveniſſent; Regnique totius
B poſſeſſionem ſacri olei inauguratione Davidi tradidiſſent. Ita factum legitur cap. 5. ejuſdem libri in hæc verba: *Venerunt quoque Seniores Iſraël in Hebron coram Domino, unxeruntque David in Regem ſuper Iſraël.*

Tanta denique religione ſacrum hoc oleum venerabatur ab Iſraëlitis: ut quamvis aliquis à Propheta, ſive à Sacerdote, ſive ab aliquo alio, cujuſcunque auctoritatis eſſet, Rex declararetur, ſolius tamen ſacri hujus olei conſecrationis inunctione Rex acclamabatur. Quamobrem altius quiſquis eſſet, à quocunque Regni jure excidebat; ubi ſacra hæc unctio illi defeciſſet. Immo quamvis favore populi aliquis
C acclamaretur Rex, cognita ab eodem populo alterius per ſacrum oleum inunctione, de ſuo Regno actum eſſe intelligebat etiam ille, qui Rex acclamabatur, ac vaſa ſtatim colligenda conclamabat.

Præclarum teſtimonium hujus veritatis lib. 3. Reg. cap. 1. extat: ubi à populo Rex Iſraëliticus Adonias Regis filius acclamabatur; cui uni, jure primogenituræ regnum deberi ab omnibus cenſebatur: (ſecundus enim natu erat poſt Abſalonem jam interfectum) quamobrem Regia in regno ſucceſſio, primogenituræ de cauſa ad Adoniam devoluta putabatur: & pro eo, ejuſque inauguratione plurimi, tam Sacerdotes, quam ex militibus ſtabant: quinimo
D jamjam quæcumque ad ritus ſolemnioris inaugurationis, de more Iſraëlitarum requirebantur, in promptu fore cenſebantur. Et licet de inauguratione ſolemni, quæ Senatu convocato haberi conſueverat, minimè, ut puto, tunc ab Adonia ageretur; quod viveret adhuc Rex David; tamen certa ſpe futuræ ſucceſſionis, Adonias ad eam, quam brevi ſperabat mortuo patre inaugurationem, ſe accingebat: niſi velimus hunc quoque affectata tyrannide, patri jam ſenectute confecto, regnum ſurripere tentaſſe.

Sed quicquid ſit de his: inaugurationis cujuſdam ſpecimen in hac Adoniæ acclamatione conſpicieba-
E tur. Sacrificia enim oblata jam fuerant, ut aliqui docent; convivia inſtructa; locus inaugurationis ſolemnis ab eo deſignatus; cum Adonia ferè omnes de familia Regis aderant; & fratres quoque Adoniæ, Proceres, ac Principes Regni convenerant, ut legimus loco citato his verbis: *Immolatis ergo Adonias arietibus, & vitulis, & univerſis pinguibus juxta lapidem Zoheleth, qui erat vicinus fonti Rogel, vocavit univerſos fratres ſuos filios Regis, & omnes viros Juda ſervos Regis.* (Curiales erant iſti, Davidiſque domeſtici.) Regia familia ferè tota, ut dicebamus, partes Adoniæ ſequebatur: immo tribus quoque Juda, quæ primaria ac præcipua inter Iſraëliticas cen-
F ſebatur, pro Adonia ſtabat. Quodque adhuc magis eſt, non ſolum Sacerdos Magnus Abiathar, ſed etiam ſummus Iſraëlitici exercitus Imperator Joab, atque ex conſequenti totius exercitus Iſraëlitici milites, Imperatoris exemplum atque mandata ſequuti, ad partes Adoniæ fortaſſe declinaverant. Sic enim dicitur in cap. 1. lib. 3. Reg. *Et ſermo ei cum Joab filio Sarviæ, & cum Abiathar Sacerdote, qui adjuvabant*

bant partes Adoniæ. Huic uni coronam portendebant omnes; huic uno ſceptrum deberi fatebantur; huic uni regium thronum parabant; Adoniæ applaudebant; acclamationibuſque fauſta eidem precabantur.

Ipſe quoque jam curiam ſibi conſcripſerat, comitatum atque ſatellitium ſibi paraverat, ac his quibus fidebat plurimum, munia gubernationis ac regiminis jam commendaverat. Textus ſacer loco citato hæc omnia ſubindicat, dicens: *Adonias autem filius Hagith elevabatur dicens: ego regnabo, fecitque ſibi currus, & equites, & quinquaginta viros, qui currerent ante eum.* In ſacrificiis etiam Rex acclamabatur, ut liquidò conſtat ex eodem capitulo, ſacro textu referente Bethſabeam de his apud Regem conqueſtam fuiſſe, ac Davidi hæc dixiſſe: *Et ecce nunc Adonias regnat, te, Domine mi Rex, ignorante.* Sacerdos quoque ſummus, qui Dei oraculum exciperet pro Adonia, cum aliis ſtabat, ut dicitur loco citato paulo infra à verbis jam allatis. Nathan enim Davidi ait: *Domine mi Rex, tu dixiſti: Adonias regnet poſt me, & ipſe ſedeat ſuper thronum meum? quia deſcendit hodie, & immolavit boves, & pinguia, & arietes plurimos, & vocavit univerſos filios Regis, & Principes exercitus, Abiathar quoque Sacerdotem: illiſque bibentibus, & veſcentibus coram eo, & dicentibus: Vivat Rex Adonias.* Cujus inaugurationis ſolemniſſimam pompam ſupra quam credi poteſt, lætis acclamationibus proſequutam à Populo, etiam Joſeph. lib. 7. antiq. cap. 11. ver. 5. teſtatur. De qua ſic ille: *Paravit autem,* ſupple Adonias, *currus multos, & equos, & quinquaginta viros præcurſores &c.* Et infra: *Cooperatores autem habebat Adonias Imperatorem Joabum, & Pontificem Abiathar.* Et infra: *Adonias vero apparata cœna extra Civitatem ad fontem, qui erat in regio Paradiſo, & vocavit omnes fratres, excepto Salomone, & aſſumſit Imperatorem quoque Joabum, Abiatharum, & Principes tribus Judæ.* Sacræ Scripturæ locis, & Joſephi teſtimonio Adoniam Regem acclamatum fuiſſe, omnibus ferè ritibus, ac cæremoniis, quibus apud Iſraëlitas ſolemniter Reges in conventu ordinum inaugurari conſueverant, perſpicuum eſt; ita ut nihil ferè defuerit eorum, quæ tunc temporis ad hæc ſolemnia neceſſaria cenſebantur, præter ſacrum inaugurationis oleum.

Illa ipſa etiam omnia ad Salomonem inaugurandum præſtita fuiſſe ſacra teſtantur oracula: nam victimæ, acclamatio, plauſus, Sacerdotes, & milites regiæ cohortis adfuere, ac reliqua omnia, quæ in ſolemni regum inauguratione requirebantur. Nec apparatu minori, quam Adonias, frater ejus Salomon feſtum hoc ſolemne declarationis in regni ſucceſſionem agebat. Sacro ſolummodo oleo conſecrationis Salomon Adoniæ inaugurationem exceſſit: hoc oleum Adoniæ defuit; & Salomoni adfuit, ut ſcribitur 3. Reg. 1. his verbis: *Sumpſitque Sadoch Sacerdos cornu olei de tabernaculo, & unxit Salomonem: & cecinerunt buccina, & dixit omnis populus, Vivat Rex Salomon.* Qua quidem unctione, ſacroque conſecrationis oleo perfuſo Salomone, illico Adonias jura regni Iſraëlitici fratri ſuo Salomoni, licet natu minori, conceſſit; & Principes Regni, Proceres, milites, ac Senatores, qui cum Adonia erant, vaſa conclamavere, & ad partes Salomonis deflexere; ut ibidem in hæc verba ſcribitur: *Territi ſunt ergo, & ſurrexerunt omnes, qui invitati fuerant ab Adonia: & ivit unuſquiſque in viam ſuam.* Adoniam quoque ipſum Salomonem adoraſſe, Regnique Iſraëlitici ſucceſſionem ac poſſeſſionem ceſſiſſe, textus ſacer affirmat.

Sacri igitur conſecrationis olei defectus, Adoniæ ſacra prophanavit; regiæ curiæ munera ab Adonia diſpoſita abolevit; curiam ipſius diſſolvit; regios ſtipatores herbam porrigere coëgit; equites proſtravit; Centurionis fugavit; regiam tandem Adoniæ majeſtatem fregit, ac humi dejecit. Cum tamen Regni Iſraëlitici poſſeſſionem, juraque omnia ab Adonia ad Salomonem, ſacrum hoc oleum tranſtulerit. Ex quibus apertiſſimè hujus ſacri olei religio eſt manifeſta. Quæ religio, ac veneratio ſacro conſecrationis oleo ex divinis ſtatutis cum deberetur; ſacro quoque conſecrationis oleo Reges Iſraëlitas unctos & inauguratos dicendum videtur.

Neque minoris eſt argumenti ad ſacri olei cultum probandum, Salomonis iterata unctio. Quia enim cum primum vivente adhuc patre Salomon ad Regnum fuiſſet inauguratus, ordinibus regni non convocatis, propter commotam ſeditionem ex Adoniæ prætextu, & Reipublicæ Iſraëliticæ periculum, plurimi adhuc de populo ante Davidis obitum in regnum Salomonis nequaquam apertè conſenſerant: quod nimirum à patre potius, quam à populo jura Regni Salomon accepiſſet: idcirco ut pacata Regni poſſeſſione, poſt patris obitum, Salomon frueretur; iterum eumdem ordinibus Regni convocatis, ſacro conſecrationis oleo perfundi, atque inaugurari, David antequam extremum clauderet diem, curavit. Ut legitur lib. primo Paral. cap. 29. his verbis: *Et unxerunt ſecundo Salomonem filium David: unxerunt autem eum Domino in Principem, & Sadoch in Pontificem. Seditque Salomon ſuper ſolium Domini in Regem pro David patre ſuo: & cunctis placuit, & paruit illi omnis Iſraël. Sed & univerſi Principes, & potentes, & cuncti filii Regis David dederunt manum, & ſubjecti fuerunt Salomoni Regi.*

Augetur cultus hujus ſacri olei inaugurationis, & idem fuiſſe cum oleo conſecrationis perſpicuum, ac certum videtur à loco, in quo hoc oleum aſſervabatur: à ſacro nimirum Dei tabernaculo, cujus aditus omnibus non ſacerdotibus præcludebatur. Imo Sacerdotibus quoque, quibus ex aliquo corporali defectu, vel alia de cauſa ſacra miniſteria interdicebantur, pariter hujus olei miniſterium vetitum erat. Solius enim Sacerdotis ſummi munus erat, ut infra probabimus, inaugurationis regiæ de cauſa tabernaculum adire, indeque aſſumpto conſecrationis oleo, illum inaugurare Regem, quem Deus elegiſſet, populique admiſiſſent; aut deceſſor, vel ſpeciali ratione, vel jure hereditario ſibi ſucceſſorem deſignaſſet.

Ab identitate etiam vaſis, nimirum à cornu, ſumpto argumento, non ſolum hujus ſacri olei præſtantia dignoſcitur; ſed etiam ſacerdotalis conſecrationis oleo Reges inauguratos fuiſſe conſtat. Præclariſſima enim quæque in Scripturis ſacris, à cornu ſumpta metaphora ſubindicantur. Cornu in Scripturis ſacris gloria, ſplendor, decor, imperium, poteſtas, & alia plura ſignificantur. Metaphora ab illis animalibus ſumpta, quibus hæc omnia præſtat præfixum fronti cornu. Quare frequens eſt, per *extolli, & elevari cornu*, in Scripturis ſacris proſperam ſignificari fortunam, (ut ſic loquamur.) Qua ratione Amos 6. quidam dicebant: *Numquid non in fortitudine noſtra aſſumpſimus nobis cornua?* Sic etiam Pſal. 17. divina protectio favorque ipſius, cornu ſignificantur à Propheta dicente: *Deus protector meus, & cornu ſalutis meæ.* Quamobrem quamdam divinitatis participationem præ ſe ferunt ea, quæ cornu ſignificantur: ad quod probandum loca in Scripturis ſacris paſſim occurrunt. Nam etiam verbum קרה *qharah*, à quo formatur nomen קרן *qheren*, quod cornu interpretatur, *radiavit, ſplenduit, ſublimavit*, ſignificat. Eapropter in Exo. ubi de facie Moyſis, quæ fulgida, atque ſplendida apparebat, nos legimus: *Viderunt filii Iſraël faciem Moyſis, quod cornuta eſſet ex conſortio ſermonis Dei*, Hebraicè legimus verbum קרן *qharan*. Ex quo verbo ſervata rigoroſa interpre-

terpretatione vocis, dicendum eſſet, quod *cornuaret* facies Moyſi, pro *ſplenderet.* Et lib. 1. Reg. cap. 2. Anna ſanctiſſima mulier mater Samuelis, Deo omnipotenti bonorum omnium largitori de conceſſo ſibi pro voto filio gratias plurimas referens, *Dominus judicabit fines terræ*, inquit: *& dabit imperium Regi ſuo, & ſublimabit Cornu Chriſti ſui.* Quaſi diceret: *faciet præfulgidum, & illuſtre Meſſiæ Regnum.* Idemque quod dixerat illis verbis, *Dabit imperium Regi ſuo*, Metaphora à cornu ſumpta explicavit, cum ait: *Sublimavit cornu Chriſti ſui.* Hic enim de dilatatione Imperii agebatur. Alia penè innumerabilia in Scripturis ſacris occurrent; in quibus à vaſe ſumpto argumento probari poſſit, non ſolum ſacrum fuiſſe oleum quo Reges inaugurabantur, ſed idem omnino cum oleo conſecrationis, quo ſacerdotes initiabantur.

Et de Davide, quod ſacro fuerit conſecrationis oleo inunctus, certius aliquibus videtur, quam probatione indigeat. Nam illud oleum, quo unctus fuit à Samuele David in cornu ex 1. Reg. 16. aſſervatum conſtat. Bethlehem enim Samuel iturus, ex Dei mandato, ut Davidem regio charactere inſigniret, dixit illi Dominus: *Imple cornu tuum oleo.* Et cum de actuali ipſius unctione ſermo eſt, ſubditur: *Tulit ergo Samuel cornu olei, & unxit eum in medio fratrum ejus.* Si ergo à vaſe ſumenda ſit rationis vis, oleum illud non ſolum ſacrum extitiſſe, apertum videtur; ſed etiam idem omnino cum oleo conſecrationis, quo unctus fuit Salomon.

Sed etſi argumentum ſumptum à vaſe efficaciter illius olei ſanctitatem nequaquam probaret: David tamen oleo non ſacro fuiſſe inauguratum, nulla ratione ſuſtineri poteſt. Quid enim dicent contrariæ ſententiæ Patroni ad illud Pſal. 88. Domino de Davide dicente, ac atteſtante, ſe ſacro oleo illum unxiſſe, cum ait: *Inveni David ſervum meum, oleo ſancto meo unxi eum?* Quid clarius, quid apertius deſiderari poteſt? Sanctitas enim hujus olei ex vi illius verſiculi locum habeat apud eos, qui *oleo ſanctitatis*, juxta rigoroſam ſignificationem Hebraicæ dictionis locum vertunt. Adjuncta enim dictio קדש *qhodes* oleo, cum vim ſanctificantem habeat; ſanctum fuiſſe oleum, hacque unctione delibutum ſanctificatumque Davidem demonſtrat. Cumque in Scripturis oleum tantum conſecrationis ſanctum dicatur in libro Exodi: & divini juris illud oleum Deus declaraverit cum ait, *Sanctum erit mihi*: profectò cum in Pſalmo ait ſe Davidem unxiſſe ſacroſancto oleo, quod ſibi ſanctum erat; utique affirmandum videtur, Davidem oleo ſacerdotalis conſecrationis inauguratum fuiſſe, & proinde quotquot Reges in Iſraël extiterunt, eodem ſacro conſecrationis oleo regni prima auſpicia ſuſcepiſſe.

CAP. XLVIII.

Oleo ſancto alterius generis ab oleo conſecrationis Reges Iſraël inauguratos auctor exiſtimat.

Ad loca Pſal. 88. *Inveni David ſervum meum, oleo ſancto meo unxi eum.* Levit. 21. *Capita veſtra nolite nudare, & veſtimenta veſtra nolite ſcindere, ne forte moriamini.* Cap. 21. *Pontifex*, id eſt, *Summus Sacerdos; ſuper cujus caput fuſum eſt unctionis oleum; & cujus manus in ſacerdotio conſecratæ ſunt, veſtituſque eſt ſanctis veſtibus, caput ſuum non diſcooperiet, veſtimenta non ſcindet, & ad omne mortuum non ingredietur omnino; quia oleum unctionis Dei ſuper eum eſt.* Et ad alia plura.

A UTRUM reliqui gentium Reges ungerentur necne, parum noſtra intereſt; multum vero ad ſacra noſtra arcana refert, Sacræ unctionis oleum apud Hebræos ad Reges inaugurandos adfuiſſe: quam conſuetudinem apud illos extitiſſe ſacræ Scripturæ loca plurima retro relata, diſcuſſaque cap. 45. apertè neceſſarium extitiſſe oleum ad Regum inaugurationes manifeſtant. Et quidem ſententia, quæ capite præcedenti affirmabat, oleo conſecrationis Reges inauguratos fuiſſe, id ipſum confirmat.

Quamvis igitur falsò, me judice, id dixerint prædicti auctores; nihilominus ſaltem in hoc nobiſcum
B conveniunt, quòd ſacro oleo unctos, atque inauguratos Reges fatentur. Quod nos quoque fatemur; argumento ſumpto à vaſe, & à loco in quo vas ſervabatur; nec non etiam à nomine Sancti eidem oleo à ſacris oraculis aſcripto. Quapropter omnia argumenta, jam poſita, quibus aliorum ſententiam rejicimus, qui oleo non ſancto Reges Hebræos inauguratos affirmabant, huc transferri poſſunt, ad ſanctitatem noſtri olei inaugurationis comprobandam.

Quamvis igitur prædicta ſententia, quæ docebat eodem oleo conſecrationis Reges, & Sacer-
C dotes inunctos, nunquam nobis placuerit; præſertim ratione divini præcepti, quo quibuſcunque hominibus etiam Regibus, ut probatum eſt, ſacri olei conſecrationis uſus prohibebatur: lex etiam funeris aliò nos avocat, ac etiam argumentum præſtat efficaciſſimum pro diverſitate olei regiæ inaugurationis, ab oleo conſecrationis. Tanta enim puritate Optimus Deus fulciri ſuos voluit Sacerdotes; ut Pontifici Summo ſub mortis pœna immundari, aut contra præſcripta legis contaminari in funere propinquorum interdixerit. Tangere namque aut commiſceri quoquomodo cum his, qui obitus alicujus de cauſa in luctu verſarentur, erat immunditiæ genus adeò execrabile ex Moſaycis decretis, ut ab altari, & à ſacris arcerentur, quotquot
D ad funus iviſſent; defunctum, aut illius veſtimenta, pannoſque ad funus pertinentes, leviter tetigiſſent; in ſepulcrum, aut in domum funeris ingrederentur. Quamobrem niſi expiarentur, ad ſacra, vel ad tabernaculum accedere vetabantur. Pontifex verò tanta ſeveritate à funeribus arcebatur, ut nec etiam in funere ſibi conjunctiſſimorum, uti ſunt genitores, ad luctum accedere, aut funeris cæremonias ſervare ei liceret.

Et quidem tanta ſeveritate hoc Deus conſtituit; ut neque ad ſubindicandum animi mœrorem, aut luctum in funere genitorum, Sacerdoti Summo caput aperire concederetur. Cujus quidem præcepti
E nulla alia à Deo ratio affertur, niſi ſanctæ unctionis præſtantia. Quia *oleum unctionis ſanctæ*, inquit ſacer textus, *ſuper caput ejus eſt.* Hæc habentur Levit. 10. *Capita veſtra nolite nudare, & veſtimenta nolite ſcindere; ne fortè moriamini.* In eodem lib. cap. 21. ubi ſermo eſt de Summo Sacerdote, ait Moyſes: *Pontifex*, id eſt, *ſummus Sacerdos, inter fratres ſuos, ſuper cujus caput fuſum eſt unctionis oleum, & cujus manus in ſacerdotio conſecratæ ſunt, veſtituſque eſt ſanctis veſtibus, caput ſuum non diſcooperiet, veſtimenta non ſcindet, & ad omne mortuum non ingredietur omnino: ſuper patre quoque ſuo, & matre non contaminabitur, quia oleum ſanctæ unctionis Dei ſuper eum eſt.*

F Jam igitur ex ſacræ Scripturæ latebris noſter in medium emergat Achilles, & certò certius probetur, oleum quo Reges inaugurabantur, diſtingui ab oleo, quo ſacerdotes initiabantur. Etenim ſi ejuſdem, & non alterius generis extitiſſet hoc oleum inaugurationis; præceptum de ſe non contaminando in funeribus propinquorum, quo Sacerdotes ligabantur, ad ipſos quoque Reges procul dubio extenderetur.

retur. Ratio enim effuſionis ejuſdem olei, pro Regibus quoque militaret. Nam ubi eadem legis ratio militat, legem quoque ipſam locum habere norunt Juriſperiti omnes. l. *illud* ff. ad legem Aquil. & inſtit. *quod cum eo* §. 1. quia ſimilium eadem eſt diſciplina ff. de jure vet. l. tertia §. *proinde* & §. *quoties*. Quamobrem eſt regula veriſſima Baldi communiter à Juriſperitis recepta, quod ea, quæ non differunt ratione, nec etiam differunt juris diſpoſitione. Quas regulas in ſacris quoque oraculis militare Rabbini quoque fatentur, quoties de intellectu Moſaicarum legum diſputant. Cum igitur ratio ob quam Sacerdotes in funeribus contaminari prohibebantur, eſſet ſacri olei effuſio, & hæc eadem omnino ratio militaret contra Reges; ſi eodem oleo conſecrationis inauguratos dixerimus, lex quoque illa in Regibus locum haberet.

At vero ſecus, ac in ea lege conſtitutum à Deo fuerat, Reges feciſſe, ex pluribus ſacræ Scripturæ locis cognovimus. Nam David ſanctiſſimus vir, divinæque legis ſtudioſiſſimus 2. Reg. cap. 1. cum mortem Saulis Amalecita ille in proprium damnum retuliſſet: *Apprehendens David veſtimenta ſua ſcidit, omneſque viri qui cum eo erant* (inquit ſacer textus) *& planxerunt, & fleverunt, & jejunaverunt ſuper Saul uſque ad veſperum.* Abſalonem filium inſolentiſſimum, qui adverſus patrem conjuraverat, David fleviſſe conſtat ex 2. Reg. cap. 18. Quod etiam alibi in Scripturis de regibus non raro, ſed ſæpiſſimè legimus: ita ut nunquam Reges à ferali luctu, ac pompa funeris abſtinuiſſe, ſacra oracula tradant.

Nec velim ſuſpicemur, aut de more Rabbinorum comminiſcamur, Reges privilegio aliquo à Deo inſignitos, cujus diſpenſationis vigore ratio juris communis moderata fuiſſe credatur; cum nullibi in Scripturis ſacris privilegium hoc habeatur; aut veſtigia aliqua diſpenſationis appareant. Quamobrem quemadmodum Reges lege lata de funeribus non ligabant; ita neque eodem oleo, ſed diverſo, eoque ſacro, ex noſtra ſententia inaugurabantur.

Probatum etiam remanet, ut reor, nequaquam oleo communi Reges inauguratos, ut dicebat prima ſententia. Omnibus enim argumentis pro præcedenti ſententia allatis rejecta jacet. Etenim ſi ſacrum oleum ad inaugurationes neceſſarium non fuiſſet, qui partes Adoniæ defendebant, communi oleo illum ungere, ac inaugurare conſtituiſſent; ac propterea quamvis Salomon oleo ſacro fuiſſet inunctus, Adonias vero non ſacro, ſed communi; adhuc tamen lis de ſucceſſione ad regnum indeciſa, ac ſub judice remanſiſſet. Ambo regnum jure ſibi deberi pro certo affirmaſſent, cum Salomon, & Adonias legitimo oleo inaugurati extitiſſent. Utriſque vigore unctionis, jura Regni deberentur. Nec defuiſſent ex Iſraëlitis, qui partes Adoniæ contra Salomonem tuerentur. Illi enim ipſi, qui à principio illarum partes tuebantur, pro eiſdem etiam poſtmodum ſtetiſſent. Davidi etiam, cum reſcivit Regem acclamari Adoniam, non erat, quamobrem Sadochum ſumere oleum de tabernaculo ad Salomonem ungendum juberet. Oleum enim vulgare, ac etiam oleum aromatibus conditum, quo in balneis, ac inter pocula tunc utebantur; magis ad manus extitiſſe, quam ſacrum, certiſſimum cum ſit, acclamationi utique Adoniæ citius, ac facilius hoc oleo quam ſacro occurreretur: itaque Regium præceptum de ſumendo oleo ex tabernaculo, ſacri olei in Regibus inaugurandis omnimodam exigentiam aperit.

Tunc etiam quando Iſraëlitæ à Roboam filio Salomonis defecerunt, quod juſtis eorum petitionibus acquieſcere noluiſſet, aliquem alium ex filiis Salo- A monis Roboamo ſecluſo adſumere eis licuiſſet, communique oleo eodem inuncto Regem acclamare, acclamato eidem jura regni concedere. Niſi velimus Iſraëlitas illos à tribu Juda toto animo diſcedere voluiſſe; proinde ſacri olei nihil curaſſe. Rationes igitur in contrarium ex ſententia Abulenſis, & Sanctii allatas ſi audierimus, abſurdis quoque quampluribus cedere cogimur. Ne igitur veritas, me judice, ſuccumbat, neceſſario affirmandum videtur, populi Iſraëlitici conſuetudinem extitiſſe, non quidem communi, ſed ſpeciali aliquo ſacro genere olei aromatibus condito, & hoc digniſſimo, Reges ad Regnum inaugurare, atque vigore illius olei, regni jura B eiſdem tradere.

Sanctum itaque extitiſſe oleum inaugurationis, ſed alterius generis ab illo, quo Sacerdotes initiabantur, affirmamus. Hoc novum & inauditum videri poteſt, & tota ratio difficultatis in hoc eſt poſita: ſed probatur, quia quamvis hoc oleum quo Reges inaugurabantur, ſanctum dicatur, in Pſal. 88. in illis verbis: *Inveni David ſervum meum, oleo ſancto meo unxi eum*; non tamen eodem ſanctitatis vocabulo, quo oleum quo Sacerdotes ſacrabantur. Nam hoc quo Reges inaugurabantur, nomine ſanctitatis ſemel tantum in Scripturis decoratur; atque præter unicum ſanctitatis vocabulum, unica etiam tantum C conjectura ex 3. Reg. cap. 1. illius ſanctitas colligitur; nimirum, ut jam diximus, à ſacro Dei tabernaculo, in quo religioſe aſſervabatur. At ſacerdotalis conſecrationis oleum, & ejus ſanctitatem nunquam ſatis ſacra oracula aperuiſſe, neque ſufficientibus adjunctis illius ſanctitatis præſtantiam explicaſſe videntur. Oleum enim ſanctæ unctionis paſſim nominatur: oleum ſanctitatis innumerabilibus fere in locis appellatur: oleum unctionis Domini interdum dicitur: aliquando per oleum unctionis Dei illius ſanctitas explicatur: oleum unctionis ſanctitatis paſſim inſcribitur. Quæ adjuncta, atque epitheta oleo regio in ſcripturis nequaquam aſcribuntur.

D Verum ut ad individua ſacrorum oraculorum loca deſcendamus; certum ſit oleum regiæ inaugurationis per antonomaſiam, unctionis oleum nullibi dictum in ſacris oraculis reperiri: neque oleum unctionis ſanctæ alicubi nominatur: neque oleum unctionis Domini ſub nomine tetragrammato, ſicut oleum conſecrationis in ſacris litteris ſignificatur: quæ quidem adjuncta, regiæ inaugurationis oleo aliquando appoſita in ſacris oraculis haberentur; ſi ei prædicta adjuncta ratione ſanctitatis convenirent: & hæc tunc ſaltem in ſacris libris legerentur, quando de illo oleo per reſpectum ad ſolemnitatem inaugurationis ſacris in hiſtoriis ſermo inſtituitur. Cum E tamen ſecus omnino, ac de oleo ſacerdotalis conſecrationis, ſacra loquantur oracula. Hujus præſtantia, & ſanctitatis dignitas, ut ubique in ſacris oraculis perſpicua fiat, plura in præſentiarum afferemus loca. Legatur cap. 30. Exo. ubi de compoſitione illius olei agitur, quo conſecrandi Sacerdotes erant: in quo *oleum unctionis ſanctæ*, appellatur; ſive ſanctum, juxta phraſim noſtræ tranſlationis in hæc verba: *Facieſque unctionis oleum ſanctum, unguentum compoſitum opere unguentarii.* Sacerdotale hoc oleum, *unctionis oleum* dici, perſpicuum eſt, Exo. 26. ubi ut filii Iſraël aromata in compoſitione ſacerdotalis unguenti offerant, Deus præcepit: & ubi F noſtra tranſlatio habet, *aromata in unguentum, & thymiama boni odoris*; Hebraicè legitur aromata לְשֶׁמֶן הַמִּשְׁחָה id eſt, *aromata ad oleum unctionis.* Ritus, ac cæremoniæ ad conſecrandos Sacerdotes Exo. 29. à Deo præſcribuntur: & ibi *oleum unctionis* appellatur; ſicut etiam cap. 8. Levit. ubi Hebraicè legimus: *Et fudit de oleo unctionis ſuper caput.* Reliqua vero adjuncta, quæ ex phraſi ſacrorum oraculorum

in unctionem ſacerdotalem cedere ſolent, nimirum oleum *unctionis ſanctæ*, vel *unctionis Domini*, vel *unctionis ſanctæ Dei*, & alia hujuſmodi, quibus illius olei excellentia inſinuatur, tam cap. illo 8. Levit. quam alibi multoties repetita, ad brevitatem prætermittuntur. Videntur enim ſacra oracula ſubinnuiſſe, dum in allatis locis, & alibi oleum ſacerdotale, oleum unctionis per antonomaſiam appellant; reliqua quoque adjuncta, quæ illius excellentiam explicant, per antonomaſiam ſimiliter accipienda fore. Enimvero *oleum unctionis ſanctæ Dei*, cap. 21. Levit. appellatur; in quo Deus Summum Sacerdotem jubet non contaminari in funere propinquorum; cujus legis rationem aſſignans ait: *Quia oleum ſanctæ unctionis Dei ſuper eum eſt.* Idem adjunctum huic oleo tributum legitur cap. 10. Hæc autem adjuncta, quibus præſtantia olei conſecrationis ſubindicatur, nunquam tributa legimus oleo regiæ inaugurationis; ac propterea dicendum videtur, & certo tenendum, quod oleum, quo Reges inaugurabantur, alterius generis erat ab oleo conſecrationis, inferioriſque ſanctitatis ab illo.

Sed quale foret hoc oleum Regiæ inaugurationis, declarandum ſupereſt, à quo inſtitutum, quibus aromatibus conditum, & quando cœperit uſus illius apud Hebræos: quæ omnia in arcanis ſacrorum oraculorum recondita latent. Perdifficile quidem, & obſcurum unguenti genus illuſtrandum ſuſcepimus; cum inter tot genera veterum unguentorum, nullum hujus rei veſtigium appareat, nec apud Athenæum, neque apud alios veteris ſeculi Scriptores, & veteris luxus proditores. Eſt enim hoc negotium revera tam arduum, & reconditum, ut à nemine huc uſque pertentatum fuerit: ſed nec alicui, quod ſciam, hæc inveſtigare in mentem venerit; niſi forte Rabbinis, quos ego non vidi. Nec mirum, cum in Scripturis ſacris, ne verbum quidem de hujus ſacri olei compoſitione habeatur. Rationibus tamen ex ſacris petitis litteris, quæ probabiliora videbuntur, in medium afferam.

Ut autem dicenda clariora fiant, & veritas eluceſcat, ſcire oportet, Regum unctionem duplicem extitiſſe, clanculariam nimirum, & publicam. Prior non pertinebat ad regium jus, ſed ad regni prædictionem, quæ alicui fiebat à Propheta, & ideo quocunque oleo fieri poterat, etiam prophano. At ſolemnis alicujus regis inunctio, quam inaugurationem appellamus; in conventu Procerum, & Senatorum habebatur. Et in hac quidem non oleo communi ac vulgari Rex inungebatur, ſed oleo ſancto, & benedicto: non ejuſdem generis cum oleo quo Sacerdotes conſecrabantur, ſed alterius generis, oleo nimirum ad hoc tantum munus conſecratum, ac benedictum, aromatibus præſtantiſſimis conditum, & in ſacro Dei tabernaculo inter alia ſacra, omni cum reverentia cuſtoditum, & aſſervatum.

Hanc itaque olei inaugurationis compoſitionem, ut breviter, & dilucidè aperiam; eiſdem omnino aromatibus parari, atque componi conſueviſſe arbitror; quibus ſacrum unguentum, ſive oleum pro conſecrandis Sacerdotibus, ex Dei præſcripto Exo. 30. parabatur. Permutatis fortaſſe in hoc inaugurationis oleo componendo, eorumdem aromatum ponderibus, atque menſuris; permutatis, inquam, ad lineam propheticæ Samuelis prudentiæ, ne divini mandati Reges, ac populi Iſraëliticæ Reipublicæ tranſgreſſores facti, in uſu ſacri hujus olei divinæ indignationis rei damnarentur.

Tradita à nobis doctrina ſive potius conjectura, ut benevolo lectori ſuadeatur, qua decet, probabilitate; prætereundam nequaquam arbitror vim, ac energiam verborum, quæ in lege lata pro cultu ſacri olei conſecrationis habentur Exo. 30. Iſta nimirum: *Et juxta compoſitionem ejus non facietis aliud.* Verba juxta contextum hebraicum ſic ſonant. ובמתכנתו לא תעשו כמהו Quæ verba Arias Montanus ſic interpretatur: *Et in menſura ejus non facietis ſicut illud.* Sanctes Pagn. ſic: *Et ſecundum ſummam ejus non facietis ſicut illud.* Marc. Marin. in ſua Arca Noë in dictione מתכנת interpretatur ſic: *Et in diſpoſitione illius non facietis ſicut illud.* Quæ omnes interpretationes eò, me judice, tendunt: ut compoſitio ſacræ conſecrationis olei, ac unguenti non omnino prohibeatur, ſed ad menſuram, ac pondus illorum aromatum prohibitio ſe arctet, ad quod pondus ſacrum unguentum conſecrationis capite illo 30. Exodi ad ſacrorum utenſilium altarium, Sacerdotum, ac Pontificum conſecrationem componendum præſcripſerat Deus.

Etenim præcepti illius vis tota reſtringitur ad illam dictionem Hebraicam במתכנתו, quæ à dictione מתכנת *mathconeth* derivatur. Hæc autem vox artificioſam alicujus compoſiti diſpoſitionem, per ſuos numeros & pondera aptatam importat, per certas nimirum atque determinatas ab arte menſuras aromatum. Quamobrem juxta illius dictionis vim & ſignificationem, ſolum ea lege prohiberi arbitror, ne quis videlicet ſub eiſdem menſuris & ponderibus componeret illud unguentum, nec juxta numerum aromatum, quæ illius compoſitionem ingrediebantur, aliud ſimile componeret. Non vero ne quis diminutis, vel additis aliquibus aromatibus, vel alteratis ponderibus, non poſſet aliud ſimile unguentum componere. Juxta quam illius Hebraici vocabuli interpretationem, ſic locus allatus à nobis quoque paraphraſticè interpretabitur: *Et in diſpoſitionibus ponderum, & juxta menſuram illius*, ſupple unguenti, *non facietis ſicut illud.* Rationem quoque affert ſacer textus dicens: *Quia ſanctum, & ſanctificatum erit vobis.*

Cum igitur abſolutè ac ſimpliciter filiis Iſraël unguentum aliud ab unguento conſecrationis, variatis ponderibus parare, quo ad qualitatem aromatum prohibitum non eſſet; ſed ſolum unguentum in eadem aromatum menſura, atque in eodem pondere à Deo præſcripto, pro conſecrationis oleo, aliud ſimile filiis Iſraël parare vetitum fuerit: propterea ſi aliquis Iſraëlita, ex enumeratis à Deo in eo cap. Exo. 30. aromatibus alia adjunxiſſet aromata, & præſtantiſſimum unguentum ſibi apparaſſet, quod quidem, unguento à Deo inſtituto, quod ad ingredientia ſimile, non vero quod ad illorum aromatum pondus ac menſuram extitiſſet; cum nullatenus & ſimpliciter tale unguentum, ſeù oleum, ſimile ad rigorem legis, unguento conſecrationis dici potuiſſet, profectò nec præcepti tranſgreſſor exiſteret, qui eo unguento ſive oleo uteretur.

Cum enim lex iſta ſit pœnalis, Domino dicente Exo. 30. *Homo quicumque tale compoſuerit, & dederit ex eo alieno, exterminabitur de populo ſuo;* non videtur pœna extendenda, ſed ſtrictè interpretanda. Ut rectè tradunt Juriſperiti in cap. *ſtatutum* de elect. in 6. in quo ſtatutum quoddam Greg. X. ſtrictè accipiendum propterea traditur: *Quod cum ſit pœnale, reſtringi potius convenit quam laxari.* Eſt etiam text. l. *cum quidam.* ff. de liber. & poſth. & facit cap. *in pœnis.* de regul. jur. in 6. Eoque magis, quod lex ad mentem Legiſlatoris ligat; cujus intentio in pœnalibus, ex rigoroſa verborum ſignificatione, expiſcari debet. Cumque dictio illa במתכנתו compoſitionem tantum artificioſam, in quodam rerum determinato pondere & menſura ſignificet; huic ſignificationi neceſſariò, quantum ſpectat ad obſervantiam divini præcepti, ſtandum erit. Verbis enim ſtandum eſt, l. *liberorum.* §. *quod tamen Caſſius.* ff. de legat. 3. & hanc quidem Legiſlatoris mentem ra-

tio legi appoſita explicat, ut in noſtro præcepto contigit. Deus enim ſe id prohibere affirmat, quia illud oleum *ſanctum eſt, & ſanctificatum erit vobis*, inquit. At nec ſanctum, nec ſanctificatum abſolutè, ac ſimpliciter oleum ac unguentum diceretur, ex diverſa ponderum ac menſurarum norma compoſitum, ab ea quam Deus ad oleum conſecrationis componendum præſcripſerat. Igitur nec lex illa prohibens, nec pœna à lege præſcripta ad hujuſmodi genus unguenti extendebatur.

Probabile etenim eſt, neminem Iſraëlitarum timoratæ conſcientiæ, ad ſancti unguenti reverentiam aliud ſimile in aromatibus, etiam ad ſui, vel alterius uſum componere pertentaſſe. Nihilominus aliquem aliquando divinæ legis in aliis quoque præceptis contemptorem, hoc unguentum compoſuiſſe, improbabile minimè cenſeo. Plurimos enim ſemper contemptores atque tranſgreſſores divina lex habuit; cum primis vero in cultu ſacri olei aliquos tranſgreſſores extitiſſe inter Hebræos, Dominus in Ezech. cap. 23. num. 41. aperuit: in quo Samaritis, atque Jeroſolymitis ſub metaphora duarum meretricum exprobrans ait: *Sediſti in lecto pulcherrimo, & menſa ornata eſt ante te: thymiama meum, & unguentum meum poſuiſti ſuper eam.* At ſine divinæ legis contemptu, Regum inaugurandorum de cauſa, hujus olei ſancti inaugurationis condimentum, variata ponderum menſura, Samuelem Dei Prophetam excogitaſſe, probabiliſſimum arbitror: ſumptis nimirum ab eo ejuſdem generis aromatibus, quibus ex Dei præſcripto unguentum conſecrationis componebatur; eorumdemque permutato pondere, ac menſura, unguentum, ſive oleum ad Reges inaugurandos præparaſſe. Ita enim divinæ legis ſervata vi, nullaque in ea expectata diſpenſatione, (quam gratis Rabbini comminiſcuntur,) utriuſque unguenti ac olei, conſecrationis nimirum atque inaugurationis cultu retento, uſus quoque quam reverenter à Regibus, abſque culpa admitti poterat.

Minimè fortaſſe deerunt, qui hoc noſtrum regiæ inaugurationis oleum noviter excogitatum omnino rejiciant. Sed neque deerunt, ut ſpero, qui huic noſtro unguento regiæ inaugurationis patrocinentur. Ut autem majoris probabilitatis adhuc, quæ diximus, ſpecimen præ ſe ferant, noſtraque carina, enavigato hoc ſacrum Litterarum Oceano, ſecundis ventis portum teneat; alienum à re noſtra minime fore putavi, ſacrarum Litterarum ſtudioſis præ oculis iterum contemplandum proponere, nequaquam ab ipſo tantum Samuelis tempore, Regum inaugurandorum uſum per oleum ſumpſiſſe exordium: quod ſupra ſatis latè oſtendimus. Nam quamvis Samuel primus in ſacris Scripturis, & Republica Hebræorum, Regem ſacri olei unctione ad Regni regimen, ex Dei mandato promoverit, quia tunc primum Iſraëlitica Reſpublica à Regibus gubernari cœpit; hanc tamen cæremoniam, oleo nimirum inaugurandi Regem, Hebræos à Gentilibus mutuatos fuiſſe perſpicuum eſt; ex his quæ à nobis jam ſupra cap. 45. & alibi dicta fuere: ex illa fabella, qua Joathan Gedeonis filius electionem Achimelechi Sichemitis exprobravit; Hoc autem Joathan ad Sichemitas alloquium, centum ſeptuaginta ſeptem circiter annorum ſpatium, (ſi Tornellio atque aliis Chronographis eſt fides habenda) regnum Saulis præceſſit. Scriptor autem libri Judicum cum vivis tunc agebat, quando illa ſcripſit: Hebræorumque Reſpublica à Judicibus, nequaquam verò à Regibus gubernabatur. Hæc ex eodem libri contextu liquido conſtant.

Hoc animadverſo, rationi conſonat, filios Iſraël quando Samuelem convenerunt, ut Regem eis deſignaret, 1. Reg. cap. 8. id quoque fieri poſtulaſſe;

A

eiſdem ritibus, ac cæremoniis, quibus aliarum quoque nationum Reges inaugurari mos erat: atque propterea cum Dominus Samueli dixit: *Audi vocem populi in omnibus, quæ loquuntur tibi*; Non ſolum Samueli Regem, more aliarum nationum, alicujus olei inunctione inaugurandum mandaſſe; ſed etiam quibus ritibus, ac cæremoniis, id faciendum eſſet præſcripſiſſe: quo nimirum oleo Rex eſſet inaugurandus; ac quibus pariter aromatibus illud oleum parandum foret docuiſſe. Id enim inſinuatum videtur ab ipſemet Domino ex vi ſacri textus, in dictione illa *in omnibus.* Qui enim totum dicit, nihil excludit. Cumque populus petiviſſet Regem habere

B

de more aliarum nationum; & reliquæ nationes Reges oleo conſecrare, ac inaugurare conſueviſſent; (ut dictum eſt) oleo quoque Regem inaugurandum, Deum juſſiſſe probabiliſſimum eſt.

Nec prætereamus quæſo, quæ præceſſerunt, in ſacris textibus verba hæc: *Audi vocem populi in omnibus quæ loquuntur tibi.* Cum enim Samuel populo Iſraëlitico ampliſſimum jus Regis in ſubditos conteſtaretur: ut populus ab amplitudine regii juris territus, ad ſaniora conſilia revocaretur: populus tamen in nullo permotus, aut territus: *Clamaverunt atque dixerunt: nequaquam, Rex enim erit ſuper nos: & erimus nos quoque ſicut omnes gentes: & judicabit*

C

nos Rex noſter: & egredietur ante nos, & pugnabit bella noſtra pro nobis. Cumque de unctionibus, atque unguentis inter jura regis ſermo incidiſſet; Samuele dicente Iſraëlitis: *Filias quoque veſtras faciet ſibi unguentarias, & focarias;* Iſraëlitæ tamen, hæc etiam jura admiſerunt. Et cum Samuel ad Dominum populi placitum retuliſſet, Dominus ait: *Audi vocem eorum, & conſtitue ſuper eos Regem.* Quibus tandem peractis, atque cum Deo opt. max. conſultis, Samuel populum ad propria remiſit; & unumquemque in ſuam Civitatem abire juſſit. His ita ex ſacris oraculis conſtitutis, noſtrum tandem ex his emergat argumentum, ac monſtretur; quod

D

cum aliarum nationum conſuetudo eſſet, Reges aliquo præſtantiſſimo unguento inaugurare, ſacrum quoque unguentum pro inaugurando Rege Iſraëlitis Samuelem tunc temporis paraſſe, à ratione non eſt alienum, illique etiam benedixiſſe, ut convenienti tempore Regem à Deo ſibi præmonſtratum, ac per ſortes à populo electum, ad regni gubernacula per ſolemnem inaugurationem præponere valeret.

Noſtrum hunc ſenſum, hancque ſacrorum locorum veriſſimam interpretationem, ne gratis effinxiſſe videar, in mediumque attuliſſe; propterea quid

E

antiquitas ipſa, ac veteres doctores de hac re, non dico tradiderint, ſed veritate ipſa compulſi ſubindicaverint, in præſentiarum afferatur. Nam Rabbini auctore Genebr. in Pſal. 88. oleo ſacro David, & reliquos de ejus proſapia Reges inauguratos ferunt; Saulem verò nequaquam oleo ſacro, quo ſacerdotes initiabantur, ſed oleo à Samuele benedicto ad ejus inaugurationem ſolummodo excogitato, inunctum dicunt. Genebrardus ibidem his ſubſcribit, & probabile arbitratur.

Hæc quæ à Rabbinis, & ab ipſo Genebrardo veritati conſona traduntur, quæ de oleo ad Reges Iſraëlitas inaugurandos à Samuele benedicto dicebamus,

F

argumenta miniſtrant. Nam ſi Saul, & David oleo benedicto à Samuele, & non unguento ſacerdotali, in Reges inaugurati fuerunt; jam ergo rationi conſonat, Samuelem oleum inſtituiſſe pro Regibus inaugurandis, illudque ipſum ab unguentariis, vel à ſe paratum, juſſiſſe à Sacerdotibus conſervari in tabernaculo. Eodem autem oleo ſacro, quo David unctus fuit, inauguratum pariter Salomonem, vivente ad huc Davide, & nequaquam eo

quo

quo Sacerdotes initiabantur, affirmare, quis prohibet? Quod itidem de reliquis Regibus, poſteriſque David affirmandum erit: non alio nimirum, ſed eodem quo David oleo ſacro inauguratos fuiſſe: Cum nulla appareat ratio, cur oleum à Samuele inſtitutum, ac benedictum, ſoli Sauli cum inauguraretur, non vero reliquis Regibus ad uſum fuerit.

Eutimius denique in eodem jam citato Pſalmi loco, explicans cur illud oleum, quo David inauguratus fuit, ſanctum diceretur, ait: *Sanctum autem Dei oleum dixit, ut illius confectionem, & divinitus traditam, & myſteriis refertam eſſe ſignificaret.* Quæramus nunc, quo fundamento Eutimius divinitus traditam compoſitionem hujus olei dixerit: vel enim ſic dictum ab Eutimio exiſtimari poteſt; quia hoc oleum quo Reges inaugurabantur, idem cum illo erat, quo Sacerdotes ſacrabantur, quod alienum fore à veritate, jam ſupra monſtravimus: vel ita dixiſſe Eutimium putandum eſt, quod ad compoſitionem illius eadem adhibita fuerint aromata, quæ ad illud conſecrationis oleum aſſumebantur, variatis tamen ponderibus: vel tandem divinitus traditam dixit; quod Deus ſingularem aliquam alicujus unguenti compoſitionem pro Regibus inaugurandis Samuelem docuerit. Hoc poſtremum vix ſuſpicari poteſt, cum nullum ejus rei veſtigium ſacræ Litteræ nobis præſtent. Dicendum igitur remanet, hoc oleum regiæ inaugurationis, eiſdem aromatibus conditum, quo conſecrationis unguentum parabatur; variatis tantum aromatum ponderibus, ut dicebamus, vel aliis additis aromatibus, ut iſtud regiæ inaugurationis unguentum, ab oleo conſecrationis diſtingueretur.

CAP. XLIX.

Reges Iſraël nequaquam à Prophetis ſacro oleo inaugurabantur.

Ad loca 3. Reg. *His ventilabis Syriam.* Ibid. cap. 19. *Vade & revertere in viam tuam per deſertum in Damaſcum: cumque perveneris illuc, unges Hazaëlem Regem ſuper Syriam.* 1. Reg 19. *Dic puero ut antecedat nos, & tranſeat: tu autem ſubſiſte pauliſper, ut indicem tibi verbum Domini.* Et ad alia.

SACRI Chriſmatis, quo Reges inaugurabantur, materiam tradidimus, quanta cum majeſtate, quo in loco, quibus ſtipatus militibus Rex in ea republica renunciaretur; monſtravimus: nunc ſacræ unctionis in renunciandis, inaugurandiſque Regibus miniſtrum contemplemur. Nam ſacra chlamyde, ut ita loquar, Principe jam amicto, diademateque redimito, nil agendum ſupererat, niſi oleo ſacro illum ipſum inaugurare. Sed illicò difficultas de miniſtro pluribus ambagibus implicata ſeſe offert; an nimirum Prophetarum tantum, an ſolius Sacerdotis ſummi, Regem inaugurare munus eſſet, an verò minoribus quoque Sacerdotibus id liceret; an verò indiſtinctè Prophetæ aliquando, interdum Sacerdotes Reges inaugurarent, ſacroque chriſmate conſecrarent; an denique Sacerdos, ac Propheta ad Regem inaugurandum ſimul convenirent.

Poſtremum lib. 3. Reg. cap. 1. tradi ſubinnuitur, in quo de inauguratione Salomonis juſſu David in hæc verba ſcribitur: *Tollite vobiſcum ſervos Domini veſtri, & imponite Salomonem filium meum ſuper mulam meam, & ducite eum in Gihon, & ungat eum ibi Sadoch ſacerdos, & Nathan Propheta.* Sacerdotis igitur Prophetæque præſentia cum ex eo ſacro textu neceſſario requiri videatur, utrorumque ſimul Reges ſacro inaugurare oleo munus fuiſſe cenſeri poſſet. Affirmare hoc videtur Pineda lib. 2. de reb. Salom. cap. 6. n. 4. quamvis ſubobſcure, me judice, loquatur. Munus enim inungendi Reges, nec proprie pertinuiſſe ad Sacerdotes, nec ad Prophetas, ſed interdum Sacerdotes, aliquando Prophetas Reges inauguraſſe, ſenſiſſe videtur. Diſputans namque, an ſacro illo oleo, quo Sacerdotes conſecrabantur, ipſi quoque Reges inaugurarentur; concludit tandem in hæc verba: *Cenſeo tamen nunquam, ſive à Sacerdote, ſive à Propheta unctum Regem aliquem &c.* Quibus particulis disjunctivis, quid ſibi velit, fateor me plene aſſequi non poſſe: videtur enim ſentire, nunc uni, nunc alteri illorum hoc munus incubuiſſe. Curent alii ejus ſententiam aſſequi.

At ſolius Prophetæ id aliquando fuiſſe muneris, ex 1. Reg. 10. ſuſpicari poſſet. Nam Samuel quamvis Sacerdos non eſſet, Saulem tamen Regem Iſraëliticum conſtituiſſe, oleoque eundem unxiſſe ſcribitur. Nonnunquam verò excluſo Propheta ſolius ſummi Sacerdotis hoc fuiſſe muneris, videtur expreſſum 4. Reg. cap. 11. & lib. 2. Paral. cap. 13. ubi Jojada ſummus Sacerdos Joaſum Regem conſtituit, & ſacro, quod diximus, oleo unxit. Quibus ex locis ſacrarum Scripturarum, regiæ inaugurationis miniſterium adeo anceps remanet, ut ſi quam in partem declinandum ſit, potius pro Prophetis, quam pro Sacerdotibus dicenda ſententia videatur. Quòd nunquam Sacerdotibus, ſæpiſſime Prophetis, munus conſecrandi Reges demandatum à Deo in ſacris oraculis legatur, quaſi Prophetarum, non autem Sacerdotum, regiæ inaugurationis miniſterium eſſet.

Hæ ſunt ſyrtes, in quas, me judice, humanum ingenium impingat neceſſe eſt, niſi perito navarcho utatur, quo ſyrtes & in ſyrtibus naufragium declinet. Sed quo utemur navarcho inter tot difficultates, difficultatiſque hujus ambages? Quibuſnam ventis carbaſa committemus, cùm promontorium iſtud bonæ ſpei nemo adhuc ſuperaverit? At ubi navarchus deeſt, ne, quæſo, declinet oculus à navigatoria ſacrarum Scripturarum charta; quin imo diligenter lectores attendant in ea, quo ventorum in ea ſulci dirigantur, & quo lineæ perveniant, ut portum aliquando teneamus. Nam licet ego in dubium minimè revocandum cenſeam, an Prophetis etiam licuerit ſacrum hoc oleum regium componere, illudque extra tabernaculum contrectare, quòd nulbi ejus compoſitio, ac miniſterium illis prohibeatur, ſicut alterius ſacri ſacerdotalis chriſmatis miniſterium præcedenti Myrothecio vetitum fuiſſe probavimus; nihilominus ad Prophetas Reges inaugurare omnino pertinuiſſe nego.

Quia, ut ſupra monſtravimus, hoc Chriſma ad Reges inaugurandos deſtinatum, ſacroſanctum appellabatur. At ſacrarum rerum, ac eorum omnium miniſterium, quæ juxta ſtatuta Moſaica ſanctificata fuerant, Sacerdotibus tantum, nequaquam verò aliis concedebatur; quia ut habetur 3. Reg. cap. 1. oleum hujus inaugurationis in Dei tabernaculo aſſervabatur, quò accedere nemini niſi Sacerdotibus concedebatur; neque alicui ea contrectare, quæ ibi aſſervabantur, aut inde aliquid aſportare, aliis à Sacerdotibus permittebatur.

Sed quia ſæpiſſimè in ſacris Scripturis, Prophetas Reges inunxiſſe ſcribitur; propterea, ut nonnulla intelligantur loca, eorumque ſenſus optime percipiantur: duplex inungendi Reges in ſacris Scripturis diſtinguendus erit modus. Privatus nimirum unus, ſolemnis alter; ſive mavis clancularius unus,

unus, quo alicui regnum ab aliquo Propheta prædicebatur; & publicus alter, qui inaugurationis de cauſa fiebat. Prophetas enim conſtituendorum Regum jus nullum habuiſſe perſpicuum eſt. Hoc namque conſtituendorum Regum jus, ad homines privatæ auctoritatis, ut erant Prophetæ, & Prophetarumque collegia, qui etiam odio, contemptui, ludibrioque hominum expoſiti erant, nulla ratione transferri poteſt. Quænam Prophetis arma? Quos ſatellites Prophetæ habebant? Quodnam jus magiſtratus? Quoſnam exercitus comparaverant? Quænam illis ſubjectæ Provinciæ, Urbes, Oppida, ac Regiones, ut has huic, & non alteri regendas committere poſſent? Etenim ſi veris Prophetis hoc jus conceſſerimus; cum plurimi quoque falſi Prophetæ in Iſraël haberentur, ubi verus aliquis Propheta aliquid Dei nomine prænunciaſſet, plures alii, immo longe numeroſiores ex proprio capite, Dei aſſumpto nomine, plura falſo prænunciabant. Quamobrem ſi Propheta aliquis Dei nomine aliquem renunciaſſet Regem, falſi Prophetæ pariter Reges pro libito ſuſcitaſſent. Quorum renunciationem ex divino placito (licet falſo) dum confirmaſſent; non defuiſſent, qui horum partes ſequuti in Republica Iſraëlitica cuncta ſeditionibus commoviſſent, atque nihil pacatum in regno Iſraëlitico cerneretur, ſed omnia Marti, ferro, prædæ, libidini militum expoſita jacerent.

Ne ergo tot incommodis preſſi ſuccumbamus, neve regnum Iſraëliticum prædictis exponatur incommodis, ſacrarumque Scripturarum loca à genuino ſenſu ad extortum declinentur; Prophetarum in veteri teſtamento conſuetudo attendatur neceſſe eſt. Qui quidem ea, quæ Dei nomine prædicebant, non tam verborum efficacia perſuadere, quam etiam mimorum more geſticulationibus quibuſdam repræſentare contendebant. Tum ut quæ prædicebant, tenacius ab auditoribus tenerentur; tum etiam ut ex novitate rei, mimiciſque geſticulationibus, major auditorum numerus excitaretur. Quamobrem falſi quoque Prophetæ, veros Prophetas imitantes, quoties ſibi aliqua prædicenda fuiſſent, non ſolum verbis ea, quæ prædicebant confirmabant; ſed etiam geſtibus more mimorum eadem oſtendebant. Hac de ratione Sedechias filius Chanani 3. Reg. cap. 22. ſcribitur ſibi feciſſe cornua ferrea, Achabo Regi victoriam de regno Syriæ prænunciaturus: & his ornatus oneratuſque cornibus, hùc vel illuc ad inſtar tauri cornu petentis caput circumgyrando & agitando, Regi Achabo ajebat: *Hæc dicit Dominus: his ventilabis Syriam donec deleas eam.* Quæ falſo prænunciata fuiſſe, eventus ipſe, ſacraque oracula teſtantur. Propheta quoque ille, qui Dei nomine occurrit Achabo à bello Syriaco victori revertenti, ut eidem divinam ultionem lib.3. Reg. cap.20. prædiceret, eo quod contra Dei placitum ac voluntatem, Regi Syriæ vitam condonaſſet, liberumque dimiſiſſet; (mirum dictu) vulnus ſibi infligi curavit, vulneratuſque, & pulvere, ac ſanguine conſperſus, Achabo occurrit, ut ex ejus vulneribus, Achabus proprio ſanguine dimiſſi à ſe Regis pœnas ſe luiturum intelligeret. Ahiam etiam Silonitem lib. 3. Reg. cap. 11. Jeroboamo regnum ſuper decem tribus Iſraël prænunciaturum, ſcidiſſe pallium ſuum novum, quo erat opertus, in duodecim partes legitur, decemque ſciſſuras Jeroboamo tradidiſſe dicentem: *Tolle tibi decem ſciſſuras: hæc enim dicit Dominus Deus Iſraël: ecce ego ſcindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus.* Hæc & multa ſimilia ab Iſaia, Jeremia, Ezechiele, & reliquis Prophetis peracta longum eſſet recenſere. Paſſim quidem in ſacris oraculis aliqua occurrunt, quæ nec ſine cachinnis audire quis poſſet, niſi Dei
A opera in illa ſimplicitate piè admiraretur, temporumque illorum prophetandi conſuetudo in his adverteretur.

Quoties igitur in ſacris legimus litteris, Prophetas aliquos Reges futuros inunxiſſe, ea quidem unctio nequaquam ſolemnis, ſed clancularia cenſeri debet, nec ad Regis inaugurationem, ſed potius ad futuri Regni prædictionem pertinebat. Nec eo genere unctionis poſſeſſio Regni alicui concedebatur, ſed tantum Dei placitum eidem denunciabatur. Unctio enim quæ inaugurationis dicebatur, convocatis tantum regni ordinibus, & in communi illius
B Procerum conventu, ſolemniſſimis peractis ſacris, coram Dei arca, in tabernaculo, vel templo celebrabatur. Solum igitur ad prædicendum alicui futurum regnum, non verò ad illud conferendum, oleum à Prophetis adhibebatur. Hùc enim & non aliò Prophetæ unctio collineabat, ut Dei nomine, quem privatim illi ungebant, Regem futurum prædicerent.

Vetus enim & perantiqua conſuetudo apud quaſcumque nationes cum eſſet, ut diximus ſupra cap. 49. oleo ſuos conſecrare Reges ac Principes, cum inaugurarentur; propterea nihil accommodatius à Prophetis excogitari poterat, quod temporum con-
C ſuetudini ad Regnum alicui portendendum reſponderet, quàm olei ſive unguenti alicujus effuſio in caput illius perſonæ, cui regnum Dei inſtinctu prædicebant. Eapropter Myrothecio primo cap. 39. docuimus, in Scripturis ſacris verbum *ungere* ſæpiſſimè idem ſignificare, quod eligere aliquem ad regium, vel ſacerdotale munus. Si ergo ungendi verbo electio quodammodo in univerſum ſignificatur, re vera nulla re apertius, quam unctione, divina alicujus electio ad munus regium demonſtrari poterat. Aperte id conſtat 2. Reg. 19. cum Dominus ad Eliam inquit: *Vade, & revertere in viam tuam per deſertum in Damaſcum: cumque perveneris illuc, unges Hazaëlem Regem ſuper Syriam.* Hæc in
D illo loco. Cum tamen nullibi Eliam, aut aliquem alium Prophetarum, Hazaëlem Regem unxiſſe legatur; tantum enim Eliſæum Dei nomine Hazaëlem Regem Syriæ futurum prænunciaſſe ſcimus. Quamobrem locis, quæ afferri poſſent, verbo ungendi, & ipſa unctione, electionem ad regnum ſignificari ſatis, me judice, probatum remanet.

His præcognitis facile eſt intelligere, quid ſibi illa ſacrarum Scripturarum loca velint; in quibus nonnullos Prophetas Reges interdum unxiſſe ſcribitur: non enim de ſolemni inauguratione, ſed de clancularia, privataque unctione loca illa intelligi
E debent, qua à Prophetis Reges perfundebantur; ut dum adhuc inter privatos homines conviverent, ex Dei placito ſceptrum regium in Republica ſe habituros certo cognoſcerent, atque ita cognito ac examinato divino beneficio, non ſolum gratias pro viribus Numini rependerent; ſed etiam ad tantam Provinciam rectè obeundam ſe præpararent, ne pœnæ fierent obnoxii, unde merces erat ab eis expectanda; & venenum haurirent, unde ſalutem aſſequi debuiſſent. Noſtrum aſſertum clarè aperiunt verba illa Ahiæ Silonitis ad Jeroboam 3, Reg. cap. 11. cui divino ex nomine dixit: *Te autem aſſumam,*
F *& regnabis ſuper omnia, quæ deſiderat anima tua, eriſque Rex ſuper Iſraël. Si igitur audieris omnia, quæ præcepero tibi, & ambulaveris in viis meis, & feceris quod rectum eſt coram me, cuſtodiens mandata mea, & præcepta mea, ſicut fecit David ſervus meus &c.* Regni igitur prænunciatio facta Jeroboamo, Propheta Ahia præminiſtro, non alio collineabat, niſi ut Jeroboam, quem Deus Regem Iſraëliticum deſtinarat, tanti memor beneficii, ad cuſtodiendam di-

divinam legem , ſervandumque præcepta illius permoveretur.

Quod autem non aliò propheticæ unctiones collinearent , quam ut verbum Dei , hoc eſt , divina voluntas , illi innoteſceret ; cui futuri regni ſucceſſio prænunciabatur ; ne propria virtute , aut beneficio fortunæ , ex caſu aliquo perveniſſe ad regnum arbitraretur ; ſed tantum à Deo id cognoſcere; liquido conſtat ex lib. 1. Reg. cap. 9. cum Samuel Dei Propheta uncturus Saulem , *Dic puero*, inquit, *ut antecedat nos , & tranſeat : tu autem ſubſiſte pauliſper , ut indicem tibi verbum Domini.* Famulis igitur tantiſper ultra progredientibus, & Samuele , ac Saule ſeorſum remanentibus, illico ſuper caput Saulis oleum Propheta effudit , eidem aperiens , quod Dominus eum in Principem populi elegiſſet. De quibus ſic ſcribitur cap. 10. *Tulit autem Samuel lenticulam olei , & effudit ſuper caput ejus , & deoſculatus eſt eum , & ait : ecce unxit te Dominus ſuper hereditatem ſuam in Principem , & liberabis populum ſuum de manu inimicorum ejus.* Cumque hæ Principum inunctiones , quæ Prophetis præminiſtris fiebant, non quidem inaugurationis, ſed prædictionis eſſent ; non ſacro, ſed communi oleo fiebant. Aut etiam ſine oleo , ut Ahiam Silonitem feciſſe conſtat 3. Reg. 11. qui proprii pallii præciſione Jeroboamo regnum Iſraëliticum prænunciavit. Et Eliſæus Hazaëli verbo tenus regnum Syriæ prædixit.

Quod hæc prophetica unctio non publice , aut ſolemnitate aliqua, ſed clam privatimque haberetur, ſacræ Litteræ ubique aperuere. Nam Samuel jam antea de adventu Saulis, quem Deus Regem elegerat , præmonitus eum convivio excepit , ac portione regia de induſtria eidem ſervata , armum hoſtiæ adpoſuit , quo Saul Princeps futurus inſinuabatur. Eumdem quoque poſtmodum uncturus , ut Dei placitum atque voluntatem eidem apertius explicaret, non in triclinio id peragere cogitavit , ad declinandam illorum , qui invitati fuerant præſentiam , ne alter ſaltem illorum , qui fuerant invitati, ſecretò peragenda perciperet ; neque ad præſentiam famuli , qui Saulem comitabatur , eum perungere voluit. Sed Dei placitum unctione manifeſtaturus ait ad Saulem : *Dic puero , ut antecedat nos , & tranſeat : tu autem ſubſiſte pauliſper.* Seorſum igitur à famulo , & quibuſcumque aliis , qui Saulem atque Samuelem comitabantur , Propheta Dei Saulem Regem unxit , ſive rectius oleo Regem prænunciavit.

Prætereundum vero minimè arbitror , quod Samuel ſummus Judex in Iſraël , ac totius populi Iſraëlitici Dux eo tempore erat. Quamobrem pro majeſtate muneris , abſque comitatu curiam nequaquam egrediebatur, ut alibi oſervabamus : quinimò pluribus comitibus aulicis , in publicum Samuelem proceſſiſſe , ſi quando opus erat , perſpicuum eſt. Sauli tamen regnum unctione ipſa prænunciaturus, vel ſolus ſummo mane , vel paucis admodum eum comitantibus , domum egreſſus eſt , ut ſcribitur in ſacro textu : *Egreſſique ſunt ambo , ipſe videlicet , & Samuel.* Nonne ſatis ſacer textus dixiſſet , *egreſſi ſunt ambo ?* Quorſum addidit ipſum , & Samuelem egreſſum ? Niſi ut aperiret Samuelem præter conſuetudinem domum abſque pompa exiſſe ; ut nimirum Regis unctio , ſive potius prænunciatio clam fieret , cunctoſque lateret. Nec minus id ſuaderi ex eo poteſt , quod ipſo convivii die , Saulem Samuel ungere noluit , ſed die ſubſequenti aurora jam exurgente. *Cumque mane ſurrexiſſet* , dicitur in textu , *cum aſcenderet aurora.* Eluceſcente igitur jam die, Samuel vocavit Saulem , ut illum ad propria remitteret , & tandem in extrema parte Civitatis

A eumdem ſeorſum à comitatu ungeret. Attendat, quæſo , lector gratiſſimus , quanta ſimul in ſacro textu congeruntur , ut hanc Samuelis unctionem clancularìam fuiſſe conſtet ; illudque oleum ad Saulem inaugurandum nequaquam effudiſſe Prophetam, ſed ad Dei placitum eidem Sauli poſtmodum publice inaugurando aperiendum.

David quoque clam unctum fuiſſe primum à Propheta, & poſtmodum ſolemniſſimè inauguratum Regem , ex ſacris patet quidem litteris. Priorem enim illam unctionem , qua à Propheta Dei Samuele David in Bethlehem unctus fuit , non inaugurationis ad regnum , ſed propheticæ tantum prædictionis ex-
B titiſſe , ſacra manifeſtant oracula. Samuel enim de ſalute Reipublicæ Iſraëliticæ ſollicitus , futurorumque cupidus , futurum Regem Reipublicæ Hebræorum cognoſcere cupiebat. Manifeſtum eſt hoc ex primo Reg. cap. 16. ubi Samuel Davidem uncturus, tum ut electum à Deo, ipſe proprio intuitu cognoſceret , tum quoque ut Davidi adhuc puero divinum munus aperiret , Bethlehem perrexit, Deo hoc illi præcipiente , cui tamen Samuel reſpondit : *cognoſcet hoc Saul , & interficiet me.* Clam igitur ac in abſcondito , ita ut nemo Davidis unctionem reſciret, hæc gerere Samuel intendebat, ac propterea divino monitu ſe in Bethlehem habiturum ſacrificia
C publicavit , cujus etiam ſacrificii cauſa vitulum ſecum deduxit. Cumque eò perveniſſet , hoſtiaſque & libamina paraſſet , Iſai patrem Davidis , totamque illius familiam ad ſacrificium invitavit. Illa namque veterum ſacrificia nil aliud erant , quam convivia in loco ſancto inſtructa , ad quæ homines advocabantur , ut carnes illas ſacrificatas comedendo , Deo reconciliarentur : propterea ſingulis convivis , pro dignitate uniuſcujuſque , portio carnis ſacrificatæ precatione præcedente dabatur , ut quiſque Deo gratias rependeret, eidemque gratus fieret. Oblatis igitur hoſtiis à Samuele, dum pro ſingulis Propheta ſigillatim precaretur , ſeorſumque ab aliis unum-
D quemque filiorum Iſai Deo præſentaret ; eumdem conſulebat , ut quem elegiſſet Regem futurum, ſibi manifeſtaret. Cumque ita cum ſingulis ageret, ad David pervenit , quem ad Dei imperium unxit, Deo dicente : *Surge , unge eum , ipſe eſt enim.* Et ſubdit textus : *Tulit ergo Samuel cornu olei , & unxit eum in medio fratrum.* Non quidem fratribus id cognoſcentibus ; *Sed unxit eum in medio fratrum* , id eſt , ex phraſi ſacræ Scripturæ , unum ex fratribus illius, reliquis tamen unctionis cauſam ignorantibus, ut rectè quoque Vatablus adnotavit.

Ratio ipſa, clancularìæ hujus unctionis hiſtoriam probat. Nam fratres Davidis ac pater unctum illum
E à Propheta in Regem ſi cognoviſſent , nequaquam ad oves paſcendas eum iterum dimiſiſſent , neque ſuperbiæ arrogantiæque frater illius natu major Davidem aliquandò reprehendiſſet , quod in caſtra iviſſet , atque in prælium cum Philiſtæo deſcendere auderet , ac Philiſtæo, qui exprobrabat Iſraëlitico exercitui , unus ipſe ſe opponere contenderet. Nam lib. 1. Reg. fratrem increpuiſſe Davidem ſcribitur his verbis : *Quare veniſti ? & quare dereliquiſti pauculas illas oves in deſerto ? ego novi ſuperbiam tuam , & nequitiam cordis tui , quia ut videres prælium deſcendiſti.* Si vero frater illius natu maximus , qui ad caſtra perrexerat , Davidem jam à Propheta Samuele Dei
F juſſu Regem electum, hacque de cauſa oleo unctum cognoviſſet , profectò illum de his minimè incuſaſſet ; quinimo plurimum veneratus eſſet. Verbis enim propheticis fidem habuiſſet ; & fratrem David Regem futurum certò expectaſſet , neque de futura victoria Davidis cum Philiſtæo manum conferentis ad minimum dubitaſſet. : His certè argumentis omnes, ni cœcutire velint , cognoſcant neceſſe eſt , clam Sa-

Samuelem, non verò palam, Davidem in Principem unxiſſe, Regemque illum futurum præſignaſſe, nequaquam vero inauguraſſe: Verbum Domini eidem aperuiſſe, nequaquam Regem renunciaſſe. Prophetici igitur muneris non erat, Reges inaugurare; ſed Sacerdoti inauguranti præſto eſſe, ut divina ab eo exciperentur oracula, de his quæ ab Iſraëlitis quærebantur, & vel per Ephod, vel per Prophetas à Deo reddebantur.

CAP. L.

Sacerdotalis erat muneris Reges Iſraël inaugurare.

Ad loca 2. Paralip. cap. 23. *Et eduxerunt filium Regis, & impoſuerunt ei diadema, & teſtimonium; dederuntque in manu ejus tenendam legem, & conſtituerunt eum Regem: unxit quoque illum Jojada Pontifex, & filii ejus.* Et ad alia.

UT caput capiti connectatur, pro declaratione eorum, quæ ad calcem ſuperioris capituli tradidimus, præſens inſtituitur caput, ac propterea totum abſumetur in oſtendendo, nequaquam alicujus Prophetæ, ſed Pontificis tantum fuiſſe muneris, Reges Iſraël in Hebræorum Republica inaugurare, ſacroque chriſmate foris perungere, ut divina gratia intus à Deo irrigarentur. Etenim Pontificem ſummum apud Iſraëlitas jus habuiſſe ſupra Regem, in exordio hujus Myrothecii cap. 1. ſubindicavimus. Patroni autem hujus veritatis ſunt Theodor. quæſt. 1. in Levit. Procop. in 4. Levit. Bellarm. tom. 1. controver. lib. 2. de Rom. Pont. cap. 29. ſed cum primis Philo Judæus lib. de victimis loquens de victimis pro peccato, in illis offerendis ad varietatem perſonarum variari quoque hoſtias docuit, & ſtatim ait: τὰ μὲν τοῦ ἀρχιερέως ἁμαρτήματα, καὶ τοῦ ἔθνους, ἰσοτίμῳ καθαίρεται ζώῳ. μόσχον γὰρ ἀνάγεσθαι περὶ ἑκατέρων προστέτακται, τὰ δὲ τοῦ ἄρχοντος ἐλάττονι μὲν, ἄρρενι δὲ καὶ τούτῳ. Hoc eſt: *Pontificis peccata, & populi ſimili expiantur victima; vitulus enim adducitur pro ambobus ad immolandum: Principis vero*, ſupple peccata, *minori quidem animali, ſed & hoc ipſo maſculo.* Cumque ex diverſitate victimarum, perſonarum diſcrimen agnoverit Philo, Pontificis etiam dignitatem Regia ſuperiorem, ejus auctoritate, nos quoque agnoſcere cogimur. Nec ſolum ſupra Regem Pontificem fateri debemus, ſed ſuper omnem populum, & quoſcunque magiſtratus. Hoc autem jus Pontifici ſummo ab ipſo Deo tribuitur cap. 17. Deuter. in quibuſcunque caſibus, & in quacunque judicii occaſione; ita ut dicto Pontificis, quæcunque ſententia etiam ab ipſo Rege lata, firma ſtaret, aut corrueret. Quamobrem ſub pœna mortis jubetur quilibet, ſtare decreto Pontificis; ſic enim dicitur ibi: *Si difficile & ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris inter ſanguinem & ſanguinem*, hoc eſt, in cauſa criminali, *cauſam & cauſam*, nimirum in rebus civilibus, *lepram & lepram*, hoc eſt, de munditia, & immunditia, cujus rei judicium ſpectabat ad minores Sacerdotes, & ad Levitas, vel ad alios, ubi nec Sacerdotes, nec Levitæ adfuiſſent: *Et judicum intra portas tuas videris verba variari: ſurge, & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus: venieſque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad judicem qui fuerit illo tempore, quæreſque ab eis: qui indicabunt tibi judicii veritatem, & facies quæcumque dixerint, qui præſunt in loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus, ſequeriſque ſententiam eorum, nec declinabis ad dexteram neque ad ſiniſtram.*

A In quibuſcumque igitur caſibus, ne latum quidem unguem à decreto ſummi Pontificis alicui declinare licebat. Sequitur textus pœnam in rebelles præſcribens, qui ſententiæ Pontificiæ nollent acquieſcere dicens: *Qui autem ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo ſuo; decreto Judicis morietur homo ille.* Ex quibus locis primariam, ſummam abſolutamque poteſtatem, etiam ſupra Regem, Pontifici Iſraëlitico in quocunque genere cauſarum à Deo conceſſam agnovimus.

Apertiora ſunt, quæ habentur cap. 17. Numer. in quo, niſi quis cœcutire velit, ex vi legis à Deo
B Iſraëlitis traditæ, intelliget ſummi Sacerdotis ſuperioritatem, ac eminentiam ſupra Principem. Jam enim diem clauſerat extremum Aaron, fueratque Eleazar filius ejus ſummus Sacerdos conſtitutus, ac declaratus, cum Moyſi quoque ad montem Abarim dies indicitur extrema. De Duce ſummo declarando, qui Iſraëliticas acies inſtruat ac dirigat, Moyſes Deum deprecatur; & ad orationem Moyſis, Deus totius exercitus Ducem ſummum conſtituit Joſue. Cui tamen præcipitur ad mandatum Eleazari ſummi Sacerdotis cuncta regere debere. Sic enim dixit Deus: *Pro hoc*, id eſt, Joſue, *ſi quid agendum erit, Eleazar Sacerdos conſulet Dominum: ad verbum ejus*
C *egredietur, & ingredietur ipſe, & omnes filii Iſraël cum eo, & cætera multitudo.* Itaque ſummi Sacerdotis votum conſultivum tantum valuit; huic uni oraculum adire conceditur à Deo, quoties conſulendus fuiſſet. Non erant hæc in manu Principis, Regis, aut Imperatoris. Deinde quod ad Regimen præcipitur Joſue cuncta ad Pontificis nutum regere, ac gubernare. Illa enim phraſis ſacrarum litterarum egrediendi, & ingrediendi, pacis ac belli moderationem reſpicit. Quaſi diceret Deus, in Republica Iſraëlitica cuncta à Principe moderanda fore ad votum ſummi Pontificis. Ex quo ſanè loco Pontifi-
D cis ſumma poteſtas in Principem laicum perſpicua eſt in Republica Iſraëlitica. Non enim præcipitur à Deo Eleazarum ad votum Joſue ingredi, atque egredi; quia ſummi ſacerdotis non erat, ea quæ ad pacem, bellumque pertinent, moderari, in quo decepti videntur Abulenſ. in lib. Num quæſt. 39. & 40. & Aluar. Pelag. de planct. eccl. lib. 1. art. 62. Sed ut recte tradiderunt Maſius, Cajetan. Oleaſt. Vatabl. & alii, Joſue præcipitur Sacerdotis mandato obedire.

Quæſo, contemplemur adhuc ſuperioritatem Pontificis Iſraëlitæ, quam ſupra Regem ex divinis decretis habebat. Nam quantum attinet ad inſtructionem, ad conſecrationem, ad depoſitionem atque prohibitionem à ſacris; manifeſtum eſt ex ſacris oraculis Sacerdotem ſummum in Regem ſuperiorita-
E tem habuiſſe. Regem enim inſtruere in divinis decretis, atque dirigere ad legis obſervantiam, Sacerdotis erat. De hoc ſic legitur cap. 17. Deuter. *Poſt quam autem ſederit*, ſupple Rex, *in ſolio regni ſui, deſcribet ſibi Deuteronomium legis hujus in volumine, accipiens exemplar à Sacerdotibus Leviticæ tribus.* Non enim quorumcumque Sacerdotum erat legem tractare, ſed illorum tantum, qui in albo Scribarum nomen dediſſent. Verum in Regis inauguratione, Pontificis erat munus, Regi legem tradere. A Sacerdote quoque ſummo, & non ab alio minori Sacerdote Rex conſecrabatur atque inaugurabatur, ut infra
F probabimus. Salomonem enim à Sadocho inauguratum legimus, lib. 1. Paralip. cap. ult. Joaſus pariter unctus ſcribitur 4. Reg. cap. 11. nec non etiam 2. Paral. cap. 23. à Jojada Pontifice. Impiam quoque Athaliam à Jojada Pontifice depoſitam legimus, poſtquam ſuper tribum Juda per ſeptennium regnaſſet. Cap. etiam 26. lib. 2. Paral. ſcribitur hiſto-

ria

ria Oziæ Regis, qui aſſumpto thuribulo, ſacerdotale miniſterium ſibi uſurpare, Deoque offerre ſacrum thymiamatis incenſum tentare cum auſus eſſet; obſtitit ei Azarias ſummus Sacerdos. De quo ſic ibi: *Statimque ingreſſus poſt eum*, ſupple Regem, *Azarias Sacerdos, & cum eo Sacerdotes Domini, octoginta viri fortiſſimi, reſtiterunt Regi, atque dixerunt: non eſt tui officii Ozia, ut adoleas incenſum Domino, ſed Sacerdotum.* Et quamvis Ozias in reliquis piiſſimus prædicetur Rex, humanum tamen in hoc paſſus, fortaſſe etiam divini cultus gratia, quia tamen ejus muneris non erat thymiamatis oblationem Deo exercituum offerre in templo, à Sacerdotibus meritò rejectus eſt, licet ipſe thuribulum retineret, mortemque Sacerdotibus, qui ei contradicebant, minaretur. Periculum tamen comminatæ ab eo mortis religioſe contemnentibus illis, viriliter Regi obſiſtebant, illumque ab altari & templo exturbarunt, & ab ipſa urbe illico ejecerunt.

Reges jus habuiſſe in Pontifices, nullibi in ſacris litteris legimus. Nec enim à proditionibus, atque Principum violentiis argumentum juris ex ſacris oraculis colligere licet. Quamobrem quod proditoriè & contra fas aliquando ſcribatur Saul cap. 22. lib. 1. Reg. Achimelech ad ſe vocatum, & intra ſepta Urbis pacifice admiſſum, interfeciſſe cum omnibus reliquis minoribus Sacerdotibus, qui cum illo ad Regem perrexerant; non eſt argumentum, quo Regem jure aliquo dominii Sacerdotem ad ſe venire juſſiſſe probetur. Dicebamus enim ſupra cap. 2. ordinem Leviticum diverſam conſtituiſſe Rempublicam in Iſraël à laica: hanc ad Regem pertinuiſſe, Leviticæ Pontificem præfuiſſe. Vocatus enim Achimelech à Saule, confidenter ac ſecure illum adiit, quaſi Rex ob grave aliquod negotium Dominum conſulere, deque hoc cum eo agere vellet. Amice vocatus ſecurus perrexit. Cumque eò veniſſet, illum proditorie interfecit. Id autem ad argumentum Regiæ auctoritatis ſupra Pontificiam, quàm falſo, & inepte ab Hæreticis, politiciſque noſtri temporis aſſumatur, manifeſtum eſt.

Alienum verò adeo hoc à jure Regis cenſebatur, ut dicat Scriptura: *Et ait Rex emiſſariis, qui circumſtabant eum: convertimini, & interficite Sacerdotes Domini: nam manus eorum cum David eſt. Scientes quod fugiſſet, & non indicaverunt mihi.* Nihilominus tanta Sacerdotalis apicis reverentia tenebantur milites, ut etiam præſente Rege facinus hoc committere noluerint, neque Regem audierint: *Noluerunt autem ſervi Regis extendere manus ſuas in Sacerdotes Domini*, ſacer inquit textus. Quem certe audiviſſent, ſi Regi in Sacerdotes jus aliquod fuiſſet. Solus Doëg auſus eſt Regi aſſentiri: *Et trucidavit in die illa octoginta quinque viros veſtitos Ephod lineo.* Hoc eſt, ex nobilioribus, & minoribus Sacerdotibus. Propterea enim interfecti dicuntur veſtiti Ephod lineo; aut quia hoc familiari habitu pontificiam majeſtatem ornare voluerint, quòd non ſine cauſa gravi accerſi à Rege putarent; aut certè Ephod lineo veſtiti dicuntur à ſacro textu, ut Sacerdotes eos omnes fuiſſe conſtet. Quo ſanè ex Sacerdotum minorum numero, qui Pontificem ſummum comitabantur, planè conſtat, quanta cum majeſtate, atque auctoritate ſummus Hebræorum Sacerdos, ac Pontifex incederet, quoties aliquo ſibi foret eundum. Et licet de numero interfectorum omnes ferè conveniant; pro auctiori numero ſtat Joſephus lib. 6. antiqu. cap. 14. dicens: *Aſſumens*, ſupple Doëg Idumæus, *facinoroſos aliquos ſui ſimiles, interfecit Achimelech, & totam cognationem illius: erant autem omnes quaſi trecenti octuaginta quinque.* Cui interfectorum numero ſi ſervitia, aliique adjungantur famuli minores, atque nobiliores, utique ſupra mille in comitatu Pon-

A tificis adfuiſſe perſpicuum erit. Ex quo numero ſatis apertè colligitur, non minori quam regia majeſtate, Procerum nobiliorumque virorum ſtipatum caterva, ſummum Pontificem conſueviſſe iter facere, Regemque adire.

Sed adhuc apertius de ſtipatoribus atque ſatellitio, quo ſummus Pontifex Iſraëliticus vallabatur, ſermo eſt 3. Reg. 11. & lib. 2. Paralip. cap. 23. cum Jojada, depoſita Athalia, Joaſum puerulum ſeptennem, Regem Judæorum conſtituit. Paraſſe enim militem, ex Levitis, his verbis in ſacro textu ſcribitur: *Qui circumeuntes Judam congregaverunt Levitas de cunctis Urbibus Juda, & Principes familiarum Iſraël,* B *veneruntque in Jeruſalem.* Et infra: *Iſte eſt ergo ſermo, quem facietis: tertia pars veſtrum, qui veniunt ad ſabbatum, Sacerdotum, & Levitarum, & janitorum, erit in portis: tertia vero pars ad domum Regis, & tertia ad portam, quæ appellatur fundamenti.* Et infra: *Levitæ autem circumdent Regem habentes ſinguli arma ſua: & ſi quis alius ingreſſus fuerit templum, interficiatur: ſintque cum Rege intrante, & egrediente.* Quibus ex verbis ſatis aperte conſtat Sacerdotes, & Levitas, qui ut dicebamus cap. 1. ad ſummi Pontificis jus pertinebant, arma tractare conſueviſſe; ſatellitum quoque munus eoſdem geſſiſſe ex his, quæ ſubinferuntur conſtat: *Si quidem Jojada Pontifex non* C *dimiſerat abire turmas, quæ ſibi per ſingulas hebdomadas ſuccedere conſueverant.* Satellitio igitur militumvè manu hebdomadatim Pontifex muniebatur: quamobrem minimè admittendus erit illorum error, qui Pontificem Iſraëliticum Regi aliquando ſubditum extitiſſe affirmare non ſunt veriti.

Difficultatem majorem habet, quod ſcribitur 3. Reg. 2. his verbis: *Ejecit ergo Salomon Abiathar, ut non eſſet Sacerdos Domini.* Quamobrem videtur poſſe ſuſpicari, Reges Iſraël jus in Sacerdotes ſummos habuiſſe, Regique aſſumere aut deponere quos vellet Sacerdotes licuiſſe. Nam lib. 1. Paralip. pro D Abiatharo Pontifice Sadochum fuiſſe conſecratum ſcribitur. Ab hoc argumento cito ſe liberat Bellarm. tom. 1. controverſ. lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 29. dicens, Salomonem non ut Regem, ſed ut Prophetam id feciſſe; quæ reſponſio valeat, quantum cæteri valere judicabunt. Nam quamvis nos pariter nequaquam Regis auctoritate hoc factum dixerimus, auctoritate tamen reliquorum Sacerdotum, collegii nimirum ex viginti quatuor conflati, quod David in augmentum divini cultus in Jeruſalem conſtituerat. Pro inſtituto namque hierarchico Leviticæ tribus, & Sacerdotum collegio, ſtant ea, quæ cap. 2. E diximus: ſtant etiam ſacroſancta Euangelia pro hac ſenatus ſacerdotalis, atque Pontificum in Hebræorum Republica diſtinctione. Ibi enim principes Sacerdotum à minoribus Sacerdotibus diſtinguntur: & illi à Pontificibus Anna, & Cajapha; qui una cum Principibus Sacerdotum conveniebant in cauſis, quæ ad religionem pertinebant. Hujus igitur Senatus auctoritate, Abiatharum, (Rege inſtante Salomone) à ſummo ſacerdotio dejectum fuiſſe, procul dubio credere oportet. Cum enim is ad partes Adoniæ cum Joabo filio Sarujæ contra Salomonem, vivente adhuc patre, declinaſſet, & tyrannis illa non ſolum à Joabo ſummo Duce ſuſtineretur, ſed Pontificis etiam ſummi auctoritate foveretur, cujus dignitas, ut F dicebamus, ſumma in populo erat, tum ratione ordinis, tum ratione militiæ; idque totum ſummo cum diſcrimine totius Reipublicæ, vitæque periculo etiam ipſius Davidis ageretur, ut colligitur ex verbis, quæ Salomon dixit ad Abiathar, *Vade in Anathoth ad agrum tuum, equidem vir mortis es;* profectò de his facinoribus, & aliis convictus Abiathar, non regia auctoritate, ſed Sacerdotum ſenatu loco cecidit. Etenim quamvis Deus proſapiæ Aaronis tantum Summum

mum

mum ſacerdotium addixiſſet, non tamen uni tantum familiæ ſacerdotalem dignitatem adſtrinxerat, ut ab una ad aliam ex his, quæ deſcendebant ab Aarone, Summum ſacerdotium transferri non liceret; ſed quæcumque illa foret, Pontificalis apicis capax erat, dummodo per maſculinam lineam ab Aarone deſcenderet. Regis igitur in Pontificem auctoritas ex allato loco ſacri textus non probatur; quin potius roborata, ſtabilitaque manet auctoritas Pontificum ſupra Reges. Pontificis enim erat regni poſſeſſionem Principi tradere, cum Rex inauguraretur.

Sacrorum quoque rituum æmula Gentilitas ſuos conſecratura Reges, nec ſine Numine id faciendum arbitrabatur; nec alterius quam Sacerdotis id fore muneris cenſuit. Quapropter etiam apud Perſas, inaugurandorum Regum munus penes Sacerdotes Deæ Bellatricis extitiſſe auctor eſt Plutarch. in Artaxerxe jam alias citato; & hoc quidem tanta ſacrorum rituum, atque Sacerdotum dignitate, ac majeſtate fiebat, ut ipſe ad Sacerdotes proficiſceretur, ut ab eiſdem ſacris inauguraretur. Quod Numam feciſſe idem auctor ſcribit. *Aſſumens autem*, inquit, ſupple Numa, *Augures & Sacerdotes*, *aſcendit Capitolium. Tarpejum illum vocabant tunc Romani*; *ubi qui auguribus præerat &c.* Excipiamus nos cachinnis vanorum Deorum inaniſſima oracula; ſed inter hos cachinnos intelligamus precor, quantum dignitatis Sacerdotibus etiam Deorum inanium ab antiquis præſtitum fuerit, quidque illi conceſſerint Vatibus, quid tandem ab his, quidvè à Sacerdotibus agi veteres voluerint in Rege inaugurando. Et quamvis conſilia Deorum à Vatibus, non verò à Sacerdotibus exciperentur; Regem tamen inaugurare his tantum, non Vatibus permittebatur; ſceptrum, diadema, chlamydem, & ſi quæ alia aderant regia ornamenta, de more veterum', in electum jam Principem, unà cum regno, Sacerdotes, non Vates transferebant.

Inter Hebræorum pariter veneranda ſacra, Sacerdotalis apicis erat, ſacro chriſmate inaugurare Reges; unaque cum ſacro chriſmate jura quoque regni in eos transferre. Quamobrem Adonias etiam regnum affectans, qui elevabatur dicens 3. Reg. 1. *Ego regnabo*, Abiatharo Sacerdote tantum præminiſtro, ſuam inaugurationem ratam haberi putabat. *Et ſermo ejus cum Joab filio Saruja*, *& cum Abiathar Sacerdote*, *qui adjuvabant partes Adoniæ*, ait textus. Quæ pariter, ut rata fierent in Salomone, Sadochum Sacerdotem arceſſi juſſit David, & ab eo Salomonem Regem inaugurari mandavit dicens: *Tollite vobiſcum ſervos Domini veſtri*, *& imponite Salomonem filium meum ſuper mulam meam*: *& ungat eum ibi Sadoch Sacerdos*, *& Nathan Propheta in Regem ſuper Iſraël.* Et 4. Reg. cap. 11. necnon etiam lib. 2. Paral. cap. 23. Joas nonniſi à Jojada ſummo Sacerdote ſacrum chriſma, juraque ſimul Iſraëlitici regni accepit. De quo ſic legitur: *Et eduxerunt filium Regis*, *& impoſuerunt ei diadema*, *& teſtimonium*, *dederuntque in manu ejus tenendam legem*; *& conſtituerunt eum Regem*: *unxit quoque illum Jojada Pontifex*, *& filii ejus.* Quamobrem Saul, & David jam olim à Samuele Propheta, Reges Numinis monitu, clam deſignati, & poſtmodum tam Prophetæ, quam Sacerdotis præſentia Reges renunciati, ſolius tamen Sacerdotis miniſterio ſacro chriſmate inaugurati fuere.

Sacris ex oraculis Saul ac David non tantum ſemel à Propheta, ſed iterum Sacerdote præminiſtro, ſacro chriſmate ſolemni pompa fuiſſe inauguratos jam probetur. Ut autem à Saule exordiamur, eum propheticè clam unctum in terra Suph, cum ſoli eſſent Saul & Samuel in extremis Civitatis ad prædi-

A cendum illi regnum, jam diximus. Ad ſolemniorem inaugurationem devenire oportet, quam in Galgala celebratam fuiſſe conſtat. Nam in Maſphat acturus de Rege eligendo, ſortes ſuper tribus & familias Iſraëliticas Samuel dedit, ut per ſortes Dei placitum, quod ſibi jam clam innotuerat, populo fieret manifeſtum. Ita legitur cap. 11. lib. 1. Reg. Quia verò licet ſors ſuper Saulem deveniſſet, nonnulli tamen ejus electioni minimè conſenſerant; propterea ſolemni pompa innovato fœdere inter Regem, & populum in Galgala, illum inaugurari Samuel voluit, ut ibidem ſcribitur. Et quid mehercle ſecundo Saul Regem inaugurari opus fuiſſet, ni-

B ſi priori unctioni aliquid defuiſſet? Defuit profectò ſolemnitas, nimirum populi conſenſus, ſacraque inunctio; nec enim Samuel coram populo rectè, proprieque ſe juſtificaſſet cap. 12. lib. 1. Reg. cum ait: *Loquimini de me coram Domino*, *& coram Chriſto ejus.* Et Chriſti nomine Regem ſignificaſſet (qui Hebraicè dicitur מְשִׁיחוֹ *meſicho*, id eſt *uncto ejus*, ut interpretantur, & bene, Vatabl. Arias Montan. & alii omnes) niſi publicè, & ſolemniter Saul ſacra unctione à Pontifice jam fuiſſet inauguratus. Alias illo vocabulo nihil ſignificaretur, neque aliqua fuiſſet ea voce oſtenſa perſona, coram qua Samuel juſtificatum ſe iri vellet.

C David etiam ſolemni pompa inauguratum fuiſſe, ſacra teſtantur oracula. Hunc enim tribus vicibus unctum ſcimus; ſemel clam à Samuele in Bethlehem; iterum quando in Hebron Rex ſuper unicam tantum tribum Judæ à Senioribus illius inauguratus fuit, ut habetur 2. Reg. cap. 2. *Veneruntque viri Juda*, *& unxerunt ibi David*, *ut regnaret ſuper domum Juda.* Tertio denique ſacro oleo inunctus fuit, quando omnes tribus illum Regem acceptarunt, renunciarunt, & ſolemniter inaugurarunt: ut cap. 5. ejuſdem libri ſcribitur his verbis: *Venerunt quoque Seniores Iſraël ad Regem in Hebron*, *& percuſſit cum eis Rex David fœdus in Hebron coram Domino*, *unxe-*

D *runtque David in Regem ſuper Iſraël.* Si ergo tunc, cum primum David à Samuele in Bethlehem unctus fuit, unctio illa nequaquam clandeſtina, ſimplex & privata, ſed publicæ, ſolemniſque inaugurationis locum ſuſtinuiſſet; iterum ac tertio inaugurari David minimè indiguiſſet. Nam priorem inunctionem ſumma Numinis præſentia præ reliquis cohoneſtatam fuiſſe, ſacra oracula tradunt: eapropter ab his duabus poſtremis inunctionibus, ſolemnis inaugurationis neceſſitas in Rege renunciando expiſcari debet.

Quod denique publicæ ſolemneſque Regum Iſraëlitarum inaugurationes, non Prophetarum, ſed Sacerdotum miniſterio peragerentur, eo argumento

E lectori ſuaſum volumus; quod abſque Sacerdotibus & ſacrificiis inaugurari aliquem fas minimè eſſet, etiam penes veteres Romanos, atque exteros falſæ religionis ſectatores, veræque æmulatores, qui ſua κακοζηλία, de qua ſupra jam diximus, Moſaycos Iſraëlitarum ritus imitantes, Imperatorum quoque renunciationes ſacrificiis cohoneſtabant. Teſtis eſt Herodian. lib. 1. hiſt. Aug. inaugurationem Commodi in Pannoniis referens ſic: *Cum itaque perrexiſſet Commodus*, ſupple in caſtra, *ac rem divinam feciſſet.* Plura alia veterum Scriptorum loca afferri poſſent, quæ brevitatis gratia omittuntur.

Verum in ſacris oraculis diligentius ſacræ inaugu-

F rationes referuntur. Regum enim renunciationibus ubique ſacrificia hoſtiæque junguntur, ut cap. 11. lib. 1. Reg. ſcribitur his verbis: *Et perrexit omnis populus in Galgala*, *& fecerunt ibi Regem Saul coram Domino in Galgala*, *& immolaverunt ibi victimas pacificas coram Domino.* Solemnis quoque inauguratio Davidis ſcribitur cap. 3. lib. 2. Reg. & in ea tunc percuſſum fuiſſe fœdus coram Domino in Hebron ſcribi-

ſcribitur; quando nimirùm in Regem ſuper univerſum Iſraël renunciatus fuit. Salomonis quoque, ac Joaſi ad regnum inaugurationes, ſacris adhibitis peractas conſtat. Quamobrem à ſacrificiis ſumpto argumento Sacerdotis præſentia in inaugurationibus probatur, quia ſine Sacerdote præminiſtro ſacra facere nefas fuit, omnibus quidem gentibus, cum primis verò Iſraëlitis, idque divinis ex inſtitutis.

Quod verò Pontificum, ac Sacerdotum munus fuerit, Davidi, & Sauli, quando Reges inaugurati fuere, unà cum ſacra unctione, jura quoque regni tradere, etiam Abulenſ. quæſt. 2. in cap. 10. lib. 1. Reg. & lib. 3. Reg. cap. 1. q. 35. & 4. Reg cap. 9. quæſt. 14. docuit. Idque efficaciſſima ea ratione confirmat, quod inter ſacra miniſteria, ſacra quoque unctio in ſacris literis computatur: miniſteria autem ſacra à non Sacerdote peragi, interdictum erat. Licet enim communi oleo Saul in Suph à Samuele inunctus fuiſſet, id Prophetis non erat vetitum, quòd illud oleum ſacrum non eſſet. Saulem vero ſacro chriſmate unctum fuiſſe in Galgala, non verò communi aut prophano oleo, à ſolemnitatis ratione, & à pacificis hoſtiis, quæ tunc oblatæ fuere, ſuaderi poteſt; teſte Joſeph. lib. 6. antiq. cap. 6. in hæc verba: Σαμουήλου δὲ φήσαντος, καὶ δεύτερον δεῖν χειροτονίας Σαούλῳ τὴν βασιλείαν ἐπικυρῶσαι, συνίασι πάντες εἰς Γάλγαλα πόλιν. ἐκέλευσε γὰρ αὐτοὺς ἐκεῖ ἐλθεῖν, καὶ πάλιν ὁρῶντος τοῦ πλήθους ὁ προφήτης χρίει τὸν Σάουλον τῷ ἁγίῳ ἐλαίῳ, καὶ δεύτερον ἀναγορεύει βασιλέα. Hoc eſt: *Samuele monente opus eſſe Sauli iterum manus imponere, per quæ Sauli rata fieret regni poſſeſſio; convocavit omnes in civitate Galgala: juſſit enim eos eo venire, & iterum ſpectante multitudine, Propheta unxit Saulem ſacro oleo, atque ſecundo Regem conſalutari fecit.* Nec turbetur aliquis ex illis verbis, καὶ πάλιν ὁρῶντος τοῦ πλήθους ὁ προφήτης χρίει τὸν Σάουλον τῷ ἁγίῳ ἐλαίῳ. Quibus verbis Joſephus Saulem non à Sacerdote, ſed à Propheta unctum aſtruere videtur. Quam loquendi formam Græci codices habent ibi, & alibi ſic: καὶ ἐπορεύθη πᾶς ὁ λαὸς εἰς Γάλγαλα, καὶ ἔχρισε Σαμουὴλ ἐκεῖ βασιλέα τὸν Σαοὺλ ἐνώπιον κυρίου ἐν Γαλγάλοις. Ubi expreſsè dicitur Saulem unctum Regem à Samuele. At Hebræus codex habet ita: וַיֵּלְכוּ כָל־הָעָם הַגִּלְגָּל וַיַּמְלִכוּ שָׁם אֶת־שָׁאוּל Hoc eſt: *Et abiit omnis populus Galgalam, & fecerunt regnare ibi Saul.* Allati igitur textus græci debent accipi, ac ſi ex Joſepho dicant, Saulem de mandato Prophetæ ſacro oleo unctum fuiſſe à ſummo Sacerdote; ſicut cum dicitur Samuelem, aut Regem, ſacrum feciſſe vel obtuliſſe. Cum tamen certiſſimè conſtet ſacrificia à ſolis Sacerdotibus fieri, atque offerri potuiſſe, non autem à Regibus, aut à Samuele, qui non erat Sacerdos. Sed quia jubente Propheta ſacra fuere oblata à Sacerdote; ex phraſi ſacræ Scripturæ, Prophetam ſacrum feciſſe dicitur. Vocabulum quoque χειροτονίας, quo utitur Joſephus loco citato, id confirmat. Eſt enim ſacra illius vocabuli ſignificatio, manuumque impoſitionem ſignificat; quæ à Sacerdote fiebat per ordinem ad regimen & curam animarum: quamobrem quoddam conſecrationis genus eo vocabulo ſignificatur, ut ex frequentiſſimo illius vocis uſu, & ex Græcis exemplaribus novi Teſtamenti manifeſtum eſt.

Ut enim præclarè notavit Joannes Morin. lib. 1. exercitat. Eccleſiaſt. exercit. 7. aliud eſt apud Græcos προβλησις, & aliud χειροτονία: nam προβλησις eſt electio, χειροτονία verò conſecrationem ſignificat. Quam χειροτονίας ſignificationem ſexcenta Canonum, & Patrum teſtimonia comprobant, quæ hùc referre præpoſterum nimis eſſet. Zonaræ teſtimonio in primo can. Apoſt. res explorata erit. *Nunc*, inquit, *χειροτονία vocatur abſolutio precum, ſanctique Spiritus invocatio, dum Sacerdotio quis initiatur, & conſecrationem ſortitur*, ἀπὸ τοῦ τὸν ἀρχιερέα τείνειν τὴν χεῖρα εὐλογοῦντα τὸν χειροτονούμενον. Hoc eſt, *Ex eo dicta, quod Pontifex homini conſecrando benedicens extendat manum.* Sed, me judice, apertius dicendum erit ab unctione illius, qui conſecratur, χειροτονίαν dici. Diſtinguunt enim Græci inter ψῆφον, σφραγίδα, & χειροτονίαν. Nam ψῆφος eſt electio per ſuffragium. Σφραγὶς, quæ ſigillum ſive characterem ſignificat, ex forma verborum, quibus poteſtas ad ſacra ei datur, qui ordinatur, vim habet. Χειροτονία vero eſt manuum impoſitio per ſacri chriſmatis inunctionem. De conſecratione igitur Saulis, Pontificis miniſterio perſolvenda juſſu Samuelis in Galgala, ex Joſepho tunc agebatur; cujus manus impoſitionis tanta erat auctoritas, ut ea conſecratione, & Pontificiæ manus impoſitione, regnum juxta teſtimonium Joſephi ſtabiliretur.

Si verò manus capiti Saulis impoſitas à Propheta velimus, ex Dei diſpenſatione id factum dicemus, non verò jure aliquo. Nam etiam cap. 27. Numer. cum extremam Deus Moyſi indixiſſet diem, atque pro ſucceſſore Moyſes rogaſſet Deum dicens: *Provideat Dominus Deus ſpirituum omnis carnis hominem, qui poſſit exire ſuper multitudinem hanc, & poſſit exire & intrare ante eos, & educere eos, vel introducere, ne ſit populus Domini ſicut oves abſque paſtore:* Et Deus ad orationem Moyſis perſonam Joſuë Iſraëlitici exercitus Imperatorem deſignaſſet, qui Moyſi ſuccederet; manuum in capite impoſitione, poteſtatem eidem tradendam Deus mandavit dicens: *Tolle Joſuë filium Nun, virum in quo eſt ſpiritus, & pone manum tuam ſuper eum.* Quod etiam feciſſe Moyſem ſtatim legitur. Ex hoc tamen loco argumentum minus validum puto ſumi poſſe, ut hauriatur hinc, Prophetam Sauli, non verò Sacerdotem manum eidem impoſuiſſe. Nam Aaroni quoque, & reliquis minoribus Sacerdotibus, manus Moyſes aliquando impoſuit, ac ſacra unctione ſacravit: id tamen ut Sacerdotem, ſicuti revera erat, id feciſſe tunc conſtat. Quemadmodum enim conſecravit Tabernaculum, ſic etiam tunc Joſue poteſtatem tradidit, manumque impoſuiſſe Moyſem ut Sacerdotem, non ut Prophetam dicemus.

Quod autem à Sacerdotibus, non verò à Prophetis Reges inaugurarentur, ſacroque conſecrarentur oleo, roborari poteſt argumento ſumpto à ſolemni Davidis inauguratione. Nam cum David ſolemniter in Hebron Rex renunciatus atque inauguratus fuit, tam primo, quam ſecundo, nullibi Scriptura ſacra Prophetæ alicujus meminit. Nec Samuel, qui naturæ debitum jam perſolverat, eam ſacram unctionem adminiſtrare potuit, ut cap. 25. lib. 1. Reg. ſcribitur. Quod autem à laïcis ſacra unctio miniſtraretur, ſacris litteris contradicit. Idcirco à Sacerdote tunc inauguratum David aſſerere cogimur, quemadmodum Salomonem, Adoniam etiam in quadam ſpecie inaugurationis 3. Reg. 1. & Joaſum lib. 4. cap. 11. & lib. 1. Paral. cap. 23. à Pontifice inauguratos cognovimus. Eapropter concludendum cenſeo, Reges Hebræorum ſolemni pompa, à Pontifice tantum in conventu Procerum, ſacro oleo inauguratos, renunciatoſque fuiſſe, neque Prophetis id aliquando licuiſſe.

CAP. LI.

Rex tecto capite ſacro conſecrabatur oleo.

Ad loca 1. Reg. cap. 10. *Tulit autem Samuel lenticulam olei, & effudit ſuper caput ejus.* Cantic. 1. *Unguentum effuſum nomen tuum, ideo adoleſcentulæ dilexerunt te.* 2. Paralip. cap. 23. *Et eduxerunt filium*

lium Regis, & impoſuerunt ei diadema & teſtimonium. Et ad alia.

UNCTIO ubicunque, & in quocunque fuerit homine, ſanctitatis cujuſdam ac poteſtatis ſpiritualis in eum collatæ nota eſt. Hac enim ratione ſumma poteſtas in ſummo Pontifice, Chriſtique Vicario, aliiſque Epiſcopis, unctione in capita illorum effuſa aperte deſignatur. Chriſmate Pontifex ungitur, unguntur quoque Principes; ſed hi in humero chriſmate liniuntur, tum quia in ea corporis partis militaris virtus fulget, quæ primam ſedem in temporali regimine tenet; tum quia eodem corporis membro principatus temporalis ſignificatur, auctore Iſaia cap. 9. his verbis: *Factus eſt principatus ſuper humerum ejus.* Quod etiam Samuelem Prophetam 1. Reg. cap. 10. voluiſſe arbitramur, quando Sauli promotionem ad regnum inſinuaturus, armo victimæ illum convivio excepit, quem etiam de induſtria eidem ſervatum lib. 1. Reg. cap. 9. ſacer textus his verbis teſtatur: *Dixitque Samuel coco: da partem, quam dedi tibi, & præcepi, ut reponeres ſeorſum apud te: levavit autem cocus armum, & poſuit ante Saul; dixitque Samuel: ecce quod remanſit, pone ante te, & comede, quia de induſtria ſervatum eſt tibi.* Hæc autem Samuelem propterea Sauli dixiſſe conſtat, ut ipſius principatum, & adventum jam à ſe præviſum Saul intelligeret. Humero autem victimæ, regnum voluiſſe illi ſignificare etiam Joſephus agnovit in hac eadem hiſtoria cap. 5. lib. 6. antiquit. dicens: *Juſſit autem*, ſupple Saul, *miniſtros apponere Sauli partem regiam.*

Eſt enim brachium & humerus, roboris ac fortitudinis ſymbolum, Philone etiam auctore libro de Sacerdot. honor. Rationem enim aſſignans, cur armus victimæ in Sacerdotum cibum cederet, fortitudinem in armo ſignificari docet; quæ cum in Sacerdotibus quoque reperiri debeat, propterea armo victimæ illos cibari tradit, dicens: *Fortitudinis quidem, & virilitatis, & omnis legitimæ operationis, tam in dando, quam in accipiendo, & operando ſymbolum eſt*, ſupple armus. Eapropter olim in militia nomen daturi, in ſignum valoris ac fortitudinis quam profitebantur, ſtigmate in brachiis vel manibus notabantur: ut habet Lypſ. lib. 1. de milit. Rom. dial. 9. ex auctoritate Æſii medici, cujus hæc ſunt verba: *ςίγματα καλοῦσι τὰ ἐπὶ τοῦ προσώπου ἢ ἄλλου τινὸς μέρους τοῦ σώματος ἐπιγραφόμενα, οἷα τῶν στρατευομένων ἐν ταῖς χερσί.* Id eſt: *Stigmata vocant, quæ in facie, aut in alia corporis parte inſcribuntur: qualia ſunt militum in manibus.* Manus pro brachiis poſuit. Hæc eadem conſuetudo ſtigmatizandi milites confirmatur auctoritate Vegetii lib. 2. cap. 5. dicentis: *Diligenter igitur lectis junioribus, animis corporibuſque præſtantibus, additis etiam exercitiis quotidianis quatuor vel eo amplius menſium, juſſu auſpiciiſque invictiſſimi Principis legio formatur: nam victuris in cute punctis milites ſcripti, & matriculis inſerti, jurare ſolent.* Habetur hoc idem ex lib. 3. C. de Fabricenſ. ubi brachium, & non aliud membrum in militibus ſtigmatizatum legitur. Ibi enim Arcadius & Honorius in hunc modum decernunt: *Stigmata, hoc eſt, notæ publicæ*, ut legit. Lypſ. (licet alii habeant nota publica) *Fabricenſium brachiis ad imitationem tironum infligantur: ut hoc ſaltem modo poſſint latitantes agnoſci.* Stigmata hæc, regii characteres, ſeù militiæ character dicebantur, ex phraſi Patris Auguſtini ad Parmen. contra illos, qui affirmabant Sacerdotes tranſeuntes ad Hæreticos, licet non amitterent baptiſma, amittere tamen ſacerdotalem characterem. Et refertur in cap. *Quod quidam* §. *ſi forte.* 1. quæſt. 1. illud ſtigma nomen Imperatoris habebat, ut dicit Gloſſa in ſupra citata l. 3. C. de Fabric. idemque

A confirmat Lipſ. in analect. & Ambroſ. vel alius quicunque ſit ille, qui orationem funebrem Valentiniano Imperatori dixit, quæ ſub nomine Ambroſii circumfertur: ex qua armi, ſeu humeri nota, roboris quoque, ac valoris character in armo intelligitur.

Fortitudo & robur, tum animi, tum corporis ut deſignetur in Principe, immo ipſi principatui annexum, Imperator & omnes alii ſupremi Principes laïci, quotquot initiantur, etiam nunc de more Eccleſiæ, in humero oleo liniuntur. At Iſraëlitico, Moſaicoque, ut ita loquamur, ritu, Principes in capite ſacrabantur. Sed unguenti aſperſione necne,
B an linitione copioſa, an parca ejuſdem unguenti effuſione, ambigi poteſt. Quæ ambiguntur, quærantur, ut tamdem inventa poſtquam quæſita fuerint, cara teneantur. Enimvero ſi ſtandum eſſet Rabbinis, R. Salomon (tantæ auctoritatis apud ſtolidiſſimos Hebræos, ut ſtolidiſſimus homo, qui mille ineptias commentus eſt, caput expoſitorum apud eos vocetur,) cenſet, ut refert Nicolaus de Lyra 3. Reg. cap. 1. & Genebrar. Pſal. 88. Reges ſolitos perungi in fronte ſuper palpebras ſervata coronæ figura, ut tradit Abulen. ex Rabbinorum ſententia loco citato cap. 11. lib. 3. quæſt. 37. Et hæc inunctio per ſacerdotem fiebat, qui intincto digito
C in ſacro oleo ab aure ad aurem, lineam per frontem, & occipitium circumducebat. Hujuſque ritus Genebrardus rationem, à laïca Regum dignitate ex illorum ſententia retulit. Quia enim Regum unctio, dicunt illi, non eo dirigebatur, ut ſacra haberetur, neque ad res ſacras ordinabatur, ſed ad prophana ſeù ad Civilia pertractanda illius unctio collineabat; propterea non in capite, ſed in fronte ſacro oleo Princeps liniebatur, ut ad formam regiæ coronæ, unctio ipſa Regis caput circumambiret, & frontem, ac occipitium complecteretur.

Veritas ipſa ambiguitatis velum auferat, longeque alium ab hac nugis perſonata ſententia ſplendo-
D rem conſpiciendum præ ſe ferat, & certo affirmet, Reges Hebræorum inauguratos fuiſſe; non linitione, ſed ſacri unguenti copioſa effuſione; non in fronte, neque ab aure ad aurem, ſed ſummo in vertice capitis. Veritati huic Abulenſ. 3. Reg. cap. 10. quæſt. 1. & 2. & Pineda lib. 2. de reb. Salom. cap. 6. num. 3. ſubſcribunt. Abulenſis hoc probat à loco Canticorum, in quo nomen Sponſi unguentum effuſum appellatur; odoris quidem tantæ ſuavitatis, ac fragrantiæ, ut adoleſcentulas poſt ſe, ſolius odoris vi pertrahere poſſet. Nulla vero alia de cauſa nomen Sponſi à Sponſa unguentum effuſum dici poſſe videtur; niſi ex ſuavitate ſacri unguenti,
E tunc copioſiſſime in caput Regis effuſi; quando inaugurabatur, atque Rex renunciabatur.

Verum argumentum iſtud, & ratio qua ducitur Abulenſis, adeo infirma, ſuccique expers apparet, ut minime excreari queat. Non enim ex loco jam adducto ex lib. Canticor. probari poteſt, Spiritum ſanctum de ſacra unctione inaugurationis, non autem de prophanis unguentis loquutum fuiſſe, quibus homines illius ævi, & præſertim Reges ac Principes ad delicias utebantur. Immo de prophana unctione ſermonem haberi loco citato probabilius eſt, cum de amatoriis agatur, quibus in negotiis fragrantia ſaltem unguentorum, adoleſcentulas ad ſui
F amorem, Reges allicerent. Probandum primo fuiſſet Abulenſi, (ut ratio illa vim haberet,) ibi de ſacra unctione inaugurationis Salomonicæ agi, ſicque teſtimonium allatum intentum probaſſet.

Pineda jam citatus, noſtri hujus eruditi ſeculi vir quidem eruditiſſimus, Abulenſi ſubſcribit, argumento ſumpto à ſimilitudine unctionis Regum ac Sacerdotum: Quamobrem, *quemadmodum*, inquit, *effu-*

effuſione unguenti Sacerdotes ſacrabantur ; ita etiam ejuſdem unguenti effuſione Reges inauguratos exiſtimari debet. Cum nulla appareat diſcriminis ratio inter Regis inaugurationem , Sacerdotiſque ſummi conſecrationem : tum quia unctio capitis eatenus erat in uſu apud veteres , ut in conviviis capita ungerentur ; tum quia de unctione Saulis dicitur 1. Reg. cap. 10. *Tulit Samuel lenticulam olei, & effudit ſuper caput ejus.* Et lib. 4. Reg. cap. 9. de unctione Jehu ſcribitur in ſacro textu , Prophetam ab Eliſæo miſſum ad ungendum Jehu in Regem ſuper Iſraël , oleum ſuper caput ejus effudiſſe.

Hæ ſunt rationes pro doctiſſimo Pineda , non omnino contemnendæ , licet robur illarum , ut reor , facilè declinari poſſit. Quod enim Sacerdotes cum conſecrabantur, ſacro in capite perungerentur oleo, nequaquam argumentum eſſe poteſt, quod etiam Reges effuſione unguenti ſuper caput inaugurarentur. Nam Sacerdotes ad plenitudinem poteſtatis & auctoritatis ſacræ initiabantur. Ad ſacra miniſteria ungebantur, illorumque miniſterium ſacrum erat , non vero Regum, quorum poteſtas ad civilia dirigebatur. Nec urget, quod convivæ ſuper caput ungi ſolerent , quia unguenta in conviviis ad delicias, & ad corroborandum cerebrum adhibebantur, ne fumoſitate vini læderetur. Et ideo pro his convivalibus unctionibus nulli habebantur præſcripti ritus : at in Regibus ſacro inaugurandis oleo , præſcripti ritus habebantur , ac ſervabantur. Hinc apparet poſteriorem Pinedæ rationem , priori infirmiorem eſſe , nec majoris fore roboris , quæ tertio loco ab eodem afferuntur. Quibus ſatisfactum puto , ſi dixerimus in allegatis ab eo locis de unctione tantùm clandeſtina agi , quam fieri conſueviſſe effuſione unguenti ſuper caput non ambigimus ; ſed quærimus quid in ſolemni inauguratione Regum fieri ſoleret.

Ea fuit doctiſſimi Pinedæ ſententia ; hæc ſunt , quæ pro ipſo militant , argumenta ; ipſi quidem auctori argumenta , nobis vero conjecturæ ſatis revera probabiles ; ut propterea nos quoque prædictæ ſententiæ dare nomen cogamur : conglobatis quidem conjecturis illis in hac unica ratione. Prophetæ , qui futura potius factis ac geſticulationibus , quam verbis repræſentare ſtudebant , ut jam ſupra docuimus , profectò quæ verbis prænunciabant , mimicis quibuſdam motibus & actionibus conjungebant, quibus pro conſuetudine illius ætatis , & proprietate eorum , quæ prædicebant , rem efficacius explicabant. Propterea non eſt cur dubitemus , Samuelem quando Saulem clam inunxit , ut divinum placitum illi aperiret , illiuſque Dei nutu electionem in Regem ſuper Iſraël manifeſtaret , reliquarum gentium conſuetudinem ac ritus in Regibus inaugurandis fuiſſe imitatum ; eam nimirum , quæ poſtmodum cum Saule in ejus ſolemni futura inauguratione ſervanda erat. Quinimmo pro more illius ſeculi cuncta geſſiſſe, certò tenendum reor ; alias minimè illa unctione regnum eidem prædixiſſet : & idem feciſſe famulum Prophetarum , quem Eliſæus miſit 4. Reg. cap. 9. ad Jehu Regem ſuper Iſraël ungendum. Rationi enim conſonum eſt , Eliſæum ritus quoque ſervandos eidem præſcripſiſſe , quales in ſolemni Regum Iſraëlitarum inunctione ad illud uſque tempus ſervabantur. Cum igitur ubique in Scripturis ſacris Prophetas oleum effudiſſe legatur ; & quidem ſuper caput effudiſſe , quoties aliquos Reges futuros prænunciarent , ut dicitur 1. Reg. 9. igitur oleum inaugurationis non alio , quam in caput effuſum nobis affirmandum erit.

Si verò forma unctionis inquiratur , non circumlinitione ab aure ad aurem , ut dicebant Rabbini , ſed ſacri illius unguenti copioſa effuſione inauguratos

A Reges Iſraëlitas arbitror. Linitioni enim huic obſtat puer ille , ſeù famulus Prophetarum , qui ad ungendum Jehu , ſeù ad aperiendum illi Dei placitum, miſſus fuit. Cum enim ſtatim ac illum unxiſſet , illico inde fugere ex præſcripto Eliæ cogeretur , cuncta certè facilius abſolviſſet , ſibique ad fugam faciliorem aperuiſſet viam , ſi digitum in oleo intinxiſſet, & Jehu in fronte tantum liniſſet, quam oleum effundendo ſuper illius caput ; hoc profectò facere omiſiſſet , illudque peregiſſet , ſi Reges linitura , non olei ſacri effuſione ſuper caput inaugurarentur. Cum igitur futuros Reges Prophetæ nequaquam
B linierint , ut dicebant Rabbini , ſed ſuper caput illorum oleum effuderint ; expiſcari hinc conceditur , Reges apud Hebræos ſacri olei effuſione , non linitione capitis aut frontis , inaugurari ſolitos.

Poſſet adhuc inquiri , apertone, an operto capite Reges Hebræorum ſolemni ritu inaugurarentur. Ut breviter & cito me expediam ab hoc dubio, certiſſimum arbitror , nequaquam aperto , ſed operto capite Reges inauguratos; quod idem de ſolemni quoque ſummi Sacerdotis conſecratione docuimus , ſupra Myrot. 2. cap. 81. Etenim Orientalium omnium, ut ibi diximus , conſuetudo extitit , quæ ad hoc
C uſque tempus perdurat , nunquam caput diſcooperire. Eapropter quamvis multoties in Scripturis ſacris Reges conſalutatos adoratoſque à ſubditis atque ab extraneis accipiamus ; nullibi tamen detecto capite hos id feciſſe legimus. Quia , ut loco citato dicebamus, hæc capitis detectio, mœrorem ac triſtitiam indicabat , quæ longè aberant à ſacrificiis , & ab imprecatione bonorum , quæ inaugurationi debebantur. Sumpta igitur ratione à conſuetudinibus illius temporis omnino alienum eſt , Samuelem bona precaturum Sauli , cum ait , *Et cujus erunt optima quæque Iſraël?* 1. Reg. cap 9, caput illi detexiſſe , ad notam mali ominis. Hoc etiam puer ille
D Prophetarum 4. Reg. cap. 9. inſinuaſſet , ſummaque injuria Principem affeciſſet, ſi caput Jehu impudentiſſime detexiſſet , vel eumdem caput detegere juſſiſſet. Utrunque ſanè , vel horum alterum affirmare , moribus ac ritibus tam ſacris quam prophanis Orientalium hominum contradicit.

Apertiori adhuc argumento hæc ipſa ex eadem hiſtoria confirmentur. Famulus ille Prophetarum adeo contemptibilis apud Samaritas habebatur , ut nec eum admittere Principes dignarentur. Ex ipſomet ſacro textu id colligitur. Ut enim egreſſus eſt Jehu in curiam ad reliquos regni Proceres , cum quibus confidebat & colloquebatur, antequam à ſuperveniente
E Propheta in ſecretius cubiculum deduceretur ; reliqui tunc Principes ac Proceres in contemptum Prophetæ , dixerunt : *Quid venit inſanus iſte?* Meditator , amice Lector , hanc loquendi phraſim , ut cognoſcas ex his verbis , quanti Prophetam illius Regni Proceres facerent.

Fuit enim vetus mos hominum , inſanos ac ſtultos exiſtimare , qui divina loquerentur , divinoque ſpiritu agitarentur. Inde Oſeas 9. ait : *Scitote Iſraël ſtultum Prophetam , inſanum virum ſpiritualem.* Et in Act. Apoſt. Paulum divina loquentem inſanire putabat Feſtus. Qua de cauſa etiam Poëtæ aliquando in hoc numero reponebantur , quod enthuſiaſmo
F acti loqui putarentur. Hinc illud Symmachi epiſt. 4. *Videor vobis mentis inſipere , atque adeo in Poëtas nomen dediſſe?* Minimè igitur mirum eſſe debet, quod diſcipulus Eliſæi inſanus non ſolum à Proceribus Jorami , qui in conſeſſu cum Jehù aderant , exiſtimaretur , ſed etiam quod adhuc magis eſt , ejuſdem etiam exiſtimationis penes ipſum Jehu eſſet , teſte Joſepho lib. 9. antiq. cap. 4. *Jehus autem* , inquit , *in conſeſſum Ducum rediit. Percontantibus autem illis*,

& rogantibus ſcire, *qua de cauſa veniſſet juvenis ille*: *& inſanum videri dicentibus. Recte inquit* (ſupple Jehus) *conjecturam facitis*, *nam inſani verba loquutus eſt.* Ex quibus Jehu verbis, ipſi quoque Prophetam opprobrio fuiſſe conſtat; propterea neque ad præſentiam illius Jehu caput aperuiſſe, neque ſibi ab illo caput detegi, in maximam ignominiam permiſſurum, ratio ſuadeat: caput enim illi diſcooperiendo, nequaquam boni ominis, ut dicebamus, non regni, ſed peſſimi ominis nuncius Propheta adfuiſſet; ſummæ namque temeritatis ac impudentiæ fuiſſet homini undequaque contemptibili, ſummo Principi inter Proceres regni caput detegere.

Cum igitur Prophetarum actiones, tam his, quæ prædicebant, quam rebus ſignificatis, pro more & conſuetudine illius ætatis correſpondere deberent; & neque caput Jehu Prophetam detegere, nec ipſe ad Prophetæ præſentiam operimentum capitis, ſive pileum detraxerit; utique pileatum Jehu ac tectum à Propheta unctum dicimus, ſervata nimirum inaugurationis apud Hebræos conſuetudine, quorum Reges diademati ſacro inaugurabantur oleo. Hoc etiam antiquiſſimis temporibus uſu veniſſe apud Romanos, ſuſpicari fortaſſe poteſt ex Plutarcho in Numa, ubi de inauguratione Numæ primi poſt Romulum Romanorum Regis agitur. Sed præter allata apertè colligitur hoc ex capite 11. lib. 4. Reg. ubi Joaſum *teſtimonio*, ut cum ſacro textu loquamur, & diademate præornatum fuiſſe ſcribitur, antequam ſacro inauguraretur oleo. Sic enim legimus: *Produxitque filium Regis*, ſupple Jojada, *& poſuit ſuper eum diadema*, *& teſtimonium*: *feceruntque eum Regem*, *& unxerunt.* Jam ergo non aperto, ſed operto; non nudo, ſed diademato capite Rex apud Hebræos ſacro initiabatur oleo, & à Pontifice inaugurabatur.

CAP. LII.

Regi inaugurato fauſta à populo precabantur.

Ad loca 2. Reg. 15. *Miſit autem Abſalon exploratores in univerſas tribus Iſraël dicens: Statim ut audieritis clangorem buccinæ*, *dicite*: *Regnabit Abſalon in Hebron.* 3. Reg. 1. *Et canetis buccina atque dicetis: Vivat Rex Salomon.* Et ad alia plura loca.

DUPLICI vocum & acclamationum genere regia inauguratio à populis proſequebatur; ſalutatione nimirum ſeù adoratione, & acclamatione. Prior erat Senatorum, Procerumque Reipublicæ; poſterior populorum ac plebis. In ſalutatione ratio dignitatis ac ordinis illorum habebatur, qui ad Principem conſalutandum accedebant; aliqui enim ad oſculum oris, ut vidimus, admittebantur; alii manum tantum Principis deoſculabantur. At verò in acclamationibus nulla habebatur dignitatis ratio, nullus ſervabatur ordo; ſed virorum ac mulierum, ſenum atque infantium, nobilium ignobiliumque voces in acclamationibus commiſcebantur. Conceptis verbis electus Princeps ſalutabatur, atque in adoratione eidem fauſta precabantur. Non ita fieri ſolitum apud Romanos in acclamationibus videbimus; ſed quiſque pro libito boni ominis verba promebat. Salutatio habebatur cum Senatus, atque Electores in Principem conſentiebant; at verò acclamatio interdum ſalutationem præcedebat, interdum ſequebatur; aliquando præcedebat ac ſequebatur; & quoties in publicum novus Princeps prodiiſſet, toties eidem acclamabatur. Acclamatum verò fuiſſe boni ominis ergo, cuicumque homini

A novum aliquem celſiorem gradum conſcendenti, ex more omnium nationum, certius eſt quàm probatione indigeat. Quamobrem noſtra etiam hac ætate, id ipſum ducitur in morem, cum Romæ, vel alibi, Pontifex ſive Auguſtus quiſpiam, corona redimitur. Cuncta enim futura minus fauſta crederentur, niſi læta populi acclamatione electio, ritus, ac cæremoniæ inaugurationis proſequerentur.

Olim apud Romanos acclamationem aſſentandi cauſa exordium ſumpſiſſe, Livius lib. 1. deca. 4. ſcribit: poſtmodum tamen fuiſſe acclamatum ad bona precandum, & boni ominis ergo, teſtes ſunt omnes pene Romanæ hiſtoriæ Scriptores: de quo ita

B Herodian. lib. 2. Principatus Pertinacis: *Hæc dicente Læto*, *minimè jam ſe cohibuit populus*, *quin ceſſante adhuc & dubitabundo milite*, *Auguſtum illum declararet*, *patremque appellaret*, *& fauſtis acclamationibus eum proſequeretur. Idem etiam milites factitabant*, *quamquam non pari alacritate*: *ſed circumfuſa undique inermibus*, *feſtumque agitantibus diem*, *populi turba*, *facile illos acclamare*, *ac Pertinacem vocare Auguſtum coëgit.* Et paulo infra, poſtquam Pertinax à Prætorianis Imperator conſalutatus fuiſſet, ejuſdem in Senatum acceſſum ſcribens Herodianus

C populo acclamante, ait: *Igitur poſtquam diluxit*, *in curiam ſe contulit*, *neque ignem ſibi præferri*, *neque ulla principatus inſignia paſſus eſt attolli*, *donec Senatus ſententiam ſciſcitaretur. Sed eum omnes ſimul atque viderunt*, *lætis acclamationibus exceperunt*, *Auguſtumque & Imperatorem conſalutarunt.* Tacit. etiam lib. 4. hiſtor. Aug. creationem Tiberii recenſens, extincto jam Bruto; *Magno*, inquit, *ea fletu*, *& mox precationibus fauſtis audita*, *ac ſi modum orationi poſuiſſet*, *miſericordia ſui*, *gloriaque animos audientium impleverat.* Hæc ibi. Quibus quidem fauſtis precationibus populi acclamationes Tacitus aperit, atque ſubindicat, non alia de ratione à populis acclamationes edi conſueviſſe, niſi ad bonum omen novo Imperatori precandum.

D Tantum vero acclamatio auctoritatis, atque dignitatis ex uſu accepit, ut quæ aſſentationis, & joci exordium habuerat; poſtmodum Imperatores Romani ſibi ferè eam reſervaverint, nec communicatam acclamationem voluerint cum aliquo, non dicam homine infimæ, aut mediocris conditionis, ſed nec cum reliquo Senatu, quoties una in theatrum Senatus Imperatorque conveniſſent. Unus pro multis Lipſius lib. 2. elector. teſtis aderit. Quinimo poſtea Imperatores ac reliqui magiſtratus plurimi fecerunt, cujuſnam nomen in acclamationibus priorem occuparet ſedem. Quamobrem Juſtinianus Imperator victor de Rege Theodahato, pacem ei

E in hanc legem conceſſit: *Ut populus pro more in plauſu & acclamationibus*, *Imperatoris Juſtiniani in primis nomen prænunciaret*, *Theodahati deinceps*: *idque ſive in theatris*, *ſive in triviis*, *ſive alibi locorum.* Hæc ex Procop. lib. 1. de bello Goth. affert Lipſius ubi ſupra. Ex cujus auctoris verbis, acclamationem inter ſeria habitam perſpicuum eſt, ac velut propria Imperii nota diligentiſſime legibus cautum, ne aliis à Principe concederetur.

Si vero originem antiquioraque acclamationis exordia, nec non etiam, quando, ac ubi nata ſit, perquirere voluerimus; inter antiquitatis tenebras omnia jacere ſepulta, certò intelligemus; quamvis

F ejuſdem uſum pervetuſtum fuiſſe, perſpicuum ſit. Acclamationem enim Regnum atque Imperium Romanorum præceſſiſſe, manifeſtum eſt ex ejus frequentiſſimo uſu apud Hebræos, qui Romanos præceſſerunt. Nam Hebræos novo Regi ac Principi acclamaſſe, cum inaugurabatur, ex ſacris Scripturis paſſim conſtat; ut ex lib. 1. Reg. cap. 10. lib. 3. cap. 1. lib. 2. cap. 15. lib. 4. Reg. cap. 9. & 11. lib.

lib. 2. Paralip. cap. 23. & aliunde. Acclamatum enim fuiſſe Sauli, Davidi, Abſaloni, Adoniæ, Salomoni, Jehu & Joaſo, ſacer textus ſcribit.

Sed pro ſacris oraculis intelligendis advertendum eſt, non ſemel, ſed iterum ac iterum apud Iſraëlitas Principi acclamari conſueviſſe, primo cum in electione, aut declaratione, populi ac Proceres aſſentiebantur; deinde cum Princeps inaugurabatur. Nam cum nondum inauguratus eſſet Saul, ſacroque oleo unctus in Galgala, in prima ejus electione fuiſſe eidem acclamatum, *Vivat Rex*, dicitur 1. Reg. 10. In affectata etiam tyrannide Abſalonis lib. 2. Reg. cap. 15. eum miſiſſe aliquos ad univerſas tribus Iſraël ſcribitur, qui populos ſic præmonerent: *Statim ut audieritis ſonitum buccinæ, dicetis: regnavit Abſalon in Hebron.* Quam quidem acclamationem pertinuiſſe ad electionem Abſalonis in Regem, & in ſignum aſſenſus præſtiti à populis, non autem ad inaugurationem, manifeſtum eſt; quod ſimul ac ſemel in univerſis tribubus Iſraël electio & inauguratio haberi nequiret, ſed in una tantum celebrari. Sic etiam 3. Reg. 1. qui Adoniæ partes ſequebantur, eumque Regem acclamabant, ſuas acclamationes minimè ad inaugurationem dirigebant, quæ ſine ſacro oleo celebrari nequibat; ſed ad ſignificandum aſſenſum, quem in ejus electione præſtabant, acclamabant.

Demum Principi in ſolemnitate inaugurationis acclamabatur, poſtquam à Pontifice ſacro fuiſſet inunctus oleo. Nam de acclamatione Joaſi 4. Reg. cap. 11. & lib. 2. Paralip. cap. 23. dicitur: *Imprecati ſunt ei, atque dixerunt: Vivat Rex.* Ita ſcribitur de Joaſo lib. 2. Paral. 23. Licet verò illa dictio *Imprecati*, ut plurimum apud Grammaticos mali ominis ac execrationis ſit, quod ea dictione nihil aliud, quam malum in caput alicujus ſignificari ab eis cenſeatur; tamen cum verbum precari, etiam in bonum aliquando accipiatur; nunc quoque decet illam dictionem in eamdem ſignificationem accipere, ex auctoritate noſtri Vulgati interpretis. Advertendum inſuper eſt, à codice Septuag. & ab Hebraico textu, dictionem illam imprecationi correſpondentem deeſſe. Quamobrem ab Interprete noſtro paraphraſticè additam intelligimus, ad expreſſionem boni ominis, quod Regi jam adorato ab Iſraëlitis precabatur. Ex vi igitur illius vocabuli à noſtro Vulgato loco citato poſiti conſtare reor, apud Hebræos, ante alias quaſcumque nationes, acclamationem inter ſeria habitam fuiſſe. Voluit enim Interpres vulgatus ea voce ſubindicare, acclamationem in auſpiciis Regum Iſraëlitarum, non aſſentationis gratia, non joci de cauſa inſonuiſſe, non theatralem extitiſſe, ſed ex debito populorum inter graviora regni jura, jure ſacro à Samuele inſtitutam, veterique conſuetudine probatam, ac boni ominis ergo fuiſſe introductam.

Clariora hæc omnia fient ex his, quæ loco jam citato lib. 2. Paralip. cap. 23. adjunguntur, ſi ad trutinam revocentur. Athaliam ſcribitur vocem laudantium Regem audiviſſe, cum Joaſus inauguraretur. Quarum vocum & laudantium ſenſus ut intelligatur, inquirendum ſupereſt, quamnam ob cauſam Joaſum Regem tunc electum laudarent Iſraëlitæ; quænam geſta illius heroica celebrarentur; quas partas victorias, quas ſubactas nationes, tanto ſtrepitu ac plauſu proſequerentur; ut rumor acclamantium ad Athaliam uſque pervenerit, quæ domi in palatio, procul à templo, in quo Joas inaugurabatur, exiſtebat. Etenim in puero ſeptenni, cujus adhuc os lac ſapiebat, victoriæ partæ, ſubactaque regna, aut devictæ nationes ab Iſraëlitis celebrari non poterant. Propterea dicendum eſt, acclamationes illas, non quidem aſſentationis gratia, ſed

A boni ominis de cauſa apud Iſraëlitas inſtitutas fuiſſe, atque propterea plauſu & acclamationibus electum Regem ab eis proſequutum, ut illi atque Regno bona precarentur. Quamobrem Joſeph. lib. 6. antiquit. cap. 5. Saulis ad regnum renunciationem ſcribens ait: *Cumque populus fauſta acclamatione Regem ſalutaſſet.* Non ſolum igitur rationem acclamationis ex dictis, ſed etiam ritum acclamandi, bonaque precandi in Regum inaugurationibus præceſſiſſe apud Hebræos Conſulum ac Imperatorum Romanorum ſeculum; expreſſe colligitur.

Acclamationis deſtinatum tempus requiratur: nimirum præcederetne unctionem, an eam ſubſeque-

B retur, an denique tunc acclamaretur, fauſtaque Regi precarentur, cum à Pontifice Rex ipſe ſacro chriſmate ungebatur: utrumne populi ſignum aliquod expectarent, quò acclamationis tempus indiceretur, an vero nullo expectato ſigno, quiſque pro libito acclamaret, fauſtaque Regi precaretur. Velata licet ſint omnia, pro viribus detegantur. Ex Romanorum enim hiſtoriis tunc populum acclamare, fauſtaque novo Imperatori precari ſolitum liquidò conſtat, cum congiarium eidem daretur. Erat autem congiarium, munus, quod ab illo, qui magiſtratum, aut Imperium iniiſſet, populo donabatur, ut ſcribit Seneca lib. 4. de beneficiis. Mos

C quidem adeo pervetus apud Romanos, ut de ipſomet Numa primo poſt Romulum Romanorum Rege, ſcorteis aſſibus congiarium populo dediſſe ſcribat Alex. ab Alex. lib. 4. gen. dier. cap. 15. Quamvis forſitan eo congiario non adeo ditatæ fuerint tribus, quemadmodum eo, de quo Plin. meminit in panegyrico Trajano dicto. Sed ſcortei hujus congiarii fides apud ſuum auctorem remaneat.

Verius quidem, me judice, fortaſſe ſuſpicari poſſet: non quidem congiario, ſed buccina, vel aliquo alio inſtrumento Iſraëlitas ad acclamationem excitatos fuiſſe. Nec enim improbabili conjectura ad hæc movemur: Modulate enim populos plau-

D dentes ad acclamationem proceſſiſſe; imo etiam orariis uſos, ac ſtudio ad componendam vocem in ſuaviorem ſonum ac harmoniam, auctor eſt Lipſ. in Tacit. lib. 16. annal. ea verba illuſtrans, quæ de Nerone citharizante à Tacito dicuntur: *Plebs perſonabat certis modis, plauſuque compoſito.* Quod itidem lib. 2. elect. affirmat, ſimulque quid apud Romanos orarium eſſet, cujus meminit Vopiſcus in Aureliano, aperit. Et quamvis oraria, plaudendique, ac modulandi ritus alienos fuiſſe à Republica Hebræorum exiſtimem, inſtrumenta tamen muſica, quibus excitatus populus Iſraëliticus ad fauſta Regi precanda incitaretur, ad Iſraëlitas minimè aliena

E fuere.

Verum ſive congiario, ſive ſigno tubæ, aut alterius cujuſpiam inſtrumenti excitatæ conſueverint tribus Romanorum novo Principi acclamare, parum noſtra intereſt. Buccina excitatas tribus in Hebræorum Republica ad acclamandum, ab ipſo uſque naſcentis Reipublicæ exordio aperta res eſt. Nam Exo. 19. cum populus progreſſurus eſſet ad montem, ut Deum adoraret, quem Reipublicæ Imperatorem elegerat, buccinæ ſono excitatum acceſſiſſe dicitur: *Jamque advenerat tertius dies, & mane inclaruerat*, dicit textus. *Et ecce cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura; & nubes denſiſſima operire montem,*

F *clangorque buccinæ vehementius perſtrepebat.* Sic etiam lib. 2. Reg. cap. 15. Abſalon affectans tyrannidem, ad buccinæ ſonum Regem ſe acclamandum juſſiſſe ſcribitur ſic: *Miſit autem Abſalon exploratores in univerſas tribus Iſraël dicens: ſtatim ut audieritis clangorem buccinæ, dicite: regnavit Abſalon in Hebron.*

Hic autem clangor buccinæ in ſignum acclamationis

tionis editus in legitimis inaugurationibus, non quidem ante, ſed poſtquam Rex ſacro jam oleo unctus, & diademate redimitus fuiſſet, perſtrepebat, atque inſonabat: quamobrem prius quam tuba inſonuiſſet, novo Principi acclamare nefas erat in Iſraël. Quæ Iſraëlitarum conſuetudo non latuit Pinedam lib. 2. de reb. Salom. cap. 6. §. 3. n. 6. Quod autem uncto jam regi acclamaretur, ex eo conſtat; quod quoties ſacris in litteris de regia alicujus inauguratione ſermo eſt; prius Regem inauguratum, quam acclamatum ſcribitur. Sic enim lib. 3. Reg. cap. 1. cum de inauguratione Salomonis agitur, acclamationem ſub hac verborum forma Davidem præſcripſiſſe legimus: *Tollite vobiſcum ſervos Domini veſtri, & imponite Salomonem filium meum ſuper mulam meam, & ducite eum in Gihon: & ungat eum ibi Sadoch Sacerdos, & Nathan Propheta in Regem ſuper Iſraël, & canetis buccina atque dicetis: Vivat Rex Salomon.* Quæ ad unguem ſervata dicuntur ibidem: *Sumpſitque Sadoch Sacerdos cornu olei de tabernaculo, & unxit Salomonem: & cecinerunt buccina, & dixit omnis populus; Vivat Rex Salomon.* Et lib. 4. Reg. cap. 9. inauguratum Jehu Regem in Iſraël legimus, & ad ſignum tubæ acclamatum: *Feſtinaverunt itaque, & unuſquiſque tollens pallium ſuum poſuerunt ſub pedibus ejus in ſimilitudinem tribunalis: & cecinerunt tuba, atque dixerunt, regnabit Jehu.* His ſanè locis Hebræorum conſuetudo illuſtrata maneat, novumque Regem fauſtis acclamationibus à populo exceptum conſtet, poſtquam ſacro fuiſſet inunctus oleo: non quidem confuſim, & inordinate; ſed præcone inſonante tubam, populumque ad acclamationem excitante.

Tuba verò ac buccina, metallica, an cornea eſſet, infra ſuo loco proprio ſubtiliori indagine explicabitur. Etenim tubis ac cornibus ſigna cani in Iſraël conſueviſſe, cum Reges à populo conſalutarentur, ſcribit Joſeph. lib. 9. antiq. cap. 4. populi acclamationem in renunciando Rege Jehu referens per hæc verba: *ἕκαστος περιδύων αὐτὸν ἐπεστρώννυεν αὐτῷ τὸ ἱμάτιον, καὶ σαλπίζοντες τοῖς κέρασιν ἐσήμαινον Ἰηοῦν εἶναι βασιλέα.* Bellicis itaque muſicisque inſtrumentis apud Iſraëlitas, populus excitabatur, ut novo Regi acclamaret, fauſta eidem precaretur, omnique gaudio ac lætitia conſalutaret.

CAP. LIII.

Acclamationis forma in inaugurationibus explicatur.

Ad loca 2. Reg. 15. *Statim ut audieritis clangorem buccinæ, dicite; regnavit Abſalon in Hebron.* 2. Paral. 23. *Imprecati ſunt ei, atque dixerunt: Vivat Rex. Quod cum audiſſet Athalia, vocem ſcilicet currentium, atque laudantium Regem, ingreſſa eſt in templum Domini.* Et ad alia.

NON uno tantum in loco, nec ſemel, Romanorum conſuetudo fuit, ut novo Principi à populo acclamaretur; ſed etiam in theatris, theatralibuſque ludis pluries id fiebat: ſicut etiam pluries aliquando congiarium populo datum legimus. Auctor ſit Vopiſcus in Aureliano dicens: *Sciendum tamen congiaria illum ter dediſſe, donaſſe etiam populo Romano tunicas albas manicatas lineas, Afras, atque Ægyptias, ipſumque primum donaſſe oraria populo Romano, quibus uteretur ad favorem.* Favoris igitur, id eſt, acclamationis, plauſuſque gratia populus à Principe orariis, veſtibus, congiariiſque

A donabatur. Quamobrem populum etiam toties Imperatori acclamaſſe, quoties ab ipſo donabatur, rationi conſonat: ut gratias nimirum donanti, quantum poterat referret, neque ingratitudinis nota inureretur.

Acclamationis occaſionem ſcripſimus; tempus monſtravimus; nihil de forma verborum diximus: quemadmodum fecimus cum de adoratione ageremus, præconceptam eam verborum formam explicando. Hanc autem acclamationem diſtinctam extitiſſe apud Romanos ab adoratione, ipſamet verborum forma demonſtrat. In ea enim adoratione, ut vidimus, his *Ave Cæſar Imperator*, vel alia huic ſimili Proceres utebantur: in acclamationibus verò
B nulla erat verborum determinata forma, quam tamen, quantum fieri poteſt, ad capita revocandam reor, ut pars parti reſpondeat, & cuncta æqua lance librentur. Nam quibus ſignis plauderetur novo Principi, ſequenti capitulo dicemus: at qua verborum forma eidem acclamaretur; ac in ea acclamatione, quæ verba antecederent, quæ eamdem comitarentur; & quæ denique inaugurationem ſubſequerentur, præſenti in capitulo conſideranda veniunt.

Aliquando enim in acclamationibus, quarum uſus erat penes Romanos, nonnulla præmittebantur, quæ correſponderent his, quæ in concione ad popu-
C lum à Principe propoſita fuerant. Hujus conſuetudinis teſtis eſt Capitol. in hiſtoria Gordianorum, in qua de illorum aſſumptione ad Imperium agit, & populo in concione advocato, Duces his verbis alloquutos fuiſſe tradit: *Quo circa ſi placet; quoniam non longe eſt nobiliſſimus vir Proconſul, cum filio conſulari legato, quorum utrique peſtis illa mortem minata eſt, ſublata de vexillis purpura, Imperatores eos dicemus; adhibitiſque inſignibus Romano more firmabimus. Tunc acclamatum eſt &c.* Acclamationis formam auctor ſubinfert; ita tamen ut primo ad propoſita in concione reſpondeatur, cujus reſponſionis hæc ſunt verba: *Æquum eſt, juſtum eſt.*

D Ut autem lætiora apparerent, quæ acclamabantur; defunctum jam Imperatorem, qui Rempublicam male adminiſtraverat, vocibus execrabantur. Scribit hoc Lamprid. in Alexandro his verbis: *Exactis verbis pridie nonas, cum Senatus frequens in Curiam, hoc eſt, in ædem Concordiæ templum inauguratum conveniſſet; rogatuſque eſſet Aurelius Alexander Cæſar Auguſtus, ut concineret; ac primo recuſaſſet, quod ſciret de honoribus ſuis ſibi agendum eſſe: dein poſtea veniſſet acclamatum. &c.* Interque acclamationes illæ habentur voces: *Dii te ex manibus impuri eripuerunt: impurum tyrannum & tu perpeſſus es: impurum & tu videre doluiſti: Dii illum*
E *eradicaverunt: infamis Imperator ritè damnatus: infamis unco tractus eſt ad exemplum timoris: luxurioſus Imperator jure punitus eſt: contaminator honorum jure punitus eſt. judicia Deorum hinc apparent.* Hæc & ſexcenta alia in hiſtoriis Romanorum leguntur; ex quibus quædam quaſi acclamandi forma novis Imperatoribus colligitur.

Verum in ſacris Scripturis hujuſmodi execrationes acclamationibus admixtæ quamvis non legantur; potuiſſe tamen contingere, ut apud Iſraëlitas quoque, cum execratione antecedentis Principis, ſi
F male, vel tyrannice Rempublicam adminiſtraſſet, novo Regi aliquando fuerit acclamatum, non eſt à ratione diſſonum. Nam in Joaſi inauguratione Athaliam peſſimam, matrem Regis Ochoziæ extinctam legimus, juſſu Jojadæ ſummi Sacerdotis. Cum enim uſque ad illud tempus Reipublicæ regimen, in dedecus Judaici ſceptri, peſſima mulier tenuiſſet, regiamque Davidicam prolem, quo ad poterat extinguere ſtuduiſſet, ſanctumque Dei templum impuriſſi-

puriſſimis ſacris prophanaſſet, veri, ac præpotentis Dei cultum ſuſtuliſſet; ſexcentaque alia nefandiſſima patraſſet; ut meritò juſſu Jojadæ Pontificis ſuo impuriſſimo ſanguine, impietatis pœnas perſolverit. Quamobrem quod Joaſo ad regnum ſublimato, dum fauſta eidem precaretur populus, impiiſſimam Reginam Athaliam execraretur; non immerito ſuſpicari poſſumus, ducti exemplo etiam Semei; qui David Regem execrabatur, cum fugeret Abſalonem filium, Regem acclamatum in Hebron, & in aliis Iſraëlitici regni civitatibus. Sic enim de hac execratione legimus 2. Reg. cap. 6. *Ita autem loquebatur Semei cum malediceret Regi: Egredere, egredere vir ſanguinum, & vir Belial: reddidit tibi Dominus univerſum ſanguinem domus Saul, quoniam invaſiſti regnum pro eo, & dedit Dominus in manu Abſalon filii tui: & ecce premunt te mala, quoniam vir ſanguinum es.*

Redeamus ad Romanorum acclamationes, in quibus aliquando novo Regi, ac Imperatori fauſta abſque execratione anteceſſoris precabantur, vitæ nimirum diuturnitatem, Imperii felicitatem, victoriam de hoſtibus & alia ſexcenta hujus generis novo Principi auſpicantes; quorum meminit Capitolinus in Gord. ſub hac verborum forma: *Gordiane Auguſte Dii te ſervent feliciter; Dii te nobis dederunt, Dii conſervent, Dii perpetuent.* Plurima his ſimilia habentur apud Vuolfang. Laz. comment. Rom. Reipub. Barnab. Briſſon. lib. 1. de form. Rom. & Lipſ. lib. 2. elector. Populum acclamaſſe Imperatori Alexandro, ubi gratias egiſſet, ſcribit Lamprid. in Alexan. *Et cum egiſſet gratias Alexander, acclamatum eſt: Antonine Alexander Dii te ſervent: Antonine Aureli Dii te ſervent: Antonine Pie Dii te ſervent.* Jamque vulgatum erat apud Romanos acclamationis carmen, quod apud Tertul. in Apologet. cap. 35. habetur:

De noſtris tibi Juppiter augeat annos.

Ad quam acclamandi formam, bonaque precandi Imperatori reſpiciens Ovidius in favorem Auguſti lib. 1. Faſtor. dixit:

Augeat Imperium noſtri Ducis, augeat annos,
Protegat & noſtras querna corona fores.

Hinc etiam illa Græcorum acclamandi forma εἰς αἰῶνας, id eſt, *in ſeculum*, quæ frequentiſſima apud Romanos, Lipſio auctore ex Tertulliano, & aliis fuit.

Pares erant his illæ Hebræorum acclamationes: *Vivat Rex Adonias: Vivat Rex Salomon*; & alia multa his ſimilia, in quibus Principis nomen minimè exprimebatur; ut *vivat Rex*; quæ paſſim in ſacris litteris occurrunt. Quamvis verò in ſacris textibus diverſitatem aliquam inter verba adorationis, atque acclamationis in regno Iſraëlitico minimè intueamur; id fortaſſe provenire potuit ex vi Hebraicæ phraſis: quicquid enim multiplici verborum phraſi apud Romanos ſignificabatur; illud idem verbis Hebraicis יְחִי הַמֶּלֶךְ *jechi hamelech* explicabatur. Quæ acclamationes Iſraëlitarum, longè antiquiores quàm Romanorum acclamationes fuere; nihilque aliud quam longioris vitæ curſum novo Regi augurabantur, eidemque dierum perpetuitatem, cum omni felicitate, dicendi ea phraſi populi perſonabant.

Fuiſſe autem verba adorationis, atque acclamationis ſimilia apud Iſraëlitas, argumento evidenti ſacris ex oraculis petito, probari poteſt: nam illa, *Vivat Rex*, ad adorationem pertinere, ex his quæ jam diximus manifeſtum eſt. Eamdem vero fuiſſe acclamationis formam apud Iſraëlitas, cap. 15. lib. 2. Regum id apertè demonſtrat; cum in affectata ty-

A rannide Abſalonis ſcribitur: *Miſit autem Abſalon exploratores in univerſas tribus Iſraël dicens: Statim ut audieritis clangorem buccinæ, dicite: Regnavit Abſalon in Hebron.* Cumque adoratio Principi minimè præſtari valeat, niſi præſens adfuerit; nec Abſalon eodem tempore ad clangorem buccinæ in univerſis tribubus, ac urbibus adeſſe poſſet; ex eo loco manifeſtè conſtat; prædictam verborum formam, non ad adorationem; ſed ad acclamationem Principis pertinuiſſe; quæ in electione alicujus, in ſignum aſſenſus edebatur.

Erant etiam alia acclamationum genera, quibus apud Romanos novo Cæſari, Imperii, aut regni
B ſucceſſori, Principatum futurum, aut felicitatem precabantur; ex quorum verborum varietate, acclamationis diverſitas ab adoratione, in Romanorum ſacris perſpicua apparet, ut ea Lampridii in Alex. acclamandi forma: *Felices nos Imperio tuo! felicem Rempublicam!* Et quæ acclamata fuerunt in Claudium, ſcripta à Trebel. Poll. in Claud. *Claudi Auguſte, Principem te, aut qualis tu es, ſemper optavimus. Claudi Auguſte, te Reſpublica requirebat. Claudi Auguſte, tu frater, tu Pater, tu amicus, tu bonus Senator, tu vere Princeps.* Quæ licet Imperatori Alexandro, ac Claudio jam electis, & præſentibus, fuerint acclamata; ſapiunt tamen nonnihil futuri, ſi dili-
C genter illa dicendi phraſis contempletur. Hoc etiam genus acclamationis apud Hebræos in uſu extitiſſe, ſacris ex litteris colligitur. Enimvero cum Joas inauguratus eſt, lib. 4. Reg. cap. 11. novo Regi acclamatum tanto plauſu ſcribitur, ut de acclamantium ſtrepitu dicatur ibi: *Athalia autem audivit vocem laudantium Regem.* Quæ vero voces laudis eſſe potuerint, ſuſpicari minimè poſſumus, niſi eas perſimiles his dixerimus, quas jam ex Trebel. pro Claudio retulimus: nimirum: *Tu vere Princeps, tu regia proles, tu Iſraëlitici regni verus ſucceſſor*; & alia plura his ſimilia, quæ acclamata Joaſo putamus. Puerulum enim vix ſeptennem, cum neque à re bellica, ne-
D que ex proſtratis hoſtibus laudari poſſet, laudatum dicendum eſt à felicitate, quam illi, regnoque populus expetebat, atque ſub eo Rege expectabat.

Potiſſimùm vero acclamationum verba tunc ad futurum regimen reſpexiſſe in ſacris litteris videntur, cum acclamandum alicui foret, cujus ſucceſſio ad regnum in ambiguo eſſet poſita. Quamobrem in Abſalone, qui contra omne jus Patri ſanctiſſimo regnum ſurripere cogitabat, nequaquam 2. Reg. 15. ſcribitur fuiſſe acclamatum: *Vivat Rex Abſalon*; longam vitam illi precantibus his, qui ejus partes ſequebantur; ſed, *Regnabit Abſalon in Hebron.* Quaſi ea acclamatione ſignificare vellent, nequaquam re-
E gnum Abſaloni ſe auſpicari, ſed deſiderare. Quamvis verò qui illis verbis acclamarant, non ita ſenſiſſent; ita tamen ſenſiſſe Spiritum ſanctum, effectus probavit. Sic etiam lib. 4. Reg. cap. 9. quando Jehu Regem acclamatum legimus, cui nequaquam regnum debebatur, quod ad regiam proſapiam non pertineret; ſed adverſus Joram inſurgendo, Rex Iſraël inauguratus eſt; nequaquam à Proceribus, qui illi adhæſerunt: *Vivat Rex*, acclamatum legimus, ſed *Regnabit Jehù*: regnum nimirum illi auſpicando, quod ei non alio jure, quam ex divina ordinatione debebatur.

Ne, quæſo, circa ea quæ dicta ſunt, Lector of-
F fendatur, in contrarium afferendo acclamationis formam, qua uſi ſunt ad fontem Rogel, qui Adoniæ partes ſequebantur. Cum enim Adonias, nullo cum ſanctiſſimo patre habito verbo, Abſalonem imitatus, vivente adhuc patre, regnum affectaret, ſeque Regem renunciari ad fontem Rogel contenderet; qui ejus partes ſequebantur, non leguntur acclamaſſe: *Regnabit Adonias*; ſed more aliorum Principum,

cipum, qui legitimo jure ad regnum pervenere, acclamabant: *Vivat Rex Adonias.* Hæc, inquam, quæſo, ne aliquem offendant; ut propterea contemnenda putet, quæ de varia acclamationum forma diximus. Facile enim reſponderi poteſt, illud ita accidiſſe, quia Adonias mortuo Abſalone, jure primogenituræ fruebatur principatu inter fratres, cum eſſet ſecundus natu poſt Abſalon. Cumque jure primogenituræ eidem regnum deberi, penes regni Proceres indubitatum cenſeretur; propterea tanquam legitimo Principi, qui partes illius ſequebantur, acclamabant: *Vivat Rex Adonias.* Cum tamen contra omne fas, & jus, inaugurationis quodammodo epulum paraſſet. Etenim ſine patris venia, ſe Regem acclamari nequaquam conſentire debuiſſet; quinimo etiam ſponte ab aliquibus oblatum regnum acceptare ſibi non licebat. Quia tamen æquo animo ſibi regnum addici, Regemque ſe acclamari conſentiebat: propterea quaſi cum legitimo ſucceſſore ageretur, eidem acclamabant: *Vivat Rex Adonias.* Hæc de varia acclamationis forma apud Hebræos à me dicta accipiat Lector, ſalvo meliori calculo. Verſamur enim inter abditas antiquataſque ſacrorum oraculorum conſuetudines. Quamobrem ſi cui minus probata hæc fuerint, nobis neque pro Adonia, neque pro Abſalone contendendum putet. Satis enim nos feciſſe arbitramur; ſi longo tot annorum intervallo à nobis diſſitos mores, & ritus, ſaltem ſubindicaverimus. Reliquorum erit, ex libris Hebræorum Thalmudicis, & ritualibus, quorum in dies recondita, & vetera volumina lucem vident, hæc ipſa noſtra ſtudia illuſtrare ac juvare; necnon etiam, ſi quæ rejicienda fuerint, rejicere, & probanda probare.

CAP. LIV.

Regi inaugurato plaudebatur.

Ad loca 4. Reg. 11. *Feceruntque eum Regem, & unxerunt, & plaudentes manu dixerunt: Vivat Rex.* Nahum 3. *Non eſt obſcura contritio tua, peſſima eſt plaga tua: omnes qui audierunt auditionem tuam, compreſſerunt manum ſuper te.* Et ad alia.

ANTIQUISSIMUS ille, ſimulque ſapientiſſimus Anaxagoras, hominem animal ſapientiſſimum propterea ſibi videri affirmabat, quòd manibus foret inſtructus. Tradidit id nobis de Anaxagora Ariſtoteles, & à Plutarcho in Moralibus repetitum ſcimus. Hoc ſapientiſſimi viri aſſertum, ſummorum Philoſophorum auctoritate comprobatum, ea ratione interpretatur Cœlius Rhodig. lib. 4. lect. antiq. cap. 3. ut niſi datæ homini manus fuiſſent, ratio ipſa, quæ divinitatis in homine pars quædam eſt, debilis, manca, & quodammodo inutilis cenſeretur. *Auſim dicere*, inquit Cœl. *ſejunctis manibus, fuiſſe non inermes modo nos futuros; ſed vel brutis infeliciores: quem enim uſum rationis haberet lumen illud divinum omni ope deſtitutum?* Et talis ac tantus revera eſt manuum uſus in homine; ut Græci veteri proverbio dicere conſueverint. τί δῆτα χεῖρες οὐκ ἂν ἐργάσαιντο; Id eſt, *Quid non efficere valent manus?* Propterea in ſacris Ægyptiorum, & apud veteres Theologiæ peritos, innumerabilia ferè ſymbola habuere manus. Quæ omnia pluribus commentatus eſt Pier. Valer. vir longe doctiſſimus. Nec enim manus ſolummodo loquentem, ut cæteræ corporis partes, adjuvant; ſed ipſæ quodammodo loquuntur. Iis namque, ut Fabius docet apud Cœlium, poſcimus, pollicemur, vocamus, dimittimus, minamur, ſup-

A plicamus, abominamur, timemus, interrogamus, negamus, gaudium, triſtitiam, dubitationem, confeſſionem, pœnitentiam, tempuſque oſtendimus. Quæ omnia loquutionum genera in ſolis manibus poſita quotidie experimur in his, qui linguæ impedimento tenentur: quibus quidem alia non eſt lingua, quam manuum uſus. Quare etiam de Zacharia patre magni illius Baptiſtæ ſcripſit Luc. cap. 1. *Et poſtulans pugillares ſcripſit dicens &c.* Poſtulat, atque dicit; cum adhuc lingua illius non eſſet ſoluta: poſtulavit certè non lingua, quæ divinitus vinciebatur; ſed manibus. Et de Nerone Citharœdo in theatro Tacitus lib. 6. annal. ſcripſit:

B *Poſtremo flexus genu, & cœtum illum manu veneratus, ſententias judicum operiebatur ficto pavore.* Quinimo in tanta idiomatum varietate ſolæ manus omnium gentium lingua loquuntur: nam ſi ſimul conjungantur, efficaciorem orationem reddunt. Hinc enim concuſſio, hinc plauſus manuum originem duxit.

Manuum plauſus atque concuſſio ſimpliciter ſi conſiderentur, cum ſint actiones corporei cujuſdam inſtrumenti indifferentis, cunctorumque idiomatum vim retinentis, & quam maximè accommodati ad hoc, vel illud ſignificandum, mœrorem potius, quam gaudium, aut aliquid aliud ex ſe, ipſæ minimè ſignificabunt;

C ſed ad triſtitiam, mœrorem, gaudium lætitiamque explicandam manus communes erunt. Significatio ergo manuum ad hoc potius, quam ad aliud ſignificandum ex reliquis actibus, quibus plauſus ipſe jungetur, determinabitur. Aliis notis, ſi ſupercilia quis erexerit, oculiſque defixis, ſeu erectis, manus per modum plaudentis concutiet, admirantis erit. Hinc etiam portentoſam Urbis Ninive ruinam cum minaretur Deus, ut cunctis admirationi futuram illius Urbis ſubverſionem ſignificaret, per Prophetam Nahum cap. 3. dicebat: *Non eſt obſcura contritio tua, peſſima eſt plaga tua: omnes qui audierint auditionem tuam, compreſſerunt manum ſuper te.*

D Sub metaphora quidem compreſſionis manuum exprimens, portentoſam adeo ejus ruinam futuram, ut cunctis admirationi eſſet.

Quid eiulatus, ſuſpiriaque commemorem? Quid ſi erumpant lacrymæ? Plauſus ipſe manuum his junctus, mœrorem maximum, animique angorem vehementiſſimum ſanè præ ſe feret. Quamobrem etiam in conclamandis mortuis plauſu utebantur veteres. Hinc illud Plinii lib. 7. cap. 52. *Plaudendo conciviſſe miniſteria ejus, qui videbatur extinctus.* Dominus quoque aperiens Ezechieli inauditam, atque ſeveriſſimam ultionem, quam ob legis tranſgreſſionem de populo Jeroſolymitano ſumere decernebat, ut

E tranſgreſſionis meritas pœnas perverſores daturos oſtenderet, *Fili hominis*, ait ad Prophetam, *plaude manu ad manum; quin & ego plaudam manu ad manum.* Quibus quidem manuum plauſibus, quemdam quaſi dolorem aperire Deus contendit, ea ratione, qua nos dolorem, pro captu noſtro, in Deo cujuſcumque doloris, ac triſtitiæ experte concipere poſſumus: quam etiam ob cauſam Prophetam pariter ſecum de ruina civitatis triſtari volebat.

Si denique lætas aliquis ediderit voces, hiſque vocibus manuum plauſus adjungetur; hilaris ſanè animus, lætitiæque ſignum, ipſo manuum plauſu ab eo demonſtrabitur. Hujuſce rei nobis auctor ſit

F Xenoph. lib. 8. de pædia Cyri, ubi Hyſtaſpes unus ex Cyri familiaribus, cum ſe alacrem de proſperitate Regis oſtendere peroptaret; quibus ſignis, & indiciis hoc monſtrari ſibi liceat, aperit dicens: *Sed unum ſolum ignoro, quonam ſim oſtenſurus, me gaudere bonis tuis, utrum manuum concuſſione utendum eſt, an ridendum, an aliquid faciendum?* Eapropter ad hilaritatem, gaudiumque demonſtrandum, cum Princeps inauguraretur, Rexque renunciaretur, populi

vo-

vocibus manus conjungebant; ut in tanta diverſorum ſexuum, ætatumque multitudine, quorum voces gaudii notæ ad Principis aures in acclamando pervenire nequibant, ſaltem plauſus manuum ſpectaret: ac manibus ſaltem Principem alloquerentur, ad cujus aures alloqui nequibant, ſicque inaugurationi Regiæ, ſummoque Principatui favere cenſerentur.

Plauſuum genera multiplicia erant: pedum nimirum, oris, atque manuum; de quorum multiplicitate accipi debet id, quod Tranquillus dixit in Nerone: *Diviſi in factiones plauſuum genera condiſcerent, operamque navarent cantanti ſibi.* Non enim prætereunda eſt Tranquilli dictio *condiſcerent*, qua ſignificare voluit, tanta impudentia Neronem ad theatrum ad citharizandum proceſſiſſe, tantoque amore laudis, vel ſi mavis, adulationis in ea arte captum fuiſſe, ut adulari quæſierit. Nec ſatis ſibi plauſum inconditum, nullaque arte editum, uti mos erat theatri, exiſtimaverit; ſed arte quadam, ac ordine ſibi applaudi à theatro voluerit. De quo Tacitus lib. 16. ait. *Et plebs quidem Urbis, hiſtrionum quoque geſtus juvare ſolita, perſonabat certis modis, plauſuque compoſito.* Non incompoſitè nimirum, neque inconditè, ſed arte ac methodo. Qua vero arte Neroni cantanti applauſum fuerit à ſpectatoribus, ignotum eſt. De plauſu pedum Virgil. inquit:

Pars pedibus plaudunt choreas.

Plauſum oris vidimus, in loco Taciti: ſed quia in Regum inaugurationibus verſamur; in his potiſſimum plauſum quærimus, quo populi ſe favere Principatui innuebant. Tribus autem modis populi in inaugurationibus manibus favebant Principi, qui inaugurabatur: concutiendo nimirum, ſeù quaſſando ad invicem manus; lacinias veſtimentorum in auras fluitantes, & denique ſudariola, ac lora manibus in aërem agitando: quibus motibus, ac manuum quaſſationi juncta acclamatione, aſſenſum electioni novi Principis, atque inaugurationi populi declarabant. Sudariolis, ſeù faſciolis uti ceperunt ſub Aureliano; ut ex Vopiſco dixit Caſaubonus, in illis verbis: *Ipſumque primum donaſſe oraria populo Romano, quibus uteretur populus ad favorem.* Nam favere, & favor ſunt Theatrorum atque Circi verba, nec non etiam aliorum locorum, in quibus publicè alicui populi blandirentur; aut aliqua alia de cauſa acclamarent. Quo ſpectat illud Ovidii lib. 3. Amor.

Maxima jam vacuo Prætor ſpectacula circo
Quadrijuges æquo carcere miſit equos.
Cui faveas video, vincet cuicumque favebis,
Quid cupias, ipſi ſcire videntur equi.

Verbum enim, *faveo*, in Circo à Poëta ponitur, ut Theatri, Circique proprium. In quo etiam ſenſu Septimus Romanus apud Caſaubonum in Valeriano Vopiſci loco citato ait: *Interea reliquis Ducibus favorem attollentibus, gaudio, lætitiaque completa omnia ſunt.* Corippus etiam lib. 4. de ludis Juſtini Cæſaris verbo *favere*, nonniſi in Circo utitur dicens:

Omnia roboribus ſternunt, loco plana politis
Conjungunt tabulis, & ferri nexibus arctant:
Quæ pondus, ſtrepituſque virum, motuſque faventis
Ferre queant populi.

Et quia favere non ſignificat tacitam tantum animi benevolentiam, ſed quæ voce geſtuque exprimatur: ut docet Caſaubonus ad illum locum Vopiſci: hæc autem in multorum hominum concurſu

A minimè ſatis exprimi poterant; propterea ut ſigno aliquo ipſum id aperirent, loris, ſudariolis, atque faſciolis utebantur. Probat hanc conſuetudinem locus Ovidii lib. 3. Amor. dicentis:

Quid facis infelix? perdis bona vota puellæ,
Tende, precor, valida lora ſiniſtra manu.

Ex quo Ovidii loco, qui Auguſti ſeculo ſcribebat, Caſaubonum deceptum arbitror, qui loco citato ex Vopiſco Aurelianum primò apud Romanos incognitum orariorum uſum inſtituiſſe docet. Cum enim orarium ſub ora veſtis reponatur, ut perdoctè Salmaſius in Aureliano Vopiſci ſcripſit, idemque ſit
B orarium, quod lorum ad oram veſtis conſutum, atque Ovidius hunc morem in theatris etiam ſub Auguſto ſtetiſſe notet; planè orariorum uſum ab Aureliano inſtitutum non reor: ſed cum aliquos ſuſpectos Aurelianus Imperator haberet, tunc tradita populo ab Aureliano oraria ſuſpicor voluiſſe Vopiſcum, quibus ad favorem populus uteretur: ut orariis his, qui ſibi faverent, qui vero non apertè dignoſcerentur. Cum enim vocibus undique perſonantibus fautores agnoſcere in tanta multitudine difficile foret; Aurelianus ſudariolo favorem oſtendi juſſit, ut de cujuſcunque favore ac fide ſibi conſtaret. Quod ſtudium fautorum anteceſſores illius minus
C forte curaverant.

Veſtimentorum quoque laciniis, tam in theatro, quam alibi favor oſtendebatur: manibus nimirum elevando, atque agitando, & in aërem eaſdem lacinias jactitando: quod Græci dicunt, ut doctiſſimè notavit Caſaubonus loco citato ἀνασείειν τὴν χεῖρα, καὶ τὴν ἐσθῆτα. Quamobrem de Adriano Imperatore, auctor vitæ Heliodori Sophiſtæ, ſcribit eum admiratum viri eloquentiam, more theatrali exiliiſſe, acclamaſſeque ἄνδρα οἷον οὔπω ἔγνωκα τῶν ἐμαυτοῦ καιρῶν εὕρημα, καὶ τὰ τοιαῦτα ἐκάλει τὸν ἡλιόδωρον, ἀνασείων τὴν χεῖρα, καὶ τὸν κόλπον τῆς χλαμύδος. Philoſtratus etiam in Imagine Arrichionis Olimpyonicæ ait:
D ἔοικε μὴ τοῦ ἀντιπάλου μόνον, ἀλλὰ καὶ τοῦ ἑλληνικοῦ κεκρατηκέναι. βοῶσι γοῦν ἀναπηδήσαντες τῶν θακῶν. καὶ οἱ μὲν τὼ χεῖρε ἀνασείουσιν, οἱ δὲ τὴν ἐσθῆτα. Pro hac conſuetudine ſtare etiam locum Ovidii putat Caſaubonus; ut *validum lorum*, quod habetur in loco jam retro allato ex lib. 3. Amor. nihil aliud ſit, quam veſtimentorum lacinia, & infima ora, quibus adſuta ſunt lora. Mihi tamen lora ibi pro orariis minime veſtimento adſutis accipi placet. Viderint alii meliora. Quod enim ibi à Poëta valida lora dicantur, meum aſſertum tantiſper deturbat, fateor: ſed in his controverſiis non eſt mihi immorandum. Verum pro loris, laciniiſque veſtimentorum Ovid. ibid.
E ait:

Favimus ignavo, ſed eum revocate, Quirites,
Et date jactatis undique ſigna togis.
En revocant; at ne turbet toga mota capillos;
In noſtros abdas te licet uſque ſinus.

Dare ſigna togis, de quibus hic Ovidius, eſt plaudere togis: jactatis nimirum, ut dicebamus, loris.

Favor manuum erat in plauſu: quo ſpectat illa Varronis, atque Columellæ querela de ſuorum temporum patribus familias: *Qui in Circis potiùs, ac Theatris, quam in ſegetibus, ac vinetis manus movebant.* Illud etiam Corippi lib. 4. de ludis Juſtini
F Cæſaris, ex iſto manuum plauſu habet declarationem; ſic enim de Circo ait:

Diſpoſuere gradus, queis ſtaret in ordine longo
Diviſum in turmas, atque in ſua corpora vulgus;
Poſſet & exertas ad munera tendere palmas,
Liberius ſpectare oculis, manibuſque favere.

Nec enim ſolum animi gaudium, verum etiam eorum quæ acta fuerant approbationem, illa manuum concuſſio præ ſe ferebat. Idcirco apud veteres Romanos, quibus Comœdiarum erat uſus, in fine ad notam approbationis, plaudebatur: quinimo auditores etiam in fine plaudere grati animi ergo, approbationiſque de cauſa jubebantur; ſicque dimittebantur; ut in Andria Terentii videre eſt, quæ ſic clauditur: *Ne expectetis dum exeant; hic intus deſpondebitur, intus tranſigetur, ſi quid eſt quod reſtet. Plaudite.* Sic Ariſt. in arte poëtica docet verbo κροτεῖσθαι approbationem fabulæ ſignificari, dicens: δεῖ δ' ἄμφω ἀεὶ κροτεῖσθαι. Hoc eſt: *Oportet autem ambo ſemper plaudere.* Eſt enim idem κρότος Græcè, quod Latinè plauſus; unde eſt verſus ille trochaïcus.

B

δότε κρότον, καὶ πάντες ἡμῖν μετὰ χαρᾶς κλυπήσατε.

Hoc eſt:

Date plauſum & omnes nobis cum gaudio plaudite.

Plaudebatur igitur, ut gaudium perceptum ab auditoribus, his qui in comœdia, aut tragœdia perſonarum vices geſſerant, fieret manifeſtum. Hinc Quintilian. lib. 6. cap. 2. dixit: *Tunc eſt commovendum theatrum, cum ventum eſt ad illud ipſum, quo veteres comœdiæ, tragœdiæque clauduntur, Plaudite.* Et Horatius epiſt. 3. lib. 2. quæ inſcribitur de arte poëtica, inſtruens; qua arte Poëtæ in ſua poëſi attentionem, auditorumque voluntatem procurare debeant; ad illam plaudendi conſuetudinem reſpiciens, quæ in fine tragœdiarum, & comœdiarum adhibebatur, dixit:

C

Tu quid ego, & populus mecum deſiderat, audi:
Si plauſoris eges, aulæa manetis, & uſque
Seſſuri, donec cantor, vos, plaudite, dicat.

Quem ſanè plauſum tanti fecere veteres illi in fine ludorum, ut quo major ederetur plauſus, clavos ac lapides in labrum æreum projicerent, non ſolum ut plauſus arte minimè careret, ſed etiam ut ſtrepitoſior plauſus ederetur. Inde fortaſſe hauſit Claudius Pulcher lapidum ſonitum fieri in plauſu ea ratione, ut veri tonitrui ſimilitudinem referret. Quæ etiam Claudiana tonitrua fuiſſe appellata, Janus Parrhaſius in citato Horatii loco affirmat.

D

Plaudendi vero apud Hebræos uſus, in Regibus inaugurandis antiquior ſanè fuit, quam apud Romanos. Teſtatur hoc illud 4. Reg. cap. 11. & 2. Paral. cap. 23. in quibus de inauguratione Joaſi agitur, per hæc verba: *Feceruntque eum Regem, & plaudentes manu dixerunt: Vivat Rex.* Hebraicè ויכו כף *vaiaccu caph.* Hoc eſt: *Et percuſſerunt manus.* Eſt enim plauſus concuſſio manuum, ut vidimus. Nec ſolum cum Reges inaugurarentur, ſed etiam ad lætitiam, alacritatemque indicandam, plauſu uti conſuevere Hebræi. Hinc enim illud Prophetæ reſpicientis inaugurationem Dei, ut Regis in Pſal. *Omnes gentes plaudite manibus, jubilate Deo in voce exultationis*, inquit, *quoniam Dominus excelſus, terribilis, Rex magnus ſuper omnem terram.* Et Iſa. cap. 55. adnotans Propheta, divino afflatus numine, gaudium, quod erant habituri, à Domino, qui Meſſiæ doctrinam amplecterentur: *In lætitia egrediemini*, inquit, *& in pace deducemini: montes & colles cantabunt coram vobis laudem, & omnia ligna regionis plaudent manu.* Quæ metaphoricè dicta à Propheta, ea ratione accipi debent; ut abſoluta omninoque perfecta lætitia populo his verbis à Propheta prænunciaretur. Nos autem hæc retulimus, ut plaudendi conſuetudinem antiquiſſimam monſtraremus. De qua etiam Corippus lib. 2. dum Juſtini poſterioris ſolemnem ritum in Imperatore creando deſcribit, de plauſu loquitur his verbis:

E

F

A

Intonuit patrum ſubitus fragor inde clientum,
Clamores creſcunt; clamoribus adſonat æther,
Laudibus innumeris regnantum nomina tollunt:
Juſtino vitam tercentum vocibus optant,
Auguſtæ totidem Sophiæ plebs tota reclamat:
Felices annos, dominis felicibus orant.

Quamobrem licet in unius tantum Regis inauguratione, nimirum Joaſi, plauſus in ſacris litteris ſcribatur; nihilominus tam Davidis, quam Saulis, Salomonis, aliorumque quorumcumque Regum inaugurationes, plauſu fuiſſe populos proſequutos, ex more omnium gentium, indubitatum, certumque fore debet. Eaque cum primis de ratione ita affirmare cogimur; quod tubicinum, atque cantorum in illorum inaugurationibus ſacer textus meminerit: quibus inſtrumentis ad perfectam hilaritatem ſignificandam, acclamatio, plauſuſque adjungebantur.

B

CAP. LV.

C

Regi inaugurato buccina, tubis, ac tibiis præcinebatur.

Ad loca 3. Reg. 1. *Et cecinerunt buccina, & dixit omnis populus: Vivat Rex Salomon.* Et infra: *Et aſcendit univerſa multitudo poſt eum, & populus canentium tibiis, & lætantium gaudio magno, & inſonuit terra à clamore eorum.* 4. Reg. 11. *Vidit Regem ſtantem ſuper tribunal juxta morem, & cantores, & tubas prope eum, omnemque populum terræ lætantem, & canentem tubis.* Et ad alia plura loca.

D

CUM Rex, & Princeps, in quacumque Republica Dei perſonam quodammodo ſuſtineat; divinam quoque quamdam præ ſe ferre majeſtatem cogitur. Quamvis igitur cantores, muſicaque ipſa ad divinas concelebrandas laudes cum primis hominibus conceſſa fuerit; ut Triſmegiſtus affirmat in dial. Aſclepius, qui eſt apud Apul. dicens: *Nec immeritò in hominum cœtus, Muſarum chorus eſt à ſumma divinitate demiſſus: ſcilicet ne terrenus mundus videretur incultior, ſi modulorum dulcedine caruiſſet; ſed potius inuſitatis hominum cantilenis concelebraretur, qui ſolus omnia, aut Pater eſt omnium: atque ita cœleſtibus laudibus, nec in terris harmoniæ ſuavitas defuiſſet.* Et Mundus iſte inferior, ſuperiorem cum primis imitetur ordine quodam Reipublicæ hierarchico, in quo Princeps Dei perſonam ſuſtinet, (ſi Paulo fides habenda eſt.) Et is à ſubditis cujuſdam quaſi adorationis cultu colatur. Eapropter inter homines non ſolum in ſacris religionis, & inter ſacrificia ipſa, divinaſque laudes ab antiquis uſque temporibus muſica, cantores, buccinatores, atque alia inſtrumentorum genera libentiſſimè recepta fuere, ut ſacræ litteræ paſſim teſtantur; ſed etiam in cultu Principis muſicam adhibitam legimus.

E

Ad cultum Dei, muſicæ uſum, ſacræ undique confirmant litteræ. Sic enim de his cap. 10. Num. cum de forma, & uſu tubarum eſt ſermo: *Si quando habebitis epulum, & dies feſtos, & calendas, canetis tubis ſuper holocauſtis, & pacificis victimis; ut ſint vobis in recordationem Dei veſtri.* Imò tanto rigore hæc præcipiuntur à Deo, ut ipſius divini Numinis auctoritate fulciantur. Huic enim ſtatuto additur forma illa auctoritativa, *Ego Dominus Deus veſter.* Qua dicendi phraſi, præcepti vis explicatur. Quinetiam ſa-

F

ſacra Idolorum, nequaquam muſica caruiſſe res eſt apertior quàm probatione indigeat. Hinc enim illud Statii Thebaïd. lib. 8. de Eteoclis, Thebanorumque ſacris pro devictis Grajis, qui cum Adraſto ad Polynicis favorem arma ſumpſerant:

At non Sidoniam diverſa in parte per urbem
Nox eadem: vario producunt ſidera ludo,
Ante domos, intraque, ipſæque ad mœnia marcent
Excubiæ, gemina æra ſonant, Idæaque terga,
Et moderata ſonum vario ſpiramine buxus.
Tunc dulces ſuperos, atque omni ex ordine alumnum
Numen, ubique ſacri reſonant Pæanes, ubique
Serta, coronatumque merum . . . . .

Sic etiam Apul. lib. 1. Metamor. ſacra Iſidis magnæ Deæ ſcribens, muſicæ choros minime ibi defuiſſe prodidit dicens: *Symphoniæ dehinc ſuaves, fiſtulæ, tibiæque modulis dulciſſimis perſonabant.* Et paulo infra: *Ibant & dicati magno Serapi tibicines, qui per obliquum calamum ad aurem porrectum dextram familiarem, templi, Deique modulum frequentabant.* Et infra, cantorum meminit, qui ſacris erant initiati dicens: *Hi capillum deraſi funditus: verticem prænitentes, magnæ religionis terrena ſidera æreis, & argenteis, immò vero aureis etiam ſiſtris argutum tinnitum conſtrepentes.*

Cujus ſiſtri icon noviſſime Romæ reperti, in muſeo D. Franciſci Gualdi equitis Sancti Stephani aſſervatur. Nec ſolum ad Dei cultum, ſed etiam coram Principe quaſi divinitatis quodam ſimulacro, conſueviſſe cantores ac tibicines perſtrepere, res eſt notiſſima. Præcentionis hinc vocabulum. Nam quòd Principem anteire ſolerent, præcentores hi dicebantur. Erat autem cantorum, atque tubicinarum, tibiarumque chorus harmonicus præcedens Principem, qui divinæ cujuſdam majeſtatis in Rege quodammodo populos admonebat. Quamobrem etiam apud Romanorum Imperatores uſu venit; ut cum aliquo Princeps progrederetur, tubicines, ac buccinatores præirent. Id affirmat Wolfang. Laz. lib. 9. comment. Reip. Rom. cap. 2. circa finem, & alii plures Romanarum rerum Scriptores, probaturque ex Lipſio lib. 7. decad. 3.

A ſacris oraculis, & Hebræorum ritibus, velut ab antiquioribus, id accepiſſe tam Romanos, quam alios, meritò ſuſpicabimur; apud hos enim ubi de inauguratione Principis ageretur, ut nihil illorum deeſſet, quæ divinitatis aliquod ſpecimen, majeſtatemque quamdam præ ſe ferrent; tubicinarum etiam, atque buccinatorum rumorem, vario genere ſymphoniæ Regi præciniſſe legimus: cum primis dum Rex ipſe jam inauguratus, ſacroque oleo unctus, à populo acclamandus, & plauſu excipiendus monſtraretur, ut inde ad palatium deduceretur. Leguntur hæc lib. 3. Reg. cap. 1. cum Salomon ſub quadam inaugurationis ſpecie ſucceſſor in regnum juſſu patris renunciatus fuit: *Et aſcendit univerſa multitudo poſt eum*, inquit textus, *& populus canentium tibiis, & lætantium gaudio magno, & inſonuit terra à clamore eorum.* Aſcendit igitur Salomon à loco, ubi de mandato patris ſucceſſor declaratus fuerat; Jeroſolymam verſus, mula vectus, & populus illum ſequebatur; ſed cantores præibant. Sic etiam cap. 11. lib. 4. Reg. de cantoribus qui Joaſo Regi tunc adſtabant, cum à populo conſalutandus, acclamanduſque à Jojada proponebatur, ſcribitur: *Vidit*, ſupple Athalia, *populum terræ lætantem, & canentem tubis.* De teſſera verò ſeù ſigno acclamationis, cum inauguratus fuit Salomon, loquens ſacer textus ait: *Vnxit Salomonem*, ſupple Sadoch Sacerdos, *& cecinerunt buccina, & dixit omnis populus. Vivat Rex Salomon.* Strepitus ergo, ac clangor buccinarum,

A tibiarum, atque cantorum in Regis inauguratione aderat. Eumdem inauguratum acclamandum indicabat: populum ad Regem conſalutandum excitabat. Et denique jam ſacro oleo Regem inunctum, jamque conſalutatum ad regiam deducebat.

Huc uſque de præcentione in genere egimus: reliquum eſt, ut ad genera inſtrumentorum, quibus Regi ex ſacris oraculis præcinebatur, deſcendamus. Mihi enim ignotum eſt, quiſnam ex auctoribus aliquando diſcrimen aliquod inter ſtrepitum, clangorem, ac præcentionem harmonicam ſacrorum oraculorum adverterit: trium enim tantummodo inſtru-
B mentorum in allegatis ſacræ Scripturæ locis mentio habetur, quorum uſum in inauguratione fuiſſe certum eſt: tubarum nimirum, tibiarum, ac buccinæ: quæ inſtrumenta his dictionibus שׁוֹפָר *ſchophar* חֲצֹצְרוֹת *chatſotſeroth*, & חֲלִילִים *chalilim* in Hebraico textu nominantur. Nam שׁוֹפָר *ſchophar*, quod communi, & latino vocabulo buccina interpretatur, Græcè κερατίνη dicitur: licet multoties pro κερατίνη in ſacris Græcorum exemplaribus σάλπιγξ legatur. Illam verò vocem Hebraicam חֲצֹצְרוֹת *chatſotſeroth* in plurali poſitam interpretes per Latinam vocem *tuba* inſtrumentum notiſſimum, ut plurimum reddunt: quod propriè Græcè σάλπιγξ dicitur. Aliud deni-
C que inſtrumentum muſicum, quod Hebraicè in numero plurali חֲלִלִים *chhalilim* appellatur; noſter interpres *Tibiam* dixit, Græcè αὐλός.

Interpretes aliqui fuere, qui illa duo inſtrumentorum genera שׁוֹפָר *ſchophar*, & חֲלִילִים *chalilim* confunderent, alterum pro altero accipiendo: nihilominus diverſa hæc inſtrumenta, atque diſtincta extitiſſe in ſacris litteris, ex vocabulorum diverſitate liquido conſtat. Hanc enim diverſitatem apertè expiſcari poſſumus ex cap. 15. lib. 2. Paral. in illis verbis: *Juraverunt Domino voce magna in jubilo, & clangore tubæ, & ſonitu buccinarum.* Hebraicè ſic legitur וּבַחֲצֹצְרוֹת וּבְשׁוֹפָרוֹת quo in loco duo illa vocabu-
D la, ibidem poſita, idem ſignificare nequeunt. Idipſum etiam ex Græcis exemplaribus non obſcurè colligitur: ſic enim legimus ibidem. καὶ ὤμωσαν ἐν τῷ κυρίῳ ἐν φωνῇ μεγάλῃ, καὶ ἐν ἀλαλαγμῷ, καὶ ἐν σάλπιγξι, καὶ ἐν κερατίναις, καὶ εὐφράνθησαν πᾶς ἰούδα περὶ τοῦ ὅρκου. Hoc eſt: *Et juraverunt in Domino voce magna, & in jubilo, & in tubis, & in buccinis*, ſive cornicinis, *& lætati ſunt omnis Juda de juramento.* Non ergo rectè aliqui חֲצֹצְרוֹת ac pariter dictionem שׁוֹפָר per unam, eamdemque latinam vocem *Tuba* interpretantur, ut facit M. Marin. ſed neceſſario per diſtincta vocabula latina reddere, atque pro diverſis inſtrumentis eaſdem dictiones accipere cogimur. Il-
E la enim vocabula non ſynonyma, ſed diverſa ſunt; & ad diverſa inſtrumentorum genera ſignificanda referuntur, & quænam illa ſint, nobis requirenda, ſacer textus ſubindicat.

Tubam igitur, nullumque aliud inſtrumenti genus Hebraicè חֲצֹצְרָה *chatſotſerah* dictam fuiſſe arbitror. Et quidem ea voce nihil aliud præter tubam ſignificari ex cap. 10. Numer. apertiſſimum eſt; in quo Deus Moyſi præcipit, ut ad convocandum populum ex argento tubas conficiat, dicens: *Fac tibi duas tubas argenteas ductiles, quibus convocare poſſis multitudinem quando movenda ſunt caſtra.* Ita ibi. Inſtrumenta autem, quæ tubarum vocabulo à noſtro
F Interprete exprimuntur, חֲצֹצְרוֹת Hebraicè dicuntur; & Græcè σάλπιγγες appellantur: quamobrem ſic legimus Deum ad Moyſem dixiſſe: ποίησον σεαυτῷ δύο σάλπιγγας ἀργυρᾶς, ἐλατὰς ποιήσεις αὐτάς, καὶ ἔσονται σοὶ ἀνακαλεῖν τὴν συναγωγὴν, καὶ ἐξαίρειν τὰς παρεμβολάς. Hoc eſt: *Fac tibi duas tubas argenteas: laminatas facies illas, & erunt tibi ad convocandum Synagogam, & ad educendam caſtrorum metationem.*

Hoc eſt ad educendum populum de caſtris, quoties vel progrediendum fuerit, vel cum hoſte manus ſit conſerenda. Cum igitur inſtrumentum, quod vocabulo Hebraico חֲצֹצְרָה ſignificatur, metallicum eſſet; nullibi vero hebraica exemplaria ærea, aut argentea inſtrumenta per vocem שׁוֹפָר *ſchophar* meminiſſe reperiantur; eapropter duo illa inſtrumenta, de quibus ſermo eſt lib. 2. Paralip. nimirum חֲצֹצְרָה & שׁוֹפָר ab invicem diſtinguere cogimur.

Proinde dicendum eſt etiam, duo illa inſtrumentorum genera, ab eo tertio diſtingui, quod חֲלִילִים *chalilim* Hebraicè appellabatur, tibiaque à noſtro interprete redditur ac nominatur. Et quidem mihi eſt adeo hoc evidens, ut rem aliter interpretari nequeam. Quare apud me eorum expoſitio probatur, qui שׁוֹפָר buccinam interpretantur, חֲצֹצְרָה tubam latinè vertunt, & חֲלִילִים, quod eſt numeri pluralis tibias transferunt; licet ſatis impropriè hoc poſtremum, ut ſtatim declarabo, interpretentur. Hæc verò inſtrumenta illis vocibus Hebraicis nominata, atque per latinas *Buccinam*, *Tubam*, *Tibiamque* explicata, apud Latinos pariter diſtingui probare poſſumus, nec ineptè, ex Apul. lib. 3. florid. ubi de ſuavitate, ac excellentia vocis humanæ agens, illamque per comparationem ad varia inſtrumenta conſiderans ait: *Siquidem vox hominis, & tuba rudiore torvior, & tibiæ queſtu delectabilior, fiſtulæ ſuſurro jucundior, & buccinæ ſignificatu longinquior.* Alii legunt: *Siquidem vox hominis, & tuba rudiore torvior, & lyra concentu variatior, & tibia queſtu delectabilior, & fiſtula ſuſurro jucundior, & buccina ſignificatu longinquior.* Hæc Apulejus, de cujus varia lectione nihil nunc ad nos. Sufficit hæc attuliſſe; quibus planè demonſtratur buccinam à fiſtula, fiſtulam à tibia, & utramque à tuba diſtingui: ut hæc inſtrumentorum genera diverſa fore planè conſtaret.

His omnibus inſtrumentis, atque pluribus aliis in choros, concentuſque ſuaviſſimos diſpoſitis, & una cum inſtrumentis, cantores, ac præcentores juncti, Regi jam inaugurato apud Iſraëlitas præcinebant: eo tamen ſervato eorundem inſtrumentorum ordine, ut ad excitandum populum ad adorationem, precandumque fauſta Regi, buccina tantum caneretur. Hæc ex 2. Reg. 15. hauriuntur; ubi *Abſalon miſit exploratores*, cum renunciandus, & acclamandus Rex foret in univerſas tribus Iſraël, juſſitque præconis voce omnibus indici: *Statim ut audieritis clangorem buccinæ, dicite: regnavit Abſalon in Hebron.* Et 3. Reg. 1. ubi de inauguratione Salomonis agitur; David hac pompa Salomonis declarationem deſignavit: *Tollite vobiſcum ſervos Domini veſtri; & imponite Salomonem filium meum ſuper mulam meam, & ducite eum in Gihon: & ungat eum ibi Sadoch Sacerdos, & Nathan propheta in Regem ſuper Iſraël; & canetis buccina atque dicetis: vivat Rex Salomon.*

Buccinæ uſus in regia adoratione, rationem habet à præconiſando aliquid. Nam quoties aliquid populo prænunciandum erat; ſola buccina canebatur. Quin etiam in ſalutatione, obedientiaque Principi præſtanda, uſus buccinæ aderat. Eapropter cum Deus in Exodo cap. 19. ab Iſraëlitica republica in Principe jam electo, populum alloqui, legeſque obſervandas eidem ore tenus tradere vellet; legitur: *Clangor buccinæ vehementius perſtrepebat, & ſonus buccinæ paulatim creſcebat in majus, & prolixius tendebatur.* Non tubæ, non tibiæ, ſed buccinæ ſono populus congregabatur ad Imperatoris allocutionem.

Obiter autem adnotandum putavi, ab inſtitutione fortaſſe Iſraëliticæ Reipublicæ, (in

A cujus exordio Deus ad montem Sina populum alloquutus eſt;) gentes reliquas accepiſſe ceſpiticium tribunal in caſtris; ex quo Imperator milites ſuos alloqueretur, atque ad arma excitaret. Hinc illud Plutarchi in Pompeio. βήματος δὲ οὐκ ὄντος οὐδὲ τοῦ στρατιωτικοῦ γενέσθαι φθάσαντος ὃ ποιοῦσιν αὐτοὶ τῆς γῆς ἐκτομὰς βαθείας λαμβάνοντες, καὶ κατ᾽ ἀλλήλων συντιθέντες. De quo etiam Ammianus 23. ait: *Ipſe aggeri glebali aſſiſtens, coronaque celſarum circundatus poteſtatum, talia ore ſereno diſſeruit.* Et Plinius in panægyr. Trajano dicto de eadem allocutione ait: *Decora facies Conſulis multa poſt ſecula tribunal viridi ceſpite conſtructum.* Vopiſcus in Probo: *Ab omnibus acclamatum* B *eſt: Probe Auguſte Dii te ſervent: deinde concurſus, & ceſpititium tribunal, appellatuſque Imperator.* Lucanus de Cæſare concionante ait:

. . . . ſtetit aggere fulti
Ceſpitis intrepidus vultu, meruitque timeri
Non metuens . . . .

Et Statius lib. 7. Thebaid. Eteoclis ad ſuos, qui congreſſuri cum hoſte jamjam erant, allocutionem ſcribens ait:

. . . . . . Cum rector ab aggere cœpit:
Magnanimi Reges, quibus parere recuſem
Ductor, & ipſe meas miles defendere Thebas.

C Et alibi:

Hic ſuetus dare jura parens, hoc ceſpite turmas
Adfari . . . . . .

Quas conſuetudines à ſacris oraculis, Iſraëliticæque Reipublicæ ſacra exordia ſuffuratas gentes, ſuſpicor.

Inſtrumentum autem, quod in præcitato loco Exodi; (ut ad rem redeamus) nobis eſt buccina ac tuba, qua neomœnia populo in Pſal. 81. & dies feſtus in menſe ſeptimo Levit. 25. prænunciabantur; ac propterea propriè à Sacerdotibus inflabantur; ut Joſu. 6. & alibi ſæpè in Pſalmis, & apud Iſajam D Prophetam. Ubique in citatis locis, & alibi in Hebraico exemplari eſt dictio שׁוֹפָר *ſchophar*, qua, ut dicebamus, non tuba, ſed buccina ſignificatur; qua ad Regis acclamationem excitato jam populo, gaudium, lætitia & jubilum reliquis inſtrumentis populo indicebatur: ac ſimul etiam per choros populis concinentibus, atque muſicis inſtrumentis perſtrepentibus, feſtum celebrabatur. Eapropter cum inauguratus fuit Salomon, ſcribitur: *Et aſcendit univerſa multitudo poſt eum, & populus canentium tibiis.* Hebraicè מְחַלְּלִים חֲלִלִים hoc eſt: *Fiſtulantes fiſtulis.* Et quando Joas Rex fuit renunciatus 4. Reg. cap. 11. omnem populum tubis exhilaratum legimus, Hebrai- E cè. בַּחֲצֹצְרוֹת *bachatsotseroth.* Ex quibus perſpicuum eſt, omni inſtrumentorum genere regiæ inaugurationi plauſum in Republica Iſraëlitica fuiſſe concelebratum.

His illuſtrantur loca aliqua Pſalmorum, in quibus Deo triumphatori more regio concinendum à militibus ex parta victoria præcipitur. Unus eſt Pſal. 46. in quo Propheta omnes populos invitat ad præcinendum Domino dicens: *Aſcendit Deus in jubilo, & dominus in voce tubæ.* Eſt enim Prophetica metaphora ſumpta à conſuetudine Regum, cum ſe ad regiam recipiebant. Hebraicè ſic יְהוָה בְּקוֹל שׁוֹפָר F hoc eſt: *Domimus in voce buccinæ.* Et Pſal. 97. Dei à Propheta veluti Imperatoris ob partas victoria luades celebrantur, deque militari peritia laudatur his verbis: *Pſallite Domino in cithara, & voce pſalmi, in tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ.* Hebraicè ſic legitur זַמְּרוּ לַיהוָה בְּכִנּוֹר וְקוֹל זִמְרָה בַּחֲצֹצְרוֹת וְקוֹל שׁוֹפָר הָרִיעוּ לִפְנֵי הַמֶּלֶךְ יְהוָה. Hoc eſt: *Pſallite Domino in cithara, & ſono pſalterii, in tubis, & voce buccinæ jubilate coram Rege Domino.* Tubæ igitur

igitur ac buccinæ ſono, Regi cum feſtum celebraretur, ac etiam cum inauguraretur, cantores, ac populi præcinebant, concinebant, atque etiam ſubcinebant, cum ad regiam Rex in ſolio regni ſeſſurus deduceretur. Omnibus enim his inſtrumentis conſociabatur, ut tam Rex, quam populus communi gaudio excitaretur, & ſpecimen quoddam divinæ imaginis in Rege populus contemplaretur, & Rex ipſe à Deo in ſummo totius Reipublicæ faſtigio conſtitutus, tantum beneficium humilitate compenſaret, atque pro captu humanæ infirmitatis, cœleſtis beatitatis quodammodo tam Rex, quam populus participes fierent; ſicque magis magiſque ad cœleſtem gloriam muſicis inſtrumentis, tam Rex, quam populus excitati ſuſpirarent. Utinam nos quoque dum in Eccleſia divinis ſacriſque myſteriis interſumus, canticis ſacris permoti, divinas in laudes erumpentes, & voce ac ſpiritu pſallentes, ad æternam adſpirantes gloriam, in ea quieſcere peroptemus; ut Deum perpetuò laudare poſſimus.

CAP. LVI.

Buccina regiæ præcentionis inſtrumentum explicatur.

Ad loca 3. Reg. 1. *Sumpſitque Sadoch Sacerdos cornu olei de tabernaculo, & unxit Salomonem: & cecinerunt buccina, & dixit omnis populus: Vivat Rex Salomon.* Exo. 19. *Jamque advenerat tertius dies, & mane jam inclaruerat, & ecce cœperunt audiri tonitrua, & micare fulgura, & nubes denſiſſima operire montem, clangorque buccinæ vehementius perſtrepebat.* Et ad alia plura.

REGIÆ præcentionis ſingula nunc inſtrumenta contemplemur, eorundemque diſtinctio, tam ex parte materiæ, quam formæ ac ſoni monſtretur. Non enim præter rem doctioribus videbitur, tantiſper in his immorari, cunctaque ſigillatim cognoſcere, quæ ab aliis illuſtrata minimè fuere. Buccina primo loco ſeſe offert, inſtrumentum recurvum, ſonum edens cum quodam ſtridore. Hujus inſtrumenti materiam antiquioribus temporibus corneam extitiſſe, ſacris ex oraculis jam tenemus, vocabulumque שׁוֹפָר hoc ſubindicat: niſi fortaſſe שׁוֹפָר appellatum hoc inſtrumentum velimus, vel à forma, vel etiam à ſono. Monſtrantur iſta tum auctoritate, tum ratione. Auctoritas ſumatur ex Lipſ. lib. 4. milit. Rom. dialog. 10. qui buccinatorem, buccinamque à vocis ſimilitudine & cantu dictam vult, auctoritate Varronis qui à *bou*, *bou*, buccinam putat. Et κέρατα βόεια cornua bubula, buccinam appellat Dionyſ. lib. 2. *Nam quia ætate Varronis*, inquit doctiſſimus Lipſius, *buccina fiebat ex materia metallica, & tamen cornu dicebatur*, &c. Hujus vocabuli rationem quoque affert dicens: *Cornua dicebant, quod ea, quæ nunc ſunt ex ære, ex cornu bubulino tunc fierent.* Verum, me judice, ex Varrone lib. 4. de ling. lat. ſolum habetur buccinatorem à vocis ſimilitudine & cantu ſic dici, quod interpretor ego à bucca, & cantu, quaſi bucca cantantem Varro buccinatorem dicat; ſicque non ad materiam buccinæ, ſed ad buccinandi formam Varro reſpexerit.

Sed quicquid ſit de Varrone, etymon quoque Hebraicæ vocis, materiam hujus inſtrumenti inſinuare, atque cum Lipſio ſtare videtur. Vocem enim שׁוֹפָר *ſchophar* componi ex שָׁוְא *ſchave* id eſt, *vanum*, ſeu *vacuum*, & פַּר *phar*, id eſt, *taurum*, ſive *bos* conſtat: ut idem ſit שׁוֹפָר *ſchophar*, quod vacuum tau-

A ri, id nimirum quod in tauro eſt vacuum. Quo nomine nil aliud ſignificari, quam cornu bubulum, nomine ipſo, ratione, & experientia manifeſtum eſt. Licet itaque poſtmodum ex ære apud exteros, & metallo fieri buccina cœperit, nihilominus ſacris in oraculis nonniſi ex cornu arietino eam Deus fieri juſſit. Nam Joſue cap. 6. in quo de ruina Jerichuntina eſt ſermo, dicitur: *Septimo autem die Sacerdotes tollent ſeptem buccinas, quarum uſus eſt in jubileo: & præcedant arcam fœderis, ſeptieſque circuibitis Civitatem, & Sacerdotes clangent buccinis.* In Hebraico legimus hæc verba וְשִׁבְעָה כֹהֲנִים יִשְׂאוּ שִׁבְעָה שׁוֹפְרוֹת הַיּוֹבְלִים Hoc eſt: *Septem Sacerdotes aſſument ſeptem tubas arie-*

B *tinas.* Et ſtatim num. 5. in quo de qualitate ſoni harum buccinarum agitur, ad quarum clangorem corruerunt muri Jerichuntini, ſubditur וְהָיָה בִּמְשֹׁךְ בְּקֶרֶן הַיּוֹבֵל Hoc eſt: *Et fuit in protrahendo in cornu arietino.* Hoc eſt, dum protraheretur ſonus. Quibus ſanè ex locis buccinam, cujus uſus erat in ſacris litteris, ex cornu fuiſſe liquido conſtat.

Quamvis autem apud Vulgatum interpretem tuba & buccina confundantur, alteraque pro altera ſæpè ab interprete ponatur, cum hoc diſcrimen nihil ad vim ſacri ſenſus faciat, parumque referat, qua voce interpres utatur; nihilominus in Hebraico buccina, quæ שׁוֹפָר *ſchophar* dicitur, pro arietina ubi-

C que ponitur, materiamque corneam extitiſſe monſtratur, & ad majorem expreſſionem materiæ, inſtrumentum quod ibi num. 4. buccina appellatur, per vocem קֶרֶן *qheren*, id eſt, *cornu* n. 5. exprimitur. Similiter in exemplari Græco legimus, καὶ ἑπτὰ ἱερεῖς λήψονται ἑπτὰ κερατίνας ἰωβήλ. Hoc eſt: *Et ſeptem Sacerdotes accipient ſeptem cornicinas jubilei.* Et infra: καὶ οἱ ἱερεῖς σαλπιοῦσι ταῖς κερατίναις. Id eſt. *Et Sacerdotes buccinabunt cornicinis.* Utimur hac dictione cornicina, pro buccina; ut efficacius rigoroſa Græcæ vocis κερατίνη, & Hebraicæ שׁוֹפָר ſignificatio exprimatur. Velim tamen admonitum Le-

D ctorem, quod quemadmodum in exemplari vulgato, abſque diſcrimine tuba, buccinaque ponuntur, nulla habita diſcriminis ratione inter alteram, atque alteram; ita in Græcis exemplaribus κερατίνη, quæ buccina, ſive cornicina interpretatur, multoties pro tuba ponitur, & σάλπιγξ, quæ tubam ſignificat, ſtat etiam aliquando pro buccina, quæ cornea erat. Joſephus lib. 5. antiq. cap. 1. hæc ipſa expreſſit dicens: καὶ τῇ πρώτῃ τῆς ἑορτῆς ἡμέρᾳ τὴν κιβωτὸν οἱ ἱερεῖς φέροντες περὶ αὐτὴν ἐν κύκλῳ, μέρος τι τῶν ὁπλιτῶν φυλάττον ἦν. οἱ καὶ προσήεσαν ἑπτὰ κέρασιν αὐτῶν σαλπίζοντες.

E Hoc eſt: *Et prima die feſti arcam ſacerdotes ferentes, circum illam*, id eſt, urbem, *erant ſtipati armatorum cuſtodia: & acceſſerunt clangentes ſeptem cornibus.* Idipſum etiam auctoritate noſtri Interpretis oſtenditur Pſalm. 97. in quo divinæ concelebrantur laudes, in voce tubæ corneæ; ſed pro tuba cornea in Hebræo eſt dictio שׁוֹפָר.

Æream fuiſſe buccinam Romanorum Veget. lib. 3. de re milit. cap. 5. apertis verbis aperit, dicens: *Buccina quæ in ſemet aereo circulo flectitur.* Hinc pro-

F fectò à materia inſtrumenti deſumpto vocabulo, qui buccina clangebant, Æneatores appellatos fuiſſe Godeſcalcus ad illum locum Vegetii teſtatur; ut palam fieret, materiam illorum inſtrumentorum, quibus illi canebant, æream fuiſſe. Hinc quoque illud Statii lib. 8. Thebaïd.

Talia apud Grajos, cum jam Mavortia contra
Cornua, jam ſævos fragor æreus excitat enſes.

Lucanus quoque materiam, formamque buccinæ nobis inſinuans ait:

Batavique truces, quos ære recurvo
Stridentes acuere tubæ . . .

Virgilius pariter lib. 7. Æneid. apertiſſimè in hanc materiam buccinæ conſpirans, ſic cornuum meminit:

Æreaque aſſenſu conſpirant cornua rauco.

Ovidius eamdem cornuum materiam æream delineavit dicens:

Non tuba directi, non æris cornua flexi.

Forma buccinæ ex his etiam teſtimoniis non obſcurè colligitur; non quidem in gyrum, ut perfectè peripheriæ figuram retineret, ſed ut à principio paulatim in circulum recurvum declinans, tandem B in latum os deſineret: ita ut tam ſublimitate, quam gyro ſuum proprium initium, unde afflabatur, excederet: propterea que cornu, lituumque dictam fuiſſe buccinam, apud Poëtas Latinos eſt manifeſtum. Hinc illud Statii lib. 7. Thebaïd. congreſſum Thebanorum ſcribentis cum his, qui Polynicis partes cum Adraſto ſequebantur, qui quidem non expectatis belli ſignis cum hoſte conſeruerunt manus. De quo ſic ait:

. . . *Sic ſubitis Thebana, Argivaque pubes*
Conflixere globis, retro vexilla, tubæque
Poſt tergum, & litui bellum invenere ſequuti.


Peripheriæ dixi, non certè perfectæ, ſed incurvæ. De qua ita Cerda in 6. Virg. ad verſ. 165. *Lituus medium inſtrumentum fuit inter tubam, & cornu, non rectum prorſus, ut illa, nec totum incurvum.* Quamvis igitur Scriptores interdum confundant vocabula, liquet tamen eam fuiſſe buccinæ formam, qualem Ovidius effigiavit cum ait:

. . . . *cava buccina ſumitur illi*
Tortilis in latum, quæ turbine creſcit ab imo.

Et revera arietini cornu forma Joſ. 6. etiam figuram buccinæ planè explicat; ſic enim circumagitur figura arietini cornu, ut non in ſphæram, ſed intra ſphæram circumacta compleatur, ac intra ſeipſam D claudatur. Arietinum cornu id oſtendit, ut eapropter figuræ etiam ac formæ de cauſa buccinam alio vocabulo à Latinis appellatam lituum, perſpicuum ſit apud Virgilium in ſexto æneidos, & apud alios, quos infra referemus; & ideo liticinas quoque dictos, qui buccina canebant.

Figuram formamque buccinæ vox ipſa Hebraica pariter inſinuat. Nam radix dictionis שׁוֹפָר eſt שָׁפַר *ſchahar*, quæ rotunditatem cum incurvatione alicujus rei in ſe ipſa ſignificat. Sic enim in ea radice, ſeu voce שָׁפַר dixit Avenarius. *Tuba inſtrumentum incurvum ex ære, argentovè, cornu, quod rotunditate eſt præpilatum ad formam ſpirarum in circulos, & revolutiones non in ſe recurrentes coactum.* Cumque ſi ad idem omnino punctum buccina reflecteretur, ſonum nullum ederet; eapropter figura buccinæ ſupra ſeipſam introrſum vergitur. Hanc buccinæ figuram, quæ ab ore pulſantis initio ſumpto, ſub axillam, & dehinc ad caput, ac ſupra recurrens facto circulo buccinatorem circundat, ex Ovidio accepimus, & ex veteri columna Trajana ab. 6. & tab. 10. num. 57. & 3. & ex aliis pluribus lapidibus, ac antiquis parietinis. Inflexionis enim de cauſa, hoc inſtrumenti genus, lituus quoque, ut vidimus, appellabatur. De quo ita Ciacconius in notis ad Trajani columnam. *Inſtrumenta cava & retorta*, ſupple, illa ſunt, *quæ in ſemetipſa æreo circulo flectuntur, quorum ſonitu aliquid exercitui nunciabatur, acieſque excitabatur. Nam per hujuſmodi cornua, & tubas, indubitatis ſonis agnoſcit exercitus, utrum ſtare, aut progredi, an certè regredi oporteat; utrum longè perſequi fugientes, an receptui canere. Buccinatores enim, & cornicines ornamentum erant*

A *totius legionis in ingreſſu conflictus, & ejus reditu.* Hæc erat ejus forma.



Huic buccinæ formæ conſentiunt etiam, quæ de illa ſcribit Vegetius lib. 3. de re milit. cap. 5. dicens: *Buccina*, ſupple eſt, *quæ in ſemetipſa æreo circulo fle-*
C *ctitur.* Quemadmodum Lucano auctore jam ſupra retulimus: qui eamdem reſpiciens buccinæ formam ait:

Batavique truces, quos ære recurvo
Stridentes acuere tubæ.

De voce ſonoque buccinæ agamus. Quem fuiſſe ſtridulum & quam longe perſtrepentem, non tam Apuleius lib. 3. florid. ubi de humana voce agens, eam buccinæ ſignificatu longinquiorem dixit; quam etiam ex cap. 6. Joſue hoc idem manifeſtum ſit: cum dicitur, quod in extenſione ſonitus buccinæ Jerichuntina mœnia corruerunt; quibus ſanè verbis ſonitum illius longè extendi ſacer textus demonſtrat. Unde Ennius Annal. 8. ait:

Inde locei lituus ſonitus effudit acutos.

Et in eadem ſoni deſcriptione Statius lib. 6. Thebaid. dixit;

Multa gemunt contra raucis conventibus agri,
Et lituis aures circumpulſantur acutis.

Cum enim hoc inſtrumentum eſſet incurvum, ſonum edebat ſtreperum, & acutum: de quo Seneca Oedip.

E . . . . . . *ſonuit reflexo claſſicum cornu,*
Lituus adunco ſtridulos cantus eliſit ære.

Virgilius etiam lib. 6. Æneid. cornuum ad pugnam excitantium dum meminit, ſonum quoque illorum aperit dicens:

Æreaque aſſenſu conſpirant cornua rauco.

Et lib. 8. in principio:

Ut belli ſignum Laurenti Turnus ab arce
Extulit, & rauco ſtrepuerunt cornua cantu.

Horatius quoque lib. 2. Carm. od. 4. dixit: *Litui ſtrepunt.* Locus ex cap. 19. Exo. apprimè per-
F ſtreperum buccinæ, ſeu litui ſonum monſtrat. Nam cum Deus in Synai populo jam per biduum præparato, ut divinarum vocum fieret capax, more Imperatoris exercitum Iſraëliticum adlocuturus accederet; *Jamque advenerat tertius dies*, ait textus, *& mane inclaruerat: & ecce cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes denſiſſima operire montem, clangorque buccinæ vehementius perſtrepebat.* Et infra:

fra : *Et ſonus buccinæ paulatim creſcebat in majus, & prolixius ferebatur.* Vel ut Hebraicè legitur וְקוֹל שׁוֹפָר חָזָק מְאֹד Hoc eſt : *Et vox buccinæ multum fortis.* Perſpicuum eſt igitur clangorem buccinæ, quam longiſſimè perſtrepere ac audiri.

Buccina cujus eſſet materiæ formæque, jam conſtat. Uſus illius aperiendus ſupereſt. De quo ita Pontan. lib. 11. Symbol. ad Æneid. ad verſ. 165. *Tuba pedites, equites vero lituo, ad pugnam advocari ſæpe notatum eſt.* Quæ vera ſint necne, alii me diligentiores viderint. Nec enim in columna Trajani, neque apud Guilel. Choul, ubi agitur de Romanorum caſtrorum metatione, liticines equeſtres nobis exhibentur; ſed ubique pedeſtres eos vidimus, ut Miſſenum, quem in maritima claſſe liticinam dixit Virgilius :

Et lituo pugnas inſignis obibat & haſta.

Nec enim equites, ſed pedites in ea claſſe ad pugnam vocabantur. Sed quicquid ſit de his, litui, ſeù buccinæ apud Romanos uſus, iu bello tantum ex columna Trajani habetur. Itaque ad claſſicum canendum adhibitam buccinam, ſeù lituum ſuſpicari poteſt; quod liticines hac de cauſa ſignis adjungi videamus in ejus columnæ delineatione tabula 6. 9. 37. 51. atque etiam in aliis veterum monumentis.

Verum ut ad ſacra me conferam oracula, ad quorum explicationem laboramus, inſtrumentum, quod שׁוֹפָר ut vidimus, dicebatur, toties ad uſum Iſraëlitis extitiſſe ſcimus, quoties aliquid populo prænunciabatur : ſive ad ſacra, ſive ad alia prænunciatio pertineret. Buccina enim neomeniæ, ſive novilunia prænunciabantur, de qua in Pſal. 81. dicitur : *Buccinate in neomenia tuba*, Hebraice legitur, *clangite in neomeniæ buccina.* Si annus Jubilæi populo indicendus fuiſſet, de quo Levit. 25. buccina ille indicebatur. Claſſicum ubi canendum foret, excitanduſque populus ad arma fuiſſet; eodem inſtrumento id fiebat, ut Joſ. 6. & Judic. 7. Si ad pœnitentiam commovendus eſſet populus, buccina excitabatur. Sic Iſaiæ 58, dixit Deus ad Prophetam : *Clama ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam; & annuncia populo meo ſcelera eorum, & domus Jacob peccata eorum.* Et ubi in noſtro textu eſt dictio tuba vocabulum שׁוֹפָר id eſt, *buccina* in hebraico textu legitur. Quando etiam Rex adorandus, ſive conſalutandus fuiſſet, buccina id ſignificabatur, populoque bene ominandi tempus in acclamationibus buccina prænunciabatur; ut vnà cum aliis muſicalibus inſtrumentis in præcentione regia, buccina quoque perſtreperet.

CAP. LVII.

Tuba, & tibia regiæ præcentionis inſtrumenta monſtrantur.

Ad loca Num. 10. *Fac tibi duas tubas argenteas ductiles, quibus convocare poſſis multitudinem, quando movenda ſunt caſtra.* 3. Reg. 1. *Et aſcendit univerſa multitudo poſt eum, & populus canentium tibiis.* Et infra : *& Joab audita voce tubæ.* Et ad alia.

TUBA quæ חֲצֹצְרָה *chatſotſerah* in ſingulari Hebraice dicitur; licet חֲצֹצְרוֹת *chatſotſeroth* pluraliter in ſacro textu ubique legatur; inſtrumentum metallicum ex ære, argentovè factum, ſive conflatum erat : ut ſupra vidimus, ex cap. 10. Num. ubi tubas, quæ ex Dei mandato à Moyſe paratæ fuere ad populum in concionem vocandum,

A argenteas fuiſſe conſtat. Sic enim legimus : *Locutuſque eſt Dominus ad Moyſem dicens ; fac tibi duas tubas argenteas ductiles, quibus convocare poſſis multitudinem quando movenda ſunt caſtra.* Uſus itaque tubarum à Deo, tum ad profectionem exercitus, tum ad convocandum Senatum his verbis præſcribitur; *Cumque increpueris tubis, congregabitur ad te omnis turba ad oſtium tabernaculi fœderis.* Et infra : *Quando autem congregandus eſt populus, ſimplex tubarum clangor erit, & non conciſe vlulabunt.* Vetuſtiores verò Romani buccina comitia indicere conſueverunt, ſi Propertio fides habenda eſt; niſi poëtica licentia illum buccinam pro tuba poſuiſſe velimus, dum
B ait :

Buccina cogebat priſcos ad verba Quirites.

Quod etiam Dionyſ. lib. 2. affirmat. Juvenalis tubæ materiam, ac formam quoque tradidiſſe tunc nobis videtur, cum ex joco de quodam ait ſe ignorare, tubicen an cornicen dicendus foret:

Quadraginta dedit Gracchus ſeſtertia dotem
Cornicini, ſive hic recto cantaverat ære.


Et quia recti hic æris Poëta meminit, Lipſius vir undequaque eruditiſſimus lib. 4. de milit. Rom. dial. 10. tubam effingit unius tantum canalis, illumque
C rectum. Cui etiam conſentit delineatio columnæ Trajanæ, in qua unà cum buccinis inſtrumenta quoque ærea rectæ formæ ad claſſicum canendum conſpiciuntur. Quæ tubas dici debere certius eſt, quam probari poſſit. Sic enim de ea Vegetius lib. 3. de milit. Rom. cap. 5. *Tuba quæ directa eſt appellatur.* Stant pro hac tubæ forma vetera numiſmata, in quibus fama tubam inflat ad partas victorias, devictoſque hoſtes publicandum, & tuba rectam retinet formam. Nam ad inſinuandam velocitatem famæ, qua in univerſum pervolat, alæ eidem imagini adjunguntur.

Favet huic formæ tubæ Ovidius, jam ſupra à no-
D bis relatus, cum de materia ærea cornuum agens ait :

Non tuba directi, non æris cornua flexi.

Propertius quoque tubam appellavit *rectum æs.* Similem quoque rectamque habuiſſe formam, tubam de qua in ſacris agitur litteris, certiſſimum eſt. At nos, quibus cum ſacris oraculis ſtandum eſt, tubæ formam tentabimus explicare per ea, quæ cap. 10. Num. habentur; Deo ſic Moyſi præcipienti : *Fac tibi duas tubas argenteas ductiles.* Hebraicè ſic legimus עֲשֵׂה לְךָ שְׁתֵּי חֲצֽוֹצְרֹת id eſt, *fac tibi duas tubas.* Deinde materiam, formamque illarum aperiens ſub-
E dit כֶּסֶף מִקְשָׁה hoc eſt, *argenti laminati facies illas.* In quam vero formam laminæ pro tubis ducerentur, intelligere poſſumus ex Joſepho lib. 3. antiquit. cap. 11. dicente. *Reperit*, ſupple Moyſes, *etiam formam buccinæ ex argento factæ : eſt autem talis, longitudinem quidem habet paulo minus cubitalem, craſſitudine autem eſt tibiæ paulo craſſior; cujus os tantum patebat, quantum ad inflandum ſufficeret : deſinebat in extremitate campanulæ ſimilis; quemadmodum tuba, quæ Aſoſra vocatur apud Hebræos.* Ex quibus ſanè Joſephi verbis tubam Hebræorum, ejuſdem fuiſſe omnino formæ cum tuba Romanorum, quam ex lapidibus, & numiſmatibus tradidimus, perſpicuum eſt, nimi-
F rum ut A Pag. 1102.

Verum ut hoc genus inſtrumenti ſonum edere poſſet, neceſſario in eo requiri videbatur, ut aliquam haberet ad os ligulam, quæ ori admota buccinatoris, ſtridorem ederet, et tubæ canali admota, introque illata canali, ſonum moderaretur, ſicque gratior ſonus ab ea redderetur. Quemadmodum nunc in illis inſtrumentis, quæ piphari Italice dicuntur, fieri



fieri ſolet. Stridor enim ille ad imum canalem delatus ea ligula in metallico inſtrumento dulceſcit, atque gratior redditur; alias nullum, ut puto, ſonum edidiſſet.

Quæ diximus de ligula ad os tubæ admota, intraque tubicinis os recepta, ad tubæ ſtridorem ſuaviorem edendum, tubæque cantum formandum, nobis viam aperiunt, ut intelligamus, cur tuba oſſea dicta fuerit apud Proper. lib. 4. eleg. 3. cum ait:

Et ſtruxit querulas rauca per oſſa tubas.

Per oſſa, id eſt, *in oſſibus ſimul junctis, atque conglutinatis ad tubam formandam*, dixit Paſſaratius. Verum fallitur, tum quia inter tubam ac tibiam non diſtinguit, tum quia antiquitus fieri ſolitas tubas ex oſſibus putat: quod ex Plutarcho hauſit, qui ex oſſibus Cervorum & Aſinorum, ſolitas fieri tibias ait: quæ quidem oſſa licet ad uſum tibiæ valuiſſent, ut hodie ad fiſtularum uſum accommodatiſſima ſunt; tamen ad tubam non erant accommodata. Poëta igitur tubam dixit oſſeam, propter oſſeam ligulam, quam diximus tubæ admotam ad ſonum edendum. Ligulæ circa medium partes conſtringuntur ac colligantur, & à tubicine ad ſonum edendum ſic adſtrictæ intra os recipiuntur.

Quemnam ſonum tuba ſub ea forma recta, ſine ea quam commenti ſumus ligula ederet; ſatis perobſcurum videtur. Non enim cantus, non harmoniam, ſed vlulatum ea inſtrumenti forma edi poſſe arbitror; qualem nimirum tabellarii apud Italos ſuo illo æreo inſtrumento unius canalis, quoties nocturno tempore curſitantes iter faciunt, edere conſueverunt. Eo namque inſtrumento longe inflato vigiles civitatum excitati, equos ſtatim parare tabellariis ad ulterius progrediendum, & urbium portas aperire eo ſono, ſeù potius vlulatu admonentur; niſi extra urbes equi parati jam habeantur, ne tabellarii tantiſper immorari cogantur: quem quidem ſonum, immo potius ſtrepitum auribus potius injucundum, quàm gratum eſſe conſtat. Quamobrem hac ſaltem de cauſa alieniſſimum quoque extitiſſe à majeſtate regia, & à ſacris, inſtrumenti hoc genus, nobis ſit certum.

Obliquam ſacræ tubæ fuiſſe formam, vel aliquo modo in gyrum converſam, ſuſpicari poſſet à ratione muſicali, quæ in his inſtrumentis habetur; mul-
C tiplicatis namque canalibus ſonum reddidiſſet. Etenim per rectos, obliquoſque canales tubicinis vocem, ſive flatum deductum, gratum, ſuavemque ſonum, ſive potius cantum aliquem edere poſſe experimur, qualem paſſim in tubis cernimus, quorum uſus his noſtris temporibus, tam in choris muſicalibus, quam etiam apud Principes, & Urbes Italas imperatorio jure inſignes, tum in pace, tum in bello habetur, ad Principis majeſtatem repræſentandam, ad claſſicum canendum, militeſque ad pugnam excitandos. Quam enim aſperitatem habet vox ipſa unico deducta canali, per directos, repetitoſque eoſdem, & in ſe ipſos etiam converſos, vel ad principium tubæ reflexos, vox moderatur, grati-
D orque redditur; in ea nimirum tubæ forma, qua cantores ad muſicos concentus utuntur, cujus priores canales duplicati nunc extenduntur, nunc ad os retrahuntur, ut vox gravetur, vel acuatur, juxta extenſionem, vel retractionem canalium. Hanc tubam veteribus quoque notam ſcimus ex concentu muſicali: in ea enim tuba ſonus gravatur, vel acuitur, ſi canalis mobilis, qui alios intra ſe claudit, ab ore elongetur, vel ori approximetur, more tubarum ductilium. Hac enim ratione toni muſicales explicantur, & vox ipſa gravatur, vel acuitur ad libitum muſici tubicinis; unaque pars tubæ ad aurem aliquando ducitur, ut aurem tegat ad ſonum gravio-
E rem reddendum. Antiquitus apud Ægyptios tubas has extitiſſe notas, ſaltem auctoritate Apuleji probatur, qui hanc tubam lib. 11. Metam. in ſacris magnæ Iſidis nobis effigiavit dicens: *Ibant & tibicines dicati magno Serapi: tibicines qui per obliquum calamum ad aurem porrectum dextera; familiarem templi, Deique modulum frequentabant.* Duo ſunt hic notanda in verbis Apuleji: alterum ſpectat ad formam, magnitudinemque tubæ, quam expreſſit in illis verbis: *Obliquum calamum ad aurem porrectum.* Alterum reſpicit muſicalem harmoniam, ad quam illius tubæ uſus erat, quem Apulejus in illis verbis ex-
F preſſit: *Dextera familiarem templi, Deique modulum frequentabant.* Itaque dextera extendente, vel retrahente tubæ canales, muſicales ſoni ab ea edebantur, in eaque extenſione, & retractione, tibicines modulabantur. Hujus tubæ formam icone B hujus paginæ utcunque reddimus.

Nec obiter aut inconſideratè prætereas velim, amice

amice Lector, familiarem ab Apulejo templis, Diiſque dici hujus tubæ modulum. Nam tuba, ſive ejus, quam deſcripſit Apulejus, ſive alterius formæ fuerit; non ſolum Ægyptiis, ut vidimus ex Apulejo, ſed etiam Romanis ipſis erat inſtrumentum ad uſum ſacrorum. Quamobrem etiam Calphurnius in eclog. relatus à Lipſio loco citato ait:

Inter ſacra tubas, non inter bella, ſonare.

Et Suidas σάλπιγξ, inquit, ἱερατικὸν τοῦτο ὄργανον, ἱερεῖς γὰρ ἐχρῶντο τῇ σάλπιγγι. Id eſt: *Tuba ſacrum hoc inſtrumentum eſt: Sacerdotes enim utebantur tuba.* Quod Suidam dixiſſe conſtat, ut rationem afferret, cur tuba ſacra diceretur.

Inter tubas, eas quoque ſacras fuiſſe conſtat, quarum uſus erat in Iſraël: ubi ex lege Num. 10. ſolis Sacerdotibus tubis clangere concedebatur. Sic enim ibi dicitur: *Filii Aaron Sacerdotes clangent tubis; eritque hoc legitimum ſempiternum in generationibus veſtris.* Qua phraſi dicendi ſignificatur, nemini licuiſſe ex non ſacerdotibus, tubis canere. Sacerdotes his utebantur in Calendis menſium, ſive neomeniis, in motione caſtrorum, in convocando Senatu, ſimiliter etiam cum in bello, ac pugna manus cum hoſte conſerenda foret, aut receptui canendum: & in aliis quoque occaſionibus, de quibus Num. 10. ſatis prolixè à Moyſe ſcribitur. Tubis quoque ececiniſſe Iſraëlitas, cum Rex ſacro jam oleo unctus, & à populo conſalutatus, eidem populo venerandus, atque acclamandus monſtrabatur, ex cap. 11. lib. 4. Reg. in quo de Joaſi inauguratione agitur, manifeſtum eſt.

Erat denique aliud genus inſtrumenti, quo ab Iſraëlitis canebatur, cum Reges Hebræorum inaugurarentur. Hoc חֲלִילִים *chalilim* in numero plurali appellatur: nec frequenter ſacris in oraculis, hoc inſtrumentum in ſingulari legitur. Pluribus autem foraminibus perforatum extitiſſe, à vocabulo Hebraico hauritur. Hoc enim ſignificat verbum חָלַל *chalal* à quo dictio חֲלִילִים derivatur, quam aliqui tibiam interpretantur, tibiæ quidem vocabulo illud intelligentes inſtrumentum, quod proprie fiſtula, tam apud Plinium, quam apud graviores Scriptores appellatur. Eam ſic præclarè deſcripſit S. Paul. Nolan. in nat. 9. quem ad honorem S. Felicis cecinit; ubi de adventu Nicetæ cujuſdam Epiſcopi, deque modulationibus ait:

. . . . vel qui perflantia textis
Labra terit calamis, licet unum carmen ab uno
Ore ferat, non una tonat, varioſque magiſtra
Temperat arte ſonos, arguta foramina flatu,
Mobilibuſque regit digitis, clauditque, aperitque,
Ut rapida vice dulceſcat, redeatque cavernis.

Cujus quidem inſtrumenti uſum frequentiſſimum extitiſſe in ſacrificiis veterum Romanorum, veteres lapides ubique ſubindicant; nullibi enim in his ſacrificium expreſſum conſpicitur, in quo aliquis duplicem tibiam inflans, non conſpiciatur. Is eſt ſenſus Statii lib. 8. Thebaïd. Sacrificium Thebanorum ob partam victoriam deſcribentis, ac dicentis:

. . . gemina æra ſonant, Idæaque terga,
Et moderata ſonum vario ſpiramine buxus,
Tunc dulces ſuperos, atque omne ex ordine alumnum
Numen, ubique ſacri reſonant Pæanes . . .

Hujus tibiæ ſonum fuiſſe gratiſſimum auribus, atque ſuaviſſimum, ex Antipatro in florileg. epigram. lib. 1. cap. 11. num. 3. ſubodoratur: qui etiam de ea ſic ait.

λωτοὶ δὲ κλάζοντες ἴσον φόρμιγγι μελίχρον.

A Id eſt:

Loti autem reſonantes, æquale ipſi Citharæ dulce.

Tibiam autem loti nomine hic ſignificari ſuſpicamur: quia ex loto apud Græcos, ſive à ſuavitate ſoni vocabulum ſortiebatur: quamobrem alio nomine fiſtula, à Latinis dicebatur; à Græco αὐλή. Hæc omnia manifeſta fiunt ex illo Philippi lib. 1. florileg. epigr. n. 1. in illo:

ἵμερον αὐλήσαντι πολυτρήτων διὰ λωτῶν.

Hoc eſt:

Suaviter tibia canenti per foraminatas lotos.

B Tibiæ denique vocabulo illud inſtrumentum ſi accipiatur, quod vernacula lingua apud nos *piſaro* dicitur, hiſpanice verò *meneſtril*, & phrygia fortaſſe tibia apud Græcos fuit; verius, ut reor, Hebraici vocabuli vis attingeretur. Nam חֲלִילִים *chalilim* Hebraicè inſtrumentum hoc, à pluralitate foraminum appellatum conſtat; quia præter foramina ſeptena, quæ digitis ad vocem elevandam, gravandam, aut acuendam aperiuntur vel clauduntur, medium illius ſingulari quodam cortice, vel ligneo, vel ex aliqua materia, minutiſſimis foraminibus perforato circundatur, ut vox gravior, ex foramine quodam majori ſub illo cortice clauſo reſonet, dum tactu cujuſdam
C ligulæ metallicæ extendentis ſe uſque ad manus illius, qui tibia canit, aperiatur, & quo manus pulſantis pertingere nequit, ligula accedat, ac recedat, aperiat vel claudat foramen, & vox gravetur, vel elevetur, ut videre licet in figura C Pag. 1102.

Uſus horum inſtrumentorum adhuc perdurat, & ex ligno tantum illud conſpexi: ſed jam olim ex auro, aurichalco, cervorum, aſinorumque cruribus parabatur, ut legitur apud Philoſtratum lib. 5. de vita Apollonii Thianei, ubi Apollonius quærit à tibicine, an à materia ex qua tibia compacta eſt, ſonum habeat, dicens: *An igitur præterea cani efficit hæc tibia, quod ex auro, aurichalcove, aut cervo-*
D *rum, aut aſinorum cruribus compacta ſit?* Quibus plane verbis auctor ſubindicat, qua ex materia tunc tibia pararetur. Cumque per choros tibiis cani, quemadmodum etiam tubis, conſuetudo tunc obtineret; idcirco quoties ſacra Scriptura horum inſtrumentorum meminit; toties de illis non quidem in ſingulari, ſed in plurali numero loquitur. Tubis igitur, buccinis, ac tibiis, ut puto, apud Iſraëlitas Regi jam inaugurato, cum à populo fuiſſet acclamandus, & ab inaugurationis loco ad palatium educendus, præcinebatur. Hæc præcentio oraculo 3. Reg. confirmatur & comprobatur, ubi de prima Salomonis inauguratione agitur. Poſtquam enim
E ſacer textus adorationis ad ſonum buccinæ meminiſſet; de præcentione, quæ tunc perſonabat, cum Rex ad thronum deducebatur, his loquitur verbis: *Et aſcendit univerſa multitudo poſt eum, & populus canentium tibiis, & lætantium gaudio magno: & inſonuit terra à clamore eorum.*

CAP. LVIII.

F Rex inauguratus fœdus cum Deo, & populo percutiebat.

Ad loca 1. Reg. *Et perrexit omnis populus in Galgala, & fecerunt ibi Regem Saul, & immolaverunt ibi victimas pacificas coram Domino. Et lætatus eſt ibi Saul.* 2. Reg. 5. *Venerunt quoque ſeniores Iſraël ad Regem in Hebron, & percuſſit cum eis Rex David fœdus in Hebron coram Domino.* Et ad alia plura.

FOEDERA inaugurationis nobis nunc conſideranda veniunt: quæ an ſancirentur cum Rege, antequam is ſacro inaugurationis oleo, ex Iſraëliticæ Reipublicæ inſtitutis, an poſt inaugurationem, cognoſcere eſt admodum difficile. Fœderum tempus alii videant: Rex enim fauſtis acclamationibus à populo proſequutus, non ſtatim ad regiam, in qua regni poſſeſſionem accipiebat, deducebatur; ſed fœderalibus ſacrificiis prius operam dabat. Cogimur itaque fœderum ritus, fœderum formam, fœderum verba, fœderum robur ac vim, nunc per aliqua capita conſiderare: quos quidem ritus nequaquam ab his, qui in quibuſcumque aliis publicis fœderibus ſervabantur, extitiſſe diverſos, certiſſimum arbitror. Verum in auſpicando novum principatum, fœdera interpoſita fuiſſe, vix probatione indiget. Adſumit enim ſibi Princeps regni, legum, æquitatiſque tutelam: futurum ſe patriæ, religioniſque cuſtodem, & vindicem ſpondet: populus contra legum obſervantiam, & fidem principi promittit, tum deinde ſumptus, atque expenſas non ſolum ad regiam majeſtatem conſervandam, ſed etiam ad illam honeſtè, & utiliter adminiſtrandam, & quæ ad communes uſus, & dignitatem pertinent, ſe ſuppeditaturum promittit. Quæ omnia ſine juramento, ac fœderibus firma fore nequeunt.

Ethnicos quoque Principes, fœderum leges ac pacta, cum inaugurabantur, interponere conſueviſſe conſtat. Cambyſes enim apud Xenoph. lib. 8. de pædia Cyri, mutuam amicitiam inter Cyrum filium ſuum, Perſaſque ſub ejus regimine, ac ſceptro, ut firmaret, inconcuſſamque ſtabiliret, ne Cyrus in Perſas avare imperaret, neve Perſæ à Cyro alienarentur; in ipſo ſtatim Principatus exordio fœderibus ſacris id ſtabiliendum cenſuit. De quo ita Xenophon. *ὡς οὖν μὴ ταῦτα γίγνηται, ἀλλὰ τ'ἀγαθὰ, ἐμοὶ δοκεῖ, ἔφη, θύσαντας ὑμᾶς κοινῇ, καὶ θεοὺς ἐπιμαρτυραμένους συνθέσθαι.* Hæc dixit Cambyſes, ut à ſacris fœderibus Cyrus ejus filius imperium auſpicaretur.

Hanc autem Principis in initio Principatus paciſcendi cum populo conſuetudinem, jam tum & deinceps ubique à Perſis retentam fuiſſe teſtatur Xenoph. ibidem dicens: *ταῦτα εἰπόντος καμβύσου, συνέδοξε Κύρῳ τε, καὶ τοῖς Περσῶν τέλεσι. καὶ συνθέμενοι ταῦτα τότε, καὶ θεοὺς ἐπιμαρτυράμενοι, οὕτω καὶ νῦν ἔτι διαμένουσι ποιοῦντες πρὸς ἀλλήλους Πέρσαι τε καὶ ὁ βασιλεύς.* Ubi notandum venit illud, quod auctor ſubintulit: *οὕτω καὶ νῦν ἔτι διαμένουσι ποιοῦντες.* Quibus teſtatur, quod quemadmodum tunc Cambyſes in Cyri inauguratione conſtituit, ita ſua quoque ætate ſervabatur, & ſervandum perpetuo decreverunt Perſæ. Sic enim illa Xenophontis verba interpretantur: *Hæc cum dixiſſet Cambyſes, communiter adprobarunt Cyrus, & magiſtratus Perſarum. Atque hæc ut tum pepigerunt, atque Deos atteſtati ſunt, ita etiam hac tempeſtate facere invicem & Perſæ & Rex perſeverant.* Quamobrem Xenophon Cyrum minorem merito quidem lib. 1. de Cyr. min. exped. laudat, quod à fœderibus frangendis plurimum abhorreret. *Poſtea vero*, inquit, *quàm Lydia ei à Patre, magna Phrygia, & Cappadocia, & omnium, qui in Caſtoli campos conveniunt, Imperium decretum eſt; primum facile omnibus declaravit, ſe nihil fœderum, pactorum, ac promiſſorum omnium religione antiquius habere.*

Sed divinæ benignitatis magnitudo erga homines, quam maximè miranda, ac veneranda, ſacris in litteris ſeſe offert. Is enim cum à populo Iſraëlitico Imperator Iſraëlitici exercitus, inſtitutorque Reipublicæ electus aliquando fuiſſet: non ſolum ea, quæ pacis ac belli ſunt, & quæ ad Rempublicam rectè inſtituendam pertinent, curare ſtuduit; ſed etiam more aliorum Principum, Principatus initia fœderibus firmare, ac ſtabilire voluit. De hoc in Exo. cap.
A 29. hæc leguntur: *Si audieritis vocem meam*, inquit Deus, *& cuſtodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis, (mea eſt enim omnis terra) & vos eritis mihi in regnum ſacerdotale, & gens ſancta.* Quapropter ſtatuta omnia, quæ illi populo Deus tradidit, legem fœderis appellari voluit; quia nihil fuit in ea, quod fœderibus à Deo firmatum non fuiſſet, quibus ſe ipſum non ſolum ad rectam inſtitutionem Reipublicæ, regimenque illius ſe obligabat; ſed etiam ad immittendū populum in regiones Chananæorum, reliquarumque gentium, quæ in libro Exodi recenſentur, ex pacto teneri voluit. Et
B populum ad obſervantiam legum, quas Deus ferre ad regimen illius Reipublicæ intendebat, fœderum vinculis vincire curavit; reſpondentibus illis: *Cuncta quæ loquutus eſt Dominus faciemus.* Ut mutuis fœderibus Principi obedientiam ſe debere Iſraëlitæ profiterentur: & Deus ipſe ad ſervandum ea, quæ populo promiſerat, teneretur.

De his fœderibus cap. 24. Exo. agitur: ubi poſtquam Deus per plura capitula leges obſervandas proprio ore Iſraëlitis tradidiſſet, & ſeſe ad introducendum illum populum in regiones exteras obligaſſet, ſic legitur: *Scripſit autem Moyſes ſermones Domini; & mane conſurgens ædificavit altare ad radices*
C *montis, & duodecim titulos per duodecim tribus Iſraël; miſitque Juvenes de filiis Iſraël, & obtulerunt holocauſta, immolaveruntque victimas pacificas Domino vitulos.* Non eſt prætereundum, propterea hic dici immolatas victimas pacificas, quia hæc victimarum genera regiæ inaugurationi, & fœderibus propriè debebantur. Deinde ſubintulit textus: *Aſſumenſque volumen fœderis legit audiente populo: qui dixerunt, omnia quæ locutus eſt Dominus, faciemus, & erimus obedientes. Ille*, ſupple Moyſes, *ſumptum ſanguinem reſperſit in populum, & ait: Hic eſt ſanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiſcum ſuper cunctis ſermonibus his.*
D Id eſt, hic eſt ſanguis, quo fœdera de omnibus, quæ Deus nobis promiſit, & vice verſa vos illi promiſiſtis, firmantur. Cujus victimarum immolationis, fœderumque ſtabiliendorum rituum, ab eo uſque tempore, ac multo ante, inter homines conſuetudinem extitiſſe planè conſtat.

Eamdem feriendorum fœderum conſuetudinem ſervatam poſtmodum, cum Hebræorum Reges inaugurarentur, ac Principatum auſpicarentur, certum eſt: & ſacras victimas, ſacros ſanguines, ſacraque libamina ad firmandum fœdera inter Regem, & populum interpoſita fuiſſe, monumenta ſacra teſtantur. Ut verò à primordiis regiæ inſtitutionis in Republica Iſraëlitica, feriendorum fœderum ritus ſumatur exordium 1. Reg. cap. 11. cùm Saul ſecundo in
E Galgala, præclara cum ſolemnitate, in totius regni conventu Rex fuiſſet renunciatus, atque ſacro inauguratus oleo, de fœderibus ea occaſione firmatis ſic ſcribitur: *Et perrexit omnis populus in Galgala; & fecerunt ibi Regem Saul coram Domino in Galgala, & immolaverunt ibi victimas pacificas coram Domino, & lætatus eſt ibi Saul, & cuncti viri Iſraël nimis.* Ecce hic in Rege inaugurando victimæ ſacræ adſunt. En hic ſacer ſanguis, ſanguis, inquam, fœderum de cauſa fuſus; quod ratio pacificatarum hoſtiarum, ut infra declarabitur, nobis oſtendit.

Quæ verò inter Regis electionem, ſeu inſtitutionem, ejuſdemque inaugurationem diſtinctio intercedat, non
F eſt lectori prætereundum, ad intelligentiam plurimorum locorum ſacræ Scripturæ. Declarationem enim alicujus in Regem, ſive ejus electionem inaugurationem præceſſiſſe, tum ratione, tum ex ſacris manifeſtum eſt litteris. Sed quia electio, ſive declaratio alicujus perſonæ in Regem, nullam eidem poſſeſſionem regni dabat, nullis etiam ſtabiliebatur fœderibus. At verò inauguratio, à qua Reipublicæ regimen

men auſpicabatur, & per quam electo jam Principi jus & poſſeſſio regni concedebatur, fœderibus ſtabiliebatur. His illuſtrantur ſacrarum Scripturarum loca plurima; & explicatur, cur neque in electione Saulis 1. Reg. 10 neque in declaratione Salomonis, qui Davidi in regnum Iſraëliticum ſucceſſurus erat, fœdera interpoſita fuiſſe legantur; ſed tunc pacificas tantum victimas immolatas legimus, quando hi ipſi Reges inaugurati fuerunt.

Quòd autem victimæ pacificæ, quæ immolatæ leguntur, fœderum tantum firmandorum de cauſa oblatæ in Saulis inauguratione fuerint, à ſacris ritibus certiſſimum pro illis ſumatur argumentum. Nam quodcumque genus victimarum, quod ad holocauſtum, aut ad ſacrificium pro peccato ex divinis inſtitutis, non pertineret, victimarum pacificarum nomine in ſacris litteris veniebat, ut ex lib. Levitici perſpicuum eſt; ſive fœderum de cauſa, ſive alio quocumque fuiſſent oblatæ titulo. Quamobrem victimæ quoque fœderales, pacificæ dicebantur. Id liquido, me judice, locus confirmat, quem ſupra ex cap. 24. Exod. retulimus, ubi de fœdere populi cum Deo ſancito agitur. Quo in loco victimæ pro fœdere ſtabiliendo pacificæ appellantur.

Apertius adhuc lib. 2. Reg. cap. 5. inaugurationis fœdera habentur: quando nimirum extincto jam Saule, David ſuper omnes duodecim tribus Rex fuit renunciatus. De quo foedere hæc ſcribuntur: *Venerunt quoque & ſeniores Iſraël ad Regem in Hebron, & percuſſit cum eis Rex David fœdus in Hebron coram Domino; unxeruntque David in Regem ſuper Iſraël.* Percutere verò fœdus coram Domino, nil aliud ſonat, quam hoſtias victimasque Deo immolare, &, ut moris erat in paciſcendo, teſtem pacti Deum vocare. Quod etiam ipſa phraſis Hebræa apertius indicat dicens וַיִּכְרֹת לָהֶם הַמֶּלֶךְ דָּוִד בְּרִית בְּחֶבְרוֹן Id eſt: *Et percuſſit ipſis*, id eſt, Iſraëlitis, vel cum Iſraëlitis, *Rex David fœdus in Hebron.* Si ergo David percuſſit fœdus, certè aliquid percuſſit. Quamobrem ſi victimæ à pactis auferantur, nihil remanebit percuſſum in illo fœdere. Victimæ igitur in medium percutiantur, & fœdus erit. Et lib. 4. Reg. cap. 11. lib. 2. par. cap. 23. in quibus locis de inauguratione Joaſi agitur, Jojadam Sacerdotem percuſſiſſe fœdus inter Deum, & Regem, ac populum ſcribitur. Quæ pariter fœdera per verbum וַיִּכְרֹת *vaiichroth* explicantur. Cujus vocabuli ſignificatus nequit verificari, niſi detur aliquod animal, quod in fœdere ineundo ac ſtabiliendo percuteretur; ac propterea ſine ſacrificiis, ſine ſanguine, ſacriſque libaminibus, quibus fœdera ſtabilirentur, regnique ſceptrum in manu jam electi Principis inconcuſſe firmaretur, nequaquam Regum inaugurationes in Republica Iſraëlitica celebrabantur.

Sed obſervare cum primis oportet, in regibus inaugurandis duplex tantum fœdus ſanciri conſueviſſe; non triplex, ut videtur voluiſſe Sanctius 4. Reg. cap. 11. in commentario ad verſ. 17. Alterum inter Regem, & Deum; quo Rex unà cum populo ad obſervantiam legum, quæ de religione à Deo latæ fuerant, & cæremoniarum Leviticarum obligabatur. Alterum inter populum, ac Regem, quo is ad curam Reipublicæ, & populus ad parendum Regi adſtringebatur. Duplex hoc fœdus ex ſacris litteris cap. 11. lib. 4. Reg. habetur, cum dicitur: *Pepigit ergo Jojada fœdus inter Deum, & Regem, & inter populum; ut eſſet populus Domini.* En primum fœdus. *Et inter populum, & Regem*, ſubditur de poſteriori fœdere. Quia enim tunc temporis, nimirum quando inauguratus fuit Joas, ſpecimen omne ſanctæ religionis ab Athalia ſublatum fuerat, Idololatria introducta; ſacraque omnia prophanata: propterea inter Deum ex una, Regemque & populum ex altera

A parte, ſacrum foedus percuſſum fuiſſe ſcribitur, quo Rex, & populus ſe futuros Deo morigeros, legisque ſanctæ obſervatores pollicebantur; & Rex ipſe de reſtauranda religione, de divino cultu in Republica pro viribus procurando, deque Idololatria cum primis à regno exturbanda paciſcebatur. Quod foedus, quando Joas fuit inauguratus, illico executioni Judæi mandare curarunt, templo Bahali ſacro demolito, Sacerdotibusque Bahal ad necem datis.

Duplex iſtud foedus Joſephus etiam præclarè aperuit lib. 9. antiq. cap. 7. dicens: *Ut vero coepta contra Gotholiam hoc pacto ſucceſſerunt, convocans Joa-*
B *dus populum, & milites in templum, ſacramento adegit; benevolos fore Regi, & procuraturos illius ſalutem, & augendo principatui daturos operam: deinde ipſum Regem, honorare Deum, & non tranſgredi leges Moyſis, dare fidem compulit.* Itaque uno eodemque ſacro, ſive diverſis, ratio foederis circa legis Moſaycæ obſervantiam, atque etiam populi circa Regem ſtudium comprehendebantur.

Hæc vero prioris fœderis ratio inter Deum & Regem, non tantum quando Joas fuit inauguratus, firmata ſtabilitaque fuit; ſed quoties Rex
C eſſet inaugurandus, toties ex inſtitutione regiæ inaugurationis, ab ipſo uſque tempore Samuelis innovatum arbitror. Id haurio ex lib. 1. Reg. cap. 8. in quo ſanctus Dei Propheta Samuel populum his verbis alloquitur: *Ecce dedit vobis Dominus Regem: ſi timueritis Dominum, & ſervieritis ei, & audieritis vocem ejus, & non exaſperaveritis os Domini, eritis, & vos, & Rex, qui imperat vobis, ſequentes Dominum Deum veſtrum: ſi autem non audieritis vocem Domini, ſed exaſperaveritis &c. vos, & Rex veſter peribitis.* Ut enim Rex ipſe ad legum divinarum obſervantiam vinciretur; hac de cauſa Hebræos legem Moyſis in ejus manus, qui Rex renunciabatur, tradere conſueviſſe arbitror, ut diximus, cum vis verbi *Teſtimonium* à nobis retro examinaretur.

D Sed quia, ut retro dicebamus, & Myrothecio præcedenti comprobavimus, Rex abſolutam & planam juriſdictionem in Republica Iſraëlitica habebat, ac propterea ad obſervantiam earum legum, quas Deus ad inſtitutionem Iſraëliticæ Reipublicæ tradiderat, non teneri videbatur; quærendum ſupereſt, ad quas leges, fœdere quo diximus, Rex obligaretur. Et quidem ad ſolas cæremoniales ex fœdere dicto ligatum extitiſſe arbitror, ad eas nimirum, quæ ad ſacros ritus, & religionem pertinebant, quæ propterea ſecunda lex à Septuaginta interpretibus dicebatur. Prius enim Deus leges politicas populo, deinde ſacrificiorum leges tradidit: & de his legibus
E intelligendum exiſtimo Dei decretum, quod habetur Deuter. 17. ſub his verbis de Rege: *Poſtquam ſederit in ſolio regni ſui, deſcribet ſibi Deuteronomium legis hujus, accipiens exemplar à Sacerdotibus Leviticæ tribus; & habebit ſecum, legetque illud omnibus diebus vitæ ſuæ: ut diſcat timere Dominum Deum ſuum, & cuſtodire verba & cæremonias ejus.* Ubi tum quia à Sacerdotibus exemplar voluminis accipere Rex juberetur; tum quia ad nihil aliud hoc decreto Rex ligatur, niſi ad cuſtodiendum ſtatuta divinarum cæremoniarum; propterea Regem liberum, abſolutumque dominum in politicis, non autem in cæremonialibus habuiſſe, ex pluribus ſacræ Scripturæ locis
F colligi poſſe ſuſpicamur; ut Myrothecio præcedenti probavimus. Atque propterea de his tantum cæremonialibus ſtatutis ſervandis in populo, fœdus inter Deum, & Regem iniri conſueviſſe putamus.

Firmabatur aliud quoque fœdus inter Regem, & populum, ut loco jam relato ex lib. 4. Reg. cap. 11. ſcribitur. In quo Rex ſe juſtitiam, æquitatemque

que ſervaturum in regimine Reipublicæ, illamque defenſurum ſe ab hoſtibus uſque ad ſanguinem pollicebatur: & vice verſa populus Regi obedientiam ſpondebat. Hujus poſterioris fœderis ratio colligitur ex ipſa inſtitutione regiæ inaugurationis 1. Reg. cap. 8. cum Samuel populo jus Regis propoſuit, populuſque aſſentiendo regiis juribus, *Rex erit ſuper nos*, inquit, *& erimus nos quoque ſicut omnes gentes, & judicabit nos Rex noſter; & egredietur ante nos, & pugnabit bella noſtra pro nobis.* Illis etenim verbis, *Erimus nos quoque ſicut omnes gentes*, Planè Iſraëliticum populum, obedientiam Regi, & debitum obſequium ſe præſtaturum, quemadmodum etiam reliquas nationes Regi promiſiſſe conſtat. *Et pugnabit*, inquiunt, *bella noſtra pro nobis.* Quod dictum conſtat ab Iſraëlitis, ut explicarent, quid ipſi à Rege expoſcerent, & ad quid Rex illis obligaretur. Ab hoſtibus nimirum, ab incurſionibus inimicorum ſe tueri Iſraëlitæ à Rege efflagitabant. Id illis Rex promittere cogebatur, & ſub his conditionibus fœdera inaugurationis inter Regem & populum firmabantur.

Hanc fœderum feriundorum formam, & in fœdere ipſo, quæ ſancita fuere, *legis regni* nomine ſignificari in ſacris litteris exiſtimo; hæcque fore jura illa, quæ Samuel in lib. 1. Reg. cap. 10. ſcripſiſſe, ac repoſuiſſe in tabernaculo Domini legitur. *Locutus eſt autem Samuel ad populum legem Regni, & ſcripſit in libro, & repoſuit coram Domino*, inquit ſacer textus. Ut in poſterum, quibus teneretur legibus Rex, & ad quæ populus obligaretur, notum in Republica fieret; ne alter illorum fœdifragi nota aliquando inuri ab altero, aut injuſtitiæ crimine damnari poſſet. Ideò accerſitus Saul dicitur, ut ſimul cum populo leges audiret, quæ adminiſtrandi Regnum formam præſcribebant; ut ipſe noſſet, quid oneris cum regno ſuſcepiſſet; & populus, quid regio nomini deberet; atque ita re prius legitimè, ritèque compoſita, perfectior atque pacatior regni moderatio fieret.

CAP. LIX.

Fœdera ad Numinis præſentiam & ſacras aras feriebantur.

Ad loca Exo. 24. *Et mane conſurgens ædificavit altare Domino ad radices montis, & duodecim titulos per duodecim tribus Iſraël.* Jerem. 34. *Et dabo viris, qui prævaricantur fœdus meum, & non obſervaverunt verba fœderis, quibus aſſenſi ſunt in conſpectu meo, vitulum, quem conciderunt in duas partes.* Et ad alia plura loca.

SACRORUM ſacrificiorum ratio, quæ in fœderibus ſanciendis, cum Princeps inauguraretur, immolabantur, ſatis apertè ad ſolam Numinis præſentiam ea ipſa fœdera firmare veteres conſueviſſe, demonſtrat. Sed ut ſpeciales ritus horum fœderum, ex ritibus diverſarum gentium contemplemur; hoc inſtituimus caput: nam fœdera ſancire ad Numinis præſentiam conſuevere omnes ubique gentes. Et quamvis hæc probatione indigere minimè videantur; nihilominus in gratiam ſtudioſorum ſpeciale aliquid pro fœderibus afferatur: pactum nimirum illud, ac fœdus, quod Polybius lib. 7. inter Græcos, atque Carthaginenſes interceſſiſſe ſcribit: de quo in libri jam citati exordio agit his verbis: ὅρκος ὃν ἔθετο ἀννίβαλ ὁ στρατηγὸς, μαγών, βαρμοκάρος, καὶ πάντες γερουσιάσται καρχηδονίων οἱ μετ' αὐτοῦ, καὶ πάντες οἱ καρχηδόνιοι στρατευόμενοι μετ' αὐτοῦ, πρὸς

A Ξενοφάνη Κλεομάχου Ἀθηναίων πρεσβευτὴν, ὃν ἀπέστειλε πρὸς ἡμᾶς Φίλιππος ὁ βασιλεὺς, Δημητρίου ὑπὲρ αὐτοῦ, καὶ Μακεδόνων, καὶ τῶν συμμάχων ἐναντίον Διὸς, καὶ Ἥρας, καὶ Ἀπόλλωνος, ἐναντίον δαίμονος Καρχηδονίων, καὶ ἡρακλέους, καὶ ἰολάου, ἐναντίον θεῶν τῶν συστρατευομένων, καὶ Ἡλίου, καὶ Σελήνης, καὶ γῆς, ἐναντίον ποταμῶν, καὶ λιμόνων, καὶ ὑδάτων. ἐναντίον πάντων θεῶν ὅσοι κατέχουσι καρχηδόνα, ἐναντίον θέων πάντων ὅσοι μακεδονίαν, καὶ τὴν ἄλλην ἑλλάδα κατέχουσιν· ἐναντίον θεῶν πάντων τῶν κατὰ στρατείαν, ὅσοι τινὲς ἐφεστήκασιν ἐπὶ τοῦδε τοῦ ὅρκου. Certè ad rem de qua agimus, neſcio an ex veterum monumentis aliquid apertius habeatur. Hoc enim in fœdere notandum erit, quoties illa dictio ἐναντίον repe-
B tatur, quæ *in conſpectu*, & *in præſentia*, interpretatur, & coram aliquo, aliquid agere ſignificat. Sic enim interpretatur locus allatus: *Hoc eſt fœdus, quod iniit Annibal imperator Magon & Barmocar, nec non omnes Senatores Carthaginenſium, qui adſunt cum eo, & omnes Carthaginenſes militantes cum eo, cum Xenophane Cleomachi filio Athenienſi Legato, quem miſit ad nos Philippus Rex Demetrii filius, pro ſe, & Macedonibus, & ſociis in conſpectu Jovis, ac Junonis, & Apollinis, coram Dæmone Carthaginenſium, & Hercule, & Jolao, coram Diis expeditionis, ſole, luna, & terra, coram fluminibus, pratis, & aquis, coram Diis, qui incolunt Carthaginem, coram Diis univer-
C ſis, qui Macedoniam & reliquam Græciam habitant, coram Diis omnibus præſidibus rei bellicæ quotquot præſident, & interveniunt huic fœderi.* Ex quibus, quæ de firmandis fœderibus ad Numinum præſentiam dicebamus, etiam ex Ethnicorum inſtitutis probata remanent. Hinc Homerus Iliad. lib. 3. dum Trojanos ad ſingulare certamen futurum inter Alexandrum, & Menelaum ſtabiliendum, fœdus iniiſſe cum Græcis ſcribit, Trojanis eas hoſtias, quæ Terræ, Solique eſſent ſacræ, deſignat; at ex parte Græcorum alteram Jovi Xenio, id eſt, hoſpitali oblatam tradit, Xenio nimirum, cujus partes putabantur jura hoſpitii à Paride violata ulciſci, ut rectè
D adnotavit Spondanus.

Numinum autem ob præſentiam, qui ad fœdera teſtes vocabantur, quotquot fœdus inituri fuiſſent, ad aras accedebant, & non erectas aras erigebant; & in loco in quo feriundum fuiſſet fœdus, idolum, aut aliquid aliud, quod Numinis locum teneret, ſacrumque & ſanctum cenſeretur habendum, ibi decernebant. Apud Parthos fœdera firmaſſe prope altaria & ad ſacras aras, eruditiſſimus vir Alex. ab Alex. lib. 5. gen. dier. cap. 3. affirmat. Nec procul ab aris fœdera ſancire Græci conſuevere: quinimò ipſis in aris, ſi fides eſt habenda Euripidi in Iphig. Aulid. Quod etiam Romanis familiare fuiſſe Vir-
E gil. lib. 8. Æneid. ſubindicat dicens:

Poſt idem inter ſe poſito certamine Reges
Armati Jovis ante aram.

Et in primo Æneid. cum jam olim inter Romanos Carthaginenſeſque fœdus percuſſum fuiſſet in pelago, quod medium inter Africam, Sardiniamque intercedit; prius aræ excitabantur, ut nequaquam irrita cenſerentur fœdera ſine aris icta. De quibus ita ille:

Saxa vocant Itali, mediis quæ in fluctibus aras,
Dorſum immane mari ſummo.

F Nec tantum ad aras accedere conſuevere gentes; ſed etiam eaſdem manu tenere, cum fœdera juramento firmarent, ſi fides Virgilio lib. 12. Æneid habenda eſt. Nam apud eum Turnus ad ſingulare certamen cum Ænea deſcenſurus, & ad utriuſque tutamen inito fœdere, ac communi juramento firmato, præter dictas cæremonias, de contactu ſacræ aræ, hæc habet Æneas:

Tan-

Tango aras, medioſque ignes, & Numina teſtor.

Eſt etiam Ciceronis locus pro hoc ritu in oratione pro Flac. invecti in illum, qui per epiſtolas juraverat, cui fidem minus habendam affirmat dicens: *Ergo is, qui ſi aram tenens juraret, crederet nemo, per epiſtolam, quæ voluit juratus probabitur?* Probus quoque in Annibale refert, Hamilcarem filium Annibalem eodem ritu ſe Romanorum hoſtem futurum ad jurandum coëgiſſe. *Simulque*, inquit, *ad aram Hamilcar, Annibalem filium novennem, apud quam ſacrificare inſtituerat, eamque cæteris remotis tenentem, jurare juſſit; nunquam ſe in amicitia cum Romanis fore.* Hæc relata ſint pro Idololatrarum ritu, & ex communibus feriendorum fœderum cæremoniis. Nihil tamen ex his ſuperſtitionibus apud Iſraëlitas locum habuiſſe conſtat, quibus ad ſacras aras accedere à Deo interdictum fuerat; nec alicui etiam ex Regibus eas contrectare, ut puto, concedebatur. Eapropter Hebræi, neque dum in civilibus negotiis juramenta interponerent, neque cum ex publica cauſa fœdera ſanxiſſent, licet ad ſacrum tabernaculum, & ad Dei præſentiam id facere tenerentur; à contactu tamen ſacræ aræ arcebantur.

Fœderum autem aræ, cæremoniis abſolutis, minime diruebantur, quod maxime advertendum duco; ſed in teſtimonium fœderis olim initi integræ ſervabantur, ut poſteris ſanciti fœderis æternum eſſent monumentum. Teſtes ſunt Euripid. in Supplic. & Sophocl. in Oedip. verſ. 658. apud quem ſic loquitur Theſeus.

Τίς δῆτ᾽ ἂν ἀνδρὸς εὐμένειαν ἐκβάλοι
Τοιοῦδ᾽, ὅτου πρῶτον μὲν ἡ δορύξενος
Κοινή τ᾽ ἄρ᾽ ἡμῖν αἰέν ἐστιν ἑστία;

Erat enim Theſeus Rex Athenarum, cui Argivorum regnum tributum perſolvebat. Cum enim aliquando à Thebanis Argivi propriis ſedibus ac laribus deturbati, ad Theſeum confugiſſent, & is comparato exercitu, deſtructis devictiſque Thebis, amicitiæ fœdera cum Argivis iniiſſet; ad horum fœderum memoriam erecta fuerat tunc ara, de qua ibi loquitur Theſeus. Sic enim interpretantur illa carmina:

Quis reſpuat talis viri benevolentiam,
Cujus primum fœderis teſtis
Communis ſemper apud nos eſt ara?

Ubi Scholiaſtes verba illa explicans δορύξενος, ſic ait: Ὁ δορύξενος, φίλος ἁπλοϊκώτερον. δορυξένους καλοῦσι, καὶ τοὺς ὅπως δηποτοῦν ἐπιξενωθέντας, ἢ ἐπισταλικοὺς, καὶ πολεμίους φίλους. Hoc eſt: Ἡ δορύξενος *amicus ſimpliciter.* δορυξένους *vocant & eos qui hoſpitio quo-* E *vis utuntur, & adjutores, & belli ſocietate conjunctos.* Supple, eo vocabulo ſignificant. Sed parum ad nos, cur Oedipus dicatur amicus à Theſeo: ſufficiat nobis ex Euripidis loco, fœderum religionem (de qua multa Myrothec. 2. diximus) in ara ſervanda nunc cognoviſſe.

Fœderum autem religione adeo arctabantur veteres, ut Fecialis juſſu ſenatus tantum, aut Imperatoris, aut Dictatoris, qui in Romana Republica ſupremum teneret Magiſtratum, non verò alterius magiſtratus auctoritate fœdera firmaret, teſte Feneſtella lib. 1. de Sacerd. Rom. cap. 9. & Pompon. Let. de Magiſtr. Rom. Enimvero à fœdere feriundo, ſeù à fide facienda, Fecialem dictum tradunt. Pater patratus etiam is dicebatur, & verbena redimitus ad firmandum fœdus accedebat. Sic illum prædicti auctores appellant; & hanc patris patrati inſtitutionem ab Albanis, Romanos accepiſſe, mihi planè conſtat. Cujus in feriendis fœderibus tanta erat auctoritas, ut quicquid ille cum hoſtibus fir-

A maſſet, à Republica, Senatuque Romano ratum cenſeretur. Quamobrem cum Fecialis ad locum, ubi feriundum fuiſſet fœdus, acceſſiſſet, ſceptrum, quod manu geſtabat, pro Jove decernebat, quaſi coram Jove fœdus firmaretur, quod coram ſceptro erecto feriebatur. Hoc ſcribit ac teſtatur auctor antiquit. convival. lib. 1. cap. 30. Nec mirum de hac cæremonia, cum haſtæ quæ à Græcis σκῆπτρα dicebantur, ſacroſanctæ cenſerentur, divinoque cultu venerarentur, ut nobis prodidit Cœl. Rhodig. lib. 21. antiq. lect. cap. 6. Quin etiam Cænei cujuſdam meminit, qui adventantes ad eum omnes, per haſtam jurare compellebat, ac tandem haſtam in B meditullio fori erectam pro Deo cenſeri juſſit. Ab hac ſuperſtitioſa religione, Romani fortaſſe acceperunt, ut Fecialis in paciſcendis, firmandiſque fœderibus ſceptrum pro Jove erigeret.

Sed multò religioſius certè atque ſanctius, Numinis, verique Dei præſentiam curavere viri pietate inſignes Jacob, Iſaac, Moyſes, & alii in ſacris litteris commendati, qui fœdera firmaturi lapides prægrandes, ſive columnas ſtantes, (fortaſſe ad Numinis præſentiam exprimendam,) erexiſſe leguntur; coram quibus holocauſta offerrentur, atque hoſtiæ cremarentur. De his Gen. cap. 31. ubi Jacob, & Laban in monte Galaad pacturi erexere lapidem in C titulum. Sic enim legimus dixiſſe Jacob ad Laban: *Veni ergo, ineamus fœdus, ut ſit in teſtimonium inter me, & te. Tulit itaque Jacob lapidem, & erexit illum in titulum.* Græcè ἔστησεν αὐτὸν στήλην, *ſtatuit illum*, ſupple lapidem, *columnam.* Et ut adnotavit Scapula in dictione στήλη, hæc vox plerumque accipitur pro cippo, ſeù columna, quæ in ſepulcris ſtatuebatur, aut in qua fœdera, ſeù juramenta inſcribebantur, aut alia quæ poſteritati mandanda forent: quibus loci ſanctitatem, aut religionem indigitare vellent. Nam in citato loco Geneſeos, in quo nos legimus, *Erexit lapidem in titulum*; ex Hebraico interpretari poſſumus: *Conſtituit lapidem in ſtatuam.* D Utramque enim patitur iuterpretationem Hebraica dictio מִזְבֵּחַ *mizbeach.* Cujus dictionis proprius ſignificatus alibi in libro de Idolis ſcripturalibus, ſi Deus dederit, explicabitur. Sanctós tamen illos viros ad nullum Idololatriæ genus, in his cæremoniis reſpexiſſe, aut lapidibus aliquem cultum præſtitiſſe certum eſt: ſed ut locum, in quo fœdera firmanda erant, ſacrum fore decernerent, fluminiſque præſentiam aliquo modo conteſtarentur, lapides erigebant. Nec enim propterea quod ſtatuas erexiſſet Jacob, damnandus erit, cum ſic potuerint tunc ſtatuæ in honorem futuri Meſſiæ erigi, quemadmodum nunc ad repræſentandum Deum hominem fa- E ctum, & Meſſiam jam adveniſſe, ſtatuæ in Catholica Eccleſia eriguntur, ſacræque imagines pinguntur. Nondum enim lata fuerat lex, quæ imagines, titulos, ac ſimulacra in ſacris faciendis haberi prohiberet. Hæc enim lex poſtmodum cap. 26. Levit. lata fuit; vigore cujus ſimulacra vetita fuiſſe videntur, ſub hac verborum forma: *Non facietis vobis Idolum, & ſculptile: nec titulos erigetis, nec inſignem lapidem ponetis in terra veſtra, ut adoretis eum.* Quia verò, ut dicebamus, lapidibus quibuſdam, loci ſanctitatem veteres ſignificare nitebantur, idcirco fœdus inituros Jacob & Laban, lapides erexiſſe ex conſuetudine legimus.

F Moyſem quoque fœdus percuſſurum inter Deum, & populum Iſraëliticum, eumdem ritum erigendi titulos, & aras, ſervaſſe perſpicuum eſt, ex cap. 24. Exo. per hæc verba. *Et mane conſurgens ædificavit*, ſupple, *Moyſes altare Domino ad radices montis, & duodecim titulos per duodecim tribus Iſraël.* Ubi vero nos legimus titulos erectos, Hebraicè מַצֵּבוֹת ſcribitur, quo vocabulo lapides ſtantes ſignificantur. Hos

erexit Moyſes ac ſacravit, fœdus pro Deo initurus A cum populo, de lata lege acceptanda, cuſtodienda ac obſervanda; itaque ab eo uſque tempore ad aras tantum fœdera firmata cognoſcimus.

Poſtquam vero Iſraëlitæ ſacrum Dei tabernaculum in deſerto, & ſanctum Dei templum Hieroſolymis erexerunt, & Numen ex ſacra arca præſentiſſimum cenſebatur; non alibi quam in ſacro tabernaculo, aut ſacro templo, fœdera Reipublicæ de cauſa percutiebantur: quinimo alibi fœdera ſancire nefas erat. Locus Jerem. cap. 34. hoc explicat: ubi Propheta Dei nomine, Regi, atque Proceribus tranſgreſſionem fœderis exprobrat; quod Proceres, & Rex B Sedechias, reliquique Judæorum Optimates, jam olim cum Deo percuſſerant, de cuſtodienda, obſervandaque lege annualis ſabbatiſmi, & de Iſraëliticæ gentis ſervis in libertatem vindicandis, deque dimittendis ancillis ex gente propria, quas contra divinæ legis præſcriptum adhuc in ſervitute detinebant. Qua occaſione Propheta ſacri templi meminit, in quo fœdus ſancitum fuerat. *Et iniiſtis pactum in conſpectu meo*, inquit, *in domo in qua invocatum eſt nomen meum.*

Ut autem ad Regum inaugurationes accedamus, inaugurationiſque fœdera contemplemur; ad primum Reg. lib. cap. 12. nos transferamus, in quo Saul iterum Rex fuit renunciatus, atque ſacro oleo unctus. C Dicitur enim ibi populum, Proceres nimirum & Optimates, in concionem fuiſſe congregatos non ſolum in Maſpha, *quia locus orationis erat in Maſpha*, ut ibi ſcribitur; ſed etiam in Galgala, ubi ſacra arca, ſacrum tabernaculum, ac etiam altaria ſacra, jam aliàs ſacrorum de cauſa erecta habebantur. Horum autem locorum ſingulariter meminit ſacer textus, in quibus ſacræ aræ erant; ut ad præſentiam fluminis, & prope ſacras aras, inaugurationis fœdera firmata fuiſſe conſtet.

David quoque fœdus cum populo percuſſiſſe, cum inauguratus fuit, ſcribitur 2. Reg. cap. 5. ut vidimus. Ad aras vero id egiſſe ſubindicatur illis D verbis, *coram Domino*; quibus quidem præſentia Numinis ex ſacra ara in fœdere firmando ſignificatur. Sic etiam primo Paralip. cap. 29. coram Domino inauguratus dicitur Salomon vivente adhuc patre; de cujus inaugurationis fœdere hæc ſcribuntur: *Et comederunt, & biberunt coram Domino in die illa cum grandi lætitia: & unxerunt ſecundo Salomonem filium David. Unxerunt autem eum Domino in Principem.* Ungere verò aliquem Domino, hic dicitur pro in conſpectu Domini, & ad locum ſacri tabernaculi: Joaſum etiam, quando inauguratus fuit in ſacro templo, fœdus percuſſiſſe ſcribitur 4. Reg. cap. 11. & lib. 2. Paral. cap. 23. his verbis: E *Pepigit ergo Jojada fœdus inter Deum & Regem, & inter populum.* De Saulis quoque inauguratione cum agitur, ſacrificia oblata fuiſſe coram Domino ſcribuntur. Quamobrem ſi coram Domino omnes hi inaugurati fuere, fœdera pariter coram Domino ſancita fuiſſe manifeſtum eſt: ſanctiori ſanè religione, & ſacratiori cultu, quam Græcorum, aut Romanorum fœdera ſancirentur: ac proinde graviori ſupplicio damnandi, atque puniendi, quoties in fœdere non ſtetiſſent.

CAP. LX.

Sanguines hoſtiarum, libamina, fœderumque cultri monſtrantur.

Ad loca Geneſ. 8. *Ædificavit autem Noë altare Domino: & tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis, obtulit holocauſta ſuper altare.* Exo. 24. *Scripſit autem Moyſes univerſos ſermones Domini: & mane conſurgens ædificavit altare ad radices montis.* Et infra. *Et obtulerunt holocauſta, immolaveruntque victimas pacificas Domino vitulos.* Et ad alia plura. Illuſtratur Homerus.

AD ſacras aras, pactorum, fœderumque teſtes futuri iam acceſſimus; fluminis præſentiam religioſè coluimus; afferantur, quæſo, hoſtiæ, & jugulum præbeant victimæ, ut exta contemplari poſſimus, futuraque bona tum Iſraëlitis, Regi, atque iis qui paciſcebantur, ominari nobis liceat. Sed quænam hoſtiæ, quænam animalia ferienda forent, ut fœdera quoque firmarentur, apud diverſos diverſa legimus, ac pro gentium diverſitate diverſum quoq; religionis cultum extitiſſe conſtat; varias aras, diverſa Numina, quin etiam victimas quoque habuiſſe diverſas comperi: at ſine ſanguine, libaminibus ac ſacrificiis, fœdera aliquando firmata, minimè me legiſſe memini.

Mittamus nunc feram illam, atque barbaram Medorum, Lydorumque conſuetudinem, qui, ut affirmat Herodotus, in ea corporis parte, in qua brachia humeris junguntur, ſeſe ferientes, mutuumque ſanguinem viciſſim delingentes, fœdera firmabant. Conſuetudo etiam Carmanorum, ac Lydorum æquè barbara dimittatur: Carmani enim ſibi viciſſim quandam faciei venam aperientes, cruorem poculis admiſcebant, invicemque porrigentes, ac deguſtantes ſanguinem, ſummum, ac firmum amicitiæ fœdus ſe iniiſſe arbitrabantur: Coelio Rhodigino teſte lib. 18. cap. 32. Quod etiam apud Scythas vſu veniſſe Herod. lib. 4. cap. 4. affirmat. Catilinam quoque apud Romanos in illa conſpiratione adverſus patriam, ac Rempublicam id ſervaſſe, Saluſtius ſcribit lib. Catilin. dicens: *Additus eſt, pignus conjurationis, ſanguis humanus, quem circumlatum in pateris bibere: ſummum nefas, niſi amplius eſſet, propter quod biberunt.* Exhorruerunt quidem Romani, & meritò, humani ſanguinis uſum in foederibus; at qui propriæ Reipublicæ perniciem, & ruinam non horruerunt, nec ſanguinis potum recuſarunt. Hinc vero perſpicuum fit, non ſolum apud exteros, barbaroſque homines, ſed etiam apud Romanos aliquos, in fœderibus firmandis humani cruoris potum adfuiſſe.

His prætermiſſis, quæ potius ferinum, quam humanum aliquod ſapiunt, de fœderibus tantum, quæ humanum retinent ſaporem, noſter ſit ſermo. Fuit autem victimarum, hoſtiarumque jugulatio fœderibus feriundis adeo intima; ut plurimi cum Feſto fœdera, à feriendis victimis dicta affirment: quia nimirum victimis non mactatis, ſacris non peractis; ſanguine ad altare non effuſo, libaminibus, & aliis quæ ſacris debentur non appoſitis, fœdera minimè firmarentur. Hebraicum quoque fœderis vocabulum בְּרִית *berith* illud idem ſuadet: quamobrem nonnulli, nec immerito בְּרִית *berith* dictum à verbo כָּרַת *carath*, quod eſt ferire, *exſcindere*, ſive *percutere* autumant: ſicque fœdus כְּרִית Hebraice quaſi כְּרִית *cherith* mutata littera כ in ב diceretur. Latini quoque eadem de ratione percutere, & ferire foedus pro paciſci habere videntur: quia apud quoque hos mactatis hoſtiis
F fœdera firmabantur.

Quod ſi Deus, cuius ſapientia bonitas, cuius bonitas ſapientia eſt, fœdera cum hominibus initurus, ſanguinem ab altari deeſſe noluit, ut homo aliquando futurus, ab eo uſque tempore, hominum mores imitari videretur; quid homines illius ætatis feciſſe putamus, ut foedera firmarentur? Certum igitur ac indubitatum maneat, abſque ſanguine victimarum, publica

publica fœdera nunquam ſancita; ſive tempus quod legem præceſſit, ſive ſubſequens tempus reſpexerimus.

Plurima in ſacris litteris extant loca, quæ ſanguine victimarum fœdera ſancita oſtendunt. Nam Gen. cap. 21. Abimelech cum Abraham ſœdus initurus, ſanguine, ſacrificijs, ac victimis illud firmavit: *Tulit itaque Abraham oves, & boves, percuſſeruntque ambo fœdus*, dicitur loco citato. Qui vero animalia hæc pro puteo, de quo erat inter eos jurgium, ab Abrahamo tradita Abimelecho exiſtimant, decipiuntur; cum ad ſœdus feriundum hæc Abimelecho Abraham tradidiſſe certum ſit, & pro puteo, ſive ut Abrahamo jus putei Abimelech cederet, ſeptem agnos Abraham eidem tradidiſſe ibidem ſcribatur. Nam cum Abraham oves & boves ad ſacrificia ſœderalia conſtituiſſet, ſeptemque agnas gregis ſeorſum ſepoſuiſſet, dixit ei Abimelech: *Quid ſibi volunt ſeptem agnæ iſtæ quas ſtare feciſti ſeorſum? At ille: ſeptem*, inquit, *agnas accipies de manu mea: ut ſint mihi in teſtimonium, quoniam ego fodi puteum iſtum.* Et cap. 31. eiuſdem libri agitur de fœdere inito inter Jacobum, & Laban, Labanque Jacobo dixiſſe ſcribitur: *Veni ergo, & ineamus fœdus: ut ſit in teſtimonium inter te, & me.* Quo autem ritu illud fœdus initum fuerit, dicitur ſic: *Tulit itaque Jacob lapidem, & erexit illum in titulum.* Et tandem ad calcem capituli ſubditur: *Juravit ergo Jacob per timorem patris ſui Iſaac: immolatiſque victimis in monte, vocavit fratres.* Sanguine igitur, ſacroque ſanguine, ſacris libaminibus, ſacroque epulo ſancita fœdera, firmata pacta, ſacræ literæ aperiunt, ac teſtantur.

Quinimo tali nexu fœderalis fides cum ſacrificiis jungebatur, ut victimæ, vina, crateres, pateræ, pocula, & ſi quæ alia ad fœderis ſacrificium pertinuiſſent, in ſolemnioribus fœderibus publicè à Græcis circunducerentur, unoque vocabulo illa omnia ſignificarentur, quo ſœdus notabatur. Nam ὅρκια πιστὰ, id eſt, *fœdera fidelia* dicebantur. Hanc dicendi phraſim aqud Homerum lib. 3. Iliad. & alibi ſæpè legimus.

Κήρυκες δ' ἀνὰ ἄστυ θεῶν φέρον ὅρκια πιστά.

Erant enim fœdera inter Trojanos, & Græcos ſtabilienda pro ſingulari certamine. Ut autem quotquot aderant, icti ſœderis teſtes fierent; ſolemni pompa cuncta, quæ ad ſacrum pertinebant, & ad locum, in quo fœdus ſtabiliendum ac firmandum fuiſſet, ducebantur. Et quamvis vaſa illa omnia, libamina, & victimæ ad ſacrificia tantum afferrentur; ſoederum tamen occaſione, ſacrificia non dicebantur; ſed ὅρκια πιστά. Dicebantur autem ὅρκια quod illa omnia ex ritu ſacrorum foederibus deberentur. Sic enim carmen illud Homeri interpretatur:

Præcones autem per Civitatem Deorum ferebant fœdera fidelia.

Græci etiam ipſi, qui ſomniata numina, cultumque ſuperſtitioſum Deorum reliquos docuere, in fœderibus firmandis non ſemper eiſdem uſi ſunt victimis. Etenim cum aliquando ex his aliqui Cyri minoris ſtipendia meruiſſent, Regeque extincto de reditu cogitarent; ut ſoſpites eò pervenirent, quò tendebant, atque in abeundo nullum incommodum regionibus afferrent, per quas iter facere cogebantur; cum Arieo Regis Perſarum duce, ac legato ſœdus eos percuſſiſſe ſcripſit Xenophon lib. 2. de Cyr. min. exped. & illud tauro, lupo, capro, & ariete ſuper ſcutum mactatis ſanciviſſe. Caprum fortaſſe, lupumque ex inſtituto Perſarum; taurum verò & arietem ex Religione Græcorum mactarunt: ut utrarumque nationum ritu fœdera firmarentur, ac ſacratiſſima haberentur.

Trojani verò cum Græcis fœdus inituri, agnos ſacrificarunt; hiſque jugulatis & una cum libaminibus aris ſacris admotis fœdera firmaſſe, ſcripſit Homer. lib. 3. Iliad. dicens:

Ἄρνε δύω, καὶ οἶνον ἐΰφρονα καρπὸν ἀρούρης
Ἀσκῷ ἐν αἰγείῳ. φέρε δὲ κρητῆρα φαεινὸν
Κήρυξ Ἰδαῖος, ἠδὲ χρύσεια κύπελλα.

Duo ergo agni ſacrificandi ab Homero dicuntur, in fœdere ſanciendo inter Trojanos, ac Græcos, ſingularis certaminis de cauſa, quod Alexander cum Menelao habiturus erat. Quorum agnorum cruore flumina evocanda, placanda, atque in altari propitianda ex ritu erant; vinum ad libamina, religionis, ut puto, gratia in utre caprino deſerebatur; crateris meminit, quo ſanguis hoſtiarum excipiebatur: ut non tam Idolum ex ritu ſacrificiorum ſanguine conſpergentur, ſed etiam ſundamentum, ſeu baſis altaris. Enumerantur etiam à Poëta in allatis carminibus cyathi aurei, ſimpuli nimirum, quibus vina in altari à confœderatis guſtabantur, ac libabantur. Hæc omnia foedera fidelia appellantur, quia his ſœdera nunquam frangenda ſeriebantur. Sic enim interpretantur allata Homeri carmina:

Agnos duos, & vinum lætum fructum agri
Utre in caprino: ferebat autem cratera lucidum
Fecialis Idæus, & aureas pateras . . .

Licet vero hic nihil à Poëta de qualitate agnorum, neque de illorum colore dicatur, aut quibus Diis mactarentur; id tamen jam ſupra idem Poëta expreſſerat, cum Menelaus fœderum conditionem Trojanis propoſuit dicens:

Οἴσετε δ' ἄρν', ἕτερον λευκὸν, ἑτέρην δὲ μέλαιναν
Γῇ τε, καὶ ἠελίῳ· Διὶ δ' ἡμεῖς οἴσομεν ἄλλον.

Itaque duos agnos Trojani afferre jubentur; alterum album, alterum nigrum: is terræ offerebatur atque immolabatur, & fœmininini generis erat; Soli verò maſculus candiduſque immolabatur agnus. Græci inſuper præter duos agnos, tertium ſe allaturos Jovi Hoſpitali violatæ à Paride hoſpitalitatis ultori, offerendum affirmant, quod hac de cauſa Græci expeditionem contra Trojanos ſuſcepiſſent. Sic enim interpretantur illa carmina:

Afferte autem Agnos, alterum album, alterum nigrum,
Terræ & Soli; Jovi autem nos afferemus alium.

Ubi Didymus hæc ipſa explicans ait: τὰ οἰκεῖα ἑκάστῳ θεῷ ἱερουργήματα εἰσάγει. τῷ μὲν γὰρ ἡλίῳ λαμπρῷ ὄντι, καὶ ἄρρενα φησὶ λευκὸν ἱερουργηθῆναι ἄρνα. τῇ δὲ γῇ μέλαιναν καὶ θήλειαν ἐπεὶ τοιαύτη ἡ θεός. Hoc eſt: *Sacra inducit, quæ erant propria unicuique Deo: Soli quidem ſplendido agnum maſculum, & album ſacrificarunt; terræ autem fœminam, eamque nigrum ſiquidem talis Dea erat.* Quo in loco Agni tantum ſœderalem ictum ſubiere, non caper, non taurus, non lupus, non aries. An verò ex patrio ritu id Græci tunc ſecerint, an ut regionis illius Manes venerarentur, & evocarent ſibi propitios, moremque veterum Ethnicorum, ac Trojanorum ſacra retinerent, in quorum regione bellum gerebatur, & ſoedus percutiebatur, mihi plane ignotum eſt. Turni & Æneæ fœderales ritus Virgil. lib. 12. ſub hac forma, hiſque cæremoniis ſcripſit:

. . . . . puraque in veſte Sacerdos
Setigeræ fœtum ſuis, intonſamque bidentem
Attulit, admovitque pecus, flagrantibus aris.
Illi ad ſurgentem converſi lumina ſolem,
Dant fruges manibus ſalſas, & tempora ferro
Summa notant pecudum, pateriſque altaria libant.

Quo in loco Virgilius ſacerdotalem habitum, qualitatemque victimæ in porca, & in bidente intonſa tradidit: quæ nimirum inter ſolemniores Romanorum hoſtias recenſebatur. Ignem aris admotum ſcribit, antequam hoſtia jugularetur; precationes, atque imprecationes ad Solem, libationes, ſetaſque capitis ferro ſignatas oſtendit; ut fœderum, ſacrificiorumque ritus brevi compendio enarraret. Ritus autem

qui

qui à Virgilio ibi recenſentur, ex cæremoniis Romanorum deſumuntur, quas à Trojanis accepiſſe Romanos ſuſpicari poſſet. In fœderibus autem Romanorum non ſemper eadem fuit allata victima; porcam enim, ut plurimum ſanctiorem ipſis hoſtiam, locum in fœderibus habuiſſe, Plinius, Livius, Pomponius Lætus, Feneſt. de Sacerd. Rom. & alii tradunt, cum Virgilio lib. 8. Æneid. dum fœdus initum inter Trojanos, Italoſque refert, dicens:

Stabant, & cæſa jungebant fœdera porca.

Agnum quoque apud eoſdem aliquando jugulatum, ex Livio lib. 21. ab. Urbe condita, tradidit nobis Cœl. Rhodig. lect. antiq. lib. 21. cap. 15. in hæc verba: *Eaque, ut rata ſcirent fore, agnum læva manu, dextera ſilicem retinens, ſi falleret Jovem: cæteroſque precans Deos, ita ſe mactarent, quemadmodum ipſe agnum mactaſſet, & ſecundum precationem caput eliſit.* Hæc ibi ex Livio. Ex quibus aliquando porcum, nonnunquam porcam, interdum agnum, fœderum feriundorum de cauſa, ſacris aris à Romanis admota fuiſſe conſtat.

In ſacris Hebræorum, apud quos ex Dei præſcripto fœdera ſanctiora feriebantur, ſine victimarum mactatione id fieri nequaquam conſueviſſe, jam diximus. Loca quæ id probent, paſſim in ſacris Litteris occurrunt. Huncque ritum non ſolùm in feriendis fœderibus, & paciſcendo cum hominibus; ſed etiam quoties paciſcendum fuit cum Deo (mirabile dictu de Dei benignitate) victimæ ſanguis, & libamina adfuerunt. Fœderalium victimarum genera diverſa, necnon etiam ritus, in ſacris litteris habentur. Nam quando Deus iniit fœdus cum Noë de aquis diluvii non inducendis ſuper terram; non quæcumque ſacrificia, ſed holocauſta tantum, & ex cæremoniis holocauſti fœdus firmatum fuiſſe ſcribitur. Victimæ quoque ex diverſis animalium, tam terreſtrium, quam volatilium ſpeciebus aſſumptæ fuerunt; cum quibus etiam libamina oblata procul dubio puto: ea nimirum libamina, quæ ex ritu holocauſti huic ſacro debebantur. ſic enim de his Geneſ. 8. ſcribitur: *Ædificavit autem Noë altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis, obtulit holocauſta ſuper altare.* Et infra cap. 9. dixiſſe Dominum ad Noë legitur: *Statuam pactum meum vobiſcum, & nequaquam ultra interficietur omnis caro aquis diluvii: neque erit deinceps diluvium diſſipans terram.* Quæ autem eſſent volucria, animaliaque munda, & quo ritu mactarentur, atque cremarentur holocauſta, in libro Levitici ſcribitur. Sermo enim Moſaycus in libro Geneſis, iis conſonat ritibus, quos in libro Levitici ex divinis ſtatutis ipſemet perſcripſerat.

Alio victimarum genere Deus fœdus firmavit cum Abraham, quando illius poſteritati regiones Chananæorum ac reliquarum gentium promiſit. Quam promiſſionem fœderibus ratam ac firmam fore voluit Deus. Quas verò vellet ad illud feriendum fœdus aſſumi hoſtias, aperuit, dicens Gen. 15. *Sume mihi vaccam triennem, & capram trimam, & arietem trium annorum, turturem quoque, & columbam.* Ritus hujus ſacrificii ſic deſcribuntur: *Qui tollens univerſa hæc, diviſit ea per medium; & utraſque partes contra ſe abſtrinſecus poſuit: aves autem non diviſit.* Et tandem ſubditur: *In illo die pepigit Dominus fœdus cum Abraham.*

Pacturus etiam Deus more Regum, in ſui principatus exordio, cum populo Iſraëlitico, quando ab ipſis ad inſtituendam novam Rempublicam in Sinai electus Princeps, eidem leges tradere conſtituit; eas tamen leges ad regimen illius Reipublicæ à ſe digeſtas publicari noluit, niſi prius fœdera firmarentur. De quibus ſic ſcribitur Exo. 24. *Scripſit autem Moyſes univerſos ſermones Domini: & mane conſurgens ædificavit altare ad radices montis, & duodecim titulos per*

A *duodecim tribus Iſraël: miſitque juvenes de filiis Iſraël, & obtulerunt holocauſta, immolaveruntque victimas pacificas Domino, vitulos. Tulit itaque Moyſes dimidiam partem ſanguinis, & miſit in crateras, partem autem reſiduam fudit ſuper altare; aſſumenſque volumen fœderis legit audiente populo.* Et ſtatim infra: *Ille verò ſumptum ſanguinem reſperſit in populum, & ait: hic eſt ſanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiſcum ſuper cunctis ſermonibus his.* Confirmari adhuc hæc ipſa poſſunt ex cap. 34. Jerem. apud quem Jeroſolymitis tranſgreſſionem fœderis Propheta objicit cujus occaſione victimæ in fœdere mactatæ meminit; nimirum vituli, B cujus ſanguine fœdus firmatum fuerat, dicens: *Et dabo viros, qui prævaricantur fœdus meum, & non obſervaverunt verba fœderis, quibus aſſenſi ſunt in conſpectu meo, vitulum quem conciderunt in duas partes.* In his igitur fœderibus divinis ſacram victimam per medium conciſam fuiſſe, perſpicuum remanet.

Ad fœdera regiæ inaugurationis digrediamur, quæ eiſdem omnino victimis firmata dici oportet, quorum uſus in reliquis publicis, ſolemnioribuſque fœderibus erat; atque propterea vituli immolatione ſancita fuiſſe reor. Ritus atque cæremoniæ in mactandis his victimis inveſtigandæ remanent; ſed à qualitate ac genere ſacrificii, hæc ipſa explicantur. Fuiſ- C ſe namque in regiis inaugurationibus oblatas victimas pacificas, ſacra oracula ubique manifeſtant. Ritus autem pacificorum ex lege, quæ habetur cap. 3. Levit. talis erat: *Quòd ſi hoſtia pacificorum fuerit ejus oblatio; & de bobus voluerit afferre, marem, ſive fœminam, immaculata offeret coram Domino: ponetque manum ſuper caput victimæ ſuæ, quæ immolabitur in introitu tabernaculi teſtimonii, fundentque filii Aaron Sacerdotes ſanguinem per altaris circuitum: & offerent de hoſtia pacificorum in oblationem Domino adipem, qui operit vitalia, & quicquid pinguedinis eſt intrinſecus, & duos renes cum adipe, quo reguntur ilia; & reticulum jecoris cum reniculis: adolebuntque ea ſuper altare in holocau-* D *ſtum.* Eapropter in ſecunda Salomonis inauguratione, quam legimus lib. 1. Paral. cap. ult. mactatos mille, arietes mille, & agnos mille legimus; non quidem hæc omnia ad fœdus feriendum, ſed priora tantum, de quibus dicitur in textu, *Immolaveruntque victimas Domino.* Has fuiſſe puto victimas inaugurationis, reliquas verò ad holocauſtum oblatas, de quibus dicitur: *Et obtulerunt holocauſta die ſequenti, tauros mille, & arietes mille, agnos mille cum libaminibus ſuis, & univerſo ritu abundantiſſimè in omnem Iſraël: & comederunt & biberunt coram Domino in die illo cum grandi lætitia, & unxerunt ſecundo Salomonem filium David.*

Quo in loco, non licet præterire, cum victimis fœderalibus atque hoſtiis inaugurationis, libamina E quoque allata fuiſſe. Erat autem libamen vini effuſio in victimam, quæ immolabatur, inquit Joannes Grammat. in Heſiod. relatus à Cœl. Rhodig. lib. 12 antiq. lect. cap. 1. Et nos Myrothecio præcedenti libaminis vocabulo vinum diximus intelligi, quod in ſacris adhibebatur; non tam ut de illo in ignem altaris funderetur, quam etiam ut de eo deguſtarent hi, qui de ſacrificio participabant. Horum libaminum de ratione, Homer. lib. 3. Iliad. inter ea, quæ ad fœdera ferienda circumferebantur per exercitum cyathos quoque recenſet, quorum in ſacrificiis alius non erat uſus, niſi ad libamina; ac proinde cum cy- F athis vini quoque meminit dicens:

. . . . ϗ οἶνον εὔφρονα καρπὸν ἀρȣ́ρης
Ἀσκῷ ἐν αἰγείῳ . . . . Hoc eſt:
. . . . *Et vinum lætum fructum agri*
Utre in caprino . . . . . .

Supple, ferebant Caduceatores. Horum etiam libaminum uſum in fœderibus Hebræorum extitiſſe, ex jam relato loco lib. 1. Paral. cap. ult. liquido conſtat.

ſtat. Ratio etiam hoſtiæ pacificæ hoc ſuadet, quæ ex Dei præſcripto ſine libamine nequaquam offerebatur; de cujus libaminibus his verbis cap. 7. Levit. agitur: *Qui offert victimam pacificorum Domino, afferat ſimul & ſacrificium*, id eſt, *libamenta.* Erant autem hæc libamenta, ſimila, oleum, thus, ut dicitur cap. 2. Levit. & vinum, quod innumerabilibus penè in locis ſacræ legis ad ſacra parari jubetur. Quamobrem nec defuiſſe vinum ſacrificio fœderis, cum Reges inaugurabantur, certiſſimum erit.

In illo autem ſæpè citato loco Homeri 3. Iliad accuratè conſideranda ſunt, quæ de religioſis gladiis, quo fœdera nimirum hoſtiæ feriebantur, leguntur his verbis:

Ἦ ϗ ἀπὸ ϛομάχȣς ἀρνῶν τάμε νηλέϊ χαλκῷ.

Et ſtatim poſt alterum verſum hæc ſubintulit Poëta:

. . . . . ἀπὸ γὰρ μένος εἵλετο χαλκός.

Quæ carmina ad verbum interpretata ſic ſonant.

Dixit et jugulos agnorum abſcidit crudeli enſe.
Et ſtatim . . . . *etenim animum abſtulerat gladius.*

Illa igitur vocabula νηλέϊ χαλκῷ, & illa poſtrema εἵλετο χαλκός, nobis innuunt, non quocumque vulgari communique gladio, victimam jugulare Græcos conſueviſſe; ſed ſacro aliquo gladios ad hæc munera deſtinato uſos fuiſſe: qui gladius ex vi illorum verborum, non ferreus, ſed æreus erat: propterea non μάχαιραν, aut ξίφος, ſed χαλκὸς illum dixit Homerus. Machæra enim, & ξίφος ferrea erant; & ideo hoſtiam mactare in ſacris cavebant, ne ſacra prophanis miſcerentur, ſi eodem gladio victimam jugulaſſent, quo ſanguinem humanum in pugna fundebant. Quod ſi prophanæ religionis cultores iſta cavebant, quidni veri, ac ſummi Dei cultores feciſſe dixerimus? Nam qualis fuerit gladius, quo ad mactandas victimas Hebræi uterentur, in Scripturis ſacris non legi; æreum tamen fuiſſe me legiſſe memini apud eruditiſſimum ſcriptorem; & is fuit (ni fallor) eruditiſſimus Arias Mont. quem nunc quoque diligentius pervolviſſem, ſi inter pauculos pauperrimi ſcriptoris regia Biblia locum haberent.

Ad Romanos nos convertamus, qui tanta religione victimam jugulabant, ut nequaquam gladio fœderalem victimam mactarent; ſed ſilice porcam ferire conſueverint, ut Livius, Pomponius Lætus, & Feneſtella lib 1. de ſacerd. Rom. cap. 9. tradidere. Ex quibus colligere liceat, quam religioſo apparatu, non ſolum veteres illi ſacra facerent; ſed etiam fœdera ſolemnia ſancirent, atque rata fieri ſtuderent: inter quorum fœdera ſolemniora, inaugurationis quoque fœdera primam ſedem habuiſſe, nemo in dubium revocare debet.

CAP. LXI.

Hoſtiarum contactu, & dextera data fœdera firmabantur.

Ad loca Geneſ. 31. *Veni ergo, & ineamus fœdus; ut ſit in teſtimonium inter me, & te. Tulit itaque Jacob lapidem, & erexit illum in titulum; dixitque fratribus ſuis: afferte lapides: qui congregantes fecerunt tumulum.* lib. 1. Paral. cap. 29. *Sed univerſi Principes, & potentes, & cuncti filii Regis David dederunt manum.* Et ad alia plura.

QUAM religioſo cultu, bone Deus, penes antiquos fœdera ſancita fuerint, quis non admirabitur? Tot enim ſacris ritibus, tot religio-A ſis cæremoniis, tam pio cultu fœdera ſacroſancta haberi veteres curabant; ut certè ex his manifeſtum ſit, quam grave piaculum apud illos cenſeretur, contra percuſſum fœdus aliquid committere. Plurima in ſuperioribus capitulis ſcripſimus, plura adhuc ſcribenda ſuperſunt. Ut autem à ſummo victimæ capite exordiamur; omittantur, quæ de injectione lapidum in acervum, fœderis de cauſa, ante latam legem leguntur: quotquot enim in fœdere conveniſſent, lapides in acervum aliquem, ex ſacris oraculis, ſive in ædificium altaris congerebant. Ut Geneſ. cap. 31. ubi non tantum Jacob & Laban lapidem erexiſſe legimus, cum fœdus ſanciverunt; ſed etiam B quotquot tunc ſacris interfuerunt, ac in fœdere conveniebant, ſingulos attuliſſe lapides, illoſque ubi Laban, & Jacob lapidem magnum erexerant, congeſſiſſe, ſacra Scriptura tradidit; dicente Jacob, ad Laban: *Veni ergo, & ineamus fœdus; ut ſit in teſtimonium inter me & te. Tulit itaque Jacob lapidem, & erexit illum in titulum: dixitque fratribus ſuis: afferte lapides: qui congregantes fecerunt tumulum, comederuntque ſuper eum.* Hunc tamen ritum exoleviſſe poſtmodum cenſeo: quòd nullibi amplius hujus ritus ſacra oracula meminerint; potiſſimum vero poſt latam legem, ad extirpandum omnino Idololatriam, atque quaſcunque idololatrandi occaſiones, titulos C quoque erigere, non ſolum Deus prohibuit, ſed etiam à quocumque loco amovere juſſit.

Incidebant pilos ex capite victimarum Ethnici, ut ſtatim dicemus. Hoc in ſacris Scripturis non legitur; ſed tantum manuum impoſitio in ſummo vertice victimæ, ex præſcripto divinæ legis, habetur Levit. cap. 1. & deinceps pluribus in locis legitur. Qui verticis contactus, ſacrificiis adeo debebatur; ut quodcunque ſacrificium à manuum impoſitione in capite victimæ exordiretur. Ea manuum impoſitione in vertice victimæ, qui ſacrificium offerebant, hoſtiam devovebant, ſacramque illam conſtituebant. Prophanæ verò religionis ſectatores, à D piis à Deo inſtitutis ſacrificiis, hauſiſſe puto non manuum impoſitionem, ſed pilorum in ſummo vertice victimæ præciſionem: Diabolo id ſuggerente, ut ſacros & à Deo præſcriptos ritus, non tam æmularetur, quam pro ſua nequitia eluderet. Romanos enim de ſummo vertice hoſtiæ, pilos incidere conſueviſſe ex ritu ſacro, cum ad aram hoſtia jam fuiſſet admota, ſcripſit Virgil. lib. 1. Æneid. vers. 245. dum Æneam ad inferos deſcenſurum ſacris operam dediſſe ſic ait:

Quatuor hic primum nigrantes terga juvencos
Conſtituit, frontique invergit vina ſacerdos,
Et ſummas carpens media inter cornua ſetas, &c.

E Ex quibus perſpicuum eſt, ritum carpendi ſetas de ſummo vertice hoſtiarum, non tam ex fœderibus, quàm ex communi uſu ſacrificiorum extitiſſe. Et Odyſſ. 3. v. 5. qui ſacrum facit, à præciſione pilorum exorditur. De quo ita Homerus.

Εὔχετ' ἀπαρχόμενος κεφαλῆς τρίχας ἐν πυρὶ βάλλων.

Hoc eſt:

Supplicavit, incipiens ex capite pilos in ignem jaciens.

F Ea enim præciſione pilorum apud Ethnicos, quemadmodum manuum impoſitione apud Iſraëlitas, victimæ, ut dicebam, devovebantur; quibus devotis ad prophanos uſus eaſdem convertere jam non licebat, ſed omnino igni, ariſque erant tradendæ.

Hoc eodem ritu devotas fuiſſe victimas in feriundis fœderibus, tam apud Græcos, quam etiam Ro-

 ma-

manos, tum a communi ratione ſacrificiorum, tum auctore Homero, & Virgilio novimus. Nam Homerus in lib. Iliad. cum ſæpè relata jam fœdera ſcripſit, quæ Trojani & Græci ad ſingulare certamen Alexandri & Menelai firmandum ſancivere, ferro præciſos pilos teſtatur; quos quidem Feciales, ſive mavis Caduceatores, inter Optimates, ac Proceres illorum, qui fœdera feriebant, diſtribuerunt. De quibus ita Homerus:

Α'τρείδης δὲ ἐρυσσάμενος χείρεσσι μάχαιραν,
Ἥ οἱ πὰρ ξίφεος μέγα κουλεὸν αἰὲν ἄωρτο,
Α'ρνῶν ἐκ κεφαλέων τάμνε τρίχας. αὐτὰρ ἔπειτα
Κήρυκες Τρώων, καὶ Α'χαιῶν νεῖμαν ἀρίστοις.

Incidebantur autem hi pili in fœderibus, non ab aliquo ex ultima fœce præminiſtro; neque alicujus plebeji, aut minorum ſacrificulorum munus id erat; ſed ab Atride ipſo præminiſtro pilos inciſos in allatis carminibus prodidit Homerus. Dubitari poſſet, ad fœderum miniſtrum aperiendum, cum duo eſſent Atridæ, Agamemnon nimirum, atque Menelaus fratres, uter illorum nomine Atridis intelligendus veniat in loco citato ex Homero: utrum videlicet Menelaus, qui cum Alexandro in arenam ad ſingulare certamen deſcenſurus erat, an Agamemnon, ſummus in ea expeditione Græcorum Imperator; ambo enim cum fratres eſſent, Atridas à Poëta aliquando dictos cognovimus. Menelaum tamen ab eo miniſterio nunc excludere cogimur; quod ſummam poteſtatem in Græcorum exercitu nequaquam haberet, quæ quidem ad ſacrum faciendum fœderum de cauſa requirebatur. Nec enim aliqua ſuadet ratio, cur in ea ſingularis certaminis occaſione, potius Menelaus, quam Alexander Trojanus, qui ex adverſo certaturus erat, pilos de ſummo vertice victimarum eorum fœderum occaſione incidere debuiſſet; pari enim dignitate illuſtrabantur, pari manu etiam ad pugnam ſingulareque certamen parabantur; eapropter vel ambo pilos incidere, vel certè neuter id facere debuiſſet. Magis igitur ad rem de qua agitur, Agamemnon Hebræorum Imperator Atridæ nomine ibi intelligendus videtur, ut etiam Spondanus ſentit; ad quam Imperii de ratione, ſacrorum quoque principatus pro more veterum debebatur; & qui fœderum pariter conditiones præſcribere, atque præſcriptas ratas facere, ſacris interpoſitis, tenebatur. Cur vero Agamemnon, non vero Priamus Trojanorum Rex illud obierit munus, non incongruè quæritur; ſed, ut puto, ratio à loco ſumi poteſt: quia nimirum in caſtris Græcorum ſub Imperio Agamemnonis, non autem intra mœnia Trojanæ Urbis, ea pacta feriebantur.

Pilis jam inciſis ab Agamemnone, non quidem ipſe, ſed Caduceatores, Ducibus ſummis, Optimatibus, Proceribus, & quibuſcunque aliis fortiſſimis militibus, utriuſque exercitus, ex munere eoſdem diſtribuebant; non quidem execrationis de cauſa, ut dicebat Spondanus; ſed quia ab ea præciſione, fœderum ſacrificia inchoabantur: præciſæ autem ſetæ omnibus quos diximus, tradebantur, ut his ab eiſdem in ignem injectis, ab omnibus ſacrificium inchoaretur, ejuſdemque ſacrificii participes cenſerentur. Hoc totum ex illis Homeri carminibus ſic interpretatis colligitur:

Atrides autem extrahens manibus cultrum,
Qui ei apud enſis magnam vaginam ſemper pendebat,
Agnorum ex capitibus abſcidit pilos: ſed eos poſtea
Præcones Trojanorum & Achivorum diſtribuerunt Optimatibus.

Mirum profectò, & revera minime prætereundum, qua religione cultuque hæc ſacra fœderalia apud gentes fierent. Agamemnon enim ſummus armorum, ac etiam fortaſſe ſacrorum Princeps, non gladio quo hoſtiæ jugulabantur, pilos quos diximus, incidit; ſed diverſo, ferreo nimirum gladio: æreus enim ille erat quo hoſtiæ jugulabantur, & ſacer; ille prophanus. Quam diverſitatem diverſa ab Homero aſſumpta vocabula plane indicant. Nam *μάχαιρα*, & *ξίφος*, ac *χαλκὸς* in Homeri carminibus nobis occurrunt. Machæra primo, qui gladius latus ferreus, & ad ſcindendum aptiſſimus erat; quem in latere Agamemnonis pependiſſe Homerus ſcribit. Is conjunctus erat alteri gladio, qui *ξίφος* appellatur. Fuiſſe verò *ξίφος* gladium, quo Agamemnon in prælio pugnabat, loca plurima ex Homero id probant; ubique enim eo vocabulo enſes in pugna apud prædictum Auctorem dictos comperi. Ferreo autem gladio ſetas præciſas in ſacrificiis Ethnicorum, Euripides in Elect. inſinuaſſe videtur, dicens:

Α'ίγισθος ὀρθὴν σφαγίδα, μοσχίαν τρίχα
Ταμὼν, ἐφ' ἁγνὸν πῦρ ἔθηκε δεξιᾷ.

Sermo Poëtæ erat de ſacrificio, quod Ægiſthus ad manes paternos placandos habuit. Et quia à præciſione pilorum ſacrificium inchoabatur; propterea Poëta inciſionis pilorum, & cultri in illis carminibus meminit. Quæ ſic interpretantur:

Ægiſthus directum cultrum, vitulinos pilos
Secans, in luſtralem ignem impoſuit dextra.

Et licet hic nihil de ferreo gladio apertè dicatur; tamen ex Virgilio loco infra citando, & ex Statio 4. Thebaid. ferreo gladio ſetas præciſas conſtat. Sic enim ait:

. . . . Jamque ardua ferro
Signati capita, & frugum libamine primo
In vulnus cecidere greges . . . . . .

Niſi velimus aliud fuiſſe ſignare capita mactandarum victimarum, aliud præcidere ab eiſdem pilos. Cultrorum vero diverſitas, ex eo in fœderibus Græcorum ſuſpicari poteſt, quod ſetas Agamemnon ſecuit; at verò jugulare victimas ad popas, ex ritu ſacrorum pertinebat, licet in his foederibus Agamemnonem victimam jugulaſſe conſtet. Sed quicquid ſit de Græcis, ferreo gladio ad præciſionem pilorum ſubſcribit Virgil. lib. 12. Æneid. dum foedus inter Æneam, & Turnum, ictum ita ſcribit:

. . . . Et tempora ferro
Summa notant pecudum, pateris altaria libant

Ex quo poſtremo Virgilii loco, nec non etiam ex Homero, Euripide, Statio & aliis, non manibus evulſos pilos hoſtiarum, ſed ferro præciſos, tam apud Græcos, quam apud Romanos perſpicuum eſt.

At apud Iſraëlitas, cùm in Regum inauguratione pacificæ hoſtiæ mactarentur, ſacrificiumque pacificorum ab impoſitione manuum inchoaretur; etiam in quibuſcunque foederibus firmandis manus vertici hoſtiæ impoſitas ab his, qui in foedus veniebant, certum eſſe debet. Hæc enim cap. 3. Levit. de ſacro pacificorum legitur: *Quod ſi hoſtia pacificorum fuerit ejus oblatio, & de bobus voluerit offerre, marem ſive feminam, immaculata offeret coram Domino.* Hæc ad qualitatem victimæ pertinent. Quantum ad ritus, textus ſequitur his verbis: *Ponetque manus ſuper caput victimæ ſuæ, quæ immolatur in introitu tabernaculi teſtimonii &c.* In foederum igitur ſacrificiis, quæ erat pacificorum, impoſitas fuiſſe manus ſupra caput victimæ, perſpicuum eſt.

Contactus verticis hoſtiarum, & dexterarum conjunctio inter illos, qui paciſcebantur, non tam ex riti-

A ritibus Græcorum & Romanorum, quam etiam Iſraëlitarum in firmandis foederibus ſequebatur. A ſimilitudine foederum in nuptiis, ſive malis, à nuptiarum foederibus, id haurio. Nam quod dexteræ in nuptiis atque ſponſalibus firmandis conjungerentur apud Iſraëlitas, ſcribitur in lib. Tob. cap. 7. in quo Raguel Saram filiam ſuam Tobiæ tradidit ſponſam; & ſic dicitur: *Et apprehendens dexteram filiæ ſuæ, dexteræ Tobiæ tradidit dicens &c.* Hanc autem cæremoniam in foederibus quoque ſervatam puto; quia ſæpè legimus etiam apud prophanos ſcriptores, eoſdem ritus in nuptiis fuiſſe ſervatos, qui in foederibus ſervabantur. Nam lib. 1. Paralip. cap.
B 29. Davide adhuc vivente, quando Salomon ſecundo fuit Rex renunciatus, ſummaque cum ſolemnitate in conventu totius regni ſacro oleo inauguratus; pro foedere firmando dexteram Proceres, & Magnates regni porrexiſſe ſubodoratur ex his, quæ ibi dicuntur his verbis: *Sed & univerſi Principes, & potentes, & cuncti filii Regis David dederunt manum, & ſubjecti fuerunt Regi.* Quidnam ſibi voluerint dando manus, ſupra jam in aliquo ſenſu, nimirum ad conteſtationem ſubjectionis, explicavimus; ſed non incongruè poteſt etiam interpretari, ad ſymbolum fidei Proceres Reipublicæ porrexiſſe manus in foedere feriundo.

C Romanorum quoque conſuetudo perantiqua fuit, in foederibus firmandis dare dexteras. Tradidit hoc Livius lib. 5. decad. 1. dicens: *Dextera data fidem futuræ amicitiæ ſanxit: idem fœdus ictum inter Duces, inter exercitus ſalutatio facta.* Fuit quoque id commune Græcis, ſi Euripidi in Iphig. fides eſt habenda, act. 1. verſ. 57. ubi Agamemnon Senem ſervum alloquitur; datque rationem ſatis prudentem ex periculo inimicitiarum, quæ inter Proceres Græciæ timebantur propter nuptias Helenæ, quas illa icto inter ipſos foedere, ea conditione ſedavit, ut omnes ad favorem illius ſtarent, quem ipſa elegiſſet. De quo fœdere agens Poëta dexteræ datæ meminit
D dicens:

. . . . καί νιν εἰσῆλθεν Τάδε,
Ὅρκους συνάψαι, δεξιάς τε συμβαλεῖν
Μνηστῆρας ἀλλήλοισι, ϗ δι' ἐμπύρων, &c.

Quæ ex phraſi quidem Euripidis difficillima ſunt interpretatu; at ex Gulielmi Canteri interpretatione hoc ſignificant:

. . . . *Et hoc ei in mentem venit,*
Ut juſiurandum mutuò darent, & dextras conjungerent
Proci inter ſe, & per ardentes victimas . . .

E Illa enim verba ϗ δι' ἐμπύρων, ut adnotavit Joannes Brodæus, immolatis hoſtiis fœdera ſanciri conſueviſſe ſignificant. Qui locus juxta Eraſmi auctoris damnati tranſlationem ſic ſe habet:

Ut coirent jurejurando proci,
Atque inter ipſos jungerent dexteras, ad hæc
Adolenda divum ponerent aris ſacra.

Quibus verſibus Euripides in fœderum ritibus dexterarum conjunctionem complexus eſt. Græcos pariter in fœdere ſæpè relato dexteras Trojanorum complexos fuiſſe, & viciſſim Græcorum dexteras complexos fuiſſe Trojanos, ſcripſit Homer. lib. 4.
F Illiad. cùm Agamemnon fracti fœderis à Trojanis conquereretur, fratremque Menelaum conſolaretur: quem Pandarus unus e Trojanis, contra fœderis præſcripta impiè vulneraverat. Conſolatur, inquam, illum Agamemnon ſpe interpoſita, quod à Diis adverſus quos Trojani pejeraverant, ulciſceretur. Qua occaſione meminit juramenti, pollicitæ fidei, & dexterarum complexus, dicens:

Σπονδαί τ' ἄκρητοι, ϗ δεξιαὶ ᾗς ἐπέπιθμεν.

In dextris enim datis ſe plurimum fidere Agamemnon affirmat, ac in ſacris libaminibus, quæ, ut arbitror, propterea imperfecta Agamemnon appellat, ob Punicæ fidei defectum, ſi loqui ita fas eſt, de fide Trojanorum ad mentem Homeri, cujus teſtimonii hæc eſt interpretatio:

Merique libamina, & dexteræ, quibus confidimus.

Apud alias quoque quamvis barbaras nationes, junctas fuiſſe dexteras in fœderibus ad fidem firmandam, hiſtorici ubique teſtantur. Etenim Parthos apud altaria tanquam Diis teſtibus & arbitris, poſtquam ſacra libaſſent, dexteris datis pacem inire, fœderaque ſancire conſueviſſe ſcribit Alex. ab Alex. lib. 15. cap. 3. Quam ob rem Principum atque Magnatum fidiſſimi miniſtri, dexteræ illorum appellantur; ut apud Martial. lib. 11. epigr. n. 7.

Lydia dicebar Domino fidiſſima dextra.

Et Statius lib. 5. Sylvat. eleg. prima in eandem ſententiam ait:

Vidi te pridem in flore nitentem,
Vidi alte propius, propiuſque accedere dextræ.

Nec omittamus quæſo, communem hanc omnium gentium conſuetudinem jungendi dexteras in fœderibus ex numeri denarii religione fluxiſſe, ut ſcribit Rhodig. lib. 22. antiquit. lect. cap. 14. quod nimirum numerus denarius omnium numerorum perfectiones complecteretur. Eodemque teſte lib. 4. cap. 3. auctoritate Diodori, dextera ſanctiſſimum fidei pignus cenſebatur; ut propterea fœdera, ad ſacras aras, Diis teſtibus firmata, victimarum ſanguine ſignata, & dexterarum ſanctiſſimis pignoribus roborata, inconcuſſa omnino haberentur, & rata crederentur; atque contra præſcripta fœdera operari, ſacrilegum ab omnibus exiſtimaretur.

CAP. LXII.

Juramenta fœderalibus hoſtiis adjungebantur.

Ad loca cap. 26. Gen. *Sit juramentum inter nos, & ineamus fœdus.* Cap. 31. *Juravit ergo Jacob per timorem Patris ſui Iſaac.* Ezech. 34. *Et tollet de ſemine regni, ferietque cum eo fœdus, & ab eo accipiet jusjurandum.* Judic. 11. *Dominus, qui hæc audit, ipſe mediator, ac teſtis eſt quod noſtra promiſſa faciemus.* Et ad alia.

JURAMENTO ſanciri ac firmari fœdera ubique gentium cenſebatur. In juramentis vero quibus fœdera firmabantur, non ſolum juramenti forma, ex ſono verborum attendenda erit; ſed etiam ritus atque cæremoniæ, quæ juramento interponebantur.

Juramentum definiunt Doctores, quod ſit actus, quo divinum nomen fidei faciendæ cauſa adhibetur. (hæc obiter dicta ſint; non enim definitionem juramenti inquirimus.) Cum enim juratur, Deus quaſi teſtis eorum, quæ dicuntur, invocatur. Quamobrem etiam Cicero lib. 3. de offic. *Juſjurandum,* inquit, *eſt affirmatio religioſa: quod autem affirmatè quaſi Deo teſte promiſeris, id tenendum eſt: jam enim non ad iram Deorum, quæ nulla eſt, ſed ad juſtitiam, & ad fidem pertinet.* Quo ſenſu nullam dari in Numinibus iram Cicero dixerit. Quodnam ſpecimen veri ex ſacra theologia habeat, diſcutere non eſt præſentis inſtituti; dari tamen juſtitiam ac fidelita-

tem in Deo, Cicero, ſacra Theologia, ſacra oracula, recta ratio docent. Eapropter quicquid Deo teſte invocato aliquis promiſerit, perſolvi neceſſe fore conſtat; quia juramentum ſacrorum Numinum juſtitiam, fidelitatemque reſpicit. Quæ divina attributa ille, qui promiſſa juramento firmata non ſolvit, impiè negaſſe cenſetur. Nam juris utriuſque periti dixerunt, *Juramentum eſſe affirmationem, vel negationem, ſacræ rei atteſtatione firmatam.* Bald. in leg. 1. ff. de jurejur. Hoſtien. in ſumma tit. de jurejuran. Abbas Felin. & alii in rubr. de jurejur. Et quia affirmatio, & negatio dicit conceptum mentis, ut Metaphyſici docent; propterea recte argumentamur, juramentum externum nil aliud eſſe, quàm internæ voluntatis, ſive interni conſenſus teſtificationem, Deo ſummo invocato, qui humanarum voluntatum ſcrutator perſpicaciſſimus eſt.

Deorum igitur cultus fecit, ut apud quaſcumque nationes, ſumma cum religione, juramentum ſemper veneratum fuerit; ac etiam ſoluta quæcumque juramento firmata fuiſſent. Et quidem Deus de perjuris ultionem ſe ſumpturum ubique in ſacris litteris conteſtatus eſt. Nec id ſolum apud eos, qui verum Deum coluerunt, & ſanctæ religionis leges ac ritus ritè ſervaſſent; ſed etiam apud reliquos, qui inani cultu plurima Deorum ſuperſtitione tenebantur, divinæ ultionis in perjuros animadverſio enituit. Philoſtratus enim lib. 1. de vita Apoll. Thyan. apud Thyanam, fontem Jovi ſacrum extitiſſe ſcribit (ſive verè, ſive falſo, viderint alii) frigidum ſanè, ſed perpetua ebullitione mirabilem, viris probis, puris, & fidem ſervantibus dulcem, atque aſpectu placidum, infidis verò atque perjuris omnino adverſum; ita ut ejus aqua epota, oculos, manus ac pedes pejerantis adeo inficeret; ut puſtulis ac vomicis totum corpus pejerantis commacularetur, atque ab eo fonte diſcedendi facultas his ipſis ſublata foret, qui pejeraſſent. Quin etiam propè fontem ipſum ſuam calamitatem perpetuo deplorare cogerentur, & palam vi morbi, ſe pejeratos fuiſſe profiterentur. Quæ licet ab antiquis ficta, vel diabolicis præſtigiis contigiſſe non dubitaverim; argumento nobis ſunt, quàm ſacrilegum pejerare ab Ethnicis etiam cenſeretur. O pejerantium juſtiſſima vindicta, ò fidelitatis ſancta religio, ac juramenta ſervantis gratiſſimum Deo ſacrificium! Dei enim veracitatem, fidelitatem, juſtitiamque homines profitentur, dum juramento firmata ſervant.

Græcos quoque juramentum in paciſcendo, feriendiſque fœderibus interponere conſueviſſe, tam ex his, quæ in fine ſuperioris capituli diximus, quam ex his quæ hic proximè citavimus in illis verbis Euripidis, non obſcurè colligitur.

Vt coirent jurejurando Proci.

Niſi enim tam Trojani, quam Græci in illo fœdere, de quo ſcripſit Homer. lib. 3, Iliad. juramentum interponere conſueviſſent; nequaquam Poëta ſupplicatum fuiſſe ab Agamemnone ſcripſiſſet, ut quicumque pejeraſſet, ſæviſſime puniretur. Si ergo juramento, teſte Euripide, proci conveniebant, ac etiam, ut vidimus, in diſtributione pilorum de ſummo vertice victimarum inciſorum, quam nobis ſcripſit Homerus, Proceres conveniebant; pariter in fœdere feriendo juramentum quoque adhibuiſſe Græcos ac Trojanos de ſtando promiſſis indubitatum erit: propterea enim inferas Deitates loco proximo evocavit Homerus, ut quoſcumque pejerantes comperiſſent, ſæviſſimè punirent.

Si quis vero adhuc ambigeret, an Hebræi juramentum interponerent in fœderibus ſanciendis; ſacras paginas evolvat, & ſexcenta loca veritatem hanc explanabunt. Ne verò longius abeamus, ſeſe

A nobis offert cap. 31 Gen. ubi Jacob fœdus cum Labano inivit, ut pax atque concordia inter utrorumque proſapias perpetuò ſtabiliretur. Antequam hoſtiæ fœderales immolarentur, hæc de juramento habet ſacer textus: *Juravit ergo Jacob per timorem patris ſui Iſaac.* Et cap. 21. ejuſdem libri, in quo de fœdere inito inter Abraham, & Abimelech in Berſabea agitur, hæc habentur: *Idcirco vocatum eſt nomen loci illius Berſabeæ, quia ibi uterque juravit, & inierunt fœdus pro puteo juramenti.* Et cap. 26. ejuſdem libri, Abimelech venit cum Ochozat, & Dux militum Pycol de Geraris ad ineundum fœdus cum Iſaac; ſed quia in fœdere juramentum interponeba-
B tur, dixerunt: *Sit juramentum inter nos, & ineamus fœdus.* Juramento igitur fœdera ſtabilire conſueviſſe Iſraëlitas perſpicuum eſt.

Quinimo juramentum adeo intrinſecum fœderibus cenſebatur; ut Deum quoque juramentum adhibuiſſe in feriendis fœderibus cum hominibus legatur. Nam Geneſ. cap. 10. perpendunt Rabini, quod ubi nos legimus, *Nequaquam ultra maledicam terræ propter homines*, bis in Hebraico textu legitur לא אסף. Quam reduplicationem fieri à Deo tradunt vigore juramenti, quo Deus ſe obligavit de non mittendis jam aquis diluvii ad ruinam omnium hominum. Scri-
C pſit hoc in prædicto loco R. Salomon, qui etiam auctoritate Rabbinorum in tractatu de juramentis idipſum confirmat. Et cap. 26. Gen. jam citato, quamvis Deus ad aliquid nequeat adſtringi, nec juramento, ac magis ſimplici promiſſioni ſtare teneatur, ut communiter Doctores cum Concil. Tolet. 8. tradunt: & habetur 22. quæſt. 4. cap. *incommutabilis.* Athanaſ. tractatu de Cruce, & de Paſſione Domini. Baſil. ſer. 1. in pſal. 14. Epiphan. hæreſi 29. Tertul. lib. 2. contra Marc. cap. 26. Ambroſ. lib. 1. de Abel, & Cain cap. 10. & alii plures, quos brevitatis cauſa omittendos duxi; nihilominus in veteri teſtamento humanæ conditioni ſeſe accommodans Deus, dum
D poſteritati Abrahæ, Regiones Chananæorum poſſidendas tradere promiſit, juramento teneri voluit, dicens ad Iſaac: *Tibi enim, & ſemini tuo dabo univerſas regiones has, complens juramentum, quod ſpopondi Abraham patri tuo.* Ad quod ſanè juramentum reſpiciens Zacharias apud Luc. 1. dicebat: *Jusjurandum, quod juravit ad Abraham patrem noſtrum daturum ſe nobis.* Ea enim ipſa nocte, in qua Deus cum Abrahamo fœdus pepigit, Meſſiam quoque in fœdere comprehendit, dicens: *In ſemine tuo benedicentur omnes tribus terræ.* Similiter in fœdere inito à Deo cum Iſraëlitis in monte Synai, juramentum interpoſitum fuiſſe ab Iſraëlitis cap. 12. lib. Sap. ſcribitur, divinaque juſtitia commendatur, quod legis tranſgreſſores punierit, his verbis: *Cum quanta diligentia judicaſti filios tuos*, hoc eſt populum Iſraëliticum;
E *quorum parentibus juramenta & conventiones dediſti bonarum poſſeſſionum?* Niſi fortaſſe velimus locum hunc Sapientis reſpicere ad cæremoniam illam, quam legimus decretam à Moyſe in cap. 27. Deuteron. & cap. 8. Joſue ab eo ſervatam, Levitis ſtantibus in monte Hebal & Garizim ad imprecandum mala, precandumque bona filiis Iſraël in ingreſſu terræ promiſſionis. Nam dictionem *Amen*, qua ibi utebatur populus in confirmationem precationum & imprecationum, vim juramenti habuiſſe tradunt Rabbini in cap. 12. Geneſis, inquirentes, quis locus ſit ille, qui in noſtro textu dicitur convallis illuſtris, &
F in Hebraico codice Helon Moreh. R. Salomon ſcribit: is eſt *ſcachen*: unde vidit, ſupple Abraham, montem Garizim, & montem Hebal, in quibus Iſraëlitæ acceperunt juramenta legis; tunc enim in eo loco, juramento, legis conventiones firmatæ cenſeri poſſent. Ex quibus, adeo hæc duo, foedus nimirum ac juramentum ex inſtitutis veterum fuiſſe

con-

conglobata, eſt manifeſtum, ut etiam quando ab hominibus negotia cum Deo agebantur, foederaque ſanciebantur, juramentum foederi apponeretur.

Suſpicabitur fortaſſe aliquis, juramentum non habuiſſe locum in foederibus inaugurationis, de quibus noſter eſt ſermo. Sed veritatem deteget nobis locus ex cap. 17. Ezech. cùm Nabuchodonoſor victor de Jeroſolymitano regno, deque tota Judæorum gente, Joachim Regem, qui tunc principatum tenebat, una cum tota ejus familia in Babylonem captivum tranſtulit, viribuſque regni debilitatis, alium Regem in Jeruſalem conſtituit, quem Sedechiam nominavit; in cujus inauguratione præſtito illi juramento, ictum fuiſſe foedus ſacra aperuerunt oracula. Nec dubium quin ex inſtitutis & conſuetudine inaugurationis, juramentum illud præſtitum tunc fuerit. Id totum Ezech. prædixerat dicens: *Et tollet de ſemine Regni, facietque cum eo fœdus, & ab eo accipiet juſiurandum.* Juramentum ergo foederi conſociabatur, cum Princeps aliquis Rex renunciaretur, ſacroque inauguraretur oleo.

Qua verborum forma Iſraëlitæ jurare conſueverint, minimè explicatum video: eam tamen, *Vivit Dominus*, quæ paſſim in ſacris libris occurrit, ad juramenti formam pertinuiſſe ſuſpicari, ac certò credi non immerito poſſet: doctiores rem hanc inquirant. Apud Græcos verò juramenti formam eam extitiſſe arbitror, quam ponit Homerus lib. 7. Iliad. ἴστω Ζεὺς, id eſt, *ſciat Jupiter.*

Ὅρκια δὲ Ζεὺς ἴστω ἐρίγδουπος πόσις Ἥρης.

Hoc eſt:

Juramenta autem Jupiter ſciat valde ſonnans maritus Junonis

Lib. etiam 10. Il. apud Homerum erat negotium Hectori cum Dolone quodam, qui caſtra Græcorum ſe exploraturum ſpoponderat; deque conventis conditionibus explorationis Dolon juramentum interponendum ab Hectore petebat. Quod quidem ſub eadem verborum forma interpoſitum Homerus ſcribit:

. . . . καὶ οἱ ὄμοσσε
Ἴστω νῦν Ζεὺς αὐτὸς ἐρίγδουπος πόσις Ἥρης.

Hoc eſt:

. . . . *& ei juravit:*
Sciat nunc Jupiter ipſe valde ſonans maritus Junonis.

Profuſa vero verborum ſeries, in conteſtandis evocandiſque Deis foederum teſtibus, ex Homero lib. 3. Iliad. aperte per hæc verba habetur:

Ζεῦ πάτερ Ἴδηθεν μεδέων κύδιστε, μέγιστε,
Ἠέλιός θ᾽ ὃς πάντ᾽ ἐφορᾷς, καὶ πάντ᾽ ἐπακούεις,
Καὶ ποταμοὶ, καὶ γαῖα, καὶ οἱ ὑπένερθε καμόντας
Ἀνθρώπους τίνυσθον, ὅ, τις κ᾽ ἐπίορκον ὀμόσσῃ,
Ὑμεῖς μάρτυροι ἔστε, φυλάσσετε δ᾽ ὅρκια πιστά·

Invocabantur enim, ut ex allatis verſibus liquet, Dii ſupra coeleſtes, Numina ipſa coeleſtia, terreſtria, fluvialia ac ſubterranea; ut foederi quod feriebatur, teſtes adeſſent. Quæ omnia per ſummum ſacrorum Antiſtitem, totiuſque exercitus Imperatorem firmabantur. Sic enim allata interpretantur:

Jupiter Pater ab Ida imperans gloriosiſſimè, maxime,
Solque, qui omnia vides, & omnia audis,
Et fluvii, & terra, & quæ ſubter laborantes
Homines punitis, quicumque pejeraverit;
Vos teſtes ſitis: obſervate autem fœdera fidelia.

Et in foedere, quod Proceres Magneſiæ atque Smyrnæi inter ſeſe ad favorem Regis Seleuci ſancierunt, quod inter antiqua rudera Græciæ Comes Arundelius publicavit, ſic juratur. ὀμνύω διὰ γῆν, ἥλιον, ἄρη, ἀθηνᾶν, ἀρείαν, καὶ τὴν ταυροπόλον, καὶ τὴν μητέρα τὴν Σιπυληνὴν, καὶ ἀπόλλω τὸν ἐν πάνδοις, καὶ τοὺς ἄλλους θεοὺς πάντας, καὶ πάσας, καὶ τὴν τοῦ βασιλέως Σελεύκου τύχην. Hoc eſt: *Juro per terram, Solem, Martem, Minervam, Martiam, Dianam, & matrem Sipylenem, Apollinem, qui eſt in Pandis, & alios Deos omnes, ac Deas, & fortunam Regis Seleuci.* Simili forma jurant quoque Smyrnæi, niſi quod pro Apolline, Venerem Stratonitidem invocarunt: nihilque de fortuna Seleuci meminere, quia hæc in Venere Stratonitide ſignificabatur. Juramentorum autem hæc diverſitas, numina reſpicit, quæ ſingulari religione à ſingulis regionibus colebantur. Nam præter communia totius Græciæ Numina, unaquæque gens cum juraret, illa advocabat Numina, quæ ſingulari religione apud eos colebantur. Latinos etiam eamdem aut ſimilem habuiſſe juramenti formam, per ea, quæ Turnus apud Virgil. lib. 12. Æneid. dixit, liquido conſtat.

Audiat hæc genitor, qui fœdera fulmine ſancit.

Sancit, id eſt, ut Servius interpretatur, ſancta eſſe facit. Nam cum fœdera feriebantur, ſi coruſcatio adfuiſſet, juramenta ipſa ab Jove confirmata credebantur. *Vel ſancit*, id eſt, rata haberi vult, fulmine vindicando quicquid contra formulam juramenti commiſſum fuiſſet. Sed ampliorem etiam Deorum conteſtationem legimus in eodem loco apud Virgilium, in quo Æneas Deos coeleſtes, terreſtres, aqueos, & quaſcumque alias Deitates, foederis teſtes advocat dicens:

Eſto nunc Sol teſtis, & hæc mihi terra precanti,
Quam propter tantos potui perferre labores,
Et pater omnipotens, & tu Saturnia Juno
Jam melior, jam Diva precor, tuque inclite Mavors,
Cuncta tuo, qui bella, Pater, ſub numine torques,
Et fontes, fluvioſque voco, quæque ætheris alti
Relligio, & quæ cœruleo ſunt Numina ponto.

In hac verò foederum materia, ſi velimus ſolemniſſimam jurisjurandi formam à Romanis haurire; vetuſtiſſima erit per Jovem lapidem jurare, ut pluribus in locis veterum monumentorum ſcriptores tradunt. Et habetur ex Apuleio in lib. de Deo Socrat. & ex Feneſt. lib. 1. de ſacerd. Rom. cap. 9. & Polyb. lib. 3. hiſt. cum de foedere icto inter Romanos, & Carthaginenſes tractat. Fecialis enim lapidem tenebat, Jovemque lapidem, cum juraret, conteſtabatur. Nam Fecialium munus erat, pacis foedera ferire, diſceptationemque non armis, aut certaminibus contentiones ſupprimere: neque prius, quam abſciſſa omni juris obtinendi ſpe, ad arma populos, Feciales ire ſinebant. Hi igitur in foederibus firmandis juramentum interponebant ſub hac forma: *Si recte, & ſine dolo malo fœdus hoc, atque jusjurandum facio.* Hanc vero per Jovem lapidem jurandi formam, ſanctiſſimam habitam fuiſſe Coel. Rhodig. lib. 21 cap. 15. ex auctoritate Gellii lib 1. Noctium Attic. ſcribit. Cujus juramenti eamdem formam cum Feneſtella *ſi ſciens fallo*, deſcripſit. Ad hæc verba cum quidam juraturus perveniſſet apud Cicer. lib. 7. epiſt. fam. vox ei defecit; ut Deo permittente, miraculo etiam apud Ethnicos, juramenti religio comprobaretur. Alia quoque Numina præter relata invocare, eademque fracti juramenti vindices invocare Tro-

re Trojanos conſueviſſe, ex Virgil. lib. eodem hauriri poteſt; apud quem Latinus in juramento his utitur verbis:

Hæc eadem, Ænea, terram, mare, ſidera juro,
Latonæque genus duplex, Janumque bifrontem,
Vimque Deum infernam, & duri ſacraria Ditis.

A ſacris verò litteris Ethnicos hauſiſſe, prophanaſſeque has eaſdem conteſtationes ſuſpicor. Moyſes enim filios Iſraël ad obſervantiam foederis cum Deo ſanciti, cum Deuteronom. 4. & 30. Iſraëlitas exhortaretur, *Teſtes invoco hodie*, inquit, *Cœlum & terram*. Ubi creaturas juramenti teſtes Moyſem invocaſſe conſtat. Illamque conteſtandi formam confirmat Deut. 32. dicens: *Audite, Cœli, quæ loquor, audiat terra verba oris mei*. Ad quam conſuetudinem advocandi teſtes juramentorum coelum, & terram Chriſtum quoque reſpexiſſe arbitror; cum nobis Matt. 5. prohibuit jurare per Coelum, aut terram dicens: *Ego autem dico vobis non jurare omnino, neque per Cœlum, quia thronus Dei eſt; neque per terram, quia ſcabellum eſt pedum ejus*. Hoc autem Chriſti præceptum ad rem minime feciſſet, niſi coelum terramque teſtes juramenti advocare tunc temporis Hebræi conſueviſſent.

Foederibus inaugurationis conſueviſſe Iſraëlitas juramentum interponere, teſtemque Deum invocare, in cap. 11. lib. Judic. ſacer textus aperuit, ubi Galaaditæ Jephte, quem elegerant in Ducem adierunt; ut ejus opera, & militari peritia ab imminenti periculo vaſtationis, quod illis ex Madianitarum armis imminebat, liberarentur. Cumque de illorum fide parum fideret Jephte, Galaaditæ dixerunt: *Dominus qui hæc audit, ipſe mediator, ac teſtis eſt; quod noſtra promiſſa faciemus*. Habebimus nimirum te in Principem exercitus. Sub hac enim conditione ſummi ducatus, Jephte in bellum deſcendere, manuſque cum Ammonitis conſerere Galaaditis ſpoponderat. Et quia in foedere inaugurationis Deus teſtis invocabatur, ideo cap. 17. Ezech. cum Sedechias Rex Judææ à Nabuchodonoſore Rex inauguratus, & renunciatus, contra juramentum ac foedus ſancitum, Regem Ægypti, armaque illius contra Nabuchodonoſorem Regem Babylonicum commoviſſet; Deus ſe à Sedechia ſpretum fuiſſe per Prophetam conqueritur, ſeque illam rebellionem ulturum affirmat, dicens: *Et judicabo eum ibi in prævaricatione, qua deſpexit me*. Nequaquam verò ſe contemptui habitum à Rege Sedechia aſſeruiſſet Deus, niſi in foedere ſanciendo Deus teſtis invocaretur.

Juramentorum ritus, & cæremoniæ exquirendæ remanent, quæ ſi ex ſacris oraculis ſubodorandæ ſint, manus in coelum tollere ac elevare in juramento Iſraëlitas, etiam ante latam legem conſueviſſe dicemus. Unde Geneſ. 14 cùm Rex Sodomorum, Abrahamo victori cuncta ſpolia, quæ prædatus fuerat in pugna adverſus Amraphel, & ejus confoederatos conceſſiſſet, dixiſſetque ei, *Da mihi animas, cætera tolle tibi*; Abraham ſe nihil illorum accepturum aſſeruit, ac juramento firmavit dicens: *Levo manum meam ad Dominum Deum excelſum poſſeſſorem cœli, & terræ.* Qua quidem manus elevatione ſe teſtem Deum invocare profeſſus eſt: quinimo Deus ipſe temporum conſuetudini indulgens, hominumque conditioni ſeſe accommodans, quoties de aliqua re cum hominibus egiſſet, juramentumque interpoſuiſſet; eadem tollendi manum cæremonia, juramentum firmare ſolebat. Unde Deuter. cap. 23. legitur: *Levabo ad cœlum manum meam, & dicam, vivo ego; ſi acuero ut fulgur gladium meum.*

Hac verborum phraſi, loca plurima ſacrarum litterarum illuſtrantur, in quibus Deum ſuper aliquas regiones manus ſuas levaſſe legitur. Quibus ſanè ver-
A bis, aliquid de illis regionibus Deum conſtituiſſe, juramentoque id confirmaſſe ſignificatur. Quia enim Deus Abrahamo terram Chananæorum ſe daturum juraverat, & ad cæremonias juramenti, illiuſque confirmationem manus levari pertinebat; eapropter cum de illis regionibus ſibi loquendum fuit, ſe manus levaſſe ſuper illas profitebatur. Quamobrem cap. 14. Numer. conteſtans neminem eorum Iſraëlitarum perventurum ad regionem promiſſam, qui in ſeditione conſenſerant, ait: *Omnes qui numerati eſtis à viginti annis, & ſupra, & murmuraſtis contra me, non intrabitis terram, ſuper quam levavi manum meam.* Similiter etiam cap. 20. Ezech. Deus ipſe jubet Pro-
B phetam exprobrare Iſraëlitico populo ea, quæ in terra Ægypti ad ipſorum favorem operatus eſſet, quando juramento ſe daturum illis terram Chananæorum ſpopondit. Cujus juramenti meminit ſub metaphora elevationis manus in hæc verba: *Et dices ad eos: Hæc dicit Dominus. In die qua elegi Iſraël, & levavi manum meam pro ſtirpe domus Jacob, & apparui eis in terra Ægypti, & levavi manum meam pro eis dicens: Ego Dominus Deus veſter. In die illa levavi manum meam pro eis, ut educerem eos de terra Ægypti.* Quæ quidem dicendi phraſis, in ſacris oraculis ubique ju-
C rantis eſt.

Ethnicos à ſacris oraculis mutuatos puto, ut ipſi quoque jurando manus levarent. Tradidit id nobis Virgilius lib. 12. Æneid. ubi Latinus foedus icturus cum Ænea, juramentoque foedus ſtabiliens, manum ad coelum elevavit. De quo Poëta cecinit ſic:

Suſpiciens cœlum, tenditque ad ſidera dextram.

Imò non dexteram vacuam, ſed dexteram ſceptrum regium tenentem, ſcribit Poëta Latinum elevaſſe dicens:

Dextra ſceptrum nam forte gerebat.

D Non quidem quod id fortuito acciderit, ut nonnulli in eo loco Virgilii putant; ſed more jurantis Regis hoc Poëtam dixiſſe arbitror. Quia enim Turnus in publicis actibus, pro regia majeſtate ſceptrum tenebat; propterea ex præſcriptis ritibus juramenti, tam Græcorum, quam Trojanorum, id factum Virgilius ſcripſit: quod etiam Homer. lib. 7. Iliad. nobis teſtatum reliquit. Trojani enim acerba clade à Græcis proſtrati, ab Agamemnone Græci exercitus Imperatore funerandi cadavera facultatem poſtulant; petitis annuit Agamemnon, conceſſaque ſceptri elevatione juramento firmavit. Juramentum hoc Poëta ſub hac verborum forma retulit.

E Ὣς εἰπὼν, τὸ σκῆπτρον ἀνέσχε τε πᾶσι θεοῖσιν.

Quaſi Diis ſceptrum à Regibus tunc porrigeretur, quando jurabant, ut juramenti teſtes advocarentur. Sic enim illa interpretantur:

Sic dicens ſceptrum porrexit omnibus Diis.

Quam eamdem conſuetudinem, non tam ex præſcripto Græcorum, quam etiam Trojanorum deductam, idem Poëta lib. 10. Iliad. teſtatur. Cum enim Hector Priami filius, gloria militari celeberrimus, ſcire percuperet, quid Græci in caſtris agerent; excubiaſne debita diligentia haberent, caſtrorumque
F vigilias ſervarent; an vero ad quæcumque bellica munia negligentiores ſe gererent; cogitarentne ad ultimum uſque ſpiritum bellum proſequi; an vero fugam meditarentur; Dolon quidam Hectori cuncta ſe exploraturum ſpopondit ea conditione, ut equi curruſque Achillis poſt victoriam ab Hectore ei donarentur. Hæc autem juramento firma fore voluit. De quo ita Homerus:

Α'λλ'

Ἀλλ' ἄγε μοὶ τὸ σκῆπτρον ἀνάσχεε, καὶ μοὶ ὄμοσσον.

Hoc eſt.

Sed age, mihi ſceptrum eleva, & mihi jura.

Non ſolum igitur in foederibus ſanciendis, ſed etiam extra foedera ſceptrum à Regibus, manuſque à veteribus jurandi cauſa elevabantur. Quem etiam ritum elevandi manus in foederibus, quando Princeps, Rex renunciabatur, & ſacro jam fuiſſet conſecratus oleo, ex pervetuſto conſuetoque jurandi ritu admittere cogimur; ut foedera ipſa præter firmitatem, quam à ſacris aris, à datis dextris, à victimis devotis, ab impoſitione manuum habuerant, juramento quoque firmiora fierent; atque omni religioſo ritu ſancita, & firmata, inconcuſſa in firmiſſima religionis baſi ſtabilirentur; nec aliquando Princeps, aut populus haberet argumentum, per quod ſibi licere arbitraretur, à foederum conditionibus recedere, ac promiſſis non ſtare.

CAP. LXIII.

Fœderum precationes, imprecationeſque explicantur.

Ad locum Jerem. cap. 34. *Et non ſervaverunt verba fœderis, quibus aſſenſi ſunt in conſpectu meo: vitulum quem conciderunt in duas partes, & tranſierunt inter diviſiones ejus Principes Juda, Principes Jeruſalem, Eunuchi, & Sacerdotes, & omnis populus terræ, qui tranſierunt inter diviſiones vituli.* Et ad alia plura loca.

SACRIS aris, junctis dexteris, devotis victimis, juramento, Numinum atteſtationi, Divorum invocationi, adhuc precatio bonorum in his, qui foedera ſervaſſent, in foedifragos malorum imprecatio adjungebatur: bona igitur, ac mala pro omnibus ſtabant. Sed quia antiquæ ſuperſtitionis homines, bona à ſuperis Numinibus, mala ab inferis ad homines immitti arbitrabantur. Eapropter non ſolum Deos ſuperos, ſed etiam inferos, ut dicebamus, in fœderibus ſtabiliendis veteres evocare conſuevere: hos ut pejerantes & foedifragos punirent; ſuperos verò Deos, ut bonis plurimis ditarent, quos in foederum promiſſis ſtare cognoviſſent. Precabantur etiam eoſdem ſuperos Deos, ut in foedifragos mala ab inferis Numinibus immitti mandarent. Exiſtimabant enim Idololatræ, ſuperiora Numina in inferos poteſtatem habere.

Precationes, imprecationeſque, antequam victima cæderetur, à Romanis interponebantur. Scribit hoc antiquitatum convivalium Auctor lib. 1. cap. 30. & ex Feneſtella accepit. Tam dirè enim veteres Romani ex ipſorum religione in foedifragos ſæviebant, ut Fecialis ita loqueretur: *Si rectè, & ſine dolo malo fœdus hoc, atque jusjurandum facio; Dii mihi cuncta felicia præſtent: ſi autem aliter, aut ago, aut cogito; cæteris omnibus ſalvis, in propriis legibus, in propriis ſepulcris; ſolus ego peream, ut hic lapis è manibus meis decidit.* Quibus dictis lapidem è manu dimittebat addebatque ei imprecationi: *Tantoque magis ferito, quanto magis potes, polleſque.* Sic Jovem precabatur Fecialis, ut ex Livio tradit Feneſtella, cum porcam foederalem Fecialis percuteret.

Græcos quoque in foederibus eodem ritu uſos fuiſſe, & precationes, ac imprecationes interpoſuiſſe, res eſt notiſſima. Conſuevere enim hi ferrum ignitum tenere, quod nidrum dictum accepimus ex Coel. Rhodig. lib. 21. antiq. lect. cap. 15. Hoc

A mox in mare projiciebant, & foedus tamdiu durare comprecabantur, quam diu nidrus in mari latuiſſet. Sed imprecari eoſdem conſueviſſe in foedifragos, conſtat ex Eurip. in Iphig. qui ut ad foedera firmanda victimas aris impoſuiſſet, illico ſubinfert:

Ac ſemetipſi adſtringerent diris ad id
Caput obligantes execrationibus.

Apertius tamen adhuc hæc nobis ſcripta reliquit Poëtarum Princeps Homerus lib. 3. Iliad. in deſcriptione, jam pluries repetiti foederis. Imprecabantur enim mala, non quidem Romanorum more, ante-
B quam victima mactaretur; ſed poſtquam altari ſuperpoſita vina libarentur; hac verborum forma.

Ζεῦ κύδιστε, μέγιστε, καὶ ἀθάνατοι θεοὶ ἄλλοι,
Ὁππότεροι πρότεροι ὑπὲρ ὅρκια πημήνειαν,
Ὧδέ σφ' ἐγκέφαλος χαμάδις ῥέοι, ὡς ὅδ' οἶνος,
Αὐτῶν, καὶ τέκνων &c.

Quibus ex verbis dira ſævaque imprecatio conſpicua fit, quam ſibimetipſis imprecabantur hi, qui foedera feriebant. Deos enim atque Numina omnia obteſtabantur, ut in eos qui foedera fregiſſent, dirè ſævirent. Hæc verò tunc paciſcentes proferebant, cum vinum Diis libarent; cerebrumque foedifragorum, eodem, quo vinum fluebat modo, fluere, ac dilui
C Deos exorabant, ſic dicentes:

Jupiter glorioſiſſime, maxime, & immortales dii alii,
Utri priores ſuper fœdera peccaverint:
Sic ipſorum cerebrum humi fluat, ſicut hoc vinum,
Ipſorum, & filiorum &c.

Hac de cauſa veteres Idololatræ ab Jove non vulgari animadverſione, ſed fulmine percuti fœdifragos putabant, Ariſtophane teſte, ubi ait.

Τοῦτον γὰρ δὴ φανερῶς ὁ Ζεὺς ἵησ' ἐπὶ τοὺς ἐπιόρκους.

Id eſt:

D *Hoc enim plane mirabile fulmen Jupiter in perjuros mittit.*

Et Lucianus in Timone, impudentiam nonnullorum hominum, qui contemptis Numinibus pejerant, redarguens, fulminis metum ſubindicavit, dicens, id genus hominum Ellychnii magis extinctionem timere, quàm fulminis caſum, & ictum. Sic enim ait: θᾶττον γοῦν ἐπιορκεῖν τις ἐπιχειρούντων ἕωλον θρυαλλίδα φοβηθείη ἄν, ἢ τὴν τοῦ πανδαμάτορος κεραυνοῦ φλόγα. Hoc eſt: *Itaque eorum qui pejerare aggrediuntur, citius quiſpiam extinctum ellychnium formidaverit, quàm*
E *fulminis illius omnium domitoris flammam.* Ex quo communi hominum metu à perjuris contempto, perſpicuum eſt, quàm ſacrilegum pejerare Idololatræ, vetereſque arbitrarentur; quam etiam cavendum perjurium eſſet, quàmque religioſum apud omnes etiam Ethnicos, fœdera ſervaſſe putaretur.

Nec defuit ſacer is ritus, atque hæc religioſa cæremonia diras imprecandi in fœdifragos, Hebræorum ſacris, ut pluries ſacræ litteræ monſtrant. Poteſt id primo ex cap. 34. Jerem. cognoſci, ubi cum Deus de quibuſdam fœdifragis conqueretur, ait: *Et non obſervaverunt verba fœderis, quibus aſſenſi ſunt in conſpectu meo.* Et licet verba fœderis, pacta ipſa
F dicantur, in quibus conſentiebant, qui in foedus veniebant: eo tamen vocabulo execrationes etiam, quæ in foedifragos enunciabantur, intelligi poſſunt. Etenim qui foederabantur, diris quoque execrationibus aſſentiebantur, & ad eas caput obligabant.

Execrationes iſtæ in foedifragos cap. 27. Deuter. expreſſe habentur, ubi Moyſes verba faciens de foedere inter Deum, & populum renovando, quando

do Jordane tranſmiſſo populus Iſraëliticus terram A promiſſam ingrederetur, foederis ritus his verbis præſcripſit: *Quando ergo tranſieritis Jordanem, erigite lapides, quos ego hodie præcipio vobis in monte Hebal, & levigabis eos calce, & ædificabis ibi Altare Domino Deo tuo: & immolabis hoſtias pacificas, comedeſque ibi, & epulaberis coram Domino Deo tuo.* Quæ omnia juxta præſcriptum Moyſis ſub Joſue acta fuiſſe legimus cap. 8. Cumque ut diximus, his qui pacta ſervaſſent, bona precarentur, imprecarenturque mala in hos, qui foedera fregiſſent; eapropter Moyſes nonnullos Levitarum in monte Hebal collocari juſſit, qui in foedifragos mala innumerabilia ominarentur, quibus aſſentiretur totus populus, reſpondendo *Amen.* B Juſſit etiam ex adverſo montis Hebal in monte Garizim alios Levitas ad precandum bona conſtitui, ad favorem illorum, qui pacta ſervaſſent: quæ fuſe videri poſſunt in loco ex Deuteronomio nuper à nobis citato.

Ad hanc malorum imprecationem in foedifragos reſpexiſſe puto cæremoniam illam Hebræorum vetuſtiſſimam, ſecandi videlicet foederales hoſtias binas in partes, & membra ſic diviſa contra ſe altrinſecus hinc inde collocandi, ut inter eadem ſic conciſa, pertranſirent hi, qui in foedus veniebant. Quæ cæremonia eos qui foedus feriebant, reſpiciebat; quod nimirum ſibimetipſis eandem conciſionem illo tran- C ſitu imprecari intelligerent, niſi in foedere ſtetiſſent. Meminit hujus ritus Jerem. Proph. cap. 34. dum de foedere renovato inter Deum, & populum, ſuo hortatu agit: de ſervis nimirum manumittendis juxta legem Domini quolibet anno ſeptimo remiſſionis. Quod tamen renovatum foedus cum Jeroſolymitæ poſtmodum non ſervaſſent, de trangreſſione foederis Deus per Prophetam conqueritur; eaque occaſione, ritus, cæremoniaſque in eo foedere ſervatas Deus aperit dicens: *Dabo viros, qui prævaricantur fœdus meum, & non obſervaverunt verba fœderis, quibus aſſenſi ſunt in conſpectu meo, vitulum quem conciderunt in duas partes, & tranſierunt inter diviſiones ejus* D *Principes Juda, & Principes Jeruſalem, & Eunuchi, & Sacerdotes, & omnis populus, qui tranſierunt inter diviſiones vituli.* Equidem tranſitus iſte confoederantium inter disjectas victimas, adeo foederi intrinſecus, eſſentialiſque cenſebatur; ut ſola voce tranſitus, foedus ſignificaretur: ac in foedus tranſire ex phraſi ſacrarum litterarum idem eſſet, ac foedus firmare: ut legitur cap. 29. Deuter. quando Moyſes in terra Moab, antequam vitæ ſuprêmum clauderet diem, foedus inter Deum, populumque Iſraëliticum renovavit dicens: *Vos ſtatis hodie cuncti coram Domino Deo veſtro, Principes veſtri & tribus, ac majores natu, atque doctores, omnis populus Iſraël; liberi; &* E *& uxores veſtræ, advenæ, qui tecum morantur in caſtris, exceptis lignorum cæſoribus, & iis qui comportant aquas, ut tranſeas in foedere domini Dei tui, & in jurejurando, quod hodie Dominus Deus tuus percutit tecum.* Quæ phraſis apertius exprimitur Hebraico idiomate לְעָבְרְךָ בִּבְרִית יְהוָה אֱלֹהֶיךָ, hoc eſt, *ut tranſeas in foedus Domini Dei tui.* Quem locum explicans R. Salomon in commentario ad illa verba, docet id dictum ratione conſueti tranſitus illorum, qui foedus feriebant. Partes enim aliquas victimarum hinc ponebant, alias inde, & pertranſibant inter illas. Ita ad verbum ille. Verba hebraica non attuli, quia diverſo caractere à lingua ſancta cudenda F eſſent, quæ hinc non habentur: tum etiam quia ex phraſi rabbinica ſatis durè illa ipſa exprimuntur. Nobis ſufficiat ex vi phraſis ritum foederis agnoviſſe.

Cæremoniam hanc, fœderumque hunc ritum antiquiſſimum apud homines, etiam ante latam legem (ò prodigium, ò divinæ bonitatis portentum) Deum quoque obſervaſſe conſtat; quando Geneſ. cap. 15. foedus cum Abrahamo firmavit. Deus enim hominum conditioni, juxta illius ætatis ritus quodammodo ſeſe accommodans, ut Abrahamum de poſſeſſione regionis Cananæorum certum redderet, quam ei in poſteris ſuæ generationis promittebat, foedus cum illo inire voluit, atque ad foedus victimas parari juſſit: nimirum vaccam triennem, capram trimam, & arietem trium annorum. Cumque illas Abraham mactaſſet, atque in binas partes diſſecuiſſet; membraque victimarum contra ſe altrinſecus poſuiſſet; ipſemet Deus, fons, & origo totius bonitatis, foederantium more inter illa ſecta animalia, ſub ignis ſpecie pertranſivit, ut communiter, & verè Doctores affirmant, locum Geneſis capite jam dicto explicantes, cujus hæc ſunt verba: *Cum ergo occubuiſſet ſol, facta eſt caligo tenebroſa, & apparuit clibanus fumans, & lampas ignis tranſiens inter diviſiones illas.*

Quia igitur cum Reges inaugurarentur, foedera quoque feriebantur inter Regem & populum, necnon etiam populus unà cum Rege, foedus cum Deo renovabant, hæc ipſa foedera ex conſuetudine Reipublicæ icta fuiſſe credendum eſt. Mactatis nimirum victimis, immolatis hoſtiis, necnon etiam tranſitu illorum, qui foedera feriebant inter partita victimarum membra; adhibitis quoque precationibus, imprecationibuſque, ac diris cum juramento, prout foederum moris erat. Ita inaugurationis fœdera ſancita fuiſſe ex cap. 11. & 12. lib. 1. Reg. colligi poteſt. Nam cum in Galgala populus Iſraëliticus fœdus inaugurationis cum Saule ſanciret, de hoc ita ſacer textus cap. 11. *Dixit autem Samuel ad populum: venite, & eamus in Galgala, & innovemus ibi Regnum.* Quid eſt autem innovare regnum? forte alium Regem conſtituere à Saule, qui fortibus Rex à Deo jam declaratus fuerat; Nequaquam certè; ſed innovare regnum eſt fœderibus conſuetis ſtabilire Regem Saul, illique tradere totius Iſraëlitici regni jura, ut dicitur ſtatim ſic: *Et perrexit omnis populus in Galgala, & fecerunt ibi Regem Saul coram Domino in Galgala: & immolaverunt ibi victimas pacificas coram Domino: & lætatus eſt ibi Saul, & cuncti viri Iſraël nimis.* Ecce fœdus inaugurationis ex victimis pacificis manifeſtum eſt: precationes, & imprecationes afferantur in his verbis Samuelis cap. 12. populum alloquentis. *Si timueritis Dominum, & ſervieritis ei, & audieritis vocem ejus, & non exaſperitis os Domini: eritis & vos & Rex qui imperat vobis ſequentes Dominum Deum veſtrum. Si autem non audieritis vocem Domini, ſed exaſperaveritis ſermones ejus: erit manus Domini ſuper vos, & ſuper patres veſtros.* Hæ enim precationes & imprecationes eo tempore, & loco à Samuele latæ fuere, quando fœdus regni cum Saule ſtabiliebatur; etenim os Domini exaſperare, valet idem, ac contra ſancita fœdera operari; audire vero vocem illius, fœderum promiſſis ſtare ſignificat.

Tranſeamus, quæſo, & inquiramus, quinam in fœdere apud Iſraëlitas ſtabiliendo inter illa victimarum partita membra tranſire conſueverint. Quæſito autem facile ſatisfieri poteſt, ſumpto argumento ab his, qui confœderabantur. Quamobrem in fœdere inter Regem, populumque ſancito, Regem ipſum ex una parte, Optimates verò Reipublicæ ſive digniores tantum, ſive plures ex altera parte, inter illa animalium partita membra tranſire ſolitos, omni dubio carere debet. Eapropter, ut puto, quoties Regum inaugurationes in ſacris literis legimus, toties etiam conventum Optimatum Reipublicæ conveniſſe ſcimus. Quamobrem cum Saul inaugurandus eſſet, Samuelem convocaſſe populum in Galgala lib. 1. Reg. cap. 12. ſcribitur. Similiter lib. 2. Reg. cap. 5. quando

quando David ſacro oleo Rex ſuper omnes tribus Iſraëliticas in Hebron inauguratur, de illius inauguratione ſic legimus : *Venerunt quoque Seniores Iſraël ad Regem in Hebron, & percuſſit cum eis Rex David fœdus in Hebron.* Hos igitur Seniores, qui Optimates Reipublicæ erant, inter partitas victimas tranſiſſe, ex cap. quoque 34. Jerem. poſſumus colligere, in quo perſonæ quæ tranſierunt inter illas animalium ſectiones, recenſentur his verbis : *Et tranſierunt inter diviſiones ejus* (ſupple vituli) *Principes Juda, & Principes Jeruſalem, Eunuchi, & omnis populus terræ, qui tranſierunt inter diviſiones vituli.* A

Difficultas autem in foedere cum Deo feriendo, ex ſacris litteris enodanda ſupereſt; quiſnam videlicet B in eo foedere Dei perſonam ſuſtineret, ejuſque nomine inter victimarum partita membra pertranſiret. Quid ex aliorum ſententia referam, non habeo. Verum, ut breviter mei animi ſenſum aperiam, affirmatè dico; ſummum Sacerdotem Dei perſonam ſuſtinere conſueviſſe, quoties foedera inter Deum, hominesque feriebantur : atque propterea ipſum etiam ſummum Sacerdotem ex Dei perſona, una cum Rege, inter membra conciſæ victimæ pertranſiſſe; quoties inter Deum, Regemque foedus ſanciretur pariter. Sacerdotem ſimul cum Rege ac Optimatibus tranſiſſe puto, quoties foedus inter Deum, populumque Iſraëliticum, qui C in Rege, & Optimatibus illius repræſentabatur, feriendum, vel innovandum fuiſſet; ita ut quicquid hi firmaſſent, ab omnibus ratum haberetur.

Ne vero quis nos ex capite loqui exiſtimet, aut inconſultis ſacris textibus, à quibus ſacra omnia petenda ſunt; conjecturæ quibus ad hæc movemur, in medium afferantur. Nam in foedere, de quo proximè loquuti ſumus, nonnihil ad rem noſtram ſubodoratur cap. 11. lib. 4. Reg. quando nimirum Joas Rex renunciatus fuit, ubi ſic legitur : *Pepigit ergo Jojada fœdus inter Dominum, & Regem, & inter populum, ut eſſet populus Domini, & inter Regem & populum.* D Quo in loco ſacer textus bina tunc fuiſſe icta foedera ſubindicat, ut jam ſupra adnotavimus : alterum inter Deum ex una parte, & Regem, ac populum ex altera, in quo foedere Rex, populuſque, divinæ legis præceptis ſe morigeros futuros ſpoponderunt : alterum inter Regem ex una parte, ac populum ex altera, in quo Rex cum juſtitia, & æquitate populum ſe recturum pollicebatur, populuſque ſe Regi in omnibus obtemperaturum promittebat. Quæ foedera Jojada præminiſtro firmata ſcribuntur. At cum de ejuſdem foederibus lib. 2. Paral. cap. 23. ſermo incidit, illa eadem foedera inita cum Jojada ſummo ſacerdote ſcribuntur, nulla de E Deo mentione facta; ſic enim ibi legitur : *Pepigit autem Jojada fœdus inter ſe, univerſumque populum, & Regem, ut eſſet populus Domini.* Quam diverſitatem ſacrorum codicum attendere ſi voluerimus, & inveſtigare, cur foedus, quod lib. 4. Reg. cum Deo ſancitum ſcribitur, lib. 2. Paral. cum Jojada ſummo Sacerdote firmatum dicatur; nulla alia, me judice, ratio ſacris textibus magis accommodata ſuccurret, quam quæ à munere Jojadæ ſumitur. Quod nimirum in eo foedere inter Deum, & Regem ictum, Jojada Summus Sacerdos Dei perſonam ſuſtinuerit. Quam ob cauſam in libro Paralipomenon, ut vidimus, foedus ictum fuiſſe, non quidem cum Deo, ſed inter Jojadam & populum, F ſacer textus tradidit : ut populus, & Rex Domini eſſent, id eſt, ut Deo, legique ejus eſſent morigeri. Hæc quidem verba ab inſtituto aliena viderentur, ſi foedus hoc cum Jojada initum diceretur, & populus, ac Rex Jojadæ ſummo Sacerdoti, ſe futuros morigeros promiſiſſent. Sed in ſacris textibus ubique foedus initum dicitur; ut Rex populuſque Deo morigeri exiſterent. Igitur cum Deo, non verò cum Jojada foedus initum fuit. Sed quia inter partitas victimas ipſe unus ſummus Sacerdos ac Pontifex Jojada Dei perſonam ſuſtinens, cum Rege, populique Optimatibus in quocumque foedere tranſivit, ut foedus ratum haberetur; idcirco foedus, quod 4. Reg. cum Deo firmatum dicebatur, lib. 2. Paralip. inter Jojadam, univerſumque populum, ac Regem, ut eſſet populus Domini, ſancitum ſcribitur.

Subodoratur hæc eadem cæremonia cap. 34. Jerem. cùm in eo foedere quinam tranſierunt inter ſecta animalia recenſentur : nam Sacerdotes quoque inter illas ſectas victimas tranſiſſe referuntur. Ex quibus duobus ſacrarum litterarum locis, evidenti argumento colligere licet, quod quoties inter Deum, & Reges Iſraël, ſeù Judæ, foedera feriebantur; in quibus Rex ac Optimates ad divinæ legis obſervantiam ſe obligabant, ſummus Sacerdos Dei perſonam ſuſtinens, & Rex propriam, inter diſſectas hoſtias pertranſibant. Quo ſummi Sacerdotis, ac Regis tranſitu, ſacra illa foedera, rata validaque cenſebantur.

Horum foederum ad ſacras aras; ad ſacros ignes; devotis victimis, ſecatis atque conciſis hoſtiis, juramento, tranſitu inter ſectas victimas; precationibus, imprecationibuſque ſancitorum, tanta erat religio, tantumque pondus, ut illa violare ac frangere, ſummum nefas ab omnibus duceretur. Apertiſſimo jam conſtat argumento, quam grave piaculum foedera frangere cenſeretur. Quod ſi grave piaculum, & revera grave ſacrilegium, initum cum hominibus foedus non ſervare, aut aliquid contra pacta ſentire putabatur; quanto gravius ſacrilegium, Deo præſtitam fidem non ſervaſſe exiſtimandum fuerit, omnes certè norunt. Merito igitur Deus benedictus, toties in Scripturis ſacris per Prophetas conqueritur; populum tot portentis de ſervitute Ægyptiaca à ſe liberatum, Reges in illo populo à ſe electos, & tot favoribus illuſtratos, ſancita foedera violaſſe, pacta irrita feciſſe, promiſſiſque nullatenus ſtetiſſe. Quamobrem rei indignitate commotus mala plurima fœdifragis Regi, ac populum jam olim per Prophetas comminata legimus; & denique bello, ſceptri ablatione, vaſtitate, diuturnis captivitatibus, piiſſimus Deus de Rege, ac populo vindictam ſumpſit, & in foederis ſanciti tranſgreſſores graviſſimè animadvertit, perpetua illius ingrati populi diſperſione. Quid igitur nobis timendum erit? qui cùm in baptiſmo nomen Chriſto in evangelica doctrina dederimus, & Satanæ ac pompis ejus renunciaverimus, nihilominus ita vivimus, ac ſi ex joco illa omnia promiſſa fuerint. Ad mentem, quæſo, ſancita foedera in baptiſmo à nobis revocentur, & promiſſis ſtare curemus.

CAP. LXIV.

Rex ad regiam in throno ſedens, regni poſſeſſionem accipiebat.

Ad loca 3. Reg. 1. *Et aſcendetis poſt eum : & veniet, & ſedebit ſuper ſolium meum; & ipſe regnabit pro me : illique præcipiam, ut ſit Dux ſuper Iſraël, & ſuper Judam.* 4. Reg. 11. *Audivit autem Athalia vocem populi currentis; & ingreſſa ad turbas in Templum Domini, vidit Regem ſtantem ſuper tribunal juxta morem.* Et ad alia.

INAUGURATO jam Rege, foederibus ictis, comeſtiſque ſacris, de Rege in poſſeſſionem Regni immittendo agebatur. Hæc lib. 1. Paral. cap. ult. expreſſa habentur, cùm Salomon, vivente adhuc ſanctiſſimo patre David, ſolemniter in conventu Procerum atque Optimatum Reipublicæ, Rex fuit inauguratus. Denique regia jura eidem in throno tradebantur, ut 3. Reg. cap. 1. David expreſſit, filii ſui Salomonis ſubitaneæ inaugurationis formam præſcribens Sadocho, & Banajæ his verbis: *Et aſcendetis poſt eum* (nimirum poſt Salomonem) *& veniet, & ſedebit ſuper ſolium meum, & ipſe regnabit pro me: illique præcipiam, ut ſit Dux ſuper Iſraël, & ſuper Judam.*

Tantæ autem auctoritatis ac præeminentiæ in regio throno ſedere, ubique gentium ab omnibus cenſebatur; ut Valer. teſte lib. 5. cap. 16. & Q. Curtio lib. 8. penes Perſas regio ſediſſe in throno, cuicumque alii à Rege capitale eſſet. Romanos quoque conſenſiſſe de dignitate throni auctoritate Ammiani lib. 15. probatur, ubi de Juliano ait: *Ad Imperium placuit Julianum adſumere. Cum veniſſet accitus prædicto die, advocato omni, quod aderat commilitio, tribunali ad altiorem ſuggeſtum erecto, quod aquilæ circumdederunt, & ſigna, &c.* Extructio enim ceſpititii tribunalis, ſeditionem ac novi Imperatoris renuntiationem arguebat; nec è tribunali quiſquam milites alloqui poterat, niſi Imperator eſſet. Eapropter licet apud Ægyptios Perſarum finitimos, Joſepho omnimoda in Ægypto poteſtas à Pharaone conceſſa fuiſſet, cunctaque pro nutu illius in tota regione Ægypti ac principatu adminiſtrarentur; tamen in throno regio ſedere ei interdictum fuiſſe cap. 41. Geneſ. ſcribitur; Pharaone Rege Ægypti dicente ad Joſephum: *Tu eris ſuper domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet; uno tantum regni ſolio te præcedam.* Quia igitur ſolius regiæ majeſtatis erat in throno ſedere; ea de cauſa thronum, aut ſolium alicui ademiſſe, nihil quam regiam majeſtatem ac dignitatem eidem abſtuliſſe declarabat; qua phraſi Trajanum regnum ademiſſe Parthis ſubindicatur à Capitolino, cum in vita Antonini Trajanum regiam Parthorum ſellam ademiſſe ſcripſit.

Tanti denique honoris in throno regio ſedere exiſtimabatur; ut neque primogenito Regis, totius Regni Principi ac Regi futuro, in regio throno ſedere, vivente adhuc patre, concederetur. Quinimo quicumque hoc tentare auſus fuiſſet, regnum tyrannicè affectaſſe cenſebatur, perduellioniſque reus habebatur. At thronum alicui conceſſiſſe idem erat, ac ſi regia dignitas, auctoritas atque majeſtas eidem conceſſa diceretur. Hinc apud Dionem à throno Glabrionem detractum legimus in aſſumptione Pertinacis ad Imperium. De quo ita ille: *γλαβρίωνα εἷλκε, καὶ κάθιζέ τε περτίνακα ἐπὶ τοῦ βασιλείου θρόνου.* Hoc eſt: *Glabrionem detraxit; & fecit ſedere Pertinacem in regio throno.* Mitto nunc ſignificaſſe etiam Virg. lib. 11. Æneid. regnum concedi illi, cui thronum concederetur, dum Latinum Regem ſellam mitti ad Æneam jubentem inducit, dicens:

Et ſellam regni, trabeamque inſignia noſtri.

Sacra quoque oracula id paſſim aperiunt. Nam in lib. Eſther cap. 1. in quo agitur de initio regni Aſſueri, ad hoc ſignificandum dicitur: *Quando ſedit in ſolio Regni ſui, Suſan regni ejus exordium fuit.* Id eſt, quando Aſſuerus ſedit in ſolio, quod eſt in Suſan, tunc regnare coepit. Sic etiam David cum in Salomonem filium regnum tranſtuliſſet, dixit ad Nathanem: *Et aſcendetis poſt eum, & ſedebit ſuper ſolium meum, & ipſe regnabit pro me.* Sacer quoque textus cap. 11. Exo. ut funeſtæ illius necis primogenitorum in Ægypto ſeveritatem aperiret, & nec

A ſupremæ quidem majeſtatis perſonis Deum pepercisse monſtraret: quinimo ab ipſis, quodammodo exordium necis à Deo ſumpſiſſe; à primogenito Regis ac Pharaonis, qui ſedet in ſolio ejus, necem inchoatam ſcribitur. Non quidem quod verè tunc primogenitus Pharaonis ſederet in illo ſolio; ſed quod regia dignitas jure gentium illi ipſi in poſterum deberetur. Eapropter Chald. paraphr. apertius hoc declarans, *A primogenito Pharaonis*, inquit, *qui futurus eſt, ut ſedeat ſuper ſolium regni ejus.*

Eſt autem thronus Cathedra cum hypopodio, id eſt, ſcabello ſub pedibus, ut habet Cœl. Rhodig.
B lib. 16. cap. 9. Addamus nos non ſolum hypopodion, ſed etiam umbraculum throno deberi regio, auctoritate Plutarchi conſtare; qui cum in Themiſtocle dixiſſet Xerxem ab aureo ſolio in colle ſediſſe, ut pugnam ſpectaret Marathoniam, ac poſtmodum de pugna conferrent Themiſtocles, atque Ariſtides; & Themiſtocles pontem reſcindendum conſuleret, ut fugæ conſilium abrumperetur Xerxi; Ariſtidem conſilio non acquieſcentem dixiſſe ait: Νῦν μὲν τρυφῶντι τῷ βαρβάρῳ πεπολεμήκαμεν, ἂν δὲ κατακλείσωμεν εἰς τὴν Ἑλλάδα, καὶ καταστήσωμεν εἰς ἀνάγκην ὑπὸ δέους ἄνδρα τηλικούτων δυνάμεων κύριον, οὐκ ἔτι καθήμενος ὑπὸ σκιάδι χρυσῇ θεάσεται τὴν μάχην ἐφ' ἡσυχίας, &c. Hoc eſt:
C *Hactenus quidem cum barbaro ludente pugnavimus, quem quidem in Græciam cum concluſerimus, & metu ad neceſſitatem adegerimus, virum tam multis ſubnixum legionibus; non jam ſedens ſub umbraculo aureo ſpectabit pugnam ſolute, &c.* Itaque ſolium Xerxis, quod δίφρον retro dixerat, ac ab aliis thronus, ut videbimus, appellatur, umbraculum quoque aureum habuiſſe conſtat, ut jam ſella cum hypopodio, hoc eſt ſuppedaneo, & umbraculo in ſuperiora; quod italicè *baldachino* dicitur, perfectam throni imaginem præferat. Ex hujus ſedis deſcriptione conſtat quanam Cathedra homines fierent perduelles, quoties in ea ſedere pertentaſſent; quænam eiſdem in-
D terdicta foret; quæ denique Regibus, ac Principibus concederetur, ut Rex, ac Princeps non ſolum diadematis, veſtiumque cultu cæteris conſpicuus redderetur; ſed etiam in conſeſſu Senatorum cathedra ipſa cultior, ſublimiorque appareret. Quamobrem apud Dionem, Senatum ſuggeſtum altum Caligulæ decreviſſe ſcribitur. De quo etiam Tacitus lib. 1. Annal. *Milites*, inquit, *una tres aquilas, & ſigna cohortium locant, ſimul congerunt ceſpites, extruunt tribunal, quo magis conſpicua ſedes foret.*

Sed quonam in loco ſolium regium Iſraëlitarum ac Hebræorum erectum viſeretur, ambigi poteſt: utrumne in regia; an in templo; vel prope Dei ta-
E bernaculum ante templi conſtructionem; vel aliquod ſingulare ſolium erectum haberetur in Iſraël, in quo Rex renunciatus, ſedens, Regni Iſraëlitici poſſeſſionem acciperet. Etenim ubi de Salomonis inauguratione in ſacris textibus agitur, nihil de loco, in quo ſolium haberetur legimus: ſed tantum Davidem juſſiſſe Salomonem filium duci ad ſolium regni, ibique futuræ ſucceſſionis poſſeſſionem ſumere debere. Ex ſacris oraculis Principem inauguratum, deinde diademate redimitum, ac ſacro oleo initiatum, poſtmodum ad thronum duci ſolitum, ubi regni jura acciperet, & regiæ dignitatis poſſeſſor fieret, perſpicuum eſt. Nec ſunt audiendi, qui
F primum in throno Regem ſediſſe; demum diademate fuiſſe coronatum affirmant: nam Salomonem ad fontem Gihon diademate redimitum, deinde eumdem ad ſolium regium, ut in eo ſederet, deductum, ex ſacris litteris cognovimus. Ita dicitur lib. 3. Reg. cap. 1. *Ducite eum in Gihon, & ungat eum ibi Sadoch Sacerdos, & Nathan Propheta: & aſcendetis poſt eum, & veniet, & ſedebit ſuper ſolium meum,*

& ipſe

& ipſe regnabit pro me. Alibi igitur ſacro oleo Rex inaugurabatur, ac alibi in throno regio regni poſſeſſionem accipiebat.

Aliquis fortaſſe ſolutum nodum iſtum crederet; quod lib. 4. Reg. cap. 12. & lib. 2. Paral. cap. 23. cum de inauguratione Joaſi agitur, in templo is inauguratus ſcribitur, Athaliamque templum ingreſſam Regem ſtantem ſuper tribunal vidiſſe referatur, quo etiam in loco unctus, ac corona jam redimitus fuerat: *Audivit autem Athalia*, inquit ſacer textus, *vocem populi currentis, & ingreſſa ad turbas in templum Domini, vidit Regem ſtantem ſuper tribunal juxta morem, & cantores, & turbas prope eum.* Ex quibus manifeſtum fore videtur, ſolium illud, in quo inauguratus Rex regni jura recipiebat, in templo ſtetiſſe erectum; ædificato ſaltem jam templo; cum revera ante ædificationem templi, idem ſolium propè tabernaculum erectum ſtetiſſe, in loco, in quo Reges Hebræorum ſacris operam dare, votaque ſolvere pro more conſueverant, exiſtimari poſſet. Quibus favere videtur, quæ de regio ſolio Latini Regis Virgilius lib. 7. Æneid. tradidit: illud enim in templo propè ſacras aras repoſuit, in quo etiam regni prima auſpicia Latinos Reges accipere conſueviſſe affirmat dicens:

. . . . Ille intra tecta vocari
Imperat, & ſolio medias conſedit avito.
Tectum auguſtum, ingens, centum ſublime columnis
Vrbe fuit ſumma, Laurentis regia Pici,
Horrendum ſylvis, & religione parentum.
Hinc ſceptra accipere, & primos attollere faſces,
Regibus omen erat: hoc illis curia, templum,
Hæ ſacris ſedes epulis, hinc ariete cæſo
Perpetuis ſoliti Patres conſidere menſis.

Qui locus doctiſſimi, ac veteris Poëtæ, ſupra quam credi poteſt, reſpondet his, quæ de Joaſo loco citato in ſacris litteris leguntur. Hac difficultate Pinedam preſſum vereor. Et quidem ſuccubuiſſe conſtat. Nam in cap. 7. de reb. Salom. illud tribunal, in quo Athalia Regem Joaſum in templo ſtantem vidit, illud ipſum thronum fuiſſe docet, in quo Rex Iſraël ſolemni ritu ſedere conſueverat; & Joaſum quoque in illo throno ſedendo regni jura ac poſſeſſionem ultro à populo oblatam accepiſſe tradit.

Ut autem de throno præludam, quæ illius notitiam præſtare, difficultateſque enodare queunt, in dubium revocari nequit, quod tribunal, in quo Joaſum ſtantem vidit Athalia, illud idem erat, quod Salomonem in atrio templi ſibi, poſteriſque Regibus erexit, ut in eo ſacris operam dando conſiſterent; propiereaque ſeorſum in eminentiori, ac digniori loco, præ reliquo populo, pro dignitate ac majeſtate regia erectum viſebatur. In eo igitur Joaſum Regni jura, ac poſſeſſionem accepiſſe, docuit Pineda: *Salomon verò*, inquit ipſe, *regni poſſeſſionem accepit in throno David.* Hunc verò ante templi conſtructionem, an eſſet in regia, an verò prope tabernaculum, nec in aliquo ſacræ Scripturæ loco exprimitur, nec Pineda docuit.

Sed ſi bonus quandoque dormitat Homerus, etiam Pinedam eruditiſſimum certè virum, in his, quæ docuit de tribunali, ſeù ſolio, in quo Joas poſſeſſionem Regni accepit, dormitaſſe, liquido, ut reor, conſtat. Enimvero thronum illum, ſeù tribunal, in quo Athalia vidit Regem ſtantem, ad Regni poſſeſſionem accipiendam nequaquam pertinuiſſe, pluribus argumentis, hiſque evidentiſſimis demonſtrari poteſt. More igitur ſcholaſticorum ad hominem in Pinedam inſurgamus; & ex ejus doctrina, ab energia dictionis *ſtantem*, quatenus perſonas reſpicit, ar-

A gumenta ſumantur. Ipſe namque Pineda in eodem opere de rebus Salomonis docuit ex phraſi, & modo loquendi ſacræ Scripturæ, *ſtare* ſubditorum, ac miniſtrantium fore vocabulum; ſedere vero Principum, Regum, ac Judicum, pace regnique ſtabilitate fruentium. Sit igitur ita in ſacris litteris; & de Joaſo loquamur, de quo Scriptura ſacra 4. Reg. 11. tradidit, viſum fuiſſe ab Athalia in Templo ſtantem in regio tribunali, non ſedentem, ſed *ſtantem*, inquit ſacer textus, *juxta morem:* ſic enim textus: *Audivit autem Athalia vocem populi currentis, & ingreſſa ad turbas in Templum Domini, vidit Regem ſtantem ſuper tribunal juxta morem.* Quod autem hic 4. Reg. tri-
B bunal appellatur, gradus dicitur lib. 2. Paral. cap. 23. his verbis: *Cumque vidiſſet Regem ſtantem ſuper gradum in introitu &c.* Quod etiam ſcribitur in Hebraico textu per dictionem עֹמֵד *gnomed*, quæ ſtare ſignificat, non autem ſedere. Et Joſeph. lib. 9. antiq. cap. 7. hæc eadem ſcribens ait: ἰδοῦσα δὲ γοθολία τὸν παῖδα ἐπὶ τῆς σκηνῆς ἑστῶτα, καὶ τὸν βασιλικὸν περικείμενον στέφανον. Hoc eſt: *Videns Gotholia puerum in ſuggeſtu ſtantem, regiaque redimitum corona &c.* Illud igitur tribunal, in quo tunc Joas ſtare ab Athalia viſus eſt, ad jura regni adipiſcenda non erat; cum locus ille nequaquam ſuperioritatis, ſed ſubjectionis imaginem præ ſe fer-
C ret; & ad ſtandum, non autem ad ſedendum, quod auctoritatis, ſuperioritatiſque notam fuiſſe diximus, erectum.

Argumentum aliud ſumatur, à ritu orandi ex conſuetudine Hebræorum, qui dum orarent, & ſacrificia ſacraſque Sacerdotum operationes precibus conſociarent, erigebantur, non autem proſtrabantur, aut aliqua alia ratione corpus ad terram inclinabant. Ex quo ritu, & conſuetudine ſuggeſtum illud in templo conſtitutum nequaquam regii juris, ſed orandi cauſa erectum extitiſſe manifeſtum erit. Additur enim in textu Athaliam vidiſſe Regem *ſtantem juxta morem*, non quaſi ad jura reddenda, ſed juxta mo-
D rem; quia conſuetudo erat Regum Judæorum, in Templo ſupra illud ſuggeſtum non ſedere, aut genua flectere, ſed ſtare ad orandum. Conſuetudinem enim Hebræorum, ut ſtando ſacra facerent, & orarent, illud Prophetæ in pſalmo probat; *Stantes erant pedes noſtri in atriis tuis Jeruſalem.* Et Chriſtus Dominus Servator noſter Luc. cap. 18. ſub parabola illorum, qui Deum precabantur, verba faciens, duos homines inducit, qui aſcenderunt in Templum ut orarent, alterum Publicanum, & alterum Phariſæum; ad conſuetudinem vero Hebræorum reſpiciens dicebat: *Phariſæus ſtans hæc apud ſe orabat, & Publicanus ſimiliter ſtans, nolebat vel oculos ad cœlum*
E *levare.* Joas igitur, & alii Reges in illo ſuggeſtu, quaſi in orationis loco ſtabant; & juxta morem aliorum Regum, qui ibi oraverant, Athaliam Joaſum vidiſſe ſcribitur. Salomonem quoque ſcribitur lib. 2. Paral. cap. 6. ſtantem in illo ſuggeſtu oraſſe. *Stetit ergo*, ſupple Salomon, *coram altari Domini ex adverſo univerſæ multitudinis Iſraël*, inquit textus, *& extendit manus ſuas. Si quidem fecerat Salomon baſim æneam, & poſuerat eam in medio baſilicæ, habentem quinque cubitos longitudinis, & quinque cubitos latitudinis, & tres cubitos altitudinis: ſtetitque ſuper eam: & deinceps flexis genibus contra univerſa multitudine Iſraël, & palmis in cœlum levatis.* Hæc autem flexio genuum
F non ex more, ſed ex peculiari humilitatis tunc affectu à Salomone facta fuit, ad præſentiam Numinis, quod ex nebula quæ tunc locum ſanctum compleverat, adeſſe cognovit.

Sumatur quoque argumentum à ratione juriſdictionis, cujus poſſeſſio à jure dicendo deducitur; hoc enim vis illius vocabuli *Juriſdictio* ſignificat. Ibi itaque à Rege poſſeſſio Regni profectò accipiebatur; ubi jus dicere, & in dicendo jure, ſedere eidem concedebatur.

cedebatur. Nam vis verbi ſedere, eſt adeo propria Præſidum, ac Principum, ut ſolo ſedendi vocabulo juris dicendi auctoritas alicui concedatur. Ad hanc phraſim juris dicendi reſpiciens Propheta Pſal. 9. & Dei ſummum imperium venerans, ſic ait: *Et Dominus in æternum permanet: paravit in judicio thronum ſuum, & ipſe judicabit orbem terræ in æquitate, judicabit populos in juſtitia.* Ex quibus præclarè à ſeſſione dignitas imperii, & perpetuitas colligitur. Aptius ex hebræo exemplari, in quò ſic legimus. וַיהוָה לְעוֹלָם יֵשֵׁב כּוֹנֵן לַמִּשְׁפָּט כִּסְאוֹ וְהוּא יִשְׁפֹּט תֵּבֵל בְּצֶדֶק יָדִין לְאֻמִּים בְּמֵישָׁרִים Quæ ſic interpretantur ad verbum: *Et Dominus in æternum ſedebit; ſtabilivit ad judicandum ſolium ſuum: & ipſe judicabit orbem in judicio, jura dabit populis in rectitudine.* Ut probaret igitur Propheta divini imperii æternam juriſdictionem, perpetuam ſeſſionem in Deo agnovit, ſic exorſus: *Dominus in æternum ſedebit.* Et Propheta Iſaias plenam Dei majeſtatem conſcribere volens, *Vidi Dominum*, inquit, *ſedentem ſuper ſolium excelſum & elevatum.* Et per verbum ſedere, regni Aſſueri exordium cap. 1. Eſtheris oſtenditur. Cùm igitur intra templum in ſuggeſtu, in quo Athalia vidit Joaſum, nullum juris dicendi jus Iſraëlitis Regibus eſſet, neque in illo Regem ſedentem Athalia viderit, ſed ſtantem; profectò neque ad regni poſſeſſionem accipiendam ſuggeſtum illum fuiſſe erectum dicendum erit.

Ex vi vocabulorum hebraici textus efficaciſſimè probatur, in templo Regni poſſeſſionem Joaſum non accepiſſe. Quia locus ille, in quo Reges ad oranſtum ſtabant, neque tribunal, neque ſolium Hebraicè appellatur: ut conſtat ex lib. 3. Reg. ſed כִּיּוֹר *chyor* dicitur, id eſt, *vas æneum*; fortaſſe etiam vacuum ad formam ſuggeſti, ſuper quod concionantur Eccleſiaſtæ. Cujus verò formæ illud ſuggeſtum, in quo ſtetit Joas eſſet, 4. Reg. inſinuatum cenſeo ex vi dictionis Hebraicæ. Dicitur enim Joaſum ſtetiſſe עַל עַמֻּד quod *ſuper columnam* nonnulli interpretantur; ac ego interpretarer, *ſuper locum ſtatus*, id eſt, ſuper locum conſtructum, ut in eo Reges ſtarent. Conſtat igitur ſuggeſtum illum ad ſedendum non fuiſſe, ac propterea neque talem, qualis requirebatur, ut eſſet locus, in quo Rex Regni poſſeſſionem ſedendo propriè accipiebat.

Argumentum aliud ſumatur à vocabulorum diverſitate, quibus regius thronus, ſuggeſtuſque ille, in quo Joas in templo viſus eſt ab Athalia, ſignificantur. Nam ſella, ſive thronus, in quo Regi inaugurato jura regni tradebantur, Hebraicè dicitur כִּסֵּא *ciſſe.* Quamobrem Propheta in Pſalmo jam allato, in quo divina in dicendo jure auctoritas contemplatur, à ſtabilitate perpetuæ ſeſſionis, ſedem illam, כִּסֵּא, hoc eſt, *thronum* appellavit. Ideo dicimus ad hoc genus ſedis pertinere propre jus dicere. Sic enim Propheta ibi כּוֹנֵן לַמִּשְׁפָּט כִּסְאוֹ Hoc eſt: *Stabilivit adjudicandum thronum ſuum.* Et hac voce ſacer textus utitur, cùm ſolii meminit, ad quod Salomon Davidis mandato deductus fuit, ut regni poſſeſſionem acciperet. Eodem etiam vocabulo à ſacro Scriptore ſella nominatur, ad quam Joaſum jam inauguratum, Proceres ac milites in palatio deduxerunt; ut regni, regiorumque jurum poſſeſſionem acciperet. Quinimo ad majorem expreſſionem muneris illius ſolii, Hebraicè nominatur כִּסֵּא הַמַּמְלָכָה id eſt, *ſolium regiminis.* Quinam verò erit, qui ſacras litteras ſupremis vix labiis deguſtaverit, qui ſolium regni, ſive regiminis appellari non intelligat, illum thronum tantum, in quo regni poſſeſſio tradebatur? Quis eſt, qui ex ejuſdem ſacræ Scripturæ phraſi non agnoſcat, per ſeſſionem in ſolio regni, nihil aliud ſignificari, niſi aſſumptionem regiæ poſſeſſionis? Quamobrem ſi hæc throno, qui erat in regia, conveniunt, non autem ſuggeſtui, qui erat in templo, qui nequaquam

A כִּסֵּא, ſed כִּיּוֹר vel עַמֻּד, ut vidimus, dicebatur; cogimur fateri ex vi vocum Joaſum non in templo, ut docuit Pineda, ſed in regia, regni jura, jam fœderibus ſancita atque firmata accepiſſe, ac propterea in regia, non in templo ſediſſe ſcribitur. Et Salomon, qui templum Deo ædificavit, etiam ſuggeſtum Regibus ad adorandum Iſraëlitis in eodem templo erexit; in palatio verò thronum ex auro, & ex ebore, ut ſcribitur lib. 3. Reg. cap. 10. ad jus dicendum, & ad regia munera obeunda; in regia quidem, non in templo, hoc parare juſſit; in quo munera regia Regem exercere omni jure interdictum erat.

Sacra quoque oracula non obſcurè inſinuarunt, tri-
B bunal illud quod erat in templo, in quo Athalia vidit Joaſum ſtantem, non ad regni regiminiſque poſſeſſionem capiendam fuiſſe. Etenim ſi tribunal illud in templo erectum, ad jura regni adipiſcenda paratum extitiſſet; non erat Jeroſolymitis, cur Joaſum ad illud ſolium, quod proprie thronus appellatur, ex quo Reges judicia ferunt, deducere cogerentur. Præter rem quidem in fine illius capituli 11. lib. 4. Reg. in ſacro textu in regio palatio Joaſum regni poſſeſſionem accepiſſe, ibique ab Optimatibus, atque regni Proceribus, jura regni eidem tradita fuiſſe ſcriberetur, ſic: *Deduxeruntque Regem de domo Domini, & venerunt per viam portæ ſcutariorum in pa-*
C *latium, & ſedit ſuper thronum Regum.* Vel ut ſcribitur lib. 2. Paralip. cap. 23. his verbis: *Sumpſitque centuriones, & fortiſſimos viros, ac Principes, & omne vulgus terræ, & fecerunt deſcendere Regem de domo Domini, & introire per medium portæ ſuperioris in domum Regis, & collocaverunt eum in ſolio regali.* Seu ut habet Joſeph. lib. 9. antiq. cap. 7. in eandem ſententiam, ἐκ τοῦ ἱεροῦ παραλαβὼν ἄγει τὸν ἰώασον εἰς τὸ βασίλειον, καὶ καθήσαντος εἰς τὸν βασιλικὸν θρόνον, εὐφήμησέ τε τὸ πλῆθος. Itaque neque ratione loci, templi nimirum, neque ratione vocabuli, ſuggeſtum illud, quod in templo erat, ad Regni poſſeſſionem faciebat. Non enim βασιλικὸς θρόνος, ſedes regia in templo erecta
D dicebatur. Præterea in templo, nec in illo ſuggeſtu Joas Rex fuit acclamatus, ſed in eo collocatus, & coronatus ſcribitur in ſacris litteris; in eo ſancivit fœdera, & ad hæc ſancienda ibi ſtabat; ad regni vero poſſeſſionem aſſumendam, quæ poſtquam firmata forent fœdera, Regi concedebatur, ad regiam deductus Joas, in regio ſolio ſedit. Nam in templi ſuggeſtu, etiam priuſquam ſacro oleo initiaretur, Joaſum ſtetiſſe conſtat; ex eo enim ſuggeſtu Jojada Summus Sacerdos Joaſum populo videndum exhibuit: cum tamen antequam Rex ſacro conſecraretur oleo, & antequam ſancita forent fœdera, tam cum Deo, quam cum populo, nec jura Regni
E Regi traderentur, nec Rex regni poſſeſſionem acciperet.

Cùm igitur Regni, regaliumque jurum poſſeſſio, ut loquamur cum juriſperitis, ibi aſſumeretur, ubi regia munera à Rege exercebantur; Rex autem hæc munera non ſtando, ſed ſedendo, non in templo, ſed in palatio obiret: profectò in eo loco, in quo ſediſſe dicitur, ibi Regni poſſeſſionem Regem aſſumpſiſſe affirmamus. Quamobrem Joaſum, Salomonem quoque, ac reliquos Reges Hebræorum in Palatio regio, quod curia, & aula à Latinis, &
F à Græcis dici ſolet, & non alibi, regni poſſeſſionem accepiſſe fateri cogimur: in throno nimirum ſedendo, quem Salomon ex ebore in regia parari mandaverat: in quam regni poſſeſſionem cum Rex perrexerat, ſatellitio ſtipatus, & ab Optimatibus iterum conſalutatus, à populo quoque iterum acclamabatur, ac favoribus proſequebatur. Id ipſum etiam ſervatum, ac retentum ſcimus ſub Conſtantinopolitanis Imperatoribus: nam Corippus lib. 2. Juſtini poſte-

poſterioris, ritus in Imperatore creando ſolemnes egregiè deſcribens, ad rem noſtram ſic loquitur:

> *Ipſe coronatus ſolium conſcendit avitum,*
> *Atque crucis faciens ſignum venerabile ſedit.*

Atque hac ſeſſione, tota regis inauguratio, omneſque ritus, atque cæremoniæ, quæ ſacram Hebræorum Regum inunctionem, ac inaugurationem ſpectabant, abſolvebantur.

CAP. LXV.

Regum Iſraëlitarum thronum magnificentiſſimæ ſtructuræ extitiſſe monſtratur.

Ad locum lib. 3. Reg. cap. 10. *Fecit etiam Rex Salomon thronum de ebore grandem, & veſtivit eum auro fulvo nimis; qui habebat ſex gradus, & ſummitas throni rotunda erat in parte poſteriori: & duæ manus hinc, atque inde tenentes ſedile, & duo leones ſtabant juxta manus ſingulas, & duodecim leunculi ſtantes ſuper ſex gradus hinc, atque inde.* Et ad alia.

INTER præcipua regiæ majeſtatis inſignia, Imperatoriæque dignitatis ornamenta, ubique gentium, ſolium ſive thronum, primatum habuiſſe conſtat. Pineda id lib. 3. de reb. Salom. cap. 5. eruditiſſimè certè tradidit, & diſertiſſimè quoque oſtendit, quàm fuerit cultum apud Iſraëlitas ſolium, in quo Rex ipſe judicaturus, vel aliquid aliud pro Reipublicæ bono publicè acturus, in conſeſſu Optimatum ſedere conſueverat. Enimvero pro regiæ dignitatis ſplendore, ſplendida quoque Reges habuiſſe ſolia, hiſtoriæ tam ſacræ, quam prophanæ conteſtantur; adeo ut in caſtris quoque dum ad bella procederent Romani Imperatores, ſolia ſecum habuiſſe manifeſtum ſit: quin etiam ex arborum ramis aliquando, ea excitari conſueviſſe Myrothecio ſecundo cap. 36. ex Herodiano, & Plinii panegyrico ad Trajanum dicto, & retro quoque in hoc ipſo Myrothecio pleniſſimè probavimus. Quapropter in regia Iſraëlitica aula, in qua jus dicebatur, à Rege Salomone regium thronum excitatum 3. Reg. cap. 7: his verbis ſcribitur: *Porticum quoque Solii, in quo tribunal eſt, fecit, & texit lignis cedrinis à pavimento uſque ad ſummitatem.* Et quia, ut puto, ſolium hoc lateribus quibuſdam claudebatur quaſi parietibus, ſubditur in textu: *Et domuncula, in qua ſedebatur ad judicandum, erat in medio porticu ſimili opere.*

Fuit autem celebris Regum Perſarum ſella apud Philoſtr. lib. de imagin. relato à Pineda. Xerxem quoque navalem pugnam ad Helleſpontum ex aureo throno ſpectaſſe ſcribit Plutarch. in Themiſtocle. Sed nihil ſic elucet inter veterum monumenta, quemadmodum id quod Athen. lib. 12. dipnoſ. ſcribit de Regum Parthorum throno, de quo ſic ait: ὁ δὲ θρόνος ἐφ᾽ ᾧ ἐχρημάτισε καθήμενος, χρυσοῦς ἦν, ὃν περιεστήκεισαν τέσσαρες κιονίσκοι λιθοκόλλητοι χρυσοῖ, ἐφ᾽ ὧν διετέτατο ἱμάτιον ποικίλον πορφυροῦν. Ubi obſervare licet, Athenæum loqui de throno juris dicendi de cauſa erectum, quia ſeſſionis meminit; ſic enim locus interpretatur: *Thronus autem, ſuper quo judicabat ſedens,* ſupple Parthorum Rex, *aureus erat: quem circum ambiebant quatuor aureæ columnulæ gemmis diſtinctæ, ſuper quem extendunt veſtimentum varium purpureum.* Eiſdem etiam regibus Perſarum, nimirum vitis aurea pro ſella ſive pro throno fuit, non in ea in qua cœnabat aula, ſed alibi, videlicet, in qua judicia

A reddebantur. De quorum throno, Athenæus, hæc habet: τὰς δὲ χρυσᾶς πλατάνους, καὶ τὴν χρυσῆν ἄμπελον, ὑφ᾽ ἧς οἱ Περσῶν βασιλεῖς ἐχρημάτιζον πολλάκις καθήμενοι, σμαραγδίνους βοτρῦς ἔχουσαν, καὶ τῶν ἰνδικῶν ἀνθράκων, ἄλλων τε παντοδαπῶν λίθων ὑπερβαλλόντων τῇ πολυτελείᾳ. Inſaniviſſe certè homines miſerrimi in his parandis videntur. Nam nec gemmis, nec lapillis pretioſiſſimis pepercerunt, ut majeſtatem ab hoſtibus aliquando diripiendam, & diruendam oſtentarent. Sic enim locus Athenæi interpretatur: *Et quidem aureas platanos, & auream vitem, ſub qua Reges Perſarum ſedentes multoties judicia tractabant, habentem uvas ex ſmaragdo, ornatam Indicis carbuncu-*
B *lis, & aliis omnigenis lapillis magnificentia exuperantibus.* Plinius etiam Junior in Panegyrico, ſedis Imperatoriæ meminit ex auro, eboreque mirabili opere compactæ. Si vero cuncta recenſere vellemus, quæ de humana vanitate veterum monumenta tradiderunt, quantumque in ſoliis ſelliſque parandis ambitio humana ſtuduerit, & auri argentique abuſus oſtendere vellemus; nullus eſſet dicendi terminus. Thronos enim operis certè præſtantiſſimi apud exteros ſæpè legimus. Hinc etenim illud Virgil. lib. 1. Æneid. de throno Didonis:

C
> *Tum foribus Divæ media teſtudine templi*
> *Septa armis, ſolioque alte ſubnixa reſedit,*
> *Jura dabat, legeſque viris, operumque laborem*
> *Partibus æquabat juſtis, aut ſorte trahebat.*

Sed ad Romanos ſermo convertatur noſter; apud quos ab exordio ipſo Urbis, Regiæ majeſtatis, Conſularis, Dictatoriæ, Imperatoriæque dignitatis, Ædilitiæ, Prætoriæ, & omnium munerum majorum nota fuit ſella currulis ex ebore facta, medioque in curru conſtituta; qua quidem ad munerum decorem, hi ad curiam vehebantur, qui ſupremos magiſtratus in republica gererent. Quamobrem apud Feſtum magiſtratus ipſi, curules magiſtratus dicuntur; quia curru vehebantur. Hanc ſellam cu-
D rulem, non à Teucris, ſed ab Hetruſcis ad Romanos manaſſe ſuſpicari poteſt; quòd apud Dionyſ. lib. 3. Hetruſci afferant ad Tarquinium Priſcum Romanorum Regem poſt Numam, *coronam auream; ſellam eburneam, & ſceptrum in ſummitate Aquilam habentem, tunicam purpura, auroque diſtinctam.* Et Silius de Vetulonia Urbe Hetruriæ ait:

> *Hæc altos eboris decoravit honore curules.*

Vel etiam ſellam curulem à Latinis Regibus exordium duxiſſe, teſtimonio Virgilii ſuſpicari licet; quòd eam ſedem à Rege Latino Æneæ miſſam lib. 11. Æneid. ſcribat. Niſi velimus, forteque veri-
E us, Poëtam habita ratione ad tempus & uſum ſuæ ætatis, de ſede curuli ſcripſiſſe; minimè verò ad uſum perantiqui ſeculi reſpexiſſe, de quo tunc loquebatur cum munera Æneæ miſſa referret. Nam de pace firmanda cum eo agebatur: de qua cum in Senatu Latino inter Optimates conſuleretur; ſic ſuam aperuit Latinus Rex ſententiam:

> *Præterea qui dicta ferant & fœdera firment,*
> *Centum oratores prima de gente Latinos*
> *Ire placet, paciſque manu prætendere ramos.*
> *Munera portantes, aurique eborique talenta,*
> *Et ſellam Regni, trabeamque, inſignia noſtri.*
> *Conſulite in medium, & rebus ſuccurite feſſis.*

F
Hæc Rex Latinus, auctore Virgilio ad Proceres ſuæ gentis loquutus eſt. Ex quibus vel ab eo uſque fortaſſe tempore ſellam curulem dignitatis regiæ apud Latinos monumentum extitiſſe monſtratur; vel ex ſententia Virgilii ad Trojanos ſellam curulem miſſam fuiſſe à Latinis; quaſi Latinæ gentis hæc ſedes propria foret, ut ad Romanos hæreditario quodam quaſi

jure perveniſſe monſtraretur. De forma curulis ſellæ multi multa dixerunt, quæ penes ſuos auctores videri poterunt. Nec enim regiæ tantum, atque imperatoriæ dignitatis, ſed ſupremorum quoque magiſtratuum ornamentum in Romana Republica ſellam curulem extitiſſe dignitatiſque teſtimonium preclarum, doctiſſime Wolfang. Laz. lib. 2. comment. Reip. Rom. affirmat, ac pluribus antiquis monumentis probat; ut propterea ſatis liqueat, tantæ fuiſſe majeſtatis, ſella curuli uti, quanta erat tunc in orbe toto, Romanæ Reipublicæ majeſtas ac dignitas.

Ejuſdem dignitatis ac formæ quoque, ſellam ſive thronum juris dicendi fortaſſe extitiſſe penes Romanos Imperatores, ſubodorari poteſt ex Appian. Alexandr. lib. 2. belli civilis. Referens enim acta Senatus blandientis, atque applaudentis Cæſari victori ſecundo de Pompcjanis, & ex Hiſpania Romam redeunti, ipſum in ſede aurea, eburneaque ex decreto Senatus jus reddidiſſe teſtatur dicens: ἀνεῤῥήθη τε, καὶ ϖατὴρ πατρίδος, καὶ δικτάτωρ ἐς τὸν ἑαυτοῦ βίον ᾑρέθη, καὶ ὕπατος ἐς δέκα ἔτη, καὶ τὸ ζῶμα ἱερὸς, καὶ ἄσυλος εἶναι, καὶ χρηματίζειν ἐπὶ θρόνων ἐλεφαντίνων τε, καὶ χρυσέων. Quæ quidem verba de ſella curuli prætoria intelligenda cenſet Wolfangus loco proximè citato cap. 3. Aliter alii. Locus ſic interpretatur: *Appellatus eſt & Pater Patriæ, & dictator in omnem vitam electus, Conſulque ad decennium, corpus ejus ſacrum, & intemeratum habitum, jus ab aureo ſolio, eburneoque dicebat.* Quinimo etiam in ſella Imperatoria tantum erat majeſtatis, atque cultus; ut ad Neronis Statuam in caſtris Romanorum, in ſede curuli collocatam, Tyriditatem Regem Parthorum detractum ſibi diadema depoſuiſſe ſcribat Tacit. lib. 15. Annal. ut ab ipſo Imperatore Nerone illud quodammodo accepiſſe videretur. Plura poſſent afferri, quæ apud Wolfangum, locis citatis, & Barnab. Briſon. lib. 2. de form. habentur. Nobis tamen huc uſque relata ſufficiant, ut probatum remaneat, quantæ ſemper fuerit auctoritatis, quantæque majeſtatis apud Romanos, ac exteras gentes ſella, ſeu Cathedra conſpicua gemmis, auro, lapillis pretioſis, & aliis ornamentis uti; cujus propterea uſus magiſtratum gerentibus concedebatur, cæteris autem omnino interdicebatur.

Sed quamvis Romanorum Sella dictatoria, ac ſi quos alios thronos exteri, Romanique Reges, ac Imperatores excogitarunt, ad dignitatem majeſtatemque regiam, & imperatoriam oſtentandam, præclariſſima fuerint; longè quidem tam forma, quam materia ſpectabilior fuit thronus ille, ſive ſolium, quod Deus ſibi conſtitui voluit in ſacro tabernaculo, ex quo ipſe quodammodo ſedens ſuper alas Cherubin reſponſa daret. Arca hic thronus dicebatur. De cujus forma diximus Myrothecio præcedenti eximia, & quæ uſque ad hæc tempora minus cognita erant, aperuimus. Ad hunc ipſum thronum, ſeu Dei ſolium Iſaiam reſpexiſſe puto cap. 6 cum inquit: *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & elevatum; & ea quæ ſub ipſo erant replebant templum. Seraphin ſtabant ſuper illud, ſex alæ uni, & ſex alæ alteri: duabus velabant faciem ejus, & duabus velabant pedes ejus, & duabus volabant.* Pro cujus loci expoſitione multa dicenda forent, quæ, ſi Deus dederit, aliquando dicentur. Pari ratione majeſtas ineffabilis ſedis in divino triumpho conſpicitur, quam Ezechiel cap. 1. conſcripſit; ubi de Imperatorio Dei throno verba faciens ait: *Et ſuper firmamentum, quod erat imminens capiti eorum, quaſi aſpectus lapidis ſapphiri, ſimilitudo throni: & ſuper ſimilitudinem throni, ſimilitudo quaſi aſpectus hominis deſuper.* Cujus throni ſingulæ partes contemplari præſentis cum non ſit negotii; ſufficiat cognoviſſe ſellam conſpicuam trium-A phalem Divinæ majeſtatis ab Ezechiele viſam: Iſaiam verò deſcripſiſſe Deum non in triumphali curſu, ſed in regia ſedentem, & ideo intra templum.

Ad regiam Iſraëliticam deſcendamus, & hujus thronum contemplemur ex auro, eboreque contextum, in quo Reges Judæorum ſacro oleo jam inaugurati an conſecrati, regni poſſeſſionem cùm acciperent, ſedebant; & in eodem throno, Iſraëlitico populo jura ab eiſdem reddebantur.

Davidis quoque tempore Reges Iſraël thronum, ſive ſolium habuiſſe, in ſacris ſcribitur oraculis. Cùm enim Abner ab Isboſeth filio Saulis ad partes Davi- B dicas declinaſſet, Davidemque adiiſſet; Davidici quoque throni ſacer textus meminit dicens 2. Reg. 3. *Quomodo juravit Dominus David, ſic faciam cum eo; ut transferatur regnum de domo Saul, & elevetur thronus David ſuper Iſraël, & ſuper Judam.* Et cap. 7. Nathan propheta Dei nomine ſic alloquitur Davidem: *Et fidelis erit domus tua: & regnum tuum uſque in æternum ante faciem tuam, & thronus tuus erit firmus jugiter.* Quibus ex oraculis ſub metaphora throni, regni firmitas, ac ſtabilitas inconcuſſa prænunciatur. Quæ tamen metaphora nullius eſſet ſignificationis; niſi tam David, quam Saul throno uſi fuiſſent, uſuſque throni etiam ante tempora Re- C gis Salomonis in Iſraël extitiſſet. De regio ac proprio ſolio Davidis dixit Banajas ad regem David 3. Reg. 1. ubi de declarando Salomone ſucceſſore mandatum accepiſſet: *Quomodo fuit Dominus cum Domino meo Rege, ſic ſit cum Salomone, & ſublimius faciat ſolium ejus à ſolio Domini mei Regis David.*

At cujus formæ, majeſtatiſque thronus Saul ac Davidis fuerit, ſacræ litteræ nobis nequaquam manifeſtant: nihilominus à majeſtate regii diadematis, quo David utebatur; à Davidici Regni ſplendore; ab auri, & argenti, eboris atque aliarum rerum præ- D ſtantiſſimarum copia, quibus David abundabat; throni quoque Davidici majeſtatem ſubodorare poſſumus: ut pro majeſtate regni, ac Regis munificentia in præſtantiſſimo quoque ac ſpectabili throno Regem ſediſſe certiſſimo argumento haurire liceat. Sublimitatem, celſitudinemque Davidici throni colligere poſſumus è verbis Banajæ, qui fauſta precando Salomoni, Davidi dixit 3. Reg 1. *Sublimius faciat ſolium ejus à ſolio Domini mei Regis David.* Quæ inſulſè nimis à Banaja dicta fuiſſent; niſi in regia Davidis majeſtate, throni quoque celſitudinem agnoſceremus.

Cujus formæ thronus fuerit, quem Salomon ad Regni majeſtatem oſtentandam apparari juſſit, ſacræ litteræ minimè tacuerunt; ſed forma, materiaque, reliquos omnes ſuperiorum Regum thronos longè ſu- E peraſſe prodiderunt. Quamobrem lib. 3. Reg. cap. 10. hæc leguntur: *Non eſt factum tale opus in univerſis regnis.* Quo quidem ſacris ex litteris teſtimonio, quotquot majeſtatem ſellæ curulis Romanorum, aurei ſolii Xerxis, & aliorum Regum majeſtatem ſcripſerunt, huic uni primas cedere coguntur; & præſtantiam throni Solomonici præ aliis omnibus Regum ſellis admirari debent. Materia enim ejus aurum, ac ebur fuit. Non quidem quòd ſuperficie tenus aureis tegeretur laminis, ut templi parietes, portæque tegebantur. Neque enim ebur uſque adeò vile & indecorum ab eis cenſebatur, ut ſplendenti alia quacumque materia precioſa incruſta- F ri debuerit. Nam ebur tunc temporis ſupra aurum æſtimabatur, auctore Plin. lib. 7. cap. 38. lib. 8. cap. 3. & lib. 35. cap. 8. dummodo ejus ſcripta diligenter attendantur: cui etiam Pauſanias lib. 1. ſubſcribit. Nec etiam thronus iſte Salomonis totus erat è ſolido ebore; vel enim eburneus diceretur, vel

aureus

aureus, ſi totum ſolium aureis laminis eſſet opertum. Cum igitur in ſacro textu dicatur 3. Reg. 10. *Fecit etiam Rex Salomon thronum de ebore grandem, & veſtivit eum auro fulvo nimis*; dicerem eburneis cruſtis, aut tabulis ſuperinductis inferioribus lignis thyinis, compactum extitiſſe thronum. Quemadmodum domus eburneæ ab Achabo 3. Reg. 22. ædificatæ dicuntur, & aliæ, quarum meminit Amos cap. 3. ita ut interraſo ebori, ejus cavitatibus, ſinibuſque in varias rerum, ac florum ſpecies, auro fulvo nimis impletas, ad opus vermiculatum thronus regius elaboratus fuerit. Conſueviſſe id fieri, teſtatur Plinius lib. 35. cap. 1. dum nimiam hominum ambitionem exagitat. *Nec tantum parietes*, inquit, *toto operuit auro; verum & interraſo marmore vermiculatis ad effigies rerum & animalium cruſtis.* Certè Plautus eburnatos dicit lectulos, & vehicula, aut quia cruſtis tecta eboreis inferrentur, aut quia ebore ſectili diſtincta eſſent. Pari ratione thronus Salomonis cogitari poſſet.

Forma etiam Salomonici throni, ea quidem erat, qua nihil præſtantius excogitari liceret; adeo ut in hac materiæ, & formæ præſtantia, Regni Iſraëlitici majeſtas ac ſplendor plurimum eluceret. Hanc quidem Salomonici ſolii ſpectabilem formam, ut contemplarentur poſteri, ſacer textus lib. 3. Reg. cap. 10. in hæc verba delineavit: *Fecit etiam Rex Salomon thronum de ebore grandem; & veſtivit eum auro fulvo nimis, qui habebat ſex gradus: & ſummitas throni rotunda erat in parte poſteriori, & duæ manus hinc atque inde tenentes ſedile, & duo leones ſtabant juxta manus ſingulas, & duodecim leunculi ſtantes ſuper ſex gradus hinc atque inde.* Huic præclariſſimæ, atque ſpectabiliſſimæ throni formæ, ſubſellium, ſive ſuppedaneum deeſſe videbatur; ſed lib. 2. Paral. cap. 9. materia quoque ſuppedanei deſcribitur his verbis: *Fecit quoque Rex Salomon ſolium eburneum grande, & veſtivit illud auro mundiſſimo; ſex quoque gradus, quibus aſcendebatur ad ſolium, & ſcabellum aureum.*

Ut verò diligentiùs ſolium Salomonis contemplaremur, ſingulas illius partes delineare nos oporteret; verum quia alii in hoc feliciſſimè laborarunt, illam tantum concavitatem in ſuperiora rotundam conſiderabimus, cui tergum, poſterioraque Regis hemicyclo teſtudinato adhærebant, & Regem excipiebant. Quæratur igitur ad ejus formam contemplandam, utrumne aliquid in ea concavitate cælatum conſpiceretur, necne. Affirmat Joſeph. lib. 8. antiq. cap. 2. dicens: εἰργάσαντο δὲ καὶ ἐξ ἐλέφαντος θρόνον παμμεγέθη, σκαπτὸν, ἐν κατασκευῇ βήματος. ἔχοντα μὲν ἓξ ἀναβαθμοὺς, ἑκάστῳ δὲ τούτων ἐξ ἑτέρου μέρους δύο λέοντες ἐφειστήκεσαν, τοσούτων ἄνωθεν ἄλλων παρεστώτων: Hoc eſt: *Fecit etiam ex ebore prægrande ſolium, cælatum in ſpecie tribunalis, habentem ſex gradus, per quos aſcendebatur: in quorum ſingulis ad extremitates, leonum effigies erant impoſitæ, totidem aliis ſuperne imminentibus.* Totum igitur ſolium cælatum erat: quid tamen in ea rotunditate, ac cavitate, quæ humeros excipiebat, cælatum eſſet, Septuaginta aperuerunt cap. 10. lib 2. Reg. his verbis: καὶ προτομαὶ μόσχων τῷ θρόνῳ, ἐκ τοῦ ὀπίσω αὐτοῦ. Quibus verbis vitulorum figuras ipſi throno adfuiſſe dicitur. Sic enim illa verba interpretantur: *Erant & prominentiæ vitulorum ipſi throno, ex poſterioribus ejus.* Docuit idipſum Joſephus loco jam citato dicens: ἀνακέκλιτο δὲ εἰς μόσχου προτομὴν τὰ κατ' ὄπιν αὐτοῦ βλέποντος. Hoc eſt: *Et qua reclinabatur, dimidiatus erat juvencus tergum ſuum reſpiciens.* Viſebatur ergo id quod religionis nota in vitulis erat.

Habemus revera regium ſolium Iſraëlitica majeſtate dignum, totum ubique auro tectum, ſculpturiſque effigiatum: in cujus ſedili duabus manibus

A hinc atque inde poſitis, Rex ſedens ſuſtentabatur; ſic enim ſacer textus habet: *Et duæ manus hinc atque inde tenentes ſedile.* In cujus loci expoſitione doctiſſimus Gaſpar Sanctius in commentario hujus loci, manus nequaquam accipit propriè, ſed hac voce ſignificari vult, quicquid aliud ſuſtinet; & poſtquam varia adduxit exempla, tandem ait: *Hic puto manus vocatur hoc loco eminentiæ quædam, quæ in eo magnifico ſolio, regium ſedile tenent, atque ſuſtentant, quæ fulcra quædam fuerunt: quorum incertam fuiſſe formam argumento eſt; quia, quæ hoc loco dicuntur manus, lib. 2. Paralip. nominantur brachiola; Septuaginta prominentias illas, quæ ſolio ſubſunt, illudque ſu-*
B *ſtentant, figuram indicant habuiſſe vitulorum, qui eo modo regio ſubſunt ſedili, ſicut duodecim boves æneo mari, qui caput humeroſque extra molem illam grandem producunt, illamque poſteriori corporis parte, dorſoque ſuſpendunt. Unde autem Septuaginta ſumpſerint, non aſſequor. Deinde manus ſuper thronum videntur ſtatuere: harum autem manuum, quem uſum habere potuerint, ſupra thronum, non video, niſi forte ſint illæ, quæ in hujuſmodi brachia dicuntur; quia ſedentis brachia ſuſtentant.* Hæc ille. Sed non omnia poſſumus omnes: non enim Septuaginta formas vitulorum ſedili ſuppoſuerunt; ſed throno appoſuerunt; in ea parte, quæ dorſum Regis excipiebat. Ita-
C que deceptum puto eruditiſſimum Sanctium, in intelligentia Septuaginta interpretum. Quòd etiam manus nomine fulcra intelligantur, quæ regium ſedile ſuſtentant; atque ſedili ſubſunt, minime probo. Nam hinc & inde ad ſedile aderant Leones, quæ fulcrorum munus obibant.

Verum manuum figuram in hoc agnoſco throno, quæ invicem coirent, & ſedile hujus ſolii conſtituerent. Quod fortaſſe Salomon à duabus alis Cherubinorum ex arca fœderis accepit, quorum alæ, ut dicebamus Myrothec. 2. ſedile divini tribunalis adaptabant. Sed hæ manus, à qua parte throni erum-
D perent, quo geſtu coirent, ac ſedile ſuſtentarent, latet. Niſi velimus manus erupiſſe prope Leones à tergo ſolii. Etenim ſi humanæ manus formam retinebant, brachiis quoque adjungi neceſſe fuit; ita ut brachia à poſteriori parte throni, ut puto, erumperent, manuſque dum porrigebant, vel ſedile ſuſtinebant, vel ſeſe invicem complexæ ſedile conſtituebant. Hujus autem extitiſſe formæ Regium Salomonis thronum, Septuaginta lib. 2. Paral. cap. 9. aperuere dicentes: *Et brachiola hinc, & hinc ſuper thronum ſeſſionis, & duo leones ſtantes ſuper brachiola.*
E Joſephus quoque hoc idem aperuit, dicens: *Qua verò parte Rex ſedebat, manus eum excipiebant.*

Hujus Salomonici throni allata deſcriptio pluribus fuiſſet ſanè explicanda, verum nobis ſufficiat in præſentiarum illius materiam ex ſacris textibus aperuiſſe, formam aliquo modo delineaſſe, cælaturaſque ſolii hujus toto orbi celeberrimi, à ſapientiſſimo Salomone favore Numinis parati, leviter inſinuaſſe. Digniſſimum certe ſolium Regi ſapientiſſimo, & à Deo electo convenientiſſimum congruebat. Infuſa enim
F Regi ſapientia à Deo ad dicendum jus fuerat; Reipublicæ à Deo ordinatæ diviniſque legibus decoratæ præficiebatur; quamobrem præſtantiſſimo ſedere in ſolio eum certe oportebat; ut Reſpublica, quæ ſapientia legibuſque reliquas præcellebat nationes, throno quoque Regio eaſdem anteiret. Nam in throno, in quo ſecundum ſtatuta divinæ legis jus erat à Rege dicendum, divinæ majeſtatis pariter ſpecimen aliquod ut eluceret neceſſe fuit, non ſolum in Rege, qui ſacro conſecratus fuerat oleo, & Dei, ac Moyſis perſonam in ea Republica ſuſtinebat; ſed etiam in ſolio omni majeſtate præſtantiſſimo; ut in eo Reipublicæ regendæ onus Rex ſuſciperet, & hac ratio-

ratione Regis inauguratio & majeſtas , ſuis omnino numeris perfecta cenſeretur.

CAP. LXVI.

Regiæ inaugurationis ſolemnitas epulo abſolvebatur.

Ad loca Geneſ. 31. *Juravit ergo Jacob per timorem patris ſui Iſaac : immolatiſque victimis in monte , vocavit fratres ſuos ut ederent panem.* 3. Reg. cap. 1. *Immolatis ergo Adonias arietibus , & vitulis , & univerſis pinguibus juxta lapidem Zoëlet.* Et infra : *Audivit autem Adonias , & omnes qui invitati fuerant ab eo , jamque convivium finitum erat.* Et ad alia.

RITUS, cæremoniæque fœderis, in regia inauguratione , convivio atque epulis ex conſuetudine tam Romanorum , quam Græcorum, qui in cultu religionis ſuperſtitioſiſſimi fuere, abſolvebantur. Quod etiam apud Hebræos veri Summique Dei jam olim cultores , locum habuit , dum Iſraëliticæ Reipublicæ dignitas viguit. Utrum verò inaugurationi convivia , fœderis cauſa deberentur ; an vero , ut novo Regi convivio ac epulis feſta agerentur , me latet. Utraque de cauſa convivari ſolitum apud Iſraëlitas dicemus. A Gentibus igitur noſtrum in hac re ſit exordium , inter quas Perſæ primo occurrunt : penes quos , ut ſcribit Herodotus , conſuetudo extitit : ut inter vinum ac epulas , frequenti convivio , uxoribus , & liberis , cæteriſque quos caros habebant adhibitis , inter ſacra menſæ , velut inter hoſpitales Deos , fœdera , amicitiæque contraherentur. Quod etiam aliquando uſu veniſſe apud Germanos Tacitus ſcribit. Quamobrem lib. 2. Annal. ubi ſub fœdere inſidias à Rheſcupore Cotyi ſtructas ſcribit ; inter epulas poſt fœdus eas paratas tradidit dicens : *Rheſcuporis ſanciendo* (ut dictabat) *fœderi convivium adjicit : tractaque in multam noctem lætitia per epulas , ac vinolentiam , incautum Cotyn , & poſtquam dolum intellexerat , ſacra regni , ejuſdem familiæ Deos , & hoſpitales menſas obteſtantem, catenis onerat.* Convivium igitur fœderi , ſacrificiorum ſaltem , ut puto , de cauſa adjungebatur. Fœdera enim , ut vidimus , abſque ſacrificio minimè fiebant , nec ſacrificia fœderum ſine convivio, etiam apud Hebræos , apud quos , ut dicebamus , inter ſacra pacificorum fœdera reponebantur. Eſt enim regula ſacrorum ab Euſeb. lib. 4. de præparat. evang. allata ſub his verbis Apollinis :

Extremas reddes partes , atque igne cremabis ,
Quod ſupereſt propone tibi , dapibuſque reſerva.

Nec mirum ſanè ita fieri conſueviſſe, cum Gentes ſacra putarent convivia. Quamobrem convivæ thiaſotæ, id eſt, Deificati teſte Cœl. lib. 27. antiq. lect. cap. 24. appellabantur. Ex doctrina etiam Xenophontis , atque Demoſthenis , quælibet multitudo, quæ divinæ rei cauſa coiviſſet , eo nomine appellabatur. Chorus pariter in ſacris convivantium , quòd eo nomine diceretur , ſacer apud antiquos habitus fuit. Quodam igitur quaſi jure , ſacris fœderibus, quæ Diis teſtibus ad ſacras aras ſanciebantur ; ſacrum adjungebatur epulum ; ut qui coram Diis animo juncti fuerant , etiam voluntate copulati, apud eoſdem pranderent.

Sed cùm inter edulia, quæ menſis apponi conſuevere , panis apud nationes omnes primas obtinuerit ſedes ; propterea inter ſacra edulia etiam ſacratiorem panis habuit locum. Immo inter fœderum eſcas ſo- A lus panis interdum ſacri fœderis nota fuit. Mittamus nunc carnium uſum , carmine ab Orpheo damnatum apud Cœl. Rhodig. lib. 28. cap. 2. à quo cibo veteres aliqui adeo abhorruerunt , ut inter tria Triptolemi præcepta, quæ ex eodem Cœlio circumferuntur , unum eſſet , carnibus non eſſe veſcendum. De pane tantum loquamur , cujus uſum ab orbis uſque principio , homini conceſſum fuiſſe conſtat. Pani enim primæ , ut arbitror , propterea dantur partes, non ſolùm quod omnibus animalibus communis ſit; ſed etiam quod omnium quodammode eſcarum condimentum gratiſſimum , atque ſuaviſſimum ſemper fuerit. Panem apud Macedones , B amicitiæ ſymbolum extitiſſe tradidit nobis auctor antiquit. conviv. lib. 1. cap. 30. affirmans nullum majus amicitiæ ſymbolum , neque firmiſſimi fœderis notam majorem Macedones habuiſſe , quam panem gladio per medium ſecatum porrexiſſe his, cum quibus fœdera feriebantur. Et Quinto Curtio teſte lib. 8. Alexander Magnus totius ferè Orientis domitor , cum erga Roxanem Satrapis barbari cujuſdam filiam amore exarſiſſet , panem ſibi patrio more afferri juſſit ; (Quod erat ritu Macedonico ſanctiſſimum coëuntium pignus) quem gladio cum diſſecuiſſet , & uterque libaſſet , illam ſibi matrimonio junxit , fœdere matrimoniali inito atque ſancito, ejuſdem panis C diſſectione.

Repetamus ſacra , quæ noſtri ſunt muneris , & in his quoque fœdera convivio abſoluta monſtremus. Nec enim apud Hebræos fœdera robur obtinuiſſent, niſi convivio perficerentur. Fœdus à Jacob cum Labano in monte Galaad percuſſum , convivioque expletum legitur Gen. cap. 31. *Juravit ergo Jacob per timorem patris ſui Iſaac* , habet ſacer textus , *immolatiſque victimis in monte* , *vocavit fatres ſuos* , *ut ederent panem.* Aliquis forſitan de ſimplici communique pane , verba ſacri textus intelliget , atque in hoc ſenſu fortaſſe locum illum interpretabitur ; ut nimirum more Macedonum illud Jacobi cum Laba- D no initum fœdus exiſtimetur : ſed phraſis communis ſacrarum litterarum , huic obſtat interpretationi, in qua ex communi phraſi, vocabulo panis omne genus ciborum , quod menſis ſolet apponi , ſignificatur : convivium nimirum undequaque abſolutum atque perfectum , quale ſanè in fœderibus haberi mos erat. Nam ſi Iſaac , & Abimelech fœdera cap. 26. Geneſ. feriunt , convivii meminit ſacer textus dicens : *Iſaac fecit eis convivium.* Et cap. 21. Exo. quando Deus benedictus cum populo Iſraëlitico , quem de ſervitute Ægyptiaca liberaverat , fœdus iniit , quo in fœdere populus Iſraëliticus ex una parte Deum in Principem & Imperatorem Reipubli- E cæ , ut ſæpè diximus , elegit , & ad legum ab ipſo latarum obſervantiam ſeſe obſtrinxit ; & Deus ex altera parte ſe Principem populi futurum, eumdemque ab hoſtibus ſe defenſurum & liberaturum ea conditione ſpopondit , ut leges , & præcepta ab ipſa lata cuſtodirent ; in hoc , inquam , ſolemniſſimo fœdere , ne convivium deeſſet, victimas pacificas legimus oblatas. Enimverò ſi hoſtiæ pacificæ in fœderibus oblatæ fuere , convivio ac epulis poſt ſancitum fœdus operam dediſſe populum liquidò conſtat , ex præſcripto legis latæ Levit. cap. 3. in qua ſermo eſt de hoſtia pacifica , quæ Deo offerebatur. Statuitur enim ibi , ut duo renunculi , adeps inteſtina , & F pinguiora quæque in altari crementur. Armus dexter in partem illius Sacerdotis cedebat , qui ſacrum feciſſet , & ſanguinem hoſtiæ circumcirca altare effudiſſet : reliquum verò quod ſuperfuiſſet oblatæ hoſtiæ , ab his , qui illam hoſtiam obtuliſſent , veſcebatur. Quamobrem ſi populus Iſraëliticus , & ejus nomine Patriarchæ duodecim tribuum , Deo ſacrificium pacificum in eo fœdere obtulerunt ; utique

que etiam inſtructo convivio ſacra comederunt, atque coram Domino epulati ſunt. Eapropter in eodem capitulo ſcribitur: *Videruntque Deum, & comederunt, ac biberunt.* Affirmandum igitur remanet, ſacrum illud ac ſanctiſſimum fœdus cum Deo tunc ſancitum; convivio abſolutum ac terminatum fuiſſe, ut nulla perfecti fœderis ratio eidem deeſſet.

Convivium & ſacrum epulum actum fuiſſe tunc, quando Reges ſacro conſecrabantur oleo, atque inaugurabantur, necne, incertum putat Sanctius lib. 3. Reg. cap. 1. n. 33. Verùm, cùm fœdera in eorum inauguratione ferirentur, convivia quoque deberi Regum inaugurationibus, me judice, eſt manifeſtum; ſaltem ex ratione victimæ pacificæ, quæ, quoties de Regum inaugurationibus agitur, toties oblata in ſacris oraculis ſcribitur. Ita cap. 11. lib. 1. Reg. ubi de Saulis inauguratione in Galgala ſacra Scriptura meminit. In illius etenim inauguratione victimæ pacificæ oblatæ dicuntur. Nam in Maſpha licet de Regno, Regeque inſtituendo actum fuiſſet, non tamen de ſolemni Regis inauguratione; at verò in Galgala cum ſolemni Regis inauguratione, convivium quoque ſolemniſſimum inſtructum fuit. Hoc idem magis expreſſè in renunciatione Adoniæ ad futurum regnum cap. 1. lib. 3. Reg. legimus, cùm dicitur: *Immolatis ergo Adonias arietibus, & vitulis, & univerſis pinguibus juxta lapidem Zohelet &c.* Eſt autem immolatio in ſacris textibus animalium mactatio, ſive ad ſacrum faciendum, ſive ad quodcumque aliud convivium inſtruendum. Quamobrem in hoc convivio Adoniæ, meritò dubitari poſſet, num de inaugurationis fœdere ageretur; parſque negativa verior, me judice, cenſeri deberet. Sed ſive de fœdere ageretur ab Adonia, ſive non, parum refert: convivium agebatur, de quo infra in eodem capitulo apertè ſcribitur, cùm de renunciatione Salomonis ad ſucceſſionem regni eſt ſermo, his verbis: *Audivit autem Adonias, & omnes qui invitati fuerant ab eo*, ſupple, acclamationes fauſtas pro Salomone, *jamque convivium finitum erat* &c. Expreſſit etiam hoc idem Joſephus lib. 7. antiq. cap. 11. ſcribens hanc Adoniæ ad intentum regnum renunciationem per hæc verba: *Porrò Adonias paratis in ſuburbano epulis ad fontem.* Ex præſcripto igitur inaugurationis epulum inſtitutum fuiſſe ab Adonia perſpicuum eſt. In hac enim intenta ab Adonia ſucceſſionis renunciatione, illum ſervaſſe ſpecimen quoddam inaugurationis, ſaltem quantum tunc fieri poterat, ratio ipſa demonſtrat, & ſacra ſubindicaverunt oracula.

Dicet fortaſſe aliquis, epulum illud juſſu Adoniæ inſtructum, ad rem noſtram minimè facere, cùm in eo inaugurationis regiæ fœdera inita non fuerint. Sed eſto ita ſit; atque ſub judice lis pendeat, fueritne inaugurationis, an ſucceſſionis epulum illud, necne; nulli tamen tergiverſandum jam erit, cùm de Salomonis inauguratione loquuti fuerimus, & ejus declarationem ad ſucceſſionem, ſolemni convivio abſolutam fuiſſe, ſaltem ſuſpicari nos poſſe probabimus. Teſtis ſit Joſephus loco citato, cùm ait: μηδὲ μικρὸν διαλιπόντες ἀναβιβάζουσιν ἐπὶ τὴν ἡμίονον τὸν Σολομῶνα, καὶ προαγαγόντες ἔξω τῆς πόλεως ἐπὶ τὴν πηγήν, καὶ τῷ ἐλαίῳ χρίσαντες, εἰσῆγον εἰς τὴν πόλιν ἐπευφημοῦντες, καὶ τὴν βασιλείαν αὐτῷ γενέσθαι πολυχρόνιον εὐχόμενοι. καὶ παραγαγόντες εἰς τὸν οἶκον βασιλικὸν, καθίζουσιν αὐτὸν ἐπὶ τοῦ θρόνου. καὶ πᾶς ὁ λαὸς ἐπ' εὐωχίαν εὐθὺς ἐτράπη, καὶ ἑορτήν, χορεύων καὶ αὐλοῖς τερπόμενος, ὡς ὑπὸ τοῦ πλήθους τῶν ὀργάνων ἅπασαν περιηχεῖσθαι τὴν γῆν, καὶ ἀέρα. Ex quo loco Joſephi, in hac Salomonis declaratione ad ſucceſſionem, convivium agnovit regium Gaſpar Sanctius, doctiſſimus quidem in ſacris litteris vir, præ omnibus, me judice, quos Societas dedit. Is qui-

A dem auctor improbabile minimè putat; idem contigiſſe, cùm unctus fuit David in Hebron. Et hoc quidem tantiſper ſubodoratur lib. 1. Paralip. cap. 11. Locus Joſephi allatus ſic ad verbum reddi poterit. *Nec minima interpoſita mora impoſuerunt ſuper mulam Salomonem; & ductum extra Civitatem ad fontem, & oleo unctum, introduxerunt in Civitatem plaudentes, & optantes illi Regnum multorum annorum; & deductum in domum regiam in ſolio collocarunt: & omnis populus ad epulas & feſtivitatem illico converſus eſt, choris & tibiis oblectans ſe; ut præ multitudine inſtrumentorum terra ſimul, ac aër reſonaret.* Quæ omnia de feſtis conviviiſque Jeroſolymitanæ Civitatis in hac B regiæ ſucceſſionis declaratione accipi poſſunt, ſaltem ad inſtar fœderalis inaugurationis; ut vel non minus lætitiæ hanc Salomonis declarationem habuiſſe videretur, quam ſibi ipſi Adonias comminiſcebatur.

Verùm de convivio epuloque regiæ inaugurationis magis apertè poſt enarratam Salomonis declarationem ſcribitur 3. Reg. 1. & lib. 1. Paral. cap. ult. Quibus in locis ſacer textus recenſuit victimas copioſè immolatas ex cauſa ſolemnioris convivii inaugurationis, quæ vivente adhuc patre ſanctiſſimo David celebrata fuit, convenientibus Proceribus, atque Optimatibus Reipublicæ. Quinetiam tempus hujus C epuli adnotatur: fuiſſe nimirum celebratum, non quidem in ipſo inaugurationis die, ſed ſequenti. De quo his verbis loco citato dicitur: *Immolaveruntque victimas Domino, & obtulerunt holocauſta die ſequenti, tauros mille, arietes mille cum libaminibus ſuis, & univerſo ritu abundantiſſimè in omnem Iſraël: & comederunt, & biberunt coram Domino in die illo cum grandi lætitia.* Dicitur verò coram Domino populum comediſſe ac bibiſſe; quia, ut ſupra docuimus, convivia hæc, quibus fœdera firmabantur; Regeſque inaugurabantur, non prophana, ſed ſacra erant; atque propterea in locis ſacris, intra limites ſacri taberD naculi, vel ſub porticibus templi, in quibus ex præſcripto legis de victimis ſacrificatis tantum edere licebat, agebantur. Sed quia ea convivia plurium ἑκατομβῶν toti populo parabantur; ideo populum opipare convivatum lætatumque, in ſacro textu ſcribitur. Quod nimirum jam Regis conſecratione abſoluta, ſolemniſſimoque ritu ſancitis fœderibus, omnes quotquot aderant, conviviis ac epulis, totis integris illius diebus, operam darent.

Etiam inaugurationem Joaſi convivio abſolutam fuiſſe ex ſacris oraculis manifeſtum eſt. Ut enim Joas puer ſeptennis inauguratus in ſacro textu dicitur, & ad regiam ductus, in regioque ſolio collocatus ſcribitur; populum quoque lætatum legimus. Hæc ſub E his verbis habentur cap. 23. lib. 2. Paralipom. *Et fecerunt deſcendere Regem de domo Domini, & introire per medium portæ ſuperioris in domum Regis: & collocaverunt eum in ſolio regali, lætatuſque eſt omnis populus terræ.* Sic etiam legitur 4. Reg. cap. 11. Quæ phraſis ſacrarum Litterarum explicatur ex his, quæ Joſephus ſcribit lib. 9. antiquit. cùm de inauguratione Joaſi agit, per hæc verba: τούτων δ' ἕκαστα διδάξας, μετὰ τῶν ἑκατοντάρχων, καὶ ἡγεμόνων, καὶ τοῦ λαοῦ παντὸς ἐκ τοῦ ἱεροῦ παραλαβὼν ἄγει τὸν Ἰώασον εἰς τὸ βασίλειον, καὶ καθίσαντος εἰς τὸν βασιλικὸν θρόνον, ἐπευφήμησέ τε τὸ πλῆθος, καὶ πρὸς εὐωχίαν τραπέντες ἐπὶ πολλὰς ἑόρτασαν ἡμέρας. Hoc eſt: *Hæc autem ſingula cùm præce-*F *piſſet*, ſupple Jojada, *cum Centurionibus, & Ducibus, & omni populo, ex templo aſſumtum Joaſum deduxit in regiam; ubi inſidens regali ſolio, clamoribus & plauſu multitudinis exceptus eſt, & ad epulas converſi permultos dies hilares fuere.* Ex quibus Joſephi verbis planè conſtat, ex phraſi ſacrarum Litterarum epulas ſignificari, quoties in illis populus lætatus ſcribitur. Et hinc inaugurationem quoque Joaſi de mo-

re Iſraëlitici regni convivio expletam perfectamque fuiſſe liquet, perinde ac reliquas inaugurationes, de quibus huc uſque loquuti ſumus.

Epulemur nos quoque tot jam vigiliis, atque laboribus feſſi, in apparando hoc Myrothecio, regiamque Iſraëliticam majeſtatem in throno ſedentem contemplemur, & in ea Meſſiæ Regis gloriam agnoſcamus, & eidem fauſta precaturi acclamemus, *Vivat Rex*. Tanta enim ac talis, ex ſacro hoc Regiæ inaugurationis unguento fragrantia expirat, ut in odorem illius nobis currendum ſit. Quemadmodum Sacerdotes, Prophetæ, Principes, Optimates Reipublicæ, populuſque omnis, Cerethi quoque & Phelethi avidiſſimè cucurrerunt: hi, ut Regem ſtiparent; Sacerdotes, ut eumdem conſecrarent; Prophetæ, ut divini placiti fauſta prænunciA rent; Principes ac Proceres Reipublicæ, ut Regem conſalutarent; milites omnes, ut Regi plauderent; acclamarent reliqui; omnes denique, ut manum porrigerent novo Regi, & eidem fideliſſimum obſequium ſponderent: quotquot videlicet juſtitiam, & æquitatem in populo Iſraëlitico, juxta divinas leges expetebant & expectabant.

Nos igitur regiæ majeſtatis in Iſraël ſpectatores facti, & in ea Meſſiæ ac Servatoris noſtri gloriam agnoſcentes, quantum fragrantiæ, odoratique ſpiritus ex ea unctione Reges, qui Meſſiam futurum repræſentabant, retinerent, hucuſque admirati; in Myrotheciis, quæ ſequuntur, Numine auſpice, in B Regis Meſſiæ dignitate ac majeſtate, pietatem ſummam, ac charitatem venerabimur.

LAUS DEO.

SERIES CAPITUM.

CAP. I.

Sacerdotalis, & Laicalis ſtatus diſtinctio in Republica Iſraëlitica monſtratur. pag. 757

CAP. II.

Eccleſiaſtici, & laicalis ſtatus ordo in Iſraëlitica gente declaratur. 761

CAP. III.

Comitia Reipublicæ ad Regis inſtitutionem indicuntur. 765

CAP. IV.

Pontifici, ac Sacerdotibus Moſaycis jus ſuffragii in comitiis regiis non erat. 771

CAP. V.

Quinam haberent jus ſuffragii in regia electione explicatur. 777

CAP. VI.

Præfecti militiæ in Principe eligendo, & declarando auctoritas monſtratur. 783

CAP. VII.

Regiorum comitiorum loca apud Iſraëlitas deſignantur. 788

CAP. VIII.

Religio in Rege eligendo ab Iſraëlitis deſiderabatur. 794

CAP. IX.

Faciei majeſtas, militariſque peritia Principatus erant notæ. 800

CAP. X.

Jura Iſraëlitici ſenatus in Rege inſtituendo explicantur. 808

CAP. XI.

Prophetis, ac Vatibus, quo jure in Rege deſignando locus eſſet. 813

CAP. XII.

Oraculorum excipiendorum à Propheta ratio explicatur. 819

CAP. XIII.

Inaugurationis Oracula, qua forma ab Iſraëlitis ſortibus quærerentur. 826

CAP. XIV.

Sacerdotibus ſacrorum de cauſa locus erat apud Iſraëlitas in Regiis Comitiis. 834

CAP. XV.

Ceretheos & Pheletheos non conſiliarios, ſed regios milites in Iſraël fuiſſe monſtratur. 840

CAP. XVI.

Ceretheos, & Pheletheos regios ſtipatores extitiſſe probatur. 845

CAP. XVII.

Ceretheos & Pheletheos non Iſraëlitas, ſed alienigenas fuiſſe docent aliqui. 851

CAP. XVIII.

Ceretheos, & Pheletheos non alienigenas, ſed Iſraëlitas fuiſſe monſtratur. 858

CAP. XIX.

Ceretheos & Pheletheos regios ſatellites à Cetra & Pelta nomen accepiſſe oſtenditur. 864

CAP. XX.

Cetræ, ac Peltæ forma inveſtigatur. 872

CAP. XXI.

Non gregariis, ſed illuſtrioribus militibus Reges Iſraël ſtipabantur. 880

CAP. XXII.

Illuſtriores milites clypeo aureo utebantur. 886

CAP. XXIII.

Davidis valor, ac militaris peritia à ſcutis aureis in turri appenſis commendatur. 890

CAP. XXIV.

Stipatores Regii apud Iſraëlitas aureo clypeo decorabantur. 898

CAP. XXV.

Mularum ex ſacris litteris vocabula ad regiam pompam declarandam explicantur. 908

CAP. XXVI.

Hebraica Biblia, Vulgati interpretis auctoritate ſunt corrigenda. 914

CAP. XXVII.

Aquas calidas, non ſalſas, nec mulos Anam in deſerto reperiſſe probatur. 921

CAP. XXVIII.

Iſraëliticus Princeps inaugurandus mula vehebatur. 926

CAP. XXIX.

Communi genere mulæ, Salomon ad declarationem regiæ ſucceſſionis, vectus oſtenditur. 933

CAP. XXX.

Præſtantia mularum regiarum, & pernicitas aperitur. 939

CAP. XXXI.

Regiæ inaugurationis loca in Iſraël monſtrantur. 944

CAP. XXXII.

Salomon in Gihon ductus regni ſucceſſor juſſu Patris declaratur. 949

CAP. XXXIII.

Rex electus à Reipublicæ Proceribus & militibus adorabatur. 954

CAP. XXXIV.

Principis jam inaugurati, adorandi forma explicatur. 960

CAP. XXXV.

Explicatur quò ordine ad oſculum Principis ſubditi admitterentur. 965

CAP. XXXVI.

Regiæ adorationis verba monſtrantur. 972

CAP. XXXVII.

Munera explicantur, quæ Regi cum inauguraretur, offerebantur. 978

CAP. XXXVIII.

Diadematis uſus, & forma monſtratur. 983

CAP. XXXIX.

Reges Iſraëlitas diademate uſos fuiſſe monſtratur. 992

CAP. XL.

Diadematis Iſraëlitici forma expiſcatur. 998

CAP. XLI.

Regiæ armillæ forma inveſtigatur. 1004

CAP. XLII.

Majeſtas amictus Iſraëlitarum Regum demonſtratur. 1012

CAP. XLIII.

Forma amictus Iſraëlitarum Regum expiſcatur. 1017

CAP. XLIV.

Sacras legis tabulas Regi inaugurando traditas fuiſſe ſuſpicatur. 1025

CAP. XLV.

Olei neceſſitas in conſtituendo Rege Iſraëlitico oſtenditur. 1030

CAP. XLVI.

Oleo communi Reges Iſraëlitas inauguratos fuiſſe dicunt aliqui. 1036

CAP. XLVII.

Sacro conſecrationis oleo Reges inauguratos dicunt alii. 1045

CAP. XLVIII.

Oleo ſancto alterius generis ab oleo conſecrationis, Reges Iſraël inauguratos auctor exiſtimat. 1052

CAP. XLIX.

Reges Iſraël nequaquam à Prophetis ſacro oleo inaugurabantur. 1060

CAP. L.

Sacerdotalis erat muneris, Reges Iſraël inaugurare. 1066

CAP. LI.

Rex tecto capite ſacro conſecrabatur oleo. 1073

CAP. LII.

Regi inaugurato fauſta à populo precabantur. 1078

CAP. LIII.

Acclamationis forma in inaugurationibus explicatur. 1082

CAP. LIV.

Regi inaugurato plaudebatur. 1086

CAP. LV.

Regi inaugurato buccina, tubis, ac tibiis præcinebatur. 1091

CAP. LVI.

Buccina regiæ præcentionis inſtrumentum explicatur. 1096

CAP. LVII.

Tuba, & tibia regiæ præcentionis inſtrumenta monſtrantur. 1100

CAP. LVIII.

Rex inauguratus fœdus cum Deo; & populo percutiebat. 1105

CAP. LIX.

Fœdera ad Numinis præſentiam, & ad ſacras aras feriebantur. 1110

CAP. LX.

Sanguines hoſtiarum, libamina, fœderumque cultri monſtrantur. 1114

CAP. LXI.

Hoſtiarum contactu, & dextera data fœdera firmabantur. 1120

CAP. LXII.

Juramenta fœderibus hoſtiis adjungebantur. 1125

CAP. LXIII.

Fœderum precationes, imprecationeſque explicantur. 1132

CAP. LXIV.

Rex ad regiam in throno ſedens regni poſſeſſionem accipiebat. 1137

CAP. LXV.

Regum Iſraëlitarum thronum magnificentiſſimæ ſtructuræ extitiſſe monſtratur. 1144

CAP. LXVI.

Regiæ inaugurationis ſolemnitas epulo abſolvebatur. 1150

INDEX LOCORUM,

Quæ ex Sacris Oraculis, & Veterum monumentis ſingularibus explicationibus in primo Myrothecio illuſtrantur.

EX SACRIS LITTERIS.

Ex libro GENESIS. *cap.* XII.

NOvi quod pulchra ſis mulier, & quod cum viderint te Ægyptii, dicturi ſunt, uxor ipſius eſt, & interficient me, & te reſervabunt. v. 11.12. 264. *F.* 265. *A.*

XX. Concluſerat enim Dominus omnem vulvam domus Abimelech propter Saram uxorem Abrahæ. v. 18. 250. *C.*

XLIV. Scyphus quem furati eſtis, ipſe eſt in quo bibit Dominus meus, & in quo augurari ſolet. v. 5. 224. *A.*

Ex libro EXODI.

XXV. Et pones eas ſuper candelabrum, ut luceant ex adverſo. v. 37. 30. *E.*

XXXV. Omnis voluntarius, & prono animo offerat eas Domino. v. 5. 71. C.

XXXVIII. Fecit & labrum æneum cum baſi ſua de ſpeculis mulierum, quæ excubabant in oſtio tabernaculi. v. 8. 41. *C.*

Ex libro LEVITICI.

X. Obtulerunt ignem alienum, quod eis præceptum non fuerat. v. 1. 43. *B.*

Ex I. REGUM.

XXVI. Tulit igitur David haſtam & ſcyphum aquæ, qui erat ad caput Saul, & abierunt. v. 12. 226. *E.*

Ex I. PARALIP.

XXIX. Dies noſtri quaſi umbra ſuper terram, & nulla eſt mora. v. 15. 160. *A.*

Ex libro JOB.

XLI. Ferveſcere faciet quaſi ollam profundum mare, & ponet quaſi cum unguenta bulliunt. v. 22. 109. *E.*

Ex PSALMIS.

LIX. Juda Rex meus, Moab olla ſpei meæ. v. 10. 177. *B.*

Ex PROVERB.

VII. Aſperſi cubile meum myrrha, & aloë. v. 17. 257. *E.*

Ex libro CANTIC.

V. Genæ tuæ, ſicut areolæ aromatum conſitæ à pigmentariis. v. 13. 90. *A.*

Surrexi ut aperirem dilecto meo: manus meæ ſtillaverunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatiſſima. v. 5. 263. *B.*

Labia ejus lilia diſtillantia myrrham primam. v. 13. 134. *D.*

Ex lib. SAP.

II. Venite, fruamur bonis quæ ſunt; vino pretioſo, & unguentis nos impleamus, &c. v. 6. 7. 214. *E.*

Ex ISAIA.

XXIV. In illa die faciet Dominus omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defœcatæ. v. 6. 205. *B.*

Ex JEREMIA.

I. Ollam ſuccenſam ego video, & faciem ejus à facie Aquilonis. v. 13. 180. *C.*

XVII. Expectatio Iſraël Domine. v. 13. 159. *F.*

Ex DANIELE.

XIII. Dixit ergo puellis, afferte mihi oleum, & ſmegmata, & oſtia pomarii claudite. v. 17. 253. *B.*

Ex ZACHARIA.

IV. Vidi & ecce Candelabrum aureum totum, & lampas ejus ſuper caput ipſius, & ſeptem lucernæ ejus ſuper illud, & ſeptem infuſoria lucernis quæ erant ſuper caput ejus. v. 2. 52. *B.* 58. *D.*

Et duæ olivæ ſuper illud, una à dextris lampadis, & una à ſiniſtris ejus. v. 3. 63. *A.*

Quid ſunt duæ ſpicæ olivarum, quæ ſunt juxta duo roſtra aurea, in quibus ſunt ſuffuſoria ex auro? v. 12. 53. *F.* 54. *A.*

Ex MATTHÆO.

III. Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? &c. ſine modo: ſic enim oportet nos implere omnem juſtitiam. v. 14. 15. 150. *C.*

XVIII. Non dico tibi ſepties, ſed ſeptuagies ſepties. v. 22. 25. *F.*

Ex JOANNE.

XIII. Qui lotus eſt non indiget, niſi ut pedes lavet. v. 10. 165. *C.*

Ex Actib. APOST.

VIII. Et juſſit ſtare currum, & deſcenderunt uterque in aquam, & baptizavit eum. v 38. 149. *E.*

Ex APOCALYP.

XXI. Timidis autem, & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus, pars eorum erit in ſtagno ardenti igne, & ſulfure. v. 8. 182. *D.*

Ex

Ex Veterum MONVMENTIS.

Tertul. in Apologet. Honeſta res, ſolemnitate publica exigente, inducere domui tuæ habitum alicujus novi lupanaris. 28. *E.*

Ex ATHENÆO.

Athen. lib. 3. cap. 35.

καὶ μύρον ἐπὶ ςόματ@ Αἴγυπτ@ κράτιςον ποιεῖ.

id eſt:

& unguentum in ore præſtantiſſimum Ægyptus facit. 212. *D.*

Athen. lib. 12. cap. 2. σῦσον γὰρ εἶναι τῇ ἑλλήνων φωνῇ τὸ κρίνον. id eſt: Suſum enim eſſe voce Græcorum, idem quod κρίνον. 134. *F.*

Athen. lib. 15. cap. 8. λειρίνοις, ῥοδοῖς, κρίνοισι, κοσμοσανδάλοις. id eſt: Lyriis, roſis, liliis, coſmoſandalis. 133. *D.*

Ex POLLUCE.

Polluc. lib. 19. cap. 26. καὶ μὴν εἰ μύροις ἐπὶ τουτῷ χρηςέον, ὅτι μὲν καὶ μυρίδιον εἴρηκε τὸ μύρον. id eſt: & quidem ſi unguentis in his utendum eſt, quod quidem & unguentulum dixit unguentum. 18. *C.*

Ex CICERONE.

Cicer. famil. lib. 19 epiſt. 9. ſed vellem non ſolum ſalutis meæ, quemadmodum medici, ſed etiam ut alyptæ, virium, & coloris rationem habere voluiſſent. 264. *A.*

Lib. 9. famil. epiſt. 22. Quid ipſa res modo honeſta, modo turpis? ſuppedit flagitium eſt: jam eris nudus in balneo, non reprehendis. 146. *E.*

Ad Attic. lib. 12. epiſt. 6. Sed longa oratio eſt, & tu occupatus in meo fortaſſe aliquo negotio, & pro iſto aſſo ſole, quo tu abuſus es in noſtro pratulo, à te nitidum ſolem, unctumque repetemus. 264. *B.*

Ad Q. frat. lib. 3. epiſt. 1. In balneariis aſſa in alterum apodyterii angulum promovi; propterea quod ita erant poſita, ut eorum vaporarium, ex quo ignis erumpit, eſſet ſub tectum cubiculi. 179. *A. B.*

Ex LAMPRIDIO.

In Heliogabal. Condito piſcinas, & ſolia temperavit, & roſato, & abſynthiato, vulgus ad bibendum invitavit, &c. 124. *E.*

Ex ANACREONTE.

Anacr.

δὸς ὕδορ, βάλ' οἶνον, ὦ παῖ,
τὴν ψυχήν μου κάρωσον.

id eſt:

Da aquam, projice vinum, o puer,
Animam mihi ſopito. 164. *A.*

Ex VIRGILIO.

Æneid. 1.

Crateres læti ſtatuunt, & vina coronant.
Bucol. Crateresque duos ſtatuam tibi pinguis olivi.

Ex PLAUTO.

In Milit. glor. act. 3. ſcen. 2.

Omiſit nardini vini amphoram cellarius. 212. *F.*

Ex JUVENALI.

Sat. 5.

Quando vocatus adeſt calidæ, gelidæque miniſter. 207. *C.*

Sat. 6.

ridendaque multo
Pane tumet facies; aut pinguia Poppeana
Spirat, & hic miſeri viſcantur labra mariti.

Ex MARTIALI.

Lib. 1. epigr. 78.

Sole utitur Charinus, & tamen pallet.
Tingit cutem Charinus, & tamen pallet. 264. *B.*

Lib. 5. epigram. 42.

Si vos pinguis onyx anhelat æſtus. & in fin.
Et flamma tenui calent ophitæ.
Ritus ſi placeant tibi Laconum. & in ſequent. 236. *B.*

Ex STATIO.

Libro Silvarum, in elegia quæ inſcribitur Balnea Etruſci.

Mœret onyx longe, queriturque excluſus Ophites. & in ſequent. *ibid. D.*

Ex veterum ADAGIIS.

A puro pura defluit aqua. 150. *A.*

Aquam & ignem interdicite. *ibid. E.*

INDEX LOCORUM,

Quæ ex ſacris Litteris, & veterum Scriptorum monumentis, ſingularibus explicationibus in Myrothecio Secundo Sacrorum Elæochriſmatων illuſtrantur.

Ex libro GENESIS. cap. VI.

Videntes filii Dei filias hominum, quod eſſent pulchræ, acceperunt ſibi uxores ex omnibus quas elegerant. hi ſunt potentes à ſæculo viri famoſi. v. 2. & 4. 556. F.

XVII. *Maſculus cujus præputii caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo.* v. 14. 393. C.

XXIV. *Dedit Rebeccæ inaures aureas appendentes ſiclos duos, & armillas totidem, pondo ſiclorum decem.* v. 22. 304. A.

XXV. *Da mihi de coctione hac rufa, quia oppido laſſus ſum, &c. vende mihi primogenita tua. Ille reſpondit: en morior: quid mihi proderunt primogenita? ait Jacob, jura ergo mihi; juravit ei Eſau & vendidit primogenita, & ſic accepto pane & lentis edulio, comedit & bibit, & abiit parvipendens, quod primogenita vendidiſſet.* v. 30, 31, 32, 33, & 34. 695. B. 699. C.

Ex libro EXODI.

VI. *Ego Dominus qui apparui Abraham, Iſaac, & Jacob in Deo omnipotente, & nomen meum Adonai non indicavi eis.* v. 3. 553. C. 554. E.

XIX. *Vos ipſi vidiſtis, quæ fecerim Ægyptiis, quomodo portaverim vos ſuper alas aquilarum, & aſſumpſerim mihi.* v. 4. 592. B.

Vade ad populum, & ſanctifica illos hodie, & cras, laventque veſtimenta ſua, & ſint parati in diem tertium, deſcenditque Moyſes ad populum, & ſanctificavit eum. v. 10, 11. 693. D.

XX. *Ego ſum Dominus Deus tuus, fortis & zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios in tertiam, & quartam generationem.* v. 1. 397. D.

XXX. *Sume tibi aromata primæ myrrhæ, & electæ quingentos ſiclos.* v. 23. 326. D. *Et cinnanomi medium, id eſt, ducentos quinquaginta ſiclos, calami ſimiliter ducentos quinquaginta, caſſiæ autem quingentos ſiclos.* v. 23. & 24. 346. A.

Ex libro NUMERORUM.

XVI. *Loquutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Præcipe Eleazaro filio Aaron Sacerdoti, ut tollat thuribula quæ jacent in incendio, & ignem huc illucque diſpergat; quoniam ſanctificata ſunt in mortibus peccatorum, producatque ea in laminas, & affigat altari.* v. 37, 38. 631. F.

Ex libro DEUTERON.

XXVII. *Quando ergo tranſieritis Jordanem erigite lapides, quos ego hodie præcipio vobis, in monte Hebal, & levigabis eos calce, & ædificabis ibi altare Domino Deo tuo de lapidibus, quos ferrum non tetigit, & de ſaxis informibus, & impolitis, & offeres ſuper eos holocauſta Domino Deo tuo, & ſcribes ſuper lapides, omnia verba legis hujus planè & lucidè* v. 4, 5, 6, 7, & 8. 588. B. & ſeqq.

Ex libro I. REGUM.

VII. *Et convenerunt in Maſphath, hauſeruntque aquam & effuderunt in conſpectu Domini, & jejunaverunt in die illa, atque dixerunt, peccavimus Domino.* v. 6. 441. F.

XVII. *Porro pondus loricæ ejus quinque millia ſiclorum.* v. 5. 305. C.

XXI. *Si mundi ſunt pueri maximè à mulieribus, &c. & reſpondit David Sacerdoti, & dicit ei: Equidem ſi de mulieribus agitur, continuimus nos ab heri & nudiuſtertius, quando egrediebamur; & fuerunt vaſa puerorum ſancta. Porrò hæc via polluta eſt, ſed ſanctificabitur in vaſis.* v. 4. & 5. 688. B.

Ex libro III. REGUM.

VIII. *In die illa ſanctificavit Rex medium atrii, quod erat ante domum Domini. Fecit quippe holocauſtum ibi, & ſacrificium, & adipem pacificorum, quoniam altare æreum quod erat coram Domino minus erat, & capere non poterat holocauſtum & ſacrificium, & adipem pacificorum.* v. 64. 583. F.

X. *Fecit quoque Rex Salomon ducenta ſcuta de auro puriſſimo, ſexcenti auri ſiclos dedit in laminas ſcuti unius.* v. 16. 304. C.

Ex libro I. PARALIP.

XXIII. *Et erunt ſub manu filiorum Aaron in cultum domus Domini, in veſtibulis, & in exhedris, & in loco purificationis, & in Sanctuario, & in univerſis operibus ejus.* v. 28. 438. D.

XXVIII. *Ut ex ipſo fieret ſimilitudo quadrigæ Cherubin extendentium alas, & velantium arcam fœderis Domini.* v. 18. 474. E.

Ad fuſcinulas quoque & phialas & thuribula ex auro puriſſimo, & leunculos aureos pro qualitate menſuræ pondus diſtribuit in leunculum & leunculum, ſimiliter & in leones argenteos diverſum argenti pondus ſeparavit. v. 17. 513. D.

Ex libro II. PARALIP.

IV. *Fecit etiam atrium Sacerdotum, & baſilicam grandem, & oſtia in baſilica quæ texit ære.* v. 9. 608. C. 672. E.

Ex libro JOB.

XXIX. *Quando lavabam pedes meos butyro, & petra fundebat mihi rivos olei.* v. 6. 715. B.

Ex ISAIA.

II. *Projeciſti enim populum tuum domum Jacob, quia repleti ſunt ut olim, & augures habuerunt ut Philiſtiim, & pueris alienis adhæſerunt.* v. 6. 643. B.

VI. *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & elevatum, & ea quæ ſub ipſo erant replebant Templum. Seraphim ſtabant ſuper illud, ſex alæ uni, & ſex alæ alteri: duabus velabant faciem ejus, & duabus velabant pedes ejus, & duabus volabant.* v. 1. & 2. 730. B.

XIX. *In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti;*

gypti ; & titulus Domini juxta terminum ejus, erit ſignum, & teſtimonium Domino exercituum in terra Ægypti. v. 19. 408. B.

Ex EZECHIELE.

VIII. *Ecce ipſi applicant ramum ad nares ſuas. v.* 18. 536. A.

XLIII. *Et Ariel duodecim cubitorum in longitudine per duodecim cubitos latitudinis, quadrangulatum æquis lateribus. v.* 16. 610. C.

Ex Euangelio JOANNIS.

IV. *Patres noſtri in monte hoc adoraverunt, & vos dicitis, quia Hieroſolymis eſt locus, ubi adorare oportet. v.* 20. 598. B.

VII. *Propterea Moyſes dedit vobis circumciſionem, non quia ex Moyſe eſt, ſed ex Patribus, & in Sabbato circumciditis hominem. Si circumciſionem accipit homo in Sabbato, ut non ſolvatur lex Moyſis. &c. v.* 22. 23. 574. C.

Ex prophanis SCRIPTORIBUS.

Ex JOSEPHO.

Lib 1. de bello cap. 5. *Pompejus una cum ſuis comitibus in Templum ingreſſus, ubi neminem præter Pontificem adeſſe fas erat ; quæ intus erant candelabra cum lychnis & menſis, in quibus libare, atque adolere moris eſt, & vaſcula ex auro cuncta ſpectavit.* 507. E.

Ex PLUTARCHO.

Opuſculum de EI *Templi Delphici explicatur.* 555. F.

Ex APULEJO.

Lib. 1. Floridor. *Vel truncus dolamine effigiatus, vel ſtipes libamine humectatus, vel lapis unguine delibutus.* 408. E.

Ex CICERONE.

In orat. pro domo ſua. *Ades, ades Lucullè Servili, dum dedico Templum Jovi, ut mihi præeatis, poſtemque teneatis.* 429. E.

Ex HOMERO.

Lib. 7. Iliad.

Dedit Jaſonides ducere vini mille lagenas,
Hinc vinum emebant comati Achivi.
Alii quidem ære, alii autem ardenti ferro,
Alii autem pellibus, alii autem ipſis bobus,
Alii autem captivis rebus ; poſuerunt autem convivium abundans. 296. A.

Ex Nonno DIONYSIAC.

Lib. 7. nu. 14.

— — — *non tunc libatio*
Aërios inebriavit greſſus benevolenti fumo
Vino tincta. 500. E.

INDEX LOCORUM OMNIUM,

Quæ ex Sacris Oraculis tam veteris, quam novi Teſtamenti, in Myrothecio primo citantur, vel explicantur.

Numerus paginam indicat ; littera verò Alphabetica illius loci ſedem oſtendit.

Ex libro GENESIS. cap. IV.

RESpexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus ; ad Cain autem, & munera ejus non reſpexit. v. 4, & 5. 38. *B.*

VIII. Ædificavit autem Noë altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis, obtulit holocauſta ſuper altari. v. 20. 49. *F.*

XII. Novi quod pulchra ſis mulier, & quod cum viderint te Ægyptii, interficient me, & te reſervabunt. v. 11, & 12. 82. *D.* 264. *F.*

XVIII. Domine, ſi inveni gratiam in oculis tuis, non tranſeas ſervum tuum ; ſed afferam pauxillum aquæ, & lavate pedes veſtros. v. 3. & 4. 148. *A.*

XIX. Obſecro, Domini, declinate in domum pueri veſtri, & manete ibi : lavate pedes veſtros, & mane proficiſcemini in viam veſtram. v. 2. 148. *F.*

XX. Concluſerat enim Dominus omnem vulvam domus Abimelech propter Saram uxorem Abrahæ. v. 18. 250. *C.*

En morieris propter mulierem, quam tuliſti. v. 3. *ibid. E.*

XXII. Tulit quoque ligna holocauſti, & impoſuit ſuper Iſaac filium ſuum, ipſe vero portabat ignem, & gladium. v. 6. 49. *E.*

XXVIII. Surgens ergo Jacob mane tulit lapidem, quem ſuppoſuerat capiti ſuo, & erexit in titulum fundens oleum deſuper. v. 18. 232. *C.*

XXXVII. Et ſedentes, ut comederent panem, viderunt Iſmaëlitas viatores venire de Galaad, & camelos eorum portantes aromata, & reſinam, & ſtacten in Ægyptum. v. 25. 108. *B.*

XLIII. Introduc viros domum, & occide victimas, & inſtrue convivium, quoniam mecum ſunt comeſturi hodie. v. 16. 163. *D.*

Et introductis domum attulit aquam, & laverunt pedes ſuos. v. 24. *ibid. D.*

XLIV. Scyphus quem furati eſtis, ipſe eſt, in quo bibit Dominus meus, & in quo augurari ſolet. v. 5. 224. *A.*

Ex libro EXODI.

XII. Factum eſt autem, in noctis medio percuſſit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti, à primogenito Pharaonis, qui in ſolio ejus ſedebat, uſque ad primogenitum captivæ, quæ erat in carcere; & omne primogenitum jumentorum, ſurrexitque Pharao nocte, & omnes ſervi ejus, cunctaque Ægyptus, & ortus eſt clamor magnus in Ægypto, neque enim erat domus, in qua non jaceret mortuus. v. 29. & 30. 24. *A.*

XXV. Loquere filiis Iſraël, ut tollant mihi primitias, ab omni homine, qui offert ultroneus, accipietis eas. Hæc ſunt autem &c. v. 2. 70. B.

Ibid. Hæc ſunt autem quæ accipere debetis, aurum, & argentum, & æs, hyacinthum, & purpuram, coccumque bis tinctum, & byſſum, & pilos caprarum, & pelles arietum rubricatas, pelleſque janthinas, & ligna ſetim, oleum ad luminaria concinnanda, aromata in unguentum, & thymiama boni odoris. v. 3, 4, 5, 6, & 7. 10. *C.* 11. *C.* 72. *B.* 78. *A.*

Ibid. Facies & lucernas ſeptem, & pones eas ſuper candelabrum, ut luceant ex adverſo. Emunctoria quoque, & ubi quæ emuncta ſunt, extinguantur, fiant ex auro puriſſimo. v. 37, & 38. 25. *C.* 29. *F.* 34. *C.* 51. *E.*

Ibid. Omne pondus candelabri cum univerſis vaſis ſuis, habebat talentum auri puriſſimi. v. 39. 63. *F.*

XXVII. Præcipe filiis Iſraël, ut afferant tibi oleum de arboribus olivarum puriſſimum, piloque contuſum: ut ardeat lucerna ſemper in tabernaculo teſtimonii. v. 20. & 21. 14. *C.* 16. *A.* 18. *A.*

Ibid. Et collocabunt eam Aaron, & filii ejus, ut uſque mane luceat coram Domino. v. 21. 34. *C.*

Ibid. Ardeat lucerna ſemper in tabernaculo teſtimonii, extra velum quod oppanſum eſt teſtimonio. Et collocabunt eam Aaron, & filii ejus, ut uſque mane luceat coram Domino. Perpetuus erit cultus per ſucceſſiones eorum à filiis Iſraël. v. 21. 49. *B.* 67. *C.*

XXX. Facieſque unctionis oleum ſanctum, unguentum compoſitum opere unguentarii. v. 25. 81. *D.* 106. *B.* 266. *A.*

Facieſque thymiama compoſitum opere unguentarii, mixtum diligenter, & puriſſimum, & ſanctificatione digniſſimum. v. 35. 106. *B.*

Hoc oleum unctionis ſanctum erit mihi in generationes veſtras. v. 31. 269. *A.*

Hoc oleum unctionis ſanctum erit mihi in generationes veſtras. Caro hominis non ungetur ex eo, & juxta compoſitionem ejus non facietis aliud, quia ſanctificatum eſt, & ſanctum erit vobis. Homo quicumque tale compoſuerit, & dederit ex eo, alieno, exterminabitur de populo ſuo. v. 31, 32, 33. *ibid. A.B.*

XXXV. Iſte eſt ſermo quem præcepit vobis Dominus, dicens: Separate apud vos primitias Domino. v. 4. & 5. 71. *D.*

Candelabrum ad luminaria ſuſtentanda, vaſa illius, & lucernas, & oleum ad nutrimenta ignium. v. 14. 29. *C.* 37. *F.*

Egreſſaque omnis multitudo filiarum Iſraël de conſpectu Moyſi, obtulerunt mente promptiſſima atque devota, primitias Domino, ad faciendum opus tabernaculi teſtimonii. v. 20. & 21. 70. *D.*

Sed & mulieres doctæ, quæ texuerant, dederunt hyacinthum, purpuram & vermiculum, ac byſſum & pilos caprarum, ſponte propria cuncta tribuentes. v. 25. 77. *D.*

Omnes viri & mulieres mente devota obtulerunt donaria, ut fierent opera quæ juſſerat Dominus per manum Moyſi. v. 29. 70. *D.*

Quicquid ad cultum, & ad veſtes ſanctas neceſſarium erat, viri cum mulieribus præbuerunt, &c. Si quis habebat hyacinthum & purpuram, coccumque bis tinctum, byſſum & pilos caprarum, pelles arietum rubricatas, & janthinas, argenti, æriſque metalla, obtulerunt Domino, lignaque ſetim in varios uſus. v. 22, 23 & 24. 77. *C.*

Principes vero obtulerunt lapides onychinos; & gemmas ad ſuperhumerale, & rationale, aromataque & oleum ad luminaria concinnanda, & ad præparandum unguentum. v. 27. & 28. 11. B. 101. *F.* 108. *D.*

XXXVII. Compoſuit & oleum ad ſanctificationis unguentum. v. 29. 266. *A.*

Fecit & lucernas ſeptem cum emunctoriis ſuis, & vaſa, ubi ea, quæ emuncta ſunt, extinguantur v. 23. 25. *D.*

XXXVIII. Fecit & labrum æneum cum baſi ſua de ſpeculis mulierum, quæ excubabant in oſtio tabernaculi. v. 8. 41. *E.*

XXXIX. Candelabrum, lucernas, & utenſilia earum cum oleo. v. 36. 51. *D.* 56. *A.*

Ex libro LEVITICI.

Cap. VI. Ignis autem in altari meo ſemper ardebit, quem nutriet ſacerdos ſubjiciens ligna mane per ſingulos dies; & impoſito holocauſto, deſuper adolebit adipes pacificorum. v. 12. 38. *D.* 49. *A.*

Cremabitur in altari tota nocte uſque mane: ignis ex eodem altari erit. ignis eſt iſte perpetuus, qui nunquam deficiet in altari. v. 10. 12. & 13. 38. *E.*

Et efferet eos extra caſtra, & in loco mundiſſimo, uſque ad favillam conſumi faciet. v. 11. 45. *E.*

VIII. Qui poſtquam levaverunt ea coram Domino, rurſum ſuſcepta de manu eorum adolevit ſuper altare holocauſti, eo quod conſecrationis eſſet oblatio, in odorem ſuavitatis ſacrificii Domini. v. 28. & 29. 39. *D.*

IX. Facto autem octavo die, vocavit Moyſes Aaron, & filios ejus, ac majores natu Iſraël, apparuitque gloria Domini omni multitudini: & ecce egreſſus ignis à Domino devoravit holocauſtum, & adipes qui erant ſuper altare: quod cum vidiſſent turbæ, laudaverunt Dominum ruentes in facies ſuas. v. 1. & 29. *ibid. F.*

X. Obtulerunt ignem alienum, quod eis præceptum non fuerat. v. 1. 43. *B.*

XI. Fontes verò, & ciſternæ, & omnis aquarum congregatio munda. v. 36. 159. *D.*

Et omne ſuper quod ceciderit cadaver illorum, immundum erit: clibanus, chytropodes diruantur, quia immunda ſunt. v. 35. 178. *B.*

XIII. Quicunque maculatus fuerit lepra, & ſeparatus eſt ad arbitrium ſacerdotis, habebit veſtimenta diſſuta, caput nudum, os veſte contectum; contaminatum, ac ſordidum ſe clamabit. v. 44. 45. 158. *A.*

XVIII. Ad mulierem, quæ patitur menſtrua, non accedes, nec revelabis fœditatem ejus. Nec polluamini in his omnibus, in quibus contaminatæ ſunt univerſæ gentes. v. 20. & 21. 155. *A.*

XXI. Loquere ad ſacerdotes filios Aaron, & dices ad eos &c. Sancti erunt Domino, & panes Dei ſui offerunt; &c. quia conſecrati ſunt. Deo ſuo, & panes propoſitionis offerunt. v. 1. 6. & 7. 68. C.

XXII.

XXII. Qui tetigerit immundum ſuper mortuo, & ex quo egreditur ſemen quaſi coitus, immundus erit uſque ad veſperum. v. 4. 155. A.
Qui tangit reptile, & quodlibet immundum, cujus contactus eſt ſordidus, immundus erit uſque ad veſperum. v. 5. & 6. 154. *E.*
XXIV. Præcipe filiis Iſraël, ut afferant tibi oleum de olivis puriſſimum, ac lucidum. v. 2. 14. *C.* 18. *A.*
Ad concinnandas lucernas jugiter. v. 2. 53. *D.*
Ponetque eas Aaron à veſpere uſque ad mane coram Domino, cultu rituque perpetuo in generationibus veſtris. Super candelabrum mundiſſimum ponentur ſemper in conſpectu Domini. v. 3. & 4. 34. *B.* 66. *F.* 67. *B.*

Ex libro NVMER.

IV. Iſta ſunt onera filiorum Cahath, ſuper quos erit Eleazar filius Aaron ſacerdotis, ad cujus curam pertinet oleum ad concinnandas lucernas, & compoſitionis incenſum, & Sacrificium, quod ſemper offertur, & oleum unctionis. v. 15. & 16. 10. *E.* 21. *E.*
Tabernaculum fœderis, & Sanctum Sanctorum ingredientur Aaron, & filii ejus, quando movenda ſunt caſtra. v. 4. 68. *A.*
Sument & pallium hyacinthinum, quo operient candelabrum cum lucernis & forcipibus ſuis, & emunctoriis, & cunctis vaſis olei, quæ ad concinnandas lucernas neceſſaria ſunt. v. 9. 62. A. 68. *A.*
VII. Filiis autem Cahath non dedit plauſtra & boves, quia in ſanctuario ſerviunt, & onera propriis portant humeris. v. 9. 61. *E.*
IX. State ut conſulam Dominum, quid præcipiat vobis. Homo qui fuerit immundus ſuper anima, ſive in via procul in gente veſtra, faciat Phaſe Domino in menſe ſecundo, quartadecima die menſis ad veſperam: cum azymis & lactucis agreſtibus comedent illud: non relinquent ex eo quidpiam uſque mane, & os ejus non confringent, omnem ritum Phaſe obſervabunt. v. 9, 10, 11, & 12. 157. *B.*
XVI. Hauſto igne de altari cucurrit in medio conflagrationis, & Dominum placavit. v. 46. 49. *D.*
Iſta eſt lex hominis qui moritur in tabernaculo: omnes qui ingrediuntur tentorium illius, & univerſa vaſa quæ ibi ſunt, polluta erunt ſeptem diebus. v. 14. 156. *B.*
Hoc modo mundus luſtrabit immundum tertio & ſeptimo die, expiatuſque die ſeptimo lavabit ſe, & veſtimenta ſua, & immundus erit uſque ad veſperum. v. 19. 156. *C.*
Si quis hoc ritu expiatus non fuerit, peribit anima illius de medio Eccleſiæ, quia ſanctuarium Domini polluit, & non eſt aqua luſtrationis aſperſus. v. 20. 156. *C.*
XIX. Quicquid tetigerit immundus, immundum faciet, & anima quæ horum quidpiam tetigerit, immunda erit uſque ad veſperum. v. 22. 155. *B.*

Ex libro DEUTERON.

XXIV. Si fruges collegeris olivarum, quicquid remanſerit in arboribus, non reverteris ut colligas. v. 20. 17. *D.*

Ex libro JOSUE.

VII. Joſue verò ſcidit veſtimenta ſua, & pronus cecidit in terram coram arca Domini, uſque ad veſperam, tam ipſe, quam omnes ſenes Iſraël, miſeruntque pulverem ſuper capita ſua. v. 6. 140. *D.*

Ex libro JVDICUM.

IX. Numquid poſſum deſerere pinguedinem meam, qua & Dii utuntur & homines, & venire ut inter ligna promovear? v. 9. 10. *D.*
XII. Nunquid Ephratæus es? quo dicente non ſum, interrogabant eum: dic ergo Scibboleth, quod interpretatur Spica. Qui reſpondebat Sibboleth eadem littera ſpicam exprimere non valens. v. 5. & 6. 116. *B.*

Ex RUTH.

III. Lavare & ungere, & induere cultioribus veſtimentis. v. 3. 253. *B.*

Ex primo REGUM.

I. Et abiit mulier in viam ſuam. v. 18. 199. *D.*
III. Factum eſt ergo in die quadam, Heli jacebat in loco ſuo, & oculi ejus caligaverant, nec poterat videre lucernam Dei antequam extingueretur. v. 2. 65. C.
VII. Factum eſt autem, cum Samuel offerret holocauſtum, Philiſtiim iniere prælium contra Iſraël. v. 10. 46. D.
VIII. Filias quoque veſtras faciet ſibi unguentarias, &c. v. 13. 81. *B.*
X. Tulit autem Samuel lenticulam olei, & effudit ſuper caput ejus. v. 1. 231. E.
Ecce cuneus Prophetarum obvius ei, & inſiluit ſuper eum ſpiritus Domini, & prophetavit in medio eorum. v. 10. 194. F.
XVI. Imple cornu tuum oleo, & veni, ut mittam te ad Iſai Bethlehemitem. v. 1. 246. A.
XXVI. Tulit igitur David haſtam & ſcyphum aquæ qui erat ad caput Saul, & abierunt. v. 12. 224. *E.* 226. *E.*
Abiit autem David in viam ſuam. v. 25. 199. *D.*

Ex ſecundo REGVM.

VI. Abiit ergo David, & adduxit arcam Dei de domo Obededom, in civitatem David cum gaudio. v. 12. 113. *E.*
Et David ſaltabat totis viribus ante Dominum. porro David accinctus erat Ephod lineo. v. 14. *ibid.*
XI. Vade in domum tuam, & lava pedes tuos. Et egreſſus eſt Urias de domo Regis, ſequutuſque eſt eum cibus regius. v. 8. 163. E.
XII. Num mortuus eſt puer? qui reſponderunt ei, mortuus eſt. v. 19. 142. E.
Surrexit ergo David de terra, & lotus unctuſque eſt: cumque mutaſſet veſtem, ingreſſus eſt domum Domini, & adoravit. v. 20. *Ibid.*
Et venit in domum ſuam, petivitque ut ponerent ei panem, & comedit. v. 20. 153. F. 188. *D.*
XIV. Lugere te ſimula, & induere veſte lugubri, & ne ungaris oleo, ut ſis quaſi mulier multo tempore lugens mortuum. v. 2. 81. *A.* 141. *D.*

Ex tertio REGUM.

I. Sumpſitque Sadoch ſacerdos cornu olei de tabernaculo, & unxit Salomonem. v. 39. 246. *A.*
VII. Capitella autem, quæ erant ſuper capita columnarum, quaſi opere lilii fabricata erant in porticu quatuor cubitorum. v. 19. 118. *D.*
Fecitque Salomon omnia vaſa in domo Domini

ni: altare aureum & menſam ſuper quam ponerentur panes propoſitionis, auream, & candelabra aurea quinque ad dexteram, & quinque ad ſiniſtram, contra Oraculum, ex auro puro, & quaſi lilii flores, & lucernas deſuper aureas, & forcipes aureos, &c. v. 48. & 49. 25. *D.*

XVII. Vivit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem, niſi quantum pugillus capere poteſt farinæ in hydria. v. 12. 87. *D.*

Et paulum olei in lecytho. v. 12. 236. *C.*

En colligo duo ligna, ut ingrediar, & faciam illum mihi & filio meo, ut comedamus, & moriamur. v. 12. 87. *E.*

XVIII. Cecidit ignis Domini, & voravit holocauſtum, & ligna, & lapides, pulverem quoque & aquam quæ erat in aquæ ductu, lambens. v. 38. 43. *E.*

XIX. Et ecce Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi: Surge & comede. Reſpexit, & ecce ad caput ſuum ſubcinericius panis, & vas aquæ. v. 5. 224. *F.*

Surge & comede, grandis enim tibi reſtat via. v. 7. 199. *F.*

Et ambulavit in fortitudine cibi illius, quadraginta diebus & quadraginta noctibus uſque ad montem Dei Horeb. v. 8. 225. A.

Revertere in viam tuam per Deſertum in Damaſcum: cumque perveneris illuc, unges Hazaël Regem ſuper Syriam, & Jehu filium Namſi unges Regem ſuper Iſraël: Eliſæum autem filium Saphat, qui eſt de Abelmeüla, unges Prophetam pro te. v. 15. & 16. 193. *B.* 197. *E.*

Profectus ergo inde Elias reperit Eliſæum filium Saphat in duodecim jugis boum: & ipſe in duodecim jugis boum arantibus unus erat. &c. v. 19. 200 *B.*

Cumque veniſſet Elias ad eum, miſit pallium ſuper illum, qui ſtatim relictis bobus cucurrit poſt Eliam, & ait: Oſculer oro patrem meum, & matrem meam, & ſic ſequar te. Dixitque ei, vade & revertere, quod enim meum erat feci tibi. v. 19, 20. 201. *C.*

Reverſus autem ab eo tulit par boum, & mactavit illud, & in aratro boum coxit carnes, & dedit populo, & comederunt. v. 21. 194. *E.*

XXII. Ambulavit in via patris ſui, & matris ſuæ, & in via Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit Iſraël. v. 53. 199. *B.*

Ex quarto REGUM.

IV. Non habeo ancilla tua quicquam in domo mea, niſi parum olei quo ungar. v. 2. 7. *A.* 86. *D.* 231. *B.*

Vende oleum, & redde creditori tuo: tu autem, & filii tui vivite de reliquo. v. 7. 87. *A.*

Dimitte eam, quia anima ejus in amaritudine poſita eſt, & Dominus celavit à me. v. 27. 195. *B.*

VIII. Quid enim ſum ſervus tuus canis, ut faciam rem iſtam magnam? v. 13. 200. *F.*

Oſtendit mihi Dominus te Regem Syriæ fore. v. 13. *ibid.*

IX. Tolle lenticulam hanc olei in manu tua, & vade in Ramoth Galaad, & unges Jehu. v. 1. 231. E.

Quid venit inſanus iſte ad te? v. 11. 192. *A.*

XVIII. Veniam, & transferam vos in terram quæ ſimilis eſt terræ veſtræ, in terram fructiferam, & fertilem vini, terram panis, & vinearum, terram olivarum, & olei, ac mellis. v. 32. 17. *D.*

Ex primo PARALIP.

XXI. Et ædificavit ibi altare Domino, obtulitque holocauſta & pacifica, & invocavit Dominum, & exaudivit eum in igne de cœlo ſuper altare holocauſti. v. 26. 38. *C.* 43. *D.*

XXIX. Dies noſtri quaſi umbra ſuper terram, & nulla eſt mora. v. 15. 160. *A.*

Ex ſecundo PARALIPOM.

VII. Cumque compleſſet Salomon fundens preces, ignis deſcendit de cœlo, & devoravit holocauſta, & victimas. v. 1. 43. *D.*

XVI. Mortuus eſt anno quadrageſimo primo regni ſui. Et ſepelierunt eum in ſepulcro ſuo, quod fecerat ſibi in civitate David, poſueruntque eum ſuper lectum ſuum plenum aromatibus, & unguentis meretriciis, quæ erant pigmentariorum arte confecta, & combuſſerunt ſuper eum ambitione magna. v. 13. & 14. 100. *B.* 106. *C.*

Ex ſecundo ESDRÆ.

III. Et juxta eum ædificavit Eziel filius Araiæ aurifex: & juxta eum ædificavit Ananias filius pigmentarii, & dimiſerunt Jeruſalem uſque ad murum plateæ latioris. v. 8. 86. *B.*

Ex quarto ESDRÆ.

II. Paravi tibi arbores duodecim gravatas variis fructibus, & totidem fontes fluentes lac & mel, & montes immenſos ſeptem habentes roſam, & lilium. v. 18. & 19. 122. *F.* 123. *A.*

Ex libro JUDITH.

X. Surrexit de loco, in quo jacuerat proſtrata ad Dominum. Vocavitque abram ſuam, & deſcendens in domum ſuam abſtulit à ſe cilicium, & exuit ſe veſtimentis viduitatis ſuæ, & lavit corpus ſuum, & unxit ſe myro optimo. v. 1. 2. & 3. 142. *D.*

& diſcriminavit crinem capitis ſui. v. 3. 253. *C.*

Ex libro ESTHER.

II. Cum autem veniſſet tempus ſingularum per ordinem puellarum, ut intrarent ad Regem, expletis omnibus, quæ ad cultum muliebrem pertinebant; menſis duodecimus vertebatur: ita duntaxat ut ſex menſibus oleo ungerentur myrrhino, & aliis ſex quibuſdam pigmentis & aromatibus uterentur. v. 12. 146. *A.* 249. *D.* 256. *A.*

IX. Et revertente ſemper anno ſolemni celebrarent honore, eſſentque dies iſti epularum, atque lætitiæ. v. 21. 143. *C.*

Ex libro JOB.

XLI. Ferveſcere faciet quaſi ollam profundum maris, & ponet quaſi cum unguenta bulliunt. v. 22. 82. *A.* 109. *E.*

Ex PSALMIS.

XXII. Paraſti in conſpectu meo menſam, adverſus omnes qui tribulant me. v. 5. 188. *F.* 205. *F.*

Impinguaſti in oleo caput meum: & calix meus inebrians, quam præclarus eſt. *Ibid.*

XLIV. In finem pro his qui commutabuntur, filiis Core, ad intellectum, Canticum pro dilecto. v. 1. 118. *A.*

Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. v. 8. 111. *B.* 135. *D.* 143. *A.*

Myr-

Myrrha & gutta & caſia à veſtimentis tuis. v. 9. 258. *B.*

LIX. Juda rex meus, Moab olla ſpei meæ. v. 10. 177. *B.*

LXVII. Et juſti epulentur, & exultent in conſpectu Dei, & delectentur in lætitia. v. 4. 113. *C.*

LXXXVIII. Inveni David ſervum meum: oleo ſancto meo unxi eum. v. 21. 266. *A.* 269. *B.*

CIII. Et vinum lætificat cor hominis v. 15. 114. *B.*

Extendens cœlum ſicut pellem. v. 3. 193. *F.*

CIV. Nolite tangere Chriſtos meos; & in Prophetis meis nolite malignari. v 15. 196. *C.*

CVIII. Genua mea infirmata ſunt à jejunio, & caro mea immutata eſt propter oleum: v: 24. 140. *F.*

Ego autem factus ſum in opprobrium illis: viderunt me, & moverunt capita ſua. v. 25. 141. *C.*

Et induit maledictionem ſicut veſtimentum ſuum, & intravit ſicut aqua in interiora ejus, & ſicut oleum in oſſibus ejus. v. 18. 171. *B.*

CXXVI. Niſi Dominus cuſtodierit civitatem: fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam. v. 2. 89 *D.*

CXLI. Corripiat me juſtus in miſericordia, & increpabit me, oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. v. 5. 188. E.

Ex libro PROVERB.

VI. Conſerva, fili mi, præcepta patris tui. v. 20. 71. *A.* 76 *E.*

VII. Fili mi, cuſtodi ſermones meos, & præcepta mea reconde tibi. v. 1. 71. *A.* 76 *E.*

Ibid. Aſperſi cubile meum myrrha, & aloë. v. 17. 257. E.

XXVII. Unguento, & variis odoribus delectatur cor. v. 9. 95. *A.*

Ex ECCLESIASTE.

X. Muſcæ morientes perdunt ſuavitatem unguenti. v. 1. 96. *C.*

Ex CANTIC. CANTIC.

I. Meliora ſunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis. v. 1. 94. *F.* 214. *A.*

Ibid. Oleum effuſum nomen tuum; ideo adoleſcentulæ dilexerunt te: trahe me poſt te, curremus in odorem unguentorum tuorum. v. 2. & 3. 4. *E.* 81. *A.*

In odorem unguentorum tuorum curremus. v. 3. 81. *A.*

Memores uberum tuorum ſuper vinum. v. 3. 214. *B.*

Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum. v. 11. 104. *E.* 204. *D.*

Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi. v. 12. 256 *B.* 257. *E.*

Ecce tu pulcher es, dilecte mi, & lectulus noſter floridus. v. 15. 258. *B.*

II. Ego flos campi, & lilium convallium: ſicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias. v. 1. & 2. 137. *C.*

Ibid. Dilectus meus mihi, & ego illi, qui paſcitur inter lilia, donec aſpiret dies, & inclinentur umbræ. v. 16. & 17. 137. *C.*

III. Surgam, & circuibo civitatem, per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea. v. 2. 89 *C.*

Invenerunt me vigiles, qui cuſtodiunt civitatem; num quem diligit anima mea vidiſtis? paululum cum pertranſiſſem eos, inveni quem diligit anima mea. v. 34. *ibid.*

Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & univerſi pulveris pigmentarii? v. 6 258. *E.* 261. *E.*

Ibid. Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater ſua in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis ſui. v. 11. 143. E.

IV. Emiſſiones tuæ paradiſus malorum punicorum. v. 13. 102. *E.*

V. Expoliavi me tunica mea, quomodo induar illa? lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos? &c. Surrexi ut aperirem dilecto. Manus meæ diſtillaverunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatiſſima. v. 3, 4, & 5. 253. D. 255. *B.* 263. *A.*

Surrexi ut aperirem dilecto meo: manus meæ diſtillaverunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatiſſima. v. 5. 94. E.

Invenerunt me cuſtodes, qui circumeunt civitatem; percuſſerunt me, & vulneraverunt pallium meum mihi cuſtodes murorum. v. 7. 88. *C. D.*

Labia illius lilia ſtillantia myrrham primam. v. 13. 134. *C.* 127. *F.*

Genæ illius ſicut areolæ aromatum conſitæ à pigmentariis. v. 13. 90. *B.* 94. *F.*

VIII. Apprehendam te, & ducam in domum matris meæ, ibi me docebis & dabo tibi poculum ex vino condito, & muſtum malorum granatorum. v. 2. 214. *C.*

Ex libro SAPIENT.

II. Exiguum & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ. Venite ergo, & fruamur bonis, quæ ſunt; & utamur creatura tanquam in juventute celeriter. v. 6. 126. *E.*

Et non pertranſeat nos flos temporis. v. 7. 120. *E.*

Vino pretioſo, & unguentis nos impleamus. v. 7. 8. D. 214 *E.*

Coronemus nos roſis antequam marceſcant, nullum ſit pratum, quod non pertranſeat luxuria noſtra. v. 8. 120. *E.*

Ex libro ECCLESIASTICI.

IX. Omni tempore veſtimenta tua ſint candida, & oleum capiti tuo non deficiat. 8. *B.* 171. *A.* 232. *A.*

XXIV. In Sion firmata ſum, & in Civitate ſanctificata ſimiliter requievi, & in Hieruſalem poteſtas mea. v. 15. 90. *F.*

Quaſi cedrus exaltata ſum in Libano, & quaſi Cypreſſus in monte Sion: quaſi palma exaltata ſum in Cades, & quaſi plantatio roſæ in Hierico: & quaſi oliva ſpecioſa in campis; quaſi platanus exaltata ſum juxta aquas. v. 17, 18, & 19. 90. *E.*

In plateis ſicut cinnamomum, & balſamum aromatizans odorem dedi. v. 20. 91. *A.*

Sicut cinnamomum, & balſamum aromatizans odorem dedi, & quaſi balſamum non mixtum odor meus. v. 20. 104. *C.*

Quaſi myrrha electa dedi ſuavitatem odoris: & quaſi ſtorax, & galbanus, & ungula & gutta, & quaſi libanus non inciſus vaporavi habitationem meam. v. 20. 21. *Ibid. B.*

XXIV. Quaſi plantatio roſæ in Hierico, quaſi flos roſarum, quaſi arcus refulgens inter nebulas gloriæ. v. 18. 123. *A.*

XXXIV. Qui baptizantur à mortuo, & iterum tangit eum, quid proficit lavatio illius? v. 30. 149. *C.*

XXXVIII. In his curans mitigabit dolorem, & unguentarius faciet pigmenta ſuavitatis; & unctiones conficiet ſanitatis, & non conſummabuntur opera ejus. v. 7. 170. *C.*

XLVIII. Qui ungis reges ad pœnitentiam, & prophetas facis ſucceſſores poſt te. v. 8. 201. *C.*

Ex ISAIA.

III. In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & diſcriminalia, & periſcelidas, & murenulas, & olfactoriola, & inaures, & annulos, & gemmas in fronte pendentes, & mutatoria, & palliola, & linteamina, & acus, & ſpecula, & ſindones, & vitas, & theriſtria. Et erit pro ſuavi odore fœtor, & pro zona funiculus, & pro criſpanti crine calvitium. v. 18, 19, 20, 21, 22, 23. & 24. 247. *E.*

XXI. Surgite principes; & ungite clypeum. v. 5. 197. *A.*

Pone menſam, contemplare in ſpecula comedentes, & bibentes: ſurgite principes, & ungite clypeum. v. 5. *ibid. C.*

In illa faciet Dominus omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defœcatæ. v. 6. 205. *B.*

LXI. Spiritus Domini ſuper me, eo quod unxerit me. v. 1. 193. *C.*

Ad annunciandum pauperibus miſit me. Ut ponerem fortitudinem lugentibus Sion, ut darem eis coronam pro cinere, & oleum gaudii pro luctu. v. 2, 2, & 3. 111. *F.* 139. *C.* 143. *B*

Ex JEREMIA.

I. Ollam ſuccenſam ego video, & facies ejus à facie Aquilonis. v. 13. 180. *C.*

XVII. Expectatio Iſraël Domine, omnes qui te derelinquunt, confundentur; recedentes à te in terra ſcribentur; quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum. v. 13. 159. *F.* 160. *A.*

XX Et dixi, non loquar ultra in nomine Domini, quia factum eſt in opprobrium mihi. v. 9. 192. *A.*

Ex BARUCH.

VI. Lucernas accendunt illis, & quidem multas, ex quibus nullam videre poſſunt. v. 18. 25. *C.* 27. *B.*

Ex EZECHIELE.

XVI. Et lavi te aqua, & emundavi ſanguinem tuum ex te, & unxi te oleo. v. 9. 171. *D.*

XXIII. Miſerunt ad viros venientes de longe, ad quos nuncium miſerant, itaque ecce venerunt, quibus te laviſti, & circumliniſti ſtibio oculos tuos, & ornata es mundo muliebri: ſediſti in lecto pulcherrimo, & menſa ornata eſt ante te; thymiama meum, & unguentum meum poſuiſti ſuper eam, & vox multitudinis exultantis erat in ea, & in viris, qui de multitudine hominum adducebantur, & veniebant de deſerto, poſuerunt armillas in manibus eorum, & coronas ſpecioſas in capitibus eorum. v. 40, 41, & 42. 131. *C. & D.*

XXVII. Juda & terra Iſraël ipſi inſtitores tui in frumento primo; balſamum, & mel, & oleum, & reſinam propoſuerunt in nundinis veſtris. v. 17. 104. *D.*

Ex DANIELE.

XIII. Dixit ergo puellis, afferte mihi oleum; & ſmigmata, & oſtia pomarii claudite, ut laver. v. 17. 253. *C.* 255. *B.*

Ex OSEA.

IX. Scitote Iſraël ſtultum Prophetam, inſanum virum ſpiritualem propter multitudinem iniquitatis tuæ, & multitudinem amentiæ. v. 7. 191. *F.*

Da eis ubera arentia, vulvam ſine liberis. v. 14. 250. *C.*

Ex JOELE.

III. Et poſuerunt puerum in proſtibulum, & puellam vendiderit pro vino. v. 3. 210. *A.*

Ex AMOS.

III. Non faciet Dominus verbum niſi revelaverit illud ad ſervos ſuos Prophetas. v. 7. 195. *B.*

VI. Veh qui opulenti eſtis in Sion, bibentes vinum in phialis, & optimo unguento delibuti. v. 1. 8. *C.* 80. *F.* 204. *F.*

Ex ZACHARIA.

II. Abſque muro habitabitur Hieruſalem, & ego ero murus ignis in circuitu, & in gloria in medio ejus. v. 3. 89. *E*

IV. Vidi, & ecce candelabrum aureum totum, & lampas ejus ſuper caput ipſius, & ſeptem lucernæ ejus ſuper illud. v. 2. 52. *B.* 60. *E.*

Et ſeptem infuſoria lucernis, quæ erant ſuper caput ejus. v. 2. 52. *B.*

Quid ſunt duæ ſpicæ olivarum, quæ ſunt juxta duo roſtra aurea, in quibus ſunt ſuffuſoria ex auro? v. 12. 53. *F.*

XIV. Et erunt lebetes in domo Domini, quaſi phialæ coram altari. v. 20. 177. *E.*

Ex primo MACHAB.

I. Ædificaverunt gymnaſium in Hieroſolymis ſecundum legem nationum, & fecerunt ſibi præputia, & receſſerunt a teſtamento ſancto. v. 15. & 16. 167. *A.*

IV. Et repoſuerunt lapides in monte domus in loco apto, quoaduſque veniret Propheta, & reſponderet de eis. v. 46. 192. *D.*

Ex ſecundo MACHAB.

I. Utque hoc factum eſt, & tempus affuit, quo Sol refulſit, qui prius erat in nubilo, accenſus eſt ignis magnus, ita ut omnes mirarentur. v. 22. 49. *E.*

IV. Super hæc promittebat & alia centum quinquaginta, ſi poteſtati ejus concederetur gymnaſium & ephebiam ſibi conſtituere. v. 9. 167. *A.*

Etenim auſus eſt ſub ipſa arce gymnaſium conſtituere, & optimos quoſque epheborum in lupanaribus ponere. v. 12. 167. *B.* 210. *A.*

Ex MATTHÆO.

III. Ego debeo à te baptizari, & tu venis ad me? reſpondens autem Jeſus dixit ei: ſine modo, ſic enim decet nos implere omnem juſtitiam. v. 14. & 15. 150. *C.*

V. Non

V. Non veni ſolvere legem, ſed adimplere. v. 17. 156. *D.*
Ibid. Ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros. v. 44 77. *A.*
VI. Tu autem cum jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava. v. 17. 8. *D.* 141. *D.* 189. *A.*
IX. Quare cum publicanis & peccatoribus manducat magiſter veſter? v. 11. 155. *F.*
XI. Inter natos mulierum, non ſurrexit major Joanne Baptiſta. v. 11. 12. *F.*
XVIII. Non dico tibi ſepties, ſed ſeptuagies ſepties. v. 22. 25. *F.*
XXII. Tauri mei & altilia occiſa ſunt. v. 4. 205. *D.*
XXVI. Non bibam a modo de hoc genimine vitis, donec bibam illud novum in regno Patris mei. v. 29. 205. *A.*

Ex MARCO.

VII. Phariſæi enim, & omnes Judæi, niſi crebro laverint manus, non manducant; tenentes traditionem ſeniorum: & à foro, niſi baptizentur, non comedunt. v. 3. 154. *A.* 161. *E.*
XV. Et dederunt illi bibere myrrhatum vinum. v. 23. 214. *C.*

Ex LUCA.

VII. Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix, attulit alabaſtrum unguenti, & ſtans retro ſecus pedes ejus. v. 37. 206. *D.* 215. *B.*
Aquam pedibus meis non dediſti. v. 44. 161. *B.* 164. *B.*
Oleo caput meum non unxiſti. v. 46. 4. *F.* 204. *E.*
IV. Et aperiens librum, invenit locum, in quo erat ſcriptum; Spiritus Domini ſuper me, eo quod unxerit me. v. 18. 8. *C.* 193. *C.*
VII. Hic ſi eſſet propheta, ſciret utique, quæ & qualis eſt mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix eſt. v. 39. 156. *A.*
XI. Et cum loqueretur, rogavit illum quidam Phariſæus, ut pranderet apud ſe, & ingreſſus recubuit Phariſæus, & cœpit intra ſe dicere, quare non baptizatus eſſet ante prandium. v. 38. 153. *E.* 160. *C.*

Ex JOANNE.

II. Erant autem ibi hydriæ ſex lapideæ ſecundum conſuetudinem Judæorum. v. 6. 157. *D.*
III. Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non intrabit in regnum cœlorum. v. 5. 177. *D.*
V. Ipſe erat lucerna ardens, & lucens ante Dominum. v. 35. 12. *F.*
IX. Hic homo peccator eſt. v. 24. 156. *E.*
XIII. Surgit à cœna, &c. & ponit veſtimenta ſua: & cum accepiſſet linteum, præcinxit ſe linteo, & lavit pedes diſcipulorum. v. 4. 165. *A.*
Si non lavero te, non habebis partem mecum. v. 8. *Ibid. B.*
Non tantum pedes, ſed & manus, & caput. v. 9. *Ibid.*
Qui lotus eſt, non indiget, niſi ut pedes lavet. v. 10. *Ibid. & C.*

Ex Actib. APOST.

VIII. Et juſſit ſtare currum, & deſcenderunt uterque in aquam, & baptizavit eum. v. 8. 149. *E.*
XXI. Tunc Paulus aſſumptis viris poſtera die purificatus cum illo, intravit in templum, annuncians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro unoquoque eorum oblatio. Dum autem ſeptem dies conſummarentur, &c. v. 26. 156. *F.*
XXIV. In hoc & ipſe ſtudeo ſine offendiculo, & ſcientiam habere ad Deum, & ad homines ſemper. Poſt annos autem plures, eleemoſynas facturus in gentem meam veni, & oblationes, & vota, in quibus invenerunt me purificatum in templo. v. 16. 17. & 18. 156. *F.*
XXVI. Hæc loquente eo, & rationem reddente, Feſtus magna voce dixit: Inſanis Paule, multæ te litteræ ad inſaniam convertunt. v. 24. 191. *F.*

Ex Epiſt. ad HEBRÆOS.

IX. In priori quidem tabernaculo ſemper introibant ſacerdotes ſacrificiorum officia conſummantes: in ſecundo autem ſemel in anno ſolus Pontifex. v. 6. & 7. 68. *E.*

Ex Epiſt. JACOBI.

V. Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini. v. 14. 105. *E.*

Ex Epiſt. I. JOAN.

II. Sed vos unctionem habetis à ſancto, & noſtis omnia. Non ſcripſi vobis, quaſi ignorantibus veritatem, ſed quaſi ſcientibus eam. v. 20. 8. *B.* 195. *C.*
Et vos unctionem quam accepiſtis ab eo, in vobis maneat, & non habetis neceſſitatem, ut quis doceat vos, ſed ſicut unctio ejus docet vos de omnibus, & verax eſt, & non eſt mendax, & ſicut docuit vos, manete in eo. v. 27. 105. *E.* 195. *B.*
III. Qui viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei eſt in illo? v. 17. 13. *B.*

Ex APOCALYPSI.

II. Vincenti dabo manna abſconditum. v. 17. 205. *E.*
VI. Receſſit cœlum ſicut liber involutus. v. 14. 193. *F.*
XI. Iſti ſunt duæ olivæ, & duo candelabra lucentia ante Dominum. v. 4. 13. *A.*
XXI. Timidis autem, & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus, pars eorum erit in ſtagno ardenti igne & ſulfure. v. 8. 182. *D.*

INDEX LOCORUM
SACRÆ SCRIPTURÆ,
Quæ in Sacrorum Elæochriſmatων Myrothecio Secundo citantur, & expenduntur.

Ex libro GENESIS. cap. VI.

Videntes filii Dei filias hominum. v. 2. 556. F.
Gigantes autem erant ſuper terram in diebus illis. Poſtquam enim ingreſſi ſunt filii Elohim ad filias hominum, illæque genuerunt, iſti ſunt potentes à ſæculo viri famoſi. v. 4. Ibid.

XI. *Faciamus nobis Civitatem, & turrim, cujus culmen pertingat ad cœlum; & celebremus nomen noſtrum, antequam dividamur in univerſas terras. v. 4.* 550. D.

XV. *Semini tuo dabo terram hanc à fluvio Ægypti uſque ad fluvium magnum Euphraten, Kinæos, & Kenezæos, Kedmonæos, & Hethæos, & Pherezæos, Raphaim quoque, & Amorrhæos, & Chananæos, & Gergeſæos, & Jebuſæos. v. 18.* 554. D.
Unde ſcire poſſum, quòd poſſeſſurus ſim eam? Et reſpondens Dominus: Sume, inquit, mihi vaccam triennem, & capram trimam. v. 8. & 9. 560. D.
Cumque ſol occumberet, ſopor irruit ſuper Abram, & horror magnus, & tenebroſus invaſit eum. v. 12. 560. D.
Cum ergo occubuiſſet ſol, facta eſt caligo tenebroſa, & apparuit clibanus fumans, & lampas ignis, tranſiens inter diviſiones illas. v. 17. ibid.
In illo die pepigit Dominus fœdus cum Abraham dicens. Semini tuo dabo terram hanc, à fluvio Ægypti uſque ad fluvium magnum Euphratem. v. 18. ibid. D.

XVII. *Delebitur anima illa de populo ſuo. v. 14.* 393. C. 396. D.
Maſculus, cujus præputii caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo. v. 14. 395. E.
Daboque tibi, & ſemini tuo terram peregrinationis tuæ; omnem terram Chanaan in poſſeſſionem æternam, eroque Deus eorum. Dixit iterum Deus ad Abraham: Et tu ergo cuſtodies pactum meum, & ſemen tuum poſt te in generationibus ſuis. Hoc eſt pactum meum, quod obſervabitis inter me & vos, & ſemen tuum poſt te: Circumcidetur ex vobis omne maſculinum, & circumcidetis carnem præputii veſtri, ut ſit in ſignum fœderis inter me & vos. v. 8, 9, 10, & 11. 574. D. 576. A.
Et ſtatuam pactum meum inter me & te, & inter ſemen tuum poſt te in generationibus ſuis, fœdere ſempiterno: ut ſim Deus tuus, & ſeminis tui poſt te. v. 7. 576. B.

XXI. *Tulit itaque Abraham oves & boves, & dedit Abimelech. v. 27.* 296. E.
Septem agnas accipies de manu mea: ut ſint mihi in teſtimonium, quoniam ego effodi puteum iſtum. v. 30. 296. E.

XXIII. *Terra, quam poſtulas, quadringentos ſiclos argenti valet; iſtud eſt pretium inter me, & te. v. 15.* 310. B.
Quod cum audiſſet Abraham appendit pecuniam, quam Ephron poſtulaverat, audientibus filiis Heth, quadringentos ſiclos argenteos probatæ monetæ publicæ. v. 16. 297. E. 298. F. 303. B.

XXIV. *Inaures aureas appendentes ſiclos duos, & armillas totidem, pondo ſiclorum decem. v. 22.* 304. A.

XXV. *Da mihi de coctione hac rufa, quia oppido laſſus ſum. v. 30.* 695. B. ibid. E. 696. C.
Quam ob cauſam vocatum eſt nomen eſt ejus Edom. v. 30. 696. D.
Vende mihi primogenita tua. v. 31. 695. B.
Ille reſpondit: En morior, quid mihi proderunt primogenita? Ait Jacob, jura ergo mihi. Juravit ei Eſau & vendit primogenita. Et ſic accepto pane, & lentis edulio, comedit, & bibit, & abiit, parvipendens quòd primogenita vendidiſſet. v. 32, 33, & 34. 695. B. ibid. D. 696. E. ibid. F. 699. C. ibid. D.

XXVII. *Statimque ut ſenſit veſtimentorum illius fragrantiam, benedicens illi, ait: Ecce odor filii mei ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. v. 26.* 715. E.
Juſtè vocatum eſt nomen ejus Jacob, ſupplantavit enim me en altera vice: primogenita mea ante tulit, & nunc ſecundo ſurripuit benedictionem meam. v. 36. 699. F.
Dominum tuum illum conſtitui, & omnes fratres ejus ſervituti illius ſubjugavi. v. 37. 700. A.

XXVIII. *Erexit lapidem in titulum fundens oleum deſuper. v. 18.* 409. F. 18.
Si fuerit Dominus mecum, & cuſtodierit me in viam, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum, reverſuſque fuero proſpere ad domum patris mei: erit mihi Dominus in Deum, & lapis iſte, quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei. v. 20, 21, 22. 413. F.

XXXI. *Et tumulus hic, & lapis, quem erexi inter me & te, teſtis erit; tumulus inquam iſte, & lapis, ſint in teſtimonium: ſi aut ego tranſiero illum, pergens ad te; aut tu præterieris, malum mihi cogitans. v. 51, 52.* 408. A. 487. C.
Deus Abraham, & Deus Nachor judicet inter nos, Deus patris eorum. Juravit ergo Jacob per timorem patris ſui Iſaac, immolatiſque victimis in monte, vocavit fratres ſuos, ut ederent panem v. 53. 54. ibid.

XXXII. *Vocavit Jacob nomen loci illius Phanuel, dicens: Vidi Deum facie ad faciem, & ſalva facta eſt anima mea. v. 30.* 593. D.

XXXIII. *Emitque partem agri, in quo fixerat tabernaculum, à filiis Emor patris Sichem, centum agnis, & erecto ibi altari, invocavit ſuper illud fortiſſimum Deum Iſraël. v. 19. & 20.* 417. E.

XXXV. *Ille verò erexit titulum lapideum, in quo locutus fuerat ei Deus, libans ſuper eum libamina, & effundens oleum. v. 14.* 410. A.

Ex libro EXODI.

III. *Terra, in qua ſtas, terra ſancta eſt. v. 5.* 562. D.

IV. *Cumque eſſet in itinere, in diverſorio occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum. Tulit illico Sephora acutiſſimam petram, & circumcidit præputium filii ſui, tetigitque pedes ejus, & ait: Sponſus ſanguinum tu mihi es. v. 24. & 25.* 396 A.

VI. *Ego Dominus qui apparui Abraham, Iſaac, & Jacob in Deo omnipotente, & nomen meum Adonai non indicavi eis. v. 3.* 553. A. ibid. D. 554. E. ibid. F.

XII. *Si*

XII. *Si quis peregrinorum in veſtram voluerit tranſire coloniam, & facere Phaſe Domini, circumcidetur prius omne maſculinum ejus, & tunc rite celebrabit: eritque ſicut indigena terræ: ſi quis autem circumciſus non fuerit, non veſcetur ex eo. v.* 48. 378. A. 575. D.

Hæc eſt religio Phaſæ: Omnis alienigena non comedet ex eo. Omnis autem ſervus emptitius circumcidetur, & ſic comedet. Advena & mercenarius non edent ex eo. v. 43, 44 & 45. 575. D.

XIV. *Cumque extendiſſet Moyſes manum ſuper mare, abſtulit illud Dominus, flante vento vehementi & urente tota nocte, & vertit in ſiccum. v.* 27. 423. B.

XVI. *Audivi enim murmur veſtrum contra Dominum: nos vero quid ſumus, quia muſſitaſtis contra nos. v.* 7. 568. D.

XIX. *Venit Moyſes, & convocatis majoribus natu populi, expoſuit omnes ſermones quos mandaverat Dominus. v.* 7. 369. C.

Reſponditque omnis populus ſimul: Cuncta quæ locutus eſt Dominus faciemus. v. 8. 369. C.

Si audieritis vocem meam, & cuſtodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis. Mea eſt enim omnis terra, & vos eritis mihi in regnum ſacerdotale, & gens ſancta. v. 5. 375. C. 562. E. 588. C.

Vade ad populum, & ſanctifica illos hodie, & cras, laventque veſtimenta ſua. v. 10. 436. C. 693. D.

Vos ipſi vidiſtis, quæ fecerim Ægyptiis quomodo portaverim vos ſuper alas aquilarum, & aſſumpſerim mihi. v. 4. 562. B.

Hæc ſunt verba, quæ loqueris ad filios Iſraël. v. 6. 562. E.

Deſcenditque Moyſes de monte ad populum, & ſanctificavit eum. Cumque laviſſent veſtimenta ſua, ait ad eos: Eſtote parati in diem tertium, & ne appropinquetis uxoribus veſtris. v. 14. 688. D. 693. D.

Sacerdotes quoque qui accedunt ad Dominum, ſanctificentur, ne percutiat eos. v. 22. 694. E.

XX. *Non facies tibi ſculptile. v.* 4. 388 D.

Altare de terra facietis mihi, & offeretis ſuper eo holocauſta, & pacifica veſtra, & boves: In omni loco, in quo memoria fuerit nominis mei, veniam ad te, & benedicam tibi. v. 24. 582. D. Ibid. E. 597. A.

Quod ſi altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de ſectis lapidibus. v. 25. 595. B. 597. A.

Non aſcendens per gradus ad altare meum. v. 26. 604. E. 617. C. 618. B.

Ne reveletur turpitudo tua v. 26. 620. C. 622. D.

XXI. *Qui percuſſerit hominem volens occidere, morte moriatur. v.* 12. 391. B.

Si quis aperuerit ciſternam, & foderit, & non operuerit eam, cecideritque bos, aut aſinus in eam, reddat Domino pretium jumentorum. v. 33. 391. D.

XXII. *Si quis furatus fuerit bovem, aut ovem, & occiderit, vel vendiderit: quinque boves pro uno bove reſtituet, & quatuor oves pro una ove. v.* 1. 402. C.

XXIII. *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & cuſtodiat in via, & introducat in locum quem paravi. Præcedetque te Angelus meus, & introducet te ad Amorrhæum, & Hethæum, & Pherezæum, Gananæumque, & Hevæum, & Jebuſæum, quos ego conteram. v.* 20. 560. A.

Terrorem meum mittam in præcurſum tuum, & occidam omnem populum, ad quem ingredieris: cunctorumque inimicorum tuorum coram te terga vertam: emittens crabrones prius, qui fugabunt Hevæum, & Cananæum, & Hethæum, antequam introëas. Non ejiciam eos a facie tua anno uno, ne terra in ſolitudinem redigatur, & creſcant contra te beſtiæ. Paulatim expellam eos de conſpectu tuo, donec augearis, & poſſideas terram. v. 27. 560. A.

Ponam autem terminos tuos a Mari rubro, uſque ad Mare Palæſtinorum & a deſerto uſque ad fluvium: tradam in manibus veſtris habitatores Terræ, & ejiciam eos de conſpectu veſtro. v. 31. 560. B.

XXIV. *Scripſit autem Moyſes univerſos ſermones Domini: & mane conſurgens ædificavit altare ad radices montis; & duodecim titulos per duodecim tribus Iſraël. v.* 4. 587. E. 598. D. 599. C.

Miſitque juvenes de filiis Iſraël, & obtulerunt holocauſta, immolaveruntque victimas pacificas Domino vitulos. v. 5. 599. B 711. E.

Tulit itaque Moyſes dimidiam partem ſanguinis, & miſit in crateras: partem autem reſiduam fudit ſuper altare. Aſſumenſque volumen fœderis, legit audiente populo: qui dixerunt: Omnia quæ locutus eſt Dominus, faciemus, & erimus obedientes. v. 6. 7. 587. E. 711. E. 714. B.

Omnia verba Domini, quæ locutus eſt faciemus. v. 7. 560. C. 561. A. 587. E.

Aſſumenſque volumen fœderis, legit audiente populo, qui dixerunt. v. 7. 561. A.

Ille vero ſumptum ſanguinem reſperſit in populum; & ait: Hic eſt ſanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiſcum ſuper cunctis ſermonibus his. v. 8. 561. A. 574. A. 587. F.

Et viderunt Deum Iſraël: & ſub pedibus ejus quaſi opus lapidis ſapphirini, & quaſi cœlum, cum ſerenum eſt. v. 10. 469. D.

Videruntque Deum, & comederunt, & biberunt. v. 11. 599. C.

XXV. *Loquere filiis Iſraël, ut tollant mihi primitias; ab omni homine, qui offeret ultroneus, accipietis eas. v.* 2. 427. A. 428. E.

Oleum ad luminaria concinnanda, aromata in unguentum, & thymiamata boni odoris. v. 6. 289. F.

Arcam de lignis ſetim compingite; cujus longitudo habeat duos & ſemis cubitos. v. 10. 421. B. 466. E.

Et deaurabis eam auro mundiſſimo intus & foris: facieſque ſupra coronam auream per circuitum. v. 11. 466. E.

Facies quatuor circulos aureos: quos pones per quatuor Arcæ angulos: duo circuli ſint in latere uno, & duo in altero. Facies quoque vectes de lignis ſetim, & operies eos auro. Induceſque per circulos, qui ſunt in Arcæ lateribus, ut portetur in eis. v. 12. 13. & 14. 526. C.

Facies & Propitiatorium de auro mundiſſimo: duos cubitos, & dimidium tenebit longitudo ejus, & cubitum, ac ſemiſſem latitudo. v. 17. 467. B.

Duos quoque Cherubim aureos, & productiles facies ex utraque parte oraculi. v. 18. 463. F. 467. C. 471. B.

Cherub unus ſit in latere uno, & alter in altero. Vtrumque latus Propitiatorii tegant, expandentes alas, & operientes oraculum. v. 19. & 20. 467. C. 471. A. B.

Reſpiciantque ſe mutuo verſis vultibus in Propitiatorium, quo operienda eſt Arca, in qua pones teſtimonium, quod dabo tibi. v. 20. 463. A. 467. A. 471. B.

Inde præcipiam, & loquar ad te ſupra Propitiatorium, ac de medio duorum Cherubim, qui erunt ſuper Arcam teſtimonii, cuncta quæ mandabo per te filiis Iſraël. v. 22. 467. C. 468. C. 469 B.

Facies & menſam de lignis ſetim, habentem duos cubitos longitudinis, & in latitudine cubitum, & in altitudine cubitum ac ſemiſſem. Et inaurabis eam auro puriſſimo; facieſque illi labium aureum per circuitum, & ipſi labio coronam interraſilem altam quatuor digitos: & ſuper illam, alteram coronam aureolam. Quatuor quoque circulos aureos præparabis, & pones eos in quatuor angulis ejuſdem menſæ per ſingulos pedes. Subter coronam erunt circuli aurei, ut mittantur vectes per eos, & poſſit menſa portari. Ipſos quoque vectes facies de lignis ſetim, & circumdabis

auro ad ſubvehendam menſam. verſ. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 479.E. 480.E. 482.B.C. 483.B. 526.C.

Parabis & acetabula ac phialas, thuribula, & cyathos, in quibus offerenda ſunt libamina. v. 29 412.B.

Parabis & acetabula, ac phialas, & thuribula, & cyathos, in quibus offerenda ſunt libamina, ex auro puriſſimo: Et pones ſuper menſam panes Propoſitionis in conſpectu meo ſemper. v. 29. & 30. 478. D. 487.F. 488. D. 489. F. 490. E. 496. D. 503. D. 508. E. 509. D.E. 510.F.

Facies & candelabrum ductile de auro mundiſſimo, haſtile ejus, & calamos, ſcyphos, & ſphærulas, ac lilia ex ipſo procedentia. Sex calami egredientur de lateribus, tres ex uno latere, & tres ex altero: Tres ſcyphi quaſi in nucis modum per calamos ſingulos, ſphærulaque ſimul, & lilium, & tres ſimiliter ſcyphi inſtar nucis in calamo altero, ſphærulaque ſimul, & lilium: hoc erit opus ſex calamorum, qui producendi ſunt de haſtili. In ipſo autem candelabro erunt quatuor ſcyphi in nucis modum, ſphærulæque per ſingulos, & lilia. Sphærulæ ſub duobus calamis per tria loca, qui ſimul ſex fiunt procedentes de haſtili uno. Et ſphærulæ igitur & calami ex ipſo erunt, univerſa ductilia de auro puriſſimo. verſ. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 518.C. 522.F. 526.A. 527.B. 528.E.

Facies & lucernas ſeptem, & pones eas ſuper candelabrum, ut luceant ex adverſo. Emunctoria quoque, & ubi quæ emuncta ſunt extinguantur, fiant de auro puriſſimo. v. 37. & 38. 412.D. 518.D.

Omne pondus candelabri, cum univerſis vaſis habebit talentum auri puriſſimi. v. 39. 518.E.

Facies illa juxta exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt. v. 40. 468.C.

XXVI. *Eriges tabernaculum juxta exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt. v.* 30. 420.D.

Facies & velum de hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & byſſo retorta, opere plumario & pulchra varietate contextum. Quod appendes ante quatuor columnas de lignis ſetim, quæ ipſæ quidem deauratæ erunt, & habebunt capita aurea, ſed baſes argenteas. Inſeretur autem velum per circulos, intra quod pones Arcam teſtimonii, quo & Sanctuarium, & Sanctuarii ſanctuaria dividentur. Pones & Propitiatorium ſuper Arcam teſtimonii in Sancto Sanctorum. v. 31. 32. 33. & 34. 460.F. 464.A.

XXVII. *Facies & altare de lignis ſetim, quod habebit quinque cubitos in longitudine, & totidem in latitudine, id eſt quadrum, & tres cubitos in altitudine Cornua autem per quatuor angulos ex ipſo erunt: & operies illud ære. Facieſque in uſus ejus lebetes ad ſuſcipiendos cineres, & forcipes atque fuſcinulas, & ignium receptacula, omnia vaſa ex ære fabricabis. Craticulamque in modum retis æneam: per cujus quatuor angulos, erunt quatuor annuli ænei, quos pones ſubter arulam altaris: eritque craticula uſque ad altaris medium. v.* 1. 2. 3. 4 & 5. 412. E. 526. C. 662. F. 663. F. 667. F. 669. C. 670. F.

Facies & altare de lignis ſetim, quod habebit quinque cubitos in longitudine, & totidem in latitudine, id eſt, quadrum, & tres cubitos in altitudine. v. 1. 612. D. 628. E.

Cornua autem per quatuor angulos ex ipſo erunt. v. 2. 612. E. 628. E. 636. C.

Trium cubitorum altitudinis. verſ. 2. 618. 620. 622. D.

Et facies annulos ſuper quatuor extremitates illius. v. 4. 665. C.

Eritque craticula uſque ad altaris medium. v. 5. 666. D.

Facies & vectes altaris. v. 6. 663.

Facies & vectes altaris de lignis ſetim duos, quos operies laminis æneis, & induces per circulos, eruntque ex utroque latere altaris ad portandum. v. 6. 7. 526. C. 628. E.

Non ſolidum, ſed inane, & cavum intrinſecus facies illud, ſicut tibi in monte monſtratum eſt. verſ. 8. 652. A. 627. F. 628. F.

Facies & atrium tabernaculi, in cujus auſtrali plaga contra meridiem erunt tentoria de byſſo retorta: centum cubitos unum latus tenebit in longitudine. Et columnas viginti cum baſibus totidem æneis, quæ capita cum cælaturis ſuis habebunt argentea. Similiter & in latere aquilonis per longum erunt tentoria centum cubitorum, columnæ viginti, & baſes æneæ ejuſdem numeri, & capita earum cum cælaturis ſuis argentea. In latitudine verò atrii, quod reſpicit ad occidentem, erunt tentoria per quinquaginta cubitos, & columnæ decem, baſeſque totidem. v. 9. 10. 11. 12. 418. F.

In ea quoque atrii latitudine, quæ reſpicit ad orientem, quinquaginta cubiti erunt, in quibus quindecim cubitorum tentoria lateri uno deputabuntur, columnæque tres, & baſes totidem: & in latere altero erunt tentoria, cubitos obtinentia quindecim, columnæ tres, & baſes totidem. In introitu vero atrii fiet tentorium cubitorum viginti ex hyacintho & purpura, coccoque bis tincto, & byſſo retorta, opere plumarii: columnas habebit quatuor, cum baſibus totidem. Omnes columnæ atrii per circuitum veſtitæ erunt argenteis laminis, capitibus argenteis, & baſibus æneis. v. 13. 14. 15. 16. & 17. 419. B.

XXVIII. *Facies veſtem ſanctam Aaron fratri tuo in gloriam, & decorem, & loqueris cunctis ſapientibus corde, quos replevi ſpiritu prudentiæ, ut faciant veſtes Aaron, in quibus ſanctificatus miniſtret mihi. v.* 2. 3. 725. C.

Et veſtietur ea Aaron in officio miniſterii. v. 35. 725. C.

XXIX. *Sed & hoc facies, ut mihi in ſacerdotio conſecrentur. v.* 1. 459. B.

Tolle vitulum de armento, & arietes duos immaculatos, paneſque azymos, & cruſtulam abſque fermento, quæ conſperſa ſit oleo, lagana quoque azyma oleo lita, de ſimilia triticea cuncta facies. v. 1. & 2. 706. A.

Et Aaron, & filios ejus applicabis ad oſtium Tabernaculi teſtimonii. v. 4. 693. C.

Cumque laveris patrem cum filiis ſuis aqua v. 4. 691. F. 730. D. 693. C.

Indues Aaron veſtimentis ſuis. v. 5. ibid.

Et pones thiaram in capite ejus, & laminam ſanctam ſuper thiaram, & oleum unctionis fundes ſuper caput ejus, atque hoc ritu conſecrabitur. v. 6. & 7. 459. B. 728. D.

Et oleum unctionis fundes ſuper caput ejus, atque hoc ritu conſecrabitur. verſ. 7. 290. B. 724. B. 728. E.

Tolles quoque arietem alterum, ſuper cujus caput Aaron, & filii ejus ponent manus ſuas, quem cum immolaveris, ſumes de ſanguine ejus, & pones ſuper extremum auriculæ dexteræ Aaron, & filiorum ejus, & ſuper pollices manus eorum, ac pedis dexteri, fundenſque ſanguinem ſuper altare per circuitum. v. 19. & 20. 702. A. 706. E.

Cumque tuleris de ſanguine, qui eſt ſuper altare, & de oleo unctionis, aſperges Aaron, & veſtes ejus, filios, & veſtimenta eorum, conſecratiſque ipſis, & veſtibus. v. 21. 707. D. 709. C. 711. C. 713. B.

Sanctificabiſque & pectuſculum conſecratum, & armum quem de ariete ſeparaſti, quo initiatus eſt Aaron, & filii ejus, cedentque in partem Aaron, & filiorum ejus jure perpetuo a filiis Iſraël. v. 27. & 28. 371. A.

Septem diebus conſecrabis manus eorum, & vitulum pro peccato offeres per ſingulos dies ad expiandum. Mundabiſque altare, cum immolaveris expiationis hoſtiam,

hoſtiam, & unges illud in ſanctificationem. verſ. 35. & 36. 679. F.

Hoc eſt quod facies in altari: Agnos anniculos duos per ſingulos dies jugiter, unum agnum mane, & alterum veſpere, decimam partem ſimilæ conſperſæ oleo tuſo, quod habeat menſuram quartam partem hin, & vinum ad libandum ejuſdem menſuræ in agno uno. Alterum vero agnum &c. v. 38. 39. 40. & 41. 502. A.

Et ungues illud ad ſanctificandum illud. verſ. 36. 650. D.

Septem diebus expiabis altare, & ſanctificabis, & erit Sanctum Sanctorum. v. 37. 636. C. 638. E. 645. B. 646. D. 649. B.

Omnis qui tetigerit illud ſanctificabitur. verſ. 37. 649. B. 659. C.

Hoc eſt quod facies in altari, agnos, &c. v. 38. 645. C. 649. A. 649. B.

Porro filiis Aaron tunicas lineas parabis, & balteos, & thiaras in gloriam, & decorem. verſ. 5. 722. B.

Indues Aaron veſtimentis ſuis, id eſt, linea, & tunica, & ſuperhumerali, & rationali; quod conſtringes balteo, & pones thiaram in capite ejus, & laminam ſanctam ſuper thiaram. v. 5. & 6. 730. D.

Sumptumque de ſanguine vituli, pones ſuper cornua altaris digito tuo. v. 12. 708. C.

Veſtem autem ſanctam, qua utetur Aaron, habebunt filii ejus poſt eum, ut ungantur in ea, & conſecrentur manus eorum. 720. B. 721. E. 722. F. 723. A. C.

Septem diebus utetur illa, qui Pontifex pro eo fuerit conſtitutus de filiis ejus. v. 30. 724. C. 727. F.

Et qui ingredietur Tabernaculum teſtimonii, ut miniſtret in ſanctuario. v. 30. 727. F.

XXX. Facies quoque altare ad adolendum thymiama, de lignis ſetim, habens cubitum longitudinis, & alterum latitudinis, id eſt quadrangulum, & duos cubitos in altitudine. Cornua ex ipſo procedent. Veſtieſque illud auro puriſſimo, tam craticulam ejus, quam parietes per circuitum, & cornua. v. 1. 2. & 3. 532. F. 533. A. 536. F.

Facieſque ei coronam aureolam per gyrum, & duos annulos aureos ſub corona per ſingula latera, ut mittantur in eos vectes, & in altare portetur. v. 4. 526. D. 532. F.

Ipſos quoque vectes facies de lignis ſetim, & inaurabis. v. 6. 533. A.

Poneſque altare contra velum, quod ante Arcam pendet teſtimonii, coram Propitiatorio, quo tegitur teſtimonium, ubi loquar tibi. v. 6. 534. D.

Non offeretis ſuper eo thymiama compoſitionis alterius, nec oblationem, & victimam, nec libabitis libamina, & deprecabitur Aaron ſuper cornua ejus ſemel per annum in ſanguine, quod oblatum eſt pro peccato, & placabit ſuper eo in generationibus veſtris. v. 9. & 19. 531. F.

Hoc autem dabit omnis, qui tranſit ad nomen; dimidium ſicli juxta menſuram Templi; ſiclus viginti obolos habet. Media pars ſicli offeretur Domino. v. 13. 314. B.

Facies & labrum æneum cum baſi ſua ad lavandum; poneſque illud inter Tabernaculum teſtimonii, & altare. 543. E.

Et miſſa aqua lavabunt in ea Aaron, & filii ejus manus ſuas, ac pedes, quando ingreſſuri ſunt Tabernaculum teſtimonii, & quando acceſſuri ſunt ad altare, ut offerant in eo thymiama Domino, ne moriantur. v. 19. 20. 544. B. 545. C. 691. C. 692. A.

Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Sume tibi aromata primæ myrrhæ, & electæ quingentos ſiclos, & cinnamomi medium, id eſt ducentos quinquaginta ſiclos, calami ſimiliter ducentos quinquaginta ſiclos, caſiæ autem quingentos ſiclos in pondere Sanctuarii, oleum de olivetis menſuram hin. verſ. 22. 23. & 24. 290. A. 294. B. 300. A. 333. C. 334. A. 336. D. 342. A. 346. A. 355. D.

Facieſque unctionis oleum Sanctum unguentum compoſitum opere unguentarii, & unges ex eo Tabernaculum teſtimonii, & Arcam teſtamenti, Menſam cum vaſis ſuis, Candelabrum, & utenſilia ejus, Altaria thymiamatis, & holocauſti, & univerſam ſuppellectilem, quæ ad cultum eorum pertinet. Sanctificabiſque omnia, & erunt Sancta Sanctorum, qui tetigerit ea, ſanctificabitur. v. 25. 26. 27. 28. 29. 290. E. 362. F. 359. C. 410. E. 411. E. 487. F. 529. B. 548. B. 658. F. 680. A.

Aaron, & filios ejus unges, ſanctificabiſque eos, ut ſacerdotio fungantur mihi. v. 30. 359. B. 413. B. 680. A.

Filiis quoque Iſraël dices: Hoc oleum unctionis ſanctum erit mihi in generationes veſtras: caro hominis non ungetur ex eo, & juxta compoſitionem ejus non facietis aliud, quia ſanctificatum eſt; & ſanctum erit vobis. Homo quicumque tale compoſuerit, & dederit ex eo alieno, exterminabitur de populo ſuo. v. 31. 32. & 33. 367. B. 393. A. 395. C. 397. B. 402. E.

Sume tibi aromata, ſtacten, & onycha, galbanum boni odoris, & thus lucidiſſimum, æqualis ponderis erunt omnia. Facieſque thymiama compoſitum opere unguentarii, mixtum diligenter, & purum, & ſanctificatione digniſſimum, cumque in tenuiſſimum pulverem univerſa contuderis, pones ex eo coram Tabernaculo teſtimonii, in quo loco apparebo tibi. Sanctum Sanctorum erit vobis thymiama. verſ. 34. 35. & 36. 320. F.

XXXI. Cuſtodite Sabbatum meum, ſanctum eſt enim vobis: qui polluerit illud, morte morietur: qui fecerit in eo opus, peribit anima illius de medio populi ſui. v. 14. 391.

XXXIII. Loquebatur autem Dominus ad Moyſen facie ad faciem, ſicut ſolet loqui homo ad amicum ſuum. v. 11. 469. E.

XXXV. Egreſſaque omnis multitudo filiorum Iſraël de conſpectu Moyſi, obtulerunt mente promptiſſima, atque devota, primitias Domino, ad faciendum opus Tabernaculi teſtimonii. v. 20. & 21. 427. A.

Principes verò obtulerunt lapides onychinos, & gemmas ad ſuperhumerale, & rationale, aromataque, & oleum ad luminaria concinnanda, & ad præparandum unguentum. v. 27. & 28. 358. B.

XXXVI. Qui cum inſtarent operi, quotidie mane populus vota offerebat. v. 3. 428. E.

Unde artifices venire compulſi, dixerunt Moyſi: Plus offert populus, quam neceſſarium eſt. Juſſit ergo Moyſes præconis voce cantari: Nec vir, nec mulier quidquam offeret ultra in opere Sanctuarii. Sicque ceſſatum eſt à muneribus offerendis, eo quod oblata ſufficerent, & ſuperabundarent. v. 4. 5. 6. & 7. 427. B. 428. E.

XXXVII. Duos etiam Cherubim ex auro ductili, quos poſuit ex utraque parte Propitiatorii: Cherub unum in ſummitate unius partis, & Cherub alterum in ſummitate partis alterius: duos Cherubim in ſingulis ſummitatibus Propitiatorii, extendentes alas, & tegentes Propitiatorium, ſeque mutuo, & illud reſpicientes. v. 7. 8. & 9. 465. F. 471. B. ibid. E.

Et vaſa ad diverſos uſus menſæ, acetabula, phialas, & cyathos, & thuribula ex auro puro, in quibus offerenda ſunt libamina. v. 16. 412. E. 478. E.

Fecit & Candelabrum ductile de auro mundiſſimo. v. 17. 523. A.

Talentum auri appendebat Candelabrum cum omnibus vaſis ſuis. v. 24. 518. E.

XXXVIII. Fecit & altare holocauſti de lignis ſetim, quinque cubitorum per quadrum, & trium in altitudine:

ne: cujus cornua de angulis procedebant, operuitque illud laminis æneis. Et in uſus ejus paravit ex ære vaſa diverſa, lebetes, forcipes, fuſcinulas, uncinos, & ignium receptacula. Craticulamque ejus in modum retis fecit æneam, & ſubter eam in altaris medio arulam, fuſis quatuor annulis per totidem retiaculi ſummitates ad immittendos vectes ad portandum. v. 1. 3. 4. 5. & 7. 412. E.

Craticulamque ejus in modum retis fecit æneam, & ſubter eam in altaris medio arulam, fuſis quatuor annulis per totidem retiaculi ſummitates, ad immittendos vectes ad portandum: quos & ipſos fecit de lignis ſetim, & operuit laminis æneis: induxitque in circulos, qui in lateribus altaris eminebant. v. 4. 5. 6. & 7. 667. A. ibid. E. ibid. F.

Fecit & labrum æneum cum baſi ſua de ſpeculis mulierum, quæ excubabant ad oſtium Tabernaculi. v. 8. 543. F.

Et in introitu ejus opere plumario fecit tentorium ex hyacintho, purpura, vermiculo, ac byſſo retorta, quod habebat viginti cubitos in longitudine, altitudo verò quinque cubitorum erat, juxta menſuram, quam cuncta atrii tentoria habebant. v. 18. 605. D.

Hæc ſunt inſtrumenta Tabernaculi teſtimonii, quæ enumerata ſunt juxta præceptum Moyſis, in cæremoniis Levitarum, per manum Ithamar filii Aaron Sacerdotis: quæ Beſeleel filius Uri, filii Hur de Tribu Juda, Domino per Moyſen jubente, compleverat, juncto ſibi ſocio Ooliab filio Achiſamet, de tribu Dan: qui & ipſe artifex lignorum egregius fuit, & polymitarius, atque plumarius ex hyacintho, purpura, vermiculo, & byſſo. v. 21. 22. & 23. 420. D.

XXXIX. Perfectum eſt igitur omne opus Tabernaculi, & tecti Teſtimonii: feceruntque filii Iſraël cuncta quæ præceperat Dominus Moyſi. Et obtulerunt Tabernaculum, & tectum, & univerſam ſupellectilem, annulos, tabulas, vectes, columnas ac baſes. verſ. 31. 32. 427. C.

Et obtulerunt Tabernaculum, & tectum, & univerſam ſupellectilem, annulos, tabulas, vectes, columnas, & baſes, opertorium de pellibus arietum rubricatis. v. 32. 33. 640. F.

Altare æneum, retiaculum, vectes, & vaſa ejus omnia. v. 38. ibid.

XL. Menſe primo, prima die menſis, eriges Tabernaculum teſtimonii, & pones in eo Arcam, dimittesque ante illam velum, & illata menſa pones ſuper eam, quæ ritè præcepta ſunt. Candelabrum ſtabit cum lucernis ſuis, & altare aureum, in quo adoletur incenſum, coram Arca teſtimonii: tentorium in introitu Tabernaculi pones. v. 2. 3. 4. 5. 426. D. 442. F. 445. D. 454. D. 478. D.

Circumdabiſque atrium tentoriis, & ingreſſum ejus. v. 8. 419. B.

Et aſſumpto unctionis oleo, unges Tabernaculum cum vaſis ſuis, ut ſanctificentur: altare holocauſti, & omnia vaſa ejus: labrum cum baſi ſua, omnia unctionis oleo conſecrabis. v. 9. 10. 11. 292. F. 410. C. 411. C. 414. D. 426. D. ibid. E. 458. C. 459. B. ibid. F. 484. D. 548. C. 577. D. 637. F. 659. C. 679. D.

Omnia unctionis oleo conſecrabis, ut ſint Sancta Sanctorum. v. 11. 290. B.

Applicabiſque Aaron, & filios ejus ad fores Tabernaculi teſtimonii, & lotos aqua indues ſanctis veſtibus, ut miniſtrent mihi, & unctio eorum in ſacerdotium ſempiternum proficiat. v. 12. 13. 414. D. 679. E. 687. D. 693. C.

Igitur menſe primo anni ſecundi, prima die menſis, collocatum eſt Tabernaculum. Erexitque Moyſes illud, & poſuit tabulas, ac baſes, & vectes, ſtatuitque columnas, & expandit tectum ſuper Tabernaculum teſtimonii, impoſito deſuper operimento, ſicut Dominus impetraverat. verſ. 15. 16. & 17. 426. F. 454. D.

Poſuit & teſtimonium in Arca, ſubductis infra veſtibus, & oraculum deſuper: Cumque intuliſſet Arcam in Tabernaculum, appendit ante eam velum, ut expleret Domini juſſionem. Poſuit & menſam in Tabernaculo teſtimonii, ad plagam Septentrionalem extra velum, ordinatis coram Propoſitionis panibus, ſicut præceperat Dominus Moyſi. Poſuit & Candelabrum in Tabernaculo teſtimonii è regione menſæ in parte auſtrali, locatis per ordinem lucernis, juxta præceptum Domini. Poſuit & altare aureum ſub tecto teſtimonii contra velum, & adolevit ſuper eum incenſum aromatum, ſicut juſſerat Dominus Moyſi. Poſuit & tentorium in introitu Tabernaculi teſtimonii. verſ. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. & 26. 454. E. 453. A. 478. D. 487. D.

Poſuit & altare holocauſti in veſtibulo teſtimonii, offerens in eo holocauſtum, & ſacrificia. v. 27. 662. C.

Labrum quoque ſtatuit inter Tabernaculum teſtimonii, & altare, implens illud aqua. Laveruntque Moyſes, & Aaron, & filii ejus manus ſuas ac pedes, cum ingrederentur tectum fœderis, & accederent ad altare, ſicut præceperat Dominus Moyſi. v. 29. & 30. 691. E.

Erexit & atrium per gyrum Tabernaculi, & altaris, ducto in introitu ejus tentorio. v. 31. 419. C. 436. A.

Poſtquam omnia perfecta ſunt, operuit nubes Tabernaculum teſtimonii, & gloria Domini implevit illud. Nec poterat Moyſes ingredi tectum fœderis nube operiente omnia, & majeſtate Domini coruſcante, quia cuncta nubes operuerat. verſ. 32. 33. & 34. 477. F.

Ex libro LEVITICI.

I. Si holocauſtum fuerit ejus oblatio, ac de armento, maſculum immaculatum offeret ad oſtium Tabernaculi teſtimonii. v. 3. 641. F.

II. Anima cum obtulerit oblationem ſacrificii Domino, ſimila erit ejus oblatio, fundetque ſuper eam oleum, & ponet thus, ac deferet ad filios Aaron Sacerdotes: quorum unus tollet pugillum plenum ſimilæ, & olei, ac totum thus, & ponet memoriale ſuper altare in odorem ſuaviſſimum Domino. verſ. 1. & 2. 492. A. 535. B.

Quicquid obtuleris ſacrificii, ſale condies, nec auferes ſal fœderis Dei tui de ſacrificio tuo: in omni oblatione tua offeres ſal. v. 13. 494. C.

IV. Cumque intinxerit digitum in ſanguinem, aſperget ſepties coram Domino. v. 17. 714. D.

VIII. Tolle Aaron cum filiis ſuis, veſtes eorum, & unctionis oleum. v. 2. 290. E.

Fecit Moyſes ut Dominus imperaverat, congregataque omni turba ante fores Tabernaculi, ait: Iſte eſt ſermo, quem juſſit Dominus fieri. Statimque obtulit Aaron, & filios ejus. Cumque laviſſet eos. v. 4. 5. & 6. 641. C.

Statimque obtulit Aaron, & filios ejus. Cumque laviſſet eos, veſtivit, &c. verſ. 6. & 7. 691. A. 693. C.

Cumque laviſſet eos, veſtivit Pontificem ſubucula linea, accingens eum balteo, & induens eum tunica hyacinthina, & deſuper humerale impoſuit, quod aſtringens cingulo, aptavit rationali, in quo erat doctrina, & veritas. Cidari quoque texit caput: & ſuper eam, contra frontem, poſuit laminam auream conſecratam in ſanctificationem, ſicut præceperat ei Dominus. v. 6. 7. 8. & 9. 730. D.

Tulit & unctionis oleum, quo linivit Tabernaculum cum omni ſupellectili ſua. v. 10. 460. B. 659. D. 660. B. 680. B. 730. E.

Cum-

Cumque ſanctificans aſperſiſſet altare ſeptem vicibus, unxit illud, & omnia vaſa ejus, labrumque cum baſi ſua ſanctificavit oleo. v. 11. 659. D. 660. C. 661. A. 680. B.

Quod fundens ſuper caput Aaron, unxit eum, & conſecravit: filios quoque ejus, &c. verſ. 12. & 13. 680. B. 730. E.

Obtulit & vitulum pro peccato: cumque ſuper caput ejus poſuiſſet Aaron, & filii ejus manus ſuas, immolavit eum, hauriens ſanguinem, & tincto digito, tetigit cornua altaris per gyrum, quo expiato, & ſanctificato, fudit reliquum ſanguinem ad fundamenta ejus. v. 14. 15. 455. E. 706. C. 709. D.

Obtulit & filios Aaron: cumque de ſanguine arietis immolati tetigiſſet extremum auriculæ ſingulorum dextræ, & pollices manus ac pedis dextri, reliquum fudit ſuper altare per circuitum. v. 24. 707. A.

Aſumenſque unguentum, & ſanguinem, qui erat in altari, aſperſit ſuper Aaron, & veſtimenta ejus, & ſuper filios illius, ac veſtes eorum. v. 30. 707. E.

De oſtio quoque Tabernaculi non exibitis ſeptem diebus, uſque ad diem, quo complebitur tempus conſecrationis veſtræ. v. 33. 683. F.

Septem diebus finitur conſecratio: ſicut in præſentiarum factum eſt, ut ritus ſacrificii compleretur. v. 33. & 34. 724. C.

Die ac nocte manebitis in Tabernaculo, obſervantes cuſtodias Domini, ne moriamini. v. 35. 684. A.

IX. *Facto autem octavo die, &c. v.* 1. 683. C.

Apparuit gloria Domini omni multitudini, & ecce egreſſus ignis à Domino, devoravit holocauſtum, & adipes qui erant ſuper altare. v. 24. 639. A.

X. *Arreptis Nadab & Abiu filii Aaron thuribulis, poſuerunt ignem, & incenſum deſuper, offerentes coram Domino ignem alienum: quod eis præceptum non erat. v.* 1. 540. E.

Capita veſtra nolite nudare, & veſtimenta veſtra nolite ſcindere, ne forte moriamini. v. 6. 731. C.

XI. *Fontes vero, & ciſternæ, & omnis aquarum congregatio munda erit. v.* 36. 434. B. 692. F.

XVI. *Loquere ad Aaron fratrem tuum, ne omni tempore ingrediatur Sanctuarium, quod eſt intra velum coram Propitiatorio, quo tegitur Arca, ut non moriatur, quia in nube apparebo ſuper oraculum. verſ.* 2. 468. D. 477. D. 532. D.

Tunica linea veſtietur, feminalibus lineis verenda celabit: accingetur zona linea, cidarim lineam imponet capiti: hæc enim veſtimenta ſunt ſancta. v. 4. 729. F.

Aſſumptoque thuribulo, quod de prunis altaris impleverat, & hauriens manu compoſitum thymiama in incenſum, ultra velum intrabit in Sancta, ut poſitis ſuper ignem aromatibus, nebula eorum, & vapor operiat oraculum, quod eſt ſupra teſtimonium, & non moriatur. v. 12. & 13. 322. E. 532. D. 539. E.

Tollet quoque de ſanguine vituli, & aſperget digito ſepties contra Propitiatorium ad Orientem. v. 14 655. A.

Cumque mactaverit hircum pro peccato populi, inferet ſanguinem ejus intra velum, ſicut præceptum eſt de ſanguine vituli, ut aſpergat è regione oraculi, & expiet Sanctuarium ab immunditiis filiorum Iſraël; & a prævaricationibus eorum, cunctiſque peccatis. v. 15. & 16. 457. C. 637. C.

Juxta hunc ritum faciet Tabernaculo teſtimonii, quod fixum eſt inter eos in medio ſordium habitationis eorum. v. 16. 457. A. ibid. D.

Cum autem exierit ad altare, quod coram Domino eſt, oret pro ſe, & ſumptum ſanguinem vituli atque hirci, fundat ſuper cornua ejus per gyrum: aſpergenſque digito ſepties, expiet, & ſanctificet illud ab immunditiis filiorum Iſraël. v. 18. & 19. 646. E. 654. A. 655. B. ibid. E. 656. B.

Poſtquam emundaverit Sanctuarium, & Tabernaculum, & altare, &c. v. 20. 457. D. 637. C.

Et poſtquam egreſſus obtulerit holocauſtum ſuum, ac plebis, rogabit tam pro ſe, quam pro populo, & adipem, qui oblatus eſt pro peccatis, adolebit ſuper altare. v. 24. & 25. 680 F.

Expiabit autem Sacerdos, qui unctus fuerit, & cujus manus initiatæ ſunt, ut ſacerdotio fungatur pro patre ſuo: indueturque ſtola linea & veſtibus ſanctis, & expiabit ſanctuarium, & Tabernaculum Teſtimonii, atque altare, Sacerdotes quoque, & univerſum populum. v. 32. 33. 457. B.

XIX. *Sancti eſtote, quia ego Sanctus ſum. verſ.* 2. 659. A.

XXI. *Pontifex; id eſt, Sacerdos maximus inter fratres ſuos, ſuper cujus caput fuſum eſt unctionis oleum, & cujus manus in ſacerdotio conſecratæ ſunt, veſtituſque eſt ſanctis veſtibus, caput ſuum non diſcooperiet, veſtimenta non ſcindet: & ad omne mortuum non ingredietur omnino; ſuper patre quoque ſuo & matre non contaminabitur. Nec egredietur de Sanctis, ne polluat Sanctuarium Domini, quia oleum ſanctæ unctionis Dei ſui ſuper eum eſt. v.* 10. 11. & 12. 692. D. 725. C. 731. D.

XXII. *Qui tetigerit immundum ſuper mortuo, & ex quo egreditur ſemen quaſi coitus, & qui tangit reptile, & quodlibet immundum, cujus tactus eſt ſordidus, immundus erit uſque ad veſperum, & non veſcetur his quæ ſanctificata ſunt: ſed cum laverit carnem ſuam aqua, & occubuerit ſol, tunc mundatus veſcetur de ſanctificatis, quia cibus illius eſt. verſ.* 4. 5. 6. & 7. 693. A.

XXIII. *Cædetur agnus immaculatus anniculus in holocauſtum Domini. Et libamenta offerentur cum eo, duæ decimæ ſimilæ conſperſæ oleo in incenſum Domini; odoremque ſuaviſſimum: liba quoque vini, quarta pars Hin. v.* 12. & 13. 512. E.

XXIV. *Accipies quoque ſimilam, & coques ex ea duodecim panes, qui ſinguli habebunt duas decimas: quorum ſenos altrinſecus ſuper menſam puriſſimam coram Domino ſtatues: & pones ſuper eos thus lucidiſſimum. v.* 5. 6. & 7. 486. B.

Educ blaſphemum extra caſtra, & ponent omnes qui audierunt, manus ſuas ſuper caput ejus, & lapidet eum omnis populus. Et ad filios Iſraël loqueris: Homo, qui maledixerit Deo ſuo, portabit peccatum ſuum: & qui blaſphemaverit nomen Domini, morte moriatur. v. 14. 15. & 16. 401. D.

XXVI. *Deſtruam excelſa veſtra; & ſimulacra confingam. v.* 30. 584. E.

XXVII. *Omnis æſtimatio ſiclo Sanctuarii ponderabitur. Siclus viginti obolos habet. v.* 25. & 26. 314. B.

Ex libro NUMERI.

I. *Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen in deſerto Sinai in Tabernaculo fœderis. v.* 1. 373 B. 684. F.

Tollite ſummam univerſæ congregationis filiorum Iſraël per cognationes & domos ſuas, & nomina ſingulorum, quicquid ſexus eſt maſculini. v. 2. 371. F. 685. A.

Levitæ autem in tribu familiarum ſuarum non ſunt numerati cum eis. Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Tribum Levi noli numerare, neque pones ſummam eorum cum filiis Iſraël. v. 47. 48. 372. A. 685. A.

Sed conſtitue eos ſuper Tabernaculum teſtimonii, & cuncta vaſa ejus, & quicquid in cæremonias pertinet. v. 49. 685. A.

Ipſi portabunt Tabernaculum, & omnia utenſilia ejus: & erunt in miniſterio, ac per gyrum Tabernaculi metabuntur. Cum proficiſcendum fuerit, deponent Levitæ Tabernaculum: cum caſtrametandum, erigent: quiſquis externorum acceſſerit, occidetur. v. 50. & 51. 453 F. 571. F.

Porrò Levitæ per gyrum Tabernaculi figent tentoria, ne fiat indignatio ſuper multitudinem filiorum Iſraël, & excubabunt in cuſtodiis Tabernaculi teſtimonii. v. 53. 454. A. 572. B.

II. *Caſtrametati ſunt per turmas ſuas, & profecti per familias ac domos patrum ſuorum. v. 34.* 572. A.

III. *In pretio autem ducentorum ſexaginta trium, qui excedunt numerum Levitarum, de primogenitis filiorum Iſraël; accipies quinque ſiclos per ſingula capita, ad menſuram Sanctuarii. Siclus habet viginti obolos. v. 46. & 47.* 314. B.

IV. *Sument & pallium hyacinthinum, quo operient Candelabrum cum lucernis & forcipibus ſuis, & emunctoriis & cunctis vaſis olei, quæ ad concinnandas lucernas neceſſaria ſunt: & ſuper omnia ponent operimentum janthinarum pellium, & inducent vectes. v. 9. 10.* 525. F. 526. D.

Nec non & altare aureum involvent hyacinthino veſtimento, & extendent deſuper operimentum janthinarum pellium, inducentque vectes. v. 11. 535. B.

Sed & altare mundabunt cinere, & involvent illud purpureo veſtimento, ponentque cum eo omnia vaſa, quibus in miniſterio ejus utuntur, id eſt, ignium receptacula, fuſcinulas ac tridentes, uncinos & batilla. v. 13. & 14. 671. D.

Nolite perdere populum Caath de medio Levitarum: ſed hoc facietis ut vivant, & non moriantur, ſi tetigerint Sancta Sanctorum, Aaron & filii ejus intrabunt, ipſique diſponent opera ſingulorum, & divident quid portare quis debeat. Alii nulla curioſitate videant, quæ ſunt in Sanctuario, priuſquam involvantur, alioquin morientur. v. 18. 19. 20. 381. D.

VII. *Factum eſt autem in die qua complevit Moyſes Tabernaculum, & erexit illud: unxitque & ſanctificavit cum omnibus vaſis ſuis, altare ſimiliter & omnia vaſa ejus. Obtulerunt Principes Iſraël & capita familiarum, qui erant per ſingulas Tribus, præfectique eorum, qui numerati fuerant, munera coram Domino, &c. v. 1. 2. 3.* 678. D. 679. A. 684. C.

Primo die obtulit oblationem ſuam Nahaſſon filius Aminadab de tribu Juda: fueruntque in ea, acetabulum argenteum pondo centum triginta ſiclorum. v. 12. & 13. 488. C.

Mortariolum aureum appendens decem ſiclos obtulit. v. 26. 303. E.

Cumque ingrederetur Moyſes Tabernaculum fœderis, & conſuleret oraculum, audiebat vocem loquentis ad ſe de Propitiatorio, quod erat ſuper Arcam teſtimonii inter duos Cherubim, unde & loquebatur ei. v. 89. 468. D.

VIII. *Et locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Tolle Levitas de medio filiorum Iſraël, & purificabis eos juxta hunc ritum: Aſpergantur aqua luſtrationis, & radant omnes pilos carnis ſuæ. Cumque laverint veſtimenta ſua, & mundati fuerint. v. 6. 7.* 641. D.

Et applicabis Levitas coram Tabernaculo fœderis, convocata omni multitudine filiorum Iſraël. Cumque Levitæ fuerint coram Domino, ponent filii Iſraël manus ſuas ſuper eos. Et offeret Aaron Levitas, munus in conſpectu Domini à filiis Iſraël, ut ſerviant in miniſterio ejus. v. 9. 10. 11. ibid.

X. *Juxta hunc modum reliqui facient, ululantibus tubis in profectionem. v. 6.* 572. E.

Anno ſecundo, menſe ſecundo, vigeſima die menſis, elevata eſt nubes de Tabernaculo fœderis, profectique ſunt filii Iſraël per turmas ſuas deſerto Sinai, & recubuit nubes in ſolitudine Pharan. verſ. 11. & 12. 572. E.

Profecti ſunt ergo de monte Domini viam trium dierum, Arcaque fœderis Domini præcedebat eos, per dies tres providens caſtrorum locum. Nubes quoque Domini ſuper eos erat per diem cum incederent. v. 33. 34. 573. A. ibid. C.

XI. *Et dixit Dominus ad Moyſen: Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenioribus Iſraël, quos tu noſti quod ſenes populi ſint ac magiſtri: & duces eos ad oſtium Tabernaculi fœderis, facieſque ibi ſtare tecum, ut deſcendam & loquar tibi: & auferam de ſpiritu tuo, tradamque eis, ut ſuſtentent tecum onus populi, & non tu ſolus graveris. v. 16. 17.* 567. C.

Sexcenta millia peditum hujus populi ſunt, & tu dicis: Dabo eis eſum carnium menſe integro? Numquid ovium & boum multitudo cædetur, ut poſſit ſufficere ad cibum? vel omnes piſces maris in unum congregabuntur, ut eos ſatient. v. 21. 22. 568. A.

XII. *Audite ſermones meos: Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad illum. At non talis ſervus meus Moyſes, qui in omni domo mea fideliſſimus eſt: ore enim ad os loquor ei: & palam, & non per ænigmata & figuras Dominum videt. v. 6. 7. 8.* 429. A. 469. F.

Et non in ænigmatibus. v. 8. 469. B.

XIV. *Filii veſtri erunt vagi in deſerto, annis quadraginta, & portabunt fornicationem veſtram, donec conſumantur cadavera patrum in deſerto. v. 33.* 571. A.

XV. *Cum ingreſſi fueritis terram habitationis veſtræ, quam ego dabo vobis, & feceritis oblationem Domino in holocauſtum, aut victimam, vota ſolventes, vel ſponte offerentes munera, aut in ſolemnitatibus veſtris adolentes odorem ſuavitatis Domino, de bobus ſive de ovibus: offeret quicumque immolaverit victimam, ſacrificium ſimilæ, decimam partem ephi, conſperſæ oleo, quod menſuram habebit quartam partem hin: & vinum ad liba fundenda ejuſdem menſuræ, dabit in holocauſtum, ſive in victimam. v. 2. 3. 4. 5.* 502. B. 503. E.

Dixitque Dominus ad Moyſen: Morte moriatur homo iſte, obruat eum lapidibus omnis turba extra caſtra. v. 35. 401. B.

Cumque eduxiſſet eum foras, obruerunt eum lapidibus, & mortuus eſt, ſicut præceperat Dominus. v. 36. ibid.

XVI. *Sed & ignis egreſſus à Domino, interfecit ducentos quinquaginta viros, qui offerebant incenſum. Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Præcipe Eleazaro filio Aaron Sacerdoti, ut tollat thuribula quæ jacent in incendio, & ignem huc illucque diſpergat: quoniam ſanctificata ſunt in mortibus peccatorum: producatque ea in laminas, & affigat altari, eo quod oblatum ſit in eis incenſum Domino, & ſanctificata ſint. v. 35. 36. 37. 38.* 631. F.

Cumque jacerent in terra, &c. v. 45. 532. C.

Dixit Moyſes ad Aaron: Tolle thuribulum, & hauſto igne de altari, mitte incenſum deſuper, pergens cito ad populum ut roges pro eis; jam enim egreſſa eſt ira à Domino, & plaga deſævit. Quod cum feciſſet Aaron, & concurriſſet ad mediam multitudinem, quam jam vaſtabat incendium, obtulit thymiama: & ſtans inter mortuos ac viventes, pro populo deprecatus eſt, & plaga ceſſavit. v. 46. 47. 48. 322. D. 532. C. 539. D.

XVIII. *Dixitque Dominus ad Aaron: in terra eorum nihil poſſidebitis, nec habebitis partem inter eos: ego pars & hereditas tua in medio filiorum Iſraël. v. 20.* 371. C.

XX. *Tolle Aaron & filium ejus cum eo, & duces eos in montem Hor. Cumque nudaveris patrem veſte ſua, indues ea Eleazarum filium ejus, Aaron colligetur, & morietur ibi. Fecit Moyſes ut præceperat Dominus: & aſcenderunt in montem Hor coram omni multitudine. Cumque Aaron ſpoliaſſet veſtibus ſuis, induit eis Eleazarum filium ejus. Illo mortuo in montis ſupercilio, deſcendit cum Eleazaro. v. 25. 26. 27. 28. & 29.* 720. F.

XXIII. *Ædifica mihi hic ſeptem aras, & para totidem vitulos, ejuſdemque numeri arietes. v. 1.* 599. A.

Sta pauliſper juxta holocauſtum tuum , donec vadam , ſi forte occurrat mihi Dominus. v. 3. ibid. C.

XXVII. *Ad filios autem Iſraël loqueris hæc: Homo cum mortuus fuerit abſque filio , ad filiam ejus tranſibit hæreditas. Si filiam non habuerit, habebit ſucceſſores fratres ſuos. Quod ſi & hos non habuerit , dabitis hæreditatem fratribus patris ejus. Sin autem nec patruos habuerit , dabitur hæreditas his , qui proximi ſunt. Eritque hoc filiis Iſraël Sanctum lege perpetua. v.* 8, 9, 10, 11. 394. F.

XXVIII. *Die autem Sabbati offeretis duos agnos anniculos immaculatos , & duas decimas ſimilæ oleo conſperſæ in ſacrificio , & liba quæ ritè funduntur per ſingula ſabbata in holocauſtum ſempiternum. v.* 9. 10. 508. C.

Libamenta autem vini , quæ per ſingulas fundenda ſunt victimas, iſta erunt. v. 14. 502. C.

XXXI. *Hoc eſt præceptum legis , quod mandavit Domidus Moyſi: Aurum , & argentum, & æs, & ferrum , & plumbum , & ſtannum , & omne quod poteſt tranſire per flammam , igne purgabitur. v.* 21, 22, 23. 433. D.

Quicquid autem ignem non poteſt ſuſtinere , aqua expiationis ſanctificabitur. v. 23. 434. A. 693. E.

Ex libro DEUTERON.

I. *Non valeo ſolus negotia veſtra ſuſtinere , & pondus ac jurgia. Date ex vobis viros ſapientes & gnaros , & quorum converſatio ſit probata in Tribubus veſtris, ut ponam eos vobis Principes. Tunc reſpondiſtis mihi : Bona res eſt , quam vis facere. Tulique de Tribubus veſtris viros ſapientes , & nobiles , & conſtitui eos Principes, Tribunos , & Centuriones, & Quinquagenarios, ac Decanos , qui docerent vos ſingula. v.* 12, 13, 14, 15. 566. F.

Audite illos, & quod juſtum eſt judicate , ſive civis ſit ille , ſive peregrinus : Nulla erit diſtinctio perſonarum , ita parvum audietis , ut magnum : nec accipietis cujuſpiam perſonam, quia Dei judicium eſt. v. 16. 17. 567. A.

IV. *Et oſtendit vobis pactum ſuum , quod præcepit , ut faceretis, & decem verba , quæ ſcripſit in duabus tabulis lapideis. v.* 13. 558. C.

XII. *Cave ne offeras holocauſta tua in omni loco , quem videris : ſed in eo quem elegerit Dominus in una tribuum tuarum offeres hoſtias , & facies quæcumque præcipio tibi. v.* 13. & 14. 583. A.

XVII. *Poſtquam autem ſederit in ſolio regni ſui , deſcribet ſibi Deuteronomium legis hujus in volumine , accipiens exemplar à Sacerdotibus Leviticæ tribus , & habebit ſecum , legetque illud omnibus diebus vitæ ſuæ ; ut diſcat timere Dominum Deum ſuum , & cuſtodire verba , & cæremonias ejus. v.* 18. & 19. 569. B.

XIX. *Non aſſumes , & transferes terminos proximi tui, quos fixerunt priores in poſſeſſione tua , quam Dominus Deus tuus dabit tibi in terra , quam acceperis poſſidendam. v.* 14. 407. D.

XXV. *Accipiet eam frater ejus , & ſuſcitabit ſemen fratris ſui : & primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit , ut non deleatur nomen ejus ex Iſraël. v.* 5. & 6. 395. A.

XXVI. *Hodie Dominus Deus tuus præcepit tibi , ut facias mandata hæc atque judicia : & cuſtodias & impleas ex toto corde tuo , & ex tota anima tua. Dominum elegiſti hodie , ut ſit tibi Deus , & ambules in viis ejus , & cuſtodias cæremonias illius , & mandata , atque judicia ; & obedias ejus imperio. v.* 16, 17. 558. D.

Dominum elegiſti hodie , ut ſit tibi Deus , & ambules in viis ejus , & cuſtodias cæremonias illius & mandata , atque judicia , & obedias ejus imperio. v. 17. 516. D.

Et Dominus elegit te hodie ut ſis ei populus peculiaris , ſicut locutus eſt tibi , & cuſtodias omnia præcepta illius : & faciat te excelſiorem cunctis gentibus , quas creavit. v. 18, 19. 561. E.

XXVII. *Cumque tranſieritis Jordanem , in Terram , quam Dominus Deus tuus dabit tibi , eriges ingentes lapides, & calce levigabis eos , ut poſſis in eis ſcribere omnia verba legis hujus. v.* 2, 3. 596. A.

Quando ergo tranſieritis Jordanem , erigite lapides, quos ego hodie præcipio vobis , in monte Hebal , & levigabis eos calce : & ædificabis ibi altare Domino Deo tuo de lapidibus quos ferrum non tetigit , & de ſaxis informibus & impolitis : & offeres ſuper eos holocauſta Domino Deo tuo , & immolabis hoſtias pacificas, comedeſque ibi , & epulaberis coram Domino Deo tuo. Et ſcribes ſuper lapides omnia verba legis hujus planè & lucidè. v. 4, 5, 6, 7, & 8. 588. B. 596. A.

Maledictus , qui transfert terminos proximi ſui : & dicat omnis populus: Amen. v. 17. 407. E.

XXIX. *Hæc ſunt verba fœderis , quod præcepit Dominus Moyſi , ut feriret cum filiis Iſraël in terra Moab : præter illud fœdus , quod cum eis pepigit in Oreb. v.* 1. 558. C. 588. E.

Cuſtodite ergo verba pacti hujus , & implete ea : ut intelligatis univerſa quæ facitis. Vos ſtatis hodie cuncti coram Domino Deo veſtro , Principes veſtri , & Tribus , ac majores natu , atque Doctores , omnis populus Iſraël. v. 9. & 10. 588. E.

Ut tranſeas in fœdere Domini Dei tui , & in jurejurando , quod hodie Dominus Deus tuus percutit tecum : ut ſuſcitet te ſibi in populum , & ipſe ſit Deus tuus , ſicut locutus eſt tibi , & ſicut juravit patribus tuis , Abraham , Iſaac , & Jacob. Nec vobis ſolis ego hoc fœdus ferio , & hæc juramenta confirmo ; ſed cunctis præſentibus , & abſentibus. v. 12, 13, & 14. 588. F.

XXXII. *Ubi ſunt Dii eorum , in quibus habebant fiduciam , de quorum victimis comedebant adipes , & bibebant vinum libaminum. v,* 37. 38. 498. C.

XXXIII. *Hi cuſtodierunt eloquium tuum , & pactum tuum ſervaverunt , judicia tua ò Jacob , & legem tuam ò Iſraël , ponent thymiama in furore tuo , & holocauſtum ſuper altare tuum. v.* 9 10. 532. B.

Ex libro JOSUE.

V. *Fac tibi cultros lapideos , & circumcide ſecundò filios Iſraël. Fecit quod juſſerat Dominus, & circumcidit filios Iſraël in colle præputiorum. v.* 2. 576. F.

Populus autem qui natus eſt in deſerto , per quadraginta annos itineris latiſſimæ ſolitudinis , incircumciſus fuit &c. donec conſumerentur qui non audierant vocem Domini , & quibus ante juraverat , ut non oſtenderet eis terram lacte & molle manantem. Horum filii in locum ſucceſſerunt patrum , & circumciſi ſunt à Joſue : quia ſicut nati fuerant , in præputio erant , nec eos in via aliquis circumciderat v. 5, 6, 7. 570. E. 576. F.

VI. *Vociferamini , tradidit enim vobis Dominum civitatem , ſitque civitas hæc anathema. verſ.* 16, 17. 458. E.

Vos autem cavete ne de his , quæ præcepta ſunt , quippiam contingatis , & ſitis prævaricationis rei , & omnia caſtra Iſraël ſub peccato ſint atque turbentur. Quicquid autem auri , & argenti fuerit , & vaſorum æneorum ac ferri , Domino conſecretur , repoſitum in theſauris ejus. v. 18. & 19. 458. E.

VII. *Audient Chananæi , & omnes habitatores Terræ , & pariter conglobati circumdabunt nos , atque delebunt*

bunt nomen noſtrum de terra. v. 9. 396. E.

XXII. *Cumque veniſſent ad tumulos Jordanis in terra Chanaan, ædificaverunt juxta Jordanem altare infinitæ magnitudinis. v.* 10. 603. F.

Quod cum audiſſent filii Iſraël, & ad eos certi nuncii detuliſſent, ædificaſſe filios Ruben, & Gad, & dimidiæ tribus Manaſſe, altare in terram Chanaam ſuper Jordanis tumulos, contra filios Iſraël, convenerunt omnes in Silo, ut aſcenderent, & dimicarent contra eos. v. 11. & 12. 604. A.

Hæc mandat omnis populus Domini: Quæ eſt iſta tranſgreſſio? cur reliquiſtis Dominum Deum Iſraël, ædificantes altare ſacrilegum, & à cultu illius recedentes? v. 16. 604. C.

Quod ſi putatis immundam eſſe terram poſſeſſionis veſtræ, tranſite ad terram, in qua Tabernaculum Domini eſt, & habitate inter nos, tantum ut à Domino, & à noſtro conſortio non recedatis, ædificato altari præter altare Domini Dei noſtri. v. 19. 604. D.

Reſponderuntque filii Ruben, & Gad, & dimidia Tribus Manaſſe Principibus legationis Iſraël: Fortiſſimus Deus Dominus, fortiſſimus Deus Dominus, ipſe novit, & Iſraël ſimul intelliget: ſi prævaricationis animo hoc altare conſtruximus, non cuſtodiat nos, ſed puniat nos in præſenti: & ſi ea mente fecimus, ut holocauſta, & ſacrificium, & pacificas victimas ſuper eo imponeremus, ipſe quærat & judicet. verſ. 21, 22, & 23. 605. A.

Extruamus nobis altare, non in holocauſta, neque ad victimas offerendas, ſed in teſtimonium inter nos, & vos, & ſobolem noſtram veſtramque progeniem, ut ſerviamus Domino, & juris noſtri ſit offerre holocauſta, & victimas, & pacificas hoſtias: & nequaquam dicant cras filii veſtri filiis noſtris: Non eſt vobis pars in Domino. Quòd ſi voluerint dicere, reſpondebunt eis: Ecce altare Domini, quod fecerunt patres noſtri, non in holocauſta, neque in ſacrificium, ſed in teſtimonium noſtrum, ac veſtrum. v. 26. 27. & 28. 591. B.

Quibus auditis, Phinees Sacerdos, & Principes legationis Iſraël qui erant cum eo, placati ſunt: & verba filiorum Ruben, & Gad, & dimidiæ Tribus Manaſſe libentiſſimè ſuſceperunt. v. 30. 605. A.

Teſtimonium noſtrum, quod Dominus ipſe ſit Deus. v. 34. 592. D.

XXIV. *Teſtes vos eſtis, quia ipſi elegeritis vobis Dominum ut ſerviatis ei, reſponderuntque teſtes. v.* 22. 559. C.

Ex libro JUDICUM.

VIII. *Dominare noſtri tu, & filius tuus, & filius filii tui, quia liberaſti nos de manu Madian. Quibus ille ait: Non dominabor veſtri, nec dominabitur in vos filius meus, ſed dominabitur in vobis Dominus. v.* 22. 563. D. 565. D.

IX. *Numquid poſſum deſerere pinguedinem meam, qua & Dii utuntur, & homines, & venire ut inter ligna promovear? v.* 9. 405. D.

Ex libro RUTH.

IV. *Teſtes vos eſtis hodie, quod poſſederim omnia, quæ fuerunt Elimelech, & Chelion, & Mahalon, tradente Noëmi: & Ruth Moabitidem uxorem Mahalon in conjugium ſumpſerim, ut ſuſcitem nomen defuncti in hæreditate ſua, ne vocabulum ejus de familia ſua ac patribus & populo deleatur. v.* 9. & 10. 396. F.

Ex libro I. REGUM.

I. *Venit ergo dies, & immolavit Elcana, deditque Phenennæ uxori ſuæ, & cunctis filiis ejus, & filiabus partes: Annæ autem dedit partem unam triſtis, quia Annam diligebat. Dominus autem concluſerat vulvam ejus. v.* 4. & 5. 497. E.

Et adduxit eum ſecum poſtquam ablactaverat in vitulis tribus, & tribus modiis farinæ, & amphora vini. v. 24. 503. F. 504. E.

II. *Porrò filii Heli, filii Belial, neſcientes Dominum, neque officium Sacerdotum ad populum: ſed quicumque immolaret victimam, veniebat puer Sacerdotis, dum coquerentur carnes, & habebat fuſcinulam tridentem in manu ſua, & mittebat eam in lebetem, vel in caldariam aut ollam, ſive in cacabum: & omne quod levabat fuſcinula, tollebat Sacerdos ſibi. v.* 12, 13, & 14. 675. C.

Incendatur primum juxta morem hodie adeps, & tolle tibi quantumcumque deſiderat anima tua. v. 16. 675. D.

Erat ergo peccatum puerorum grande nimis coram Domino, quia retrahebant homines a ſacrificio Domini. v. 17. 403. B.

Quare calce abjeciſti victimam meam & munera mea, quæ præcepi ut offerrentur in Templo, & magis honoraſti filios tuos, quam me? v. 29. 403. C.

Pars magna domus tuæ morietur, cum ad virilem ætatem pervenerit. Hoc autem erit tibi ſignum, quod venturum eſt duobus filiis tuis, Ophni & Phinees: in die uno morientur ambo. v. 33. & 34. ibid.

Et ſuſcitabo mihi Sacerdotem fidelem. v. 35 446. E.

IV. *Ingemuerunt Philiſtiim, dicentes: Veh nobis, non enim fuit tanta exultatio heri, & nudius tertius: Veh nobis. Quis nos ſalvabit de manu ſublimium Deorum iſtorum? hi ſunt Dii, qui percuſſerunt Ægyptum omni plaga in deſerto. v.* 8. 383. C.

V. *Aggravata eſt autem manus Domini ſuper Azotios, ac demolitus eſt eos: & percuſſit in ſecretiori parte natium Azotum, & fines ejus, & ebullierunt villæ, & agri in medio regionis illius, & nati ſunt mures, & facta eſt confuſio mortis magnæ in civitate. v.* 6. 383. F.

VI. *Dimittite eam, ut vadat. Et aſpicietis: & ſi quidem per viam finium ſuorum aſcenderit contra Bethſames, ipſe fecit nobis hoc malum grande. v.* 8, 9. 381. D.

Ibant autem in directum vaccæ, per viam quæ ducit Bethſames, & itinere uno gradiebantur pergentes & mugientes: & non declinabant neque ad dexteram neque ad ſiniſtram. v. 12. 383. E.

Percuſſit autem Dominus de viris Bethſamitibus, eo quod vidiſſent Arcam Domini: & percuſſit de populo ſeptuaginta viros, & quinquaginta millia plebis: & luxit populus. v. 19. 381. F.

VII. *Abſtulerunt ergo filii Iſraël Baalim, & Aſtaroth, & ſervierunt Domino ſoli. v.* 4. 583. C.

Et convenerunt in Maſphat, hauſeruntque aquam, & effuderunt in conſpectu Domini, & jejunaverunt in die illa, atque dixerunt ibi: Peccavimus Domino. v. 6. 440. E.

VIII. *Audi vocem populi in omnibus, quæ loquuntur tibi; non enim te abjecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos. v.* 7. 563. C. 566. B.

Rex enim erit ſuper nos, & erimus nos quoque ſicut omnes gentes: & judicabit nos Rex noſter, & egredietur ante nos, & pugnabit bella noſtra pro nobis. v. 19. & 20. 566. A.

X. *Cumque abieris inde, & ultra tranſieris, & veneris ad quercum Thabor, invenient te ibi tres viri aſcendentes ad Deum in Bethel, unus portans tres hœdos, & alius tres tortas panis, & alius portans lagenam vini. v.* 3. 504. A. 504. F. 583. C.

Et

Et ſcripſit in libro, & repoſuit coram Domino. v. 25. 440. C.
XIV. Ædificavit autem Saul altare. v. 35. 595. B.
XV. Porrò triumphator in Iſraël non parcet, & pœnitudine non flectetur, neque enim homo eſt, ut agat pœnitentiam. v. 29. 563. B.
XVII. Porrò pondus loricæ ejus quinque millia ſiclorum æris erat. v. 5. 305. C.
XXI. Si mundi ſunt pueri, maximè à mulieribus? Et reſpondit David Sacerdoti, & dixit ei: Equidem ſi de mulieribus agitur, continuimus nos ab heri, & nudiustertius, quando egrediebamur, & fuerunt vaſa puerorum ſancta. v. 4. & 5. 688. B.
Porrò via hæc polluta eſt, ſed ſanctificabitur hodie in vaſis. v. 5. 688. C.
Neque enim erat ibi panis, niſi tantum Panes propoſitionis, qui ſublati fuerant à facie Domini, ut ponerentur panes calidi. v 6. 489. E.
XXVIII. Mutavit ergo habitum ſuum, veſtituſque eſt aliis veſtimentis, & abiit ipſe, & duo viri cum eo, veneruntque ad mulierem nocte, & ait illi: divina mihi in Pythone, & ſuſcita mihi, quem dixero tibi. v. 8. 579. D.
Dixitque ei mulier: quem ſuſcitabo tibi? qui ait: Samuelem mihi ſuſcita. Cum autem vidiſſet mulier Samuelem, exclamavit voce magna, & dixit ad Saul: Quare impoſuiſti mihi? tu es enim Saul. Dixitque ei Rex: Noli timere. Quid vidiſti? & ait mulier ad Saul: Deos vidi aſcendentes de terra. v. 11, 12, & 13. 579. E.

Ex libro II. REGUM.

VII. Numquid tu ædificabis mihi domum ad habitandum? nec enim habitavi in domo, ex die illa, qua eduxi filios Iſraël de terra Ægypti, uſque in diem hanc: ſed ambulabam in Tabernaculo, & in tentorio. v. 5. & 6. 451. E.
XIV. Et quærunt extinguere ſcintillam meam, quæ relicta eſt, ut non ſuperſit viro meo nomen, & reliquiæ ſuper terram. v. 7. 397. A.
XXIV. Erige Domino altare. v. 18. 447. A.

Ex libro III. REGUM.

II. Abiathar quoque Sacerdoti dixit Rex: Vade in Anathoth ad agrum tuum: & equidem vir mortis es, ſed hodie non te interficiam, quia portaſti Arcam Domini coram David Patre meo, & ſuſtinuiſti laborem in omnibus, in quibus laboravit pater meus. Ejecit ergo Salomon Abiathar, ut non eſſet Sacerdos Domini. v 26. & 27. 726. F.
VI. Et fecit in Oraculo duos Cherubim de lignis olivarum decem cubitorum altitudinis. v. 23. 474. B.
Texit quoque Cherubim auro. v. 28. ibid.
Fecit in introitu Templi poſtes de lignis olivarum, quadrangulatos: & duo oſtia de lignis abiegnis altrinſecus, & utrumque oſtium duplex erat, & ſe invicem tenens aperiebatur. Et ſculpſit Cherubim, & palmas, & cælaturas valde eminentes, operuitque omnia laminis opere quadro ad regulam. v. 33, 34, 35. 608. C.
VII. Fecit ergo Hiram lebetes, & ſcutras, & hamulas, & perfecit omne opus Regis Salomonis in Templo Domini. v. 40. 671. D.
VIII. Tunc congregati ſunt omnes majores natu Iſraël cum Principibus Tribuum, & Duces familiarum filiorum Iſraël ad Regem Salomonem in Jeruſalem: ut deferrent Arcam fœderis Domini de Civitate David, id eſt de Sion. Convenitque ad Regem Salomonem univerſus Iſraël in menſe Ethanim, in ſolemni die, ipſe eſt menſis ſeptimus. Veneruntque cuncti ſenes de Iſraël. v. 1, 2. & 3. 427. D.
Et intulerunt Sacerdotes, Arcam fœderis Domini in locum ſuum, in oraculum Templi, in Sanctum Sanctorum ſubter alas Cherubim. v. 6. 425. F.
Siquidem Cherubim expandebant alas ſuper locum Arcæ, & protegebant Arcam, & vectes ejus deſuper. v. 7. 474. D.
Ædificans ædificavi domum in habitaculum tuum, firmiſſimum ſolium tuum in ſempiternum. verſ. 13. 431. A. ibid.
Domine Deus meus, audi hymnum, & orationem, quam ſervus tuus orat coram te hodie, ut ſint oculi tui aperti ſuper domum hanc nocte ac die. v. 28. 431. B.
In die illa ſanctificavit Rex medium atrii, quod erat ante domum Domini. Fecit quippe holocauſtum ibi, & ſacrificium, & adipem pacificorum, quoniam altare æreum, quod erat coram Domino, minus erat, & capere non poterat holocauſtum, & ſacrificium, & adipem pacificorum. v. 64. 583. F. 627. D.
Fecit ergo Rex Salomon in tempore illo feſtivitatem celebrem, & omnis Iſraël cum eo, multitudo magna ab introitu Emath, uſque ad rivum Ægypti, coram Domino Deo noſtro ſeptem diebus, & ſeptem diebus, id eſt, quatuordecim diebus. Et in die octava dimiſit populos, qui benedicentes Regi profecti ſunt. v. 65. & 66. 640. A. 683. C.
X. Fecit quoque Rex Salomon ducenta ſcuta de auro puriſſimo, ſexcentos auri ſiclos dedit in laminas ſcuti unius. v. 16. 304. C.
XI. Tunc ædificavit Salomon fanum Chamos Idolo Moab in monte, qui eſt contra Jeruſalem, & Moloch Idolo filiorum Ammon, atque in hunc modum fecit univerſis uxoribus ſuis alienigenis, quæ adolebant thura, & immolabant Diis ſuis. v. 7. & 8. 584. B.
Et hæc eſt cauſa rebellionis adverſus eum, quia Salomon ædificavit Mello, & æquavit voraginem Civitatis David patris ſui. v. 27. 418. A.
Si igitur audieris omnia, quæ præcepero tibi, & ambulaveris in viis meis, & feceris quod rectum eſt coram me, cuſtodiens mandata mea, & præcepta mea, ſicut fecit David ſervus meus, ero tecum. v. 38. 593. B.
XII. Ædificavit autem Jeroboam Sichem in monte Ephraim, & habitavit ibi, & egreſſus inde, ædificavit Phanuel. v. 25. 593. C.
XV. Et fecit Aſa rectum ante conſpectum Domini ſicut David pater ejus: & abſtulit effeminatos de terra, purgavitque univerſas ſordes Idolorum, quæ fecerant patres ejus. Inſuper & Maccham matrem ſuam amovit, ne eſſet Princeps in ſacris Priapi, & in luco ejus, quem conſecraverat: ſubvertitque ſpecum ejus, & confregit ſimulacrum turpiſſimum, & combuſſit in torrente Cedron: excelſa autem non abſtulit. v. 11, 12, 13, & 14. 594. B.
XVIII. Et accedente ad ſe populo, curavit altare Domini, quod deſtructum fuerat. v. 30. 596. A.
Et accedente ad ſe populo, curavit altare Domini, quod deſtructum fuerat, & tulit duodecim lapides, juxta numerum Tribuum filiorum Jacob, ad quem factus eſt ſermo Domini, dicens: Iſraël erit nomen tuum. Et ædificavit de lapidibus altare in nomine Domini: fecitque aquæductum, quaſi per duas aratiunculas in circuitu altaris, & compoſuit ligna, diviſitque per membra bovem. verſ. 30, 31, 32, 33. 591. F. 592. E.
Et tulit duodecim lapides, juxta numerum Tribuum filiorum Jacob, ad quem factus eſt ſermo Domini dicens: Iſraël erit nomen tuum. v. 31. & 32. 592. E. 594. B.
Domine Deus Abraham, & Iſaac, & Iſraël, oſtende hodie, quia tu es Deus Iſraël. v. 36. 594. D.
Exaudi me Domine, exaudi me: ut diſcat populus iſte, quia tu es Dominus Deus, & tu convertiſti cor eorum. v. 37. 594. C.

Dominus ipſe eſt Deus , Dominus ipſe eſt Deus. v. 39. 594. D.
XX. *Dii montium ſunt Dii eorum , ideò ſuperaverunt nos : ſed melius eſt ut pugnemus in campeſtribus , & obtinebimus eos. v. 23.* 582. B.
Servus tuus egreſſus eſt ad prœliandum cominus: cumque fugiſſet vir unus , adduxit eum quidam ad me , & ait : Cuſtodi virum iſtum : qui ſi lapſus fuerit , erit anima tua pro anima ejus , aut talentum argenti appendes. v. 39. 299. C.

Ex libro IV. REGUM.

V. *Verè ſcio ; quòd non ſit alius Deus in univerſa terra, niſi tantum in Iſraël &c. Obſecro itaque , concede mihi , ut tollam onus duorum burdonum de terra ; non enim faciet ultra ſervus tuus holocauſtum , aut victimam Diis alienis , niſi Domino. v. 15, 16, & 17.* 378. F.
Hoc autem ſolum eſt , de quo depreceris Dominum pro ſervo tuo , quando ingredietur Dominus meus Templum Remmon ut adoret : & illo innitente ſuper manum meam , ſi adoravero in Templo Remmon , adorante eo in eodem loco , ut ignoſcat mihi Dominus ſervo tuo pro hac re. v. 18. & 19. 379. A.
XVI. *Perrexitque Rex Achaz in occurſum Theglathphalaſar Regi Aſſyriorum in Damaſcum , cumque vidiſſet altare Damaſci , miſit Rex Achaz ad Uriam Sacerdotem exemplar ejus , & ſimilitudinem juxta omne opus ejus. Extruxitque Urias Sacerdos altare: juxta omnia quæ præceperat Rex Achaz de Damaſco , ita fecit Sacerdos Urias , donec veniret Rex Achaz de Damaſco. Cumque veniſſet Rex de Damaſco , vidit altare , & veneratus eſt illud : aſcenditque , & immolavit holocauſta , & ſacrificium ſuum , & libavit libamina , & fudit ſanguinem pacificorum , quæ obtulerat ſuper altare. v. 10, 11, 12, 13.* 591. D.
Muſach quoque Sabbati , quod ædificaverat in Templo , & ingreſſum Regis exterius convertit in Templum Domini , propter Regem Aſſyriorum. v. 18. 591. D.
XXI. *Converſuſque eſt , & ædificavit excelſa , quæ diſſipaverat Ezechias pater ejus : & erexit aras Baal , & fecit lucos ſicut fecerat Achab Rex Iſraël , & adoravit omnem militiam cœli , & coluit eam. Extruxitque aras in domo Domini , de qua dixit Dominus: In Jeruſalem ponam nomen meum. Et extruxit altaria univerſæ militiæ cœli in duobus atriis Templi Domini.* 584. C.

Ex libro I. PARALIP.

XXI. *Dedit ergo David Ornan pro loco , ſiclos auri juſtiſſimi ponderis ſexcentos. v. 25.* 304. D.
Et ædificavit ibi altare Domino : obtulitque holocauſta , & pacifica , & invocavit Dominum , & exaudivit eum in igne de cœlo ſuper altare holocauſti. v. 26. 417. F.
Tabernaculum autem Domini , quod fecerat Moyſes in deſerto , & altare holocauſtorum , ea tempeſtate erat in excelſo Gabaon. Et non prævaluit David ire ad altare , ut ibi obſecraret Deum : nimio enim fuerat timore perterritus , videns gladium Angeli Domini. v. 29 30. 567. F.
XXIII. *Et impoſuerunt ei diadema , & teſtimonium , dederuntque in manu ejus tenendam legem , & conſtituerunt eum Regem. v. 11.* 569. C.
Aurum quoque dedit in menſas Propoſitionis , pro diverſitate menſarum , ſimiliter & argentum in alias menſas argenteas : Ad fuſcinulas quoque , & phialas , & thuribula ex auro puriſſimo , & leunculos aureos pro qualitate menſuræ pondus diſtribuit , in leunculum , & leunculum. v. 16. & 17. 513. E.
Similiter & in leones argenteos , diverſum argenti pondus ſeparavit. v. 17. ibid.
Altari autem , in quo adoletur incenſum , aurum puriſſimum dedit : ut ex ipſo fieret ſimilitudo quadrigæ Cherubim extendentium alas , & velantium Arcam fœderis Domini. Omnia , inquit , venerunt ſcripta manu Domini ad me , ut intelligerem univerſa opera exemplaris. v. 18. & 19. 474. E.
Et erunt ſub manu filiorum Aaron in cultum domus Domini , in veſtibulis , & in exhedris , & in loco purificationis , & in Sanctuario , & in univerſis operibus ejus. v. 28. 438. D.

Ex libro II. PARALIP.

III. *Fecit etiam in domo Sancti Sanctorum Cherubim duos , opere ſtatuario , & texit eos auro. verſ. 10.* 474. B.
Alæ Cherubim viginti cubitis extendebantur , ita ut una ala haberet cubitos quinque , & tangeret parietem domus , & altera quinque cubitos habens , aliam tangeret alterius Cherub : Similiter Cherub alterius ala quinque habebat cubitos , & tangebat parietem : & ala ejus altera quinque cubitorum , alam Cherub alterius contingebat : Igitur alæ utriuſque Cherubim expanſæ erant , & extendebantur per cubitos viginti. v. 11. 12. & 13. 474. C.
Ipſi autem ſtabant erectis pedibus , & facies eorum erant verſæ ad exteriorem domum. v. 13. 474. B.
IV. *Fecit quoque altare æneum viginti cubitorum longitudinis , & viginti cubitorum latitudinis , & decem cubitorum altitudinis. v. 1.* 605. B. 606. B. 607. E. 613. D. 626. F.
Fecit etiam atrium Sacerdotum , & baſilicam grandem : & oſtia in baſilica , quæ texit ære. verſ. 9. 608. C. 672. E.
Fecit autem Hiram lebetes , & creagras , & phialas , & complevit omne opus regis in domo Dei. v. 11. 671. D.
Thymiateria quoque , & thuribula , & phialas , & mortariola ex auro puriſſimo. v. 22. 535. A.
V. *Et intulerunt Sacerdotes Arcam fœderis Domini in locum ſuum , id eſt , ad oraculum Templi , in Sancta Sanctorum ſubter alas Cherubim : ita ut Cherubim expanderent alas ſuas ſuper locum , in quo poſita erat Arca , & ipſam Arcam tegerent cum vectibus ſuis. v. 7. & 8.* 474. D.
XI. *Sacerdotes autem , & Levitæ , qui erant in univerſo Iſraël , venerunt ad eum de cunctis ſedibus ſuis , relinquentes ſuburbana , & poſſeſſiones ſuas , & tranſeuntes ad Judam , & Jeruſalem : eo quod abjeciſſet eos Jeroboam , & poſteri ejus , ne Sacerdotio Domini fungerentur. v. 13. 14.* 594. A.
Sed & de cunctis Tribubus Iſraël , quicumque dederant cor ſuum , ut quærerent Dominum Deum Iſraël , venerunt in Jeruſalem ad immolandum victimas ſuas coram Domino Deo Patrum ſuorum. v. 16. ibid.
XXVI. *Fuit igitur Ozias Rex leproſus uſque ad diem mortis ſuæ , & habitavit in domo ſeparata plenus lepra , ob quam ejectus fuerat de domo Domini. verſ. 21.* 403. E.
XXVIII. *Non fecit rectum in conſpectu Domini , ſicut David pater ejus. v. 2.* 582. B.
Ipſe eſt , qui adolevit incenſum in Valle Benennom , & luſtravit filios ſuos in igne , juxta ritum Gentium , quas interfecit Dominus in adventu filiorum Iſraël. v. 3. 581. F.
Ipſe eſt , qui adolevit incenſum in Valle Benennom , obſervabat ſomnia , ſectabatur auguria , maleficis artibus inſerviebat. v. 3. ibid.
XXIX. *Congregaveruntque fratres ſuos , & ſanctificati ſunt , & ingreſſi ſunt juxta mandatum Regis , & imperium Domini , ut expiarent domum Dei. Sacer-*

cerdotes quoque ingreſſi templum Domini, ut ſanctificarent illud, extulerunt omnem immunditiam, quam intro repererant in veſtibulo domus Domini, quam tulerunt Levitæ, & aſportaverunt ad torrentem Cedron foras. v. 15, 16. 438. F.

Ceperunt autem prima die menſis primi mundare, & in die octavo ejuſdem menſis ingreſſi ſunt porticum Templi Domini, expiaveruntque Templum diebus octo. v. 17. 682. C.

Et in die ſextadecima ejuſdem menſis, quod cœperant impleverunt. v. 17. 682. D.

Ex libro I. ESDRÆ.

III. Et ſurrexit Joſue filius Joſedech, & fratres ejus Sacerdotes, & Zorobabel filius Salathiel, & fratres ejus, & ædificaverunt altare Dei Iſraël, ut offerrent in eo holocauſtomata, ſicut ſcriptum eſt in lege Moyſi viri Dei. Collocaverunt autem altare Dei ſuper baſes ſuas. v. 2, 3. 606. C. 645. A.

Deterrentibus eos per circuitum populis terrarum, & obtulerunt ſuper illud holocauſtum Domino mane, & veſpere. v. 3. 645. A. 649. D.

Feceruntque ſolemnitatem Tabernaculorum, ſicut ſcriptum eſt: & holocauſta diebus ſingulis, per ordinem, ſecundum præceptum opus Dei in die ſuo. v. 4. 645. E.

Et poſt hæc holocauſtum juge tam in Calendis, quam in univerſis ſolemnitatibus Domini. v. 5. 645. D.

VI. Et fecerunt ſolemnitatem Azymorum ſeptem diebus. v. 22. 636. F.

Ex libro III. ESDRÆ.

II. Et Cyrus Rex protulit vaſa ſacra Domini, quæ tranſtulit Nabuchodonoſor Rex Babylonis ex Jeruſalem, & conſecravit ea Idolo ſuo. Et proferens ea Cyrus Rex Perſarum, tradidit Mithridato, qui erat ſuper theſauros ipſius, per hunc autem tradita ſunt Salmanaſaro Præſidi Judææ, horum autem hic numerus, libatoria argentea, duo millia quadringenta, athiſcæ argenteæ triginta, phialæ aureæ triginta; item argenteæ duo millia quadringentæ, & alia vaſa mille; omnia autem vaſa aurea, & argentea quinque millia octingenta ſexaginta. v. 10, 11, 12, 13, & 14. 506. A. 514. F.

Ex libro ESTHER.

III. Si tibi placet decerne, ut pereat, & decem millia talentorum appendam arcariis gazæ tuæ. v. 9. 299. B.

VIII. Ut plures alterius gentis, & ſectæ eorum religioni & cæremoniis jungerentur. v. 17. 378. B.

IX. Scripſeruntque Eſther Regina filia Abihail, & Mardochæus Judæus, etiam ſecundam epiſtolam, ut omni ſtudio dies iſta ſolemnis ſanciretur in poſterum. v. 29. 446. A.

Et miſerunt ad omnes Judæos, qui in centum viginti ſeptem Provinciis Regis Aſſueri verſabantur, ut haberent pacem, & ſuſciperent veritatem, obſervantes dies Sortium. v. 30, 31. ibid. B.

Et ſuo tempore cum gaudio celebrarent, ſicut conſtituerat Mardochæus, & Eſther. v. 31. ibid. C.

Et illi obſervanda ſuſceperunt à ſe, & à ſemine ſuo jejunia, & clamores & Sortium dies. v. 31. ibid. D.

Ex libro JOB.

XXIX. Quando lavabam pedes meos butyro, & petra fundeba mihi rivos olei. v. 6. 715. C.

XLI. Ferveſcere faciet quaſi ollam profundum mare, & ponet quaſi cum unguenta bulliunt. v. 22. 294. D.

Ex PSALMIS.

XLIV. Pro patribus tuis nati ſunt tibi filii, conſtitues eos Principes ſuper omnem terram. Memores erunt nominis tui, in omni generatione, & generatione. v. 17, 18. 391. E.

L. Aſperges me hyſſopo, & mundabor: lavabis me, & ſuper nivem dealbabor. v. 9. 689. A.

LXXVIII. Ultio ſanguinis ſervorum tuorum, qui effuſus eſt. v. 11. 713. F.

LXXIX. Qui ſedes ſuper Cherubim, manifeſtare coram Ephraim. v. 2. 470. A.

LXXXI. Deus ſtetit in ſynagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat. v. 1. 557. B.

LXXXVIII. Si dereliquerint filii ejus legem meam, & in judiciis meis non ambulaverint; ſi juſtitias meas prophanaverint, & mandata mea non cuſtodierint. v. 31, 32. 723. B.

XCIV. Quadraginta annis proximus fui generationi huic, & dixi: ſemper hi errant corde: ipſi verò non cognoverunt vias meas. v. 10, 11. 576. E.

XCVIII. Dominus regnavit, iraſcantur populi, qui ſedet ſuper Cherubim, moveatur terra. v. 1. 470. A.

CIX. Tu es Sacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech. v. 4. 293. B.

CXIII. Domus Iſraël ſperavit in Domino, adjutor eorum, & protector eorum eſt. v. 9. 370. F.

CXVII. Conſtituite diem ſolemnem in condenſis, uſque ad cornu altaris. v. 27. 597. A.

CXXXII. Sicut unguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron; quod deſcendit in oram veſtimenti ejus. v. 2, & 3. 718. C. 731. A.

CXXXIII. Ecce nunc benedicite Dominum, omnes ſervi Domini. v. 1. 622. A.

CXL. Dirigatur Domine oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo. v. 2. 532. E. 605. E.

Ex libro PROVERB.

VIII. Per me Reges regnant, & potentes juſta decernunt. v. 15. 398. E.

Ex libro ECCLESIASTICI.

XXIV. In plateis ſicut cinnamomum, & balſamum aromatizans odorem dedi. v. 20. 337. E.

XXIX. Initium vitæ hominis, panis, & aqua. v. 28. 485. D.

L. In aſcenſu altaris ſancti gloriam dedit ſanctitatis amictum. v. 12. 617. D. 623. A.

Ex ISAIA.

II. Quia repleti ſunt, ut olim, & augures habuerunt, ut Philiſtiim, & pueris alienis adhæſerunt. v. 6. 643. B.

VI. Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & elevatum: & ea, quæ ſub ipſo erant, replebant templum. Seraphim ſtabant ſuper illud: ſex alæ uni, & ſex alæ alteri: duabus velabant faciem ejus, & duabus velabant pedes ejus, & duabus volabant. v. 1. & 2. 730. B.

Et ea, quæ ſub ipſo erant, replebant Templum. v. 1. ibid. C.

Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus exercituum. v. 3. 450. D. 733. A.

XIX. In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti, & titulus Domini juxta terminum ejus, erit ſignum, & teſtimonium Domino exercituum in terra Ægypti. v. 19, 20. 48. B.

XXIX. Humiliaberis, de terra loqueris, & de humo audietur eloquium tuum: & erit quaſi Pythonis de terra vox tua; & de humo eloquium tuum muſſitabit. v. 4. 580. A.

LXII.

LXII. *Et qui comportant illud, ibunt in atriis ſanctis meis. v. 9.* 502. E.

LXV. *Populus qui ad iracundiam provocat me ante faciem meam ſemper : qui immolant in hortis, & ſacrificant ſuper lateres : qui habitant in ſepulcris, & in delubris idolorum dormiunt : qui comedunt carnem ſuillam, & jus prophanum in vaſis eorum. v. 3. 4.* 580. B.

Ex JEREMIA.

XIX. *Et erunt domus Jeruſalem, & domus Regum Juda, ſicut locus Topheth immundæ : omnes domus, in quarum domatibus ſacrificaverunt omni militiæ cœli, & libaverunt libamina diis alienis. verſ. 13.* 584. D.

Ex EZECHIELE.

VIII. *Et introduxit me in atrium domus Domini interius : & ecce in oſtio Templi Domini inter veſtibulum & altare, quaſi vigintiquinque viri dorſa habentes contra Templum Domini, & facies ad Orientem : & adorabant ad ortum Solis. v. 16.* 643. D.

Et ecce viri dorſa habentes contra Templum Domini, & facies ad Orientem. v. 16. 619. D.

Ecce ipſi applicant ramum ad nares ſuas. v. 17. 536. A.

XXIII. *Sediſti in lecto pulcherrimo, & menſa ornata eſt ante te : thymiama meum, & unguentum meum poſuiſti ſuper eam. v. 41.* 403. F.

Et lapidentur lapidibus populorum, & confodiantur gladiis eorum : filios & filias earum interficient, & domos earum igne ſuccendent. v. 47. ibid.

XXXVI. *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris. verſ. 25.* 441. F.

XLIII. *Iſtæ autem menſuræ altaris in cubitu veriſſimo, qui habebat cubitum palmum : in ſinu ejus erat cubitus, & cubitus in latitudine, & definitio ejus uſque ad labium ejus, &c. v. 13.* 614. D.

Et de ſinu terræ uſque ad crepidinem noviſſimam, duo cubiti, & latitudo cubiti unius : & à crepidine minore uſque ad crepidinem majorem quatuor cubiti, & latitudo cubiti unius. v. 14. 606. F. 611. A. 614. D.

Ipſe autem Ariel quatuor cubitorum, & ab Ariel uſque ſurſum cornua quatuor. v. 15. 609. E. 611. A. 614. D.

Et Ariel duodecim cubitorum in longitudine per duodecim cubitos latitudinis : quadrangulatum æquis lateribus. Et crepido quatuordecim cubitorum longitudinis, per quatuordecim cubitos latitudinis, in quatuor angulis ejus. v. 16, 17. 610. C. 611. B. 614. D. 614. F.

Et corona in circuitu ejus dimidii cubiti, & ſinus ejus, unius cubiti per circuitum : gradus autem ejus verſi ad Orientem. v. 17. 614 F.

Et gradus ejus verſi ad Orientem. v. 17. 617. D. 618. E. 619. C.

Hi ſunt ritus altaris : 646. B. *In quacunque die fuerit fabricatum, ut & offeratur ſuper illud holocauſtum, effundatur ſanguis. v. 18.* 445. B. 638. D. 642. D. 643. E. 643. F. 645. E.

Et dabis Sacerdotibus, & Levitis, qui ſunt de ſemine Sadoc, qui accedunt ad me, ait Dominus Deus, ut offerant mihi vitulum de armento pro peccato. v. 19. 642. B. 644. A. 645. F.

Et aſſumens de ſanguine ejus, pones ſuper quatuor cornua ejus, & ſuper quatuor angulos crepidinis, & ſuper coronam in circuitu : & mundabis illud, & expiabis. v. 20. 654. B. ibid. C.

Et in die ſecunda offeres hircum caprarum immaculatum pro peccato, & expiabunt altare, ſicut expiaverunt in vitulo. v. 22. 642. B. 646. A.

Cumque compleveris expians illud, offeres vitulum de armento immaculatum, & arietem de grege immaculatum. v. 23. 662. D.

Et offeres eos in conſpectu Domini : & mittent Sacerdotes ſuper eos ſal, & offerent eos holocauſtum Domino. v. 24. 646. A. 662. D.

Septem diebus facies hircum pro peccato quotidie. v. 25. 642. C. 646. A. B ibid. F.

Septem diebus expiabunt altare, & mundabunt illud, & implebunt manum ejus. v. 26. 638. D. 642. E. 643. A. 646. A.

Expletis autem diebus, in die octava, & ultra, facient Sacerdotes ſuper altare holocauſta veſtra, & quæ pro pace offeruntur, & placatus ero vobis, ait Dominus Deus. v. 27. 636. D. 638. D. 646. A.

XLV. *Sufficiat vobis Principes Iſraël ; iniquitatem & rapinas intermittite, & judicium & juſtitiam facite. v. 9.* 314. D.

Porro viginti ſicli, & viginti quinque ſicli, & quindecim ſicli, minam faciunt. v. 12. 519. B.

Siclus autem viginti obolos habet. v. 12. 314. C.

Ex DANIELE.

III. *Benedictus es in throno regni tui : & ſuperlaudabilis, & ſuperexaltatus in ſecula. Benedictus es, qui intueris abyſſos, &c. v. 54, 55.* 470. B.

A me ergo poſitum eſt hoc decretum, ut omnis populus, tribus & lingua, quæcunque locuta fuerit blaſphemiam contra Deum Sidrach, Miſach, & Abednago, diſpereat, & domus ejus vaſtetur, neque eſt enim alius Deus, qui poſſit ita ſalvare. v. 96. 383. F.

V. *Præcepit ergo jam temulentus ut afferrentur vaſa aurea & argentea, quæ aſportaverat Nabuchodonoſor pater ejus de Templo, quod fuit in Jeruſalem, ut biberent in eis Rex, & optimates ejus, uxoreſque ejus, & concubinæ. Tunc allata ſunt vaſa aurea, & argentea, quæ aſportaverat de Templo, quod fuerat in Jeruſalem : & biberunt in eis Rex, & optimates ejus, uxores & concubinæ illius. Bibebant vinum, & laudabant Deos ſuos aureos, argenteos, æreos, ferreos ligneoſque, & lapideos. In eadem hora apparuerunt digiti, quaſi manus hominis ſcribentis contra candelabrum in ſuperficie parietis aulæ regiæ : & Rex aſpiciebat articulos manus ſcribentis. v. 2, 3, 4, & 5.* 382. B.

Ex AMOS.

V. *Numquid hoſtias, & ſacrificium obtuliſtis mihi in deſerto quadraginta annis? v. 25.* 576. D.

VI. *Bibentes vinum in phialis, & optimo unguento delibuti. v. 6.* 673. F.

Ex SOPHONIA.

I. *Et extendam manum meam ſuper Judam, & ſuper omnes habitantes Jeruſalem : & diſperdam de loco hoc reliquias Baal, & nomina æditourum cum Sacerdotibus ; & eos qui adorant ſuper tecta, militiam cœli. v. 4. & 5.* 584. E.

Ex MALACHIA.

II. *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem ex ore ejus requirent, quia Angelus Domini exercituum eſt. v. 7.* 360. E.

Ex libro I. MACHABÆORUM.

I. *Et intravit in ſanctificationem cum ſuperbia, & accepit altare aureum, & candelabrum luminis, & univerſa vaſa ejus, & menſam propoſitionis, & libatoria, & phialas, & mortariola aurea, & velum.* v. 23. 505. F.
IV. *Et acceperunt lapides integros ſecundum legem, & ædificaverunt altare novum, ſecundum illud quod fuit prius.* v. 47. 595. F. 598. E.
Et ædificaverunt ſancta, & quæ intra domum erant intrinſecus: & ædem & atria ſanctificaverunt. v. 48. 598. E.
Et ante matutinum ſurrexerunt quinta, & vigeſima die menſis noni, (hoc eſt menſis Caſleu) centeſimi quadrageſimi octavi anni: & obtulerunt ſacrificium ſecundum legem, ſuper altare holocauſtorum novum, quod fecerunt. v. 52, 53. 644 D. 650. A.
Et fecerunt dedicationem altaris diebus octo, & obtulerunt holocauſta cum lætitia, & ſacrificium ſalutaris, & laudis. v. 56. 636. D.

Ex Euangelio MARCI.

XVI. *Euntes in mundum univerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ.* v. 15. 387. E.

Ex Euangelio LUCÆ.

II. *Sub principibus Sacerdotum Anna & Caypha, factum eſt verbum Domini ſuper Joannem Zachariæ filium in deſerto.* 726. E.
XII. *Sint lumbi veſtri præcincti.* v. 35. 622. E.
Præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis. v. 37. ibid.
XVIII. *Vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni, ſequere me.* v. 22. 387. D.
XXII. *Dividite inter vos.* v. 18. 498. D.

Ex Euangelio JOANNIS.

II. *Erant autem ibi lapideæ hydriæ ſex poſitæ ſecundum purificationem Judæorum.* v. 6. 505. A.
IV. *Patres noſtri in monte hoc adoraverunt, & vos dicitis, quia Jeroſolymis eſt locus, ubi adorare oportet.* v. 20. 598. B.
VII. *Propterea Moyſes dedit vobis circumciſionem: (non quia ex Moyſe eſt, ſed ex patribus) & in Sabbato circumciditis hominem. Si circumciſionem accipit homo in Sabbato, ut non ſolvatur lex Moyſis.* v. 22, 23. 574. C. 575. A.
Mihi indignamini, quod totum hominem ſanum feci in die Sabbati? v. 23. 574. E.
XIX. *Mihi non loqueris? neſcis quia poteſtatem habeo crucifigere te, & poteſtatem habeo dimittere te? Reſpondit Jeſus: Non haberes in me poteſtatem, niſi datum tibi eſſet deſuper.* v. 10. 398. F.

Ex Epiſtola ad ROMANOS.

II. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter, quæ legis ſunt faciunt.* v. 14. 377. D.
IV. *Et ſignum accepit circumciſionis, ſignaculum juſtitiæ fidei.* v. 11. 359. A.
XIII. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: non eſt enim poteſtas niſi à Deo: quæ autem ſunt à Deo, ordinatæ ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit.* v. 1. & 2. 398. E.
Dei enim miniſter eſt tibi in bonum. Si autem malum feceris, time: non enim ſine cauſa gladium portat. Dei enim miniſter eſt vindex in iram ei, qui malum agit. v. 4. 399. B.

Ad GALATAS.

V. *Teſtificor autem rurſus omni homini circumcidenti ſe, quoniam debitor eſt univerſæ legis faciendæ.* v. 3. 378. A. 575. F.

I. ad TIMOTH.

VI. *Sectare juſtitiam, pietatem, fidem, caritatem, patientiam, manſuetudinem.* v. 11. 362. B.

Ad TITUM.

II. *In omnibus teipſum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate, verbum ſanum, & irreprehenſibile: ut is qui ex adverſo eſt, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis.* v. 7, 8. 362. B.

Ad HEBRÆOS.

IX. *Chriſtus aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius Tabernaculum, non manufactum, id eſt, non hujus creationis, neque per ſanguinem hircorum, aut vitulorum, ſed per proprium ſanguinem introivit ſemel in ſancta.* verſ. 11, 12. 293. C.
Sine ſanguinis effuſione non fit remiſſio. v. 22. 476. C. 641. A. 651. D.
XIII. *Habemus altare de quo edere non habent poteſtatem qui Tabernaculo deſerviunt.* v. 10. 293. C.

Ex APOCALYPSI.

VI. *Vidi ſubtus altare, animas interfectorum propter verbum Dei, & propter teſtimonium, quod habebant.* v. 9. 612. C. 628. A.

TABULA LOCORUM

SACRÆ SCRIPTURÆ,

Quæ in tertio MYROTHECIO ab auctore citantur & illuſtrantur.

Ex libro GENESIS. *cap.* IV.

NOnne ſi bene egeris, recipies: ſin autem male, ſtatim in foribus peccatum aderit? v. 7. 793. *D.*

VIII. Ædificavit autem Noë altare Domino: & tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis, obtulit holocauſta ſuper altare. v. 20. 1112.

Nequaquam ultra maledicam terræ propter homines. v. 21. 1127. *B.*

IX. Statuam pactum meum vobiſcum, & nequaquam ultra interficietur omnis caro aquis diluvii, neque erit deinceps diluvium diſſipans terram. v. 9. 1118.

XIV. At verò Melchiſedech Rex Salem proferens panem & vinum, (erat enim Sacerdos Dei altiſſimi,) benedixit ei, & ait &c. v. 18, 19. 278. *E.*

Da mihi animas, cætera tolle tibi &c. Levo manum meam ad Dominum Deum excelſum, poſſeſſorem cœli & terræ. v. 21. & 22. 1130. *E.*

XV. Sume mihi vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque & columbam. Qui tollens univerſa hæc, diviſit ea per medium, & utraſque partes contra ſe altrinſecus poſuit: aves autem non diviſit. v. 9, 10, 1118. *E.*

Cum ergo occubuiſſet ſol, facta eſt caligo tenebroſa, & apparuit clibanus fumans, & lampas ignis tranſiens inter diviſiones illas. v. 17. 1135. B.

XXI. Et increpuit Abimelech propter puteum aquæ quem vi abſtulerant ſervi ejus. v. 25. 624. *E.*

Neſcivi quis fecerit rem hanc: ſed & tu non indicaſti mihi, & ego non audivi præter hodie. v. 26. 624. *E.*

Tulit itaque Abraham oves, & boves, &c. percuſſeruntque ambo fœdus. v. 27. 1116. *A.*

Quid ſibi volunt ſeptem agnæ iſtæ quas ſtare feciſti ſeorſum? v. 29. 1116. *B.*

Septem agnas accipies de manu mea, ut ſint mihi in teſtimonium, quoniam ego fodi puteum iſtum. v. 30. 624. *F.* 1116. *B.*

Idcirco vocatus eſt locus ille Berſabee, quia ibi uterque juravit. Et inierunt fœdus pro puteo juramenti. v. 31, 32. 1127. *A.*

XXII. Poſſidebit ſemen tuum portas inimicorum ſuorum. v. 17. 792. *A.*

Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ. v. 18. 1127. *D.*

XXVI. Tibi enim & ſemini tuo dabo univerſas regiones has, complens juramentum, quod ſpopondi Abraham patri tuo. v. 3. 1127. *D.*

Foderuntque in Torrente, & repererunt aquam vivam. Sed & ibi jurgium fuit paſtorum Geraræ adverſum paſtores Iſaac, dicentium: Noſtra eſt aqua. Quamobrem nomen putei, ex eo quod acciderat, vocavit Calumniam. Foderunt autem & alium: & pro illo quoque rixati ſunt, appellavitque eum Inimicitias. Profectus inde fodit alium puteum, pro quo non contenderunt: itaque vocavit nomen ejus, Latitudo, dicens: Nunc dilatavit nos Dominus, & fecit creſcere ſuper terram. v. 19, 20, 21, & 22. 925. *A.*

Sit juramentum inter nos, & ineamus fœdus. v. 28. 1127. *B.*

Fecit ergo eis convivium. v. 30. 1151. *D.*

XXXI. Tulit itaque Jacob lapidem, & erexit illum in titulum. v. 45. 1116. *C.*

Dixitque fratribus ſuis: Afferte lapides. Qui congregantes fecerunt tumulum, comederuntque ſuper eum. v. 46. 1121. *B.*

Juravit ergo Jacob per timorem patris ſui Iſaac: immolatiſque victimis in monte, vocavit fratres. v. 53. 54. 1116. *C.* 1127. *A.* 1151 *C.*

XXXVI. Iſte eſt Ana, qui invenit aquas calidas in ſolitudine, dum paſceret aſinas Sebeon patris ſui. v. 24. 909. *A.* 923. *D.*

XXXVII. Putabam nos ligare manipulos in agro, & quaſi conſurgere manipulum meum, & ſtare, veſtroſque manipulos circumſtantes adorare manipulum meum. v. 7. 957. *E.*

Nunquid Rex noſter eris? aut ſubjiciemur ditioni tuæ? v. 8. 957. *E.*

Quid ſibi vult hoc ſomnium, quod vidiſti? num ego, & mater tua, & fratres tui adorabimus te ſuper terram? v. 10. 961. *F.*

XLI. Tu eris ſuper domum meam, ad tui oris imperium cunctus populus obediet: uno tantum regni ſolio te præcedam. v. 40. 966. *E. F.* 1138. *D.*

Ex libro EXODI.

I. Venite, ſapienter opprimamus eum; ne forte multiplicetur: & ſi ingruerit contra nos bellum, addatur inimicis noſtris, expugnatiſque nobis, egrediatur de terra. v. 10. 760. *A.*

III. Sed veni, & mittam te ad Pharaonem, ut educas populum meum filios Iſraël, de Ægypto. v. 10. 785. *E.*

VII. Ecce conſtitui te Deum Pharaonis. verſ. 1. 785. *D.*

Et Aaron frater tuus erit Propheta tuus. v. 1. 816. *F.*

Dominus Deus Hebræorum miſit me ad te dicens: Dimitte populum meum, ut ſacrificet mihi in deſerto. v. 16. 759. *D.*

VIII. Ite & ſacrificate Deo veſtro in terra hac &c. Non poteſt ita fieri: abominationes enim Ægyptiorum immolabimus Domino Deo noſtro. Quod ſi mactaverimus ea quæ colunt Ægyptii, coram eis, lapidibus nos obruent. v. 25. & 26. 760. *C.*

X. Cum parvulis noſtris, & ſenioribus pergemus, cum filiis, & filiabus, cum ovibus & armentis: eſt enim ſolemnitas Domini Dei noſtri. verſ. 9. 760. *D.*

Sic Dominus ſit vobiſcum, quomodo ego dimittam vos, & parvulos veſtros: cui dubium eſt, quòd peſſimè cogitetis? v. 10. 760. *B.*

XV. Ambulaveruntque tribus diebus per ſolitudinem,

nem, & non inveniebant aquam. Et venerunt in Marah, nec poterant bibere aquas de Marah, eo quod eſſent amaræ. v. 22. & 23. 926. *B.*

XVIII. Provide autem de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint avaritiam. v. 21. 763. *A.*

Et electis viris ſtrenuis de cuncto Iſraël, conſtituit eos Principes populi, Tribunos, & Centuriones, & Quinquagenarios, & Decanos. v. 25. 765. *C.*

XIX. Vos ipſi vidiſtis, quæ fecerim Ægyptiis, quomodo portaverim vos ſuper alas aquilarum, & aſſumpſerim mihi. v. 4. 786. *A.*

Si ergo audieritis vocem meam, & cuſtodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis: mea eſt enim omnis terra. Et vos eritis mihi in Regnum ſacerdotale, & gens Sancta. v. 5. 786. *B.* 805. *F.* 1107. *A.*

Venit Moyſes: & convocatis majoribus natu populi, expoſuit omnes ſermones, quos mandaverat Dominus. v. 7. 785. *F.*

Jamque advenerat tertius dies, & mane inclaruerat. Et ecce cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes denſiſſima operire montem, clangorque buccinæ vehementius perſtrepebat. v. 16. 1081. *E. F.* 1099. *F.*

Et ſonitus buccinæ paulatim creſcebat in majus, & prolixius tendebatur. v. 19. 1094. *F.* 1100. *A.*

Deſcende, & conteſtare populum, ne forte velit tranſcendere terminos ad videndum Dominum, & pereat ex eis plurima multitudo. v. 21. 760. *F.*

Sacerdotes quoque qui accedunt ad Dominum, ſanctificentur, ne percutiat eos. v. 24. 760. *F.*

XXIV. Scripſit autem Moyſes univerſos ſermones Domini: & mane conſurgens ædificavit altare ad radices montis, & duodecim titulos per duodecim tribus Iſraël. Miſitque juvenes de filiis Iſraël, & obtulerunt holocauſta, immolaveruntque victimas pacificas Domino vitulos duodecim. v. 4, 5. 1107. *C.*

Aſſumenſque volumen fœderis, legit audiente populo: qui dixerunt: Omnia, quæ loquutus eſt Dominus, faciemus, & erimus obedientes. v. 7. 1107. *C.*

Ille verò ſumptum ſanguinem reſperſit in populum & ait: Hic eſt ſanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiſcum ſuper cunctis ſermonibus his. v. 8. 1107. *C. ibid.* 1119. *A.*

Aſcenderuntque Moyſes & Aaron, Nadab, & Abiù, & ſeptuaginta de ſenioribus Iſraël: & viderunt Deum Iſraël. v. 9, 10. 763. *D.*

Videruntque Deum & comederunt, ac biberunt. v. 11. 1153. *A.*

XXVIII. Facient autem ſuperhumerale de auro, & hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & byſſo retorta opere polymito. Duas oras junctas habebit in utroque latere ſummitatum, ut in unum redeant. v. 6, 7. 1020. *A.*

Facies & laminam de auro puriſſimo: in qua ſculpes opere celatoris, Sanctum Domino; ligabiſque eam vitta hyacinthina, & erit ſuper tiaram, imminens fronti Pontificis. v. 36, 37, & 38. 1001. *E.*

XXIX. Et pones tiaram in capite ejus, & laminam ſanctam ſuper tiaram. v. 6. 1002. *B.*

XXX. Et adolebit incenſum ſuper eo Aaron, ſuave fragrans mane. Quando componet lucernas, incendet illud; & quando collocabit eas ad veſperum, uret thymiama ſempiternum coram Domino in generationes veſtras. v. 7. & 8. 1044. *B.*

Facieſque unctionis oleum ſanctum, unguentum compoſitum opere unguentarii. v. 25. 1055. *E.*

Aaron & filios ejus unges; ſanctificabiſque eos, ut ſacerdotio fungantur mihi. v. 30. 1044. *F.*

Hoc oleum unctionis ſanctum erit mihi in generationes veſtras &c. Quia ſanctificatum eſt, & ſanctum erit vobis. v. 31, 32. 1040. *F.*

Caro hominis non ungetur ex eo, & juxta compoſitionem illius non facietis aliud, quia ſanctificatum eſt, & ſanctum erit vobis. Homo quicumque tale compoſuerit, & dederit ex eo alieno, exterminabitur de populo ſuo. v. 32. 1040. *E.* 1057. *E.*

XXXII. Et reverſus eſt Moyſes de monte, portans duas tabulas teſtimonii in manu ſua. v. 15. 1028. *C.*

XXXIV. Viderunt filii Iſraël faciem Moyſi, quòd cornuta eſſet ex conſortio ſermonis Domini. v. 29. 1051. *F.*

XXXIX. Fecerunt & laminam ſacræ venerationis de auro puriſſimo; ſcripſeruntque in ea opere gemmario, Sanctum Domini: & ſtrinxerunt eam cum mitra vitta hyacinthina, ſicut præceperat Dominus Moyſi. v. 29. & 30. 1001. *E.*

Ex libro LEVITICI.

III. Quòd ſi hoſtia pacificorum fuerit ejus oblatio, & de bobus voluerit offerre, marem ſive feminam immaculata offeret coram Domino. Ponetque manum ſuper caput victimæ ſuæ, quæ immolabitur in introitu tabernaculi teſtimonii; fundentque filii Aaron ſacerdotes ſanguinem per altaris circuitum. Et offerent de hoſtia pacificorum in oblationem Domino, adipem, qui operit vitalia, & quicquid pinguedinis eſt intrinſecus: duos renes cum adipe, quo teguntur ilia, & reticulum jecoris cum renunculis: adolebuntque ea ſuper altare in holocauſtum. v. 1, 2, 3, 4, & 5. 1119. *C.*

IV. Si ſacerdos, qui unctus eſt, peccaverit. v. 2. 1035. *E.*

VIII. Veſtivit Pontificem ſubucula linea, accingens eum balteo, & induens eum tunica hyacinthina, & deſuper humerale impoſuit. v. 7. 1021. *C.*

X. Capita veſtra nolite nudare, & veſtimenta nolite ſcindere, ne forte moriamini. v. 6. 1053. *E.*

XVI. Cidarim lineam imponet capiti. v. 4. 994. *C.*

XIX. Jumentum tuum non facies coire cum alterius generis animantibus. v. 19. 934. *B.*

XXI. Pontifex, id eſt, Sacerdos maximus inter fratres ſuos, ſuper cujus caput fuſum eſt unctionis oleum, & cujus manus in ſacerdotio conſecratæ ſunt, veſtituſque eſt ſanctis veſtibus, caput ſuum non diſcooperiet, veſtimenta non ſcindet; & ad omne mortuum non ingredietur omnino. Super patre quoque ſuo, & matre non contaminabitur, &c. quia oleum ſanctæ unctionis Dei ſuper eum eſt. v. 10. 11. 12. 1053. *E.*

XXVI. Non facietis vobis idolum, & ſculptile, nec titulos erigetis, nec inſignem lapidem ponetis in terra veſtra, ut adoretis eum, v. 1. 1113. *E.*

Ex libro NUMERORUM.

I. Tollite ſummam univerſæ congregationis filiorum Iſraël, per cognationes, & domos ſuas. v. 2. 758. D.

Et congregaverunt primo die menſis ſecundi, recenſentes eos per cognationes, & domos ac familias, ac capita, & nomina ſingulorum. v. 18.

Levitæ autem non ſunt numerati inter filios Iſraël. v. 33. *E.* *ibid.* 758. *E.*

Tribum Levi noli numerare, neque pones ſummam eorum cum filiis Iſraël. v. 48. *ibid.*

III. Applica tribum Levi, & fac ſtare in conſpectu

 Aaron

Aaron ſacerdotis, ut miniſtrent eis, & excubent. v. 6. 761. *F.*

Dabiſque dono Levitas Aaron, & filiis ejus, quibus traditi ſunt à filiis Iraël. v. 9. 761. *F.* 762. *A.*

Ego tuli Levitas à filiis Iſraël pro omni primogenito, qui aperit vulvam in filiis Iſraël; eruntque Levitæ, mei. v. 12. 761. *F.*

X. Fac tibi duas tubas argenteas ductiles, quibus convocare poſſis multitudinem, quando movenda ſunt caſtra. v. 2. 1093. *E.* 1101. *A.* 1101. *D.*

Cumque increpueris tubis, congregabitur ad te omnis turba ad oſtium tabernaculi fœderis. v. 3, 1101. *A.*

Quando autem congregandus eſt populus, ſimplex tubarum clangor erit, & non conciſæ ululabunt. v. 7. *Ibid.*

Filii autem Aaron ſacerdotes clangent tubis: eritque hoc legitimum ſempiternum in generationibus veſtris. v. 8. 1104. *B.*

Si quando habebitis epulum, & dies feſtos, & calendas, canetis tubis ſuper holocauſtis, & pacificis victimis, ut ſint vobis in recordationem Dei veſtri. v. 10. 1091. *F.*

XII. Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad illum. v. 6. 822. *E.*

XIV. Omnes qui numerati eſtis à viginti annis & ſupra, & murmuraſtis contra me, non intrabitis Terram, ſuper quam levavi manum meam. v. 29. 30. 1131. *A.*

XVII. Loquere ad filios Iſraël, & accipe ab eis virgas ſingulas per cognationes ſuas: à cunctis principibus tribuum virgas duodecim, & uniuſcujuſque nomen ſuperſcribes virgæ ſuæ. v. 2. 833. *D.*

XVIII. Sed & fratres tuos de tribu Levi, & ſceptrum patris tui ſume tecum, præſtoque ſint, & miniſtrent tibi: tu autem & filii tui miniſtrabitis in tabernaculo teſtimonii. Excubabuntque Levitæ ad præcepta tua, & ad cuncta opera tabernaculi. v. 2. & 3. 762. *A.*

XXVII. Provideat Dominus Deus ſpirituum omnis carnis, hominem, qui ſit ſuper multitudinem hanc: & poſſit exire & intrare ante eos, & educere eos, vel introducere; ne ſit populus Domini ſicut oves abſque paſtore. v. 15, 16, 17. 1073. *B.*

Tolle Joſue filium Nun, virum, in quo eſt ſpiritus, & pone manum tuam ſuper eum. v. 18. 1073. *C.*

Pro hoc ſi quid agendum erit, Eleazar ſacerdos conſulet Dominum. Ad verbum ejus egredietur, & ingredietur ipſe & omnes filii Iſraël cum eo, & cætera multitudo. v. 21. 1067. *C.*

XXXI. Nos ſervi tui recenſuimus numerum pugnatorum, quos habuimus ſub manu noſtra: & ne unus quidem defuit. Ob hanc cauſam offerimus in donariis Domini ſinguli, quod in præda auri potuimus invenire, periſcelides, ac armillas, annulos & dextralia, & murenulas, ut depreceris pro nobis Dominum. v. 49 & 50. 1008. *D.*

XXXV. Liberabitur innocens de ultoris manu, & reducetur per ſententiam in urbem, ad quam confugerat; manebitque ibi donec ſacerdos magnus, qui oleo ſancto unctus eſt, moriatur. v. 25. 1047. *C.*

Ex libro DEUTERON.

I. Dixique vobis in illo tempore: Non poſſum ſolus ſuſtinere vos: quia Dominus Deus veſter multiplicavit vos &c. Date ex vobis viros ſapientes, & gnaros, & quorum converſatio ſit probata in tribubus veſtris; ut ponam eos vobis Principes.

Tunc reſpondiſtis mihi: Bona res eſt, quam vis facere. Tulique de tribubus veſtris viros ſapientes, & nobiles; & conſtitui eos Principes, Tribunos, & Centuriones, & Quinquagenarios, & Decanos, qui docerent vos ſingula. v. 9, 10, 11, 12, 13, 14, 15. 765. *E.*

III. Tulimuſque illo in tempore terram de manu duorum Regum Amorrheorum, qui erant trans Jordanem: a Torrente Arnon, uſque ad montem Hermon, quem Sidonii Sariot vocant, & Amorrhei Sanir. v. 8. & 9. 852. *D.*

V. Hæc verba loquutus eſt Dominus ad omnem multitudinem veſtram in monte de medio ignis. v. 22. 779. *C.*

XVII. Si difficile, & ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris inter ſanguinem & ſanguinem, cauſam & cauſam, lepram & lepram, & judicum intra portas tuas videris verba variari &c. v. 8. 1066. *E.*

Cùm ingreſſus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, & poſſederis eam, habitaveriſque in illa, & dixeris: Conſtituam ſuper me Regem, ſicut habent omnes per circuitum nationes: eum conſtitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius gentis hominem Regem facere, qui non ſit frater tuus. v. 14, 15. 808. *C.*

Non habebit uxores plurimas, quæ alliciant animum ejus. v. 17. 938. *B.*

Poſtquam autem ſederit in ſolio regni ſui, deſcribet ſibi Deuteronomium legis hujus in volumine, accipiens exemplar à ſacerdotibus &c. ut diſcat timere Dominum Deum ſuum, & cuſtodire verba & cæremonias ejus, quæ in lege ſcripta ſunt. v. 18. & 19. 1025. *F.* 1067. *F.* 1019. *F.* 799. *D.*

XXII. Tollent eam pater, & mater ejus, & ferent ſecum ſigna virginitatis ejus ad ſeniores Urbis qui in porta ſunt. v. 15. 791. *B.*

XXV. Sin autem noluerit accipere uxorem fratris ſui, quæ ei lege debetur, perget mulier ad portam Civitatis, & interpellabit majores natu. v. 7. 791. *B.*

XXVII. Quando ergo tranſieritis Jordanem, erigite lapides quos ego hodie præcipio vobis in monte Hebal, & levigabis eos calce; & ædificabis ibi altare Domino Deo tuo &c. & immolabis hoſtias pacificas, comedeſque ibi, & epulaberis coram Domino Deo tuo. v. 4, 5. 1134. *A.*

XXIX. Vos ſtatis hodie cuncti coram Domino Deo veſtro, Principes veſtri & tribus, ac majores natu, atque doctores, omnis populus Iſraël: liberi, & uxores veſtræ, & advenæ qui tecum morantur in caſtris, exceptis lignorum cæſoribus, & his qui comportant aquas, ut tranſeas in fœdere Domini Dei tui, & in jurejurando quod hodie Dominus Deus tuus percutit tecum. v. 9, 10, 11, & 12. 1134. E.

XXX. Teſtes invoco hodie cœlum & terram. v. 19. 1130. *A.*

XXXI. Centum viginti annorum ſum hodie, non poſſum ultra egredi, & ingredi. v. 2. 807. *E.*

XXXII. Audite cœli quæ loquor, audiat terra verba oris mei. v. 1. 1130. *B.*

Levabo ad cœlum manum meam, & dicam: Vivo ego in æternum. Si acuero ut fulgur gladium meum. v. 40. & 41. 1130. *F.*

Ex JOSUE.

VI. Septimo autem die Sacerdotes tollent ſeptem buccinas, quarum uſus eſt in Jubileo, & præcedent arcam fœderis: ſeptieſque circuibitis civitatem,

tatem, & ſacerdotes clangent buccinis. v. 4. 1097. *A.*

VII. Accedetiſque mane ſinguli per tribus veſtras: & quamcunque tribum ſors invenerit, accedet per cognationes ſuas, & cognatio per domos, domuſque per viros. v. 14. 829. *E.*

XXIV. Percuſſit ergo Joſue in die illo fœdus, & propoſuit populo præcepta atque judicia in Sichem. Scripſit quoque omnia verba hæc in volumine legis Domini: & tulit lapidem pergrandem, poſuitque eum ſubter quercum, quæ erat in Sanctuario Domini. v. 25, 26. 947. *D.*

Ex libro JUDICUM.

III. Suſcitavit eis ſalvatorem vocabulo Aod, inclytum filium Gera, filii Jemini: qui utraque manu pro dextra utebatur. v. 15. 884. *F.*

VIII. Apprehendit puerum de viris Sochot. v. 14. 778. *D.*

Dixeruntque omnes viri Iſraël ad Gedeon: Dominare tu noſtri, & filius tuus, & filius filii tui: quia liberaſti nos de manu Madian. v. 22. 806. *B.*

IX. Congregati ſunt omnes viri Sichem, & univerſæ familiæ Urbis Mello; abieruntque & conſtituerunt Regem Abimelech juxta quercum, quæ ſtabat in Sichem. v. 6. 945. *C.* 947. *B.*

Ierunt ligna, ut ungerent ſuper ſe Regem, dixeruntque Olivæ: Impera nobis. Quæ reſpondit: Nunquid poſſum deſerere pinguedinem meam, qua & Dii utuntur, & homines, & venire, ut inter ligna promovear? Loquutaque ſunt ligna ad Vitem: Veni, & impera nobis. Quæ reſpondit eis: Nunquid poſſum deſerere vinum meum, quod lætificat Deum, & homines, & ire, ut inter cætera ligna promovear? v. 8. & 9. 768. *F.* 780. *B.* 1033. *C.*

XI. Perrexerunt Seniores ad Galaad, ut tollerent in auxilium ſui Jephte de terra Job; dixeruntque ad eum: Veni, & eſto Princeps noſter. v. 5. 778. *D.*

Dominus, qui hæc audit, ipſe mediator, ac teſtis eſt, quòd noſtra promiſſa faciemus. v. 10. 1130. *C.*

Ex libro RUTH.

IV. Tollens autem Booz decem de ſenioribus in Civitate Bethlehem. v. 2. 778. *D.*

Ex primo REGUM.

II. Dominus judicabit fines terræ, & dabit imperium Regi ſuo, & ſublimabit cornu Chriſti ſui. v. 10. 1052. *A.*

Samuel autem miniſtrabat ante faciem Domini, puer accinctus Ephod lineo. Et tunicam parvam faciebat ei mater ſua, quam afferebat ſtatutis diebus. v. 18, 19. 1020. *C.* 1021. *D.*

III. Et non cecidit ex omnibus verbis ejus in terram. Et cognovit univerſus Iſraël à Dan uſque Berſabee, quòd fidelis Samuel propheta eſſet Domini. v. 19. 1034. *A.*

VII. Dixit autem Samuel: Congregate univerſum Iſraël in Maſphath, ut orem pro vobis Dominum &c. Tulit autem Samuel agnum lactentem unum, & obtulit illum in holocauſtum integrum Domino. Et clamavit Samuel ad Dominum pro Iſraël, & exaudivit eum Dominus. v. 5. -- 9. 829. *A.*

Tulit autem Samuel lapidem unum, & poſuit eum inter Maſphath, & inter Sen, & vocavit nomen loci illius Lapis adjutorii. v. 12. 948. *E.*

Judicabat quoque Samuel Iſraëlem cunctis diebus vitæ ſuæ: & ibat per ſingulos annos circumiens Bethel, & Galgala, & Maſphath, & judicabat Iſraëlem in ſupradictis locis; revertebaturque in Ramatha: ibi enim erat domus ejus; & ibi judicabat Iſraëlem. v. 15. & 16. 948. *C.* 789. *E.*

VIII. Congregati ergo univerſi majores natu Iſraël, venerunt ad Samuelem in Ramatha, dixeruntque ei: Ecce tu ſenuiſti, & filii tui non ambulant in viis tuis: conſtitue nobis Regem, ut judicet nos, ſicut & univerſæ habent nationes. v. 4. & 5. 780. *D.* 789. *D.* 811. *B.*

Dixit autem Dominus ad Samuelem: audi vocem populi in omnibus quæ loquuntur tibi. v. 7. 811. *B.* 1059. *B.*

Hoc erit jus regis, qui imperaturus eſt vobis: filios veſtros tollet, & ponet in curribus ſuis, facietque ſibi equites & præcurſores quadrigarum ſuarum &c. v. 11. 796. *C.* 849. *C.* 863. *F.*

Dixerunt: Nequaquam. Rex enim erit ſuper nos, & erimus nos quoque ſicut omnes gentes: & judicabit nos Rex noſter, & egredietur ante nos, & pugnabit bella noſtra pro nobis. v. 19 20. 781. *B.* 803. *D.* 806. *D.* 1059. *C.* 1110 *A.*

Audi vocem eorum, & conſtitue ſuper eos Regem. v. 22. 1059. C.

IX. Et erat ei filius vocabulo Saül, electus, & bonus: & non erat vir de filis Iſraël melior illo v. 2. 799. *E.*

Ecce vir Dei eſt in civitate hac, vir nobilis: omne quod loquitur, ſine ambiguitate venit. v. 6. 1034. *A.*

Dominus autem revelaverat auriculam Samuelis ante unam diem quàm veniret Saül dicens: hac ipſa hora, quæ nunc eſt, cras mittam virum ad te de terra Benjamin, & unges eum Ducem ſuper populum meum Iſraël. v. 15. & 16. 772. *E.*

Et cujus erunt bona quæque Iſraël? v. 20. 1077. *C.*

Dixitque Samuel coco: da partem quam dedi tibi, & præcepi, ut reponeres ſeorſum apud te. Levavit autem cocus armum, & poſuit ante Saül. Dixitque Samuel: Ecce quod remanſit, pone ante te, & comede, quia de induſtria ſervatum eſt tibi. v. 23. & 24. 836. *B.* 1074. *B.*

Cumque mane ſurrexiſſent, et jam eluceſceret, &c. Egreſſique ſunt ambo, ipſe videlicet & Samuel. v. 26. 1064. *E. ibid. F.*

Dic puero ut antecedat nos, & tranſeat: tu autem ſubſiſte pauliſper, ut indicem tibi verbum Domini. v. 27. 1064. *D.*

X. Tulit autem Samuel lenticulam olei, & effudit ſuper caput ejus, & deoſculatus eſt eum, & ait: Ecce unxit te Dominus ſuper hereditatem ſuam in Principem, & liberabis populum ſuum de manu inimicorum ejus. v. 1. 772. *E.* 1064. *B.* 1076. *A.*

Ecce unxit te Dominus ſuper hæreditatem ſuam in principem. v. 1. 835. *F.* 1035. *B.* 1036. *F.* 1047. *A.*

Et deſcendes ante me in Galgala (ego quippe deſcendam ad te) ut offeras oblationem, & immoles victimas pacificas. v. 8. 839 *B.* 949. *B.*

Itaque cùm avertiſſet humerum ſuum, ut abiret à Samuele, immutavit ei Deus cor aliud, &c. Veneruntque ad prædictum collem, & ecce cuneus Prophetarum obvius ei: Et inſiluit ſuper eum Spiritus Domini, & prophetavit in medio eorum. v. 9. & 10. 799. *F.*

Et convocavit Samuel populum ad Dominum in Maſphath: & ait ad filios Iſraël: Hæc dicit Dominus Deus Iſraël: Ego eduxi Iſraël de Ægypto,

to, & erui vos de manu Ægyptiorum, & de manu omnium regum, qui affligebant vos. Vos autem hodie projeciſtis Deum veſtrum, qui ſolus ſalvavit vos de univerſis malis, & de tribulationibus veſtris, & dixiſtis: Nequaquam, ſed Regem conſtitue ſuper nos. Nunc ergo ſtate coram Domino per tribus veſtras, & per familias. v. 17, 18. & 19. 770. *B.* 773. *B.* 781. *A.*

Et applicuit Samuel omnes tribus Iſraël, & cecidit ſors ſuper Tribus Benjamin. Et applicuit tribum Benjamin & cognationes ejus, & cecidit ſors ſuper cognationem Metri, & pervenit uſque ad Saül filium Cis. v. 20, 21. 828. *C.* 831. *F.*

Et conſuluerunt poſt hæc Dominum, utrumnam venturus eſſet illuc. Reſponditque Dominus: Ecce abſconditus eſt domi. v. 22. 824. *A.*

Stetitque in medio populi, & altior fuit univerſo populo ab humero, & ſurſum. v. 23. 801. *F.*

Et ait Samuel ad omnem populum: Certè videtis, quem elegit Dominus, quoniam non ſit ſimilis illi in omni populo. v. 24. 774. *A.* 786. *D.* 807. *A.* 802. *C.* 811. *C.*

Et clamavit omnis populus, & ait: Vivat Rex. v. 24. 837. *A.* 974. *C.*

Locutus eſt autem Samuel ad populum, legem regni, & ſcripſit in libro, & repoſuit coram Domino. v. 25. 1110. *C.*

Sed & Saül abiit in domum ſuam in Gabaa: & abiit cum eo pars exercitus, quorum Deus tetigerat corda. v. 26. 848. *C.* 861. *D.*

Filii vero Belial dixerunt: Num ſalvare nos poterit iſte? Et deſpexerunt eum, & non attulerunt ei munera. v. 27. 807. *A.* 812. *F.* 837. *B.* 981. *E.*

XI. Et ait populus ad Samuelem: Quis eſt iſte qui dixit: Saül non regnabit ſuper nos? Date viros & interficiemus eos. v. 12. 807. *B.*

Dixit autem Samuel ad populum: Venite, & eamus in Galgala, & innovemus ibi Regnum. Et perrexit omnis populus in Galgala, & fecerunt ibi Regem Saül coram Domino in Galgala, & immolaverunt ibi victimas pacificas coram Domino, &c. Et lætatus eſt ibi Saül, & cuncti viri Iſraël nimis. v. 14. & 15. 770. *D.* 839. *A.* 840. *C.* 949. *B.* 1107. *E.* 1071. *F.* 1135. *D.*

XII. Loquimini coram Domino, & coram Chriſto ejus. v. 3. 1071. *B.*

Utrum bovem cujuſpiam tulerim, aut aſinum: ſi quempiam calumniatus ſum, ſi oppreſſi aliquem, ſi de manu cujuſquam munus accepi. v. 3. 818. *B.*

Videntes autem, quòd Naas Rex filiorum Ammon veniſſet adverſum vos, dixiſtis mihi: Nequaquam, ſed Rex imperabit nobis: cùm Dominus Deus veſter regnaret in vobis. v. 12. 806. *E.*

Ecce dedit vobis Dominus regem. Si timueritis Dominum, & ſervieritis ei, & audieritis vocem ejus, & non exaſperaveritis os Domini: eritis & vos, & Rex qui imperat vobis, ſequentes Dominum Deum veſtrum. Si autem non audieritis vocem Domini, ſed exaſperaveritis ſermones ejus, &c. pariter peribitis. v. 13, 14, 15. 1109. *C.* 1135. *D.*

XIV. Dominus Deus Iſraël da indicium: quid eſt, quòd non reſponderis ſervo tuo hodie? v. 41. 828. *D.*

XV. Pro eo ergo quòd abjeciſti ſermonem Domini, abjecit te Deus ne ſis Rex. Scidit Dominus regnum Iſraël à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te. v. 23. & 28. 1038. *D.*

XVI. Uſquequo tu luges Saül, cùm ego projecerim eum, ne regnet ſuper Iſraël? Imple cornu tuum oleo, & veni, ut mittam te ad Iſai Bethlehemitem; providi enim in filiis ejus mihi Regem. v. 1. 772. *F.*

Et ait Samuel: Quomodo vadam? audiet enim Saül, & interficiet me. Et ait Dominus: Vitulum de armento tolles in manu tua, & dices: ad immolandum Domino veni. Et vocabis Iſai ad victimam, & ego oſtendam tibi quid facias, & unges quemcumque monſtravero tibi. v. 2. & 3. 836. *E.* 1038. *A. ibid. E.* 1065. *D.*

Num coram Domino eſt Chriſtus ejus? v. 6. 825. *D.*

Erat autem rufus, & pulcher aſpectu, decoraque facie. v. 12. 802. *E.*

Tulit ergo Samuel cornu olei, & unxit eum in medio fratrum ejus: Et directus eſt ſpiritus Domini à die illa in David, & deinceps. v. 13. 799. *F.* 1052. *C.*

XVII. Quare veniſti? & quare dereliquiſti pauculas oves illas in deſerto? Ego novi ſuperbiam tuam, & nequitiam cordis tui, quia ut videres prælium, deſcendiſti. v. 28. 1065. *E.*

Paſcebat ſervus tuus patris ſui gregem, & veniebat leo, vel urſus, & tollebat arietem de medio gregis: & perſequebar eos, & percutiebam, & apprehendebam mentum eorum, & ſuffocabam, interficiebamque eos. Nam & leonem, & urſum interfeci ego ſervus tuus. Erit igitur & Philiſtæus hic incircumciſus, quaſi unus ex eis. v. 34, 35. & 36. 804. *E.*

XVIII. Egrediebatur quoque David ad omnia quæcumque miſiſſet eum Saül, & prudenter ſe agebat: poſuitque eum Saül ſuper viros belli. v. 5. 861. *F.*

Et acceptus erat in oculis univerſi populi, maximeque in conſpectu famulorum Saül. verſ. 5. 807. *C.*

Percuſſit Saül mille, & David decem millia. v. 7. 805. *B.* 892. *E.*

Et fecit eum tribunum ſuper mille viros, & egrediebatur, & intrabat in conſpectu populi. v. 13. 807. *E.*

XX. Cadens pronus in terram adoravit tertio. v. 41. 960. *D.*

XXII. Saül autem cùm maneret in Gabaa, & eſſet in nemore, quod eſt in Rama, haſtam manu tenens, cunctique ſervi ejus circumſtarent eum. v. 6. 1012. *D.*

Ait ad ſervos ſuos qui aſſiſtebant ei: Audite nunc filii Jemini. Numquid omnibus vobis dabit filius Iſai agros & vineas, & univerſos vos faciet tribunos, & Centuriones? v. 6. & 7. 862. *D.*

Et ait Rex emiſſariis, qui circumſtabant eum: Convertimini, & interficite ſacerdotes Domini: nam manus eorum cum David eſt, ſcientes quod fugiſſet, & non indicaverunt mihi. v. 17. 1068. *D.*

Noluerunt autem ſervi Regis extendere manus ſuas in Sacerdotes Domini. v. 17. 1068. *D.*

Et trucidavit in die illo octoginta quinque viros veſtitos Ephod lineo v. 18. 1068. *E.*

XXIII. Quod cùm David reſciſſet, quia præpararet ei Saul clam malum, dixit ad Abiathar Sacerdotem: Applica Ephod. Et ait David: Domine Deus Iſraël, audivit famam ſervus tuus, quòd diſponat Saül venire in Ceilam, ut evertat urbem propter me. Si tradent me viri Ceilæ in manus ejus? & ſi deſcendet Saül, ſicut audivit ſervus tuus? Domine Deus Iſraël, indica ſervo tuo. Et ait Dominus: Deſcendet. Dixitque David: Si tradent me viri Ceilæ, & viros, qui ſunt mecum, in manus Saül? Et dixit Dominus: Tradent. Surrexit ergo &c. v. 9, 10, 11, 12, 13. 824. *E.*

XXIV. Surrexit ergo David, & præcidit oram chlamydis Saül ſilenter. Poſt hæc percuſſit cor ſuum Da-

David , eo quod abſcidiſſet oram chlamydis Saül. v. 5.&6. 1018.*E.*

Et nunc quia ſcio , quod certiſſime regnaturus ſis, & habiturus in manu tua regnum Iſraël. v.21. 1048.*F.*

XXV. Et deſcendit de aſino, & procidit coram David ſuper faciem ſuam , & adoravit ſuper terram. v. 23. 957.*D.*

XXVI. Benedictus tu, fili mi David : & quidem faciens facies , & potens poteris. v.25. 1012.*D.*

XXVIII. Conſuluitque Dominum , & non reſpondit ei, neque per ſomnia, neque per ſacerdotes , neque per prophetas. v. 6. 822.*F.*

XXX. Et ait ad Abiathar ſacerdotem filium Achimelech : Applica ad me Ephod. Et conſuluit David Dominum dicens : Perſequar latrunculos hos , & comprehendam eos , an non? v. 7. & 8. 826.*B.*

Dixitque ei Dominus : Perſequere : abſque dubio enim comprehendes eos, & excuties prædam. v. 8. 826.*B.*

David miſit dona de præda , ſenioribus Juda proximis ſuis. v.26. 778.*C.*

Ex libro II. REGVM.

I. In die autem tertia , apparuit homo veniens de caſtris Saül, veſte conſciſſa , & pulvere conſperſus caput : & ut venit ad David , cecidit ſuper faciem ſuam , & adoravit. v. 2. 958.*B.*

Stanſque ſuper eum , occidi illum : ſciebam enim quòd vivere non poterat poſt ruinam. Et tuli diadema quod erat in capite ejus, & armillam de brachio illius , & attuli ad te Dominum meum huc. v. 10. 996. *E.* 1005.*F.* 1007. *B.* 1008. *E.*

Apprehendens David veſtimenta ſua ſcidit, omneſque viri qui erant cum eo : & planxerunt , & fleverunt , & jejunaverunt uſque ad veſperam ſuper Saül. v. 11.&12. 1054 *C.*

Quare non timuiſti mittere manum tuam , ut occideres Chriſtum Domini? v. 14. 1035. *C. Ib.F.*

Et præcepit David ut docerent filios Juda arcum : ſicut ſcriptum eſt in libro juſtorum. v. 18. 871.*D.*

Clypeus fortium, clypeus Saül. v 21. 805.*B.*

Gladius Saül non eſt reverſus inanis. v. 22. 805. *A.*

II. Igitur poſt hæc conſuluit David Dominum dicens: Num aſcendam in unam de Civitatibus Juda ? Et ait Dominus ad eum : Aſcende. Dixitque David : Quò aſcendam ? Et reſpondit ei : In Hebron. v. 1. 818. D.

Sed & viros , qui erant cum eo , duxit David ſingulos cum domo ſua : & manſerunt in oppidis Hebron. Veneruntque Viri Juda , & unxerunt ibi David ut regnaret ſuper Domum Juda. v. 3. 771.*A.* 1040.*A.* 1049.*A.* 1071. *C.*

Abner autem filius Ner , princeps exercitus Saül, tulit Isboſeth filium Saül , & circumduxit eum per caſtra , Regemque conſtituit ſuper Galaad , & ſuper Geſſuri , & ſuper Jezraël, & ſuper Ephraim , & ſuper Benjamin , & ſuper Iſraël univerſum. v. 8 & 9. 786. *E.*

III. Quomodo juravit Dominus David , ſic faciam cum eo , ut transferatur regnum de domo Saül, & elevetur thronus David ſuper Iſraël , & ſuper Judam. v. 9. 1147. *B.*

V. Et venerunt univerſæ tribus Iſraël ad David in Hebron, dicentes : Ecce nos os tuum , & caro tua ſumus. Sed & heri, & nudius tertius , cùm eſſet Saül Rex ſuper nos, tu eras educens, & reducens Iſraël. Dixit autem Dominus ad te : Tu paſces populum meum Iſraël , & tu eris Dux ſuper Iſraël. v. 1.&2. 771.*B.* 807. *C.* 809.*D.* 1049.*B.* 1071.*D.* 1108.*C.* 1136.*A.*

Accepit ergo David adhuc concubinas, & uxores , de Jeruſalem, poſtquam venerat in Hebron. v. 13. 859.*D.*

VI. Porro David erat accinctus Ephod lineo. v. 14. 1020.*D.*

VII. Et fidelis erit domus tua, & regnum tuum uſque in æternum ante faciem meam , & thronus tuus erit firmus jugiter. v. 16. 1147 *B.*

XI. Dormivit autem Urias ante portam domus regiæ cum aliis ſervis Domini ſui, & non deſcendit ad domum ſuam. v. 9. 850.*E.* 860 *E.*

XII. Hæc dicit Dominus Deus Iſraël : Ego unxi te in Regem ſuper Iſraël , & ego erui te de manu Saül, & dedi tibi domum Domini tui , & uxores Domini tui , in ſinu tuo , dedique tibi domum Iſraël, & Juda. v. 7.& 8. 818. *C.*

XIII. Quæ induta erat talari tunica : hujuſcemodi enim filiæ Regis virgines veſtibus utebantur. v. 18. 1021.*D.*

Surgenteſque omnes filii Regis aſcenderunt ſinguli mulas ſuas & fugerunt. v. 29. 932.*E.* 940.*D.*

XIV. Porrò ſicut Abſalon vir non erat pulcher in omni Iſraël , & decorus nimis , a veſtigio pedis , uſque ad verticem non erat in eo ulla macula. verſ. 25. 802. *D.*

XV. Sed & cùm accederet ad eum homo, ut ſalutaret illum , extendebat manum ſuam , & apprehendens oſculabatur eam. v. 15. 964. *D.* 956. *D.*

Et ſollicitabat corda filiorum Iſraël v. 6. 964 *F.*

Miſit Abſalon exploratores in univerſas tribus Iſraël, dicens: ſtatim ut audieritis clangorem buccinæ, dicite : Regnavit Abſalon in Hebron. v. 10. 781.*E.* 1080.*B.* 1081.*F.* 1085.*A.*

Venit igitur nuncius ad David , dicens : toto corde univerſus Iſraël ſequitur Abſalon. v. 13. 781. *F.*

Egreſſus Rex , & omnis Iſraël pedibus ſuis, ſtetit procul à domo ; & univerſi ſervi ejus ambulabant juxta eum ; & legiones Cerethi , & Phelethi , & omnes Gethæi , pugnatores validi, ſexcenti viri , qui ſecuti eum fuerant de Geth pedites , præcedebant Regem. v. 17. & 18. 843.*C.* 844.*E* 848.*E.* 872.*C.*

XVI. Ita autem loquebatur Semei cum malediceret Regi : Egredere , egredere vir ſanguinum , & vir Belial. Reddidit tibi Dominus univerſum ſanguinem domus Saül : quoniam invaſiſti regnum pro eo , & dedit Dominus regnum in manu Abſalon filii tui : & ecce premunt te mala, quoniam vir ſanguinum es. v. 7.& 8. 1084.*B.*

XVIII. Accidit autem , ut occurreret Abſalon ſervis David, ſedens mulo : cùmque ingreſſus fuiſſet mulus ſubter condenſam quercum , & magnam, adhæſit caput ejus quercui : & illo ſuſpenſo inter cœlum & terram, mulus , cui inſederat, pertranſivit. v. 9. 860. *B.* 939. *B.* 940. *A.*

XX. Ait autem David ad Abiſai : Nunc magis afflicturus eſt nos Seba filius Bochri , quam Abſalon : tolle igitur ſervos Domini tui, & perſequere eum, ne forte inveniat civitates munitas, & effugiat nos. v. 6. 860. *C.*

XXIII. Qui octingentos interfecit impetu uno. v. 8. 805. *C.*

Ex libro tertio REGVM.

I. Adonias autem filius Haggith elevabatur dicens : Ego regnabo : fecitque ſibi currus, & equites, & quinquaginta viros , qui currerent ante eum. Et ſermo ei cum Joab filio Saruiæ, & cum Abiathar ſacer-

ſacerdote, qui adjuvabant partes Adoniæ. v. 5. & 7. 775. *E.*

Erat autem & ipſe pulcher valde. v. 6. 802. *E.*

Et robur exercitus David, non erat cum Adonia. v. 8. 783. *B.*

Immolatis ergo Adonias arietibus, vitulis, & univerſis pinguibus, juxta lapidem Zoëleth, qui erat vicinus fonti Rogel, vocavit univerſos fratres ſuos filios Regis, & omnes viros Juda ſervos Regis. v. 9. 782. *E.* 849. *A.* 864. *A.* 1049. *E.* 1050. *A.* 1070. *D.* 1152. *C.*

Et ecce unus Adonias regnat, te Domine mi Rex, ignorante. v. 18. 1050. B.

Verumtamen, Domine mi Rex, in te oculi reſpiciunt totius Iſraël, ut indices eis, quis ſedere debeat in ſolio tuo, Domine mi Rex, poſt te. v. 20. 774 *B.* 776. *B.*

Domine mi Rex, tu dixiſti: Adonias regnet poſt me, & ipſe ſedeat ſuper thronum meum? quia deſcendit hodie, & immolavit boves, & pinguia, & arietes plurimos, & vocavit univerſos filios Regis, & Principes exercitus, Abiathar quoque ſacerdotem: illiſque bibentibus & veſcentibus coram eo, & dicentibus: Vivat Rex Adonias. v. 24. & 25. 769. *D.* 1050. *B.*

Dixit quoque Rex David: Vocate mihi Sadoch ſacerdotem, & Nathan Prophetam, & Banajam filium Jojadæ. Qui cùm ingreſſi fuiſſent coram Rege, dixit ad eos: Tollite vobiſcum ſervos Domini veſtri, & imponite Salomonem filium meum ſuper mulam meam: & ducite eum in Gihon; & ungat eum ibi Sadoch ſacerdos, & Nathan Propheta, in Regem ſuper Iſraël: & canetis buccina, atque dicetis: Vivat Rex Salomon. v. 32, 33, & 34. 816. *A.* 817. *B.* 835. *C.* 927. *C.* 939. *C.* 1094. *E.* 1139. *F.*

Illique præcipiam ut ſit Dux ſuper Iſraël & ſuper Judam. v. 35. 813. *D.*

Amen: Sic loquatur Dominus meus Domini mei Regis, quomodo fuit Dominus cum Domino meo Rege, ſic ſit cum Salomone, & ſublimius faciat ſolium ejus à ſolio Domini mei. v. 36. 37. 1147. *C.*

Amplificet Deus nomen Salomonis ſuper nomen tuum; & magnificet thronum ejus ſuper thronum tuum. v. 47. 954. *E.*

Deſcendit ergo Sadoch ſacerdos, Nathan Propheta, & Banajas filius Jojadæ, & Cerethi, & Phelethi: & impoſuerunt Salomonem ſuper mulam Regis David, & adduxerunt eum in Gihon. Sumpſitque Sadoch Sacerdos cornu olei de tabernaculo, & unxit Salomonem: & cecinerunt buccina, & dixit omnis populus: Vivat Rex Salomon. v. 38. & 39. 775. *E.* 783. *A.* 837. *D.* 848. *F.* 950. *D.* 1045. *C.* 1050. *E.* 1060. *F.* 1070. *E.* 1082. *B.* 1092. *F.*

Et aſcendit univerſa multitudo poſt eum, & populus canentium tibiis, & lætantium gaudio magno, & inſonuit terra à clamore eorum. v. 40. 783. *B.* 969. *B.* 978. *C.* 1093. *E.* 1095. *D.* 1105. *E.*

Audivit autem Adonias, & omnes qui invitati fuerant ab eo, jamque convivium finitum erat: Sed & Joab audita voce tubæ ait: Quid ſibi vult clamor civitatis tumultuantis? verſ. 41. 953. *E.* 1152. *D.*

Dominus enim noſter Rex David Regem conſtituit Salomonem: miſitque cum eo Sadoch ſacerdotem, & Nathan Prophetam, & Banajam filium Jojadæ & Cerethi, & Phelethi, & impoſuerunt eum ſuper mulam Regis, unxeruntque eum Sadoch ſacerdos, & Nathan Propheta Regem in Gihon. v. 43, 44, & 45. 933. *C.*

Territi ſunt ergo, & ſurrexerunt omnes qui invitati fuerant ab Adonia, & ivit unuſquiſque in viam ſuam. v. 49. 1050. *F.*

Miſit ergo Rex Salomon, & eduxit eum ab altari, & ingreſſus adoravit regem Salomonem, dixitque ei Salomon: Vade in domum tuam. v. 53. 958. *C.*

II. Obſerva cuſtodias Domini Dei tui, ut ambules in viis ejus, ut cuſtodias cæremonias ejus, & præcepta ejus, & judicia, & teſtimonia, ſicut ſcriptum eſt in lege Moyſi: ut intelligas univerſa quæ facis, & quocunque te verteris. v. 3. 800. *A.*

Vade in Anathot ad agrum tuum: equidem vir mortis es. v. 26. 1069. *F.*

Ejecit ergo Salomon Abiathar, ut non eſſet ſacerdos Domini. v. 27. 1069. *C.*

IV. Et habebat Salomon quadraginta millia præſepia equorum currilium, & duodecim millia equeſtrium. v. 26. 938. C.

VII. Porticum quoque Solii, in quo tribunal eſt, fecit, & texit lignis cedrinis à pavimento uſque ad ſummitatem. v. 7. 1144. *D.*

Et domuncula, in qua ſedebatur ad judicandum, erat in media porticu, ſimili opere. v. 8. 1144. *E.*

X. Dedit ergo Regi centum viginti talenta auri, & aromata multa nimis, & gemmas pretioſas. v. 10. 981. *D.*

Fecit quoque Rex Salomon ducenta ſcuta de auro puriſſimo; ſexcentos auri ſiclos dedit in laminas ſcuti unius: & trecentas peltas ex auro probato: trecentæ minæ auri unam peltam veſtiebant. v. 16. 864. *D.* 833. *F.*

Et ſinguli deferebant ei munera, vaſa argentea, & aurea, & veſtes, & arma bellica, aromata quoque, & equos & mulos, per annos ſingulos. v. 25. 943. *C.* 981. *D.*

Fecit etiam Rex Salomon thronum de ebore grandem, & veſtibulum auro fulvo nimis: qui habebat ſex gradus: & ſummitas throni rotunda erat in parte poſteriori: & duæ manus hinc atque inde tenentes ſedile: & duo leones ſtabant juxta manus ſingulas. Et duodecim leunculi ſtantes ſuper ſex gradus hinc atque inde. v. 18, 19, & 20. 1148. *A. ibid. C.*

XI. Tolle tibi decem ſciſſuras: hæc enim dicit Dominus Deus Iſraël: Ecce ego ſcindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus. v. 31. 1062. *F.*

Te autem aſſumam, & regnabis ſuper omnia quæ deſiderat anima tua, eriſque Rex ſuper Iſraël. Si igitur audieris omnia quæ præcepero tibi, & ambulaveris in viis meis, & feceris quod rectum eſt coram me, cuſtodiens mandata mea & præcepta mea, ſicut fecit David ſervus meus. v. 37, 38. 800. *B.* 1063. *F.*

XII. Venit autem Roboam in Sichem: illuc enim congregatus erat omnis Iſraël ad conſtituendum eum Regem. v. 1. 789. B.

Porrò Rex Roboham feſtinus aſcendit currum, & fugit in Jeruſalem. v. 18. 932. *A.*

Hæc dicit Dominus: Non aſcendetis, neque bellabitis contra fratres veſtros filios Iſraël, revertatur vir in domum ſuam, à me enim factum eſt verbum hoc. v. 24. 810. *E.*

XVIII. Aſcende, & dic Achab: Junge currum tuum, & deſcende, ne occupet te pluvia. v. 44. 932. *A.*

XIX. Revertere in viam tuam per Damaſcum: cùmque perveneris illuc, unges Azaëlem regem ſuper Syriam. v. 15. 1033. *A.* 1063. *D.*

Et derelinquam mihi in Iſraël ſeptem millia virorum

rorum ; quorum genua non ſunt incurvata ante Bahal, & omne os, quod non adoravit eum, oſculans manus. v. 18. 961. *B.*

XXII. Quære, oro te, hodie ſermonem Domini. v. 5. 815. *C.*

Non eſt hic Propheta Domini quiſpiam, ut interrogemus per eum? v. 6. 815. *C.*

Rex autem Iſraël, & Joſaphat Rex Juda ſedebant unuſquiſque in ſolio ſuo, veſtiti cultu regio in area juxta oſtium portæ Samariæ. v. 10. 1016. *F.*

Hæc dicit Dominus : His ventilabis Syriam, donec deleas eam. v. 11. 1062. *D.*

Ex libro quarto REGUM.

V. Obſecro, concede mihi ſervo tuo, ut tollam onus duorum burdonum de terra : non enim faciet ultra ſervus tuus holocauſtum aut victimam diis alienis, niſi Domino. v. 17. 939. *A.*

VII. Hæc dicit Dominus : In tempore hoc cras modius ſimilæ uno ſtatere erit, & duo modii hordei ſtatere uno in porta Samariæ. v. 1. 792. *B.*

IX. Quid venit inſanus iſte? v. 11. 1077. *E.*

Feſtinaverunt itaque, & tollens unuſquiſque pallium, ſuum poſuerunt ſub pedibus ejus, in ſimilitudinem tribunalis, & cecinerunt buccina, atque dixerunt : Regnavit Jehu. v. 13. 813. *E.* 969. *B.* 1082. *B.*

XI. Anno autem ſeptimo miſit Jojada, & aſſumens Centuriones, & milites, introduxit ad ſe in templum Domini, pepigitque cum eis fœdus : & adjurans eos in domo Domini, oſtendit eis filium Regis. v. 4. 775. *F.*

Qui dedit eis haſtas, & arma Regis David, quæ erant in domo Domini. v 10. 892. *F.*

Et ſteterunt ſinguli habentes arma in manu ſua à parte dextera, uſque ad partem templi ſiniſtram, coram altari & templo per circuitum Regis. v. 11. 849. *D.* 863. *C.*

Produxitque filium Regis, & poſuit ſuper eum diadema, & teſtimonium : feceruntque eum Regem, & unxerunt. verſ. 12. 996. *D.* 1004. *F.* 1078. *C.*

Produxitque filium regis ; & poſuit ſuper eum diadema, & teſtimonium, feceruntque eum Regem, & unxerunt, & plaudentes manu dixerunt : Vivat Rex. v. 12. 974. *D.* 1090. *D.*

Athalia autem audivit vocem laudantium Regem. v. 13. 1085. *C.*

Pepigit ergo Jojada fœdus inter Deum, & Regem, & inter populum ; ut eſſet populus Domini. v. 17. 1108. *F.* 1136. *D. E.*

Tulitque Centuriones, & Cerethi, & Pelethi legiones, & omnem populum terræ, deduxeruntque Regem de domo Domini. v. 19. 863. *E.* 843. *C.*

Et venerunt per viam portæ ſcutariorum in palatium, & ſedit ſuper thronum regum. verſ. 19. 1143. *C.*

XXI. Percuſſit autem populus terræ, omnes qui conjuraverant contra Regem Amon : & conſtituerunt ſibi Regem Joſiam filium ejus pro eo. verſ. 24. 773. *E.*

XXIII. Congregati ſunt ad Regem Joſiam omnes Seniores Judæ, & Hieruſalem. v. 1. 778. *C.*

Ex libro I. PARALIP.

XI. Congregatus eſt igitur omnis Iſraël ad David in Hebron dicens : os tuum ſumus, & caro tua. Heri quoque, & nudius tertius, cùm adhuc regnaret Saül, tu eras qui educebas Iſraël : tibi enim dixit Dominus Deus tuus : Tu paſces populum meum Iſraël ; & tu eris Princeps ſuper eum. Venerunt ergo omnes majores natu Iſraël ad Regem in Hebron, & iniit David cum eis fœdus coram Domino : unxeruntque eum Regem ſuper Iſraël, juxta ſermonem Domini ; quem loquutus eſt in manu Samuel. v. 1. 2. & 3. 771. *B.*

XII. Et hæc ſunt nomina principum exercitus, qui venerunt ad David ut regnum transferrent, juxta verbum Domini. v. 23. 781. *D.*

Sed & de Gaddi transfugerunt ad David, cùm lateret in deſerto, viri robuſtiſſimi, & pugnatores optimi, tenentes clypeum & haſtam : facies eorum quaſi facies leonis, & veloces quaſi capreæ in montibus. v. 8. 871 *F.*

XV. Porrò David erat indutus ſtola byſſina. v. 27. 1022. *A.*

XVIII. Cepit ergò David mille quadrigas ejus, & ſeptem millia equitum, & viginti millia virorum peditum, ſubnervavitque omnes equos curruum, exceptis centum quadrigis, quas reſervavit ſibi. v. 4 938. *C.*

XXVIII. Convocavit igitur David omnes Principes Iſraël, Duces tribuum, & præpoſitos turmarum, qui miniſtrabant Regi : Tribunos quoque, & Centuriones, & qui præerant ſubſtantiæ & poſſeſſionibus Regis, filios quoque ſuos cum Eunuchis, & potentes, & robuſtiſſimos quoſque in exercitu Jeruſalem. v. 1. 777. *A.*

Elegit Dominus Deus Iſraël me de univerſa domo patris mei, ut eſſem Rex ſuper Iſraël in ſempiternum : de Juda enim elegit Principes : porrò de domo Juda domum patris mei : & de filiis patris mei, placuit ei ut me eligeret Regem ſuper cunctum Iſraël. Sed & de filiis meis (filios enim mihi multos dedit Dominus) elegit Salomonem filium meum, ut ſederet in throno regni Domini ſuper Iſraël, & dixit mihi : Salomon filius tuus ædificabit domum meam, & atria mea ; ipſum enim elegi mihi in filium, & ego ero ei in patrem. verſ. 4, 5, & 6. 776. *D.* 809. *E.* 818. *E.*

XXIX. Locutuſque eſt David Rex ad omnem Eccleſiam : Salomonem filium meum elegit Dominus adhuc puerum, & tenellum. verſ. 1. 771. *D.* 818. *F.*

Et benedixit omnis Eccleſia Domino patrum ſuorum, & inclinaverunt ſe, & adoraverunt Deum, & deinde Regem. v. 20. 958. *D.* 960. *C.*

Et obtulerunt holocauſta die ſequenti, tauros mille, arietes mille, agnos mille, cum libaminibus ſuis ; & univerſo ritu abundantiſſime in omnem Iſraël. Et comederunt, & biberunt coram Domino in die illa cum grandi lætitia : & unxerunt ſecundo Salomonem filium David ; unxerunt autem eum Domino in Principem. v. 21. & 22. 1114. *D.*

Et Sadoch in Pontificem. v. 22. 839. *E.*

Et unxerunt ſecundò Salomonem filium David : unxerunt autem eum Domino in Principem ; & Sadoch in Pontificem. Seditque Salomon ſuper ſolium Domini in Regem pro David patre ſuo, & cunctis placuit ; & paruit illi omnis Iſraël. Sed & univerſi Principes, & potentes, & cuncti filii Regis David dederunt manum, & ſubjecti fuerunt Salomoni Regi. v. 22, 23, & 24. 783. *C.* 970. *F.* 1051. *C.*

Ex libro II. PARALIP.

VI. Stetit ergo coram altari Domini ex adverſo univerſæ multitudinis Iſraël, & extendit manus ſuas.

Siquidem fecerat Salomon baſin æneam in medio baſilicæ, habentem quinque cubitos longitudinis, & quinque cubitos latitudinis, & tres cubitos altitudinis, ſtetitque ſuper eam, & deinceps flexis genibus coram univerſa multitudine Iſraël, & palmis in cœlum levatis. v. 12. & 13. 1141. *E.*

IX. Fecit igitur Rex Salomon ducentas haſtas aureas de ſumma ſexcentorum aureorum, & qui in ſingulis aſtis expendebantur, trecenta quoque ſcuta aurea trecentorum aureorum, quibus tegebantur ſingula ſcuta. v. 15, 16. 874 *A.*

Fecit quoque Rex Salomon ſolium eburneum grande, & veſtivit illud auro mundiſſimo. v. 17. 1148. *C.*

XI. Sed & in ſingulis urbibus fecit armamentarium ſcutorum & haſtarum. v. 12. 875. *A.*

XII. Receſſit itaque Seſec Rex Ægypti ab Jeruſalem, ſublatis theſauris domus Domini, & domus Regis, omniaque ſecum tulit, & clypeos aureos, quos fecerat Salomon. v. 9. 889 *D.* 898. *D.*

XV. Juraverunt Domino voce magna in jubilo & clangore tubæ, & ſonitu buccinarum. verſ. 14. 193. *C.*

XXIII. Anno autem ſeptimo confortatus Jojada, aſſumpſit Centuriones: Azariam videlicet filium Jeroboam, & Iſmaël filium Joannam, Azariam quoque filium Obed, & Maaſiam filium Adaiæ, & Eliſaphat filium Zechri, & iniit cum eis fœdus. Qui circumeuntes Judam, congregaverunt Levitas de cunctis urbibus Juda, & Principes familiarum Iſraël, veneruntque in Jeruſalem. Iniit ergo omnis multitudo pactum in domo Dei, cum Rege: dixitque ad eos Jojada: Ecce filius Regis regnabit, ſicut loquutus eſt Dominus ſuper filios David. v. 1, 2, & 3. 782. *A.* 809. *F.*

Qui circumeuntes Judam, congregaverunt Levitas de cunctis urbibus Juda, & Principes familiarum Iſraël, veneruntque in Jeruſalem. v. 2. 1069. *A.*

Siquidem Jojada Pontifex non dimiſerat abire turmas, quæ ſibi per ſingulas hebdomadas ſuccedere conſueverant. v. 8. 1062. *B.*

Deditque Jojada ſacerdos centurionibus lanceas clypeoſque, & peltas Regis David, quas conſecraverat in domo Domini. v. 9 897. *E.*

Et eduxerunt filium Regis & impoſuerunt ei diadema, & teſtimonium, dederuntque in manu ejus tenendam legem, & conſtituerunt eum regem: unxit quoque illum Jojada pontifex, & filii ejus. v. 11. 1070. *E.*

Imprecatique ſunt ei, atque dixerunt: Vivat Rex. v. 11. 969. *D.* 1004 *F.* 1021. *A.* 1026. *A.* 1029. *B.* 1029. *E.*

Audivit autem Athalia vocem populi currentis, & ingreſſa ad turbas in templum Domini, vidit regem ſtantem ſuper tribunal juxta morem, & cantores, & turbas prope eum. v. 12. & 13. 1140. *A.*

Pepigit autem Jojada fœdus inter ſe, univerſumque populum & Regem, ut eſſet populus Domini. v. 16. 1114. *E* 1136. *D.*

Aſſumpſitque Centuriones, & fortiſſimos viros ac Principes populi, & omne vulgus terræ, & fecerunt deſcendere Regem de domo Domini, & introire per medium portæ ſuperioris in domum Regis, & collocaverunt eum in ſolio Regali. v. 20. 788. *B.* 1143 *C.*

XXVI. Statimque ingreſſus poſt eum Azarias ſacerdos, & cum eo ſacerdotes Domini octoginta viri fortiſſimi, reſtiterunt Regi, atque dixerunt: Non eſt tui officii Ozia, ut adoleas incenſum Domini ſacerdotum. v. 17. & 18. 1068. *A.*

Fuit igitur Ozias Rex leproſus uſque ad diem mortis ſuæ, & habitavit in domo ſeparata plenus lepra, ob quam ejectus fuerat de domo Domini. v. 21. 792. *F.*

XXXII. Ipſe eſt Ezechias, qui obturavit ſuperiorem fontem aquarum Gihon, & avertit eas ſubter ad occidentem urbis David. v. 12. 951. *E.*

Ex libro ESTHER.

I. Quando ſedit in ſolio regni ſui, Suſan civitas regni ejus exordium fuit. v. 2. 1138. *F.*

III. Cunctique ſervi Regis, qui in foribus Palatii verſabantur, flectebant genua, & adorabant Aman. v. 2. 860. *D.*

VI. Homo, quem Rex honorare cupit, debet indui veſtibus regiis, & imponi ſuper equum, qui de ſella Regis eſt. v. 7. & 8. 931. *D.*

Ex libris ESDRÆ.

Lib. I. *cap.* III. Congregatus eſt ergo populus quaſi vir unus in Hieruſalem: & ſurrexit Joſue filius Joſedech, & fratres ejus ſacerdotes, & Zorobabel filius Salathiel, &c. verſ. 1, 2. 775. *A.*

Lib. III. *cap.* I. Et aſſumentes, qui erant de gente, Jechoniam filium Joſiæ, conſtituerunt Regem pro Joſiâ Patre ſuo; cùm eſſet annorum triginta trium: & regnavit ſuper Iſraël menſibus tribus: & amovit eum Rex Ægypti, & conſtituit Joachim fratrem ejus Regem Juda. v. 34, 35, 36, & 37. 773. *D.*

Ex libro TOBIÆ.

VII. Et apprehendens dexteram filiæ ſuæ, dexteræ Tobiæ tradidit dicens &c. v. 15. 1124. *A.*

Ex libro PSALMORUM.

II. Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos. v. 9. 1012. *E.*

Et nunc reges intelligite, erudimini qui judicatis terram: ſervite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. verſ. 10, 11. 967. *E.* 969. *E.*

Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via juſta. v. 12. 967. *A.* 967. *E.*

IX. Et Dominus in æternum permanet: paravit in judicio thronum ſuum, & ipſe judicabit orbem terræ in æquitate, judicabit populos in juſtitia. v. 8. & 9. 1142. *A.*

XVII. Protector meus, & cornu ſalutis meæ. v. 3. 1051. *E.*

XX. Poſuiſti in capite ejus coronam de lapide pretioſo. v. 4. 998. *C.* 1002. *F.*

XXXII. Beata gens, cujus eſt Dominus Deus ejus, populus, quem elegit in hæreditatem ſibi. v. 12. 903. *D.*

XLIV. Specioſus forma præ filiis hominum: diffuſa eſt gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum. v. 3. 803. *A.*

Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime. v. 4. 802. *E.*

Specie tua & pulchritudine tua intende; proſpere procede & regna. v. 5. 803. *B.*

Propter veritatem, & manſuetudinem, & juſtitiam, & deducet te mirabiliter dextera tua. v. 5. 800. *E.*

Virga

Virga directionis, virga regni tui. v. 7. 1812. E.

Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. v. 8. 800. D.

Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate. v. 10. 1016. A.

Et filiæ Tyri in muneribus, vultum tuum deprecabuntur, omnes divites plebis. v. 13. 982. A.

XLVI. Omnes gentes plaudite manibus; jubilate Deo in voce exultationis: quoniam Dominus excelſus, terribilis, Rex magnus ſuper omnem terram. v. 2. & 3. 1090. E.

Speciem Jacob, quem dilexit. verſ. 5. 903. D.

Aſcendit Deus in jubilo, & Dominus in voce tubæ. v. 6. 1095. E.

LXII. In terra deſerta, & invia, & inaquoſa, ſic in ſancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam, & gloriam tuam. v. 3. 924. B.

LXVII. Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & poſteriora dorſi ejus in pallore auri. v. 14. 898. F.

LXVIII. Adverſum me loquebantur qui ſedebant in porta. v. 13. 792. A.

LXXI. Et dominabitur à mari uſque ad mare: & à flumine uſque ad terminos orbis terrarum. Coram illo procident Aethiopes: & inimici ejus terram lingent. Reges Tharſis & Inſulæ munera offerent: Reges Arabum & Saba dona adducent: & adorabunt eum omnes Reges terræ: omnes gentes ſervient ei. v. 8, 9, 10, 11. 956. F. 962. D. 982. D.

LXXVII. Et concluſit in gladio populum ſuum, & hæreditatem ſuam ſprevit. verſ. 62. 903. D.

Et elegit David ſervum ſuum; ſuſtulit eum de gregibus ovium, de poſt fœtantes accepit eum, paſcere Jacob ſervum ſuum, & Iſraël hæreditatem ſuam. v. 70. 71. 903. D.

LXXXVIII. Inveni David ſervum meum: oleo ſancto meo unxi eum. v. 21. 1047. C. 1052. C. 1055. B.

XCVII. Pſallite Domino in cithara, & voce pſalmi; in tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ. v. 5. 1095. F.

CIV. Nolite tangere Chriſtos meos. v. 15. 1035. C.

CIX. Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. v. 4. 798. E.

CXIII. Domus Iſrael ſperavit in Domino, adjutor eorum & protector eorum eſt. verſ. 9. 759. A.

Benedixit domui Iſraël: benedixit domui Aaron. v. 12. 759. B.

CXVII. Dicat nunc Iſraël, quoniam bonus: quoniam in ſeculum miſericordia ejus. verſ. 2. 759. C.

Dicat nunc domus Aaron: quoniam in ſeculum miſericordia ejus. v. 3. 759. C.

CXVIII. Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum. v. 32. 1028. A.

CXXI. Stantes erant pedes noſtri in atriis tuis Jeruſalem. v. 2. 1141. D.

Ex libro PROVERB.

VIII. Per me Reges regnant, & potentes juſta decernunt. v. 15. 810. A.

XVI. Sortes mittuntur in ſinum, ſed à Domino temperantur. v. 33. 829. D.

Ex libro ECCLESIASTÆ.

IX. Omni tempore veſtimenta tua ſint candida. v. 8. 1016. C.

Ex libro CANTICOR.

III. En lectulum Salomonis, ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſraël: omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi: uniuſcujuſque enſis ſuper femur ſuum propter timores nocturnos. 883. B.

Egredimini & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater ſua, in die deſponſationis ejus & lætitiæ cordis ſui. v. 11. 9. A.

IV. Collum tuum ſicut turris David, quæ ædificata eſt cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. v. 4. 890. F.

VII. Venter tuus ſicut acervus tritici, vallatus liliis. v. 2. 1016. D.

Comæ capitis tui, ſicut purpura regis, vincta canalibus. v. 5. 1017. E.

Ex libro SAPIENT.

XII. Cum quanta diligentia judicaſti filios tuos, quorum parentibus juramenta, & conventiones dediſti bonarum poſſeſſionum? v. 21. 1127. E.

Ex libro ECCLESIASTICI.

XLVII. Cum leonibus luſit, quaſi cum agnis: & in urſis ſimiliter fecit ſicut in agnis ovium, in juventute ſua. Nunquid non occidit gigantem, & abſtulit opprobrium de gente? Contrivit enim inimicos undique, & extirpavit Philiſtiim contrarios uſque in hodiernum diem: contrivit cornu ipſorum uſque in æternum. verſ. 3. 4. 8. 890. E.

XLVIII. Ezechias munivit civitatem ſuam, & induxit in medium ipſius aquam, & fodit ferro rupem, & ædificavit puteum. v. 19. 951. E.

Ex ISAIA.

VI. Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & elevatum: & ea quæ ſub ipſo erant, replebant templum Seraphim ſtabant ſuper illud: ſex alæ uni, & ſex alæ alteri: duabus velabant faciem ejus, & duabus velabant pedes ejus, & duabus volabant. v. 1. 2. 1142. B. 1146. E.

IX. Factus eſt principatus ſuper humerum ejus. v. 6. 1074. B.

XXVIII. In die illa erit Dominus exercituum corona gloriæ, & ſertum exultationis reſiduo populi ſui. v. 5. 993. C.

XLIII. Ne memineritis priorum, & antiqua ne intueamini: ecce ego facio nova, & nunc orientur, utique cognoſcetis ea: Ponam in deſerto viam, & in invio flumina. verſ. 18. & 19. 624. A.

XLV. Hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro. v. 1. 1033. D. 1036. A.

LV. In lætitia egrediemini, & in pace deducemini: montes & colles cantabunt coram vobis laudem, & omnia ligna regionis plaudent manu. v. 12. 1090. F.

LVII. Super montem excelſum & ſublimem poſuiſti cubile tuum; & illuc aſcendiſti ut immolares hoſtias. v. 7. 901. C.

LVIII. Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo ſcelera eorum, & domui Jacob peccata eorum. v. 1. 1100. *D.*
LXII. Et eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui. v. 3. 996. *B.* 1002. *E.*
LXVI. Adducent omnes fratres veſtros de cunctis gentibus donum Domino in equis, & in quadrigis, & in lecticis, & in mulis, & in curribus ad montem ſanctum meum. v. 20. 937. *E.*

Ex JEREMIA.

XIX. Diſſipabo conſilium Juda. v. 7. 778. *C.*
XXXIV. Et iniſtis pactum in conſpectu meo, in domo in qua invocatum eſt nomen meum. v. 15. 1114. *B.*
Et dabo viros, qui prævaricantur fœdus meum; & non obſervaverunt verba fœderis, quibus aſſenſi ſunt in conſpectu meo, vitulum quem conciderunt in duas partes, & tranſierunt inter diviſiones ejus. 1119. *B.* 1133 *F.*
Principes Juda & Principes Jeruſalem, & Eunuchi, & ſacerdotes & omnis populus qui tranſierunt inter diviſiones vituli. v. 18. 19. 1134. *D.* 1136. *A.*

Ex EZECHIELE.

I. Et ſuper firmamentum, quod erat imminens capiti eorum, quaſi aſpectus lapidis ſapphiri ſimilitudo throni: & ſuper ſimilitudinem throni, ſimilitudo quaſi aſpectus hominis deſuper. v. 26. 1146. *F.*
XVII. Et tollet de ſemine regni, ferietque cum eo fœdus, & ab eo accipiet juſiurandum. v. 13. 1128. *B.*
Et judicabo eum ibi, in prævaricatione qua deſpexit me. v. 20. 1130. *D.*
XX. Et dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: in die qua elegi Iſraël, & levavi manum meam pro ſtirpe domus Jacob; & apparui eis in terra Aegypti, & levavi manum meam pro eis dicens: Ego Dominus Deus veſter. In die illa levavi manum meam pro eis, ut educerem eos de terra Aegypti. v. 5. & 6. 1131. *B.*
XXI. Tu ergo, fili hominis, propheta, & percute manu ad manum. Quin & ego plaudam manu ad manum, & implebo indignationem meam. v. 14. & 17. 1087. *E.*
Tu autem prophane, impie dux Iſraël, cujus venit dies in tempore iniquitatis præfinita: hæc dicit Dominus Deus: Aufer cidarim, tolle coronam. v. 25. & 26. 1002. *D.*
XXIII. Sediſti in lecto pulcherrimo, & menſa ornata eſt ante te; thymiama meum, & unguentum meum poſuiſti ſuper eam. v. 41. 1058. *B.*
XXV. Ecce ego extendam manum meam ſuper Palæſtinos, & interficiam interfectores, & perdam reliquias maritimæ regionis. 853. *C.*
XXXI. In medio incircumciſorum dormies cum eis, qui interfecti ſunt gladio. v. 18. 901. *B.*

Ex libro Minorum Prophet.

Oſee VIII. Projecit Iſraël bonum, inimicus perſequetur eum: ipſi regnaverunt, & non ex me: Principes extiterunt, & non cognovi. v. 3. & 4. 810. *A.*
IX. Scitote Iſraël ſtultum prophetam, inſanum virum ſpiritualem. v 7. 1077. *E.*
Amos VI. Numquid non in fortitudine noſtra aſſumpſimus nobis cornua? v. 14. 1051. *E.*
Nahum III. Non eſt obſcura contritio tua, peſſima eſt plaga tua: omnes qui audierunt auditionem tuam, compreſſerunt manum ſuper te. v. 18. 1087. *D.*
Sophon. I. Viſitabo ſuper Principes, & ſuper filios Regis, & ſuper omnes, qui induti ſunt veſte peregrina. v. 8. 1015. *E.*
Zach. III. Ponite cidarim mundam ſuper caput ejus: & poſuerunt cidarim mundam ſuper caput ejus. v. 5. 995. *F.*
VI. Et ſumes aurum, & argentum, & facies coronas, & pones in capite Joſedech Sacerdotis magni. v. 11. 1000. *A.*

Ex libro primo MACHAB.

III. Quia locus orationis erat in Maſphath. v. 46. 789. *A.* 1114. *C.*
VI. Et Rex Antiochus perambulabat ſuperiores Regiones: & audivit eſſe Elimaidem civitatem in Perſide nobiliſſimam, & copioſam in argento & auro, templumque in ea locuples valde, & illic velamina aurea, & loricæ, & ſcuta, quæ reliquit Alexander Philippi, Rex Macedo. v. 1. & 2. 892. *B.*
Et ut refulſit ſol in clypeos aureos, & æreos, & reſplenduerunt montes ab eis, & reſplenduerunt ſicut lampades ignis. v. 39. 889. *E.*
XIV. Poſt hæc autem miſit Simon Numenium Romam, habentem clypeum aureum magnum, pondo minarum mille, ad ſtatuendam cum eis ſocietatem. v. 24. 890. *B.*

Ex Euangelio MATTHÆI.

V. Ego autem dico vobis, non jurare omnino, neque per cœlum, quia thronus Dei eſt; neque per terram, quia ſcabellum eſt pedum ejus. v. 34. & 35. 1130. *B.*
VI. Dico autem vobis, quod neque Salomon in omni gloria ſua, veſtitus eſt ſicut unum ex iſtis. v. 29. 1015. *E.*
XXVII. Tunc milites præſidis ſuſcipientes Jeſum in prætorio, congregaverunt ad eum univerſam cohortem: & exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei: & plectentes coronam de ſpinis, poſuerunt ſuper caput ejus, & arundinem in dextera ejus, & genu flexo ante eum, illudebant ei dicentes: Ave Rex Judæorum. Et expuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput ejus. v. 27. 28. 29, 30. 968. *A.* 974. *B.*

Ex Euangelio MARCI.

XV. Milites autem duxerunt eum in atrium prætorii, & induunt eum purpura, & imponunt ei plectentes ſpineam coronam, & cœperunt ſalutare eum. v. 16. 17. & 18. 956. *C.*
Ave Rex Judæorum, & percutiebant ſuper caput ejus arundine, & conſpuebant eum, & ponentes genua adorabant eum. v. 18. & 19. 968. B. 982. *F.*

Ex Euangelio LUCÆ.

I. Et poſtulans pugillarem, ſcripſit dicens. v. 63. 1087. *A.*
Jusjurandum, quod juravit ad Abraham patrem noſtrum, daturum ſe nobis. v. 73. 1127. *D.*
X. Deſignavit Dominus & alios ſeptuaginta duos. v. 1. 830. *E.*
XV. Milites autem duxerunt eum in atrium prætorii, & convocant totam cohortem, & induunt eum

eum purpura, & imponunt ei plectentes ſpineam coronam: & cœperunt ſalutare eum: Ave Rex Judæorum. Et percutiebant ſuper caput ejus, & conſpuebant eum; & ponentes genua adorabant eum. 959. *A.*

XVIII. Phariſæus ſtans, hæc apud ſe &c. Publicanus autem ſtans à longe nolebat nec oculos ad Cœlum levare. v. 11, 12, & 13. 1141. *F.*

XXII. Et viri qui tenebant Jeſum, illudebant ei, ſedentes. Et velaverunt eum, & percutiebant faciem ejus, & interrogabant eum dicentes: Prophetiza, quis eſt qui te percuſſit: & alia multa blaſphemantes dicebant in eum. verſ. 63, 64, 65. 958. *F.*

XXIII. Hunc invenimus ſubvertentem gentem noſtram, & prohibentem tributa dari Cæſari, & dicentem ſe Chriſtum Regem. v. 2. 959. *E.*

Tu es Rex Judæorum? v. 3. *Ibid.*

Ex Euangelio JOANNIS.

V. Scrutamini Scripturas, quia illæ teſtimonium perhibent de me. v. 39. 967. *B.*

XVIII. Accipite eum vos, & ſecundum legem veſtram judicate eum. v. 6. 775. *D.*

Ex libro Act. APOST.

I. De Juda, qui fuit Dux eorum, qui comprehenderunt Jeſum: qui connumeratus erat in nobis, & ſortitus eſt ſortem miniſterii hujus. verſ. 16. 830. *C.*

Et orantes dixerunt: Tu Domine, qui corda noſti omnium, oſtende, quem elegeris ex his duobus unum. v. 24. 828. *E.*

INDEX RERUM,

Verborum, & Sententiarum:

Quæ in hoc Sacrorum Elæochriſmatωn Myrothecio triplici notatu digna viſa ſunt.

A

Aaron *moriturus, dum montem Hor aſcenderet, ſanctis & Pontificalibus veſtibus nequaquam veſtitus erat.* 722. E.

Aaronitæ *ab hæreditate Iſraëlitarum reliquorum excludebantur.* 371. C.

Abiathar *non à Rege, ſed à Collegio ſacerdotum depoſitus oſtenditur.* 1069. E.

Abiathar *cur à Salomone ſacerdotio dejectus.* Ibid. F.

Abimelech *Rex Geraris non pellicem; ſed uxorem volebat Saram.* 250. C.

Abimelech *extra urbem Sichem Rex inauguratur.* 947. B.

Abluebantur *Judæi quoties prandendum eſſet.* 161. A.

Abneris *auctoritas in electione Isboſeth aperitur.* 786. E.

Abradates *Suſorum Rex, lineo thorace indutus.* 1024. F.

Abraham *purificationibus, & luſtrationibus operam dabat.* 148. A.

Abraham *ſanguine victimarum fœdus firmavit cum Abimelech.* 1116. A.

Abſalon *cur oſcularetur; qui ad eum acceſſiſſet.* 964. B.

Abſalon *proceres Reipub. ac duces Militiæ ſubvertere conabatur in ambitu Regni.* 781. D.

Abſalon *velociſſimo vectus mulo, in fuga, ſuſpenſus quercui remanſit.* 940. B.

Abſalon, *cur in Hebron Rex acclamari voluerit.* 950. C.

Abſaloni *acclamatum fuit per reſpectum ad Regnum futurum.* 1085. D.

Abſtractum *pro concreto in ſcripturis ſacris ſæpe ponitur.* 268. B.

Abulenſis *ſententia de oleo parando ad uſum candelabri rejicitur.* 19. D.

Accaronitæ *percuſſi ſunt, quia irreverenter ſacra utenſilia tractarunt.* 82. F.

Accentus *hebraici, qua ratione latinæ punctuationi reſpondeant.* 326. F.

Acclamatio *in favorem Principis interdum præcedebat ſalutationem; interdum eandem ſubſequebatur.* 1078. F.

Acclamabatur *apud Romanos novo Principi, quando Congiarium dabatur.* 1081. B.

Acclamatio *magiſtratum ineunti, ex conſuetudine debebatur.* Ibid.

Acclamatio, *aſſentationis gratia exordium ſumpſit.* 1079. A.

Acclamatio *fiebat ad bona precandum Principi.* Ibid. B.

Acclamatio *iterabatur pluries in aſſumptione alicujus ad Magiſtratum.* 1080. B.

Acclamatio *fiebat alicui novo Principi, ad notam aſſenſus.* Ibid.

Acclamatio *in Regis inauguratione quando haberetur.* 1181. B.

Acclamatio, *apud Romanos diſtinguebatur ab adoratione.* 1083. A.

Acclamatio *non habebat conceptam verborum formam.* Ibid. B.

Acclamatio *modulatè, & compoſitè à populo habebatur.* 1081. D.

Acclamatio *quibus aliquando verbis fieret à Romanis.* 1083. C. 1084. C. 1085. A.

Acclamatio *novo Principi cum execratione anteceſſoris fiebat.* 1083. D.

Acclamatione *duplici Regia inauguratio à populis proſequebatur.* 1078. E.

Acclamationem *inter ſeria habuiſſe Iſraëlitas, probatur.* 1080. *D.*

Acclamationes, *quaſi jure debitas, Imperatores ſibi reſervarunt.* 1079. D.

Acclamationis *forma apud Iſraëlitas.* 1084. E.

Acclamatio, *quæ Regnum futurum reſpiciebat.* 1085. D.

Acclamationum *antiquitas.* 1079. E.

Accumbentes *in ſtratis cœnaturi ſoleas deponebant.* 161. E.

Acerra *arcula thuraria appellabatur apud Romanos.* 538. B.

Acetabula *in menſa cur ſic dicerentur.* 490. E.

Acetabula *ſacra, erant vaſa in Moſaicis ad uſum ſimilæ.* 491. D.

Acetabulum *catinum dici poteſt.* 493. B.

Acetabulorum *nomine ſalinum ſignificari poſſe conjectatur.* 494. B.

Achæina *panis genus, in Cereris honorem oblatum apud Græcos.* 486. D.

Achæmenius *primus Perſarum Rex.* 352. F.

Achaz *cur altare Hieroſolymitanum immutari juſſerit.* 690. D.

Achillis *ſcutum quam præclarè effinxerit Homerus.* 895. C.

Adolendi *verbi vis & ſignificatio.* 318. E.

Adolere *ab oleo etymon accipit.* 10. A.

Adonias *Regnum affectans, Curiam ſibi conſcripſerat.* 1050. A.

Adonias *cur ſaltem oleo communi Rex inauguratus non fuerit.* 1053. B.

Adoniæ *Regnum affectanti cur nullus adfuerit Propheta.* 817. C.

Adoniæ *cur acclamatum aliter fuerit, quam Abſaloni.* 1086 A.

Adoniæ *maxima pars Davidicæ Curiæ aſſentiebatur.* 1049. E.

Adonias *in ambitu Regni Iſraëlitici digniores ex Repub. aggregare conabatur.* 782. D.

Adonias *Regnum Salomoni cedere cogitur: quòd Regio ſatellitio minimè ſtiparetur.* 851. B.

Adonias *cur ad Lapidem Zohelet inauguratus fuerit.* 950. C.

Adonias *quo in loco, inaugurationis epulum habuerit.* 953. E.

Adonias *Regno excluditur, quòd ſacræ inaugurationis oleum ei defuerit.* 1049. D.

Adonias *jure primogenituræ Davidi ſuccedebat in Regnum.* 1085. F.

Adonias *Regni ſucceſſionem ſibi apparans, convivio Proceres excepit.* 1152 C.

Adorandi *verbum qua ratione derivetur.* 955. D.

Adorandi *vetus cæremonia per oſculum.* 960. F.

Adorandi *principem ritus.* 962. C.

Adorare, *quid ſit.* 960. C.

Adoratio *quibus vocibus dicatur à Latinis, Græcis, & Hebræis.* 955. F.

Adoratio *quaſi odoratio dicta videtur.* 318. E.

Adoratio *quaſi neceſſario jungebatur aſſumptioni alicujus ad Principatum.* 956. B.

Adoratio *Deo debita, qualiter diſtinguatur ab ea, quæ Principibus exhibebatur.* Ibid. D.

Adoratio *Deo debita, qua voce ab Hebræis dicatur.* Ibid. E.

Adoratio *Principis, venerationis vocabulo ſignificatur.* 957. A.

Adoratio *genuflexione in Principe ſalutando comitabatur.* 960. C.

Adoratio *Principis, conſalutatio dicebatur.* 955. E.

Adoratione, *Principatus alicui ominabatur.* 957. D.

Adoratione, *aſſenſus in Principatum alicujus oſtendebatur.* 958. A.

Adorationis *vox pro ſalutatione ponitur apud veteres.* 956. D.

Adorationis *verba in Principe adorando explicantur.* 972. B.

Adorationis, *& acclamationis forma novo magiſtratui, eadem apud Iſraëlitas.* 1085. C.

Adulatio *ſalutationes quotidianas pares facit ſalutationibus, quæ Principi exhibebantur.* 965. C.

Ægypti *ſine aqua, ſacram pompam non celebrabant.* 542. B.

Ægyptio *unguento in potu veteres delectabantur.* 212. E.

Ægyſtus *paternos Manes placaturus, à præciſione pilorum ſacrificium exorditur.* 1123. B.

Ælii *Cæſaris luxus, qui in unguentis & roſis jacebat cum concubinis.* 79. F.

Æneas *munera Pico Latinorum Regi mittit.* 879. B.

Æneum *vas aquarum in Templo poſitum, Mare Æneum dicebatur.* 925. F.

Æquimelium *quid fuerit Romæ.* 416. B.

Ærea *fuerunt altaria omnia Iſraëlitarum, ſi de altari propriè loquatur.* 611. E.

Æris *ſignandi inventum Jano tribuitur.* 301. B.

Æropus *Macedoniæ Rex lucernulas fabricabat, cum vacaret.* 22. B.

Æs *grave dicebatur à pondere monetæ.* 298. B.

Æs *grave curribus in ærarium ducebatur.* ibid. D.

Æſculapio *Veteres cur divinos honores dederint.* 912.

Æthiopes *Regnum deferunt pulcherrimo, & pugnaciſſimo.* 803. D.

Agamemnon *ſacra faciebat pro Græcis.* 796. A.

Agamemnon, *ſacris interpoſitis, ſe à contactu Briſeidis abſtinuiſſe probat.* ibid. D.

Agamemnon *ab aſpectu, cæterorum Rex adjudicatur.* 801 C.

Agamemnon *oratores mittit ad Achillem ne ſua opera Græcis deſit.* 854. E.

Agrippina, *ut Imperium traderet Neroni filio, Claudium virum interfecit.* 784. D.

Alabaſtrum *unguentarium, & Onyx idem Dioſcoridi.* 232. E.

Alabaſtrum *aliquando ſine* ę *à Græcis ſcriptum.* 238. C.

Alabaſtri *ſolius nomine vas unguentarium ſignificatur.* ibid. 242. B 243. A.

Alabaſtrum *quare ſic dictum fuerit.* 238. E.

Alabaſter *inter gemmas recenſetur.* 239. A.

Alabaſtri *ſolius nomine præſtantiſſimum unguentum indigitatur.* 239. C.

Alabaſtri *unguentarii forma explicatur.* 240. A.

Alabaſtrum *potorium vas aliquando.* 241. F.

Alæ *anteriores Cherubinorum Arcæ, divini ſolii ſedile formabant; poſterioribus ſedentis tergum innitebatur.* 449 F. 476. D.

Alapa, *explicata manu infligitur.* 271. B.

Alexander *Magnus Græcorum Manibus, qui apud Ilion occubuerant, unctus parentavit.* 80. C.

Alexander *Macedo templum in Perſide, hoſtium ſpoliis ornaverat.* 892. A.

Alexander *Macedo Diademate vulnus Lyſimacho alligavit.* 986. F.

Alexander *in balnei calore febricitans decubuit.* 181. C.

Alexandri *Magni de Perſis victoria apud Iſſum celebris fuit.* 79. A.

Alienæ *Religionis uſus nunquam permiſſus ab Iſraëlitis.* 859. F.

Alienorum *vocabulo, quinam in ſacris Scripturis intelligantur.* 1043. A.

Altaris *thymiamatis ſupellex quænam eſſet.* 412. B. 535. A.

Altaris *holocauſti utenſilia quæ fuerint.* 412. C.

Altaria *Moſaica prius ſuis in locis ſtatuta, quam conſecrata fuere.* 454. B.

Alta-

Altaria *manu tenebant Ethnici cum libarent.* 501. B.
Altaris *aurei nomina.* 530. D.
Altare *holocauſtorum apud Ethnicos thymiaterium aliquando dictum.* 531. B.
Altare *aureum thymiaterium dici poteſt.* ibid. C.
Altari *thymiamatis, craticula non eſt concedenda.* 533. B.
Altaris *thymiamatis forma auctoris.* 534. B. & C.
Altaris *nomen hebraicum conſideratur.* 577. E.
Altaris *aurei, & holocauſtorum nominum diſcrimen.* ibid. F.
Altare *unde dicatur.* 578. A.
Altaria *variarunt Ethnici ad Numinum differentiam.* 578. B.
Altarium *ab aris diſtinctionem Ethnici ab Hebræis acceperunt.* 579. B.
Altarium *portatilium a ſtabilibus diſtinctio.* 585. D.
Altaria *Ethnicorum, quæ formam ſervant titulorum, potius tituli, quam altaria ſunt appellanda.* ibid. E.
Altaria *fœderum cauſa erigebantur, quoties ferienda, & firmanda fœdera fuiſſent.* 586. E.
Altare *cur tranſito Jordane erigi Deus juſſerit.* 588. B.
Altaria *communis Religionis cauſa erecta.* 590. D.
Altare *erectum in Carmelo ante Eliam amicitiæ fuiſſe conjectatur.* 591. F. 592. E.
Altare *erectum in Carmelo ante Eliam ſacrum erat.* 592. A.
Altaribus *nomina imponebant Iſraëlitæ.* 593. D.
Altare *ab Elia erectum communis religionis & amicitiæ dicitur.* 594. B.
Altare *erectum à Gadditis & Rubenitis in ripa Jordanis, communis religionis & amicitiæ altare fuit.* 591. B.
Altare *lapidem primum ab Eſdra excitatum fuit.* 595. C.
Altaria *lapidea qua ratione ab Iſraëlitis excitarentur.* 596. A.
Altaria *ruſtica ex lapideis tabulis excitata cenſentur.* ibid. A.
Altaris *ruſtici Ethnicorum forma.* 597. C.
Altaria *duodecim erecta fuiſſe oſtenditur, cum fœdus firmaretur in Oreb.* 599. B.
Altaria *domeſtica Ethnicorum erant parva.* 600. A.
Altarium *Ethnicorum forma multiplex fuit.* ibid.
Altare, *ara, & titulus diſtinguuntur.* 601. A.
Altarium *quæ tituli dicuntur, forma qualis eſſet.* 600. C.
Altaria *ſtabilia in templis Ethnicorum vacua erant.* 602. E.
Altaria *ſtabilia Romanorum ſuperius planum excavatum habebant.* ibid.
Altare *altum & ſublime, cur Rubenitæ, & Gadditæ erexerint in ripa Jordanis.* 604. E.
Altare *in templo Salomonis decem cubitos erat altum.* 605. B.
Altare *abuſive quid aliquando dicatur.* 606. A. 607. E. 620. F.
Altare *proprie dicitur, totius ædificii & ſubſtructionum, pars eminentior ſupra ſubſtructiones.* 606. C.
Altare *Moſaicum uſque ad tempora Salomonis & ultra ſtetit.* 607. F.
Altari *Moſaico Salomon in templo utebatur.* ibid.
Altare *Moſaicum vacuum erat.* 611. F.
Altaria *Iſraëlitarum ſemper fuere vacua.* 612. B.
Altaris *Salomonici typus.* 614.
Altare *Salomonis, ab altari Ezechielis diverſum erat.* ibid.
Altaris *Herodiani ſtructura magnificentiſſima.* 616. B.
Altare *proprie ſic appellatum numquam erexerunt Iſraëlitæ ultra tres cubitos altitudinis.* 621. B.
Altaris *Ezechielis cum gradibus typus.* 622. B.
Altaria *Ethnicorum portatilia tripodes appellabantur.* 625. B.
Altaria *ex ſculptis lapidibus excitare vetitum Iſraëlitis:* 628. A.
Altare *Moſaicum lapidibus impleri ſolitum, falſo aſſeritur.* ibid. F.
Altaris *Moſaici menſura.* 629. A.
Altare *totum aliquando ex cornibus.* 635. A.
Altaris *Moſaici verus typus.* 634. D.
Altare *conſecrabatur ſeptem dierum ſpatio.* 636. B.
Altare *una cum Tabernaculo, & reliquis utenſilibus conſecratum fuit.* 638. C.
Altaris *duplex dedicatio Abulenſis rejicitur.* 637. B.
Altaria *erecta, fabricata, & conſtituta dicuntur pro conſecrata.* 642. C.
Altaria *non omnia, cultus cauſa erecta fuerunt.* 643. E.
Altaris *expiatio fiebat ſanguine vituli, hirci, & arietis.* 646. B.
Altaris *parietes ſanguine expiabantur in ejus conſecratione.* 654. E.
Altitudo *cortinarum, quæ atrium Tabernaculi cingebant.* 685. C.
Alypterium *quem locum haberet in thermis.* 183. A.
Alypterium *in balneis cella erat aliquando à reliquis diſtincta.* 184. C.
Alypteria *cellæ dicebantur ad unctionis uſum.* 168. A. 169. A.
Alypterii *& Elæotherii diſcrimen.* 168. B.
Alypterium *unde diceretur.* ibid. C.
Alyptæ *erant medici unctuarii.* 170. D.
Alyptæ *unguentis infirma etiam corpora curabant.* 169. F.
Alyptarum *inſolentia in balneis.* 170. A.
Amalechites *Sauli armillam abſtulit.* 1007. B.
Aman *tyrannidem contra Aſſuerum meditatum, ſcribunt aliqui.* 931. E.
Amaracum *quodnam genus eſſet plantæ.* 256. D.
Amaracus *fuit puer, qui unguenta deferens, lapſu ſuo, & commixtione eorum ſuaviſſimum effecit unguentum ejus nominis.* ibid.
Amaraci *planta mulieribus gratiſſima.* 256. D.
Amaraco *coronabantur conjuges.* 257. A.
Amaracinum *unguentum, quam præſtantiſſimum eſſet.* ibid. B.
Ambroſiæ *nomine lilium aliquando dictum fuit.* 187. B.
Amen, *eſt adverbium confirmantis ea quæ ſunt in voto.* 954. D.
Amen, *habet vim juramenti.* 1127. E.
Amon *Rex Iſraël occiditur à propriis militibus.* 773. E.
Amomum *diſtinguitur a cinnamomo.* 337. A.
Ampullas *inter olearia vaſa reponendas eſſe monſtratur.* 227. B.
Ampullæ *oleariæ Latinorum idem omnino erant cum lecythis Græcorum.* ibid. E.
Ampullæ *oleariæ à pixidibus diſtinguebantur.* 228. D.
Ampullæ *oleariæ forma aperitur.* 230. B.
Anchuſa *in compoſitione unguentorum cur adhiberetur.* 108. A.
Ancyranus *lapis perobſcurus explicatur.* 980. C.
Anguli *crepidinis majoris ſanguine expiabantur in conſecratione altaris.* 654. C.
Anguli *altaris tam interiores quam exteriores, qua voce hebraicè ſignificentur.* 665. B.
Angelus, *qui Eliam fugientem à Jezabele ſuccurrit, aquam illi attulit, non vas.* 224. F.
Anhelo *pro expeto Martiali.* 235. C.
Anima *juxta phraſim ſacrarum Scripturarum totum hominem dicit.* 395. D.
Animalia *irrationalia ex eo, quod caſtrentur, nil remittunt de ferocitate, aut animi generoſitate.* 907. A.
Animalia *quædam Reipublicæ quandam formam retinent.* 756. F.
Animalia, *quæ gignuntur ex duabus ſpeciebus, patris naturam ſequuntur.* 941. B.
Animi noſtri *jucunditas, duplici vocabulo à Latinis explicatur.* 112. A.

Ana non mulos in Deſerto, ſed congregationem aquarum reperit. 912. F. 920. F.
Anam mulos reperiſſe in Deſerto, cur putaverint Rabbini. 913. A.
Animus regius cognoſcitur à militari peritia, & decore. 802. D.
Annuli craticulæ, quæ in altari Moſaico cernebantur, non erant ad uſum vectium. 633. A. ibid. D. 666. F.
Annulorum uſus ad tollendam craticulam, & ad purgandum altare erat. 668. F.
Annulorum in craticula ſitus. 666. E.
Annulorum craticulæ, locus erat in altaris plano ſuperiori 667. F. 669 A.
Antoninus erga Deos, & Alexandri Magni ſepulcrum religioſus. 1015. B.
Apices ſacrarum litterarum ſunt attendendi in illarum expoſitione. 913. E.
Apollinis altare in Orthygia ex ſolis cornibus excitatum. 634. B.
Aqua & oleum quam diverſa operentur in humano corpore. 171. B.
Aquam pedibus convivantium pueri miniſtrabant. 207. D.
Aqua tantum purificabantur Judæi ab immunditiis legalibus. 149. C. 155. B.
Aqua eadem in balneo uti, amicitiæ, ac fidei ſymbolum erat. 150. A. ibid. D.
Aqua pura non niſi ex puro defluit, adagium. ibid. B.
Aqua interdicebatur flagitioſis, non quidem ad potum, ſed ad ablutionem. 151. A.
Aqua pedibus dabatur ſtatim ac cœnaculum ingrediebantur. 163. A.
Aquam pedibus accumbentium pueri laſciviores miniſtrabant. 162. E.
Aqua pedibus non porrigebatur, niſi illorum qui jam loti fuiſſent 161. C. 165. C.
Aqua & ignis luſtrationis præcipua capita. 433. B.
Aquæ ad mundandum homines tres erant apud Iſraëlitas. 434. A.
Aqua expiationis quænam diceretur ab Iſraëlitis. ibid. C.
Aqua labri ad manus tantum, & pedes abluendos erat, non ad legalem purificationem. 434. D.
Aquam ad luſtrandam aream in Maſphat Iſraëlitæ hauſiſſe dicuntur. 441. D.
Aqua luſtrari tenebantur, qui ſacris operam dabant, & Deo mancipandi fuiſſent. ibid.
Aqua libatum aliquando in ſacris. 497. B.
Aquam luſtralem habebant Ethnici. 542. B.
Aqua non communi, ſed ſingulari Ethnici in luſtrationibus utebantur. 545. C.
Aqua puriſſima in ſacris Cereris, Græci utebantur. 547. E.
Aqua Calithois ſacra erat apud Athenienſes. 546. F.
Aquam Juthurnæ, ſolum tetigiſſe in ſacris Veſtalibus, piaculum erat. 545. D.
Aqua ſalis commixtione dulcis efficitur. 422. F.
Aquarum aſperſione, labes tolli putabatur. 698. D.
Aqua communi fiebant communes luſtrationes. 689. B.
Aqua naturalis ex vena erumpens cenſebatur luſtrationi apta. ibid. D. 692. E.
Aqua marina luſtrationibus aptiſſima Ethnicis. 689. E.
Aqua labri abluebantur manus, & pedes Sacerdotum, quoties Sanctuarium ingreſſuri fuiſſent, non quando offerebant ſacrificia. 692. A.
Aqua labri non erat ad tollendam legalem immunditiam. ibid. C.
Aquarum de cauſa in deſerto jurgati ſunt paſtores Abraham, & Abimelech 924. D.
Aquas in deſerto reperiſſe, commendatione eſt dignum. 922 D.
Aquas excitaſſe in deſerto, ad miraculum cenſebatur. 923. E.
Aquis ſalſedo eſt in deſerto connaturalis. 925. B.
Aquila aurea Romanorum habebat in caſtris ſacellum. 448. B.
Aram in littore ædificarunt Græci & Trojani. 690. C.
Ara tauroboliata quæ diceretur. 652. C.
Ara, altare, & titulus diſtinguuntur. 601. A.
Ara erat foculus in nuda humo. 578. C.
Aræ duæ Diis in comœdiis & tragœdiis ponebantur. 579. A.
Ara heroidibus in humo collocabatur. 580. D.
Ara maxima Herculi dicata Romæ habebatur. 584. A.
Ara Deo vero dicata, propriè altare dici poteſt. ibid. E.
Aræ, fœderum de cauſa erectæ, integræ tranſacto fœdere ſervabantur. 1112. C.
Aras manu tenebant, qui fœderabantur. 893. C.
Arabes de licentia Numinis tantum cinnamomum colligebant. 339. B.
Arabes calamum aromaticum optimum habent. 344. B.
Arulæ nomine, quid veniat in ſtructura altaris Moſaici. 629. F. 630. A.
Arbores quæ oleum gignunt. 13. E.
Arbores oleaginoſæ, olei ac pinguedinis arbores in ſacris litteris appellantur. 291. B.
Arca prius in Tabernaculo collocata, quam conſecrata fuit. 425. F. 454. B.
Arca in Sanctum Sanctorum collocata fuit: 460. F.
Arca ſacra, cur arca appellaretur. 462. E.
Arcæ ſacræ varia epitheta. ibid.
Arca ſacra à ſolis Sacerdotibus videri poterat. 463. B.
Arca propriè appellabatur pars illa, quæ ſub pedibus duorum Cherubin poſita erat. ibid. C. 466. E.
Arcæ ſacræ vera forma, ad inſtar ſolii Imperatorii figuratur. 468. A.
Arca erat ſedes, & tribunal divinæ loquutionis. ibid. C.
Arcæ Cherubini ſex alas habebant. 470. E.
Arcæ ſacræ vera forma de mente Auctoris. 473. C.
Arca ſacra luſtrata, ſanguine expiata, & demum oleo conſecrata fuit. 476. B.
Arca ſacra præcedebat Iſraëliticum exercitum in profectione. 572. F.
Arca fœderis in arce Davidica, in proprio Tabernaculo ſervabatur. ibid.
Arca fœderis in Galgala erat, quando Saul Rex inauguratus fuit. 948. A.
Area dicitur locus ſpatioſus, & planities aperta. 415. B.
Area ſignificatur locus Tabernaculo erigendo accommodatus. ibid. C.
Area adjungebatur ædificiis à parte anteriori. 416. A.
Area decernebatur antequam ædificia ſacra erigerentur. ibid. D.
Aream Iſraëlitæ deſignabant, ante ſacrarum ædium erectionem. 417. D.
Area ante erectionem Tabernaculi deſignabatur. 418. C.
Area cortinis circumdabatur. ibid. D.
Area in qua erectum fuit Tabernaculum, in eadem etiam conſtructum. 421. D. 422. B. 423. C.
Area complananda fuit in erectione Tabernaculi. 422. C.
Area in qua erigendum fuit divinum Tabernaculum, communi aqua luſtrata fuit. 435. B. 438. C.
Aream luſtrabant Ethnici, ſacrorum de cauſa. 435. C.
Aream ingredi Tabernaculo jam erecto Sacerdotibus tantum licebat. 436. D.
Area pro Dei Tabernaculo prius luſtrata fuit, quam ibi Tabernaculum erectum. 438. D.
Argivi tributum pendebant Theſeo Athenarum Regi. 1112. D.
Argonautæ navigaturi Colchos, Imperatorem prius eligunt. 766. F.
Argonautæ Jaſonem elegerunt in Principem. 780. A.
Ariana ſpinæ genus, ex qua Sole illuceſcente ſtillant lacrymæ, myrrhæ ſimiles. 14. B.
Ariel propheta Ezechielis quid ſignificet. 609. F.
Arielis nomine, crepido ſuperior ab Ezechiele ſignificatur. 610. C. 611. A.

Arielis *nomine altare ſignificari non poteſt.* 610. E.
Armillæ, *Iſraëlitici Regis præcipuum quoddam ornamentum.* 1005. F.
Armilla, *militare ornamentum præcipuum.* 1006. B.
Armilla *pro egregio aliquo facinore militibus concedebatur.* 1006. B.
Armilla *hebraice qua voce dicatur.* 1008. D.
Armilla, *etiam apud Hebræos militare ornamentum erat.* ibid.
Armilla *fuit brachii ornamentum.* ibid.
Armilla, *dicitur ab armo, quod eſt brachium.* ibid. E.
Armilla, *circularis erat formæ.* 1009. C.
Armilla *quanti fieret apud Iſraëlitas.* 1007. A.
Armillæ *etymologica ratio.* ibid. C.
Armillæ, *quibus vocibus à Græcis nominentur.* ibid. D. & E.
Armillæ *forma, conciſæ peripheriæ fuit.* 1010. B.
Armillæ *forma ex nummo antiquo, & lapide.* ibid. B. & C.
Armillam *quis Galbeum dixerit.* 1007. C.
Armillis *donabantur tam equites, quam pedites apud Romanos.* 1006. E.
Armorum *varia genera ad levem, & gravem armaturam recenſentur.* 905. F.
Armus, *quodnam corporis membrum dicatur.* 1007. B. 1008. E.
Aroma *& oleum pari paſſu incedunt in ſacris apud Iſraëlitas.* 11. D.
Aromata *vino commiſcuerunt veteres ad potum.* 210. E.
Aromatibus *vectes, ſtragulas, & alia ſuffumigare mulieres conſueverunt.* 257. F.
Aromatarii *alicujus exiſtimationis fuere apud Romanos.* 85. B.
Aromatarius *dicitur, qui negotiatur in aromatibus.* 98. D.
Aroma *illud in componendis unguentis poſtremo adjicitur, cujus odor in compoſitione illa retineri debet.* 109. C.
Aromata *pro componendis unguentis maceratione, aut tunſione parari debent.* ibid. B.
Aromatum *pulverizatorum uſus apud mulieres.* 254. E.
Aromatibus *cutem conſpergebant mulieres.* 253. C.
Aromatum *pretium, quæ Conſecrationis unguentum componebant.* 294. B.
Aromata *pro ſacro unguento componendo coquebantur.* ibid. D.
Aromata *ad unguentum componendum alia quaſſabantur, alia in pulverem redigebantur.* 295. A.
Aromata *thymiamatis, cujus generis eſſent.* 321. B.
Aromatum *excellentia, quibus oleum Conſecrationis componebatur.* 323. B. 326. A.
Aromata *ſacri unguenti unico olei Hin commaſſabantur.* 360. A.
Aromata *oleo commiſcentur, ut vim odoratam illi communicent.* 360. D.
Ars *componendorum unguentorum duplex.* 106 D.
Artaxerxes *ditavit quemdam, qui utriculum aquæ ei in deſerto ſitienti porrexit.* 922. D.
Artaxerxes *veſtem auream Tyribazo donavit; ſed ferre vetuit.* 1013. E.
Artaxerxes *in templo bellatricis Deæ fuit inauguratus.* 1032. F.
Artarxerxis *quotidiana veſtis quàm præclara.* 1013. F.
Arte *Myropolica oleum ſacrum Conſecrationis componendum fuit.* 365. E.
Artifices *Tabernaculi cogebantur experiri aliquando, an ad regulas artis illius partes eſſent factæ.* 421. B.
Artium *diverſa munera, in fabrica Tabernaculi requirebantur.* 423. C.
Aruſpicinæ *vocabulum unde ſumptum.* 819. C.
Aruſpicinam *neceſſariam in Repub. cenſuit Cicero.* ibid. F.
Aruſpicum *munus erat, hoſtiarum exta inſpicere.* ibid. D.
Aſinorum *genus duplex, domeſticum & ſylveſtre.* 940. E.
Aſini *cur dicantur ſubjugales in ſacris Litteris.*
Aſperſio *duplex in ſacris Iſraëlitarum.* 434. E.
Aſperſorii *Ethnicorum, & Iſraëlitarum forma.* ibid. F.
Aſperſorio *utebantur Iſraëlitæ tantum in aqua expiationis.* 435. A.
Aſperſio *ſanguinis digito fiebat.* 656. E.
Aſperſio *qua ratione digito fieret in expiatione altaris.* 657. D.
Aſperſio *ſeptenaria ſanguinis, in altaris expiatione quomodo fieret.* 658. B.
Aſperſione *olei ſacri, altare conſecrabatur.* 660. C. 661. B.
Aſpergebantur *ſanguine parietes altaris in Sacerdotum conſecratione.* 710. C.
Aſperſione *olei ſanguine commixti veſtes Sacerdotum conſecrabantur.* 712. D.
Aſpergere *quibus verbis hebraicè ſignificetur.* 713. E. 714. C.
Aſpergebantur *digito veſtes ſacerdotales dum conſecrarentur.* ibid. D.
Aſſes *ſcorteos habuiſſe Romanos primis Reipublicæ temporibus, falsò ab aliquibus aſſeritur.* 300. E.
Aſſes *ſcortei, monetæ defectum non convincunt.* 301. A.
Aſſuerus *equum habuit nobiliſſimum.* 931. D.
Aſtyages, *Cyrum Regem futurum ſomniavit.* 845. E.
Aſylum *erat in ſubſtructionibus altaris Salomonici.* 608. D.
Aſylum *Salomonis habebat portas ad excinerandum altare.* 609. A.
Athalia *tyrannice Regnum Iſraëliticum occuparat* 863. C.
Athalia *à Jojada Regno dejecta fuit.* 1067. F.
Athalia *Regnum Judæorum tyrannicè adminiſtravit.* 1083. F.
Athaliæ *Reginæ nefandiſſima ſcelera.* 1084. A.
Athenæus *falſò affirmat lucernam non eſſe antiquum inventum.* 22. B.
Athenienſes *ad Deorum ſtatuas ex olea faciendas, ab Epidauriis illam quæſierunt.* 9. B.
Athenienſes *ſacram Cohortem, Satellitium appellabant.* 847. F.
Athenienſes *magis venerabantur oleam quam oleaſtrum.* 356. A.
Athenienſium *eligendi Principis varietas oſtenditur.* 768. D.
Athletæ *victores quibus plantis coronarentur apud Græcos.* 127. D.
Auctoritas *publica in dedicationibus requirebatur.* 426. A.
Auctoritatem *in ſubditos Principes habent juxta legis limitationem.* 399. A.
Ave *cur præmitteretur reliquis ſalutationum verbis.* 972. E.
Ave, *quid Græcis eſſet.* 973. B.
Ave, *valet idem, quod ſine veh.* ibid. C.
Auguratus *Conſulatui, & Pontificatui maximo aliquando conjunctus.* 190. C.
Auguris *inſigne erat gallus gallinaceus.* 130. F.
Auguraculus *dicebatur locus; in quo auguria capiebantur.* 821. A.
Augurandi *artem, qua ratione excogitarint veteres.* 820. D.
Augures, *avium garritus ac vias obſervabant.* ibid. B.
Augures *in ſuis obſervationibus ſedebant; ac precabantur.* ibid. D.
Augures *varia vocabula ex diverſitate munium habebant.* 821. F.
Augures *in eminenti aliquo loco capiebant auguria.* 827. A.
Auguria *in ſummitate Capitolii* Augures *capiebant.* 821. D. 827. A.
Augurii *capiendi gratia certam habebant viam Romani.* 821. A.

Augurum *ſummus velatus, vitta alba augurium ſumebat.* 827. E.
Auguſta *in templo viri radicem cinnamomi repoſuit.* 338. F.
Auguſti *nomen plenam ſecum ferebat poteſtatem Imperii.* 929. A.
Auguſti *nomen Imperatorio addebatur, ad notam ſummi faſtigii.* 977. C.
Auguſti *nomini proprium apponebatur, cùm Princeps ſalutaretur.* 978. A.
Auguſtum *bis aurum coronarium remiſit.* 980. E.
Aurea *dicuntur aliquando, quæ inaurata tantùm exiſtunt.* 888. F.
Auri *ſignati uſus apud Hebræos, fuit uſque à temporibus Abrahæ.* 303 F.
Auricula *dextera Sacerdotis, ſanguine expiabatur dum conſecraretur.* 706. E.
Auromatarius *ſignificat, Dives in aromatibus.* 85. D.
Aurum *& argentum ſignari quando cœperit.* 302. B.
Aurum *ductile dicitur in Scripturis ſacris aurum ſolidum.* 464. A. 523. A.
Aurum *coronarium quid eſſet.* 980. A. 981. C.
Aurum *coronarium quando Principi offeretur.* 982. A.

B.

BAal *eſt nomen univerſale falſorum Numinum apud Iſraëlitas, ſicut idolum apud Latinos.* 581. D.
Bacchum *cur Veteres Divino honore coluerint.* 912. B.
Balbinus, *& Pupienus, à Senatu Romano Imperatores electi, à Prætorianis deturbantur.* 784. F.
Balneo *ab immunditiis luſtrabantur Iſraëlitæ.* 149. C.
Balneo *eodem uti, amicitiæ ac fidei ſymbolum erat.* 150. A.
Balneo *uti non erat illicitum, maxime ſanitatis, & purificationis cauſa.* 144. B.
Balnea *inter publica ædificia in ornamentum civitatis recenſebantur.* ibid. D.
Balnea *ædificare commendationem maximam apud veteres merebatur.* ibid. E.
Balneorum *ſtudioſiſſimi veteres fuerunt.* 145. C.
Balneo *ſanitatis de cauſa utebantur.* 146. A.
Balneum *unde dicatur.* ibid. B.
Balneo *ſudorem detergebant.* 147. C.
Balneis *Hebræi operam dabant.* 148. A. ibid. E.
Balneis *quibus horis veteres indulgerent.* ibid. B. 184. E.
Balneum *non præſtitiſſe cœnaturo nefas putabatur.* 152. B.
Balneo *detinebantur veteres molliores majore diei parte.* ibid. E.
Balnea *ſub piſcinæ nomine ſignificantur in ſacris litteris.* 159. D.
Balnea *domeſtica plurima domi habuere Iſraëlitæ.* ibid. B.
Balneis *domeſticis Servatorem uſum oſtenditur.* 160. E.
Balnei *calore concoqui cibum putabant veteres.* 153. A. 164. E. 173. F.
Balneum *oleo, & unctioni jungebatur.* 165. E.
Balneum *quæ cella propriè ſic diceretur.* ibid. F.
Balnei *rumor, & ſtrepitus.* 175. E.
Balnea *religionis cauſa veteres frequentabant.* 432. E.
Balthaſar *Rex Babylonis interfectus eſt, quia prophanavit ſacra vaſa.* 382 B.
Bambicatii, *& Carmani pecuniam ſuffodiebant, ne illius uſu hominum ingenia enervarentur.* 295. E.
Banaias *quis fuerit apud Reges Iſraël.* 782. F.
Banaiam *cur in electione Salomonis accerſiri juſſerit David.* 78. B.
Baptiſmus *Joannis quare diceretur baptiſmus pœnitentiæ.* 149. A.
Baptiſta *cur elegerit Jordanem ad ſuum baptiſma.* 689. D.
Baptizo *quid ſignificet.* 149. D.
Baptiſmus *unus inſtitutus à Chriſto, ut unam profiterentur fidem.* 151. C.
Barbam *in pyxide conſervare, diiſque ſacrare veteres ſolebant.* 222. B.
Baſes *altaris, in Templo Hieroſolymitano appellantur ſubſtructiones illius.* 606. D.
Baſis *in componendis medicamentis illud aroma dicitur, quod in illa compoſitione primo ingreditur.* 360. B.
Baſilicæ *nomine quid in altari Salomonis ſignificetur.* 609. A.
Batilla, *quæ erant ad uſum altaris holocauſti, quo vocabulo ſignificentur.* 673. C.
Beatitudinem *in unguentis ponebant Græci, Romani, & Hebræi.*
Beatitudo *ſub convivii & unctionis metaphora in ſacris explicatur litteris.* 188. F. 205. A.
Beatitudo *ſub metaphora convivii unguentorum copia conſpicui, ſignatur in ſacris litteris.* 205. A.
Benedictione *paterna, temporalia tantum jura primogenito tradebantur.* 699 E.
Beſamim *appellantur aromata, quæ oleum Conſecrationis componebant.* 323. B.
Beſamim *vocabulo quid in Scripturis ſacris ſignificetur.* 325. A.
Beſeleel *& Oliab dicuntur repleti ſapientia in Scripturis; non quod ex ſe poſſent Tabernaculum Dei conſtruere; ſed ut capere, & exequi facile poſſent, quæ a Moyſe decernebantur.* 420. C. 423. B.
Bethſamitæ *percuſſi ſunt à Deo, quia irreverenter utenſilia ſacra tractarunt.* 382. F.
Bibendi *unguenta conſuetudo veterum.* 212. A.
Boum, *pelliumque nomine Nummus ab Homero intelligitur.* 297. C.
Bos *erat monetæ genus.* ibid.
Bos *æſtimabatur centuſſibus.*
Boum *corio, monetæ loco uſos Romanos falſo affirmatur.* 392. C.
Brachium *cur armilla à militibus ornaretur.* 1009. A.
Brachium *ſiniſtrum, non dexterum, armillis ornabatur, & cur.* ibid.
Braſidas, *vitta & corona aurea donatus.* 989. C.
Buccina *excitabatur populus, poſtquam Rex ſacro fuiſſet inunctus oleo.* 1082. A.
Buccina *excitabatur populus Iſraeliticus ad Regis adorationem.* 1094. D.
Buccina, *cornea apud Hebræos fuit.* 1096. F.
Buccina, *Lituus appellatur à Poëtis.* 1098. C.
Buccina *Comitia indicebantur apud Romanos.* 1101. A.
Buccinæ *materia explicatur.*
Buccinæ *forma qualis fuerit.* 1099. F.
Buccinæ *veteris fons explicatur.* 1099. C.
Buccinæ *uſus Romanis in bellis fuit, ad uſum peditum.* 1100. B.
Buccinæ *uſus erat Iſraëlitis ad aliquid populo prænunciandum.* ibid. C.
Buccinam *Romanorum, æream extitiſſe monſtratur.* 1097. E.
Bucephali *generoſitas.* 930. F.
Bucephalus *Alexandri equus, quàm caro venditus ſit precio.* ibid.
Bulimi *ejiciendi Græcorum cæremonia.* 601. E.
Burdo, *Latinum vocabulum, quo pacto ab Hebraica voce derivetur.* 939. D.

C.

CÆſar, *antequam interficeretur, ab interfectoribus de more ut Princeps exoſculatus eſt.* 965. C.
Cæſar *Auguſtus, & Eliogabalus, titulum Domini reſpuerunt.* 975. A.

Cæ-

Cæſar *in ſede aurea , eburneaque jus dixit ex decreto Senatus.* 1146. B.
Cæſares *dicti , quando ad expeditiones mittebantur, Imperatoris prænomine etiam donabantur.* 977. B.
Cæſaris *ſtatuæ cum quidam diadema impoſuiſſet, carceri mancipatur.* 987. C.
Cæſari *bis impoſitum diadema.* ibid.
Cæſaris *nomen , erat præludium Imperialis dignitatis.* 929. A.
Cæſaris *appellatione quid inſinuaretur.* 977. B.
Caiphas, *& ſacerdotes Hieroſolymitani , quo jure tulerint ſuffragia in nece Chriſti.* 774. E.
Caius , *manum tantum ac pedem exoſculandum Proceribus Reipub. porrigebat.* 968. F.
Calamus *aromaticus in oleo Conſecrationis adhibebatur.* 342. B.
Calami *aromatici etymon.* ibid. C.
Calamus *piſcatorius.* 343. C.
Calamis *ſagittæ parabantur in bello.* 342. D.
Calamis *inſtrumenta ad pulſandum & canendum fiebant.* ibid. E.
Calamis *tecta tegere mos fuit.* 343 B.
Calami *aromatici diverſis in regionibus gignuntur.* ibid. D. 344. A.
Calamus *aromaticus , idem eſt cum odorato.* 343. C.
Calamus *odoratus non eſt radix illius plantæ, quæ iridis dicitur.* ibid. F.
Calamus *aromaticus præſtantiſſimus in Arabia gignitur.* 344. C.
Calami *aromatici optimi ſigna.* ibid. F.
Calami *aromatici pretium.* 345. A.
Calami *aromatici genus , quod in oleum Conſecrationis ingrediebatur , oſtenditur.* ibid. E.
Calamo *aromatico , humilitas in Sacerdote indigitabatur.* 361. D.
Calamus *aromaticus contuſus oleum Conſecrationis ingrediebatur.* 365. A.
Calcei *dominorum accumbentium à pueris ſervabantur.* 162. C.
Calchas *Græcorum vates, in Comitiis poſt Achillem locum habuit.* 816. B.
Calchas *in arte divinandi peritus.* ibid. D.
Calicis *forma explicatur, de quo Juvenalis , & Martialis.* 22. A.
Calore *in thermis, quænam cellæ indigerent.* 179. E.
Calor *qua ratione cellis thermarum diſtribueretur.* ibid. F.
Calore *temperato balnea antiquiorum calebant.* 181. B.
Caloris *temperaturam in balneis ſtatuere ad Ædiles pertinebat.* Ibid. C.
Cambyſes *Perſa in Senatu Cyrum filium ſucceſſorem renunciavit.* 766. F.
Campus *Martius, quis locus Romæ appellaretur.* 416. A.
Candelabrum *ſacri tabernaculi erat quaſi index omnium virtutum cœleſtium , quatenus ad homines afferuntur.* 12. A.
Candelabro *ſancto vir juſtus & perfectus ſignificabatur.* ibid. F.
Candelabra *undecim fuerunt in templo Salomonis.* 25. D.
Candelabri *Moſaici forma ex communi ſcriptorum ſententia.* 29.
Candelabri *facies, quæ ſit dicenda in tabernaculo Dei.* 32. C.
Candelabri *Moſaici forma ex noſtra ſententia.* ibid.
Candelabrum *Tarentinorum tot habebat lucernas , quot dies annus.* 47. B.
Candelabri *ſanctæ lucernæ , igne è ſole hauſto , opera ſpeculorum primo fuerunt accenſæ.* 42. F.
Candelabrum *à Zacharia viſum alterius extitiſſe formæ ab illo , quod Moyſes juſſit fieri in deſerto , falsò comminiſcitur Ribera.* 60. C.
Candelabrum *Iſidori Clarii in viſione Zachariæ unius erat ſtipitis.* 59. E.
Candelabrum *Vilalpandi in viſione Zachariæ.* ibid.
Candelabrum *quod vidit Zacharias ex noſtra ſententia.* 63. B.
Candelabrum *ſacrum prius intra Tabernaculum collocatum, quam conſecratum fuit.* 454. C.
Candelabrum *dicitur ſuper quod lucerna collocatur.* 515. E.
Candelabrum *non dicitur inſtrumentum, in quo ex diverſis ſtipitibus lumina ſuſtinentur.* 516. B.
Candelabrum *quid propriè dicatur.* 517. B.
Candelabrum *Moſaicum ſeptem lucernas habebat ad numerum planetarum.* ibid.
Candelabri *Ethnicorum typus.* 518.
Candelabrum *Moſaicum , aurei habebat talenti pondus.* ibid. E.
Candelabri *Moſaici altitudo.* 519. F.
Candelabrum *quod Romæ in Arcu Titi viſitur , Moſaici veram formam non retinet.* 520. B.
Candelabri *typus ex Aria Montano reprobatur.* 522. A.
Candelabrum *Moſaicum diſſolubile, non autem indiſſolubile erat.* ibid. E.
Candelabri *ramuſculi , fuſo auro in typo fuere formati.* 523. C.
Candelabri *ramuſculorum forma , opere concleo fuiſſe monſtratur.* 525.
Candelabrum *diſſolvebatur , quoties Iſraëlitis alio commigrandum fuiſſet.* 526. B.
Candelabri *ſacri vera forma in typo oſtenditur.* 528. E.
Candelabri *utenſilia quænam eſſent.* ibid. 529. B.
Capita *Imperatorum corona radiali ſine vittis fluitantibus non ornabantur.* 990. F.
Capitella *columnarum , roſæ formam ſervare nequeunt.* 118. D.
Capitis *unctione, Summus Sacerdos Iſraelita conſecrabatur.* 715. F. 724. B.
Capite *operto Summus Sacerdos Iſraëlita conſecrabatur.* 728. E. 731. E.
Caput *detectum habere mœroris erat.* 728. F. 731. B.
Caput *velare religionis erat , & in eo ſacra veteres faciebant.* 729. B.
Capite *velato Numina cur venerarentur.* ibid. D.
Caput *rationem membri etiam in humano corpore retinet.* 766. C.
Caput *Principis exoſculari ſolitum erat , cùm Regni exordia ejus auſpicarentur.* 965. B.
Caput *diſcooperire Syris nefas erat.* 1077. C.
Caput *diſcooperire , Syris erat nota mœroris.* ibid. D.
Characteribus *quibuſdam, Summos Sacerdotes conſecrari ſolitos , Rabbini ſomniant.* 716.
Carmen *Orthium & Trochaicum à rithmis nomen acceperunt.* 119. B.
Carmina *à pueris recitabantur in ſolio conſedentibus.* 153. D.
Carmani *& Bambycatii pecuniam ſuffodiebant ; ne illius uſu ingenia enervarentur.* 295. E.
Carmani *viciſſim ſanguinem in poculis deguſtantes paciſcebantur.* 1015. C.
Carnium *uſum damnarunt antiquiores.* 1151. A.
Caſſia *ornabantur crines apud veteres Romanos.* 346. C.
Caſſia *utilis ad alvearia.* ibid. D.
Caſſiæ *odoratæ ſigna vera.* 347. D.
Caſſiæ *odoratæ colligendæ mos, ex antiquis fabulis.* ibid. F.
Caſſia *odorata non ingrediebatur compoſitionem olei Conſecrationis.* 348. C.
Caſſia *fuit vulgaris aliquando Romæ.* 346. C. 347. A.
Caſſiæ, *cujus uſus in unguentis erat, genera multa conſtituuntur.* 347. C,
Caſtrorum *principia dicebantur , ubi illi degebant milites, qui principes dicebantur.* 449. A.
Caſtrametandi *leges Iſraëlitis præſcribuntur.* 571. F.
Catapaſmata *nonnulla unguenta dicebantur.* 5. E.
Cataphracti *pedites , iidem qui loricati apud Livium.* 366. E.

Catholici *expoſitores Rabbinicis commentis nimis quam par ſit; adhærent.* 911. D.
Catilinarii *ſanguinem deguſtantes, fœdus inierunt.* 1115. C.
Cauſæ *naturales, juxta proprias naturas concurrunt ad effectus miraculoſos, qui non ſunt ſupernaturales ſecundum ſubſtantiam.* 422. D.
Ceciliam *divam Virginem Romanam calore balnei ſuffocare tentavit Tyrannus.* 181. F.
Cedron *torrens, quibus aquis coaleſceret.* 953. B.
Cella *in qua folia ad uſum ablutionis ſervabantur, foliaris dicebatur.* 176. E.
Ceremoniarum *nomine, leges ad religionem ſpectantes intelliguntur.* 561. E.
Cererem *cur ut Deam veteres coluerint.* 912. B.
Cerethæi, *ac Phelethæi aderant Regiæ inſtitutioni.* 142. F.
Cerethæi *& Phelethæi, ſervorum vocabulo ſignificantur.* 860. B. & C.
Cerethæi *quare ſic dicti.* 841. D.
Cerethæi, *& Phelethæi non alio in munere occupabantur, quàm Regem ſtipandi.* 845. C. 849. D.
Cerethæi *& Phelethæi, etiam noctis tempore, in Regio Palatio excubabant.* 850. C.
Cerethæi *& Phelethæi aderant Regiæ inaugurationi.* 843. A.
Cerethæi *maritimam oram Palæſtinæ incoluere, ſecundùm aliquos.* 856. C.
Cerethæi *& Phelethæi unde vocabula ſumpſerint.* 864. E.
Cerethæorum, *Phelethæorumque vocabulo ſignificari collegium Sanhedrim aliqui putant.* 841. B.
Cerethæorum *& Phelethæorum vocabulo ſignificari judices aliqui negarunt.* ibid. F.
Cerethæorum, *Phelethæorumque vocabulo milites ſignificantur. itidem & regii ſatellites.* 842. B. *& illuſtriores milites Iſraelitæ.* 843. B. 844. E. 861. B. 863. D.
Cerethæorum *& Phelethæorum vocabula, gentiliaca dicunt aliqui.* 856. E.
Cerethæorum *& Phelethæorum vocabula a cetra & pelta deducta fuerunt.* 871. B
Cerethæos *alienigenas extitiſſe tradunt aliqui.* 837. D.
Cerethæos, *& Phelethæos à regione quadam ſic dictos putant nonnulli.* 852. B.
Cerethæos, *Cretenſium colonos, & Phœnices ſignificari aliqui volunt.* ibid. D.
Cerethæos *& Phelethæos, alienigenas fuiſſe, non eſt improbabile.* 858. B. *& Proſelytas extitiſſe.* ibid. D. *Sed probabilius eſt fuiſſe Iſraelitas.* 858. E. 860 B.
Cerethæos *ab excidendo dictos putat Ribera.* 865. A.
Cerethæos *& Phelethæos à genere clypeorum dictos, probabile eſt.* ibid. E.
Cerethim, *ſtipatorum infirmiores dicebantur.* 849. F.
Cerethim, *Cretenſes dicuntur ex lectione Septuaginta.* 853. D.
Cetra *idem erat ſcutum, quod gerron à Græcis dicebatur.* 869. B.
Cetra, *ſcutum erat ex viminibus contextum, loris tectum.* ibid. C.
Cetra, *cordis humani, vel ſimilem formam retinebat.* 873. D.
Cetra, *hederacei folii formam habebat.* 876. A.
Cetra, *ſcutum erat, tantiſper latum.* 877. C.
Cetra, *& Pelta, quorumnam fuerit inventum.* 871. B.
Cetræ *uſus frequens erat Hiſpanis Ulterioribus.* 869. E.
Cetræ *uſus apud Romanos, ex Livio.* 871. A.
Cetræ *icon* 876 C
Cetram *dat Macedonibus Livius.* 870. B.
Cetram *perfecta peripheria formari, falsò putant aliqui.* 873. D.
Charitas *in Sacerdote ſignificabatur per cinnamomum, quod oleum Conſecrationis ingrediebatur.* 361. A.
Charitas *eſt oleum luminis pro Candelabro ſancto.* 13. B.
Cherubini *arcæ erant ex auro ſolido.* 464. A.
Cherubinorum *arcæ baſis, erat ſacræ arcæ tegumentum.* 465. A.
Cherubinorum *alæ ſeſe ſurſum complectentes male figurantur.* 466. B.
Cherubini *arcæ Dei ſedem, & ſolium conſtituebant.* 467. D. 468 B.
Cherubini *a Seraphinis non diſtinguuntur.* 470 C.
Cherubinorum *forma quos Salomon in Templo ſtatuit.* 472. & 473.
Chlamyde *Reges Iſrael uſos aliqui exiſtimant.* 1018. F.
Chlamyde *aurata quinam uterentur.* 1015. A.
Chlamydis *Imperatoriæ penes Romanos forma.* 1018. D.
Chlamys, *idem cum paludamento Romanorum.* 1014. E.
Chriſma *non quodcumque unguentum, ſed ſpeciale quoddam genus olei appellabatur.* 292. C.
Chriſtus *ſanguinem prægustandum tradidit convivis de more ſacrificii.* 498. D.
Chriſtianis *vetitus unguentorum luxus.* 93. B.
Chriſtus *ex plenitudine gratiæ oleo lætitiæ unctus dicitur.* 114. D.
Chriſtus *erat Sanctus ſanctitate eſſentiali.* 155. E.
Chriſtus *re vera nulla poterat pollui immunditia, bene tamen legali immunditia, hominum facie.* ibid.
Chriſtus *purificationes legis Moſaicæ obſervavit.* 156. D.
Chriſtum *domeſticis balneis uſum fuiſſe oſtenditur.* 160. E.
Chriſtum *pudori conſuluiſſe in obſervantia purificationum, & in balneorum uſu, certiſſimum eſſe debet.* 158. D.
Chriſtus *non abhorrebat, quæ erant in uſu hominibus, ut aliquod animarum inde lucrum caperet.*
Chriſtus *in Nazareth lectionem lecturus, de induſtria locum Iſaiæ quæſivit.* 193. E.
Chriſtus *aliquo oleo unctus in prophetam videtur.* 194. C.
Chriſti *in veteri teſtamento Reges & Sacerdotes dicuntur.* 196. B.
Chriſtus *pedes diſcipulorum lavit, cum ſecundo cœnaturi eſſent.* 164. D.
Chriſti *facies turgida apparet in ſacra icone Veronicæ.* 971. C.
Chriſtum *per ſortes Apoſtolos deſignaſſe, conjicitur.* 830. D.
Chriſtus *bis illuſus à ſatellitibus Curiæ Hieroſolymitanæ.* 958. E.
Chriſtus *cur præceperit non jurandum, neque per cœlum, neque per terram.* 1130. B.
Chriſtus *aliter, ac aliter à Judæis, & à militibus Pilati illuſus.* 959. A.
Cidaris *erat capitis tegumentum, quo Sacerdotes velabantur.* 730. F.
Cinnamomum *diſtinguitur ab Amomo.* 337. A.
Cinnamomum *quæ planta ſit.* ibid. B.
Cinnamomum *in Arabia Troglodìtica gignitur.* ibid. C.
Cinnamomi *præſtantia ex fabulis colligitur.* ibid. D.
Cinnamomum *ex nido alitis colligi fabularunt veteres.* ibid. F.
Cinnamomi *etymologia.* 338. D. 339. D. 340. D.
Cinnamomi *coronam interraſilem Veſpaſianus in templo Jovis Capitolini repoſuit.* 338. E.
Cinnamomi *radicem in templo Auguſti uxor dicavit.* ibid. F.
Cinnamomi *colligendi ritus.* 339. B.
Cinnamomi *uſus Diis, & Regibus tantum concedebatur.* ibid. E.
Cinnamomi *præſtantia ex pretio.* 340. A.
Cinnamomi *varia genera.* ibid. E.
Cinnamomum *perfectiſſimum in ſummitate caudicis habetur.* 341. B.

Cin-

Cinnamomum *perfectiſſimum tantum in oleo Conſecrationis.* 341. E.
Cinnamomum *& caſſia perfectione tantum diſtinguuntur.* 348. C.
Cinnamomi *præparatio pro componendo oleo Conſecrationis.* 354. E.
Ciniflones *& cinerarii dicebantur ſervi ad ornamenta muliebria.* 253. F.
Ciniflones *à flando in carbonibus ita dicebantur.* ibid. A.
Circumcidebantur *nonnulli Romanorum.* 377. D.
Circumciſio *obligabat ad obſervantiam totius legis.* 377. E.
Circumciſi *cur non fuerint Iſraëlitæ per quadraginta annos in deſerto.* 570. F.
Circumciſionis *præceptum, tantum ratione fœderis initi cum Abraham ligabat Iſraëlitas.* 574. C. & 575. B.
Circumciſionis *præceptum non habuit legis vigorem, niſi à Moyſe.* 574. F.
Circumciſionis *præceptum non jure divino, ſed humano ligabat Iſraelitas.* 575. A.
Circumciſione *admittebantur homines in Rempublicam Iſraeliticam.* ibid.
Circumciſio *fundamentum erat totius legis Moſaicæ.* 576. A.
Circumciſio *non obligabat Iſraëlitas, niſi poſtquam in terram promiſſionis veniſſent.* 575. B.
Circumciſio *erat nota illorum, qui veniebant in fœdere, & jus habebant ad terram promiſſionis.* 576. B.
Circumciſionis *pœna, non puerum, ſed parentes non circumcidentes puerum ligabat.* 396. A.
Clanculari *unctione Regum, quid Prophetæ intenderent.* 1063. B.
Clypeis *in fabricandis levitati ſtudendum erat.* 877. A.
Clypeorum *fulgor ex repercuſſione Solis in illis, erat ad terrorem hoſtium.* 889. F.
Cochlearia *ab altari thymiamatis removentur.* 535. C.
Cœnas *duas habebant Judæi prima die azymorum.* 164. E.
Cœnam *balneo præibant veteres.* 151. E.
Cœnam *unctione præveniebant veteres.* 186. A.
Cohors *integra cur convocata ad Chriſtum illudendum.* 969. F.
Cohortes *Prætoriæ Romanorum ex quingentis conſtabant militibus.* 844. B.
Collegia *Sacerdotum erant in lege naturæ.* 700. B.
Collegia *ſacrificulorum, cum ordine hierarchico Ethnici habuerunt.* 700. E.
Color *victimarum attendebatur in fœderibus.* 1117. C.
Columbas *unguentatas, ac inter convivas ad volandum dimiſſas, emittere Græcorum nonnulli conſueverunt.* 204. B.
Columnas *Tabernaculi ad lineam compaginari neceſſe fuit.*
Columnæ *mediæ quæ viſuntur ad uſum ſacrificii, potius tituli, quam altaria dicendæ fuerunt.* 585. E.
Collum *ſponſæ cur turri Davidicæ comparetur in ſacris Oraculis.* 890. F.
Columbæ *poſteriora, quæ ſint in Pſalmo Davidis.* 907. D.
Columna *erigebatur ubi fœdera firmanda fuiſſent.* 1113. C.
Comam *deponebant veteres luctus cauſa.* 140. A.
Comedere *coram Domino, ex phraſi Scripturarum, eſt comedere de Sacrificiis.* 834. E.
Comitia *Reipub. ad Regis inſtitutionem in locis ſacris habebantur.* 788. F.
Comitia *ad Regiam inſtitutionem in Curiis judicialibus cur haberentur.* 789. C.
Commodus *Imperator Herculis nomen uſurpavit.* 551. E.
Comœdiis *cur plauderetur.* 1090. C.
Concha *ſupra tripodes aliquando mobilis, aliquando firma erat.* 625. E.
Concilium *ad Chriſti necem Sacerdotes Moſaici congregarunt, quòd ejus cauſam ad Religionem ſpectaſſe crederent.* 775. B.
Congiarium *quando dabatur, acclamabatur novo Principi.* 1081. C.
Conſecrandarum *rerum partitio trimembris.* 414. A.
Conſecrare *diſtinguebatur à dedicare, & tam de animatis, quam de inanimis dicebatur.* 424. E.
Conſecratio *labri ænei.* 548. B.
Conſecratio *quarumcumque rerum ſacri olei unctione fiebat.* 640. E. 658. E.
Conſecrare *variis vocibus in ſacris litteris explicatur.* 642. D.
Conſecratio *quare dicatur per verbum* impleo *in Scripturis.* 643. B.
Conſecrationis *ritus hebraicè præclarè exprimuntur.* 651. A.
Conſecrare *per verbum ſanctificare dicitur, & quomodo fieret.* 658. F.
Conſecratio *ſacri Tabernaculi, & utenſilium illius, ſacro oleo fuit facta, ſervata quadam diverſitate.* 660. C.
Conſecratio *complebatur, applicando unumquodque vas ad id, ad quod erat deſtinatum.* 662. B.
Conſecratio *Tabernaculi fuit facta per ſeptem dies priores anni ſecundi ab exitu ex Ægypto.* 679. D.
Conſecratio *Sacerdotum fuit poſt completam conſecrationem Tabernaculi, & utenſilium illius.* ibid.
Conſecrando *altare, neque oblationes, neque libamina adhibita fuere.* 681. E.
Conſecrare *in bonam, & malam accipitur partem.* 458. C.
Conſecrare *in bonum, eſt aliquid Deo dicare.* 459. A.
Conſecratio *Sacerdotum tres hoſtias expoſcebat.* 706. A.
Conſecratio *Sacerdotum duplex expiationis genus expoſcebat.* 706. B.
Conſecrabantur *Sacerdotes unctione, etiam in lege naturæ.* 715. F.
Conſecrare *alterius munus, eſt alterius auctoritatem habentis.* 726. C.
Conſultatio *Numinis per ſortes, à piis viris non fuit aliena.* 829. D. *neque ab Apoſtolis.* ibid. F.
Contactu *verticis hoſtiam devovebant veteres.* 1121. C.
Conventus, *ſive Senatus pleniſſimus in Repub. Iſraëlitica, quo vocabulo indicetur in ſacris libris.* 779. F.
Convictus *humanus, in his qui imperent, & in aliis, qui imperata faciant, firmatur.* 756. E.
Convictus *eſt naturalis humano generi.* 757. D.
Convivæ *cur caput unguentis ungerent.* 1076. B.
Convivæ, *cur Thiaſotæ, ideſt, Deificati dicerentur.* 1150. E.
Convivia, *Sacra cenſebantur.* ibid. F.
Conviviorum *dies dicebantur lætitiæ.* 143. C.
Convivis, *pro dignitate ſingulorum, carnes ſacrificatæ diſtribuebantur.* 1065. C.
Convivium *agebatur apud Iſraëlitas, quando Rex inaugurabatur.* 1152. A.
Cornua *altaris quomodo ſanguine tingerentur.* 709. D.
Cornua *altaris ſanguine tingebantur in illius expiatione.* 654. A.
Cornua *altaris qua ratione, per gyrum ſanguine expiarentur.* 640. A.
Cornuum *vera forma in altari Moſaico erat.* 633. F.
Cornua *erant veteris religionis notæ.* 634. A.
Cornua *habuere veteres ad uſum ſolidorum, & liquidorum.* 243. E.
Cornua *cur ſic dicta fuerint.* 244. A.
Cornua *erant Hebræis, quæ alabaſtra Græcis.* ibid.
Cornibus *utebantur ad pecuniam ſervandam.* ibid.
Cornibus *ad pocula in menſis utebantur.* ibid. B.
Cornibus *bubulis labro aureo, argenteo, vel æneo ornatis, veteres bibebant.* 244. C.

Cornu *oleum metiebantur antiqui.* 245. B.
Cornu *extitiſſe vas unguentarium oſtenditur.* ibid. C.
Cornu *metaphora, præclariſſima in Scripturis ſignificantur.* 1051. *E.*
Corona *ex lauro & olea ſymbolum S. D. Noſtri Vrbani quid ſignificet.* 406 B.
Corona *ex oleaſtro coronabantur Græci in Olympia.* 356. A.
Coronæ *nomine in ſacra Menſa, coronix appellatur.* 480. F.
Coronæ *myrteæ uſus, frequentiſſimus fuit veteribus.* 259. E.
Coronabantur *myrto, qui Veneri operam dabant.* ibid. A.
Corona *myrtea nota erat amantis.* 260. A.
Coronabantur *amaraco in nuptiis.* 257. A.
Coronati *veteres deorum feſta celebrabant.* 121. B.
Coronarum *exordia non agnovit Clemens Alexandrinus.* 126. E.
Coronarum *inſania quam irridenda in mollioribus.* 127. A.
Coronæ *fuere præmium athletarum apud veteres.* ibid. C.
Coronarum *quatuor genera quibus athletæ coronabantur.* ibid.
Corona *arundinea in honorem Caſtoris & Pollucis veteres coronabantur.* 128. A.
Coronabantur *in nuptiis veteres.* ibid. B.
Corona *roſea ſummo fuit in pretio.* 129. C.
Corona *roſea vino Venerique deditis fuit propria.* ibid. F. 130.
Coronæ *convivales quæ fuerint in uſu.* 129. F. 130. A.
Corona *roſea dicitur corona decoris ab Ezechiele.* 131. D.
Coronabantur *lilio veteres Iſraëlitæ.* 137. D. 138. B. *Græci & Latini etiam.* 138. D.
Coronæ *liliacæ commixtæ roſis commendatio.* ibid. B.
Coronas *unguentis madefaciebant veteres.* ibid. E.
Corona *regia cur duodecim radiis conficeretur.* 983. E.
Corona *muliebris, qua voce ſacris appelletur in Litteris.* 993. A.
Corona *Regis Ammonitarum, qualis eſſet.* 997. D.
Corona *Regis Ammonitarum quando uſus ſit David.* ibid. C.
Corona *Pontificalis, triplici florum ordine cingebatur.* 1000. B.
Corona *aurea Pontificalis, cur floribus careret anterius.* 1001. A.
Coronæ *à Diademate diſtinctio.* 987. E.
Coronæ *floreæ pro conviviis.* 988. A.
Coronæ *ex foliis arborum.* ibid.
Coronæ *laureæ, quibus filaminibus colligarentur.* ibid. B.
Coronæ *metallicæ.* ibid. D.
Coronæ *uſus apud Reges Iſraëlitas.* 997. C. 998. B.
Coronæ *Pontificalis Hebræorum figura.* 999 D.
Coronarum *genera tria.* 987. F.
Corporis, *ac membrorum recta diſpoſitio, perfectionis individualis eſt nota.* 801. B.
Coſmetæ *dicebantur mulierum ornatrices.* 222. D.
Coſmus *celebris Romæ unguentarius.* 103. C.
Coſtum *ſignificari nomine caſſiæ monſtratur.* 350. F.
Coſtus *quæ planta ſit.* 351. B.
Coſti *præſtantia eſt in radice.* ibid. D.
Coſti *uſus in cultum idolorum apud veteres.* 352. C.
Coſti *varia genera.* ibid. D.
Coſtum *Achæmenium dicebatur, quod ex Trogloditica afferebatur.* 353. A.
Coſtus *quod ingrediebatur oleum Conſecrationis.* ibid. D.
Coſti *pretium.* 354. A.
Coſto *excitabantur Sacerdotes ad opera bona.* 361. E.
Coſtus *pulverizatus oleum Conſecrationis ingrediebatur.* 365. D.
Corvus *ſalutator fuit Romæ.* 973. D.
Crateris *atque cratere diſcrimen oſtenditur.* 50. D.
Craticula *in altari aureo non erat, ſed ejus loco foculus.* 533. C. 535. E.
Craticula *diſtinguenda eſt à foculo, in altaribus Moſaicis.* 533. E.
Craticula *altaris, quæ voce propriè græcè dicatur.* 663. C.
Craticula *altaris ænea erat.* ibid. E.
Craticulæ *os rotundum erat.* ibid. F.
Craticulæ *forma interius ad altare deſcendens.* 665. D.
Craticulæ *deſcenſus in profundum.* 666. D.
Craticula *in altari Moſaico ſub arula collocanda erat.* 668. B.
Craticulæ *altaris Moſaici forma.* 630.
Craticulæ *annuli, quæ ratione intelligantur in altari Moſaico.* 633. A.
Craticula *ut firmius inhæreret altari, aliquo inſtrumento ſtabilienda fuit.* 669. C.
Creagra *erat idem quod fuſcina.* 675. D.
Crepidines *altaris, appellantur ejuſdem ſubſtructiones.* 605. F.
Crepido *major Arielis nomine à Propheta ſignificatur.* 610 C.
Creſus *ſcutum aureum dono miſit Amphiarao.* 886. F.
Cretenſes, *Cerethæorum colonos exiſtimavit Prado.* 856. A.
Criminoſum *fuiſſe Iſraëlitis uſum mulæ, aliqui putant.* 934. A.
Crinium, *& capillorum muliebre ſtudium.* 248. E.
Criobolium *Ethnicorum, erat genus expiationis per ſanguinem.* 702. B.
Criobolium *unde dicatur.* ibid. D.
Croſſi *fuere vaſa unguentaria.* 216. B.
Croſſi *fuere etiam vaſa vinaria, & aquaria.* ibid. C.
Croſſus *erat vas ad liquores conſpergendos accommodatiſſimus.* 217. B.
Cubitus *in menſuris altaris, non eſt excogitandus major cubito naturali.* 664. D.
Culpa *quid ſit, definitur.* 385. D.
Curius *Ventatus cadum tantum ligneum ex hoſtium præda accepiſſe Senatui monſtravit.* 64. B.
Curetes, *erant Populi Cretenſes.* 853. E.
Curetes *de militari peritia commendantur.* 854. E.
Curetes, *à tonſura ſic dicti.* 855. D.
Curias, *ac Prætoria, prope portas Vrbium habebant Iſraëlitæ.* 791. A.
Curru *vehi, Trojanis erat majeſtatis regiæ.* 931. F.
Curru *vehi etiam apud Iſraëlitas regiæ fuit majeſtatis.* 932. A.
Currus *Regius Trojanorum mulis protrahebatur.* ibid. B.
Cutis *conſolidandæ cauſa, unguentis vtebantur mulieres.* 264. E.
Cydaris *Sacerdotalis forma.* 995. C.
Cymatium *quid eſſet in ſacra Menſa.* 482. A.
Cyrum *regnaſſe triginta annis, qua ratione probetur.* 917. E.
Cyrus *decem millia ſtipatorum habuit.* 844. A.
Cyrus, *ſtatim ac Rex apud Babylonem electus fuit, ſatellitio ſtipari cogitavit.* 846. D.
Cyrus *Eunuchos cur ſelegerit ad ſui cuſtodiam.* 880. C.
Cyrus *præſtantiſſimis veſtibus delectabatur.* 1013. D. 1014. A.
Cyrus *Perſarum Rex, oleo fuit inauguratus.* 1033. D.
Cyrus, *cur militibus ſtipari voluerit.* 886. A.

D.

DAgeſſata *verborum conjugatio, habet energiam in lingua ſancta.* 369. D.
David, *antequam recumberet, ungebatur.* 188. D.
David *altare duodecim lapidum erexiſſe ad aream Ornan Jebuſæi creditur.* 599. D.
David *bis inauguratus Rex ſcribitur in ſacris Libris.* 770. F.
David *laudatur in ſacris Libris à decore faciei.* 802. D

Da-

David *quanta fuerit peritia militaris.* 805. B.
David *Rex eligitur ob militarem peritiam.* 807. C.
David *plures habuit uxores.* 938. B.
David, *& Salomon currus habuerunt, ad uſum regium.* 938. C.
David *fuit inauguratus Rex in ſuburbiis Hebron.* 949. C.
David *in loco ſacro Rex fuit inauguratus.* ibid. D.
David *cur byſſinis uteretur veſtibus in ſacræ Arcæ translatione.* 1024. D.
David *oleo Sancto inauguratus fuit.* 1052. B.
David *à Samuele clam unctus fuit in Regem futurum.* 1065. A.
David, *& reliqui Iſraëlitarum Reges, ad altare fœdera inaugurationis ſancivere.* 1114. D.
David *ſceptrum abſtulit, quod erat ad caput Saulis dormientis.* 1012. C.
Davidi *Regnum prædicitur ſacrificio præmiſſo.* 836. E.
Davidem *ſelectiſſimis militibus ſtipatum fuiſſe oſtenditur.* 882. D.
Davidem *communi oleo unctum à Samuele probatur.* 1038. A. 1039. E.
Davidem *ducem ſtipatorum à Saule conſtitutum, ſuſpicatur.* 861. F.
Davidis *inauguratio non caruit ſacrificiis, ac Sacerdotibus.* 840. B.
Davidis *ſatellitium ex Iſraëlitis electum probatur.* 863. A.
Davidis *valor in turri ſpeculatoria ejus arcis commendabatur ex ſpoliis hoſtium.* 893. F.
Deam *Monetam tenentem lances, quare veteres depingerent.* 298. D.
Deam *Monetam veteres credebant punire eos, qui fraudem in pecuniam committerent.* 306. F.
Decimæ *jure legati debebantur ab Iſraëlitis.* 373. D.
Decimas *ab Iſraëlitis, Levitæ propria auctoritate accipere non poterant.* ibid. F.
Dedicari *antiquitus, de ſolis inſenſibilibus dicebatur.* 424. E.
Dedicare *eſt verba proferendo aliquid Deo dare.* ibid. F.
Dedicatio *fiebat apud Romanos, Numine ex nomine invocato.* 425. D.
Dedicare *aliquid ſine publica auctoritate prohibitum erat.* 426. A.
Dedicatio *fiebat, expreſſis conditionibus, & immunitatibus, quæ concedebantur rei, quæ dedicabatur.* ibid. B.
Dedicationi *aliquis à Principe præficiebatur.* ibid. C.
Dedicantis *mens, tam Sacerdotis, quam Præfecti dedicationis, ad Deum dirigi debuit.* 428. D.
Dedicantis *aliquid, quæ conditiones in eo requirerentur.* ibidem.
Dedicationis *verba ritè effari neceſſe erat.* 429. E. ibid. F.
Dedicationis *forma verborum.* ibid.
Dedicando *templa, poſtes a Sacerdote tenebantur.* 431. C.
Dedicationis *leges.* ibid.
Dedicando *templa apud Romanos, qui præibat, poſtem tenebat.* 459. D.
Dedicatio *fiebat propriè, ſola alicujus rei oblatione.* 476. C.
Dei *nomen ineffabile ut ſonat, proferre veteres verebantur.* 552. D.
Dei *nomen balbutiendo vix explicari poteſt.* 549. A.
Dei *nomen ineffabile, quomodo dicatur non revelatum aliis Patriarchis ante Moyſen.* 553. E.
Dei *nomine ineffabili Moyſes ſcribens Iſraëlitis in libro Geneſis utitur; ut intelligant Iſraëlitæ quis fuit, qui mundum creavit, & loquutus eſt Patriarchis.* 554. D.
Dei *miſericordia præmiat ultra condignum, & punit citra condignum.* 793. D.
Dei *vice Sacerdos ſummus tranſibat inter diſſectas victimas in fœderibus inaugurationis.* 1136. B.
Dei *nomen pluraliter in Pſal.* 44. *uſurpatur ad oſtendendam plenitudinem divinitatis in Chriſto.* 111. D.
Dei *penates Troja advecti in adyto Veſtæ à Romanis ſervabantur.* 47. F.
Demetrius *Antigoni filius, veſtem cœlum repræſentantem ſibi juſſit intexi.* 1014. D.
Demetrius *ducenta quinquaginta talenta ab Athenienſibus exacta, concubinis ad uſum ſmegmatum donavit.* 255. C.
Denarium *habebat decem æris libras.* 298. C.
Deo *teſte quicquid promittitur, ſervandum eſt.* 1126. A
Deos *coronare veteres ſolebant.* 127. C.
Deorum *innumerabilis multitudo, unde Romanis.* 591. A.
Deorum *varietati, hoſtiarum varietas reſpondebat.* 578. B.
Deorum *inferorum cultus, in ſuſcitandis animabus mortuorum verſabatur.* 579. D.
Deorum *inferorum cultus fuit frequentiſſimus apud Iſraëlitas.* 581. B.
Deum *odoribus & aromatibus delectari veteres ſenſerunt.* 318. C.
Deum *conſulere in exordio Imperii, videtur naturalis juris fuiſſe.* 814. B.
Deum *levare manus ſuper aliquid, vim habet juramenti.* 1131. A.
Deus *quæ à filiis Iſraël vellet in cultum tabernaculi decrevit; ſed non quantitatem.* 71. F.
Deus *duplici compoſitione odorata, ab Iſraëlitis coli voluit.* 317. F.
Deus *odorata compoſitione Sacerdotes conſecrari juſſit; ut illorum ſpiritus promptior in Dei cultum redderetur.* 360. E.
Deus *in ferendis legibus Iſraëlitis, poteſt conſiderari ut Deus, & ut inſtitutor alicujus ſingularis Reipublicæ.* 375. B.
Deus *quamvis aſſenſum ab Iſraëlitis in ferendis legibus habuiſſet, noluit tum eos obligari niſi poſt fœdus.* ibid. E.
Deus *ut auctor Sacramentorum, & inſtitutor ſingularis cultus, omnes ligat.* 380. C.
Deus *exequutionem pœnarum, in aliquibus tranſgreſſionibus ſibi reſervavit.* 391. D.
Deus *punire tranſgreſſorem cultus ſacri olei, ſibi reſervavit.* 403. B.
Deus *Abraham, & illius poſteros in coloniam deducendos elegit.* 554. D.
Deus *non manifeſtavit nomen ſuum ineffabile Moyſi, niſi poſtquam illi ſuam eſſentiam revelaſſet.* 555. B.
Deus *cur nomen ſuum, modo in prima, modo in tertia perſona, verbi ſubſtantivi efferat.* ibid. C.
Deus ut *Imperator populi Iſraelitici, Elohim appellari voluit.* 557. F. 562. F.
Deus *poteſt conſiderari à nobis ut Deus, & ut inſtitutor Iſraëliticæ Reipublicæ.* 558. D.
Deus *eligi voluit in Imperatorem ab Iſraëlitis.* 558. E. 559. D.
Deus *noluit ſe manifeſtare Iſraëlitis, niſi poſtquam illum elegiſſent exercitus Imperatorem.* ibid. E.
Deus *fœdere ſe obligavit, cum populo Iſraëlitico.* ibid. F. 561. B.
Deus *in forma ignis, fœderis feriendi gratia, tranſivit inter diviſiones hoſtiarum in ſacrificio Abrahæ.* 560. E.
Deus *voluit appellari, Dominus exercituum & triumphator.* 562. F.
Deus *appellari voluit Dominus, ratione politici dominii.* 563. B.
Deus *ſacrificia in nuda humo, non reſpuit.* 582. D.
Deus, *in quocumque loco fuiſſet memoria nominis ejus, ſacra admittebat.* ibid. F.
Deus *fœdus iniit cum Iſraëlitis, erectis prius altaribus.* 587. C.
Deus *initi fœderis cum populo Iſraëlitico confirmationem exquirit.* 588. A.
Deus, *ut fœdus feriens cum Iſraëlitis, non ut Deus contemplari debet, ſed ut Imperator Iſraëlitici exercitus, & inſtitutor Reipublicæ.* 558. D.

Deus *in Imperatorem exercitus electus, de legibus ferendis populo cogitavit.* 562. E.
Deus *maximis favoribus Iſraëliticam gentem proſequebatur.* 449. C.
Deus *militari ſtudio gloriabundus.* ibid. D.
Deus *de tribunali ſuper arcam, Moyſem alloquebatur.* 468. D.
Deus *in humana ſpecie Moyſem alloquebatur.* 469. A.
Deus *ut Imperator Iſraëliticam Rempublicam regebat.* 563. D.
Deus *tunc Moyſen miſit, quando Pharao vetuit Hebræis ſacra facere.* 759. D.
Deus *in Principem Iſraëliticæ Reipub. eligi à Populo voluit.* 769. A.
Deus *veluti Rex Principatum tenebat in Repub. Iſraëlitica.* 786. C.
Deus *peccata non ſtatim punit.* 793. D.
Deus *præfecit Populo exercitatum in cura gregum.* 804. A.
Deus *gloriabatur de militari peritia.* 806. B.
Deus *Moyſi cur aſſignaverit Prophetam.* 816. F.
Deus *qua ratione conſuleretur ab Iſraëlitis, oſtenditur.* 822. D.
Deus *interrogationibus reſpondebat, aut vocibus, aut per ſomnium, aut viſione, aut ſignis in Ephod.* ibid. E.
Deus *raro vocibus poſt Moyſen reſpondebat.* 823. B.
Deus *in Tabernaculo tantum vocibus reſponſa dabat.* ibid.
Deus *mediante Propheta, vocibus reſponſa dabat.* 824. A.
Deus *viſionibus ad Prophetas reſponſa dabat.* ibid. B.
Deus *per ſomnium etiam, non Prophetis reſpondebat.* ibid.
Deus *qua ratione reſponſa daret per Ephod.* 825. C.
Deus *ſecretò revelabat interdum Prophetis, quis futurus eſſet Rex.* 835. E.
Deus *pietate ſumma, peccata Davidis corripuit.* 863. A.
Deus *non conſulebatur ſine ſacrificiis.* 948. E.
Deus *in conſtituenda Repub. Iſraëlitica, cum Optimatibus paciſci voluit.* 1106. F.
Deus *Populum Iſraëliticum fœderibus ad Legum obſervantiam vincire voluit.* 1107. A.
Deus *in fœderibus ſanguinem victimarum abeſſe noluit.* 1115. F.
Deus, *quas voluerit mactari victimas, quando fœdus cum Abraham firmavit.* 1118. D.
Deus *Iſraëliticam inſtituturus Rempub. fœdera ſancire voluit.* ibid. F.
Deus *Samueli Reges inaugurandi ritus præſcripſit.* 1058. F.
Deus *in fœderibus firmandis juramentum adhibuit.* 1127. B.
Deus *ſimplici promiſſioni ſtat.* ibid. C.
Deus *teſtis advocabatur in fœderibus inaugurationis.* 1130. D.
Deus, *Reges à Prophetis ungi cur voluerit.* 1063. E.
Deus *convivio excepit populum Iſraëliticum ad Sinai.* 1151. E.
Deus *jus ſibi reſervaverat deſignandi Regem Iſraëlitis.* 809. C.
Deus *pacto ſe obligavit ad Populum Iſraëliticum introducendum in regiones Chananæorum.* 1107. B.
Deus *cur elegerit Duces agreſtes ad regimen populi.* 804 C.
Deuteronomii *liber, ſanctior cæteris cenſebatur.* 1026. D.
Deuteronomium *Regi conſignari ſolitum ſentiunt aliqui.* ibid. B.
Dextera, *ſanctiſſimum fidei pignus cenſebatur.* 1125. C.
Dexteræ *in fœderibus conjungebantur.* 1124. A.
Dexterarum *conjunctione fœdera ſtabiliebantur.* 1124. A.
Diadema, *præcipuum Regii capitis ornamentum.* 983. F.
Diadema *diſtinguitur à Corona.* 985. B.
Diadema, *vitta erat, qua caput cingebatur.* ibid. C.
Diadema, *vitta ſatis ampla, & longa ſic dicebatur.* ibid. F. 986. D.
Diadema *Macedonicum quid eſſet.* ibid. A.
Diadema *caput cingebat ita, ut in occipitio fluitaret.* 987. F.
Diadema *Coronæ ſupponebatur regiæ.* 990. F.
Diadema *ſumpſere reliquæ gentes à vitta hyacinthina ſummi Sacerdotis Hebræorum.* 1002. B.
Diadema, *Zaneph, Hebraicè dicebatur.* 996. A. B.
Diadematis *uſus quàm antiquus.* 984. B.
Diadematis *uſus apud multas nationes.* ibid. E.
Diadematis *uſus penes Imperatores Romanos.* ibid. F. 985. A.
Diadematis *vox unde derivetur.* ibid. D.
Diadematis *longitudo oſtenditur.* 986. D.
Diadematis *uſus apud Romanos Reges, ab exordio Reipublicæ.* 989. F.
Diadematis *uſus apud Hebræos.* 996. D.
Diadematis *uſus apud Græcos.* 989. C.
Diadematis *color oſtenditur.* 987. A.
Dianæ *Templum, hoſtium ſpoliis Alexander ornavit.* 892. C.
Diapaſmata, *quænam compoſita aromatica dicerentur.* 5. E.
Dicendi *verbum, quando vim præcepti teneat.* 368. C.
Dictio *hebraica Suſcian, non eſt interpretanda roſa, ſed lilium.* 118. C.
Dictio *Cinnah hebraica, ſcutum, non lanceam ſignificat.* 874. B.
Dictione *Cinnah, cur Sacer Scriptor ſit uſus.* 875. F.
Didrachma, *ſtater, & ſiclus idem ſunt.* 314. E.
Dies *lætitiæ quinam dicerentur apud Hebræos.* 143. B.
Dies *Conſecrationis Tabernaculi, appellatur dies erectionis.* 44. D. 445. E.
Dierum *ſeptem ſpatium requirebatur in Conſecrationibus.* 636. C. 648. C.
Dies *nona menſis, fuit prima reconſecrationis Templi prophanati ſub Achaz.* 682. D.
Dies *luſtrici diſtinguuntur à diebus Conſecrationis.* ibid. E.
Dierum *diſtinctio, in quibus conſecratum fuit Tabernaculum cum omnibus utenſilibus, deinde Sacerdotes, & Principes Tribuum obtulerunt munera, exercitus recenſitus eſt, & Levitæ tandem deſtinati ad onera Tabernaculi recenſiti.* 686. A.
Digitos *plenos myrrha probatiſſima cur dixerit ſponſa.* 253. C.
Digito *ſanguis, in altaris expiatione aſpergebatur.* 657. C.
Digito *aſpergebantur veſtes Sacerdotales, ſanguine & oleo, cum conſecrarentur* 714. D.
Dignitas *Summi Sacerdotis fuit ſplendida in lege Moſaica.* 701. C.
Dignitas *quæ alicui auſpicabatur, cùm ſalutaretur, in verbis exprimebatur.* 974. E.
Dignitatem *in ſalutando Principe exprimebant Iſraëlitæ.* 976. A.
Diis *ſacra olim fiebant à Romanis ex noxiorum bonis.*
Diis *terreſtribus aras erigebant Iſraëlitæ.* 581. E.
Diis *cœleſtibus in excelſis ſacrificabatur.* ibid.
Diomedes *& Ulyſſes non prius occubuerunt apud Trojam, quam ungerentur.* 188. A.
Diſtringebantur *veteres in balneo ſtrigilibus.* 173. B.
Diſtringi *in balneo neceſſarium exiſtimabant veteres.* 174. B. ibid. C.
Diſtringi *alterum ab altero, ad juſtitiam commutativam refert Clemens Alexandrinus.* ibid. E.
Divina *protectio ſub metaphora Lecti in ſacris litteris ſignificatur.* 874. C.
Divina *præcepta, qua phraſi dicendi fulciantur.* 1091. F.
Divinationum *varia genera traduntur.* 819. B.

Divinam *ſubſtantiam nec balbutiendo explicare poſſumus.* 549. D.
Divina *nomina Principes admittere non ſunt veriti.* 550. D
Divinarum *legum aliæ commonitionis, aliæ animadverſionis erant.* 391. B.
Divinitatis *ſpecimen in oleo reperitur.* 404. C. 405. C.
Divino *cultui mancipata, cur in ſcripturis ſancta dicantur.* 268. B.
Divinos *honores uſurpaſſe ſibi Romanos Principes oſtenditur.* 551. D.
Divinos *honores appetentes ſeveriſſimè à Deo puniti ſunt.* Ibid. F.
Dogmata *falſa quanta religione venerarentur Gentiles.* 381. A.
Domeſtica *veſtimenta habuerunt Aaron, & reliqui Sacerdotes.* 722. A.
Dominium *in reliquos fratres habebant primogeniti in lege naturæ.* 694. F.
Domus *Domini, ſanctior pars totius Templi appellatur.* 682. D.
Domus *purificandæ, Iſraëlitarum ritus.* 434. A.
Donum *& munus, quomodo diſtinguantur.* 978. F.
Dormire, *pro jacere, & viciſſim, ex phraſi Septuaginta in Pſalmis ſumitur.* 900. E.
Dormire, *quomodo exprimatur ex phraſi Linguæ ſanctæ.* 901. F.
Drachma *Attica in valore parum differebat à denario Romano.* 312. E.
Drachma *Æginea, majoris valoris erat quam drachma Attica.* 313. D.
Drachma *Æginea decem obolos valebat.* 315. D.
Duodenarius *lapidum numerus, in excitandis altaribus ſervabatur.* 598. D.
Duodecim *tituli in firmando fœdere excitati à Moyſe fuerunt.* Ibid. E.

E.

EBur, *aliquando ſupra aurum æſtimatum.* 1147. F.
Eccleſia *quare nomen Dei ineffabile, per vocem Dominus interpretari ſoleat.* 552. E.
Eccleſia *eſt omnino libera à præceptis quibuſcumque cæremonialibus, & judicialibus latis à Deo in Sinai.* 569. F.
Effuſio, *quibus verbis hebraicè ſignificetur.* 713. E.
Effuſione *ſacri olei, conſecrabatur Summus Sacerdos Iſraelita.* 718. A.
Effuſione *copioſa Sacri olei conſecrabatur Summus Sacerdos.* ibid. D.
Effuſio *ſacri olei in conſecratione ſolius Summi Sacerdotis erat.* 719. B.
Effuſio *ſacri unguenti erat de eſſentia conſecrationis Summi Sacerdotis.* 723. E.
Eleazar *Sacerdos a Deo præficitur duce Joſue.* 1067. A.
Electio *Regis quando facienda foret in Iſraëlitica Repub.* 773. B.
Electio *alicujus in Regem, Regni poſſeſſionem nullam dabat.* 1107. F.
Electio *Imperatoris neceſſaria eſt in quocumque exercitu.* 558. F.
Electio *alicujus in Principem, tacitè ad jura Principatus ligat electores.* 369. A.
Eleemoſyna *eſt condimentum perfectionis.* 13. A.
Eleemoſyna, *olei vocabulo in ſcripturis ſacris ſignificatur.* ibid. B.
Elæotherium *erat cella unctionibus in balneo accommodata.* 168. B.
Elæotherium *quid differat ab Alypterio.* ibid.
Elæotherio *utebantur certatores.* ibid. C.
Eleazarus *filius Aaronis, ſacro unguento Summus Sacerdos conſecratus eſt.* 720. E. 722. E.
Eleazarus *in monte Hor, non ſacro, ſed communi Summi Sacerdotis amictu veſtitus fuit.* 722. F.
Eleazarus *Aaronis filius, omnibus ritibus, atque Aaron, Summus Sacerdos conſecratus eſt.* 724. C.
Electio *Imperatoris neceſſaria eſt in quocumque exercitu.* 558. F.
Electio *alicujus in Principem, tacitè ad jura Principatus ligat electores.* 369. A.
Eliæ *iter, cum fugeret à Jezabele juxta conſtituta illi à Deo.* 198. A.
Eliam *jubet Deus reverti in viam ſuam, hoc eſt ad priſtinam conſuetudinem prædicandi & ſuadendi legis obſervantiam.* 199. C.
Elias *non erat ex Sacerdotali proſapia.* 1040. B.
Elias *poculum religioſum ad libamina ſecum ferebat.* 224. E. F.
Elias *in Carmelo erexit altare, ubi jam antea erectum fuerat.* 571. F.
Eliſeus *in aquas ſale injecto, illas dulces effecit.* 422. E.
Eliſeus *aliquo genere olei initiatus propheta ab Elia videtur.* 194. E. F.
Eliſeus *nequaquam oleo unctus ad prophetiæ munus obeundum.* 201. B. C.
Eloquentia *Imperatori ſummè neceſſaria.* 1013. A.
Emicadium *vas unguentarium unde dictum fuerit.* 216. A.
Emptiones *& venditiones, antiquitus commutatione habebantur.* 295. C.
Ephod *Regium carebat gemmis in humeris, & Rationali in pectore.* 1018. C.
Ephod, *cujus eſſet formæ.* 1020. A.
Ephod *geſtare apud Iſraëlitas, nemini vetitum videtur.* ibid. C.
Ephod *Reges Iſraëlitas geſtaſſe oſtenditur.* ibid. D.
Epulari *coram Domino, quid ſit in ſacris litteris.* 1153. D.
Equi, *nonnulli præter Principem nullum alium admittebant ſeſſorem.* 930. F.
Equo, *aut mula Regia vehi, ſummæ erat majeſtatis.* 927. E.
Equo *vehi, nobilitatis nota fuit apud Parthos & Perſas.* 931. B.
Equo *Regio vehi privatum aliquem hominem, capitale fuit.* ibid. C. 932. F.
Equo *vehi de conſenſu Principis, ſummæ dignitatis fuit.* 931. C.
Equorum *dignitas, ad Regiæ majeſtatis notam.* 930. A.
Equus *Tiberii in conflictu flammas evomere viſus eſt.* ibid. E.
Equus *Cæſaris pedes habebat quaſi hominis.* 931. A.
Equus *Regis Scytharum in hoſtem inſiluit.* ibid. B.
Eſau *pro vili eſca vendidiſſe primogenita conſtat.* 695. C.
Eſau *neceſſitate compulſus non vendidit primogenita.* ibid D.
Eſau *vendidit primogenita pro eſca purpurei coloris.* 696. C.
Eſau *quando vendidit primogenita, erat fere octuagenarius.* 695. D.
Eſau *parvipendit Sacerdotalem dignitatem.* 696. A.
Eſau *non vendidit primogenita pro lente.* 695. C. 696. E.
Eſau *vendidit primogenita, pro quodam cibo delicatiſſimo.* 697. A.
Eſau *vendidiſſe primogenita pro loto conjectatur auctor.* 697. E. 699 D.
Eſau *non ſprevit primogeniti jura temporalia.* ibid. E.
Eſau *ferocitate naturæ, Jacobum inſultabat, & contemnebat.* 696. A.
Eſchara *Græcè dicebatur craticula altaris.* 663. D.
Eſdra *primum altaris ædificium lapideum, erexiſſe conjectatur.* 595. C.
Eſdra *non ædificavit altare, ſed ſubſtructiones, ſive crepidines ſuper quas altare collocabatur.* 607. A. 627. E.
Eſther *ſmegmatibus utebatur in mundo muliebri.* 255. D.
Ethica *facultas, communis eſt omnibus gentibus.* 389. A.
Ethnici *non quacumque aqua ad luſtrationes utebantur.*

 Ethni-

Ethnicorum *altaria varia.* 600. A.

Ethnicorum *domeſtica altaria , non multum elevabantur.* 601. A.

Ethnici *marina aqua luſtrabantur.* 690. C.

Ethnici *ab expiatione Moſaica ſumpſere taurobolium & criobolium.* 702. B. 707. A.

Ethnici *ab Hebræis ſuas cæremonias ſuffurati ſunt.* 797. E.

Ethnici *ignorantes ſacram Scripturam, loca ejuſdem confundebant.* 923. C.

Ex, *præpoſitio ad caſum auferendi pertinet.* 650. E.

Excelſa *ſacrorum de cauſa , prohibita erant Iſraëlitis.* 603. B.

Excelſa *ſacrorum de cauſa curabant idololatræ.* ibid.

Excubare *eſt verbum militare , ſignans vigilias agere in cuſtodiam.* 684. A.

Execrationes *adverſus fœdifragos , in fœderibus ſanciendis interponebantur.* 1132. E. 1133. F.

Executio *poenarum ad eum pertinet , qui Reipublica præeſt.* 398. D.

Exercitio *& corporis agitatione ſudorem excitare conſueverunt veteres.* 166. A.

Exercitus *Iſraëliticus , more militari per ſtationes movebatur.* 571. D.

Exercitus *ſic dicitur ab exercitio.* 803. D.

Exercitus *Iſraëlitici diſpoſitio , Columbæ ſæpiſſimè comparatur à Spiritu ſancto.* 904. B.

Exercitus *optima diſpoſitio inter res aſpectu pulcherrimas enumerarunt veteres.* ibid. D.

Exercitus *diſpoſitio in frontem , alam ſiniſtram & dextram , atque corpus exercitus , & ejuſdem tergum partitur.* 905. C.

Exercitus *Iſraeliticus proficiſcendi ratio.* 572. D.

Experimento *probare , an tabulæ Tabernaculi rectè connecterentur necne , alibi quam in area , in qua fuit erectum, non poterat.* 421. F.

Expio *quomodo accipiatur , & quid ſignificet.* ibid. E.

Expiatio *tanti meriti cenſebatur ab Ethnicis , ut renatus diceretur qui expiabatur.* 702. C.

Expiationis *tauroboliatæ Ethnicorum ritus.* 704. F.

Expiationis *aqua apud Iſraëlitas quænam diceretur.* 434. C.

Expiatio *Arcæ ſolius ſanguinis aſperſione facta fuit.* 476. E.

Expiatio *ſanguine agebatur.* 640. E. 645. F. 651. E. 702. A.

Expiabatur *altare ſanguine vituli , hirci , & arietis.* 646. A. D. 654. B.

Expiatio *altaris per ſeptem dies habebatur.* 646. E.

Expiationes *in conſecratione ſingulo quoque die per ſeptem conſecrationis repetendæ erant.* 707. A.

Expiatio *conſecrationem præcedebat.* 650. D.

Exterminari *de populo , & ſimiles , pœnam incorporalem ſignificant.* 395. B.

Exterminationis *pœna ſine particula individuante , proſapiam tranſgreſſoris reſpicit.* 396. D.

Extinctionem *nominis & proſapiæ peccanti in cultum olei conſecrationis timenda fuit.* 397. A.

Extremitates *rerum quarumcumque , qua voce ſignificentur.* 665. D.

Extremas *ſententias in arduis tenuiſſe , vitium ſapit.* 1030. C.

Exultationis *oleum dicebatur oleum lætitiæ.* 114. E. 143. A.

Ezechiel *quid voluerit ſignificare arielis nomine.* 610. C.

F.

FAbia *Agonia Tauroboliata Sacerdos ſcribitur.* 703. F.

Fabiæ *Agoniæ Tauroboliatæ Sacerdotis ſimulachrum.* ibid. E.

Fabula *Comœdiæ, plauſu approbabatur.* 1090. A.

Facies, *& os , mentagræ morbo cum inficiebatur.* 963. F.

Fanum *ſiſtere ex veterum phraſi eſt aream ad locum ſacrum erigendum conſtituere.* 415. F.

Farinæ , *olei , & adipis commixtio in ſacris.* 674. A.

Faſcium *Romanorum Conſulum ſignificatam.* 390. F.

Favere , *quid ſignificet.* 1088. E.

Favor *manuum erat in plauſu.* ibid. D.

Ferrei *Nummi uſus.* 304. F.

Ferri *rudis uſus , in emptionibus apud Lacedæmonas , & alios.* 297. A.

Feſta *deorum coronati veteres celebrabant.* 121. B.

Feſtæ *frondes, decorticata capita victimarum , & cornua, religionis veteris notæ erant.*

Feſtorum *dies in ſacris litteris , dies lætitiæ dicuntur.* 143. E.

Feſtos *dies habebant Hebræi , dum Ægyptum incolerent.* 760. E.

Feſtos *dies obſervaturi Iſraëlitæ horam præveniebant.* 53. C.

Feſta *dies lucernarum apud Ægyptios quænam eſſet.* 22. E.

Feſulis *antiquitus erat Collegium augurum.* 190. B.

Fide *ſignificabatur myrrha , quæ oleum conſecrationis ingrediebatur.* 360. F.

Fidelitatis *homagium Proceres Reipub. cogebantur ei reddere , quem Deus elegiſſet.* 813. A.

Filiorum *nomine , non tam proxime geniti , quam omnes poſteri ejuſdem proſapiæ , in ſacris litteris ſignificantur.* 723. B.

Fiſtulæ *uſus apud Ethnicos ad præcinendum in ſacrificiis.* 1104. E.

Fiſtulæ *forma monſtratur.* Ibid. D.

Fiſtulæ , *quam in menſa Propoſitionis Rabbini commiſcuntur forma.* 489. D.

Floribus *omnigenis inſtravit porticus Heliogabalus.* 120. D.

celebrabant veteres. 121. B.

Floribus *coronari inſolentis erat ingenii.* 128. B.

Flores *coronarii quinam eſſent.* ibid. C.

Floribus *coronabantur in conviviis veteres Iſraëlitæ.* 138. A.

Foculus *altaris aurei , cujus eſſet formæ.* 533. C. 537. B.

Fœderis *vigore Iſraëlitæ obligabantur ad obſervantiam legum , quæ traditæ fuerunt per manum Moyſi in Sinai.* 367. E.

Fœderis *verba , cur lex appelletur.* 558. C.

Fœderis *ſtabiliendi inter Principes forma.* 560. C.

Fœderis *inter Deum , & populum initi forma.* 561. A.

Fœdus , *& teſtimonium idem multoties ſignificat.* 586. B.

Fœdus *quid ſit.* Ibid. C.

Fœdera *conventiones requirunt.* ibid.

Fœdera *apud altaria firmabantur.* ibid. E.

Fœderis *perpetui feriendi forma.* 587. F.

Fœderum *ſcriptura , in concavo altaris ſcribebatur , ut firma eſſet.* 589. D.

Fœcialis *à Romanis ad firmandum fœdera mittebatur.* 1112. E.

Fœcialis *cur ſic diceretur.* ibid. F.

Fœdera *ſanciebantur cùm Reges Hebræorum inaugurarentur.* 1107. D.

Fœdera *interpoſita cur non fuerint in Electione Saulis, & Salomonis declaratione ad Regni ſucceſſionem.* 1108. A.

Fœdera *duplicia ſanciebantur , cùm Reges inaugurarentur.* ibid. E.

Fœdera *percutere coram Domino , quid ſit.* ibid. D.

Fœdera *ſancire ad Numinis præſentiam , omnes Nationes conſuevere.* 1110. E.

Fœdera prope *altaria firmabantur.* 1116. B.

Fœdera , *ſolius ſupremi Magiſtratus juſſu ſtabiliebantur.* 1107. E.

Fœ-

Fœdera *à feriendo dicta*, *tradit Feſtus.* 1115. E.
Fœdera *inaugurationis eiſdem victimis feriebantur, ſicut reliqua fœdera.* 1119. B.
Fœdera *firmabantur contactu hoſtiarum, & dexterarum conjunctione.* 1124. A.
Fœdera *qua juramenti forma ſancirent Romani.* 1129. F.
Fœdera *inaugurationis, quo ritu firmarentur apud Hebræos.* 1135. C.
Fœdera *frangere, ſummum nefas putabatur.* 1137. C.
Fœdera *inaugurationis, juramento firmabantur.* 1128. B.
Fœdera *apud Hebræos abſolvebantur convivio.* 1151. C.
Fœderalem *victimam ſilice mactabant Romani.* 1120. D.
Fœderantes *inter diſſectas victimas pertranſibant.* 1134. D.
Fœderantes *cur inter diſſectas victimas tranſirent.* ibid. C.
Fœderibus *victimæ debebantur.* 1115. F.
Fœderibus *inaugurationis, juramentum interponere veteres conſueverunt.* 1130. C.
Fœderibus *in ſanciendis cur Hebræi victimas diſſecarent.* 1134. B.
Fœderis *initi inter Deum & Populum forma.* 1107. C.
Fœderis *vocabulo ſignificabantur victimæ, vina, crateres, pateræ, & omnia quæ ad fœdera ſtabilienda requirebantur.* 1116. C.
Fœdus *inter Deum, & Regem firmabatur, cùm Rex inaugurraretur.* 1109 C.
Fœdus *ſancitum inter Græcos & Carthaginenſes.* 1110. F.
Fœdus *inter Romanos & Carthaginenſes in medio pelago ſancitum fuit.* 1111. E.
Folia *quædam, quæ in altaribus Ethnicorum viſuntur, quid eſſent.* 670. A.
Fons *apud Thyanem perjuris adverſus.* 1126. C.
Fontes *bini ex monte Sion erumpebant.* 951. A.
Forcipes *Candelabri quales eſſent.* 670. F.
Forcipum *uſus in altari Moſaico fuit.* 672. F.
Forma *tabularum Tabernaculi Moſaici.* 451. C.
Forma *ſacræ Arcæ de mente Auctoris.* 473.
Forma *ſacræ Arcæ de mente aliorum.* 464. & 465.
Forma *ſacræ Menſæ de mente Rabbinorum.* 480.
Forma *ſacræ Menſæ de mente aliorum Scriptorum.* 481.
Forma *ſacræ Menſæ de mente Auctoris.* 484.
Forma *Cherubinorum in Sancto Sanctorum Templi Salomonis.* 472.
Forma *vaſis ad libamina liquidorum in ſacris.* 504. *D.*
Forma *libatoriorum, & ſimpulorum, pro ſacrificiis.* 507. A.
Forma *guttorum, quorum uſus erat in ſacrificiis.* 512.
Forma *leunculi, quo vinum fundebatur in ſacris Hebræorum.* 514. C.
Forma *ſacri Candelabri, de mente Auctoris.* 528. C.
Forma *vaſis quo utebantur Ethnici in ſacris Veſtalibus.* 546.
Forma *Moſaici labri.* 548. B.
Forma *altaris Salomonis.* 613. C.
Forma *acetabulorum.*
Forma *veteris ſalini ex Menſa Propoſitionis.* 494. A.
Forma *phialæ.* 496. A.
Forma *veteris Præfericuli.* 504. D.
Forma *Candelabri Ethnicorum.* 518.
Forma *altaris aurei ad uſum thymiamatis.* 534.
Forma *foculi aurei pro altari thymiamatis.* 536.
Forma *acerræ Ethnicorum.* 538. E.
Forma *Thuribuli Alexandri Imperatoris.* 540. B.
Forma *Thuribuli Iſraëlitici.* 541. E.
Forma *altaris ruſtici Ethnicorum.* 597. C.
Forma *altaris Ezechielis cum gradibus.* 623.
Forma *altaris Salomonis.* 614.
Forma *Tripodis cum ſacrificio Priapi.* 625. D.
Forma *veteris tripodis portatilis.* 626.
Forma *interior altaris Moſaici cum craticula.* 629. D.
Forma *arulæ Moſaicæ.* 630.
Forma *exterior Moſaici altaris.* 634.
Forma *aſperſionis ſanguinis in ſacris Ethnicorum.* 655.
Forma *craticulæ altaris.* 665.
Forma *vaſis ad excinerandum altare, & aliorum vaſorum.* 672.
Forum *unguentarium, & aromatarium Urbes nobiliores habebant.* 88. B.
Forum *cur apud Latinos dicantur Curiæ Judiciorum.* 791. E.
Forum *eſculentorum extra mœnia urbis habebant Samaritæ.* 792. E.
Fratres *Davidis eumdema Samuële Regem unctum non agnoverunt.* 1065. D.
Fulgorem *armorum ad terrorem hoſtibus incutiendum, ſtudioſè procurare debent milites.* 906. B.
Fulmen *ab Jove contra fœdifragos immitti credebant Ethnici.* 1133. D.
Fumus *unde dicatur.* 529. F.
Funebria *tangentes, aut luctuoſis ſe commiſcentes, immundabantur apud Iſraëlitas.* 1053. C.
Funeris *acceſſu Judæi immundabantur.* 156. B.
Fuſcina *erat inſtrumentum ad uſum ſacrificiorum apud Iſraëlitas.* 675. A.
Futile *genus vaſis apud Ethnicos piramidatum.* 546. *D.*

G.

GAlba *cohortem Germanorum ad ſatellitium inſtitutam diſſolvit.* 881. E.
Galbeus *erat delicatiorum hominum ornamentum.* 1008. D.
Garus *liquor erat ex piſcium inteſtinis.* 404. E.
Gaudium *eſt interna animi jocunditas, moderata per rationem.* 112. E.
Gaudium *& lætitia promiſcue ſumuntur ab auctoribus.* 114. *A.*
Gentiles *non obligabantur ad obſervantiam legis Moſaicæ.* 374. F. 376. A.
Gentiles *qui probabiliter conjectarentur, Deum Hebræorum verum eſſe Deum, ad nonnulla præcepta legis obligabantur.* ibid. E. F.
Gentiles *obligabantur præceptis cultus olei conſecrationis.* 379. C.
Gentilis *circumciſus ad moralia, & ceremonialia præcepta aliqua tenebatur.* 377. F.
Gentiles *obligabantur præcepto cultus ſacrorum utenſilium.* 380. E.
Gentiles *ignem & aquam luſtrationis inſtrumenta, à Moſaicis acceperunt.* 433. D.
Gentilis *transgreſſor cultus olei conſecrationis, mortaliter peccabat.* 387. A.
Gentiles *aream luſtrare conſueverunt ſacrorum de cauſa.* 435. C.
Gentilibus *ſacri olei compoſitio, & uſus vetitus erat.* 384. D.
Germanicus *Zenonem conſtituit Armeniorum Regem.* 957. A.
Gerah *monetæ genus erat apud Hebræos.* 315. E.
Gihon *appellabatur quidem mons, & fons prope Jeruſalem.* 950. E.
Gihon *fons decurrebat ad urbis Jeroſolymitanæ mœnia.* 951. B.
Gihon *fons cur ſic diceretur.* 952. F.
Gihon *fons dicebatur etiam Siloës.* 953. A.
Gihon *cur Siloës diceretur.* Ibid. C.
Gihon *interpretatur vallis gratiæ.* 954. B.
Gladii *ſacri ad mactandas victimas, non prophani, habebantur.* 1120. C.

Gladio *duplici uti in pugna, fuit ſingularis dexteritatis apud veteres.* 884. E.
Gladio *communi victimam mactare cur veteres caverent.* 1120. D.
Gladio *ferreo, non ſacro, pili ex vertice victimæ in ſacris præcidebantur.* 1123. A.
Gladios *Goliath, David Numini conſecravit.* 892. E.
Gordiani *nummus cum dea Lætitiæ.* 125. F.
Gradus *habuiſſe altaria Iſraëlitarum conſtat.* 617. D. 621. D.
Gradus *habuiſſe altare Ezechielis conſtat.* 617. D. 619. A.
Gradus *prohiberi in altari, quomodo velit Abulenſis.* 619. E.
Gradus *ratione idololatrici cultus aliqui prohiberi in altari autumant.* 620. C.
Graduales *Pſalmi cantari ſolitos, dum aſcenderetur ad altare, conjectatur.* 622. A.
Gradus *in ædificio altaris, non altare, ſed ſuperiorem tantum crepidinem attigerunt.* 623. A.
Græci *uſque ab Iliacis temporibus cœnam prævenire unctione conſuevere.* 187. B.
Græci *nimium profuſi fuere in uſu unguentorum inter pocula.* 203. C.
Græci *unguenta cum vino biberunt, hæc commiſcentes.* 212. A.
Græcos *holocauſtum habuiſſe probatur.*
Græca *vox* χειροτονία *manuum impoſitionem ex munere ſacerdotum ſignificat.* 1072. F.
Græci *ſub dio Comitia Reipub. celebrabant.* 788. E.
Græci *non ſemper eaſdem victimas in fœderibus mactavere.* 1116. D.
Græci *ferrum ignitum in fœderibus, quo ritu adhiberent.* 1132. F.
Græci *precationes, & imprecationes in fœderibus, cùm vina libarent, interponebant.* 1133. B.
Grave *æs pecunia à pondere dicebatur.* 298. B.
Grave *æs plauſtris in ærarium ducebatur.* ibid. D.
Gummæ *arborum cremabantur à veteribus in aris Deorum ad ſuffitum.* 320. A.
Gutti, *& ſimpuli diſcrimen in ſacris Ethnicorum.* 511. F.
Gutti *poſiti erant ſuper Menſam Propoſitionis.* 512. D.
Guttorum *forma ex antiquis.* 512. C.
Guttus *à guttatim effundendo in ſacris, eo nomine dicebatur.* 511. E.
Guttus *erat vas unguentarium.* 230. F.
Guttus *quare ſic diceretur.* 231. A.
Gutturnium *erat idem vas, quod guttum.* ibid.
Gymnaſia *veteres habuerunt exercitationum de cauſa.* 166. B.
Gymnaſium *unde ſic diceretur.* 167. B.

H.

HÆreditatem *inter filios Iſraël, Sacerdotes & Levitæ tanquam Legatarii acceperunt.* 373. E.
Hæreditas *inter jura incorporalia recenſetur.* 394. F.
Hæreditatem *adire, eſt de intrinſeca ratione hæredis.* 374. B.
Hæreditates *funiculis diſtributæ fuere ab Iſraëlitis.* 856. C.
Hamilcar *Annibalem filium jurare coëgit, ſe hoſtem Romanorum futurum.* 1112. A.
Haſtæ *fuerunt pro Sceptro apud Veteres.* 1012. C.
Have, *cum aſpiratione aliquando ſcriptum apud veteres.* 972. F.
Hazaël *non fuit ab Elia oleo unctus in Regem ſuper Syriam. Sed ad Eliſeo Rex prænunciatus.* 200. B.
Hebræi *diſtinctis vocabulis lætitiam & gaudium ſignificabant.* 113. B.
Hebræi *mœroris cauſa ab unctionibus & unguentis abſtinebant.* 140. B.
Hebræi *purificationibus & balneis, etiam ante legem indulſerunt.* 147. F.
Hebræi *folia habuerunt ad uſum ablutionis.* 177. B.
Hebræi *conſueverunt ungi antequam accumberent.* 188. D.
Hebraicum *altaris nomen conſideratur.* 577. F.
Hebraica *exemplaria ſacrarum litterarum, ſunt diligenter examinanda.* 915. B.
Hebraica *ſacrarum litterarum exemplaria, antiquitus non habuerunt puncta.* ibid. D.
Hebraica *exemplaria, quibus utuntur Hebræi ſuis in Synagogis, carent punctis.* ibid. E.
Hebraica *lingua habet quamplures characteres ſimillimos.* 917. C. ibid. D.
Hebraica *Biblia antiquitùs non diſtinguebant capitula, neque verſus unius libri, neque dictiones inter ſe.* 918. D.
Hebraica *exemplaria, quam facile mendoſa potuerint fieri.* 919. A.
Hebraica *exemplaria mendum patiuntur in cap.* 36 *Geneſis.* ibid. B.
Hebraicorum *exemplarium menda nonnulla conſiderantur.* 916. C.
Hebræi *dum Ægyptum inhabitarent, ſacrorum de cauſa, deſerta petebant.* 760.
Hebræi *nobilitatem, & robur militare reſpiciebant in electione ſtipatorum.* 881. E.
Hebræi, *cæteris gentibus ambitioſiores in veſtimentis.* 1015. F.
Hebræi *a contactu ſacræ Aræ arcebantur.* 1112. B.
Hebræi *cur fœdera firmaturi lapides prægrandes erigerent.* 1113. B.
Hebræi *fœdera juramento firmabant.* 1126. F.
Hebræi *quo ritu firmarent fœdera inaugurationis.* 1135. C.
Hebræis *interdicta fuere negocia cum Ethnicis.* 859. C.
Hebræis, *fœdera non licebat ſancire ſine victimis.* 1118. C. Vide, *Iſraëlita, Iſraëlitici, &c.*
Hebræorum *profuſus inter pocula unguentorum uſus.* 204. D.
Hebron *locus erat religioſus Iſraëlitis.* 949. C.
Heemanticæ *litteræ in lingua Hebræa, ſunt ad formationem caſuum.* 915. C.
Hectoris *cadaver roſaceo unguento à corruptione Venus ſervavit.* 124. B.
Hedera *veteres coronatos nummus oſtendit.* 127. E.
Helim *appellabantur Principes defuncti, quò antiquiſſimi venerabantur ſub ratione deorum.* 562. A.
Heliogabalus *roſis inſtrabat porticus, & omni florum genere.* 120. D.
Heliogabalus *floribus oppreſſit in tricliniis paraſitos ſuos.* 124. D.
Heliogabalus *roſato ſolia, & piſcinas temperavit.* ibid.
Heliſæus *precibus ſuis, unguentum mulieri Thecuitæ multiplicavit, ut ſibi debitoribus ſolvendo eſſet.* 80. E.
Helohim *cur Deus appellaretur.* 556. E. 558. A. 562. A.
Helohim *creaturis attributum in Scripturis ſacris.* 556. F.
Helohim *quomodo formetur.* 557. C.
Helohim *Principes appellabantur.* ibid. A.
Helohim *etymologia.* ibid. C.
Herculis *Sacerdotes Ephod amicti.* 1020. E.
Heliogabalus *ſacra Romanorum prophanavit.* 461. F.
Herodes *Templum auguſtiſſimum Hieroſolymis ædificavit.* 616. A.
Herodes *in ædificio altaris magnificentiſſimè ſe habuit.* ibid. B.
Herodes, *& ejus ſucceſſores, Divino jure excludebantur à Judæorum Regno.* 811. E.
Herodis *ambitio in cultu veſtimentorum.* 1016. F.
Heſiodus *ſcutum ad favorem Herculis Amphytrionæi excogitatum oſtendit.* 895. F.

He-

Hetruſci in arte augurandi peritiſſimi fuerunt. 190. B.
Hetruſci ab Hebræis acceperunt formam lati clavi. 1020. D. itemque vocabula rerum. 1020. E.
Hieronymus in rebus dubiis ſacrarum litterarum, quam interpretandi rationem tenuerit. 910. F.
Hieroſolymis erat forum unguentarium. 88. B.
Hieroſolymis gymnaſium erat ad puerorum exercitia. 167. A.
Hin erat menſura olei duodecim capiens libras. 294. D. 360. A.
Hin eſt menſura liquidorum in ſacris litteris. 359. E.
Hin continebat duodecim logh. ibid.
Hircus cum vitulo & ariete in conſecratione altaris offerebatur. 642. B.
Hiſpani ſaltu, cantuque ex ſonitu cetræ, hoſtem aggrediebantur. 878. B.
Hiſtorias, atque poëmata in ſolio balnei veteres libenter audiebant. 152. E.
Hodie, quomodo aliquando accipiatur in ſacris litteris. 588. C.
Holocauſtum quid. 600. E.
Holocauſtum ſacrificii genus Græci habuerunt. 600. F.
Holocauſti ſacrificium Romani etiam habuerunt. 602. B.
Homines non tenentur obſervare, quæ Deus alicui in ſingulari præcepiſſet. 389. D.
Honores divinos Imperatores Romani appetierunt. 551. D.
Horæ balneariæ quænam eſſent. 148. B.
Horæ pomeridianæ erant ad unctiones & ablutiones. 184. E.
Horti Midæ roſarum cauſa celebres. 125. C.
Hoſtia apud veteres devovebatur contactu verticis. 1121. C.
Hoſtiæ diverſæ, pro diverſitate gentium, in fœderibus mactabantur. 1675. B.
Hoſtiæ mactabantur ſacrorum de cauſa, firmando fœdera. 586. E.
Hoſtiæ tres mactabantur in conſecratione Sacerdotum. 706 A. 707. E.
Hoſtiarum contactus, ſacrificiis omnibus debebatur. 1121. C.
Hoſtiarum, ac victimarum membra manibus Summi Sacerdotis imponebantur poſtquam conſecratus fuiſſet. 724. B. 730. F.
Humerus, & brachium, eſt ſymbolum roboris, ac fortitudinis. 1074. D.
Hyacinthina veſtis regia, carebat tintinnabulis, ac malis punicis. 1019. E.
Hypocauſton calorem omnibus balneariis cellis miniſtrabat. 179. A.
Hypocauſton dicebatur Vaporarium à Cicerone. ibid.
Hypocauſton unde dictum. ibid. C.
Hypocritæ ab unctionibus abſtinebant, ut jejunia ſimularent. 141. D.

I.

JAcob cum Labano ſanguine victimarum fœdus conſtabilivit. 1116. B.
Janus primus æs ſignavit. 301. B.
Jani duo fuerunt, qui in Italia regnarunt. ibid. D.
Janus idem qui Noë fuit. ibid. E.
Jani biceps caput quid ſignificet. 302. A.
Janum cur veteres divino honore coluerint. 912. B.
Jaſon in ſcrobe, Hecati ſacra facere conſulitur à Medea. 578. D.
Jatralyptæ erant medici unctores qui unguentis infirmos curabant. 84. A.
Jatralyptæ medici unctuarii dicebantur. 169. C.
Ida mons in Creta. 853. F.
Idola ſanctiora in adytis Templorum ab Ethnicis reponebantur. 475. E.
Idola homines ſibi conſtituerunt, ſtatim ac per orbem diſperſi ſunt. 554. B.
Idoli vocabulum Latinis eſt idem, quod Hebræis Bahal. 581. D.
Idolorum multiplicia nomina, unde provenerint ad Gentes. 550. D.
Idolorum multitudo maxima unde Romanis. 590. E.
Idololatræ frequentiſſimè in balneis verſabantur. 432. E.
Idyſmata quænam compoſitiones aromaticæ dicerentur. 7. C. 106. F.
Jehu confidebat cum proceribus totius exercitus, quando Rex fuit electus. 969. B.
Jehu capite tecto à Propheta oleo unctus fuit. 1078 A. B.
Jejunium, luſtrationibus areæ jungebatur ab Iſraëlitis. 441. E.
Jeroboamo Regi futuro, religio ab Ahia propheta commendatur. 800. A.
Jeroboam poſt Salomonem Rex inauguratus, non ſtatim ab obſervantia legis receſſit. 593. B.
Jeroboam erexiſſe altare Domini in Carmelo ſuſpicatur. ibid. C.
Igne cadavera cremare piaculum putabant Ægyptii & Perſæ. 45. B.
Ignem quis primo hominibus detulerit, & quo in loco cœperit uſus illius, varie tradunt ſcriptores. 38. A.
Ignem ſacrum extinguebant Perſæ in funere Regis. In obitu Epheſtionis extinctus fuit Alexandro jubente. 38. F.
Ignem ſacrum extinctum jubare ſolis in æneo vaſe excepto, veteres excitabant. 40. B. hoc ſacra faciebant, hunc tanquam ſacrum ſervabant Romani. ibid. D.
Ignem ſacrum ex Solis jubare primò Prometheus excitare docuit. 40. F.
Ignem ſacrum veteres Romani quotannis excitabant in menſe Martio. 41. B.
Ignem ſacrum ad ſacrificia conſecrationis tabernaculi hauſit Moyſes ſolis jubare, cum ſpeculis mulierum quæ ibi excubabant. 42. D.
Ignem Jovis carcerem dixerunt Pythagorei. 44. C.
Ignem animatum crediderunt aliqui. 45. C.
Ignem ſub nomine Veſtæ Romani colebant. 47. B.
Ignem Deum coluerunt, Aſſyrii, Chaldæi, & Perſæ. 44 C.
Ignem Veſtalem Troja Romam advectum cum penatibus ab Ænea credebant Romani. 47. E.
Ignis agens efficaciſſimus. 36. F.
Ignis à Deo primò fuit hominibus datus. 38. A. B.
Ignis dicebatur perpetuus in ſacris, quod perpetuo nutriendus eſſet. Ibid. E.
Ignis ſacri extinctio ominoſa & lugubris omnibus gentibus. ibid. F. Romanis etiam. 39. A.
Ignis ſacer Græcis extinctus eſt, Apolline jubente, Perſis jam fugatis. 39. A.
Ignis ſacer datus eſt Iſraëlitis octavo tantum die conſecrationis tabernaculi. ibid. F.
Ignis ſacer in ſabbato ſancto phiala aquæ Soli oppoſita excitabatur in Eccleſia. 41. A.
Ignis cultus ab omnibus gentibus. 44. A.
Ignis Veſtalis, & Veſtalium cura erat penes Pontificem Veſtalem. 67. C.
Ignis carbones remotos ab altari ſacrificii non licebat ſacerdotibus extinguere. 45. E.
Ignis præibat caſtra Perſarum, Græcorum & Hebræorum, ſi cum hoſte manus conſerere vellent. 46. C.
Ignis cuſtodia viduis à Græcis, virginibus à Romanis commiſſa fuit. 48. C.
Ignis & aqua luſtrationum præcipua inſtrumenta. 433. B.
Ignium receptacula ad uſum altaris cujus formæ eſſent. 676. D.
Ignium receptaculum ad fovendum illum in motione caſtrorum. 676. E.
Immundorum à mundis diſtinctio fuit etiam ante legem Moſaicam. 436. B.
Immundari paterni funeris cauſa, ſummo Sacerdoti, antequam conſecraretur, nequaquam vetitum erat. 725. C.
Immundatio quam facilis eſſet in lege Moſaica. 647. F. 687. F.
Immunditiæ legales peccata dicuntur in ſacris litteris. 647. F.

Immunditiæ *legales ex leviſſimo contactu à Judæis contrahebantur.* 154. F.
Immundi *à communi hominum commercio arcebantur.* 157. F.
Impedimentorum *locus in caſtris metandis eſt in exercitu medio.* 467. D.
Imperatores *Romani in caſtris habebant tribunalia.* 467. E
Imperator *lectica vehebatur apud Romanos.* 929. F.
Imperator *quibus vocibus à Græcis diceretur.* 956. A.
Imperator *voce Ave ſalutabatur in aſſumptione ad Imperium.* 972. E.
Imperator *III. Imperator IV. & ſimiles notæ quid ſibi velint.* 979. E.
Imperatores *Romani divinos honores appetierunt.* 551. D.
Imperatores *Romani, cur Pontificis nomen uſurparint.* 797. C.
Imperatores *Romanos aliquid parum ſanguinis idolis litaſſe, ex nummis conſtat.* ibid. E.
Imperatores, *in caſtra primùm deducebantur.* 950. B.
Imperatores *Romani, quàm ambitioſi in ornamento capitis.* 983. E.
Imperatori *quando munera mitterentur.* 979. F.
Imperatori *tantùm, milites ex tribunali alloqui licebat.* 1138. C.
Imperatoriæ *majeſtatis erat, ſubcollari, atque lectica vehi.* 928. A. 929. A.
Imperatoribus *Romanis Templa, ac Sacerdotes inſtituti, poſt illorum mortem.* 957. B.
Imperatoribus *Romanis adoratio Deorum exhibita.* ib. C.
Imperatoris *inauguratio à re divina exordium ſumebat apud Romanos.* 838. B.
Imperatoris *titulum cur aſſumpſerint Romani Principes.* 974. E.
Imperatoris *vocabulum non ſemper ſupremum dominium ſignificabat.* 975. B. *Sed fuit aliquando titulus honorarius.* ibid. E.
Imperatoris *vocabulum quando ſummum jus ſignificare cœperit.* ibid.
Imperatorium *tribunal ex frondibus aliquando conſtitutum.* 467. F.
Imperatorum, *ac Ducum munera quæ ſint.* 803. F.
Imperii *culmen nemo aſcendebat, niſi in familiam Cæſaris adoptatus fuiſſet.* 977. A.
Implere *manus in ſacris litteris, eſt idem quod initiare.* 642. C. D.
Imprecationis *vox aliquando in bonam partem ſumitur.* 1080. D.
Inauguratio *Regis, olei ſacri miniſterio fiebat.* 774. D.
Inauguratio *eſt ex Augurum decretis numinum obſervatio.* 814. E.
Inauguratio *Regum ab antiquiſſimis temporibus ſacro fiebat oleo.* 947. E.
Inaugurationis *vocabulo cur uſi ſint Latini ad ſignificanda Regni exordia.* 814. E.
Inaugurationis *pompa à Sacrificiis incipiebat.* 838. A. ibid. F.
Inaugurationis *Salomonis locus deſignatur.* 952. *& infra.* F 953. D.
Inaugurationis *ſolemnitas in Iſraël non habebatur ſine ſacrificiis.* 1071. E.
Inaugurationis *regiæ ſolemnitas epulo abſolvebatur.* 1150. B
Indi *in conviviis unguentis utebantur.* 203. A.
Individuatio *pœnæ alicui poſita in Scripturis ſacris, quid ſignificet.* 395. D.
Inferorum *portæ phraſi, omnis diaboli poteſtas ſignificatur.* 793. F.
Infundibula *ſacra ad uſum candelabri ſancti cujus formæ eſſent, explicatur.* 52. C.
Infundibula *quatuordecim erant in tabernaculo ad uſum candelabri, quod vidit etiam Zacharias.* 53. A.
Infundibulorum *forma, quam vidit Zacharias, aperitur.* 54. A.
Infundibula *quæ vidit Zacharias, habebant manubria in lateribus, & ſuper manubria ramuſculi olivarum cum baccis aureis erant inſculpti.* 55. B.
Infundibulis *aureis altero in altero utebantur Iſraëlitæ ad uſum candelabri, nequid impuri oleo commiſceretur.* ibid. C.
Initiabantur *res ſacræ tunc, cum ad miniſterium proprium applicabantur.* 640. E.
Inſcriptiones *librorum accipiebant Hebræi à prima libri dictione.* 119. A.
Inſtrumenta *ſacrorum in nummis inſculpta ſunt ad Religionis notam.* 797. F.
Interpretes *in Xenophonte, Thucydide, Polybio, & aliis Græcis ſcriptoribus ſæpiſſimè Cetram pro Pelta, & Peltam pro Cetra appoſuerunt.* 878. B.
Inungendi *Reges duplex modus in Scripturis ſacris.* 1061. F.
Joannis *Baptiſtæ ſanctitas ob perfectionem, lucernæ comparatur.* 13. F.
Joannes *Baptiſta deſcendebat in alveum Jordanis ſimul cum his quos baptizabat.* 149. E.
Joaſi *inauguratio convivio abſoluta fuit.* 1153. E.
Joaſo *Regi maximo cum plauſu fuit acclamatum.* 1085. C.
Jocaſta *qua ratione filium Polynicem à bello deterrere conaretur.* 891. F.
Jod *Hebræorum littera, eſt vau obtruncatum.* 335. F.
Jojada *Sacerdos, quæ Davidis arma militibus conceſſerit.* 892. F.
Joſephum *ſub Serapidis ſimulacro Ægyptii coluerunt.* 912. C.
Joſephus *Salomonem inauguratum ad fontem Gihon ſcribit.* 951. F.
Joſephus *qualiter ſit intelligendus, cum ait Saulem à Propheta unctum.* 1072. D.
Jovis *nomen Ethnici hauſerunt ab ineffabili Dei nomine, corrupto vocalium ſono.* 550. F.
Jovis *nomen aſſumpſerunt antiqui Principes divinitatem appetentes.* 551. B.
Jovis *nomen, diverſis vitiis ſordidarunt veteres Principes.* ibid.
Iphycrates, *Peltarum uſum Græcis aliquando dedit.* 872. E.
Iris *odorata, qua ratione oleum Conſecrationis ingrederetur.* 349. C.
Iſaias *cur Dei thronum aliter, ac Ezechiel viderit.* 1147. A.
Iſidem *lunam dicebant.* ibid. C.
Iſidis *adytum ingreſſus quidam, egreſſus ſtatim expiravit.* 23. A.
Iſidis *pompa, & lucernæ illi dicatæ.* 24. D.
Iſraëlis *univerſi vocabulo, tam proceres Reipub. quam milites, in Scripturis ſignificantur.* 781. D.
Iſraëlitæ *una cum oleo vaſa quoque olearia obtulerunt.* 37. A.
Iſraëlitæ *ſponte dicuntur obtuliſſe quæ Deus præceperat, quia alacri animo illa obtulerant.* 71. F.
Iſraëlitæ *non ſinguli habebant ea omnia quæ Deus juſſerat offerri, ſed unuſquiſque ex his quæ habebat, Deo in cultum tabernaculi offerebat.* 72. D.
Iſraëlitæ *mortali culpa ligabantur, in præcepto cultus ſacri olei Conſecrationis.* 386. B.
Iſraëlitæ *in caſtris metandis, militares regulas ſervabant.* 437. E.
Iſraëliticæ *Reipublicæ fœdus cum Deo initum in Sinai.* 561. B.
Iſraëliticæ *Reipublicæ regimen Monarchicum ſemper fuit.* 564. C.
Iſraëlitæ *Reipublicæ regimen, qua ratione dici poteſt Ariſtocraticum.* 566. D.
Iſraëlitæ *cur in deſerto circumciſi non fuerint.* 570. E.
Iſraëlitæ *totos quadraginta annos circumciſi non ſunt, quia ex lege non tenebantur.* 575. E.
Iſraëlitæ *cur tranſgreſſo Jordane ſtatim circumciſi fuerint.* 576. E.
Iſraëlitæ *defoſſa humo, deos inferos venerabantur.* 580. B.

Iſraë-

Iſraëlitis *licebat ſacra facere, in quocumque loco eſſet memoria nominis Dei.* 582. E.
Iſraëlitæ *in excelſis, diis cœleſtibus ſacrificare non verebantur.* 584. B.
Iſraëlitæ *ſuper tecta altaria erigebant Idolis.* ibid. D.
Iſraëlitæ *capite velato Deum colebant.* 728. E.
Iſraëlitæ *forum eſculentorum cur haberent extra mœnia urbis.* 792. E.
Iſraëlitæ *Deum conſulere cogebantur, cùm Regem poſtulaſſent.* 809. C.
Iſraëlitæ *reprehenduntur, quòd Jeroboam Regem elegerint, Deo inconſulto.* 809. F.
Iſraëlitæ *Deum conſulebant tunc tantùm, quando Rex eligebatur, vel à prædeceſſore deſignabatur.* 817. F.
Iſraëlitæ *cur in Regum inauguratione Oraculum conſulerent.* 828. A.
Iſraëlitæ *plura Oratoria habuerunt.* ibid. F.
Iſraëlitæ *duplicem ſortiendi formam habuerunt.* 831. D.
Iſraëlitæ *in electione Regis plures jecerunt ſortes.* ibid. E.
Iſraëlitæ *duplicem ſortiendi formam tenuere in Regia inſtitutione.* 832. D.
Iſraëlitæ *non merebant ſtipendia militaria apud exteros Principes.* 864. C.
Iſraëlitæ, *ac etiam* Ethnici, *ſpolia hoſtium proſtratorum, Numini ſacrabant.* 891. D.
Iſraëlitæ *ab Abraham didicere ſpolia numini ſacrare.* 892. D.
Iſraëlitæ *veram exercitus diſpoſitionem primi docuerunt.* 904. E.
Iſraëlitæ *in ſeditionem verſi ſunt ob falſas aquas.* 926. B.
Iſraëlitæ *Reges, communi mularum genere utebantur.* 938. F.
Iſraëlitæ *in Rege inaugurando, ſanctitatem loci, & bonum omen ex loco reſpiciebant.* 950. A.
Iſraëlitæ *Regi admiſerunt jus unguentorum.* 1059. C.
Iſraëlitæ *Reges, qua ratione oleo ungerentur.* 1075. B. 1076. A.
Iſraëlitæ *buccina excitabantur ad acclamandum novo Principi.* 1081. D.
Iſraëlitæ *tubis ac cornibus ſigna canebant, cum Rex conſalutandus eſſet.* 1082. D.
Iſraëliticæ *Reipub. ordo laicalis ex duodecim Tribubus conflabatur.* 758. D.
Iſraëliticæ *Reipub. ordo Eccleſiaſticus ex Tribu Levitica conſtituebatur.* ibid.
Iſraëliticæ *tribus, divinæ hæreditatis titulo ſacris in Litteris ſignificantur.* 903. D.
Iſraëlitas *Reges curru vectos ſuſpicatur.* 931. F.
Iſraëlitas *petiiſſe à Samuele, ut Regem eis præficeret, ritu Gentium oſtenditur.* 1059. A.
Iſraëlitica *Reſpub. habuit ordinem Eccleſiaſticum, & laicalem.* 758. C.
Iſraëlitici *exercitus diſpoſitio, & valor, qua ratione celebretur à Propheta David in Pſalmis.* 920. B.
Iſraëlitici *exercitus diſpoſitio quam laudabilis apud Balaam.* 904. C.
Iſraëlitici *exercitus valor, & decor in alis columbæ, & aurato tergo, quàm pulchrè oſtendatur.* 907. F.
Iſraëlitis, *dum erant in Deſerto, non licuit Regem eligere.* 808. D.
Iſraëlitis *jus erat exquirendi, quem Deus illis Regem deſignaſſet.* 811. B.
Iſraëlitis *non licebat alienigenam aliquem in Regem eligere.* ibid. C.
Iſraëlitis *vetitum erat componere olem ſimile oleo conſecrationis.* 857. D.
Iſraëlitis *non licebat fœdera ſancire, niſi in Tabernaculo, aut in Templo.* 1114. A.
Iſraëliticus *Rex ſtipabatur militibus clypeum aureum geſtantibus.* 898. C.
Iſraëliticus *exercitus divinæ hæreditatis vocabulo ſignificatur.* 903. E.
Judæi *quare ad Joannem & Chriſtum concurrerent, ut baptizarentur.* 150. D.
Judæi *balneum purificati egredientes omnium contactum declinabant.* 155. C.
Judæi *ubi virginem primo congreſſu violaſſent, illico abſtinebant, donec aqua luſtrati, una cum uxore purificarentur.* 157. E.
Judæi, *cum de Chriſti morte agerent, renunciarunt juri, quod habebant petendi Regem à Deo.* 812. B.
Judæi *cur Chriſti faciem velaverint, quando illudebant ei.* 959. B.
Judæos *ex Creta profugos Tacitus falſo exiſtimavit.* 854. B.
Judæorum *diſſidium cum Samaritanis de loco adorationis explicatur.* 597. F.
Judices *quando diſpenſandi, quando vero non diſpenſandi, in legibus à Deo latis poteſtatem haberent.* 400. F.
Judices *non habebant jus exequendi legem, in qua ſtatuebatur pœna per hac verba,* Excidetur de populo ſuo, *& ſimilia.* 402. F.
Judices *quam auctoritatem haberent a Deo in gente Iſraëlitica.* 568. E.
Judicialia *præcepta non ligabant Gentiles in propriis regionibus.* 378. C.
Judicialia *præcepta non obligabat Iſraëlitas degentes ſub alienis Principibus, & extra propriam Rempublicam.* ibid.
Judiciorum *nomine quæ præcepta ſignificentur ex phraſi Sacrarum Litterarum.* 1027. C.
Judiciorum *nomine, ſignificantur leges ad politiam Iſraëliticam.* 561. E.
Judith *Holofernem ut alliciat, unguentis dat operam.* 253. C.
Jura *Regni Iſraëlitici Pontifex Regi tradebat.* 1092. B.
Jurabant *obedientiam Imperatori, milites omnes, qui veniebant in exercitu.* 559. B.
Juramenti *forma apud Iſraëlitas.* 1128. C. *Apud Græcos.* ibid.
Juramentum *per haſtam, quid ſibi vellet.* 1113. A.
Juramentum *quid ſit.* 1145. B.
Juramentum *in fœderibus firmandis interponebatur.* 1126. E.
Jurandi *ritus, & cæremoniæ declarantur.* 1130. E.
Juriſdictio *unde dicatur.* 1141. F.
Jus *gentium quid ſit.* 390.
Jus *a poſſeſſione diſtinguitur a Juriſperitis, & meritò.* 1034. D.
Juſtitiæ *vocabulo, religio in ſacris Litteris ſignificatur.* 800. D.

K.

KYphi *erat myſtica compoſitio aromatica Ægyptiis ad ſuffumigia Deorum.* 320. A.

L.

LAbiorum *venuſtas non in candore, ſed in purpureo ſpectatur.* 134. D.
Labri *locus cur eſſet inter Tabernaculum & altare.* 543. F.
Labri *nomina, & etymon.* 544. D.
Labri *aqua non erat ad tollendas legales immunditias.* 692. C.
Labrum *in Tabernaculo Dei, poſitum erat ad ablutionem pedum tantum & manuum.* 543. E.
Labrum *vas balnearium dicebatur quaſi lanabrum.* 175. B.

Labrum *cur diceretur mare.* 690. C.
Labrum *æneum quod fecit Moyſes in tabernaculo, non fuit factum ex ſpeculis mulierum; ſed facto prius, ſpecula mulierum quæ in conſecratione tabernaculi ibi excubaverunt, fuerunt illi ſuper impoſita.* 42. C.
Lacedæmones *ferrea moneta utebantur.* 305. A.
Lacedæmones *ad Regum cuſtodiam generoſiſſimos ſeligebant.* 881. C.
Lacedæmonum *Reges tercentorum nobiliorum Satellitio ſtipabantur.* 847. E.
Lætitia *eſt animi geſtientis jucunditas.* 112. A.
Lætitia *& gaudium promiſcue ſumuntur ab auctoribus.* 114. A.
Laicalis *ſtatus regimen apud Hebræos monſtratur.* 762.
Laicalis *ſtatus Iſraëliticæ Reipublicæ, ſub vocabulo Domus Iſraël ſignificatur in ſacris libris.* 759. B.
Lamina *ſancta, in qua inciſum erat Dei nomen, fuit aurea.* 1001. D.
Lamina *ſancta, coronæ vitta hyacinthina conſtringebatur.* ibid. E.
Lamina *ſancta, qua voce diceretur hebraicè.* ibid. F.
Lamina *ſancta, cur nezer hebraicè diceretur.* 1003. F.
Laminæ *ſanctæ figura.* 999.
Laminam *ſanctam, regium tegumentum habuiſſe negant Rabbini.* 1003. C.
Lapide *uncto loca ſacra veteres indicabant.* 408. D.
Lapides *in acervum agglomerabant, qui confœderabantur, & fœderis teſtes.* 1121. A.
Lapides *rudes oleo ſacrabant interdum veteres.* 406. F.
Lapides *terminales alicui Numini dedicabantur.* 407. A.
Lapides *ſacri uncti à veteribus, etiam tituli appellabantur.* 409. E.
Lapides *duodecim in conſtructione altaris ab Iſraëlitis aſſumebantur.* 598. C.
Lapides *in conſtructione altarium apud Iſraëlitas, qua ratione diſponendi eſſent.* 596. A.
Lapis *adjutorii erat extra urbem Maſphath.* 948. D.
Lapis *erectus in fœdere Jacobi & Laban, lapis terminalis fuit.* 407. F.
Lapidibus *prægrandibus, loci alicujus ſanctitas denotabatur.* 1113. C.
Latini *Regis ſolium prope ſacras aras habebatur.* 1140. B.
Latinus *Rex munera Trojanis mittit.* 579. C.
Latinus *Rex, quæ dona miſerit Æneæ.* 1145. E.
Latum *clavum ab Hetruſcis Romani acceperunt.* 1020. D.
Latum *clavum, quinam inter Romanos primus geſtaverit.* ibid.
Latus *clavus Romanorum, cujus eſſet formæ.* ibid.
Lavabantur *veteres honeſtiores hora pomeridiana.* 184. F.
Lavabantur *interdum veteres non ſolum ante cœnam, ſed etiam poſtquam cœnaſſent.* 153. B
Laurea *coronabantur in conviviis.* 129. F. 130. C.
Lauro *in honorem Apollinis coronabantur veteres.* 127. D.
Lauro *Phœbi area verrebatur.* 416. E.
Lautitiæ *veterum in conviviis, ſunt inexplicabiles.* 207. A.
Lebetes *erant vaſa ad excinerandum altare.* 672. D.
Lebetum *nomine, quæ vaſa ſignificentur in uſum altaris.* 671. F.
Lectica *quomodo diſtingueretur à tenſa.* 929. F.
Lecticæ *uſus apud Romanos ſolius Imperatoris erat.* ibid.
Lecticarum *uſum in Romana Repub. Julius Cæſar repreſſit.* 928. A.
Lecticarum *antiquarum forma.* ibid. C.
Lecticarum *uſus erat apud Reges Bithyniæ.* 930. A.
Lecythi *forma aperitur.* 229. D. *& ſequentib.*
Lecythus *Sareptanæ mulieris, cujus forma eſſet explicatur.* 226. C.
Lecythus *Græcorum idem quod ampulla olearia Latinorum.* 227. E.
Lecythus *diſtinguitur à lenticula.* 228. B.
Lecythus *per E breve ſignificat edulium, ſive etiam lentem, per E longum ſignificat vas olearium.* ibid. B. C.
Lecythus *unde ſic dicatur.* ibid. C.
Lecythum *vas unguentarium fuiſſe oſtenditur.* ibid. E.
Lecythizare *eſt eleganter ſcribere.* 229. A.
Legalis *munditiei conſuetudo antiquiſſima apud Hebræos.* 926. C.
Legati *antiquitus, laurum & oleam lana involutas geſtabant.* 406. B.
Lege *aliqua apud Iſraëlitas vetitum erat Reges injuria afficere.* 1035. C.
Leges *conduntur vitiis cognitis.* 916. E.
Leges *cæremoniales cur Juſtitiæ vocabulo dicantur.* 1027. D.
Leges *Regni, quæ dicantur in Scripturis.* 1110. C.
Leges *traditæ Iſraëlitis in Sinai non fuerunt obſervatæ ab illis, priuſquam inducerentur in terram promiſſionis.* 576. B.
Leges *divinæ non ſemper obligant ad peccatum mortale.* 386. D.
Leges *humanæ, quoties habent annexam pœnam Eccleſiaſticam, mortali culpa tranſgreſſores ligant.* 387. A.
Leges *divinæ, quibus ultimi ſupplicii annexa eſt pœna, dicuntur pœnæ animadverſionis.* 391. B.
Leges *divinæ, quæ pœnam ultimi ſupplicii annexam non habent, pœna commonitionis dicuntur.* ibid. C.
Leges *Moſaicæ fœdere firmatæ fuerunt.* 589. H.
Leges *quæ habent vigorem ab electione Principis, & Populi aſſenſu, non ſunt omnino juris divini, ſed humani.* 570. A.
Legibus *à Deo latis Iſraëlitæ ſe obligarunt; hac conditione, ut in terram promiſſionis ab eo inducerentur.* 587. D.
Legio *Romanorum ex denis cohortibus conſtituebatur.* 844. D.
Legio *dicta eſt à legendo robuſtiores milites.* ibid.
Legiones *à Romulo ex tribus peditum militibus conſtitutæ fuere: ad quaterna millia ſub Publicola, ad quinque millia in bello cum Annibale, ad ſex millia ſub Scipione Africano auctæ.* 843. D.
Legiones *ſtipatorum regis in Iſraël quotis ex militibus conſtitutæ fuerint.* ibid E.
Legiones *Cerethi & Phelethi, erant ejuſdem muneris, ac Prætoriæ Romanorum.* 844. B.
Legis *auctoritas eſt maxima.* 389. F.
Legis *Moſaicæ præcepta non obligabant Iſraëlitas, niſi poſt cæremonias fœderis.* 375. F.
Legis *ſacræ tabulæ poſt conſecrationem ſacræ arcæ, in ea incluſæ fuerunt.* 476. E.
Legis *vocabulo quinque libri Moyſis communiter apud Hebræos accipiuntur.* 1026. B.
Lemnii *commeatum Græcis in Trojana expeditione adferebant.* 296. A.
Lemniſci *erant filamina, quibus ſerta componebantur.* 988. A.
Lens *non eſt coloris purpurei.* 697. D.
Lenticulæ *oleariæ forma.* 63. E.
Lenticula *olearia diſtinguebatur a lecytho.* 228. B.
Lenticula *a lente ſic appellata fuit.* 231. D.
Lenticulam *oleariam ſecum deferre veteres conſueverunt.* ibid. D.
Levitarum *munus erat luſtrare aream.* 438. E.
Levitæ, *filiorum Iſraël nomine, interdum non comprehenduntur.* 370. E.
Levitæ *in bonis Iſraëlitarum, ut Legatarii veniebant.* 373. E.
Levitæ *ad miniſteria Tabernaculi deſtinati fuerunt menſe ſecundo, anni ſecundi ab exitu de Ægypto.* 684. D.

Levitica *Tribus non venit in numerum duodecim Tribuum Iſraël.* 777. A. ibid. C.
Levitica *Tribus in Iſraël diverſum conſtituebat ordinem à laico.* 1068. C.
Levitis *tantum concedebatur, circa Tabernaculum habitare.* 605. D.
Lex *qua ratione obliget ad mortale peccatum.* 385. C.
Lex *qua ratione ad ſolam externam pœnam tranſgreſſorem liget.* ibid. E.
Lex *in dedicatione alicujus rei, eidem decernebatur.* 431. E.
Lex *cultus olei conſecrationis, habet annexam pœnam commonitionis, & animadverſionis.* 387. A.
Lex *in qua dicebatur* morte moriatur, *erat indiſpenſabilis.* 400. F.
Lex *in qua dicebatur* occident eum, *vel ſimile quid, diſpenſabilis erat.* 401. D.
Lex *in qua tranſgreſſori indicebatur pœna pecuniaria, tranſgreſſorem ligabat in foro conſcientiæ, judices verò in foro fori.* 402. C.
Lex *in qua transgreſſori pœna indicitur his verbis:* Exterminabitur de populo ſuo, *vel ſimilibus, neque judices, neque tranſgreſſores obligabat ad exequutionem.* ibid. E.
Lex *Moſaica non obligabat Gentiles.* 374. F.
Lex *Moſaica quantum ad aliqua obligabat illos Gentiles, qui Deum Hebræorum verum eſſe Deum cognoviſſent.* 376. A. 377. A.
Lex *Moſaica trifariam dividitur; nempe in præcepta moralia, cæremonialia, & judicialia.* 377. C.
Lex *tradita à Deo Iſraëlitis per Moyſem cur verba fœderis in ſacris litteris dicatur.* 558. C. 560. C.
Lex *Moſaica non ligabat jure divino, ſed jure humano quodammodo ipſos etiam Iſraëlitas* 569. A.
Lex *Moſaica circa externas cæremonias potiſſimum verſabatur.* 647. F. 687. E.
Lex *Moſaica mularum uſum minimè vetuit.* 937. D.
Lex *eſt mutus magiſtratus.* 1025. D.
Lex *Dei, Teſtimonii vocabulo ſignificatur in ſacris litteris.* 1026. F.
Lex *pœnalis ſtrictè accipienda eſt.* 1057. E.
Lex à *Deo Hebræis tradita, cur lex fœderis diceretur.* 1107. A.
Libamina *ſacrorum erant exordia apud veteres.* 223. B.
Libamina *non fundebantur in menſa panum Propoſitionis.* ibid. E.
Libaminum *vocabulo quid veniat.* 1119. E.
Libaminum *uſus frequentiſſimus in ſacrificiis veterum.* 496. E. & ſeqq.
Libaminum *nomine in ſacris veniebat vinum, ſicera & alia liquida.* 501. F.
Libare *aliquid Diis in principio convivii boni ominis cauſa veteres ſolebant.* 222. F.
Libare *quid ſignificet.* 496. E. & ſeqq.
Libare *ſtat etiam pro effundere.* 502. D.
Libatio *eſſentialis in ſacris veterum cenſebatur.* 497. C.
Libatio *erat propriè vini prægustatio in ſacrificiis.* ibid. E.
Libationes *in ſacris, numerabant veteres ad numerum annorum illius pro quo ſacrificabatur.* 499. F.
Libationis *forma verborum.* 500. A.
Libatoria *vaſa erant ad uſum vini prægustandi in ſacrificiis.* 505. D.
Libatoria *erant illa vaſa, quæ ſimpula dicebantur ab ethnicis.* 506. F.
Libatoriorum *forma.* 507. A.
Libra *apud Latinos, & alias nationes nomen eſt ponderis.* 295. B.
Libra *nummi cujuſdam nomen eſt.* 310. B.
Lilia *quaſi oleum lætitiæ componebant.* ibid.
Lilia *rubea componendis unguentis præſtantiſſima.* 133. E.
Lilia *ſacri Candelabri cujus formæ eſſent.* 528. A.
Lilii *& lirii diſcrimen.* 133. E.
Lilio *in conviviis, feſtiſque diebus Iſraëlitæ utebantur.* 137. A.
Lilio *Iſraëlitæ in conviviis coronabantur.* ibid. E.
Liliorum *plura genera recenſentur.* 133. C.
Lilium *ſuſon dictum a Perſis & Græcis* 117. A.
Lilium *roſa Junonis dicebatur.* 116. D.
Lilium, *Veneris oblectamentum a veteribus dicebatur.* 137. A.
Linguarum *varietas apud Græcos unde originem traxerit.* 115. F.
Linitura *digiti, ſequebatur aſperſionem ſacri olei, in conſecratione altaris, & labri.* 661. C.
Linitione *ſacri olei Sacerdotes Summos conſecrari, falſò nonnulli exiſtimarunt.* 716. B.
Littera ח *maximam habet energiam in phraſi ſacrarum litterarum in Lingua ſancta.* 557. E.
Littera *Jod in fine alicujus vocis, gentiliacum illud nomen fore ſubindicat.* 851. F.
Litteralis *ſenſus ſacrarum litterarum facit ad argumentum fidei.* 899. D.
Loquendi *verbum, quando vim præcepti teneat.* 368. D.
Loti *muſicalia erant inſtrumenta.* 119. C.
Loti *color purpureus.* 698. F.
Loti *varia genera.* ibid.
Lotophagorum *Africæ populorum victûi ſuaviſſimus.* ibid. B.
Lotum *ſummo in pretio habebatur apud veteres.* 697. E.
Lotum guſtavit. *adagium.* ibid. F.
Lucerna *cum ſacrificio Priapi, & tripode.* 625. E. 657. E.
Lucerna *quomodo a lampade diſtinguatur.* 21. F.
Lucerna *ſacrum portendebat, religioniſque Ægyptiæ hieroglyphicum fuit.* 22. C.
Lucerna *Veneri dicata ad lupanaris nota.* 30. A.
Lucerna *monolychnis penſilis exorientis Eccleſiæ.* 34. B.
Lucerna *antiqua præſtantiſſimæ formæ Jovi dicata.* 36. A. *ſacrificium Priapejum erat illi in ſuperiora.* ibid.
Lucernæ *ſeptuaginta ſeptem erant in templo Salomonis.* 25. E.
Lucernæ *penſilis nullus uſus in tabernaculo Dei.* 28. C.
Lucernæ *forma, quam ex Apulejo Iſidi Antiſtes primus in pompa deferebat.* 31. A.
Lucernæ *candelabri monolychnæ erant.* 34. A.
Lucernæ *candelabri ſancti non erant catenulatæ.* ibid. E.
Lucernæ *candelabri amygdalinam habebant formam.* ibid. F. *& à tergo habebant manubrium quo ſuperimponi candelabro, ac removeri poſſent.* 36. A.
Lucernæ *candelabri ſancti igne ſolari opera ſpeculorum hauſto, primo fuere accenſæ.* 42. F.
Lucernæ *candelabri ſuis ſingulæ inſcriptæ erant nominibus.* 56. C.
Lucernæ *ſacri candelabri quotidie, mane & veſpere parabantur.* 68. D.
Lucernam *inextinctam in cœnaculis Romani dimittebant, quod illam extinguere nefas putarent.* 22. C.
Lucernarum *uſus in cœnis frequentiſſimus apud veteres.* 515. F.
Lucernarum *accenſio Ægyptiorum feſtum.* 22. E *erat in memoriam necis primogenitorum in exitu filiorum Iſraël.* 23. F.
Lucernarum *feſtum Ægyptiorum agebatur in plenilunio Martii.* 24. D.
Lucernas *Sabbatis Romani accendebant.* 25. A.
Lucernas *in candelabro ſancto ordinare ſummi erat Pontificis.* 49. B.
Lucernas *unguentis nutrire aliquibus fuit in uſu.* 18. B.
Lucernis *penſilibus utebantur in cœnis Romani.* 26. D. *his etiam colebant idola.* 27. A.

Lucernis *penſilibus ditychnibus Chriſti nomine inſignitis uſi ſunt in oratoriis & templis primitivæ eccleſiæ chriſtiani.* 28. B. *ibi ejus forma traditur.*
Lucernis *ſacris toties renovabatur mixus, quoties oleum immittebatur.* 36. E.
Luctus *cauſa quænam facerent veteres tam viri quam mulieres.* 36. A.
Ludos *qui inſtituiſſent, oleum quoque præbere conſonum videbatur.* 167 D.
Lumen *eſt nota mutationis à pejore in melius.* 11. F. 12. A.
Lunam *in calceis deferebant Græci & Romani.* 247. E.
Lunulæ *in altaribus veterum, quæ in nummis viſuntur, cujus eſſent uſus.* 669. A.
Luſtrabantur *à veteribus urbes, agri, ovilia, & alia.* 432. B.
Luſtrabantur *igne, vel aqua.* 433. A.
Luſtrales *aquæ, etiam ante legem Iſraëlitis uſui fuerunt.* 436. B.
Luſtrare *ſumitur hic pro purgare à prophanitatibus.* 433. A.
Luſtrari *tenebantur qui cum Deo acturi fuiſſent.* 441. F.
Luſtrari *curabant veteres ab aliis, qui mundi eſſent.* 693. B.
Luſtratio *manuum neceſſario prærequirebatur in ſacris Ethnicorum.* 545. C.
Luſtratio *præcedebat reliquas omnes cæremonias dedicationis.* 641. A. ibid. D.
Luſtratio *aqua expiationis fiebat, & oblationem rei, quæ Deo dedicabatur, ſubſequebatur.* ibid.
Luſtratio *areæ præcedebat reliquos conſecrationis ritus.* 439. C.
Luſtratio *Sacerdotum præceſſit eorundem conſecrationem.* 687. C.
Luſtrationum *varia genera apud ethnicos.* 689. C.
Luſtrationibus *cenſebatur aptiſſima aqua maris.* 689. D. *& maximè apud Ethnicos.* ibid. E,
Luſtrationi *areæ inſumebant ſeptem dies Iſraëlitæ.* 440. A.
Lux *cœleſtium virtutum vehiculum dicebatur, per quod illæ hominibus & terræ communicantur.* 11. E.
Lychnorum *diſcrimina, & nominia varia.* 515. E.

M.

MAcedonicus *pileus, qui cauſia dicebatur, qualis eſſet.* 985. F.
Machabæi *cur Romanis ſcutum aureum donaverint, non Spartiatis, in feriendo fœdere.* 890. B.
Machæra *quodnam genus gladii eſſet.* 1123. A.
Maculæ *unguenti ſacri erant ad decorem Sacerdotibus Iſraëlitis.* 712. D.
Mæandri *fluminis fontes ad Celeres montes conſtituuntur à Ptolemæo.* 857. A.
Magi *dicuntur populi qui Magoam Provinciam incolunt.* 45. A.
Magiſtratui *ſatellitium debetur.* 845. F.
Magiſtratus *eſt viva Lex.* 1025. D.
Magiſtratus *Iſraëlitici, in ſacris litteris majores natu appellantur.* 427. E.
Magiſtratus *juxta legis præſcriptum in ſubditos auctoritatem habent.* 399. A.
Magmentum *quid ſignificet.* 431. F.
Manuum *luſtratio in quibuſcumque ſacris prærequirebatur.* 542. D.
Manuum *luſtratio in quibuſcumque ſacris prærequirebatur.* 542. D.
Manuum *alicui impoſitio, ſacerdotis munus erat.* 1073. B.
Manuum *in homine excellentia.* 1086 E.
Manuum *plauſus quid ſignificet* 1076.
Manuum *plauſu approbabantur acta.* 1090. A.
Manuum *in vertice victimæ impoſitione, Iſraëlitæ eam devovebant.* 1121. C.
Manus *quæ poſtes Templi tenerent, in dedicationibus requirebantur apud Romanos.* 431. B.
Manus *impoſitio erat de eſſentia cujuſcumque oblationis Iſraëlitarum.* 641. B. ibid. D.
Manus *dexteræ pollex ſanguine expiabatur, dum conſecrarentur Sacerdotes.* 706. E.
Manus *minorum Sacerdotum non ungebantur ſacro oleo.* 719. C.
Manus *cur oſculanda porrigatur à Principibus.* 964 B.
Manus *Imperatoris oſculabantur, cùm reverteretur ex bello.* 970. B.
Manus *Principis exoſculari ſolitas apud Iſraëlitas, oſtenditur.* ibid. E.
Manus *militum ſtigmatizabantur.* 1074. E.
Manus *in homine, reliquorum membrorum munera obeunt.* 1087. A.
Manus *loquuntur diverſis idiomatibus.* ibid.
Manus *dare, quid importet in ſacris Litteris.* 1124. B.
Manus *in ſolio Regis Salomonis, quales eſſent.* 1149. D.
Margaritæ *grandiores Elenchi apud veteres dicebantur.* 240. E.
Mari *ſuffumigationes in comitiis veterum.* 257. C.
Marum *quodnam genus plantæ ſit.* 256. C.
Marina *aqua luſtrationibus aptiſſima cenſebatur.* 689. E.
Maris *rubri littora anniverſariè exſiccabantur.* 422. F.
Marſia *ab Apolline, quo in loco excoriatus fuerit.* 868. C.
Maſorethi *Rabbini, qua ratione curaverint illibatam ſervare ſacram Scripturam.* 916. D.
Maſphath, *locus erat ſacrificiis & orationibus deſtinatus.* 889. A.
Materiam *carere omni actu negavit Plutarchus.* 108. C.
Medicina *morbis cognitis adhibetur.* 916. D.
Megalarti, *& Megalomaſi feſti dies panum erant.* 485. E.
Medi, *ac Lydii mutuum ſanguinem lingentes paciſcebantur.* 1115. C.
Mel *à compoſitione olei Conſecrationis excludebatur.* 364. D.
Melchiſedech *typum Salvatoris noſtri expreſſit.* 798. E.
Melchiſedechi *ſanctitas aperitur.* ibid. F.
Meleager *urbi Chalidoniæ ſuccurrit.* 854. F.
Membrorum *durities in milite ac Duce deſideratur.* 804. D.
Menda *exemplarium Hebræorum* 916.
Mens *qualis in dedicationibus Templorum requireretur, in his qui dedicabant.* 428. E.
Menſa *Panum Propoſitionis prius in Tabernaculo ſtatuta, quam conſecrata fuit.* 454. C.
Menſa *ſacra, Delphicæ fuit ſimilis.* 479. D.
Menſa *ſacræ ſuppellectilis, quænam eſſet.* 464. C.
Menſa *ſacra prius luſtrata, expiata, & uncta fuit, quam eidem panes Propoſitionis ſuperimponerentur.* ibid. E.
Menſæ *ſacræ forma ex Rabbinis.* 479. F.
Menſæ *ſacræ forma ex Torniello, & aliis.* 480. B.
Menſæ *ſacræ forma de mente auctoris.* 484. A.
Menſuras *altaris à Deo definitas, Iſraëlitæ nullo unquam tempore exceſſerunt.* 613. C. 621. B.
Mentagra, *morbi genus.*
Mentagra *faciem Principis primò infecit.* 965. F.
Meraritæ, *& Gerſonitæ in motione caſtrorum Iſraëlitarum reliquas tribus præcedebant.* 438 A.
Meſſiæ, *ſub Salomonis figura, ratione valoris, Regnum adjudicatur.* 802. F.
Meſſiam *quo genere adorationis adorandum Propheta prædixerit.* 956. F.
Meſſias *promiſſus eſt in fœdere, quod Deus cum Abrahamo pepigit.* 1127. D.
Metaphoræ *à rebus dignioribus ſumi debent.* 941. D.
Metalli *fruſtulis ad emtiones veteres utebantur.* 297. A.
Metellus *ignem in æde graſſantem veſte repreſſit.* 928. B.
Metellus *vehebatur lectica in Senatu.* ibid.
Metellus *Diademati nomen cur habuerit.* 986. F.

Militandi *peritiam Iſraëlitæ à Gentibus didicerunt.* 871. D.
Militares *ordines quibus vocabulis ſignificentur, & diſtinguantur.* 765.
Militare *juramentum.* 559. C.
Militares *ordines ad Regiam electionem convenerunt.* 781. B
Militaris *ordo perneceſſarius in quacumque Republica.* 765. B.
Militaris *peritia in Principe, quam proficua ſit Reipublicæ.* 805. C.
Militaris *peritia alicujus, Rempublicam ad Regiam illius electionem permovet.* 806. B D.
Militaris *virtus, qua dictione ſignificetur in ſcripturis.* 882. B
Militaris *peritiæ ars, in quo ſit poſita.* 883. E.
Militaris *peritia quantæ fuerit æſtimationis apud veteres.* 904. A.
Milites, *Saulem comitati ſunt divino afflatu.* 861. D.
Milites *deducendi norma noctis tempore ex inſtitutis Græcorum* 868. A.
Milites *gravis armaturæ præmittebantur à Græcis in deducendo milite noctis tempore.* 868. C.
Milites, *qui occubuiſſent in bello, ſuper ſcuta referebantur.* 875. B.
Milites *gregarii ab illuſtrioribus, ornamentis militaribus diſtinguebantur.* 894. A.
Milites, *qui præclariora facinora in bello peregiſſent, ſcuto aureo donabantur.* 908. A.
Milites *cur Chriſtum adoraverint in Pilati palatio.* 956. B.
Milites *Chriſtum illudentes, cur genua flecterent.* 962. E.
Milites *Pilati cur in Chriſti faciem expuerint.* 968. A.
Milites *Pilati cur convocaverint cohortem totam, cum Chriſto illudere vellent.* 969. F.
Milites *Pilati cur alapis, Chriſti faciem percuterent.* 971. B.
Milites *Pilati in ſalutando Chriſtum, à quibus formam acceperint.* 974. B
Milites *Pilati cur ſacrum Chriſti caput arundine percuterent.* 982. E.
Milites *in brachio ſtygmatizabantur.* 1074. C.
Militibus *cetratis Princeps ſtipabatur.* 872. B.
Militibus *illuſtrioribus ac nobilioribus Reges Iſraël ſtipabantur.* 880. B.
Militum *antiquorum ſtudium in exornando ſcuto.* 896. D.
Militum *in Chriſtum illuſiones à cæremoniis inaugurationis fuerunt ſumptæ* 968. B.
Mimicæ *geſticulationes Prophetarum, exemplis monſtrantur.* 1062. C.
Mimicis *geſticulationibus cur veteres Prophetæ uterentur.* ibid.
Mina *hebraica, cujus ponderis eſſet.* 519. A.
Minerva *oleum, & oleam reperit.* 9. B.
Miniſter *conſecrationis primæ, Moyſes fuit.* 725. F.
Miniſterium *ſacri olei, minoribus Sacerdotibus concedere non eſt incongruum in lege Moſaica.* 726. A.
Miracula, *quæ non ſunt ſupernaturalia ſecundum ſubſtantiam, dum Deus operando naturalibus utitur cauſis.* 422. D.
Mitra *Epiſcopalis unde acceperit tænias in occipitio.* 1004. C.
Mœnia *civitatis, & pomerium ſancta dicebantur.* 267. C.
Mola *ſalſa, & vino, victima antequam mactaretur ab ethnicis inſpergebatur ex ritu ſacrorum.* 498. D. 542. F.
Molliorum *hominum erat, ſoleatos in arena detineri.* 161. C.
Monarchiæ *regimen quale propriè dicatur.* 563. F. 568. F.
Moneta *ferrea fuit communis Romanis, Græcis, Perſis, & aliis.* 304. E.
Moneta *argentea & aurea quando cœperit apud Romanos.* 302. B
Moneta *ſignata in emptionibus numerabatur, & appendebatur.* 298. A. 299. A.
Moneta *Dea cur lances teneret.* 298. D.
Moneta, *quæ bovem habebat inſculptum.* 297. C.
Monetæ *ſignatæ uſus, in odium fuit apud plurimas gentes.* 295. D.
Monetæ *ſignatæ uſus, quoddam permutationis genus eſt.* 296. D.
Monetæ *ſignatæ uſus uſque à temporibus Abrahami notus fuit.* 247. E.
Monetæ *ſignatæ uſus antiquiſſimus fuit.* 301. B. *& ſeq.*
Monetam *æream Janus primo ſignavit.* 300. D.
Monetam *à monendo dictam fuiſſe.* ibid. F.
Monetam *Deam putabant veteres, quæ puniret qui dolum malum in eam commiſiſſent.* 307. A.
Monetarum *nomina varia, ex diverſis capitibus ſumebantur.* 306. C.
Monetarum *diſtinctio & æris, argenti, atque auri ſignati uſus vetuſtiſſimus apud Iſraëlitas.* 302. E.
Mons *Gihon ubi eſſet.* 950. E.
Moralia *præcepta tradita Iſraëlitis, jure naturæ & divino, ligabant, abſque aliquo fœdere, omnes homines.* 377. C.
Mortariola *dicebantur vaſa, in quibus thymiama ſervabatur.* 588. A.
Morte *mori inter pœnas corporales computatur.* 395. B.
Mortuorum *ſepulcra in hortis habebatur.* 380. C.
Moyſen *ex aquarum inventione in deſerto, Ducem electum ab Hebræis, falsò dixit Tacitus.* 922. F.
Moyſen *aquas reperiſſe tradidit Tacitus, cùm aſini è paſtu redeuntes fontem quærerent* 923. A.
Moyſes *Præfecti Prætorii munus exercuit.* 785. D.
Moyſes *quanti fuerit valoris in re militari.* 805. A.
Moyſes, *qua auctoritate manus impoſuerit Aaroni & Joſue.* 1073. C.
Moyſes *fœdus percuſſurus inter Deum & Populum, lapides erexit.* 1113. F.
Moyſes *cur Cœlum & Terram advocavit in fœdere inito cum Iſraëlitis.* 1130. B.
Moyſes *architecturæ rationes præſcribebat artificibus Tabernaculi.* 420. C.
Moyſes *præfectus fuit, dedicationis ſacri Tabernaculi.* 426. F.
Moyſes *vir ſanctiſſimus fuit.* 429. F.
Moyſes *in erigendo Dei Tabernaculo juvari ab aliis debuit.* 436. D. 439. E. 453. E.
Moyſes *ſolus nequibat Tabernaculi molem ſtatuere.*
Moyſes *quare utatur nomine ineffabili in ſcribendo librum Geneſis.* 554. E
Moyſes *cur uſus ſit duplici Dei nomine in pentatheuco.* 555, A.
Moyſes *non tanquam Princeps, ſed tanquam à Deo delegatus, Iſraëliticum exercitum, & Rempublicam moderabat.* 567. D.
Mula *alterius ſpeciei à communi Salomonem vectum, & David uſum, aliqui putant.* 935. A.
Mula *propriè ſic dicta, Salomon vectus fuit.* 937. A.
Mulæ, *quæ pariunt, ex Ariſtotele, ſimilitudine tantum tales appellantur.* 936. D ibid E.
Mulæ *volucres, filiæ equorum cur dictæ à Simonide.* 941. D.
Mulæ *velociſſimæ gignuntur ex equa & onagro.* 940. C. 943. A.
Mulæ *genitæ ex equa & onagro, inter præſtantiſſimas Regum gazas reponebantur.* 942. B. 943. C.
Mulæ *Regiæ quo in loco haberentur.* 942. E.
Mulæ, *quibus Reges Iſraëlitæ utebantur, cujus eſſent generis.* 943. F.

Mu-

Mularum *genus aliquod parere dicitur.* 935. E.
Mularum *genus commune non coit, neque parturit.* 935. E.
Mularum *Regiarum figura & lineamenta.* 942. C.
Mularum *Regiarum ungulæ duriſſimæ erant.* 943. A.
Mularum *uſus, criminoſus fuit apud Iſraëlitas, ſecundum aliquos.* 954. A.
Muli *quibus vocibus in ſacris litteris ſignificentur.* 904. A. 914. B.
Muli *velociſſimi ex onagro, & equa dominica gignuntur.* 913. C.
Muli *Regii, quo vocabulo ſignificentur in ſacris litteris.* ibid. D.
Muli *ad uſum ſacri Templi fuerunt.* 938. A.
Muli *Regii velociſſimi fuerunt.* 940. A.
Muli *& mulæ Regiæ gignebantur ex aſino ſylveſtri, & equa domeſtica.* 940. F.
Mulier *nunquam ſatis ornata ſibi videtur.* 247. B.
Mulieres *apud Aſſyrios Regium torum ingreſſuræ unguento mundabantur.* 80. E.
Mulieres *unguentis utebantur ad cutem conſolidandam, & venuſtatem retinendam.* 82. E.
Mulieres *in reconditorio defuncti luctus cauſa ſe abdebant.* 140. A.
Mulieres *nonnullæ modeſtia commendantur, quod nec in balneo nudarentur.* 158. C.
Mulieres *in mundo muliebri annum inſumebant.* 249. E.
Mulieres *ſanctiores veteris teſtamenti modeſtiſſimæ fuere in ornamentis.* 254. E.
Mulieres *Romanæ, & Græcæ ſervos ab ornamentis habuerunt.* 253. F.
Mulieres *Hebrææ quare lunulas in calceamentis deferrent, ignotum eſt.* 248. B.
Mulieres *uniones multas in auribus deferebant.* ibid. C.
Mulieres *aureis orbiculis ac ornamentis collum exornant.* 894. D.
Mulierum *veſtes illarum utilitatem oſtendunt.* 248. D.
Mulierum *ſtudium in cultu capitis.* ibid. E.
Mulierum *ornamenta ſunt innumerabilia.* 246. D.
Mulierum *Iſraëlitarum ornamenta numerata ab Iſaia.* 247. D.
Mulis *velociſſimis Reges in bello utebantur.* 942. C.
Mulinam *ſpeciem duplici vocabulo Latini indicant.* 938. F.
Mulo, *ac mula vehi, Regiæ dignitatis plurimum habebat.* 932. D.
Mulorum *inventum non eſt contra naturam.* 913. B.
Mulorum *procreatio Iſraëlitis à Deo vetita.* 934. B.
Mulorum, *ac mularum genus duplex.* 940. E.
Mulorum *Regiorum velocitas unde haberetur.* 941. B.
Mundationis *vocabula ex phraſi Scripturarum in Hebræa lingua.* 688. A.
Munditiæ *legalis vox quatenus accipiatur.* 687. F.
Mundi *muliebris contemptum, ut aperiret peccatrix mulier, unguenta, & crines pedibus Chriſti ſubmiſit.* 249. B.
Mundi *muliebris nomine comprehenduntur omnia, quæ ad mulierum cultum ſpectant.* 252. C.
Mundi *muliebris nomine tam ornamentum, quam mundum accipimus.* 246. F.
Mundorum *ab immundis diſtinctio fuit ante legem.* 436. B.
Mundum *muliebrem diſtingui ab ornamento muliebri aliqui putant.* 246. D.
Munera *Principi offerebantur, ad notam aſſenſus, cùm adoraretur.* 981. D.
Munus *dicitur, quaſi mutui animi cauſa datum.* 979. A.
Munus *Principi debebatur, cum ſalutabatur.* 979. C.
Munus *& Donum, quomodo diſtinguantur.* 978. E.
Murrhina *vaſa ſic dicta ſunt, quod ex myrrha compacta forent.* 211. B.
Murrhina *vaſa inter gemmas recenſebantur.* ibid.
Murrhinis *vaſis utebantur luxuriæ cauſa.* ibid. F.
Murus *aheneus ſumitur pro conſcientia ſecura.* 866. F.
Muſcæ *ſunt damno unguentorum compoſitionibus.* 100. A.
Muſica *ad Deum laudandum excogitata.* 1091. D.
Muſicam *plurimi fecerunt Græci & Hebræi.* 117. D.
Muſici *nomi dicebantur moderandæ vocis regulæ.* 119. A.
Muſici *modi gentium vocabulis diſtinguebantur apud veteres.* ibid. D.
Myropolia *dicebantur ſeplaſia.* 88. C.
Myropolium *dicebatur forum, in quo vendebantur unguenta, quaſi unguenti civitas.* 89. C.
Myropolæ *arte, oleum conſecrationis componendum erat.* 365. E.
Myrrha *præſtantiſſima ad oleum conſecrationis ſumebatur.* 326. D. 328. D. 334. B.
Myrrha *in oleo conſecrationis, fidem in Sacerdote ſignificabat.* 360. F.
Myrrha *quantæ fuerit æſtimationis.* 330. A.
Myrrha *cutem à rugis conſervat.* 265. B.
Myrrha *coronas convivales madefaciebant veteres in conviviis.* 139. A.
Myrrha *veterum, quod genus aromatis ſignificetur, eſt ignotum.* 261. A.
Myrrha *in nuptiis utebantur.* 262. C.
Myrrha *adhibita in deorum ſuffumigationibus.* 261. C.
Myrrhæ *nomine quodnam genus aromatis ſit veteribus, ignotum hodie aliqui putant.* 258. D.
Myrrhæ *nomine arbuſcula etiam ſignificantur.* 260. E.
Myrrhæ *præſtantia.* 261. B.
Myrrhæ *unguentum quam pretioſum eſſet veteribus.* 262. C.
Myrrhæ *plura genera.* 329. A.
Myrrhæ *arbores ſativæ, & ſilveſtres.* ibid. C.
Myrrhæ *colligendæ ratio.* ibid. D.
Myrrhæ pretium. 332. E.
Myrrhæ *inceſtus apud Ovidium, quid velit.* 334. C.
Myrrhæ *oleum quomodo paretur.* 363. F.
Myrrham *diis non offerebant Sabæi.* ibid. D.
Myrrhini *unguenti uſus amantem indigitabat.* 262. E.
Myrto *Phœbi area verrebatur.* 417. B.
Myrto *agia coronabantur in nuptiis veteres.* 259. D.
Myrto *amorem inter conjuges conciliari credebant veteres.* ibid.
Myrto *coronabantur veteres convivantes.* 130. C.
Myrto *coronabantur, qui Veneri operam dabant.* 259. B.
Myrtus *planta Veneri ſacra.* 258. E.
Myrtus *amat littora marina.* 259. B.
Myxus *quid propriè ſignificet.* 516. A.

N.

Naturales *cauſæ juxta proprias naturas concurrunt.* 422. F.
Navita *Ægyptius deferens Romam roſas, hieme putans non haberi, deluſus eſt.* 122. C.
Negativa *adjuncta verbis loquor, aut dico, quando illis verbis præcepti vim tribuant.* 368. C.
Neronis *Salutatio in auſpicando Imperio.* 955. E.
Nicerotis *unguentarius celebris fuit Romæ.* 18. B. 103. A.
Nidrum *cur in mare projicerent Græci.* 1133. A.
Nigrini *ad Imperium ſalutatio.* 956. B.
Noë *quas victimas mactavit, quando Deus fœdera ſancivit cum eo.* 1118. C.
Nomen *eſt imago quædam rei ſignificatæ.* 288. F.
Nomen *proprium Principis in ſalutando adjungebatur.* 976. E.
Nomen *proprium Regio adjungebatur apud Iſraëlitas, cum Rex ſalutaretur.* 978. B.

No-

Nomen *vaſis, quo libamina adferebantur in ſacris.* 503. F.
Nomen *Dei ne quidem balbutiendo explicari poteſt.* 549. A.
Nomen *Dei ineffabile, cur tetagrammaton dicatur.* 549. E.
Nomen *ineffabile, eſt Dei ſingulare, & proprium.* ibid. F. 553. A.
Nomen *ineffabile ſignificat entitatem & Dei eſſentiam.* 550. F.
Nomen *ineffabile, ut ſonat, proferre veteres verebantur.* 552. D.
Nomen *ineffabile Moyſi primo revelatum eſt.* 553. B.
Nomen *Dei ineffabile quomodo ante Moyſen in Scripturis legatur.* ibid. D.
Nomen *Elohim eſt Ducis, atque Imperatoris.* 557. C.
Nomen *Hebraicum altaris ex etymologia conſideratur.* 577. F.
Nomen *ineffabile cur magis Deo conveniat, quam nomina quæ hominibus imponuntur.* 550. F.
Nomina *divina uſurpare non ſunt veriti terreni Principes.* 550. D.
Nomina *ſacræ Arcæ.* 462. A.
Nomina *vaſorum ad uſum libaminum explicantur.* 511. B.
Nomina *cur multiplicata apud Romanos.* 976. E.
Nomina *altaribus imponebantur ab Iſraëlitis.* 593. D.
Nomine *duplicato, Principes ad dignitatem indicandam, appellari conſueverunt.* 548. F.
Nomine *Elohim Principes appellabantur.* 556. F.
Nominis *Elohim etymologia.* 557. B.
Nominis *perpetuitas inter jura Iſraëlitarum recenſetur.* 395. A.
Nomi *muſici dicebantur regulæ moderandæ vocis in cantando.* 119. A.
Nubes *Domini, Iſraëlitis locum ubi caſtra metanda forent, oſtendebat.* 573. C.
Nuces *perſicæ oleum gignebant ad Regium uſum.* 13. F.
Nudi *exercebantur veteres luctando, & alia hujuſmodi agendo.* 166. B.
Numa *collegia Sacerdotum apud Romanos inſtituit.* 701. B.
Numa *ſuffragio Senatorum, Rex eligitur Romanorum.* 767.
Numa *primus Romanorum Rex adſtante vate inauguratus eſt.* 814. B.
Numa *nec iter irripere, nec inſignia Imperii capeſſere, Numine inconſulto voluit.* ibid. E.
Numa *Rex inaugurandus, in arcem Capitolinam aſcendit, ſumendorum auguriorum de cauſa.* 946. B.
Numa *ſcorteis aſſibus Populo congiarium dedit.* 1081. C.
Numen *cui aliquid dicabatur, nomine exprimebatur.* 425. D.
Numerus *duodenarius lapidum, in ædificandis altaribus, cur ab Iſraëlitis teneretur.* 598. C.
Numina *qua ratione in inaugurationibus conſultarent Ethnici.* 826. E.
Numina *quæ evocata fuerint in fœdere ſancito inter Græcos & Carthaginenſes.* 1111. B.
Numina *quare ante hoſtilem congreſſum à Romanis evocarentur.* 590. E.
Numina *quædam cur potiùs quam alia in fœderibus advocarentur.* 1111. C.
Numina *cœleſtia, & infera fœderum teſtes advocabantur.* 1128. F. *& qua de cauſa.* 1132. D.
Numinis *ſimulacrum in medio Templi ſtatuebatur, quod illi dicabatur.* 425. E.
Numinis *conſultatio præcedebat quodcunque Regni initium.* 814. E.
Numinum *evocationes in fœderibus ſanciendis.* 1118. A.
Numi *ærei, ac ferrei uſus apud Iſraëlitas.* 305. C.
Numi *nomen Doricum fuit.* 307. C.
Numi *nomen à Numa Rege dictum putant aliqui.* 308. A.
Numi *uſus odioſus pluribus gentibus.* 295. E.
Numi *nomen à lege dictum oſtenditur.* 308 C.
Numi *Veſpaſiani, Titi, & aliorum explicantur.* 609. C.
Numiſma *à nummo denominatur.* 308. E.
Numiſmatum *nomina ex variis capitibus ſumebantur.* 306. C.
Numorum *lunulæ, & folia in aris explicantur.* 670.
Numus *Gordiani cum Dea lætitiæ.* 125. F.
Numus *æreus a Jano primò ſignatus.* 301. B.
Numus *Conſtantis cum labaro Chriſti nomine inſignito.* 28. A.
Numus *argenteus & aureus, quando cœperit.* 302. B.
Numus *ferreus fuit communiſſimus.* 304. E.
Numus *Tiberii explicatur.* 602. E.
Nuptiarum *dies dicebantur dies lætitiæ in ſacris ſcripturis.* 143. E.
Nuptias *non adibant Judæi, qui fuiſſent immundi.* 157. E.

O.

Oblatio *quotupliciter ſumatur, & quotuplex eſſet in cæremoniis Moſaicis.* 641. E.
Oblatio *ad portam atrii fiebat à populo, antequam hoſtia mactaretur.* 641. E.
Oblatio *hoſtiæ jam mactatæ, fiebat ad altare per Sacerdotem.* 642. A.
Oblationes, *& libamina juxta diverſitatem ſacrificiorum diſtinguebantur in ſacris litteris.* 681. F.
Oblationum *nomine propriè ſignantur ſacra triticea.* 681. C.
Octava *dies, in qua ignis de cœlo deſcendit in conſecratione Sacerdotum, fuit decimaquinta menſis primi, anni ſecundi ab exitu filiorum Iſraël ex Ægypto.* 682. A. 683. C.
Octava *conſecrationum ſolemnis erat.* 636. C.
Octava *dies, dicitur terminus conſecrationis & feſtivitatis.* 638. E. 640. C. 682. B.
Odores *tenues ſunt, ac facile longe lateque diffunduntur.* 319. A.
Odores *in oleo magis, quam in reliquis liquoribus ſervantur* 355. E.
Offerre *quid ſit.* 640 E.
Offerendo *aliquid, manus apponebant Iſraëlitæ.* 641. B.
Olea *majori in pretio, quam oliva apud Græcos, & cur.* 355. E.
Olea *ad uſus profanos uti nefas erat.* 9. E.
Olea, *oliva, oleum, qua ratione ſignificatione diſtinguantur.* 14. D.
Olea, *& oliva confunduntur.* 15. A.
Olea *majori in pretio apud Athenienſes & Romanos.* 356. A.
Oleam *ne ſtringito, nevè verberato, lex vetus.* 16. D.
Olearum *varia genera ex Polluce, & Plinio, & aliis.* 15. C.
Oleaſter *majori in pretio, quam oliva apud Græcos, & cur.* 355. E.
Olei, *& unguenti vocabula Latina, Græca, & Hebraica.* 1. B. ibid. C.
Olei *nomine in ſcripturis ſacris unguenta odorata ſignificantur.* 2. D. *& ſeq.* 3. B.
Olei *miniſtratio in ſacris lucernis erat penes Sacerdotes ſummos cum inferioribus.* 10. F.
Olei *omotribis meminere veteres.* 14. C.
Olei *parandi pro ſacris lucernis methodus præſcribitur.* 18. C. 20. C.
Olei *lætitiæ meminit Propheta in pſ. reſpiciens ad pſalmi titulum.* 119. F.
Olei *lætitiæ nomine roſaceum unguentum ſignificari probabile eſt.* 125. D.
Olei *& aquæ in balneo effectus diſtincti.* 171. B.

Olei Conſecrationis præſtantia ex pluribus capitibus apparet. 294. A.
Olei Conſecrationis dignitas ex aromatibus aperitur. 323. B.
Olei Conſecrationis componendi methodus. 362. F. 363. E. 365. F.
Olei ſacri uſus cepit, quando conſecratio Tabernaculi exorta eſt. 442. E. 447. C.
Olei ſacri copioſa linitione ſacra Arca conſecrata fuit. 476 E.
Olei ſacri ſeptena inunctione utenſilia ſacri Tabernaculi ſacrabantur. 659. E.
Olei ſacri duplici unctione ſacrabantur, quæ extra Tabernaculum erant. 660. E.
Olei, thuris, farinæ, & adipis, commixtio in ſacris, fiebat in phialis. 674. B.
Olei, lactis, farinæ, adipis, & aquæ marinæ commixtio in ſacris Ethnicorum. ibid. C.
Olei ſacri triplex uſus. 715. F.
Olei ſacri effuſio erat de eſſentia conſecrationis Summi Sacerdotis apud Iſraëlitas. 720. E.
Olei unctione, quid myſticè Principi ſignificetur. 983. D.
Olei conſecrationis uſus omnibus interdictus in ſacris oraculis. 1040. E.
Olei conſecrationis ſanctitas quanta eſſet. 1041. D.
Olei conſecrationis eſus, quibus prohiberetur. 1043. C.
Olei conſecrationis uſus, qua ratione ſacerdotibus permitteretur. 1044. E.
Olei conſecrationis compoſitio, & compoſitionis præceptum, qualiter intelligatur. 1056. F.
Oleis & unguentis luctus cauſa veteres abſtinebant. 140. A.
Oleo & unguentis Latini, Græci, & Hebræi in balneis, in Sacris, in cœnaculis, & in ſepulcris utebantur. 1. C.
Oleo initiatos Prophetas fuiſſe probabile videtur. 194. B.
Oleo vaſa, quorum uſus erat in ſacrificiis, conſecrabantur. 195. C.
Oleo myrteo pro myrrhino Eſterem uſam fuiſſe non improbabiliter Vatablus ſenſit. 260. B.
Oleo myrrhæ verius quam myrteo Eſtherem uſam fuiſſe aſſeritur. ibid. D.
Oleo luſtrabantur homines marina aqua admixto. 9. F.
Oleo quam multipliciter uterentur veteres. 11. B.
Oleo bina munera præſcripſit Deus nimirum candelabri, & unguenti. ibid.
Oleo aromatibus condito uſi ſunt veterum molliores in lucernis. 18. B.
Oleo lætitiæ Servator dicitur unctus ob plenitudinem gratiarum. 114. D.
Oleo achantino utebantur Reges Caramaniæ. 14. B.
Oleo aromatibus condito in gymnaſiis utebantur. 2. E.
Oleo eodem, unguentum Conſecrationis parabatur, & Candelabri ſancti lucernæ fovebantur. 358. A.
Oleo, lapides, ligna, & idola inungebant veteres. 406. E. 475. E.
Oleo conſecrabantur res aliquæ, etiam ante Moſis tempora. 410 B.
Oleo conſecrabantur Sacerdotes, & veſtes eorum, atque utenſilia ſacra. 412. F.
Oleo Arca ſacra fuit conſecrata. 475. D.
Oleo ſancto, ſanctitas rebus quæ ungebantur, impertiebatur. 659. A.
Oleo ſancto quicquid ad Dei cultum pertinebat, conſecrabatur. ibid. C.
Oleo ſanguine commixto, conſecrabantur Sacerdotes minores. 707. F.
Oleo commixtone ſanguine, an ſeparatim, Sacerdotales veſtes aſpergerentur in illorum conſecratione, ambigitur. 711. F.
Oleo Sacerdotes conſecrabantur in lege naturæ. 715. E.
Oleo conſecrationis eodem, quo ſacerdotes, inauguratos Reges, Rabbini omnes affirmant. 1045. D.
Oleo Regiæ conſecrationis, poſſeſſio Regni Principi tradebatur. 1048. E.
Oleo Reges inaugurandi uſus extitit ante tempora Samuelis. 1058. E.
Oleorum parandorum genera varia. 356. B.
Oleorum varia genera commendata à Scriptoribus antiquis. 16. E.
Oleum quanti fecerit Deus in lege Moyſi. 10. C.
Erat apud ſacerdotem ſummum apud Iſraëlitas. ibid. E.
Oleum triplicis generis, nimirum ſimplex, aromatibus conditum, & ex ſolis aromatum ſuccis. 1. C.
Oleum aromatibus conditum quibus vocibus ad Hebræis ſignificatur. 2. A. 99. F.
Oleum aromatibus conditum non admiſit Deus in ſacro candelabro. 18. D.
Oleum ad lucernas parandi methodus præſcribitur. ibid. E. 20. C.
Oleum olivarum ex ſe fluens nullibi reperitur apud auctores. 19. E.
Oleum & aromata ſimul junguntur in ſacris litteris. 11. D.
Oleum candelabri ſancti quo nomine appellaretur. ibid. E.
Oleum candelabri ſancti quare aliquando dicatur oleum luminis, aliquando oleum ad luminaria in plurali. 12. C.
Oleum acanthinon quid. 14. B.
Oleum unctionis dicebatur oleum ſanctum Iſraëlitarum. 105. A.
Oleum doctrinæ in ſanctis litteris quod fuit. 105. D.
Oleum unitatis in ſacris litteris. ibid. E.
Oleum dum liquitur, à colore minime agitatur. 109. F.
Oleum lætitiæ potius oleum conditum, quam unguentum ſignificat. 110. E.
Oleum lætitiæ unguentum erat quod ſuſinon à Græcis dicebatur. 117. B. 132. C.
Oleum quod ex roſis fit, dicitur roſeum, non vero roſaceum. 123. C.
Oleum lætitiæ quod ſuſinum dicitur, qua ratione componatur. 132. F.
Oleum & unctio balneo jungebantur. 165. E.
Oleum quod Deus præcepit offerre filiis Iſraël, dicebatur Sanctum, Sacrum, Religioſum. 267. A.
Oleum omphacinum quodnam ſit. 21. A.
Oleum divinitus datum credebatur. 9. B.
Oleum Conſecrationis, unguentum coſtinum dici poteſt. 289. D.
Oleum Conſecrationis unguentum Sinaicum à loco, Divinum ab Auctore, Conſecrationis ab effectu appellari poteſt. ibid. F.
Oleum conſecrationis, quare per antonomaſiam oleum unctionis dicatur. 290. C.
Oleum unctionis non dicebatur, quo reges inaugurabantur. 292. A.
Oleum conſecrationis, dicebatur oleum unctionis, quaſi oleum Meſſiæ. 293. A.
Oleum omphacinum, quodnam perfectius. 357. A.
Oleum aromatibus corrumpitur. ibid. C.
Oleum quod ingrediebatur unguentum conſecrationis. ibid. E.
Oleum conſecrationis ex meritis Chriſti gratiam conferebat. 359. B.
Oleum myrrhæ qua ratione habeatur. 364. A.
Oleum conſecrationis quibus aromatibus componeretur. 323. B.
Oleum conſecrationis, quod cinnamomum admitteret. 341. E.
Oleum conſecrationis, quodnam myrrhæ genus requireret. 336. B.
Oleum conſecrationis non admittebat caſſiam odoratam. 348. A.

Oleum

Oleum *conſecrationis, quodnam Zinziber admitteret.* 351. F.
Oleum *conſecrationis coſtum in ſua compoſitione requirebat.* 354. D.
Oleum *ad parandum unguenta neceſſarium cenſebatur.* ibid. E.
Oleum *Venafranum ad unguenta accommodatum.* ibid.
Oleum *divinitatis ſpecimen habet.* 404. D. 405. D.
Oleum *ſacrum adhibitum in declaratione ſucceſſionis Salomonis ad Regnum.* 776. C.
Oleum *ad Regiam conſtitutionem aliquid conferre negat Abulenſis.* 1030. C.
Oleum *ad Regum inaugurationes neceſſarium oſtenditur.* 1031. A.
Oleum *ſanctum ad Regum inaugurationes neceſſarium dicunt aliqui.* 1031. A.
Oleum, *quo unctus eſt Jehu, ſacrum extitiſſe dicunt aliqui.* 1031. B.
Oleum *conſecrationis cur dicatur Divini juris.* 1041. B.
Oleum *Regiæ inaugurationis, ſanctum dicebatur.* 1047. A.
Oleum *Regiæ inaugurationis ſacro in Tabernaculo ſervabatur.* ibid. D.
Oleum *Regiæ inaugurationis, Divini dicebatur juris.* 1048. A.
Oleum *Regiæ inaugurationis, quantæ dignitatis eſſet.* 1048. B. 1049. B. 1051. A.
Oleum *ſacrum, Regni poſſeſſionem ab Adonia ad Salomonem tranſtulit.* 1051. A.
Oleum *Regiæ inaugurationis idem cum oleo conſecrationis fuiſſe videtur.* ibid. C.
Oleum *Regiæ inaugurationis, ab oleo conſecrationis diſtinguit unctor.* 1053. F. 1055. A.
Oleum *Regiæ inaugurationis non fuit ejuſdem ſanctitatis cum oleo conſecrationis.* ibid. B.
Oleum *Regiæ inaugurationis, oleum unctionis ſanctæ non dicitur.* ibid. D.
Oleum *conſecrationis, oleum unctionis ſanctæ appellatur.* 1055. E.
Oleum *Regiæ inaugurationis, quibus aromatibus componeretur.* 1056. E. 1060. C.
Oliab *& Beſeleel repleti ſapientia ſcribuntur ad exequendum quæ præcipiebantur à Moyſe.* 419. F. *& ut plura cognoſcerent, quæ non cognoviſſent.* 423. C.
Olla *Jeremiæ, ſolium intelligitur.* 180. E.
Ollæ *nomine, quæ vaſa ſignificentur in ſacris litteris.* 671. F.
Ollæ *in uſus altaris forma.* 972. D.
Oliva *in honorem Jovis coronabantur veteres.* 127. E.
Oliva *planta notiſſima fuit, etiam diluvii ſeculo.* 9. D.
Olivæ *pro oleo ſacri candelabri qua methodo legerentur.* 15. F.
Olivitas *dicebatur olivarum collectio.* 14. E.
Onagri *præſtantiſſimi ad juga Tauri montis habentur.* 942. F.
Onus *ventris exonerare in avio veteres non ſunt veriti.* 218. C.
Onyche *ad vaſa unguentaria & ad annulos veteres utebantur.* 233. D.
Onychinis *pavimenta inſtrata apud Romanos legimus.* 234. C.
Onychis *ſolo nomine unguentum præſtantiſſimum ſignificabatur.* 236. E.
Onyx *eſt conchylii operculum Dioſcoridi.* 233. B.
Onyx *eſt etiam genus lapidis, quod ex fodinis excavatur.* ibid. C.
Onyx *vas fuiſſe ad vini uſum oſtenditur.* 234. C.
Onyx *unguentarius, & alabaſtrum unguentarium, idem Dioſcoridi.* 232. E.
Onyx *piſciculi cujuſdam genus Plinio.* ibid. F.
Onyx *ab ungue dicitur.* 233. A.
Onyx *vas unguentis præſertim dicatum.* 234. E.
Onyx *ſumitur interdum pro unguento.* 236. A.
Onyx *erat vas parvum.* 237. D.
Orabatur *ab Hebræis Deus ſtando.* 1141. C.
Oracula *excipiebantur a Romanis per Vatem, vel per Auſpicem, aut per ſomnium.* 823. C.
Oracula *Divina per Ephod quomodo exciperentur.* 825. A.
Oracula *ſacra, Hebraicè primùm conſcripta fuere.* 915. A.
Oraculo *inconſulto Rex non deſignabatur ab Iſraëlitis.* 836. F.
Oraculum *ab Iſraëlitis conſulebatur, quando Rex aliquis deſignabatur.* 828. A.
Orariorum *uſus in plauſu, à quibus Romæ inſtitutus.* 1089. A.
Orariorum *uſus ad plauſum cur introductus.* ibid. B.
Orariis *procedebatur ad acclamationem.* 1081. D.
Oratores *cur munera Principibus deferrent.* 983. B.
Oræ *veſtimentorum nomine, quænam illorum pars intelligatur.* 718. D.
Ordines *ſeculares Reipub. Iſraëliticæ, quibus vocabulis ſignificentur.* 764. E.
Ordinis *laicalis diſtinctio ab Eccleſiaſticis, etiam ante latam legem Moſaicam, fuit in gente Iſraëlitica.* 759. C.
Ordo *hierarchicus Leviticæ Tribus oſtenditur.* 762. B.
Ordo *ſenatorius, à militari diſtinguebatur apud Iſraëlitas.* 764. C.
Ordo *militaris quanti ponderis eſſet in Republica.* 783 E.
Orientem *verſus adorare, fuit olim genus idololatriæ.* 643. D.
Orientales *caput raſum deferre conſueverunt.* 1042. C.
Orientalium *conſuetudo fuit, ut ille in Regno ex filiis ſuccederet, quem Pater declaraſſet.* 774. B.
Oris *quodnam genus animalis ſit apud Ariſtotelem.* 936. D.
Oris *majeſtas in Principe deſideratur.* 801. A.
Oris *majeſtas, Imperii ac Principatus nota extitit.* ibid. B.
Oris *oſculum inaugurationi annexum erat.* 966. E.
Oris *oſculo Principatus indicabatur.* ibid.
Oris *oſculum in inauguratione, aſſenſus in Principe nota erat.* ibid. 966. E.
Oris *oſculum non omnibus à Principe concedebatur.* 1078. F.
Ornamenta *capitis Iſraëlitarum recenſentur.* 992. E.
Ornamenta *ſacerdotalia non erant vetita Regibus.* 1023. D.
Ornamentum *à mundo muliebri diſtingui putant nonnulli.* 246. D.
Ornamentorum *conſultrices mulieres laſciviores habuerunt.* 254. D.
Os *Principis, adulationis cauſa exoſculabatur.* 965. D.
Os *Principis oſculabatur, cum ad Imperium aſſumeretur.* ibid.
Os *Chriſti cur milites manu percuterent.* 971. E.
Os *Principi exoſculari, nobilioribus tantum concedebatur.* 968. D.
Oſcines *quinam dicerentur apud veteres.* 822. A.
Oſcula *quotidiana edicto prohibita fuere apud Romanos.* 966. B.
Oſculari, *pro adorare.* 960. E. 962. A.
Oſculari *manum ad idola, quædam erat adoratio.* 961. B.
Oſculari *manus alicui, quid portenderet.* 971. A.
Oſculo *ſalutabatur Princeps, etiam apud Iſraëlitas.* 963. F.
Oſculo *fiebat conſalutatio.* 964. B.
Oſculo, *proceres tantùm Reipub. conſalutabantur.* ibid. E.
Oſtia *baſilicæ quænam eſſent in altari Salomonis* 609. B.
Oſtia *erant in infimis ſubſtructionibus ad excinerandum altare.* ibid. 673. A.

Oſtiola *in Nummis, in quibus altaria viſuntur, quid ſibi velint.* 609. C. 672. E.
Oſyris *quæſitus ab Ægyptiis: Solem fuiſſe dicunt aliqui: Iſidem Lunam.* 23. C.
Oſyris *fuit Ægyptiorum Rex quidam.* 24. B.
Othonis *in auſpicando Imperio ſalutatio.* 955. E.
Ovis *æſtimabatur decuſſibus apud Romanos.* 392. C.
Ozias *Rex quo fundamento crediderit licere ſibi thymiama offerre.* 1044. E.

P.

PAcifica *victima mactabatur in fœderibus inaugurationis.* 1119. C.
Pacificorum *ſacrificia comedebantur tantùm ab offerentibus.* 840. C.
Pacificorum *hoſtiæ in Principis inauguratione offerebantur.* 1123. E.
Pactum *quid ſit.* 586. C.
Pactum *tres vices iniit Deus cum Iſraëlitis in deſerto.* 588. E.
Pallas *militibus illuſtrioribus præficiebatur.* 888. A.
Palæſtritæ *odorato oleo ungebantur.* 2. D.
Paludamentum, *fuit apud Romanos veſtis ſummi Principis.* 1015. B.
Pangæa, *mons Thraciæ.* 907. A.
Panis *nomine convivium ſignificatur.* 188. D. & ſeqq.
Panes *Propoſitionis, cujus eſſent magnitudinis, & à quibus coquerentur.* 486. C.
Panes *Propoſitionis tegi conſueviſſe aliquo vaſe, falſo comminiſcuntur Rabbini.* 511. F.
Panis *triticeus omnium alimentorum perfectiſſimus.* 485. C.
Panis *Achainas in Cereris honore oblatus in ſacris.* 486. E.
Panis *Theiogones.* 487. B.
Panis *encryphias Athenienſium.* ibid. C.
Panis *vocabulo in ſacris litteris quicumque cibus ſignificatur.* 699. C.
Pani *inter edulia, cur dignior datus ſit locus.* 1151. A.
Panis *inter edulia, ſacratiorem locum retinuit.* 1150. F.
Panis *per medium ſectus, & alteri porrectus, ſacratiſſimi fœderis nota erat Macedonibus.* 1151. D.
Panis *vocabulo, omne genus cibi ſignificatur in ſacris Litteris.* ibid.
Panum *varia genera.* 484. F.
Parma *cetræ fortaſſe ſimilis erat.* 876. C.
Parma *ſcutum erat brevius ad milites levis armaturæ.* 888. D.
Parthi *datis dexteris fœdera firmabant.* 1125. B.
Parthorum *Regum thronus mirabilis.* 1144. F.
Paſcha *celebrare vetabantur incircumciſi.* 575. D.
Paſcha *in atrio, à Sacerdotibus comedi, & celebrari poterat.* 682. F.
Pater *patratus verbena redimitus, ad firmanda fœdera procedebat.* 1112. F.
Patera *vas erat, quo ſanguis hoſtiæ recipiebatur, & fundebatur.* 511. C.
Patris *patrati poteſtas in feriendis fœderibus.* 1113. A.
Patriarchæ *Tribuum, die octava ſecundi menſis, munera in Dei Tabernaculo offerre cœperunt.* 672. B.
Patriarchæ *Tribuum in Repub. Iſraëlitica, digniorem ſenatum conſtituebant.* 778. F.
Patriarchæ *Tribuum, inſigne Principatus virgam geſtabant.* 832. F.
Patritii *ad Sacerdotium apud Romanos à quo fuerint ſublimati.* 700. D.
Paulus *poſt Chriſti in Cœlum aſcenſum purificationes legis Moſaicæ ſectabatur.* 156. F.
Paupertas *unguenta excogitavit apud Ariſtophanem.* 101. A.
Peccatum *quid ſit.* 385. D.
Peccatum *Caini cur in foribus futurum dicat Deus.* 793. A.
Pecunia *ſignata inviſa fuit pluribus gentibus.* 295. E.
Pecunia *in negotiationibus antiquitus, non ſolum appendebatur, ſed etiam numerabatur.* 298. A. 299. A.
Pecuniæ *numeratæ uſus, uſque à temporibus Abrahami, & ante notus, & frequens fuit.* 299. E.
Pecuniam *a pecude appellatam cenſetur.* 309. B.
Pedes *lavabant ſtatim, ac cœnaculum ingrediebantur veteres.* 163. D.
Pedes *diſcipulorum lavit Chriſtus cum diſcipuli ſecundo cœnaturi eſſent.* 164. D.
Pedes *bis lavabant Judæi, bis cœnaturi.* ibid. E.
Pedeſtri *in militia quinam venirent, & ſcutis uterentur.* 866. A.
Pedeſtris *militia, alia gravis, alia levioris armaturæ dicebatur.* ibid.
Pedeſtris *militia, quæ ſcuto utebatur, alia erat gravis armaturæ, alia levioris.* 866. D.
Pedis *dextri pollex, ſanguine expiabatur in conſecratione Sacerdotum.* 706. F.
Pedites *gravioris armaturæ, qui ſcuto utebantur, oplitæ dicuntur apud Græcos.* 867. C.
Pedites *levioris armaturæ cum ſcuto, Peltaſtæ apud Græcos appellabatur.* ibid.
Pedites *gravioris armaturæ, quibus armis uterentur.* ibid. D.
Pedites *gravis armaturæ Cetra utebantur.* 868. F.
Pellium, *boumque vocabulo pecunia ſignata ab Homero intelligitur.* 297. C.
Pelta, *urbs in Phrygia majori ponitur à Ptolemæo.* 857. A.
Pelta, *ſcutum erat parvum.* 869. A. 878. F.
Pelta, *fuit ſcuti genus ad fugam aptiſſimum.* 872. A.
Pelta, *femineum ſcutum appellata.* 879. A.
Pelta, *metallicum ſcutum ponitur ab aliquibus.* 879. C.
Peltæ *uſus fuit apud Hebræos.* 871. E.
Peltæ *forma, lunatæ extitit.* 878. D.
Peltæ *icon.* 877.
Peltam *dat Thracibus Xenophon.* 867. F.
Peltam *pro cetra appoſuerunt aliqui.* 878. C.
Peltaſtæ *dicebantur milites, qui pelta utebantur.* 869. A.
Peltaſtica *militia, præcurſoria dicitur.* 872. E.
Peltaſtis *ſtipabatur Cyrus.* 872. B.
Periſcelides *erant circuli ad ornatum inceſſus.* 1008. C.
Perjuris *a fonte Thianeo receſſus non concedebatur.* 1126. C.
Perſæ *inter pocula profuſi fuerunt in unguentis.* 203. A.
Perſæ *à ſacerdotibus Reges ſuos inaugurari curabant.* 1070. B.
Perſæ *paciſcebantur cum Principe in exordio Principatus.* 1106. D.
Perſæ *firmabant fœdera inter convivia.* 1150. C.
Perſarum *Rex mille militibus ſtipabatur.* 848. A.
Perſarum *Reges, ſingulares habuere equas.* 930. D.
Perſarum *Reges in veſtimentorum cultu ſtudioſiſſimi.* 1013. E.
Perſica *thiara qualis eſſet.* 989. C.
Perſicæ *thiaræ diadema adjungebatur.* ibid. A.
Pertinacis *ad Imperium ſalutatio.* 956. A.
Phanephorus *Solis ſacerdos.* 652. B.
Pharao *Iſraëlitis vetuit exitum ad deſerta, Sacrorum de cauſa.* 759.
Phelethæi *ab urbe Pelta originem traxiſſe putantur.* 857. C.
Phelethæos *ab admirabili robore dictos exiſtimat Ribera.* 865. B.
Phelethæos *quaſi apparitores dictos putant Complutenſes.* ibid. D.

Phelethæi, *id eſt, mirabiles ſecundum aliquos dicti, quod inſontes defenderent.* 841. F.
Phelethim, *ſtipatorum ſelectiores cur appellarentur.* 850. A
Phelethim *à verbo*, פלח, *dicebantur.* ibid.
Phialæ *erant ad commaſſandum oblationes olei, thuris, & adipis.* 674. B.
Phialæ *thure plenæ binæ imponebantur Panibus propoſitionis.* 495. F.
Phialæ *erant vaſa, in quibus Thymiama ſervabatur.* 538. B.
Phialarum *uſus in ſacris Iſraëliticis.* 674. A.
Phialarum *nomine, quæ vaſa ſignificentur.* 495. C.
Phialarum *nomine capaciora vaſa ſignificantur* 673. E.
Philopœmenes *peltarum uſum Græcis abſtulit.* 872. E.
Phœnices *locum habuerunt in terra Chananæorum.* 852. D.
Phœnices, *oras maritimas Iſraëliticæ regionis incolebant.* 853. B.
Phœnices, *Cretenſium advenæ dicuntur.* ibid. C.
Phœnices *fœdere jungebantur Græcis.* 854. C.
Phœnicia *fuit contermina Iſraëliticæ regioni.* 853. A.
Phœniciæ *portus, quo in loco à Ptolemæo poſitus.* 852. F.
Phraſi *ſacrarum literarum lavare pedes convivium dicitur.* 163. E.
Pietas, *& Religio in Principibus Reipublicæ expetebantur à veteribus.* 795. A.
Pigmentarii *qui ſint, & unde dicantur.* 99. C.
Fuerunt alicujus exiſtimationis apud Romanos. 85. D.
Pio *verbum quid ſignificet.* 650. E.
Pila *ludere conſueverunt veteres ſudandi cauſa.* 166. A.
Pilati *milites cur faciem Chriſti non velaverint, quando ei illudebant.* 959. B.
Pilati *milites cur cæremoniis inaugurationis Chriſtum illuderent.* 959. E.
Pileoli *hyacinthini, ad uſum Regum, & Pontificum Iſraëlitarum icon.* 994. E.
Pileolus *alter, quo prior tegebatur.* 995. D.
Pileum *Iſraëlitici Regis laminam ſanctam habuiſſe probatur.* 1003. C.
Pileus *Iſraëlitici Regis, ejuſdem erat formæ cum Pontificali.* 1002. D.
Pili *ex capite victimæ præcidebantur, & inter confœderantes, & teſtes diſtribuebantur.* 1121. D.
Pili *ex capite victimæ in fœderibus ab Imperatore præcidebantur.* 1122. A.
Pili *ex capite victimæ, inter optimates diſtribuebantur a Caduceatoribus.* ibid. E.
Pineda *decipitur in vocabulis Hebraicis, quibus muli ſignificabantur.* 935. C.
Pinedæ *ſententia rejicitur, de duplici mularum genere in ſacra Scriptura.* 938. E.
Planetas *& ſidera, cur ut Deos venerarentur veteres.* 912. E.
Plaudendi *excogitatæ artes.* 1090. E.
Platæenſes *quotannis Manibus Græcorum parentabant, qui in expeditione contra Xerxem occubuerant.* 217. C.
Plauſus *in Principis inauguratione, totius populi erat.* 369. A.
Plauſus *manuum, qua ratione ad hoc, vel illud exprimendum accommodetur.* 1087. C.
Plauſus *manuum, qua ratione mœrorem exprimat, & qua ratione gaudium.* 1088. A. ibid. C.
Plauſuum *genera multiplicia monſtrantur.* ibid. D.
Plauſtris *ſex, columnæ atrii, baſes, ac capitella, & Tabernaculum in motione caſtrorum portabantur.* 44. B. 452. E.
Plebeii, *& gregarii milites in Principis inauguratione ad oſculum manus tantummodo admittebantur.* 970. C.
Plures *ſimul fuiſſe Summos Sacerdotes in lege Moſaica nullum præ ſe fert inconveniens.* 726. D.
Poculum *religionis cauſa ſingulis convivis in principio menſæ apponebatur.* 222. E.
Poculum *libatorium veteribus erat religioſiſſimum.* 223. F.
Poculis *præſtantiſſimis veteres utebantur ad libandum in menſa.* 224. A.
Poculum *libatorium ſub pulvino cuſtodire Principes, & ſecum habere conſueverunt.* ibid. C.
Poculum *& phiala erat idem genus vaſis.* ibid. D.
Poëtæ *inter inſanos interdum reponebantur.* 1097. F.
Pœna *quid ſit.* 385. B.
Pœna *graviſſima indicebatur a Deo in illum, qui thymiamate uteretur.* 321. F.
Pœna *ſtatuto alicui appoſita, vim legis & præcepti ſtatuto præſtat.* 370. A.
Pœna *capitalis indicitur, in tranſgreſſorem cultus ſacri olei Conſecrationis.* 384. D.
Pœna, *quæ per* mortem mori *ſignificatur in Scripturis, fuit indiſpenſabilis.* 400. F.
Pœna *quæ per verba* occident eum, *& ſimilia a Deo indicitur in Moſaicis ſtatutis, erat diſpenſabilis.* 401. E.
Pœna *perſonalis, non obligat tranſgreſſorem ad ſolutionem in foro conſcientiæ.* 402. C.
Pœna *commonitionis erat propter tranſgreſſorem.* 390. D.
Pœna *animadverſionis eſt ultimi ſupplicii.* 391. B.
Pœna *commonitionis non reſpicit ultimum ſupplicium tranſgreſſoris.* ibid.
Pœna *animadverſionis, & commonitionis indicitur in tranſgreſſorem cultus ſacri olei Conſecrationis.* ibid. F.
Pœna *peccantis in cultum olei Conſecrationis dicebatur incorporalis.* 394. D.
Pœna *exterminationis de populo cum conditione individuanti, quid ſignificet.* 395. E.
Pœnæ *cur fuerint dictæ ſupplicia.* 391. E.
Pœnæ *indictæ a Deo, aliæ ſunt perſonales, aliæ reales.* 393. B.
Pœnam *annexam præcepto circumciſionis, ſpiritualiter intelligit Auguſtinus.* ibid.
Pœna *exterminationis ſine conditione individuanti, quid velit.* 396. B.
Pœna *in tranſgreſſorem vim habente in aliqua lege, ad Magiſtratus lex dirigitur, & ad illum pertinet obſervantiam illius curare.* 386. A.
Pœnam *corporalem in tranſgreſſores circumciſionis comminari, ſentiunt alii.* 394. B.
Pœnarum *executio pertinet ad eum, qui Reipublicæ præeſt.* 398. C.
Pollintor *dicebatur, qui pollinario cribro farinæ curandæ operam dabat.* 97. C.
Pompejo *crimini datum fuit, quod diadema cruri alligaſſet.* 986. F.
Pompejus *à Ceſare victus, in abjecta fortuna unguentis præveniebat cœnam.* 186. B.
Pontifex *ſummus jure Divino omnimodam juriſdictionem habebat in Tribu Levitica.* 761. F.
Pontifex *in Regia inſtitutione ſummum tenebat locum.* 835. A.
Pontifex, *Sacerdotum caput conſtituebatur* 1047. A.
Pontifex *ſummus apud Hebræos, ſupra Regem jus habebat & ſuper omnes Reipublicæ Magiſtratus.* 1066. C.
Pontifex *Summus Hebræorum tenebatur lucernas candelabri ſancti ordinare, & accendere.* 49. B.
Pontifex *Summus Hebræorum ſemel in anno Sanctum Sanctorum ingrediebatur.* 69. A.
Pontifex *aphetor dictus.* 191. B.
Pontificalis *pileus corona aurea ornabatur.* 999. D.
Pontificalis *pilei cum corona icon.* ibid.
Pontifici, *ac Sacerdotibus Moſaicis non erat jus ſuffragii in Rege eligendo.* 775. A. 776. A.
Pontifici *vetitum erat funebria tangere, aut funus adire.* 1058. E.
Pontificis *titulum Auguſtus primus aſſumpſit.* 797. C.
Pontificis *ſummi munus erat, Reges Iſraël inaugurare.* 1066. C. 1070. D.
Pontificis *Summi erat, ritus præſcribere minoribus ſacerdo-*

cerdotibus in apparandis lucernis pro Dei candelabro. 67. E.
Pontifex, *cur ſic diceretur a Latinis.* 700. F.
Pontificia *ſtola, in turri Antoniana Hieroſolymis ſervabatur.* 722. D.
Populi *conſenſus in dedicatione Templorum, requirebatur apud Ethnicos, & in conſecratione Tabernaculi adfuit.* 426. F.
Populus *Iſraël tacitè obligabatur, ad legis nondum latæ obſervantiam, dum elegit Deum in Imperatorem Iſraëlitici exercitus.* 369. A.
Populus *à multitudine quomodo diſtinguatur in ſacris.* 969. C.
Populus *duplici acclamatione Regiam inaugurationem proſequebatur.* 1078. E.
Populus *accedebat ad Principis ſalutationem, juxta uniuſcujuſque dignitatem.* ibid. F.
Populus *pluries Principi acclamare ſolebat.* 1082. F.
Portæ *vocabulo Senatus conſulta, & Decreta publica aliquando ſignificantur.* 794. D.
Portarum *vocabulo, loca juris dicundi in ſacris Litteris ſignificantur.* 792. A.
Potoria *vaſa fecerunt aliquando veteres ex aromatibus pulverizatis.* 210. E.
Præcentio *præibat Imperatores, cùm progrederentur.* 1092. C.
Præcentio *muſicalis in ſacris Ethnicorum.* ibid. B.
Præcentio *præibat Reges Hebræorum, cum ad palatium deducerentur.* ibid. E.
Præcentionis *inſtrumenta monſtrantur.* 1093. A.
Præcepta *cæremonialia nonnulla obligabant Gentiles, qui Deum Hebræorum verum eſſe Deum cognoviſſent.* 378. E.
Præcepta *Moſaica diriguntur ad filios Iſraël, quia primo eis publicari debebantur.* 397. E.
Præcepta *moralia, communia ſunt omnibus hominibus.* 389. A.
Præcepta *Moſaica trifariam dividuntur.* 377. C.
Præcepta *moralia, & cæremonialia nonnulla obligabant etiam Gentiles circumciſos.* 377.
Præcepta *judicialia non obligabant, nec etiam Iſraëlitas, qui eſſent extra propriam Rempublicam.* 378. C.
Præcepta *moralia Divinæ legis, quibus vocibus explicentur.* 1028. F. ibid. B.
Præcepta *ſcripta in tabulis à Deo, teſtimonia cur dicantur.* ibid.
Præcepti *vim, quæ verba habeant.* 369. F.
Præceptis *moralibus ſecluſis, reliqua legis Moſaicæ præcepta, non jure divino ut à Deo, ſed ut à Principe obligabant Iſraëlitas.* 569.
Præcepto *quo prohibetur uſus Olei conſecrationis, ligari Reges oſtenditur.* 1042. B.
Præceptum *cultus olei conſecrationis ſub mortali ligabat Iſraëlitas.* 386. C.
Præceptum *prohibens uſum olei conſecrationis, quomodo aliqui interpretentur.* 1041. F.
Præceptum *non offerendi thymiama, quomodo intelligatur.* 1044. A.
Præceptum *prohibens compoſitionem ſacri Olei, explicatur.* 1057. A.
Præceptum *cultus olei conſecrationis Sacerdotes, & Levitas ligabat.* 373. B.
Præceptum *cultus olei conſecrationis Gentiles non ligaſſe Abulenſis ſentit.* 374. F.
Præceptum *cultus olei conſecrationis Gentiles obligabat.* 379. C.
Præceptum *cultus ſacrorum utenſilium, etiam Gentiles ligabat.* 381.
Præceptum *qualiter obliget ad mortale peccatum.* 385. C.
Præcipe *verbum non habere vim legis exiſtimat Abulenſis.* 70. F.
Præcipe *verbum Latinum habere vim legis monſtratur.* 73. D.
Præcurſores *Regii dicebantur, qui eum præveniebant.* 864. A.
Prædicere *Regnum alicui, Prophetarum erat munus.* 772. D.
Prædictio *facta alicui de Regno, nullum jus Regium conferebat.* 773. A.
Prædictio *alicui facta de Regno, diſtinguebatur ab electione, declaratione, & inauguratione.* 772. C.
Præfecti *Prætorio munus erat, de Principis agere electione.* 784. C.
Præfecti *Prætorio auctoritas in Iſraëlitica Republica monſtratur.* 785. D.
Præfecti *Prætorio munus erat Regem in Regni poſſeſſione collocare.* 788. B.
Præfecti *dedicationis mens, in dedicando tota in Numine ferri debebat.* 428. C.
Præfectus *Prætorio, prior à Principe ad oſculum admittebatur.* 969. A.
Præfericulum *vas erat ad libamina Ethnicorum.* 504. D.
Præficiebatur *aliquis à Principe in dedicationibus Romanorum.* 426. C.
Præpetes, *qui dicerentur apud Ethnicos.* 822. A.
Prætoriani *locum habebant extra Urbem.* 448. C.
Prætoriani *protectores Principis dicti ſunt.* 847. D.
Prætoriani *milites, iidem qui ſtipatores.* 881. D.
Prætoriani *cur ſic dicti apud Romanos.* 850. B.
Prætorianorum *ſuffragiis Imperator Romanus eligebatur.* 767. F.
Prætorianorum *auctoritas in Romana Republica.* 784. C.
Prætorianorum *militum munus erat, Principis latus cingere.* 847. D.
Precationes, *& imprecationes Hebræi in fœderibus adhibebant.* 1134. C.
Precationes, *& imprecationes fœderibus inaugurationis addebantur.* 1135. D.
Pretium *unguenti conſecrationis.* 316. D.
Princeps *nec inſtituebatur, nec eligebatur ſine Augure.* 820. F.
Princeps *inaugurandus, meridiem verſùs reſpiciebat.* 827. E.
Princeps *in obſervantia legum, primus eſſe debet.* 934. D.
Princeps *Iſraëliticus bis adorabatur, cum inauguraretur.* 955. D.
Princeps *apud Iſraëlitas genuflexione venerabatur.* 960. C.
Princeps *reſalutabat, qui ad eum ſalutandum accederent.* 463. A.
Princeps *reoſculabatur eos, qui ei ad oſculum accedebant.* ibid. B.
Princeps *quoties ſalutaretur, toties munera illi offerebantur.* 981. C.
Princeps *Iſraëliticus deductus ad locum inaugurationis, diademate redimiebatur.* 983. C. D.
Princeps *perfectus, quibus conſtituitur.*
Princeps *in Republica Iſraëlitica ad nutum Pontificis cuncta moderari tenebatur.* 1067. D.
Princeps *ad quid ſe obliget in Principatu aſſumendo.* 1106. B.
Principe *peccante ſanguis hoſtiæ intra velum inferebatur.* 656. C.
Principes *quibus horis balneis operam darent.* 148 D.
Principes *punire ſontes debent, publici boni de cauſa.* 399. C.
Principes *juxta formam legis in ſubditos auctoritatem habent.* ibid. A.
Principes *divinitatem expetentes, Jovis numen uſurparunt.* 551. B.
Principes *duplici nomine uſi ſunt.* 548. F.

Principes *plura nomina, quare habere curaverint.* 550. E.
Principes, *vocabulo Elohim appellabantur.* 557. A.
Principes *cur in altum & ſublimes veherentur.* 927. F.
Principes *omnes, ſingulares ac nobiles ſemper equos habuere.* 930. B.
Principes, *Regis filii, mula vehebantur inferioris ordinis à Regia.* 932. F.
Principes *adorati fuerunt apud Hebræos.* 957. D.
Principes *legibus parere debent.* 1025. D.
Principes *ſacro Oleo in humero liniuntur.* 1074. B. *Et quàre.* 1057. A.
Principes *in aſſumendo Principatu, paciſcebantur cum populis.* 1106. B.
Principia *in caſtris Romanorum, appellabatur locus, in quo milites illi, qui Principes dicebantur, habitabant.* 449. B.
Principis *auctoritas, quid operaretur in dedicationibus.* 426. C.
Principi, *cùm inaugurabatur, munera mittebantur.* 979. D. 981. A.
Principi *noviter inaugurato, tribus modis plaudebatur.* 1088. C.
Principis *purpuram oſculari, genus erat adorationis.* 961. E.
Principum *fidiſſimi miniſtri, illorum dexteræ dicuntur.* 1125. B.
Proceres *tantùm, ac Senatores, non autem plebeji, convocabantur ad Regiam electionem.* 770. C.
Proceres *tantum, ac milites digniores, habebant jus ſuffragii in electione Regis.* 780. B.
Proceres *Reipub. ſub metaphora plantarum ſignificantur in Scripturis.* ibid.
Proceres, *majores natu appellantur in Scripturis.* ibid. E.
Proceres *Reipub. Iſraëliticæ cogebantur poſſeſſionem Regni concedere ei, quem Deus elegiſſet.* 813. A.
Proceres *Reipub. & nobiliores, quotidie ad exoſculandum Principem accedebant.* 965. E.
Proceres *tantum admittebantur ad Principis adorationem.* 969. A.
Procerum *Reipub. conventus convocabatur ad Principis electionem.* 757. F.
Prophana *dicuntur, quæ in alicujus ſunt uſu.* 432. D.
Prophana *religio externæ munditiei cum primis operam dabat.* ibid. E.
Propitiatorium *dicebatur tegumentum, quod Arcam omnino claudebat.* 463. D. 467. B. 471. C.
Propitiatorium *ſacræ Arcæ, manibus duorum Cherubim, nequaquam ſuſtentabatur, ut aliqui ſentire videntur.* 465. F.
Prophetæ *quanto fuerint in honore apud veteres. apud Hebræos.* 190. A. 191. D. 192. C.
Prophetæ *inſani cenſebantur ab aliquibus.* 192. A.
Prophetæ *oleo initiari ſoliti videntur ad propheticum munus.* 193. B.
Prophetæ *ad conſulendum Deum Regibus Iſraëlitis aderant.* 816. E.
Prophetæ *præſentia in exordio Regni neceſſaria cenſebatur.* 817. A.
Prophetæ, *Regis conſtituendi nullum jus habebant.* 1062. A.
Prophetæ, *cum aliquid Dei nomine prædicebant, illud idem mimicis geſticulationibus conſociabant.* ibid. D.
Prophetæ *Reges ungebant, ad prædicendum illis Regnum.* 1064. A. *ſed non publicè.* ibid. C.
Prophetæ *oleo communi, non ſacro Reges ungebant.* ibid. C.
Prophetæ, *& Dei ſervi, ſtulti cenſebantur.* 1077. F.
Prophetarum *acta correſpondebant verbis ipſorum, & his quæ ab eis ſignificabantur.* 1078. B.
Prophetas *ſacrum Oleum ſemper detuliſſe, tradit Abulenſis.* 1031. E. *Sed rejicitur.* ibid. F.
Prophetas *unxiſſe Reges, intelligitur de clancularia unctione, non de inauguratione ſolemni.* 1063. E.
Prophetis *jus erat, in Comitiis Regiis ad conſulendum Deum.* 814. B.
Prophetis *altera poſt Sacerdotes ſedes erat in Comitiis Regiis.* ibid. F.
Propnygeon *erat præfurnium, per quod ignis hypocauſto miniſtrabatur.* 179. C.
Propnygeon, *cur ſic diceretur.* 180. B.
Propoma *quodnam genus potionis veteribus eſſet.* 212. C.
Proptervia *Ethnicorum ſacrificiorum genus.* 602. C.
Prytanæa *erant templa Græcorum ad cuſtodiam ſacri ignis.* 46. F.
Pſalmi *magiſtro muſicæ dirigebantur.* 118. A.
Pſalmi 44. *titulum ſuper roſas interpretari poſſe probabile eſt.* 120. C.
Pſalmorum *tituli aliquando erant in argumentum, aliquando ad genus modulationis.* 117. C.
Pudenda *nudare omnibus ſemper viſum eſt horridum.* 158. B.
Puellas *convivis unguenta interdum miniſtraſſe conſtat.* 209. C.
Pueri *aquam pedibus & potui, miniſtrabant convivis.* 207. D.
Pueri *unguenta convivis miniſtrabant.* 209. A.
Pueri *ad ſtrigilium uſum erant veteribus.* 174. B.
Pueri *accumbentium dominorum calceos ſervabant.* 162. D.
Pueris *nudis, fucatis, & calamiſtratis utebantur ad pocula veteres.* 207. F.
Pueris *Aſiaticis cultus crinium præſertim objicitur.* 208. B. *hos veteres ad pocula emebant.* ibid. C.
Pueros *ad ungues ſecandos habuerunt veteres molliores.* 354. C.
Pueros *formoſiſſimos pretio emebant maximo veteres ad poculorum miniſteria.* 207. B.
Puerpera *in exercitu Iſraëlitico, nube indicente profectionem caſtrorum Iſraëlitarum, qua ratione moveretur.* 571. C.
Pugionis *uſus, originem unde habuerit.* 885. C.
Pugnandi *peritia, ex uſu duplicis gladii explicatur.* 884. B.
Puncta *vocalia, à quibus fuerint jam olim in exemplaribus Hebraicis appoſita.* 916. B.
Puncta *vocalia Hebræorum qua ratione viciſſim, aliud in aliud, commutari poſſint.* 917. C.
Punire *tranſgreſſores legis optimum in Republica.* 390. C.
Puniendorum *criminum duplex ratio.* ibid. D.
Purificationum *cauſa nudari Iſraëlitæ cogebantur.* 158. D.
Purpuræ *uſus apud Reges Iſraëlitas probatur.* 1017. B. Ibid. E.
Purpuram *Principis adorare, concedebatur alicui ex privilegio.* 961. E.
Pyrion *erat vas ad offerendum incenſum.* 539. F.
Pyrophori *dicebantur qui igne ſacro caſtra præcedebant apud Græcos.* 46. C.
Pythagorici *unguentorum uſum admiſerunt.* 92. B.
Pythia *qua ratione reſponſa daret.* 624. B.
Pythonici *dicebantur, qui circa cultum deorum inferorum verſabantur.* 579. E.
Pythonicum *cultum frequentiſſimum fuit apud Iſraëlitas.* 580. A.
Pyxis *ab ampulla diſtinguebatur.* 222. A.
Pyxis *vas unguentarium erat ex buxo.* ibid.
Pyxis *ex buxo primum fieri cœpit, & ideo ſic dicta fuit.* ibid. C.
Pyxidis *forma oſtenditur.* ibid. E.

Pyxis *fuit vas viduæ Sareptanæ , quod Lecythus dicitur.* 226 C.
Pyxis *inſtrumentum ad ludos, & alios uſus fuit.* 243. E.

Q.

QUantitatem *rerum offerendarum à filiis Iſraël in deſerto pro fabrica tabernaculi Deus nequaquam decrevit.* 72. B
Qualitatem *offerendorum pro fabrica tabernaculi Deus expreſſit.* ibid. A. ibid. F.
Quæ *in ſacris litteris jure regio facta aliquando leguntur, non ſemper probari debent.* 444. B.
Quadriga *duorum Cherubim in Templo Salomonis oſtenditur.* 474. F.
Quercubus *loca quædam religioſa Veteres ſignabant.* 947. B.
Quercus *aliquæ ſacræ , ex Divinis oraculis recenſentur.* 947. C.
Quotidiana *oſcula edicto prohibita.* 966. A.
Quotidianæ *ſalutationis forma ſumebatur ab ea , qua utebantur Proceres in ſalutando Principe.* 972. D.
Quotidianæ *ſalutationis forma apud Iſraëlitas.* 974. E.

R.

RAbbi *Salomon ex capite proprio ridicula mendacia comminiſcitur.* 911. B.
Rabbini *omnino ignorant , cujus eſſent uſus vaſa aliqua , quæ ſacræ Menſæ ſuperimponebantur.* 491. B.
Rabbini *fidem non præſtant , niſi Hebraico exemplari.* 842. E.
Rabbini *velatum habent cor in intelligentia ſacrarum Litterarum.* 910. E.
Rabbini *ſemper inſulſa comminiſcuntur in ſacris litteris interpretandis.* 911. B.
Rabbini *quoſdam characteres excogitarunt fieri , cum Rex inaugurabatur.* 1042. D.
Ratio *legi appoſita , legiſlatoris mentem explicat.* 1057. F.
Receptacula *ignium , cujus uſus eſſent in ſacrificiis, & aliis ſacris ritibus , & cujus eſſent formæ.* 676. E.
Regem *ſacrificulum, qua occaſione creaverint Romani.* 796. F.
Regem *eligere Iſraëlitis conceſſum , quando pacificè terram promiſſionis incoluiſſent.* 888. C.
Reges *Macedones , ſacras alas appellabant ſtipatores.* 848. A.
Reges *Iſraël ſatellitium habuiſſe oſtenditur.* 848. C.
Reges *cur ſatellitio ſtipari voluerint.* 385. E.
Reges *Iſraëlitæ jure regio in præceptis judicialibus diſpenſabant.* 938. A.
Reges *Iſraëlitæ extra urbium ſepta inaugurabantur.* 945. B.
Reges *Perſarum Paſargadis in templo inaugurabantur.* 945. F.
Reges *Romanorum in templo Jovis Capitolini , Regni auſpicia ſuſcipiebant.* 946. B.
Reges *cur ſub dio inaugurarentur.* 950. B.
Reges *extra urbem ad fontes cur inaugurarentur.* 953. F.
Reges *Iſraël coronam habuere in pileo.* 1002. F.
Reges *ac Principes egregiis veſtibus ornari conſueverunt.* 1013. C.
Reges *Hebræorum præclariſſimis uſi ſunt veſtibus.* 1015. E. 1016. F.
Reges *Iſraël amictu velantur ſimili veſtibus Pontificiis.* 1019. C. 1023 F.
Reges *Iſraël Ephod induerunt.* 1019. D.
Reges *Iſraël oſtenditur geſtaſſe Ephod.* 1020. D.
Reges *Iſraël tunica talari amicti.* 1021. B. ibid. F.
Reges *Iſraël nunc oleo ſacro , nunc prophano inauguratos fuiſſe ſentit Abulenſis.* 1030. B.
Reges *quam auctoritatem haberent in Rempublicam Iſraëliticam.* 569. A.
Reges *nulla lege teneri ad olei ſacri uſum , cùm inaugurabantur , ſenſit Abulenſis.* 1030. D.
Reges *communi oleo , quando inauguratos probat Abulenſis.* ibid. E.
Reges *ſacro oleo alterius generis inauguratos , ab eo quo ſacerdotes initiabantur, negat Abulenſis.* ibid.
Reges *Syriæ, oleo inaugurabantur.* 1033. A.
Reges *Iſraëlitæ , Meſſiæ vocabulo cur dicerentur.* 1035. B. ibid. F. 1036. B.
Reges *Iſraëlitas communi oleo inauguratos , quibus rationibus probetur.* 1037. B.
Reges *ſacro conſecrationis oleo inaugurari vetitum.* 1040. E.
Reges *oleo ſancto inauguratos fuiſſe oſtenditur.* 1053. A.
Reges *oleo conſecrationis minimè inauguratos oſtenditur.* ibid.
Reges *in funere immundabantur.* 1054. B.
Reges *inaugurare , ad Prophetas non pertinebat.* 1061. C.
Reges *Iſraël jus habuiſſe in ſacerdotes , nullibi legitur in ſcriptura.* 1068. C.
Reges *Iſraël in capite oleo perfundebantur.* 1075. B.
Reges *Iſraël capite operto inaugurabantur.* 1077. B.
Reges *Iſraëlitæ tecto capite oleo inaugurabantur.* 1078. C.
Reges *dexteram cum ſceptro elevabant , quando jurabant.* 1131 C.
Reges *cum inaugurarentur, in leges jurare compellebantur.* 1025. E.
Regi *Iſraëlitico inter ſolemnia inaugurationis lex manibus tenenda tradebatur.* ibid. F.
Regi, *cum inaugurabatur , ſacras Divinæ Legis tabulas traditas in manibus , ſuſpicatur Auctor.* 1029. B.
Regi *inaugurato præcinebatur apud Iſraëlitas.* 1094. D. 1096. A.
Regi *inaugurato plaudebatur apud Iſraëlitas.* 1090. E.
Regia *Perſarum à liliorum copia Suſa fuit appellata.* 116. E.
Regia *electio diſtinguitur à declaratione & inauguratione, & hæc ab illa.* 769. E.
Regia *electio, Populi ac Procerum erat.* ibid.
Regia *declaratio in Repub. Iſraëlitica, prædeceſſoris jus erat.* ibid. F. 774. A.
Regia *inauguratio , ſacerdotalis erat muneris.* 769. F.
Regia *munera explicantur.* 795. C.
Regia *dignitas, ſummi faſtigii erat apud Iſraëlitas.* 955. D.
Regia *vox quid importaret apud Hebræos.* 976. B.
Regia *jura Regi ſedenti in throno tradebantur.* 1138. A.
Regiæ *dignitati ſacerdotale munus junctum cur fuerit apud exteros.* 795. D.
Regiæ *electionis jus liberum non erat penes Iſraëlitas.* 809. C.
Regiæ *perſonæ deſignatio, duplex erat in ſacris Oraculis.* 1034. F.
Regiam *dignitatem in majeſtate ſtaturæ Virgilius collocat.* 801. F.
Regias *mulas , ex his quæ pariunt fuiſſe , Pineda ſenſit.* 935. F.
Regii *ſatellitii exordia in Iſraël.* 861. D.
Regii *amictus partes ſingulæ explicantur.* 1024. C.
Regiis *ornamentis uti, vel affectatæ tyrannidis, vel futuri Regni prognoſticon cenſebatur.* 933. A.
Reginarum *Iſraëliticarum cultus veſtimentorum.* 1016. A. ibid. D.
Regio *Palæſtina, Cerethim appellata , ſecundum Riberam.* 861. B.

Regio *ſediſſe in throno, capitale fuit apud Perſis.* 1138. B.
Regio *ſedere in throno, omnibus omnino interdictum.* ibid. D.
Regis *electio non indigebat ſacro oleo, neque ſacerdotali munere.* 773. F.
Regis *electio extra urbes celebrabatur.* 788. D.
Regis *inaugurandi locum ſpecialem habuerunt Iſraëlitæ.* 944. F. 946. E. 950. A.
Regis *& Domini vocabulum, Romanis inſolentiſſimum.* 974. F.
Regis *Iſraëlitici amictus forma quam obſcura.* 1018. C.
Regis *Iſraëlitici figura.* 1024. B.
Regium *erat, veſtes unguentis odoratis conſperſas habere.* 713. A.
Regium *eſt punire ſontes, & modeſtos tueri.* 399. A.
Regium *Iſraëliticæ Reipub. regimen finem accepit in Babylonica captivitate.* 775. A.
Regium *jus variis vocabulis ſignificatur in ſcripturis.* 808. C.
Regium *omen ab equis ſumptum.* 930. B.
Regium *unguentum quodnam diceretur.* 103. D.
Regna *a Deo ſunt.* 398. D.
Regni *poſſeſſionem concedere ei, quem Deus elegiſſet, pertinebat ad Proceres Reipublicæ.* 812. D.
Regni *poſſeſſio, vigore olei Regibus concedebatur ab Iſraelitis.* 1034. D.
Regum *erat, pro Populo antiquitus ſacra facere.* 795. E.
Regum *inaugurationes, ſacris in locis fiebant.* 948. F.
Regum *Iſraëlitarum veſtimenta præſtantiſſima.* 1016. A.
Regum *Iſraelitarum filiæ tunica talari induebantur.* 1021. D.
Regum *Iſraelitarum unctio duplex extitit.* 1056. D.
Reipublicæ *forma ſtabilitur in Dei cultu, & amore proximi.* 757. D.
Reipublicæ *ſtatus laicalis, pacem civium, & defenſionem eorundem reſpicit.* 762.
Reipublicæ *ordines ad Regiam inaugurationem convenie-bant.* 783. C.
Reipublicæ *Iſraëliticæ politia, ſub aliquibus Regibus mutata fuit.* 857. E.
Reipublicæ *Proceres in loco aliquo inſigniori ad Principis electionem convenire conſueverunt.* 944. D.
Religionis *cultus à natura homini inſitus eſt.* 694. D.
Religionis *virtus Reſpublicas ac Imperia ſarta tecta conſervat.* 758. A.
Religionis *alienæ ritus nunquam conceſſus ab Iſraëlitis.* 859. F.
Reſalutatio *quomodo diſtingueretur à conſalutatione.* 963. B.
Reſponſio *per ſomnium erat ænigmatica & ſymbolica.* 824. C.
Reſponſio *per Ephod qualis eſſet.* 824. C.
Reſponſio *per Ephod indigebat Propheta.* 824. D.
Reſpublica *legibus judicialibus conſtituitur.* 389. A.
Reſpublica *ſine lege, nequit conſiſtere.* 390. A.
Rex *ab electione jus Regium conſequebatur.* 773. B.
Rex *Iſraeliticus ut numen cum primis coleret, cavebatur in Lege.* 799. E.
Rex *ſacrorum cur à Romanis conſtitutus.* 814. F.
Rex *ex fœdere cum Deo inito ad Legum Moſaicarum obſervationem ſe obligabat, cum inaugurаretur.* 1109. B.
Rex *vigore fœderis initi, cum inaugurаretur, ad ſolas cæremoniales Leges obligabatur.* 1109. C.
Rex *cur volumen Legis à ſacerdotibus Leviticis accipere cogeretur.* 1109. E.
Rex *in fœdere cum Populo ad quid obligaretur.* 1110. A.
Rex *& optimates, inter diſſectas victimas tranſibant in fœdere inaugurationis.* 1135. F.
Rex *Iſraëlitarum in Templo, ſacro inaugurabatur oleo,* 1139. E.
Rex *Perſarum coronam unguento imbutam Antalcidæ Spartano miſit.* 139. A.
Rheſcuporis *Cotyi fratri inter fœdera & convivia inſidias ſtruxit.* 1150. D.
Rhinocerota *dicebatur vas unguentarium à forma cornu.* 245. E.
Ritus *inaugurandi Reges, fuit Samueli præſcriptus à Deo.* 1059. A.
Rogel *pes, ſive pedeſtris, interpretatur.* 954. A.
Rogelis *fontis ſitus prope Jeruſalem.* 953. A.
Romani *ſacerdotium Regio muneri junctum habebant.* 796. E.
Romani *Imperatores, ſacerdotum munera vix aliquando exercuerunt.* 597. D.
Romani *ſub tripodibus gallos gallinaceos reponebant, ad capiendum omina.* 822. A.
Romani, *his quos Reges appellaviſſent, turmam equitum impertiebant honoris cauſa.* 846. D.
Romani *aciem armatorum in longum extenſam, hoſti opponebant, præfractis velitibus ac manipulis reliquis.* 867. B.
Romani *cur varias coronas excogitarint ad militum ornamenta.* 886. D.
Romani *plurimum æſtimarunt, ſe donari aureo clypeo ab Hebræis.* 890. C.
Romani *aliquando initiabantur unctionibus.* 1033. B.
Romani, *Patris patrati inſtitutionem à quibus acceperint.* 1112. F.
Romani *quo modo per Jovem lapidem jurabant.* 1129. E.
Romani *fœderi precationes & imprecationes, antequam victima cæderetur, adhibebant.* 1132. E.
Romani *qua juramenti forma ſancirent fœdera.* 1129. F.
Romani *non ſemper eaſdem mactarunt victimas in fœderibus.* 1118. A.
Romani *Imperatores in caſtris ſolia ad dicendum jus ferebant.* 1144. D.
Romani *commutatione rerum, non moneta ſignata, mercimoniam exercuiſſe dicuntur.* 295. D.
Romani *olea coronabant equitum turmas Idibus Julii.* 356. A.
Romani *nonnulli circumcidebantur.* 376. C.
Romani *Tabernaculum ſacrum in caſtris habuerunt.* 448. B.
Romani *Principes divinos honores ſibi uſurparunt.* 551. C.
Romani *deos cur evocarent in congreſſu hoſtili.* 590. E.
Romanis *in publicis ludis unguenta præſtita gratiſſimum fuit munus.* 83. D.
Romanis *bibendorum unguentorum mos fuit.* 212. E.
Romanos, *ſuos Reges capite tecto inauguraſſe conjectatur.* 1078. C.
Romanorum *Conſulum faſces quid indicarent.* 390. F.
Romanorum *ſuperſtitio in dedicationibus.* 430. C.
Romulus *ſatellitio ſtipari curavit, trecentis militibus ex nobilioribus delectis.* 846. F. 881. A.
Romulus *veſte purpurea utebatur.* 1014. E.
Roſa *præeſt reliquis floribus.* 120. D.
Roſa *quare ſic dicta.* 121. B.
Roſa *Pæſtana celebris Romæ, & aliæ.* 124. A.
Roſa *quinque foliorum præſtantior reliquis.* 123. E.
Roſa *quare coronarentur veteres.* 129.
Roſa *conviviorum propria.* 130. E.
Roſa *copioſiſſima Romæ habebatur.* ibid.
Roſa *utebantur ad Venerem, venereoſque congreſſus.* 131. E.
Roſæ *ex Ægypto Romam allatæ, & ex inſulis Abſyrtidibus.* 122. C.
Roſæ *copioſiſſimè habebantur Romæ brumali tempore.* ibid. D.
Roſæ *cententariæ ex hortis Midæ lectæ, celebres apud veteres.* 125. C.
Roſas *advehebant Romani ex remotiſſimis regionibus luxus cauſa.* 122. B.
Roſaceo *unguento Venus à corruptione cadaver Hectoris ſervavit.* 124. B.
Roſaceum *unguentum præſtantiſſimum putabatur apud veteres.* 123. D.

Roſaceum *unguentum qua arte componeretur.* 132. E.
Roſati *nomine quid Lampridius velit, explicatur.* 124. E.
Roſea *corona, appellatur corona decoris ab Ezechiele.* 131. D.
Rufina *& Secunda in ſolio balnei clauſæ ſunt, ut aqua ardenti conſumerentur.* 182. B.
Ruth *unguentis & ablutionibus utebatur.* 253. B.
Roſeum *& roſaceum diſtinguuntur.* 123. C.

S.

SAbbati *violatori, pœna ultimi ſupplicii indicta erat.* 394. C.
Sabæi *diis myrrham non offerebant.* 329. D.
Sacerdos *ſummus quanta cum majeſtate perrexerit ad Regem Saul.* 1068. F.
Sacerdos *ſummus Iſraëlita ſtipatoribus vallabatur.* 1069. A.
Sacerdos *qui aliquid dedicabat, verba ritè effari tenebatur.* 429. F.
Sacerdos *in dedicationibus Templorum poſtem tenebat.* 431. E.
Sacerdos *Moſaicus Principatum habuit Reipub. Iſraëliticæ poſt reditum à captivitate Babylonica.* 775. A.
Sacerdos *locum habebat in deſignatione, ſeu declaratione futuri Regis.* 837. D.
Sacerdotale *Hebræorum tegumentum explicatur.* 994. B.
Sacerdotalia *jura primogenito erant annexa, donec alii ex fratribus non inſtituerent familiam propriam.* 699. F.
Sacerdotalis *tribus ſub regimine Pontificis omnino erat.* 761. F.
Sacerdotalis *dignitas ad Patritios tranſlata apud Romanos.* 700. D.
Sacerdotalis *dignitas Regiam excedebat.* 292. A.
Sacerdotes *inferiores ex præſcripto Pontificis lucernas candelabri ſancti inſtruere, & ordinare poterant.* 67. E.
Sacerdotes *Moſaici, filiorum Iſraël vocabulo, minimè comprehendi videbantur.* 370. F.
Sacerdotes *filiorum Iſraël nomine quo tempore comprehendantur.* 372. B.
Sacerdotes *Aaronitæ veniebant in bona Iſraëlitarum jure legati.* 273. D.
Sacerdotes *mediatores ſunt inter Deum, & homines.* 413. D.
Sacerdotes *idolorum, ſacra facturi prius ſeipſos reos accuſabant.* ibid. E.
Sacerdotes *Ethnicorum oleum præferebant.* ibid. F.
Sacerdotes *conſecrati fuere, ſeptem diebus ſubſequentibus conſecrationem Tabernaculi, & omnium utenſilium illius.* 679. D.
Sacerdotes *cœpiſſe miniſtrare in Templo Domini, octava die menſis primi falſum eſt.* 683. E.
Sacerdotes *antequam conſecrarentur, luſtrati fuerunt aqua communi, non verò aqua labri, quæ erat in atrio Tabernaculi.* 691. D. 692. F. 693. C.
Sacerdotes *extitiſſe in lege naturæ certum eſt.* 694. D.
Sacerdotes *conſecrabantur quotquot de proſapia Aaronis deſcendiſſent, niſi corporali aliquo defectu impedirentur.* 701. D.
Sacerdotes *Iſraëlitæ dupliciter expiabantur in conſecratione.* 706. B.
Sacerdotes *oleo conſecrabantur odorato in lege naturæ.* 715. D.
Sacerdotes *Moſaici Iſraëlitico Regi ſubditi non erant.* 776. F.
Sacerdotes *cum Augure Capitolium aſcendebant.* 827. C.
Sacerdotes *inaugurationi Salomonis adſuere.* 839. E.
Sacerdotes *neceſſariò ſacro oleo initiabantur.* 1030. D.
Sacerdotes *cur Meſſiæ appellarentur.* 1036. A.
Sacerdotes *à Saule interfecti, cur dicantur veſtiti Ephod lineo.* 1068. E.
Sacerdotes *ſummi cur in capite oleo perungerentur.* 1076. B.
Sacerdotis *mens in dedicationibus, a cœleſtibus divelli non debuit.* 428. D.
Sacerdotis *dignitas inter jura primogeniti recenſetur.* 694. F.
Sacerdotis *ſummi hyacinthina veſtis cur haberet tintinnabula.* 1019. E.
Sacerdotis *ſummi tantum erat, oraculum adire.* 1067. C.
Sacerdotis *ſummi erat, Reges conſtituere, ac etiam deponere in Repub. Iſraëlitica.* 1067. E.
Sacerdotibus *tantum lucernas divini candelabri apparare licebat.* 49. B.
Sacerdotibus, *ſacrorum de cauſa locus erat in Regia inſtitutione.* 834. E.
Sacerdotibus *minoribus, & Levitis arma tractare licebat in Iſraël.* 1069. C.
Sacerdotibus *tantum concedebatur ingredi Tabernaculum, illo jam conſecrato.* 442. C.
Sacerdotibus *dum conſecrarentur, licebat exire Tabernaculum Domini.* 683. F.
Sacerdotibus, *ſacrorum de cauſa locus erat in Regia inſtitutione.* 834. E.
Sacerdotibus *minoribus, & Levitis arma tractare licebat in Iſraël.* 1069. C.
Sacerdotium *Regio honori junctum fuit, etiam ſub lege naturæ.* 79. E.
Sacerdotium *à Principatu cur ſeparatum ſub Lege Moſaica.* 799. A.
Sacerdotum *collegia erant in lege naturæ.* 700. B.
Sacerdotum *collegia in unaquaque natione, & in eis ordo hierarchicus.* 700. D.
Sacerdotum *conſecratio ſeptem diebus abſolvebatur.* 724. E
Sacerdotum *dignitas & ſanctitas in oleo conſecrationis indigitatur.* 361. D.
Sacerdotum *erat panes Propoſitionis coquere.* 486. C.
Sacerdotum *minorum locum habebant reliqui fratres a primogenito.* 700. B.
Sacra *quæ fiebant ab Ethnicis ſuper titulos, omnino in convivium ſacrificantium cedebant.* 600. E.
Sacra *quæ in tripodibus habebantur, ad convivium ſacrificantium erant.* 625. C.
Sacra *fiebant a Romanis ex mulctis & pœnis criminoſorum.* 392. C.
Sacræ *Scripturæ diligenter ſunt conſiderandæ.* 1045. F.
Sacræ *res extra omnium bona eſſe debent.* 432. D.
Sacramenta *veteris legis gratiam non efficiebant.* 358. F.
Sacrificare *etiam ubi non fuiſſet Tabernaculum, Iſraëlitis non erat vetitum.* 583. A.
Sacrificavit *Moyſes ſeptem dies in electione tabernaculi, ſine igne qui de cœlo deſcendiſſet.* 39. D.
Sacrificia *offerre abſque ſacro igne omnibus gentibus, & ubique horridum.* 49. E.
Sacrificia *à Deo inſtituta in lege Moſaica, erant ad Numen placandum; quoties culpa ad forum fori non fuiſſet deducta.* 392. C.
Sacrificia *in humo facta non reſpuebat Deus in Scripturis ſacris.* 582. E.
Sacrificia *habebantur, quoties fœdera ferienda eſſent apud antiquos.* 588. F. 589. A.
Sacrificia *præcedebant ſortitionem apud Iſraëlitas.* 828. B.
Sacrificia *præcedebant Regni prædictionem.* 836. A.
Sacrificiis *adjungebatur oratio in Deo conſulendo.* 828. C.
Sacrificiorum *varia vocabula, & phraſes ſacrarum Scripturarum.* 661. E. 681. B.
Sacrificium *juge, in conſecratione altaris non habebatur.* 649. B.
Sacrificium *inaugurationis à manuum impoſitione inchoabatur.* 1123. E.
Sacrum *& Sanctum, & religioſum qua ratione differant.* 265. E.
Sacrum *quid diceretur, & quare ſic dicatur.* 267. B.
Sacrum *nihil cenſebatur, quod oleo ſacro non fuiſſet unctum.* 410. D.

Sal

Sal *in compoſitione unguentorum, cur apponeretur.* 108. A.
Sal *purgationi aptiſſimus, & munditiei.* 690. B.
Sal *amicitiæ, ac fœderis ſymbolum erat.* 494. D.
Salini *veteris forma* ibid.
Salis *uſus frequentiſſimus in ſacrificiis veterum.* 492. F.
Salina *acetabulorum nomine ſignificari in ſacris oraculis conjectatur.* ibid. A.
Salinum *fuiſſe in menſa Propoſitionis ſuſpicatur.* 494. A.
Salomon *dedicando Templum populi aſſenſum quodammodo voluit.* 427. D.
Salomon *in humo atrii Templi ſacra Deo obtulit.* 583. F.
Salomon *in ſuo Templo, Moſaico altari utebatur.* 608. A.
Salomon *cur fabricaverit aurea ſcuta.* 888. E.
Salomon *ad Regiam majeſtatem oſtendendam, aurea ſcuta, & peltas aureas fecit.* 889. B.
Salomon *Regia mula vectus, ut ſucceſſor in Regno declararetur.* 833. B.
Salomon *inaugurandus, qua ratione juſſu David ad fontem Gihon ductus fuerit.* 946. F.
Salomon, *in Gihon Rex inauguratus cur fuerit.* 950. C. 951.
Salomon, *ex quorumdam ſententia, ad Gihon montem inaugurandus ductus fuit.* 952. A.
Salomon, *ut inauguraretur maxima cum majeſtate, ſatellitio ſtipatus fuit juſſu David.* 851. A.
Salomon, *juxta opinionem Joſephi inauguratus fuit ad fontem Gihon.* 952. A.
Salomon *ſecundò à Proceribus adoratus fuit.* 956. D.
Salomon *Ceretheis, tanquam valentioribus, ſtipabatur.* 855. E.
Salomon *purpurea utebatur veſte.* 1017 C.
Salomon *ſacro fuit inauguratus oleo.* 1045. C.
Salomonem *ad flumen Gihon inauguratum, ſtultè quidam Rabbini dixerunt.* 945. B.
Salomoni *in primis religio a Davide commendatur.* 800. A
Salomonis *altare, cujus eſſet altitudinis.* 584. B.
Salomonis *inauguratio cæteris ſolemnior.* 597. B.
Salomonis *ad Regni ſucceſſionem declaratio, convivio abſoluta fuit.* 1152. E.
Salomonis *pariter inauguratio convivio ſolemniſſimo fuit abſoluta.* 1153. B.
Salomoniæ *inaugurationis ritus, & ſolemnitates.* 1050. E.
Salomonii *altaris forma.* 614. A.
Salutandi *Principem apud Iſraelitas forma.* 974. C.
Salutatio *Principis conceptis verbis fiebat.* 1078. E.
Salutatio, *nota erat aſſenſus in Principe jam electo.* ibid. F.
Samaritæ *quo fundamento diffiderent à Judæis de loco adorationis.* 598. A.
Samaritæ *forum eſculentorum habebant extra mœnia urbis.* 792. E.
Samim *dicebantur aromata thymiamatis.* 321. B.
Samuel *quam militarem habuerit animum.* 786. C.
Samuel *in electione Regis, Præfecti Prætorio munus egit.* 786. C.
Samuel *lenticula olei unxit Saulem, ad prædicendum Regnum, non ad inaugurandum.* 835. C.
Samuel *ſacro epulo præmiſſo, Deum conſuluit de Rege futuro.* 836. B.
Samuel *quatuor Curias habebat, in quibus judicabat Iſraelem ſingulis annis.* 948. A.
Samuel *cur Saulem ſit oſculatus, cum Regnum illi prædixit.* 963. F.
Samuel *cur oleo unxerit Saulem, & Davidem.* 1033. F.
Samuel *judex in Iſraël, in Ramatha reſidebat.* 1037. C.
Samuel *propheta, Sacerdos non erat, neque de genere Sacerdotum.* ibid. E.
Samuel *timebat ire Bethlehem ad ungendum David.* 1038. D.
Samuel *Davidem Regem uncturus, ſacrificii de cauſa ſe Bethlehem ire debere ſimulavit.* ibid.
Samuel *inſtituit oleum ſanctum, quo Reges Iſraël inaugurarentur.* 1059. D.
Samuel *pro majeſtate Ducis, Iſraëlem circuibat.* 1064. E.
Samuel *zelo Iſraëliticæ Reipublicæ deſideravit Regem poſt Saulem cognoſcere.* 1065. B.
Samuel *qua ratione potuerit Davidem clam Regem prænunciare.* 1065. D.
Samuel *cur humero victimæ convivio exceperit Saulem.* 1074. B.
Samuel *cur effuſione olei Saulem inunxerit.* 1076. E.
Samueli *ſacrum conſecrationis oleum contrectare non licebat.* 1037. F.
Sancta; *quæ appellantur à Deo talia, ab omnibus debent venerari.* 384. B.
Sanctificare *eſt Deo aliquid gratum facere.* 359. B.
Sanctificare *eſt aliquid ad divina aptum reddere.* 436. C.
Sanctificare *aliquando, idem eſt, quod conſecrare.* 458. C. 638. E. 658. F.
Sancti *dicuntur, qui mundi erant, in phraſi ſacrarum Scripturarum.* 659. A.
Sanctior *pars pilei Pontificii, lamina ſancta fuit.* 1001. E.
Sanctum *Sanctorum in Tabernaculo diſtinguebatur à Sancto.* 451. E.
Sanctum *Sanctorum adire, nemini concedebatur niſi tantum Sacerdotibus.* 384. B.
Sanctum *Sanctorum aliquid eſſe, quomodo intelligatur.* 659. A.
Sanctum *unde dicatur.* 266. B. 268. E.
Sanctum *oleum candelabri cur diceretur.* 267. A.
Sanctum *dicebatur tam oleum conſecrationis, quàm oleum inaugurationis.* 1047. B
Sanctus *dicitur quaſi ſine terra.* 266. C.
Sanctus *proprie dicitur ſolus Deus.* ibid.
Sanhedrim *Collegium aliqui putant ſignificari vocabulo Cerethæorum, & Pheletheorum.* 841. B.
Sanguine *victimarum fœdera ſancita apud Hebræos conſtat.* 1116. B.
Sanguine *vituli, hirci, & arietis expiabatur altare conſecrandum.* 645. B. ibid. E. 654. C.
Sanguine *victimæ cornua altaris tingebantur in expiatione.* 655. D.
Sanguine *parietes altaris aſpergebantur in expiatione.* 654. E.
Sanguine *expiabantur tam Sacerdotes majores, quam minores.* 702. A.
Sanguine *hoſtiæ oblatæ pro conſecratione proprie expiabantur Sacerdotes.* 706. E.
Sanguine *aliquid tingere quid ſit.* 708. E.
Sanguine, *an commixto cum oleo ſacro, an ſeorſum ab oleo veſtes Sacerdotum conſpergerentur, incertum eſt.* ibid. F.
Sanguinem *ad baſim altaris fundere in ſacrificiis commune erat etiam Ethnicis.* 655. F.
Sanguine *hoſtiæ mactatæ in Taurobolio religioſe Sacerdos expiabatur.* 705. B.
Sanguis *intra velum inferebatur, tantum cum peccaſſet Sacerdos, vel Princeps.* 656. C.
Sanguis *oleo commiſcebatur ad conſecrandum Sacerdotes.* 707. D.
Sanguis, *qui commiſcebatur unguento pro conſecrandis Sacerdotibus, unde ſumeretur.* 708. B.
Sanguis *ſuper parietes altaris aſpergebatur in conſecrandis Sacerdotibus.* 710. C.
Sanguis *quo vaſe reciperetur in ſacrificiis.* 673. E. 711. B.
Sanguinis *duplex tantum uſus in ſacris Moſaicis.* 709. D.
Sanguinis *uſus in ſacrificio pro peccato.* ibid. E.

Sanguinis uſus in cultu altarium frequentiſſimus. 656. A.
Sanguinis uſus in ſacrificio holocauſti, & pacificorum. 710. A.
Sanguinis pars, in pateris recipiebatur ad conſecrandum Sacerdotes. 711..D.
Sanguinis effuſio in ſacris Ethnicorum. 674. C.
Sanitatis de cauſa balneis utebantur veteres. 146. A.
Sarah uxor Abrahæ unguentis utebatur. 82. D.
Sarah in Regia Abimelech circiter annum intacta apud illum manſit. 250. F.
Saræ nonagenariæ pulchritudo ab unguentis conciliata. 265. B.
Satellitii Regii valor apud Iſraëlitas explicatur. 883. D.
Satellitio aliquo ſtipari Regem, quaſi juris gentium videbatur. 845. D.
Satellitio ſtipari, ad jus Regni pertinere cenſebatur. 849. C.
Satellitium Davidis ex Iſraëlitis electum probatur. 863. A.
Satellitium Joaſi ex Iſraëlitis compoſitum fuit. ibid. C.
Saturnalia Romæ copia roſarum celebrabantur. 122. D.
Saul Rex electus fuit in Maſphath. 789. B.
Saul à forma in ſacris Litteris laudatur. 801. F.
Saul quantæ fuerit peritiæ militaris. 805. B.
Saul deſpicitur ab aliquibus, ne ſit Rex, quòd militaris peritiæ expers cenſeretur. 807. B.
Saul in Galgala Rex fuit inauguratus. 839. C.
Saul perſequens David, à proprio ſatellitio ſe prodi ſuſpicatus eſt. 862. C.
Saul ad lapidem adjutorii Rex fuit inauguratus. 948. D.
Saul proditoriè Achimelech, & reliquos Sacerdotes cum eo interfecit. 1068. D.
Saul, & David, bis inaugurati fuere Reges à Pontifice. 1070. F.
Saul fœdera ſancivit cum Populo, quando Rex inauguratus fuit. 1107. E.
Saulem diademate uſum oſtenditur. 997. B.
Saulem à Regno cecidiſſe prænunciavit Samuel. 1038. D.
Saulis religio, ac pietas declaratur. 799. E.
Sceptra ſacroſancta cenſebantur. 1113. A.
Sceptrum Reges Hebræorum geſtaſſe, certum ſit. 1012. C.
Sceptrum, imperii, juſtitiæ, & eloquentiæ ſymbolum fuit. ibid. F.
Sceptrum pro Jove decernebatur in feriendis fœderibus. 1113. A.
Schekel tam monetam, quam pondus ſignificat. 295. C.
Schakal valet idem quod librare. 294. E.
Scipio Africanus, primus omnium elegit milites fortiores ad ſatellitium. 881. D.
Scipio Africanus albo paludamento aliquando uſus. 1024. F.
Scortia vas unguentarium, cujus generis eſſet, ignoratur. 216. A.
Scorteos aſſes habuiſſe Romanos, primis temporibus falſo aſſeritur. 300. D.
Scortei aſſes, ſignatæ pecuniæ defectum non convincunt. 301. A.
Scuta viminea, ad tyronum exercitia à Romanis excogitata. 870. C.
Scuta viminea, quænam ex arbore intexerentur. ibid. E.
Scuta aurea à Græcis, militibus donabantur ob res fortiter geſtas. 886. E.
Scuta aurea habebant Iſraëlitæ in armamentario Regio. 888. E.
Scuto elevabatur, qui ad Imperium ſublimabatur. 929. B.
Scutorum vocabula diverſis ex capitibus ſumuntur. 873. C.
Scutum non omnibus militibus pedeſtris militiæ antiquitus concedebatur. 866. A.
Scutum honoris fuiſſe ſymbolum, & valoris, oſtenditur. 888. A.
Scutum aureum præclarioribus factis inciſum, concedebatur ex veterum uſu, militibus præſtantioribus. 894. F.
Scutum Achillis quàm præclarè effinxerit Homerus. 895. C.
Scyphi Sacri Candelabri, cujus eſſent formæ. 527. E.
Scyphus cujus formæ ſit vas. 225. B.
Sedere in Regio throno; quantæ eſſet dignitatis. 1138. B.
Sedere, eſt judicantis, ac Præſidum. 1142. A.
Sedes triumphantis Dei, quam vidit Ezechiel. 1146. F.
Sella curulis ſic dicebatur à curru, quo trahebatur. 929. F.
Sella curulis, dignitatis erat apud Romanos. 1145. C. 1146. A.
Sella Imperatoriæ ſummæ majeſtatis fuit. 1146. C.
Sellam curulem Romani à quibus acceperint. 1145. D.
Seleucus de Religione commendatur. 795. B.
Senaculus, ubi Senatores conveniebant, in extremis urbium ſeptis habebatur. 790. A.
Senatores in Republica Iſraëlitica, quales à Deo fuerint inſtituti. 762. D.
Senatores, ac Magiſtratus quæcumque ex Tribu ad Regiam electionem conveniebant. 794. D.
Senatorum Curia in Templis habebatur, tam apud Romanos, quàm Hebræos. 790. B.
Senatum habuit gens Hebræa ante egreſſum ex Ægypto. 763.
Senatus, ac Senatorum ordines plures, Reſpublica Iſraëlitica habuit. 777. F.
Seniores, qui adiverunt Samuelem pro electione Regis, quinam fuerint. 780. E.
Seplaſiæ dicebantur fora, in quibus unguenta vendebantur. 88. D.
Seplaſiæ mœnibus & cuſtodiis ſervabantur. ibid. F.
Seplaſiarii dicebantur, vel qui juri dicundo ſeplaſiæ præficiebantur, vel cuſtodiæ ſeplaſiæ. ibid.
Seplaſiæ fuerunt apud Hebræos. 89. B.
Septuaginta Senatores triplicem habuerunt conſtitutionem in ſacris Litteris. 763.
Serapis Deus Ægyptiorum, ignis. 45. B.
Seraphini Iſaiæ reverentiæ cauſâ caput tegebant. 730. B.
Servi poſt verbera, balneo & unguentis corpus curabant. 141. F.
Servi calore balnei necabantur, ſi quando ſcelus commiſiſſent. 181. E. etiam aqua ardenti ſolii conſumi conſueverant. 182. A.
Servorum vocabulo in ſacris excubitores Regii ſignificantur. 860. F.
Seſac Rex Ægypti, arma aurea Salomonis abſtulit ex Jeroſolymis. 898. D.
Seſac Rex Ægypti, devictis Iſraëlitis, regiam dignitatem ab eis non abſtulit. ibid. E.
Seſſio in throno, nota eſt poſſeſſionis Regiæ. 813. C.
Sibylla numen conſultura ſacrificia præmiſit. 825. C.
Sex currus ad portandum Tabernaculum deſtinati fuere à Deo. 443. B.
Siclus non pro libra, ſed pro moneta ſumitur expendibili. 294. E.
Sicli nomine moneta ſignata intelligitur, cum de ſancto unguento agitur. 297. A.
Sicli diſtinctio in prophanum, & Sanctum reprobatur. 310. C. 314. A. 316. B.
Sicli prophani, & ſancti diſtinctio, quomodo intelligatur. 311. A.
Sicli forma. ibid. D.
Sicli forma & ſignum, quando cœperit. 310. F.
Sicli cujuſcumque valor, viginti obolorum erat, & ſemiunciam argenti pendebat. 314. B. 315. E.

Siclus a ponderando dicitur. 294. F. 309. E.
Siclus idem erat Hebræis, quod libra Latinis, & ἀσσάριον Græcis. 309. F
Siclus moneta a pendendo etiam denominatur. 298. F.
Siclus monetis omnibus antiquior, fuit Hebræorum communis numus. 309. D.
Siclus, didrachma, & ſtater idem erant. 314. E.
Siclus æreus Hebræorum idem fuit quod As Latinorum. 333. F.
Signa ſunt, quæ alterius rei cognitionem præſtant. 358. D.
Signa à Deo inſtituta, non ſolum ſignificant, ſed etiam efficiunt. 135. E.
Signa militaria in ſacra quadam ædicula venerabantur à Romanis. 448. B.
Simila dupliciter adhibebatur in ſacris Moſaicis. 491. F.
Simpula erant vaſa ad ſacrificiorum uſum. 506. D.
Simpula fuiſſe vaſa ad libandum in ſacrificiis probatur. ibid. E.
Simpulorum forma. 505.
Simpula cur Hebraicè keſoth appellarentur. 508. E.
Simpuli, guttique diſcrimen in ſacris faciendis. 511. F.
Simulacrum Numinis cui Templum dicabatur, in medio ejuſdem Templi ſtatuebatur. 425. E.
Siſtrum erat inſtrumentum in ſacris Ægyptiorum. 1092. B.
Smegmata dicebantur aromata pulverizata ad muliebres abſterſiones in balneo. 255. A.
Smegmatum uſus apud Eſther. 255. E.
Sol aſſus quid ſit Ciceroni. 264. D.
Solea cur ſic dicta. 161. C.
Soleas vel ſoccos aſſumebant veteres in balneo ituri ad cœnaculum. ibid.
Soleas deponebant accumbentes in ſtratis. ibid. F.
Solia plurima Romæ eximiæ magnitudinis. 175. B.
Solia lignea in balneis. 176. A.
Solia habebant Hebræi. 177. B. 178. B.
Soliar dicebatur tegumentum ſolii. 176. F.
Soliaris in balneo dicebatur cella, in qua ſolia cuſtodiebantur. 176 E.
Soliarius dicebatur, qui ſolia faciebat, vel qui eadem cuſtodiebat. 177. A.
Soliorum forma. 176. B.
Solium erat vas, in quo ſedentes lavabantur. 175. A.
Solium Regis Iſraëlitici in Regia erectum habebatur. 1143. D.
Solium ex arborum ramis quandoque excitabatur. 1144. D.
Solium Perſarum, celeberrimum extitit. 1144. E.
Sortes a Deo moderantur. 829. D.
Sortiendi forma quænam eſſet apud Veteres. 831. A.
Sortiendi forma apud Iſraëlitas in electione Regis. 832. E.
Spartani unguentorum uſum admiſerunt. 92. A.
Spectatores in ludis, victoribus acclamabant, ſerta, & corollas donabant. 989. E.
Spina ariana dat lacrimas myrrhæ ſimiles cum Sol illuceſcit. 14. B.
Spiritualis ſenſus argumentum facit apud eos, qui illum recipiunt. 393 F.
Spondia fuiſſe vaſa ad ſacrificiorum uſum probatur. 503. B.
Sponſa in Canticis, qua ratione caſtris aſſimilata fuerit. 904. E.
Sponſa in canticis ſacris unguentis frequentiſſime uſa eſt. 253. D.
Sponſa cur ſponſum quem deperibat, nocte adventantem non admiſerit. 263. B.
Sponſa non admiſit ſponſum in canticis, quod minime ſe ad nuptias paratam putaret. ibid. E.
Sponſa in canticis ab his, qui murum ſeplaſiæ cuſtodiebant, percuſſa fuit & ſpoliata. 89. E.
Sponte qua ratione intelligatur obtuliſſe filios Iſraël donaria, quæ Deus juſſerat. 71. E.
Stacte præſtantiſſimum odorem præſtat. 332. A.
Stactes varia genera. 330. F.
Stare idem valet quod orare, in ſacris litteris. 828. D.
Statuam erexiſſe aliquando Jacob, probatur. 1113. E.
Statuam aliquam erigere Jacob licuiſſe, monſtratur. ibid.
Statutorum vocabulo quæ Legis Divinæ præcepta ſignificentur, ex phraſi ſacrarum Litterarum. 1027. E.
Stimmata quæ unguenta dicerentur. 107. B.
Stipatores cur Celeres, à Romulo ſint dicti. 847. B.
Stipatores Regis Perſarum, Homotimi dicebantur. 848. A.
Stipatores Ægyptii, Gethæi cur fuerint dicti. ibid. E.
Stipatores Regii, ſervorum vocabulo in ſacris Litteris ſignificantur. 848. E. 850. C.
Stipatores Salomonis cur dicantur habuiſſe gladium in manibus, & ſuper femur. 884. C.
Stipatorum manus reliquæ gentes ab Iſraëlitis acceperunt. 848. C.
Stipatorum Saulis militaris virtus, qua phraſi ſignificetur in ſacris litteris. 881. F.
Stigmata quid eſſent. 1074. D. ibid. E.
Strigiles ad ſuppellectilem balneariam pertinebant. 171. F.
Strigiles fiebant ex varia rerum materia. 172. C.
Strigiles in cultum idolorum fiebant. 174. F.
Strigilium forma. 173. E.
Strigilibus utebantur ad fricandum, & deſquamandum corpora. ibid. F.
Strigilium nulla cognitio in ſacris litteris. 174. F.
Subſtructiones dicuntur illa ſuper quæ altare collocatur. 606. B.
Subſtructiones altaris, baſes aliquando dicuntur, & aliquando crepidines. 606 E.
Subſtructiones altaris Salomonis, cujus menſuræ. 613. E.
Sudariolis novo Principi plaudebatur à Romanis. 1088. D.
Sudariolis ad favorem quando uti cœperint Romani. ibid.
Sudatoriæ cellæ nomina varia 179. D.
Sudor balneo detergebatur ab antiquis. 147. C. 166. C.
Sudorem calore balnei molliores excitabant. ibid. F.
Sudorem non ſolum aqua, ſed etiam oleo detergebant. 167. C.
Suffragia ferre in electione Principis, quorum ſit jus. 776. F.
Suffumigia ex combuſtis arborum plantis primis temporibus fiebant. 317. E. 319. C.
Suffumigabantur Idola planta ſibi dicata. 259. B.
Sulphure, ac tædis luſtrabantur veteres. 319. E.
Sulphuris in medendo vires. 423. E.
Summi Sacerdotis varia nomina. 700. F. 704. E.
Summo Sacerdoti Iſraëlitæ in funere immundari vetitum erat. 724. F.
Summos Sacerdotes plures ſimul in fuiſſe in lege Moſaica, nullum præ ſe fert inconveniens. 726. D.
Summus Pontifex in Eccleſia Chriſti, habet auctoritatem abſolutam irritas faciendi quaſcumque leges cæremoniales & judiciales à Deo in Sinai traditas. 570. B.
Summus Sacerdos Iſraëlita perpetuo mundus manere tenebatur. 692. D.
Summus Sacerdos Hebræorum in forma conſecrationis reliquos minores Sacerdotes præcedebat. 705. F.
Summum Sacerdotem characteribus quibuſdam in capite formatis ſacro oleo ſacrari ſolitum nonnulli putant. 716. 717.
Summus Sacerdos capite operto conſecrabatur. 728. F. 730. D.
Summus Sacerdos Iſraëlitæ, capitis unctione conſecrabatur. 715. F. 723. E.
Summus ſacerdos Iſraëlita ſtipatoribus vallabatur. 1069. A.
Summus ſacerdos, Meſſias dicebatur in Scripturis. 1035 C.
Summus Dux exercitus apud Romanos, quoties de

hoſtibus victoriam adipiſceretur, toties Imperator dicebatur. 979 E.
Summum *ſacerdotium non uni tantum familiæ Aaronicæ addictum.* 1070. A.
Super, *in ſcripturis ſacris, ſtat ſæpe pro, juxta.* 61. E.
Supplicandi *Principem ritus, ac cæremoniæ.* 662. D.
Suſa *Perſarum Regia ſic fuit dicta à copia liliorum.* 116. F.
Suſanna *unguentis, ablutionibus, & ſmegmatibus ad mundum muliebrem utebatur.* 253. C.
Suſini *unguenti compoſitio.* 133. A.
Sybaritæ *tunc perierunt, quando plus honoris hominibus, quam Numinibus tribuerunt.* 405. A.
Syrophœnix *Romæ celebris unguentarius.* 103. C.
Syri, *Neamin, Congregationem aquarum appellant.* 921. B.

T.

TAbernaculi *ſupellectilis nomine, quid veniat.* 411. E.
Tabernaculi *tabulæ ad filum, & lineam inter ſe connecti debuerunt.* 422. A.
Tabernaculi *tabulæ, cujus eſſent formæ.* 451. D.
Tabernaculi *tabulæ undique auro tegebantur.* ibid. F.
Tabernaculi *fœderis ſanctiora, alio transferre apud Iſraëlitas cum caſtra metanda forent, ad Cahathitas pertinebat.* 57. C.
Tabernaculo *conſtruendo plures menſes artifices operam dederunt.* 419. F.
Tabernaculo *erigendo, ac deponendo, viginti duo millia Levitarum deſtinata erant.* 439. E. 443. C.
Tabernaculum *prius apud Paulum, quod etiam tabernaculum ſecundum.* 68. F.
Tabernaculum *architectonicæ debitis inſtrumentis, & ex menſuris artis, conſtructum fuit.* 421. A.
Tabernaculum *in eadem area ab artificibus fuit factum, in qua poſtmodum Dei mandato erectum, & conſecratum fuit.* 421. E.
Tabernaculum *ut erigeretur, area ſemper complananda fuit.* 422. C.
Tabernaculum *ſacrum, Dei ut Principis auctoritate, in exercitu Iſraëlitico dedicatum, & conſecratum fuit.* 426. D.
Tabernaculum *ingredi, ſolis Sacerdotibus concedebatur.* 436. E.
Tabernaculum *Iſraëlitarum quam immenſæ molis eſſet.* 443. B.
Tabernaculum *aquis luſtratum fuit, antequam ſacraretur.* 444. D.
Tabernaculum *cur ſic apud Romanos diceretur.* 448. B.
Tabernaculum *ſacrum in caſtris Romani habebant.* 448. C.
Tabernaculum *erat quoddam portatile Templum.* 449. E.
Tabernaculum *integrum, cum omnibus illius utenſilibus conſecratum fuit.* 451. B.
Tabernaculum *ante conſecrationem, ſanguine expiatum fuit.* 456. A.
Tabernaculum *aqua luſtratum fuit.* ibid. E.
Tabernaculum *linitione, non effuſione conſecrabatur.* 460. B.
Tabernaculum *cum omnibus ſuis utenſilibus conſecratum fuit, ſeptem diebus primis anni ſecundi ab exitu Iſraëlitarum ex Ægypto.* 679. D.
Tabernaculum *egredi Summo Sacerdoti vetitum erat, dum conſecrabatur.* 724. F.
Tabernaculum *Dei, Tabernaculum Teſtimonii dicebatur.* 1028. D.
Tabernaculum *Dei, Cariathjearin fixum erat, quando David à Samuele unctus fuit.* 1038. C.
Tabernaculum, *ſacra tantum admittebat vaſa.* 1025. C.
Tabulæ *æneæ Eugubinæ, hetruſca veteri lingua conſcriptæ.* 1020. E.
Tabulæ *lapideæ, in quibus Dei Lex inciſa fuit, Tabulæ Teſtimonii dicebantur.* 1027. C.
Tabulæ *Divinæ legis ex arca extractæ non leguntur.* 1029. C.
Tabulæ *legis digito Dei exaratæ, conſecrata jam Arca, in eadem repoſitæ fuere.* 476. E.
Tabulas *Divinæ Legis conſpexiſſe, piaculum fuit.* ib. D.
Tacitus *falſo exiſtimavit, Judæos ex Græcia profugos.* 354. B.
Talaris *veſtis interius claudebatur.* 1023. A.
Taurobolium *& Criobolium Ethnicorum quid eſſet.* 652. F. 703. A.
Taurobolium *unde diceretur, & quid eſſet.* 702. D.
Taurobolium *ſuſcipiens inter Ethnicos ad viginti annos mundus cenſebatur.* 702. B.
Taurobolium *in cultu plurium Numinum ab Ethnicis recipiebatur.* ibid.
Taurobolii *ritus ex Prudentio deſcribitur.* 704. F.
Tegumenti *prioris, ſeu pilei ſacerdotalis & Regii, prior icon.* 994. F.
Telemachus *ablutionem præveniebat.* 152. A. *a Neſtore non excipitur cœna, niſi prævia unctione.* 187. C.
Templa *qua forma dedicarentur apud Romanos.* 425. E.
Templo *jam ædificato, altare in ſublimi alicujus ædificii conſtituere neceſſe fuit.* 605. E.
Templum *quo fundamento Scripturarum Samaritæ in monte Garizim excitaverint.* 598. A.
Templum *Domini appellatur, totum ædificium Templi, cum atriis & porticibus.* 682. D.
Templum *Jeroſolymitanum extra Urbem erat ædificatum.* 790. B.
Tempus *viſionis factæ Samueli, ut aperiatur, dicitur illum non potuiſſe videre lucernam Dei cum extinguebatur.* 65. E.
Tenſa *curru trahebatur ad Deorum uſum.* 929. F.
Tepidariæ *cellæ locus in thermis.* 182. F.
Termini *agrorum religioſè immobiles cenſebantur, ex divinis legibus.* 407. C. ibid. E.
Terminos *agrorum & regionum, oleo conſecrabant veteres Ethnici.* 406. F.
Ternarius *numerus ad triginta facile tranſire poteſt apud Hebræos.* 917. F.
Teſtamento *ablutio gratuita populis legabatur.* 146. A.
Teſtimonium *& fœdus idem multoties in Scripturis ſignificat.* 570. D.
Tetradrachmum *Atticum idem erat, quod Ægineum didrachmum.* 315. C.
Thermæ *in quo diſtinguerentur a balneis* 166. A.
Throni *Salomonis pars poſterior qualis eſſet.* 1148. D.
Throni *Salomonis forma explicatur.* 1148. B.
Thronum *ademiſſe alicui, erat à Regia dignitate cum deturbaſſe.* 1138. D.
Thronum *alicui conceſſiſſe, idem erat, ac ad Regiam dignitatem promoviſſe.* ibid.
Thronum *eximium habuere Iſraëlitæ.* 1147. A. 1149. E.
Thronus, *quodnam ſedis genus dicatur.* 2138. F.
Thronus *Regum Iſraëlitarum, quo in loco conſtitutus habebatur.* 1143. E.
Thronus *Regiæ majeſtatis eximium ornamentum extitit apud omnes.* 1144. C.
Thronus *Dei in caſtris Hebræorum, Arca fuit.* 1146. B.
Thronus *Salomonis, magnificentiſſimæ ſtructuræ fuit.* 1147. E.
Thronus *Salomonis, cujus fuerit materiæ.* 1148. A.
Thronus *Salomonis cælaturis undique celabatur.* 1148. E.
Thure, *ſanguine & adipe tantum, Ethnici interdum ſacrificabant.* 601. A. 625. C.
Thuribuli *Ethnicorum forma conjectatur.* 540. A.

Thu-

Thuribula *ſeditionis Iſraëliticæ in arculis ad uſum altaris producta fuere.* 632. C.
Thuribuli *forma conjectatur, Ethnicorum* 540. A. *&* *Moſaici* 541. E. *quod fuiſſe vas ſatis amplum probatur.* 541. A.
Thuribulum *dicebatur vas, in quo carbones ex altari majori recipiebantur, ut ſuper eis thymiama injiceretur ad ſuffumigia.* 539. D.
Thuris *vocabulum unde dicatur.* 529. E.
Thuris *varia, & multiplicia epitheta.* 530. B.
Thus *ubique in ſacrificiis Ethnicorum adhibebatur.* 529. D. 530. B.
Thus, *oleum, farina & adeps commaſſabantur in phialis.* 674. B.
Thus *comburendum non admittebatur à Deo intra Tabernaculum.* 530. D.
Thymiama *Deo quam gratiſſimum eſſet.* 531. D.
Thymiama, *quibus aromatibus componi juſſerit Deus.* 321. B.
Thymiamata *ſuffumigia appellantur.* 320. D.
Thymiamata *manu, & non aliquo inſtrumento ſuper carbones injiciebantur à Sacerdotibus Iſraëliticis.* 541. B.
Thymiamata *quanti fecerit Deus,* 321. F. *& ſeqq.*
Thymiamate *divina ira placatur.* 322. D. 532. B.
Thymiamatis *varia nomina.* 317. D.
Thymiateria *duodecim poſt conſecratum Tabernaculum, a Patriarchis duodecim Tribuum oblata fuere.* 539. B.
Tiberius, *primus omnium mentagra fuit infectus.* 965. E.
Tibia, *inſtrumentum ad pulſandum, loti vocabulo ſignificatur.* 1105. A.
Tibiæ *vocabulo quodnam inſtrumentum ſignificetur.* 1104. C. 1105. B.
Tibiæ *forma monſtratur.* 1105. C.
Tibiarum *materia oſtenditur.* ibid. D.
Tingi *unguento ſignificat idem quod ungi.* 263. F.
Tituli *pſalmorum aliquando genus modulationis indicant, aliquando ſunt ad pſalmi argumentum.* 117. D.
Tituli *verius, quam altaria dicuntur mediæ columnæ, quæ rectæ ad ſacrificia in lapidibus viſuntur.* 585. E.
Titulus *pſalm.* 44. *ſuper lilio, non ſuper roſas interpretari debet.* 118. E.
Titulum *pſ.* 44 *ſuper roſam interpretari, probabile eſt.* 120. C.
Tranſgreſſor *alicujus præcepti Moſaici cui eſſet indicta pœna perſonalis, non obligabat illum ad executionem illius.* 402. A.
Tranſgreſſor *alicujus præcepti Moſaici, cui pœna pecuniaria indicta eſſet, obligabat eum in foro conſcientiæ ad exequutionem.* ibid. C.
Tranſgreſſor *cultus conſecrationis, ſucceſſione privabatur.* 394. D.
Tranſgreſſor *præcepti cultus olei Conſecrationis ad exequutionem pœnæ in ſeipſo, lege à Deo lata non obligabatur.* 402. E.
Tranſgreſſores *legis, cui annexa eſt pœna, non tenentur in ſeipſis exequi illam.* 386. A.
Tranſgreſſores *legis punire, optimum eſt in Republica.* 390. B.
Tranſgreſſori *cultus olei conſecrationis, extinctio nominis & proſapiæ timenda erat.* 397. A.
Tranſitus *inter diſſectas victimas, quàm intrinſecus eſſet fœderibus.* 1134. D.
Tranſitus *inter diſſectas victimas, ante Legem latam uſum habuit.* ibid. F.
Tria *in Principe adorando ſubindicabantur verbis.* 972. C.
Tribunal *ceſpiticium undenam Romani acceperint.* 1059. A
Tribunal *Regium pro jure regio, non erat in Templo.* 1140. A.
Tribunal *Regium in Templo erectum ſtetiſſe, dixerunt aliqui.* ibid. B.
Tribunal *erectum in Templo Jeroſolymitano pro Rege, non erat ad Regni poſſeſſionem accipiendam, ſed ad adorandum.* 1141. C.
Tribunal *Imperatorium apud Romanos ex foliis aliquando in agro conſtitutum fuiſſe legitur.* 467. F.
Tribunal *Dei in caſtris Iſraëliticis ſuper Arcam erat.* 468. A.
Tribunalis *ceſpiticii extructio, novi Principis electionem arguebat.* 1138. C.
Tribunatus, *ſummam poteſtatem in militia dicit apud Iſraëlitas.* 807. E.
Tribus *unaquæque in Republica Iſraëlitica Senatum habuit.* 778. C.
Tribus *Iſraëliticæ conſurgebant ex cognationibus, & cognationes ex familiis, & familiæ ex domibus.* 833. E.
Tribus *ex decem Curiis conſurgebant apud Romanos.* 881. C.
Tribuum *nomina in virgis inſcribebantur ad ſortiendum.* 833. D.
Tripodes *Senecæ crimini datos conſtat.* 624. D.
Tripodes *interdum appellantur menſa & ſtrata.* ibid. F.
Tripodes *erant altaria portatilia Ethnicorum.* 625. A.
Tripodis *nomine, quid ſignificetur.* 623. F.
Tripodis *ſacri forma in veteri lucerna.* 625. D.
Tripodis *ſacri explicabilis forma in Arcu Conſtantini.* ibid. E.
Tripodis *ſacri explicabilis & contrahibilis forma antiquiſſima.* 626.
Tripodem *inſcendebat Pythia, reſponſa Phœbea cum daret.* 624. A.
Tripodum *ſacrorum variæ formæ.* 625. C.
Troglodytica *tantum myrrha in oleo conſecrationis admittebatur.* 334. *A.*
Troglodytæ *tantum à Numine facultate habita, cinnamomum colligebant.* 339. B.
Trojani *ſenaculum habebant ad portas.* 791. C.
Trojani *fœdus inituri cum Græcis, duos agnos mactarunt.* 1116. F.
Tropæa *cur ab Ethnicis prope flumina erigerentur.* 891. F.
Tropæa *non tantum ex ſcutis, ſed etiam ex miſſilibus, lanceis, & aliis armorum generibus conficiebantur.* 896. F.
Trulla *cui miniſterio dicata eſſet.* ibid.
Trulla *unguentarii vaſis genus Latinis.* 218. B.
Trulla *tercentum ſeſtertiis empta à Petronio.* 220. D.
Trulla *uſi ſunt ad potum veteres illi.* 220. C.
Trullæ *& truæ ex Varrone diſcrimen.* 219. A.
Trullæ *forma aperitur.* ibid. D.
Trullæ *oleariæ forma explicatur.* 221. D.
Tryblion *Græcorum eſt idem cum trulla Latinorum.* 218. C.
Tuba, *qua voce dicatur Hebraicè.* 1093. D.
Tuba, *inſtrumentum fuit metallicum apud Iſraëlitas.* 1100. F.
Tuba *cur oſſea ailquando dicta fuerit.* 1102. D.
Tubæ *veteris forma oſtenditur.* 1101. B.
Tubæ *Romanæ ſonus conjectatur.* 1102. E.
Tubæ *ſacræ forma monſtratur.* 1013. C.
Tubæ *ſacræ ſonus oſtenditur.* ibid. D.
Tubæ *ſacræ uſus ſacerdotibus tantùm concedebatur.* 1104. B.
Tubarum *uſus qualis apud Iſraëlitas.* 1101. A.
Tullus *Hoſtilius, primus Romanorum latum clavum geſtavit.* 1020. E.
Turris *ſpeculatoria Davidicæ arcis, ex ſpoliis hoſtium ornata viſebatur.* 893. C.
Turpitudinum *vocabulo in ſacris litteris tam anteriora, quam poſteriora hominis verenda ſignificantur.* 622. D.
Tyridates *Rex Parthorum, ad Neronis ſtatuam diadema depoſuit.* 1146. C.

V.

VAcua *fuiſſe altaria Iſraëlitarum oſtenditur.* 612. A.

Va-

Vacuum *fuiſſe altare, quod vidit Joannes in Apocalypſi, probatur.* 628. A.

Vas *ad ſortiendum, quomodo vocaretur.* 834. B.

Vas *æneum aquarum in Templo poſitum, dicebatur Mare æneum.* 925. E.

Vas *unguentarium dicitur petra fundens oleum in Scriptura.* 715. C.

Vas *olearium ad miniſterium ſacri candelabri in tabernaculo aſſervabatur.* 57. B.

Vas *olearium ad uſum ſacri candelabri formæ erat lenticularis.* 58. B.

Vas *æneum in Tabernaculo Moyſis manuum, ac pedum de cauſa poſitum fuit.* 543. E.

Vas *aquarium ad ſacra Veſtæ.* 545. F.

Vaſa *olei pro lucernis ſacri candelabri aurea erant.* 50. D.

Vaſa *olearia recenſentur.* ibid.

Vaſa *unguentaria, aliis etiam miniſteriis fuerunt applicata.* 243, D.

Vaſa *unguentaria plurima recenſentur.* 215. C.

Vaſa *ſacra, quæ ad idolorum cultum dedicata erant apud urbem Eupolidem.* 411. B.

Vaſa *omnia ſacræ menſæ aurea erant.* 487. F.

Vaſa *ad libaminum uſum menſæ imponebantur.* 496. D.

Vaſa *in quibus lychni ſacri Candelabri extinguerentur.* 529. B.

Vaſa *diverſa ad uſum thymiamatis.* 538. A.

Vaſa *aquaria inter ſacra recenſentur.* 543. D.

Vaſa *omnia Sanctuarii operire jubebat Deus, quoties caſtra movenda forent apud Iſraëlitas.* 381. D.

Vaſa *quibus libamina adferebantur in ſacrificiis, quomodo appellantur.* 503. E.

Vaſa *ad libamina tria erant.* 505. D.

Vaſis *ligneis uſi ſunt veteres in ſacris faciendis.* 64. A.

Vaſorum *ad uſum ſimilæ duo erant genera in ſacra menſa Propoſitionis.* 491. F.

Vates *Deorum oracula excipiebant, cùm Rex inaugurabatur.* 1070. C.

Vates *Deorum interpretes dicebantur* 190. A.

Vates *lymphati dicebantur à veteribus.* 192. E.

Vates *aqua luſtrabantur, ut initiarentur.* 193. A.

Vaticinandi *ars homines in Senatu Romano adſcripſit.* 191. A.

Vatum *inſignia erant varia juxta nationum placita.* ibid. C.

Vau *Hebræorum eſt Jod protractum.* 335. F.

Vectes *quid eſſent.* 478. E.

Vectes *adunci, ad metandum caſtra, quomodo ſignificentur ex phraſi Linguæ ſanctæ.* 902. A.

Vectium *aduncorum ex Iſraëliticis inſtitutis forma oſtenditur.* 903. A.

Venus *Hectoris cadaver oleo roſaceo ſervavit incorruptum.* 124. C.

Verba *loquendi atque dicendi, quando vim præcepti teneant.* 368. C.

Verba debent, tenentur, non licet, non poteſt, *vim præcepti habent.* 369. E.

Verba *dedicationis rectè effari apud Ethnicos neceſſe erat.* 429. E. 430. C.

Verba *dedicationis apud Iſraëlitas.* 431. A.

Verba *fœderis, ut firma eſſent, in cavo ſuperiori altaris ſcribebantur.* 589. C.

Verba *Hebraica futuri temporis habent vim imperativam.* 369. D.

Verborum *dedicationis forma.* 429. F.

Verbum *futuri temporis, quomodo apud Hebræos vim imperandi retineat.* 369. E.

Verbum *divinum carnem aſſumpturum in hieroglyphico Templi Delphici, indigitatum fuiſſe ſuſpicatur auctor.* 555 E.

Verbum שְׁכַב, *quas ſignificationes habeat apud Hebræos.* 900. F.

Verenda *tam anteriora, quam poſteriora hominis, turpitudinem nominum ſignificare in ſacris litteris, oſtenditur.* 622. D.

Veronicæ *ſacra Salvatoris icon Romæ in S. Petro aſſervatur.* 971. C.

Veſtæ *nomine ignis à Romanis colebatur.* 47. B.

Veſtæ *nomen à quo derivetur.*

Veſtæ *ſimulacrum B. Virginem Deiparam repræſentabat.* 48. B.

Veſtales *non ſolum Romæ, ſed etiam alibi erant.* 48. E.

Veſtalem *pudicitiam proſtituiſſe prodigioſum, & exitiale toti reipublicæ putabatur.* 48. D.

Veſtam *virginem dicebant, quod ignis incorruptus maneat.* 47. D.

Veſtam *deorum omnium antiquiſſimam credebant veteres.* ibid. C.

Veſte *ſancta utebatur Summus Sacerdos per ſeptem dies conſecrationis.* 724. D.

Veſtes *lineæ familiares Hebræis.* 1024. E.

Veſtis *quotidiana Artaxerxis quàm præclara.* 1013. F.

Veſtis *candida in atram commutabatur luctus cauſa.* 140. A.

Veſtimenta *depoſita in balneo non reaſſumebantur ab Hebræis.* 155. C.

Veſtimenta *munda poſt purificationem aſſumebantur.* 159. A.

Veſtimenta *Summi Sacerdotis Iſraëlitæ, præſtantiſſima erant.* 694. A.

Veſtimenta *ſacra in Sanctorum miniſterio tantum concedebantur Sacerdotibus.* 722. C.

Veſtimentis *domeſticis utebatur Aaron Summus Sacerdos intra domum, & non ſacris.* 722. A.

Veſtimentorum *ſacerdotalium ſolo amictu conſecratum Eleazarum falſo putat Abulenſis.* 720. D. 722. E.

Veſtimentorum *varia genera, Sacerdotibus tam majoribus, quam minoribus ſunt aſſignanda.* 721. D.

Veſtimentorum *ſacerdotalium varia genera, etiam Ethnici habuerunt.* ibid. F.

Veſtimentorum *laciniis favor oſtendebatur.* 1089. C.

Veſpaſianus *Auguſtus coronam interraſilem ex cinnamomo repoſuit in Templo Jovis Capitolini.* 338. E.

Veteres *Divinis honoribus donabant eos, qui aliquid humanæ Reipub. percommodum inveniſſent.* 912. B.

Veteres *in voluptatibus adeo profuſi fuerunt, ut ſingulis menſibus in convivio lautitias excogitaverint.* 207. D.

Vetius *Agorius Prætextatus tauroboliatus ſcribitur.* 703. A.

Via *alicujus ex phraſi ſacræ ſcripturæ dicitur genus morum.* 198. F.

Via *alicujus dicitur iter quod quis facere debet.* 199. D.

Viæ *nomine, quid in Scripturis aliquando ſignificetur.* 576. E.

Victima *fœderalis à Romanis ſilice mactabatur.* 1107. C.

Victimæ *pacificæ in Regum inaugurationibus, fœderum de cauſa feriebantur.* 1108. B.

Vini *& olei in convivio diſcrimen.* 114. B.

Vino *frons victimæ inſpergebatur, antequam mactaretur.* 498. D.

Vinum *à compoſitione olei conſecrationis excluditur.* 364. C.

Vinum *in altari ſuper ignem injiciebatur in ſacrificiis.* 499. B.

Vinum *ſanguini victimæ commiſcebatur in ſacrificiis.* 500. B.

Vinum *roſatum qua ratione paretur.* 114 B.

Vinum *fundebatur in principio, in medio, & ſæpiſſimè in ſacris antiquorum.* 510. A.

Vinum *fundebant veteres ſtatim, atque in menſa accubuiſſent.* ibid. C.

Vires *feſſæ balneo recreabantur.* 146. B.

Viri *ſontes ab uſu duplicis gladii in ſcripturis celebrantur.* 884. F.

Vitu-

Vitellii *in auſpicando Imperio ſalutatio.* 955. F.
Vitta *hyacinthina in occipitio Pontificis, fluitabat in auras.* 1002. C.
Vittæ, *quæ fluitabant in occipitio Imperatorum, diadema fuit.* 988. D. 990. F. 991. A.
Vittas *fluitantes in auram, Regium geſtamen habuiſſe probatur.* 1003. C.
Vituli *ſanguine, altare expiabatur.* 646. C. 646. D. 647. B. 647. E.
Vitulus, *& hircus pro dedicando altari mactabantur.* 642. B.
Ulyſſes *ab Areta convivio excipitur prævia unctione.* 187. E.
Ulyſſis *de Lotophagis fabula.* 698. D.
Unctio, *ſpiritualis poteſtatis eſt nota.* 1074. A.
Unctionis *diverſi actus, propriis vocibus à Græcis, & Hebræis ſignificantur.* 660. B.
Unctione *ſacerdotali, quas virtutes voluerit Deus ſignificare.* 361. F.
Uncini, *inſtrumenta erant ad uſum altaris Moſaici.* 675. E.
Ungebantur *veteres pro libito in hac vel illa thermarum cella.* 184. A.
Ungebantur *honeſtiores poſt meridiem.* ibid. F.
Ungebantur *veteres antequam cœnarent.* 186. C.
Ungebantur *oleo Sacerdotes in lege naturæ.* 715. E.
Ungendi *horam determinatam habebant veteres.* 184 D.
Ungere *pro eligere in phraſi ſacræ ſcripturæ ſumitur.* 196. E.
Ungere *pro præparare aliquando ſtat in ſcripturis ſacris.* 197. C.
Ungere *alterum inter prima benevolentiæ ſigna cenſebatur.* 169. B.
Ungere *aliquid quotupliciter accipiatur.* 659. F.
Ungentarius *& Unguentarius diverſi erant.* 97. F.
Unguendi *verbum, idem cum verbo eligendi.* 1063. C.
Unguenta *quibus vocibus ab Hebræis dicantur.* 2. B. 5. C. *quibus à Græcis, quibus à Latinis.* 6. D. 7. D.
Unguenta *olei nomine ſignificantur.* 3. A.
Unguenta *cur μύρα dicta ſint Græcis.* 6. C. 206. D.
Unguenta *adhibebant, ut Venere fruerentur.* 95. B.
Unguenta *inter laudatiſſima vitæ bona Romani repoſuerant.* 83. D.
Unguenta *odorata ab hominibus non fuerunt omnino ablegenda, ſed cum benedictione etiam admittenda.* 91. F.
Unguenta *aliqua à loco nomen ſumpſere.* 102. B.
Unguenta *aliqua ab unguentariis nomen habuere.* ibid. F.
Unguenta *hilaris animi nota erant.* 142. B.
Unguenta *quare oleo & aromatibus componerentur.* 107. C.
Unguenta *balneo maris coquebantur.* 110. C.
Unguenta *vino commixta biberunt veteres.* 212. A.
Unguenta *copioſiſſime biberunt veteres.* 213. B.
Unguenta *in ſolemnioribus pompis à Græcis fundebantur.* 216. C.
Unguenta *in ſecundis menſis frequentiſſima Hebræis & Græcis.* 205. *& ſeq.*
Unguenta *ab Abrahami tempore erant in uſu apud mulieres.* 251. B.
Unguenta *quem effectum haberent in mundo muliebri, & illorum uſu penes mulieres.* ibid. C.
Unguenta *ex Maro præſtantiſſima.* 257. D.
Unguenta *Saræ nonagenariæ pulchritudinem conciliabant.* 265. A.
Unguentarii *quadraginta reperti cum impedimentis Darii apud Damaſcum.* 79. E.
Unguentarii *vaſis antiquiſſimi forma.* 240. B.
Ungentarius *ab ungendo dictus, ab unguedine vero unguentarius.* 98. B.
Unguentarius *dicebatur, qui ex regulis artis aromatifera unguenta componebat.* 97. B.
Unguentarii *fuere in pretio apud Romanos.* 85. C. 86. B.
Unguentarii *qui exotica unguenta Romæ attuliſſent, prohibiti ſunt cenſore Cæſare.* 96 F.
Unguentarius *dicebatur, qui unguentis vendendis operam dabat.* 97. E.
Unguenti *Cyprini meminere ſacra oracula.* 102. E.
Unguenti *amaracini inventum.* 256. C.
Unguenti *conſecrationis valor.* 316. D.
Unguenti *vocabulo antiquitus, olea aromatibus condita dicebantur.* ibid. C.
Unguenti *roſacei compoſitio.* 132. E.
Unguenti *ſuſini, quod olei lætitiæ nomine ſignificatur, compoſitio.* 134. D.
Unguenti *ſuſini præſtantia.* 135 B.
Unguenti *ſuſini frequens apud Iſraëlitas uſus.* 136. D.
Unguentis *interdum ab aromatibus nomina indita fuere.* 104. A.
Unguentis *Venerem excitabant veteres.* 263. C.
Unguentis *madere feliciſſimum putabant Hebræi.* 86. C.
Unguentis *caruiſſe infeliciſſimum putabatur.* ibid. D.
Unguentis *fracta fuit gentium, ac militum ferocia.* 95. F.
Unguentis *& oleis, ad delicias veteres utebantur.* 1075. F.
Unguentis *utebantur ad ſanitatem veteres.* 84. A.
Unguento *ac oleo præſtantiſſimo uti in Regum inaugurationibus, conſuetudo fuit omnium gentium.* 1032. F.
Unguento *ungi, quomodo differat à liniri unguento.* 8. B.
Unguento *Ægyptio maxime delectabantur in potu.* 212. E.
Unguentorum *componendorum ars.* 106. D. 109. C.
Unguentorum *inter pocula & eſcas, ac etiam in ſecundis menſis uſus.* 202. B.
Unguentorum *uſus in balneis ſacris, in cœnaculis, & in ſepulturis.* 1. F.
Unguentorum *uſus & luxus Belgis ignotus erat tempore Cæſaris.* 78. B.
Unguentorum *inventum Perſis falſò tribuit Plinius.* ibid. E.
Unguentorum *uſus Chaldæorum fuit inventum eorum, qui ex Sem filio Noë genus trahebant.* 82. F.
Unguentorum *exordia a primis poſt diluvium annis cœperunt.* 82. F.
Unguentorum *uſus cutem ſolidabat, & venuſtatem cutis retinebat.* ibid. E.
Unguentorum *officinæ plures, pluresque unguentarii Romæ erant.* 84. F.
Unguentorum *luxus damnatus à veteribus.* 92. F.
Unguentorum *varia genera habebant veteres ad diverſitatem membrorum humani corporis.* 94. B.
Unguentorum *varia genera juxta diverſitatem membrorum habuere Iſraëlitæ in ſacris litteris.* ibid. F.
Unguentorum *ſpecies apud veteres fuere innumerabiles.* 101. C.
Unguentorum *nomina à locis, ab aromatibus, ab artifice, & ab aliis ſumebantur.* 102. A.
Unguentorum *nomina unde ſumerentur.* 289. D.
Unguentorum *nomine hoc tempore medicamenta appellantur.* 363. B.
Unguentorum *uſus non eſt omnino Veteribus exprobrandus.* 144. B.
Unguentorum *odoratorum maculæ ad decorem erant Ethnicis, & Sacerdotibus etiam Iſraëlitis.* 712. D.
Unguentum *nardinum foliatum etiam dictum.* 104. D.
Unguentum *Panathenaicum.* 102. B.
Mendeſinum ac Cyprinum. ibid. C.

Unguentum *quo ſacerdotes initiabantur ; oleum appellatur in ſacris litteris.* 4. F.

Unguentum *myrrhæ amantem indigitabat.* 262. E.

Unguentum *ſanctum , ſanguine commiſcebatur , ad conſecrandum minores ſacerdotes.* 707. F.

Unguentum *Megalium , & Nicerotianum.* 103. A.

Unguentum *proprie dicitur oleum ex ſolis aromatum ſuccis.* 2. F. 6. A.

Unguentum *ſanctum , cur diceretur oleum conſecrationis.* 292. E.

Unguentum *quod ex roſis fit, non roſeum , ſed roſaceum dici debet.* 123. C.

Unguentum *roſaceum præſtantiſſimum habebatur apud veteres.* ibid. D.

Unguentum *roſaceum è cœlo allatum putabatur.* 124. C.

Unguentum *roſaceum olei lætitiæ nomine ſignificari, probabile eſt.* 124. *D.*

Unguentum *ſuſinum deliciarum cauſa Alexandro miſſum.* 136. F.

Unguentum *ſuſinum per antonomaſiam dicebatur oleum lætitiæ.* 143. C.

Unguentum *ſanctum dicebatur , tam illud quo ſacerdotes initiabantur , quam illud quo Reges inaugurabantur.* 265. *F.*

Unguentulum *dicebatur oleum aromatibus conditum ad nutrimentum lucernarum.* 18. D.

Unionum *in auribus deferendorum mulierum uſus damnat Seneca.* 248. C.

Ventris *onus præſtantiſſimis vaſis aureis exonerare veriti nequaquam ſunt veteres.* 218. D.

Vocabula *de induſtria poſita ſunt in ſcripturis ſacris.* 115. B.

Vocabula *ſacrarum ſcripturarum myſterio non vacant.* ibid.

Vocabula *eadem apud eandem gentem variant interdum accentu , vel ſono.* ibid. F.

Vocabula , *quibus varietas Senatorum ſignificatur in Republica Iſraëlitica.* 778. A. *& infra.*

Vocabulorum *Sammim , & Beſamim diverſitas.* 324. B.

Vocabulorum *diverſitas rerum diverſitatem ſubindicat.* 935. C.

Vocabulum *Hebraicum , mazeh , quam ſignificationem habeat.* 914. A.

Voces *Hebraicæ quæ caracterum conformitatem habent , ſignificatione etiam aliquo modo conveniunt.* 116. B.

Volumina *veterum qualia eſſent.* 193. E.

Urbes *ſingulæ Senatus habuerunt ſuos in Iſraëlitica gente.* 780. D.

Urbs *Romana ſub Commodo Imperatore incendio maximo conflagravit.* 461. B.

Urim , *& Thummim , in Rationali pectoris poſita erant.* 1034. A.

Utenſilia *ſacri Tabernaculi , ſuis in locis intra Tabernaculum prius collocata fuere ; demum conſecrata.* 454. C.

Utenſilia *ſacra , irreverenter tractata ab Accaronitis, & Betſamitis , illis fuit ad ruinam.* 382. F.

Utenſilium *Tabernaculi nomine , Arca , Menſa , Candelabrum , & Altaria aliquando ſignificantur.* 637. F.

Vulgati *Interpretis ſenſus in ſacris litteris ex Hebraica phraſi petendus erit, ubi non apparet contradictio.* 368. F.

Vulgati *Interpretis textus , quantæ ſit auctoritatis in Eccleſia.* 910. *E.*

Vulgati *Interpretis loca plurima ſanant veterem lectionem Hebraicorum exemplarium.* 919. B.

Vulgati *Interpretis auctoritas retinenda eſt in Bibliis.* 921. D.

X.

Xerxes *pugnam Marathonicam ſpectavit.* 1139. B.

Xerxes *ex aureo throno navalem pugnam ſpectavit.* 1144. E.

Z.

Zinziber *oleum compoſitionis non ingrediebatur.* 350. A.

Zinziberis *quodnam genus ingrederetur oleum conſecrationis.* 351. F.

F I N I S.

R E G E S T U M.

* ** *** A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vv Xx Yy Zz.

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq Rrr Sſſ Ttt Vvv Xxx Yyy Zzz.

Aaaa Bbbb Cccc Dddd Dddd 2 * Dddd * Eeee * Ffff * Gggg Eeee Ffff Gggg Hhhh Iiii Kkkk.

Omnes ſunt Duerniones , præter * G g g g *Unionem.*

21/-